+ Epi Torontini
1868
Genl Council
May

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

ET

INSTRUCTIO CLEMENTINA

EX

ACTIS EJUSDEM COLLECTA

AB

ALOISIO GARDELLINI,

IN USUM CLERI COMMODIOREM ORDINE ALPHABETICO

CONCINNATA

OPERA ET STUDIO

WOLFGANGI MÜHLBAUER

CAEREMONIARII ETC. ECCLESIAE METROP. MONACENSIS.

TOMUS PRIMUS.

A — I.

MDCCCLXV.

MONACHII.
LIBRARIÆ J. J. LENTNERIANÆ.
(E. Stahl)

PARISIIS.
P. LETHIELLEUX,
Via vulgo Cassette, 23.

Praefatio.

Cognitum habemus observatione diuturna, quod partim magnum pretium Collectionis decretorum S. R. C., partim permagna difficultas ea inveniendi Clerum prohibet, ne de dubiis oriendis liturgicis investigaret ac subtilius et diligentius ea exquireret. Propterea monitionibus et precibus plurimorum Liturgiae peritissimorum virorum, praecipue benefactoris mei Pl. R. Capit. Windischmann permotus, Decreta S. R. C. et Instructionem Clementinam tempore subsicivo ante Septennium eo ordine alphabetico describere atque disponere institui, ut quisque primo aspectu quaesita perfacile reperire possit. Multas denique, benevole Lector, invenies Constitutiones Pontificum, quae de rebus liturgicis tractant, sed usque adhuc e Bullario magno romano in usum Cleri nondum prodierunt, e. g. *Constitut. Bened. XIV. de Imagine Crucifixi. Omnia Dubia et Responsa „ad verbum" descripta sunt; de quibus rebus plura Dubia et Responsa in omnes partes sunt prorsus paria, duo vel tria descripsi, reliqua, ne supervacanea repetam, adnotavi tantum; de qua re similia sed non prorsus paria sunt Dubia et Responsa, omnia et singula relata sunt, ne oriatur deceptio.*

Confido igitur, Congregationibus (Conferentiis) ecclesiasticis pene omnium Dioecesium institutis hoc opus R. Clero et praecipue

Seminariis in conscribendis et illustrandis lyturgicis dubiis optatum et peroportunum adjumentum esse futurum. Clericos civitatum, si forte operis lyturgici sunt expertes, Bibliothecae aliquando sed raro juvant, quarum opera Presbyteris ruri vel in oppidis munera sua exercentibus deficiunt; his praecipue tanto exoptatum erit hoc opus, quia justis desideriis eorum et querelis subvenit. Si tempore recentiori omnes pene Ecclesiae renovantur et magno cum splendore exornantur, praecepta etiam et decreta S. R. C., opinor, juxta conditiones loci et Ecclesiae aeque renovari et reviviscere, ut ita dicam, debent, ut oriatur gestus et splendor externus, qui majestati ac gravitati Cultus divini nostrae s. Ecclesiae catholicae plane conveniat, ad quem finem pro facultatibus paullulum conducam. Dignetur igitur supremum Numen super hoc opus, quod sincero animo ac bona fide descripsi et supremo judicio Superiorum et S. R. C. humillime submitto, rorem suae benedictionis effundere seu virtute et gratia concedere, ut eo mediante Clerici in Officiis sacris peragendis debite eruditi, studiose, exacte ac fervida cum aemulatione Ritum ecclesiasticum observent ad majorem sui laudem et gloriam et ad excitandas pias mentes in cordibus Fidelium.

In festo SS. Apost. Petri et Pauli 1863.

W. Mühlbauer,
Caerem. etc.

Index Verborum Tomi primi.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

[illegible]

Decreta authentica.

A.

ABACUS.

(Abbatum et Dignitariorum.)

Dignitatibus solemniter celebrantibus Abacum superponendis candelabris, calice, pelvi aliisque ad Sacrificium opportunis aptum et consueto more ornatum ad cornu Epistolae adhiberi posse. n. 2127 die 3. Sept. 1661.

Ad dubium: An Archipresbytero Cathedralis Nazzar. celebranti missam in diebus sol. praeparari possit abacus seu credentia cum pelluvio et gutturino ad abluendas manus? S. C. resp.: Concedendum esse ex gratia usum pelluvii cum urceolo n. 3579 ad 2 die 26. Apr. 1701.

Ad dubium: An Dignitatibus sol. celebrantibus liceat retinere abacum et an id ipsum vel cum aliqua distinctione retineri valeat pro Canonicis? S. C. resp.: Affirmative et ad utramque dubii partem sine distinctione. n. 4064 ad 2 die 31. Aug. 1737. — Cf. *Usus Pontificalium* (decr. n. 1856).

ABBAS.

1) Assistentia Monachorum.

Licere Abbatibus *Congreg. Camaldul.*, quando solemniter celebrant, habere sex ad summum Monachos sacris vestibus indutos, quorum duo assistant cum Pluvialibus, duo cum Planetis et duo cum Tunicellis coloris tempori convenientis; hi sedeant non in sedibus choralibus sed super scabellis in loco congruo, panno laneo coopertis. n. 966 die 21. Aug. 1632.

Vd. *Usus Pontifical.* (decr. n. 1856).

2) Associatio.

Caeremoniale Librum non comprehendere in associando ad chorum et ad Ecclesiam Abbatem sed solum Episcopum. n. 478 die 11. Decb. 1613.

Abbati s. Salvatoris Ord. Cisterciens. Clusinae accedenti ad peragenda Pontificalia cum associatione totius sui Cleri, S. C. resp.: Serventur decreta P. Alexandri VII. (de anno 1659) n. 3781 die 10 Mart. 1708. (Vd. *Usus Pontif.* n. 1856.)

3) Benedicens.

(Cf. *Bened. cum SSmo.; Usus Pontificalium,* praecipue decr. n. 1856)

Posse Abbatem, dum pontificaliter celebrat in sua Ecclesia, populo solemniter benedicere, sed non in praesentia Episcopi. n. 246 ad 2 die 17. Julii 1604.

Non posse Abbatem in locis, ubi jurisdictionem habet, private suis subditis benedicere, sicut sol. potest. n. 412. die 24. Aug. 1609.

Ultra tres vices Abbatibus nullatenus licere trina benedictione solenniter benedicere et tunc, si actu pontificalibus induti solennia peragant; privatim vero celebrantibus, nunquam a simplice sacerdote vel in minimo eos discrepare

permissum est. n. 1972 ad 5 die 29. Mart. 1659.

4) Benedictio.

Abbates non ab alio quam ab Ordinario benedictionem petere debere et ita servari. 1070 die 24. Julii 1638.

Cum P. Abbas gener. Ord. s. Hieronymi Congreg. Portugall. preces SS. P. Bened. XIV. porrexit, ut Abbas gener. pro tempore ejusdem Cong. recipere valeat benedictionem a quolibet ex Episcopis Portug., impertita simul eidem abbati facultate benedicendi alios abbates, qui ex antea abbatis gener. munus obierint, atque in posterum dicti abbatis gen. successores benedictionem ab eorum praedecessoribus possint recipere, S. C. resp. ad 1: Consulendum SSmo. pro concessione indulti abbati gen. sumendi benedictionem, servata in omnibus Bulla Bened. XIII; ad 2: Negative.

Et SSmus. benigne annuit et votum S. C. approbavit. n. 4251 die 23. Apr. 1755.

5) Benedictionis etc. facultas.

(Cf. *Benedictio* campanae; bened. cum s. chrysm. etc.)

Abbati mitrato non licere vigore privilegii obtenti ante Concilium Tridentinum hodie conferre Ordines minores, consecrare calices et benedicere campanas, in quibus adhibetur unctio. n. 636 ad 3. die 6. Junii 1626.

Omnia disposita in decreto edito sub die 20. Julii 1660 tenoris sequentis ad §. 19, quo vetita est Abbatibus benedictio sacrae suppellectilis pro usu alienarum Ecclesiarum, servanda sunt ab Abbatibus Lateranensibus. n. 2474 die 23. Mart. 1669.

Abbates Congreg. Cass., Canonicor. regul. Later. s. Augustini et Coelest. non posse uti privilegio benedicendi s. supellectilem, nisi pro usu suorum Monasteriorum. n. 3192 ad 2 die 30. Julii 1689.

Ad dubium: an liceat Abbati Stambsensi s. supellectiles benedicere, in quibus s. unctio non adhibeatur sed etiam altaria consecrare et alia vasa sacra in quibus adhibetur s. chrysma, idque non tantum ad usum propriae Ecclesiae monasterialis sed etiam ad usum aliarum Eccles.? S. C. resp.: *Negative.* n. 4065 die 31. Aug. 1737.

Ad dubium: 1. an licet Abbatibus aliisque Pontificalia ex privilegio exercentibus benedicere campanas, vasa s. et alia, quae s. chrysmate liniuntur, necnon vestes s. et in quorum benedictionibus chrysmatis unctio non requiritur? Quatenus affirmative,

2. an hoc eis liceat etiam pro Ecclesiis sibi pleno jure non subjectis?

3. an Superiores Regularium et Rectores, Priores, Quardiani, Ministri et alii possint explere benedictiones omnes, in quibus s. Chrysma non requiritur? S. C. resp.

Ad 1: Quoad primam partem non licere nisi habeant privilegium; quoad secundam partem licere;

ad 2: Hoc eis licere pro usu dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum. ad 3: Posse pro suis Eccles., supposito S. Sedis privilegio. n. 4159 die 16. Maji 1744.

Ad dubium: an ad facultatem consecrandi et benedicendi Abbati Fuldensi suffragetur communicatio privilegiorum Montis Cassinens., vel, si adesset observantia immemorabilis, eum possit juvare? S. C. resp.: Affirmative vigore communicationis privilegiorum, non consuetudinis, et in locis propriae jurisdictionis. n. 3663 ad 1 die 22. Sept. 1703.

6) Benedictio parament.

(Vd. *Bened. parament.; Cassinenses.)*

Abbates aliique similes habentes facultatem benedicendi paramenta pro usu propriarum Ecclesiarum, non possunt vigore talis facultatis benedicere

paramenta exterarum Ecclesiarum, non obstante allegata consuetudine. n. 829 die 18. Aug. 1629.

7) Benedictus.

Abbas, *cum bireto benedictus*, ad Abbatiam, usum Pontificalium habentem, translatus non indiget alia benedictione sed potest per se Mitram et alia insignia et indumenta capere. n. 295 die 25. Febr. 1606.

8) Non benedictus.

Abbatem non benedictum et non habentem privilegium Pontificalium a Sede apostolica, non posse neque debere sub praetextu, quod Monasterium fuerit alias unitum Congregationi Vallisoletanae privilegio Pontificalium gaudenti, celebrare Missam et alia Pontificalia exercere, cum illud privilegium (a Clemente VIII. concessum) sit restrictum ad Abbates *benedictos* tantum et ad proprias Ecclesias Ordinis; neque Episcopo licere, dare seu ampliare propria auctoritate gratiam non concessam seu limitatam a Sede apostolica. n. 538 die 8. Maii 1617.

9) Celebrans extra s. Territorium.

Vd. *Usus Pontifical.* (praecip. decr. n. 5065.)

Ad dubium: Utrum Abbates Ord. S. Benedicti, vel aliarum Cong., qui pariter usu Pontificalium sunt insigniti, possint, annuente tamen loci Ordinario, Missam solemnem in Pontificalibus extra propriam Eccl., vel ceteras ejusdem Instituti Ecclesias, praesertim quando iidem Abbates, in Apost. Indulto benedictionem receperint ad formam Pontificalis Rom.?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative in omnibus sine speciali Apostolico Indulto."

Et ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 5035 ad 3. Die 23. Maji 1846.

10) Exemptus.

Abbas Ecclesiae exemptae, usum mitrae habens, qui Divinis solemniter interest, potest Episcopo absente suos Canonicos assumere et eandem in Canonicos Eccles. Colleg. jurisdictionem exercere, quam Episcopus in suos. n. 232 ad 2, die 7. Febr. 1604.

11) Facultatem celebr. tribuens.

Abbas, subjectus Ordinario, non potest dare licentiam alteri abbati exempto vel forensi, celebrandi pontificaliter in sua Ecclesia, *sine* licentia Ordinarii. n. 646 die 18. Julii 1626.

12) Incensatio.

Abbates tum in Cathedrali cum alibi *extra Presbyterium* Divinis interessentibus immediate post Canonicos consuetis ductibus per Caeremoniarum Magistrum thurificentur eisque Pax deferatur. n. 2060 die 12. Junii 1660.

Vd. *Cassinenses; Incensatio.*

13) Missa privata.

Vd. *Missa privata Abbat., Dignitar. etc. Cassinens.; Altare portat.*

14) Nominatio in Canone.

Vd. *Canon* (Nomen Abbatis etc.)

15) Pontificalibus extra limites non utitur.

Abbas cum usu Pontificalium iisdem extra limites locorum sibi subjectorum absque *indultu Sedis Apostolicae* nec sine nec cum licentia Dioecesanorum uti non potest. n. 1395 die 28. Junii 1642.

Nequit Episcopus Abbatibus aliisque Praelatis inferioribus, exercitium Pontificalium restrictive habentibus in suis tantum Ecclesiis, facultatem seu licentiam impertiri exercendi illa in Ecclesiis ipsis non subjectis, sive Saeculares fuerint sive Regulares suae Dioecesis. n. 4089 die 11. Julii 1739.

Cf. *Pontificalia* (jus etc.)

16) Praecedentia inter se.

Ab Abbate s. Michaelis Congreg.

Vallisumbrosae deberi praecedentiam Abbati s. Bartholomaei Canonicorum Lateranens., dummodo iste in habitu Clericali vesteque linea sine pallio nigro et sine Mozzetta incedat n. 1402 die 19. Julii 1642.

17) Praeced. super alios.

Ad dubium: an Abbatibus Ord. S. Benedicti Congreg. Militensis, Status Ragusini, Pontificalibus indutis, tamquam invitatis pro assistentia in solem. primis vesperis, Processione et Missa Festivitatis s. Blasii veniet denuo assignandum stallum in Presbyterio, quo usos fuisse praetendunt in antiqua Cathedrali? S. C. resp.: Archiepiscopus assignet Abbatibus locum decentem in Presbyterio post Episcopos n. 4005 ad 2, die 24. Nov. 1731.

Cum ex parte Patrum Abbatum S. Benedicti Status Ragusini expositum fuerit, quod, ipsi occasione Processionum, et absolutionum ad funeralia Reverendissimorum Archiepiscoporum, et Dominorum Rectorum Reipublicae Ragusinae, ad quas iidem invitati sunt simul cum Episcopis Suffraganeis, nulla persona in Dignitate Ecclesiastica constituta interposita, Pontificalibus ornamentis induti semper accesserunt: cumque modo ad effectum, ne a simili possessione a Canonicis Cathedralis Ragusinae iidem in posterum perturbari valeant, pro declaratione manutentionis hujusmodi assertae consuetudinis S. R. C. humillime supplicatum fuerit.

S. eadem R. C., visis attestationibus Episcoporum Staguen., et Mercanen., et Tribunen., et lecto voto a Reverendissimo Archiepiscopo Amaseno Apostolicarum cæremoniarum Praefecto exarato, rescribendum censuit: „Praecedentiam supra Canonicos deberi Abbatibus praedictis, et solitum servari mandavit." Et ita decrevit. n. 3972. Die 12. Julii 1727.

18) Processio.

Posse Abbatem facere processionem cum suis Monachis et absque aliis Religiosis, dummodo non exeat limites Parochiae. n. 246 ad 1, die 17. Julii 1604.

In processionibus *per civitatem* Abbas coram se deferri facere non potest mitram et baculum, quia extra suam Ecclesiam et conventum non potest uti mitra et baculo. n. 246 ad 3, die 17. Julii 1604.

In processionibus SS. Corp. Christi Abbas curatus, pluviali indutus, incedere debet cum alio presbytero antiquiori similiter Pluviali induto. n. 3472 die 31. Maji 1698.

Vd. *Mitra Abbatis; Processio Regular.*

ABBATISSA.

1) Baculus.

Non licet Abbatissae in choro adhibere baculum Episcopalem, eundemque, cum exponantur Abbatissarum cadavera, earum manibus aptari vel prope apponi. n. 1780 die 29. Jan. 1656.

S. C. Episcopo injungit ut cum cæteris etiam (in civitate Manfredoniae) Monialibus Decretum (de baculo) S. C. exequatur. n. 1809 die 10. Junii 1656.

2) Benedicens et aspergens Moniales.

Ad dubium: An in conclusione Capituli culparum possit ex consuetudine Abbatissa benedicere Sorores dicens: *Sit nomen etc.*, et *Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat etc.*, ut in fine Primae; et an possit de sero illas aqua benedicere, seu aspergere, repetens verba: *Benedictio Dei Omnipotentis Patris etc., descendat super Vos, et maneat semper?*

Emi et Rmi P. s. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„Affirmative, seu servetur consuetudo.“

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 9, die 7. Sept. 1850.

3) Jurisdictio.

Praeeminentiam et jurisdictionem Coadjutricis cessare in praesentia Abbatissae et ideo, praesente Abbatissa, Priorissam esse coadjutrici praeferendam. n. 253 die 16. Oct. 1604.

ABLUTIO.

1) Digitorum cum aqua tantum.

Vd. *Calix.* (Purificatio.)

Sacerdos Joannes Baptista Fulisc ex Dioec. Tornac. summopere exoptans, ut uniformis sit praxis omnium Eccl. in exequendis singulis Caeremoniis quae in Sacrosancto Missae Sacrificio locum obtinent, S. R. C. enixe rogavit, ut sententiam suam proferre dignaretur super sequenti Dubio ab ipso proposito iis in terminis: An pro abluendis vino et aqua pollicibus, et indicibus in secunda purificatione post Communionem debeat Sacerdos e medio Altaris versus Cornu Epistolae recedere? S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, audita a Secretario relatione, rescribendum censuit: „Serventur Rubricae pro diversitate Missae.“ n. 5138. Die 22. Julii 1848.

2) Manuum Episcopi.

(Laici.)

Magistratum ad ablutionem manuum Episcopi solemniter celebrantis cogi non posse, sed si invitatus id faciat, laudandum. n. 1537 die 26. Aug. 1645; n. 4015 ad 3, die 9. Maji 1733.

Syndacos civitatis Venafri renuentes ministrare Episcopo aquam, ut antea consueverunt in functionibus pontificalibus, hortandos esse, non compellendos. n. 2217 die 28. Apr. 1653.

Magistratus prout in Caeremoniali tam absente quam praesente Gubernatore Episcopo in lotione manuum inservire debeat. n. 3468 die 19. Apr. 1698.

Magistratus Comaclen. ministrans aquam pro lotione manuum Episcopi solemniter celebrantis in eundo et redeundo ultra Genuflexionem altari debitam tenetur alteram facere eidem Episcopo, et accedere ad abacum pro accipiendis pelvibus... pro eadem lotione manuum; et debet uti velo serico circum spatulas extenso in praestatione ejusdem lotionis. n. 3717 ad 1—3, die 4. Apr. 1705; n. 4305 ad 2, die (21. Julii) 12. Septembris 1761.

Magistratus Brictinoriensis accedens ad lotionem manuum Episcopi pontif. parati debet in actu genuflectere, et manere genuflexus. n. 4305 ad 1, die (21. Julii) 12. Sept. 1761.

Vd. *Genuflexio coram Episcopo. Lavabo.*

ABROGATIO.

1) Festorum.

Vd. *Reductio festorum.*

2) Octavarum in Congreg. ss. Redemptoris.

Vd. *Calendarium Congreg. ss. Redempt.* (decr. n. 4581 ad 4 et 5.)

ABSOLUTIO.

1) Infirmi.

Episcopi Philippinarum possunt adstringere parochos regulares ad observandum in praxi Rituale roman., quod dicit: „quodsi confitendi desiderium suum per se sive per alios ostenderit infirmus, absolvendus. Et si non est introducta observatio Ritualis romani, introducatur. n. 629 die 2. Maji 1626.

2) Mortuorum.

a) In Coemeterio.

Cf. *Absolutio*, (ritus.)

Ad dubium: Die decimaquarta Novembris, vel si fuerit Dominica, insequenti Feria secunda, quotannis celebratur Anniversarium cum Missa de *Requie* post Nonam pro omnibus Canonicis, Cappellanis, et Clericis defunctis ipsius Ecclesiae Primatialis Pisanae. Eapropter pridie immediate post Vesperas, omisso Responsorio: *Fidelium animae*, proceditur ad Coemeterium, ibique cantatur cum Invitatorio Nocturnum Defunctorum, et post tertiam Lectionem dicitur Responsorium: *Libera me Domine,* et fit Absolutio ut in Rituali. Simili modo immediate post Vesperas itur ad Sepulchrum Henrici VII. Imperatoris die 24. Augusti, et die 21. Septembris ad Sepulchrum Beatricis Matris Comitissae Mathildis ad faciendam Absolutionem ut supra, quae fieri potius deberet sequenti mane post Missam *de Requie.* Haec consuetudo, licet Rubricis Missalis et Ritualis contraria, retinetur ratione suae longaevitatis. S. C. resp.:

„Serventur Rubricae.“ n. 4672 ad 15, die 12. Nov. 1831.

b) Crux deferenda inter duos Acolythos.

In Absolutionibus ad feretrum Subdiaconus debet praeire deferens Crucem medius inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa. n. 15 ad 4 et 5, die 16. Mart. 1591. Vd. *Subdiaconus; Cruciferarius in process. dom. Palm. etc.* (decr. n. 4620.)

c) In die Commem. Omn. Fidel. defunct.

1) Oratio.

In *absolutionibus* in die Commem. Omnium fidel. def. non est dicenda tota conclusio in oratione. n. 3477 ad 4 die 5. Julii 1698. *Instruct. Clem.* §. XXIV. n. 24.

2) Ritus.

In absolutione ad Tumulum post Missam *de Requie* praescribit Rubrica cantandum Responsorium *Libera me Domine, de morte etc.*: et haec est praxis generalis; nihilominus aliqui volunt adhuc in die Commem. omn. Fidel. def. licitum esse cantare aliud quodlibet responsorium ex novem, quae sunt in Officio defunctorum. Quaeritur, an hoc revera liceat? Et S. eadem C..... respondendum censuit:

„Negative, sed servandas Rubricas.“ Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. n. 5050 ad 14, die 23. Maji 1816.

Ordinis Minorum Sancti Francisci.

(Provinciae S. Pauli Vallisoletanae.) Quaestio quaedam inter Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Provinciae Vallisoletanae nuperrime orta quum fuerit quoad recitationem Versiculi: *Animae eorum*, dicendi post absolutionem ad Tumulum, et sequentis Antiphonae cum Psalmo: *De profundis,* redeundo ad Sacristiam in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, asserentibus nonnullis praesidio fultis tum Decreti editi 2. Decembris 1684 a Sacrorum Rituum Congregatione, tum peculiaris Rubricae Breviarii Ordinis Franciscanorum, hanc recitationem omittendam, haerentibus aliis in opinione esse omnia dicenda ex auctoritate cujusdam Manualis Processionalis memoratae Provinciae typis editi Anno 1774, ideo ad conciliandos animos, concordiamque parandam, ac uniformitatem magis obtinendam in Ecclesiasticis functionibus, quaestio haec ad eandem Sacram Congregationem delata fuit. Quae in Ordinario Coetu hodierna die ad Quirinale coa-

dunata, referente Secretario, omnibus consideratis, accurateque perpensis, rescribendum censuit: „Antiphona et Psalmus: *De profundis*, nec non Versiculus: *Animae eorum*, in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum post absolutionem ad Tumulum sunt omittenda juxta Decretum in una Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium diei 2. Decembris 1684 ad Dubium 11. Et ita rescripsit, ac servari mandavit, die 28. Julii 1832. n. 4692.

Vd. *Absol.* (h. Ritus).

d) In Dominica post missam solemn.

Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia.

Quum hodiernus Superior Coenobii Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Civitatis Maceraten. Sacrorum Rituum Congregationi exposuerit, ibi a duobus et ultra saeculis vigere consuetudinem, Dominica infra Octavam omnium Sanctorum, post Missam solemnem decantandi circa tumulum in medio Ecclesiae erectum Responsorium: *Libera me Domine*, ac insimul humillime efflagitarit, ut hanc ipsam consuetudinem servare decerneret, tum ob suam antiquitatem, tum etiam ne omissio offendat Fidelium pietatem, quamvis ipsa aperte contradicat Rubricis, et Ecclesiasticis Sanctionibus; Eminentissimi, et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Vaticanum subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, referente Secretario, respondendum censuerunt: „*Negative:* Die 16. Martii 1833.“ n. 4702.

e) Non licita.

In diebus, in quibus fit de festo dupl., cum non possit dici missa de requiem, nisi praesente cadavere, cantata missa de Sancto, non potest fieri in fine hujus missae absulutio circa lecticam collocatam in plano Ecclesiae, canente Choro: *Libera me Dom.* n. 3791 die 4. Aug. 1708.

In quibusdam Anniversariis, et quum non sint Anniversaria, nec celebrari potest Missa *de Requie* (eo quod non adsit obligatio applicandi Missam Conventualem in diebus ferialibus) canitur Nocturnum, deinde Absolutio circa Tumulum peragitur, et postea Missam Conventualem canunt de Festo, quod occurrit, applicando illam pro Defunctis cum Tumulo ante Aram, et cereis accensis.

Et S. eadem C.... respondendum censuit:

„Posse, dummodo removeatur tumulus tempore Missae, ac finita circa illum absolutione.“

Atque ita rescripsit die 10. Januarii 1852 n. 5166 ad 1. Vd. *inf. decr.* n. 5188.

f) Quando peragenda?

Absolutionem faciendam esse finita missa juxta rubricas missales c. 13. n. 4; n. 4815 ad XI. 5, die 22. Sept. 1837.

Ad dubium: Utrum absolutio pro Defunctis finita Missa fieri possit tantummodo quando dicta fuit Missa *de Requie*, vel utrum fieri etiam possit in paramentis tamen nigris quando dicitur Missa de Festo Duplici, cujus fructus Defunctis applicatur? S. C. resp.:

„Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“ N. 5188. Romae 9. Junii 1853.

g) Quis peragit?

Absolutionem Mortuorum in Cathedrali Ascul. fieri solitam qualibet fer. 2. non impedita, spectare ad Archidiaconum, non autem ad Canonicum antiquiorem; Archidiacono impedito ad digniorem. n. 2289, ad 5 die 30. Aug. 1664.

Ad dubium: Utrum post Missam

in die obitus alius Sacerdos a Celebrante diversus accedere possit ad absolutionem peragendam? Et quatenus affirmative:

An possit indutus superpelliceo accipere Stolam cum Pluviali nigri coloris?

Rescriptum prodiit, ad primum:

„Negative, et ex Decretis hoc jure gaudere tantum Episcopos;“ ad secundum:

Provisum in praecedenti.

Atque ita S. C. rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. N. 5208. ad 13 et 14. Die 12. Aug. 1854.

Ad dubium: Utrum (quartus) Sacerdos post Missam ab alio Sacerdote celebratam induere possit Stolam, et Pluviale ad faciendam absolutionem ad feretrum, si corpus deducendum sit ad tumulum, ita, ut quot sunt veluti partes diversae ab uno, et eodem funere peragendo, tot praeesse valeant uni, et eidem funeri Sacerdotes, quorum v. g. alius introduxit corpus in Ecclesiam, alius cantat Nocturnum, alius Missam celebrat, aliusque facit absolutionem ad feretrum? Ratio dubitandi est, quia fert Rituale: „Finita Missa, Sacerdos deposita casula, seu Planeta, et Manipulo, accipit Pluviale nigri coloris etc. *et Episcoporum Caeremoniale l. 4. c. 37. n. 2: Celebrans finita Missa deposita Planeta, et Manipulo, accipit Pluviale nigrum.*“

S. eadem C... respondendum censuit:

„Congruum esse, ut absolutio ad feretrum fiat ab ipso Sacerdote, qui Missam celebravit, non ab alio diverso.“

Atque ita rescripsit. N. 5221. ad 4. Die 21. Julii 1855.

h) Ritus.

Vd. *Missa de Requ. de die obit. pro † pauperibus*; (decr. n. 4891); *Absolutio Sacerdotis; Absol. in Coemeterio.*

Ad dubium: an post absolutionem, quae fit super cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario aut super lecticam seu castrum doloris in die Commemorat. Omn. fidel. def. dicto versiculo: „*Requiescant in pace*“ subjungi debet: *Anima ejus et animae omn. fid. def... in pace,* cum de hoc nullam mentionem fecerint Gavantus et alii Caeremoniales, quod tantum legitur in *Rit. rom.* de Exequiis in fine? S. C. resp.: Servetur Rituale: at in Commem. Omn. fidel. def. nihil superaddendum. n. 3073 ad 11 die 2. Decb. 1684.

Ad dubium: an in depos. def. in verbis: *Non intres* etc., quando defunctus sit mulier aut sint plures defuncti, possint verba: *Servo tuo* immutari? S. C. resp: Servandum esse Rituale. n. 3441 die 31. Aug. 1697.

In depositione defunctorum in illis verbis: *Non intres ... cum servo tuo* etc., quando est mulier aut plures sunt defuncti, non possunt permutari: *servo tuo* in: *Serva tua* vel *servis tuis.* n. 4105 die 21. Jan. 1741.

Ad dubium: an in exequiis, quae fiunt sine tumulo vel tantum cum tapete in terram strato, Sacerdos debeat eas ab altari facere cum aspersione et incensatione vel potius procedere ad tapete illudque circumire? S. C. resp.: Servetur Caerem. Ep. l. 2. c. 37. n. 4815 ad XI. 4. die 22. Sept. 1837.

Avenionen.

Officiales Dioecesis Avenionen simul et Canonicus Magister Caeremoniarum Metrop. Ecclesiae ad opinionum differentiam de medio tollendam et uniformitatem assequendam humillimis precibus a S. R. C. sequentis Dubii solutionem postularunt, nimirum: In Responsorio: *Libera me Domine,* quod cantatur in absolutione Defunctorum post dictum primum Versum: *Tremens factus sum,* quum resumitur pars Responsorii: *Quando Coeli movendi sunt,* sistendumne est post haec verba: *et*

terra, ut in Responsorio primo Dominicae I. Adv., ut juxta usum receptum in his regionibus, vel more omnium Responsoriorum prosequendumne est usque ad finem Responsorium ad haec verba: *per ignem,* antequam cantetur secundus versus: *Dies illa?* S. eadem C. subscripta die ad Quirinales Aedes in Ordinariis Comitiis adunata, referente Secretario, respondendum censuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“ Atque ita rescripsit, servarique mandavit. n. 4907. Die 12. Sept. 1840.

Ad dubium: An prosequi possit consuetudo canendi Antiphonam: *Si iniquitates,* cum Psalmo: *De profundis,* quum celebrata Missa *de Requie* ad medium progreditur processionaliter pro Exequiis absolvendis? S. C. resp.:

„Negative; Antiphona, et Psalmus *De profundis,* dici debent post absolutionem ad Tumulum in reditu ad Sacrarium.“ n. 4694 ad 3 die 28. Julii 1832.

3) A Peccatis.

(Formula)

Viglevanen.

Sacerdos Marcellinus Nebbia Episcopalis Curiae Viglevanen. Cancellarius quum rogatus fuerit a quodam illius Dioec., ut super sequentibus Dubiis S. R. C. sententiam exquireret, Dubia ipsa proposuit pro opportuna declaratione, nimirum:

1. An in forma absolutionis ante verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis:* dicendum sit, vel omittendum verbum: *Deinde?* 2. Quum in Rituali Rom. in eadem absolutionis forma legatur: „In Confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus omitti potest: *Misereatur:* et satis erit dicere: *Dominus Noster Jesus Christus:...* usque ad illud: *Passio Domini:* quaeritur an sit intelligendum exclusive vel inclusive? Et S. eadem C. ad Quirinale subscripta die coadunata in Ordinario Coetu audita relatione a Secretario facta, ac memor usque ab anno 1837 sub die 11. Mart. in una Veronen. ad Dubium propositum hisce sub terminis: Utrum in forma absolutionis verbum: *Deinde* in nonnullis editionibus rubro charactere impressum, omittendum sit?“ post auditam etiam S. Universalis Inquisitionis Cong. sancitum fuisse: *Nihil innovandum,* rescribendum censuit:

Ad 1. „Detur Decretum in Veronen. diei 11. Martii 1837.“

Ad 2. „Intelligendum exclusive.“

Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5089.

Die 28. Febr. 1847.

Vd. inf. decr. n. 4809.

Ad dubium: Utrum verbum *Deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus Ritualis rubro charactere impressum, omittendum sit?

Et S. eadem C... rescribendum censuit.

„Ad Sacram Universalem Inquisitionem.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. N. 4782 ad 5. Die 27. Aug. 1836.

Veronen.

In Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis a Secretario iterum relato Dubio a Revds. Episcopo Veronen. hisce verbis proposito: Utrum verbum *deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus rubro charactere impressum omittendum sit? Emmi et Rmmi P. S. tuendis Ritibus praepositi, audita prius S. Universalis Inquisitionis Congregatione, rescribendum censuerunt: *Nihil esse innovandum.* Nr. 4809. Die 11. Mart. 1837.

4) Sacerdotis defuncti.

a. Crux.

In exequiis † Sacerdotis praesente

corpore locetur crux ad caput defuncti inter feretrum et altare, n. 4183 ad 2. die 3. Sept. 1746.

Ad dubium: Utrum corpore Sacerdotis insepulto, ob aliquam rationabilem causam non praesente, Subdiaconus in exequiis se sistere debeat inter feretrum, et Altare, vel saltem possit?

S. eadem C.... respondendum censuit:

„Negative."

Atque ita rescripsit. Nr. 5219 ad 3. Die 21. Julii 1855.

Vd. Faldistorium Episcopi in absolut.; Absolutio Mortuor.

b) Ritus.

In funeribus Sacerdotum, finita Missa, cantantur ad Tumulum tria Responsoria, et ter, id est in singulis Responsoriis Cadaver aspergitur Aqua benedicta, atque thurificatur a Celebrante circumeundo Tumulum et Cadaver. Quaeritur: an talis consuetudo continuari possit, vel potius abolenda cantando tantum unum Responsorium? Et S. eadem C.... respondendum censuit: „Servandam in casu dispositionem Ritualis Rom."

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. N. 5050 ad 12. Die 23. Maji 1846.

ABSOLUTIONES QUINQUE.

a) Ecclesia.

Ad dubium: an Canonici Colleg. Placentinae peragere valeantin eorum Ecclesia, occasione funerum SS. Pontificum, propriorum Episcoporum aliorumque Principum exequias sol. cum quinque absol. juxta formam Pontif. romani, seu potius hoc privative spectet ad Cathedralem? S. C. resp. Negative quoad primam partem et amplius, n. 3980 ad 4 die 3. Julii 1728.

Vd. *Exequiae* (in qua Ecclesia.)

b) Officiator.

Quatuor Dignitates seu Canonici assistentes Episcopo ad absolutionem ad tumulum debent necessario esse Sacerdotes. n. 3809 ad 6 die 8. Junii 1709.

Ad dubium: an in hujusmodi exequiis (Pontificum, Regum. etc.) absolutiones circa castrum doloris post Dignitates Metropolitanae, fieri debeant a Dignitatibus trium Collegiatarum (Avenionen.) seu potius a Canonicis ejusdem Metropol.? S. C. resp. Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam. n. 4022 ad 3 die 17. Julii 1734.

Vd. *Incensum* (bened. ad etc.)

ABSOLVE.

(Cantanda in Missa de Requie.)

Vd. Missa *de Requ. sol. (Ritus.)*

ABUSUS.

Vd. *Caeremoniae.*

ACCESSUS.

1) Ad Altare.

Vd. *Altare* (accessus.)

2) Episcopi ad Ecclesiam.

Vd. *Episcopus* (accessus)

ACOLYTHI.

Vd. *Ceroferarii; Thuriferarius* (quis; decr. n. 4595); *Acolythi ad Evangel. canendum:* Vd. *Pileolum Ministr.* (decr. n. 2625.)

A. CUNCTIS.

1) (Commem. Patroni vel Titul.)

Vd. *Patronus*; *Commemor. Patroni; Suffragia* (decr. n. 4909 ad 3. 2. u. 3.)

Ad dubium: Quisnam Sanctus nominandus sit in Oratione *A cunctis* in litt. N., Patronusne principalis loci, vel Dioecesis, aut potius Titularis Ecclesiae, Oratorii etc.? S. C. resp. Ti-

tularem tantum nominandum esse. n. 4815 ad X. 1. die 22. Sept. 1837.

Additio Patroni in sola *oratione: A cunctis* et Postcomm. *Mundet* etc. addenda est, non autem in *Confiteor.* n. 2362 ad 5 die 13. Febr. 1666.

In oratione A *cunctis* nomen s. Michaelis seu s. Joañ. Bapt., si ii sunt Patroni vel Titulares, ponitur ante ss. apostolos. n. 2363 ad 8 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: Sacerdos celebrans in Oratorio publico vel privato, quod non habet s. Patronum vel Titularem, an debeat in Oratione: *A cunctis* ad litteram N. nominare s. Patronum vel Titularem Ecclesiae paroch., intra cujus limites sita sunt Oratoria, vel s. Patronum Ecclesiae, cui ad scriptus est vel potius omnem ulteriorem nominationem omittere? S. C. resp.: Patronum civitatis vel Loci nominandum esse. n. 4897 ad 2 die 12. Sept. 1840.

Ad dubium: An Patronus nominandus in Oratione A *cunctis* intelligi debeat Patronus princinpalis loci et quid, si plures sint principales Patroni? Qui nominandus sit ad lit. N., si Patronus vel Titularis jam nominatus sit in illa Oratione, aut de eo celebrata sit missa? S. C. resp.: Nominandus Titularis Ecclesiae. Et si jam fuerit nominatus, omittenda nova nominatio. n. 4669 ad 31 die 12. Novb. 1831.

Ad Dubium: In Ecclesiis, in quibus S. Titularis in Oratione *A Cunctis* jam nominatus est vel nominari non debet, nempe si sit SSma. Trinitas, Spiritus S. etc., potestne ad litteram N. nominari S. Pater Franciscus, de quo fit Commemoratio in suffragiis Sanctorum, ut concedunt peculiares Rubricae Franciscanis?

„Negative, et detur Decretum in una Marsorum die 12. Nov. 1831. ad 31. Dubium.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit N. 5183 ad 19. Die 16. Aprilis 1853. Vd. inf. decr. n. 4909.

2) Quando dicendum?

Cf. *Oratio tertia*; *Commem. pro Def.*; *Concede* (decr n. 4560.)

Licet transferatur Purificatio B. V. M. a die 2. Februarii, dici tamen debet in missa 2. oratio A *cunctis*, 3. *ad libitum*, quamquam non est dictum Officium Purificationis. n. 3710 ad 1 die 14. Febr. 1705.

Ad dubium: Si contingat fieri Officium semid. in vigil. festi Omn. SS., utrum non obstante commemoratione vigiliae diei debeat Oratio *A cunctis* in missa ejusdem semid., an sit omittenda et dicenda oratio *de Spir. s.?* S. C. resp. affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3827 ad 1. die 21. Junii 1710.

Translato festo semid. ad Vigil. alicujus apostoli in missa festi orat. 3. erit *A cunctis*. n. 4055 ad 5 die 15. Sept. 1736.

Ad dubium: an s. Joseph in or. „*A cunctis*“ et in Suffragiis sit praeponendus apost. Petro et Paulo? S. C. resp.: In oratione *A cunctis* idem servetur ordo qui in Lytaniis maj. praescribitur. n. 4143 ad 4 die 11. Maii 1743.

In oratione *A cunctis* subjungi non potest nomen Patroni Capellae propriae, si habeat. S. C. n. 4909 ad 3. die 12. Sept. 1840.

ADMINISTRATIO SACRAMENTOR.

1) Habitus.

Vd. *Usus Pontifical.* (decr. n. 4693 ad 3.) Canonici (administ. Sacram.); *Caeremoniarius* (vestis.)

2) Jus.

Vd. *SS. Sacrament.*; *Canonici*; *Parochus*; *Stola*; *Episcopus aegrotus*; *Rocchetum* (quibus vetitum, decr. n. 4591); *Viaticum* (portand. infra missam.)

Ad dubium: an arbitrium Card. Ginnetti declarans, jus administrandi Sacramenta exteris advenientibus ad Castrum Lapedonae et domicilium contrahentibus, competere Ecclesiae Colleg., sit revocandum? S. C. resp. *Affirmative* (et competere Ecclesiae paroch.) n. 3450. ad 1 die 14. Decb. 1697.

3) Ministri.

Canonici Cathedr. uti non possunt Clericis et Caeremoniario, veste violacea indutis, nec eos cogere ad sibi sic indutos serviendum in administratione Sacramentorum atque in aliis quibuscunque functionibus Ecclesiasticis non capitularibus tam intra quam extra Cathedralem. n. 4536 dub. addit. 3. die 4. Junii 1817.

Nota Gard. ad hoc decret.:

In qualibet Ecclesiastica functione illi adhiberi debent ministri, qui ad eam rite, diligenterque explendam sunt necessarii, juxta regulas traditas tam a Rubricis, quam a S. R. C. Decretis. Certum porro est, quod Canonicis in functionibus non Capitularibus, praesertim extra Cathedralem jus nullum est cogendi Magistrum caeremoniarum, et Clericos violacea veste indutos ad sibi inserviendum. Visum est supra, Canonicos uti singulos extra propriam Ecclesiam in Ecclesiasticis functionibus vix, ac ne vix quidem a simplicibus Presbyteris distingui. Quaestio igitur coarctari debet ad functiones non capitulares, quales sunt Missa privata, administratio non solemnis Sacramentorum in Cathedrali explenda. In his Canonicus eos adhibere potest ministros, quos exigit actio; Clerici vero, qui servitio Cathedrali sunt addicti, et inservire tenentur induti talari veste ejus coloris, quo illa in Ecclesia distinguuntur. Quod vero attinet ad caeremoniarum Magistrum, huic vestis violaceae usus competit dumtaxat in functionibus Pontificalibus, non autem in Capitularibus. Siquidem rogata S. R. C.: „*An* Magister caeremoniarum electus a Canonicis pro functionibus canonicalibus ex permissione Capituli, uti valeat veste violacea, tam praesente, quam absente Episcopo? respondit in Aquilana die 22. Jan. 1735. Affirmative tantum in functionibus Episcopalibus, ex dispositione Caeremonialis, non vero ex dispositione Capituli.“ Videri etiam potest Bituntina 31. Aug. 1737. Quod si non licet Capituli Caeremoniario uti violacea veste in functionibus Capitularibus, multo minus ei licebit in aliis non Capitularibus; in iis videlicet, in quibus aliquis ex Canonicis vel Missam celebrat, vel Sacramenta administrat, vel alteri Ecclesiasticae functioni incumbit.

ADMINISTRATOR.

Vd. *Episcopus Administr.*

ADORATIO.

1) Crucis.

Vd. *Parasceve.; Cappa Canon.* (decr. n. 3544.)

2) SSmi. Sacramenti.

Vd. *Expositio SSmi.* (Adorantes.)

3) In Sumpt. ss. Sanguinis.

Vd. *Sumptio ss. Sanguinis.*

ADVENTUS.

1) Fit commemoratio alicujus octaviae in feriis Adventus. Vd. *Commemoratio.*

2) De vigiliis in Adventu, Vd. *Vigilia in Adventu.*

3) De commem. Dom. Adventus, Vd. *Commem. in vesp.*

ST. AEGIDIUS ABB.

(Lectiones.)

Ad dubium Benedictin. Einsidl: an

in festo s. Aegidii abbatis, quod est dupl. de Indulto, sequendum sit exemplum Ecclesiae Campidonens. et Viennens. ex lectione unica Breviarii faciendo tres, illam dividendo et sequens miraculum inserendo: „*Alias rediens in Ecclesia, quemdam sibi obvium miserrima specie, qui nuper a serpente percussus tumente cute fatebatur se mortiferum virus recepisse, fusa oratione curavit simulque hortatus est, ut deo gratias ageret, cujus clementia esset sanatus*: S. C. resp. Negative et pro gratia concessionis Lectionum quae leguntur in Basilica Vaticana. n. 4044 ad titul. XXV. dub. 9 die 5. Maii 1736.

S. AGNES.

1) Officium.

Ad dubium: An in Officio proprio S. Agnetis V. M., quod est in Breviario Rom. sub die 21. Jan., in prima Antiph. ad Vesp., et Laudes liceat addere claritatis gratia, et ut plenior sensus habeatur, *in sui custodiam*, ita ut sic integre legatur: Ingressa Agnes turpitudinis locum, Angelum Domini in sui custodiam praeparatum invenit?

Et S. eadem C.... respondendum censuit: „Nihil immutandum, vel innovandum.“

Atque ita rescribere, ac proposita Dubia declarare existimavit. N. 5064. ad 1. Die 27. Febr. 1847.

2) Translatio.

Utrum transf. fest. s. Agnetis? Cf. *S. Meinradus* (decr. n. 4043.)

AGNUS DEI.

In Communione fidel.

Vd. *Communio.* (Qua lingua etc.)

AGONIA.

D. N. J. C.

Vd. *Campanae.* (puls. pro feriis sext. etc.)

ALBA.

1) Materia.

Ad dubium: An alba confici possit ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, quem vocant Mussulo? S. C. resp.: Lectum. n. 2267 die 15. Mart. 1664.)

Vd. *Paramenta* (materia, decr. n. 4563.)

2) Ornatus.

Ad dubium: An liceat ubique terrarum in fimbriis, et manicis Albarum, et aliorum vestium sub velo transparenti fundum rubrum mittere, vel an sit privilegium peculiare Italiae, Hispaniae etc.?

Et sacra Congregatio, rescribendum censuit:

„Negative.“

Atque ita rescripsit Die 17. Augusti 1833. n. 4718.

3) Quando utitur.

Celebrantem non Episcopum facientem Officium in Matutinis, Laudibus et Vesperis non posse uti Alba. n. 1910 ad 3 die 13. Julii 1658. Non albam, sed tantum superpelliceum adhibendum est in processionibus, quando induuntur planetae, dalmaticae et tunicellae juxta Caerem. (Lib. I. c. XV. n. 6; lib. II. c. XXIII. n. 5.) n. 2869 ad 9 die 26. Novb. 1678. Vd. *Laici; Processio* (Clerus inf. paratus, decr. n. 4595); *Expositio SSmi.* (Exponens); *Repositio SSmi.* (modus); *Stola* (*in Off. def.* decr. n. 5221); *Communio* (Distribuens; habitus; decr. n. 4777); *Stola in vesp.*

S. ALEXANDER MART.

Hodiernus Archipresbyter Oppidi, cui nomen vulgo *Montagnano* intra fines Dioecesis Boianens. huic S. Sedi Apostolicae exposuit Fideles Oppidi ipsius a vetustis temporibus ut praecipuum ad Deum Patronum venerari

consuevisse S. Alexandrum Martyrem unum e septem Fratribus, de quibus in Martyrologio Romano VI. Id. Julii; eamque ob causam Festum ejusdem Sancti, cujus Corpus ibidem religiosissime asservatur, a Clero loci celebratum hucusque fuisse cum Officio et Missa de Communi unius Martyris sub ritu dupl. I. Cl. cum Octava. Exposuit insuper hac non obstante veteri consuetudine nuper contigisse ut Redactor Kalendarii Dioecesani pro eodem Festo assignari censuerit Officium cum Missa de Communi plurimorum Martyrum, asserens juxta Decreta hujus S. C. non posse Festum unius ex septem Fratribus Martyribus a ceteris sejungi. Hanc itaque immutationem aegro animo ferentes Archipresbyter et Clerus Oppidi Montagnano pro vetustae consuetudinis confirmatione huic S. R. C. supplicia vota dedere. Quorum preces quum ipse Rmus. Episcopus Boianen. pro informatione et voto requisitus, non modo veritati consonans testatus fuerit, sed etiam supplicaverit ut Oratorum votis S. eadem C. benigne adhaereat; Emmi et Rmmi. P. s. tuendis Ritibus praepositi ad Vaticanum hodierna die coadunati in Ordinario Coetu, rebus omnibus mature expensis, referente Secretario, respondendum censuerunt: „Veterem consuetudinem in casu esse retinendam juxta Decretum in Carthaginen. seu Ordinis Minorum de Observantia diei 2. Maji 1801. ad Dub. IX. N. 5225. Die 29. Nov. 1856. Cf. *Septem Fratres.*

S. ALEXIUS.

(Off.)

Stante decreto S. C. die 14. Jan. 1682 de Officiis SS. ad libitum non transferendis Fratres Minores, Officio s. Alexii occurente 4. die infra octavam s. Bonaventurae, debent recitare Officium de Octava cum commem. s. Alexii simpl. de praecepto. n. 2988 ad 9 die 13. Junii 1682.

De ejus *lectionibus*, vd. *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044).

ALLELUJA.

1) Quando dicendum?

Officium SSmi. SSti. quod Religiosi ss. Trinitatis Portugal. recitare solent in una die cujuslibet hebdomada, quando non occurit aliquis Sanctus, de quo fiat Officium, dicendum est cum Alleluja. n. 3925. ad. 2 die 11. Mart. 1719.

Ad dubium: an in exposit SSmi. per annum, occasione 40 hh. vel alia quavis de causa seu necessitate Vers. *Panem de* etc. sit addendum: *Alleluja?* S. C. resp.: affirmative exceptis tamen Quadrages. et vigiliarum temporibus. n. 3546 die 23. Jan. 1700. Quando ultra Officium diei recitatur aliud de aliquo Sancto ex fundator. voluntate, si tempus occurrerit paschale, ritum pro tempore convenit imitari addendo Antiphonis, Versiculis et singulis responsoriis *Alleluja* uno excepto b. M. V. Officio parvo, in quo, dum feriali conjungitur Officio diei, nullum additur Alleluja. n. 4227 ad 2 die 26. Aug. 1751. *(Cf. Allel.* — quando non dicend. decr. n. 2364.)

2) Quando non dicendum?

Vd. *Off. parv. B. V. M.*

In Officio votivo SS. Sacramenti, quod singulis quintis feriis celebratur apud quosdam Religiosos ommittendum est *Alleluja* in Responsoriis brevibus horarum. n. 1462 ad 5 die 11. Julii 1643. Recitantibus qualibet fer. V. per annum Officium SSmi. SSti. non licet illud recitare cum Alleluja extra tempus Paschale. n. 3320 die 22. Aug. 1693. Tempore paschali non additur *Alleluja.* Antiph. et aliis extra Off. de praecepto, nec ad Officium parvum B. V. M. n. 2364 ad 7 die 13. Febr. 1666. (Vd.

Allel. — quando dicend. decr. n. 4227.) In expositione et depositione SS^mi.^, etiam devotionis causa, non est addendum Allel. Versiculo: *Panem de coelo* etc. n. 3477 ad 5 die 5. Julii 1698.

Ad dubium: Quando festum ss. Philippi et Jacobi celebratur extra tempus Paschale, quaenam omitti vel retineri debeat *Alleluja* et an tolendi sint asterisci? S. C. resp.: Extra tempus paschale omittuntur omnia *Alleluja*; et Asterisci ne tolantur. n. 4044 ad titul. XXI. dub. 6 die 5. Maii 1736.

In Officio votivo SSmi. Sacramenti, quod recitatur ex Indulto apostol. in Dioecesi Salisburg. in Resp. ad Matut., Resp. brev. horarum, Versiculis ad Magnif. et Laudes recitari non debent Alleluja, prout in Officio festivo diei Solemnitatis SS. Corp. Chr. n. 4104 die 10. Decb. 1740.

3) Quando dicendum in expos. SSmi.?

Vd. *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 2. etc.

4) Quando dicendum in Suffragiis?

Vd. *Suffragia* (decr. n. 4080.)

S. ALEXANDRINUS EP.

Vd. *Cognomina SS.* (Non dicenda; decr. n. 5180.)

ALMA REDEMPTORIS MATER.

Vd. *Ave Regina.*

ALMUTIA.

Quis defert?

Cf. *Canonici* (Insig. et hab. decr. n. 3306.)

Canonico celebranti non licere almutiam retinere super altari neque, ea uti debere hebdomadarium, non denique Diaconum et Subdiaconum super brachio eam posse deferre. Et ita ubique servari et contrariam consuetudinem esse abusum. n. 1961 die 15. Febr. 1659.

Licet Praebendariis Cathedralis vel Collegiatae intervenientibus in processionibus funeralibus sub cruce ipsius Cathedralis vel Collegiatae cum Canonicis, deferre Almutias et praecedere processionaliter rectoribus Ecclesiarum curatarum. n. 2885 ad 1 die 6. Maii 1679.

Canonici parati deferre non debent almutias. n. 2241 ad 10 die 4. Aug.;

Almutia imponi potest supra brachium defuncti Canonici parati Planeta seu Dalmatica. n. 2241 ad 10 die 4. Aug. 1663.

Non licere Canonicis sacris vestibus, planeta, pluviali, tunicella etc. indutis in canendis Missis et Vesperis et processionibus, aliisque ab eis faciendis, deferre almutiam super dictis vestibus. n. 2399 ad 1 die 5. Mart. 1667. Idem decr. n. 2404 die 2. Apr. 1667 cum appendice: „*Etiam quod consueverint deferre subtus.*“

Servandum esse ultimum decretum Synodale Reved^mi.^ Scappii, quo sancitum fuit, ut Presbyteri Cathedr. et Colleg. s. Antonini Placentiae, quando sub eorum cruce ad ducenda cum parochis funeralia conveniunt, suas illi valeant deferre Almutias, secus si tamquam singuli evocati ad exequias accedunt, non obstantibus declarationibus in contrarium S. C. Episcoporum et Regularium et praecipue sub diebus 2. Maii 1659 et 10. Novbr. 1662, nempe: „licere, quando incedunt collegialiter et cum Capitulo. n. 2485 die 20. Julii 1669.

Habentibus usum cappae non licere uti Almutia. n. 2740 ad 1 die 13. Julii 1675. Canonico Vicario Foraneo et Canonico curato insignis Collegiatae Novarien., quorum neuter est in Collegiata Praepositus nec capitulariter ad Congregationes casuum conscientiae accedit, non competit usus almutiae. n. 3778 ad 1 die 10. Decb. 1707.

Episcopus Cathedralis Montis Poli-

tiani prohibeat Cappellanis Cathedr., ne, cum in publicis supplicationibus sive defunctorum associationibus procedunt absque interessentia illius Capituli, almutiam in bracchiis deferant; indecens enim est, quod ipsi Cappellani, qui cum Capitulo dumtaxat unum corpus faciunt, ab eodem corpore disjuncti, iis etiam utantur insigniis, quae non membris sed toti corpori conveniunt. n. 4329 die 20. Julii 1765.

S. ALOYSIUS GONZ.

1) Missa.

Ad dubium: An in Missa S. Aloysii Gonzagae Patroni juventutis, ubi Officium persolvitur ritu dupl. I. Cl. cum Octava, addi valeat Symbolum Nicaenum?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „In locis tantum, ubi est Patronus praecipuus.“ Atque ita recripsit, die 12. Martii 1836. N. 4772. ad 4.

2) Officium.

Urbis et Orbis.

Qui dum in terris degit Angelicus juvenis S. Aloysius Gonzaga placens Deo factus est dilectus, postquam Coelitum felicitatem, et gloriam est assequutus, ejus memoria in benedictione apud homines permansit, atque adeo cultus est diffusus, ut dissitae etiam regiones impense eum venerentur, ac validissimum invocent patrocinium. Nam etsi consummatus fuerit in brevi, attamen explevit tempora multa, siquidem a coelestium donorum distributore Deo, inter caetera id obtinuit speciale, ut mirae vitae innocentiae parem poenitentiam sociaret, et sic saltem poenitentem immitarentur, qui non fuerant innocentem sequuti. Quod autem unum optandum adhuc supererat, nimirum ut ipsius Officium cum Missa jamdiu approbatum, de praecepto persolveretur ab omnibus, qui ad Horas Canonicas orbe toto tenentur, non sine miserentis Dei sapientissimo consilio factum est ut ardentiori studio exquireretur hisce potissimum temporibus, queis abundante malitia charitas frigescit, et de innocentia deperdita verae poenitentiae fructus ut plurimum desiderantur. Haec singula animo volventes Emmi., et Rmmi. nonnulli Antistites, ac religiosorum Ordinum Praesules, ad propellendam impendentium malorum colluviem non parum conducere existimarunt erga inclytum hunc Sanctum majorem in dies religionem, ac pietatem promovere, ac proinde humillimis Precibus SSmum. D. N. Gregorium XVI. P. M. adeuntes, enixe rogarunt, ut per Gen. Decretum extendere dignaretur Officium, et Missam in hon. S. Aloysii Gonzaga ad utrumque per Orbem Clerum, ac cujuscunque Ordinis Sanctimoniales ad Horas Canonicas persolvendas adstrictas. Enixa hujusmodi vota peramanter excipiens SSmus. D., pro eo, quo praestat erga coelestes Patronos pietatis excitandae studio, ac animarum salutis promovendae zelo propria manu rescripsit: *Annuimus juxta petita;* ac proinde ad S. S. mentem per hoc S. R. C. Gen. Decretum edicitur, ut a Clero Seculari, et Regulari, ipsis Sanctimonialibus comprehensis, per universum Orbem in posterum sub ritu dupl. min. XI. Kal. Julii, vel ea die impedita, prima quae postea libera occurrat, in hon. S. Aloysii Gonzagae Conf. Officium cum Missa de praecepto persolvatur, juxta concessionem factam Clero Urbis, et quamplurium Dioecesium, servatis attamen Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 4942. Die 23. Julii 1842.

S. ALPHONS. MARIA DE LIGORIO.

Urbis et Orbis.

Postquam in vulgus editum fuit De-

cretum, quod tuto procedi valeret ad Canonizationem B. Alphonsi Mariae de Ligorio olim Episcopi S. Agathae Gothorum, et Institutoris Congregationis SSmi. Redemptoris, de speciali gratia SSmus. D. N. Gregorius Papa XVI. ad enixas preces Emorum Card. Caroli Mariae Pedicini Episcopi Praenestini, et S. R. C. Praefecti, et Caroli Odescalchi Causae Canonizationis ejusdem Relatoris annuit, ut Officium cum Missa in ejusdem Beati honorem quibuslibet petentibus Episcopis concederetur. Animo propterea reputans R. P. Joseph Maria Nautone recensitae Cong. SSmi. Redemptoris Procurator Gen., Causaeque praedictae Postulator, et non paucos Episcopos, et pene omnes Regularium Ordines hujusmodi obtinuisse Indultum, multosque alios Episcopos in praesentiarum expetere, et nomine proprio, et R. P. Rectoris Majoris, caeterorumque Consultorum suae Cong., humillimis datis precibus enixe rogavit Emos, et Rmos P. S. Ritibus tuendis praepositos, ut Officium S. Alphonsi Mariae de Ligorio de Communi Conf. Pont. cum Lectionibus II. et III. Noct., et Oratione ac Missa propriis ad universam Ecclesiam extenderetur. S. C. Ordinariis in Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, audita relatione per Secretarium facta, attentoque potissimum pari methodo extensum fuisse Officium tum S. Hieronymi Aemiliani Institutoris Cong. Somaschae die 2. Sept. 1769 tum novissime S. Francisci Caracciolo Fundatoris Clericorum Reg. Min. die 5. Aug. 1807 omnibus mature perpensis rescribendum censuit: „Ad Secretarium cum SSmo.“ n. 4876. Die 31. Aug. 1839.

Super quibus omnibus facta postmodum Eidem SSmo. D. N. Gregorio Papae XVI. fideli relatione, S. S. precibus benigne annuens ex speciali gratia supradictum Officium cum Missa denuo ab Rmo. D. Card. Carolo Maria Pedicini Episc. Praenestino, S. R. E. Vice-Cancellario, et S. R. C. Praefecto una cum R. P. D. Virgilio Pescetelli S. Fidei Promotore revisum a Clero Saeculari et Regulari utriusque sexus universalis militantis Ecclesiae, qui ad horas Canonicas tenentur, quotannis die 2. Aug. sub ritu dupl. min. recitari praescripsit, die 10. Mense Sept. eodem anno 1839.

In aliquibus Ecclesiis Dioecesis Mechlinien., ubi S. Maria Magd. colitur ritu dupl. I. cl. cum Oct. tamquam dies 30. Mensis Julii erat antehac assignata Festo S. Marthae, quum dies 29. esset perpetuo impedita ratione Octavae S. Mariae Magd. Verum ab Anno 1839. Festum S. Alexii translatum fuit pro tota Dioecesi a die 27. Julii ad diem 30. ejusdem Mensis, tamquam in diem fixam: ideoque in particularibus illis Ecclesiis, de quibus supra, die 11. Mensis Aug., utpote prima dies non impedita, erat assignata Festo S. Marthae. Quum autem ex Decreto Urbis et Orbis Festum S. Alphonsi Mariae de Ligorio in posterum sit celebrandum praedicta die, quaeritur:

1. An huic novo Festo alia dies sit assignanda in particularibus illis Ecclesiis, ubi die 11. Aug. celebratur Festum S. Marthae, an vero Festum S. Alphonsi Mariae de Ligorio sit praeferendum, et Festum S. Marthae ulterius transferendum ad primam diem non impeditam?

2. Quid, si alicubi die II. Aug. hactenus celebrari consueverit Festum aequalis, aut altioris ritus e. g. S. Petri ad Vincula in Ecclesiis, ubi I. Aug. celebrari debet dies octava S. Jacobi Ap. tamquam Patroni? S. R. C. rescribendum censuit:

„Quoad primam quaestionem: Negative ad primam partem: affirmative ad secundam. Quoad secundam:

Quum sit translata ulterius progrediantur juxta Rubricas: dies enim II. Aug. est propria S. Alphonsi Mariae de Ligorio."

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. N. 4910. Die 13. Sept. 1840.

ALTARE.

1) Accessus.

Ad Dubium: In Sacello majoris Seminarii stat Sacristia post Altare, et Ministri accedere possunt ad Altare tam ex parte Evangelii, quam ex parte Epistolae. Quaritur 1. ante Missam quanam ex parte exire debeant ad Altare? Et qua parte post Missam redire debeant ad Sacristiam?

Rescriptum prodiit:

„A Sacristia e sinistra egrediendum, a dextera ad illam accedendum."

Atque ita S. C. rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. N. 5208. ad 17. Die 12. Aug. 1854.

2) Consecratio.

Vd. *Consecratio altaris.*

3) Execratio.

Vd. *Execratio altaris; Altare* (reconciliatio); *Consecratio altaris execrati; Reconciliatio Ecclesiae* (decr. n. 4577.); *Reliquiae* (in altari).

4) Fixum.

Vd. *Altare privileg.* (decr. n. 4951; 4988.)

5) Gradus.

Vd. *Missa (Quo gradu altaris incipienda?)*

6) Incensatio.

a) In Missa.

Vd. *Parasceve* (incensatio crucis et altaris.)

Ad *missam* thurificari tantum debet altare, in quo cantatur missa; *ad vesperas* vero altare, ubi asservatur *SSmum.*, et altare chorale, coram quo decantantur vesperae, nisi esset idem, in quo *SSmum.* asservatur, quia in hoc casu unum hoc altare tantum thurificari debet. n. 2345 ad 1. die 31. (Julii?) 1665.

Ad dubium: an in missa *convent.* Dominicis et aliis diebus festis de praecepto altare ad Introitum thurificari debeat, quamvis Beneficiati celebrent? S. C. resp.: *Nihil innovari.* n. 2082 ad 1. die 20. Novb. 1660.

Ad idem dubium S. C. resp.: Archiepiscopus provideat n. 2083 ad 1 die 18. Decbr. 1660.

Servari non potest antiqua consuetudo (Cathedr. Conimbricen.) qua diebus non festivis in missa convent. non adhibetur incensum. n. 4233. ad 3 die 14. April. 1753.

In Ecclesiis Colleg., ubi quotidie in Quadragesima post Nonam canitur ferialis missa, adhibenda sunt Ceroferaria et incensum. n. 5012 ad 1 die 14. Junii 1845.

Ad dubium: An Episcopus tolerare possit, quod Canonici Missam solemnem cum Diacono et Subdiacono aliquando cantent, nulla adhibita incensatione, et saepe saepius id faciant in Missis *de Requie* cantatis cum assistentia Diaconi et Subdiaconi, qui semper Canonici sunt? Emi. et Rmi. P.... respondendum duxerunt: „Negative."

Atque ita S. R. C. rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. N. 5228 ad 6. Die 29. Nov. 1856.

b) In Vesperis.

Vd. *Altare* (incensatio altaris ab altari maj.)

Ad dubium: In Decreto Urbis lato die 19. Aug. 1851 ad Dub. III. vetitum fuit in Missa, quae cantatur sine Ministris, incensare Altare et Chorum, ut sit quando Missa decantatur cum Ministris, quaeritur: an idem prohibitum sit in Vesperis decantatis cum solo Hebdomadario parato et unico Clerico? Et quod, si alicubi adsit contraria consuetudo? S. C. resp.:

„Negative."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183 ad 25. Die 16. Aprilis 1853.

c) Quando non incensatur?

In missa conventuali absque Diaconis cantata, adsistentibus tantum Thuriferario et Ceroferariis et praesente Clero et Communitate adhiberi non potest thus. n. 4395 ad 21 die 18. Decbr. 1779; n. 3575 ad 12 die 22. Jan. 1701.

Quando missa canitur sine Ministris, non potest thurificari altare et chorus ut alias fit, quando Ministri adsunt. n. 1627 ad 3 die 19. Aug. 1651.

Vd. *Altare* (incensatio in vesperis.)

d) Incensatio altaris ab altari majori disjuncti.

Vd. *Imago alicuj. Sancti* (incensatio; decr. n. 3790.) *Reliquiae* (incens. decr. n. 2345.)

Ad dubium: Exposito SSmo. in altari majori dum sub Magnificat in vesperis idem altare majus incensatur, an debeant etiam incensari alia altaria, ex eo, quod incongruum esse videtur, relinquere in altari expositum SSmum, et utrum thurificato altari majori, ubi est SSmum, debeat etiam fieri thurificatio illius altaris, in quo est reconditum SSmum in pyxide? S. C. resp. Non esse thure adolenda alia altaria, licet alibi SSmum asservetur. n. 4181 ad 11 die 7. Maii 1746.

7) **Ligneum.**

Episcopum Cajetanum permittere debere altare ligneum cum Ara lapidea juxta reformationem Missalis c. 20. n. 463. die 10. Nov. 1612.

Ad petitionem Caroli principis Cirignolae facultatem fieri erigendi in suo Palatio altare ligneum, S. C. resp.: petita facultate non indigere, dummodo altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et altaris portatilis imaginem non praeseferat. n. 2140 die 3. Decb. 1661.

8) **Missa in altari, in quo est expositum SS. Sacrament.**

Vd. *Missa cor. expos. SSmo.* (altare.) Missa de Req. cor. SSmo.

9) **Nominatio.**

Ad dubium: an altaribus seu Cappellis ss. Patriarcharum, Martyrum etc. etc. in Ecclesia existentibus novam invocationem vel denominationem imponi abdendo antiquam vel antiqua remanente aliam adjungi posse? S. C. resp.: *Dilata.* n. 3415 ad 4 die 30. Mart. 1697. Vd. *Altare (Sancti vet. Testamenti.)*

10) **Ornatus.**

a) In Expositione SSmi.

Vd. *Expos. SS. Sacram.* (altare); *Paramenta* (quando pretios. utenda? decr. n. 4383); *Instructio Clem.* §. IV; §. V. n. 6; §. XVIII. n. 7-11; §. XXXVI. n. 2. etc.

Post expositum SSmum Pallium et Conopoeum altaris debet esse albi coloris, non obstante, quod illa die Ecclesia utitur alio colore. n. 2864 ad 7 et 8 die 9. Julii 1678.

Ad dubium: qui color paramentorum altaris adhibendus sit, quando exponitur et reponitur SS. Sacramentum occasione Orationis 40 horarum vel alia etiam pro infirmis vel pro defunctis? S. C. resp.: colorem adhibendum esse, qui praescribitur per rubricas. n. 1570 ad 2 die 17. Novb. 1646.

In expositione SSmi. *occasione 40 hh. occurrente in die Commemor. Omn. fidel. def.* possunt in missis def. paramenta coloris nigri vel violacei, — arbitrio superioris localis — adhiberi. Quaeritur: an excipiendum sit altare expositionis? S. C. resp.: Affirmative. n. 4477. ad 3 die 16. Sept. 1801.

Ad dubium: an recte se gesserint Capitulum Collegiatae s. Laurentii Florent. exponendo publicae venerationi SS. Sacramentum pro anima Ludovici regis def., cum esset Ecclesia panis nigris ornata, excepto Presbyterio et remoto castro doloris et palliis nigris ab unoquoque altari? S. C. resp.: Scribatur Archiepiscopo „Ad mentem.“ n.

4490. die 13. Mart. 1804. Cum Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Laurentii istius Civitatis Florentinae in expiationem Animae augustae memoriae praedefuncti Ludovici Etruriae Regis, et in significationem maeroris de ejus orbitate, pias preces publicas fundere voluerit coram SSma. Eucharistica Hostia, Fidelium adoratione exposita super Ara principe ejusdem Ecclesiae Collegiatae, dum ipsius Ecclesiae parietes, biduo ante expletis exequiis pro eodem Rege jussu Serenissimae Reginae viduae peractis, adhuc funereo apparatu vestiebantur, excepta ea parte circa dictum Altare, quae residentia nuncupatur albo colore distincta, et amoto lugubri feretro, nec non palliis nigri coloris ex singulis minoribus Aris, detractisque pariter velis nigris Cruce alba signatis contegentibus Sanctorum Imagines supra ipsas minores Aras collocatas; non autem fuerit omnium opinio de hac sacrae Eucharistiae expositione; contendentibus nonnullis contra Ecclesiasticas sanctiones, et signanter contra S. R. C. Decreta peccatum fuisse; cum ad cognoscendum: num recte se gesserit praefatum Capitulum eo in casu, et quid imposterum in similibus agere liceat? recursus habitus sit per Canonicum Dominicum Merani, alterum ex duobus Camerariis ipsius Collegiatae, nomine etiam Prioris Canonicorum ad S. R. C., S. eadem C. hodie habita, perpenso voto unius ex sacrarum caeremoniarum Apostolicarum Magistris, typis etiam evulgato referente Sanctissimi Dom. N. Pii VII. P. M. in Urbe Vicario, sacraequae ipsi Congregationi Praefecto; Amplitudini Tuae in hanc sententiam scribendum esse censuit: Siquidem in proposita facti specie, praecipua pars Cappellae, in qua manebit SSmum Sacramentum, festivis velis ornata fuerit, nihil in hujusmodi facto esse reprehendendum, imo neque necessariam fuisse remotionem palliorum nigri coloris a minoribus Aris; praeterea S. C. non improbare, quod eodem modo justa persolvantur ad plures etiam dies vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro defunctis alicujus Congregationis tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum.

Amplitudinis Tuae. Romae 13. Martii 1804. Haec autem Epistola data fuit ad Antistitem Florentinum. N. 4490.

Hispalen.

Moniales Spiritus S., Ordinis S. Spiritus in Civitate Hispalen. rogarunt pro facultate retinendi Pallium coloris rubri in Altari, in quo exponitur SSmum Sacramentum *Dominica Pentecostes, et duabus sequentibus Feriis.*

Sacrorum Rituum Congregatio respondit: „Obstant Decreta. Die 19. Decembris 1829. n. 4652.

b) In Rogationibus.

Ad dubium: Quoties in Rogationibus Processio in aliquam ingreditur Eccl., quin ibi Missa celebretur, canitur Antiphona de S. Titulari; quaeritur: cujus coloris debeat esse Pallium Altaris, et Conopaeum SSmi. Sacramenti, de Festo scilicet, de Rogationibus, vel de Sancto, cujus Antiphona decantatur cum Oratione?

S. eadem C... respondendum censuit: „Juxta Ecclesiae Officium."

Atque ita rescribere rata est, et declarare. N. 5111 ad 8. Die 11. Sept. 1847.

11) Osculatio.

Vd. *Osculum altaris.*

12) Portatile.

a) Consecratio.

Estne altare port. consecratum, si non adhibita fuerit praescripta formula?

Vd. *Consecratio altaris* (mensa ex plurib. lapidib. etc. decr. n. 4966).; *Consecratio altaris portat. execrati.*

b) Execratio.

Vd. *Altare port.* (Usus; decr. n. 4805. 3305.)

Sacra in Visitatione, quam per suam Dioec. diligentissime instituit Rmus. Ep. S. Flori in Gallia, occurrerunt illi per varias Eccl. Altaria portatilia, de quorum consecratione olim facta certo quidem constabat, sed quorum tumulus seu Reliquiarum sepulchrum modo caret Sanctorum Lipsanis, quae casu exciderunt. Percupiens autem ut omnia recto ordine procedant, S. R. C. sequentia Dubia enodanda proposuit; nimirum:

1. Utrum Altaria illa suam consecrationem amiserint omittendo Sanctorum Reliquias ibi reconditas?

2. Utrum sufficiat absque nova consecratione in illis tumulare alias Reliquias authenticas?

Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem Secretarii, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit juxta alias decreta:

Ad 1. „Affirmative."

Ad. 2. „Negative, et esse denuo consecranda."

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit.

Die 7. Dec. 1841. n. 4997.

Cadurcen.

Sacerdos Layrac Rmi. Cadurc. Ep. Vic. Gen. ad eliminandam quamcumque dubitationem in Sacrosanctae Missae Sacrificii celebratione, ipsius Ep. nomine S. R. C. sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. Altare portatile, cujus Sepulchrum aliis remanentibus consecrationis vestigiis, invenitur S. Reliquiis vacuum, reputarine debet ita penitus consecrationem suam amisisse, ut aliis repositis in Sepulchro Reliquiis, eo uti non liceat?

2. Quid si deleto tantum Episcopali Sigillo super Sepulchrum hispanica cera impresso, obseratae tamen inveniantur S. Reliquiae?

3. Quid agendum a Sacerdote, qui Reliquiarum amissione recognita, alio indiget Altari ad Sacra facienda?

Et S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, Secretario referente, super expositis maturo examine instituto, rescribendum censuit:

Ad 1. „Juxta alias decreta indigere nova consecratione."

2. Ut ad proximum, quia non constaret de Reliquiarum identitate, et authenticitate."

Ad 3. „Recurrendum ad Ep., ut ab illo provideatur de novo Altari portatili."

Atque ita rescripsit, definivitque. n. 5037. Die 23. Maji 1846.

S. Flori.

Rme. D. uti Frater.

In Ordinariis S. R. C. Comitiis apud Vaticanas Sedes coactis X. Kal. Junii anno vertente a R. P. D. ejusdem S. C. Secretario subscripto relatae fuerunt sequentes preces nomine Amplitudinis Tuae porrectae, nimirum: „Plurimorum Altarium portatilium diversarum Eccl. Dioec. S. Flori in Gallia exciderant, sive excidisse videbantur Sanctorum Reliquiae, timebatur quoque ne sepulchra quorumdam aliorum licet pice, seu cera obsignata, et sigillo Episcopali non munita, effossa fuissent, et S. Reliquiis carentia. Quum autem crederetur non ideo execrata fuisse illa Altaria, et satis esse, ut novae in illis tumularentur Sanctorum Exuviae, inde factum est, ut in decursu visitationis, aliisve circumstantiis, Ep. S. Flori, seu Vic. Generales ipsius, visitatis illis praedictis Altari-

bus, mandaverint omnino, Sepulchra Altarium omnium, de quibus supra, ibidem per novas Reliquias authenticas tumulaverint. At recens data innotuit declaratio S. R. C. docens Altaria, quorum Sepulchrum effossum est, esse execrata. Quum autem dificillimum sit discernere Altaria, de quibus in precibus, quia Ep. consecravit quaedam Altaria portatilia, et eorum Sepulchra eodem sigillo consignavit, ideo enixe supplicat Ep. S. Flori ad S. V. pedes provolutus, ut S. V. benigne mederi dignetur defectui supra enunciato, et concedere ut, non obstante defectu, celebrari possit super hujusmodi Altaribus, quae certo olim consecrata fuerant. Quod Deus etc. Et S. eadem C. hisce omnibus perceptis, attenteque consideratis, in ea fuit concordi sententia, ut Amplitudini Tuae injungeretur, quatenus juxta servatum morem posset eadem Amplitudo Tua consecrare non parvo tamen numero Altaria portatilia ad supplendum necessitati in respectivo enunciato casu, atque iterum, si opus fuerit ex deficientia Altarium consecratorum, quoniam omnia praedicta ex tali defectu consecrationem amiserunt, supplicandum SSmo. pro expetita facultate. Super quibus omnibus tempore habili, subsignata nimirum die ab eodem R. P. D. a Secretis facto verbo cum Sanctissimo D. N. Pio Papa IX. S. S. probe cognoscens novum esse, et contra legis statuta locum petitioni dare, maluit ex necessitate onus potius imponere facili negotio obeundum, quam dispensationem impertiri; nimirum ut consecrato portatilium Altarium non parvo numero, ut supra, haec paulatim loco aliorum non consecratorum ponantur, ac sublata iterum consecrentur, et haec sic perperam habilitata, ad Sacrum faciendum dignosci poterunt vel ex qualitate signi noviter impressi, vel ex Diario S. Visitationis, quod certe referre debet locum, et Altare tali modo noviter dispositum. Haec Sacratissimi Principis mandata dum Amplitudini Tuae communico, diuturnam Tibi ex animo exopto felicitatem. n. 5043.

Romae 3. Julii 1846.

Rmo. D. uti Fratri Ep. S. Flori.

LIMBURGEN.

Sibi commissae Dioec. Visitationem instituens Rms. Limburg. Ep. quamplurium invenit Altarium Sepulchra, in quibus S. Reliquiae vel aperte jacebant, adeo ut de earum authenticitate ob defectum tum Sigillorum, tum Literarum Testimonialium non constat vel nullae erant Reliquiae Sanctorum, ac proinde ex Ecclesiasticis Legibus super iisdem Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari nequit. Cui quidem malo pro viribus concurrere exoptans idem Rmus. Ep., jam pro S. Reliquiarum impetratione supplicavit enixe, sed interim S. R. C. rogavit ut indulgere dignaretur, quod super iisdem celebretur. Et S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu referente Secretario, benigne annuit pro extensione Indulti Episc. Nannetensi concessi sub die 15. Jan. vertentis anni, nimirum quemcumque sanans defectum, concessit ut super hujusmodi Aris celebretur donec novae apponantur Sanctorum Reliquiae. n. 5081. Die 27. Februar 1847.

Ad dubium: 1. Utrum Altaria portatilia consecrationem suam amittant, quando fractum est sigillum, quod Reliquiis in Sepulchro inclusis apponitur: an tantum quando, ut loquuntur Theologi, fractum est sepulchrum?

2. Utrum Altare portatile, cujus sigillum non existit, mitti debeat ad Urbem Episcopalem, et rursus consecrari: an sufficiat tantum novas addere Reliquias veteribus Reliquiis in Sepulchro inclusis, et authenticitate carentibus, et sigillum Episcopi apponere?

3. Quid sentiendum de consecratione Altarium portatilium Dioecesis Bituricen.? Nam de facto constat, quod a perturbatione Anni 1790 nulla existebant sigillorum vestigia in Altaribus portatilibus: rursus impositae sunt Reliquiae ab Archidiaconibus, quum vacuum erat Sepulchrum, aut Reliquiis in Sepulchro manentibus, et authenticitate carentibus, additae sunt Reliquiae authenticae, et appositum fuit Episcopale sigillum.

Emi et Rmi P.... respondendum censuerunt:

Ad 1. „Quoad primam partem negative, nisi fractum sit Sepulchrum, vel ejus operculum, aut etiam solummodo si hoc amotum fuerit: quoad secundam partem provisum in prima."

Ad 2. „Quoad primam partem provisum in primo: quoad secundam numquam licere certas Sanctorum Reliquias dubiis immiscere, ac semel execrata Ara, vel fixa vel mobilis, ex communi jure nova indiget consecratione."

Ad 3. Mobiles Aras in casu execratas esse, et ad Mentem. Mens est, ut amoveantur prorsus Reliquiae dubiae, et consulendum SSmo, ut Archiep. Bituricen. vel per se vel per alios etiam simplices Presbyteros hoc tantum in casu Apost. Sedis nomine delegandos certas Reliquias in iisdem Aris reponat, iis solummodo Caeremoniis servatis, quae in Pontificali rom. praescribuntur, dum in Sepulchro reconduntur Reliquiae, et superponitur lapis, scilicet ut signetur S. Chrismate Confossio seu Sepulchrum, ac dicatur interim Oratio: *Consecretur et sanctificetur*, postea reconditis Reliquiis cum tribus granis thuris, et superposito operculo, ac firmato, dicatur altera Oratio: *Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum*, et nihil aliud.

Atque ita rescripsere. Die 23. Septembris 1848. Facta autem de praemissis SSmo D. N. Pio IX. P. M. per Secretarium fideli relatione, S. S. ad Mentem S. C. petitum Indultum pro hoc casu tantum valiturum de Apost. Benignitate concessit: dummodo adamussim singula serventur, quae in superioribus Responsionibus praescribuntur. n. 5162 die 5. Dec. 1851.

c) Usus.

De Altare port. in Cappella domestica, vd. *Cappella domestica. Consecratio alt.* (decr. n. 3762); *Cappella Episcopalis* (decr. n. 4547 et 4776). *Portatile; Missa extra Eccles.*

Ad dubium: an in Metropoli Episcopi residentis Abbas titularis sine jurisdictione tamquam Praelatus domest. Papae possit habere usum altaris portatilis? S. C. resp: *Negative.* n. 2767, die 11. Jan. 1676.

Ad dubium: an posse s. lapides, nempe altaria portatilia, a quocumque catholico Antistite rite confecta, altaribus seu cappellis, sacris reliquiis expoliatis, apponi, ut Sacrum ibidem licite peragi valeat? S. C. resp. Affirmative ad formam Pontificalis rom. n. 3415 ad 2 die 30. Mart. 1697.

Ad dubium: an altaribus B. V. M. Confraternitatis SS. Scapularii, SS. Sanguinis, s. Crucis etc. noviter constructis altaria portat. apponi liceat et deinde in eisdem licite Missa celebrari possit? S. C. resp.: Affirmative ad formam Pontif. rom. n. 3415 ad 3, die 30. Mart. 1697.

Episcopus Bambergen. exposuit ut infra videlicet: Episcopus dono accepit Altare quoddam Portatile, seu Viaticum, ut vocant, cum authentico quidem testimonio Consecrationis ab Episcopo quondam Magdeburgensi eidem facto; quia tamen illud notabili temporis intervallo sub manibus Acatholicorum extiterat, timens memoratus Episcopus, ne aliquod forte inconveniens, maxime quoad Reliquias Sacras mutatas, vel falsatas contigerit; securitatis, non curiositatis causa, lignum, quo lapis in-

crustatus fuerat, amovit, et subtus cavitatem animadvertens, eam etiam aperuit, et Reliquias extraxit, lustravitque, atque authenticas repertas, denuo composuit, loculumque, ut prius, occlusit. Dubitatur nunc: An per tam cautam, et necessariam aperitionem, Altare illud Consecrationis Sanctitatem veterem amiserit, et nova indigeat?

Propterea, relato praedicto Dubio SSmo Dom. Nostro porrecto, et S. R. C. remisso: An praedictum Altare Portatile execratum sit, et ad novam ejusdem consecrationem deveniri debeat? Eadem S. C. respondit: „Quatenus Episcopus celebraverit in supradicto Altari, non indigere alia consecratione.“ n. 3305 die 14. Martii 1693.

Non valentibus Sacerdotibus Congregationis Missionum Provinciae Lituaniae in exercitio earundem ob deficientiam in dicta provincia Ecclesiarum et magno locorum intervallo disjunctarum Sacrum, ad quod ex Instituto tenentur, celebrare, S. C. concessit usum alt. portat. et resp. celebrandi etiam in locis non sacris. n 3524 die 5. Aug. 1699.

Beatissimo Patre.

L'Arcivescovo di Rossano Pietro Cilento prostrato al Trono di Vostra Beatitudine divotamente espone, che in diversi paesi della sua Dioecesi per i detenuti vi sono le prigioni, quali sono prive di Cappelle, e suppellettili sacre, per cui i medesimi non possono adempiere gli atti di religione. Vi è disposizione Sovrana però per la costruzione di dette Cappelle interne, ma per circostanze ancora non si è mandata ad effetto. Affinchè gl'infelici racchiusi non rimangano privi della Messa ne'giorni festivi, l'Oratore prega vivamente Vostra Beatitudine volersi degnare accordargli le necessarie facoltà di poter fare erigere nella circostanza degli Altari portatili nelle dette prigioni. Che ec.

„Sanctissimus, referente S. R. C. Secretario, benigne annuit pro gratia, dummodo Archiepisc. Orator provideat vel per se, vel per suum Vicarium Gen., vel alteram personam in Eccl. dignitate constitutam decentiae loci, in quo provisorie erigendum est Altare portatile.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5094 die 30. Julii 1847.

Cenomanen.

Ex parte Rmi Episcopi Cenomanen. S. R. C. proposita sunt sequentia Dubia pro opportuna declaratione, et solutione, nimirum:

1) An interdicenda sint Altaria portatilia si nullum appareat Reliquiarum Sepulchrum, licet adsint quinque Cruces?

2) An idem dicendum si existat Sepulchrum absque Sigillo?

3) Tandem, an id saltem exequendum quando apparet Sepulchrum, sed nullum extat appositi Sigilli vestigium?

Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunati, Secretario referente, rescripsere:

Ad 1. „Clarius se explicet.“

Ad 2 et 3. „Dummodo lapis consecratus, seu Altare portatile integrum sit, in eo celebrari potest.“ n. 4805 die 11. Mart. 1837.

13) Praescriptum pro Celebratione Missae.

Vd. *Missa* (in altari certo etc.)

14) Privilegiatum.

Vd. *Missa de requiem. (Privata.* decr. n. 1653 et 3480 et *sequentes Constitutiones). Indulg. altaris.*

Obtento altari privilegiato pro *certis diebus* non potest in illis pro de-

functis celebrari, quod sit festum duplex de praecepto vel de Dominica. n. 684 die 24. Aprilis 1627; n. 2363 ad 1 die 13. Febr. 1666.

Non licere in feriis secundis et sextis, etiamsi occurrant festa primae et secundae Classis, in altari privilegiato Sacra facere pro defunctis. n. 1611 ad 4 die 25. Sept. 1649.

Quoad altaria *perpetuo* privilegiata et in quibus proinde quotidie, etiam in duplicibus, celebrandae sunt missae de requiem *ex obligatione*, declaravit S. C.: per celebrationem missarum de festo currenti satis fieri dictis obligationibus et suffragari cum iisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratae missae de requiem ad formam Privilegiorum. n. 2385 die 1. Decbr. 1666.

Declarationem hanc editam, sicut praemittitur, extendendam esse ad altaria, non in perpetuum sed ad septenium vel aliud brevius vel longius tempus, ac non pro omnibus sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadae diebus nunc et in futurum quandocunque privilegiata. Et proinde indulgendum fore, ut Missae, quae ibidem de festo currenti, in quo Missae defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione sive *ex sola fidelium devotione* celebratae fuerint, indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequentur in omnibus et per omnia, perinde ac si Missae def. ad formam eorundem privilegiorum celebratae fuissent. n. 2488 die 13. Aug. 1669; n. 3029 ad 3 die 24. Julii 1683.

Ad dubium: an declarationes Alex. VII. et Clem. IX. (decr. sub num. 2385 et 2488) intelligantur etiam et in diebus dominicis et infra octavas Pasch., Pent. et Corp. Chr.? S. C. resp.: Declarationes supradictas intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas non potest dici missa de req. n. 3158 die 3. Aprilis 1688.

Nemini licere intuitu alicujus *altaris* privilegiati in aliqua Ecclesia exponere tabellam super januam ipsius Ecclesiae cum inscriptione: „*Indulgenza per li morti*“ sed tantum super ipso altari privilegiato, consuetis verbis: „*altare privileg. pro defunctis.*“ n. 2421 die 13. Aug. 1667.

Ad dubium: an in altari privileg. Ecclesiae vel Cappellae, ubi est instituta Confraternitas fidel. def., diebus dupl., aut infra octavam, quae excludit festum dupl., aut est Dominica, possit legi aut cantari missa de req.? S. C. resp.: Non posse; missam autem cantatam *ex dispositione* Testatorum in die anniversaria ipsorum obitus, etiam in duplici maj. contingentis, nec in expressis nec in aliis Ecclesiis seu Cappellis prohiberi. n. 3029 ad 4 die 24. Julii 1683.

Non videtur consonum dicere missam de festo singulis diebus in altari privileg., cum in Ecclesia (Monialium) quotidie fieri soleat s. Communio, quae in paramentis nigris dari nequit. n. 4348 ad 1 die 15. Julii 1769.

Sylvaducen.

Quamplures Parochiales Eccl. Vicariatus Sylvaducen. in Hollandia ex Apost. Indultis Altari Privilegiato cohonestatas fuisse comperiens hodiernus Vic. Apost. illud insuper animadvertit, quod in Precibus expressum non fuerit Altaria ipsa non esse fixa, quod in hujusmodi concessionibus omnino requiritur; ac proinde de hac substantiali omissione S. C. de Propaganda Fide certiorem reddens, Apost. efflagitavit Indultum, ut memoratae hujusmodi concessiones ratae habeantur etiam pro Altari portatili in enunciatis Eccles. donec Altaria fixa erigantur. Hujusmodi precibus SSmo D. N. Gregorio XVI. P. M. relatis per R. P. D. Joannem Brunelli enunciatae C. de Propaganda Fide a Secretis, S. S. man-

davit ut sententia S. R. C. exquireretur, ac proinde ab ejusdem S. R. C. Secretario iterata relatione, S. S. de speciali gratia rescribendum edixit: „Gaudeant adhuc concesso Indulto; dummodo quamprimum erigatur Altare fixum, cui adnexum esse debet Privilegium.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 17. Febr. 1843. n. 4951.

Archiepiscopus Quebecens. exponit quod virtute Rescripti die 11. Dec. 1842 concessa fuerit Archiepisc. Oratori facultas declarandi privilegiata Altaria Ecclesiarum, quamvis tota Mensa consecrata non sit; humillime quaeritur 1.: An *duo* Altaria possint declarari privilegiata in *eadem Ecclesia:* 2. Enixeque supplicat, ut privilegium applicandi Indulgentiam sic concessam extendatur ad omnes et singulos Sacerdotes in iisdem Altaribus Sacrum peragentibus quocumque die per Annum, Dominicis tantum, et Festis I. et II. Cl. exceptis, ita tamen, ut idem privilegium valeat etiam si Missa Festi occurrentis, et non Missa *de Requie* celebretur. Et S. eadem C.... rescribendum censuit: „Recurrat ad S. C. Indulgentiarum.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4988 ad 3 die 7. Dec. 1844.

15) Privileg. tempore Expos. SS. 40 hh.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 9.

16) In Process. SSmi.

Ad dubium Episcopi Albiganens.: an in die solemnitatis et octava Corp. Chr. possint parochi saecul. et regul. deferentes SSmum processionaliter, deponere idem SSmum in aliqua Ecclesia seu super altare fieri solitum per vias ad instar Episcoporum? S. C. resp.: Posse. n. 2825 die 10. Julii 1677.

Ad dubium: an occasione process. publicarum possint Confratres Mortis Perusinae sive alii erigere in viis altaria, ad quae sistat Sacerdos et SSmum deponat, tum intra quam extra parochiam, invitis et irrequisitis parochis? S. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Ordinarii. n. 3911 ad 11 die 9. Julii 1718.

Vd. *Benedictio cum SSmo in process.* (quoties, decr. n. 4574).

Instructio Clem. §. XXI. n. 12. 13.

Ad dubium: An in Processionibus, quae intra Eccl. cum SSmo Sacramento fieri assolent, liceat erigere altare portatile, quamvis super Sepulchris sistat, ut in eo reponi tantisper valeat SSmum Sacramentum, dum aliqua Stropha, vel Oratio canitur?

S. eadem C. respondendum censuit: „Cavendum ne Altare portatile Sepulchro immineat.“

Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5102 ad 7 die 11. Sept. 1847.

17) Reconciliatio.

Cf. *Altare portatile* (decr. n. 3115); *Consecratio altaris execrati;* Reconciliatio Ecclesiae (decr. n. 4577); *Reliquia* (in altari.)

In Dioecesi Augustae quamplurima miliaria altarium pollutorum, sola violatione sepulchrorum, ex quibus s. reliquiae extractae fuerunt in praeteritis Suevorum invasionibus. Ideo supplicat Episcopus pro facultate illa reconciliandi sola repositione Reliquiarum, iis tantummodo servatis caeremoniis, quae in pontificali rom. praescribuntur. S. C. resp.: In hoc casu gratiam petitam posse concedi. n. 3404 die 24. Nov. 1696.

Exoptante Archiepiscopo Benev. bases quatuordecim altarium ex plaste constructorum destruere eorumque ex marmore novam constructionem demandare petitur: an integris una cum Sepulchris ss. reliquiarum intactis permanentibus mensis altarium praedictorum, possit procedi ad novam eorun-

dem consecrationem, omissis caeremoniis ad repositionem reliquiarum pertinentibus. S. C. resp.: In hoc casu gratiam petitam concedi posse. n. 3404 die 24. Nov. 1696.

18) SS. Sacramenti (locus).

Vd. *Sedes Celebrantis et Ministr.* (decr. n. 4996). *Tabernacul.*

19) Sancti vet. Testamenti.

Ad dubium: an in Ecclesiis Dioecesis Imolen. altaria Sanctis veteris Testam. Prophetis dicata essent permittenda? S. C. resp.: Antiqua tantum permittat. n. 3438 die 3. Aug. 1697.

Vd. *Altare,* (nominatio).

20) Super quo sunt cadavera, non debet celebrari.

Vd. *Dedicatio Ecclesiae.* (In qua sunt Sepulchra)

Non potest celebrari in altari, sub quo sunt sepulta cadavera defunctorum. n. 818 die 11. Junii 1629.

Patronus petiit, injungi Vicario Capitulari, ut amoveat suspensionem a celebratione in altari Cappellae ejus patronatus positam a defuncto Episcopo, ex quo sub suppedaneo altaris condita sint defunctorum cadavera.

S. C. resp.: *Nihil.* n. 1828 die 9. Junii 1657.

In eo altari, sub quo vel sub cujus pradella humana sunt corpora defunctorum, non debet celebrari missa, donec alio transferantur. n. 2363 ad 7 die 13. Febr. 1666. Et in decr. n. 4332 die 7. Julii 1766 C. S. R. concessit, ut interim, si missae ex aliqua obligatione in eodem altari celebrari deberent, celebrentur in alio.

Albinganen.

Reverendissime Domine uti Frater. Supplex Libellus Fratrum Vassallo Oppidi cui nomen vulgo Centolupo istius Dioecesis Albinganen. quo postulabant ut a suspensione redderetur immune Altare S. Catharinae eorum Familiae jurispatronatus ex eo quod prope illud, et praecise ad distantiam duorum cubitorum tumulatum fuerit Cadaver Joseph Patrui ipsorum, a S. C. Ep. et Reg. sub die 27. Jun. anno vertente ad hanc S. R. C. fuit transmissus, ut super re quid de jure esset decerneretur. Sed quum nihil novi hoc in negotio statui necesse sit, preces propterea in Audientia hujus diei a R. P. D. Secretario relatae sunt Sanctissimo D. N. Gregorio XVI. P. M., S. S., omnibus attente consideratis, mandavit rescribi Amplitudini Tuae, et committi ut dummodo constet praefata in Tumulatione bona fide tali modo peracta, servatas fuisse dispositiones S. Canonum in Capite *Percipiendum 13. quaest.* 2., nec non Constitutionem S. Pii Papae V. in Bullario Novo: *Quinam in ordine* §. 6. et obtineatur finis per easdem leges intentus, ut scilicet Cadaveri Altare non immineat, et aliqua distantia inter illud ipsum Cadaver intercedat, pro tuo arbitrio et prudentia, si ita in Domino expedire judicaveris, declarare valeas Altare praedictum suspensioni non subjacere, etsi ornatum Sepulchri ipsius proprius ad suppedaneum Altaris extendatur.

Haec Sacratissimi Principis mandata dum exequor, voluntatemque designo, diuturnam Amplitudini Tuae exopto felicitatem.

Romae 9. Sept. 1844 n. 4977.

Rmo D. uti Fratri Episcopo Albinganensi.

21) Titulus (Officium).

Propter solos titulos *Altarium* Officia non debeantur. n. 769 die 28. Aug. 1628.

22) Translatio.

Ad dubium: an posse quaedam altaria seu Cappellas ob missas audien-

tium commoditatem, processiones faciendas et prospectum aliorum altarium praesertim majoris, et locis, ubi de praesenti sita reperiuntur, amoveri et alio collocari, transferendo s. lapides, nempe altaria portatilia et imagines integre ad nova, ita ut sit tantum quaedam simplex, et mera hujusmodi altarium de uno ad alium locum translatio? S. C. resp.: *Dilata.* n. 3415 ad 5 die 30. Mart. 1697.

23) Vacuum.

Audita relatione Ordinarii Pisauren. super suspensione altaris maj. Societatis SSmi facta in visitatione, in qua habetur, quod, cum inventum fuisset dictum altare vacuum, fuit illud vigore decretorum prohibentium celebrationem missarum ad altaria vacua, suspensum, donec fuisset repletum, S. C. censuit: Iis non obstantibus in casu, de quo agitur, ex speciali gratia, posse tolerari. n. 2723 die 9. Febr. 1675.

AMBO.

(Ornatus.)

Vd. ***Sedes Dignit. et Canon.*** ad altare (decr. n. 4590) ***Pulpitum***; ***Cathedra Concionat.***

AMEN.

1) Omittitur.

Plures Theologi, inter quos S. Alphonsus Maria de Ligorio, sentiunt veniale esse omittere vocem *Amen* in fine formae Baptismi, quae tamen vox non reperitur in Rituali Romano; quaeritur ergo: utrum adhibenda sit vel omittenda? S. C. resp.:

„Strictim in casu servetur Rituale Romanum.“

N. 5188. Romae 9. Junii 1853.

2) In Ordinatione.

Ad dubium: Amen, quod Pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae, vel sacrorum indumentorum in Ordinatione, dicendum est ab ipso Ordinando, vel ab adstantibus? S. C. resp.:

„Juxta consuetudinem ab Ordinando.“ n. 4669 ad 6 die 12. Novb. 1831.

AMICTUS.

1) Materia.

Ad dubium: an amictus confici possit ex tela quadam composita ex lino et Gossippio subtilissimo, quem vocant Mussulo? S. C. resp.: *Lectum.* n. 2267 die 15. Mart. 1664.

Vd. *Paramenta* (materia, decr. n. 4563).

2) Usus.

Regulares Augustini caputio, prout utuntur alii Regulares, amictu cooperto incedere debent. n. 1189. die 19. Nov. 1639.

Vd. *Subdiaconatus.*

S. ANASTASIA.

1) Commemoratio.

Commemorationem s. Anastasiae in 2. Missa Nativitatis Dom. *ubique* faciendam esse. n. 2859. ad 1 die 12. Mart. 1678.

2) Festum.

Festum s. Anastasiae ab omnibus Suffraganeis et in omnibus sanctae Severinae Provinciae locis tamquam de praecepto celebrandum esse. n. 3967 die 7. Sept. 1726.

S. ANDREAS APOST.

1) Translatio.

Vd. *S. Thomas Ap.* (decr. n. 4491.)

Ad dubium: 1. An, occurrente festo S. Andreae Apostoli in Dominica I. Adventus, transferri debeat tamquam in diem propriam in primam diem

Decembris, translato quocumque Festo etiam aequalis ritus, sed minoris dignitatis eo die occurrente, juxta Rubricam Breviarii P. Conventualium de Translatione Festorum num. 14., in quo citantur Decreta S. R. C. 5. Sept. 1739, et 21. Jan. 1741. (quibus eadem S. C. adprobat praedictum Breviarium) inserta in Constitutione Benedicti XIV. incipien. „*Praecipuum*" 16. Febr. 1742. eidem Breviario praemissa? Et quatenus affirmative;

2. An tali privilegio gaudeat etiam Festum S. Thomae Apostoli impeditum a Dominica IV. Adventus?

S. eadem C. rescribendum censuit: Ad 1, et 2. „Negative, nisi in casu, quo infra annum, juxta generale Decretum de die 13. Mart. 1804, non supersit ullus dies vacuus, quo reponi possit."

Et ita declaravit, et servari mandavit. N. 4500. Die 20. Sept. 1806.

2) Vigilia.

De anticipanda Vigil., Vd.: *Vigilia festor.*

S. ANDREAS AVELL.

1) Ritus.

Ad dubium: Extat nec ne generale Decretum, cujus vigore Festum S. Andreae Avellini Conf. elevatum sit ad ritum dupl. min. pro Eccl. universali?

S. ipsa C. respondendum censuit: „Non extare Gen. Decretum."

Atque ita rescripsit, declaravit, servarique mandavit die 29. Martii 1851. N. 5157 ad 4.

2) Translatio.

Festum S. Andr. Av. occurrens cum festo Patrocinii b. V. M., Vd. *Patrocinium b. V. M.* (decr. n. 4136.)

Festum S. Andr. Av. occurens cum Dedicatione Basil. S. Salvatoris, Vd. *Dedic. Bas. S. Salvatoris* (transl., decr. n. 4142.)

S. ANDREAS CORS.

(Oratio.)

Ad relationem *Benedictinor. Einsidlen.* resp. S. C.: In Festo S. Andreae Corsini 4. Februar dicenda est Oratio: *Deus, qui in Ecclesia tua nova semper* etc. n. 4044 ad titul. *de Oration.* Die 5. Maii 1736.

S. ANGELA MERICI.

Urbis et Status Ecclesiastici.

Praeses, et Moniales tam Ascelerii, quod a S. Ursula in Urbe dicitur, quam aliorum Monasteriorum ejusdem Instituti, quibus et petitiones accessere multorum utriusque Cleri Urbis, et aliarum Dioecesium, SSmo D. N. Pio VII. S. M. humillime supplicarunt pro extensione ad utrumque Ecclesiastici Status Clerum Officii, et Missae S. Angelae Mericiae Virg. Brixiensis praedicti Ordinis Fundatricis anno 1807., S. Virginum catalogo adscriptae cum Lectionibus II. Nocturni, et Orat. prop. jam sub die 22. Dec. anni 1768. approb., et concess. Monialibus Ursulinis in Urbe, cum additione ad VI. Lectionem, et approbatione Elogii in Martyrologio Romano inserendi.

Et Sanctitas Sua, ad S. R. C. Secretarii relationem, antedictum Officium cum Missa cum additione, et elogio novissime revisis, et approbatis ad utrumque Urbis, et Status Ecclesiastici Clerum extendit, recitanda, et respective celebranda die 31. Maji cujuslibet anni ritu dupl. min. n. 4521. Die 6. Aug. 1816.

Elogia Addenda Martyrologio Romano.

Die 17. Jan. Brixiae S. Angelae Mericiae Virginis Institutricis Monialium S. Ursulae, quarum praecipuum munus esset dirigere adolescentulas in vias Domini. Ejus festum pridie Cal. Jun. Pius VII. recolendum indulsit.

Die 31. Maji Brixiae S. Angelae Virginis, Monialium S. Ursulae Institutricis, de qua VI. Cal. Febr.

Decretum Urbis et Orbis.

Angelorum praedita moribus et pulchritudine sancta Angela Merici sicut lilium inter spinas in terris degens ubique mirum sparsit suavitatis odorem. Haec ab adolescentia alacriter iter perfectionis arripiens eo devenit ut sanctus Carolus Borromaeus paucis post ejus obitum annis adfirmare non dubitaverit, dignam plane esse, quae ab Apostolica Sede in Sanctarum Virginum Album referretur. Sanctissima Palaestinae loca summa cum religione perlustravit et sepulchra apostolorum Petri et Pauli Romam veneratura pervenit. Ibi sese excitatam sensit ad promovendam puellarum institutionem probe noscens, illas pravis ac foedis calvinianae et lutheranae haeresis, quae tunc late grassabatur, illecebris veluti inter vepres irretitas virgineum florem amissuras. Quare Brixiae novum sacrarum virginum Sodalitium sub patrocinio et nomine sanctae Ursulae virginis et martyris instituit, cujus curae demandavit, ut adolescentulas tam divites quam pauperes fidei rudimenta doceret, ad recte casteque vivendum informaret, illisque eas, quae propriae mulierum sunt, exercitationes traderet. Uberes ex hoc instituto Angela ad Ecclesiae bonum et Societatis retulit fructus, eique Deus omnipotens ita gratiae suae dona copiose largitus est, ut ubique terrarum diffunderetur, suaeque famulae morti proxime pandere dignaretur illud perenne futurum.

Quum teterrimis hisce temporibus perversi ac scelerati homines omnem moveant lapidem ad catholicam Ecclesiam ac Societatem labefactandas, et ad id facilius obtinendum mulierum mores praesertim adolescentium pervertere studeant, ut ex depravata earum mente erroris venenum altius in filiorum animos inseratur, nonnulli Eminentissimi ac Reverendissimi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales nec non quamplures amplissimi totius orbis antistites Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX. pontificem maximum humillimis precibus instantissime efflagitarunt, ut officium et missa sanctae Angelae Merici Sodalitii sanctae Ursulae institutricis ad universam extendantur Ecclesiam, ut ejus ope et meritis dignetur Dominus foemineum sexum ab omni labe immunem et errore servare ac hostium depulsis insidiis Ecclesia sua perpetua pace laetetur. Quibus omnibus a me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario Sanctissimo Domino Nostro fideliter expositis Sanctitas Sua apostolica auctoritate edixit, ut deinceps festum sanctae Angelae Merici virginis cum Officio et missa aliquibus locis jam concessis sub ritu duplici minori ab universa Ecclesia recolatur contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11. mensis Julii anni 1861. C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praefectus.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

S. ANGELUS.

Vd. *Vesperae de ss. Angelis.*

S. ANGELUS CUSTOS.

1) Dies festus.

Officium Sancti Angeli Custodis cum Octava concessum pro omnibus ditionibus subjectis Romanorum Imperatori celebrandum est Dominica prima Septembris, an vero Dominica prima juxta computum Civilem?

In Officio Feriae secundae infra Octavam dicitur, in primo Nocturno Lectiones Scripturae occurentis sumendas esse ex Dominica prima Septembris,

quia pridie non sunt lectae, et in Dominica secunda non datur initium libri, inde videtur Dominicam primam Septembris juxta computum Ecclesiasticum sumendam esse, et haec est praxis Belgii: an legitima? Ratio dubitandi est, quod Festum Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis celebrandum sit Dominica tertia Septembris, et Solemnitas Rosarii Dominica prima Octobris juxta computum Civilem, non vero Ecclesiasticum. S. C. resp.:

„Juxta computum Civilem, sed in casu servari posse consuetudinem."

Die 23. Maji 1835. n. 4746 ad 11.

2) Officium.

Vd.: *Dedicat. Eccl.* (Offic. et transl.); *Festum ss. Nom. B. V. M.* (decr. n 3565). *Hymnus ss. Angel.; Dominica prima Sept.*

Ad dubium: An Officium Angeli Custodis celebrandum prima die non impedita Officio novem lectionum, possit dici impeditum Officio novem lectionum *translato*? S. C. resp.: *Censeri impeditum.* n. 1435 die 14. Mart. 1643.

In Officio Angeli Custodis Regni Portugalliae, dom. 3. Julii recitanda octava Benedictio debet esse „*Quorum festum colimus.*" n. 1555 ad 4 die 21. Apr. 1646.

Ad dubium Capituli Metrop. Tolet.: quodnam ex duobus festis ss. Angel. Custod. celebrari debeat in Archiepiscopatu Toletano, an illud, quod cadit die prima Martii vigore consuetudinis et concessionis apost., vel illud assignatum die 2. Oct. ex Bulla Clem. XI., quae est posterior? S. C. resp.: Servetur consuetudo in utroque casu facto verbo cum SSmo, et Officium ss. Ang. cust. fiat una vice tantum, n. 2670 ad 1 die 2. (20.) Dec. 1673.

In Regionibus Imperio subjectis, in quibus ex Indulto recitatur Officium S. Angeli Custod. cum octava mense Septembris, non debet de eodem fieri secunda die Octobris. n. 2903 ad 4 die 30. Sept. 1679.

Officium Angel. Custod. concurrens cum alio dupl. minori habere debet integras utrasque vesperas. n. 2943 ad 2 die 1. Mart. 1681. Cf. *Vesperae dimid.*

Hoc decretum sublatum est per decretum: *Quando 2. vesperae de ss. Angelis Custod.* (Off. dupl. min.) *concurrunt cum 1. vesp. alicujus dupl. min. per annum, in 2. vesp. ss. Angel. a cap. faciend. de sequ. dupl. min.* n. 3005 ad 5 die 28. Dec. 1682. n. 3497 ad 2 die 27. Sept. 1698.

Ad dubium: an concurrente in 2. vesp. festo ss. Angel. Custod. cum altero festo aequalis ritus, festo Angelorum Cust. debeantur integrae 2. vesperae? S. C resp.: Servetur rubrica Brev. rom. tit. X. n. 2. n. 3770 die 14. Maji 1707.

Ad dubium PP. Soc. Jesu in Gallia: an 2. vesp. s. Remigii (dupl. min.) debeant esse partim de s. R. part. de s. Angelis (dupl. min.) an vero totae dici debeant de s. Angelis cum commemor. s. Remigii? S. C. resp.: negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 3842 die 22. Aug. 1711.

S. C. Dioecesi Angelopolitanae in Indiis concessit, ut Officium s. Angeli Custodis imposterum *cum octava* servatis tamen rubricis Breviarii et Missalis recitari possit et valeat. n. 3982 die 11. Dec. 1728.

ANGELUS DOMINI.

Estne stando dicendum? Vd. *Salutatio angelica.*

S. ANICETUS P. M.

Vd. *Missa* (temp. pasch. n. 4935.)

S. ANNA.

Cf. *Lytaniae de s. Anna.*

De ejus festo, vd. *Dedicatio Eccles.* (Officium etc. decr. n. 3931).

ANNIVERSARIUM.

1) Consecrationis.

a) Episcopi.

Vd. *Consecratio Episcopi* (annivers).

b) Pontif. Maximi.

Vd. *Electio et Consecratio SS. Pontif.*

2) Creationis et Coronat.

SS. Pontificis.

Ad dubium: Utrum in Anniversariis creationis, et coronationis Summi Pontificis pro tempore regnantis, in universa Ecclesia dici possit vel debeat in Missa Oratio: *Deus omnium Fidelium?* Et quatenus affirmative, an haec Oratio dicenda sit in Festis I., vel II. Cl.?

Emus itaque ac Rmus Dom. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen... rescribi mandavit:

„Collecta pro Summo Pontifice in diebus creationis et coronationis dici debet, et sub unica conclusione in duplicibus II. Cl.“ N. 4928 sine Dato. (Esse videtur dies 22. Maji 1841).

3) Defuncti.

a) An Alia missa substitui potest?

Vd. *Missa vot. de Sancto* (formula, decr. n. 4119). *Missa de Req.* (alia subst.).

Obitus die impedito non potest pro defunctorum anniversario cantari missa de currenti die vel fer. privileg. per applicationem. n. 4237 ad 3 die 22. Dec. 1753.

Specialiter idem quaeritur (missam de currenti etc. loco anniversarii celebrare) de anniversariis, quae occurrunt absolvenda circa *quatuor tempora*, Paschalia et infra octavam Pentecost., et non possunt omnia absolvi aut finiri ante octavam SSmi Corp. Chr.?

S. C. resp.: Indulgeri posse, (non relicta tamen missa in cantu de festo duplici minori occurrente, quatenus adsit obligatio cantandi). n. 4237 ad 4 die 22. Dec. 1753.

In quibusdam Anniversariis, die e. g. IV. Nov., et quum non sint Anniversaria, nec celebrari potest Missa *de Requie* (eo quod non adsit obligatio applicandi Missam Conventualem in diebus ferialibus) canitur Nocturnum, deinde Absolutio circa Tumulum peragitur, et postea Missam Conventualem canunt de Festo, quod occurrit, applicando illam pro Defunctis cum Tumulo ante Aram, et cereis accensis.

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Posse, dummodo removeatur tumulus tempore Missae, ac finita circa illum absolutione.“

Atque ita rescripsit die 10. Januarii 1852. N. 5166 ad 1.

b) Capituli.

Vd. *Anniversar.* (dies annivers. ad libitum decr. n. 4669).

c) Confraternitatum.

(Missa).

Vd. *Oratio in Anniversario. Anniversar.* (dies *ad libitum).*

Die immediate Commemorationem Omnium fidel. def. sequente, fratres tertii Ordinis s. Francisci strictae observantiae Congregationis Gallicanae officium et missam sol. tam pro Religiosis quam pro benefactoribus def. quolibet anno celebrant ideoque supplicant: utrum missa in die Commemor. Omn. fidel. def. posita dicenda sit cum oratione: *Deus veniae Larg. etc.* et loco *Fidelium*, an altera missa etc.? S. C. resp.: Missa dicenda est ut in anniversario. n. 3936 die 9. Dec. 1719.

Ad dubium: Ex consuetudine, vel ex Statuto quaedam Societates Laicales quotannis celebrant Anniversarium pro defunctis Societatis albo accensitis cum Missa cantata, et Officio: pos-

suntne celebrare cum cantu Missam *de Requie* cum unica Oratione *Deus veniae largitor?*

S. eadem C.... respondendum censuit: „Posse, si habeatur Indultum.“

Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5111 ad 10 die 11 Sept. 1847.

d) Dies anniversarius.

1) Ex dispositione Testatorum.

Vd. *Missa de Req.; Missa* (concord. cum Officio;) *Missa cantata de req.; Missa de req. in die 3., 7. etc.; Altare privileg.; Missa conv.* (oblig.) *Anniversar.* (dies ad libitum decr. n. 4299.)

Potest Missa def. ex quodam testamento instituta, in diebus duplicibus *cantari*, ut Testatoris voluntas adimpleatur et licite eleemosyna relicta lucrari possit. n. 359 die 1. Sept. 1607.

Consortium Sacerdotum saecularium Civitatis Papien., non valens satisfacere anniversariis defunctorum, ad quae tenentur ex obligatione in diebus *ferialibus*, supplicavit, idem posse facere in *festis duplicibus*, non tamen de praecepto. S. C. resp.: „Posse.“ n. 800 die 17. Mart. 1629.

Ad dubium: an aliqua die infra *octavam Corp. Chr.* cantari possit Missa de Requie? S. C. resp.: Non obstat dispositio contraria, nempe, pro Testatore una die cujuslibet hebdomadae missam de req. cantare. n. 2282 die 12. Julii 1664.

Anniversaria et missas cantatas de Requie relictas ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in *duplici majori* contingentes, posse celebrari et non comprehendi in decreto die 5. Aug. 1662 de missis def. privatis non celebrandis in festo duplici. n. 2304 die 22. Nov. 1664; n. 2385 die 1. Dec. 1666; n. 3029 ad 4 die 24. Julii 1683: n. 3290 ad 1 die 13. Septbr. 1692; n. 3873 die 29. Sept. 1714.

Orta exinde est difficultas: an ita intelligendum et explicandum sit decretum (die 22. Nov. 1664), ut nomine Anniversariorum seu in die obitus, ut sub eodem nomine et titulo intelligantur solum excepta Anniversaria, quae habent fixum et determinatum diem, in quo etc., an etiam intelligantur excepta et non obligatoria legata sive perpetua, sive temporalia, non habentia tamen certum diem, in quo etc., ita ut in his liberum sit cantare missam de Req., vel non? S. C. resp.: Verba decreti intelligenda prout sonant pro missis de Req. cantatis relictis ex dispositione Testatoris quotannis in die ipsorum obitus, nec extendenda ad non habentia determinatam diem. n. 3014 die 23. Januarii 1683; n. 3329 die 27. Mart. 1694.

Ad dubium: an Anniversaria sive missae quot. cantatae de requiem relictae ex dispositione pro certis diebus iisque impeditis die dominico seu alio festo de praecepto, cantari possint in diebus subsequentibus seu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de dupl. maj., non tamen de praecepto, praecipue de Sanctis proprii Ordinis? S. C. resp.: Indulgeri posse, non relicta tamen missa in cantu de festo dupl. min. occurrente, quatenus adsit obligatio cantandi. n. 3110 ad 1 die 4. Maji 1686.

Ad dubium: an decretum de 22. Novbr. 1644 sit restrictivum, ita ut praedicta Anniversaria, et praedictae Missae de Requiem relictae, ut supra, non possint celebrari, nec cantari in Festis primae, et secundae classis, quae non sunt de praecepto. Et dato, quod non sit restrictivum, an in praedictis Festis duplicis majoris, secundae et primae classis, ut supra, possint cantari Missae de Requiem pro implenda devotione testatorum et haeredum, ac etiam pro cantandis illis Missis, quae feria secunda, prima cu-

juslibet mensis, pro omnibus Fidelibus defunctis praescribuntur?

Et S. R. C. censuit respondendum quoad primam partem: Decretum enunciatum comprehendere duplicia minora, et majora tantum, non autem duplicia altioris ritus: et quoad secundam, servetur Rubrica generalis Missalis tit. 5. num. 1.

Et ita declaravit. n. 3701 die 23. Aug., et 13. Sept. anni 1704.

Ad dubium: an liceat Anniversaria decantari *infra octavam SS. Corporis Chr.*, sicut servatur in festis duplicibus, non obstante prohibitione circa Missas de Requiem? S. C. resp.: Non sunt facienda nisi praesente corpore. n. 2561 ad 2 die 12. Sept. 1671.

S. C. facultatem indulsit parochis Ravennae nuncupatis „*la Congregazione Parochi*" celebrandi singulis annis in perpetuum centum septuaginta oria Anniversaria pro animabus fidel. def. descriptorum et in posterum describendorum in dicto conventu, etiam in diebus fest. dupl. Sanctorum non de praecepto, non omissa tamen missa conventuali. 2657 die 16. Sept. 1673.

S. C. Principissae de Sabaudia indulsit, ut ipsa celebrare facere possit singulis annis in principio mensis Oct., seu etiam, si in dicto die occurrat Officium dupl. translatum vel aliquis Sanctus Religionis illius Ecclesiae, solitum Anniversarium pro anima † Principis cum quatuor saltem missis de Requiem quibuscunque in contrarium non obstantibus. n. 2758 die 23. Nov. 1675.

Ad relationem Cathedralis Taurin.: Cum ex rubricis missalis et decretis S. C. prohibitum sit cantare missam votivam sive de Req. nisi praesente cadavere vel ex gravi causa in festis duplicibus, infra octavam Epiph., Pasch., Pentec., Corp. Chr., ac in tota hebd. majori, fer. IV. cinerum, vigil. Pentec. et Nativ. Dom., quaeritur, an *Anniversarium Regis vel Principis supremi* reputandum sit causa gravis, adeo, ut in dictis diebus tale Anniversarium cantari possit? S. C. resp.: *Negative*, nempe, non posse cantari. n. 2847 die 20. Nov. 1677.

In praesenti anno (1681) celebrari potest Anniversarium Ducis Sabaudiae, non obstante, quod dicta die occurrit *Octava Solemnitatis Corp. Chr.* n. 2945 die 19. Apr. 1681.

Anniversaria et Missas cantatas de Req. relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die anniversario eorum *obitus* etiam in dupl. maj. contingen. posse celebrari. Quo vero ad dies *tertium, sept. et triges.* S. C. resp.: *Negative*, sed celebranda de festo dupl. cum applicatione Sacrificii. n. 2995 ad 1 die 22. Aug. 1682.

Ad dubium: an illis diebus, quibus cadunt festa dupl. per annum etiam translata et per eorum octavas et in diebus octavis, possint celebrari Anniversaria cum Missa cantata de req., ad quae tenetur Consortium s. Syri civitatis Papien. juxta disposita Testatorum, respective pro singulo mense, quia etiamsi die non impedito duo Anniversaria celebrentur, nihilominus omnia adimpleri non possunt in anno? S. C. resp.: Servetur decretum de die 22. Nov. 1664 (quod est supra). n. 3113 die 4. Maji 1686.

In anniversario occurrente in festo dupl. 2. cl. non potest cantari missa de Requiem. n. 3477 ad 7 die 5. Julii 1698.

Gavantus dicit: missam paroch. sine cantu esse privatam. Ideo dubium, utrum in Ecclesiis parochial. ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat et sine cantu, possit dici missa de Requiem, quando Anniversaria ex *testatorum dispositione* eorum recurrente obitus die, vel quando dies 3. 7. et 30. incidunt in festum dupl. min.? S. C. resp.: Quoad mis-

sas et anniversaria *recurrente obitus die:* affirmative. In reliquis negative, et servetur decret. gen. sub 5. Aug. 1662: „Cum SSmus."

(Vd. *Missa de Req. privata. decr. n. 2178*). n. 3565 ad 9 die 19. Junii 1700.

Ad dubium: Utrum ex *priv. devotione* Parochianorum petentium saepius per annum Anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus et aliis defunctis missa sol. in ruralib. Ecclesiis cantari possit de Requiem in festo dupl. min., altera missa cantata de festo, ubi adsunt plures vel saltem duo Sacerdotes? S. C. resp.: Affirmative, dummodo sermo sit de die vere anniversaria a die obitus. n. 3565 ad 10 die 19. Junii 1700.

Si missae de Requiem sint anniversaria, cantentur in illis diebus, quibus defuncti sunt pii Institutores, etiamsi in illis diebus celebrentur Officia sub ritu dupl.; quodsi missae de Req. non sint anniversaria aut non constet de diebus, quibus illi mortui sunt, plures missae de req. cantentur in illis diebus, in quibus celebrantur Officia sub ritu simplici vel semidupl., numquam tamen pro iisdem applicari poterunt missae conventuales. n. 3782 die 10. Mart. 1708.

Cum ex parte Beneficiatorum Ecclesiae Parochialis S. M. Magdalenae loci de Albitos Dioecesis Tirasonen. expositum fuerit, quod in dicta Ecclesia pro adimplendis oneribus, juxta dispositionem Testatorum, multa Anniversaria celebrari debeant; cumque ob occurrentiam Festorum duplicium Missas cantatas de Requiem celebrari posse dubitatum fuerit; propterea Beneficiati praedicti pro hujusmodi declaratione S. R. C. humillime supplicaverunt.

Et S. eadem R. C., juxta alias resoluta, declaravit: „Anniversaria, et Missas cantatas de Requiem *relictas ex dispositione Testatorum* quotannis in die ipsorum obitus posse celebrari, Missa solemniter cantanda de Sancto duplici occurrente minime praetermissa."

Et ita decrevit. n. 3872 die 15. Sept. 1714.

Anniversaria pro def. possunt celebrari in dupl. maj. dummodo sint dies propriae et assignatae a testatore, non tamen in festis de praecepto. n. 4175 ad 7 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium: an Religiosi SS. Trinitatis Portugalliae nocturnum Officii defunctorum in die octavo obitus cujuslibet Religiosi canere et similiter in die 30. et Anniversario obitus, unamque missam de req. in missali pro dictis diebus assignatam celebrare possint, etiam occurrentibus duplicibus vel dominica, sin minus prima die non impedita vel ante vel post diem octavum, 30. vel Anniversarium? S. C. resp.: Dentur decreta sub die 15. Sept. 1714. n. 3925 ad 1 die 11. Mart. 1719.

2) Ad libitum.

(Vd. *Missa sol. cantata de Req.; Annivers. in quatuor temp.*)

Ad dubium PP. Minor. in Angelorum Provincia: Cum juxta Constitutionis Ordinis nostri quatuor fieri debeant quotannis anniversaria pro universis fratribus, propinquis et benefact. et Patribus et Matribus Fratrum omnium; Quaeritur: an haec anniversaria celebrari possint in festo dupl. minori? S. C. resp.: Quatuor anniversaria *celebranda non esse in occursu cujuscunque duplicis,* etiam ritus dupl. minoris. n. 4549 ad 3 die 25. Augusti 1818.

Nota Gardell. ad hoc decr.:

Praemittenda est Breviarii trium Ordinum *Rubrica num. 214: Quatuor a nostratibus Officia generalia pro defunctis debent quotannis fieri. Tria*

pro universis Fratribus, eorumque, et nostris propinquis, et benefactoribus; quartum pro Patribus et Matribus Fratrum omnium etc. His addendum generalissimum aliud pro Fratribus, et Sororibus omnium statuum trium Ordinum etc. Et relate ad illa, quae generalia sunt, sed non generalissima, altera attendi debet *Rubrica num. 222* videlicet: *Pro aliis vero quatuor Officiis praeter dies pro generalissimo impeditos, impediti quoque sunt illi, in quibus duplicia minora quaecumque vel occurrunt, vel reponi debent.* Posita autem hac rubrica, quae sit ratio dubitandi quoad primam Dubii partem, non intelligo; quandoquidem regula celebrari vetat quatuor illa generalia Anniversaria in occursu Officii etiam ritus dupl. min.: forte enim huic quaestioni occasionem dederunt plura Decreta in hac Collectione legenda, quibus declaratur Anniversaria quaedam celebrari posse etiam in occursu Festi ritus dupl. maj. Sed quaenam sunt Anniversaria, quae hoc gaudent privilegio? Non alia praeter illa, quae *ex dispositione* Testatorum quotannis, recurrente ipsorum obitus die, solemniter cum cantu celebranda sunt. Haud igitur privilegium hujusmodi trahi potest ad alia Anniversaria, quae pro lubitu fiunt, aut ex consuetudine, aut ex quadam lege Instituti, aut ex alia quacumque causa. Nemo ignorat, privilegia stricte esse accipienda, neque extendi posse ad casus non expressos. Itaque nedum attenta peculiari *Franciscanorum rubrica* de non celebrandis Anniversariis in quocumque Festo ritus dupl., et S. *hujus C. Decreto in una Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Provinciae majoris Poloniae 11. Maji 1754*, quatuor illa Anniversaria, de quibus in dubio, celebrari minime poterunt in occursu cujuscumque Festi ritus duplicis per annum.

Ad dubium Confraternit. Clericorum Sacerdot. Ulixbonen.: an in fer. 2. post Dominicam infra octavam Omn. SSrum., festo classico non occupata, in qua pro animabus Confratrum cantatur Officium def. cum solemnitate, cantari debeat missa de Requiem? S. C. resp.: *Pro gratia,* quando Anniversarium fiat in festo dupl. *min.*, quodsi Anniversarium contingat in festo altioris ritus, debet illud praecedenti die celebrari. n. 4072 ad 2 die 8. Martii 1738.

Confratres Confraternit. Mortis Januen. speciali Instituto solent qualibet fer. 2. a festo dupl. minime impedita in Oratorio Confratern. recitare Officium def. et assistere Missae de Req., quae in cantu celebratur pro anima cujuslibet confratris nuperrime defuncti, eoque deficiente, pro universitate eorundem confratrum; verum quia ob frequentiam SSrum. duplicium occurrentium in dictis feriis 2. saepius dicta missa dici non potest in cantu celebrari, confratres supplicarunt, quatenus ad promptius Suffragium praestandum Animabus eorum confratrum facultatem celebrandi in Oratorio singulis fer. 2. etiam a festo dupl. impeditis, unicam tantum missam in cantu impertiri dignaretur. S. C. resp. et Oratoribus gratiam petitam exceptis tamen dupl. 1. et 2. cl. ac festis de praecepto benigne concessit. n. 4116 die 8. Julii 1741.

Cum ex particula Calendarii Ecclesiae Sapientiae Urbis praescriptum sit, singulis annis diebus Mercurii, Veneris et Sabb. ultimae hebdomadae Carnisprivii tempore vacationum a studiis, tres celebrandas esse exequias; cumque eaedem juxta decreta enunciatis diebus ob occurrentiam SSrum. duplicium minime peragi nec ad aliam diem ratione assistentiae Advocatorum Consistor. et Professorum transferri possint: propterea pro indulto illas in

posterum celebrandi in praefatis diebus etiam Sancto dupl. occurrente supplicatum fuit. S. C. resp.: Hujusmodi instantiae juxta petita annuendum esse. n. 3996 die 20. Febr. 1731.

Ubi adest consuetudo cantandi missam de Req. pro Confratribus alicujus Societatis die immediate sequente festum Patroni ipsius Societatis, poteritne missa praedicta cantari, etsi ea die recitetur Officium duplex, modo non sit festum de praecepto feriandum aut 1. classis? S. C. resp.: Tenore decreti 19. Sept. 1654, a confratribus Societatis non possunt celebrari exequiae, nisi in prima die non impedita ab Officio duplici. n. 4175 ad 7 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium: an missae de Req. possint cantari pro benefactoribus def. ad petitionem haeredum quavis die, etiamsi non sit dies obitus, vel anniversarii, occurrente festo dupl. maj. et minori sed non de praecepto seu festivo? S. C. resp.: *Negative.* n. 4244 ad 4 die 11. Maji 1754.

Ad dubium: an Fratres ord. Min. Portugalliae infra octav. Omnium SS. Anniversarium pro animabus regis Petri II. et reginae Mariae nec non alia tria anniversaria pro omnibus def. Religiosis Provinciae eorumque parentibus et Provinciae Patronis sol. celebrare possint illis diebus ab officio dupl. impeditis? S. C. resp.: Quoad primum Annivers. pro gratia, in reliquis servetur decr. Alex. VII. 5. Aug. 1662. n. 4249 ad 1 die 11. Januarii 1755. (Hoc decr. est sub: *Missa priv. de req. in dupl.;* decr. n. 2178.)

In Ecclesiis, in quibus anniversaria celebrantur *undecimo mense* a die obitus, si illa die occurrat Off. dupl. non festivum, potest cantari missa de Req., ac in ipsa die anniversaria, dummodo dies illa vel ex locorum consuetudine vel ex testatorum dispositione statuta et fixa sit pro celebrandis dictis anniversariis. n. 4299 ad 12 die 3. Mart. 1761.

Ad dubium: Utrum ex *privata devotione* Parochianorum petentium saepius per annum Anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus et aliis defunctis missa sol. in rural. Ecclesiis cantari possit de Req. in festo dupl. minori, altera missa cantata de festo, ubi adsunt plures vel saltem duo Sacerdotes? S. C. resp.: „Affirmative, dummodo sermo sit de die vere anniversario a die obitus. n. 3565 ad 10 die 19. Junii 1700.

Ad dubium: Anniversaria, quae celebrantur a Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus etc. pro omnibus in genere Canonicis, Confratribus etc. defunctis possuntne celebrari, si in illis diebus occurrat Officium duplex? S. C. resp.:

„Negative juxta Decreta praesertim in Corduben. diei 5. Dec. 1733.“ n. 4669 ad 55 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: Quando Officium solemne, seu Anniversarium pro Animabus omnium defunctorum Confratrum alicujus Congregationis fit in festo dupl. maj., poteritne cantari Missa *de Requie,* praesertim ubi jam adest antiqua praxis, et consuetudo?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „In duplicibus non licere Missam *de Requie* nec cum cantu celebrari absque Apostol. Indultu hujus S. S.

Atque ita rescripsit, propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 5 die 7. Sept. 1850.

e) Dies fixus.

Capitulum Cathedr. Neriton. supplicavit, ut Anniversaria, ut hactenus ex permissione Episcoporum egerunt, possint in posterum in feriis secundis cujuslibet hebdomadis, licet a testatoribus *certis diebus* assignata, absolvere; S. C. resp.: Tuta conscientia nullatenus

potuisse nec posse hujusmodi consuetudinem introducere et retinere. n. 1851 die 17. Nov. 1657.

f) In die obitus.

Vd. *Anniversar. (ex dispos. testat.); Anniversarium* (transl.; dies).

Missae de Requiem possunt cantari in Ecclesiis Regul. Minor. Provinciae Poloniae pro benefactoribus def. in die obitus illorum occurrente festo dupl. minori et majori, sed non de praecepto seu festivo. n. 4244 ad 3 die 11. Maji 1744.

g) Infra octavas privileg.

Anniversaria adimplenda non sunt infra octavas privilegiatas. n. 4119 ad 4 die 2. Sept. 1741.

(Vd. Anniversar. transl. — dies — decr. n. 3604).

4) Episcopi defuncti.

a) Assistentia Canonicorum.

Canonici Cathedralis Nicoterae tenentur assistere celebrationi diei anniversariae obitus Episcopi praedecessoris immediati absque ulla recognitione. n. 3713 die 21. Mart. 1705.

b) Obligatio.

Vd. *Tumulus.*

Episcopus Egitaniens. conquestus est de Canonicis Cathedr. renuentibus facere Anniversarium pro Episcopo praedefuncto sub praetextu, quod in Constitutione synodali super anniversario Episcopi praedefuncti sit apposita poena, quae non reperitur in Caeremoniali. S. R. C. mandavit: Servari Caeremoniale et contravenientes mulctari in poenam constitutionis synodalis. n. 848 die 16. Febr. 1630.

Ad dubium: Caditne sub praecepto Anniversarium pro antecessore Episcopo defuncto omnibus annis, ut in Caeremoniali?

Et S. eadem R. C... respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „Affirmative."

Atque ita statuit, et decrevit, die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 9.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Nedum decet, verum etiam omnino debet Anniversarium celebrari pro Episcopo ultimo loco defuncto. Rubrica namque *Caeremonialis lib. 2, cap. 36* praeceptivis utitur verbis: *Episcopus vivens Praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro ejus Anima singulis annis in die obitus anniversarium celebrare, vel saltem Missae pro ejus anima ab aliqua Dignitate, vel Canonico celebrandae praesens assistere, et in fine absolvere.* Ideo S. R. C., instante Episcopo Signino pro declaratione dubii: *An ipse posset compellere Canonicos ad canendam Missam pro Anniversario Episcopi ultimo loco defuncti?* Eadem S. C. sub die 23. Nov. 1653 respondit: *In hoc servandam esse dispositionem Caeremonialis:* quod perinde valet, ac si respondisset: *affirmative, et compelli posse Canonicos ad praescriptum Anniversarium, quod Caeremoniale omnino praecipit per verbum* „debet."

Ad dubium: an quotannis in Cathedr. Tiburtina celebrandum sit anniversarium pro anima ultimi Episcopi defuncti, die ipsius obitus recurrente, quod nunquam fuit celebratum? S. C. resp.: Affirmative. n. 4603 ad 4 die 27. (30.) Mart. 1824.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Est certe mirandum, quod in Cathedrali Tiburtina numquam celebrari consuevit Anniversarium pro ultimo Episcopo defuncto, secus ac jubent Caeremoniale Episcoporum, et Concilium provinciale Romanum. Illud nam-

que districte id praecipit *lib. 2, cap. 26: Episcopus vivens Praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro ejus anima singulis annis in die obitus celebrare, vel saltem Missae ab aliqua Dignitate, vel Canonico celebratae assistere, et in fine absolvere.* Praeceptiva pariter sunt duo Anniversaria, quae in praefato Concilio *tit. 15, cap. 5.* praescribuntur pro defunctis Episcopis: *Et ipsius Caeremonialis Episcoporum mandato in universis cujuscumque Civitatis, et Dioecesis Cathedralibus, et Collegiatis aliisque conventualibus, seu receptitiis Ecclesiis, praeter solemne Anniversarium pro ultimi defuncti Episcopi anima in ejus die obitus celebrandum, alterum etiam per singulos annos agendum decernimus in perpetuum pro omnibus propriis Dioecesis Episcopis infra praedictam fidelium omnium defunctorum Octavam.* Sed quod magis admirationem excitat, est audire, quod numquam hoc Anniversarium celebratum sit contra expressum praeceptum, quod legitur in Synodo Tiburtina *tit. 11. de Sacrificiis Missarum 7: praeter solemne Anniversarium pro Anima ultimi Episcopi defuncti in ejus die obitus celebrandum, alterum etiam per singulos annos agendum decernimus pro omnibus hujus Dioecesis Episcopis etc., ad quae Anniversaria omnes omnino Canonici, et Beneficiati convenire sub poena punctaturae teneantur.* Meum non est tantae ascitantiae originem, et causas scrutari; nemini forte ex illis, qui modo Capitulum, Clerumque Cathedralis componunt, id culpae vertendum est, imo potius commendandi omnes sunt, si ad Sacram Congregationem una cum Episcopo confugerunt, ut docerentur, quid ab ipsis in posterum agendum sit. Modo igitur composita res est, postquam proposito Dubio responsum fuit: *Affirmative.*

Ad dubium: Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 20. injungit Episcopo, ut memoriam habeat praedecessoris sui proxime defuncti: Quid faciendum, si proximus Praedecessor translatus sit ad aliam Ecclesiam. S. C. resp.:

„Illius Episcopi, qui decessit Cathedram tenens.“ n. 4669 ad 18 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: an Episcopus possit compellere Canonicos ad canendam missam in Anniversario ultimo loco defuncti Episcopi? S. C. resp.: Servari Caeremoniale. (Lib. II. c. XXXVI.) n. 1690 die 22. Nov. 1653.

Ad dubium: Omissum semper fuit Anniversarium pro ultimo Archiepiscopo defuncto ex cap. 36 lib. 2 Caeremonialis, cura et impensis Capituli quotannis faciendum. Putant quidam Canonici se ad id non teneri tum quia omni tempore factum est ita, tum quia superiores Archiepiscopi, si aliquibus cordi fuit hoc annuo suffragio post mortem frui posse, congruos census Mensae Capitulari in perpetuum legarunt? S. C. resp.:

„Servandam esse dispositionem Caeremonialis.“ n. 4672 ad 14 die 12. Nov. 1831.

Nota Gardell. ad hoc decretum.

Non alia dari poterat ad hoc dubium responsio, quam ea, quae data est, quaque ad servandam Caeremonialis dispositionem quisque tenetur: tam enim clara, tam absoluta est haec dispositio, ut nullum prorsus dubium super ea possit excitari. Hinc mirum est quomodo hoc dubium Sacrorum Rituum Congregationi proponi potuerit. Quod fuerit semper omissum, omissioni non favet, neque idcirco in posterum omittendum, quia huc usque fuit omissum: aliter per omissiones Leges omnes inutiles essent, et brevi deperirent, quod absurdum omnino est. Omitti

autem in posterum non posse, satis ostendunt verba Caeremonialis, quae leguntur lib. 2 cap. 36, et quisque, si attente consideret, id sibi facile persuadebit. Quod autem in dubio additur, ad hanc aliquo modo protuendam omissionem, quod nempe sic factum omni tempore fuerit, et a quibusdam putetur congruos census ad hoc Anniversarium celebrandum ab Episcopis relinqui oportere, si hoc post mortem vellent anniversarium celebrari, et id quia illorum aliqui dictos census reliquerunt, haud sane omissioni potest suffragari. Si loquamur de Anniversario perpetuo, facile concedimus; quia Caeremoniale non de omnibus Episcopis disponit, et tunc si celebranda sint perpetuo Anniversaria, census pro perpetua celebratione sunt relinquendi. Ast hinc non est de his sermo, sed de Anniversario *ultimi* Episcopi defuncti. Quando de hoc agitur, Caeremoniale Episcoporum nihil de censu relinquendo innuit, sed absolute celebrandum Anniversarium edicit, quod quidem praeceptum importat, et ab omnibus ubique et semper servari debet, et revera servatur. Plura hic addere supervacaneum est, et legi poterunt, quae in *Tiburtina* apposite ad rem adnotantur.

5) Fundatio.

Haeredes et executores testamentarii cogi non possunt, ut pro cadaveribus, quae tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis parochialibus celebrari etiam faciant Anniversaria, prout celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus sepeliuntur. n. 933 ad 2 die 22. Apr. 1633. Idem decretum est. n. 992 die 19. Nov. 1633.

6) Generale Confrat. Ordinis.

Cf. *Commemorat. omnium fidel.* † *Confr. Ordinis.*

Anniversarium Ordinis, quod *generalissimum* dicitur, celebrari posse, quamvis fiat Officium dupl. minus juxta peculiares rubricas Breviarii Ordinis Minorum. n. 214, 219 et 222. n. 4549 ad 3 die 25. Aug. 1818.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Venio ad Anniversar. generalissimum, quod ex peculiari Franciscanorum *rubrica num. 215* fieri debet post Festum Sanctorum trium Ordinum, die item proxime non impedita. Hoc autem celebrari poterit, etiamsi occurrat Festum ritus dupl. min. cum in altera *rubrica num. 219* dies impediti enumerentur festivi de praecepto, aut in quibus expositum est Augustissimum Sacramentum, aut occurrunt Festa ritus dupl. maj. vel altioris. Ita etiam declaratum video ab hac S. C. *in Einsidlen. 5. Maji 1736.* Et jure id quidem. Nam Anniversarium, in quo fit commemoratio solemnis omnium defunctorum alicujus regularis Instituti per Christianum Orbem extensi, aequiparatur solemnitati commemorationis omnium fidelium, iisdemque gaudet privilegiis, uti colligitur ex Decreto supra laudato, dummodo tamen certa habeatur assignata dies, ut in more est apud Franciscanos, qui hanc commemorationem facere tenentur post Festum omnium Sanctorum Ordinis, nisi occurrat aut Festum de praecepto aut Officium dupl. I., vel II. cl., aut etiam ritus dupl. maj. Et revera si commemoratio omnium fidelium def., quae communis est omnibus Ecclesiis, gaudet indulto, ut de ea fiat, etiamsi habeatur Festum ritus dupl. min., vel occurrens, vel translatum, cur nequibit eodem frui commemoratio defunctorum alicujus Ordinis regularis, quae non minus celebris est respective ad ejusdem Ordinis Ecclesias, in quibus eadem statuta die peragi debet?

Altera hic quaestio fieri potuisset, nimirum: *an, si fiat ea die Officium*

fest. rit. dupl. min. vel occurrentis, vel translati, missae privatae celebrari debeant de festo vel de requiem? Dubium solvit praefatum decretum in Einsidl., in quo legitur: *Omnes missae priv. dicuntur pro def. in paramentis nigris; Cavalerius* tamen oper. tom. 3. c. 7. decr. 2. n. 2. Dubium excitat: *an item Missae privatae* de Requiem *dici debeant, aut possint si pro Anniversario non applicentur?* Et in negativam propendit sententiam: *Quia privilegium in gratiam defunctorum, de quibus commemoratio solemnis agitur, et in uberius eorumdem suffragium, quo Missae de requiem pro iis de Festo gaudere creduntur, praecipue factum extitit.* Huic opinioni adhaerendum non esse videtur; ex ea namque sequeretur, quod minime posset in Ecclesiis Regularium, ubi fit generalis isthaec commemoratio, si incidat cum Festo ritus dupl. min., dici Missa *de requiem* pro defuncto in particulari, sed possit dumtaxat, si applicetur generatim pro omnibus; contra ac statuit S. C. quoad commemorationem omnium Fidelium defunctorum in una *Dalmatiarum 4. Aug. 1663, Ordinis Capucinorum 15. Febr. 1710, et in Aquen. 2. Sept. 1741.* Errat autem, aut non clare se explicat Scriptor caeteroqui doctissimus, addens: *Idem judicium facito de commemoratione omnium Fidelium defunctorum, ita ut, occurrente Festo dupl. min., solum illae Missae de requiem dici queant, quae pro defunctis generatim applicari debent.* Illud enim *generatim* cum accipi possit de applicatione indistincte pro omnibus, indiget declaratione, videlicet: quod juxta Decretorum sensum omnes Missae privatae celebrari debeant *de requiem;* et quod applicari nequeant, nisi pro defunctis, vel in genere pro omnibus, vel in specie pro uno alterove. Pari modo eadem regula sequenda est in commemoratione generalissima defunctorum alicujus Ordinis regularis, ita ut in Ecclesiis, in quibus haec fit commemoratio, aliae privatæ Missæ celebrandae non sint, nisi *de requiem* pro defunctis cum libera applicatione pro omnibus, vel pro aliquo defuncto in specie; etiam si is non pertineat ad illud institutum, pro cujus Alumnis fit commemoratio. Quamobrem si quis ea die, in qua generalissimum hoc fit Anniversarium, velit, aut teneatur legere Missam occurrenti Officio convenientem, id facere nequibit ea in Ecclesia, in qua omnes privatae esse debent *de requiem,* sed poterit alia in Ecclesia suae devotioni, aut oneri satisfacere.

7) Obligatio ex parte haeredum.

Vd. *Missa de Req.* (Novendialia; decr. n. 983).

8) Officium.

Vd. *Officium defunct.* (Omissio.)

9) In Oratoriis.

Vd. *Orator.* (missa); *Anniversar.* (dies *ad libitum,* decr. n. 4116.)

Non posse Cappellanos Confraternitatum in Oratoriis publicis missas def. in anniversario Confratrum pro legatis piis cantare. n. 3451 die 14. Decembris 1697.

Non licet Confratribus sacco indutis celebrare mediante eorum Cappellano Anniversaria, quae cum missis sol. sive minus sol. celebrari solent in eorum Oratorio. n. 3832 ad 4 die 22. Nov. 1710.

Ad dubium: an liceat Confraternitati S. Rosarii Burgi celebrare in Oratorio Anniversaria et Officia tam fixa seu ex obligatione, quam etiam manualia cum assistentia aliorum Sacerdotum sine assistentia parochi? S. C. resp.: Affirmative. n. 3910 ad 11 die 9. Julii 1718.

10) Pontificis M. defuncti.

(Missa.)

In quadam Cathedrali in Anniversario SS. Pontificis cantatur tertia Missa in Ordine cum Oratione: *Deus indulgentiar. Domine etc.* Quaeritur: an dicta missa et Oratio legi possit? S. C. resp.: Negative et dicendam primam missam cum oratione: *Deus, qui inter summos Sacerdotes etc.* n. 4536 ad 13 die 4. Junii 1817.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Ad reprobandum morem, de quo in eodem dubio, satis esset auctoritas Scriptorum de re liturgica, quos inter Gavantus ad Rubricas Missalis parte 4. tit. 17 num. 6 haec habet: „In die Depositionis, et Anniversario Summi Pontificis dicitur prima Missa, quia, quae raro adhibentur, pretiosa reputantur, neque quotidiana vilescunt consuetudine.“ Amalar. lib. 3 cap. 40: Et ideo Missa semel in anno constituta in Commemoratione omnium fidelium defunctorum dici jubetur in exequiis Summi Pontificis, et Episcoporum: Et Meratus ad hunc locum: Dicitur Missa, prout describitur a Gavanto supra cum Oratione: Deus, qui inter Summos Sacerdotes etc. illa nempe, quae est prima inter Orationes diversas pro defunctis cum sua Secreta, et Postcommunio. Quid tam interest ad Scriptorum auctoritatem confugere, dum clara est, nec indiget interpretatione rubricarum regula? In illa, quae praemittitur Orationibus diversis pro defunctis, ita legitur: In die Depositionis, et Anniversario Summi Pontificis dicitur prima Missa, praeter Orationes, quae dicuntur ut infra: Deus, qui inter Summos Sacerdotes, etc. Cum igitur per hanc Rubricam regula servanda tradatur cum in exequiis, tum in Anniversario Summi Pontificis, eadem tenenda est, neque licet pro arbitrio praescriptae aliam sufficere Missam, ac diversas Orationes recitare.

11) In quatuor tempor.

(Dies.)

Vd. *Annivers.* (dies *ad libitum*)*; Annivers.* (alia missa etc. decr. n. 4237.)

Ad dubium: an Anniversaria, quae ex diversorum testatorum voluntate sunt a Capitulo Cathedr. Wilnen. praesertim circa singula quatuor anni tempora in cantu celebranda, absolvi possint in festo dupl. maj. per annum, non tamen de praecepto etiamsi dies ille non sit vere dies anniversarius defuncti? S. C. resp.: Affirmative. n. 4237 ad 1 die 22. Dec. 1753.

12) Quod est?

Ad dubium: an sub nomine Anniversarii intelligi debeat sola missa *cantata* de requie, vel etiam illae missae *privatae* de Requie, quas Testatores sibi relinquunt celebrandas pro suffragio in die anniversario eorum obitus et an occurrendo similia Anniversaria debeant celebrari dictae missae privatae de Requie? S. C. resp.: Anniversarium constat tantum missa de requie *cantata;* alias missas non complectitur; et ideo in dupl. sunt dicendae de festo occurrente et applicandae juxta mentem Benefactorum. n. 2919 ad 3 die 6. Apr. 1680.

Ordinis Carmelitarum Excalceatorum.

Quum Prior Coenobii Ordinis Carmelitarum Excalceatorum S. Mariae de Victoria in Urbe S. R. C. pro opportuna solutione proposuerit sequentia dubia, nimirum:

1. Utrum quum ex Testamento legatur Anniversarium, vel Anniversarium Solemne, per hoc unum praecise nomen Anniversarii, vel Anniversarii Solemnis, intelligendum sit onus Missae Solemnis dumtaxat, an Officium etiam

Defunctorum cum tribus Nocturnis cum Laudibus, quando per Testamentum id expresse non jubetur?

2. Utrum quando a Testatore simpliciter legatur Officium, intelligendum sit totum Officium Defunctorum, id est, Vesperas, et tria Nocturna cum Laudibus, an potius unum dumtaxat Nocturnum conveniens diei, in quem incidit Anniversarium una pariter cum Laudibus? S. eadem C. in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, audita infrascripti Secretarii relatione respondendum censuit:

Ad 1. „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Ad 2. „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam."

Atque ita rescripsit. n. 5212 die 21. Julii 1855.

Cf. *Missa de Req. cantata ex devotione* (decr. n. 4765).

13) Sacerdotis defuncti.

Vd. *Missa de Req. in die Obitus † Sacerdotis.*

14) Cor. expos. SSmo.

Vd. *Missa de Req. de die obit. cor. SSmo.* (decr. n. 5086.)

15) Solemne vot. ex fundatione.

Vd. *Missae* (non sunt duae cantandae etc.); *Missae duae.*

Cum missae sol. annivers. de festivitatibus SSrum. in majori Cathedralis Gadicen. altari, praesente toto capitulo, celebrentur, quaeritur: num hae missae sol. celebrari possint occurrente festo dupl. et maxime, quia tunc casus, si celebrentur, datur, quod de eadem festivitate eodem die duae missae sol. in eodem principali altari dicantur? S. C. resp.: In casu de quo agitur, duplex de eodem occurrenti sol. festo cantabitur missa, una videlicet pro fundatione post Primam altera conventualis post Tertiam. n. 4227 ad 3 die 26. Aug. 1752.

16) A quo tempore computandum?

Vd. *Anniversarium transl.*, (dies; decr. n. 5220.)

Ad dubium: Utrum Anniversarium computari debeat a die ipsa obitus, vel a sequenti, si mors sequatur post occasum solis, vel ante mediam noctem?

Et S. R. C... respondendum censuit:

„Posse computari a die ipsa obitus, vel a sequenti, juxta diversam Ecclesiarum consuetudinem."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5220 ad 3 die 21. Julii 1855.

17) Translatio.

(Vd. *Oratio in Annivers.*)

Capitulum Collegiatae Castri Arquati tenetur ex dispositione qualibet die lunae aut veneris cujuslibet mensis non impedita celebrare Anniversarium J. B. Bagarotti, et alium anniversarium die 2. Mart. cujuslibet anni pro † Taxi; cum dicta dies 2. Martii aliquando occurrat die lunae vel veneris, quo celebrandum est Anniversarium Bagarotti, utrum possit transferri illud pro Taxi, praecipue cum in eadem Collegiata ultra dictum Anniversarium celebretur etiam missa conv. et habeatur s. concio? S. C. resp.: In casu, de quo agitur, transferri Anniversarium Taxi in diem proxime sequentem non impeditam. n. 2977 die 28. Febr. 1682.

18) Translatum.

Missa de Req. cantata (ex devotione).

a) Dies.

Anniversaria perpetua in die obitus quotannis celebranda, si contingat transferri ultra aliquas octavas privileg., non possunt celebrari in dupl. maj. n. 3604 ad 3 die 3. Dec. 1701.

Ex Indulto Fratres Ord. Carmelit. Berdiczaviae Dioec. Kiovensis in fer. 2. cujuslibet hebdom. etiam occurrente officio dupl., non tamen 1. vel 2. cl.

et festis de praecepto, celebrare possunt Anniversaria translata. n. 4380 die 1. Mart. 1777.

Ad dubium: 1. Utrum Anniversaria pro Defunctis ad instantiam vivorum, si cadant in diem impeditam, transferri possint?

2. Et quatenus negative, utrum dies anniversarius computari possit a die depositionis, si dies anniversaria ab obitu sit impedita?

3. Utrum Anniversarium computari debeat a die ipsa obitus, vel a sequenti, si mors sequatur post occasum solis, vel ante mediam noctem?

Et S. R. C... respondendum censuit:

Ad 1. „Transferri debere ad diem non impeditam Festo duplici.

Ad 2. „Negative juxta Decretum in Curien. diei 16. Junii 1700."

Ad 3. „Posse computari a die ipsa obitus, vel a sequenti, juxta diversam Ecclesiarum consuetudinem."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 5220. Die 21. Julii 1855.

Brixien.

Ad dubium: An Anniversaria occurrentia in diebus Festivis, aut impeditis, a Testatoribus tamen non adsignata, transferri valeant ad aliam diem, in qua occurrat Officium ritus duplicis minoris, in eaque praeter Officium, etiam Missa *de Requie* decantari possit, ut in Anniversario. S. C. resp.: „Posse juxta Decretum in una Papien. diei 17. Martii 1629, sed petendum Indultum." n. 4694 ad 1 die 28. Julii 1832.

b) Missa.

(Vd. *Oratio in annivers.*)

Si Anniversarium anticipetur aut postponatur per aliquos dies, potest dici missa ut in anniversario. n. 3477 ad 16 die 5. Julii 1698.

In anniversariis defunct. ob aliquod impedimentum a proprio die translatis, quaevis dicatur missa, sive ut in anniversario sive ut in quotidianis, verba in oratione: *cujus anniversarium depositionis diem commemoramus etc.* non sunt varianda. n. 4237 ad 2 die 22. Dec. 1753.

ANNULUS.

1) Canonicorum, Protonot., Dignitar. etc.

Vd. *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 8; n. 4882 etc.) *Protonotar. apost.* (missa).

Ad dubium: An prohibitio circa delationem annuli, quando Protonotarii celebrant, comprehendat etiam Canonicos Cathedralis? S. R. C. resp.: „*Affirmative.*" n. 780 die 20. Novbr. 1628; n. 863 die 22. Junii 1630.

De rigore uti non debent Canonici annulo aureo in missa celebranda. n. 2241 ad 11 die 4. Aug. 1663.

Non licere Protonot. apostolico Baren. inter celebrandum deferre annulum in digito. n. 2676 die 3. Martii 1674.

Praepositus alicujus Ecclesiae non potest tuta conscientia etiam attenta immemorabili consuetudine uti annulo, nisi constito sibi de speciali Sedis ap. indulto. n. 1834 die 4. Aug. 1657.

Canonicis permitti non debet celebrare missas cum annulo lapide pretioso ornato. n. 3597 ad 8 die 10. Sept. 1701.

Prior Ecclesiae commendatae Aquae Sextiae non potest celebrare cum annulo cum gemma sine speciali indulto. n. 3679 ad 2 die 12. Apr. 1704.

Ad dubium: an Dignitates et Canonici Metrop. Urbinaten. uti possint annulo, cruce pectorale cum gemmis, caligis et sandaliis, chirotecis praesertim auro ornatis? S. C. resp.: Affirmative juxta modum; modus est, quod *in missis sol.* decantandis solus Celebrans uti possit enunciatis indumentis auro non ornatis, nec non annulo cum unica gemma et cruce pectorali

sine gemmis et amplius. n. 4224 ad 1 die 29. Jan. 1752; n. 5209 ad 1 et 6 die 21. Junii 1855.

S. Severi.

Quum a s. m. Pio Papa VII. Canonicis, quibus conceditur usus Pontificalium, uti ex Brevi eruitur, concedatur et usus Annuli, quaeritur: an eodem Annulo uti debeant etiam dum celebrant, vel Pontificalibus assistunt? Si praeter hos casus adhibere valeant Annulum cum gemmis? Tandem: an id, quod statuitur pro Canonicis, servari etiam debeat pro aliis, qui Canonicali Dignitate non cohonestantur, ut sunt Parochi?

Et S. eadem C.... respondendum censuit:

„Exhibeat exemplar authenticum Litterarum Apostolicarum in forma Brevis s. m. Pii Papae VII.“ n. 4752 ad 2 die 23. Maji 1835.

2) **Doctoris.**

Ad dubium: Utrum Sacerdotes, qui gradus sunt asseculi in aliqua Academia, vel Universitate facultatem tribuente gestandi annulum, hoc gestare queant in digito, sicut Praelati gestant?

Et S. eadem C.... rescribendum censuit.

„Permittitur, praeterquam in Eccl. Functionibus juxta alias decreta.“

Et ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 5035 ad 6 die 23. Maji 1846.

3) **Episcopi.**

a) Quis imponit?

Ad dubium: an prima Dignitas Episcopo parato s. paramentis teneatur imponere annulum ad formam Caeremonialis? S. C. resp.: Servetur Caerem. lib. I. c. 7 n. 1. n. 3623 ad 3 die 18. Mart. 1702.

b) Quot?

Unus tantum datur Episcopo Annulus in Caeremoniali. n. 2381 ad 1 et 2 die 18. Sept. 1666.

4) **Nuptialis.**

Vd. *Bened. Annuli Nuptiar. secundarum.*

ANNUNCIATIO B. V. M.

1) **Missa licita.**

Vd. *Annunciatio* (Transl.; decr. n. 3893; 4526.)

Canonicis Cathedr. Camerin. petentibus, an ipsis liceret plures missas celebrare fer. V. in Coena Dom., in qua festum ss. Annunt. B. V. M. incidat? S. C. resp.: Licere et jussit ut a Cardinali Vicario singularum Ecclesiarum Urbis Rectoribus idem notificetur. n. 2040 die 20. Mart. 1660.

2) **Missa non licita.**

Cf. *Annunt.* (Transl. decr. n. 3202; 3274.)

Si festum Annuntiationis B. V. M. venerit fer. V. vel VI. hebd. maj. seu Sabb. s. aut in Dom. Resurrectionis vel duobus sequentibus diebus nec in sacra domo Lauretana nec in Civitate dictis diebus etiam clausis januis Missam de B. V. M. celebrare licitum est. n. 308 ad 2 die 9. Maji 1606.

In Ecclesia Monialium Ordinis s. Benedicti sub Invocatione SS. Annuntiationis occurrente in fer. 3. hebdom. maj. non licet celebrari missam sol. de festo praedicto. n. 3466 die 15. Mart. 1698.

Occurrente Festivitate Annuntiationis B. V. M. in aliqua Dominica Quadrag. non fit de Annunt. nisi in Ecclesiis *Titularibus* (dedicatis Annuntiationi). n. 461 die 1. Sept. 1612.

Non licet in dominica Palmarum celebrare missam sol. de Annuntiatione B. V. M. ratione Concursus. n. 1816 die 10. Mart. 1657.

3) **Translatio.**

Cf. *Episcopus* (vestis; decr. n. 3809). *S. Benedictus; Missa priv. in Coena Dom.; S. Joseph; Sabb. s.* (missa priv.)

Gubernatores ss. Annuntiationis Neapolis S. C. supplicarunt, dignaretur facultatem tribuere celebrandi solemnitatem ss. Annuntiationis *Dominica in albis* hoc anno, in quo cadit translatio die s. Athanasii protectoris civitatis, nempe fer. 2. post dominicam in albis, S. C. resp.: *Obstare rubricas.* n. 2042 die 20. Mart. 1660.

Occurrente Annunt. B. V. cum festo 7 dolorum, Vd. *Septem dolores B. V.* S. C. concessit *Ordini Minimorum*, ut quando propter hebdom. s. et Paschalem Resurrectionis transferri contingerit ad primam diem non impeditam tam Officium SS. Annuntiationis quam illud s. Francisci de Paula eorum Fundatoris, ab ipsis recitetur dicta prima die illud SS. Annunt., prout recitatur ab Ecclesia universali, et die seq. illud s. Francisci, non obstante dispositione rubricae in contrarium. n. 2548 die 13. Jun. 1671.

Quando contingit transferri festum s. Joseph et Annuntiationis B. V. M. (quae sunt ambo 2. cl.) debet prius reponi festum, quod prius in Calendario celebrandum erat. n. 2988 ad 5 die 13. Junii 1682. Hoc decretum sublatum est per sequens: *Prius recitandum Officium translatum de Annuntiatione.* n. 3005 ad 6 die 28. Dec. 1682; n. 4988 ad 2 die 7. Dec. 1844. Aliud decret. de eadem controversia est sub n. 3196 ad 1 et 2 die 30. Julii 1689: Eadem festa (s. Josephi et Annunt.) transferenda esse eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus et in concurrentia integras vesperas recitandas fore de Annuntiatione cum commemor. s. Josephi.

Ad relationem: Cum *Sabb. s.* occurrat festum Annuntiationis B. V. M., dubitatum fuit: An debeant celebrari missae *priv.* ad effectum, ut Christifideles commode satisfacere possint praecepto audiendi missam? S. C. resp.: Praedictum festum Annunt. B. V. M. *una cum praecepto audiendi missam et vacandi ab operibus* in Ecclesia Universali transferri debere ad fer. 2. p. Dom. in Albis protractis omnibus aliis festis, quae non sint altioris ritus, ad aliam diem juxta rubricas. Celebrationem quoque missarum *dicta die Sabb. s.* omnino prohibendam in quibuscunque Ecclesiis et Oratoriis privatis, non obstante quacunque consuetudine in contrarium et unicam missam conv., una cum Officio ejusdem Sabb. s. celebrandam fore. n. 3202 die 12. Febr. 1690; n. 3204 die 11. Mart. 1690; n. 3301 ad 13 die 10. Jan. 1693.

Prohibitionem missarum privatarum in Sabb. s. juxta decr. de 12. Febr. 1690 non fuisse pro illo tantum anno, in qua occurrebat Solemnitas Annunt. B. V. M. sed servandum singulis annis imposterum juxta priscam ecclesiae praxim et doctrinam. n. 3274 die 26. Apr. 1692.

Ob specialem reverentiam Dominicae Incarnationis speciali hoc privilegio decorandum censuit S. C. festum Annunt. B. V. M., ut, quotiescunque posthac contigerit festum praedictum, etiam quoad solum Officium post octavas Paschae transferri, semper festis aequalis ritus praeponatur, licet temporis ordine illis sit in Calendario posterius. n. 3282 die 14. Junii 1692.

Festum Annuntiationis B. V. M. incidens in fer. VI. et Sabb. s. hebdom. maj. est transferendam in fer. 2. post dominicam in Albis, etiamsi in eadem feria 2. occurrat festum dupl. aut semidupl. n. 3637 ad 1 die 9. Dec. 1702.

Etiam in Monasterio s. Galli nullius Dioecesis in Helvetiis est transferendum in fer. 2. dictam, et non festum s. Benedicti, quod est transferendum juxta rubricas. *Ibid. ad 2.*

Cum Festum Annuntiationis B. V. M. anno proxime venturo incidat in tertiam diem Paschatis Resurrectionis D. N. J. Christi, et propterea veniat trans-

ferendum, Episcopus Frisingen. humiliter Sac. Rit. Congregat. supplicavit declarare: an dies in quem erit transferendum, observandus sit tanquam Festivus de praecepto?

Et S. eadem R. C. respondit:

„Negative." n. 3653 die 23. Jun. 1703.

Ex antiquissimo Indulto Apostolico celebratur quotannis Festum S. Vincentii Ferreri principalis Patroni Regni Valentiae in Feria 2. post Dominicam in Albis, ut in die proprio; at in eadem Feria celebrari debet Festum Annuntiationis B. M. V. cum exclusione alterius cujuscumque Festi, etiam hoc sit majoris ritus et dignitatis, cum transfertur simul quoad Forum et Chorum, uti expresse habetur in Rubrica 96. Breviarii Romano-seraphici ultimo reformati. Quo posito quaeritur:

An dictum Breviarium sequentes in casu ei se conformare debeant, aut cum reliquo Clero, qui Festum S. Vincentii celebrat, uti fecit Dioecesis Oriolensis anno 1796, forte contra Decretum die 2. Septembris 1741?

S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emi., et Rmi. D. Card. de Somalia Urbis Vicarii, dictae Congregationis Praefecti, et Ponentis, rescribendum censuit:

„Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam."

Et ita declaravit. n. 4474 ad 3 die 2. Maji 1801.

Cum Festum SSmae. Annuntiationis sequenti anno 1717 incidat *in feriam V.* Majoris Hebdomadae, praeceptum audiendi Missam et abstinendi a servilibus non esse transferendum, sed omnino servandum esse in ipsa Feria V. majoris hebd., adeoque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die pro Civitatum, et Pagorum qualitate, ac Christifidelium in iis degentium numero, plures Missae privatae ante celebrationem Missae Conventualis pro praecepti adimplemento celebrandae non desint, sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni ejus die, quo Ecclesia SSmae. Eucharistiae Sacramenti institutionem, et memoriam recolit, summa religione hactenus servatus nullo modo omittatur."

Et ita declaravit, ac Decretum hujusmodi publicari, et imprimi mandavit, si SSmo. D. Nostro visum fuerit. Die 12. Sept. 1716.

Factaque per Secretarium de praedictis eidem SSmo. D. N. relatione, „Sanctitas Sua benigne annuit." N. 3893 die 27. Sept. 1716.

Hae missae dici debent cum *Gloria* et *Credo*. n. 4526 ad 15 die 7. Sept. 1816; sed missa in praedicto casu dici non potest de s. Annuntiat., etiam ubi est Titularis. *Ibid.* ad 16.

Ad dubium: an quando festum Annuntiationis B. V. M. transfertur in fer. 2. post dominicam in albis, tamquam in diem propriam, celebrari debeat *cum octava* in illis Ecclesiis, ubi Annuntiatio est *Titularis*, si transferatur tantum quoad chorum; an vero celebrari debeat cum octava solum, quando transfertur simul quoad chorum et forum? S. C. resp.: Negative ad primam partem, excepto casu, quo translatio fiat infra octavam; affirmative ad secundam. n. 4487 ad 1 die 14. Maji 1803.

Concessionis Indulti celebrandi festum Annuntiat. fer. 2. post dom. in Albis, quando occurrit fer. V. in coena Dom.; quando vero occurrit in Quadragesima pro facultate idem celebrandi cum octava pro Monialibus Recolectis Ord. s. Augustini Monasterii sub titulo SS. Annuntiationis civitatis Vallisoletanae. S. C. resp.: quoad 1: Provisum per decr. gener.; quoad 2: Negative. n. 3926 die 11. Mart. 1719.

(Vd. infra decr. n. 4903).

Si contingat Festum Annuntiationis B. M. V. transferri, debetne ligi ad fer. II. post Dominicam in Albis prae duplici, aut semiduplici eo die occurrente, vel prae duplici I. cl. itidem translato? Eritne eadem Responsio, sive transferatur cum Officio Annuntiationis ejus Festum, sive non? In genere translatis duobus Officiis ejusdem Ritus, sed quorum unum festivum est, de quo prius agendum? Quid si utrumque festivum sit, sed cum uno transferatur Festum, non cum alio, quia scilicet unum incidit Sabbato S., aliud Feria III. post Pascha? Quid si Festum (Annuntiatio) v. gr. sit tantum II. cl., aliud vero I. cl.; sed non festivum. v. g. Dedicatio Ecclesiae extra Civitatem? Et S. eadem R. C. respondendum censuit:

Ad 1. Igitur respondit: „Quando Festum Annuntiationis B. M. V. transfertur simul cum praecepto audiendi Sacrum ad Fer. II. post Dominicam Albis, praefertur cuicumque duplici etiam I. cl. *) eo die occurrenti. Si vero transfertur absque praecepto audiendi Sacrum, praefertur cuicumque Festo translato, licet I. cl., non autem Festis eo die occurrentibus. Obligatio audiendi Sacrum non reddit solemnitatem maiorem, sed relinquit Officium in suo ritu: Quare reponendum prius erit Officium altioris ritus prae alio minoris, quamvis istud haberet adnexum praeceptum audiendi Sacrum, cum sit peculiaris tantummodo praerogativa Festi Annuntiationis B. M. V., et S. Josephi ex Decretis tum Alexandri VIII., tum Clementis XI., quod ista Festa sic translata, quibuscumque aliis Festis tam translatis, quam occurrentibus praeferantur, quando cum illorum Officio transfertur simul obligatio audiendi Sacrum.“

*) Vd. *Patronus Dioeces.* (non est Officii etc. decr. n. 4542.)

Et ita declaravit. n. 4119 ad 1 die 2. Sept. 1741. Hoc Decretum intelligendum esse de quocumque Festo in ea die occurrente, etiamsi sit Patroni Principalis, vel Titularis, vel Dedicationis, quod cedere debet Festo Annuntiationis, translato quoad Chorum simul et Forum, hoc est: cum praecepto audiendi Sacrum.

Festum I. cl., quod eo die occurrat, vel sit de Patrono principali, vel de Titulari, vel de Dedicatione Ecclesiae, transferendum esse juxta modum a Rubrica praescriptum, nisi ab Apostolica Sede tributum fuerit, ut in Feriam III., vel in aliam certam diem assignatam reponatur.

Octavam vero Annuntiationis in iis tantum Ecclesiis, et Locis, quibus indultum est de ea fieri etiam in Quadragesima, vel in quibus hujusmodi Festum Tituli, vel principis Patronatus honore gaudet, juxta diversas occurrentias peragendam esse, quando idem Festum in Feriam II. post Dominicam in Albis transfertur, ut sequitur: Si nimirum translatio fiat cum praecepto audiendi Sacrum, integra octava illud gaudere, ac si Feria illa II. esset dies propria: si vero quoad Chorum tantum, *solius scilicet Officii translatio sit, nihil agendum de Octava,* nisi forte translatio occurrat infra Octavam: tunc quippe de ea fieri Officium poterit iis tantum diebus, qui de Octava supersunt, juxta generales rubricas, prout decretum fuit die 14. Maji 1803 in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Lusitaniae in Resp. ad 1.

Si fiat integra Octava, dum Festum transfertur quoad Chorum, et Forum, vel dimidiata, iis nimirum diebus dumtaxat, quae ex ea supersunt, dum illud infra Paschalis Octavam occurrit, Lectiones I. Nocturni esse debere de Scriptura occurrente: Lectiones II. Nocturni petendas esse ex Octavario

Romano pro alio quolibet Festo B. M. V.: Lectiones demum pro III. Nocturno de Homilia in Evangelium *Missus est*, haberi in Festo S. Gabrielis Archangeli, vel Exspectationis partus, vel translationis Almae Domus Lauretanae: quin imo repeti etiam libere posse tam in secundo, quam in tertio Nocturno Lectiones pro die Festo assignatas. Et ita etc. Die 22. Martii 1817. Et facta per infrascriptum Secretarium relatione SSmo. D. N. Sanctitas Sua praefatum Decretum S. R. C. approbavit, confirmavit, jussitque praelo tradi, ac publici juris fieri. n. 4528. Die 25. Martii 1817.

Ad dubia: 1) an decr. de Annuntiatione de 2. Sept. 1741 (Vd. supra n. 4119) locum habere debeat in Dioecesi Tuden., in qua celebratur festum s. Petri Telmi Patroni et quatenus affirmative;

2) an festum s. Petri transferri possit in fer. 3. seq. vel potius servari debeat rubrica de translatione festorum?

3) an festum Annuntiationis translatum simul cum praecepto audiendi Sacrum celebrari debeat *cum octava*, ubi est Patrona principalis vel Titularis; et quatenus affirmative.

4) an in *die octava* recitari possint Lectiones approbatae pro aliquibus Ecclesiis gaudentibus privilegio celebrandi Annuntiationem cum octava? S. C. resp.: ad 1. Affirmative.

ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam;

ad 3. Affirmative.

ad 4. Affirmative. Et semper his quatuor dubiis detur decr. generale, facto verbo cum SSmo. Facta relatione SSmus. hoc decretum typis tradi, publicique juris fieri mandavit. n. 4527 die 22. (25) Mart. 1817.

Quando festum Annuntiationis B. V. M. occurrat in *dominica privil.*, quod si in hebdom. majori vel paschali, tunc in fer. 2. post dominicam in albis transferatur. n. 4197 die 20. Julii 1748.

Cum in dicta die (fer. 2. post dom. in alb.) in regno Portug. tamquam in die propria festum B. V. M. sub titulo *Gaudiorum* cum Off. et missa ritu 2. cl. *ex devotione* celebretur. — S. C. resp.: Officium esse faciendum de Annunt. et Officium sub Titulo *Gaudiorum* omittendum esse. n. 4257 die 30. Aug. 1755.

Anicien.

Quum Rmus. Anicien. Episc. in relatione status suae Ecclesiae ad S. C. Concilii transmissa, inter cetera Postulata et sequens exposuerit, nimirum: „Ex antiquissimo Ecclesiae Anicien. ritu si Festum Annuntiationis Incarnationis Domini occurrat in III. vel IV. Dom. Quadrag., ac etiam in Dominica Passionis, fiebat de eo cum commemor. Domin. in utrisque Vesp., Officio nocturno et Laudibus. Si inciderit in Dominicam Palmarum, anticipabatur Officium cum Festivitate Sabbato praecedenti. Si evenerit Feria V. in Coena Domini, Feria VI. in Parasceve, Sabbato S., Dominica Paschae, aut Feriis II. et III. seq., transferebatur Officium cum Festivitate in Feriam VI. post Pascha, et Festum Annuntiationis claudebat Jubilaeum talis concursus occasione a Romanis Pontificibus concessum. Quocumque alio die intra majorem hebd., vel intra hebd. Paschae si occurrat praedictum Festum, fiebat de eo cum Commem. Feriae in Officio nocturno, Laudibus et Vesperis. Ille ritus sicut antea servetur postulamus."

Super quo Postulatu S. R. C. de sententia requisita, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis rescribendum censuit: „Si festum Annuntiationis inciderit in Dom. III. vel IV. Quadrag., de speciali gratia servari poterit consuetudo: si vero

occurrat in Majori Hebd., vel intra Paschalis Octavam servetur omnino dispositio Generalium Decretorum diei 11. Mart. 1614 ac 14. Junii 1692.“ n. 4873 die 31. Aug. 1839.

Pistorien.

Vd. supra decr. n. 3926.

Quum Sacerdos Antonius Raffanelli hodiernus Parochus Ecclesiae SSmae. Annuntiationis Deiparae in Civitate Pistorien. S. R. C. enixe rogarit ut confirmare dignaretur ibi invectam consuetudinem, etiam in Quadragesima cum Octava instituendi Festum Titulare Annuntiationis B. M. V.; Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis audita a R. P. D. Secretario relatione, rescribendum censuerunt: „Negative et serventur omnino Rubricae. n. 4903 die 12. Sept. 1840.

4) Vesperae.

Cf. *Sept. dolor. B. V. M.* (Off.)

Currente festo 7 dolor. B. V. M. in 1. vel 2. Vesperis cum festo Annunt., quod est 2. Class., omittendam esse commemorationem Officii 7 dolor. n. 2883 ad 1 die 6. Maji 1679; n. 2594 ad 4 die 3. Sept. 1672.

Vesperae festi Annuntiationis B. V. M. translati concurrentes cum primis diei festi s. Marci recitantur integrae de Annuntiat. ob praestantiam dignitatis, non propter qualitatem praecepti. Idem dicendum de festis Domini. n. 4119 ad 3 die 2. Sept. 1741.

In occursu Officii 7 dolor. B. V. M. cum ejus Annuntiationis festo nulla in Vesperis fit commem. 7 dolorum. n. 4119 ad 10 die 2. Septembris 1741.

ANNUNTIATIO FESTORUM.

Vd. *Martyrologium.*

S. ANSELMUS.

1) Abbas.

Utrum transfer. cadens in 3. die Martii?

Vd. *S. Cunegundis,* (decr. n. 4043.)

2) Qui?

De lectionibus, Vd. Lectiones de Sanctis (decr. n. 4044).

ANTICIPATIO BREVIARII.

1) In Choro.

Vd. *Chorus* (tempus); praecipue decr. n. 4924).

2) Sacerdotum singulorum.

Beatissimo Padre.

Giovanni Battista Rostaing Sacerdote della Compagnia de Gesù supplica umilmente la Santità Vostra a volergli benignamente concedere la facoltà di anticipare la recita di Vespero, e Compieta dopo le ore dieci del mattino, e quella del Mattutino e Laudi del dì sequente dopo il mezzo giorno anche con un compagno. Che ec.

„SSmus., referente subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne annuit juxta preces; sed in actu s. Missionum tantum.“ Contrariis etc. n. 5095 die 13. Aug. 1847.

ANTIPHONA B. V. M.

1) Dicenda non est,

si statim subsequatur Missa.

Ad dubium: An possit omitti in choro Antiphona B. V. M. in fine Officii, licet immediate sequatur missa, quam vocamus convent., quae tamen juxta rubricas Missalis tit. 3 n. 1 et 2 tit. 15 n. 2, cum non cantetur a choro, sed submisse recitetur a Celebrante, vere conventualis dici non potest, nec pars Officii antecedentis?

S. C. resp.: Servetur rubr. 36 n. 3 circa missam, quae habenda est tamquam conventualis. n. 3710 ad 8 die 14. Febr. 1705.

Se nei giorni in cui la Rubrica vuole che nella Messa Conventuale dopo Nona si possa, o si debba lasciare l'Antifona finale della Madonna *pro tempore*, e cantare immediatamente l'Introito, l'Antifona corrente, e dopo l'Oratione di esse chè il compimento della divina Salmodia, e quindi si debba incominciare a cantara la Messa?

S. eadem C... rescribendum censuit: „Nihil dicendum, sed immediate post Versum: *Benedicamus Domino* Missam inchoandam."

Atque ita rescripsit. n. 5085 ad 4 die 27. Febr. 1847.

Ad dubium: 1. In titulo 36. Rubricarum generalium num. 2 et 3 praescribitur, omittendam esse Antiphonam B. M. V., quando post aliquam Horam sequuntur Litaniae vel Missa: an intelligitur de Missa tantum Conventuali, aut alia qualibet lecta, quae non est Conventualis, quum ista dicenda sit post Nonam, sed solum cum praesentia Communitatis in Choro?

2. Utrum praedicta Antiphona B. M. V. dicenda sit post Nonam in Choro in Litaniis majoribus Feriarum Rogationum et S. Marci, quae ordinantur in Ecclesia post discessum Communitatis a Choro dissito a Sacristia, et post paululam moram in ea factam ad ministrum se parandum, cum in praedicto num. 2. Rubricae generalis dicatur: *In Choro autem semper dicitur, quandocumque terminata aliqua Hora discedendum est a Choro.*

Emi. et Rmi. P. rescribendum censuerunt:

Ad 1. „Antiphonam B. M. V. omittendam esse tantum, si immediate subsequatur Missa Conventualis, vel alia Missa solemnis tam pro vivis, quam pro defunctis ad cujus assistentiam teneantur Chorales."

Ad 2. „Negative."

Atque ita S. C. rescripsit, et servari mandavit. n. 5224 ad 7 et 8 die 14. Maji 1856.

2) Genuflectendo dicenda.

Vd. *Preces* (genufl.)

3) Stando dicenda.

Antiphonae B. V. M., quae dicuntur stando a vesperis Sabbati, dici etiam debent stando in fine Laudum, si recitentur die dominico ante occasum solis pro fer. 2. n. 4526 ad 6 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium: an cum recitatur Matut. pro fer. II. in dom. praecedenti ante solis occasum, genuflecti debeat ad Antiphonam finalem B. V. M.? S. C. resp.: Negative, et standum esse, dum Matutinum recitetur ante solis occasum. n. 4549 ad VIII. die 25. Aug. 1818.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Curnum excitetur hoc dubium, et quaenam sit dubitandi ratio, nec video nec intelligo. Nonne clara est Rubrica de Antiphonis finalibus B. M. V. num. 3, ubi legitur: *Dicuntur autem flexis genibus, praeterquam in diebus Dominicis a primis Vesperis Sabbati, et toto tempore Paschali:* ad quem Rubricae locum notat cl. Gavantus num. 17: *Dicuntur flexis genibus praeterquam in diebus Dominicis a primis Vesperis Sabbati ex Conc. Niceno etc. Synodo Turonensi ob Dominicam Resurrectionem:* et *num. 19* etiam clarius: *Sicuti hic standi ritus incipit a primis Vesperis Dominicae, non a media nocte, ita desinit in occasu Solis ejusdem Dominicae more Indulgentiarum; et post occasum Solis non est amplius standum in Oratione;* itaque *si Rubrica*

praecipit, standum esse in Dominicis; si id fit ob Dominicam Resurrectionem; si a primis Vesperis usque ad occasum Solis Dominicae non genuflectitur; si regula standi urget ratione diei, non ratione Officii; recta consequitur, quod recitans Matutinum cum Laudibus pro Feria II. ante occasum Solis diei Dominicae, ad finalem Antiphonam stare debet. Jure autem dixi, standum esse ratione diei, non ratione Officii; nam etiam in hypothesi, quod rubrica satis clara non esset, et ambiguitatem involveret; nihilominus ex constanti Ecclesiae praxi omne Dubium solvitur. Nonne stamus in Dominicis, etiamsi hae vacent, prout accidit in illis, quae occurrunt *a Nativitate Domini ad Epiphaniam?* Nonne flexis genibus recitamus finalem Antiphonam, dum reponitur Officium Dominicae *die feriali, scilicet 30. Dec.*, vel dum anticipatur pariter in Feria una ex Dominicis *post Epiphaniam, vel 23. post Pentecosten?* Longe secus fieri opus foret, si regula standi non a qualitate diei, sed a qualitate Officii petenda esset: Igitur quodvis Officium sit satis est, quod in Dominica persolvatur ante terminum praescriptum ad standum, ne sit genuflectendum. Quoniam vero termini diei Dominicae non sunt a media ad mediam noctem, sed a primis Vesperis ad Solis occasum, ideo cessat regula standi, si post occasum solis recitetur Matutinum pro sequenti Feria II. Apte igitur Gavantus prosequitur: *Quod hi notent, qui Vespere recitant Officium Feriae II. post salutationis Angelicae signum datum sub noctem.*

Ad dubium: Juxta Rubricam Breviarii tit. 36 num. 3, et Decreta Sacrorum Rituum Congregationis die 7. Septembris 1816 et 25. Augusti 1818 antiphona finalis Beatae Mariae Virginis praeter tempus Paschale dici debet stando omnibus diebus Dominicis infra Annum a primis Vesperis Sabbati usque ad occasum Solis ipsius Dominicae. Quaeritur ergo: 1, a qua hora Sabbati incipiant primae Vesperae tam in Quadragesima, quam aliis temporibus? 2. An hic occasus Solis possit intelligi usque ad crepusculum vespertinum more Indulgentiarum? 3. An a primis Vesperis Sabbati usque ad occasum Solis in Dominica semper standum sit, etiamsi non recitetur Officium Dominicae, sed vel Sabbati, vel feriae secundae? 4. Utrum sit genuflectendum, si post occasum Solis Officium Dominicae recitetur? S. C. resp.:

„Serventur Rubricae, et ad quaestionem primam consolantur Theologi: ad quaestionem secundam, affirmative: ad quaestionem tertiam, affirmative: ad quaestionem quartam, negative.“ n. 4669 ad 45 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: Antiphona finalis B. M. V. estne recitanda stando, etiam in Sabbatis Quadragesimae in Vesperis, quamvis Vesperae ante meridiem persolvantur? „Affirmative.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 30 die 16. Aprilis 1853.

ANTIPHONAE.

1) Pro Commemorationibus.

Vd. *Versus* (unde sumendi etc., decr. n. 4044).

Ad dubium: an occurrente festo C. non P. infra octavam alterius festi pariter C. non P., pro commemor. octavae in laud. desumenda sit antiphona ex 2. vel 1. vesp.? S. C. resp.: negative ad primam, affirmative ad secundam partem. n. 4378 ad 11 die 15. Junii 1776.

Ad dubium: Quando recitatur de s. Confessore et in laud. fieri debet commemoratio de infra octavam alterius Confess. propriam non habentis; quaeritur: unde desumenda est Antiphona

ex 1. vesp. an ex 2., cum infra octavam primas non habeat vesperas? S. C. resp.: Negative quoad primam partem et affirmative quoad secundam, scilicet pro laud. sumendam esse antiphonam de secundis vesp. et pro 2. vesp. de Laudib.; in utroque tamen casu cum Vers. de 1. vesperis. n. 4395 ad 6 die 18. Dec. 1779.

Ad dubium: Si pro facienda in Laudibus commemoratione alicujus diei infra octavam sumenda sit Antiphona ex eodem communi, unde sumpta est pro Officio: quaeritur: utrum in hoc casu servanda sit rubrica gener. de commemor. n. 8., ut scilicet sumatur ex 1. vesp., an vero sumi debeat ex 2. vesp., ex eo, quia dies infra octavam non habet primas vesperas? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3827 ad 3 die 21. Junii 1710.

Ad dubium: Quando in Officio IX. Lectionum in Laudibus tantum Antiphona vel Versus variari debent pro commemoratione alicujus Sancti Simplicis, possuntne in Laudibus ipsis adhiberi Antiphonae et Versus ex I. Vesperis, quamvis P. Cavalieri asserat in Festo simplici non esse adhibendam eamdem Antiphonam cum versu tam in Vesp. quam in Laudibus? S. C. resp.:

„Servandas Rubricas Tit. IX. n. 8.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit, n. 5183 ad X. die 16. Aprilis 1853.

2) Distributio.

In distributione antiphonarum et reliquorum omnium, quae cantari debent a Canonicis, semper servandum esse ordinem antianitatis, non attenta majori habilitate et experientia modulandi. n. 1928 die 7. Sept. 1658.

3) In festo s. Euphemiae.

Ad dubium: An in Festo s. Cornelii, et Cypriani die 16. Sept., pro commemoratione S. Euphemiae et Sociorum dicatur in primis Vesperis Antiphona: *Gaudent in Coelis,* et in Laudibus: *Istorum?*

Dubitatur et quaeritur: Utrum praedictae Antiphonae dicendae sint etiam quando Officium S. Cornelii, et Cypriani transfertur, ex quo occurrat in Dominica, an vero in primis Vesperis Dominicae dicenda sit Antiphona: *Istorum,* et in Laudibus Antiphona: *Vestri Capilli etc.*?

Et S. R. C. censuit respondendum:

„Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.“

Et ita declaravit. N. 3818 die 14. Dec. 1709.

4) Intonatio.

Vd. *Sedes ministrorum in missa etc.* (decr. n. 4603).

In Vesperis et Missis pontificalibus in intonatione antiph. servetur Caer. Episcop. l. II. c. I. videlicet: secunda primo Diacono, tertia Presbytero assistenti, quarta primo ex Canonicis, quinta secundo Diacono assistenti. n. 3551 ad 18 die 13. Mart. 1700.

De intonatione Antiphonarum servandam esse formam Caeremonialis (Lib. I. c. III.) ubi praescribitur, quomodo Antiphonae praeintonandae sint. n. 278 die 24. Sept. 1605.

Quoad Antiphonas in Vesperis Episcopo et Canonicis praeintonandas servetur forma Caeremonialis, ut scilicet Canonicus Subdiaconus, qui in crastinum Epistolam cantaturus erit, illas Episcopo, Dignitatibus et caeteris Canonicis praeintonare debeat, quacunque allegata consuetudine in contrarium non obstante. n. 333 die 16. Dec. 1606.

Non potest Vicarius generalis, qui non est de numero Capitularium, praeintonare Antiphonas. n. 1773 die 29. Jan. 1656.

In Vesperis Antiphonas Episcopo et

Canonicis praeintonet, qui in Missa solemni sequentis diei Epistolam erit cantaturus. n. 288 die 28. Jan. 1606.

Antiphonae debent praeintonari ab eodem tam Episcopo quam Canonicis. n. 3851 ad 3 die 8. Apr. 1713.

Ad dubium: Utrum in Vesperis Paschae Antiphona: *Haec dies cantari* debeat ab Hebdomadario, vel ab eo tantum *intonari*, Choro vel Cantoribus prosequentibus, stantibus hic inde Assistentibus, et Ceroferariis cum Cereis, ut ad Capitulum?

S. eadem C... respondendum censuit. „Esse ab Hebdomadario intonandum." Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5111 ad 4 die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: Quum Antiphonas majores Sacri Adventus praeintonare soleant Digniores de Choro, quaeritur: an quando occurrit Officium feriale, in quo Antiphona major est illa Cantici *Magnificat*, praeintonari ipsa debeat ab altero ex Dignioribus juxta ordinem, vel ab Hebdomadario? S. C. resp.: „Etiam non obstante consuetudine in casu, de quo agitur, Antiphonam praeintonandam esse ab Hebdomadario juxta praescriptum a Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 3. et detur Decretum in una Tropeien. die 24. Sept. 1605."

Atque ita rescripsit, et servandum esse mandavit. Die 12. Nov. 1831. n. 4670.

5) Majores.

Rubricas de Antiphonis majoribus non excludere duplicia et semiduplicia etiam translata tunc incidentia. n. 1492 die 5. Mart. 1644.

Rubricas de Antiphonis majoribus non excludere duplicia et semidupl. etiam translata tunc incidentia, sed tam in 1. quam in 2. vesp. post orationem Festi ad Magnificat dicendas esse antiphonas majores feriae occurrentis pro commemorat. Adventus n. 3278 die 17. Maji 1692; n. 3321 die 22. Aug. 1693.

Vd. *Antiphonae* (intonatio; decr. n. 4670).

6) In Officio defunctor.

Vd. *Officium def.* (Antiphonae)

7) Propriae.

Vd. *Hymnus* (propr., decr. n. 4044).

8) Surgendum est.

Vd. *Mansionarii; Canonici detecto cap. in choro; Martyr* (antiphon.) *Chorus* (quando standum).

Quando in Choro a Canonicis, Presbyteris etc. intonantur Antiphonae, Omnes debere surgere praeter hebdomadarium paratum. n. 4248 ad 1 die 4. Aug. 1663.

Canonicos Cathedral. Conversanae teneri insurgere detecto capite, quando alius *Canonicus* intonat aliquam antiphonam, prout insurgunt presbyteri Portionarii. n. 2524 die 24. Jan. 1671.

Surgere debent Canonici (Neapol.), quando ab ipsis cantatur Antiphona, et eodem modo Beneficiati, quando ab ipsis cantatur. n. 2845 die 20. Nov. 1677.

Inferiores Canonicis debent surgere Canonicis antiphonas intonantibus juxta Caer. l. I. c. XVIII. n. 9, n. 3535 ad 2 die 3. Oct. 1699.

Ad dubium Cathedr. Neapol.: an Canonici teneantur aperire caput, cum antiphona intonatur ab uno ex hebdomadariis et illi de quadraginta nuncupati, sicut etiam Clerici seminarii assurgere? S. C. resp.: Servetur consuetudo. n. 2891 die 17. Junii 1679.

Ad dubium: an cum chorus ex una parte surgit pro Intonatione antiphonae, possit aliquis ex eadem parte non surgere? S. C. resp.: Teneri omnes surgere. n. 3597 ad 13 die 10. Sept. 1701.

Canonici, Beneficiati et Mansionarii

assurgere debent detecto capite, quoties a Dignitatibus et aliis Canonicis in festivitatibus solem. ante alicujus psalmi initium praecinuntur antiphonae sub poena mulctarum arbitrio Ordinarii. n. 3920 ad 3 die 10. Decembris 1718.

9) Tertia in 1. n. de comm. VV.

Dubitatur: In Communi Virginum Nocturno I., Antiphona III. *Revertere revertere*, an legendum *Sunamitis*, an *Sulamitis?*

S. C... rescribendum censuit:

Juxta votum Magistri Caeremoniarum nimirum:

„*Sunamitis* dicendum est."

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4930 ad X. die 11. Septbr. 1841.

S. ANTONINUS E. C.

Cf. *S. Petrus Urseol.* (Officium).

Urbis et Orbis.

Dilectus Deo et hominibus S. Antoninus Florentinorum Antistes, quum ab ipsa pueritia sibi proposuerit Deo plenissime adhaerere, viamque mandatorum ejus alacri semper gressu percurrere ponens in Domino spem suam, morum integritate, vitaeque sanctimonia promeruit, ut divinitus dirigeretur ad poenitentiam gentis ac tollendam abominationem impietatis. Siquidem gubernans ad Dominum cor suum, optavit et datus est illi sensus ac spiritus sapientiae, omniaque bona pariter cum illa adeptus, super salutem et speciem dilexit illam, atque illius inextinguibili splendore adductus, in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Pastorali dignitate et officio cohonestatus, quasi Sol effulsit in templo Dei forma factus gregis ex animo, et sollicite attendens sibi eidemque gregi, in quo Spiritus S. eum posuit Episcopum regere Ecclesiam Dei, quam humani generis Redemptor acquisivit Sanguine suo, curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. Propter quod vigilans, sibique concreditorum fidelium commoda et utilitates inquirens, vix dici potest quantum prudentia, pietate, charitate, ac sacerdotali zelo in hoc munere excelluerit, non gloriandi, et acquirendi cupiditate, sed obediendi et subveniendi, et Deo placendi charitate. Nil aliud scire, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum, omnibus, sive longe sive prope fuissent, evangelizavit pacem, evangelizavit bona non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, donec occurrit in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, et adeptus est coronam justitiae bono certamine legitime expleto, cursu integre consummato, ac fide sanctissime servata. Etsi insignis hujusmodi viri nomen undique inclaruerit, ac penes omnes ejus memoria in benedictione permaneat, attamen ut ejus cultus magis magisque augeatur, nonnulli Emi. et Rmi. D. S. R. E. Cardinales non minus quam plures amplissimi Antistites, ac in primis Rmus. Archiep. Florentinus cum Rmo. P. Magistro gen. Ordinis Praedicatorum, cujus Institutum juvenis adhuc S. Antoninus complexus est, SSmum. D. N. Gregorium XVI. P. M. humillimis precibus instantissime efflagitarunt, ut festum S. Antonini Ep. Conf., quod jamdiu ab universali Eccles. cum Officio et Missa sub ritu semid. instituitur, pro Clero tum Saec. tum Reg., non exclusis cujuscumque Ordinis Sanctimonialibus ad horas canonicas persolvendas adstrictis, ad ritum dupl. min. de speciali gratia elevare dignaretur. Enixis huiusmodi precibus a S. S. peramanter exceptis, referente infrascripto S. R. C. Secretario X. Kal.

Sept. superiori anno 1844. benigne annuit juxta petita, attamen pro Italia tantum, et Insulis adjacentibus.

Verum quum idem Rmus. Florentinus Archiep. cum nonnullis aliis exterarum gentium Praesulibus, et Religiosorum Ord. Moderatoribus iterum supplicavit, ut enunciatum Indultum Italiae et Insulis adjacentibus concessum ad universalem extendatur Eccl., ac de mandato ejusdem S. S. novis hisce precibus actum fuerit in Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Quirinales Aedes habitis VIII. Id. vertentis mensis et anni, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Pro gratia, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo."

Supra quibus omnibus facta iterum SSmo. D. per Secretarium fideli relatione, ipsa S. S. rescriptum S. C. auctoritate Apost. confirmans, edixit ut deinceps festum S. Antonini Ep. Conf. ab universali Eccl. recolatur cum Officio et Missa jam concessis sub ritu dupl. min.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5034 die 12. Sept. 1845.

S. ANTONIUS.

1) Imago.

Vd. *Processio alic. Sti. infra octav. Corp. Chr.; Imago* (incensatio).

PP. Capucinis Neocastri licet retinere, processionaliter publice deferre et respective publice exponere in propria et in alienis Ecclesiis statuam s. Antonii in habitu capuccino; item licere in publicis functionibus ecclesiasticis tam intus propriam Ecclesiam quam extra et in processionibus tam publicis quam privatis uti vexillis, velis, palleolis, planetis, pluvialibus vel similibus mobilibus, ubi sunt depictae, sculptae vel impressae Imagines s. Antonii cum habitu capuccino. n. 3761 ad 1 et 2 die 22. Jan. 1707.

Ad dubium: an eisdem P. Capuccinis subtus Imagines ejusdem s. Antonii et s. Francisci depictas, sculptas vel impressas cum eorum habitu et caputio tam intus Ecclesiam et conventum quam extra et signanter in parietibus et frontespitio eorum Ecclesiae sint permittendae inscriptiones indicantes: illas esse effigies s. Antonii de P. et s. Francisci de Assisio cum veriori forma habitus ipsius s. Francisci, vel potius sint delendae et cancellandae et in futurum prohibendae in casu? S. C. resp.: Ad primam partem negative et ad secundam affirmative. n. 3761 ad 3 die 22. Jan. 1707.

2) Vigilia, Transl., Patronus.

(De Glor. et Credo in ejusdem missa, Vd. *Missa votiva de Sancto.)*

A Fratribus s. Francisci in Vigilia s. Antonii de Padua, quae in festum SS. Corporis Christi aliquando inciderit, jejunandum vel a carnibus abstinendum fore. Verum eo casu jejunium hujusmodi fer. IV. die immediate antecedente festo SS. Corp. Chr. anticipandum, ne pia universalis Ecclesiae ac solemnioris festi laetitia particularis et minus dignae celebritatis poenitentiali praeventione decrescat... n. 1983 die 24. Maji 1659.

Festum s. Antonii de Padua, quod in Religione celebratur sub ritu dupl. II. cl., si occurrat in die Corp. Chr., debet transferri post Octavam. n. 2284 ad 2 die 12. Julii 1664.

Ad relationem: Contingit aliquando festa ss. Bernard. Sen. et Antonii de P., quae in Religione Franciscana celebrantur sub ritu dupl. 2. cl. cum octava, ex impedimento aliarum octavarum privileg. et aliorum subsequentium festorum ita transferri, ut de ipsis recitari non possit, nisi unica die de festo principali. Ideo quaeritur: an in tali casu possint dicti Re-

ligiosi in 2. n. recitare lectiones appositas in Brev. rom. pro universo Clero, cum in ipsis contineatur cujuslibet dictorum SS. vita in compendio, quam Religiosi recitant per totam octavam? S. C. resp.: *Posse recitari.* n. 2988 ad 10 die 13. Junii 1682.

Ejus festum cadens infra oct. Corp. Chr. in Regno Lusitaniae, Vd.: *Octava Corp. Chr.* (Officia infra octav. etc.; nota ad decr. n. 4538).

„La Festa di S. Antonio di Padova nel 1801. fu elevata al rito di doppio di prima classe, e stabilita di doppio precetto coll'Ottava, e coll'Indulgenza plenaria. Ora che è stata tolta per le Provincie; *Quaeritur*: se s'intenda ritornata al rito di doppio minore, ed abolita l'Indulgenza?

Et S. R. C. declaravit:

„Si S. Antonius Patavinus est principalis Patronus, ejus Festum transferendum erit ad Dominicam infra Octavam, servata forma Brevis cum omnibus Indulgentiis, privilegiis, praerogativis competentibus principalibus Patronis: Quatenus vero Patronus non sit, sed alio titulo elevatum fuerit Festum ad ritum dupl. 1. cl. cum Octava, retinere poterit hunc ritum simul cum Indulgentia, sed in die propria: cessabit vero praeceptum audiendi Sacrum, et abstinendi a servilibus.“

Et ita etc. n 4554 ad 1 die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Duo sunt, quae SSmus. D. N. per Literas in forma Brevis expeditas *die 10. Apr. anni proximi praeteriti* ad consulendum conscientiae, simulque succurrendum egestati, et necessitatibus eorum, qui ex labore, et industria vivunt, provide clementerque indulsit. *Primum,* quod in utriusque Siciliae Regno, praeter Festa nominatim enumerata rigorose servanda sub utroque praecepto; in aliis nedum possint servilia opera exerceri, verum etiam cesset stricta obligatio interessendi Sacro. *Secundum,* quod Festa Patronorum principalium una cum Officio et Missa transferantur ad diem Dominicum proxime sequentem. Sed per hujusmodi dispositiones nihil prorsus immutatum fuit quoad ritum Officiorum, nec derogatum specialibus concessionibus, nisi in ea parte, quae respicit praeceptum, quod modo per praefatum Breve sublatum est. Hisce adnumeratur *Festum S. Antonii Patavini elevatum ad rit. dupl. 1. cl. cum Octava,* et sub utroque praecepto servandum. Quippe per antedicti Brevis indultum remissum est onus illud sub praecepto servandi, sed nihil innovatum quoad ritum, et indulgentiam. Quod si S. Antonius in aliqua Civitate vel Loco sit unicus et principalis Patronus, juxta formam praefati Brevis, ad proximum sequentem Dominicum diem ejusdem Festum erit perpetuo transferendum, nisi Episcopus, utens facultate sibi tributa in altero Brevi sub datum diei 15. Oct., ejusdemque servata forma, indulgeat, ut propriam sedem retinere valeat cum omnibus praerogativis ac privilegiis, quibus Patronorum Festa distinguuntur. —

Ad dubium: Universi utriusque Siciliae Regni Populi inter Sanctos Patronos elegerant atque adsciverant S. Antonium Patavinum Confess., electione approbante et confirmante SSmo. D. N. Pio VII. P. M., qui sub die 2. Jun. 1801 Sancti praedicti Festum in iisdem Regnis sub utroque praecepto servandum edixit rit. dupl. 1. class. cum Octava pro Clero saeculari, et *absque Octava pro Regularibus.* Interea sub die 10. Aprilis 1818 datae sunt Literae Apostolicae pro observantia et reductione Festorum in Siciliarum Regnis, in quibus quoad SS. Patronos sancitum est: Pro Urbe vero Neapolis tantum retineantur Festa S.

Januarii et Antonii de Padua; ac pro Urbe Panormi Festum S. Rosaliae V., assignato die Festo Patronorum peculiarium locorum et Civitatum, proxime sequente die Dominico. Hinc Dubium: „An in universa parte Regni trans Pharum Festum S. Antonii transferendum sit cum respectiva celebratione Officii, Missae et Octavae ad proximum diem Dominicum; vel faciendum in propria 13. Junii cum Octava, sed sine praecepto abstinendi ab operibus servilibus et adstandi Sacro? S. C. resp.: „Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam." n. 4594 ad 1 die 12. Apr. 1823.

NOTA GARDELLINI:

Simili dubio a S. R. C. provisum jam fuerat in Aquilana sub die 18. Octobris 1818. Cum enim vigore Brevis expediti die 10. Aprilis ejusdem anni super reductione Festorum pro utriusque Siciliae Regnis, illud S. Antonii Patavini retinendum sit sub utroque praecepto in propria die dumtaxat Neapoli; ideo idem Sanctus in aliis Civitatibus et locis, in quibus non est peculiaris Patronus, etsi retineat juxta concessionem ritum primae classis, amoveri tamen non debet a die in Directorio assignata, neque ad sequentem Dominicam transferri, sed dempto onere interessendi Sacro, et abstinendi a servilibus: translationem vero obtinebit ad proximam Dominicam, ubi principe Patronatu gaudet, veluti in laudato Brevi de Patronis principalibus locorum sancitum est, (vide adnotationem ad laudatum Decretum 18. Octobris 1818), nisi Episcopus juxta facultates locorum Ordinariis tributas in altero Brevi expedito die 15. Octobris ejusdem anni, servataque forma ibi praescripta, indulgeat, ut Festum S. Antonii Patavini, ubi Patronus principalis est, propriam sedem retineat.

S. APOLLONIA.

Vd. *Lectiones non approbatae.*

APPARITIO S. MICH. ARCH.

(Transl.)

Fratres excalceatos S. M. de Mercede Ordinis Redemptionis Captivorum in occurrentia festorum Ascensionis Dom. et Apparitionis s. Mich. Arch., *Patroni eorum Ordinis*, debere transferre Officium s. Michaelis, non obstante quacunque consuetudine et contraria observatione. n. 2147 die 21. Jan. 1662.

APPLICATIO MISSAE.

1) Conventualis de Req.

Vd. *Missa conv.*

2) In die Commemor. Omn. fidel. defunct.

Vd. *Missa de Req.* (applicatio).

In die Commem. Omn. Fidel. def. Sacerdotes in missis de Requiem possunt Sacrificium applicare ad libitum. n. 2241 ad 9 die 4. Aug. 1663; n. 4119 ad 4 die 2. Sept. 1741.

Ad dubium: an in die Commemor. Omn. Fidel. def. licitum sit applicare missas in particulari ad libitum celebrantis et a petentibus easdem missas eleemosynam accipere, seu potius debeant applicari missae secundum intentionem s. Matris Ecclesiae pro omnibus Fidel. defunct., licet pro missis dentur eleemosynae? S. C. resp.: Detur decret. de 4. Aug. 1663 (ut supra); n. 3819 ad 5 die 14. Decbr. 1709.

3) Episcopi.

Vd. *Missa conv.* (tempus; decr. n. 4669).

Ad dubium: Episcopi tenenturne ad applicationem Missae pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sunt in Consistorio? S. C.

resp.: „Post adeptam possessionem.“ n. 4669 ad 22 die 12. Nov. 1831.

4) Pro Monialibus.

Supplicat Archiep. Quebecens. declarari: an Cappellani Monialium curae praepositi ad Missam pro iisdem Monialibus diebus Dom. et festivis de praecepto applicandam teneantur?

Et S. eadem C.... rescribendum censuit: „Non teneri, quum non sint Parochi.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4988 ad 4 die 7. Decbr. 1844.

5) Parochi pro populo.

Vd. *Festum de praecepto* (decr. n. 1411); *Regulares* (Officium; decr. n. 5050).

Cum nonnulli ex Parochis intra fines Ducatus et Dioecesis Camerinen., unum dumtaxat Principem Patronum in unoquoque loco sub utroque praecepto venerandum colendumque contenderent, scilicet S. Venantium Camerinensem, posthabitis peculiaribus cujusque loci Patronis principalibus, in quorum festis sese exemptos assererent ab onere applicationis pro Populo, prout per plures annos egerant. Institum praeterea fuit in C. Ordinaria S. R. pro declaratione: An festum utriusque Principis Patroni Status scilicet Camerinen., et uniuscujusque loci, celebrandum foret sub utroque praecepto? Et num Parochi omnes in praefatis Festis tenerentur applicationi Missae pro Populo? Ac tandem quid agendum pro hujusmodi applicationibus omissis? ut in supplici libello sequentis tenoris:

Emi., e Rmi. Signori. „Lo stato di Camerino, che forma Provincia separata affato dall'Umbria, e dal Piceno, venera come Protettore principale S. Venanzio Martire, e ne celebra la Festa con rito doppio di 1. classe, coll'Ottava, e ne osserva la Festa di precetto.“

„Quasi tutti i singoli Paesi contenuti dentro i limiti di esse Stato, hanno i rispettivi particolari Protettori principali canonicamente eletti, confermati dalla Sagra Congregatione de'Riti, e assegnati ac medesimi sempre dal Calendario Dioecesano di Camerino col rito conveniente a tali Santi di doppio di 1. classe coll'Ottava, e con tal rito se ne celebra effettivamente in ogni luogo la Festa.“

„Costa apertamente dalla Costituzione della S. M. di Urbano VIII., che comincia Universa §. 2; non che da moltissimi celebri Autori, segnatamente dai Salmaticesi, Ferraris, Merati etc., che tanto l'una, che l'attra Festa di tali Protettori, del Protettore cioè di Provincia, e del Protettore del Luogo contenuto nella stessa Provincia, siano di precetto coll'obbligo di ascoltare la Messa, e di astenersi dalle opere servili.“

„Alcuni Parrochi, ciò non ostante, sono fissi nel sostenere, che la Festa de Protettore del Luogo particolare non è di precetto, perche si osserva di precetto la Festa del Protettore della Provincia, e si dispensano dall'applicare pro Populo, e permettono le opere servili.“

„Per togliere tali disordini, e quelli, che da essi derivano, si supplica per la formale dichiarazione, che l'una, e l'altra Festa dello Stato, et Ducato di Camerino e precettiva, e che sono tenuti a rimettere, o ad ottenere l'assoluzione per le Messe pro populo da essi tralasciate. Che etc.“

S. eadem R. C., ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. de Somalia eidem C. Praefecti ac Relatoris, habita prius informatione de praemissis per R. Vic. Cap. Camerinen. scripto pandita respondit: „Servandum esse de praecepto utrumque Festum, et Parochos teneri

ad applicationem Missae pro Populo, et ad D. Secretarium cum SSmo. Die 22. Martii 1817.

Facta autem, per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo. D. N. relatione, Sanctitas Sua S. C. sensum approbavit et confirmavit, atque in posterum servari mandavit, annuitque pro absolutione quoad praeteritum n. 4532 die 25. Martii 1817.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

S. C. responsum conforme est dispositioni Literarum Apostolicarum Urbani VIII. PP. dat. Idibus Sept. anni 1642 pro observatione Festorum, ubi, enumeratis distincte Festis in universa Ecclesia sub utroque praecepto servandis, ad peculiaria Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Locorum quod attinet, sancitum legitur, quod eodem modo videlicet, cum praecepto audiendi Sacrum, et cessandi a servilibus, recolantur etiam Festa unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, et alterius pariter principalioris, in quacumque Civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi, et venerari contingat: Cum autem Civitates et Loca, quae nomine veniunt Status seu Ducatus Camerini, minime pertineant ad Provincias limitrophas, sed unam separatam Provinciam constituant; ideo juxta formam praefatae Constitutionis nedum tenentur ad solemnia Festi principalis Patroni universi Status, qui est S. Venantius Martyr; verum etiam ad alterum principalis Patroni, (si quis habeatur electus et confirmatus, juxta formam Decretorum generalium 23. Martii 1630) Civitatis seu Loci, ac proinde etiam Parochi in respectivis civitatibus, oppidis vel pagis ad applicationem Sacrificii pro populo tenentur. —

„*Quaeritur primo*, se li Parrochi siano tenuti continuare ad applicare *pro popolo* la Messa nei giorni di quelle Feste di un solo precetto, che sono state abrogate; *Secundo*, se debba continuarsi a dir cantata la Messa Parrochiale nei detti giorni?

Et S. R. C. declaravit:

„Affirmative ad utramque partem, quia satis declaratum est in praefato Brevi Apostolico, nihil esse innovandum quoad Chorum relate ad Festa, in quorum occursu sublatum est praeceptum audiendi Sacrum. Quoad vero Festa Patronorum, cum ista reponenda sint in Dominicum diem infra Octavam tamquam in diem proprium, simul cum Officio et Missa transferenda etiam est solemnitas tam quoad Forum, quam quoad Chorum.“ Et ita etc. n. 4554 ad 4 die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Quum per Pontificium Indultum nihil sit immutandum quoad ecclesiastica Officia, recta consequitur, Parochos, recurrentibus Festis, in quibus populus solutus est ab obligatione audiendi Sacrum, teneri ad applicationem Missae pro populo eodem prorsus modo, quo tenebantur priusquam concederetur Indultum. Atque ita declaratum fuit a S. C. Concilii *die 28. Mart. 1801 in Camerinen.*, in qua, propositis duobus dubiis, videlicet:

1. *An diebus festis de praecepto a s. m. Pio VI. suppressis sit applicanda in futurum Missa pro populo in casu etc.?*

2. *An sit consulendum SSmo. pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.? responsum fuit: Ad 1. et 2: Affirmative.*

Ad dubium: an Parochi rurales in suburbiis et agris Terrae s. Geminiani degentes in dicta die (festivo Patroni princip. s. Geminiani) teneantur ad missae applicationem et ad annuntiandum populo abstinentiam ab operibus, pro integra observatione praecepti?

S. C. resp.: Affirmative ad utrumque. n. 4605 ad 2 die 27. Mart. 1824.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Si *Benedictus XIV.* in sua Constitutione: *Cum semper oblatas*, de obligatione applicationis Missae parochialis pro populo ad hanc teneri Parochos declaravit, quos inter non leves erant obortae questiones, iis etiam in Festis, in quibus quoad nonnullas Dioeceses, firma obligatione audiendi Sacrum, alterum relaxaverat onus abstinendi ab operibus servilibus: *Nos*, ita inquit, *ut obortae dubitationes circa onus applicationis Missae parochialis in hujusmodi diebus festis* (moderatis) *penitus eliminentur, statuimus, et declaramus, quod etiam iisdem Festis diebus, quibus populus Missae interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare et applicare teneantur:* Praeterea si ad eamdem applicationem tenentur Parochi, iis quoque diebus antea festivis, quos *Sa. Mem. Pius VI.*, utraque obligatione sublata, suppressit, adjecta una tantum conditione, quod in sacris Ecclesiae functionibus nihil esset immutandum, veluti declaravit Sacr. Congregatio Consilii, quae sub dubio proposito ab Antistide Camerinensi: *An diebus festis praecepto a Sa. Mem. Pio VI., suppressis sit applicanda in futurum Missa pro populo in casu etc.* sub *die 28. Mart. 1801* respondit: *Affirmative;* multo magis potiorique jure ad id tenentur Parochi locorum, in quibus Patroni principis memoria sub utroque praecepto solemniter recolitur. Et quoniam Parochi rurales in suburbiis et agris Terrae *S. Geminiani* adnexi venerari Patronum debent, quem uti principalem colunt Incolae Terrae: ideo et iisdem incumbit onus cum applicandi Sacrum pro populo, tum annuntiandi subjectae plebi abstinentiam ab operibus servilibus pro integra observatione praecepti. Sciscitandi hic locus esse videtur, curnam hujusmodi excitatum sit dubium? Fortene, qui illud discutiendum proposuit, ea in opinione versatur, quod obligatio colendi Festum Patroni civitatis aut loci non extendatur ad suburbia, et Paroccias rurales? Vehementer errat, qui ita existimat: nam sub nomine civitatis, et loci veniunt etiam suburbia et rurales Paroeciae, ac propterea horum Incolae colere debent cum eadem solemnitate principem Patronum ejusdem civitatis, aut loci. Ita Sac. Congreg. declaravit in Tridentina sub *die 15. Sept. 1742.* Dubium erat: *An dictum Festum* (S. Marci Evangelistae in oppido Roboreti) *tamquam de praecepto celebrandum ab Incolis totius oppidi, vigore Constitutionis*: „Universa per orbem" *ab Urbano VIII. anno 1642 emanatae: an vero solum ab iis, qui ejusdem Ecclesiae parochiani existunt? complectitur autem haec Parochia fere totum oppidum, excepto unico suburbio trans pontem:* et responsum fuit: *Si Festum S. Marci erit tamquam Patroni oppidi Roboreti... vigore Constitutionis Urbani VIII., juxta Decreta S. R. C., tunc Festum S. Marci erit de praecepto observandum et celebrandum ab Incolis totius oppidi, etiam a trans pontem suburbiis.* Merito igitur S. Cong. ad utramque dubii partem in casu proposito respondit: *Affirmative.*

Per Epistolam Encyclicam s. m. Benedicti Papae XIV. cautum est, ut omnes et singuli, qui actu curam Animarum exercent, et non solum Parochi et Vicarii Saec., verum etiam Regul. omnibus Dom., aliisque diebus festis de praecepto Missam Parochialem pro Populo applicare teneantur. Duplex de hujus Constitutionis sensu dubium exortum est; 1: Num non solum

Parochi, et qui Parochi vices fungentes curam *primariam* exercent, sicut hic habetur consuetudo, sed etiam omnes cura *subsidiaria* fungentes ad applicandum pro Populo diebus festis obligentur? Contra hanc extensionem, quam pauci, aut nulli sequuntur, nobis vox *Missa parochialis*, quae tamen solum unicum et ex sensu communi Sacrum solemne significat, rationem fundatam porrigere videtur. Denique dubitatur, num etiam in illis diebus festis, qui jam pridem auctoritate Sedis Apost. interveniente, hic locorum sunt abrogati, et hodie, ut dicunt, non in Foro, sed solum in Choro celebrantur, ita ut quoque obligatio Fidelium ad audiendum Sacrum sit sublata, adhuc obligatio Parochi ad applicandum pro Populo Sacrum perseveret? Antiqua Constitutione Ep. Monasterien. de anno 1772, quae vero in desuetudinem abiit, vel etiam numquam in praxim deducta est, statutum fuit, quod antiqua obligatio applicandi pro Populo abrogatione Festorum non tolli intendatur.

Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis hac die coadunata, audita relatione... rescribendum censuit:

Quoad primam partem: solum teneri, qui Animarum curam *primariam* exercent: quoad secundam partem: juxta alias decreta, teneri etiam in Festis legitime abrogatis.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5014 ad 3 die 14. Junii 1845.

Ad dubium: Parochus hic et nunc aliquem substituit, qui die Dom. cantat summum Sacrum (quod hic posse censetur per consuetudinem): An Parochus privatim celebrans possit applicare pro suis, vel teneatur applicare facere pro Populo summum Sacrum?

S. eadem C.... rescribendum censuit:

„Posse vel per se vel per alium, quin requiratur Missa solemnis.“

Atque ita rescribere rata est. n. 5079 ad 4 die 27. Febr. 1847.

Dum superiori anno 1847 III. Kal. Mart. S. R. C. in una Vicariatus Ruremundensis in Hollandia ad Dub. IV. declaravit, Parochum posse vel per se, vel per alium in Dominicis applicare pro populo Sacrosanctum Missae Sacrificium etiam privatim celebrando, quin teneatur applicare Missam solemnem, cujus celebrationem interdum committit alii sibi beneviso Sacerdoti, super hac ipsa declaratione novum in praesentiarum proponitur Dubium, quod fundatur in declarationibus et Decretis alias a S. Congregationibus Urbis latis, et a quibus omnino exigitur, ut Parochus in Dominicis Festisque pro Populo applicet. Iterum igitur S. C. R. de sententia requisita, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata, post auditam a Secretario fidelem relationem ac maturum omnium examen rescribendum censuit: „Responsionem datam die 27. Febr. 1847 intelligendam esse quoad Missam solemnem, de qua quaerebatur; nam proprius ad casum, non obstantibus alias decretis, et in facto declaratis, rescribere rata est: posse quemlibet Parochum, accedente justa et legitima causa, adimplementum Missae pro Populo applicandae alii Sacerdoti committere, seu per alium Sacerdotem hanc Missam celebrare facere.“

Atque ita rescripsit. n. 5129 die 22. Julii 1848.

Quaesitum fuit:

1. An parochi in dominicis aliisque festis diebus praesente cadavere teneantur celebrare missam pro def. et in aliam diem possint transferre missam pro populo applicandam?

2. An saltem applicationem missae pro populo supplere possint per alium Sacerdotem?

S. C.C. resp. ad 1 et 2: Negative; 26. Januarii 1771. S. R. C. 22. Julii 1848.

Ad dubium: Quum Parochus Orator praeter suam Parochialem Eccl., aliud Beneficium Curatum obtinuerit cum alia adnexa Eccles. Parochiali, an in Festis adigatur utramque Missam, quam celebrat, applicare pro populo, vel teneatur ad applicationem pro sibi commissis ovibus unius tantum de duobus Sacrificiis, veluti Dioecesanus Ordinarius, cui dubium proposuit, ei rescripsit.

Et S. eadem C.... respondendum censuit:

„Utramque Missam applicare tenetur pro populo utriusque sibi commissae Paroeciae.“

Atque ita rescripsit, propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 4 die 7. Sept. 1850.

6) **Vicarii capitularis.**

Ad dubium: Vicarii Capitulares altenturne ad Missae applicationem pro ovibus Sede vacante? S. C. resp.: „Negative.“ n. 4669 ad 23 die 12. Nov. 1831.

APPROBATIO LIBRORUM ECCLESIAST.

Vd. *Missale* (approbatio); *Libri ecclesiastici.*

AQUA.

1) **Baptismalis.**

Vd. *Bened. fontis* (oleum).

2) **Benedicta.**

a) Celebrans se aspergit.

(Vd. *Aspersio aquae ben.*)

Ad dubium: an Sacerdos pergens ad celebrandum et calicem manu sinistra portans, possit accipere aquam bened. eaque se aspergere? S.C. resp.: Si commode fieri potest, se signet, sin minus, se abstineat. n. 4393 ad 14 die 27. Mart. 1779.

b) Semper in Eccl. esse debet.

Vd. *Aqua bened. in hebdom. maj.* (decr. n. 4669 *nota*).

c) In hebdom. majori.

Ad dubium: In ultimo majoris Hebdomadae triduo removenda ne est a vasis Ecclesiae aqua benedicta? S. C. resp.: „Affirmative, ac retinenda *consuetudo* illam amovendi.“ n. 4669 ad 60 die 12. Nov. 1831.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Nulla positiva Lege, nullo Rubricae praecepto, sed e praxi tantum removetur a Vasis prope Ecclesiarum fores Aqua benedicta ultimo majoris Hebdomadae triduo. Hinc haec consuetudo suos habet adversarios, tum quia ab Alexandro I. sancitum fuit: *ut aqua benedicta sale admixta perpetuo in Ecclesia asservetur;* tum quia Ritualis Romani Rubrica praescribit, ut aspergantur aqua benedicta infirmi, quibus SSmum. Viaticum, extremae Unctionis Sacramentum hoc triduo administrari contigerit, et aqua pariter benedicta aspergi debeant Defunctorum cadavera, quae tribus his diebus efferuntur: quibus supponi debet aquam benedictam in Ecclesiis reperiri. Aliam quoque addunt animadversionem, quam ex Rubricis Missalis in die Sabbati Sancti desumunt, quae agens de benedictione ignis et incensi praescribit aquam benedictam adhiberi: *Dicta Nona Sacerdos adstantibus Ministris, cum Cruce et aqua benedicta... et deinde praedicta grana incensi et ignem ter aspergit aqua benedicta.* Inferunt hinc Aquam benedictam in Ecclesiae Vasis existere debere; ac proinde etiam inferunt hi, quos inter praesertim *Cavalerius tom. 4 dub. 9 num. 11:* hanc consuetudinem esse

contra morem, qui est ut habeatur in vasis prope Ecclesiae fores, et contra Statuta, quia in Breviario ad diem 3. Maji Alexander decrevisse dicitur, ut aqua benedicta sale admixta perpetuo servetur in Ecclesia; demum *contra finem,* quia apponitur, ut Fideles Ecclesiam ingredientes statim aspergi valeant, et a levioribus noxis mundari. Haec proferunt, qui stant pro aquae reservatione in vasis prope fores Ecclesiae hoc triduo. Verum tanti non sunt ponderis hae rationes, ut proscribenda sit consuetudo aquam ab Ecclesiae vasis removendi, ut Cavalerius vellet. Et sane quod spectat ad perpetuam in Ecclesia aquae benedictae asservationem, quae decreta dicitur ab Alexandro I., haec perpetuitas non tollitur per triduanam tantum illius remotionem; quemadmodum non tollitur aliquid faciendi consuetudo, si semel iterumque et tertio faciendum omittitur, quod fieri ex consuetudine solet. Quod pertinet ad incensi et ignis benedictionem, possunt haec benedici, quemadmodum revera benedicuntur cum aqua alio in loco, praeterquam in Ecclesiae vasis, asservata. Alexander enim I. non praecipit perpetuam (quam haud tolli vidimus) asservationem in vasis, ita ut perpetuitas cesset, si in vasis desit, sed in Ecclesia. Hac ipsa aqua, nempe in alio reservata loco, infirmi et defunctorum cadavera possunt aspergi. Quod spectat ad intentionem, seu finem Ecclesiae, qui est, ut Fideles Ecclesiam ingredientes statim aspergi possint, et sic a levioribus noxis mundari, neque haec ratio ab hoc fine desumpta officit consuetudini aquam hoc triduo a vasis amovendi, quin immo probari aliquo modo potest remotionem aquae, quae hoc triduo ex consuetudine viget, sin minus Ecclesiae institutioni non adversari, et religiosum saltem quemdam et peculiarem ritum mysterio certe non vacuum continere, quod non admittit Cavalerius, qui etiam consuetudinem hanc proscribendam putat, quod nullum mysterium exhibet. Mysterium quidem fateor nullum *in se* continet haec aquae remotio, sed quin haec aquae remotio conformis aliquo modo est mysteriis, quae Ecclesia his diebus in Fidelium mentes revocat, idcirco mysterium inest in hac remotione, quia ad mysteria recolenda nos vocat, adeoque hic usus non improbandus, cum et Fidelibus peculiarem ritum mysteriis, quae celebrantur, consonum offerat, neque damnandus ut novus, aut sine auctoritate retentus, cum et ab immemorabili retineatur consuetudine, et sciente inspicienteque Supremo Ecclesiae Capite ac Rectore peragatur. Nemo, quod sciam ex Auctoribus, qui hanc aquae remotionem defendunt, animadvertit, quod mox mihi animadvertendum esse puto, sed levibus rationum momentis usi sunt. Jam libeat haec mihi animadvertere ex ipsa, ut innui, Ecclesiae institutione, ex quibus consequens erit indicatum superius locum ab Ecclesia diversum pro asservanda aqua ad varias ignis, incensi, Infirmorum benedictiones admittendum esse, aut saltem non improbandum. Aquae benedictio non una, sed multiplex est in Ecclesia, sicuti et multiplex est diversis exorcismis, diversis precibus, diversis invocationibus, vel rerum diversarum infusionibus, aquae benedictae usus, ad finem aeque diversum, quam Ecclesia intendit et statuit. Inter has vetustissima illa est, quae singulis Dominicis diebus ab Ecclesia peragitur, qua Fideles, aliaque asperguntur, quamque ipsi in mundis vasculis domum etiam asportare ad religiosos usus a veteribus temporibus consueverunt. Habuerunt et Ethnici aquam suam lustralem et piacularem, ut constat ex ipsis prophanis Aucto-

ribus, qui referunt adeuntes Templa aqua aspergi consuevisse, ut ab anteactis culpis purgarentur, et mundi sese Diis suis licet falsis praesentarent. Hoc Ethnici ab Hebraeis usurparunt, et sicut illi ab his acceperunt, depravantes tamen quod habetur *in lib. Numerorum cap. 19.* de aqua lustrationis et expiationis, ita et nos Christiani aquam adhibemus sanctificatam per Verbum Dei et Orationes, et sic sanctam reddimus. Quod Ethnici perverse et superstitiose usurparunt ob finem diversum, ad quem dirigimus. *Quaedam sanctificamus*, ut ait Augustinus contra Faustum, *quae communia quodammodo cum illis habere videmus, quorum quaedam, Satan, ut noverit Tertullianus lib. de Praescriptionibus adversus Haereticos, tamquam Dei symius, pleraque divina instituta aemulatus invenit.* Christiani itaque Aqua sanctificata utimur. Primis Ecclesiae saeculis fideles aqua baptismali utebantur, eamque, priusquam in ea Chrysma infunderetur, domum deferebant, ut domos, vineas, campos, segetes aspergerent, eademque ante Chrysmatis infusionem in Ecclesia ipsa Fideles aspergebantur. Haec Fidelium aspersio in Ecclesia nostris etiam diebus servatur. Nam in Missali Sabbato Sancto Rubrica de Fontis benedictione, antequam Sacerdos infundat Oleum Catechumenorum, praescribit, ut Sacerdotes adstantes aspergant: *Deinde per assistentes Sacerdotes spargitur de ipsa aqua benedicta super populum:* quod in Ecclesiis, in quibus fit benedictio fontis baptismalis, peragitur, servatur, et in Vaticana Basilica solemni quadam pompa haec fit super Populum aspersio. Insuper de hac aqua ex Rubrica accipitur ad eam spargendam in domibus Fidelium, et aliis locis: *Et interim unus ex Ministris Ecclesiae accipit in vase aliquo de eadem aqua ad aspergendum in domibus, et aliis locis:* quae aqua in vasis etiam prope Ecclesiae fores existentibus infunditur. Licet hic mos apud nos servetur, et a Rubrica praescribatur, interdictum aliquando fuit, ut Fideles hac baptismali aqua aspergerentur; quia per errorem putabant nonnulli se iterum a peccatis omnibus mundari, quemadmodum et alia quaedam ob aliquem irreptum errorem fuerunt interdicta, inter quae lotio capitum Catechumenorum antequam Baptisma susciperent Sabbato Sancto, quae lotio peragebatur ad munditiam capitis ob Baptismi reverentiam in Dominica Palmarum, quae ab hac caeremonia *Dominica in Capitilavio* fuit quoque nuncupata. Abrogata fuit haec caeremonia, quia multi putantes hanc capitis lotionem ipsum esse baptisma, baptizari postmodum negligebant. Nil itaque mirum si haec quoque aspersio, de qua hic sermo est, fuerit olim interdicta. Sed Ecclesia uti sapienter omnia instituit, ita et sapienter quaedam diversis temporibus prohibuit, quae in bonum Fidelium initio statuta, Fideles ipsi vel ad proprium damnum, vel ad alium finem convertebant, ad quem pia Mater Ecclesia constituerat. Praeterea quia eo usque hujus aquae, nempe fontis baptismalis, ante Sacrorum Oleorum infusionem sacer usus devenit, ut tantae Fidelium multitudini et ad diversos pios ac religiosos fines adhibita non sufficeret, alia aquae benedictio instituta fuit, et ea est, quae singulis Dominicis diebus est peragenda, ut Fidelium pietati satisfieret. Sed hac etiam nova aquae instituta benedictione, duo excepta fuerunt pro hac, tempora, ea nempe, quibus fons baptismalis ex antiquissima Ecclesiae disciplina consecratur, et id statutum fuit ad indicandum fortasse hanc benedictionem ex illa aquae baptismalis originem habere, et huic illam fuisse suffectam, vel etiam, ut adnotat Ru-

pertus Abbas, in memoriam lavacri regenerantis, quod et Durandus, morem hodiernum aeque ac veterem respiciens, aspergendi Fideles, ut Rubrica innuit, et nonnullorum veterum errorem advertit his verbis: *Non ut rebaptizemur, sed ut gratiam Divini Numinis cum memoria Baptismatis invocemus.*

Aqua haec benedicta, quae in Ecclesiarum foribus pro Fidelium usu prompta est, lotionibus etiam successit, quibus olim Christiani utebantur, antequam ad Ecclesiam accederent. Ad hunc morem respiciens S. Joannes Chrysostomus sic scribit *Homil. 32* in Matthaeum: *In nonnullis Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi studeant quomodo lotis manibus, mundis induti vestibus in Ecclesiam ingrediantur; quomodo autem Animam suam puram offerant Deo, nullam prorsus curam habeant.*

Pro his lotionibus apposita lavacra construebantur. Haec lavacra de antiqua Ecclesiarum forma ad disserendum me vocarent, sed non est hic longius, quam par est, aut instituti ratio postulet, in hac re pertractanda immorandum. Satis erit aliquid delibasse, quod ad rem nostram opportunum, aut saltem non prorsus alienum videtur. Inter Ecclesiae partes, in quibus exteriora quaecumque apud veteres Christianos adnumerabantur, ut *atria*, *limites*, *perfugii loca*, *ac peristilia*, et ceu partes Ecclesiae haberi consueverant, illa erant, quae Nartex appellabatur, et duplex erat; una interior, exterior altera. In exteriori hac Nartice, sive exteriori Ecclesiae ambitu exteriora itidem atria includente, splendidum erat vestibulum, primus *Introitus* nuncupatum, quod prior ejus pars erat, quae Porticibus persaepe circumsepta erat, et columnis undique extollebatur. In hujus areae medio *fons* erat, sive per alios *cisterna*, in qua Populus abluebatur, priusquam Ecclesiam ingrederetur. De hac mentionem faciunt Auctores, quos inter *Eusebius*, qui lib. 10 c. 4 sic scribit: *Hic sacrarum expiationum signa posuit* (loquitur de Templo Paulini) *sive fontes ex adverso Ecclesiae extructos, qui interius Sacrarium ingressuris copiosos latrices ad abluendum ministrent.* Paulinus Nolanus Episcopus quinque hos memorat, quos canthari nomine appellat. Jam fontes hi aquam simpliciter continebant nullo ritu, nulla benedictione initio consecratam, qua Fideles materialiter abluebantur exterius, et hae lotiones ante Templi ingressum significativae tantum erant interioris munditiae, quae esse deberet in Fidelibus Ecclesiam ingressuris, et sacris adfuturis actionibus.

Nostra vero aqua, quae prope Ecclesiae fores reperitur, nudum non est interioris munditiae signum, sed Ecclesiae exorcismis ac precibus benedicta et consecrata, unum est ex Sacramentalibus, et ad omnem immundi Spiritus infestationem abigendam instituta, terroremque venenosi Serpentis procul pellendum, ad omnes latentis inimici insidias praecavendas eliminandasque, et praecipue ad Fideles a levioribus noxis liberandos, et ad delendas in illis veniales culpas, positis requisitis dispositionibus, aliisque quae requiruntur. Haec itaque Aqua, fontibus, et cantharis ad simplicem manuum lotionem, quaeque in Nartice erat, lotionibus ipsis suffecta fuit, et tanta potiori ratione suffecta, quanto excellentiori fine adhibita, quanto venialium culparum delatio simplici, et materiali lotioni internae tantum munditiae significativae praestat. Ecclesia autem hanc in Templorum foribus aquam retinendam voluit ad FideliumTempla ingredientium religiosum usum, ut puriores ingrederentur, et dignius incruento Sacrificio adstarent,

mundioresque Divinae Majestati sese offerent, et suas ad Deum preces mundiore funderent corde. Jam duo post haec animadvertenda sunt. Primum, cum praeceptum fuerit singulis Dominicis fieri aquae benedictionem, excepta duo tempora fuisse ob Fontis baptismalis consecrationem. Cum autem inter haec adnumeretur Sabbatum Sanctum, et hac die Rubrica praecipiat aspergi Fideles ex ipsa aqua, antequam in ea Catechumenorum Oleum infundatur; ex ipsa exceptione renovandi aquam sequitur, supponi non immerito debere, hac saltem die in Vasis prope Ecclesiae fores aquam benedictam, usque dum Fontis baptismalis benedictio peragatur, non asservari.

Praeterea hujus aquae institutionis multiplex est finis. Jam cum inter diversos fines is adnumeretur, ut Fideles puriori cordi Sacro peragendo adsistant, patet ex hoc altera ratio, ob quam in foribus Ecclesiae hoc triduo licet non integro, non servetur haec aqua. Cum enim Feria VI. Sacrificium non celebretur, et ideo sit dies penitus aliturgicus, hinc nil mirum, si hac Feria VI. aqua benedicta memoratis in vasis non asservatur.

At reponet aliquis, quid de Feria V., quid de Sabbato Sancto dicendum, si Sacrificii cessatio altera est ratio, ob quam ex consuetudine aqua benedicta removetur?

In utroque enim die unicum quidem sed tamen Sacrum solemne peragitur, cui Fideles adsunt. Nihil omnino aquae remotioni haec animadversio officit. Nam quoad Feriam quintam in Agno Domini, hac die, quae dici certe nequit aliturgica, removetur aqua absoluto Sacrificio, dum Vesperae dicuntur, dum Altaria denudantur, verbo, dum tempus vere aliturgicum incipit et luctus ob Christi mortem. Non deest igitur aqua, antequam eo die Sacrificium inchoetur, et ea uti possunt Fideles Ecclesiam ingredientes Sacrificio adfuturi. Quod vero pertinet ad Sabbatum Sanctum: haec dies esset pariter stricte aliturgica non secus ac antecedens Feria sexta, et Sacrum hoc mane per anticipationem peragitur; celebrari enim deberet nocte subsequenti, quemadmodum antiquitus celebrabatur, et ut ostendunt verba, quibus utitur Ecclesia in Oratione Missae *Hanc Sacratissimam Noctem*, et infra actionem: *Et Noctem Sacratissimam celebrantes*: adeoque nil mirum, si mane aqua benedicta in Ecclesiae foribus non asservatur. Sed hoc omisso, quod quidem remotioni non officit, licet haec aqua non sit in vasis prope Ecclesiae fores, dum Fideles Ecclesiam ingrediuntur, non deest tamen aspersio Fidelium, antequam Sacrum peragatur. Nam juxta Rubricam, ut vidimus, baptismali aqua aspergendi sunt Fideles, antequam Catechumenorum oleum infundatur. Non deest aqua paullo post ingredientibus Ecclesiam, cum ex ipsa hac aqua ante olei Catechumenorum infusionem soleant Ecclesiae vasa impleri, uti de hac ipsa aqua Rubrica innuit: *In mundo aliquo vase per unum ex Ministris Ecclesiae esse accipiendam ad aspergendum in domibus, et aliis locis:* Et ita haec interpretando Rubricae verba, Ecclesiae vasa ab Aedituis aliisque implentur: vel privatim quoque, solita aquae benedictio in Ecclesiis baptismali fonte carentibus peragi solet, et hac ea impleri, cum Paschalis solemnitas jam per Cerei benedictionem, vel aut certe ab Ecclesiae Ministris Praeconii cantu est annunciata, et mox Resurrectionis Mysterium per anticipationem Fidelibus repraesentatur. Consuetudo itaque aquam benedictam ab Ecclesiae vasis amovendi non est contra Rubricam, cum nulla Rubrica id prohibeat, licet huic ritui *nulla*, ut inquit Cavalerius,

adstipulatur Rubrica. Non vacat mysterio aliquo; nam si per se nullum mysterium continet, ad ea saltem excitat, quae Ecclesia hoc triduo nobis consideranda offert: hac demum deficiente aqua benedicta, et in locis ab Ecclesiae vasis diversis asservata, benedici possunt ac revera benedicuntur et novus ignis et Cereus et infirmi, quibus ministratur Viaticum, et Extrema Unctio, et Defunctorum cadavera asperguntur. Secus dici deberet, quoties hae peragantur benedictiones et aspersiones, aquam benedictam ad hos fines adhibendam necessario ex vasis Ecclesiae hauriri debere, et Ecclesiam ad hoc suos Ministros cogere, si his in casibus Aquam benedictam ex alio loco, aut vase, quam ex illis, quae prope Ecclesiae fores sunt, haurire contra Ecclesiae morem statuta et finem esset, ut putat Cavalerius ipse, qui sane haud poterat inficiari morem, statuta et finem Ecclesiae illum esse, ut Fideles in Ecclesia ingredientes ea sese aspergant ac signent.

Sed habemus ipsum Cavalerium quodammodo sed involuntarie confitentem, et praxim, quam citato paragrapho reprobat, adprobantem. Cap. XXI. de Sabbato Sancto §. 12 haec habet:

Sacrista itidem, *vel alius Minister infundit in aliud vas de aqua fontis* (antequam oleum Catechumenorum infundatur)... *et ex eadem aqua renovari consultius quoque erit vasa Ecclesiae:* inquit *renovari:* non inficior dici posse *renovari*, etiamsi paullo ante illa removeatur, quae erat in vasis praedictis. At removenda saltem erit, antequam Officium incipiatur? En igitur Fideles ingredientes sine aqua, qua se signent. Sed cum agit Cavalerius de ordine procedendi ad ignem benedicendum haec habet: *Praecedentes tres Acolythi, quorum medius incedit deferens Vas aquae benedictae.* Quaeso: undenam hausta est haec aqua? non certe ex vasis Ecclesiae, quae supponuntur jam vacua, et illa quae prius nempe paullo ante in illis erat? Haud equidem possum admittere. Cum enim immunditiam et foeditatem ut plurimum habet ob Populi frequentiam, ob pulverem desuper cadentem, ob aliam etiam quamcumque rationem, indecens sane esset ea uti, et alia potius mundior ac purior adhibenda est, haec autem in casu alia esse non potest, nisi antea benedicta, et alio in loco a vasis Ecclesiae diverso asservata. At nullam habet vim postrema haec animadversio, haud sibi contradicat Cavalerius; semper tamen ex supra adnotatis et ex aliis rationum momentis nec improbanda erit haec ultimo majoris Hebdomadae triduo, quae viget, remotio, neque proscribenda, ut vellet Cavalerius.

3) Benedictio est multiplex.

Vd. *Aqua bened. in hebd. maj.* (decr. n. 4669 *nota*).

ARCHIDIACONUS.

1) Celebrans.

(Vd. *Absolutio mort.*)

Missas per Archid. uti primam Dignitatem celebrandas esse in diebus Jovis, Veneris et Sabbati s., Paschalis Resurrectionis, Patroni Ecclesiae, Pentecostes et Nativitatis Domini die ac nocte. n. 110 ad 1 et 3 die 16. Jan. 1597. Vd. *Dignitas* (celebr.)

Archidiaconi est, non autem Vicarii, in quibuscunque processionibus intra et extra civitatem faciendis, illas *ordinare et distribuere.* n. 110 ad 4 die 16. Jan. 1597.

Item est Archid., absente vel impedito Archiepiscopo candelas benedicere et distribuere in die Purificationis B. V. M. *Ibid.* ad 5.

2) Ejus Coadjutor.

Vd. *Coadjutor Archidiac.*

3) In Consecrat. ss. Oleor. in Coena Dom.

Vd. *Assistens Episcopi in Consecrat. ss. Oleor.; Coena Domini* (Olea s.; Distributor).

4) Habitus in assist. Episcopi.

Archidiaconum non habitu praelatitio sed canonicali uti debere, quando in functionibus ecclesiasticis Episcopo inservit. n. 1571 ad 2 die 17. Nov. 1646.

Vd. *Archidiaconus* (Praesentia et habitus in choro).

5) Incensatio.

Vd. *Incensatio; Canonici Cath.* (incens.)

Archidiaconus absente Episcopo duplici tantum ductu juxta Caeremoniale thurificandum esse. n. 1725 die 22. Aug. 1654; n. 2563 die 12. Septbr. 1671.

Praedictum decretum omnino servari mandavit S. C. n. 1750 die 19. Dec. 1654; n. 2799 die 14. Nov. 1676.

Archidiaconum, tamquam Dignitatem, qui baculum Archiepiscopi sustinet, thurificandum esse immediate post Presbyterum et duos Canonicos Diaconos assistentes, antequam chori thurificatio inchoetur. n. 345 die 28. Apr. 1667.

6) In Ordinatione.

(Vd. *Ordinatio; Tonsura. Mandatum apost.*)

Archidiacono competit jus vocandi Ordinandos in solemnibus Ordinationibus. n. 1976 die 29. Mart. 1659.

Archidiaconum Cathedralis Muri assistentem Episcopo habenti Ordinationem generalem ministrare debere capite detecto, praecipue, quando suas facit instantias recitando verba: Rme. Pater, postulat S. Mater Ecclesia; non autem cum bireto. n. 2530 die 28. Febr. 1671.

Ad dubium: An Archidiaconus (in Ordinatione) uti debeat habitu dumtaxat Chorali, vel Dalmatica, aut Pluviali? S. C. resp.:

„Servetur Caeremoniale Episcoporum lib. 1 cap. 7."

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 6. Sept. 1834. n. 4732.

7) Praecedentia.

Canonicis presbyteris contendentibus praecedentiam super Archidiaconum, eo quod ipse sit in diaconali ordine constitutus, S. C. resp.: praecedentiam spectare ad Archidiaconum. n. 1473 die 26. Sept. 1643.

8) Praesent. et habitus in choro.

Vd. *Rector Chori; Archidiaconus* (habitus etc.)

Nullo modo posse Archidiaconum lucrari distributiones quotidianas et fructus suae Praebendae nisi in habitu proprio et Archidiacono convenienti, in choro et in Ecclesia assistat horis Canonicis et divinis Officiis et cum eodem habitu in processionibus incedat in loco sibi debito et convenienti tamquam Archidiacono et non tamquam Protonotario, et dum in Ecclesia Cathedr. celebrat Missas, morem consuetum Ecclesiae servare debeat. Quodsi voluerit uti habitu *Protonotarii* in Ecclesia Cath., nihil participare poterit de fructibus et distributionibus Archidiaconatus; tamquam extraneus reputabitur eique locus assignandus erit post Abbates, non supra nec inter Canonicos, ut dicitur in Caerem. lib. I. c. XIII. circa finem. n. 422 die 19. Novbr. 1611; n. 2289 ad 3 die 30. Aug. 1664. Vd. *Vicar. general.*

Archidiaconum, quamvis primam Dignitatem, immunem non esse a poena privationis distributionum quotidianarum, si in functionibus ecclesiasticis incedat cum habitu Protonotarii. n. 1572 ad 1 die 17. Nov. 1646.

Archidiaconum, licet etiam Vicarium, non posse se abstinere a choro et gaudere distributionibus quotidianis. n. 2289 ad 8 die 30. Aug. 1664.

Non licere Archidiacono Cathedralis Papien. in functionibus per ipsum faciendis tamquam Primicerium deferre ultra Insignia Primiceriatus etiam illa Archidiaconatus. n. 2793 die 13. Junii 1676.

9) Subscriptio.

Archidiacono in edictis per eum editis non licet nomen proprium inscribere cum illis verbis: *Dei et apostolicae sedis gratia Archidiaconus etc.* n. 1603 die 20. Febr. 1649.

Cf. de Archidiacono: *Sedes Vicarii gener. et Archidiaconi*; *Magistratus*; *Missa priv. Dignitar. etc.*; *Chorus* (initium).

ARCHIEPISCOPUS.

1) Accessus ad Suffraganeos.

Quotiescunque Archiepiscopus accedit *solemniter* ad Urbem Suffraganei, debet Episcopus Provincialis illi processionaliter obviamire (cum Canonicis et Clero) n. 101 die 10. Jan. 1597.

2) Benedicens.

Vd. *Benedictio.*

3) Crux.

Vd. *Crux archiepiscop.*

4) Mozzetta.

Vd. *Mozzetta.*

5) Officium.

Vd. *Episcopus* (recitatio Off.).

6) Pallium.

Vd. *Pallium.*

7) Praecedentia.

Vd. *Episcopus* (praecedentia.)

Ad Archiepiscopum uti Archiepiscopum majoritate gradus supra Episcopum praecedentiam spectare. n. 1779 die 29. Jan. 1656.

Ad dubium: quaenam ratio habenda sit inter Episcopos Suffraganeos et Archiepiscopum, cum simul in Metropolitana Divinis interfuturi conveniunt et genuflexi preces effundunt ante altare SSmi. et altare maximum? S. C. resp.: Archiepiscopum oportere genuflectere et incedere digniori quidem loco sed in linea cum Suffraganeis, Archiepiscopum scilicet super faldistorio et Suffraganeos super pulvinaribus hinc inde. At si loco faldistorii Archiepiscopus adhibeat genuflexorium commune, poterunt Suffraganei, si idem capax fuerit, super eodem hinc inde pariter genuflectere. n. 1899 die 8. Junii 1658.

8) Religiosus.
(Habitus).

Vd. *Episcopus regularis* (cappa).

Non licere Archiepiscopo Tarracon. Religioso Professo Ordinis s. Benedicti gestare habitum Cardinalitium sericum ad instar aliorum Archiepiscoporum saecularium, sed servandum esse Caerem. n. 2653 die 12 Aug. 1673. Hoc decret. firmatum est die 16. Junii 1674.

9) Sanctus.

Vd. *Sancti* (Officium).

10) Sedes.

Vd. *Sedes.*

11) Titularis.
(Praeced.)

Ad dubium Archiepiscopi Ephesini: num Archiepiscopi titulares in aliena Dioecesi existentes praeferri debeant Episcopis et Archiepiscopis consecratione junioribus nec non aliis Episcopali charactere senioribus sed gradu archiepiscopali posterioribus, ut puta ad Ecclesiam archiepiscop. post ipsius oratoris ordinationem translatis? S. C.

resp.: Affirmative, extra tamen Ecclesiae ambitum, intra quam Ordinario privative quoad omnes Episcopos et Archiepiscopos, etiam seniores, praecedentia competit. n. 1792 die 8. Apr. 1656. Cf. *Episcopus* (praeced.) Archiepiscopo titulari aeque ac de residentia praelationem et obsequia deberi ac propterea Archiepiscopum Suffrag. Pragensem Oratorem caeteris Dignitatibus archiepiscopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendum esse. n. 1857 die 1. Decb. 1657.

ARCHIPRESBYTER.

1) Celebrans.

Vd. *Usus Pontificalium* (decr. n. 4614 nota; et alia decreta).

Missarum celebrationem in absentia Archipresbyteri, vel etiam in ejus praesentia, si ipse celebrare noluerit, ad Dignitates seu antiquiores presbyteros, non autem ad ejus substitutum pertinere, cui *tamquam substituto* nec locum ullum nec incensi aut pacis honorem convenire. n. 183 die 14. Decb. 1602.

Licere Archipresbytero solemniter celebranti uti mensa absque tamen luminaribus alioque ornatu episcopali. n. 1544 ad 6 die 16. Sept. 1645.

Non licere Archipresbytero delegare alios in functionibus suo arbitrio sed servandum esse decret. sub die 7. Oct. 1645. n. 2881 die 6. Mai. 1679.

Celebrationem missae sol. et Officii pro festo dedicationis Ecclesiae s. Mariae in Cosmedin de Urbe ab Archipresbytero peragendam. n. 3779 die 10. Decb. 1707.

2) Ecclesiae Metrop. Pisanae. (Privilegia.)

Vd. *Usus Pontifical.* (decr. n. 4696.)

3) Locus in processione.

Archipresbyterum in processionibus stola tantum et cotta indutum non posse incedere post Canonicum paratum. In processionibus debere incedere inter duos Canonicos vel ad dexteram dignioris. n. 1544 ad 3 et 4 die 16. Sept. 1645.

4) Praeced. et honor.

Vd. *Aspersor.; Chorus.*

Non convenire Archipresbytero sedem paratam, neque, ut Presbyteri et Clerici eum associent, neque quod eorum dignior in porta Ecclesiae porrigat et ministret ei aspersorium, neque alia praetensa obsequia praestent, quae solis Episcopis a Canonicis Ecclesiarum Cathedr. debentur. n. 506 die 4. Julii 1615. Vd. *Canonici.* (Praeced.)

Decano et Canonicis *collegialiter* incedentibus tam intra quam extra Ecclesiam praecedentiam competere supra Archipresbyterum. n. 1052 ad 1 et 2 die 11. Maii 1638.

Nullam qualitatem Archipresbyteri remanere post renuntiationem Archipresbyteratus; idcirco eum esse contemplandum uti simplicem Sacerdotem, illumque antiquioribus in Ordine cedere opportere. n. 1916 die 7. Sept. 1658.

5) Sedes.

a) In sua Ecclesia.

Non licere Archipresbytero pro commodiori audientia concionatoris habere sedem prope altare, sed in alio loco opportuno et decenti. n. 1544 ad 7 die 16. Sept. 1645.

In choro nihil esse innovandum quoad sedem ipsius Archipresbyteri. Ibidem ad 8.

b) Extra suam Eccles.

Non licere Archipresbytero habere sedem particularem extra Ecclesiam archipresbiteralem, sed in aliis debere esse contentum sede aequali una cum Canonicis, in loco tamen digniori, ornato etiam tapete et pulvinari pro

genuflexione. n. 1544 ad 1 die 16. Sept. 1645.

ARUNDO.

1) Amotio.

Vd. *Lumen Christi.*

2) Deferrens.

Vd. *Diaconus* (cant. Exultet.); *Benedictio ignis* (Officiator, decr. n. 4672).

ASCENSIO DOMINI.

1) Dies octava.

Ad dubium: Quum Collegio S. Caroli ad Catinarios de Urbe concessum fuerit, ut Officium B. M. V. sub titulo Auxilium Christianorum die 24. Maii celebretur sub ritu dupl. II. Cl., quaeritur: quid agendum sit, si eodem die occurrat dies octava Ascensionis D. N. s. Chr.?

Emi. et. Rmi. P. . . . rescribendum consuerunt: „Juxta Rubricas faciendum esse Officium de duplici II. Cl. cum commemoratione diei octavae Ascensionis in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa." n. 5230 ad 5 die 29. Nov. 1856.

2) Occurrentia.

Ascensio Dom. occurr. cum festo Apparitione s. Michaelis archang., Vd. *Apparitio s. Michael.; Communicantes.*

ASPERSIO AQUAE BENED.

1) Antiquitas.

Vd. *Aspersio aquae ben. in dom.* (Officiat. decr. n. 4672 *nota* ad finem.)

2) In bened. fontis in Sabb. s.

Vd. *Aspersio aquae bened.* in dom. (Off. decr. n. 5228.)

3) In Dominica.

a) Clerus.

Servanda est consuetudo in Metropol. Januensi aspergendi omnes Canonicos singulatim diebus dominicis ante Missam. n. 2083 ad 12 (2do loco) die 18. Decb. 1660.

In *missali* in rubica benedictionis pro aspersione aquae benedictae in dominicis dicitur, quod Sacerdos celebraturus debeat ter aspergere altare deinde se; et in Caerem. Lib. II. c. XXXI. nihil dicitur de Celebrante. Quaenam istarum regularum servanda sit? S. C. resp.: Sequendam esse rubricam Missalis et secundam partem c. 31 Caerem., ubi agitur de aspersione, quae fit absente Episcopo. n. 2594 ad 8 die 3. Sept. 1672.

Ad dubium: an Sacerdos missam dominicalem celebraturus in Ecclesiis Colleg. possit offerre aquam bened. Diacono et Subd. manu eorum aspersorio capiendam, an vero ipsos aspergere debeat non obstante contrario usu? S. C. resp. *Negative.* Dictus Sacerdos debet aspergere Decanum et singulos Canonicos singulatim; reliquos de Clero, si sint in parvo numero, etiam singulatim; si vero in magno numero, omnes unico ictu quasi in gyrum aspergendos esse. n. 3493 ad 2, 3, 4 die 27. Sept. 1698.

b) Coram Episcopo.

Ad dubium: an in aspersione aquae bened. coram Episcopo facta, postquam Episcopus se ipsum et Celebrantem aspersit, sit etiam duo sibi assistentes Diaconos aspersurus et aspersione hujusmodi durante, a principio usque in finem stare debeat? S. C. resp.: Convenire et decere. n. 3614 ad 2 die 11. Febr. 1702.

c) Laici.

Parocho Ecclesiae Albignani non licet porrigere aspersorium propriis manibus Baroni ejusdem loci et ejus uxori, dum Divinis intersunt. n. 3481 die 2. Aug. 1698.

Ad dubium: an missam dominicalem

celebraturus possit offerre domino temporali loci aquam bened. manu ejusdem ex aspersorio sumendam, an vero teneatur ipse illum aspergere non obstante contraria consuetudine? S. C. resp.: *Dentur decreta.* n. 3493 ad 1 die 27. Sept. 1698.

Populum a Sacerdote ter, in medio, a dexteris et a sinistris aspergendum esse. n. 3493 ad 4 die 27. Sept. 1698.

Baroni Calimerae ministranda non est propriis manibus aqua lustralis a parocho, superpelliceo vel pluviali induto, in solita aspersione facienda ante initium missae in diebus dominicis et festivis. n. 3684 ad 4 die 26. Apr. 1704.

d) Ministri.

Celebrans aspergens populum aqua bened. associari debet a Diacono et Subdiacono et Ministris Altaris et recitare psal. *Miserere* ad formam rubr. Rit. tit. de Bened. n. 2345 ad 13 die 31. (Julii) 1665.

e) Modus.

Vd. *Aspersio aquae bened.* — (modus); *Aspersio aquae etc.* (Officiator; decr. n. 4672.)

In aspersionae Aquae benedictae, quae qualibet Dom. ex Rubricarum praescripto fit ante Missam solemnem, Celebrans omnes in Choro assistentes eadem aqua lustrat. Accedens vero ad Chorum plerumque Cornu Epistolae petit; dubitatur modo utrum valeat ab eodem Choro recedere finita benedictione per eamdem viam, vel completo gyro per cornu Ev. ad Altare redire? Pro solutione hujus Dubii S. R. C. humillime rogarunt Aeditui et Beneficiati Eccl. S. Mariae in Foro Civitatis Lucanae. Et S. eadem C., audita relatione a subscripto Secretario facta, omnibusque consideratis, rescribendum censuit: ,,Serventur Rubricae, vel laudabilis consuetudo, quae Rubricis non adversatur.“

Atque ita rescripsit. n. 4971 die 17. Jun. 1843.

Ad dubium: An Celebrans diebus Dom. Chorum aditurus ad aspergendum Clerum Aqua lustrali, accedere debeat per latus Epistolae, atque circulum perficiens post aspersionem redire debeat ad Altare per latus Ev., seu potius ire ac redire debeat per latus Ev.?

Et Emi. ac Rmi. P.... rescribendum censuere: ,,Juxta Votum Magistri Caerem.“, nimirum:

Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripserunt, servarique mandarunt. n. 4978 die 7. Dec. 1844.

Ad dubium: Utrum in Dominicis, quum Celebrans in aspersione Aquae ante Missam Solemnem intonat Antiphonam — *Asperges me* — debeant Chorales, id est Clerici in Choro circumstantes, sese vertere ad Altare? ...rescriptum prodiit:

,,Quoad Clericos in Choro degentes negative, seu non teneri: quoad reliquos Clericos in Presbyterio commorantes affirmative, si adsit consuetudo.“

Atque ita S. C. rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. n. 5208 ad 1 die 12. Aug. 1854.

f) Officiator.

Vd. *Stola*, (quo modo def.); *Paramenta* (depos.).

Hebdomadarius aquam benedictam aspergat in Ecclesia juxta Rubricas Missalis. Quodsi chorus adeo sit elatus, ut nisi per scalas ad eum non pateat accessus, alter Sacerdos superpelliceo et stola indutus in choro aspersionem faciat. n. 32 ad 1 die 17. Novb. 1592.

Missae Sacrum faciens per Chorum tantum a Ministris associatus asperget. Per Ecclesiam vero et ad populum poterunt Ministri ipsi aspergere in Sacrificio illo. n. 133 ad 10 die 2. Sept. 1597.

Aspersionem aquae benedictae in Dominicis fieri debere per celebrantem et non per alium, non obstante contraria consuetudine. n. 923 ad 1 die 5. Julii 1631.

Tam Dignitates quam Canonici celebrantes in diebus dominicis vel aliis sol., tenentur facere aspersionem per se ipsos. n. 2965 die 20. Sept. 1681; n. 4235 ad 13 die 15. Sept. 1753.

Aspersionem aquae benedictae in diebus dominicis fieri debere per ipsum Celebrantem, *etiam quod sit prima vel alia Dignitas,* non obstante contraria consuetudine, quae potius corruptela quam consuetudo dici debet, cum sit contra rubricas missalis romani et Caeremonialis (Lib. II. c. XXX). n. 968 die 27. Nov. 1632; n. 1856 die 1. Dec. 1657; n. 2931 die 11. Jan. 1681.

Si aliquando in Dominicis in aspersione aquae benedictae in cappella regia nonnulli Episcopi simul reperiuntur, Celebrans illos et Cappellanum regium, qui est Episcopus proprius, aspergere debet, ut Romae fit in Ecclesiis Patriarchalibus. n. 1554 ad 3 die 14. Apr. 1646.

In dominica Palmarum facere debet Asperges Celebrans. n. 1606 ad 2 die 13. Mart. 1649; n. 1613 ad 1 die 16. Nov. 1649.

Ritus aspergendi aqua benedicta populum restringitur ad dies dominicos tantum ante missam. n. 2345 ad 3 die 31. (Julii?) 1665.

Ad dubium: Utrum ferri valeat usus aspersionis aquae benedictae, quae fieri debet in diebus Dominicis ante Missam Solemnem, peragi solitae non quidem a Celebrante, sed a Cappellano Chori cum Pluviali? S. C. resp.: „Negative.“ n. 4672 ad 11 die 12. Nov. 1831.

Nota Gardell. ad hoc decretum.

Responsio ad Dubium nulla prorsus indigeret adnotatione, clarissima enim per se res est. Ipsa enim Missalis Rubrica, et Caeremonialis Episcoporum praescriptio regulam suppeditat, quae servari debet in aspersione Cleri facienda diebus Dominicis; sed quoniam usus in medium adducitur, qui viget in Metropolitana Ecclesia Pisana, ut nempe non a Celebrante, sed a Cappellano Chori Pluviali induto aspersio cum Aqua benedicta peragatur, haud quidem inopportunum erit quaedam subjicere, ut abusus hac in re appareat, pariterque de medio servatus huc usque usus tollatur, ac Rubrica Missalis et Caeremonialis Episcoporum, ut in responsione sancitum est, servetur. Missalis siquidem Rubrica in Ordine ad faciendam aquam benedictam haec habet: *Finita benedictione* (aquae) *Sacerdos celebraturus indutus Pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare, et ibi ad gradus cum Ministris genuflexus, accipit a Diacono Aspersorium... Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde Populum.* His similia habet Caeremoniale Episcoporum cap. 15, §. 14.: *Dominicis vero diebus . . . quia Clerus, et Populus ante Missam Aqua benedicta per Celebrantem est aspergendus, oportet illum incedere Pluviali indutum inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris de more paratos, qui postea facta Aquae benedictae aspersione, et dicta Oratione, et deposito Pluviali acipient Manipulum et Planetam, et incipient Missam.* Cui nam dubium poterit oriri, sit ne ipse Celebrans, qui Clerum Aqua benedicta aspergere debeat? aut quis potius contrariam praxim abusum redolere non existimet, Rubricae Missalis et Caeremonialis adversantem praescripto? Nihil huic tam clarae praescriptioni addere oporteret; nihilominus aliquid adnotatur quod ipsa verba Rubricae Missalis et Caeremonialis offerunt adnotandum ad clarius rem ipsam ostendendam, et extra

omnem dubitationem, aut ambiguitatem adducendam. Quod ipse Celebrans debeat Clerum aspergere non modo ex his verbis Rubricae: *Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde Populum:* vel aliis Caeremonialis*: Quia Clerus et Populus ante Missam Aqua benedicta per Celebrantem est aspergendus;* verum etiam ex toto contextu eruitur, ut quisque per se videt, et percipit ex aliis, quae post illa, verbis sequuntur. Nam in Caeremoniali Episcoporum haec leguntur: *Oportet illum* (Celebrantem) *incedere Pluviali indutum inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris de more paratos; qui postea... accipient Manipulum et Planetam, et incipient Missam:* Nulla hic interponitur Mora inter aspersionem et Missae initium, nullus alius a Celebrante diversus Sacerdos nominatur, qui aspergat, vel nullus alius ab eo, qui aspersit, ad incipiendam Missam parandus indigitatur; sed unus idemque, nempe qui aspersit, dicitur celebraturus, unus igitur idemque debet esse et qui celebrat et qui aspergit. Idem omnino iterum legitur in eodem Caeremoniali lib. 2 cap. 30: *Absente Episcopo in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis, aliquis Canonicus, seu Dignitas, vel is, ad quem de consuetudine spectat hac die celebrare in absentia Episcopi, paretur in Sacristia more solito cum Pluviali albo, et accedat ad Altare medius inter Diaconum et Subdiaconum paratos omnibus paramentis ipsis convenientibus . . . accepto de manu Diaconi Aspersorio cum Aqua benedicta . . . asperget primo Altare, deinde seipsum, mox Diaconum, et Subdiaconum . . . quo facto deposito Pluviali capiet Planetam, et . . . inchoabit Missam.* Quod si haec postrema verba non leguntur in Missali, non ex eo sequitur, Sacerdotem, qui aspersit, non debere celebrare Missam, quod manifeste praescribitur a Caeremoniali, sed dicendum, Missalem Rubricam omisisse, quia in eo solum est, ut indicet Ritum, quo debet Clerus, et Populus aspergi, et satis esse existimavit ab initio innuisse eum debere Missam celebrare qui aspersit, per ea tantum verba, quibus Rubrica incipit, nempe: *Sacerdos celebraturus indutus Pluviali . . . aspergit Clerum.* Quid plura? Observat apposita ad rem nostram Merati: Sacerdotem Missam solemniter celebraturum ita paratum egredi cum suis Ministris a Choro ad Altare ad faciendam Aquae aspersionem, quod sane probat, unum eundemque esse debere, qui aspergit, et qui celebrat; quodsi alius a Celebrante esset, hoc utique indicasset. Hanc aliquorum quoad hunc ritum servandum renuentiam jamdiu cavit Sacrorum Rituum Congregatio, quae clarissimis innixa Rubricae verbis alias decrevit: ab ipso Celebrante fieri debere aspersionem cum Aqua benedicta diebus Dominicis; Anno scilicet 1632 sub die 27. Novembris in Perusina. Qum enim Eminentissimus Cardinalis de Torres tunc Episcopus Perusinus mandaverit, ut Dominicis diebus per ipsum Celebrantem fieret aspersio juxta Missalis praescriptum, et Archipresbyter, Perusinae ejusdem Cathedralis Dignitas, id aegre ferret et peragere recusaret, asserens numquam a Dignitatibus factam fuisse hanc aspersionem, Sacra Congregatio, supplicante dicto Archipresbytero de non innovatione, respondit: *Aquae benedictae aspersionem in diebus Dominicis fieri debere per ipsum Celebrantem,* et nulla facta distinctione inter Dignitatem et simplicem Canonicum, vel Presbyterum; ut ostenderet hoc munus esse cujusque celebrantis, adjunxit, *etiam quod sit prima vel alia Dignitas:* nihili faciens, immo excludens contrariam consuetudinem, addidit, *non obstante contraria consuetudine,* immo

improbans conclusit: *quae potius corruptela quam consuetudo dici potest, quum sit contra Rubricam Missalis et Caeremonialis.* Et haec verba, quibus includitur etiam Dignitas, si ad eam celebrare spectat, consonant cum aliis, quae superius allata sunt ex lib. 2. cap. 30. Caeremonialis Episcoporum desumpta.

Neque quis dicat posse quemcumque Sacerdotem a Celebrante diversum hanc actionem peragere, quemadmodum et quicumque sacerdos, qui non sit celebraturus, potest Aquam eo die benedicere: ex hoc sane illud non sequitur; nam praeterquam quod, ut vidimus ex Rubrica Missalis et ex Caeremoniali, Sacerdos celebraturus Clerum et Populum debet aspergere, ipsa Rubrica innuit, aquam, qua aspersio fit, a quocumque Sacerdote a Celebrante distincto posse benedici, quod de eo, qui aspergit, non innuit, neque inuere potuit semel ac statuerit ab ipso Celebrante faciendam esse aspersionem. Siquidem haec de facienda tantummodo aqua benedicta habet: *Die Dominico in Sacristia praeparato Sale, et Aqua benedicenda Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus:* quae verba, quum agitur de aspergendo cum hac Aqua Clero et Populo, non habet. Liberum itaque non est, quemadmodum in benedicenda Aqua, sic et ad Clerum et Populum aspergendum alium a Celebrante distinctum Sacerdotem deputare, sed Celebrantis, quicumque ipse sit, proprium est munus. Qui aliter vel sentit vel agit, contra Rubricam agit. Hinc nisi quis velit inobedientis notam consulto incurrere, Missalis et Caeremonialis praescripto debet conformari, et a contraria, si quae alicubi est, consuetudine recedere, quae a Sacra Rituum Congregatione corruptela declarata jamdiu fuit, et novitatem in Sacris Ritibus induceret.

Unum hic addendum non abs re erit, ut hujus ritus antiquitas innotescat. Haec Aquae cum Sale mixtae benedictio, et Populi Christiani cum ea aspersio juxta Auctores non paucos ab ipso Apostolorum tempore erat in usu, praecepta autem fuit Ecclesiae Saeculo secundo vix inito ab Alexandro Primo, ut constat ex Libro Pontificali, et ex multis Auctoribus de Ecclesiae Ritibus pertractantibus Rhabano Mauro. Walfrido Strabone, Micrologo: hinc Rubrica Missalis hanc praecipiendo aspersionem, vetustissimum immo priscum ritum servandum praecipit, et de hoc ritu extat antiquus Canon Concilii Namnetensis apud Burchardum Wormaciensem lib. II. cap. XII. in quo legitur: *Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase nitido tanto mysterio convenienti, de qua Populus intrans Ecclesiam aspergatur.* De antiquitate hujus ritus semper ab Ecclesia retenti, ut nempe Presbyter ipse die quolibet Dominico per Ecclesiam procederet, et Populum Aqua benedicta aspergeret, edocent vetusta Caroli Magni Capitularia, ubi lib. V. cap. 220 praecipitur: *Ut omnis Presbyter die Dominico cum psallentia circumeat Ecclesiam suam cum Populo, et Aquam benedictam ferat.*

Ad dubium: An Episcopus tolerare possit quod diebus Dominicis ante Missam Conventualem non ipse Celebrans, sed inter Canonicos primus Aquae lustralis efficiat aspersionem: idque pariter fiat Sabbato S. quoad aspersionem cum aqua recenter benedicta?

Emi. et Rmi. P.... respondendum duxerunt:

„Negative ad primam partem: quoad secundam servandam esse consuetudinem.“

Atque ita S. R. C. rescribere rata

est, propositaque Dubia declarare. n. 5228 ad 5 die 29. Nov. 1856.

g) Oratio.

Consuetudinem, ut Canonici aspersionis Officium peragentes, non ante altare sed prope sedem preces et orationem cantent, ab Ecclesiae Cusentinae praxi revocandam fore. n. 1992 die 19. Julii 1659.

4) In dom. Palmarum.

In dominica Palmarum, Episcopo earundem benedictionem solemniter celebrante, non est facienda hujusmodi aquae benedictae aspersio. n. 3674 ad 3 die 11. Febr. 1702.

5) In Eccl. non parochialibus.

Ad dubium: an in Ecclesiis non parochialibus liceat aquam benedicere et aspersionis caeremoniam dominicis diebus peragere? S. C. „plurimum de prudentia Ordinarii confisa ejusdem arbitrio indulgendum dimisit. n. 2017 ad 1 die 22. Nov. 1659.

6) Modus.

Ad dubium: In benedictione Candelarum, Cinerum et Palmarum dicit Rubrica Missalis: *Ter aspergit... aqua benedicta... ter adolet incenso*; et sic legitur in Caeremoniali Episcoporum. Item Rituale Romanum in Rubrica de exequiis dicit: *circumiens feretrum... aspergit corpus defuncti, et corpus incensat, ut asperserat:* Similia leguntur in Caeremoniali Episcoporum. Nihil autem dicitur, an praedictae aspersiones, sicut et aspersio, quae fit diebus Dominicis, faciendae sint cum Aspersorio per modum Crucis, ut praescribitur in Rituali Romano pro benedictione Mulierum post partum, an alio modo. Similiter iis in Locis, sicut et in thurificatione Sanctissimi Sacramenti expositi, Crucis, Reliquiarum, Altaris, et Evangeliorum in Missa solemni nil dicit Rubrica, an tres thuribuli ductus debeant esse simplices, an duplicati. Quaeritur: quomodo facienda sit tam aspersio, quam thurificatio, quum praxis videatur arbitraria? S. C. resp.:

„Serventur Rubricae et praxis communis.“ n. 4669 ad 38 die 12. Nov. 1831.

ASPERSIO CUBICUL. MONIALIUM.

Ad dubium: an sit permittendus Confessariis Monialium civitatis Burgi tam exemptarum quam Episcopo subjectarum fer. 3. majoris hebd. ingressus intra septa Monasteriorum ad aspergendum ipsarum Monialium Cubicula? S. C. resp.: scribendum esse Episcopo, quod non permitteret. n. 3514 die 4. Apr. 1699.

ASPERSORII PORRECTIO FIT

1) Canonicis ab Episcopo.

Episcopum debere aspergere immediate Capitulum, nisi tunc adsit alius Episcopus, et postea Vicarium et Magistratum saecularem. n. 1588 die 18. Maji 1647.

Episcopus aspersionem per digniorem incipere debet. n. 3551 ad 15 die 13. Mart. 1700.

Quando Episcopus Ecclesiam Regularium ingreditur a suis Canonicis et Dignitatibus associatus, debet aspersionem incipere per eum, a quo accepit aspersorium. n. 3551 ad 16 die 13. Mart. 1700.

2) Canonicis et Dignitat. a Sacerdote.

Vd. *Capitulum* (associat).

Ad dubium: an et a quo et quomodo sit danda aqua lustralis Capitulo et Canonicis Colleg. Montis Callerii Taurin. Dioec. processionaliter acce-

dentibus ad Eccles. B. V. M. de Testona? S. C. resp.: Dandam esse aquam lustr. per monachum sacerdotem seu Clericum cotta indutum *per aspersionem* cum aspergillo Capitulo et Canonicis processionaliter accedentibus, Sacerdoti vero pluviali induto *per contactum.* n. 3530 ad 1 die 12. Sept. 1699.

Ad dubium: An, et a quo, et quomodo danda sit aqua lustralis Capitulo et Canonicis S. Stephani Brachiani processionaliter accedentibus ad Ecclesiam S. Mariae Novellae Brachiani?

Et S. R. C., P. Augustinianis tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, rescribendum censuit:

„Detur Decretum in Taurinen. 12. Sept. 1699.“

Et ita decrevit, ac etiam in causa Sutrina servari mandavit. n. 3880 die 27. Julii 1715.

Ad dubium: An Magister Caerem. Rmi. D. Can. Dec., eidem ad Eccles. Colleg. S. Michaëlis in Foro, in qua ipse est prima Dignitas, Canonicis sequentibus accedenti pro re divina peragenda in Pontificalibus, seu pro Assistentia Missae, ac Vesperis solemnibus, teneatur Aspersorium in pilam Aquae benedictae immergere, exhibere Canonico digniori ejusdem Collegiatae, ab eoque illud, exacta per Canonicum Decanum aspersione, recipere, seu potius haec praestare teneatur Magister Caer. Collegiatae?

Et Emi. ac Rmi. P... rescribendum censuere:

„Juxta Votum Magistri Caer.:“ nimirum:

„Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.“

Atque ita rescripserunt, servarique mandarunt. n. 4978 ad 3 die 7. Decembris 1844.

3) Capite detecto.

Thurificationem et Aspersorium capite *detecto* esse ministranda. n. 1494 ad 3 die 16. Apr. 1644.

4) Cardinali Legato.

Aspersorium Emmo. Legato non ab Archidiacono seu aliis de Capitulo cujuscunque Ecclesiae porrigi debere, sed a digniore illius Ecclesiae, ad quam Emmus. Legatus accedit. n. 946 die 11. Febr. 1632.

5) Cardinali Titulari.

Ad dubium: 1. An, accedente Emo. D. Card. Titulari ad Ecclesiam S. Pantaleonis in die festo ejusdem Sancti tempore, quo Canonici S. Eustachii capitulariter existunt in eadem Ecclesia, vel intersunt Vesperis et Missae cantatae, Canonici debeant excipere eumdem Cardinalem Titularem, et pertineat ad digniorem de Capitulo et Canonicis porrigere aspersorium ipsi Emo. Titulari, vel potius ad R. P. P. Matris Dei Scholarum Piarum? et quatenus affirmative ad primam partem:

2. An idem servandum sit quoad ceteros Emos. D. Cardinales ad praedictam Ecclesiam pariter dicto tempore accedentes?

Et S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. „Negative quoad primam partem, et affirmative ad secundam.“

Ad 2. Satis provisum in primo.

Et ita decrevit, et servari mandavit. n. 3879 die 6. Julii 1715.

6) Episcopo.

a) In Ecclesia Cathedrali.

Vd. *Suffragan.* (access.)

Aspersorium Episcopo offerre ad ostium Ecclesiae *Cathedralis* primam debere Dignitatem; eaque legitime impedita, illud ipsum munus subire debere aliam Dignitatem aut personam,

quae dignior ex Capitulo aderit. Legitimi autem impedimenti causa non censetur, quod aliquis in choro sit occupatus nisi in sacris vestibus ad missam majorem celebrandam sit indutus. — n. 21 ad 5 et ad 6 die 23. Mart. 1592.

Aspersorium cum aqua benedicta ministrare Episcopo Ecclesiam ingredienti ad primam Dignitatem seu primum Canonicum et alios successive pertinere. n. 274 die 16. Julii 1605; n. 792 die 20. Dec. 1628; n. 1206 die 10. Martii 1640; n. 1650 ad 4 die 28. Septbr. 1652; n. 4064 ad 14 die 31. Aug. 1737.

Donec distinguantur Praebendae... convenit, ut a prima Dignitate vel a Canonico, qui primum locum in Choro et processionibus obtinet et vicinior Episcopo erit, Aspersorium ministretur et Navicula... Quando vero Praebendae erunt distinctae, tunc omnino a primo presbytero, ut dicitur in Caeremoniali, erit agendum. n. 351 ad 5 die 19. Maji 1607.

Episcopo Ecclesiam Cathedralem ingredienti aspersorium porrigi debere per digniorem ipsius Ecclesiae tunc praesentem. n. 1361 die 8. Febr. 1642.

Jus porrigendi et dandi aspersorium Episcopo accedenti ad Cathedralem privative in omnibus functionibus spectare ad digniorem de Capitulo, non autem ad Vicarium. n. 2336 die 31. Julii 1665.

Jus aspersorium porrigendi Episcopo *cum osculo manus* spectare ad digniorem de Capitulo et Episcopus non debet uti chirothecis, nisi in functionibus pontif. n. 3551 ad 13 et 14 die 13. Mart. 1700.

Episcopo accedenti ad Cathedr. pro celebranda missa privata tenentur Canonici porrigere aspersorium. n. 3886 ad 4 die 11. Julii 1716.

Vd. *Canonici assist. Episcopo in habitu canon.* (decr. n. 4317.)

b) In Eccl. Colleg. et paroch.

Vd. *Incensum; Aspersorii porrectio etc.* (Praes. Capitulo Cathedr.)

At in alia Ecclesia *Colleg.* aspersorium esse porrigendum a *Praeposito* ejusdem Ecclesiae vel ab eo, qui in illa digniorem personam gerit, ut tam Ecclesiae quam personae porrigenti honor tribuatur. n. 21 ad 5 et ejusd. num. infra 6; die 23. Mart. 1592.

Episcopo, dum ad Ecclesiam Colleg. s. Venantii una cum Canonicis et Capitulo Ecclesiae Cathedr. accedit, Aspersorium a Priore s. Venantii porrigendum esse. n. 372 ad 2 die 15. Mart. 1608; n. 3340 die 4. Sept. 1694.

Ad dubium: An Rector Ecclesiae parochial., qui curam per Capellanos exercet, teneatur Ordinarium cum Rochetto et Mozzetta ad illius Ecclesiam accedentem ad valvas Ecclesiae recipere cum *superpelliceo, stola et aspersorio?* S. R. C. resp.: „Teneri.“ n. 660 die 21. Nov. 1626.

Aspersorium Ordinario Loci aliquam Ecclesiam suae Dioecesis seu jurisdictionis quacunque de causa ingredienti non ab Archidiacono seu aliis de Capitulo cujuscunque Ecclesiae porrigi debere, sed a digniore illius Ecclesiae, ad quam Ordinarius accedit. n. 946 die 11. Febr. 1632; n. 1464 ad 1 die 11. Julii 1643.

Aspersorium porrigi debere a digniore illius Ecclesiae, ad quam Archiepiscopus accedit, non autem a Dignitatibus et Canonicis Cathedralis. n. 948 ad 2 die 14. Febr. 1632; n. 1006 ad 2 die 16. Septbr. 1634; n. 4137 die 19. Jan. 1743.

Non ad digniorem Cathedralis, sed ad digniorem Ecclesiae Annuntiationis spectare Episcopo aspersorium porrigere. n. 1357 die 11. Nov. 1641.

Episcopo extra suam Cathedral. in aliam Ecclesiam suae Dioecesis sive Saecularium sive Regularium ingre-

dienti, aspersorium porrigi debere per digniorem illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit, et nullo modo per Dignitates aut Canonicos Cathedr. illum associantes. n. 1366 die 8. Febr. 1642; n. 2687 die 14. Apr. 1674; n. 3174 ad 1 die 25. Sept. 1688.

Spectare ad digniorem illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit, semper et quocunque modo incedit, porrigere eidem Episcopo aspersorium. n. 2863 die 9. Julii 1678; n. 1731 die 19. Sept. 1654.

Porrigere aspersorium Archiepiscopo ingredienti Ecclesiam Parochiae spectare ad digniorem ejusdem Ecclesiae et non ad Dignitates vel alios Canonicos Metropolitanae. n. 1710 die 20. Junii 1654; n. 3984 die 9. Apr. 1729.

Porrectionem aspersorii in Ecclesiis Parochialibus, dum contingit ad eas accedere Episcopum, spectare ad primam Dignitatem vel digniorem Canonicum illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedet. n. 2440 die 9. Junii 1668.

Ad dubium: an Episcopo ad Ecclesiam parochialem civitatis, in qua prius accesserunt Capitulum et Canonici canonicalibus vestibus induti, cum cruce pro peragenda processione ab Ecclesia parochiali ad Cathedralem, parochus ipsius Ecclesiae vel unus ex dictis Canonicis porrigere debeat aspersorium? S. C. resp.: Spectare ad digniorem Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit, et sic ad Parochum. n. 2458 die 12. Jan. 1669.

Jus deferendi aspersorium in actu visitationis et in ingressu Ecclesiarum parochialium spectare ad Parochos et non ad Canonicos Convisitatores Cathedralis. n. 2809 die 16. Jan. 1677.

Ad relationem: Tertia rogationum die, cum Episcopus processionaliter procedit ad Collegiatam S. Mariae Cortonae, Canonici non occurrunt ipsi ad portam, sed tantum illum excipiunt circa medium Ecclesiae, nec ipsi porrigit aspersorium dignior Canonicus sed simplex Cappellanus? S. C. resp.: Episcopo debet obviari ad januam et aspersorium est porrigendum a digniori. n. 3597 ad 12 die 10. Sept. 1701.

Aspersorium porrigendum esse a rectore Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit. n. 4573 die 23. Sept. 1820.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Praeter plurima Decreta, quae legi possunt in hac Collectione, et statuunt, Aspersorium tradendum Episcopo a digniore Ecclesiae, ad quam accedit: etiamsi a suae Cathedralis Canonicis sit associatus. Praestat insuper S. Romanae Rotae decisionem afferre. Orta controversia inter Rmum. Capitulum Sacrosanctae Basilicae Lateranensis, et Praepositum Collegiumque Sixtinum apud Scalas Sanctas super jure excipiendi Summum Pontificem in Scalarum Sanctarum accessu, eidemque praesentandi Aspersorium; contendente Capitulo sibi tantum, non Praeposito, et Collegio Sixtino competere; datoque S. Rotae Auditorio ad decidendum sequenti Dubio: *An et a quo excipiendus Summus Pontifex in accessu ad Scalas Sanctas?* prodiit decisio, *Summum Pontificem excipiendum a Praeposito et Collegio Sixtino: Ita in Romana jurium honorificorum super bono jure, 13. Martii 1763 coram Herreros, et in Confirmatoria 13. Mart. 1765.* Ratio autem decisionis evidentissime patet. Cum enim constiterit, quod dominium et jurisdictio quoad Scalas Sanctas ad Praepositum et Collegium Sixtinum privative spectat, iisdem etiam debetur jus honorificum: Nam, ut habetur in decisione confirmatoria: *excluso Capituli dominio et jurisdictione,* facile patet jus excipiendi Summum Pontificem soli competere Praeposito et Collegio; vanumque, et perabsurdum esse in aliena

Ecclesia de majori dignitate contendere. In hac enim materia, qui dignior est in sua Ecclesia, is reliquos omnes inibi vincit et expellit. Nam quisque domi suae Rex est et Imperator et nemini cedere tenetur.

c) In Eccl. Coll. et par. praes. Capit. Cath.

Vd. *Aspers. porrectio in Eccles. Monach.* (decr. n. 4934).

Aspersorium porrigi debere per digniorem ex Capitulo Cathedralis in Ecclesia Colleg., *quando capitulariter et cum indumentis canonicalibus proceditur.* n. 1658 ad 3 die 18. Jan. 1653.

Nequaquam ad Vicarium general. ratione officii sed ad primam Dignitatem vel successive ad alias dignitates aut seniorem Canonicum, privative quoad ipsum Vicarium, spectare jus ministrandi aspersorium Episcopo in ingressu Ecclesiarum, *praesente Capitulo Cathedralis indumentis canonicalibus redimito.* n. 1753 die 29. Maji 1655.

Aspersorium porrigendum esse Episcopo a prima Dignitate Ecclesiae tam regularis quam saecularis, ad qnam accedit, etiamsi adsit aliquis Canonicus vel Dignitas Cathedr., *dummodo non adsit capitulariter nec cum indumentis canonicalibus;* tunc enim hujusmodi munus ad primam Dignitatem Cathedr. spectare. n. 2918 ad 2 die 6. Apr. 1680; n. 3174 ad 2 die 25. Septembris 1688.

Ad dubium: an liceat Capitulo Colleg. S. Gaudentii... Episcopo ad januam Ecclesiae Aspersorium praesentare et comitari ad altare, etiamsi Episcopum processionaliter praeincedant Canonici Cathedral., inhibitione Episcopi et aliis quibuscunque non obstantibus: S. C. resp.: Quoad porrectionem aspersorii, affirmative; quoad associationem, negative. n. 3340 die 4. Sept. 1694.

Ad dubium Capituli Cath. Castelli: an et a quo in actu ingressus ad Ecclesias priorales et parochiales sit porrigendum aspersorium Episcopo incedenti processionaliter in diebus Rogationum seu alia quavis occasioné simul cum Canonicis Cath. veste canonicali indutis et capitulariter procedentibus? S. C. resp.: *Dilata* et per modum provisionis servetur constitutio Synodalis. n. 4416 die 27. Apr. 1784.

Tam in associatione Episcopi quam in processione praecedentiam deberi et locum digniorem prope Episcopum Canonicis Cathedr.; receptionem vero spectare ad Canonicos Collegiatae. n. 4108 ad 6 die 21. Jan. 1741.

Sorana.

Juxta communem praxim, dum ad Collegiatam Ecclesiam S. Restitutae Civitatis Soranae accedit Rmus. Episcopus, sive ut S. Solemniis assistat, eum associant Capituli Cathedralis Canonici, sed vel Praepositus, vel Senior Collegiatae ipsius Canonicus Episcopo ingredienti Aspersorium porrigit cum aqua benedicta. Verum quum in praesentiarum Capitulum Cathedralis jus istud, Aspersorium in casu Episcopo porrigendi, sibi vindicare contendat; Praepositus ipse veluti prima dignitas Ecclesiae Collegiatae, et Canonici omnes S. Restitutae S. R. C. humillime rogarunt, ut declarare dignaretur; num juxta etiam novissimas Ordinariorum Sanctiones, vel Praepositus vel dignior Canonicus Collegiatae ipsius Ecclesiae perseverare debeat in jure porrigendi Aspersorium Episcopo ad Collegiatam ipsam accedentem, aut potius jus istud competat Cathedralis Ecclesiae Capitulo Episcopum comitanti? Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, audita relatione ab infrascripto Pro-Secretario facta juxta pluries decreta, rescribendum censuit et definiendum: „Spec-

tare ad Dignitatem, seu Seniorem Capituli Collegiatae." n. 5168 die 10. Jan. 1852.

SORANA.

Quidam Canonicus Cathedralis Soranae S. R. C. exposuit, in Civitate Sorana non tam facile occurrere, ut Cathedralis Capitulum associet capitulariter Rmum. Episcopum ad quamcumque Ecclesiam accedentem, nam ut plurimum Capitulum ipsum excipit Episcopum dum Ecclesiam ipsam ingreditur. Quum itaque ipse Canonicus contendat quod ea occasione jus Aspersorium porrigendi Episcopo ingredienti competat digniori ex Canonicis, minime vero Ecclesiae Rectori, S. ipsam C. rogavit, ut decernere dignaretur, quid in casu exequendum, ne jura Cathedralis Capituli vel in minimo laedantur.

Et S. ipsa C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu ad relationem subscripti Pro-Secretarii perpendens in similibus per innumera Decreta jus porrigendi Aspersorium Episcopo ingredienti cum Cathedralis Capitulo, vel in aliena Ecclesia excepto a Capitulo ipso capitulariter congregato, tributum fuisse Rectori Ecclesiae ipsius, ac proinde denegatum Canonico digniori; hinc idem servandum declaravit in Ecclesiis quibusvis Soranae Dioecesis.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. n. 5169 die 10. Jan. 1852.

d) In Eccles. non paroch.

Episcopo accedenti ad Ecclesiam B. M. de Succursu, sita intra limites parochiae Insulae, sejuncta tamen a Parochiali, porrigendum est aspersorium a Cappellano, non a parocho. n. 3874 ad 3 die 24. Novbr. 1714; n. 3937 die 3. Febr. 1720.

e) In Eccles. Confraternitatis.

Ad dubium: an Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a parocho, in cujus territorio sunt sitae dictae Ecclesiae? S. C. resp.: *Negative.* n. 3670 ad 24 die 12. Jan. 1704.

f) In Eccles. Monachorum.

Aspersorium Episcopo in Ecclesiam Fratrum Servitarum ingredienti esse porrigendum per digniorem illius Monasterii, non autem per aliquem ex Canonicis Episcopum associantibus. n. 1557 die 14. Junii 1646; n. 3024 ad 1 die 24. Julii 1683; n. 3950 ad 1 et 2 die 11. Julii 1722.

Procurator gener. Camaldul. admoneatur, ne audeant Monachi recusare Episcopo accedenti ad eorum Ecclesiam aspersorium in ingressu porrigere. n. 2070 die 24. Julii 1660.

Ad relationem Episcopi, ut in Ecclesia Cassinensium, in qua mos est terminandi *processionem Rogationum,* a solo Curato exceptus fuisset contra consuetudinem usque adhuc servatam cum suis antecessoribus, qui ab Abbate et Monachis excipi consueverunt, S. C. resp.: ut Abbas et Monachi hujusmodi obsequia Episcopo praestare in futurum non ommittant. n. 2168 die 3. Junii 1662.

Accedente Archiepiscopo Ravenat. ad Ecclesiam s. Vitalis una cum Capitulo Metrop. ad exercenda Pontificalia debet Abbas s. Vitalis porrigere aspersorium immediate Archiepiscopo, non autem Archidiacono vel alteri de Capitulo Metrop., qui illud porrigat Archiepiscopo. n. 2317 die 21. Mart. 1665; n. 2374 die 26. Junii 1666.

Porrigere Aspersorium Episcopo ingredienti Ecclesias Regularium spectare ad Regulares. n. 2907 die 16. Dec. 1679.

Canonicis Cathedralis Fani in publicis processionibus nempe in Lytaniis

maj. cum toto Clero saeculari et regulari *transeuntibus* per Ecclesiam Regularium s. Salvatoris Abbas debet porrigere aspersorium Episcopo et non Canonicus celebrans indutus paramentis sacerdotalibus. n. 2951 die 7. Jun. 1681; n. 3018 die 25. Mart. 1683.

Prior... Congreg. s. Philippi N. Placent. potest Episcopo vel Magnatibus accedentibus ad Oratorium porrigere aspersorium independenter a parocho. n. 3864 ad 3 die 10. Mart. 1714.

Episcopo visitanti Ecclesiam parochialem Monasterii s. Mercurialis tenetur ejusdem Abbas indutus *cotta, stola et Pluviali* obviam ire cum aliquibus Monachis usque ad januam Ecclesiae, ibique eum excipere, praebere aspersorium, *eundemque thurificare*. n. 4036 ad 1 die 20. Junii 1735.

PATAVINA.

Idibus Junii Solemniis recurrentibus S. Antonii Patav. ad Ecclesiam Ordinis Min. S. Francisci Conventualium in Civitate Patav. accedere assolet Rmus. Patav. Ep. in publica forma Pont. Missam celebraturus comitante Cathedralis Capitulo canonicalibus vestibus amicto, et ab immemorabili ad fores ipsius Ecclesiae Religiosa illa Conventualium Familia Praelatum excipit, et dignior Coenobii Pater eidem Episcopo ingredienti Aspersorium porrigit cum Aqua benedicta. Immemorabilis hujusmodi consuetudo praesenti hoc Anno servari nequivit, nam Magister Caeremoniarum indixit, ut prae digniore Patrum Aspersorium Episcopo porrigeretur a digniore Capituli. Cui quidem praescripto, ne scandala orirentur, tunc cessit Religiosa illa Conventualium Familia, sed ne jus acquisitum, et immemorabilis consuetudo laedantur R. P. Fr. Franciscus Peruzzo Exmagister Provincialis S. R. C. humillimis adiens precibus rogavit, ut sequens Dubium declarare dignaretur, nimirum: An Episcopo in forma publica ingredienti Ecclesias Regularium ad Sacra peragenda una cum Capitulo Cathedralis canonicalibus indumentis amicto, jus competat porrigendi Aspersorium cum Aqua benedicta Digniori Familiae Religiosae, an vero Digniori Capituli? Et S. eadem C. ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature diligenterque examinata, rescribendum censuit: „Juxta alias decreta porrigere in casu Aspersorium Episcopo ingredienti spectare ad Patrem Quardianum.“ n. 4934 die 11. Sept. 1841.

g) In Eccles. Monialium.

Vd. *Incensum.*

Jus deferendi aspersorium... in actu visitationis et in ingressu Ecclesiarum Monialium spectare ad Confessarios et non ad Canonicos Convisitatores Cathedralis. n. 2809 die 16. Jan. 1677.

(Vd. *Aspers. porr. Episc. in Eccl. Monachorum. decr.* n. 1557.)

h) Osculum.

Canonici, Praepositus etc. in aspersione porrectione manum Episcopi deosculari debere. n. 1602 ad 2 die 23. Jan. 1649.

Jus porrigendi aspersorium cum osculo manus spectare ad digniorem de Capitulo. n. 3551 ad 13 die 13. Mart. 1700.

7) SS. Papae.

Ingrediente SSmo. D. N. aliquam ex tribus Patriarchalibus Urbis Ecclesiis, aspersio aquae benedictae non a gubernatore ejusdem Urbis sed a Vicario Ecclesiae ejusdem aut eo absente, ab antiquiore digniorequc Canonico praebeatur. n. 117 die 9. Mart. 1597.

8) Praelato Gubernatori.

Ad dubium: an Praelato Guberna-

tori civitatis accedenti ad aliquam Ecclesiam sive regularem sive saecularem cum Magistratu sive sine illo et in habitu praelatitio sufficiat ministrari aquam bened. ab aliquo sacerdote vel alio ministro per simplicem contactum aspersorii vel potius debeat porrigi aspersorium ad hoc, ut Praelatus se ipsum et alios signet etiam per aspersionem? S. C. resp.: quoad primam partem attenta consuetudine, affirmative; et quoad secundam: negative. n. 3689 die 7. Junii 1704.

ASPERSORIUM.

1) Episcopus porrig. Laicis.

Vd. *Magistratus* (praes. etc. decr. n. 4612 ad 6).

2) Laicorum.

Vd. *Laici* (associatio).

Duci civitatis Asculi in ingressu ad Ecclesias saecul. et regul. civitatis non est porrigenda aqua benedicta ab aliquo Ministro ecclesiastico cotta induto. n. 3956 ad 3 die 23. Jan. 1723.

Sacerdos cotta indutus advenientem magistratum ad Ecclesiam Colleg. Montis Cassiani in janua Ecclesiae aqua aspergat. n. 4338 ad 2 die 16. Dec. 1766.

3) Quibus primum porrig. ab Episcopo?

Episcopus aspersionem per digniorem incipere debet. n. 3551 ad 15 die 13. Mart. 1700.

Quando Episcopus Ecclesiam Regularium ingreditur a suis Canonicis et Dignitatibus associatus debet aspersionem incipere per eum, a quo accepit aspersorium. n. 3551 ad 16 die 13. Mart. 1700.

4) Quibus non porrigendum?

Non convenire, quod dignior presbyterorum et Clericorum in porta Ecclesiae Archipresbytero porrigat et ministrat Aspersorium. n. 506 die 4. Julii 1615.

Non teneri Canonicos Archipresbytero porrigere Aspersorium. n. 1544 ad 5 die 16. Sept. 1645.

Non licere Abbati et in defectu Priori Aspersorium Archidiacono porrigere. n. 3024 ad 2 die 24. Julii 1683.

Canonicus major non tenetur in ingressu Ecclesiae tradere Priori Ecclesiae Collegiatae Lucanae aspersorium pro aspergenda aqua benedicta Canonicis, Cappellanis, Clericis aliisque adstantibus. n. 3944 ad 3 die 15. Mart. 1721.

Vd. *Vicarius gen.* (Associatio etc.).

5) Quis defert?

Non licere nec ullo modo licuisse Lateranensi Caeremoniarum Magistro a manibus Acolythorum Vaticanae Basilicae aspersorium recipere, sed per eosdem Diacono Episcopo assistenti esse tradendum in Processionibus s. Marci. n. 3198 die 30. Julii 1689; n. 3215 die 22. Apr. 1690.

ASSISTENS.

1) Abbatum.

Cf. *Usus Pontificalium.*

Prior usum Pontificalium habens, contentus esse debet cum Diacono et Subdiacono missae et uno Capellano cum pluviali assistente. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbates contenti esse debent Diacono et Subdiacono et uno Monacho sive Capellano cum Pluviali, qui assistit ad librum. n. 531 die 18. Mart. 1617.

Abbatibus Olivetanis licere assistentiam unius Presbyteri. n. 1804 die 17. Mart. 1629.

Licere abbatibus Congreg. Camaldul. quando solemniter celebrant, uti assi-

stentia unius Presbyteri. n. 966 die 21. Aug. 1632.

2) Canonicorum.

Vd. *Biretum* (quis tenet.); *Assistens Dign.* (decr. n. 4079); *Usus Pontifical.* (praecipue decr. n. 4622 *nota*).

Canonicos Ecclesiae Mantuanae ex immemorabili consuetudine solitos esse, praeter Diaconum et Subdiaconum unum Cappellanum assistentem cum pluviali habere, quam assistentiam Liber Caeremon. solis *Praelatis* non Canonicis concedit. Quid faciendum? S. R. C. resp.: Librum Caeremon. in praemissis non obstare. n. 243 die 19. Jun. 1604.

Canonicis tam in Cathedrali quam extra missam cantantibus tolerari non potest assistens cum Pluviali. n. 3597 ad 14 die 10. Sept. 1701; n. 4978 ad 2 die 7. Dec. 1844.

Canonicis Cathedralis Bituntinae sol. celebrantibus non debetur assistentia per Praefectum caeremoniar. sed ea praestanda est per chori magistros. n. 4064 ad 19 die 31. Aug. 1737.

Cum Canonici et Capitul. Cathedr. Certanen. ex usu et consuetudine approbata sub dieb. 19. Junii 1602 et 1604 *(Vd. decr. n. 243)* missam sol. celebraverint in Cathedrali et in Ecclesiis s. Margaritae Ordin. Minorum et s. Antonii abb. Ord. Servorum cum presbytero assist. pluviali induto, petunt dictum presbyterum etiam in Ecclesiis Monial., aliisque civitatis et Dioecesis. S. C. Oratorum instantiae juxta petita benigne annuit n. 4111 die 29. Maii 1741.

Dignitates et Canonici Colleg. Alonae sol. celebrantes uti possunt presbytero assistente n. 4189 ad 1 die 4. Mart. 1747.

In Colleg. civitatis Barens. Canonico sol. celebranti non licet assummere Beneficiatum, qui Officium Presbyteri assist. cum pluviali peragit palmatoriam deferendo. n. 4863 ad 1 die 3. Aug. 1839.

Lucan.

Percupientes quam maxime Aeditui ac Beneficiati Eccl. S. Mariae vulgo in Foro Civitatis Lucanae, ut in eadem Ecclesia quoad S. Functiones singula ordinate fiant, S. R. C. humillime rogarunt decerni, utrum in Missis solemnibus, quando vel Canonicus, vel aliqua ex Dignitatibus celebrant, praeter Diaconum et Subdiaconum alter Sacerdos Pluviali indutus valeat assistere? Et S. eadem C. audita relatione a subscripto Secretario facta, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit: „Juxta alias decreta admittatur Assistens in Missa solemni ubi probari potest consuetudo.“

Atque ita rescripsit. Die 17. Jun. 1843. n. 4970.

Drepanitan.

In Ordinariis S. R. Comitiis superiori anno 1846 X. Kal. Jun. habitis relatae quum fuerint preces Archipresbyteri et Canonicorum Colleg. Eccl. S. Petri in Civitate Drepanitana erectae, queis exponebant, ex immemorabili consuetudine Colleg. ipsa in Eccl. Archipresbyterum vel alterum Canonicum solemniter celebrantem, praeter Diaconum et Subdiaconum adhibere solere Presbyterum assistentem Pluviali indutum, ac proinde enixe rogabant, ut consuetudinem hujusmodi confirmare dignaretur: placuit Emis. et Rmis P. S. tuendis Ritibus praepositis nil in re decernere, quin Rmi. Ep. Votum exquireretur, ac proinde rescriptum fuit: „Episcopo pro informatione, qui audito Capitulo in scriptis doceat super asserta consuetudine.“ S. C. mandatis religiosissime obsequens Ep. in scriptis et voce audito Capitulo, ac rebus mature perpensis, S. C. certiorem reddidit, se nunquam de tali formalem, vel utcumque protulisse sententiam, verum ad calcem direc-

torii Divini Officii ipsius anni 1846 apposuisse aliqua Decreta S. R. C., quae ad abusus ubicunque existentes radicitus evellendos condita fuerant, inter quae illa etiam accensebantur, quae Presbyterum assistentem prohibent, ut legum facta facili cognitione quisque ad leges ipsas apprime servandas prompto docilique animo excitaretur.

Neque destitit idem Antistes curam omnem, diligentiamque impendere in perquirendo Capituli Archivio, ac etiam requirendo Rmo. Mazarien. Ep., inter cujus Dioecesis limites hodierna Drepanitana Dioec. includebatur, si forte aliquod monumentum extaret indulti Capitulo collegiatae S. Petri concessi pro Presbytero assistente in Missis solemnibus; sed incassa cessit quaecumque diligentia, ac proinde dilucide apparet omnino abusive consuetudinem hujusmodi fuisse inductam, atque ad superiorem usque annum servatam; eo vel magis quia in Syn. Dioecesana Mazarii celebrata de anno 1735 saltem implicite fuit abrogata. In illa siquidem Synodo statutum fuit, ut tam in Cath. Mazarien., quam in ceteris respective Eccl. (tunc temporis Drepanitanae hodiernae Dioec. Ecclesiae includebantur in Dioec. Mazar.) omnimode servetur Caeremoniale Rom., omnem et quamcumque in contrarium Consuetudinem abrogantes, ac in Titulo *de Sacrificio Missae* inductum fuit, ut Sacerdotes nullos alios Ritus aut Caeremonias in Missae celebratione adhiberent praeter eas, quae in Missali Rom. praescribuntur. Quae Singula a Rmo. Antistite exposita una cum Precibus Capituli Colleg. S. Petri Eccl. in novo Ordinario Coetu S. R. C. ad Quirinale hodierno die habito quum fideliter de more retulerit subscriptus Secretarius, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, dilucide comperuere abusive omnino, et contra alias Decreta servatam fuisse consuetudinem Presbyteri assistentis in Colleg. S. Petri Eccl. Civitatis Drepani, ac proinde merito commendantes Rmi. Ep. pastoralem vigilantiam ad convellendos quoscumquae abusus rescribendum censuerunt: „Servetur Decretum Ep., si adsit: alias serventur Decreta jam lata in Voto ejusdem Ep.“ n. 5070 die 27. Febr. 1847.

3) Dignitatum.

Cf. *Suffraganeus; Diaconus missae.*

Prima Dignitas Ecclesiae Cathedr. Nicien. ab antiquissimo tempore in Missa sol. ultra Diaconum et Subdiaconum habuit Cappellanum assistentem cum Pluviali. S. C. resp.: *servari solitum.* n. 884 die 7. Dec. 1630.

Ad dubium: an Dignitatibus solemniter celebrantibus presbyter assistens Pluviali indutus assistat? S. C. resp.: Servari consuetudinem legitime tamen praescriptam. n. 1972 ad 3 die 29. Mart. 1659.

Priori Ecclesiae Collegiatae Lucanae solemniter celebranti ultra Diaconum et Subdiaconum non tenetur assistere tertius Canonicus Pluviali indutus. n. 3924 ad 5 die 15. Mart. 1721.; n. 4098 ad 5 die 28. Nov. 1739.

In sol. anni festivitatibus non licet Archipresbytero Ecclesiae Colleg. Oppidi Bronae ultra assistentiam Diaconi et Subd. habere in missis etiam assistentiam presbyteri cum pluviali. n. 3962 ad 3 die 7. Julii 1725.

Ad dubium: an in missis sol. praeter Episcopos et Praelatos infer. liceat quibuscumque Dignitatibus vel Canonicis Cath. vel Colleg. seu alio charactere praeditis, necnon Regularibus ultra Diaconum et Subd. adhibere presbyterum cum pluviali assistentem . . . ideoque usum talem in praxim deductum interdicendum? S. C. resp.: *Negative.* n. 3119 ad 2 die 20. Apr. 1686.

Non competere assistentiam cum Pluviali Praeposito s. Miniati celebranti. n. 3387 die 7. Apr. 1696.

Ad dubium: An Dignitatibus Ecclesiae s. Nicolai missam sol. celebrantibus debeatur Presbyter assistens cum pluviali, et: an debeat esse unus ex Cappellanis seu potius extra numerum? S. C. resp.: Affirmative in casu de quo agitur; coadjuventur probationes et interim assistat unus ex Cappellanis sine praejudicio jurium ambarum partium et per modum provisionis. n. 3862 ad 1 et 2 die 23. Sept. 1713.

Cum Canonici Colleg. Liburni Dioec. Pisanae exposuerint, Praepositum indulto utendi mitra et baculo aliisque insigniis pontif. potiri et gaudere, supplicatum fuit, ut ipse in posterum inter missarum solemnia uno Canonico assistenti pluviali induto uti possit. S. C. resp.: Facultatem petitam Oratoribus, dummodo accedat expressus consensus archiepiscopi, posse concedi, ita tamen, ut eorum Praeposito pontif. ornamentis insignito Canonicus cum pluviali ministret, Canonicis autem non alter Canonicus, sed unus ex Ecclesiae ministris cum pluviali pariter inserviat, si SSmo. visum fuerit, qui etiam benigne annuit. n. 4079 die 3. Oct. 1738.

4) Episcopi.

a) In Cathedrali.

Cf. *Canonicus non consecratus; Diaconi assist.* (vertunt fol.); *Sedes assistentium Episcopo*; *Diaconi assist.* (porrig. SSmum.). *Diaconus* (ministr. incens.); *Incensum* (quis).

Episcopo pontificaliter celebranti assistere oportet, Pluviali indutum, Priorem Canonicorum, digniorem Capituli. n. 15 ad 12 die 16. Mart. 1591; n. 21 ad 1 die 23. Mart. 1592.

Obtinentem primam Dignitatem in *Ordine Presbyterali*, Pluviali indutum, fungi debere Assistentis munere, eo vero legitime impedito digniorem de Capitulo in Ordine presbyterali praesentem debere in ejus locum succedere. Debere omnino Cappellanum Episcopo librum manibus sustinere. Primam vero Dignitatem cum pluviali assistentem debere ad dexteram Episcopi parumper caput supponere ad librum, quem Cappellanus sustinet, dum in sede Episcopus *intonat* Hymnum *Gloria, cantat Orationem, Credo* et *Dom. vobiscum* ad Offertorium. Sed quando Episcopus *legit* Epistolam, Gradualem et Evangelium, prima Dignitas nihil aliud agens stabit in loco suo erectus. Digito autem indicare debet legenda in libro, quando Episcopus est ad altare. Naviculam Episcopo in *throno* assistenti porrigat, eundemquo *ibi* thurificet. n. 21 ad 6 et ejusd. num. infra 7 die 23. Mart. 1592; n. 33 ad 1. 17. Nov. 1592; n. 650 ad 1 die 18. Julii 1626; n. 662 die 21. Nov. 1626.

In officio assistentiae apud Episcopum solemniter celebrantem vocandam esse primam Dignitatem, qui, ut praesupponitur, *Archidiaconus*, in ordine presbyterali constitutus est; si Archidiaconus non erit presbyter, ipse a dexteris Episcopi officium primi Diaconi assistentis exercet, a sinistris vero primus Canonicus immediate sedens post Primicerium. n. 215 die 6. Sept. 1603.

In hoc casu *Archipresbyter* officium presbyteri assistentis exercet; Episcopo vero non celebrante, sed tantum *praesente* semper ab Archipresbytero officium presbyteri assistentis agendum erit. *Ibidem.*

Consuetudinem *immemorabilem* (quatenus adsit) Ecclesiae Montis Regalis Taurinen. esse servandam, et Archipresbyterum, licet *Archidiaconus prima* Dignitas est, in sua possessione assistendi manutenendum esse. n. 347 die 28. Apr. 1607.

Ipse Archidiaconus tamquam primus

Canonicus seu prima vel etiam unica Dignitas assistat Episcopo celebranti; et quatenus id recuset, cogendum esse ab Episcopo debitis remediis... n. 397 die 10. Jan. 1609; n. 1599 die 21. Nov. 1648.

Servandam esse formam libri Caeremon., ut, quando Episcopus solemniter celebrat, prima Dignitas ei assistat, ut in libro Caerem. lib. I. c. VII. de Officio Presbyteri assistentis tam in Vesperis quam in Missa cavetur. n. 399 die 10. Jan. 1609.

Non duos tantum Canonicos assistentes hinc inde assistere debere Archiepiscopo celebranti vel divinis officiis assistenti, sed tertium etiam Presbyterum assistentem eidem pariter convenire juxta dispositionem libri Caeremonialis. n. 414 die 24. Oct. 1609.

Inter omnes Episcopi Ministros primus et dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris tam Canonicis quam Dignitatibus . . . nec refert quo nomine nuncupetur . . . sed attenditur, ut sit dignior omnino ex omnibus in Sacerdotio constitutis. n. 429 die 7. Aug. 1610.

Officium Presbyteri assistentis pertinet ad primum digniorem de Capitulo, quocunque nomine appelletur, sive Archidiaconus sive Archypresbyter etc. n. 523 die 28. Maji 1616; n. 1088 ad 1 die 24. Julii 1638.

Ejus munus in *die Purif. B. V. M.* vd. Purif. B. V. M.

Decanum Cathedr. Ecclesiae . . teneri ad assistendum Episcopo pontificaliter celebranti atque ad id opportunis remediis ac etiam Censuris ab Episcopo compellendum esse. n. 589 die 12. Dec. 1620.

Aut Praebendae *sunt distinctae* in presbyterales et diaconales et tunc Episcopo solemniter *celebranti* assistere debere pro Presbytero assistente digniorem de Capitulo, quocumque nomine nuncupetur, dummodo sit in sacerdotio constitutus; Episcopo vero tantum Divinis *praesenti* pro Presbytero ass. inservire debere digniorem Canonicum post Dignitates; aut Praebendae *non sunt distinctae*, et tunc Episcopo sive celebranti sive tantum praesenti pro Presbytero assistente inservire debere digniorem de Capitulo juxta Caeremon. (Lib. I. c. VII et VIII.) n. 974 die 15. Dec. 1632.

Quando stat vel genufl. Assistens? Vd. *Diaconi assist.* (quando stant etc.).

In Ecclesia Olmucen. hactenus Archidiaconus, tertia Dignitas, presbyterum assistentem egit, Caeremoniale vero ad id designet primam Dignitatem; haec consuetudo est servanda? S. C. resp.: Servandam esse. n. 2325 ad 4 die 20. Junii 1665.

Praemisso, quod in Ecclesia Cathedrali Lauretana adsit laudabilis et immemorabilis consuetudo, quod quatuor Dignitates nullum Officium faciant, quando Episcopus assistit cum cappa, et quod non adsit in dicta Cathedrali distinctio Ordinis Presbyteralis vel Diaconalis: quaesitum fuit humiliter a S. R. C. declarari:

An Episcopo solemniter celebranti vel cum cappa tantum assistenti antiquiori Canonico competat dumtaxat officium primi Presbyteri, vel potius Diaconi assistentis in utroque casu?

Et S. R. C. respondit: „Antiquiori Canonico in casu, de quo agitur, competere tantum officium Presbyteri assistentis.“ Et ita declaravit. n. 3562 die 22. Maji 1700.

Ad dubium: 1. Num in Cathedralibus, in quibus Dignitates et Canonici existunt, prima Dignitas *semper* debeat esse Presbyter assistens, quando Episcopus Missam et Vesperas sol. celebrat, sive hoc peragat diebus 1. vel 2. cl. vel ferialibus?

2. An ipsamet prima Dignitas debeat quoque esse Presbyter assistens, quando

Episcopus benedicit Candelas, Cineres, Palmas, ita ut dignior Canonicus post Dignitates debeat tantum esse Presbyter assistens Episcopo non celebrante, sed Vesperis aut Missae sol. per alterum cantatae praesente? S. C. resp.:

Ad 1: Affirmative;

Ad 2: Affirmative.

n. 4633 die 22. Sept. 1827.

Nota Gardell. ad hoc decretum.

Quoad assistentiam praestandam Episcopo pontificaliter celebranti, vel in Pontificalibus sacris assistenti Mysteriis, clara est Caeremonialis Episcoporum dispositio, nec mihi datum est intelligere, unde orta sit petitaque dubitandi ratio, propter quam duo dubia discutienda definiendaque Sac. Rit. Congregationi proposita fuerunt. Porro de Presbytero assistente, de quo dumtaxat quaestio est, praefatum Caeremoniale lib. 1. cap. 7. num. 1. ita disponit, et generalem dat regulam: *inter omnes Episcopi ministros, qui ei in Divinis et assistunt et serviunt, primus et dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris tam Canonicis, quam Dignitatibus, qui in Choro cum aliis sedere solent, nec refert, quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter, ut digne et decenter officium suum exercere valeat, et opportune Episcopo rem divinam agendi ministrare possit.* Quid clarius, quid evidentius decerni poterat ad designandam certam personam, quae Episcopo celebraturo praebeat assistentiam?

Atqui dignior ex omnibus, qui in Cathedrali Bugellen. sedent, in Choro est prima Dignitas, quocumque nomine ab aliis, si quae insuper sunt, distinguatur, palam fit, rectaque consequitur ad ipsam pertinere officium Presbyteri assistentis. Id tam verum est, ut in eadem Caeremonialis dispositione adhibeatur dictio *debet,* quae praeceptum importat, ideo ab hoc exercitio nequit se eximere prima Dignitas et alteri qui sequitur locum cedere, nisi legitime sit impeditus.

Verumtamen Episcopi non semper Missam in Pontificalibus celebrant et Vesperas decantant, imo frequentius Divinis cum Cappa intersunt Officiis.

Cujusnam ergo erit hoc in casu munus assistentiae? Provisum id video in eodem Caeremoniali. Ibidem num. 7: „Episcopo vero non celebrante, sed „Vesperis, aut Missae solemni per al- „terum cantatae praesente, tunc Pres- „byter Canonicus dignior post Dignitates „assistat, prout et duo Canonici Diaconi „in habitu canonicali sine paramentis.“

Ex hisce Caeremonialis verbis duo deducuntur, videlicet: ad Dignitatem spectare assistentiam Episcopo Sacra pontificaliter peragenti, digniori ex Canonicis, quando Episcopus suam tantummodo praestat assistentiam, quo in casu tam ipse Canonicus, quam duo assistentes Diaconi in habitu canonicali sine paramentis respectivis officiis funguntur.

Praefatis Caeremonialis libri dispositionibus apprime consona sunt S. R. C. Decreta. Cum enim Dignitates Cathedralis Monopolitanae quaesivissent declarari, quis inservire debeat Episcopo solemniter celebranti pro Presbytero assistente, et quis, quando Episcopus non celebrat sed tantum Divinis praesens est? sub die 15. Dec. 1632 S.C. respondit: „Aut Praebendae sunt di- „stinctae in Presbyterales et Diacona- „les; et tunc Episcopo solemniter ce- „lebranti assistere debere pro Pres- „bytero assistente, quocumque nomine „nuncupetur, dummodo sit in Sacer- „dotio constitutus; Episcopo vero non „celebranti, sed tantum praesenti, pro „Presbytero assistente inservire debere „digniorem Canonicum post Dignitates. „Aut Praebendae non sunt distinctae, „et tum Episcopo sive solemniter

„celebret, sive Divinis tantum prae-„sens sit, pro Presbytero assistente „inservire debere digniorem de Ca-„pitulo juxta dispositionem Caeremo-„nialis lib. 1 c. 7 et 8.“ Id ipsum confirmatum fuit in Beneventana et Nicen. sub die 26. Mart. 1671. Omitto alia Decreta, quibus id ipsum confirmatur. Atque ita constanter servatum fuit in Ecclesia Cathedrali Bugellensi. At nunquam desunt turbidi ingenii homines, qui dissidias quaerunt, alienaque jura usurpare conantur. Hoc novissime accidit in ea Cathedrali, in qua unus vel alter ex Canonicis, qui Dignitati assistentiam in solemnioribus dumtaxat competere contendit, et hoc munus digniori Canonico tribuit, si solemnia agit Episcopus in Festis secundae classis et in benedictione Candelarum, Palmarum et Cinerum. Jure igitur Dignitates ad sacram hanc Congregationem confugerunt ad jura servanda, quae ex Caeremonialis dispositione ipsis conveniunt, nequaquam Canonicis, nisi in earumdem defectu.

Equidem non ignoro eruditissimum Catalanum in eam abiisse sententiam, ut crederet Episcopo celebrante in Festis minoribus aut Feriis assistentiam competere non Dignitati sed Canonico, praesertim ubi Ordines non sunt distincti. Verumtamen tanti viri opinio omni destituitur fundamento. Ideo enim ea sequitur, quia talis est praxis Pontificiae Cappellae, quae tamen trahi nequit ad Ecclesiae Cathedrales. Pontificia enim Cappella suos habet peculiares ritus et caeremonias, nunquam pro aliis Ecclesiis exemplum afferendas, in quibus non Caeremoniale peculiare Angustini Patritii pro eadem Cappella dispositum, sed aliud quod Episcoporum dicimus servandum omnino est.

Jam ergo si Episcopis licet in quibuscumque Festis ac etiam diebus ferialibus Vesperas et Missam pontificaliter celebrare; imo si ad aedificationem Fidelium quammaxime decet, ut Solemnia ipsi agant in nonnullis Festis secundae classis, prout sunt Festa Annuntiationis, Conceptionis, Nativitatis B. M. V., Apostolorum, ac etiam alia, quae peculiaria sunt ob populi venerationem ac pietatem, et in quibus, si lubet, solemniter Episcopus celebrat, servanda omnino sunt quae in Caeremoniali praescribuntur, praesertim cap. 7. Quoniam aut cap. 34 num. 2 libri 2 post enumerata Festa, in quibus decet, ut Episcopus Pontificalia solemniter peragat, additur, vel etiam arbitrio suo in aliis Festivitatibus per annum quandocumque ei placuerit, palam fit, quod nihil immutandum sit, quoad Presbyterum assistentem, celebrante Episcopo in Festis etiam minoribus diebusque ferialibus.

Idem pariter dicendum est, quando ipsemet Episcopus candelas, cineres et palmas benedicit. Dignitates quippe, et Canonici in his quoque benedictionibus sacra induunt paramenta. Atqui, ut supra vidimus ex eodem Caeremoniali, dignior Canonicorum, quando munere fungitur Presbyteri assistentis, hoc praestare debet Officium in habitu canonicali, et sine paramentis; facile consequitur non ad ipsum pertinere assistentiam in supra relatis sacris functionibus, verum id pertinere ad primam Dignitatem, pluviali assumpto, ad sedem episcopalem accedere, ministrare naviculam, porrigere aspersorium, deindeque thuribulum. Verbo cuncta perstringam. Primae Dignitatis est, vel ea impedita, alterius, quae succedit, praestare assistentiam Episcopo, dum sacra a Dignitatibus et Canonicis sumi debent indumenta, vel celebrante Episcopo, vel supra memoratas functiones peragente: Canonico vero digniori, dum assistentia debetur sine sacris paramentis, sed in habitu chorali. Atque ita ad proposita dubia

respondens S. C. declaravit, intelligendam esse Caeremonialis Episcoporum dispositionem.

b) Extra Cathedralem.

Archidiaconum compelli posse per Episcopum, ut pontificaliter celebranti aut alia Pontificalia exercenti non solum in Cathedrali sed etiam in praescriptis Ecclesiis sibi assistat. n. 79 die 20. Dec. 1594.

Assistentiam semper et ubique (etiam extra Cathedr.) deberi Ordinario per digniorem de Capitulo et nullo modo per Vicarium general. n. 1172 die 20. Aug. 1639.

Assistentiam proprio Ordinario fieri debere per digniorem de Capitulo *Cathedralis* et non Collegiatae, quando Ordinarius accedat ad Ecclesias, quantumvis exemptas, sive ut Divinis assistat sive ut Pontificalia exerceat. n. 1179 die 17. Sept. 1639.

Archiepiscopum, dum in pontificalibus celebrat in Ecclesiis extra Cathedr., propriorum Canonicorum ministerio uti debere. n. 1464 ad 2 die 11. Julii 1643.

c) In Consecrat. ss. Oleor. in Coena Dom.

Ad dubium: Ad benedictionem Oleorum Feria V. in Coena Domini prima Dignitas, nempe Archipresbyter, officium facit Presbyteri assistentis in Pluviali, eodemque tempore vices gerit Archidiaconi, cui juxta Pontificale incumbit sistere se coram Antistite, et dicere alta voce: *Oleum infirmorum* etc. Interim Archidiaconus quum sit secunda Dignitas officio fungitur Diaconi assistentis cum Dalmatica. Ob praeeminentiam Archipresbyteri propriam, sui juris esse videtur descripto modo se gerendi in hac sacra actione. S. C. resp.:

„Negative.“ n. 4672 ad 17 die 12. Nov. 1831.

d) Defert libr. ab una ad alt. part.

Presbyter assistens dicto ab Episcopo Postcommunio a cornu Evangelii ad cornu Epistolae Missale transferre tenetur. n. 3625 ad 5 die 8. Apr. 1702; n. 3674 ad 5 die 23. Febr. 1704.

e) Incensatio.

Vd. *Diaconi assistentes* (Incensatio).

Presbyterum assistentem thurificari debere ante Vicarium generalem juxta Caerem. n. 1100 die 27. Nov. 1638.

Presbyter assistens Episcopo thurificari debet ante Diaconum primum assistentem. n. 3551 ad 19 die 13. Mart. 1700.

Archiepiscopo sol. celebrante Assistens praeferri debet in thurificatione Canonicis pro Diacono et Subdiacono eidem Archiepiscopo inservientibus. n. 4358 ad 15 die 7. Dec. 1771.

Eadem thurificationis praelatio debita est (Archidiacono) quoties in habitu chorali assistit cum duobus Canonicis Archiepiscopo cum cappa assistenti missae vel vesperis. *Ibid ad* 16.

f) In Ordinatione.

Ad dubium: an interesse debeat Presbyter assist. in Pluviali (in Ordinatione)? S. C. resp.: Servetur Caer. Ep. l. I. c. 7; n. 4732 ad 2 die 6. Sept. 1834.

g) Paramenta.

Prima Dignitas Cathedr. Melevitanae assistens tamquam Presbyter Episcopo in Pontificalibus non valet se induere et exuere s. paramentis super solio in loco proprii scamni, sed descendere debet ad immediatum gradum. n. 4356 die 17. Aug. 1771.

Cf. *Stola Presbyt. ass. Episcopo.*

h) Pax.

Vd. *Pax Cleri* (decr. n. 33, 1055).

i) Publ. Indulgentiam.

Praepositus, Episcopo pontificaliter celebranti assistens, publicat Indulgentias, ut dicitur in Caeremon. lib. I. c. XXV. n. II. n. 650 ad 2 die 18. Julii 1626.

Episcopus *celebrans* stare debet cum mitra, dum Assistens indulgentiam publicat (Caer. Lib. I. c. XXV.) n. 2707 ad 3 die 4. Aug. 1674.

Vd. *Indulgentia Episcopi* (Public.)

k) Porrig. naviculam.

Vd. *Instructio Clem.* §. XIX. n. 13. *Incensum* (quis porrigit etc.); *Diaconus (ministrat incens.)*

l) Sedes.

Cf. *Sedes Dignitat. etc.; Sedes assistent. Episcopo.*

Ad dubium: An Presbyter assistens Episcopo in Solio, vice scabelli uti possit sede camerali, vel simpliciter lignea vel imbuta, et corio cooperta, renovanda toties, quoties inepta evasit ad usum? Et quatenus negative:

An saltem toleranda sit immemorabilis consuetudo eamdem adhibendi?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi... respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Negative in omnibus."

Atque ita responderunt et statuerunt die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit, Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. n. 4590 ad 3 et 4. Die, Mense et Anno, quibus supra.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Hac super re tam clara est Caeremonialis libri dispositio, ut vix credam diversam alicubi inductam fuisse consuetudinem. Quod si revera in aliqua Cathedrali invaluerit, ne morosus sit Episcopus, sed mediis a jure datis id corrigat, quod devium a jure est. Simplex scabellum parari debet pro assistente Presbytero, vel a dexteris vel a sinistris, prout patitur loci situs, ante faciem Episcopi in Cathedra sedentis. Ita lib. 1. cap. 7 num. 2: *Sedebit in aliquo scabello prope Episcopum:* et num. 4: *Sedente vero Episcopo, et ipse sedet super scabellum:* et infra: *Si vero forte Episcopus celebrans non in sede propria, sed in Faldistorio sederet, tunc ipse Presbyter assistens sedebit in aliquo scamno prope Altare:* et paulo post: *Si sermo habebitur per Episcopum... in propria Sede sedebit* (Presbyter assistens) *in scabello suae assistentiae:* et num. 6 in fine: *Habebit locum idem Presbyter assistens prope sedem Episcopi in scabello.* Igitur si Caeremoniale disponit, et toties repetit, quod Presbyter sedeat *in scabello,* quisnam sibi arrogare poterit arbitrium adhibendi sedem, quam cameralem dicimus, pro *scabello.* Haud enim licet Dignitatibus et Canonicis in Choro coram Episcopo aliter sedere, nisi in scamnis, vel scabellis, ut pluries S. R. C. sancivit, praesertim vero in una *Burgi S. Sepulchri 4. Apr. 1699* et in *Terulen. 20. Aug. 1729,* multo minus licere debet assistentibus Episcopo in Throno, in quo pro iisdem nonnisi scabella adhibenda esse jubet liber Caeremonialis; quin valeat consuetudo, aut privilegium. Id tam verum est, ut S. C. in Oriolen. *24. Aug. 1630,* non obstante consuetudine introducta a tempore Pii IV. sedendi, non in nudo scamno, sed in scabellis serico villoso coopertis, sancivit, *non licere in casu proposito Canonicis Cathedralis, quando assistentiam faciunt Episcopo, sedere in scamnis coopertis, sed sedere debere super scabellis nu-*

dis juxta praescriptum Caeremonialis Episc. cap. 8 lib. 1, non obstante allegata consuetudine, quae fuit sublata per fel. rec. Clementem VIII. in sua Bulla, in principio Caeremonialis relata. Si id satis non est, ne sit, qui secum reputet tueri posse abusum specioso consuetudinis nomine; nam praeter laudatam Clementis VIII. Constitutionem, PP. Summi, *Benedictus XIII.* et alter ejusdem nominis *XIV.*, qui novas editiones emendati Caeremonialis curarunt, districte jusserunt ejusdem observantiam, *non obstantibus quarumvis Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis etc.*, quibus specialiter et expresse derogatum esse declarant. Jure igitur ad duo haec dubia negativum datum S. C. responsum.

m) Tenet librum.

Primam Dignitatem non teneri ad sustinendum librum Episcopo divina peragenti pontificaliter et in cantu, nisi quando Episcopus aliquid *canit*, non autem quando inter Pontificalia Solemnia aliquid legit; tunc enim hujusmodi onus spectat ad Cappellanum. n. 1873 die 16. Mart. 1658; n. 847 die 16. Febr. 1630; n. 4235 ad 1 die 15. Sept. 1753.

Episcopo celebranti in Pontificalibus prima Dignitas munus Assistentis peragens, tenetur super altare sustentare librum. n. 2870 die 26. Nov. 1678.

Presbyter assistens Episcopo solemniter celebranti et *intonanti Antiphonam, Gloria, Credo et cantanti* Orationem, debet ipsemet actualiter et non moraliter (nempe leviter tangendo) librum supra suum caput tenere. n. 2503 ad 5 die 31. Maji 1670; n. 2627 die 6. Maji 1673.

Episcopo solemniter celebrante Assistens in Collectis tenetur solus et nemine adjuvante sustinere librum. n. 2685 ad 1 die 3. Mart. 1674; n. 3161 ad 3 die 3. Apr. 1688.

Satis est, ut Presbyter assistens libro per Cappellanum manibus elevato caput submittat. n. 2805 ad 3 die 14. Nov. 1676.

Ad dubium: an prima Dignitas Cathedralis Spoletanae Episcopo hymnum et reliqua *intonaturo* debeat librum super caput sustinere adjuvantibus hinc inde ministris, vel sufficiat parumper caput supponere libro, quem aliquis Cappellanus.. manibus sustineat? S. C. resp.: Servetur Caerem. Lib. I. c. 7 n. 3 n. 3623 ad 2 die 18. Mart. 1702; n. 3625 ad 1 die 8. Apr. 1702; n. 3674 ad 1 die 23. Febr. 1704; n. 3845 ad 3 die 27. Febr. 1712; n. 4358 ad 14 die 7. Dec. 1771.

Prima Dignitas (Presbyter) assistens tenetur Canonem tenere Episcopo canente. n. 3625 ad 4 die 8. Aprilis 1702.

Prima Dignitas (Presbyter) assistens non tenetur librum sustinere in benedictionibus palmarum ac candelarum, nec in die commemorationis Omnium fid. def., dum super sepulchra Coemeterii seu ad castrum doloris canuntur Orationes. n. 3625 ad 6 et 7 die 8. Apr. 1702.

Ad dubium: an canente Episcopo *Te Deum etc.* pro gratiarum actionibus teneatur Dignitas sustinere librum? S. C. resp.: Negative, nisi hymnus *Te Deum* cantetur ab Episcopo inter Missarum Solemnia, ipsomet Episcopo celebrante. n. 3674 ad 1 die 23. Febr. 1704.

Ad dubium: An Archidiaconus, aut Presbyter assistens debeat sustinere librum, dum Episcopo celebranti assistit, seu potius sufficiat, ut illum tangat?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi ... respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Servetur dispositio Caeremonialis lib. I. cap. VII. num. 1, pluribus hujus S. C. Decretis confirmata.“

Atque ita responderunt et statuerunt. n. 4590 ad 12 die 17. Septembris 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. benigne approbavit Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense et Anno, quibus supra.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Tam clara est dispositio Caeremonialis *lib. 1 cap. 7* de Presbytero assistente, dum Episcopus Vesperas et Missas solemniter celebrat, ut nihil sit, quod elucidationem requirat. Tenetur namque Assistens librum supra caput sustinere dum Episcopus antiphonam *intonaturus* est, vel in Missa, dum *cantu* dat initium hymno angelico, symbolo etc. Legem Caeremonialis pluries confirmavit S. R. C. praesertim vero *Pharen. 31. Maji 1670.* Asculana in Apulia *3. Mart. 1774.* Spoletana *18. Mart. 1702.* Lunen. Sarzanen. *27. Febr. 1712.* Quinimo nec prodesse declaravit quamlibet consuetudinem in contrarium in Alexandrina *8. Apr. 1702.*

n) Tenet libr., dum incens. altare.

Prima Dignitas (Presbyter) assistens sustinere debet Missale, dum in missa ab Episcopo thurificatur altare. n. 3625 ad 3 die 8. Apr. 1702; n. 3674 ad 2 die 23. Febr. 1704.

5) Presbyteri.

Ad dubium: an Plebano Ecclesiae Piscen, dum canit missam, liceat uti assistente pluviali induto? S. C. resp.: licere attenta consuetudine. n. 2630 ad 1 die 6. Maji 1673.

Cum Episcopus Pistorien. et Praten. exposuerit, occasione compilationis Dioecesanae Synodi comperiisse abusum, quo simplices Sacerdotes Missam solemnem celebrantes, etiam in Dioecesi ad eorum libitum ultra Diaconum et Subdiaconum, sub praetextu immemorabilis consuetudinis, adhibent Presbyterum sibi cum pluviali assistentem: cumque S. R. C. enixe supplicaverit pro declaratione hujusmodi Dubii: An usus praedictus sit permittendus, ut simplices Sacerdotes Civitatis et Dioecesis Pistorien. et Praten. praeter Diaconum et Subdiaconum adhibeant in Missa solemni Presbyterum assistentem?

Eadem S. C. inhaerendo aliis Resolutionibus in Similibus editis: „Praefatum usum nequaquam permittendum, sed omnino tamquam abusum prohibendum esse mandavit.“

Et ita decrevit. n. 3946 die 15. Martii 1721.

Ad dubium: Utrum Sacerdos a Vicario Apostolico morti proximo electus ad regimen provisorium Vicariatus, et deinceps a S. C. de Propaganda fide renunciatus superior interinus Vicariatus ipsius, in tantum, et ratione hujusmodi delegationis, jus habeat exigendi in celebratione Missae solemnis honorem Presbyteri assistentis et Palmatoriae?

S. eadem C.: „Negative in omnibus“ respondendum censuit. n. 5211 ad 5 die 21. Julii 1855.

6) Presbyteri caecutientis.

Vd. *Sacerdos caecut.* (decr. n. 4594 ad XI.)

7) Presbyteri noviter consecrati.

Vd. *Cappa Canon. Cath.* (decr. n. 4536.)

Mathelicen.

S. R. C. pro opportuna solutione sequentia Dubia proposuit Aloysius

Carbonari Sacerdos Cong. Oratorii Mathelicen. nimirum:

1. An celebrante solemniter prima vice novo Sacerdote Patrinus seu Presbyter assistens possit in Dominicis antea aspergere Populum Aqua benedicta, ac deinde ad Sacristiam accedere et Sacerdotem ipsum ad Altare adducere cum Ministris?

2. An subtus Pluviale ipse Patrinus possit Stolam gestare, ac Fidelibus cum Patena ministrare, quoties Eucharistica Communio instituenda est?

3. An Patrinus debeat, vel saltem possit Celebrantem incensare loco Diaconi?

Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, referente Secretario, rescripsit:

Ad I. „Negative in omnibus."

Ad II. „Spectare ad Diaconum utrumque."

Ad III. „Negative." n. 4807 die 11. Mart. 1837.

8) Presbyteri inhabilis.

Vd. *Sacerdos inhabilis.*

9) Quando incensat?

Vd. *Assistens Presbyteri novit. consecrati.*

ASSISTENTES.

1) Episcopi assistentis.

Vd. *Episcopus assist. missae sol.; Pax Episcopi Titularis.*

2) In Solio Pontificio.

Urbis.

Collegii Episcop. Assistentium.

Cum de Ordine inter Episcopos Pontificio Solio Assistentes servando quaestio haud ita pridem orta fuerit: utrum nempe a sua ad Episcopatum promotione, an potius a vocatione, quam dicunt, ad assistentiam, praecedendi jus iidem nanciscantur, de quo praescriptio, quae a Caeremoniali S. R. E. lib. 3. cap. 17. profertur, ambigendi locum relinquit, praeces ad SSmum. D. N. Pium VII. P. M. perlatae sunt, ut, ad omnem dubitationem tollendam, pro ea, qua praestat, sapientia et auctoritate, de controversia decerneret, legemque in posterum tenendam pronuntiaret. Re itaque ipsius jussu ad S. R. C. delata, cunctisque infrascripto Secretario referente, ad eam probe aestimandam propositis rationibus, quae utrinque afferebantur, Emi. Patres eidem C. praepositi unanimes censuere: „Firmo extante praelationis jure Archiepiscoporum supra Episcopos, jus illud inter aequales a vocatione ad assistentiam, non autem a promotione ad Episcopatum esse repetendum; atque hanc Regulam in posterum omnino adhibendam esse, quoties sacris functionibus collegialiter intersunt, declararunt." Die 7. Septbrs. 1816.

Facta autem per infrascriptum S. R. C. Secretarium de praemissis SS. D. N. Relatione, Sanctitas Sua sensum S. C. approbavit, confirmavit atque ita in posterum servari mandavit. n. 4525 die 10. Sept. 1816.

ASSISTENTIA.

1) In Ecclesia parochiali.

Parochus non potest cessante speciali et legitimo titulo, ex solo jure parochialitatis Rectores et Cappellanos Ecclesiarum Confraternitatum compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae parochialis. n. 3670 ad 25. die 12. Jan. 1704.

Tranen.

Ex asserta diuturna consuetudine pene immemorabili in Ecclesiis S. Sepulchri et S. Jacobi, vulgo di Barletta, intra fines Archidioecesis Tranen illud est in more positum, ut dum in Solemnioribus Missas Solemnes et Vesperas celebrent earum Rectores, praeter

Ministros inservientes, eis assistant alii sex Presbyteri Pluvialibus induti. Quum autem a consuetudine ista, quae nullo Apost. Indulto innititur, difficile admodum sit desistere absque Fidelium admiratione et scandalo, Rectores ipsi S. R. C. humillime rogarunt, ut eam confirmare dignaretur, adeo licite deinceps in ea perseverare valeant.

Et eadem S. C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem infrascripti Pro-Secretarii, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: „Permitti posse quoad Vesperas Solemnes tantum. n. 5170 die 10. Jan. 1852.

2) Episcopi.
(Obligatio.)

Vd. *Obligatio Episcopi celebrandi* (decret. n. 4565.)

De Assistentia Cf.:

Canonici parati; Diaconi assist.; Processio (Canon. par.); *Benedictio cum SSmo; Parochi; Missa convent.; Missa privata Episcopi; Canonici assist.; Vesperae Dignit.; Canonici Colleg.* (ass. parati); *Mandatum; Abbas; Episcopus assistens; Episcopus* (Consecratio).

ASSOCIATIO

1) Cadaverum.

Vd. *Sepultura* (associatio).

2) Cardinalis.

Vd. *Aspersorii porrectio Cardinal. Titul.*

3) Dignitatum.

Prior Collegiatae Lucanae in accessu et recessu Ecclesiae associari non debet a Canonicis usque ad aedes priorales. n. 3944 ad 2 die 15. Martii 1721.

Cf. *Usus Pontificalium.*

De Associatione Cf.:

Episcopus (accessus etc.); *Visitatio*; *Vicarius gener.; Laici* (associat.); *Magistratus* (praes. etc.); *Capitulum* (associat.); *Suffrag.* (access.); *Episcopus* (associatio ad altare); *Dignitarii* (associatio); *Vicarius Capitul.*

ASSUMPTIO B. V. M.

1) Festum.

Episcopus s. Agathae exposuit, in civitate sua celebrari festum Assumpt. B. V. M. *cum duabus diebus immediate sequentibus* ad instar Festum paschale D. N. J. Chr. S. C. resp.: si duo sequentes dies celebrantur solemniter ex devotione populi cum *Officio tamen currentis diei* et prout praescribitur in Calendario romano, posse continuari; si vero Officium his diebus fit ut in die Assumptionis, nullo modo permittendum, sed Officium omnino recitari debere, prout praescribitur in Calendario romano. n. 939 die 22. Novbr. 1631. De Vesperis vd.: *Dedicat. Eccles.* (Vesp. etc. decr. n. 3556).

2) Missa.

Legitur in Missa Festi Assumptionis B. M. V., „Optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea in aeternum.“ Quaeritur: an haec verba intelligantur de Bma. V., an de Maria, de qua in Ev. hujus diei, et consequenter: an caput sit inclinandum ad prolationem Nominis Mariae, nec ne?

Et S. eadem C... respondendum censuit:

„Inclinationem capitis non esse faciendam.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad XI. die 7. Decbr. 1844.

De missa in vigil. Assumpt. B. V. M. Vd. *Missa de B. M. V.* (quae missa.)

3) Octava.

Occurrente Octava Assumpt. B. V. M. cum Octava s. Clarae, Vd.: *S. Clara.*

4) Ut Titularis.

Ad dubium: an Titularis Ecclesia-

rum dedicat. sub titulo B. Mariae Angelorum, id est… Reginae Angelorum, non sit Assumptio ejusdem B. M. V., in qua ut Regina Angelorum supra omnes eorum Choros exaltata est? S. C. resp.: Celebrandum festum s. Mariae Angelorum in die Assumptionis cum Octava ejusdem. n. 3772 ad 2 die 14. Maji 1707.

5) Vesperae.

Vesperae secund. occurrent. cum 1. Vesp. Dedicat. Eccl., Vd. *Dedicatio Eccles.* (Vesp., decr. n. 3556).

ASTERISCUS.

(Non tollendus.)

Vd. *Alleluja* (quando non dicend.; decret. n. 4044): *Responsorium* (repetitio.)

ATRIUM.

(Ecclesiae.)

Vd. *Aqua bened. in hebd. maj.* (decr. n. 4669 *nota*).

AUDITOR.

Auditor, quo loco sedeat etc.? Vd. *Canonici Ecclesiae Cath.*

S. AUGUSTINUS E. C.

(Oratio.)

S. C. resp. PP. Benedictinis Einsidl.: In festo s. Augustini C. E. dicenda est oratio de communi: *Exaudi, quaesumus Domine, preces nostras etc.* n. 4044 ad titul. *de Oration.* die 5. Maji 1736.

AURORA.

Cf. *Missa* (hora.)

AUXILIUM CHRISTIANOR.

De festo sub hoc titulo et de verbis his in Lytaniis inserendis, Vd. *Lytaniae B. V. M.* (additio licita, decret. n. 4514.)

AVE MARIA.

1) Additio.

In recitatione „*Ave Maria*“ non esse addenda verba „*plena doloribus*“, et hoc per Ordinarium omnino prohibendum. n. 1157 die 23 Maji 1639.

2) In Officio.

Vd. *Officium.*

AVE MARIS STELLA.

1) Cantus.

Hymnum praedictum esse canendum *in tono B. V. M.* etiam in octavis Assumptionis et Nativitatis B. V. n. 618 ad 1 die 28. Mart. 1626.

2) Genuflexio.

Quotiescunque decantabitur hymnus „*Ave maris Stella,*“ debent non solum Canonici et reliqui de Capitulo, sed omnes et quotquot aderunt genuflectere, genuflexi persistere, donec quatuor primi versus *decantati* fuerint. n. 15 ad 19 die 16. Mart. 1591; n. 2345 ad 14 die 31. (Julii) 1665.

Ad dubium: an in hymno: *Ave Maris etc.* genuflectere intelligatur de tota stropha, scilicet usque ad aliam respective: *Sumens illud etc.?* S. C. resp.: Ad integram stropham. n. 2805 ad 7 die 14. Nov. 1676.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 11; *Officium B. V. M.*; *Expectatio B. V. M.*

AVE REGINA.

Cf. *Suffragia* (decr. n. 3710).

Occurrente festo Purif. B. V. M. in Dominicis Septuagesim. vel similibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium ex hoc contingat transferri, non esse ob id protrahendam etiam Antiphonam: *Alma Redempt. etc.* sed die 2. Febr. post Completorium, illa dimissa, juxta

dispositionem rubricae sumendam esse antiphonam: *Ave Regina etc.* sublato quolibet alio difformi quarumcunque Ecclesiarum usu. n. 2938 die 11. Jan. 1681; n. 3301 ad 6 die 10. Januarii 1693; n. 3710 ad 1 die 14. Febr. 1705; n. 3718 ad 1 die 4. Apr. 1705.

AZYMUS.

Ad dubium: an presbyter graeci ritus, alter ex electis pro Mandato fer. V. in Coena Domini possit et debeat s. refici Eucharistia cum aliis duodecim ritu latino in azymo? S. C. resp.: In casu, de quo agitur, affirmative. Et Sanctitas Sua decretum approbavit et quatenus opus sit, dispensandi jussit, ut presbyter graeci ritus in casu dumtaxat, de quo agitur, s. Eucharistiam sumat cum aliis duodecim presbyteris in azymo. n. 4546 die 25. Aug. 1818.

B.

BACULUS.

1) Abbatis.

(Vd. Mitra Abbatis in process.; Usus Pontifical.)

Abbati s. Salvatoris Ordinis Cisterc. Clusinae utenti baculo pastorali absque velo S. C. resp.: Serventur decreta P. Alexand. VII. (de anno 1659). n. 3781 die 10. Mart. 1708.

Abbas Collegiatae Eccles. s. Spiritus Benevent. gaudens Usu baculi pastoralis, uti non potest baculo episcopali sed baculo abbatiali cum velo. n. 5065 ad 1 die 27. Febr. 1847.

2) Abbatissae.

Vd. *Abbatissa.*

3) Dignitariorum.

Vd. *Abbatissa; Usus Pontifical.* (decr. n. 4863 etc.)

Dignitas celebrans mitratus Cathedr. Panormitanae non potest uti baculo. n. 3052 ad 3 die 22. Apr. 1684.

Praepositus alicujus Ecclesiae non potest tuta conscientia etiam attenta immemorab. consuetudine inter missarum solemnia uti baculo, nisi constito sibi de speciali Sedis ap. indulto. n. 1834 die 4. Aug. 1657.

4) Episcopi.

a) In Ordinationibus.

Ad dubium: an quoties Episcopus sedens cum mitra admonensque Ordinandos debeat baculum in manu gestare, cum Pontificale solum loquatur in admonitione Presbyterorum? S. C. resp.: Servetur Pontif. roman., ut jacet. n. 3774 ad 4 die 27. Aug. 1707.

b) In Processione.

Cf. *Minister de baculo.*

Quoad baculi usum, etiam in processionibus SS. Sacramenti, servandum esse Caeremoniale Episcop. (Lib. I. c. XVII.) n. 1862 die 26. Jan. 1658.

5) Episcopi Administratoris.

Episcopus Administrator amovibilis Ecclesiae vacantis, dum cantat missas et vesperas in Pontificalibus, potest

uti baculo. n. 3952 ad 2 die 22. Aug. 1722.

6) Ministri ecclesiastici.

Vd. *Clava.*

BALDACHINUM.

1) Abbatum et Priorum.

Vd. *Usus Pontificalium.*

Prior cum usu Pontificalium habere non potest Baldachinum super sedem suam. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbates contenti esse debeant sua propria sede.. sine baldachino desuper. n. 531 die 18. Mart. 1617.

Licere Abbatibus Olivetanis solemniter in tribus tantum anni festivitatibus celebrantibus uti Baldachino, sine tamen auro et pompa. n. 804 die 17. Mart. 1629.

Licere Abbatibus Congreg. Camaldulens., quando solemniter celebrant, uti baldachino, sine auro tamen et pompa. n. 966 die 21. Aug. 1632.

Episcopo Eugubino S. C. facultatem tribuit, ut Auctoritate Congregationis in Ecclesia abbatialis s. Ubaldi sita extra civitatis moenia, Baldachinum abbatis *semper* erectum (extra tres festivitates) amoveri jubeat et nisi Monachi paruerint, eos opportunis remediis compescat. n. 1830 die 30. Jun. 1657; n. 1835 die 4. Aug. 1657.

Monachis Cassinensibus, exceptis tribus tantum solemnitatibus, nunquam competere usum Baldachini et signanter nec in vestitione Monialium hujusmodi licere. n. 1949 die 7. Dec. 1658.

Licet Abbati Cassinensi in sua Ecclesia s. Vitalis erigere et retinere baldachinum etiam praesente Capitulo Ravennat. et seorsim ab eo canere primas Vesp. et missam sol. cum Pontificalibus, non interveniente tamen Archiepiscopo. n. 2468 die 16. Febr. 1669.

Ad praecavendas nunc et evitandas, immo prorsus eliminandas quascunque controversias, quae super intelligentia praedicti Decreti oriri unquam possent, S. D. N. Benedictus XIII. praesenti Decreto suo illud S. R. C. confirmando, et quatenus opus sit, declarando, mandat et praecipit, ,,quod existente in Civitate, vel in suburbiis, aut villis, Archiepiscopo, aut eo a Civitate et villis, sive suburbiis, immo et a Dioecesi absente, dummodo aut non possit, aut nolit memoratae functioni interesse, licet Capitulum Cathedralis Ecclesiae interveniat, in istis casibus erigi debeat baldachinum Abbatis Regularis S. Vitalis, etiam praesente ipso Capitulo, et functiones suas peragente, ipseque Archiepiscopus existens in Civitate vel in locis vicinis, teneatur saltem in pervigilio Festivitatis S. Vitalis hora competenti, de mane tamen, certiorem facere Abbatem sive Superiorem Monasterii S. Vitalis, utrum velit, nec ne, memoratis functionibus personaliter intervenire, ut eo interveniente, opportuno tempore baldachinum Archiepiscopi, vel eo nolente intervenire, illud Abbatis Regularis erigi possit, injungens Emo. et Rmo. D. Card. pro tempore Legato, ut executioni hujus Decreti Sanctitatis Suae, adhibitis etiam auctoritate sua juris remediis, sedulo incumbat.“ n. 3970 die 12. Martii 1727.

Non licet Monachis Monasterii s. Mercurialis erigere thronum ter in anno in eorum Ecclesia, sive Abbas nolit sive non possit Pontificalia exercere sive absit a Monasterio. n. 4036 ad 4 die 25. Junii 1735.

Abbas cum usu Pontificalium non potest in Ecclesiis Monialium, suo regimini subjectarum, erigere Baldachinum. n. 1516 die 2. Julii 1641.

2) Defunctorum.

Nullo modo convenire, cadaver Archiepiscopi defuncti ex Palatio per

vias publicas sub Baldachino deferre. n. 916 die 5. Julii 1631.

3) Dignitariorum.

Non licere Praeposito S. Agathae Cremon. uti baldachino nisi simplici juxta decretum Alex. VII. n. 3138 ad 1 die 14. Junii 1687.

Prior s. Sepulchri Baruli Tranen. Dioeces. in ingressu Ecclesiae recipi non debet a Sacerdotibus sub baldachino. n. 3550 ad 3 die 13. Febr. 1700.

Cf. *Usus Pontificalium.*

4) Episcopi.

a) In Cathedrali.

Ad dubia: 1. an Episcopo Pontificalia exercenti competat retentio baldachini seu umbraculi pretiosi et aurati supra sedem positam a latere altaris majoris?

2. an eadem retentio competat Episcopo, etiamsi Capitulum omiserit opponere baldachinum super altare majus? S. C. resp. ad 1.: Competere, dummodo non sit pretiosum nec auratum; ad 2.: affirmative et cogat Capitulum, ut ponat baldachinum super altare majus. n. 3987 ad 5 et 6 die 20. Aug. 1729.

Episcopo pontif. celebranti debetur baldachinum supra sedem Episcopalem, quae locanda est e regione altaris vel in cornu Evangelii juxta Caerem. n. 4317 ad 5 die 6. Aug. 1763.

b) In Cappella ad Tertiam.

Licere Episcopo erigere baldachinum in cappella extra presbyterium, ubi recitat horam tertiam et sumit paramenta sacra et ex qua deinde processionaliter accedit ad ipsum presbyterium et in eo ad altare majus pontificaliter est celebraturus. n. 2623 ad 1 die 6. Maii 1673; n. 2633 die 17. Junii 1673; 2646 die 12. Aug. 1673.

c) In Eccl. exempta.

Episcopus potest in Ecclesia *exempta* erigere Baldachinum. n. 752 die 12. Julii 1628:

Servandum esse solitum circa usum baldachini in visitandis Ecclesiis exemptis, et nullius Dioecesis, existentibus in civitate et Dioecesi Aquilana per ipsum Episcopum Aquilanum tamquam delegatum apostolicum. n. 2339 die 19. Sept. 1665.

d) In Eccl. Monachorum.

Cf. *Sedes Episcopi.*

Teneri Monachos erigere Baldachinum pro Episcopo accedente ad eorum Ecclesias et etiam in casu, quo accedit Capitulum Cathedralis sine Episcopo. n. 793 die 20. Dec. 1628; n. 1111 die 9. Dec. 1638.

Licet Episcopo in quacumque Ecclesia etiam Regularium suae Dioecesis erigere baldachinum, praesertim quando personaliter interest functionibus ecclesiasticis, sive dum habetur sacra concio, illud erigi facere e regione pulpiti tamquam in loco digniori. n. 2272 ad 1 die 24. Maji 1664.

Ad dubium: an tota die festi s. Vitalis possit Archiepiscopus Ravenat. tenere erectum Baldachinum, quamvis 2. vesperis ipse non assistat, vel potius post meridiem levari et aliud pro Abbate erigi debeat, quod usque adhuc servatum est, S. C. resp.: quod si ipse Archiepiscopus non sit celebraturus, mandet deponi tempore opportuno. n. 2317 die 21. Mart. 1664.

e) In Eccles. Monialium.

Moniales debere initio Visitationis Episcopum sub Baldachino sedentem revereri cum genuflexione. n. 1994 die 19. Julii 1659.

f) In Eccles. parochiali.

Erigatur Episcopo in Ecclesia Ple-

bani Sedes Pontificalis cum baldachino n. 1378 ad 4 die 10. Maji 1642.

Ad dubium: an Episcopus Naulen. possit in qualibet suae Dioecesis Ecclesia erigere Cathedram episcopalem et Baldachinum, etiam tempore, quo Episcopus non residet et functiones episcopales non exercet in dicta Ecclesia, maxime, si dicta Ecclesia suae Dioecesis parum distet, nempe per milliarium circiter ab Ecclesia Cathedrali? S. C. resp.: Juxta votum, nempe negative. n. 3837 die 11. Julii 1711. Vd. *Sedes Episcopi in aliis Eccles.* decr. n. 4720.

g) In Processione.

Vd. *Episcopus assist. Processioni.*

h) Coram exp. SSmo.

Ex vi aut lege Caeremon. Episcop. non prohibetur Episcopo, ut propria utatur sede, qua desuper baldachinum dependeat, dum Divinis assistit, vel per se ipsum peragit, SSmo. palam super altari exposito, dummodo genuflexiones tum praescriptas debitasque reverentias adamussim observet atque, operto capite, in signum reverentiae saltem assistat. n. 4125 die 9. Junii 1742.

i) In Visitatione.

Ad dubium: Per Decretum S. R. C. datum die 27. Maji de anno 1826 prohibitum fuit deferre sub Baldachino Reliquias et Imagines Sanctorum, qui usus Baldachini debetur tantum SSmo. Eucharistiae Sacramento; quaeritur: an in enunciata prohibitione comprehendatur etiam Episc. dum Paroecias visitat et Monasteria? S. eadem C. respondendum censuit:

„Intelligendum de Reliquiis: quoad Episcopum servetur Caeremoniale.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 1 die 11. Sept. 1847.

5) Episcopi Administratoris.

Cf. *Sedes Episcopi Administr.; Faldistor.*

Quum Rmus. hodiernus Ep. Administrator Eccl. S. Severini probe comperiat juxta alias Decreta a S. R. C. sibi non licere in solemnibus Vesp. ac Missis in Pontificalibus sedere in Cathedra sub Baldachino, neque ibidem assistere Missis, quae per alios celebrantur cum cantu, sed in primo casu uti debere Faldistorio, et in secundo: sedere tantum in digniori Chori Stallo; ne perinde imminuatur splendor S. Caeremoniarum, SSmum. D. N. Pium IX. P. M. supplex adivit, enixeque rogavit, ut de Apost. benignitate indulgere dignaretur, ut ipse tam in Pontificalibus quam in assistentia Missis solemnibus, aliisque Eccl. Functionibus praestanda sedere valeat in Cathedra sub Baldachino; SSmus., referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis peculiaribus circumstantiis, ac praesertim, quod novissimus Ep. renuntiationem Sedis emiserit, de speciali gratia in exemplum non afferenda annuit juxta Ep. Administratoris preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5091 die 5. Mart. 1847.

6) Episcopi Suffrag.

Instante Episcopo Suffraganeo Constantiensi in Visitatione Ecclesiae Colleg. Lucerninae celebrare missam sol. sub baldachino, eoque a Canonico Caeremon. praefecto ipsi denegato, quaesitum fuit declarari: An Episcopo Suffr. competat baldachinum? S. C. resp.: *Negative.* n. 3609 die 21. Januarii 1702.

Non licet Episcopo titulari suffraganeo uti baldachino, dum Pontificalia exercet in suis Ecclesiis et in exemptis Regularium ejus Dioecesis, nec uti in Ecclesiis extra suam Dioecesim, etiam de licentia Ordinarii. n. 3738 ad 1 et 2 die 6. Mart. 1706.

7) Episcopi Visitatoris.

Vd. *Episcopus Visitator; Baldachinum Ep. in Visitatione.*

8) Hastae portandae.

Cf. *Reliquiae* (Laici).

Canonicos non teneri, nec posse cogi ad deferendum hastas Baldachini, quae deferri debent per digniores ex Beneficiatis seu Mansionariis juxta Caerem. (Lib. II. c. XXIII.) n. 1171 die 20. Aug. 1639; n. 4081 ad 1 die 29. Nov. 1738.

Dictum decretum habere locum non obstante contraria consuetudine. n. 1229 die 2. Julii 1640.

Ad dubium: an in Processione SS. Corp. insurgentibus controversiis super delatione hastarum baldachini, a quibus deferri debeant, decidere spectet ad Episcopum seu potius ad judices laicos? S. C. resp.: Servetur Caeremoniale, n. 3334 ad 2 die 17. Julii 1694.

9) Hastas Deferentes.

a) Habitus.

Ad dubium: in processione fer. VI. in Parasc. cappae seu pluvialia deferentium hastas baldachini utrum debeant conformari in colore cum indumentis nigris Celebrantis aut cum albo baldachini? S. C. resp.: Non esse adhibenda Pluvialia sed solum cottas a gestantibus hastas baldachini. n. 4055 ad 3 die 15. Sept. 1736.

Vd. *Processio SSmi. Regul.* (modus, decr. n. 4130.)

b) Ingressus.

Ad dubium: an Mazzerii et Virgarii Magistratus saecul. in process. Corp. Chr. et aliis, in quibus Magistratus assistit et aliquae ex personis, quae Magistratum componunt, hastas baldachini deferunt, et reliqui Magistratus cum suo capite Episcopum subsequntur, incedere debeant ante illos hastas baldachini deferentes, ita quod ante dictos Mazzerios incedant Sacerdotes faces et Signa pontif. portantes, seu potius illi incedere debeant ante dictos Sacerdotes aut extra lineam processionis alam facientes a lateribus illorum vel post Episcopum ante reliquum majorem numerum Regitorum cum suo Capite? S. C. resp.: Mazzerios in processione SSmi. Corp. Chr. incedere debere non ante sed hinc inde prope baldachinum. n. 4139 ad 2 die 23. Mart. 1743.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXII. n. 7.

10) Imaginum.

Vd. *Baldachinum Reliquiarum etc.*

11) Laicorum.

Debere *Baronem* . . . per se ipsum et nullo modo per substitutum hastam baldachini supra SS. Sacramentum deferre prout alii Barones . . . hactenus fecerunt vel si id facere recusent, ad processionem non accedere. n. 204 die 5. Julii 1603.

Nec Baldachinum in benedictionibus Sponsis convenire; nec Sacristae quidquam omnino exigere audeant seu praesumant pro tali benedictione. n. 294 die 25. Febr. 1606.

Non licuisse antecessoribus Amati Principis de Galatea, Domini civitatis Cacami baldachinum in Ecclesia erigere... et ab hujusmodi usu sese tum etiam in posterum abstinere. n. 2026 die 24. Jan. 1660.

Marchioni terrae Potidactili simplicem sedem coraminis super pradellam sine baldachino extra Presbyterium licere. n. 2519 die 29. Nov. 1670.

Non competere Comiti Domino terrae de Isnello *juxta* chorum uti throno in loco superiori et eminentiori cum gradibus et Baldachino ad instar sedis Episcopalis. n. 797 die 10. Febr. 1629.

Baldachinum in Ecclesiis, Oratoriis aliisque sacris quibusvis locis Principi

Trivultio non competere. n. 1860 die 6. Jan. 1658.

Ad relationem Episcopi Polignan., se tandem baldachinum Domini temporalis a Cathedrali amovisse, S. C. resp.: Zelum Episcopi plurimum commendari et prohiberi in posterum, ne abusus reviviscat. n. 2076 die 11. Sept. 1660.

Principi terrae Praesicciae baldachinum in Ecclesia, matrice ejusdem terrae, quando assistit divinis, nullo modo esse permittendum. n. 1161 die 23. Maji 1639.

Non convenire sed omnino prohibendum, quod Clerici et Presbyteri extra civitatem cum superpelliceis, cruce et Baldachino ad excipiendos cives suos exeant, quando graduati redeunt in patriam. n. 1188 die 19. Nov. 1639; n. 2610 die 3. Dec. 1672; n. 3155 et 3156 die 13. Mart. 1688; n. 3212 die 22. Apr. 1690; n. 3187 die 18. Jun. 1689; n. 1587 die 18. Maji 1647.

Baroni (Roccae) non competere baldachinum. n. 2247 die 4. Aug. 1663.

Principi Acaiae non licere erigere et retinere in Cathedrali Baldachinum eoque uti, non obstante... quod antecessores in Principatu retinuerint et usi fuerint. n. 2373 die 26. Junii 1666.

Non licuisse neque licere Principi Carolo de Mariis Aquaevivae habere et retinere baldachinum, illoque uti neque in Ecclesia ipsius Aquaevivae neque Castelanetae. n. 2394 et 95 die 5. Mart. 1667.

Episcopus Vercell. curet, ne Princeps in Oppido Massarani baldachinum pro se, principissa et filiis ad exclusionem ejusdem Episcopi erigat. n. 2816 die 13. Febr. 1677.

S. C. mandavit Episcopo Bitecten., ut omnino amoveri faciat baldachinum Baronissae Bitecti in Cathed. erectum. n. 3064 die 23. Sept. 1684.

Non licere Laicis in Ecclesiis retinere aut uti Baldachino, neque assidere in throno.. n. 1291 die 26. Jan. 1641; n. 1336 die 6. Julii 1641; n. 1936 die 28. Sept. 1658.

Baldachinum Baronis Bitetti in Ecclesia, alias jussu S. C. depositum, tolerante vero Episcopo iterum erectum, denuo amovendum esse. n. 1386 die 31. Maji 1642; n. 1406 et 1407 die 16. Aug. 1642.

Non licere Principi Minerbini, domino civitatis Lavell. erigere in Ecclesia Fratrum Min. Observ. baldachinum. n. 1680 die 9. Aug. 1653.

Expositum est: Principissam civitatis Nicoterensis usum Baldachini sibi arrogasse cum Vicarii Capitularis assensu. S. C. resp.: Vicarius hujusmodi abusum omnino aboleri curet. n. 1938 die 28. Sept. 1658.

Primatibus Magistratibusque usum baldachini in propriis domibus habentibus, erectio ejusdem baldachini in Ecclesiis non licet, quando adhibeantur in patrinos et matrinas in administratione Sacram. Baptismatis seu aliis hujusmodi functionibus. n. 2423 ad 3 die 5. Nov. 1667.

12) Oleorum sanct.

Vd. *Olea s.* (Asservatio. decr. n. 4623.); *Oleum infirmor.* (Asservatio.)

13) Reliquiarum, Imaginum, ss. Crucis et s. spin. Coronae in processione.

Vd. *Reliquia* (veneratio etc. decr. n. 4956).

Cum quidam abusus inoleverit in Terra Castelletto supra Ticinum Dioec. Novarien. deferendi in publicis Supplicationibus, quae a Confraternitate inibi instituta sub invocatione SSmi. Sacramenti et Rosarii peraguntur, Reliquias ss. Fabiani ac Sebastiani Martyrum, ac Rochi Conf. sub Baldachino in solemnitatibus eorumdem Sanctorum per Oppidi vias; Emus. et Rmus. D. Card. Episcopus Novariensis, instante

R. Praeposito ac Parocho dicti loci, abusum hujusmodi eliminandum prorsus esse edixit Decreto lato die 31. Maji currentis anni, quo cavit, ne in posterum dictarum Reliquiarum delatio sub Baldachino fieri liceret. Cumque se in vim hujus Decreti gravatos arbitrarentur Confratres, supplicem S. R. C. de ejusdem Card. Episcopi consensu libellum porrexerunt, efflagitantes manutentionem in asserta consuetudine. Et Emi. P. eidem S. C. praepositi, mature perpensis et Sodalitatis abusum pluries ab hac S. C. improbatum laudabilemque inhibitionem Emi. et Rmi. Card. Episcopi, ad preces sic, ut supra porrectas, referente Emo. et Rmo. D. Card. Julio Maria de Somalia Episcopo Ostiensi et Veliternen., Sacrorumque R. C. Praefecto loco Emi. Quarantotti defuncti, rescribendum censuerunt: „Oratores pareant Decreto Emi. Episcopi.“ n. 4570 die 23. Sept. 1820.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Quae circa cultum ac venerationem Sanctorum, eorumdemque Reliquiarum, Imaginum, Simulacrorum versantur, ita ordinanda sunt et exequenda, ut, in extrinsecis etiam honorificis, non essentialibus, significationibus congrua ratio servetur. Nam reverentiae argumenta, quae exhibenda sunt Domino, non aeque Servis praestari debent, etsi hi quoque sint honorandi. Si secus fiat, ne invalescant abusus, neve debitus ordo turbetur, opportune occurrat, opportet, vigilantia Pastorum. Ideo commendandus est Emus. et Rmus. D. Card. Morozzo Novarae Antistes, qui jussit abrumpi abusum circumferendi in publicis supplicationibus SS. Patronorum Reliquias sub Baldachino. Siquidem Baldachinum hastatum jure competit SSmo. Sacramento ob summam, quae ei debetur, reverentiam. In Caeremoniali Episcoporum, in Rituali Romano, aliisque Ritualibus libris sub titulis *de Processionibus*, usus Baldachini praecipitur dumtaxat in illis, in quibus SSmum Christi Corpus defertur. Quamquam vero instrumenta Dominicae Passionis speciali cultu sint veneranda; nihilominus de rigore sub Baldachino deferenda non sunt: quod si deferantur, ideo permittitur, quia improbanda non videtur immemorabilis consuetudo, cum agatur de Reliquiis sanctificatis contactu immediato SSmi. Corporis D. N. J. C., et pretioso ejus sanguine conspersis. Hinc S. R. C. rogata: *An liceat proponere Spinam D. N. J. C. ab immemorabili praesertim in Parasceve, capite scilicet aperto sub Baldachino processionaliter propositam?* Sub die 12. Julii 1704 non absolute respondit: *Licere*, verum *Affirmative in casu, de quo agitur:* habita scilicet ratione: *immemorabilis.* Sed etiam clarius in Decreto *Cadicen.* Proposito Dubio: *Num Lignum SSmae. Crucis et Sacrae Spineae Coronae D. N. J. C. dum ab eodem Capitulo Cadicensi in eorum Festivitatibus processionaliter portantur, ex inveterata ejusdem Ecclesiae consuetudine, sub Baldachino, vulgo hispanice Pallio, et cum duorum thuribulorum incensatione conduci et portari debeant?:* Sub die 26. Aug. 1752 respondit: *Lignum SSmae. Crucis et Spinas Coronae D. N. J. C., ubi adest consuetudo immemorabilis,* (ergo non semper, non ubique, non ex qualibet consuetudine, sed ubi haec adest et immemorabilis est) *licitum est, capite aperto, sub Baldachino processionaliter deferre easdem Reliquias incensantibus duobus thuribulis. Si autem,* ut scite monet Cavalerius, tom. 4. cap. 17. decret. 9. *ita est de sacris Spinis, quae sunt speciali nota, et cultu dignae, multo utique magis de Sanctorum Reliquiis.* Sed cur in his sistimus, dum de Reliquiis San-

ctorum S. R. C. Decretum habemus, quod quamlibet dirimit controversiam? Amanuensis incuria hac in nostra Collectione omissum fuit, sed authenticum est, et legitur in Regestis, prout sequitur:

CALAGURITANA.

„Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Calaguritanae supplicavit a S. R. C. declarari: An Reliquiae Sanctorum, quae deferuntur in Processionibus per Civitates et oppida debeant deferri sub Baldachino? Et eadem S. R. C. respondit: *Negative;* hac die 23. Mart. 1686."

Non me latet, non deesse, qui existimant Sanctorum Reliquias, Imagines, ac Simulacra deferri posse sub Baldachino, inixi quibusdam antiquioribus Decretis Congregationis Episcoporum et Regularium *11. Mart. 1579, 20. Dec. 1609, 12. Mart. 1613, 10. Julii 1621, 19. Julii 1647.* At primum liceat mihi de horum Decretorum authenticitate dubitare; non enim exscripta sunt, sed leguntur apud *Nicolium in Flosc. verb. Processio num. 9.* Sint tamen, si vis, authentica. Quid interest? nonne posteriora derogant prioribus? Atqui Decreta, quae laudavimus, S. R. C. posteriora sunt illis, quae lata feruntur a Congregatione Episcoporum et Regularium; consequitur a Patribus, quibus datum est Sacros tueri Ritus et abusus tollere, novis studiis illa repudiata fuisse, cum magis conformis sit spiritui Ecclesiae contraria sententia, qua posita, uni Sacramento Corporis Christi Baldachini debetur honor et sacris Passionis Instrumentis, ubi immemorabilis viget consuetudo, permittitur. Id adeo verum est, ut pluribus in locis, etsi illicitus habeatur Baldachini usus in delatione Reliquiarum, nihilominus, ne hae sine tegmine circumferantur, pia quadam fraude nonnulli utentes, ut legem eludant, iisdem addunt vivificae Crucis Reliquiam, abusus non ferendus, et omnino eliminandus! Interim enim Populus nescius, Sanctos Patronos, quorum Reliquiae sunt, veneratur, et colit, et illa de Cruce perinde habetur, ac si non esset.

Sunt et alii, qui distinctione conciliare student recentiora S. R. C. Decreta cum antiquis Congregationis Episcoporum et Regularium, admittentis usum Baldachini, non in omnibus Processionibus sed in solemnioribus. *Baruffaldus tit. 89 num. 29* (ita Cavalerius loc. cit.) *producta Decreta ita ad Concordiam revocat, ut illa, quae usum Baldachini prohibent, intelligenda sint de Processionibus minus solemnibus, quae vero permittunt de solemnibus et celebrioribus, ad quarum majorem solemnitatem dubium non est, quod Baldachinum deservit.* In hanc autem sententiam venisse Cavalerius videtur, inquiens, *quod sicuti Baldachinum ad solemnitatem deservit* et honorem, ita videtur erui, quod SSmo. Sacramento, cui Ritualia illud attribuunt, non privative convenit, neque tamquam unum ex signis protestativis Divinitatis, atque adeo, quod etiam adhiberi potest Reliquiis, dum per Processionem solemniter deferuntur; abstinendum vero in Processionibus minus solemnibus, in quibus, ut deferatur, Decretum 1704 suffragium immemorabilis consuetudinis fortasse exigit: Nequeo tamen huic opinioni adhaerere: licet enim Baldachinum signum protestantivum non sit Divinitatis, est tamen honorificum quoddam distinctivum, quod ponit extrinsecam differentiam. Neque valet argumentum desumptum a Decreto S. R. C. anni 1704, quod rationem habet immemorabilis consuetudinis, non quoad Reliquias Sanctorum in genere, sed praecise quoad Sacratissimam Spinam Coronae D. N. J. C. Caeterum Roma,

quae omnium Ecclesiarum Magistra est, dat regulam; antiquiora exempla non quaero, recentiora adducam, quae a nemine ignorantur. Sub initium anni 1798, publicis urgentibus calamitatibus, indicta fuit solemnissima universi Cleri Supplicatio ab Ecclesia S. Mariae in Vallicella ad Patriarchalem Basilicam Vaticanam; alteraque similis a Liberiana ad Lateranensem. Deferebatur humeris Episcoporum et Canonicorum Patriarchalium Thalamus cum *s. Tabula Archetypa SSmi. Salvatoris, celeberrima Imagine B. M. V. in Porticu et s. Vinculis S. Petri Apostolorum Principis;* nec tamen hastatum Baldachinum fuit adhibitum. Die 24. Aug. 1800 solemni pompa e Basilica S. Mariae Transtyberim translata fuerunt *Corpora SS. Bartholomaei Ap., Paulini Episcopi Nolani, Sanctorumque Martyrum Adalberti, Exuperantii et Marcelli,* cum aliis Reliquiis, ut restituerentur Ecclesiae in insula Tyberis S. Bartholomaei titulo Deo dictae. Et proxime elapso mense Augusto ab Ecclesia S. Andreae de Valle, pari, imo etiam majori, solemnitate ad Basilicam S. Laurentii in Damaso elegantissime reparatam, suoque decori restitutam, translatum fuit *Simulacrum SSmi. Crucifixi*, miraculis, devotione et frequentia Populi celeberrimum, una cum *perantiqua Jcone B. M. V., Reliquiis S. Laurentii Martyris, Corporibus S. Damasi Papae, S. Eutichii, Faustini, Mauri, Boni etc.* Et licet in utraque Supplicatione ad Thalami latus quatuor Episcopi Pontificalibus amicti incederent, Baldachinum tamen hastatum delatum non fuit. Cur autem ita? quia neque imaginibus, neque Sanctorum simulacris, neque Reliquiis extrinseca illa honoris significatio convenit, quae soli debetur Eucharistiae et permittitur erga Dominicae Passionis Instrumenta, ubi immemorabilis adest consuetudo. Spartam hanc magis possem illustrare, sed quae dicta sunt, satis esse videntur, ut quisque intelligat, eliminandum esse abusum deferendi in Processionibus Sanctorum Imagines, Simulacra, et Reliquias sub Baldachino.

Lignum ss. Crucis et Spinas Coronae D. N. J. Chr., ubi adest immem. consuetudo, licitum est, capite aperto, sub baldachino processionaliter deferre easdem reliquias, incensantibus duobus Thuriferariis. n. 4227 ad 5 die 26. Aug. 1752.

Quum Prior Congreg. B. V. M. de Monte Carmelo loci Capracotta Dioec. Trivent. rogarit, ut non obstante gen. decreto prohibente deferri sub baldachino SS. Imagines, id permitteret de speciali gratia S. C. quoad simulacrum B. V. M. sub eodem titulo.

S. C. resp.: Servetur decretum generale. num. 4889 die 11. Aprilis 1840.

Decretum generale.

Pluries Emi. Patres Sacrorum Rituum Congregationi praepositi ad sibi allatas quaestiones, liceret nec ne publicis in solemnibus Supplicationibus quae fiunt occasione celebritatis Sanctorum Patronorum principalium, per Civitates et Loca, horum Reliquias, vel Spinam Sacratissimae Coronae Domini Nostri Jesu Christi, aut Lignum vivificae Crucis sub Baldachino deferre? responderunt, SSmae. Eucharistiae dumtaxat Baldachini usum competere, ad tradita per Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum, aliosque rituales Libros: ideoque, habita ratione disparitatis ritus et cultus, neque Instrumenta Dominicae Passionis, neque Sanctorum Reliquias sub Pallio seu Baldachino hastato deferri licere, hujusmodi delationem abusum declarantes, huncque improbandum et eliminandum. Quia vero et Lignum SSmae. Crucis, et Sacratissimae Spinae Coronae Do-

mini, prout alia quaedam Instrumenta Passionis Dominicae contactu immediato SSmi. Corporis Domini Nostri Jesu Christi sanctificata fuere, ejusque pretiosissimo Sanguine conspersa, proindeque speciali honoranda cultu; insuperque ea fere universali ubique locorum et gentium invecta consuetudine, sub Baldachino deferri obtinuerint, ideo illarum circumductionem sub baldachino tolerandam censuerunt: congruum quippe et rationi consonum videbatur, ea reverentiae argumenta esse exhibenda Domino, quae Sanctis nullatenus praestari debent.

Sed quoniam, hisce non obstantibus sanctionibus, abusus, qui irrepserant, sensim alicubi invalescere persentiantur, et nonnulli existunt, qui pia quadam fraude legem eludere in animum induxerint, superimponentes Reliquiis Sanctorum vivificae Crucis Reliquiam, ut illas sub Baldachino hujus praetextu deferant, prout ex repetitis ad Sanctitatem Suam et Sacram Congregationem datis adversus hujusmodi abusus precibus. Hinc ne debitus turbetur ordo, et in extrinsecis etiam honorificis, licet non essentialibus significationibus, congrua ratio servetur, utque vigentes adhuc abusus opportune abscindantur, et eliminentur, quaeque praescripta sunt debitae exequutioni mandentur, re mature diligenterque perpensa in Ordinario Conventu habito die 6. Maji currentis Anni 1826. Emi. Patres fuerunt in voto: Dandum esse Decretum generale, quo, juxta alias resoluta caveatur, et per modum regulae ubique servandae praefiniatur, ne in posterum alicubi per quoscumque, quolibet sub praetextu solemnitatis, devotionis, pietatis, privilegii, indulti, concessionis, tolerantiae, consuetudinis, licet immemorabilis, quam abusum non ferendum declararunt, liceat unquam Sanctorum Reliquias processionaliter sub Baldachino circumferre: tolerari tamen posse, et permitti, quod Lignum SSmae. Crucis, aliaque Instrumenta Dominicae Passionis peculiari horum attenta veneratione, habitaque ratione fere universalis consuetudinis, deferantur sub Baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim, et disjunctim a Sanctorum Reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit; et ad Secretarium cum SSmo.

Facta igitur de praemissis omnibus et singulis Sanctissimo Domino Nostro *Leoni XII.* Pontifici Maximo relatione per infrascriptum ejusdem Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sensum adprobavit, et confirmavit, jussitque promulgari, et in Acta Sacrorum Rituum Congregat. referri, Locorum Ordinariis stricte praecipiens ut eliminandis abusibus, qui irrepserint, incumbant, et Decreti hujus observantiam solertissime urgeant.

Nro. 4620. a. Die 27. Maji 1826.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Reliquias Sanctorum circumferendas non esse in Processionibus sub Baldachino decisum jam fuerat in Sacra Congregatione coacta die 23. Martii 1686 in *Calaguritana*, et nuperrime in *Novarien. 25. Septembris 1820.* Ad eliminandum autem abusum, quem pluribus in Dioecesibus inolevisse delatum est, eadem Sacra Congregatio nedum opportunum, sed necessarium etiam duxit generalem legem dicere, quam *Sanctissimus Dominus Noster* adprobavit, confirmavitque, et insuper locorum Ordinariis stricte praecepit, ut ejusdem observantiae sedulo incumbant.

Vintimilien.

Posteaquam Decimoseptimo Kalendas Aprilis superioris anni 1833 Sacrorum Rituum Congregatio nonnullis Dubiis propositis pro parte Reveren-

dissimi Episcopi Vintimilien. quoad delationem sub Umbello, vulgo Baldachino, Sacrarum Reliquiarum Sancti Secundi Martyris praecipui Patroni negativam protulit sententiam, nomine Corporis Civici ejusdem Civitatis iterum, ac tertio supplicatum fuit pro gratia, qua id saltem concederetur per Apostolicum Indultum. Sacra autem Congregatio, ad relationem per infrascriptum Secretarium factam in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, rescribendum censuit:

„Negative, et servetur Generale Decretum.“ Die 26. Aprilis 1834 n. 4727.

S. Imaginem non esse deferendam sub baldachino. n. 4164 ad 2 die 22. Aug. 1744.

Vintimilien.

Beatissime Pater.

Episcopus Vintimilien. in obsequium Decretorum Sacrorum Rituum Congregationis, et praesertim Decreti Generalis diei 27. Maji 1828, prohibuit elapso anno, ne Statua Sancti Secundi Martyris hujus Civitatis Patroni ejusdem Reliquiis decorata processionaliter deferretur sub Umbella, firmiter obsistens adversus enixas preces, quibus undecumque impetebatur, ut ab hac jussione abstineret. Multae hinc obmurmurationes in ipsum, multa dicteria, eousque ut nonnulli aperte praenunciarent rem absque tumultibus popularibus haud esse cessuram. Nihil tamen accidit hujusmodi, ast in suo proposito etiamnum pergunt Cives, vehementissime optantes, ut Episcopus ab imperatis recedat, sibique liceat, quod ab immemorabili consueverunt, quin unquam aliquis obsisteret; palam etiam dictitantes, nihil boni sperandum, nisi Sancto Protectori pristinum decus restituatur. Rebus sic stantibus Vintimilien. idem Antistes humillime declarari petit:

1) An attenta vetustissima consuetudine ac immemorabili, debeat suum retractare Decretum de non ferendo sub Umbella Simulacro et Reliquiis Sancti Secundi Martyris?

2) An saltem id debeat, ut morem gerat ardentissimo populi desiderio?

3) An saltem in casu, quo dictae obmurmurationes in apertum odium contra ipsum excrescerent?

4) Utrum id possit tolerare dissimulando?

5) An proprie dissimulando reus peccati evaderet?

Quibus singulis per infrascriptum Secretarium fideliter relatis in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt:

Ad 1. „Negative.“

Ad 2., 3. et 4. pariter „Negative.“

Ad 5. „Probatos adeat Theologos.“

Atque ita rescripserunt, die 16. Martii 1833. n. 4710.

14) SS. Sacramenti.

a) Numerus hastarum.

Ad dubium: an Capitulum Collegiatae Matricis Gsiara Pizziglitano prohibere possit parochiali inferiori baldachinum in processione SSmi. cum sex hastis, quod cum totidem ab ipsa digniori elevetur? S. C. resp.: Non posse prohiberi. n. 2568 die 21. Novembris 1671.

Vd. *Processio SSmi. Regular.* (modus, decr. n. 4130).

b) In Processione.

Vd. *Instructio Clem.* §. XIX. n. 17.

c) Ubique erigendum.

Ad dubium: an in omnibus altaribus sive Cathedralis sive aliarum Ecclesiarum debeat erigi baldachinum vel in majori tantum, in quo asser-

vatur SSmum.? S. C. resp.: In omnibus. n. 3421 die 27. Apr. 1697.

Instructio Clem. §. XXXVI. n. 9 etc.

Senen.

Quum Equites Marcus, et Alexander Saracini in Oppido Castrinovi vulgo della Berardenga in Archidioec. Senen. e fundamentis excitarint Paroch. Eccl., ut Eccl. functiones adimplere adamussim valeant, S. R. C. enixe rogarunt, ut declarare dignaretur, num super omni Altari, in quo SSmum. Sacramentum asservatur, apponi omnino debeat Baldachinum? Et S. eadem C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente subscripto Secretario, comperiens usque ab anno 1697 V. Kal. Maji in una Cortonen. sancitum fuisse, ut Baldachinum omnino apponatur super Altari, in quo augustissimum Sacramentum asservatur, rescribendum censuit:

,,Detur Decretum in una Cortonen. diei 27. Apr. 1697.“

Atque ita rescripsit. n. 5044 die 23. Maji 1846.

BAPTISMUS.

a) Adulti.

(Ritus et Caeremoniae supplendae.)

Ad dubium: Quaenam servari debent Caeremoniae et preces, quae supplendae sunt adulto Catholico, valide post nativitatem baptizato, sed omissis Caeremoniis, quae juxta Rituale Baptismum praecedere vel sequi debent: an illae, quae in Rituali assignantur pro Baptismo adultorum, vel pro Baptismo infantium?

Et S. eadem C... rescribendum censuit: Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum:

,,Caeremoniae et preces serventur, quae in Rituali assignantur pro Baptismo infantium.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4780 ad 3 die 27. Aug. 1836.

Nota Gardell. ad hoc decretum.

Duo haec sunt Dubia, quibus iisdem fere rationum momentis potuit occurri, ac simul consideratis unica responsione satisfieri. Duo sunt in Rituali Romano Tituli, in quibus agitur de Baptismo; *Titulus septimus*, qui agit de Baptismo parvulorum; *Titulus duodecimus*, qui de Baptismo adultis conferendo pertractat. Duo pariter sunt Baptismi *Ordines*, qui diversas respective caeremonias, exorcismos, preces praescribunt, et baptismo, vel infantibus vel adultis conferendo respondent. *Titulus denique decimus quartus* modum praescribit ea supplendi, quae in Baptismi collatione sunt omissa, cum hoc Sacramentum, ob imminentis mortis periculum, vel alia urgente necessitate collatum est, et inscribitur: *Ordo supplendi omissa super baptizatum.* Novum non est quod cap. V. statuit Rituale de caeremoniis in baptismo omissis postea supplendis. Consuevit Ecclesia vel a primis saeculis aliqua, quae in conferendo baptismo omissa erant, supplere. Cum ii, qui in lecto decumbentes (clinici idcirco vocati) baptizabantur, si convaluissent, Episcopum adire tenebantur, ut ea omnia supplerentur, quae, urgente necessitate, omissa fuerunt in baptismo. Id constat ex antiquis ac probatissimis monumentis, ita ut vetus Ecclesiae disciplina super hoc in dubium nequeat revocari. Omnia hic persequi longa nimis res esset, quaedam afferam. Liquet ex *lib. IV. historiae Ecclesiasticae* Eusebii, Cornelium Papam in Ep. ad Fabium Antiochum, *Novatem redarguisse, quod postquam liberatus a morbo est, reliqua non perceperit, quae juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est:* ex his eruitur Cor-

nelium Papam docere, male se gessisse Novatem, quod suscepto in lecto baptismate addi deinde non curaverit ritus alios, quos Ecclesia in conferendo baptismate adhibebat, sive qui praecedebant, sive qui subsequebantur, quorum quidam diversam catechesim continebant, quidam varias abrenuntiationes, et Fidei professionem, quae omnia non inutiliter, sed ad finem aliquem ab Ecclesia statuta erant. Item Auctor de Rebaptismo inter Cypriani opera haec generatim habet col. 637: *Siquidem per nos Baptismo tradetur integre et solemniter, et per omnia, quae scripta sunt assignetur, atque sine ullius rei separatione tradetur: aut si a Minore Clero per necessitatem traditum fuerit eventum exspectemus, ut aut suppleatur a nobis, aut a Domino supplendum reservetur.* Censet itaque hic scriptor sane antiquissimus, et Cypriano coaevus suppleri posse post Baptismum ritum aliquem, qui antea omissus fuisset. In Concilio Laodicoeno can. 47 legitur: *Quod oportet eos, qui in morbo Baptismum accipiunt, et deinde resurgunt; fidem ediscere et nosse, pro Divino munere digni habiti sunt.* Ex his patet, praeter Confirmationem, quae olim per Episcopum simul tradi consueverat, etiam catechesim adjungi consuevisse, et alia quae defuerant. Omnia, quae ad rem hanc apposite faciunt, persequi, nec tempus sinit, nec res ipsa stricte postulare videtur, et haec sufficiunt pro instituto suscepto: Quae autem Ecclesiae super hoc fuerit disciplina omnibus compertum est, atque hinc plura referre praetermitto, quae apud D. Augustinum, Zenonem, Cyrillum Hierosolymitanum, Ambrosium reperiuntur, quos refert Martenius lib. 1 cap. 1 art. 15 n. 2 de antiquis Ecclesiae Ritibus.

Fuerunt qui putarunt, post collationem Baptismi quosdam ritus non convenire, ut illos, per quos indicatur catechumenum adhuc sub Daemonis esse potestate nempe *Exorcizo te spiritus immunde... ut discedas ab hoc plasmate Dei, quod Dominus noster ad Templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat Templum Dei vivi:* ab eo enim qui baptizatus jam est, expulsus est Daemon, atque Dei vivi templum factus ipse est: at male, nam ad omnem inconvenientiae ideam tollendam, sapienter Ecclesia statuit mutationes aliquas faciendas in hoc exorcismo, in quo pro *fiat, fieret* poni constituit, quae mutatio respicit statum catechumeni baptizati ante Baptismi susceptionem, non vero post susceptum Baptisma in necessitate collatum: idem dicendum de catechismo ad Fidei instructionem, quam exclusam vellent, quia in Patrini fide firmi sunt, qui spoponderunt, atque ita ea suppleri tantum vellent, quae Baptisma sequuntur; sed male item, quia Ecclesia quidquid omissum est, suppleri statuit: quod satis superque esset, ne quis diverse sentiret, sed et haec est supplendi ratio, nec inutiliter peraguntur, juxta Theologos, quae supplentur. Audiatur prae omnibus S. Thomas parte III. de Sacramentis quaest. 71 art. 3 ad 3 qui haec tradit: *Non tamen sunt praetermittenda ea, quae aguntur in exorcismo, nisi in necessitatis articulo, et tunc cessante periculo, debent suppleri, ut servetur uniformitas in Baptismo: nec frustra supplentur post Baptismum, quia sicut impeditur effectus antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit susceptus.*

Haec quae supplenda dicuntur, scilicet ritus et caeremoniae, quae praecedunt, vel subsequuntur, licet non sint ad Sacramenti substantiam necessaria, nihilominus cum sint Sacramentalia, quae Ecclesia instituit, et quae habent aliquam significationem, habent

finem aliquem, et effectum aliquem producunt, et idcirco omitti non debent, et consequenter supplenda sunt in iis, qui vel urgente necessitate, vel apud haereticos, aut quocumque errore sine ipsis sacro sunt regenerati lavacro. Hinc fuit et est vetus et recens Ecclesiae mos, qui *praxis* ab Estio nuncupatur, quam variis rationibus confirmat *in IV. Sent. dist. 6* §. *5* easque ibi adducit; quarum prima est, ne Sacramentum careat solemnitate, tunc enim caeremoniae referuntur ad Baptismum praecedentem, atque idcirco non est absurdum etiam illas adhibere, quae solent Baptismo praemitti, veluti catechismus: secunda, exorcismus, etiam post baptismum aliquid agit atque per hoc utilis est, ut patet ex nuper allatis D. Thomae verbis: *Quia sicut impeditur effectus Baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus,* quemadmodum et Cyprianus monet lib. IV. cap. 7. Sicut Diabolus *in Baptismo fide credentis excluditur, ita potest, fide postmodum deficiente regredi:* tertia, ut servetur Baptismi uniformitas juxta D. Thomam, sicut enim unum est Baptisma, ita easdem caeremonias servari convenit: quarta, ut publico hoc ritu Ecclesia baptismum a quocumque collatum, ratum se habere declaret: quinta, ut baptizatus publice habeat susceptorem sive Patrinum, cui sit cura illum christiane et catholice instituere: sexta demum, ut baptizatus, expressa per susceptorem sponsione, obligationem suam agnoscat, quidque Deo, quidque Ecclesiae debeat, intelligat.

His omnibus positis, quid Rituale dicit Titulo qui inscribitur *Ordo* supplendi omissa super baptizatum? Postquam §. 1 dixerit: *omnia suppleantur etc.* sic sequitur: *Idemque ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus) seu adultorum (si fuerit adultus) praescriptus servetur.*

Ex his verbis videri aliquibus fortasse posset, super adultum quemlibet, nulla facta distinctione, eumdem omnino in supplendis omissis caeremoniis ordinem esse servandum, qui pro indultis generice praescriptus est. At distinguendum hoc in casu, adultum inter et adultum: adultus in catholica Religione ortus, ab adulto qui in infidelitate vel haeresi ortus fuit, et vixit, est distinguendus, atque hinc non omnibus indiscriminatim adultis eumdem ordinem servandum esse patebit. Siquidem adultus, de quo sermo est in primo Dubio, super quem omissae caeremoniae servandae sunt, *valide baptizatus* dicitur post nativitatem, et *catholicus* eodem tempore dicitur: cum itaque duo sint ordines Baptismi, infantium nempe et adultorum, et ritus et caeremoniae in ordine Baptismi adultorum diversi sint ab illis pro infantium Baptismo praescriptis, non omnibus aeque adultis (inspecta ordinis diversitate) idem ordo pro adultis adsignatus servandus est: ordo enim unus supponit adultum in Fide natum, sed *ab Infidelitate ad Fidem venientem: vel ab haeresi etc.;* alter autem in Catholica Fide et ex Catholicis natum Parentibus supponit. Ille instructionem in Fide praescribit quemadmodum de Eunucho Candacis Reginae dicitur, qui postquam in Fide de Messiae Adventu, Morte, Resurrectione a Philippo instructus fuit, ab eo baptizatus est. Ille insuper continet ritus, exorcismos, preces, quae aptari nequeunt illis, qui in Catholica Religione orti sunt, ut omnibus patet: hic nihil de his habet. Hinc sicut ordo pro Adultis praescriptus servari non debet, pro Infantibus ex catholicis parentibus natis, ita nec ordo idem supplendi omissa pro dictis infantibus aeque pro adultis debet adhiberi. Siquidem si

in infante Catholico omissae caeremoniae fuissent, quaenam, quaeso, fuissent servatae si post dies aliquos tantum debuissent suppleri? Non aliae sane, nisi quae omissae fuerunt, sed quae fuerunt omissae, illae fuerunt, quae pro infantibus praescriptae sunt, non pro adultis; igitur caeremoniae non adultorum sed infantium suppletae fuissent. Jam in adulto, de quo in primo Dubio sermo occurrit, cum is ex catholicis parentibus ortus sit, ac post nativitatem sit baptizatus, non aliae sunt omissae caeremoniae, nisi illae, quae fuissent tunc post nativitatem servatae, quaeque una cum baptismo fuissent adhibitae, sed hae fuissent quae pro infantibus praescribuntur: igitur quae pro infantibus praescribuntur, fuissent suppletae; sed in supplendis caeremoniis illae servari debent quae omissae sunt. Infantium ergo caeremoniae in adulto nostro, qui Catholicus natus est, suppleri et servari debent: secus ritus, caeremoniae, preces servarentur, quae illius statui ac Religioni non respondent; nec Ecclesiae intentioni et fini conformes sunt: quibus rationibus attentis S. C. ad hoc dubium respondendum censuit: *Caeremoniae et preces serventur, quae in Rituali adsignantur pro baptismo Infantium.*

Ad dubium: Quae ex (his) Caeremoniis servari debent, quum adultus ab haeresi ad Fidem Catholicam conversus baptizandus est sub conditione, ob dubium fundatum de validitate Baptismi a Ministro haeretico collati?

Et S. eadem C... rescribendum censuit: Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum:

„Quatenus supplendae sint, et supplendae credantur Caeremoniae, ut in Dubio, illae supplendae sunt, quae pro Adultorum Baptismo sunt praescriptae."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4780 ad 4 die 27. Aug. 1836.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Quod attinet ad dubium alterum, diversa adultorum, qui ab haeresi veniunt, et adultorum, qui in Catholica Religione sunt orti, conditio est. Illorum praecipue conditionem respicit ordo baptismi, qui pro adultis inscribitur; qui autem catholicus natus est, nihil habet quod instructione in fide indigeat, nihil quod errorum detestationem exposcat, nihil quod contra Fidem senserit debeat revocare. Qui vero ex Infidelitate, vel ab haeresi ad Fidem veniunt, aliqua habent peculiaria, quae peculiariter detestentur, revocent, profiteantur. Hinc Rituale Romanum apposite sub Titulo *De baptismo* adultorum §. 16 haec habet: *Ubi vero debita forma et materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.* Jam quod spectat ad catechismum, et exorcismos diversi sunt hi in adultis ab illis, qui in parvulis adhibentur, et licet caeremoniae sint eaedem, verba tamen eadem non sunt, quia in adultis respectum habent vel ad Idololatriam, vel falsam Religionem, vel superstitionem, vel perfidiam in erroribus, ut in Hebraeis Messiae adventum denegantibus, vel haeresim, ac propterea haeresim, cui adhaeserunt, necesse est ut agnoscat Minister dum vel in Fide illum instruit, vel exorcizat, ut apta verba et in catechesi et in exorcismis adhibeat: et quemadmodum infideles debent de peccatis suis poenitentiam agere, ita et haeretici de suis erroribus, quos detestari singulariter tenentur. Potest enim fieri *ut quis* dicente Augustino *lib. de Baptismo, integrum habeat Sacramentum, sed perversam Fidem.* Hinc haec fuit vetus Ecclesiae disciplina ut haereticis haereticam pravitatem horrescere indixerit, antequam aqua salutari ablueret. Quin immo

grassante aliqua haeresi, Fidei articulos pravis illius haeresis erroribus appositos olim peculiari modo haereticis baptizandis, vel etiam aliis credendos profitendosque proponebat, quibus illos singulariter detestarentur. Locum proferam ex epistola Nicetii ad Justinianum Imperatorem desumptum apud Chesnium Tom. I. Historiae Francorum, ex quo id patet: *Dulcis*, legitur ibi, *et dulcis Noster Justiniane, memorare quae promisisti cum baptizatus es, quid per singula te credere dixisti, cum unum Filium manentem in duabus substantiis cum Patre et Spiritu S., non duos Christos testatus es:* quae quidem Fidei professio impio Nestorii opponebatur errori, qui duas in Christo personas asserebat, duosque docebat esse Christos, unum Filium Dei, alterum Filium hominis, ac proinde Mariam Matrem non Dei, sed hominis esse, et Christotocon, non Theotocon, esse appellandam.

Haec quidem est vetus Ecclesiae disciplina, ut baptizati apud haereticos, cum dubium non leve, sed prudens de baptismi validitate oritur, rite et sub conditione baptizentur. Rubrica Ritualis Romani *in ordine supplendi omissa super baptizatum* §. 1 inquit: *omissa omnia suppleantur*. Jam (redit hic eadem ratiocinatio, qua in superiori usus sum dubio) ea supplenda sunt, quae fuerunt omissa, sed in casu omissa sunt, quae respiciunt haereticum, nempe peculiaris catechesis, peculiares exorcismi, peculiares abjurationes errorum et sectae, cui adhaesit; haec igitur omnia supplenda essent in haeretico nostro adulto, qui ab haereticis baptizatus, quia de illius baptismi validitate dubitatur, sub conditione baptizandus esse dicitur. Rubrica absolute inquit, *omnia suppleantur*; sed supplenda sunt, quae sunt omissa, haec autem sunt quae haereticum respiciunt; omnia ergo, quae illum respiciunt, suppleri debent. Nec inutiliter hoc Rubrica praecipit: in adultis enim hujusmodi patet etiam utilitas horum Sacramentalium, quae omissa supplenda dicuntur, quia undequaque infirmitatibus sunt circumdati, et valido ad eas repellendas scuto indigent; atque hinc est, quod Rubrica omissiones supplendas praescribit.

At eadem Rubrica (aliquid adnotandum censeo) Ritualis Tit. *De baptismo adultorum*, quem supra attuli §. XVI. haec habet: *Omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.* Haec non inutiliter habet Rubrica. Postrema haec verba cum aliis *in ordine supplendi omissa* relatis conferenda sunt, in quibus absolute dicitur: *omissa omnia suppleantur:* ex illis liquet, non ita stricte servandam esse hanc Rubricam, ut quae supplenda essent, omitti nunquam possint. Datur enim casus quod Episcopi (statim ac ipsi illorum prudentiae res committatur) possint dispensare a supplendo omissas caeremonias, si quae sunt rationabiles causae, quae illos ad haec ipsa omittenda moveant; ne forte innumerae oriantur dissensiones de baptismo ipso, de necessitate earumdem caeremoniarum, et praecipue in civitatibus, in quibus magnus Haereticorum numerus reperitur; cum praesertim validum sit baptisma sine his caeremoniis collatum. Addam postremo, quod habet Trombellius *Dissert. 18*, in cujus secunda parte agit de caeremoniis in baptismo privatim administrato omissis, et postea suppletis. Multos ipse auctores refert, qui de Rituali agunt, et ipsa Ritualia diversa depromit. *Ambrosianum* a Martenio integrum relatum; *Rituale* Cardinalis S. Severinae, seu, ut alii volunt, Gregorii XIII.; ac Clementis VIII., quod Rituale maxime commendat Paulus V., in praefatione Rituali Romano praeposita, affirmans fu-

isse a Viro singularis pietatis et doctrinae b. m. Julio Antonio S. R. E. Card. S. Severinae nuncupato longo studio, multaque industria et labore plenissimum, compositum; Rituale ipsum Romanum Pauli V. jussu editum, et hoc Rituali, quod reliquis omnibus est usitatius, usus praesertim fuit praestantissimus Joseph de Armstat Episcopus Augustanus. Hoc idem Rituale sive nostrum Romanum consuluit pariter praeclarissimus Card. Armandus Rohan Episcopus Argentinensis, dum in Rituali Argentinensi edidit ordinem supplendi caeremonias tam super infantes, qui sine ullis caeremoniis sunt baptizati, quam super adultos pag. 60, 61... Multa quidem adjecit ad utilitatem dignitatemque baptismi et caeremoniarum, quae in eo adhibentur, copiosius explicandam, ex quibus constat ita Ecclesiam preces et ritus in baptismo administrando praescriptos accommodasse, ut iis rectissime utatur dum ab Ecclesiastico Ministro in sacro templo, et in publico fidelium coetu suppleri jubet, quod in privata baptismi collatione omissum fuerit. Multa inquam adjecit, sed sic ordinem praedictum supplendi caeremonias baptismi super adultos concludit: *Haeretici ad Ecclesiam Catholicam venientes, in quorum baptismo debita materia, debitaque forma servata fuit, moneri quidem possunt post factam a se haeresis abjurationem, ad suscipiendas hasce baptismi caeremonias; sed cogi non debent. Iis solum conferantur, sive infantibus sive adultis, qui, vel quorum parentes ea ex pia devotione expetierint.* Haec conformia maxime sunt iis quae Rituale Romanum habet, quaeque supra retuli, nempe *omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur*, et fortasse hanc omissionem vel prudentiam in omissione exposcit, vel contentionum vitatio, vel jurgiorum occasio aliqua, vel aliqua alia non improbanda ratio. Quibus omnibus animadversis, et cum his, quae superius sunt adnotata collatis, ad propositum dubium rescriptum est: *Quatenus supplendae sint, et supplendae esse credantur caeremoniae, ut in dubio; illae supplendae sunt quae pro adultorum baptismo sunt praescriptae.*

b) Aqua.

Vd. *Benedictio fontis* (oleum).

c) Dies.

Curnam fiat in Sabb. Paschae et Pentecosten? Vd. *Bened. fontis* (oleum, decr. n. 4820 ad 3 *nota.*)

d) Non diu differendum.

Vd. *Ibidem ad 4 nota.*

e) Dispensator.

Posse Vicarium general. baptizare sine consensu proprii parochi, si sit sacerdos et non habet ab Episcopo facultatem limitatam. n. 1138 die 16. Apr. 1639.

Tam actum baptizandi, quam alias functiones praeparatorias pro baptizandis Turcis et aliis ad fidem venientibus esse faciendas per eundem sacerdotem baptizantem et consequenter ipsum Praepositum (s. Joannis), prout in rituali disponitur. n. 2350 die 19. Dec. 1665.

Vd. *Amen* (omissio).

f) Extra Eccles. illicitus.

Episcopus non concedat facultatem baptizandi extra Ecclesiam (Cathedralem) excepto casu necessitatis. n. 4270 ad 7 die 16. Julii 1757.

g) In Necessitate.

Vd. *Baptismus* (oleum, decr. n. 4820); *Unctio in Baptis.*; *Baptis.* (Rebaptiz.)

Canonicus Poenitentiarius Cathedralis Calceaten. in Hispania Joseph Ti-

burtius Calleia Emis. P. sacris tuendis Ritibus Praepositis dubium quoddam hisce conceptum verbis definiendum, atque enodandum subjecit. Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum stola violacea indutus domi baptizavit, eique S. Chrisma, et Oleum S., quod secum detulit, imposuit, prout in Rituali Romano.

Quaeritur: an bene, vel male se gesserit in casu unctionis extra Ecclesiam.

Et S. R. C., exquisita prius habitaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis pandita, typisque vulgata, ad relationem Emi. ac Rmi. D. Card. Julii Mariae de Somalia Episcopi Ostien. et Veliternen., S. Collegii Decani, et S. R. C. Praefecti, respondendum censuit:

„Juxta votum, nimirum: Parochum male se gessisse, baptizando cum stola violacea, et liniendo puerum periclitantem extra Ecclesiam Oleo etiam catechumenorum. In casu enim necessitatis, juxta Ritualis praescriptum, omnia sunt omittenda, quae Baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in Ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit."

Et ita respondit. n. 4572 die 23. Sept. 1820.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Ubi Lex clara est, non relinquitur disputandi locus. Atqui in proposita facti specie Rubrica interpretatione non indiget, vix, ac ne vix quidem intelligo, quaenam sit dubitandi ratio. Quamvis infans, vel adultus Catechumenus, si in mortis periculo constitutus sit, a quocumque etiam laico, et foemina (dummodo is intendat id velle facere, quod vult Ecclesia, formam pronuntiet, simulque elementarem aquam super illum effundat) baptizari licite et valide possit; attamen si Parochus vel Sacerdos sit, qui domi in casu necessitatis privatim baptizat, regulam servare debet, quam ponit Rubrica, videlicet: *omissis, quae baptismum praecedunt, eum baptizet ter, vel etiam semel infundens aquam super caput ejus in modum Crucis, dicens:* Ego te baptizo in nomine Patris etc.; *si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendat, Sacerdos utatur aqua simplici; deinde, si habeat Chrisma, liniat eum in vertice dicens:* Deus omnipotens Pater Domini N. J. Chr. etc.; *postea dat ei linteolum candidum, dicens:* Accipe vestem candidam etc. *ac demum dat ei ceream candelam accensam, dicens:* Accipe lampadem etc.; *si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.* Qui tamen omissi ritus suppleri debent in Ecclesia, postquam infans vel adultus convaluerit.

Itaque si lex praecipit, ut omittantur omnia, quae Baptismum praecedunt, statimque sine mora infans vel adultus salutari lavacro est abluendus; quo jure Parochus, ut Dubium fert, ministrando baptismum, violacea Stola usus est, puerumque oleo catechumenorum linivit? male ergo se gessit baptizans, imposita sibi Stola violacea: sed magis etiam erravit id faciens, quod Ritualis Rubrica omittendum jubet. Erit forte quis, qui postulet: curnam adhiberi possit s. Chrisma, si in promptu est, non autem Oleum catechumenorum? Facilis et expedita esset responsio, si dicerem, rationem non esse petendam, dum lex aliquid expresse jubet, aut vetat verbis non ambiguis. Verumtamen ratio haec nimis est generalis; alia igitur quaerenda, neque multis est opus, ut eam inveniamus. Ita Rubrica disponit, ut etiam in casu, quo ad baptizandum Parochus vel Sacerdos accedat, nulla interponatur mora, statimque spirituali baptizandi saluti provideatur. Cum enim non liceat privatim baptizare infantem vel adultum Catechumenum, nisi gravis ne-

cessitas urgeat, et periculum non remotum, sed proximum mortis immineat: plane consequitur ab ea actione esse incipiendum, in qua Sacramentum ex Divina institutione consistit; ne, si differatur, ut praemittantur preces, exorcismi etc., interim baptizandus decedat. Non enim qualecumque periculum satis est, sed illud, quod dilationem admittere et moram dare non videatur. Postquam vero necessitati fuerit consultum, quatenus infans vel adultus luce adhuc fruatur, cum nulla formido supersit, poterit Sacerdos alias caeremonias perficere, quae subsequntur; et quatenus vas Chrismatis secum habeat, hoc linire verticem, candidum linteolum porrigere, accensam candelam tradere, orationes et respectivas formulas pronuntiare; quae omnia commode fieri possunt, quia, dum haec fiunt, si infans vel adultus decedat, spiritualis salus, ex ei jam collato baptismate, in tuto est: secus vero dicendum de caeremoniis, quae praecedunt, quia, dum dicuntur preces et exorcismi, evenire potest, ut baptizandus, nondum sacro lotus lavacro, moriatur. Atque ea vera ratio, ob quam Rituale omittenda esse jubet, quae praemittenda sunt; permittit, ut fiant, si Sacerdos minister est et S. Chrisma in promptu sit, quae subsequuntur.

h) Oleum vetus.

Vd. *Coena Domini* (Olea s.; distributionis tempus); *Olei Infusio in font. baptismalem; Unctio in Bapt.*

Ad dubium: An in Baptismo solemni ungendi sint infantes Oleo et Chrismate praecedentis Anni, dum recenter consecrata non habeantur, an vero omittenda sit haec Caeremonia, et postea supplenda quum novum Oleum et novum Chrisma recipiantur? S. eadem C.... rescripsit, nimirum:

„Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Atque ita rescripsit. n. 4820 ad 4 die 23. Sept. 1837.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Oleo S. inungi baptizandum ritus est Ecclesiae antiquissimus, cujus et antiqui Patres et Rituales Codices passim meminere. Duo autem sunt hujusmodi Unctiones; prima ante Baptismum Oleo, quod Catechumenorum vocatur, et fit, quemadmodum antiquitus, nunc etiam in pectore et inter scapulas in modum Crucis. Quem ritum S. Carolus in suis institutionibus de Baptismi administratione, cap. de Caeremoniis, quae priusquam Baptismus ministretur, adhibentur pag. 550 col. 2 sic explicat: *Obsignantur praeterea Oleo S. figura Crucis pectus et scapulae, ut intelligamus eos, qui Baptismo initiantur, quasi Christi Athletas, ait S. Ambrosius luctamen hujus saeculi luctaturos, solent enim luctantes inungi. Deinde ut sciamus Baptismi gratiam non nostris meritis, sed Christi beneficio et gratuita misericordia donari, quae Oleo significatur.* Addit deinde alias interpretationes, a quibus recensendis abstinemus, quum eas possit quisque per se consulere. Altera Unctio praescribitur post Baptismum S. Chrismate in summitate capitis in modum Crucis, de qua verticali unctione frequens occurrit mentio apud veteres Scriptores et in antiquis Sacramentorum Codicibus. Cur autem Baptizatus Chrismate in capitis vertice perungentur, explicat Conc. Trid. Catechismus Part. 2 de Baptis. Sacram. num. 60 his verbis: *Jam postquam Baptismus absolutus est, Sacerdos summum Baptizati verticem perungit, ut intelligat se ab eo die Christo Capiti tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum et ea re Christianum a Christo, Christum vero a Chrismate appellari.*

Quaerebant autem Parochi Praeben-

dati Cath. Oriolen.: an juxta propositum casum in Baptismo solemni infantium duo hujusmodi unctiones fieri debeant Oleo et Chrismatis praecedentis Anni, quum recenter consecrata non habeantur, an vero omittenda sit haec Caeremonia et supplenda, quum novum oleum et novum Chrisma accipiantur? Certum equidem quod Parochus sive Sacerdos alius, qui de illius licentia baptizat, cavere debet, ut inquit S. Carolus in Conc. Prov. Mediol. IV. cap.: *Quae pertinet ad Sacramentum Baptismi,* cavere, inquam, debet, ne ad infantem baptizandum alio Chrismate utatur, quam eo, quod illo ipso anno consecratum est, ut veteri Canone cautum est. Id tamen, ut in primi Dubii adnotatione advertebatur, intelligendum est, ubi commode fieri potest. Ubi enim Oleum recens benedictum haberi non possit, vetus adhiberi posse supra probatum fuit ex Decreto S. C. Ep. et Reg. apud Gavantum, ex eodem S. Carolo et ex ipso contextu Ritualis Rom. cap., de *S. Oleis.* Et certe quamquam s. omnes Caeremoniae sive illae Baptismum praecedant, sive comitentur, sive subsequantur, non sint ad ejusdem Sacramenti validitatem necessariae, nihilominus non debent ullatenus omitti, nisi quibusdam in casibus, quos recenset Rituale Rom. in fine capitis: *Ordo baptismi adultorum,* his verbis: *„Si ob baptizandorum multitudinem, ut in India et novo Orbe, quandoque contingit in singulorum baptismo praescripti ritus adhiberi non possunt, tunc vel pluribus simul adhibeantur, vel si urgeat necessitas, omittantur.* Certum equidem adesse in Rituali Rom. *Ordinem supplendi omissa super baptizatum,* quae vetus est Ecclesiae praxis et cujus multae sunt rationes, quas adnotavit S. Thomas *Part. III. quaestion. 70. art. 3.* et Guilelmus Estius *in lib 4. Sententiarum, distinct. 6.* §. *5.,* ut certum est pariter s. preces et caeremonias praetermitti non posse nisi urgente mortis periculo vel alia cogente necessitate, nimirum ut explicat Catalanus *Commen. Rit. Rom.* ad hunc locum *cap. 5.,* vel apud haereticos, vel quocumque errore. Quae conditio periculi mortis alteriusve urgentis necessitatis deest in casu proposito, in quo, eo ipso, quod agitur de solemni Baptismo, omitti non debent unctiones Olei et Chrismatis, ne Sacramentum sua careat solemnitate. Quae Olea licet benedicta sunt anno praecedenti, quum nova ob miseram Hispanici Regni conditionem haberi non possint, recte verificari videtur necessitas iis utendi, eo vel magis quia benedictio praecedentis anni nihil impedit, quominus mystici effectus, ad quos hujusmodi Unctiones dirigi supra innuimus, obtineantur. Quae ratiocinatio, ut magis magisque illucescat, sic juvat argumentari. Si caeremonia ungendi Oleo et Chrismate infantes in Baptismo ideo est omittenda, quia non expedit in ea adhiberi Olea praecedentis Anni, aut infantes baptizandi sunt sine hac unctione postea supplenda cum novis Oleis, aut relinquendi sunt sine Baptismo, donec novum Oleum et Chrisma recipiantur. Atqui neutrum fieri potest; nam primum non patitur Rituale Rom., quod disponit conferri posse Baptismum s. precibus ac caeremoniis omissis tantum urgente mortis periculo, aut alia cogente necessitate: quod periculum vel necessitas in proposito casu, quum agatur de solemni Baptismo, non verificatur: alterum non patitur spiritualis Salus infantium, quia quum incertum sit, quando recipi possint novum oleum et novum Chrisma, deliberate et scienter differri deberet Baptismum maximo infantium periculo, cui prospiciens Rituale Rom. *Cap. de baptizandis parvulis* §. 1 ait: *Opportune Parochus hortetur eos, ad quos*

ea cura pertinet, ut natos infantes ...quamprimum fieri poterit.., deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis. Restat ergo ut concludatur in deficientia novorum oleorum, nihil obesse quomodo in solemni Baptismo ungantur infantes Oleo et Chrismate praecedentis anni: quibus omnibus perpensis, et his innixa S. C. *affirmative ad primum* respondit, et *negative ad secundum.*

i) Rebaptizandi.

Ad quaest.: An Infantes domi in casu necessitatis baptizati sint sub conditione rebapticandi? S. C. C. resp.: Negative, nisi adsit dubium probabile invaliditatis baptismi. Die 27. Mart. 1683.

Foetus in utero supra verticem baptizatus post ortum denuo sub conditione rebaptizetur. S. C. C. 12. Julii 1794.

k) Vestis.

Ad dubium: Utrum in Baptismate infantes offerre debeant linteolum candidum loco vestis albae, quam efferunt adulti, S. C. resp.: Servandum esse Rituale rom. de Sacramento Baptismi Tit. de s. oleis; vers. altaribus. n. 1436 die 14. Mart. 1643.

S. BARBARA.

Vd. *Lectiones non approb.*

Ad dubium PP. Benedict. Einsidl.: an s. Barbara, ubi celebratur ritu dupl. sine speciali solemnitate (nisi quod privatae personae pro felici morte templum frequentant) sit celebranda die 4. Dec., translato s. P. Chrysologo? S. C. resp.: Quando non constet de speciali Indulto, fiet Officium de s. P. Chrysologo cum commemorat. s. Barbarae tamquam de simpl.; sin autem adsit concessio Officii de s. Barbara sub ritu dupl., fiat de illa Officium assignando fixam et perpetuam diem s. Petro Chrysologo. n. 4043 ad titul. X. dub. 3. die 5. Maji 1736.

S. BARTHOLOMAEUS AP.

(Vigilia).

Propter festum principale parochiae Mogain. Dioec. Ossociensis, cadens in vigilia s. Bartholomaei, vigiliam dictam die praecedenti anticipandam esse. n. 1512 die 4. Junii 1644.

BASILICA.

De praeeminentia Basilicae prae aliis Ecclesiis et de Differentia inter Basil. Major. et Minores.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4781 *nota*).

BEATI.

1) Celebratio festi.

Cf. *Oratio* (mutatio, decr. n. 4526.

Decretum

Super Cultu Beatis adhuc non Canonizatis praestando a S. R. Congregatione ordinaria habita coram S. D. N. Papa Alexandro VII. emanatum:

Ad aures E. P. C. S. R. plures devenerunt, qui patrantur indultorum excessus in materia praestationis cultus Beatis adhuc non Canonizatis.

Quamobrem eos eliminare, ne in futurum inducantur, providere studentes, ad infrascripta devenerunt Decreta etc.

1. „Quod eorumdem Beatorum Imagines etiam non principaliter et uti supplices appositae, simulacra, picturae, tabellae, aut scripturae eorum praeclara gesta repraesentantes aut referentes in Ecclesiis, Sacrariis et Oratoriis quibuscumque, et praesertim in quibus Missae Sacrificium vel alia Divina

Officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica, nullo pacto exponantur."

2. „Quod ibi indultum fuerit per Sedem Apostolicam Imagines, simulacra, pictasque tabellas in Ecclesiis poni et coli posse, in pariete tantum, non autem super Altari collocandi facultas censeatur."

3. „Quod, si concessa fuerit per eamdem Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missam et Officium de praedictis Sanctis celebrandi vel recitandi facultas tradita praesumatur; etenim specifica et expressa concessio super his praecedere debet."

4. „Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur, inconsulto Pontifice, ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate."

5. „In locis, ubi Beatos praedictos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur, sed tantummodo privata, nec satisfactoria praecepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit."

6. „Missae pariter, quae fuerunt indultae certis personis, nempe Presbyteris regularibus vel saecularibus alicujus Ecclesiae servitio praecipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus, quavis dignitate, etiam Cardinalatus, insignitis, minime celebrentur."

7. „Dies festi in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, nisi speciali indulto Apostolico provisum fuerit."

8. „Eorumdem nomina in Calendariis non apponantur, nisi illius tantum loci earumque personarum, in quo et a quibus cultus cum Officio et Missa celebretur."

9. „In quibusvis Ecclesiasticis precibus, etiam in oratoriis privatis, recitandis, particularia eorumdem suffragia non apponantur vel recitentur."

10. „Publicis in precibus praeter indultas et a Sede Apostolica approbatas, iidem Beati non invocentur."

11. „Eorumdem Reliquiae in Processionibus minime circumferantur."

S. tamen C. praesentibus declaratione et jussione removere non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam ac tolerantiam Sedis Apostolicae, aut Ordinariorum hactenus praestitum ac certis modo et forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum si a centum annis citra cultus hujusmodi aliqua ex parte constiterit auctus et extensus, eo casu S. eadem C. eumdem in pristinum reduci jubet; prout quemvis cultum extra casus praedictos ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis indultis omnino revocari mandat sub poenis etc.

Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum natalia cum Octavis celebrentur et aliis quibuscumque a S. C. hactenus emanatis, quae praesenti Decreto renovantur.

His autem SSmo. relatis et in C. S. R. ordinaria habita coram Sanctitate Sua per Emum. et Rmum. D. Cardinalem Sacchettum accurate perlectis, mature discussis, Sanctitas Sua ea approbavit et pro omnimoda eorumdem observatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi et publicari, ut elapso tempore sex mensium a die publicationis eorumdem omnes et singulos eadem exhibita vel personaliter praesentata, intimata seu notificata fuissent. Indulsitque locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant Saeculares et Regulares quoscumque quantumvis exemptos etiam Societatis Jesu, S. Antonii Viennen. et S. Joannis Hierosolymitani et reliquos omnes speciali expressione indi-

gentes, etiam sub censuris compellere. Cum aliqui nulli subdantur Episcopo, qui eos, si excesserint, coercere valeat, eo casu a Sedis Apostolicae Nuntiis, si aderint, sin minus, ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis vel ab Episcopis Romano tantum Pontifici subjectis, intra vel prope quorum Dioecesis limites eorum Ecclesiae vel Monasteria sita fuerint, tamquam a Sede Apostolica Delegatis ad hujusmodi Decretorum observationem praedicti omnino cogantur.

Die 27. Septembris 1659. n. 2002.

Ad dubium: an ubi indultum fuerit, ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus Imaginem et Simulacrum nec non votivas tabellas super altare exponere, S. C. resp.: Affirmative. n. 2046 ad 1 die 17. Apr. 1660.

Cf. *Imago Beator.*

Ad dubium: an §. *dies festi in Beatorum honorem non celebrentur,* extendatur ad festa devotionis? S. C. resp.: *Negative.*

Ad dubium: an *indulta* recitandi Officium cum Octava vel sine et celebrandi missam de Beatis fuerint revocata per dictum decretum (die 27. Sept. 1659), S. C. resp.: *Negative.*

Ad dub.: an in Ecclesiis, in quibus Officium et Missa de Beatis recitari et celebrari possunt, liceat eorum reliquias exponere? S. C. resp.: *Affirmative.*

Ad dub.: an *Episcopi regulares,* qui ex indulto Sedis Apostolicae gaudent privilegiis suae religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint de Beatis suae Religionis recitare officium et in propriis Cathedralibus missam celebrare et altare Beatis praedictis erigere? S. C. resp.: *Negative.* n. 2046 2—5 die 17. Apr. 1660.

Ad dubium: an B. Rita de Cassia possit eligi in titularem Ecclesiae publicae in Hospitio Meliapuriensi PP. Eremitorum s. Augustini, quia cum de Titulari cujusvis Ecclesiae debeant fieri Suffragia in Laudibus et Vesperis quod est prohibitum quoad Beatos nondum Canonizatos; item de Titulari fit Officium cum octava, de Beatis vero non fit cum octava absque speciali privilegio? S. C. resp.: Non licere PP. Eremitis Pontificio indulto nequaquam munitis assumere in Titularem propriae Ecclesiae B. Ritam de Cassia et in casu, quo dicta B. Rita sit electa in Titularem contradicente Ordinario, Titulum sic assumptum debere supprimi et alium pro eo de Sancto jam canonizato substitui. n. 4101 ad 1 et 2 die 23. Jan. 1740.

Episcopus Boianen. S. R. C. exposuit nonnisi cum scandalo populi totius Regni Neapolitani posse debitae executioni demandari Decretum editum super cultu Beatis adhuc non canonizatis praestando; quamobrem supplicavit, dignaretur Sac. Cong. ei praecipere, si quid quoad B. Cajetanum apud Neapolitanum Populum in magna veneratione universim habitum connivendum videatur?

Et S. C. jussit, „cum SSmo. agi: an quoad praeterita, nempe quoad Altaria jam erecta et Imagines Beatorum publicae venerationi hactenus expositas, firmandum sit, ne removeantur, praecipiendo stricte Episcopis, ne in futurum nova erigi et exponi permittant, procedentes contra inobedientes etiam exemptos, ut delegati Sedis Apostolicae vel si de omnibus Beatis haec firmari non placeret, saltem dignaretur Sanctitas Sua declarare, Decretum emanatum non extendi ad Beatos illos, quorum nomina recensentur in Martyrologio Romano, saltem quoad Altaria jam erecta et Imagines olim expositas tum in publicis locis. Delato autem ad SSmum. sensu S. C. mandavit: Episcopo Boianen. et aliis hujusmodi petentibus responderi, quod suaviter curent executioni demandare Decretum et Populum, quantum po-

terit, tum per Confessarios, tum per Concionatores praemoneri faciant, quod S. Cong. non intendit cultum privatamque Populi religionem in B. Cajetanum removere, sed potius, ut augeatur, desiderat; at cultum publicum ubique Sanctis Canonizatis praestandum, Beatis fieri communem vetat, alias nulla daretur distinctio inter Sanctos et Beatos, et frustra (quod absit opinari) Ecclesia ad solemnia Canonizationis procedere, quodammodo videtur, si causa hujusmodi effectus novos minime produceret."

Quo vero ad novam provisionem, „Sanctitas Sua dixit, maturius procedendum, neque quidquam contra firmatam legem velle firmare."

Die 12. Junii 1660.

Cum alias S. R. C. 30. Julii 1616 annuente s. m. Paulo V. statuerit, in posterum non esse amplius apponendos in Martyrologio rom. Beatos quoscumque sed solum *canonizatos*, idemque decretum ad S. eadem C. sub 31. Maji 1680 fuerit denuo renovatum et a s. M. P. Innoc. XI. confirmatum: nunc ad praeoccupandas instantias, quae saepe fieri solent pro praedictis Beatis, eadem S. C. praesenti decreto mandat et praecipit supra memorata Decreta omnino in posterum esse exequenda ac in Martyr. rom. nonnisi Sanctos tantum *canonizatos* describi posse et apponi debere, si SSmo. placuerit. Die 13. Febr. 1734. Factaque per Secretarium SSmo. Clementi XII. relatione, SS. hoc decret. approbavit atque in posterum inviolabiliter servari jussit. Die 6. Mart. 1734.

2) In eorum honor. non deb. consecr. Ecclesiae.

Quum Episcopus Vercell. optaret in hon. *beatae* Ludovicae a Labaudia Deo consecrare Ecclesiam, enixe efflagitarit Indultum. S. C. resp.: Obstant decreta. n. 4890 die 11. Apr. 1840. Beati in Patronos non eligantur. S. R. C. 27. Sept. 1659.

3) Beati Ordinis.

Vd. *Lectiones.*

BEATIFICATIO.

Vd. *Martyrologium; Canonisatio; Imagines Beatorum.*

Nullatenus in *Anniversario* Beatificationis debere celebrari festum cum officio, nisi illa tantum die Beatificationis et eo modo, quo concesserit S. C. n. 772 ad 6 die 28. Oct. 1628.

Non potuisse nec posse tam Saeculares quam Regulares cujuscumque Ordinis et Instituti etiam Societatis Jesu excedere limites verbales Indultorum Sedis Apostolicae super Beatificationibus, praesertim in celebratione missarum et Officii cum Octavis, nisi hoc expresse Sedes apostolica eis indulserit. n. 1654 die 5. Oct. 1652.

Non possunt Sacerdotes absque speciali indulto, missas currentes celebrare in honorem alicujus Beati non canonizati. n. 1935 ad 3 die 28. Sept. 1658.

Decretum.

Ea est judicii sanctitas, cum de Viris virtute commendatis honoribus Coelitum donandis apud Apostolicam Sedem quaestio instituitur, ut quae possint ad tantam rem tuto conficiendam, adque ad quemlibet vel tenuissimum scrupulum propulsandum expedire, ea omnia a Romanis Pontificibus sapientissime inventa atque statuta fuerint. Huc spectant, quae jussu S. M. Urbani P. VIII. a Consistorialis Aulae Advocatis habentur in publicis Consistoriis Orationes, quibus de vita et gestis alicujus Servi Dei diserte refertur, ut ipsius nomen in Beatorum vel Sanctorum Fastis adscribantur.

Quae quidem, ut recte ac pro summi negotii gravitate fiant, Institutio quaedam ab eodem Pontifice fuit sancita die XXVIII Januarii anno MDCXXXI, qua et Secretarii S. R. C. partes et Consistorialium Advocatorum Officium in id genus Orationibus distincte, perspicueque praefiniuntur. Cavetur quidem, ut causarum electio ad ipsum secretarium spectet, qui adnotabit in schedula a se subscribenda nomen Servi Dei unicuique Advocato per turnum assignandi, tum, ut eidem per octo saltem ante propositionem dies eadem Oratio tradatur emendanda atque accomodanda, si quid adversus ipsius Institutionis praescripta ibidem deprehenderetur. Argumenta insuper, de quibus disserere fas sit, designantur, ne quid temere vel minus opportune apteque proponatur.

Quae quidem omnia S. M. Benedictus XIV. luculenter tradit in praeclaro suo Opere de Beatif. et Canoniz. Sanctorum lib. 1. cap. 35. Verum cum in praesens, quod ferme ex varietate ac perturbatione temporum contingit, ab accurata hujusmodi Institutionum executione declinari coeperit, S. D. N. Pius VII. P. M., pro eo, quo praestat zelo in ecclesiastica disciplina tuenda suorumque Praedecessorum Decretis vindicandis, decrevit, ut praedicta Urbani VIII. Institutio, exceptis septimo et octavo capite, quibus de honorarii tribuendi ratione ac de commissione ab Advocato proponente tenenda agebatur, plene et integre in posterum servetur, ac nemini liceat adversus ipsius dispositionem operari. Quod Decretum Sanctitas Sua infrascripto Secretario mandavit in acta S. R. C. referre, ut ab iis, ad quos spectat, inviolabiliter observetur. n. 4518 die 30. Apr. 1816.

BEDA VENERABILIS.

Vd. *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044).

BENEDICAMUS.

1) In missa.

Cf. *Ite missa est* (decr. n. 4526).

Ad dubium: an in illis Ecclesiis, quibus ex indulto celebratur festum SS. Conceptionis cum octava, diebus, quibus occurrit, aliquod festum duplex celebratum ab Ecclesia universali de praecepto, canendum sit in fine *Bened. Dom.* de S. M. vel potius de festo duplici? S. C. resp.: *Canendum esse de S. Maria.* n. 2393 die 15. Jan. 1667.

Ad dubium: an in octava B. V. M., quando occurrit aliquod festum, sit dicendum *Benedicamus Dom.* de B. V. vel de Sancto occurrente? S. C. resp.: *Dicendum esse de B. V.* n. 2401 die 5. Mart. 1667.

2) In Officio.

(Quis cantat?)

Vd. *Versiculus.*

BENEDICTINI.

Vd. Breviar. Benedictinum; *S. Benedictus; S. Scholastica.*

BENEDICTIO.

1) Abbatis.

a) A quo fieri debeat?

Vd. *Abbas.*

b) Quo modo danda ab eo?

Vd. *Bened. cum SSmo; Usus Pontificalium*

2) Agrorum.

(Delegatio.)

Vd. *Benedictio* (delegatio).

Ordinarii, quibus diriguntur litterae Apostolicae benedictionis agrorum cum his verbis: *auctoritate nostra benedicas seu benedici cures* in subdelegando deputare possunt sacerdotem ad libitum et non tenentur ad eligendum

digniorem. n. 1398 die 28. Junii 1642.

Jus benedicendi campos spectat ad Parochum. n. 2286 ad 4 die 12. Julii 1664.

2) Annuli Nuptiarum secundarum.

Ad dubium: Utrum in Nuptiis, quae secundae dicuntur, omittenda sit bedictio Annuli? Et S. eadem C.... rescribendum censuit: Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum:

„Negative."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4780 ad 2 die 27. Aug. 1836.

Nota Gardell. ad hoc decretum.

Datur sponsae annulus in Signum mutuae dilectionis eam inter et sponsum, et est tamquam pignus junctionis cordis utriusque, idque ex ipsa eruitur Oratione, quam in dicti annuli benedictione adhibendam praescribit Ecclesia; in hac enim et de fidelitate integra, et de mutua charitate fit mentio, in qua vivere uterque semper debet. Hinc S. Isidorus *de Eccl. Off.* scribit *capite 19.*: *Illud vero, quod in primis annulus a sponso sponsae datur, fit, hoc nimirum, vel propter fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur.* Ideoque non Sacerdos hujus Sacramenti minister, non alius quisque, sed ipse sponsus sponsae digitum annulo ornat. Benedicitur vero annulus, ut omnis fascinatio a connubio amoveatur, et idcirco, cum signum Crucis, benedictio sacerdotalis et aqua benedicta valeant (quemadmodum innuitur in ordine ad faciendam aquam benedictam) ad *effugandos daemones et effugiat* (legitur in excorcismo salis) *omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicae fraudis. Ut fias aqua exorcizata* (legitur in exorcismo aquae) *ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum Angelis suis Apostaticis,* et in oratione sequenti,.. *elemento huic* (aquae) *virtutem tuae benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens ad abigendos daemones... divinae gratiae sumat effectum:* cum inquam signum Crucis, benedictio sacerdotalis et aqua benedicta ad effugandos daemones valeant, optime sapienterque statuit Ecclesia S. edocta Spiritu, ad pacem in connubiis servandam hunc annuli benedictionem (quae inter Sacramentalia recensetur) instituere et praescribere, et peculiarem orationem assignare, per quam annulus ab omni diabolica fraude, nequitia, versutia, malignitate purificetur. Jam quaeso, cur haec annuli benedictio erit in secundis nuptiis omittenda? Numquid, qui secundo nubunt, pacem non tenentur inter sese conservare? Numquid non amari invicem debent, ut hoc mutui amoris signo debeant carere? Numquid mutuae fidei debito liberantur (ad quam servandam aeque per secundum conjugium adstringuntur, ac si uterque primo nuberet), ita ut hujus fidei inter se servandae symbolico pignore non indigeant? Numquid diversa sunt sui status officia aut matrimonii Sacramentum, quod secundo nubendo suscipiunt, ab aliorum matrimonii Sacramento differt, qui primo illud suscipiunt? Haec quisnam dixerit unquam, aut quamnam inter primas et secundas nuptias differentiam quis unquam potuit afferre, ut hanc annuli benedictionem, quae ad allatos et ab Ecclesia intentos fines instituta est, et peragitur, ab Ecclesiae ritibus excludat, aut omitti debere contendat, tamquam sine fine, sine significatione, sine ad aliquid relatione adhibetur? Arbitrarie ergo nimis, hanc omittens benedictionem, Rubricae verba interpretatur, ab Ecclesiae in-

tentione recedit et finem non agnoscit, quem ipsa, hanc instituendo praescribendoque benedictionem habuit. Allata itaque verba Rubricae: *Sed viduae nuptias non benedicat:* quae non recte interpretando, quidam Parochi, de quibus agitur, prohibitioni benedictionis annuli aptant, alio respiciunt. Siquidem non de omittenda quacumque benedictione in nuptiis illic sermo est, sed de secundis nuptiis non benedicendis, sive de vidua, quae secundum contrahit matrimonium: nimis clara per se sunt ea verba, et nescio quomodo aliter possit quis ea interpretari.

Haec quidem nuptiae benedicendae non sunt: quae prohibitio nova in Christi Ecclesia non est. Nimis fortasse longus in scribendo essem, si illius originem vellem investigare, si rationes, quibus Ecclesia ad hoc statuendum permota fuit, perscrutari, si praxis hujus, quae nostra adhuc aetate servatur, fundamentum inspicere. Omnibus omissis quaeque tamen supervacanea ad rem nostram forent, et quae apud Martenium aliosque veterum rituum scriptores inveniuntur, quaedam indicabo, ex quibus non recta Rubricae verbis data interpretatio patebit, cum ea ex dicendis appareat differentia, quae inter annuli et nuptiarum benedictionem intercedit, per quam istam non vero illam omittendam indigitatur et praescribitur. Ut res clarior reddatur et origo non benedicendi secundas nuptias appareat: apud Paganos, ut testatur Valerius Maximus *lib. 2. cap. 1.* secundae nuptiae intemperantiae argumentum et indicium habebantur, et quasi nefastae considerabantur, hinc Plutarchus in problematibus problem. 99. ait: *Felices et faustae sunt primae nuptiae, secundae vero tristes et detestandae:* Martialis aliique, alia et his majora addunt. At in christiana Ecclesia alteras nuptias Patres numquam damnaverunt, et Ecclesia ipsa semper tamquam vera et indubia Sacramenta retinuit et recepit; matrimonii enim Sacramentum inter liberas personas non prohibuit, licet ob significatum, ut infra videbimus, virginem cum virgine nubere optasset, non inquam secundas nuptias prohibuit, ut contra Montanum et Novatum hac in re definivit Conc. Nicaenum I. can. 8. Hinc est quod secundas nuptias juxta tunc vigentem disciplinam dumtaxat passa est Ecclesia, cujus mentem explicans Hieronymus contra eumdem Novatum scripsit ep. ad Marcell.: *Nos secundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus*: quod clarius alibi explicat ep. nempe ad Gerontiam ita scribens: *Aliud est, quod vult Apostolus, aliud, quod cogitur velle. Ut concedat secunda matrimonia, meae est incontinentiae, non illius voluntatis.. Duae sunt Apostoli voluntates, una, quae praecipit et altera, quae indulget . . . vult nos permanere post nuptias sicut seipsum... sin autem nos viderit nolle, quod ipse vult, incontinentiae nostrae tribuit indulgentiam.* Quare ipsamet Ecclesia viduas, quae ad secundas non transierunt nuptias, maxime fecit easque velut Cleri partem habuit, at loquitur Tertullianus lib. 1. de Uxore, quem et cum eo alios, quos praetereo, adire quis commode poterit. Hinc juxta veterem disciplinam, certis aliquibus legibus secundae nuptiae inter Christianos, medio praesertim aevo, intra certos limites arctatae erant, et nemini fas erat viduis nubere *absque suorum Sacerdotum, id est Parochorum consensu,* et conniventia Populi, ut decretum est in capitularibus Regum Francorum. Insuper non nisi integro anno a mariti obitu relictae nubere permissum erat, quod praesertim legimus in codice Theodosiano *lib. 3. tit. 8 de secund. Nupt.: Si quae ex*

foeminis perdito marito intra anni spatium alteri festinavit innubere . . . probrosis inusta notis, honestioris nobilisque personae, et decore ut jure privetur, atque omnia, quae de prioris mariti bonis, vel jure sponsalium, vel judicio defuncti conjugis consequuta fuerant, amittat: Et sciat nec de nostro beneficio, vel adnotatione sperandum sibi esse subsidium. Hanc antiquam legem confirmavit Decretalium jure de foeminis *Innocentius III. Decretal. lib. 4. tit. 21. capite ultimo.* Uti autem imperiali edicto viduis *subsidia* denegata erant, ita eamdem tenuit disciplinam Ecclesia, quae ab eleemosyna eas excludebat, *sed et ab eleemosyna Ecclesiae; dum indigna putabatur stipe, quae ad secunda conjugia devoluta erat.* Tandem Ecclesia, etsi secundas pateretur nuptias, secundo nubentibus poenitentiam canonicam imponebat, quam dum illi exsolvebant, sacra carebant communione. Ea fuit antiquitus Ecclesiae disciplina, ut docent vetustiora Concilia Ancyranum, Laodicoenum et Neocaesareense. Tempus autem hujus poenitentiae, Saeculo 4., quandoque ad annum, quandoque etiam ad triennium protendebatur. Cum autem secundo nupti huic adjicerentur poenitentiae, neque Presbytero licitum erat interesse eorum convivio. Ad liturgica etiam officia quod attinet, aliqua adnotanda sunt; et primo quidem: etsi sponsus viduae, cui spondebat, annulum traderet, tamen (medio potissimum aevo) vidua manum chirotheca quadam tectam habebat, ut Martenius refert: secundo: nulla aderat sacerdotalis benedictio. *Homini enim,* ait Hilarius *comment. in Cap. 4.* epist. 1. ad Timot., *unam uxorem decrevit Deus, neque enim secunda benedicitur:* quare S. Caesarius sic Christianos sui aevi hortabatur *sermone 289: Qui uxorem optat accipere, sicut illa virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo; quia si non fuerit, benedictionem accipere cum sponsa non merebitur.* Similia his habentur in Constitutionibus Summorum Pontificum relatis *Titulo XXI. Decretalium: Vir autem.* Urbanus Papa III. Vigiliensi Episcopo rescribens relationem affert, cur secundae conjugum nuptiae non benedicantur: *Quia,* inquit, *alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Audiendus hac in re etiam Durandus in *Rationali lib. 1. Cap. 9: Nuptiae benedicendae sunt a Sacerdote cum precibus et oblationibus, verumtamen vir et mulier ad bigamiam transiens matrimonium contrahendo non debet a Presbyteris benedici,* quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari... Non ergo debent nuptiae benedici, *nisi ubi virgo cum virgine contrahit.* Aliam de hac non impertienda in secundis nuptiis benedictione rationem affert S. Thomas *in VI. Sententiarum Dist. 42. quaest. 3. art. 2. ad 2. nempe: quia secundum matrimonium in se consideratum sit perfectum Sacramentum, tamen in ordine ad primum consideratum, habet aliquid de defectu Sacramenti, eo quod non habet plenam significationem, cum sit una unius, sicut est in matrimonio Christi et Ecclesiae,* juxta Paulum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico Christi et Ecclesiae.* Hinc ratione hujus defectus (plenae significationis) benedictio in secundis nuptiis non datur. At idem S. Doctor hoc vult esse intelligendum, si secundae nuptiae tales sint ex parte viri et ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum; si enim virgo cum illo nubat, qui aliam habuit uxorem, nuptiae nihilominus benedicuntur; quod habet etiam Durandus citato superius loco. Tali enim in casu sarta quo-

dammodo tectaque significatio in ordine etiam ad primas nuptias, manet, ut idem S. Thomas fusius clariusque explicat, cujus doctrina conformis est et favet quamplurimum his, quae habentur in Rituali §. *Caveat etiam*; in quo haec leguntur: *ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, benedicantur, servanda est*: quam quidem consuetudinem sua aetate aliquibus in locis extitisse Durandus testatur: *Secundum quorumdam locorum consuetudinem, siquis contrahat cum secunda virgine benedictio iteratur, et hoc si Dominus Papa sciat toleret.* Priusquam concludam, aliquid addam quoad liturgiam in secundis nuptiis. Bigami Missae dumtaxat sacro aderant, neque velamine, *juxta Isidorum de div. Off. lib. 2. Cap. 19. seu Flammeo* ornabantur; ad cujus finem neque coronis (quemadmodum apud Graecos olim) ut cum univiris fiebat, a Presbytero donabantur, qui sane mos apud Graecos servatus est usque ad Copronymi Imperatoris aetatem: cum enim hic Eudoxiam in tertiam uxorem sibi adsciverit, eique coronam fuerit elargita, jam tum et bigami coronari coeperunt, quod in Constantinopolitana Ecclesia et paucis aliis Orientis locis peragebatur. Allatius enim nos docet *de Consen. Orien. lib. 3. cap. 13. in reliqua Graecia* ad suum usque tempus, *secundum exactam disciplinam et antiquam consuetudinem bigamos non coronari.*

Ubi autem coronabantur, aliquod etiam erat discrimen in corona ferenda. Qui enim virgo esset, in capite, vidua vel viduus in humero coronabantur: atque illa in capite, alter in humero coronam ferebat, ut docet Theodorus Studita *epist. ad Maucrat.* En in ipsa liturgia differentia inter nuptias viduarum, et nuptias quas virgines contrahebant.

His omnibus de omissione benedictionis, de qua in dubio agitur, expositis, et ex disciplina Ecclesiae et sua origine desumptis, differentia apparet, quae benedictionem inter et benedictionem reperitur. Benedictio in viduae nuptiis omittitur, quia juxta veterem disciplinam omittebatur, quia Ecclesia, licet inter personas liberas inita Matrimonia tamquam vera matrimonia, tamquam vera Sacramenta habuerit, tamen virginem cum virgine nubere optasset, neque per hoc secundas nuptias damnavit, aut damnat, quin imo contra Montanistas et Novatianos, qui jure damnati sunt, docet secundas nuptias et ulteriores quoque, vere esse nuptias, ac per se licitas atque honestas, et in Montanistarum incideret errores, si quis forte secundas et ulteriores nuptias illicitas aut damnandas esse putaret. Omittitur item benedictio haec, quae in secundis nuptiis, juxta D. Thomam, non plena habetur significatio matrimonii cum Christo et Ecclesia. Omittitur denique, quia olim Ecclesia, quae secundas non improbando nuptias, eas non nisi certis legibus et conditionibus permisit, quibus omnibus juxta praesentem disciplinam sublatis, hoc solum statuit, ut nempe viduarum nuptiae non benedicantur. Jam quae comparatio nuptiarum benedictionis cum benedictione annuli, ut ex omissione illarum, hujus etiam benedictionis omissio debeat inferri? ut, quod Ecclesia de nuptiis dixit, de annuli etiam benedictione id dixisse putandum sit? immo reapse debeat omitti, sicut et illa omittitur? Quae sit causa benedictionis annuli, quid ipsa significet, quid in nubentium memoriam revocet, ad quae illa, amoris, pacis, fidelitatis obeunda munera nubentes provocet, jam vidimus; quae toto coelo ab iis distant, quae de nuptiarum secundarum benedictione omittenda retulimus. Quare cum bene-

dictiones istae inter se comparatae, summopere, quoad omnia etiam differant, cum rationes quas habuit, et habet Ecclesia in omittenda viduarum benedictione, annuli benedictioni aptari prorsus nequeant, cum denique hujus benedictio peculiares habeat ad conjugum respective spirituale bonum procurandum rationes, et finem, numquam sive in primis, sive in secundis, sive in ulterioribus etiam nuptiis omittenda erit.

4) Apostolica.

a) Finita missa pontif.

Vd. *Bened. Papalis.*

b) Pro Moribundis.

Vd. *Bened. cum Indulg. plenaria pro Moribundis.*

Ad dubium: Utrum Bened. apost. pluries impertiri possit novo mortis periculo redeunte? S. C. resp.: Ad s. Congr. Indulgentiarum. n. 4782 ad 3 die 27. Aug. 1836.

5) Aquae.

(Antiquitas.)

Vd. *Aspersio aquae bened. in dom.* (Officiat. decr. n. 4672 *nota* ad finem).

6) Aquae baptismalis.

Vd. *Benedictio Fontis; Aqua benedict. in hebd. maj.* (decr. n. 4669 *nota*).

7) Aquae

(ab Episcopo assist. facienda).

Vd. *Episcopus assist. missae sol.* (Bened. aquae); *Aqua bened. in hebd. maj.* (decr. n. 4669 *nota*).

8) Archiepiscopi.

a) In sua Provincia.

(Cf. *Nuntius Apostol.*)

Archiepiscopus, antequam sit populo benedicturus, opportune per unum ex Canonicis vel per Ministrum caeremoniarum, Nuntium, in Episcopali tamen dignitate constitutum, ex sua humanitate invitet ad benedicendum; qui tamen hujusmodi reverentiae sibi oblatae significatione contentus, benedicere omnino recusabit, ne acceptando jurisdictionis episcopalis libertatem impedire vel sui Patris ac Pastoris benedictione populum privare videatur. n. 44 ad 5 die 16. Febr. 1593.

Archiepiscopo licet per Dioeceses Suffraganeorum dare benedictionem praesente Episcopo suffrag. n. 2611 die 3. Dec. 1672.

b) Extra Provinciam.

Archiepiscopus non audeat in alia quam sua Provincia populum benedicere per vias. n. 834 die 18. Aug. 1629.

9) Campanarum.

(Officiat.)

Vd. *Benedictio* (Delegatio); *Usus Pontif.; Bened.* (param., a Dignit. etc. facienda).

Non licet Episcopo Majoricen. delegare benedictionem campanarum, omissa unctione, personis ordine Episcopali non insignitis. n. 3134 die 19. Apr. 1687.

Vicario generali delegari non potest consecratio campanarum, et facta reintegranda, quatenus fieri possit sine scandalo. n. 3663 ad 2 et 3 die 22. Sept. 1703.

EICHSTADEN.

Dum hoc ipso vertente anno IV. Kal. Maji Rmus. Eichstadensis Episcopus Apostolico augebatur Indulto subdelegandi sibi commissos Sacerdotes in aliqua Ecclesiastica Dignitate constitutos ad benedictionem Nolarum, quae pro usu Ecclesiarum satis amplae suae Dioeceseos recenter fundebantur, attamen sub expressa clausula, ut Sacerdotes ipsi omnino adhiberent formam in Pontificali Romano praesciptam,

super hoc ipso Indulto plura adhuc requirenda censuit, ut dandae ab hac S. Sede Apostolica Declarationes cuicumque anxietati viam integre praecludant. Quocirca ejusdem Rmi. Episcopi nomine SSmo. D. N. Pio Papae IX. sequentia exposuit R. D. illius Dioecesis Vicarius Generalis:

1. An liceat Sacerdoti ab Episcopo subdelegato ad benedictionem Nolarum, quum debeat formam servare in Pontificali Romano praescriptam, unctiones adhibere?

2. In casu negativae responsionis quaeritur: an ritus ad istam Benedictionem in Pontificali Romano praescriptus mutilato modo adhiberi debeat, adeo ut Orationes illae quae ad unctiones pertinent, omnino omittantur?

3. In casu responsionis affirmativae denuo quaeritur: an ritus Nolarum benedicendarum fortasse sic instituendus sit a Sacerdotibus subdelegatis, ut conformis ritui in Pontificali Romano esse videatur, juxta quem 1.: *Psalmi* 50, 53, 56, 66, 69, 83, 129, primo recitandi, tunc ceteris Psalmis et Orationibus omissis; 2.: Oratio *Omnipotens dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in nave etc.*, 3.: Nola vel Campana cum Aqua ab Episcopo benedicta aspergenda, et imposito in thuribulo thymiamate incensanda sit?

4. In casu responsionis negativae quoad hanc formulam benedicendi, iterum quaeritur: quomodo formula seu ritus ab Episcopus ordinandus sit, ut tunc servetur forma in Pontificali Romano praescripta?

5. An liceat Sacerdoti ad hoc deputato benedictionem solemniter etiam cum Diacono s. vestibus induto, qui in fine Evangelium solitum canat, agere, quia actus solemnis tantum privilegium Episcoporum esse videtur?

6. In casu negativae responsionis quaeritur: an tunc Sacerdos ipse Evangelium istud canere vel prorsus omittere debeat?

Et quum Sanctitas Sua ad relationem subscripti S. R. C. Prosecretarii mandavit ut propositis quaestionibus responderetur juxta alias decreta; hinc:

Ad 1. „Affirmative."

Ad 2. „Provisum in primo."

Ad 3. „Provisum et nil omittendum."

Ad 4. „Ex praemissis non indigere."

Ad 5. „Affirmative, quoniam in Indulto id comprehenditur in verbis, servata forma Pontificalis Romani."

Ad 6. „Provisum in praecedenti."

N. 5189 die 23. Junii 1853.

10) Candelarum.

Vd. *Purificatio B. V. M.*

11) Cappellae.

Vd. *Benedictio Oratorii; Bened. Ecclesiae.*

12) Cardinalis Diaconi.

Cardinales Diaconi possunt in suis Diaconiis solemnem benedictionem super populo impertiri in actu visitationis Diaconiae necnon dum solemni Missae assistunt, non celebrante tamen Episcopo. n. 2455 die 15. Sept. 1668.

13) Causa et Effectus.

Vd. *Bened. Sacerd. extra Missam* (decr. n. 4782 *nota).*

14) Cum s. Chrismate.

(Cf. *Abbas; Usus Pontif.)*

Vicario generali delegari non potest consecratio et benedictio rerum, in quibus unctio s. Chrismatis intervenit, et facta reintegranda est, quatenus fieri possit sine scandalo, praeterquam quoad vasa s. jam adhibita. n. 3663 ad 2 et 3 die 22. Sept. 1703.

15) Cinerum, cand. etc. a Regularibus facienda.

Patribus conventualibus in eorum Ecclesiis cineres, palmas et candelas

benedicere licet, sed non processionem facere extra ambitum et claustrum eorum Conventus in casu nisi de licentia (parochi) vel probata formiter consuetudine. n. 3626 ad 1—4 die 8. Apr. 1702.

Vd. *Cineres*.

16) Concionatoris.

Vd. *Concionator* (bened.)

17) Cerei paschalis.

Vd. *Cereus paschalis*.

18) Communione finita.

Vd. *Bened. SS. Sacramenti* (communione finita); *Bened. SS. Sacr. in pyxide; Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 *nota*).

Ad dubium: 1. An consuetudo benedicendi Populum cum Sacra Pyxide, quoties Eucharistia distribuitur, sit servanda, vel potius, an benedicendus sit populus manu dextera tantum, uti habetur in Rituali Romano, et in una Urbinaten diei 16. Januarii 1793?

2. Et quatenus affirmative ad primam partem, an tunc dicendum sit: *Benedicat vos etc.*? S. C. resp.:

Ad 1. „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta Rituale Romanum et Decretum Urbinaten diei 16. Jan. 1793.“

Ad 2. „Jam provisum in primo.“

Atque ita servandum mandarunt, die 23. Maji 1835. n. 4748.

19) Crucis.

a) Jus.

Archipresbyterum de licentia Episcopi posse facere benedictionem crucis positae in eminentiori loco ad evitandas grandines, fulgura et tempestates. n. 764 die 7. Aug. 1628.

Fratres Minor. Observant. Refor. s. Francisci Montis Politioni non possunt sine licentia Ordinarii portare processionaliter crucem illamque benedicere et plantare extra eorum claustrum, etiam in fundo et re propria. n. 2379 die 18. Sept. 1666.

b) Estne de praecepto?

Cruces altarium et processionum non sunt benedicendae de praecepto et potest simplex sacerdos eas benedicere private. n. 3697 ad 1 et 2 die 12. Julii 1704.

20) Delegatio.

Vd. *Benedictio agrorum* (deleg.); *Benedictio campanar.* (Officiator).

Ad dubium: 1. an Episcopus utendo ordinaria facultate possit aliis in Dignitate constitutis delegare potestatem benedicendi s. indumenta et alia, in quibus juxta rituale rom. s. chrysma non adhibetur; seu potius hanc delegationem Episcopus etiam ad campan. benedictionem ampliare valeat?

2. An quatenus ad eandem delegationem ap. requiritur Indultum, istud sit concedendum Episcopo, ut in locis praecipuis et nobilioribus suae Dioecesis eo in numero presbyteros in dignitate constitutos ad hoc opus eligat, quot aestimet sufficere pro omnium Ecclesiarum Dioecesis indigentia? S. C. resp.:

ad 1: Non posse;

ad 2: Posse concedi in forma solita. n. 4159 ad 5 et 6 die 16. Maji 1744.

Ad dubium: an illi, quibus facultas s. suppellectiles benedicere, in quibus s. unctio non adhibetur, delegata fuit, benedicere possint imagines D. N., B. V. M. aliorumque Sanctorum, Tabernaculum, in quo asservatur SSmum., Pyxidem et generaliter omne illud, in quo s. unctio non adhibetur? S. C. Episcopo Calaguritano indulsit per viam novae declarationis eamdem facultatem subdelegandi benedictionem omnium quorumcunque ad Divinum Cultum spectantium, in quibus s. unctio non adhibetur. n. 4290 die 17. Maji 1760.

Vacante Sede Episcopali, si nullus Episcopus *Salmaticae* vel in viciniis commoretur, *Vicarius capitul.* ad benedictionem Ecclesiae pollutae, dummodo utatur aqua a viciniore Episcopo benedicta, potest procedere. Episcopo vero causa aegritudinis vel absentiae a sua Dioecesi impedito, nulloque alio Episcopo occurrente vel accedente, *Vicarius gener.* et quatenus ipse sacerdotali charactere non sit insignitus, prima Dignitas ejusdem Capituli, habita prius ab Episcopo licentia in Scriptis et cum aqua pariter ab eodem Episcopo benedicta et in casu necessitatis, eandem benedictionem potest peragere. Quae omnia S. S. *pro casu, de quo agitur tantum valitura, et in exemplum non adductura*, indulsit, quibuscunque in contrarium non obstantibus. n. 4307 die 12. Dec. 1761.

Ad dubium: An Superior Ordinis s. Joannis de Deo plerumque Saecularis possit subdelegare suos Alumnos Sacerdotes pro benedictione Sacrae Suppellectilis? S. C. resp.:

Et Sacra Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata rescripsit: „Negative.“ Die 16. Aprilis 1834 n. 4725.

21) Dignitatum et Canon.

(Modus).

Vd. *Abbas; Protonotarius apostol.*; *Benedictio cum SS* (Dign. celebr.); *Usus Pontif.* (decr. n. 4585, 4696 et alia).

Praepositus alicujus Ecclesiae non potest tuta conscientia etiam attenta immemorabili consuetudine pontificali more populo benedicere, nisi constito sibi de speciali Sedis ap. indulto. n. 1834 die 4. Aug. 1657.

Canonicus celebrans mitratus Cath. Panormitanae non potest uti trina benedictione in fine Missae. n. 3052 ad 3 die 22. Apr. 1684.

Ad dubium: an post missas, vesperas aut Matut. in pontif. celebratum, possint Dignitates et Canonici Metrop. Urbinat. sol. dare benedictionem dicendo: *Sit nomen etc.* seu: *Benedicat vos etc.* cum unico seu trino signo crucis? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam cum unico signo. n. 4224 ad 6 die 29. Jan. 1752.

Item non possunt trinam dare benedictionem, quando induti sunt mitra aliisque paramentis ad instar abbatum, etiamsi missas et vesperas in Pontificalibus non celebraverint.. *Ibid. ad 8.*

22) Domus et Monasterii.

Ad Dubia: 1. An expleta per Parochum benedictione domorum possit per vice-Parochum fieri secunda benedictio in casu etc.? Et quatenus negative.

2. An dicta benedictio fieri possit per vice-Parochum quoad Parochianos illam requirentes in casu etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Negative in omnibus et amplius.“ n. 3945 die 15. Mart. 1721.

Bisinianen.

Quum hodiernus Archipresbyter Terrae Lutiorum Dioecesis Bisinianen. S. R. C. sequens Dubium pro opportuna solutione proposuerit, nimirum: „Num Diaconus Superpelliceo et Stola indutus possit, de consensu Parochi, benedicere Domos in Sabbato S.? Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die habito, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuerunt: „Negative.“ n. 4757 die 8. Aug. 1835.

Non possunt Regulares in Sabb. s. benedicere domos laicorum. S. C. C. 23. Nov. 1619.

Nequeunt Regulares benedicere domos Dioecesis in hebdomada s. S. C. C. 2. Julii 1620.

Non licet parochis benedicere in

hebdom. majori seu in octava Paschatis Resurrectionis cum stola vel sine domos alteri parochiae subjectas, invito hujus parocho. S. C. C. 17. Jun. 1719.

Parochis nullatenus licet in Sabb. s. benedicere collocutoriis aut januae *Monasterii* Monialium Ordinario subjectarum vel hospitio Tertiariorum connexo. S. C. C. 23. Aug. 1727.

Ad benedicenda Monialium *Monasteria* et cellas die Sabb. s. aut quolibet alio tempore est omnibus prohibitus in clausuram ingressus. S. C. C. 13. Sept. 1583; S. C. Ep. 4. Septbr. 1596.

23) Duplex est.

Vd. *Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 *nota).*

24) Ecclesiae.

Vd. *Dedicatio Ecclesiae etc.; Consecratio altaris* (decr. n. 3762); *Ecclesia benedicta. Benedictio Ecclesiae non celebratur*, Vd.: *Dedicatio Ecclesiae et dies incerta* (decr. n. 4688 *nota ad finem.)*

25) Elevatio manuum.

Vd. *Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 *nota).*

26) Episcopi

a) Assistentis.

Vd. *Episcopus assist. missae sol.* (bened.)

b) In altari,

(in quo est SS. Sacram. impositum).

Benedictionem esse dandam per Episcopum cum mitra, sed laudabilius esse reponere SS. Sacramentum in alio altari. n. 1115 ad 4 die 22. Januarii 1639.

Vd. *Tabernac. in Cath.*

c) Antiquitas.

Vd. *Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 *nota.)*

d) Super Canonicos.

Vd. *Episcopus assist. missae sol. (Salutat et benedicit Canon.)*

Ad dubium: An Episcopus semper debeat manu benedicere Canonicis ceterisque de Clero, qui in sacris functionibus ei reverentiam faciunt? S. C. resp.: „Danda est dum ascendit ad Thronum, vel ex eo descendit, post Circulos, et quotiescumque Canonici collegialiter obsequium praestant Episcopo.“ n. 4669 ad 19 die 12. Nov. 1831.

e) Genuflexio Canon. Cathedr.

Vd. *Episcop. assist.; Concionator; Canonici Cathedr.* (genufl.); *Genuflexio cor. Episcopo; Benedictio papalis* (genufl.)

Non teneri Dignitates et Canonicos ad benedictionem Episcopi genuflectere sed tantum caput inclinare. n. 473 die 4. Maji 1613.

Ad Benedictionem Episcopi solemniter celebrantis praeter Dignitates et Canonicos *Cathedral.* reliquos omnes teneri genuflectere. n. 887 ad 2 die 7. Dec. 1630.

Ad benedictionem Episcopi Dignitates et Canonici Cathedr. non teneri genuflectere, sed tantum caput inclinare et *assistentes pariter et servientes* eidem Episcopo non teneri genuflexos ministrare. n. 1442 die 18. Apr. 1643.

Dignitates et Canonicos non esse cogendos nec teneri in habitu ordinario genuflectere ad benedictionem Episcopi, quando ad aliquam Ecclesiam invitatus in habitu ordinario incedens populo solemniter benedicat. n. 1633 die 2. Mart. 1652.

Instante Episcopo Majoricen. pro concessione Remissoriae ad probandam consuetudinem immemorabilem contrariam S. C. resp.: *Remissoriam esse denegandam.* n. 1693 die 6. Dec. 1653.

Canonicos non esse cogendos ad genuflectendum nec tam intra nec tam

extra Ecclesiam Cathedr. ad benedictionem solemnem Episcopi. n. 1646 die 3. Aug. 1652.

Neque Dignitates neque Canonicos tam paratos quam non paratos debere genuflectere in benedictione ab ipso Episcopo (Matulens.) fieri solita in solemnioribus post Missae Sacrificium aut Vesperas, quamvis praedictus Episcopus praetenderit per Caerem. ecclesiasticum excludi ab ipsa genuflexione solas Dignitates et Canonicos sacris vestibus indutos. n. 2452 die 15. Sept. 1668.

Dignitates et Canonici caput tantum inclinant, quando Episcopus benedictionem in missis pontif. impartitur, immo etiam Dignitates et Canonici, s. vestibus celebrandi causa induti Episcopo celebranti assistentes. n. 3551 ad 8 et 9 die 13. Mart. 1700.

Dignitates et Canonici stent et caput tantum inclinant in benedictionibus, quae fiunt ab Episcopo in choro cum sola cappa existente. n. 3551 ad 7 die 13. Mart. 1700.

Ad dubium: Quum Rmus. Episcopus pontificaliter celebrat, tenenturne omnes Canonici huic assistentes, et alii Canonici sive parati, sive non, genuflectere, quum solemnem dat benedictionem in fine Missae et Vesperarum?

S. eadem C... respondendum censuit: „Negative."

Atque ita rescripsit. n. 5221 ad 7 die 21. Julii 1855.

f) Genuflexio Canon. Collegiatae.

Priorem et Canonicos Collegiatae de Pilar teneri genuflectere ad benedictiones solemnes Archiepiscopi tam in missa quam in Vesperis. n. 732 die 27. Mart. 1628.

Canonicos Collegiatae Fundanae assistentes Episcopo celebranti, tempore Benedictionis Episcopi in throno sedentis transeuntes debere se tantum profunde inclinare. n. 2694 ad 8 die 16. Junii 1674.

Ad dubium Canonicorum Collegiat. Liburni: an in sol. benedictione Archiepiscopi Canonici tam s. vestibus induti quam degentes in stallis teneantur genuflectere? S. C. resp.: *Tenentur genufl.* n. 3026 ad 11 die 24. Julii 1683.

Vd. *Canonici Colleg.* (Genuflexio).

g) Genufl. Cleri inferioris.

Ad Benedictionem Episcopi solemniter celebrantis praeter Canonicos Cathedr. reliquos omnes teneri genuflectere. n. 887 ad 2 die 7. Dec. 1630.

Praeter Dignitates et Canonicos omnes genuflectunt in benedictionibus, quae fiunt ab Episcopo in choro cum sola cappa existente. n. 3551 ad 7 die 13. Mart. 1700.

Vd. *Genuflexio* (Coram Episcopo.)

h) Genufl. Laicorum.

Ad solemnem benedictionem Episcopi Magistratum genuflectere debere. n. 1312 die 23. Mart. 1641; n. 2637 ad 6 die 17. Junii 1673; n. 4305 ad 3 die (21. Julii) 12. Sept. 1761.

Gubernatorem et Magistratum in solemni Episcopi benedictione omnino genuflectere debere. n. 1733 die 19. Sept. 1654.

Ad benedictionem solemnem Episcopi omnes teneri genuflectere praeter Dignitates et Canonicos Cathedralis, ideoque Magistratum debere genuflectere. n. 2777 die 21. Mart. 1676; n. 2780 die 30. Maji 1676; n. 2789 ad 1 die 13. Junii 1676.

Magistratum Faventinum teneri genuflectere ad quascunque benedictiones Cardinalis Episcopi tum inter, tum post quaecunque solemnia elargiri solitas; idque locum habere in quibuscunque benedictionibus inter vel post Vesperarum missarumque solemnia, eodem Episcopo apud sedem pontificalem ve

apud altare, tum cappa pontificali tum s. vestibus induto, eorumdem divinorum Officiorum solemnia peragente; ac pariter ab initio ad finem missae privatae eodem Episcopo quocunque loco et tempore celebrante vel iis assistente. n. 2796 die 13. Junii 1676; n. 2817 ad 1 die 13. Febr. 1677.

Magistratus Fulginaten. post absolutam miss. pontif. non discedat sed expectet benedictionem Episcopi. n. 3336 ad 1 die 7. Aug. 1694.

i) Non omittitur propter impertiend. Bened. Papalem.

Vd. *Benedictio Papalis* (Forma etc.)

k) Privata in Process. Corp. Christi.

Episcopum in Processione Corporis Christi a *privata* populi benedictione cessare debere. n. 1862 die 26. Jan. 1658.

l) Quando et quoties?

Ad dubium: an data benedictione sol. ab Episcopo post concionem habitam intra missarum solemnia, possit dari alia benedictio sol. in fine ejusdem missae? S. C. resp.: Nedum posse sed omnino debere etiam secundo benedicere. n. 2805 ad 5 die 14. Nov. 1676.

Episcopus tantum in sede assistens Missae sol. Populo benedicit et Indulgentias publicare facit. n. 5004 ad 2, 6 die 7. Dec. 1844.

Vd. *Benedictio* (Forma etc.)

m) Cum Reliquia.

Vd. *Benedictio cum Reliquia.*

Ad dubium: 1. an possit Episcopus benedictionem sol. populo impertire cum reliquia Ligni ss. Crucis, retenta mitra?

2. an saltem cum Pileolo?

3. an possit retinere mitram vel Pileolum benedicens populo cum aliqua insigni reliquia alicujus Sancti?

S. C. resp. ad 1.: Benedictionem capite detecto impertiendam esse in casu;

ad 2.: Negative;

ad 3.: provisum in praecedentibus. n. 4815 ad VII. 1—3 die 22. Sept. 1837.

n) Cum SSmo.

Ad dubium: 1. Utrum Episcopus in impertienda populo benedictione cum SSmo. Eucharistiae Sacramento decantare possit V: *Sit nomen Domini benedictum?*

2. Utrum praxis in praecedenti Dubio enunciata retineri possit saltem ex eo; quia Episcopus mox defunctus a viginti et ultra Annis in elargienda Eucharistica Benedictione Versum ipsum decantare consuevit?

3. Utrum liceat Episcopo dare bened. cum SSmo. absque velo humer. ejus loco assumptis chirotecis; et an chirothecas retinere possit, si ad velum humerale teneatur?

S. eadem C... „Negative in omnibus" respondendum censuit. n. 5211 ad 2 3 4 die 21. Julii 1855.

o) Finito Sermone.

Benedictio finito Sermone non est danda ab Episcopo, quando in fine (missae) impertienda est populo Benedictio Papalis. n. 4669 ad 14 die 12. Nov. 1831.

p) Extra suum Territorium.

Episcopus Vigevanens. ut *Visitator* Hospitalis S. Matthaei, non sub jurisdictione Ordinarii Papiens. sed immediate sub Sede apost. existentis, non potest dare benedictionem in via, cum ejus auctoritas et delegatio sit restricta in Hospitale tantum. n. 2495 ad 1 die 5. Oct. 1669.

27) Fontis.

a) Aspersio aquae bened.

Vd. *Aspersio aquae bened. in dom.* (Officiat. decr. n. 5228).

b) Assistentia.

Vd. *Sabbat. s.* (assistentia).

c) Celebrans.

Vd. *Bened. font.* (temp. decr. n. 4252): *Sabbatum s.* (Celebr.).

Benedictionem fontis spectare ad Praepositum Collegiatae, quatenus celebret, sin minus, ad Celebrantem. n. 2204 die 17. Mart. 1663.

Ad dubium: an in Sabb. s. Benedictio fontis facienda sit per Sacerdotem celebrantem juxta rubricam, an existente eodem ad altare, per juniorem Canonicum, cum ad hunc spectet exercitium Curae animarum Civitatis? S. C. resp.: *Facienda est per Celebrantem.* n. 2502 ad 5 die 31. Maji 1670.

Benedictionem fontis et celebrationem missae in Sabb. s. esse divisibiles et posse ab uno fieri benedictionem fontis et ab alio missam cantari. n. 386 die 14. Junii 1608.

Absente Archiepiscopo benedictionem fontis fieri debere per Celebrantem. n. 687 ad 3 die 12. Junii 1627.

Benedictionem fontis spectare ad Celebrantem, praesentibus tamen hebdomadariis. n. 2096 die 12. Martii 1661.

Ad dubium: an bened. fontis baptism. sit de juribus mere paroch.? S. R. C. resp.: Negative, sed fieri debere a parochis. 10. Dec. 1703.

Benedictio fontis baptism. fieri debet a Parocho. n 3670 ad 6. die 12. Jan. 1704.

Benedictionem Fontis in Sabb. s. et in Vigilia Pentecost. peragendam esse per celebrantem (missam). n. 4838 ad 1 die 1. Sept. 1838.

Syracusan.

Etsi cautum fuerit pluries a S. R. C., ut in Colleg. Ecclesiis solemnis Benedictio fontis perficiatur a Canonico Hebdomadario, idque servetur in Collegiata SSmae. Annuntiationis loci vulgo *Comiso* intra fines Dioec. Syracus., in qua Parochus alterius Matricis Eccl. curam animarum exercet, quin in s. functionibus locum ullum ex inita conventione obtineat; attamen S. R. C. quum iterum requisita fuerit de ulteriori in re declaratione, ut futuris quibusve temporibus ordo et uniformitas habeatur, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, juxta alias decreta rescripsit: „Fontis benedictionem statis diebus in Collegiata spectare ad Hebdomadarium."

Atque ita omnino servandum in Collegiata Oppidi Comiso mandavit. n. 5021 die 14. Junii 1845.

b) Cereus paschalis.

Vd. *Cereus paschalis.*

e) Diaconus.

Diaconus, sacris vestibus indutus in pergendo ad fontem benedicendum a sinistris Celebrantis incedere debet. n. 2082 ad 5 die 20. Nov. 1660.

Idem respondit S. C. n. 2083 ad 5 die 18. Dec. 1660.

Vd. *Benedictio ignis.* (Officiator; decr. n. 4672.)

f) Dies.

Num possit haec Benedictio fieri etiam extra Sabb. Paschalis et Pentec.? Vd. *Bened. fontis* (Oleum, decr. n. 4820 ad 3 *nota*).

Curnam fit in Sabb. Paschae et Pentec.? Vd. *Ibidem.*

g) Jus.

Vd. *Sabb. s. (Bened. fontis.)*

Benedictionem fontis fieri posse in Sabbato s. in omnibus Ecclesiis habentibus fontem baptismalem *fixum.* n. 1037 die 1. Mart. 1636.

h) Ministri.

Qui facultatem obtinent fontem benedicendi, quatuor saltem Clericos in

ministerio habebunt. n. 4232 ad 2 die 12. Apr. 1755.

Vd. *Sabbat. s.* (Assistentia.)

i) Oleum.

Vd. *Extrema Unctio* (olei mixtio); *Oleum s.* (infusio in font. baptis.) *Baptismus* (oleum vetus).

Benedictio aquae in Sabb. s. non potest fieri sine infusione Olei s. in Ecclesiis non habentibus fontem baptismalem. n. 3433 ad 2 die 13. Julii 1697.

Parochi ex Matricis fonte aquam, cui s. olea jam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem olea s. recipere non poterunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt. n. 4251 ad 3 die 12. Apr. 1755.

Ad dubium: An talis benedictio (Fontis Baptismalis in Sabb. S.) fieri debeat cum Chrismate et Oleo praecedentis anni, an potius omittenda sit infusio Chrismatis et Olei usque dum accipiantur recenter consecrata?

S. eadem C.... rescripsit, nimirum: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Atque ita rescripsit. n. 4820 ad 1 die 23. Sept. 1837.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Benedictio fontis baptismalis praecipuus est ex antiquioribus ritibus, quos ex veteri disciplina sumpsit et adhuc retinet Ecclesia, et haec Benedictio duobus praesertim anni temporibus peragebatur solemniter, nempe in Paschate et Pentecoste, quemadmodum duobus hisce temporibus solemniter Baptisma conferebatur. Insignis est hac in re Tertulliani locus lib. de Baptismate cap. 19., ubi haec leguntur: *Diem baptismo solemniorem Pascha praestat, cum et Passio Domini, in quo tingimur, adimpleta est, nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Pascha Dominus esset acturus, misit discipulos ad praeparandum: Invenietis hominem aquam bajulantem Paschae celebrandae locum de signo aquae ostendit: . . . Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, et gratia Spiritus S. dicata, ut spes adventus Domini subostensa, quod tunc in Coelos recuperato Eo, ad Apostolos dixerunt sic venturum quemadmodum et in Coelos ascendit utique in Pentecoste.* Asserit hic primum Tertullianus, Christum Pascha baptismo consecrasse, docet secundo, decens esse, ut expletis per quadragesimale tempus Dominicae Passionis mysteriis celebretur baptismus, qui suam ab illa recepit virtutem, insuper, inquit, diem Pentecostes etiam baptismi Sacramento sapienter destinatam esse, quod Resurrectione Domini Spiritus S. delapsu et alterius Christi adventus spe commendetur. Et S. Leo veterem Ecclesiae praxim praescribens epistola ad Episcopos Siciliae asserit, Sacerdotes, qui die Epiphaniae catechumenos baptismate solemni consecrant: *Ab Apostolicae Sedis consuetudine discrepare, solosque Paschatis et Pentecostes dies baptizandis in Ecclesia electis secundum apostolicam regulam esse praescriptos.* His similia scripsit Siricius, eadem Gelasius. Id constanter asserunt Rerum Liturg. Scriptores probantque auctoritate SS. Patrum. Ex libris, qui Dionysio Areopagitae Pauli Ap. Discipulo tribuuntur, eruitur, Fontis baptismalis benedictionem ab illis usque temporibus extitisse. Describens ille s. caeremonias, quibus Baptisma in publico Fidelium conventu conferebatur, haec habet: Ipse autem (nempe Baptizandus) ad adoptionis matrem (nempe fontem) *vadat, cujus aqua, posteaquam s. invocationibus sanctificavit Pontifex, necnon tribus ungenti*

sacratissimi, crucis forma, effusionibus, totidem s. unguenti appositionibus, sacrosanctum Deo afflatorum Prophetarum, divinae aspirationis hymnum concinendo consecravit... adduci virum jubet... ter eum immergit, sub trina immersione, atque emersione has divinas beatitudines ac personas invocando. Quem ritum non recentibus saeculis, non Dionysii aetate, sed jam antea in Ecclesia fontem ad baptisma conferendum olei infusione, Crucis significationibus, orationibus, SSmae. Trinitatis invocatione benedici consuevisse, ex ejus loquendi modo facile agnoscitur. Ex qua Olei et Chrismatis commixtione indicatur conjunctio Christi per baptismum cum populis Ecclesiae: *aquae multae, populi multi* et Christi nomen, id est uncti ab Oleo et Chrismate deducitur.

Et quamquam olim multis sacrisque ritibus nulla certa dies praefixa fuerit, immo tribus Ecclesiae saeculis, persecutorum metu clam, et quibus poterant diebus celebrarentur, data tamen Ecclesiae pace, sua sunt tempora assignata, praesertim ubi aliqua mystica ratio postulabat. Et de confectione Chrismatis praefixa Fer. V. in Coena Domini sic scribit S. Isidorus Ep. Hispalensis l. 1. de Officiis Ecclesiasticis cap. 28., quod de Coena Domini inscribitur: *Qua die etiam* (Fer. V. in Coena Domini) *S. Chrisma conficitur, quia ante biduum Paschae Maria caput et pedes Domini unguento perfudisse perhibetur.* Neque enim Episcopo fas est alia die Chrismatis ac Oleorum benedictionem peragere, neque Parochis fas est alio uti Chrismate aut Oleo Catechumenorum, quam illis, quae eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta Fer. V. in Coena Domini. Quod palam eruitur ex Rituali Rom. cap. *de S. Oleis et aliis requisitis,* ubi edicitur: *Curet Parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat et tunc vetera in Ecclesia comburat:* quae combustio post novam Oleorum benedictionem ab Episcopo peractam Fer. V. in Coena Domini nititur Canoni: *Litteris de Consecratione, Distinctione III.* desumpto ex Epistola II. Fabiani Papae ad Orientales Episcopos data, quae licet supposititia sit, sicut et aliae ejusdem Pontificis Epistolae, antiquus est nihilominus ritus in citata Epistola praescriptus, ut scilicet *Chrisma per singulos annos jam dicta die sit innovandum et vetus in sanctis Ecclesiis cremandum.*

Quum itaque Oleorum benedictio quotannis facienda ex antiquissima proveniat traditione, quumque ea Olea quotannis Parochus renovare teneatur, veteribus in Ecclesia combustis, patet benedictionem Fontis Baptismalis duobus Sabb. Paschae et Pentecosten peragendam esse infusione Oleorum eo anno benedictorum, neque ignoratur graviter Sacerdotem peccare, graviterque puniendum, qui veteri Oleo benedicto, recentiori posthabito, uteretur. Sed tamen intelligendum est, ubi necessitas non cogeret ad id faciendum. Urgente quippe necessitate novoque Oleo benedicto deficiente recte adhiberi posse vetus Oleum benedictum, respondit S. C. Ep. et Reg. die 20. Maji 1590 apud Gavantum in Manuali Episcoporum verbo: *Extrema Unctio,* et S. Carolus in Institutionibus de Baptismi administratione pag. 502 sic ait: *Veteri autem vel Oleo S., vel Chrismate non utetur Parochus, scilicet nisi, antequam novum habeatur, necessitas illius utendi inciderit.* Et re quidem vera Rituale Romanum cap. *de Sacramento Baptismi rite administrando* et Titulo citato *de S. Oleis requisitis* ait: *Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur;* qua urgente necessitate, non modo indulget, ut Parochus utatur

Oleis benedictis Anno praecedenti, sed etiam, si haec vetera Olea pauca sint quantitate, et *deficere videantur, et Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud Oleum de Olivis adjiciatur non benedictum, sed in minori quantitate.* Ergo a fortiori, si cogat necessitas, uti poterit Parochus veteribus Oleis, quibus necesse non est, ut Oleum non benedictum infundatur. Necessitatem autem urgere in proposito casu Oriolen. patebat, quia nova Olea neque benedicta erant ab Episcopo, qui a Sede sua divulsus fuerat, neque ob belli civilis pericula alio sumi poterant.

Aliunde autem baptismalis Fontis benedictio, quae ab ipso Ecclesiae initio est repetenda, omitti nequaquam debebat. His innixa auctoritatibus, inhaerendo Resolutioni C. Episcoporum et Reg., Instructioni S. Caroli, nec non ipsi dispositioni Ritualis, S. C. rite primae dubii parti affirmative responsione occurrendum esse censuit.

Quoad alteram vero partem, licet Olei S. et Chrismatis Infusio non sit absolute necessaria pro collatione Baptismi, ut materia, forma, Minister et *quamvis Aqua naturalis sive ea maris sit, sive fluminis, sive fontis apta sit Baptismo;* tamen quoniam hujusmodi institutio ex Apostolica et antiquissima Traditione accepta et approbata est, et quoniam ex antiquis temporibus observatum est ab Ecclesia, ut aqua pro conferendo Baptismo solemniter benedicatur et consecretur, ut supra indicatum est, eam omittere non licet, nisi in casu necessitatis; quae necessitas in proposito casu non existebat, quum haberi possent Olea praecedentis anni: hinc negative responsum est, eo vel magis, quod infusio Chrismatis et Olei in Fonte Baptismali ita conjuncta videtur cum ipsius fontis benedictione, ut ab ea saparari minime queat.

Ad dubium: An in Baptismo solemni infantium utendum sit hujusmodi Aqua benedicta quidem cum reliquis Caeremoniis Missalis, sed absque consecratione seu mixtione Sacrorum Chrismatis et Olei: an vero Aqua consecrata praecedenti anno, quae ad hunc finem conservetur?

S. eadem C.... rescripsit, nimirum: „Negative ad utrumque, sed fieri debet nova Fontis benedictio cum Oleis anni praecedentis seu provisum in prima parte superioris Dubii."

Atque ita rescripsit. n. 4820 ad 2 die 23. Sept. 1837.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Hujus dubii responsio et haec quidem negativa ad utrumque pendebat ex hactenus dictis in adnotationibus. Quum enim consecratio seu mixtio Sacrorum Chrismatis et Olei in Aqua, quae Baptismo deservire debet, utpote antiquissimae traditionis omitti non debeat praeter absolutam eorum deficientiam; haec autem deficientia absoluta non aderat, quia, juxta ipsum Rituale Rom., in aliquo casu, cujusmodi certe est ille propositus, admittit, posse Parochum uti Oleis anni praecedentis, jam omitti non debebat consecratio seu mixtio Oleorum, neque adhibenda erat Aqua, quae consecrata fuerat praecedenti anno, et quae ad hunc finem conservatur, quod patet etiam fieri debuisse novam fontis benedictionem cum Oleis anni praecedentis.

Ad dubium: An supposito, quod Aqua baptismalis benedicta sit cum veteribus Oleis, eo quod recenter consecrata non habeantur, infundi debeat in Piscinam, simul ac nova recipiantur Olea, et iterum cum his alia benedicenda sit Aqua juxta Caeremonias Ritualis romani: an vero illa conservari et uti debeat usque ad benedictionem in Vigilia Pentecostes, prout in Missali?

S. eadem C.... rescripsit, nimirum:

„Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“

Atque ita rescripsit. n. 4820 ad 3 die 23. Sept 1837.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

In hoc dubio quaeritur: an postquam Fontis baptismalis benedictio cum Oleis anni praecedentis peracta est, eo quod nova suo tempore haberi a Parocho nequiverint, si eveniet, quod inter Sabb. Paschalis ac Sabb. Pentecostes habeantur nova Olea rite eo anno benedicta, cum his Fontis baptismalis benedictio sit iterum perficienda, projecta in piscinam aqua, quae cum veteribus Oleis benedicta fuit?

In solutione hujus dubii advertendum erat, nova Olea benedicta vel a proprio Episcopo esse recipienda, vel ab Episcopo alieno, sed cum Ordinarii licentia, uti expresse sub gravissimis poenis jubent passim Sacrae Synodi, inter quas Carthaginiensis IV. anni 398 can. 36 ita mandat: *Presbyteri, qui per Dioeceses Ecclesias regunt, non a quibuslibet Episcopis, sed a suis, neque per juniorem Clericum* sed *aut per se ipsos, aut per illum, qui Sacrarium tenet, ante Paschae solemnitatem Chrisma petant.* Synodus Vasensis anno 442 can. 3. et aliis omissis, Conc. Prov. Beneventanum V. anno 1331 cap. 49. His adnotatis, ad dubium, quod spectat, adest quidem in Rituali Rom. Ritus, quo fit benedictio Fontis baptismalis extra Sabb. Paschae et Pentecostes, at in eo tantum casu, quum aqua consecrata non habeatur, quia evenire potest, ut aqua ipsa consecrata usui amplius esse non possit. Non enim benedictio aquae baptismalis ita est alligata Sabbathis Paschae et Pentecostes, ut extra haec tempora fieri minime valeat, sed Rituale Rom. titulo *de Materia Baptismi* tres casus enumerat, in quibus haec benedictio extra praedicta Sabbatha fieri possit; ait enim: *Si vero corrupta* (aqua) *fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat*, eamque *benedicat ex formula, quae infra praescribitur.* Quorum casuum quum nullus in proposito Dubio verificetur, sed e contra aqua consecrata habeatur, et quum immo praescribat eodem loco Rituale Rom., ut *si Aqua benedicta tam imminuta sit, ut minime sufficere videatur* (ne verbo quidem facto novae benedictionis) alia non benedicta admisceri possit, in minori tamen quantitate non videtur, quid causa sit, ut repetatur benedictio extra duo dicta Sabbatha, ex eo tantum quod facta fuerit cum veteribus Oleis. Neque inconsulto, sed prudenti sane consilio Ecclesia retinet usum benedictionis solemnis baptismalis duobus Sabb. Paschae et Pentecostes; nam olim duo in toto integro anno ad recipiendum baptisma erant tempora designata, nisi aliqua administrandi extra haec tempora istiusmodi Sacramentum necessitas occurreret (quia in eo casu quacumque die et hora conferri poterat baptisma), vigilia nempe Paschatis et Pentecostes, et quoniam solemnis haec fontis benedictio non peragebatur, nisi simul et baptisma solemniter conferretur, tunc factum est, ut sicut in duobus Paschatis et Pentecostes solemnitatibus Baptisma solemniter conferebatur, ita hae festivitates solemni fontis baptismi benedictioni fuerint assignatae et nostra etiam aetate retineantur. Ecclesia enim quamvis plurima de veteri disciplina remiserit, nonnulla tamen ejusdem disciplinae vestigia conservavit, ne omnia penitus reliquisse videretur.

Quarum duarum Vigiliarum quum pro conferendo baptismo meminit Tertullianus *cap. 16.* de Baptismo, et S. Syricius in Epistola ad Hymerium prohibet, ne in aliis diebus, quam

Sabbatho S. et Pentecoste conferatur Baptisma, *quam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ex Apostolica Petra, supra quam Christus universalem construxit Ecclesiam, divelli.*

Neque Mysterio aliquo vacat solemnis benedictio Fontis et collatio Baptismi duobus Sabbatis Paschae et Pentecostes; id enim fit *dicta Nona,* quia in eadem hora Cornelius a S. Petro baptizatus fuit *Raban. lib. 4. cap. 28.*, et quia eadem hora Christus expiravit; baptismus enim significat mortem Christi et Sepulturam ejusdem *ib. cap. 6.*, unde fit, ut in Sabbato S. et in Sabbato Pentecostes baptismus solemniter cum Aqua solemniter benedicta conferatur. Postremo duo Sabbata tantum Paschatis et Pentecostes Baptismate coluntur solemni ex Leonis *ep. 4. cap. 5.*, et habetur *distinct. 4. de consecratione Duo tempora.* Imo ex Syricio *eadem distinct. Non ratione*, nimirum, ut primum sit Filii, alterum Spiritus S., ne videatur differentia inter Filium et Spiritum S., quorum est aeque mundare animas a peccato, ait Raban. *lib. 2. cap. 42.*

Quum itaque in proposito Dubio nulla ex causis concurrat, ob quas Rituale Rom. benedictionem Aquae baptismalis permittit extra Sabbata Paschae et Pentecostes, quumque non vacet mysterio, quod ea benedictio fiat dictis duobus Sabb., ea sententia amplectenda est, ut firma remanente benedictione jam facta cum Oleis anni praecedentis, pro nova benedictione cum novis benedictis Oleis expectetur Vigilia Pentecostes, ac proinde *negative ad primam partem*, responsum consulto a S. C. fuit, ad *secundam* vero *affirmative.*

Massae et Populoniae.

Ad dubium: An standum sit Missali in Benedictione Fontis peragenda in Sabbato Sancto seu potius consuetudini, nimirum prius Aquam in aliquo vase separato benedicere, et antequam infundatur Chrisma ex illo Aquam ipsam extrahere et mittere in Fontem?

S. C. resp.: Ex speciali gratia servari posse consuetudinem. n. 4685 ad 1 die 7. Apr. 1832.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Ex rescripto ipso Sacrae Congregationis erui facile potest stricte servandam fuisse Missalis et Ritualis Romani dispositionem in eo, quod in dubiis proponitur: ex speciali enim gratia, ut dicitur, servari potest consuetudo: est itaque permissiva responsio, quae regulam universalem et praescriptionem non destruit aut infirmat. Ideo autem data est haec responsio, quia unum idemque esse Sacra Congregatio putavit prius aquam in Fontis benedictione, quae Sabbato Sancto peragitur, in aliquo vase separato benedici eamque postea ex hoc extractam in fontem mitti, et eam in Fonte ipso jam paratam benedici: benedictio enim non a loco, sed a precibus pendet. Mittitur in Fontem, ut in dubio, postquam omnes preces pro benedictione perficienda assignatae prolatae sunt et antequam Oleum Chrisma infundatur: salva itaque est Rubrica, nec ulla in hoc substantialis mutatio dignoscitur, quae ritum pro fontis benedictione praescriptum immutet. Sicuti enim in Rubrica Missalis legitur de hac aquae benedictione, *prius quam Sacra Olea in eam infundantur per Sacerdotes assistentes spargitur super Populum, et interim unus ex Ministris Ecclesiae accipit in vase aliquo de eadem aqua ad aspergendum in domibus et in aliis locis,* ita non officit praescripti ritus substantiae, quod, quae remanet Aqua in vase, recitatis jam pro partiali benedictione precibus assignatis, antequam Sacra Olea infundantur et tota Fontis benedictio

peragenda perficiatur, in Fontem sive in Fontis baptismalis choncham mittatur. Responsio itaque permissiva de servanda hac consuetudine ideo data fuit, quia hoc etiam modo Rubrica servatur. Unum tamen adnotabo, quod quidem attentionem aliquam exposcit quodque in responsione Sacra Congregatio negligendum putavit pro certo habens materialem quemdam errorem in dubio proponendo irrepsisse, quod ex dubii ipsius non satis accurrata enunciatione deducitur. Siquidem quaeritur in secunda dubii parte . . . *an potius standum sit consuetudini, nimirum prius Aquam in aliquo vase separato benedicere et antequam infundatur Chrisma ex illo Aquam ipsam extrahere et mittere in Fontem?* Collata responsione cum dubii verbis ita forte accipi posset, ut Sacra Congregatio permiserit extrahi posse Aquam post infusionem Olei Catechumenorum, dubium enim silet de hujus Olei infusione, et Chrisma solum nominat. At hoc neque esse potuit, neque intellexit concedere Sacra Congregatio, quae ne suspicari quidem poterat hanc revera fuisse consuetudinem, quae servanda in precibus postulatur eoque minus pro ea servanda etiam ex speciali gratia. Eam rescripsisse putandum est, sed uti revera est, sensit errorem in ennuntiatione irrepsisse, et Sacrum Chrisma nominatum fuisse pro *Sacris Oleis in genere,* quae infundi debent, et ideo in responsione haud adnotandum censuit. Quapropter stando Rubricae dispositioni et minus accurata ennunciatione sublata, quemadmodum Aqua pro adstante populo aspergendo extrahenda est ante Olei Catechumenorum infusionem, ita antequam hoc ipsum Oleum in aqua infundatur, eadem aqua, quae est benedicta in vase separato, de quo est sermo in dubio, mitti debet in Fontem. Haec adnotata sunt ad omnem, si quae oriri posset, aequivocationem et ambiguitatem vitandam et Sacrae Congregationis mentem explicandam, quae certe nunquam fuit, ut permitteret post Olei Catechumenorum infusionem et ante infusionem Sacri Chrismatis tantum, Aquam, quae Sabbato Sancto in Fontis baptismalis solemni benedictione in separato vase benedicitur, in Fontem mitti.

k) Orationes.

(Quo modo dicendae?)

Ad dubium: utrum in Sabbato s. ad bened. font. dicendae sint junctis manibus orationes et Praefatio? S. C. resp.: affirmative, nempe junctis manibus et apponantur proprio loco. n. 3754 ad 11 die 25. Sept. 1706.

l) Praecedentia.

Praecedentiam deberi super omnes Dignitates et Cononicos illi, qui celebrat et facit benedictionem fontis cum s. habitu. n. 1005 die 16. Sept. 1634.

m) Quoties facienda?

Urbevetanae Eccl. ut primum renuntiatus fuit Ep. R. P. D. Joseph Maria Archiep. Vespignani, Pastoralis sui muneris Partes suscipiens illud animadvertit conveniens minus, immo universali praxi et Rubricarum sanctioni contrarium, quod in Ecclesiis, ubi fons Baptismalis reperitur, ipsius Fontis benedictio semel tantum per Annum Sabbato nimirum ante Resurr. D. peragebatur, quin eadem benedictio iteretur Sabbato etiam ante Pent. Immemorabili huic in sua Dioecesi consuetudini quum suffragare compererit Synod. leges, quin pro suo arbitrio quidquam in re decerneret memoratus Praesul, S. R. C. humillimis datis precibus adivit, eique rem ipsam exponens enixe rogavit, ut declarare dignaretur, num immemorabili huic consuetudini

standum sit? Emi. vero ac Rmi. P. S. tuendis ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita relatione a subscripto Secretario facta, attentis Rubricarum sanctionibus ac aliis Decretis, praesertim in Lucana die 12. Apr. 1775, in quo dilucide edicitur, Parochos Fontem Baptismalem Sabbatis diebus Pasch. et Pent. benedicere debere, respondendum censuerunt: „Consuetudinem velut abusum et Rubricis contrariam esse eliminandam."

Atque ita exequendum mandarunt. Die 17. Sept. 1844. n. 4993.

n) Tempus.

Ad dubium: an ferenda sit immemor. consuetudo Parochorum benedicendi s. fontem de mane aut in Vesperis dierum festorum Pasch. et Pentecostes aliorumque festorum juxta rituale rom., ubi agit de bened. fontis bapt. extra Sabb. Pasch. et Pentec., cum aqua consecrata non habetur? S. C. resp.: Parochos habentes facultatem benedicendi fontem bapt. Sabb. diebus Pasch. aut Pent. dumtaxat et non aliis diebus illum de mane benedicere debere. Qui vero hanc facultatem non habent, ab ejus benedictione se abstinere tenentur. n. 4252 ad 1 die 12. Apr. 1755.

Haec Benedictio fit dicta Nona; vd. *Bened. fontis* (oleum, decret. n. 4820 ad 3 *nota*).

28) Formula.

Vd. *Libri ecclesiastici* (approb. decret. n. 4681, 4748).

29) Genus, Origo.

Vd. *Benedictio Sacerdotis extra missam* (nota).

30) Ignis.

a) Obligatio.

Vd. *Prophetiae* (non omittendae; decret. n. 4583 *nota*); *Benedictio* (jus).

Congruit, ut missae in Sabb. s. celebrandae Ignis ac cerei benedictio praecedat; et Archiepiscopus parochos ad Ignis et Cerei benedictionem faciendam aliqua poena pecuniaria adigere poterit. n. 4252 ad 3 die 12. Apr. 1755.

b) Officiator.

Ne contingat, Episcopum toties vestiri et spoliari vestibus, satius esset et convenientius prout etiam magis usitatum, si benedictionem ignis non per se, sed per aliquem Canonicum fieri praeventive mandaret, cum illa non sit tantae solemnitatis sicut reliquum Officium. n. 2946 ad 2 die 19. Apr. 1681.

Vd. *Diaconus* (cant. Exultet; decr. n. 4672).

31) Incensi.

a) Coram expos. SS. Sacramento.

Vd. *Instructio Clem.* §. XIX. n. 11. 13, 20; §. XXIV. n. 17; §. XXX. n. 8. *Osculum cor. SSmo.*

b) Crux efformanda.

Vd. *Incensum.*

Ad dubium: an in impositione thuris debeant proferri verba: *ab illo benedicaris etc.*, quando imponitur incensum in thuribulo vel dum efformatur signum crucis, ut exsequitur in rubrica particulari, in qua crucis effigies invenitur inserta in verbo *Bene ✝ dicaris*, ubi etiam similiter fit in omnibus aliis benedictionibus, ubi Crux manu describitur illo in verbo, ubi crucis schema exstat depictum? S. C. resp.: Serventur rub. gen. Miss. rom. c. 4 de Introitu n. 4 et Caer. Ep. lib. I. c. 23 §. 1. et 2. n. 4395 ad 23 die 18. Dec. 1779.

32) Cum Indulg. plenar. pro moribundis.

(Infantibus sine communione.)

Vd. *Benedictio apostol. pro Moribundis.*

Ad dubium: An Benedictio cum Indulg. plenaria juxta constitutionem

Bened. XIV. *Pia Mater* etc. 5. Apr. 1747 impertienda sit pueris, qui defectu aetatis primam Communionem necdum instituerunt? S. C. resp.: Affirmative. n. 4623 die 16. Dec. 1826.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Dubium hoc propositum, in quo quaeritur: *An benedictio cum Indulgentia plenaria juxta Constitutionem Benedicti XIV. Pia Mater 5. Aprilis 1747 impertienda sit pueris, qui defectu aetatis primam Communionem necdum instituerunt:* potius pertinet ad facultatem theologicam, quam ad liturgicam. Sed quoniam Sacra Congregatio de hoc etiam rationem habuit, eidemque definiendo respondit; et ego quoque in eodem elucidando tantisper immorabor. Praemitto de illis rem hic esse, qui possunt per aetatem, malitiam et conditionem peccare, ideoque Indulgentias lucrandi idonei putentur, et sint, licet nondum censeantur capaces ad sacram Communionem percipiendam. Nam quum Indulgentiae idea aliam praesupponat peccati, quod remissum sit quoad reatum culpae, sed supersit remittendum quoad reatum temporalis poenae; ideo Indulgentia sive partialis sit, sive totalis seu plenaria, quum aliud non sit, nisi remissio temporalis poenae pro peccatis actualibus quoad reatum culpae jam remissis, hinc si quis per aetatem patrare nequit, nec culpae ignoscendae capax esse potest, proindeque nec poenae temporalis, ac consequenter neque ejus remissionis sive Indulgentiae, quia deest actuale subjectum. Hoc ad rectam rei, de qua agitur, intelligentiam, et ad omnem ambiguitatem, aequivocationemque vitandam breviter praemisso; ad propositum dubium venio. Quum Indulgentia in sensu, quo accipienda est, non culpam respiciat, sed poenam, quia ejus subjectum est poena remittenda quoad illos, qui a reatu culpae fuerunt absoluti, ea concedi omnibus poterit, qui adhuc poenae temporali pro qualitate dimissae culpae sunt obnoxii, seu, quod idem est, peccatores quacumque in aetate sint constituti, omnes temporalis poenae remissionis generice capaces sunt, et Indulgentiam obtinere possunt, dummodo sint rite dispositi. Enim vero ad acquirendum Indulgentiae bonum, injuncta opera implenda sunt, inter quae si de plenaria res sit, ut plurimum adnumeratur sacrae Eucharistiae sumptio. Non est mihi animus hic enumerare casus, in quibus forte plenariae Indulgentiae fructus acquiri possit, etiamsi praemissa non fuerit sacramentalis Communio. Inquiri dumtaxat debet, num pueri doli capaces, sed nondum ad Communionem sumendam per aetatem idonei ad plenariam Indulgentiam lucrandam in vitae exitu admitti possint, etiamsi sacra Dape non fuerint refecti. Omnis tolli videtur dubitandi ratio ex Constitutione supralaudata Benedicti XIV.; legitur quippe in ejusdem exordio: *Pia mater Catholica Ecclesia de aeterna filiorum suorum salute inprimis solicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam praetermisit omnibus eos subsidiis, pro hujusmodi temporis necessitate, opportunis juvare, atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad aeterna praecavenda supplicia, quam quae apta, et salubria forent ad evitandas poenas temporibus praefinitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpae, aeternaeque poenae reatu, in purgatorio igne luendas, manere non ignorat.* Clare hic dicitur quod, absolute generica universalis Ecclesiae cura sit de aeterna filiorum suorum salute, et remissione temporalis poenae, nulla facta inter filios exceptione. Omnes igitur

ex generali verborum expressione *omnes Ecclesiae filii*, qui peccaverunt, quique temporali poenae post dimissum mortalis culpae reatum lucrandi Indulgentiam capaces censeri debent, iis minime exceptis, qui ob aetatis dumtaxat defectum nondum sacram Synaxim receperunt. Hi namque, ut adulti, filii sunt piae matris Ecclesiae, iidemque in mortis articulo constituti esse possunt, proindeque obnoxii temporali poenae luendae ob aliquam culpam, forte malitiam praeveniente aetatem (utinam non raro accideret) admissam, sed jam debita poenitentia expiatam. Ut autem clarius pateat, generaliter omnes, qui peccaverunt, nulla facta aetatis distinctione, in praefatis Benedicti XIV. Literis comprehendi fideles, ita ut nemo temporali poenae subjectus post culpae remissionem ab Indulgentia obtinenda excludatur, alia proferam, quae in iisdem Literis habentur. Postquam enim sapientissimus Pontifex graviorum recensuerat quorumdam criminum absolutionem reservatam vel uni dumtaxat Romano Pontifici quoad Universum Orbem, vel Episcopis in propriis Dioecesibus, subdit regulae generalis limitationem, casumque excipit, si proximae mortis immineat periculum. En verba: *Attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die, omnes hujusmodi absolutionum reservationes cessare etc. Praeterea cum in Ecclesia immensus, et inaestimabilis existat thesaurus spiritualis ... hoc semper summo studio curarunt Praedecessores nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos Fideles diffunderent, et maxima omnium amplitudine, quae Indulgentia plenaria nuncupatur, cujusque impertiendae jus in Apostolica Sede unica residet... nec ullus in Orbe Terrarum angulus esset, ubi Catholicae Religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia deesset pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur.* Ex relatis Literarum Apostolicarum verbis rite inter se collatis, erui posse videtur, Ecclesiae curam fuisse, et esse quemadmodum ab omnibus quibuscumque culpis quemque peccatorem in mortis articulo absolvere, quacumque reservatione cessante; ita et Indulgentiae Thesaurum eodem mortis articulo omnibus aeque concedere. Atqui quoad culpas earumque absolutionem nulla ponitur exceptio, nulla etiam exceptio fit, ut esse debet quoad impertiendam obtinendamque Plenariam Indulgentiam. Verum exceptio esset in casu, si illi, qui Indulgentiam obtinendi capaces forent, utpote poenae temporalis rei, per sacrae Communionis defectum ob immuneram aetatem ab ea lucranda excluderentur. Ne igitur exceptio, ubi non est expressa, ponatur; dicendum erit etiam pueros, de quibus in dubio, per verba illa *omnibus etc. moribundos Fideles etc. Catholicae Religionis professoribus etc.* comprehendi. Secus, si diceretur, dici posset eos tamquam filios et Catholicae Religionis professores, quibus adjuvandis Ecclesia magnopere studet, quoad hujusmodi effectum haud esse considerandos. Id quod contra Ecclesiae spiritum foret, quae in omnes large diffundit, quae spirituali saluti proficiunt, et alienum esset ab ea charitate, qua omnes indistincte, peramanter filios complectitur.

Plura etiam alia leguntur in Literis Apostolicis, ex quibus nullam in subjectis ad Indulgentiam hanc aquirendam idoneis exceptionem faciendam patet, quae satis, superque tantum hic referre erit, cum eadem prorsus de his, ac de illis ratiocinatio possit institui; cum aeque generalia sint verba, et indiscriminatim omnium Fidelium mortis articulum, et thesaurum Indulgentiae in tanta communi aeque om-

nium necessitate impertiendum respiciant. Ita ex. gr. quae sequuntur: *A fel. rec. Praedecessore nostro Alexandro PP. VII... indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis benedictionem cum Indulgentia plenaria impertiri valeant.* Quid plura? Clariora etiam sunt, nullamque admittunt exceptionem, quae post pauca subdit: *Ut enim multas praetereamus concessiones Indulgentiae plenariae morientibus Fidelibus Indistincte applicandae: quid ad rem nostram aptius?* Si *Indistincte* morientibus Indulgentiae plenariae concessiones sunt applicandae; nullus ergo excipiendus videtur, qui concessionis ejusdem capax esse possit. Sed illi, qui sacram Communionem nondum receperunt, idonei esse possunt, eo quod, dimissa culpa, superest adhuc poena temporalis ab iisdem pro qualitate culpae luenda; ergo haud ab generali Indultu excipi debent, ac proinde applicari iis quoque poterit in mortis articulo benedictio cum adnexa Indulgentia.

Demum sapientissimus Pontifex Episcoporum excitat solicitudinem, ne sinant moribundos tanto beneficio privari, imo et eos monet, ut etiam personaliter ad aegrotos accedant. Postquam enim Episcopis, aliisque Praelatis inferioribus, sed jurisdictionem in suis Territoriis habentibus, facultatem fecerat alios subdelegandi, declarat: *Non id propositum nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab hoc paternae charitatis officio per se ipsos adeundi miseros aegrotos plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos; sed ut eorum pietatem opportune juvaremus, ne dum ipsi aliis pastoralibus curis detinentur, dolore debeant commissos sibi fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare.* Quod si neminem ex hac vita discedere curandum est Episcopis, quin tanto Ecclesiae thesauro gaudeat, neque illi eo privandi sunt, de quibus in proposito dubio ratio habenda est. Praeterea in praevia instructione ad formulam adhibendam ad impertiendam benedictionem in articulo mortis nulla fit mentio Communionis, sed dumtaxat Confessionis, *si aegrotus voluerit confiteri... si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis, de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat, tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda, ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat etc.*

His omnibus addenda est communis, quae servatur praxis impertiendi benedictionem, cui plenaria Indulgentia est adnexa, etiam illis, qui repentino morbo correpti, sacram Synaxim in extrema illa periodo recipiendi capaces non sunt, *si illam petierint, scilicet benedictionem et indulgentiam, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis etc.*

Jam vero si necessaria omnino esset sacra Communio, neque Indulgentiam obtinendi idonei essent illi, qui subitaneo morbo correpti, aut deglutiendi facultate privati, aut evomitionibus obnoxii, sacra refici nequeunt Eucharistia.

Atqui ii capaces censentur, tantoque beneficio nullatenus privantur, *si verisimiliter petiissent, dum sana mente et integris sensibus erant:* ex allata propterea universaliter admissa praxi consequitur, Communionem tamquam conditionem omnino necessariam in recensitis casibus non requiri: curnam tanto bono privandi erunt pueri, qui, ad percipiendam Eucharistiam etsi nondum idonei censentur, doli tamen capaces cum sint, aliqua culpa suam foedarunt conscientiam, qua per poenitentiae Sacramentum remissa adhuc

sunt temporali poenae luendae in hac, vel altera vita obnoxii? Eritne deterior habenda horum conditio, ita ut sint incapaces ea Indulgentia, quam pia mater Ecclesia cunctis fidelibus, sine ulla exceptione, vel limitatione benigne elargitur? Immo potius beneficium extendi ad istos quoque putandum est, quo omnes adulti (dummodo aliud non obstet) capaces sunt, etsi ex allatis impedimentis nequeant Communionem praemittere. Quid insuper? Ideo ad lucrandas Indulgentias plenarias praemitti Communio debet, quia habetur ut opus injunctum a concedente, qui potest illud, si velit, non apponere; ergo absolute et simpliciter necessarium non est, et aliquo in casu potest omitti, et omissio impedimento non est lucrandae Indulgentiae, ad differentiam alterius conditionis, ut, expiata conscientia quoad reatum culpae, remittendus dumtaxat supersit reatus temporalis poenae, quum ad id consequendum, fructumque Indulgentiae percipiendum indispensabiliter necesse sit status gratiae. Idipsum colligi posse videtur ex praefatis Apostolicis Literis Benedicti XIV.; quippe a sapientissimo Pontifice monitos video Sacerdotes, qui in extremo agone laborantibus spiritualia praebent Ecclesiae auxilia: *Ut omni ratione studeant moribundos fideles ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimae in Deum charitatis affectus, praesertim vero ipsam mortem aeque ac libenti animo suscipiendam.* Quibus in verbis nulla fit distinctio inter infirmum et infirmum, sed *omnes* veniunt sub generali dictione *moribundi fideles*: de Communione vero ne verbum quidem, licet casus (nec infrequenter) dari possit, ut in mortis discrimine potius, et plenaria Indulgentia ditandus fuerit pluribus retro diebus Viatico roboratus, et adhuc capax sit iterum sacra Dape se reficiendi.

Addere hic juvat aliud argumentum quod, licet directe casum non respiciat, tantam nihilominus ad illum relationem habet, ut nonnihil prosit ad ea, quae huc usque dicta sunt, confirmanda.

Idem Pontifex Benedictus XIV. Apostolicis Literis ad Poenitentiarios directis, quibus enumerantur facultates per integrum Jubilaei annum Confessariis concessas, alteram has inter ponit, scilicet in aliud pium opus Indulgentiam Jubilaei lucrandam, commutandi pueris, qui nondum ad Communionem percipiendam videntur idonei. Ibi enim §. 48 sic legitur: *Quamvis injuncta pro hoc Jubilaeo Communio sit; pueri tamen, qui nondum per aetatem ad propriam Communionem admissi fuissent, neque intra hunc annum sanctum Parochi proprii, vel Confessarii judicio admittendi non videantur, censeri possunt ab isto injuncto opere legitime impediti, iisdemque Communionem in aliud pium opus arbitrario Confessarii praescribendum commutari permittimus.* Jam vero si pro lucranda Jubilaei Indulgentia pueris Communio in aliud commutatur opus, et ideo commutatur, quia censeri debent ab altero injuncto, Communione scilicet, legitime impediti; cur non idem de iisdem censendum erit, qui in mortis articulo reperiuntur?

Imo pro hisce potior videtur ratio, propter quam tanto beneficio privandi non sint. Quod si ullum est tempus, quo injunctum Communionis opus vel in aliud commutetur, vel etiam nec absolute, ut in casu nostro, nec necessario requiratur; illud profecto est, cum major pro obtinenda luendarum poenarum remissione urget necessitas, et majoribus ac opportunioribus subsidiis pia Mater Ecclesia Fidelibus omnibus in agone positis succurrere nititur.

Aliquis fortasse erit, qui casum a casu distinguat, haereatque in eo, quod pro Jubilaei Indulgentia obtinenda singularis facultas et dispensatio quaedam concedatur, quamobrem videtur injuncti operis commutationem habitam fuisse a legislatore Pontifice, ut necessariam conditionem, quae tamen desideratur pro pueris doli capacibus positis in articulo mortis. At primum advertendum, ea in Constitutione, quae unice versabatur circa facultates Confessariis concessas favore poenitentium, ad effectum dumtaxat consequendi magnam Jubilaei Indulgentiam, ideoque locum non habuisse casum alterum, de quo in praesens est disputatio. Deinde alia attendenda ratio est, quae ponit differentiam. Benedictina Constitutio consulit pueris, qui sani sunt et capaces ad opus, in quod injuncta Communionis conditio commutatur, verum, qui in agone positi reperiuntur, plerumque aliud adimplendi opus sunt incapaces, non erit igitur et his succurrendum? Id repugnat curae et solicitudini, quam habet pia mater Ecclesia omnium filiorum, et fidei catholicae professorum, quaque omnes complectitur, et opportunis juvare vult subsidiis in gravissima illa necessitate. Hinc nil mirum si nulla singularis dispensatio, nulla singularis facultas concedatur, nulla commutatio facienda praecipiatur quoad positos in mortis articulo, licet necessaria sit pueris capacibus, et valentibus implere opus, in quod commutata est Communio ad Jubilaei Indulgentiam consequendam.

Sive igitur ratio habeatur finis, quem habet pia Mater Ecclesia in hac impertienda benedictione et indulgentia, sive ejusdem Indulgentiae subjecti, sive communis cum aliis fidelibus obtinendi Indulgentiam necessitatis ad dimittendas temporales poenas debitas pro peccatis jam poenitentia remissis, sive generalium Apostolicarum Literarum locutionem, sive praxis, quae universaliter obtinet; concludendum videtur, pueros, de quibus in dubio, quatenus illam obtinendi capaces sint, per peccata patrata, et jam quoad reatum culpae remissa, ab hoc singulari beneficio non esse excludendos; quemadmodum Sacra Congregatio in responsione ad propositum dubium declaravit. —

1. Semper esse recitandum *Confiteor* in bened. apost., licet antea jam bis dictum fuerit in administr. ss. Viatici et Unctionis, nisi necessitas urget;

2. in *eodem* mortis articulo infimum non posse pluries lucrari hanc indulg. a pluribus sacerdotibus impertiendam;

3. valide conferri non posse indulgentiam, nisi stricte servata forma in rituali praescripta.

S. C. Ind. 5. Febr. 1841.

33) Jus.

Vd. *Parochus; Confratern.; Bened.* (domus; mulieris.)

Exceptis benedictionibus cereorum, cinerum et palmarum, reliquas benedictiones (agnorum, ovorum etc.) privative quoad regulares, respectu jurium parochialium, spectare ad rectores Ecclesiarum. n. 1887 die 6. Apr. 1658.

In Oratoriis Confraternitatum prohibetur benedictio candelarum, cinerum, palmarum, panis etc. absque consensu parochi, non obstante, quod antea facere consueverint de licentia Ordinarii. n. 2330 die 20. Jun. 1665.

Procurator gen. Min. Capuccin. exposuit, quod in diversis Dioeces. suos religiosos sacerdotes vocantur a Benefactoribus ad faciendas benedictiones privatas juxta rit. rom. supra eorum campos, animalia etc., quod nonnulli parochi praetendunt eisdem non licere. S. C. resp.: Posse concedi de licentia Ordinarii. n. 3124 die 5. Oct. 1686.

Benedictiones et distribut. Candelarum, cinerum etc., bened. ignis, se-

minis, ovorum et similium, et functiones omnes hebdomadae s. non sunt de juribus mere parochialibus. n. 3670 ad 5, 6 et 7 die 12. Jan. 1704.

Cappellanis Ecclesiae s. Joann. Bapt. sitae intra fines parochiae s. Angeli a Macerata licet benedicere et distribuere palmas, candelas, cineres, oleum et panem pro devotione fidelium independenter a parocho et absque illius interventu. n. 3721 ad 3 die 9. Maji 1705.

Non licet PP. Minoribus Convent. s. Francisci Montis novi *solemniter* benedicere agris die 3. Rogationum et Januae dictae terrae nuncupat. Porta nova in festo s. Marci. n. 3722 ad 1 die 9. Maji 1705.

Prior... Congregationis s. Philippi N. Placentinae non potest facere benedictionem olivarum, candelar. et cinerum in suo Oratorio independenter a parocho. n. 3864 ad 1 die 10. Mart. 1714. Idem decret. pro Cappellano Clastidii. n. 4012 ad 1 die 13. Sept. 1732.

Cappellanus Confraternit. s. Jacobi Minoris Placentiae non valet candelas, Cineres etc. benedicere, et confratribus aliisque adstantibus distribuere. n. 3914 ad 3 die 10. Sept. 1718.

Licet Cappellano Confr. S. Mariae Perusinae in Oratorio dictae Confrat. explere benedictiones cinerum, palm. et cand. absque ulla licentia parochi. n. 3928 ad 1 die 13. Maji 1719.

Ad dubium: An in Eccles. Paroch., in quibus nullus exstat Clerus, sed solum Parochus, possit vel debeat iste facere benedictionem Candelarum, Cinerum, Palmarum, novi ignis, Cerei Paschalis, Fontis Baptismalis et caeterorum hujusmodi, nec non instituere Officium Fer. V. in Coena Domini, et Fer. VI. in Parasceve sine cantu, et solum privata voce, prout celebratur Missa privata?

Et S. eadem C... respondendum censuit: „Servetur parvum Caeremoniale a s. m. Benedicto Papa XIII. ad hoc editum."

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. n. 5050 ad 1 die 23. Maji 1846.

Ad dubium: An bened. mulierum post partum, fontis bapt., ignis, seminis, ovorum et similium sint de juribus mere paroch.? S. R. C. resp.: Negative sed bened. mulierum et fontis bapt. fieri debere a parochis. Die 10. Dec. 1703.

34) In Matutino.

a) Clerus stat.

Ad secundas et tertias Benedictiones in Matutinis, quae per celebrantem Canonicum vel alio e numero hebdomadariorum stantem in stallis canonicalibus vel prope altare, tum etiam Pluviali indutum cantantur, *Canonici et reliqui de Clero stare non tenentur, nisi Episcopo tantum Officio peragente.* n. 1966 ad 1 die 15. Febr. 1659.

In statione et in sessione cum a Canonicis tum a Beneficiatis uniformitatem semper fore servandam et quoties Divina stare non exigant, nedum a Canonicis, verum etiam ab inferioribus aequaliter sedendum esse. n. 1982 die 24. Maji 1659.

Ad Benedictiones ad 2. et 3. Lectionem cujuslibet Nocturni, tam si a Canonicis quam si a Beneficiatis vel Clericis Lectiones recitentur, hebdomadarium Canonicum seu Dignitatem, Episcopali excepta, stare debere juxta Caeremon. Quovero ad stationem vel sessionem aliorum Canonicorum, dum hebdomadarius Canonicus daturus benedictiones hujusmodi stat, servandam esse consuetudinem Ecclesiae. n. 2095 die 15. Jan. 1661; n. 2097 die 12. Mart. 1661.

In Benedictionibus Lectionum tenetur Hebdomadarius semper surgere, et alii de choro tenentur, quando *so-*

lemniter cantatur. n. 2248 ad 4 die 4. Aug. 1663.

b) Quae?

Ad dubium Benedictin. Einsidlen.: an Benedictio XI. in Officio mensili s. *Scholasticae*, item fer. 3. de s. *Benedicto* et de *immacul. Conceptione in Sabb.* fit: *Cujus commemorationem colimus?* S. C. resp.: Negative et dicatur semper: *Cujus festum colimus.* n. 4044 ad titul. XV. dub. 1 die 5. Maji 1736.

c) Quis dat?

Ad dubium: an canente nonam lectionem digniore Presbytero ac Rectore ejusdem Ecclesiae debeat a digniore existente in choro responderi: *Ad societatem etc.* aut, postquam idem Rector dixerit, *Jube Dom. etc.* absque alia benedictione debeat a cantoribus responderi, *Amen?* S. C. resp.: Digniorem praesentem in choro benedicere debere et contrariam consuetudinem abusum et corruptelam abrogandam esse. n. 1968 die 15. Febr. 1659. Cf. *Lectio nona.*

Benedictionem ad nonam lectionem, etiam primae Dignitati officium facienti, a successive digniore, etiam Canonico, absentibus aliis Dignitatibus, dandam, non obstante quavis etiam immemorabili contraria consuetudine. n. 2127 die 3. Sept. 1661.

Ad dubium: utrum *Abbas* jure pontificalium et Episcoporum jurisdictione gaudens, dum Officium facit ad Matutinum, possit sedens dare 2. 3. 5. 6. et 8. benedictiones, quae lectionibus praemittuntur, prout facit Episcopus, an vero teneatur stare, dum eas impertitur, ut mos est sacerdotum inferiorum? S. C. resp.: affirmative quoad primam partem, nempe ter in anno ad formam Decreti Alex. VII. et dummodo Abbas pontifibalibus ornatus sit indumentis in exercitio Pontificalium in decreto Alex. praescriptorum; et negative quoad secundam. n. 3726 ad 1 die 4. Julii 1705.

Ad dubium: an simplex Clericus obtinens in Collegiata Canonicatum, cui adnexus est titulus Thesaurarii et proinde pro 3. Dignitate habeatur, in diebus, in quibus 1. Dignitas sol. Off. peragit et 2. Dignitas a choro absit, possit benedictionem ad 9. l. impertiri? S. C. resp.: Abstineat. n. 4370 ad 2 die 11. Dec. 1773.

d) Quis petit?

Ad dubium: utrum Abbas jure pontificalium et episcopali jurisdictione gaudens, lecturus ultimam lectionem teneatur petere benedictionem ab alio suo inferiore, an vero immediate a Deo dicens: *Jube Domine etc.* et choro absque alio respondeat: *Amen*, prout fit ab Episcopo? S. C. resp.: quoad primam partem affirmative et ad secundam negative. n. 3726 ad 2 die 4. Julii 1705.

35) Modus.

In benedictionibus congruentiorem juxta rubricas et ritum videri modum benedicendi manu recta et digitis simul unitis et extensis. n. 3025 ad 6 die 24. Julii 1683.

Vd. *Bened. Dignitarior. etc.*

36) Monialium.

a) Antiquitas et annus.

Vd. *Bened.* (domus et monasterii.)

Inter caetera Sanctimonialium Asceteria, quae Archidioecesim Tarentinam condecorant, alterum Clarissarum existit in ipsa Civitate, quae semper, uti ab ipsis asseritur constantissime, expleto vigesimoquinto aetatis anno, et emissa professione solemni, Velum benedictionis ab Archipraesule recipiebant ad formam Pontificalis Romani. Modernus autem Archiepiscopus probe noscens,

quae a sa. me. Benedicto XIV. sua in Constitut. LXXXV. Tomo 2. Titulo de Consecratione et Benedictione Virginum referuntur, istud nimirum privilegium solis competere Sanctimonialibus Ordinis Sancti Benedicti; benedictionis hujusmodi per Apostolicum Indultum ipsis Clarissis concessae authenticum testimonium requisivit, antequam Velum ipsum Sanctimonialibus imponeret. Ast attenta temporum vicissitudine, quum multa ex privilegiis Asceterio supradicto concessa fuerint igni tradita; lege enim ab eodem extrahendae erant Sanctimoniales; forsan et tale Indultum quoque flammis deperditum fuit. Quoniam autem ab asserta observantia jus destrui nequit: propterea Sacrorum Rituum Congregationi Reverendissimus Tarentinus Archiepiscopus humillime supplicavit, quatenus decernere dignaretur, quid esset in re agendum, utrum nimirum Velum benedictionis recensitis Clarissis concedendum, an vero denegandum? Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata die 16. Aprilis vertentis anni rescribendum censuit: „Scribatur eidem Reverendissimo Archiepiscopo, qui auditis in scriptis Monialibus referat super transmissa earumdem Monialium allegatione.“ Ad scrupulum usque muneris sui partes Archipraesul explevit, harumque rerum notitia instructis Monialibus Clarissis, ipsae, habito Capitulari conventu, in scriptis retulerunt, a primaeva Asceterii origine Sanctimoniales omnes Velum benedictionis, expleto vigesimo quinto aetatis anno, recepisse, uti eruitur a platea renovationis Asceterii, quae contigit de anno 1695: insuper ex traditione pernoscere benedictionis hujusmodi Apostolicum obtinuisse Indultum, quod si non fuisset revera concessum, tam multi antiqui Archipraesules, qui per saecula Tarentinam administrarunt Ecclesiam profecto velum Sanctimonialibus non concessissent, ac novissime Sanctimonialem Rosam Fanuzzi ex dispensatione Apostolica illud recepisse ante annum vigesimumquintum. Quibus omnibus Sacrorum Rituum Congregationi ab Archiepiscopo Tarentino expositis; haec in novo Ordinario Coetu omnibus mature perpensis ac rite libratis rescripsit: „Pro gratia confirmationis Privilegii et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo. Die 12. Novembris 1831.“

Super quibus omnibus facta Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo fideli relatione per infrascriptum Secretarium, „Sanctitas Sua benigne annuit et Velum benedictionis, emissa solemni professione post annum vigesimumquintum, juxta Pontificale Romanum, Sanctimonialibus Clarissis Asceterii Civitatis Tarentinae concessit, die 18. recensiti mensis et anni. n. 4676.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Multa hic aeque praeclara tum de antiquitate, tum de praestantia benedictionis et consecrationis Virginum adnotanda se offerunt, sed ne videamur in medium proferre, quae inutilia quis posset reputare, quaedam tantum adducemus, cetera videri poterunt in Tertulliani Libro de velandis Virginibus. Quoad antiquitatem si audiatur Baronius ad Annum Christi LVII, is quibusdam nixus testimoniis Sanctorum Patrum Ignatii Martyris, Clementis Romani Pont. et Hieronymi libro 1 adversus Jovinianum in quatuor Filiabus Philippi Diaconi agnoscit primas, quae inter Mulieres post Christi mortem Virginitatem Deo singulari modo voverunt; hinc Apostolorum aevo Virginum consecratio adscribenda videretur, et idcirco ab Ivone Carnotensi in Epistola 41 ad Golfredum Vindocinensis Monasterii Abbatem scriptum

reperitur: *Consecratio Virginum ex Apostolica auctoritate Episcoporum privilegio reservatur.* Si alios Ecclesiae Patres Ambrosium praesertim et Augustinum audiamus, altius est repetenda haec de Virginitate devotio; uterque enim a Beatissima Virgine eam receptam volunt. Ille enim de institutione Virginis disserens *cap. 5*: *Egregia,* inquit, *Maria, quae signum Sacrae Virginitatis extulerat et intemeratae integritatis pium Christo vexillum levavit:* Hic vero in Libro de Sacra Virginitate *cap. 4* id probans ex Mariae responsione ad Archangelum Gabrielem in haec scribit verba: *Ipsa quoque Virginitas ejus* (Mariae) *ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violatur, quam conservare ipse praecepit, sed priusquam conciperetur jam Deo dicatam, de qua nasceretur elegit*: quomodo, *inquit,* fiet istud, quoniam Virum non cognosco? *quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset.* Legantur Baronius, Christianus Lupus, Tertullianus, Sandinus, si plura quoad hoc desiderantur. Omissis hic omnibus, quae a nonnullis relate ad Virgines, quae Deo se voverunt, producuntur, quaeque novitatem sapiunt et ab eruditis doctisque Viris suis in operibus refutantur, atque ab Apostolica Sede semel et iterum proscripta sunt, his inquam omissis, adnotandum putamus duplicem Ordinem Sacrarum Dei Virginum distingui. Aliae enim, quae paterna in domo manebant, aliae, quae commune habentes domicilium monasticum, quoddam quasi institutum amplectebantur. Inter has ab aliquibus adnumerantur plusquam ducentae Virgines illae, quae sese Eugeniae Regis Ethiopum Filiae adjunxerunt, quibusque praeferta Ipsa fuit, quum Sanctus Matthaeus eam ad Virginitatem profitendam servandamque induxit, et quibus ipse sacrum velamen dedit, et super quas sacram fudit Orationem, quae adhuc in quibusdam manuscriptis Pontificalibus legitur. Quemadmodum duplex erat Virginum ordo, ut dictum est, ita duplex erat earum consecratio sive vovendi modus. Harum in una habitus immutatione sita erat, simulque in Virginitatis proposito Deo sponte promisso: Altera in manuum velique impositione Pontificali et solemni benedictione aeque ac cum Virginitatis servandae proposito.

Haec consecratio ex vetustissimis usque temporibus maximi semper ponderis fuit, et vehementer sunt reprehensi, qui contra hanc vel quoad minimum tentare quandoque praesumpserunt. Tanti autem semper habita fuit ea consecratio, ut quidam etiam inter haereticos, puta Donatistas, suas quoque Virgines habuisse ostentarint, aeque solemniter quoque ab ipsorum pseudo-Episcopis Mitra cooperiendo velarentur.

Mitra quippe haec apud Afros sacri veluti veli species erat, quod solemnibus quibusdam precibus adjunctis solebat ab Episcopis imponi et per illius impositionem ipsa Virginis consecratio reputabatur. Adeo hoc verum est, ut Sanctus Hieronymus ad Demetriadem scribens: *Scio,* inquiebat, *quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale sanctum operuit caput:* utque hinc Sanctus Ambrosius in exhortatione ad Virgines ita scribat: *Venit Paschae dies, in toto Orbe Baptismi Sacramenta celebrantur, velantur Sacrae Virgines.* Vetusta adeo est haec sacri Veli solemnis impositio et Virginum consecratio, et adeo praeclara utraque caeremonia semper habita fuit, ut Tertullianus inter Scriptores vetustissimus sacrilegos vocet, qui velum hoc detraxerit: *Oh sacrilegae, inquit libro de velandis Virginibus, manus, quae dicatum Deo habitum detrahere potuerunt!* Sacer hic non minus, quam

vetustus Virgines consecrandi ritus summo studio olim servatus est; et juxta Auctores usque ad saeculum XV fuit pene universaliter retentus: postmodum vero vel penitus omissus, vel a perpaucis servatus: quodcirca, inquit Barbosa *lib. 1 Juris Ecclesiastici cap. 64, num. 21*: *et advertas quod consuetudo benedicendi Virgines non amplius est in usu.* Si de hac desuetudine rationem quis quaerat, vel ideo desuevisse hunc ritum, responderi potest, quia fortasse Episcopi minus de consecrandis Monialibus sese faciles exhibuerunt, vel quia Sanctimonialium numerus mirum in modum miserantis Dei beneficio succrevit, vel quia satis tum Professione, tum Clausura obstrictae et protectae Virgines minus novo consecrationis ritu, quasi novo quodam munimento opus haberent, vel quia immutata veteri disciplina illi solemni pompae, quae uti solemnia vota tunc habebatur, per novum jus novumque aeque legitimum validumque ritum ipsa solemnia Vota successerunt, quae a Monialibus emittuntur in Religione, cui nomen dederunt; quae quidem vota satis superque ad Virginitatem vinculo servandam esse putantur.

At licet ritus hic desuetus universaliter sit, manet tamen aliquo modo in Ecclesia juxta praesentem etiam disciplinam, quum et ipse describatur in Pontificali Romano et ab aliquibus Monialium Ordinibus servetur. Servatum fuisse etiam ritum hunc tempore Sancti Caroli Borromaei, ex ipsa ejus Synodo Mediolanensi IV apparet, quum ipse de loco illum peragendi sic praecipiendo loquitur: *Ut ubi religiosus ipse et vetus Moniales solemniter velandi mos his temporibus antiquatus est ad pristinum usum ex veteri instituto et ritu rovocetur; dummodo intra Monasterium id fiat.* Ex quibus verbis duo eruuntur, primo: fortasse aliis etiam in locis extitisse hunc ritum; secundo: non esse proscriptum, ut falso quidam putant Auctores, sed ad pristinam formam, quae fortasse immutata erat, esse revocatum.

Ut autem ad propositum iterum veniamus, omissis aliis quam plurimis, quae hic afferri possent, quaeque ea respiciunt, quae ab aliquibus Auctoribus de desuetudine non solum, sed de abolitione hujus ritus, dubiis saltem, si non falsis auctoritatibus innixis, in medio proferuntur, advertere praestat, neminem sibi facile persuadere posse, quod Sacra Congregatio negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, nulla habita ratione ad ritus hujus antiquitatem et solemnitatem, neque ad Conciliorum et Sanctorum Patrum Sanctiones, hunc ipsum ritum, ut a quibusdam asseritur, voluisset praescriptum; facta enim hujusmodi assertionibus non respondent. Nam, ut refert Catalanus in suis ad Pontificale Romanum Commentariis, quum non multis a sua aetate annis (anno scilicet 1778) quidam Episcopus, cujus reticet nomen, ab eadem Sacra Congregatione petiisset, dari sibi facultatem consecrandi Virgines suae Dioecesis, Sacra Congregatio sapienter respondit, ut suo uteretur jure. Per Sacram itaque Congregationem hic consecrandarum Virginum ritus inter Episcopalia munia adnumeratur; nec aliter dici hoc etiam tempore potest, quum ritus iste in Romano Pontificali appareat insertus in apposito titulo: *De benedictione et consecratione Virginum:* jam neque ritum insertum, neque titulum appositum videremus, si Ritus ipse fuisset proscriptus, immo uterque fuisset delendus; inseritur autem et apponitur, quia revera alicubi adhuc extat, ut ex ipso Dubio liquet, et non multis ab hinc annis peractus est. Sane jure suo usus fuit, et pervetustum ritum servavit; ut alios

omittam: sa. me. Benedictus XIII., quum esset Episcopus, non semel Virgines solemni ritu consecravit, quod et peregit etiam dum esset Summus Pontifex, complures Moniales Benedictinas in Asceterio Sancti Ambrosii Romae benedicendo.

Ut autem singulari modo de Dubio et de data responsione agatur, quum quaestio quodammodo excitata videatur, an solae Moniales Ordinis Sancti Benedicti hunc ritum servent, sive an solum super his exclusive Monialibus servari hic Ritus debeat, pauca advertenda occurrunt eaque non despicienda. Non obscure Benedictus XIV. felicis recordationis in sua octogesima quinta Institutione videtur indigitare alias etiam Moniales, quae Ordini Sancti Benedicti nomen non dederunt, consecrationis Ritum, ut in Pontificali Romano reperitur et praescribitur, servare posse; siquidem in illa Institutione haec habet §. 11: *Statim ac Nos suscepimus hujus Ecclesiae* (Bononiensis) *administrationem cogitare coepimus: an reliquas quoque Moniales ritus hujusmodi participes facere teneremur, si necessariis conditionibus praeditae essent, ut velum Consecrationis reciperent. Id vero institutum ceteris Monialibus convenire duximus ob sacram ipsius vetustatem et ob consilium Sancti Caroli Borromaei, qui in quarta Mediolanensi Synodo sic decrevit: Ubi religiosus iste et vetus Moniales solemniter velandi mos his temporibus antiquatus est, ad pristinum usum ex veteri instituto et ritu revocetur; dummodo intra Monasterium fiat.*

Aliquam fortasse difficultatem promovere quis posset ex illis verbis Benedicti XIV.: *an reliquas quoque Moniales,* utrum scilicet, haec verba accipi ita debeant, ut sub illis intelligantur Moniales Ordinis Sancti Benedicti, quae nondum consecratae fuerunt, adeoque illae, conditionibus requisitis non deficientibus, ab Eo consecrari deberent: an vero de aliis quibuscumque Monialibus, quae diversam a Sancti Benedicti regulam sequuntur? Ast obvius verborum sensus suadet, de his verba accipi debere, nec ratio apparet cur de solis Monialibus Benedictinis intelligi debeant; nam neque Benedictus XIV., neque sanctus Carolus taxative et exclusive de Monialibus Ordinis Sancti Benedicti mentionem faciunt, sed simpliciter Moniales dicunt. Idem constat ex iis, quae in praecedenti paragrapho ipsius Institutionis habentur, in quo, ut quisque videt, non agitur, nisi de modo servando, de quo Cardinalis Boncompagni Sacram Rituum Cong. bis consuluit Anno scilicet 1698 et 1699.

Insuper §. VIII inquit Benedictus XIV.: *Et quamvis consecratio hujusmodi superiori tempore fere in desuetudinem abierit, ritus tamen ipsius retentus est, praesertim ab iis Monialibus, quae Sancti Benedicti disciplinam sequuntur.* Jam quisque videt per vocem *praesertim* clare innui ab aliis etiam diversi Ordinis Monialibus servatum fuisse hunc ritum, licet ab initio forsan fuerit proprius Monialium Sancti Benedicti, et pro iis adprobatus et institutus primario fuerit. Si secus diceretur, inutile prorsus videretur hanc vocem *praesertim* additam fuisse, quae quidem vox non est exclusiva aliarum diversi Ordinis Monialium, sed potius et istarum comprehensiva. Quapropter ea verba his aequivalere videntur enuntiationibus, et quamvis consecratio ejusmodi superiori tempore fere in desuetudinem abierit quoad reliquas Moniales, quae Sancti Benedicti Regulam non sequuntur, ritus tamen hic retentus est *praesertim,* hoc est principaliter et prae aliis ab iis Monialibus, quae Sancti Benedicti disciplinam sequuntur.

Demum hic ritus in romano Pontificali praescribitur et apposito singulari titulo legitur, ut supra notatum est: *De Benedictione et Consecratione Virginum.* Jam Pontificale Romanum ea continet, quae universim servantur et servari debent vel possunt, et si sunt singularia, sunt propria et privativa aut jurisdictionis aut Ordinis, et tunc vel in Codicibus Liturgicis quibuscumque tamquam propria ac singularia indicantur, vel totidem separatim vel exarantur, vel typis mandantur Libri, quot proprii sunt exclusive ritus. Jam Titulus hic generalis est pro Monialibus, non pro quibusdam Monialium Ordinibus, taxative confectus et appositus, non hanc vel illam Monialium Regulam comprehendit, hanc vel illam excludit. Moniales igitur omnes cujuscumque instituti hae sint in eo generico Titulo comprehensae censeri debent omnesque pariter ritum hunc *necessariis,* ut loquitur Benedictus XIV. *conditionibus existentibus*, ubi adhuc viget, sequi possunt.

Vigebat siquidem in Civitate Tarentina mos, ut Moniales Asceterii Clarissarum expleto vigesimo quinto aetatis Anno, solemni emissa Professione, velum benedictionis ab Archiepiscopo reciperent et ritus juxta Pontificale Romanum servabatur. Reverendissimus modernus Archiepiscopus ratus hunc ritum solis Sanctimonialibus Ordinis Sancti Benedicti competere, pro iisque tantum vel institutum vel servatum fuisse, de privilegio Clarissarum Monialium suae Civitatis moneri voluit, antequam ritum ipsum perageret. Et optime quidem, quum enim de privilegio agitur, constare de hoc debet, ne universali Legi et Juri communi sine ratione derogetur per exercitium privilegii suppositi et non obtenti. Moniales, ut ex facto apparet, de hoc ab ipsis constantissime servato Episcoporum docuerunt, illumque ritum pariter vel ab ipsa Asceterii illius origine ex constanti traditione acceperunt, retendum hujusque fuisse affirmarunt et ab aliis praedecessoribus Archiepiscopis perfectum observarunt. Sacra Rituum Congregatio, omnibus perpensis satis constare putavit de asserta traditione et de vetustissima hunc ritum servandi consuetudine et privilegio, quo Moniales Clarissae Tarentinae Civitatis fruebantur; nihil tamen certi decernere volens et difficultatibus ex parte Reverendissimi Archiepiscopi allatis fortasse permota, quamvis pro gratia confirmationis asserti privilegii pronunciaverit, ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo rescripsit, qui pro sua sapientia, per eumdem Secretarium Sacrorum Rituum Congregationis pro privilegii confirmatione benigne annuit, et Velum benedictionis emissa solemni Professione post Annum vigesimum quintum juxta Pontificale Romanum Monialibus praedictis Clarissis Tarentinae Civitatis concessit. Quae sane concessio, si ea perpendantur, quae superius sunt adnotata (non enim solis Monialibus Benedictinis iste ritus exclusive est reservatus), quaeque a Monialibus pro conservando vetustissimo privilegio allata sunt, non novum, quid stricte loquendo tribuit, sed potius obtenti jamdiu privilegii et vetustissimae revera servatae consuetudinis confirmatio habenda est. Ad quod confirmandum satis superque esse poterunt, quae praemissa fuerunt.

b) Dispensatio a ritu.

Vd. *Benedictio Monial.* (Antiquitas; *nota*).

Cum pro parte Abbatissae et Monialium Monasterii s. Marg. civitatis Bononiae expositum fuerit, ex undecim Sanctimonialibus, quae modo sol. velari postulant, altera ne parvulo quidem temporis spatio et propria cella discendere posse, prohibente gravi in-

firmitate; duas vero ex iisdem alias Monialibus talibus corporis dispositionibus ita habitualiter esse obnoxias, ut merito timeri possit, ne aliquo corripiantur deliquio, ut impares sint absolvendae longioris solemnitatis, qualis est Monialium velatio seu consecratio facienda in Ecclesia exteriori. Quare ne hae tres Moniales spirituali, quam summopere optant, consolatione priventur, Oratrices supplicarunt, ut non solum quoad tres Moniales infirmas, verum etiam quoad caeteras Moniales velandas pro hac vice tantum dispensare dignaretur super observatione Pontificalis rom., earumque sol. velatio fieri possit ad fenestellam vestitionum; quo vero ad supradictam Monialem actu et habitu infirmam atque impotentem accedendi ad consecrationem, annuendo permittere, ut inter missarum Solemnia a duabus Monialibus velum benedictum ad eandem deferatur. S. C. resp.: Pro gratia. n. 4326 die 11. Maji 1765.

c) Missa.

Vd. *Missa vot. de Sp. s.* (dies).

Si Actio vestiendi Moniales fit in Cathedrali, poterunt cantari duae missae, altera de dominica seu festo currenti, altera de Spiritu s. votiva, tamquam pro re gravi cum *Gloria*, *Credo et Praefatione de Sp. s.* et *sine* commem. Dominicae; si vero in Ecclesia Monialium, sufficit una de Sp. s., ut supra celebranda, alias de dominica; vel in utroque loco de dominica cum commem. de Sp. s. n. 2419 ad 4 die 13. Aug. 1667.

Ad dubium: an in vestitione aut processione Sanctimonialium die dominica vel festo dupl. liceat cantare Sacrum solemne de Spiritu s., an de die currenti? S. C. resp.: Esse abusum cantare de Spiritu s. omnino abrogandum. n. 3029 ad 5 die 24. Julii 1683. n. 3631 die 26. Aug. 1702.

Ex pervetusta consuetudine ac traditione in Ecclesia Monialium Ord. Cisterciens. Urbis est mos missam vot. de Spir. s. celebrandi, quoties aliqua virgo vel sol. habitum assumit, vel professionem emittit. Moniales porrexerunt preces, ut hanc consuetudinem S. C. confirmare dignaretur. S. C. resp.: In casu solummodo, de quo in precibus, de speciali gratia nullo unquam tempore in exemplum afferenda fiat commemoratio tantum Spir. s. in Missa de Officio currendi; dummodo non occurrat dupl. 1. vel 2. cl.; item dominica privil. tum 1. tum 2. cl. n. 4812 die 11. Mart. 1837.

37) Mulieris post partum.

Non licere Confratribus laicorum in eorum Oratoriis benedicere Mulieres post partum. n. 869 ad 1 die 20. Julii 1630.

Benedictionem mulierum post partum esse munus parochiale et ad ipsum parochum spectare. n. 899 die 8. Febr. 1631.

Canonicis Cathedr. non licere benedictionem mulieris post partum, sed ad parochum proprium privative spectare. n. 909 die 22 Mart. 1631. n. 3670 ad 6 die 12. Jan. 1704.

Ad dubium: An bened. mulierum post partum et fontis baptismalis sint de juribus mere paroch.? S. R. C. resp.: Negative, sed fieri debere a parochis. Die 10. Dec. 1703, approb. Clem. XI. 12. Jan. 1704.

Ad dubium: An jus benedicendi puerperas spectet privative ad Parochos? S. C. C. resp.: Negative. Die 3. Dec. 1718.

Ex relatione status Ecclesiae Wratislaviensis ad s. Congreg. ab Episcopo transmissa die 8. Martii 1858 sequens habetur postulatum: Rituale romanum dicit: an mulieres post partum illegitimum possint accipere benedictionem in ordine Sacramenti Ma-

trimonii post partum praescriptam. In multis Dioecesibus Germaniae valet antiqua consuetudo, hanc benedictionem tantum uxoribus impertiri vel viduis post partum posthumum. Quaeritur: an haec consuetudo sit rituali conformis et quatenus negative, an possit tolerari, ut praefata benedictio post partum illegitimum denegetur? S. C. resp.: Ad benedictionem post partum jus tantummodo habere mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt. Die 18. Junii 1859.

Ad dubium: An valeat parochus in ecclesiis Monialium Ordinario subjectarum, bened. mulieris post partum vel similia impertiri? S. C. C. resp.: Negative. 23. Aug. 1727.

38) Navis.

Functionem benedicendi Naves non esse parochialem, ideoque licere Canonicis s. Michaelis majoris illas benedicere intra limites parochiae cum cotta, stola, ministro, vase aquae s. et rituali sine licentia praepositi, cui et non capitulo curam adnexam esse expositum fuit. n. 2549 die 13. Junii 1671.

39) Nuptiarum.

Vd. *Nuptiae. Bened. annuli Nupt.*

40) Octava.

Cf. *S. Michael.*

Ad dubium: an in bened. 8. lectionis in Mat. Officii translationis s. Francisci vel aliis translationibus dici debeat:

Cujus festum vel *cujus translat. colimus?* S. C. resp.: *Juxta rubricas Brev. rom.* n. 2360 ad 3 die 13. Febr. 1666.

In Officio *s. Gabrielis* ejus festum colitur et in oratione ejus auxilium et patrocinium invocatur, prout quoque fit in Officio *s. Raphaelis*, sicut apparet in Oratione, quae dicitur in eorum Officiis; ideo dicendum esse: *Cujus festum colimus.* n. 3295 ad 5 die 13. Sept. 1692.

41) Oleorum in Coena Dom.

Vd. *Coena Dom.* (Consecr. Ol. s.)

42) Oratorii et Eccles.

(Facultas).

Vd. *Cappella domestica* (praecipue decr. n. 4565 ad 10)

Non potest simplex Sacerdos sine Mandato et licentia *Sedis Apostol.* benedicere Oratorium vel reconciliare Ecclesiam *pollutam*, cum id spectet ad Episcopum; sed si licentiam habuerit, eadem benedictione uti debet qua utitur Episcopus, ut in Pontificali. n. 351 ad 10 die 19. Maji 1607.

Vd. *Reconciliatio.*

Episcopus potest subdelegare tam Plebanum, quam alium sibi magis benevisum ad effectum *benedicendi*, non autem consecrandi noviter constructam Ecclesiam. n. 1545 die 7. Oct. 1645.

43) Palmarum.

a) Benedicens.

Vd. *Purificatio B. V. M.; Cineres; Evangel. in bened. palm.; Diaconus et Subd. in bened. palm. Bened.* (Jus).

Qui benedicit candelas, cineres et ramos, debet etiam cantare missam sequentem. n. 2363 ad 14 die 13. Febr. 1666.

Sacerdoti celebranti in Oratorio seu Cappella s. Annae Terrae Agerulae non competit jus benedicendi ramos in dominica palmarum. n. 3971 ad 1 die 5. Apr. 1727.

b) Coram exp. SSmo.

Ad dubium: An, quo modo, quove in Altari fieri debeat Benedictio Palmarum ante Missam celebrandam Dominica in ramis pro repositione SSmi. Sacramenti, expleta Oratione quadraginta Horarum?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi... respondendum censuerunt ut infra, videlicet:

„In casu, de quo agitur, si fieri debeat vel deceat, ut fiat benedictio palmarum, haec facienda erit in alio Sacello laterali, quo magis fert Ecclesiae structura, distante ab Ara Maxima, in qua SSmum. Sacramentum expositum est, servatis omnibus caeremoniis in Missali praescriptis, sed absque Processione.“

Atque ita responderunt et statuerunt. n. 4590 ad 10 die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, SS. cuncta benigne approbavit Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense, Anno, quibus supra.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Quum ex *fel. rec. Clementis VIII.* Institutione perpetua esse debeat Oratio quadraginta Horarum per Urbis Ecclesias certo ordine distributa, et dumtaxat intercipiatur post Missam Feriae V. in Coena Domini ad solemnem usque Missam Sabbathi S.; necesse est, ut in una alterave Ecclesia incipiat vel desinat etiam in Dominica, quae dat initium Majori Hebdomadae. Hinc orta dubitatio; num et quomodo Benedictio Palmarum in iisdem Ecclesiis fieri debeat vel possit. Nemini Dubium, quod liceat in Ecclesia assignata pro expositione: in illa namque Oratio non incipit, nisi post Missam, quae celebratur, expleta Palmarum Benedictione: non ita de altera, in qua terminum habere debet Oratio. Ibi adhuc venerationi Fidelium expositum est Sacramentum, neque reponitur, nisi post Missam diei, quae est de Dominica cum Oratione Sacramenti sub unica conclusione.

Eritne igitur omittenda Benedictio Palmarum, an potius Missae praemittenda? Si Romae obtineret instructio, quam dedit S. Carolus Borromaeus pro Ecclesia Mediolanensi, in qua Oratio quadraginta Horarum habuit initia, minime esset pro omissione haesitandum. Etenim S. Antistes, cum tempore Orationis populum vellet unice adorationi Sacramenti intentum, jussit, ne tempore expositionis ullae celebrarentur Missae aut alia persolverentur Officia, sed quoniam longe diversus est Ecclesiae Rom. Ritus, diversa etiam ratio tenenda est. Ubi fieri debet vel decet, ut fiat Benedictio Palmarum in die repositionis, componenda ita res est, ut s. haec actio populum non turbet nimisque distrahat ab Oratione: quamobrem consulendum, ut caeremoniis ab Ecclesia praescriptis fiat hujusmodi Benedictio in aliquo ex lateralibus Aris, quo magis potest, ab Altari expositionis distante; expediret etiam, ut fieret sine cantu. Verumtamen vel cum, vel sine cantu fiat, omittenda omnino est Processio. Si fieret, cantus versiculorum, egressus ab Ecclesia, illius forum occlusio et aperitio, pulsatio ab extra cum Crucis hasta, transitus ante Sacramentum, perturbationem gignerent et consequenter indirectam daret, etsi involuntariam, causam irreverentiae. Addam praeterea, quomodo, apertis januis, cani posset *R. Ingrediente Domino etc.*, dum revera Dominus, nemque Christus adorandus realiter et solemniter expositus est? Quod si Ecclesia sit nimis angusta, expedit potius, ut Benedictio Palmarum omittatur, quia si fieret, vix posset absque periculo scandali et irreverentiae. Responsum autem S. C. ad praesens dubium dat regulam servandam, si occurrat SSmi. Sacramenti repositio in

die Festo Purificationis B. M. V., et Fer. IV. in capite jejunii, in quibus ante solemnem Missam fit Benedictio candelarum et cinerum.

44) Papalis.

a) Forma et Ritus.

ALEXANDRINA.

Quum Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium enodandum proposuerit Capitulum Cathedralis Alexandrinae Ecclesiae, nimirum: An ritus et formula dandi Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria post Missam Solemnem juxta formulam praescriptam Episcopis, substitui possit ritui et formulae dandi Benedictionem solemnem juxta Caeremoniale Episcoporum, dicto - Placeat -, adeo ut dicto-Placeat -, omissa Benedictione solemni, impertiri possit Benedictio Apostolica, ut supra? Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes sub infrascripta die coadunati ad relationem Secretarii rescribendum censuerunt: „Negative et servetur ritus, ac forma in Rom. Pontific. praescripta.“ Die 23. Maji 1835. n. 4737.

b) Genuflexio.

Vd. *Bened. Episcopi* (genufl.)

Ad dubium: An Canonici Dignitates et Portionarii parati vel non parati, dum accipiunt solemnem benedictionem ab Ep. nomine summi Pont. impertitam, debeant se inclinare vel genuflectere?

Et S. eadem C... rescribendum censuit: „Pro qualitate Personae vel inclinare vel genuflectere.“ n. 5013 ad 2 die 14. Junii 1845.

c) Extra Pontificalia.

Luigi Reggianini Vescovo di Modena per la sua avanzata età, ed indebolita salute non potendo più pontificare nelle maggiori ricorrenze senza grave pregiudizio della medesima, prostrato al Trono della Santità Vostra, implora la facoltà d'impertire la Benedizione Papale, ancorchè assista soltanto alla Messa solenne. Che ec.

SSmus. D. N. Pius IX. P. M., referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis, de speciali gratia benigne annuit juxta preces, quando revera Ep. Orator nequeat ob salutis incommoda Pontificalia exercere.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5060 die 15. Jan. 1847.

d) Promulgatio.

CONSTANTIEN.

Quum Rmus. Constantien. Ep. comperiat sibi commissos Christifideles non paucos abscedere ab Eccles. explet Missa Pont., etiam in duabus Solemnitatibus, queis Ep. ipse nomine Rom. Pont. Populo benedicere debet cum Plenaria omnium peccatorum Indulgentia, ac proinde a S. R. C. humillime expetierit, ut in hac ipsa Benedictione dispensetur ab onere legendi duplici vice Breve delegationis Apost., ac simpliciter annunciare Plenariam Indulgentiam, ne populus abscedat; S. eadem C. ad Vaticanum subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente Secretario, rescribendum censuit: „Juxta Pontificale Rom.“ Die 7. Dec. 1844. n. 4983.

CORISOPITEN.

Quum Rmus. Corisopiten. Ep. S. R. C. sequentia Dubia enodanda proposuerit, nimirum:

1. An lectio Litterarum Apostol., queis Episcopo conceditur facultas impertiendi solemniter Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in Cath. Corisopiten., quae est etiam Parochialis, fieri possit post decantatum Ev., non vero in fine Missae, uti injungitur in scripto,

cui titulus *Ritus et formula Benedictionis Apostolicae?*

2. Utrum Apost. hujusmodi Litterae legi debeant latino et vernaculo, seu patrio sermone? Et quatenus affirmative, idem Ep. supplicat ut saltem latinam omittere possit, ne Populus gravetur.

3. An lectio versionis hujusmodi Litterarum debeat esse integra, vel sufficiat exprimere Pontificem concedentem, Episcopum, cui facultas impertitur, et naturam gratiae, seu Indulgentiae concessae?

Quae singula Dubia dum S. R. C. ad Quirinale subsignata die coadunata ad relationem infrascripti Secretarii sedulo perpenderet, satius sumpsit consilium, ut ad Ecclesiam Corisopitensem extenderet Indultum Ecclesiae Rhedonensi hac ipsa die concessum, nimirum ut Apostolicae Litterae, quibus facultas conceditur impertiendi Benedictionem Apost. cum Indulgentia Plenaria, legantur integrae, sed tantum vulgari, seu patrio sermone, attamen expleta Missa, et ad Secretarium cum SSmo. Die 27. Febr. 1847. Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio IX. P. M. per Secretarium fideli relatione, S. S. S. C. Rescriptum adprobavit, atque Apostol. Auctoritate sua in omnibus confirmavit. n. 5067 die 5. Mart. 1847.

Etsi Rmus. Rhedonen. Episc. usque adhuc curavit, ut in die solemni Paschae et in Festivitate S. Petri et Pauli, quibus diebus solemniter Benedictio Apost. Populo elargitur, Apost. Litterae, quibus Indulgentia Plenaria conceditur, legerentur cum latina lingua, uti conscriptae sunt, tum vulgari idiomate gallico; attamen comperuit latinam hujusmodi lectionem adeo gravem Fideles experiri, utpote illam non intelligentes. Hinc S. R. C. humillimis precibus adiens idem Rmus. Antistes efflagitavit, utrum deinceps hanc latinam lectionem earumdem Litterarum omittere possit, atque unicam retinere gallicam versionem; et quatenus negative, Apostolicum dispensationis Indultum enixe rogavit.

Et S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata, referente Secretario, rescribendum censuit:

„Affirmative ex gratia speciali, et ad D. Secretarium cum SSmo.“ Die 27. Febr. 1847.

Facta autem hodierna die SSmo. D. N. Pio IX. P. M. per Secretarium fideli relatione, S. S. Rescriptum S. C. adprobavit, confirmavitque. n. 5074 die 5. Mart. 1847.

e) Quoties in die?

Ad dubium: an Benedictio Papalis impertiri possit bis in die? S. C. resp.: *Negative.* n. 4443 die 11. Sept. 1790.

f) Transferri potestne?

TARVISINA.

Rmus. Tarvisin. Episcopus S. R. C. humillimis adiens precibus, rogavit solutionem insequentis Dubii, nimirum: An Episcopus, qui ex Apostolico indulto bis in Anno Solemnem Pontificiam Benedictionem Populo dare potest, quoties rationabili ex causa Missam celebrare consuevit, an pro illa die, et vice censeri possit praeditus eadem delegata Auctoritate Populo benedicendi?

Et S. eadem C. in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die coadunata, ad relationem proprii Secretarii rescripsit: „Negative.“ n. 4763 die 8. Aug. 1835.

45) Paramentorum, calicis etc.

a) Ab Episcopo facienda.

Non possunt Episcopi de licentia Dioecesani benedicere calices, patenas, cruces, paramenta, vestes Sacerdotales et similia *privatim* et sine solemnitate. n. 1400 die 28. Junii 1642.

Vd. *Bened.* (suppellect.)

b) A Dignitariis et Abbatibus etc. facienda.

Non possunt Vicarii etiam Protonotarii benedicere paramenta ecclesiastica, Corporalia et similia etiamsi sint Protonotarii. n. 696 die 17. Jul. 1627.

Vd. *Abbas; Usus Pontifical.* (praecipue decr. n. 1856); *Bened.* (supell.)

Abbates, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Jesu et alios quoscunque habentes privilegium benedicendi sacras vestes..., dicto privilegio uti non posse, nisi pro servitio dumtaxat Monasteriorum et Ecclesiarum propriarum. n. 952 die 13. Mart. 1632; 24. Aug. 1609.

Fratribus Minor. Observ. Refor. s. Francisci Montis Politiani non licere benedicere habitus Sacerdotales Clericorum et Personarum non subjectorum. n. 2379 die 18. Sept. 1666.

Abbates, Priores, Guardiani et alii Religionum Praelati possunt benedicere paramenta et vasa s. ad usum propriarum Ecclesiarum. n. 3775 ad 1 die 27. Aug. 1707.

Ad dubium: Utrum Abbates, Priores, Guardiani et alii Religionum Praelati possint vasa, in quibus s. unctio adhibetur, benedicere pro servitio tam propriarum Ecclesiarum, quam etiam saecularium? S. C. resp.: Ad primam partem quoad habentes usum Pontificalium, affirmative, quo vero ad non habentes usum Pontif. negative; et quoad secundam negative. n. 3775 ad 2 die 27. Aug. 1707.

Et quatenus negative: an eadem paramenta et vasa s. sint denuo benedicenda et resp. consecranda? S. C. resp.: *Negative. Ibid.* ad 3.

46) Quae est?

Vd. *Benedictio Sacerdotis extra Missam* (decr. n. 4782 *nota*).

47) Pro omnibus rebus.

PETROCOREN.

Ante reassumptionem Liturgiae Rom., quae jam ex integro in Dioec. Petrocorensi locum habet, erat in usu peculiaris quaedam benedictio pro omnibus rebus adhibita, quae in Rituali Rom. ceteris non accensentur. Quum autem benedictio haec maxime desideretur ab omnibus, et perdifficile prorsus esset illam eliminare, S. R. C. humillime rogavit Rmus. Petrocorensis Ep., quatenus Apost. Auctoritate juxta sancitas leges roboretur, ut etiam in posterum illa uti liceat ad Fidelium votis satisfaciendum. Formula autem benedictionis haec est:

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit Coelum et Terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu Tuo.*

Oremus.

Deus, cujus verbo sanctificantur omnia, bene ✝ dictionem tuam effunde super Creaturam istam (vel Creaturas istas), et praesta, ut quisque ea, (vel eis) secundum legem, et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem SSmi. Nominis Tui, corporis sanitatem et animae tutelam, te auctore, percipiat. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

Deinde illam (vel illas) Sacerdos aspergit Aqua benedicta.

Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata post auditam relationem a Secretario factam rescribendum censuit: *Pro gratia et ad Emum. Praefectum cum Promotore fidei.* Revisa propterea ab Emo. et Rmo. D. Card. Aloysio Lambruschini Ep. Portuen. S. Rufini, et Centumcellarum S. R. C. Praefecto, una cum R. P. D. Andrea Maria Frattini S. Fidei Promotore, supradicta Benedictionis communis formula, illam S. C. adprobavit, atque a Clero Civitatis et Dioec. Petrocorensis adhiberi posse permisit. Die 11. Sept. 1847.

Super quibus omnibus facta postmodum SSmo. D. N. Pio Papae IX. per subscriptum Secretarium relatione, S. S. benigne annuit, Rescriptumque S. C. confirmavit. n. 5119 die 20. Sept. 1847.

48) Cum s. Reliquia etc.

a) Genuflexio.

Cf. *Reliquia* (genufl.).

Ad dubium: Ad Benedictionem cum Reliquia vel insigni Imagine alicujus S. estne tam a Clero etiam parato quam a populo genuflectendum? S. C. resp.: „Consuetudinem servari posse.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 17 die 16. Aprilis 1853.

b) Jus et Modus.

Vd. *Bened. Episcopi cum reliquia; Velum in benedictione cum reliquia etc.; Reliquia* (veneratio etc.; decr. n. 4956).

Post processionem reliquiarum posse impertiri populo benedictio cum reliquiis, sed nullam adesse obligationem. n. 3025 ad 1 die 24. Julii 1683.

In quadam Cathedrali exponitur lignum s. Crucis tam in festo Invent. quam in altero Exaltationis. In festo Invent. celebrat Canonicus, qui cum illo populo benedictionem impertit; in secundo Beneficiatus, qui sine benedictione illud reponit. Quaeritur: an haec consuetudo attendenda sit, vel potius populus sit benedicendus etiam a Beneficiato? S. C. resp.: Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam. n. 4536 ad 12 die 4. Junii 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Etsi nulla sit Rubrica, quae praecipiat populo impertiendam esse benedictionem cum vivificae Crucis Reliquia post ejusdem ostensionem aut expositionem: mos tamen invaluit, ut id fiat. Dum in Basilica Vaticana ex alto podio Crux, Lancea, Sudarium statis diebus vel aliis datis occasionibus, solemniter ostenduntur, haud reconduntur in custodia, nisi prius aut Episcopus aut Canonicus Sacerdos cum iisdem confluenti populo benedixerit. Quod etiam accidit in aliis insignioribus Urbis Basilicis, in quibus populo ostenduntur S. Lypsana, si aliqua adsit Reliquia Redemptoris N. J. Chr. Sanguine contactuque consecrata. Quid si res sit de Expositionibus aut Processionibus, in quibus eadem SSmae. Crucis Reliquia circumfertur? S. hujus C. habemus responsum de benedictione populo cum eadem elargienda. Siquidem rogata: An quando, post aliquam S. Crucis Expositionem vel Processionem reponitur, benedicendus sit populus cum ipsa, ut nonnulli in hac provincia practicant, licet hujusmodi benedictio saltem relate ad Processionem, teste Tonellio S. Rit. lib. 3. cap. 2. §. 4 num. 6 nullibi praescribatur? in Brixien. sub die 15. Sept. 1736 respondit: Affirmative. Quod sane responsum, cum positivum sit, firmat regulam, quod danda sit cum Crucis vexillo benedictio post ejusdem Processionem et Expositionem. Id quod magis declaratur ex diversa formula, qua usa est eadem S. C. relate ad Reliquias in genere. In Albiganen. die 24. Julii 1683 ad dubium: Utrum post Processionem Reliquiarum impertiri populo debeat benedictio cum Reliquiis? haud positive respondit, sed fieri posse censuit: Posse, nullam tamen adesse obligationem. Magnum quippe intercedit discrimen inter Reliquias Sanctorum, et instrumenta Passionis D. N. J. C. Cum igitur in Cathedrali, de qua agitur, in Festo tam Inventionis, quam Exaltationis SSmae. Crucis s. exponatur Reliquia, populus cum ea benedicendus erit ante repositionem, vel Canonicus sit qui celebrat, vel Beneficiatus. Non enim benedictio pendet

a dignitate personae celebrantis, sed impertienda est ratione qualitatis Reliquiae.

Post aliquam s. Crucis expositionem vel Processionem benedicendus est populus cum ipsa. n. 4051 ad 1 die 15. Sept. 1736.

Ad dubium: an sint dandae benedictiones populo cum reliquiis SS. . . . in fine singularum processionum fieri solitarum? S. C. resp.: Servetur solitum. n. 4338 ad 5 die 16. Decbr. 1766.

Ad dubium: Quum in Dioecesi Lucionen. sicut in multis Galliarum Dioecesibus Sacerdos benedicendo Populum cum Sanctissimo Sacramento dicat cum cantu verba: *Benedicat vos omnipotens Deus Pater etc.*, an possit aut debeat idem ritus servari etiam in benedictione cum Ligno Sanctissimae Crucis? S. C. resp.:

„Non licere juxta Decretum in una Caputaquen. diei 9. Februarii 1762."

Die 23. Maji 1835. n. 4743 ad 3.

49) Sacerdotis.

a) In Missa.

In Missa solemni, cum datur benedictio in fine, semel tamen produci debet signum crucis super populum a Sacerdote celebrante. n. 15 ad 3 die 16. Mart. 1591.

Si ex necessitate missa in altari, ubi est expositum SSmum., celebrari opus esset, populus est benedicendus more consueto et non cum SSmo. n. 2542 ad 6 die 13 Junii 1671.

De *Origine* bened. Sacerd. in fine missae, vd. *Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 *nota*).

b) In Missa de Req.

Abusum esse et consuetudinem, ut in fine Missae de Requie detur a Celebrante benedictio. n. 281 die 24. Sept. 1605.

c) Extra Missam.

Ad dubium: Utrum liceat simplici Sacerdoti Superpelliceo, et Stola induto post Vesperas, Litanias, et Preces immediate Altare ascendere et Populum dimittere, cum benedicendo nuda manu per verba: *Benedictio Dei omnipotentis etc.* ut praescribitur a Rituali post Communionem extra Missam?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit: „Affirmative, si adsit consuetudo."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4782 ad 4 die 27. Aug. 1836.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Peropportunum valde videtur nonnulla hoc in loco in medium proferre tam de benedictionibus Ecclesiasticis in genere, earumque origine et antiquitate, quam de benedictione, quae datur in fine Missae, priusquam de ea benedictione agatur, de qua sermo est in dubio, quae fortasse ad illarum similitudinem dari coepit. Itaque Benedictio Ecclesiastica est precatio quaedam, qua aliqua sanctitas confertur, et illa proprie dicitur quae fit nomine Ecclesiae, et ex auctoritate a Deo ei concessa, quando nempe quis ratione sui muneris, quo fungitur, petit a Deo ut vel personis, vel rebus bona convenientia tribuat. Deus enim posuit Sacerdotes et Ministros Ecclesiasticos dispensatores benedictionum suarum, uti docet eruditissimus Jacobus Eveillon Canonicus Andegavensis Ecclesiae in lib. *De processionibus Ecclesiasticis*, et probat ex cap. 6. *Numerorum*, ubi per Moisen locutus est Aaron et filiis ejus. *Sic benedicetis filiis Israël, et dicetis eis: benedicat tibi Dominus, et custodiat, et ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum propter filios Israël, et*

ego benedicam eis. Hinc ipsum Numerorum locum inter alios interpretatus est S. Doctor Petrus Damiani ad cives Florentinos scribens his verbis: *Dominus in lib. Numerorum de Sacerdotibus ait: Invocabuntque nomen meum super filios Israël. Ego benedicam eis. Sacerdos quippe Dominum super hominem verbis invocat, sed ipse super eum Dominus benedictionem efficaciter format. Effectus itaque benedictionis non ex merito Sacerdotis constat, sed hanc invocatio divini Nominis administrat, ut quod ex ore sonat hominis intus impleat Creator, et per indigni saepe hominis ministerium Divina virtus suum veraciter efficit sacramentum.* Deo itaque operante in ministerio Sacerdotali benedictio Ecclesiastica suum sortitur effectum, non quidem ex opere operato ad instar Sacramentorum, sed ex vi precum Ecclesiae, quae cum Christi sit sponsa non potest non exaudiri ab eo pro merito et dignitate sua, quando aliquid pro filiis petit. Tota itaque benedictionum Ecclesiasticarum vis posita est in oratione et invocatione Ecclesiae, quae fit per suos ministros; hinc est, quod non aliis formulis, non aliis verbis uti quisque benedicendo debeat, quam iis, quae ab Ecclesia sunt constituta: *Ita,* inquit memoratus Eveillon, *Ecclesia divino Spiritu edocta omnium rerum benedicendarum formulas conceptis verbis definivit in libris Ritualibus, ut sciant Sacerdotes quid in singulis et quomodo petendum sit, ne scilicet temere et pro arbitrio loquendo ab ejus institutione, proposito, et fine excedant, et sic optatis decidant.* Haec in generale de Benedictionibus advertuntur, sed aliud aliquid hic addere juvat, quod non inopportunum videtur. Ex communi Theologorum sententia benedictiones duplicis sunt generis. Aliae *invocativae* dicuntur, aliae *constitutivae* appellantur. Invocativae benedictiones illae sunt, quibus Dei benignitas invocatur, ut vel personis, vel rebus pro benedictionis diversitate, et vario rerum benedicendarum usu aliquid boni tribuat, easque a malo vindicet, non tamen immutato earum statu. Hujusmodi sunt benedictio Episcopalis, ea quae datur post Confirmationem, ea quae datur a Celebrante Diacono Evangelium lecturo, et quae ab ipso Celebrante nunc datur populo in fine Missae, aliaeque hujus generis multiplices benedictiones, ut vinearum, frugum, esculentorum, aliaeque innumerae, quarum formulae habentur in libro Sacramentorum S. Gregorii, in Ordinibus Romanis, et in recentioribus Ritualibus; quae omnes sunt boni alicujus adprecatio. Harum benedictionum virtute, licet aliquod vel temporale, vel spirituale bonum divinitus ex Ecclesiae intentione tribuatur, vel rebus, vel personis, super quibus nomen Domini invocatur, tamen hae in suo naturali statu remanent, nec in sacrarum rerum ordine possunt adnumerari. *Constitutivae* vero benedictiones illae dicuntur, per quas personae, vel res benedictae ad divinum cultum destinantur, et in statu permanenti rei sacrae constituuntur: ita ut receptum per benedictionem hunc statum amplius non immutent, neque ad profanum statum, aut usum redire possint, aut profanae ullo modo considerari, vel effici valeant.

Hae autem multiplices sunt; quaedam enim spectant ad aliquid simpliciter sacrum significandum; quaedam destinantur ad Dei cultum, et certa nostrae Religionis officia et ministeria, uti Episcopi, Sacerdotes et reliquorum Ordinum S. Ministri, vasa sacra etc. Quaedam vero ita benedicuntur, ut ad aliarum rerum benedictionem praeparentur, uti sunt s. Chrisma, Oleum catechumenorum, quibus in consecratione vel ordinatione juxta diversum

Pontificalis praescriptum inunguntur Episcopi, Sacerdotes, et Fontis baptismalis benedictio peragitur. Haec omnia cum per benedictionem seu consecrationem in jus Domini transierint, et sacra sint facta, nequeunt in usum hominis adhiberi, aut ad profanum usum transferri juxta celebrem Juris canonici regulam in cap. 51 de Regulis Juris in VI.; *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Hinc quae sunt constitutiva benedictione consecrata in suo semper manent consecrationis statu, quae autem sunt benedictione tantum invocativa benedicta, licet statum possint immutare, et aliquo modo ad humanos usus adhiberi, ad profanos tamen numquam possunt, quemadmodum plerique, et magni nominis auctores sentiunt; sed haec investigare alienum prorsus esset a proposito.

His generice de benedictionibus adnotatis, nullum dubium est benedicendi ritum vetustissimum esse; hic enim reperitur in veteri Testamento, et ex eo eruitur quod elevatis manibus perficiebatur, ut legitur Esdrae cap. 8. num. 6: ***Et benedixit Esdras Domino Deo magno, et respondit omnis Populus Amen, Amen, elevatis manibus suis, et incurvati sunt et adoraverunt Deum proni in terra.*** Hoc autem fiebat in signum invocandi Altissimum. Sic etiam in juramentis peragebatur quemadmodum legitur Danielis cap. 12 num. 27: *Cum elevasset dexteram et sinistram suam in coelum et jurasset per viventem in aeternum.* In Sacris litteris de hujusmodi actibus saepe fit mentio. Et ideo Christus Dominus, dum in coelum ascendit, elevatis manibus, benedixit Apostolis, sicuti in Evangelio Lucae notatum reperitur, quae fuit vera super eos benedictio, sive super illos bonorum adprecatio. Apostoli super fidelibus per manuum pariter elevationem, quasi a Deo susciperent benedictionem, quam impertiebant, fidelibus bona adprecabantur. Deinde ex ipsa apostolica traditione inter Christianos, manibus in coelum prius elevatis, et facto Crucis signo, per quam mundo salus facta est, ex qua bona omnia dimanant, et in qua per Christi mortem humani generis redemptio perfecta est, facto, ut supra, Crucis signo, dari coepit benedictio, quem ritum haud errare putandus esset qui asseveret a Christo Domino in praefato Ascensionis die ortum suum habuisse, ad cujus similitudinem, peracta Missa, benedictio populo confertur. *Et enim*, scribit Amalarius lib. 2 de offic. c. 26. ***Dominus ante Ascensionem in coelos, duxit Apostolos in Bethaniam, ibique benedixit eis, et ascendit in coelum. Hunc morem tenet Sacerdos ut post omnia Sacramenta benedicat populo atque salutet, deinde revertitur ad orientem, ut se commendet Domino.***

Ecclesia itaque ex veteri Testamento, et ex Christi Domini exemplo sumpsit benedictionum ritum, quem semper retinuit; *quemadmodum enim,* scribit Rhabanus Maurus, ***in Numeris Deus certam formam populo benedicendi Aaroni et Sacerdotibus veteris legis praescripsit, ita quoque usus Ecclesiae, quae multiplices benedictiones in diversis rebus habet.***

Priusquam autem directe et specialiter de benedictione agatur, de quo in dubio sermo est, haec benedictio dabatur olim a Sacerdote immediate post communionem, ut ex adducta auctoritate patet, et ex quamplurimis auctoribus colligitur; soli autem Romano Pontifici licitum erat in fine Missae populo benedicere, juxta Rudolphum propositione 23.; itaque reliqui Celebrantes Sacrum divinum absolvebant per illam orationem *Placeat*, quod ex sequentibus verbis patet: *Finitis omnibus, osculato Presbyter altari dicit: Placeat tibi Sancta Trinitas: deinde*

s. vestibus se exuat; ita ord. Romanus. Haec autem oratio *Placeat* in pluribus reperitur Sacramentariis post saeculum nonum scriptis. Eam Sacerdos secreto recitat; *est enim*, ut observat Benedictus XIV. in suo opere de sacrosancto Sacrificio Missae lib 2. cap. 24 §. 5, *pro ipso peculiaris oratio, eamque dicit inclinatus, ut aequum est ad altare, siquidem ad Sanctissimam Trinitatem dirigit.* Idem ut supra legitur in quodam antiquo Caeremoniali Mileti anno 1609 exarati. Sic etiam observant Carthusiani, qui benedictionem non dant in fine Missae, nec Evangelium S. Joannis in fine recitant, ut notat Puget tom. 2. Institutionum catholicarum pag. 890, cum quo concordat Ritus olim Cisterciensium: rationem ejus Ritus affert Joannes Bacossen in expeditione Missae Basileae exarata anno 1419, *eum scilicet qui populum non habet, nec benedicere.* Hodie tamen Carthusiani, si in Templis celebrent, quae non sunt sui Ordinis, populo benedicunt, ut colligitur ex eorum recentioribus Constitutionibus stat. 3 cap. 1 n. 58. In veteri Dominicanorum ordinario lib. 2, ut refert Marcellus de Cavaleriis Statera sacra tit. 29 num. 50 ita legitur: *Et si consuetudo patriae fuerit et extranei fuerint hoc expectantes, dent benedictionem juxta morem patriae.* Ideo autem benedictio, ut supra notatum est, post communionem dabatur, ut qui Eucharistiam non susciperent, saltem cum illa benedictione discederent, quemadmodum sentit Micrologus, sicut hodie Sacerdotes qui post Missam vel extra eam solent communicare, dant benedictionis signum in fine illius communionis pro non communicatis.

Diversa quoad benedictionem, quae datur in fine Missae, fuit Ecclesiae disciplina. Siquidem simplex Sacerdos nequibat olim benedictionem populo impertiri juxta can. *Ministrare 26. q. 6: Benedictionem quoque super populum in Ecclesia fundere Presbytero penitus non licere.* Hoc autem Sacerdoti nunc permittitur, postquam divinum Sacrificium peregit: dictum est *permittitur*, si enim totam dictam antiquitatem perscrutemur, neque id Presbytero simplici licitum olim erat, ut notat *Benedictus XIV.* tum *in Constitutione 48.* in cujus initio agit de solemni benedictione, quae ab Episcopis datur, quod ad praesens dubium nullimode pertinet, tum *in opere de Sacrificio Missae.* Etsi enim, ut ipse in utroque loco observat, in usu semper fuerit, ut re divina peracta populus cum benedictione ab Ecclesia dimitteretur, id tamen non a Sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo si praesens aderat, vel eo absente ab Archipresbytero, jussu ipsius, praestabatur, et hoc in sensu explicari juxta ipsum debet Decretalis *in cap. Officium de officio Archipresbyteri,* ubi inter archipresbyteralia munera recensentur *Benedictiones presbyterales in Ecclesia dare,* prout advertit etiam Gonzales in idem caput *Officium num. 2,* quod ante plane comprobaverat Sausses in Penoplia Sacerdotali pag. 558. Haec tum ex jure, tum ex antiquitate, et monumentis eruuntur; et hinc est, quod de hac benedictione silent omnino Amalarius, Floras, Walfridius et Renisius saeculi IX. Scriptores: ejus tamen mentionem facit Micrologus, ut supra relatum est. Ast ex multis saeculis contraria nunc viget disciplina, ex qua facultas Sacerdoti celebranti facta est benedictionem super populum impertiendi absoluta Missa: immo nunc praescribitur a Rubrica, ut Sacerdos populo benedicat; sic enim legitur in ordine Missae *de benedictione in fine Missae: et Evangelio S. Joannis dicto... extensa manu dextera, junctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita semel benedicit populo*

dicens: etc. Mittuntur hic quae a Rubrica juxta diversos casus adduntur; inopportunum enim esset ea in medium proferre. Rationem autem benedicendi populo multis ab hinc saeculis affert *Bellotus in Ritibus Laudunensis Ecclesiae parte I. pag. 136. num. 9: At cum benedictio ad Missae perfectionem pertineat: hodie ab incepto Sacro recedere nec jure queat populus ante benedictionem egredi ex praecitata Agatensi Synodo quatenus integrae Missae non interesset quisquis praemature recederet; sequitur facultatem cuilibet Celebranti concessam esse privatam illam benedictionem ad finem Missae ubique locorum impertire,* quod quidem commemorat Quartus *ad Rubricas Missalis pag. 386 in dubiis conscientiae.* Juvat hic addere quod habetur in can. *Ecce ego D. 11, 95; Nemo Episcoporum invidia diabolicae tentationis inflatus irascitur in Templo si Presbyteri interdum exhortentur plebem, in Ecclesiis praedicent, si plebibus, ut dictum est, benedicant:* quae verba probant simul et olim Episcoporum tantum fuisse benedictionem impertiri, et nunc simplicibus etiam Sacerdotibus inesse facultatem.

Quod vero et simplices Sacerdotes benedicere possint in Missa, et quod hic ritus a multis saeculis invaluerit liquido constat, aliis silentibus auctoribus, praeter supra allatum Micrologum etiam ex iis, quae habet Guido Abbas, qui saeculo X. circiter vel XI. vixit: loquitur enim ipse de consuetudine, quae aetate sua invaluit ut Presbyteri sub finem Missae populo benedicerent, ita enim scribit: *Hinc et illa consuetudo apud modernos, quae non fuit apud antiquos, inolevisse videtur, ut in aliis temporibus etiam Presbyteri post finem Missae benedicant, ne populum ita benedictione et communione privatum discedere permittant*; et alibi: *Adeo in usum jam usquequaque venit benedictio, ut nequaquam absque gravi scandalo a Presbyteris in populo praemitti possit, nisi forte Apostolica Sedes generaliter et synodaliter prohibere voluerit.* Jam ex his verbis eruitur benedicendi ritum praefati auctoris aetate in consuetudinem transiisse, et grave scandalum in populo suscitasse hujus benedictionis in fine Missae praetermissionem. Jam si haec consuetudo ea aetate inolevit, argumentum desumptum ab aliorum auctorum pene coëvium silentio, nihil erui potest in contrarium.

Aliquando, placet et hoc addere, sive per abusum datae facultatis Presbyteris benedicendi populo post Missam, sive alia quacumque ratione, Sacerdotes populo benedicebant ac nunc Episcopi ternis Crucis signis. Hinc autem ritus sublatus fuit a. s. m. Pio V. qui in solemnibus Missis dumtaxat eum voluit adhiberi. At postmodum Clemens VIII. statuit, ut Presbyteri in Missis etiam solemnibus unico Crucis signo populo benedicant, videri potest apud Martenium Tom. 1. pag. 243.

Ex allatis superius verbis, quae in canone *Ecce ego* leguntur, licet plerique cum Glossa sentiant illud *benedicere* generaliter declarare benedictionem, quae populo traditur a Sacerdote, qui divinum Sacrum perficit tantum; ita eodem tempore interpretantur, ut intelligi possit de quacumque benedictione, quam Sacerdotes manu impertiuntur post aliquam Ecclesiasticam actionem, puta post preces in novendalibus, aliasque hujusmodi, post Litanias, ut in dubio; nam cum haec sit ex benedictionibus, quae invocativae appellantur, per quas Dei benignitas invocatur, ut vel personis, vel rebus benedicendis aliquid boni tribuatur, eaedem a malo liberentur, quis prohibeat ut recitatis precibus Sacerdos populum cum hac benedictione, sive

adprecatione dimittat, ut domum suam ab Ecclesia discedat. Fatendum quippe est auctores omnes loqui semper de benedictione a simplici Sacerdote danda in fine Missae, de qua supra sermo fuit, quamque impertiri populo antiquis temporibus ei non licebat. Sed cum nulla super hoc benedicendi ritu extra Missam extet prohibitio, cum bonum aliquod spirituale, vel etiam temporale per hanc benedictionem ex divina benignitate Sacerdos adprecetur, cum denique haec consuetudo quasi undique invaluerit, atque hinc jure putandum est aut expresse aut saltem tacite factam esse vel fieri Sacerdotibus ab Episcopis Dioecesanis hanc populo extra Missam benedictionem impertiendi facultatem. His innixa rationibus S. R. C. affirmative respondendum huic dubio censuit: *si adsit consuetudo.* Consuetudo enim haec nec ulli adversatur prohibitivae legi, et bonum semper aliquod a Deo per eam populus sperare potest, quod ei Sacerdos a Deo quem invocat, adprecatur.

d) Finita processione.

Toleranda est consuetudo, quod hebdomadarius vel alius Canonicus post processionem in festo s. Agathae v. et m. stans ad altare majus benedicat populum habens tantum superpelliceum et stolam sicut in aliis processionibus, in quibus defertur reliquia, cum alba, stola et pluviali. n. 3477 ad 22 die 5. Julii 1698.

50) Cum SS. Sacramento.

a) Assistentia Canonicorum.

Canonicos Collegiatae debere Abbati assistentiam praestare, quandocunque solemniter cum processione repositurus SS. Sacramentum cum illo populo benedicit. n. 1947 die 7. Dec. 1658; n. 1960 die 15. Febr. 1659.

b) Benedicens.

(Habitus.)

Cf. *Stola in bened. SSmi.; Pluviale* (in process. SSmi., decr. n. 5228.)

c) Benedicens non petit facultatem ab Episcopo praesente.

Vd. *Diaconus; Episcopus assist. benedictioni SSmi.*

Ad dubium: an in expositione SSmi. Sacramenti, praesente Ep. genuflexo, Celebrans dum pervenit ad Altare, debeat ei reverentiam praestare, et dum ascendit ad impertiendam Fidelibus benedictionem, facultatem cum actu obsequii ab eodem postulare?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Negative ad utrumque."

Atque ita rescribere S. C. rata est, et declarare. n. 5063 ad 6 die 27. Febr. 1847.

d) Cantus vetit. est.

Vd. *Pangue lingua. Organum ad bened. cum SSmo.; Cantus* (cor. SSmo.) *Bened. cum SSmo.* (quando). *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 21.

Benedictionem cum SSmo. *in fine* hymni *Pangue lingua* et non ad Versiculum *Sit et Benedictio* esse dandam. n. 1124 die 5. Febr. 1639.

In benedicendo populum cum SS. Sacramento Celebrans nihil dicere, Cantores et Musici nihil quoque canere interim debent ad praescriptum rit. rom. et Caer. Episc., non obstante quacunque contraria consuetudine. n. 4308 die 9. Febr. 1762.

Ad dubium: an in benedictione populo impertienda cum SSmo. permitti possit cantus alicujus versiculi vernacula lingua concepti vel ante vel post ipsam benedictionem? S. C. resp.: Permitti posse post benedictionem. n. 4857 ad 2 die 3. Aug. 1839.

Etiam Benedicens cum SSmo. nihil dicit: Instructio Clem. §. XXXI: n. 16 etc. *Nec Populus canit: Ibid.* n. 18 etc.

Bituntina.

Beatissimo Patre: Il Vicario Capitolare della Dioecesi di Bitonto nel Regno di Napoli supplichevole espone, come per uso inveterato si suole in quella Dioecesi nel momento della benedizione con l'augustissimo Sagramento, dall'Organo cantare il versetto del Salmo LXVI.: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae:* L'attuale Prefetto delle Ceremonie crede esser ciò in opposizione con la Liturgia Ecclesiastica. L'Oratore anche a nome di tutti i suoi Governati ricorre alla Santità Vostra, ed umilmente implora la necessaria facoltà onde permettere, che si prosiegua il sopradetto antico costume, al quale quella popolazione è attaccatissima. Che della grazia ec.

Sacrorum autem Rituum Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, referente R. P. D. Secretario, re mature considerata, respondendum censuit: „Servetur Decretum in Caputaquen. diei 9. Februarii 1762; permitti vero potest ut cantetur ℣: *Benedicat nos Deus:* immediate *post* Benedictionem juxta Instructionem Innocentii XII. a Clemente XII. confirmatam in delatione Viatici: „Atque ita rescripsit, die 16. Martii 1833. n. 4697.

Ad dubium: An servanda sit consuetudo dandi benedictionem cum Ostensorio, quando cantatur versus: *Sit et benedictio*, vel potius, an impertienda tantum sit benedictio, expletis Hymno et Oratione, uti habetur in Rituali Romano, Caeremoniali Episcoporum, atque decretis S. R. C. in Sabinen. die 5. Februarii 1639 et in Caputaquen. die 9. Februarii 1762? S. C. resp.:

„Negative ad primam partem, affirmative ad secundam."

Die 23. Maji 1835. n. 4748 ad 3.

e) In Commem. Omn. fidel. defunct.

Vd. *Expositio pro Defunctis.*

Montispessulan.

Quum Rmus. Dom. Montispessulan. Episcopus SSmum. D. N. Pium IX. P. M. enixe rogarit ut super sequentibus Dubiis mentem suam aperire dignaretur, nimirum:

1. Pluribus in Ecclesiis hujus Dioecesis mos invaluit, ut cum SSmo. Eucharistiae Sacramento benedictio Populo impertiatur expleto Officio Vespertino in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, et etiam per subsequentem Octavam: Potest nec ne haec consuetudo servari?

2. In aliquibus Ecclesiis praedictae Benedictiones ex piis fidelium fundationibus explentur vel in suffragium defunctorum, vel ad meram devotionem Donatorum, statis temporibus. Licetne fundationes hujusmodi acceptare, et si acceptatae fuerint, et decursu temporis adeo excreverint, ut iisdem commode satisfieri nequeat, erit licitum nec ne illas imminuere, vel in alia pia opera commutare?

Sanctitas Sua, referente subscripto S. R. C. Secretario, juxta alias decreta rescribendum mandavit, singula superius exposita licere: sed quoad immutationem vel translationem onerum, quae fuerint acceptata supplicandum pro opportuna facultate. Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5192 die 11. Aug. 1853.

f) Communione finita.

Ad dubium: an consuetudo dandi benedictionem finita communione cum s. Pyxide Sanctimonialibus sit sustinenda? S. C. resp.: Negative. n. 4449 die 16. Jan. 1793.

Cf. *Instr. Clem.* §. XXXVI. n. 11 etc. 14 etc.; *Benedictio* (commun. finita.)

g) In Communione Infirm.

Ad dubium: An servandum sit Rituale Romanum in administrando Infirmis Viatico, seu potius consuetudo, benedicendi nimirum cum Sanctissimo retrocedentem Populum extra portas Civitatis, Regionis, sive Domus infirmi, quando fertur Viaticum Agrariis?

„Ex speciali gratia servari posse consuetudinem."

Atque ita censuit et servari posse annuit. Die 7. Aprilis 1832. n. 4685 ad 2.

h) In Depositione.

(Modus).

Irrepsit abusus, ut in nonnullis Ecclesiis Monialium Urbis in depositione SSmi. publice expositi Sacerdos primum ac separatim benedicat Monialibus in interiori earundem choro post altare vel alibi genuflexis, deinde populo in publica Ecclesia adstanti? S. C. resp.: Sacerdos sacram illam exercens functionem in quibusvis Ecclesiis Monialium ubique locorum erectis, cujusvis sint Ordinis et Instituti (omissa speciali et separata Monialium benedictione) unicam tantum bened. interessenti populo impertiatur. n. 4372 die 11. Dec. 1773.

Instructio Clem. §. XXXI. 11 etc. *21.* 22.; *Benedictio cum SS. Sacramento* (modus).

i) Dignitas benedicens.

Cf. Benedictio Dignitar. etc.

Primam Dignitatem non potest dare tres benedictiones cum SSmo., etiamsi celebret loco Episcopi. n. 1683 die 9. Aug. 1653.

Praepositus unica benedictione benedicat cum SSmo. n. 1696 ad 1 die 7. Mart. 1654.

Dignitates et Canonici Metrop. Urbinat. in missis et vesp. pontif. benedicendo populum cum SSmo. possunt unicam tantum benedictionem dare. n. 4224 ad 7 die 29. Jan. 1752.

k) Episcopus benedicens.

Vd. *Bened. Episcopi cum SSmo.*

l) Genuflexio.

Vd. *Genuflexio in bened. cum SSmo.*

m) Janua Ecclesiae aperta.

Ad dubium: an liceat vel dedeceat fores Ecclesiae pandere et repagula removere, ut pateat interna pars transeuntibus per viam, dum benedicendus est populus cum SSmo.? S. C. resp.: Non decere, nisi judicio Ordinarii, ob peculiares circumstantias locorum, aliter permitti posse videatur citra periculum irreverentiae. n. 4591 ad 9 die 17. Sept. 1822.

Cf. *Adnotat. ad Instr. Clem.* §. VIII.; *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 1 etc.

n) Non in janua Ecclesiae.

Tam in processione SSmi. fieri solita qualibet 3. domin. mensis post missam cantatam, quam in processione die solemnitatis Corp. Chr. et aliis, in quibus SSmum. defertur, benedicatur populus cum SSmo. super altare in Ecclesia et non in janua; consuetudinem contrariam esse abusum. n. 3141 die 19. Julii 1687.

Ad dubium: an liceat (Cappellano Confraternit. Mortis Perusinae) in fine process. cum SSmo. in janua principali Ecclesiae benedicere populo in plateis et viis genuflexo sine licentia et interventu parochorum? S. C. resp.: Negative nisi de licentia Episcopi. num. 3911 ad 12 die 9. Julii 1718.

o) Modus.

Prohibendum esse Regularibus, ne audeant in posterum cum SS. Sacramento populo benedicere cum trina, sed unica tantum benedictione. n. 2735 die 22. Junii 1675.

Ad dubium: an sub nomine Regularium Abbates Regulares comprehendantur? S. C. resp.: Comprehendi etiam Abbates, et posse tantum dictos Abbates habentes usum Pontificalium benedicere tripliciter in Ostensione SSmi., *quando exercent Pontificalia.* n. 3313 die 13. Junii 1693.

Non licet Patribus Carmelitis ter benedicere populo cum SSmo. in fine missae aut in aliis functionibus. num. 3390 die 9. Julii 1696.

Non licet Abbati Monasterii s. Sepulchri Parmen. in altaribus per viam erectis ac etiam in propria Ecclesia cum SSmo. trina Crucis productione populo benedicere. n. 3729 ad 6 die 22. Aug. 1705. Idem decr. pro Carmelitis Cantalupi n. 3843 ad 3 die 21. Nov. 1711.

Ad dubium Canonici Cathedralis Collen.: an in benedicendo populum cum SSmo. sit servandus modus infrascriptus: „Sacerdos stans ante populum Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora non supra caput sed tantum usque ad oculos et eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta illud attollit usque ad pectus et deinde ad sinistrum humerum ducit et reducit ad dexterum et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit quasi peracta ad omnes mundi partes cruce, eam etiam venerandam omnibus praebet, tunc gyrum perficiens, collocat Ostensorium super altare (Mich. Bauldry part. 4 c. 16 art. 3 n. 34). S. C. resp.: Si ei placet, potest observare dictum modum; sin minus, servandus est modus dispositus in Caer. L. 2, c. 33. ubi requiritur tantummodo, ut cum SSmo. Celebrans producat crucis signum super populum. n. 2776 ad 2 die 21 Mart. 1676.

Exposito humiliter S. R. C. ab Episcopo Sebenici apud Dignitates et Canonicos suae Cathedralis in exposit. SSmi. et infra octavam Corporis Chr. fieri consuetis abusum irrepsisse, trina bened. populo benedicere, nempe in cornu Epistola, deinde Evangelii et demum in medio. S. C. resp.: Non permittat. n. 3616 die 11. Febr. 1702.

Vd. *Bened. SS. Sacramenti in Depositione.*

p) In Nocte.

Episcopus Pisauren. benedictiones cum SSmo. in ejus multiplici expositione *de nocte* fieri expresse prohibeat. n. 3284 die 2. Aug. 1692.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 1 etc. §. XXXVI. n. 6.

q) In Processione.

(Quoties).

In Processionibus, dum contingit illud poni super altaribus, quae eriguntur per viam non ad singula altaria, sed semel tantum elargiendam esse populo benedictionem in *fine* processionis. (Caer. Ep. lib. II. c. XXXIII. n. 27). n. 1639 die 11. Maji 1652.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXI. n. 13. 14. 15. —

Quum Caeremoniale Episcoporum Auctoresque omnes Liturgici illius dispositionem apprime sequentes, praesertim lib. 2 cap. 33 num. 22, ritus edoceant, initio, progressu et fine Processionis solemnis SSmi. Corp. Christi servandos, quumque inter caetera S. R. C. ejusdem Caeremonialis dispositioni inhaerens, regulam edixerit die 11. Maji 1652, elargiendi semel tantum populo Benedictionem in fine Processionis Corp. Chr., hanc eamdem in ordine divini Officii pro Cathedrali et Dioecesi Volaterrana illius Rmus. Antistes, pro exacta liturgicarum rerum observantia inserendam, et cudendam jussit: verumtamen cum contraria vigeat ea in Civitate et Dioecesi perantiquissima consuetudo, ut quoties Ecclesiae sive Altaria occurrant per

viam toties ibidem et supplicatio sistat, et populus, impertita benedictione, dimittatur: hinc S. R. C. suplex adiit, postulans: an potius praedicto S. R. C. Decreto, quam consuetudini sit in posterum inserviendum?

Et S. eadem C., exquisita prius alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris in scriptis sententia, typis quoque juris publici reddita, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Julii Maria de Somalia S. Collegii Decani, et eidem C. Praefecti, loco Emi. et Rmi. D. Card. Cacciapiatti Relatoris absentis, respondendum censuit: „Juxta votum, nimirum: non obstante Decreto inserto in ordine Divini Officii recitandi vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo, ut saltem servetur regula Caeremonialis, quod non toties pausatio fiat et benedictio elargiatur, quoties Altaria occurrant sed semel vel iterum, et Altaria per viam extructa, sint decenter ornata, et a probo Caeremoniarum Perito prius auctoritate Episcopi visitata.“ Atque ita respondit. n. 4574 die 23. Sept. 1820.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Regulam tradit Caeremoniale Episcoporum *lib. 2 cap. 33 n. 22.* quod in solemnitate SSmi. Corporis Christi, dum S. Eucharistia, publica indicta Supplicatione, circumfertur, liceat Episcopo *in aliqua Ecclesia et super illius Altare deponere SSmum. Sacramentum et aliquantulum quiescere. Id, quod etiam permittitur, etsi non Episcopus, sed Sacerdos deferat Sacramentum, veluti declaravit S. R. C. in Albinganen. 10. Jul. 1677.* Verum idem Caeremoniale duo ponit conditiones. *Prima est*, *si longior fuerit Processio:* nam si brevi ambitu concluditur, necessaria non est pausatio ad reficiendas vires. *Secunda*, quae magis interest: *quod non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula Altaria, quae forsitan per vias constructa et ornata reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum vel iterum, arbitrio Episcopi.* Modum praeterea tenendum praescribit: *et ibidem antequam discedat, thurificare* (poterit) *SSmum. Sacramentum et Orationem de Sacramento cantare;* quin vel unum addat verbum de benedictione populo elargienda, priusquam Processio reassumatur, immo ex silentio plane arguitur, dandam non esse. Id etiam clarius colligitur *ex Caeremoniali*, jussu et auctoritate *Benedicti XIV.* edito pro Basilica Assisiensi S. Francisci *cap. 10* ubi describitur ritus servandus in solemnitate SSmi. Corporis Christi, ut *in Supplicatione Episcopus deferens Sacramentum ibi modo tempore quiescat.* Deposito namque SSmo. Sacramento in Altaris medio *cantabitur*: *Tantum ergo; interim Episcopus super pulvinar sericum in infimo gradu genuflexus, ac humerali velo deposito, thus imponet in thuribulo Basilicae, Sacramentum thurificabit, et Orationem de eodem Sacramento cum cantu dicet: sumat inde velum humerale, et a Diacono accipiat Sacramentum; eodemque, quo advenit, ritu, et ordine e Basilica discedat Processionem prosecuturus.* Quae postrema verba ad quamlibet dirimendam controversiam satis forent. Cum enim, cantata ab Episcopo Oratione, impositoque velo humerali, ei a Diacono tradendum sit Sacramentum ad unum effectum prosequendi Processionem; et sint actus successivi et continuati, *Hymnus, thurificatio, oratio, impositio veli, traditio Sacramenti, reassumptio Processionis,* clarissime patet Caeremonialis Rubricam excludere benedictionem. Sed cur argumenta negativa persequimur, dum positivum non desideratur? S. R. C., quae Caeremonialis libri interpres est, id aperte declaravit. Proposito namque dubio in *Monopolitana: An*

in Processionibus, in quibus (per Dignitates vel Canonicos Cathedralis) *defertur SSmum. Sacramentum, dum contingit illud poni super Altaribus, quae eriguntur per viam, spectet dare populo benedictionem ante eadem Altaria, Parochis vel Regularibus ea erigentibus, an potius iisdem Dignitatibus?* Eadem S. C. non directe dubio respondit, verum, sensum Caeremonialis declarando, certam regulam posuit decrevitque: *servanda esse Caeremonialis praescripta, et semel tantum elargiendam esse populo benedictionem in fine Processionis?* Si danda est igitur semel benedictio in fine Processionis; palam fit, non esse elargiendam, dum Sacramentum in aliquo Altari deponitur, ut interim Episcopus vel Sacerdos tantillum quiescat. Quae cum sint, scite Episcopus Volaterranus hanc regulam pro sua Dioecesi in ordine Divini Officii inserendam jussit. Sed quoniam antiquissima ibi consuetudo vigebat, et modo viget, ut quoties per vias Altaria occurrunt, toties pausatio fiat, et nonnisi impertita populo Benedictione cum Sacramento, ad prosequendam Processionem Episcopus, vel Sacerdos ab Altari discedat: anceps fuit, num regulae, an consuetudini difficillime reformandae standum esset? Qua de re S. R. C. rogavit. Equidem de juris rigore strictim regula servanda esset, modusque tenendus, dum pausatio fit, quem post *Nicolaum de Bralion verb. Eucharistia num. 6. et Bauldry lib. 3. cap. 33. art. 3. num. 25. insinuat Meratus ad Gavantum part. 4. tit. 12. num. 16.*, ac praescribit laudatum *Caeremoniale* pro Basilica Assisiensi. Verumtamen certum cum sit consuetudines inveteratas, quae non uno alterove in loco obtinent, sed fere ubique inductae sunt, difficillime abrumpi et tolli posse, praesertim si a Praesidibus scientibus, non reclamantibus, sed tacite acquiescentibus permissae, vel saltem non improbatae censeantur; curandum est, ut, quantum fieri potest, propius regulae conformentur, et in abusus damnandos, et eliminandos non degenerent: sapienti consilio S. R. C. hoc suo Decreto, dum inveteratam consuetudinem tolerari posse permissit, simul conditiones addidit, quibus, et decentiae consuleret, et modum arbitrio imponeret, et regulam Caeremonialis tueretur; quare hoc Decretum haberi debet nedum pro simplici responso petitioni Episcopi Volaterrani, verum etiam ut regula ubique locorum servanda.

Vide, si lubet, quae diximus ad *Instructionem Clementinam de Oratione quadraginta Horarum paragr. XXI. num. 12. et sequen.*

r) In Pyxide.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXXVI. n. 11 etc. 14 etc. *16. 26. Benedictio* (Communione finita); *Pyxis* (expos etc.)

s) Quando.

Vd. *Benedictio SS. Sacramenti* (modus.)

Non ad Verba: *Sit et Benedictio*- impertitur benedictio: *Instructio Clem.* §. *XXXI.* n. 21.

t) Reportato SS. Viatico.

Vd. *Viaticum.*

u) Coram tumulo mortuorum.

Vd. *Tumulus coram exp. SSmo.*

51) Supellectil. sacr.

Vd. *Bened.* (param.; cum s. chrysmate; sine s. unctione).

Pyxis, Ostensorium et Corporalia, quae immediate inserviunt SS. Sacramento, debent benedici juxta formam, quae habetur in missali propria. S. R. C. 16. Novbr. 1619.

52) Triplex.

Vd. *Bened. Sacerd. extra missam.* (decr. n. 4782. *nota.)*

53) Thuris.

Vd. *Benedictio Incensi.*

54) Sine sacra unctione.

Vd. *Campanae* (bened.): *Bened.* (supellect.)

Abbates, Priores, Guardianos, Rectores Societatis Jesu et alios quoscunque habentes privilegium reconciliandi coemeteria et benedicendi similia, dicto privilegio uti non posse, nisi in his rebus, in quibus non adhibetur sacra unctio et pro servitio dumtaxat Monasteriorum et Ecclesiarum propriarum. n. 942 die 13. Mart. 1632.

Habens indultum utendi Mitra et Baculo cum facultate benedicendi Cruces, Imagines, Campanas, Vasa et alia ad divinum cultum necessaria, non potest consecrare Altaria et Calices et Similia, in quibus requiritur sacra unctio. n. n. 1348 die 11. Nov. 1641.

Ad dubium Praepositi Canonicorum regul. s. Augustini Monasterii Inderstorffensis: an verbum *Benedicere* contentum in Indulto sibi concesso per Urbanum VIII. idem importet, quam consecrare? S. C. resp.: Indultum benedicendi non comprehendere consecrationem. n. 2600 die 3. Septb. 1672.

Abbas s. Michaelis de Coecian Ord. s. Benedicti Nullius Provinciae cum jurisdictione quasi episcopali non potest sine speciali indulto consecrare seu benedicere calices, saxa altaris et alia solita ornamenta. n. 2650 die 12. Aug. 1673.

55) Viae Crucis.

Vd.: *Via crucis; Indulg. viae crucis.*

BENEDICTIONALE

(Approbatio.)

Vd. *Libri Ecclesiastici.*

BENEDICTUS.

a) Intortitia ad Bened.

Vd.: *Intortitia ad elevationem* etc.; decr. n. 4064.

b) In Sepultura.

Vd.: *Sepultura* (ritus).

BENED., QUI VENIT ETC.

(Initium.)

In missa solemni *Benedictus* etc. cantari debet post elevationem. (Caer. Ep. Lib. II. c. VIII. n. 71.) n. 1454 ad 1. die 13. Junii 1643.

Ad dubium: Ubi cantus Chori non producitur usque ad elevationem Hostiae: *Benedictus qui venit* etc. cantari debet post elevationem, an immediate post primum *Hosanna in Excelsis*? S. C. resp.: „Cantari debet post elevationem". n. 4669 ad 33. die 12. Novbr. 1831.

S. BENEDICTUS ABB.

Vd. *Breviar. Benedict.; Moniales.; Missa in aliena Eccles.* (decr. n. 4154.)

Tempore Adventus et Quadragesimae non potest semel in hebdomada vel mense fieri Officium de s. Benedicto. n. 3222 ad 1. die 10. Junii 1690.

Si in fer. 3. (qua die ex privil. Benedictini recitari possunt Off. de s. Benedicto) cadat Vigilia, et caeteri dies sunt impediti festo dupl. vel semid. per totam hebdomadam, non potest dicta fer. 3. fieri Off. de s. Benedicto. Ut *supra ad 2.* et n. 3428 ad 1 die 27. Apr. 1697. n. 3503 ad 2 die 7. Febr. 1699.

Si cadat Festum s. Benedicti in hebdomadam s. et propterea debet transferri post Pascha, Benedictini non possunt celebrare hoc festum una cum octava. Ut *supra ad 1.*

Si festa B. M. V. Annuntiationis, s. Joseph et s. Benedicti transferuntur

post Pascha, *Benedictini* primo recitare debeant de s. suo Patriarcha, cum hoc sit 1., caetera vero 2. cl.? S. C. resp. De s. Benedicto 1. cl. Ut *supra ad* 2.

Si festum s. Benedicti transferatur post Pascha., *Indulgentiae* concessae non transferuntur juxta resoluta de 30. Sept. 1679. Ut *supra ad 3.*

Ad dubium: an Benedictini in Germania praeter supra dictum festum s. Bened. cum octava, possint aliud festum ejusdem Sancti cum octava, ut ad 11. Julii quotannis soliti fuerunt, recitare? S. C. resp.: Si festum s. Bened. consueverit recitari ex concessione apost. die 11. Julii et non die 21. Mart., et in Calendario rom.: *Negative.* Ut *supra ad 4.*

Translatis festis s. Benedicti et s. Josephi primo ponendum esse apud Monachos s. Benedicti festum s. Benedicti tamquam fundatoris Ordinis, etiamsi festum s. Josephi esset dupl. 1. cl. pro Regularibus utriusque sexus in Regnis Hispaniarum. n. 3702 die 23. Aug. 1704.

Ad dubium: an Officium s. Benedicti recitari possit die Sabbati, si tota hebdomada sit impedita et tunc debeat omitti Off. B. V. M. in Sabbato? S. C. resp.: *Posse.* n. 3428 ad 2 die 27. Apr. 1697; n. 3503 ad 3 die Febr. 1699.

Officium s. Benedicti ex indulto ap. in qualibet hebdomada fer. 3 et semel in mense recitandum praecedere non debet translatis sive dupl. sive semid. n. 3503. ad 1 die 7. Febr. 1699.

Hebdomadarii Ecclesiae S. Petri Recepulli adjacentis, atque sitae infra septa Monasterii S. Mariae ejusdem loci, Ordinis S. Benedicti curam animarum de commissione Abbatis Ecclesiae S. Mariae praedictae cum omnimodo eidem Abbati subjectione in eadem Ecclesia S. Petri, prout asseritur, exercentes, humiliter S. R. C. supplicaverunt pro declaratione infrascripti Dubii:

An ipsis et aliis Presbyteris in dicta Ecclesia S. Petri Recepulli residentibus licitum sit Officia Sanctorum Ordinis S. Benedicti recitare, vel saltem persolvere teneantur officium cum octava S. Benedicti Patroni Monasterii praedicti S. Mariae?

Et S. R. C. respondit: ,,Negative, nisi ex speciali concessione". Et ita declaravit. 3578. Die 26. Februarii 1701.

Anno subsequenti 1728 Festum S. Benedicti occurrit in Dominica Palmarum, consequenter debet transferri usque post octavam Paschatis; sed quia Festum in Dioecesi Fulden, habet adnexam solemnitatem Fori, et Dominica Palmarum fit Processio tam a Clero Saeculari quam Regulari, atque a populo totius Civitatis ad Montem Marianum, ubi habetur concio de Passione Domini, et fit benedictio Palmarum; post has et alias caeremonias tempus ante meridiem effluxit, et nulla solemnitas de S. Benedicto habita fuit. Hinc quaeritur: An dictum Festum S. Benedicti cum solemnitate Fori, Octava, et Indulgentiis transferri liceat in diem 6. Aprilis?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit:

,,Festum S. Benedicti, quando incidit in aliquam diem majoris Hebdemadae, juxta novissimum Breve S. D. Benedicti P. XIII. concessum pro toto Ordine Benedictino, transferendum esse ad feriam III. post Dominicam in Albis; quo casu dicta feria tertia habenda est, ac si esset dies propria S. Patriarchae, translato quocumque alio Officio, etiam aequalis ritus in ea occurrente". N. 3973. Die 6. Sept. 1727.

Benedictinis Einsidl. resp. S. C.: Commemoratio sol. s. P. Benedicti in mense Julii non est celebranda cum

octava, nisi adsit concessio specialis. n. 4044. (ad Titul. VIII.) die 5. Maii 1736.

S. BENEDICTUS.

(Mart.)

Moniales Ord. SS. Salvat. Dioeces. Calagurit. petierunt, ut ritu duplicis primae Classis cum Octava gaudeat Officium Sancti Benedicti Martyris, cujus mortales exuviae ex Arenariis Urbis defossae, et a san. me. Leone Papa XII. dono exceptae propria in Ecclesia civitatis Victoriae asservantur, de quo quidem Sancto Benedicto, venia ab Episcopo impetrata, nunc officium persolvunt ritu tantum duplici. S. C. resp.:

Pro gratia unius Missae Solemnis tantum de Communi in honorem Sancti Benedicti Martyris, quoniam liberum non est Episcopo Officium concedere, et obstant Decreta.“ n. 4715 ad 2 die 17. Aug. 1833.

BENEFACTORES.

(Qui sunt?)

Sub nomine Benefactorum veniunt etiam Testatores. n. 2919 ad 2 die 6. April. 1680.

BENEFICIATI.

1) Cathedralis.

a) Ministri in Pontificalibus.

Vd. *Ministri in Pontificalibus; Thuriferarius* (quis?) (decr. n. 4595).

Beneficiati Cathedr. Asten. in functionibus pontif. solemnioribus et minus solemnibus et aliis functionibus, quando Episcopus celebrat missam pontificalem vel ad Vesperas Officium facit, aut assistit missis et vesperis sol., aut intervenit sol. processionibus, tenentur assistere Canonico Cantori et exercere munus Choristarum et Diaconi et Subdiaconi; ad idem tenentur tam in processionibus quam in missis sol. Episcopo absente, a Canonico vel Dignitate celebratis, quam etiam in omnibus et singulis missis conventuali caeterisque aliis missis, quae a Canonicis, etiam extra Cathedral. sol. celebrantur. n. 4169 ad 1—3 die 15. Maii 1745.

b) Praecedentia.

In functionibus publicis, quae in Cathedrali fiunt, Canonicos Collegiatae Beneficiatis Cathedralis praeferendos esse. n. 2119 ad 1 die 2. Julii 1661.

Vd. *Processio* (praeced).

2) Incensatio.

(Cf. Genuflexio Ministror.)

Beneficiatos thurificari debere in Vesperis per aliquem ex Beneficiatis assistentibus Pluviali indutis. n. 923. ad 2 die 5. Julii 1631. (Cf. *Clerus Parochialis.*)

Beneficiatos unico tantum ictu contentos esse debere. n. 923 ad 9 die 5. Julii 1631.

Beneficiati a principio incensationis chori usque ad finem stare debent. n. 2082 ad 8 die 20. Novb. 1660; n. 2083 ad 8 die 18. Decb. 1660.

3) Officium.

Beneficiatos non teneri quotidie facere commem. de Sancto seu s. Titularibus utriusque Beneficii simplicis. n. 2410 ad 1 die 2. Apr. 1667.

Vd. *Commemoratio Patroni.*

4) Praecedentia.

(Cf. *Processio; Officiator; Benef. Chatedr.*)

Sacerdotes *Beneficiati* debent praecedere alios *simplices* Sacerdotes, quamvis seniores in Ordine in omnibus processionibus et functionibus publicis et privatis, scilicet in choro

dum sedent. n. 2853 ad die 22. Jan. 1678.

Simplices Beneficiatos locum habere debere in choro et in processionibus post omnes (Beneficiatos) Praebendatos propriae Ecclesiae. n. 1922 die 7. Sept. 1658.

Sacerdos Beneficiatus, uti Beneficiatus in Ecclesia, in qua nulla est Collegiata, habere debet praecedentiam in functionibus ecclesiasticis tam in sessione quam in incessu supra alios sacerdotes non Beneficiatos sed simplices presbyteros, etiam primo ordinatos in ordine sacerdotali et antianos. 2665 die 2. Decb. 1673; n. 2698 die 16. Junii 1674; n. 3242 die 11. Aug. 1691.

Ad petitionem Cleri Terrae Criptarum Dioec. Montis Falisci, ut mandare dignaretur S. C. servari solitum, nempe quod sacerdotes antiquiores praecedant, sicut praecesserunt modernioribus, licet Beneficiatis, qui non habent onus residendi non obstantibus decretis S. C. ut illo de die 2. Decb. 1673? S. C. resp.: „*Serventur decreta*". nr. 2688. die 14. Apr. 1674. In choro, processionibus et reliquis functionibus Beneficiatis Cathedralis capitulariter inservientibus non competere praecedentiam supra parochos. n. 3164 ad die 21. Aug. 1688.

Ad dubium: 1) an decreta in Sutrina 13. Julii 1639 *) et in Monopolitana 17. Novbr. 1674 **) extentenda sint ad Beneficiatos? 2) an propterea competat *Clericis* Beneficiatis praecedentia super alios *Sacerdotes* Beneficiatos posteriores in possessione tam in choro quam in functionibus? Et quatenus affirmative; 3) an ipsis Clericis Beneficiatis, postquam Sacerdotes effecti fuerint, reintegratio competat adversus Sacerdotes Beneficiatos posterius provisos?

S. C. resp.: ad 1. Affirmative in genere; ad 2: Negative; ad 3: Negative. nr. 4630 die 22. Sept. 1827.

Nota Gardell. ad hoc decret.

Tot sunt Decreta in nostra hac collectione relata, ac in Indice notata, quae dant regulam controversiasque omnes dirimunt, quae saepe-numero super praecedentia exoriuntur, ut frustra hac in re elucidanda immorandum mihi esse censerem.

Satis sit unum indicare Decretum Sac. Congregationis Pontificia auctoritate firmatum *in Una Urbis S. Mariae ad Martyres,* quod normam dare debet in similibus.

Postquam enim sub die 29. Martii S. C. rem definierat, non acquiescentibus Canonicis Clericis, iterum quaestio reintegrata fuit in altera Congregatione Ordinaria *coram SSmo. die 27. Septembris 1659.* in qua *Sanctitas Sua* decrevit: *Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi Praebendae non sunt distinctae, semper, et ubique praeferendos esse Canonicis inferioris Ordinis, etiam possessione Canonicatus anterioribus:* Et insuper addidit: *non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum imperscriptibilem declaravit.* Quisque autem videt, planeque intelligit Decretum hoc tamquam legem generalem habendam esse in posterum omnino servandam. Ridiculum porro est effugium, ad quod Clerici a proposito casu recurrunt, videlicet, quod idem Decretum, et innumera alia, quae deinde prodierunt, loquantur de Canonicis, non autem de Beneficiatis. Par enim militat ratio, et tempus inutiliter tererem, si id demonstrandum susciperem. Satis hoc est quoad primum alterumque dubium.

Ad tertium quod attinet, quaestionem

*) Hoc decretum non inveni.

**) Vd. infra notam.

dirimit S. C. in *una Monopolitana die 17. Novemb. 1671*, in qua legitur a Sac. Congregatione declaratum: *Quod Canonici Clerici, ubi Praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales et Subdiaconales, quamvis antiquiores receptione, non sunt praeferendi Canon. Presb., etiam postquam Canonici Clerici fuerint effecti Sacerdotes, et tunc nec ipsis competere reintegrationem, seu praecedentiam adversus Canonicos posteriores receptione: cum jus semel adeptum ex Sacerdotio nunquam amittatur, non obstante immemorabili in contrarium consuetudine quam abusum imperscriptibilem declaravit.*

Me equidem non latet, duo afferri posse S. C. Decreta, quae dant Clerico reintegrationem simul ac ei licuerit ad Sacerdotium ascendere.

Ita in *una Sanctae Severinae sub die 22. Novembris 1659. et in Eugubina 15. Sept. 1736.* quibus addi altera potest *Verulana Praecedentiae die 31. Aug. 1757.* Hujusmodi tamen Decreta in casibus particularibus ob disparem rationem proferre non juvat, prout possem hic demonstrare, nisi id praestitissem in adnotatione ad Decretum in *Terracinen.* 5. Martii 1825. Lege igitur, quae ibi notanda duxi.

S. BERNARDINUS SENENS.

1) Conclusio Orationis.

Vd. *S. Camillus de Lellis.*

2) Translatio.

Vd. *S. Antonius de Padua* (Vigil., decr. n. 2988.)

S. BERNARDUS.

1) In Lytaniis non dicendus.

Vd. *Lytaniae Sanctorum.*

(Bononien.)

Sacrorum Rituum Congregationem requisivit Emmus., et Rmus. Dom. Cardinalis Opizzoni Archiepiscopus Bononiensis pro sequenti declaratione, nimirum: Quum per Breve sa. me. Pii VIII. Sanctus Bernardus Abbas Claravallensis accenseatur inter Sanctos Doctores, an in Lytaniis Sanctorum de Eodem mentio fieri debeat inter Sanctos Doctores, vel an retinendus inter Sacerdotes et Levitas?

Et Emmi. ac Rmmi. Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die habito respondendum censuerunt: „Nihil innovandum.“ Die 16. Aprilis 1831. n. 4665.

2) Off. et Missa.

Romana seu Ordinis Cistercensium.

Spiritu intelligentiae replevit Dominus Deus ad Fidelium exemplum et instructionem Sanctum Bernardum Claravellensem Abbatem, qui mentis acumine, suavitate morum ac sacrarum Litterarum peritia excellens tamquam imbres emisit eloquia sapientiae suae, quum tot Volumina ediderit, Apostolicam Sedem, Summosque Pontifices studio, et ardore maximo contra Schismaticos adjuverit, ac debaccantium ea aetate Novatorum errores voce, et calamo oppugnaverit, atque extinxerit. Licet vero pluribus abhinc saeculis, et viginti tantum annis elapsis a praetiosa illius morte ab Alexandro III. sanctitate vitae, miraculisque cognitis inter Sanctos Coelites adscriptus fuerit, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen desiderabat inter Ecclesiae Doctores Sanctum Bernardum referri, ac per totum Orbem haberi Monachorum Cistercensium Ordo, cujus propagator ac decus praecipuum Sanctus Abbas refulsit. Plures insuper Cardinales Patres ejusdem erga Ecclesiam merita recensentes cum iisdem Cistercensibus a SSmmo. Domino Nostro Pio Papa VIII. postularunt, ut S. Bernardi Abbatis festum cum Officio, et

Missa de Communi Doctorum celebrandum decerneret. Hujusmodi precibus in Ordinario Sacrorum Rituum Conventu in Quirinali Palatio habito die 18. Julii 1829 relatis ab Rmmo. Cardinali Julio Maria De-Somalea jam Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, caeteri Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi simul omnes proclivem animum ostenderunt: attamen SSmmus. Dominus Sacrorum Rituum Congregationis morem servandum in omnibus ratus, si quid objici posset, id per Sanctae Fidei Promotorem appositis Animadversionibus in medium proferri voluit. Quibus quum Responsiones subjecissent Postulatores in Ordinario Conventu diei 17. Julii 1830 in Quirinalibus Aedibus, referente Rmmo. Cardinali D. Placido Zurla Urbis Vicario, re diutius perpensa, solutisque objectis omnibus, ea fuit unanimis Rmmorum. Cardinalium sententia, nimirum: „Pro gratia confirmationis Tituli Doctoris cum Officio et Missa de Communi Doctorum, et Epistola secundo loco pro Ecclesia Universali, ad Emmum. Ponentem cum Promotore Fidei, et ad D. Secretarium cum SSmmo. Die 17. Julii 1830.

Horum omnium et singulorum facta SSmmo. Domino Nostro Pio VIII. Pont. Max. per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus adprobavit et confirmavit, hac desuper re Apostolicas Litteras in forma Brevis expedire jussit, die 23. recensiti Mensis et Anni.

Pius Papa viii.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod unum ad Divi Bernardi Claravallensis Abbatis honorem et laudem plene cumulateque amplificandam maxime pertinere videbatur; quod erat in votis inclyto Monachorum Cisterciensium Ordini, de hac S. Sede semper optime merito, cujus propagator ac decus praecipuum S. Abbas memoratus refulsit; quod erat optandum ab Universa Catholica Ecclesia, cui mentis illius acumine, suavitate morum, ac sacrarum Litterarum peritia maxime fuit adjumento, quum tot ipse Volumina ediderit, Apostolicam Sedem, Summosque Pontifices studio, et ardore maximo contra Schismaticos adjuverit, et debacchantium ea aetate Novatorum errores voce et calamo oppugnaverit, atque extinxerit, ac quoscumque Romanae Ecclesiae osores sua doctrina retuderit, quod VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sollicitabant preces, id, divino disponente consilio, Humilitati Nostrae perficere datum est. Licet enim pluribus ab hinc saeculis, et viginti tantum annis elapsis a praetiosa illius morte, a fel. rec. Alexandro PP. III. Pradecessore Nostro, sanctitate vitae, miraculisque cognitis albo Sanctorum fuerit ipse adscriptus, ejusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen ejus virtutum meritorumque coronae aliquid fulgoris erat addendum, titulus Doctoris, quo Divus Bernardus jam appellabatur, supremo hujus Sanctae Sedis Decreto in Universa Ecclesia confirmando. Quamvis autem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus tuendis Praepositi in Ordinario Conventu in Quirinali Palatio habito die 18. Julii anno 1829 referente cl. mem. Cardinali Julio Maria de Somalia jam Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, petitae confirmationi tituli Doctoris simul omnes proclivem animum ostendissent, Nos nihilominus, suspenso hujusmodi judicio, Sanctae hujus Sedis morem servantes, si quid objici posset, id per S. Fidei Promotorem appositis Animadversionibus in medium, proferri mandavimus. Quibus quum responsiones subjecissent Postulatores in Ordinario Conventu diei

17. Julii currentis anni in Quirinalibus Aedibus, referente dilecto Filio Nostro Placido S. R. E. Cardinali Zurla nuncupat. nostro in hac Alma Urbe Vicario in spiritualibus Generali, re diutius perpensa, solutisque objectis omnibus, ac ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalium sententiis consentientibus, Rescriptum pro Gratia confirmationis tituli Doctoris cum Officio, et Missa de Communi Doctorum, et Epistola secundo loco pro Ecclesia Universali die dicta datum, confirmandum esse censuimus, ac Litteras Apostolicas hac de super re expediri mandavimus. Quapropter precibus totius Ordinis Monachorum Cistercensium, quibus plures dignitate ac pietate praestantes Viri sua studia, ac postulata junxerunt, benique annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum Doctoris, quo Divus Bernardus Abbas est hactenus in dicto Ordine, et in aliquibus Ecclesiis appellatus, confirmamus, et quatenus opus sit, denuo ei attribuimus; ita quidem, ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur, et in anniversario die festo tum a Regulari, tum a Saeculari Clero celebrando, Officium ac Missa fiat de Communi Doctorum, et cum Epistola secundo loco, quae incipit: *Justus* etc. cum additione VI. Lectioni, et Martyrologio juxta Decretum ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis. Ac praeterea hujus Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, Christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus, et decernimus: Tandem, ut Christifidelium devotio ad hujus Doctoris diem festum colendum, ejusque opem pie implorandum eo magis accendatur, quo ex hoc coelestis gratiae dono se uberius conspexerint esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui die festo ejusdem Doctoris vere poenitentes, et sacramentali confessione praemissa Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et unam ex Ecclesiis Ordinis Cisterciensium a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei devote visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus, et elargimur, declarantes hanc praesentem Nostram concessionem perpetuo duraturam, et sub quibusvis indulgentiarum revocationibus, vel limitationibus nullo modo comprehendi. Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis per universum terrarum Orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis Saecularibus, et quorumvis Ordinum Regularibus ubique locorum et gentium inviolate perpetuo observari procurent. Haec praecipimus, atque mandamus, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut earundem praesentium Transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii

publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Augusti 1830. Pontificatus Nostri Anno Secundo. Card. Albani.

In Festo S. Bernardi Abbatis et Doctoris.

Missa de Communi Doctorum cum Epistola secundo loco, quae incipit: *Justus cor suum.*

Officium pariter de Communi Doctorum cum Antiph. *O Doctor*, in utrisque Vesperis. Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente. Lectiones II. Nocturni propriae ut in Breviariis, et in fine VI. Lectionis addatur ut sequitur:

Pius vero VIII. Pont. Max. ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio Sanctum Bernardum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et confirmavit, nec non Missam et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias Plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cistercensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

Lectiones III. Nocturni: *Vos estis sal terrae.* In Martyrologio addatur: Quem Pius VIII. Pont. Max. universalis Ecclesiae Doctorem declaravit et confirmavit.

Decretum.

„Supra scriptam additionem VI. Lec- „tioni faciendam in Officio S. Bernardi „Abbatis et Doctoris, et Martyrologio „Romano ab Emmo. et Rmmo. D. „Card. Placido Zurla, Relatore Caus- „sae, et R. P. D. Virgilio Pescetelli „S. Fidei Promotore revisum, SSmmus. „Dominus Noster Pius VIII. Pont. Max. „adprobavit, atque in suprad. Officio „Officio et Martyrologio in univer- „sali Ecclesia legi posse concessit."

Die 23. Julii 1830.

C. M. Ep. Praenest. C. Pedicinius Praef.

Loco † Sigilli.

J. G. Fatati S. R. C. Secr.

n. 4659.

3) Translatio.

Festum S. Bernardi Abbatis die 20. Aug. in supradicto Ordine Militari Equitum Christi in regno Lusitania est dupl. I. cl. cum Octava, propter communicationem cum Ordine Cistercensium, et Festum S. Joachim Patris B. M. V. in ipsomet Regno est pariter dupl. I. cl., sed sine Octava, ut ex novissimo Apostolico Indulto sub die 17. Sept. 1806 concessum est. Quando Dominica infra Octavam Assumptionis, quae assignatur Festo s. Joachim, incidit in diem 20. Aug. S. Bernardi propriam, de quo Festo Officium peragendum? Utrum de S. Bernardo, an de S. Joachim?

Et S. eadem R. C. rescripsit:

„In casu, de quo agitur, faciendum esse Officium S. Bernardi Abbatis, cum translatione alterius S. Joachim in primam diem non impeditam."

Atque ita in posterum servari mandavit. N. 4530. Ad. 4. Die 22. Martii 1817.

BERRETTA.

Vd. *Galerum; Biretum.*

BINATIO.

Vd. *Missae* (duae non sunt legendae ab uno Sacerdote.)

BIRETUM.

1) Assistentis.

Spectare ad Magistrum Caeremoniarum et non ad Acolythum, recipere

biretum primi Presbyteri assistentis Canonico in vesperis celebranti tempore, quo a celebrante, dum in choro canitur Magnificat, thurificantur altaria SSmmi. et ss. apost. n. 3505 die 21. Febr. 1699.

Cf. *Galerum.*

2) **Canonici parati assistentis Episcopo.**

Ad dubium: an Canonici et Assistentes Episcopo parati et illum ad altare comitantes in Pontificalibus, debeant omnes procedere cooperti? S. C. resp.: Ratione habita paramentorum posse procedere per ecclesiam coopertis capitibus. n. 3786 ad 4 die 28. Apr. 1708.

3) **Canonici assistentis in throno.**

Vd. *Usus Pontif.* (decr. 4593 ad n. 18.)

Ad dirimendas lites inter Episcopum Callien. et Canonicos illius Cathedralis, ex parte ipsius Episcopi pro declaratione infrascripti Dubii S. R. C. enixe supplicatum fuit:

An Canonci assistentes Episcopo sub throno possint tegere caput, quando caeteri Canonici et Dignitates stant capitibus detectis ante thronum Episcopi circulum facientes, dicendi causa Gloria in excelsis Deo, Credo, et similia? Et quatenus negative: Quid sentiendum de contraria consuetudine ab iisdem Canonicis praetensa, sed tamen ab Episcopo non admissa, nisi facta ejus probatione, quam tamen consuetudinem dicti Canonici justificare praetendunt tempore quinque Praedecessorum.

Et S. eadem R. C. respondit:

„Servetur Caeremoniale Episcoporum.“

Et ita decrevit n. 4025 die 28. Aug. 1734 n. 4027 die 11. Decb. 1734 S. C. ad idem decretum repropositum resp.: Obediant sub poena suspensionis.“

Vd. *Tertia* (quomodo etc.)

4) **Celebrantis in Missa solemni.**

Ad dubium: Utrum Celebrans in Missa Solemni, quum sibi est sedendum dum cantatur *Gloria in excelsis* et *Credo*, pergere debeat ad Scamnum capite operto, et ita redeundo ad Altare, ac utrum ad eos versiculos, ad quos sibi est inclinandum, excepto solo vers.: Et *incarnatus est*, contecto pariter capite ei liceat inclinari? S. C. resp.:

„Negative, atque ita servandum in omnibus aliis Pisanae Dioecesis Ecclesiis tam exemptis, quam non exemptis.“ n. 4672 ad 13. die 12. Novbr. 1831.

5) **In choro.**

Vd. *Chorus* (reverentia.)

6) **Dignitariorum.**

Non potest facere prima Dignitas Cathedral. Spolet., ut eidem Assistentes superimponant biretum et pileolum. n. 2967 ad 3 die 20. Sept. 1687.

7) **Episcopi assistentis.**

a) Quando deponatur?

Vd. *Pileolum Episcopi* (depositio.)

Si Episcopus assistat cum Cappa, debet stare capite cooperto, dum cantatur Confessio. n. 4669 ad 14 die 12. Nov. 1831.

Si Episcopus assistat cum cappa, debet stare sine bireto, dum a Presbytero assistente incensatur. n. 4669 ad 14. die 12. Novb. 1831.

b) Quis deponat?

Dum Episcopus cum cappa assistit, Canonici assistentes non tenentur eidem biretum ponere et deponere, sed Episcopus sibi ipsi caput detegere et tegere debet, quia assistentia proprie Episcopo convenit, quando est paratus cum mitra et tunc assistentes ei

mitram ponere et deponere debent. n. 249 die 21. Aug. 1604; n. 633 die 16. Majii 1626; n. 1118 die 5. Febr. 1639; n. 1143 die 16. Apr. 1639; n. 1375 ad 2 die 10. Maji 1642; n. 2707 ad 4 die 4. Aug. 1674.

Biretum Ordinariis locorum Divinis cum cappa interessentibus non per Dignitates aut Canonicos assistentes, sed per se ipsos poni et deponi debere. n. 1540 ad 1 die 16. Sept. 1645; n. 1567 ad 1 die 13. Sept. 1646.

Canonici assistentes non tenentur recipere biretum a manibus Episcopi et illud retinere. n. 1697 die 7. Mart. 1654.

Canonicus assistens non tenetur e manu Archiepiscopi, cappa induti, suscipere biretum, sed per Cappellanum hujusmodi implenda esse. n. 2174 die 3. Junii 1662.

Audito Archiepiscopo Ragus. ac mature perpensis rationibus adductis recessit S. C. a decreto 3. Junii 1662 et declaravit: Teneri assistentes accipere biretum de manu Archiepiscopi cappa induti et reddere eidem. n. 2246 die 4. Aug. 1663.

8) Ministrorum.

Ad dubium: An usus Bireti permitti possit Ministris indutis Pluviali?

S. eadem C. rescribendum censuerit...

„Permittitur usus Bireti, *non vero Pileoli.*"

Atque ita S. C. rescribendum et declarandum censuit. n. 5176 ad 4 die 25. Sept. 1852.

9) In Processionibus.

Vd. *Reliquiae; Processio* etc. (cap. tecto etc.); *Caput* (quando est deteg.?)

Assistens Celebranti et Clerici, qui dirigunt processionem Rogationum, possuntne deferre biretum Sacerdotale? S. C. resp.: Negative. n. 4815 ad IX. 1. die 22. Sept. 1837.

10) In Processionibus SS. Sacramenti.

Cf. *Pileolum.*

Ad dubium: An in Processionibus, in quibus circumfertur SSmum. Eucharistiae Sacramentum, ac praesertim in illa Papali SSmi. Corp. Christi, liceat Canonicis in Episcopali Dignitate constitutis, ac Praelatitiis indutis indumentis incedere cum Bireto?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative in omnibus."

Atque ita S. C. rescribendum et declarandum censuit. n. 5176 ad 7 die 25. Sept. 1852.

11) Coram exposita reliquia s. Crucis.

Vd. *Reliquia* (veneratio, decr. n. 4956).

12) Coram expos. SSmo.

Vd. *Instr. Clem.* §. VII. n. 7, 8, 9, 10, 11; §. XX. 12; §. XXI. n. 11; §. XXIV. n. 22; §. XXV. n. 4, 5, 6 etc; §. XXVII. n. 4 etc.; §. XXX. n. 7 etc.; n. 22; *In concione cor. exp. SSmo.* §. XXXI. n. 7, 8 et 9.

Chorus, dum recitat horas canonicas ante SSmum. velo coopertum in loco eminenti, poterit sedere, tecto etiam capite cum bireto sed laudandus esset, si sederet detecto capite. n. 4469 ad 3 die 10. Sept. 1796.

13) Quod?

Quum Capitulum Cathedr. Venusinae Eccles. S. R. C. sequentia duo Dubia pro opportuna solutione proposuerit, nimirum:

1. An in Choro, et Processionibus, quae capitulariter aguntur, possit is, cui ob Magisterium et Lauream, aut Licentiam in Discipiinis Theologicis vel S. Canonibus obtentam, facultas conceditur deferendi Biretum cum quatuor apicibus, eodem Bireto uti?

2. An iste, contradicente Capitulo, punctationi distributionum obnoxius evadat, etiam si quadraginta ab hinc annis jam defunctus alius Sacerdos in

eadem Eccl. usus fuerit tali facultate, et nemo contradixerit?

S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente subscripto Secretario, propositis Dubiis occurrens rescribendum censuit: „Negative in omnibus, nimirum: nec uti posse in Ecclesiast. Functionibus tali Bireto, nec amittere distributiones, siquidem Biretum non est Chorale indumentum.“ Die 7. Decbr. 1844. n. 4991.

14) Regularium.

Ad dubium: In Rituali P. Cavalieri tom. 3 c. 15 decr. 39 legitur: Regulares pluviali indutos indubie uti debere bireto sacerdotali in funeribus et processionibus; talis doctrina tuto practicari valeat? Similiter inquiritur: an Regulares dicto bireto uti queant, quando induti procedunt de Sacristiis ad altare? et: quatenus negative: quomodo adimplenda est rubrica praecipiens sacerdoti celebraturo incedere cooperto capite et ex alia parte in aliquibus Ordinibus propter caputiorum formam, amictu cooperiri nequeat absque magna incompositione Sacerdos? S. C. resp.: Servetur Solitum: n. 4395 ad 12 die 18. Dec. 1779.

15) Sacerdotis.

(In accessu ad altare).

Ord. Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captiv.

Praeses Conventus S. Caroli ad quatuor Fontes hic in Urbe Ord. Discalc. SSmae. Trinitatis Redemptionis Captivorum, advertens Sacerdotes sui Instituti dum pergunt ad Aram Sacrum facturi procedere capite detecto, cupiensque ut ipsi se conforment dispositioni Rubricae Missalis Rom., quae *Part. II. Tit. II.* praecipit, quod Sacerdotes capite cooperto ad Altare procedant. Alumnos praedicti Asceterii ad Capitulum congregavit, illisque rem omnem aperuit, ea tamen lege, ut quacumque ex parte cujusque opinio se verteret, sensus super re S. R. C. exquireretur. Disquisitione instituta, res cessit contra Praesidis votum, omnesque vel praesidio suppositae legis proprii Caeremonialis, vel consuetudini etiam immemorabili innixi, in voto fuere nihil esse innovandum, servandamque consuetudinem procedendi ad Altare eo in casu capite operto. Sed juxta praescriptam conditionem praedictus Superior ad hanc S. C. recursum instituit, ut super controversia de jure decerneret. Quae in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes die 7. Mense Dec. anno superiore 1844 coadunata, satius duxit rescribere: „P. Procuratori Gen. Ord. pro Voto, qui transmittat Exemplar proprii Caeremonialis. Quae Omnia quum peracta fuerint et tum ex voto Vice-Procuratoris generalis scriptis pandito, tum ex parte secunda illius Caeremonialis §§. I., II. et XII., quod tamen legitima adprobatione caret, non eruatur quae in praxi et ex consuetudine serventur a Sacerdotibus praedicti Ord. dum pergunt a Sacristia ad Altare Sacrum facturi; propterea Emi. et Rmi. P. in Ordinariis Comitiis iterum ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, omnibus mature consideratis, praesertim quod juxta alias decreta nulla consuetudo praescribere valeat Rubricarum dispositioni, auditaque plena relatione a Secretario facta, rescribendum censuerunt: „Capite cooperto juxta Rubricas.“

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt a Sacerdotibus Discalceatis Ord. SSmae. Trinitatis Redemptionis Captivorum. n. 5018 die 14. Jun. 1845.

Ad dubium: An omnes Sacerdotes indiscriminatim uti possint Galero vulgo *Berretta* quum a Sacristia discedunt pro Missa celebranda et in aliis exer-

citiis, praesertim vero, an liceat Religiosis Sancti Joannis de Deo, qui Parochi sunt omnium infirmorum in suis hospitalibus jacentium? Utuntur eo in quibusdam Provinciis, minime vero in aliis. S. C. resp.: ,,Non licere absque Indulto." n. 4718 ad 4 die 17. Aug. 1833.

S. BIRGITTA.

Calaguritan.

Ad preces Monial. Ord. SS. Salvat. in Asceterio s. Birgittae Dioeces. Calagurit, ut in proprio Calendario Officium Virginis Filiae ejusdem Sanctae Birgittae, quod ex Indulto Apostolico recitant sub ritu duplicis minoris, in posterum gaudeat ritu duplicis secundae Classis cum Octava, et Officium ipsum sit integre proprium. S. C. resp.: ,,Pro gratia elevationis ritus ad duplex secundae Classis, sed sine Octava, et cum Officio hactenus recitato." num. 4715 ad 1 die 17. Aug. 1833.

S. BONAVENTURA.

In 2. Vesp. octavae s. Bonaventurae concurrentis cum festo s. M. Magdalenae debet fieri a capitulo s. M. Magd. n. 2284 ad 4 die 12. Julii 1664.

BREVIARIUM.

1) Approbatio.

Vd. *Missale* (approb.)

2) Benedictinum.

Vd. *S. Benedictus; s. Scholastica. Ritus* (mutat.)

Congregatio Cistercensium, utens Breviario Benedictino reformato, tenetur recitare Officia illorum Sanctorum, qui fuerint inserti Calendario Romano post acceptationem praedicti Breviarii Benedictini reformati. n. 1166 die 2. Julii 1639.

Cum S. R. C. sub die 16. Julii 1672 ad preces P. D. Stephani Secundi Romani Abbatis, et Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensium concesserit, ut Officium S. Benedicti Patris ejusdem sub ritu duplici de communi Confessorum non Pontificum, cum solitis Lectionibus, a dicta Sacra Congregatione approbatis, recitari solitum per ipsam Congregationem Cassinensem feria III. non impedita, in posterum recitari posset sub ritu semiduplici a tota praedicta Congregatione Cassinensi et Monasteriis Monialium ejusdem Ordinis eidem Congregationi subjectis. Nunc vero pro parte Josephi Gamba Confessoris Monialium S. Benedicti Panormi, quaeritur:

1. An possit ex concessione praedicta Officium ut semiduplex s. Benedicti recitari in Adventu, Quadragesima et Vigilia?

2. An, occurrente in tertia feria festo semiduplici, debeat transferri, et celebrari eo die Officium s. Benedicti?

3. An debeat recitari in tertiis feriis infra Octavas Sanctorum, in quibus festa semiduplicia celebrantur?

4. Si aliquod Festum translatum semiduplex deberet celebrari in tertia feria, utpote in die, quae prima occurrit non impedita, debeat ulterius transferri et recitari ea die S. Benedicti?

5. Quid agendum sit in simili casu, quando Festum translatum non sit semiduplex, sed duplex vel primae, vel secundae classis, et deberet celebrari in feria tertia, die scilicet proxima succedente non impedita?

Eadem S. R. C. respondit, ut infra videlicet:

Ad 1. ,,Negative."

Ad 2. ,,Recitandum Officium de semiduplici occurrente."

Ad 3. ,,Negative."

Ad 4. ,,Recitandum Officium de semiduplici translato."

Ad 5. ,,Recitandum Officium de duplici quocumque translato,"

N. 2901 die 20. Sept. 1679.

Festa de praecepto a S. R. C. hactenus approbata aut in posterum pro omnibus Christifidel. ad horas canonicas recitandas obligatis approbanda, *tenentur* Benedictini suis Breviariis adjungere et illa de praecepto recitare. Alia festa et officia ad libitum concessa, *possunt* Benedictini recitare, si sunt concessa pro *universali* Ecclesia.

Ad dubium: an in festo omn. ss. Monachorum Ord. s. Benedicti, possit dici Resp.: *Haec est vera fraternit.* aut debeat dici aliquod Resp. dici de comm. virg.? S. C. resp.: In officiis SS. nihil addendum aut immutandum nisi de apost. auctoritate indultum fuerit. n. 3223 ad 1 — 3 die 10. Junii 1690.

3) Franciscanorum.

Cf. *Translat. festi Ord. et Dioeces.* (decr. n. 3787). *Officium* (obligatio ad quod, decr. n. 4487); *Festum ad libitum* (decr. n. 4078). *Regulares* (Off.; decr. n. 4608 *nota).*

Frequentes sunt in Provincia Leodien. Congregationes Monialium tertii Ord. s. Francisci, quae constitutiones regulares amplexae sunt constitutionibus Ord. Capucinorum omnino conformes et habitum consimilem deferunt sine calceamentis suntque Ordinariis subjectae. Praedictae Moniales non possunt divina Officia persolvere juxta Breviarium Capucinorum (Francisc.) n. 3749 ad 6 die 28. Aug. 1706.

Ad dubium: an Clerici tertiarii saeculares professi tertii Ordinis s Francisci de Poenitentia recitare possint horas canonicas juxta Breviarium in Urbe impressum anno 1703 ad usum fratrum trium Ordinum s. Francisci de Poenitentia professorum claustralium, omisso Calendario rom.? S. C. resp.: *Negative,* nisi habeant Indultum extensionis Privilegiorum. n. 3774 ad 5 die 27. Aug. 1707; n. 3792 die 1. Sept. 1708.

Ad dubium: An apud Fratres Minores, et Personas utentes Brev. Rom. Seraphico trium Ordinum s. Francisci, Festum Dedicat. Eccles. praelationem adhuc habeat super Sanctorum Festa aequalis ritus in concursu, et in occursu juxta Rubricas peculiares ejusdem Breviarii?

Et Emi. ac Rmi. P. S. Ritibus praepositi... rescribendum censuerunt:

„Juxta Votum Magistri Caeremon., videlicet ad Mentem. *Mens est:* Supplicandum esse SSmo. pro reformandis hac in parte Rubricis Brev. Rom. Seraphici trium Ord. juxta posteriora S. C. Decreta."

Atque ita rescripserunt. Die 16. Sept. 1843.

Super quibus omnibus facta postmodum ab Emo. et Rmo. D. Card. Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae, et Centumcellarum, S. R. C. Vice-Cancellario, eidemque S.C. Praefecto, SSmo. D. N. Gregorio Papae XVI. fideli relatione: „S. S. Rescriptum S. C. confirmavit, dispensando quatenus opus sit hac in parte dispositionis peculiaris Rubricae super expositis Dubiis, obtemperandum esse mandavit a Fratribus trium Ord. S. Francisci novissimis hujus S. C. Decretis." Contrariis non obstantibus quibuscumque. num. 4974 ad 1 die 30. Oct. 1832.

4) Monasticum.

Vd. *Moniales; s. Elisabeth; Regulares; Officium* (obligatio ad quod?)

Tarentina.

Beatissimo Padre.

L'Arcivescovo di Taranto divotamente espone alla Santità Vostra come nella Diocesi Tarentina vi sono cinque Monasteri di Monache Claustrali, uno dell' Ordine Agostiniano, un altro dell' Ordine Benedettino, e tre dell' Ordine Francescano. Tutti questi cinque Monasteri sono soggetti all' Arcivescovo,

non gia alli Superiori Regolari dei suddetti Ordini rispettivi. Ciò non ostante recitano l'Officio Divino con i Breviarii de' rispettivi Ordini Regolari, e coi Santi degli Ordini medesimi, modificando il Calendario dell' Arcivescovo per farvi entrare i loro Santi particolari.

L'Arcivescovo esponente sostiene, che le suddette Religiose essendo soggette all' Arcivescovo, e non ai Superiori Regolari, dovrebbero adattarsi in tutto al Calendario della Diocesi, e retinere soltanto il Breviario particolare, e ciò a norma delle regole dei Sacri Riti. Ma siccome le suddette Religiose per lo passato hanno sempre fatto le surriferite modificazioni al Calendario della Diocesi, per farvi entrare i loro Santi particolari, cosi prevede l'Arcivescovo esponente il disturbo delle suddette Communita Religiose, se venisse ad ordinar loro l'obbligo di uniformarsi assolutamente al Calendario della Diocesi.

Supplica percio umilmente la Santita Vostra a volersi benignare di accordare alle suddette Religiose la facolta di recitare l'Officio, come hanno fatto finora, cioè modificando il Calendario della Diocesi, con farvi entrare i loro Santi particolari nel modo descritto di sopra, e ritenendo nel medesimo tempo i loro respettivi Breviarii. Che ec.

In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria diei 12. Nov. 1831 rescriptum fuit: „Audiatur idem Archiepiscopus, juxta modum, et auditis ipsis Sanctimonialibus."

Eminenza Reverendissima.

In esecuzione dei venerati comandi dell' Eminenza Vostra e di cotesta Sacra Congregazione impositi a me con suo venerato Foglio dei 12 del prossimo passato Novembre, ho fatto radunare capitolarmente le Religiose dei Monasteri di questa citta per mezzo del mio Pro-Vicario Generale, e quelle della Diocesi per mezzo dei miei Vicarii Foranei respettivi, ad oggetto d'interrogarle sopra li tres Articolo, che dall' Eminenza Vostra Reverendissima mi furono praescritti, cioè

1. Se le Religiose di San Benedetto si servano del Breviario Monastico, e del Calendario del proprio Istituto, e da quanto tempo?

2. Se le Religiose di Sant' Agostino, e di San Francesco facciano uso del Breviario, e Calendario del loro respettive Istituto, e da quanto tempo?

3. Se tutte le suddette Religiose, cioè Benedettine, Agostiniane, e Francescane siano state soggette all' Arcivescovo di Taranto, o pur per qualche tempo siano state soggette ai Superiori respettivi dell' Ordine loro?

Al primo quesito, che esse si avvalgono del Breviario Monastico Benedettino sin da dieci secoli. Al secondo ch' ebbero sempre il Calendario dell' Ordine Benedettino, e che da pochi anni in qua il Caeremoniere di questa Cattedrale fa loro un Calendario accommodato sulle Rubriche particolari del loro Istituto. Al terzo che furono sempre soggette agli Arcivescovi di Taranto.

Le Religiose Agostiniane al primo quesito hanno risposto, che esse si sono sempre servite del Breviario Romano aggiungendo i Santi dell' Ordine di S. Agostino. Al secondo, che sempre hanno fatto uso del Calendario particolare dell' Istituto Agostiniano, e non gia del Calendario comune di questa Diocesi. Al terzo che sono state sempre soggette agli Arcivescovi di Taranto.

Le Religiose Francescane del primo Monistero hanno risposto al primo quesito, che esse hanno fatto uso sempre del Breviario Francescano. Al secondo, che sempre si non servite del Calendario Francescano frammischian-

dovi alcuni soliti Officii della Diocesi, e della città dove dimorano. Al terzo, che sono state sempre soggette agli Arcivescovi di Taranto.

Le Religiose Francescane del secondo Monistero al primo quesito hanno risposto, che da tre secoli, ossia dalla Fondazione del di loro Monistero, hanno fatto sempre uso del Breviario dei Padri Riformati di S. Francesco. Al secondo, che fin dalla suddetta loro fondazione ricevono dai detti Padri Riformati di S. Francesco il Calendario dell' Ordine Serafico, e su questo regolano la recita del Divino Officio. Al terzo, che parimenti fin dalla lor fondazione sono state sempre soggette agli Arcivescovi di Taranto. Per notizia particolare però io so, che anche queste Religiose si fanno accomodare dal Ceremoniere di questa Cattedrale il lor Calendario particolare, frammischiandovi alcuni soliti Officii di questa Diocesi.

Le Religiose Francescane finalmente del terzo Monistero hanno risposto al primo quesito, che esse fin dalla fondazione di detto Monistero hanno fatto uso sempre del Breviario dei Padri Conventuali. Al secondo, che si sono sempre servite del Calendario di detti Padri Conventuali. Al terzo, che sono state sempre soggette agli Arcivescovi di Taranto.

Avendo io pertando eseguito li rispettabili comandi di Vostra Eminenza Reverendissima, e di cotesta Sacra Congregazione, mi fo il dovere di darlene la conoscenza, e di respingerle compiegata in questa mia umilissima la supplica, come Vostra Eminenza Reverendissima mi ordinò col detto suo venerato foglio dei 12 prossimo passato Novembre.

Finalmente stimolato dai dettami della mia coscienza, e dall' impegno del pieno adempimento ai miei Episcopali doveri mi fo ardito di supplicare l'Eminenza Vostra Reverendissima, e cotesta Sacra Congregazione a benignarsi di emanare le analoghe risoluzioni sull' assunto ad oggetto di calmare, ed assicurare la coscienza di tutte le suddette Religiose, e mia; giachè quanto esse hanno finora fatto circa la recita dell' Officio Divino, Breviario, e Calendario, non essendosi eseguito coll' autorizzazione de cotesta Sacra Congregazione, anzi essendosi di propria autorità frammischiato, ed accommodato il Calendario Monastico, ossia del proprio rispettivo Istituto con quello di questa Diocesi, sembra tutto ciò essere stato poco, o niente regolare. Peraltro sottometto il tutto alla saviezza di Vostra Eminenza Reverendissima, e di codesta Sacra Congregazione, dichiarandomi pronto ad eseguire quanto mi verrà ordinato.

Ed inchinandomi umilmente a baciarle il lembo della Sacra Porpora, con sincera stima, con profondo rispetto, e col dovuto ossequio passo a rassegnarmi constantemente.

Dell' Eminenza Vostra Reverendissima.

Taranto, 28. Decembre 1831.

Umil. Dev., ed Obbl. Servitore Guiseppe Antonio Arcivescovo di Taranto.

A Sua Emin. Rev. il Sig. Cardinal Pedicini Prefetto della Sacra Congregazione de' Riti.

Perillustris, et Reverendissime Domine uti Frater... In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, habita fuit ratio supplicis Amplitudinis Tuae Libelli quoad modum recitandi Horas Canonicas, quo utuntur Sanctimoniales istius Archidioecesis, et sequentis informationis transmissae sub datum quinto Kalendas Januarii superioris Anni 1831, quam Sacra eadem Congregatio ab Amplitudine Tua requisivit, auditis ipsis Sanctimonialibus. Post relationem ab infrascripto Secretario factam, omnibus mature, accura-

teque consideratis, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi rescribendum esse censuerunt: In omnibus *juxta Decreta et Privilegia:*

Nimirum Sanctimoniales Ordinis S. Benedicti utentes jam fere a decem saeculis Breviario Monastico, licet Ordinario subjectae, tenentur dumtaxat ad Officia Patroni Civitatis, Titularis Ecclesiae Cathedralis, et ex convenientia ad Officium Dedicationis ejusdem in omnibus sine Octava juxta Decreta in una Breviarii Monastici diei 2. Julii 1644 et in Lauden. diei 20. Novembris 1683. Reliquae vero tum Ordinis Sancti Augustini, tum Ordinis Minorum Sancti Francisci, sicut et praedictae Benedictinae non exturbandae sunt a sequendo proprii Ordinis Kalendario, et licet sint Ordinario subjectae non possunt illi Kalendario addere alia Officia, praeter supradicta juxta Decretum in Januen. diei 22. Augusti 1744 nisi aliter ab hac Sancta Apostolica Sede fuerit indultum pro Clero Saeculari cujuscumque Dioecesis, et Regularibus utriusque sexus. Haec ejusdem Sacrae Rituum Congregationis mandata libentissimo animo dum Amplitudini Tuae nota facere gestio, Illam adprecor, quoniam ejus fides, et integritas perspecta jam est, ut adamussim exequutioni mandentur. Et Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Amplitudinis Tuae uti Frater amantissimus Romae 7. Aprilis 1832. n. 4686.

Rev. Archiepiscopo Tarentino.

5) Romanum.

Vd. *Officium roman.; Episcopus; Off. non approbat.; Sancti; Reliquia; Calendarium; Lingua; Hebdomadarius; Moniales; Ritus* (mutatio); *Lectiones ex Octavario rom.*

Decretum contra abusus comprehendit etiam Breviaria, tolerata a Pio V., excedentia biscentum annos, hoc modo videlicet, ut non possit eis addi aliquod festum SS., nec minus ratione reliquiarum nisi modo et forma contenta in decreto et consulta Sede apostolica. n. 772 die 28. Oct. 1628.

Usus Missalis et Brev. rom. semel introductus in Ecclesia, quae habebat part. Missale et Brev., confirmandus est nec licet redire ad usum antiqui Missalis et Brev. S. R. C. 15. Martii 1608.

Non est relinquendum Officium Breviarii pro Officio devotionis. n. 2364 ad 1 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: an stante Bulla Pii V. in Bullario n. 64 et receptione novi Breviarii per totam Archid. Prag. possit sola Ecclesia Metrop. uti antiquo Breviario sine consensu sedis ap. et an Archiepiscopi licite hoc potuerint tolerare vel permittere? S. C. resp.: Non licere, nisi servata Bulla Pii V. n. 1682 ad 1 die 3. Mart. 1674.

Item *ad dubium*: an Archiepiscopo pontificaliter Vesperas peragente, Antiphonae et hymni secundum antiquum, psalmi, oratio et reliqua secundum novum Breviarium cantentur? S. C. resp.: Aut totum antiquum, aut totum novum. n. 2682 ad 2 die 3. Mart. 1674.

Ad dubium: an ubi receptum est novum Breviarium et aboletum antiquum, festa ex antiquo Brev. celebrata sub ritu dupl., semid. et simp. quae in moderno Brev. rom. vel sub tali ritu non celebrantur, vel pene non inveniuntur, observari et celebrari valeant sub ritu antiquo et Archiepiscopus hoc permittere debeat? S. C. resp.: Mandet servari in totum Brev. modernum ejusque Rubricas. n. 2672 ad 3 die 3. Mart. 1674.

Ad dubium: an Religiosi Ord. B. V. M. animarum suffragatricis uti valeant Breviario Ord. Min. s. Francisci ratione participationis Privilegiorum eidem Ordini in genere concessorum; an

potius teneantur servare ritum Brev. et Missalis rom. juxta eorum regulas et institutum? S. C. resp.: Communicationem privilegiorum non suffragari ad effectum, de quo agitur, sed teneri uti Brev. et Miss. rom. n. 4394 die 18. Decb. 1779.

BUGIA.

1) Canonicorum.

a) In choro.

In lectionibus canendis non competit Canonicis usus instrumenti vulgo Bugia nec usus candelabri ab alio sustentati, et. si obscuritas ingrueret, poterit prope Legile apponi candelabrum unum super pavimentum cum facula accensa. n. 3597 ad 3 die 10. Sept. 1701.

b) Minister.

Senen.

In Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis, quum a R. P. D. Secretario inter caetera propositae etiam fuerint sequentes preces Rmmi. Archiep. Senen. nimirum:

Emmi, e Rmmi. Signori.

L'odierno Arcivescovo di Siena Giuseppe Mancini rappresenta con tutto l'ossequio che i Canonici d'e quella sua Metropolitana con Apostolico Breve dei 5. Luglio ora decorso ottennero le facoltà di far uso della Bugia anche nelle Messe cantate, e Sagre Funzioni, giacchè per le Messe lette l'avevano di già. Ora insorge il dubbio se a chi spetti l'uffizio di tener loro la Bugia in tale occasione, e se possa esser tenuta indifferentemente da un Sacerdote, o da un Chierico, e se debbano questi, tenendo la Bugia, aver indosso il Pluviale, o la semplice Cotta, e non avendo potuto riscontrare cosa alcuna in proposito, ricorre all' oracola delle Eminenze Vostre Reverendissime per l'opportuna decisione. Che etc.

Emmi. et Rmmi. P. Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum, ac declarandum censuerunt: „Palmatoria in casu juxta generalem consuetudinem sustinenda est vel a Ministris, vel a Magistro Caeremoniarum Missae solemni inservientibus". n. 4865 die 3. Aug. 1839.

c) In missa.

Vd. *Usus Pontifical.* (decr. n. 4588 nota; n. 4593 ad 10; 4863; 4621; 4640; 4781.)

Canonicus celebrans mitratus Ecclesiae Cathedr. Panormitanae non potest uti palmatoria (bugia). n. 3052 ad 3 die 22. Apr. 1684.

Canonici Metropol. Turitanae in missis priv. et solemnibus uti non possunt bugia. n. 3687 ad 1 die 26. Apr. 1704.

Ad dubium: An Canonici Cathedralis, de qua supra, uti possint Palmatoria in celebratione Missae, etiam quando celebrant extra Cathedralem? Similiter in aliis functionibus ecclesiasticis, Vesperis, Benedictionibus etc. saltem ex praetextu obscuritatis in aliquibus casibus?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative in omnibus, nisi habeatur Apostolicum Indultum, de quo certioretur S. C., et detur Decretum generale."

Facta autem per subscriptum Secretarium S. D. N. relatione, S. S. S. C. responsa approbavit, et confirmavit et Decreta generalia, de quibus supra, typis impressa evulgari mandavit. n. 4536 ad 3 die 4. Jun. 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Palmatoria, seu *Bugia*, ut vulgari appellatur voce, non omnibus Praelatorum Collegiis indistincte, ac multo minus Ecclesiarum Cathedr. Canonicis convenit. Jure ea utuntur tam S. R.

E. Cardinales, quam Episcopi; alii vero ex Indulto, quibus Pontificis auctoritate, et clementia concessum est. Non omnibus tamen, qui hoc gaudent privilegio, datum est eo frui ubique, et in omnibus ecclesiasticis functionibus, sed quisque debet se continere intra fines, quibus circumscripta est concessio, vel haec nobile aliquod Collegium respiciat, vel singulariter personas. Certum est autem, quod Canonicis Cathedralium Palmatoriae usus de jure non competit, neque eis licet vel in propria, vel in aliena Ecclesia publice, aut private hujusmodi adhibere instrumentum. Nec tam facile concedam id ipsos posse ex privilegio, quod nequeunt ex dispositione juris; cum nec eo gaudeant Praelati utriusque Signaturae Referendarii, et Protonotarii Apostolici titulares, etiamsi celebrent in Ecclesiis illarum Civitatum, quarum regimini praeficiuntur, veluti declaravit S. R. C. in Caesenaten die 9. Febr. 1675. Et stricte ad Canonicos Cathedralium habetur declaratio ejusdem S. R. C. in Vicentina 11. Julii 1699 ut ex decreto, quod in nostra Collectione omissum, sed laudatum a pluribus de re liturgica Scriptoribus, praesertim vero a s. m. Benedicto XIV. de Sacrificio Missae, a Catalano ad Caeremoniale Episcoporum, a Merato ad Gavantum, aliisque, et nos modo ex regestis authenticis nuper restitutis exscripsimus: Vicentina. Humiliter S. R. C. supplicantibus Capitulo et Canonicis Cath. Eccl. Civitatis Vicentiae; quatenus ipsis usum Palmatoria benigne concedere dignaretur: S. eadem R. C., referente Emmo. et Rmmo. D. Card. Noris, censuit respondendum: *Negative.* Die 11. Julii 1699. Quin immo, nisi palmatoriae usus sit expresse nominatim concessus, haud comprehenditur in Pontificalium Indulto, quo insignium quarumdam Cathedralium Canonici decorantur, veluti colligimus ex S. R. C. responso in Urbinaten. 29. Jan. 1752. Non desunt tamen, qui Capitulum, seu Collegium, cui sunt adscripti, hoc privilegio ditatum fuisse contendunt, sed abusum, et indebiti honoris usurpationem privilegio tueri conantur, quod nunquam extitit. Quod autem eo careant Canonici, de quibus hoc in dubio quaestio est, patet ex postrema dubii parte, in qua petitur: An id ipsis liceat ex praetextu obscuritatis in aliquibus casibus? Quae sane petitio frustra fieret, si aliquo Apostolico Indulto Canonici illi donati fuissent. Cum vero quod primum ad tenebras depellendas (simplex tunc in usu erat candela) fuit adhibitum, temporis successu fuerit commutatum in instrumentum et signum honoris et dignitatis; ideo obscuritatis praetextus non id licitum reddit, quod ex praesenti Ecclesiae disciplina, quibusdam tantum Collegiis, et Personis jure competit, vel privilegio concessum est: aliis vero ad artificiale lumen, ingruentibus tenebris, praestandum, simplex candela satis esse debet supra candelabrum posita, non manu inserviendis ministranda. Ita S. R. C. die 10. Sept. 1701 in Cortonen. proposito dubio: An in lectionibus canendis competere possit Canonicis usus instrumenti, vulgo bugia, vel usus Candelabri ab alio sustentati? respondit: *Negative;* et si obscuritas ingrueret, poterit prope Legile apponi Candelabrum unum super pavimento cum facula accensa.

Ad dubium : Se essendo accordato ai Canonici il privilegio della Bugia, anche nelle Messa lette possano far tenere la stessa Bugia o al Ceremoniera, o ad un Chierico con Cotta, oltre al Chierico, che serve la Messa, quando l'altro Chierico destinato a tener la Bugia sia addetto esclusivamente ad essa senza che s'interessi del servizio della Messa, al quale l'altro Chierico è destinato,

cosi che uno serva esclusivamente la Messa, e l'altro tenga la Bugia, in caso che tener non la possa il Ceremoniere, conforme pare che si rilevi da una risposta data si tal proposito da Benedetto XIV., e conforme un Ceremoniere di Palazzo assicurò nel 1839 rispondendo ad un Canonico, che avevalo su ciò consultato?

S. eadem C.... rescribendum censuit: „Posse a solo Clerico Superpelliceo induto.“

Atque ita rescripsit. n. 5085 ad 3 die 27. Febr. 1847.

2) Dignit., Protonotar., Vicarii etc. in missa.

Vd. *Protonotar. apost.* (missa); *Usus Pontif.*

Vicarius gen., ab usu bugiae sese abstineat. n. 1926 die 7. Sept. 1658.

Rectores et Beneficiati Ecclesiarum parochialium Caesaraugustanae tempore, quo solemniter vel privatim celebrant, non possunt uti bugia. n. 3046 ad 7 die 11. Mart. 1684; n. 3077 die 10. Febr. 1685 et 20. Aug. 1687; n. 3178 die 22. Jan. 1689.

Priori Cathedralis Ecclesiae Tudert. in missarum celebratione non licere bugiam. n. 2032 die 24. Jan. 1660.

In s. functionibus sive publicis, sive privatis, non licere Dignitatibus, et Canonicis, Superioribus Regularibus, Praelatis quoque Romanae Curiae, Protonotariis Apostolicis honorariis, aliisque omnibus, quocumque nomine nuncupentur, quibus ex jure non competit, etiamsi habeant ex indulto usum Mitrae, Palmatoriam adhibere, nisi Apostolico privilegio donentur, vel hoc personale sit, vel Corpori cujus membra sunt attributum, ita tamen, ut non aliter eo uti possint, quam servatis modo et forma, et cum limitationibus et conditionibus in Apostolica concessione praescriptis.“

Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit, si SSmo. videbitur, die 31. Maii 1817.

Facta autem relatione etc. per infrascriptum Secretarium S. R. C. de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. S. M., S. S. S. C. Decretum Apostolica confirmatione munitum, typis tradi, ac evulgari jussit, pridie Nonas Junii MDCCCXVII. n. 4537 ad 1.

Dignitates et Canonici Metrop. Urbinaten uti non valent bugia in Pontificalibus et in privatis missis. n. 4224 ad 4 die 29. Jan. 1762.

Archiepiscopus Spoletanus inhibeat Dignitatibus Usum palmatoriae et Canonis tam intra quam extra propriam Ecclesiam, quoniam eorum usus nullimodo neque ex privilegio neque ex indulto illis competat. n. 4824 die 23. Sept. 1837.

Quum S. R. C. compererit Priorem Ord. Praedicat. civitatis Pennen. eoque absente Vice-Priorem uti palmatoria, quod vetitum omnino est, decrevit.. ut abusus omnino de medio tollatur. n. 4845 die 23. Febr. 1839.

3) Episcopi.

(Minister.)

Canonicos assistentes non teneri, immo non debere inservire Archiepiscopo de bugia, sed eam esse administrandam per Cappellanum. n. 1874 die 16. Mart. 1658.

Episcopo pontificaliter celebrante candelam per Capellanum esse ministrandam et non teneri Canonicos. n. 1375 ad 1 die 10. Maii 1642.

Ad dubium: an instrumentum Bugia de candela serviens Episcopis ad librum, possit esse materia ordinis Acolythorum loco candelabri seu Ceroferarii? S. C. resp.: *Negative.* n. 3809 ad 5 die 8. Junii 1709.

Vd. *Minister de libro* (Episcopi.)

4) Sacerdotis.

Vd. *Assistens Presbyteri* (decr. n. 5211.)

Ad dubium: Utrum Sacerdos a Vicario Apostolico morti proximo electus ad regimen provisorium Vicariatus, et deinceps a S. C. de Propaganda Fide renunciatus Superior interinus Vicariatus ipsius, in tantum, et ratione hujusmodi delegationis, jus habeat exigendi in celebratione Missae Solemnis honorem Presbyteri assistentis, et Palmatoriae?

S. eadem C....: „Negative in omnibus" respondendum censuit. nr. 5211 die 21. Julii 1855.

BURSA.

1) In Communione.

Ad dubium: an conveniat corporale extra Bursam deferri? S. C. resp. Archiepiscopus incumbat observationi... rubricarum. n. 3707 ad 2 die 13. Sept. 1704.

Ad dubium: An Sacerdos pergens ad explendam Communionem extra Missam debeat per se, vel per Ministrum deferre Bursam, in qua Corporale recluditur?

Et S. eadem C.... rescribendum censuit: „Decere ut a Sacerdote deferatur." Atque ita rescripsit, die 24. Sept. 1842. n. 4950 ad 3.

Quum R. P. Bernardus a Virgine Maria ex Recessu Reatino Congr. Clericorum Reg. SSmae. Crucis et Passionis D. N. J. Chr. a B. V. M. de Succursu nuncupato S. R. C. pro opportuna solutione sequentia dederit Dubia, nimirum:

1. An semper adhibenda sit Bursa cum Corporali, supra quod reponenda sit S. Pyxis, toties quoties administratur Communio Christifidelibus extra Missam, uti innuitur in Ritualis Rom. Rubrica, et clare docetur a Gavanuto aliisque S. Rituum expositoribus?

2. An Rituale Rom. prout in casu, intelligendum sit, quod assumi debeat Bursa cum Corporali tantum quando S. Viaticum defertur ad Infirmos, an toties quoties extra Missam S. praebetur Synaxis?

3. An Rubrica Ritualis Rom. sit, prout in casu, praeceptiva, vel tantum directiva, et ad libitum?

4. Quum expletur Communio extra Missam, quaeritur an tolerari debeat consuetudo utendi Palla, qua Calix tegitur in Missae Sacrificio, semper super Altaris mensa ante Tabernaculum manente?

Et S. eadem C. ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario, rescribendum censuit:

Ad. 1. „Affirmative juxta Rituale."

Ad. 2. „In administranda Eucharistia intelligendum."

Ad. 3. „Praceptivam esse."

Ad 4. „Jam provisum in superioribus."

Atque ita rescripsit, et declaravit. n. 5068 die 27. Febr. 1847.

2) In Missa.

Non licet sacerdotibus Capuccinis celebrare missam absque usu Bursae Corporalis, uti requiritur ritus s. rom. Ecclesiae. n. 3262 ad 2 die 19. Jan. 1692.

3) Pro deferendo SSmo. ad Infirmos.

Vd. *Stola* (administ. SS., decr. n. 4623.)

4) Pro deferendo ss. Olea ad Infirmos.

Vd. *Stola* (extrema unctio; decr. n. 4623.)

C.

CADAVER.

1) Asportatio.

Archipresbytero Cathedr., associante capitulo, licitum non est independenter a parocho domicilii, in quo Capitularis decedit, illius cadaver asportare ad Cathedralem; item viceversa licitum non est Archipresbyteris Ecclesiarum parochialium. n. 4262 ad 8 et 9 die 18. Decb. 1756.

Vd. *Defunctus*.

2) Deferentes.

Sacerdotibus Prioriae s. Petri in Lilice civitatis Volateranae non licet deferre cadavera *Monialium* ex Monasteris ad Ecclesiam dictae Prioriae. n. 4096 die 11. Julii 1739.

3) Depositio.

Vd. *Defunctus; Defunctus Sacerdos.*

Cadaver in Ecclesia praes. vd. *Missa exequ. in die obitus.*

4) Jurisdictio.

Parochi Jurisdictio super cadaver durat, quosque transeat in aliorum jurisdictionem, non transit autem cadaver in jurisdictionem regularium, nisi quando pervenit ad fores eorum ecclesiae. S. C. C. 28. Febr. 1711; S. R. C. 2. Sept. 1741.

CAEREMONIAE.

1) Correctio.

Vd. *Usus; Caeremoniarius* (vigilans etc.); *Instructio Clem.* § XXXVI. n. 18, 19 etc.; *Extrema Unctio* (Unctio Ped. decr. n. 4750 *nota*); *Coena Dom.* (Processio, decr. n. 4647 *nota*).

Archiepiscopum pro sua prudentia providere debere, ut abusus circa ritus et caeremonias introducti juxta caeremonialis praescriptum corrigantur. n. 583 die 4. Apr. 1620.

Archiepiscopus potest in sua Cathedrali corrigere defectus et Caeremonias aliosque abusus cumulative. n. 3370 ad 1 die 3. Sept. 1695; n. 3443 ad 1 die 31. Aug. 1697.

Ad dubium: an, si Praelatus nonnullos introduxerit usus, iidem servandi sint, quae a Caeremoniali praescribuntur praetermissis? S. C. resp.: Servandum Caeremoniale. n. 3551 ad 6 die 13. Mart. 1700.

2) Missae, a Sacerdote inhabili celebrandae.

Vd. *Sacerdos inhabilis; Sumptio SS. Sanguinis cum fistula.*

3) Mutatio.

Vd. *Missale; Ritus;* Rubrica; *Extrema Unctio* (Unctio pedum, decr. n. 4780 *nota*).

Non audeant sine expressa S. R. C. licentia Patriarchales et Colleg. Ecclesiae, nec Magistri Caeremoniarum immutare ordinarias Caeremonias seu variare vel novas ordinare diverso ac vario modo ab eo, qui in rubricis Missalis et Breviarii Romani et in Libro Caeremoniali praescribitur, et ab usu et consuetudine universali... sine expressa licentia ejusdem S. C., ad quam specialiter et particulariter haec pertinent, sub poenis contra facientibus arbitrio ejusdem S. C. imponendis et exequendis. n. 454 die 12. Maii 1612.

Episcopus non potest esse judex ad declaranda dubia super sacris ritibus et Caeremoniis exorta. n. 263 ad 1 die 11. Junii 1605.

Episcopus non potest esse judex ad declaranda dubia super sacris ritibus et caeremoniis exorta. n. 265 ad 1 die 11. Juni 1605.

Non licet Capitulo, Sede vacante, propria auctoritate addere quidquam vel minuere caeremoniis contra ritum

praescriptum in Caeremoniali romano. n. 1423 ad 2 die 17. Decb. 1642.

4) Origo diversarum Caer.

Vd. *Ritus* (Origo diversi ritus.)

5) Quid significant?

Vd. *Cereus pasch.* (Bened. modus, decr. n. 4672 *nota.*)

CAEREMONIALE.

1) Episcoporum.

a) Consuetudo.

Vd. *Episc.* (access., ordo incedendi; decr. n. 4597); *Consuetudines*; *Nativit. Dom.* (Officii cant.; decr. n. 4672 *nota.*)

Caeremoniale abusus tollere, non autem immemorabiles consuetudines, maxime si consuetudo immemorabilis legitime praescripta sit. n. 229 die 10. Jan. 1604.

Clericos per Episcopum ... ad munia subeunda juxta formam libri Caeremonialis debitis et opportunis remediis cogendos esse. n. 240 die 10. Apr. 1604.

Librum Caeremon. *immemorabiles* et laudabiles consuetudines non tollere. n. 266 die 11. Junii 1605.

Omnes Ecclesias Metropol., Cathedrales et Colleg. Librum Caeremonial. in Omnibus ad unguem servare debere, praeter quam in illis, quae de *antiqua, immemorabili ac laudabili* consuetudine, alio vel diverso modo ab eo, quo in Caeremoniali praescribitur, observantur. n. 270 die 16. Julii 1605.

Decretum „quod liber Caeremonial. Episcoporum non tollat laudabiles et immemorabiles consuetudines" in quibuscunque Regnis et locis per totum Christianum Orbem locum habere. n. 318 die 17. Juni 1606.

Laudabiles et immemorabiles consuetudines, quas Liber Caremonial. non tollit, nec etiam per Episcopum posse abrogari seu tolli. n. 449 die 28. Jan. 1612.

b) Dubia.

In casu discrepantiae quoad intelligentiam et observantiam Caer. Episc. et quoad alias functiones non licet Episcopo procedere juxta resolutionem congregationis particularis; recurrat in casibus particularibus. n. 4235 ad 16 die 15. Sept. 1753.

2) Regularium.

Caeremonialia Regularium, quae Caeremoniali Episc. in aliquibus conformia non sunt, prohibendae sunt. n. 1627 ad 5 die 19. Aug. 1651.

3) Servandum est.

Formam libri Caeremonialis introducti et acceptati in Ecclesia Turritana servandam esse. n. 488 die 19. Maji 1614.

Subcollectores spoliorum, commissarii aut alii Ministri Camerae apostolicae in criminalibus, quocunque nomine nuncupentur, qui Dignitates, Canonicatus aut Beneficia obtinent, privilegio SS. D. Urbani VIII. *Alias recolendae* (2. Julii 1636) se tueri non posse, quominus, ubi de cultu divino et de observatione Caeremonialis et rubricarum Missalis et Breviarii romani agitur, per Episcopos Dioecesanos ad implendum eorum munus cogi possint. n. 1493 die 5. Mart. 1644.

Sub verbis, quibus PP. Clemens VIII. et Innocentius X. utuntur Caeremoniale Episc. approbantes et observari mandantes ab omnibus et singulis personis, etiam Regulares, qui ritum romanum in Officio divino et Missa sequuntur, comprehenduntur, nisi aliter fuerit a Sede apost. specialiter indultum. num 1637 ad 4 die 19. Aug. 1651.

Caeremonialem librum semel receptum, integre servandum fore. num. 1735 die 14. Nov. 1654.

Caeremoniale Episcop. a Capitulo et Canonicis Calaritanae Ecclesiae omnino servari debere. n. 1770 die 27. Nov. 1655.

In omnibus Ecclesiis, maxime Cathedralibus, sublato quocunque contrario usu sive consuetudine . . . in explendis s. functionibus, caeremonias et ritus a Caer. Episcop. praescriptos, juxta illius modum et normam in quibuscunque actibus exercendos et observandos esse. n. 2947 die 19 Apr. 1681.

Beneficiati sive Hebdomadarii Metrop. Neapolis in functionibus eccles. tenentur servare omnia et singula, quae praescribuntur Beneficiatis Cathedralium a Caer. Ep., aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis. n. 4248 ad 1 die 7. Sept. 1754.

CAEREMONIARIUS.

1) Assistens Episcopo.

In defectu superiorum Dignitatum Praefectus Caeremoniarum potest assistere throno Episcopali et valet pro directione caeremoniarum alium substituere. n. 4064 ad 17 die 31. Aug. 1737.

2) Candela in processione.

In processionibus, in quibus Episcopus exercet Pontificalia et Canonici s. vestibus sunt ornati, Praefectus caeremoniar. deferre non valet intortitium, licet sit in habitu chorali. n. 4064 ad 15 die 31. Aug. 1737.

3) Non distribuit Olea s.

Vd. *Coena Dom.* (Olea s.; Distributor.)

4) Ecclesiae Cathedralis.

Vd. *Caeremon.* (electio, vestis); *Administratio Sacrament.* (ministri, decr. n. 4536); *Oblatio in Parasceve.*

5) Ecclesiae Collegiatae.

Vd. *Caerem.* (Processio.)

Magister Caeremon. Capituli Colleg. Placentiae associare non valet dictum Capitulum cum habitu violaceo et cum gestatione ferulae in illis processionibus publicis caeterisque functionibus generalibus, in quibus intervenit Capitulum Cathedralis. n. 3980 ad 1 die 3. Julii 1728. Idem decret. pro Canonicis Colleg. Casalen cum appendice: „etiamsi Capitulum Cathedr. non interveniat.“ n. 4226 ad 9 die 15. Julii 1752.

6) Ecclesiae parochialis.

Ad dubium: an in Vesperis et Missis solemnibus in Ecclesiis parochialibus possit adhiberi aliquis Caeremoniarius? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2912 ad 6 die 24. Febr. 1680.

7) Electio.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXXVII. n. 2.

Magistri Caeremoniarum Episcopi eligantur ab Episcopo, Capituli a Capitulo. n. 3318 ad 10 die 11. Julii 1693.

Ad dubia: 1. An liceat Capitulo eligere Magistrum caeremoniarum ab Episcopo confirmandum in casu etc.? Et quatenus affirmative.

2. An valeat Episcopus, justis de causis in Caeremoniali Episcoporum praescriptis, confirmationem electionis denegare, et an teneatur causas exprimere?

3. Et an idem Magister caeremoniarum censeri debeat electus privative, etiam quoad omnes functiones pontificales et assistentias praestare solitas Episcopo tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralem? Et quatenus negative.

4. An Episcopo liceat alium Magistrum caeremoniarum eligere pro omnibus functionibus ab ipso peragendis et aliis, ipso praesente, explendis tam

intra, quam extra dictam Ecclesiam? Et quatenus affirmative.

5. An eidem Magistro caeremoniarum ab Episcopo electo omnes Capitulares teneantur obedire quoad ea, quae divinum cultum concernunt, sub poena, arbitrio Episcopi, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., partibus hinc inde in scriptis, et in voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. „Affirmative."

Ad 2. „Affirmative, quoad primam partem, negative quoad secundam."

Ad 3. „Negative."

Ad 4. „Affirmative."

Ad 5. „Affirmative."

Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 4023 die 17. Julii 1734.

Ad dubium: 1. an liceat Capitulo eligere pro functionibus canonicalibus et ejus servitio Magistrum caeremon. distinctum ab altero Episcopi? et 2: an idem valeat suum munus exercere absque consensu et approbatione Episcopi? S. C. resp.: ad 1: affirmative; ad 2: Non posse exercere absque approbatione et quoad consensum satis provisum in primo. n. 4028 ad 1 et 2 die 22. Jan. 1735.

8) Episcopo iudicit Officia.

Ad dubium: an Canonicus Magister caeremoniarum teneatur requirere Episcopum, utrum et quando velit accedere ad Ecclesiam pro assistendo divinis Officiis, sive potius ipse Episcopus teneatur notificare Capitulo suum accessum ad Ecclesiam? S. C. resp.: Affirmative juxta modum; Modus est: ut teneatur in diebus, in quibus Episcopus solet assistere, in reliquis negative. n. 4103 ad 3 die 10. Decbr. 1740; num. 4145 ad 3 die 20. Julii 1743.

9) Fimbrias Episcopi elevat.

Vd. *Fimbrias vestis Episcopi.*

10) Ad Lectiones.

Canonicis aliisque lectiones cantantibus in choro vel antiphonas suggerentibus debet solus Caeremoniarius comes adesse, quod etiam in tali casu observat Cappella Pontificia cum Emis. Cardinalibus. n. 3597 ad 2 die 10. Sept. 1701.

11) Locus in choro.

Cf. *Caeremoniarius* (sedes).

Magistros caeremoniarum in choro, quando Officia non celebrantur solemniter, in quibus eorum assistentia non requiritur, sedere debere inter Clericos vel Presbyteros, juxta ordinem Praebendarum vel Beneficiorum, quae in Ecclesia habuerint. Quodsi nullum habuerint vel obtinuerint Beneficium vel Praebendam, inter simplices clericos vel presbyteros, ordinis et antianitatis praerogativa servata, sedere et assistere debere. n. 419 die 20. Nov. 1609.

Magistrum caeremoniarum (seu ejus Substitutum) quando *tamquam Capellanus* in choro assistit ad horas canonicas, debere sedere in loco suae receptionis inter alios Capellanos. n. 537 die 8. Maji 1617.

12) Locus in accessu ad altare.

Ad dubium: an Magister caeremoniarum in egressu e Sacristia pro Matutinis, Laudibus et Vesperis solemniter persolvendis praecedere debeat Presbyteris Pluvialibus indutis, et Ministris Sacris in celebratione Missae, vel cogi possit ire immediate ante Canonicum celebrantem, praesertim si Ministri sint celebrante gradus inferioris?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Affirmative ad primam partem, negative quoad secundam: et servandus modus praescriptus in Caeremoniali Episcoporum lib. 2 cap. 3 n. 1."

Facta autem per subscriptum Secretarium S. D. N. relatione, S. S. S. C. responsa approbavit et confirmavit, et Decreta generalia, de quibus supra, typis impressa evulgari mandavit. n. 4536 ad 2 die 4. Junii 1817.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Quamvis regula generalis sit, quod certus locus non sit assignandus caeremoniarum Magistro, qui stare, aut discurrere debet pro officii ratione, ut omnia, quae ad sacras pertinent caeremonias rite et recte peragantur, uti patet ex Decretis ex nostra collectione legendis: relate tamen ad speciem in dubio propositam clara est dispositio Caeremonialis lib. 2 cap. 3 num. 1, ubi legitur: Coadunatis Canonicis et aliis de Clero in Chorum, praedictus Canonicus Celebrans procedet e Sacristia hoc ordine: *praecedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis, deinde Caeremoniarius et aliqui Ministri cottis induti, mox Presbyteri pluvialibus parati bini, et bini, ultimo loco Canonicus Celebrans pluviali indutus medius inter duos ex dictis Presbyteris, qui fimbrias anteriores pluvialis ipsius parumper elevent.* Haec idcirco regula tenenda est, ut dum clara est Caeremonialis dispositio, minime attendi debent privatorum scriptorum placita, qui in diversas abeunt opiniones, ac varii sunt in assignando locum caeremoniarum Magistro.

13) Locus incertus.

Magistro caeremoniarum nullum competere locum in sedendo, sed stare debere, dum munus suum exercet juxta Caerem. (L. I. c. XVII.) n. 1110 die 9. Dec. 1638.

14) In missa conventuali.

Servari potest antiqua Cathedralis Conimbricen. consuetudo, qua diebus non festivis in missa conventual. non assistit Magister caeremoniarum. num. 4233 ad 3 die 14. Apr. 1753.

15) Obedientia in eum.

Cf. *Caeremon.* (electio, decr. n. 4023 ad 5.)

Capitulares teneri omnes obedire caeremoniarum Magistro in iis, quae divinum cultum respiciunt, eundemque in sui muneris exercitio esse Capitularium Directorem non famulum. n. 4536 ad 11 die 4. Junii 1817.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Miror alicubi datam occasionem proponendi hujusmodi dubium. Vix enim induci possum, ut credam, aliquem reperiri, qui ita despiciat officium Magistri caeremoniarum, quod sane honorificum est, ut qui ad hujusmodi muneris exercitium assumitur, non secus habendus sit, ac si esset Capitularium famulus! Is namque ille est, qui sacras dirigit actiones, et vigil adest, ut Ecclesiae leges quoad ritus, et caeremonias adamussim serventur. Quamobrem omnes, etsi gradu longe majores, in iis tamen, quae ad divinum cultum pertinent, ei obtemperare tenentur. Ita jubet Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. 5 num 5. Episcopi curae erit omnes tam Canonicos, quam alios de choro praemonere, ut ipsis Caeremoniariis, in his, quae ad divinum cultum spectant, sine contradictione obediant; nec tantum eorum verbis acquiescant, sed ut oculos in ipsos convertentes observent; et illico illius nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu quod agendum sit significantibus, statim pareant. Et S. C. in Monopolitana 17. Julii 1734 respondit: Omnes Capitulares teneri obedire Magistro caeremon. ab Episcopo electo, quod ea, quae divinum cultum concernunt sub poena arbitrio Episcopi. Atque adeo verum est, quod Magistri caeremoniarum officium honorabiliori-

bus adnumeratur, ut eadem S. C. responderit: haud repugnare, quin ad illud exercendum assumatur Canonicus Cathedralis. Ita in Licien. 10. Jan. 1693. Quo jure igitur dicendus Capitularium famulus?

16) Processio.

Vd. *Caeremon. Eccles. Colleg.; Incensum* (quis imponit etc.)

Magistris caeremoniarum non dari certum locum in *processionibus*, sed eos ubique assistere et discurrere debere, ubi opus est, in ordinandis et disponendis dictis processionibus. n. 163 die 30. Aug. 1602.

Hujusmodi Ministrum locum non occupare, sed ad Processiones dirigendas vel ad Superiorum mandata exequenda, posse in quovis loco, vel inter seu ante vel post Clericos etiam paratos ad celebrandum, et undequaque juxta temporis et necessitatis exigentiam et quando occasio postulat pro sui officii executione incedere, discurrere et ambulare atque associare. n. 395 die 6. Dec. 1608.

Magistrum caeremoniarum, seu ejus Substitutum, quando vestibus Magistri caerem. indutus est, in processionibus debere incedere apud celebrantem et ejus Assistentes et discurrere, quando opus est ad dirigendas processiones. n. 537 die 8. Maji 1617.

Magister caeremoniarum (Canonicus) quotiescunque Canonicorum numerus dispar fuerit, cum Canonico seniori in processionibus, quibus pari et uniformi habitu induti intersunt, incedere tenetur, idque S. C. Ordinario, ne secus servari permittat, sedulo injungit. n. 1787 die 18. Mart. 1656.

17) Quis?

Non repugnare, quod Caeremoniarum Magister sit Canonicus. n. 1903 ad 2 die 13. Julii 1658; n. 3300 die 20. Jan. 1693.

18) Quot?

Episcopus curet, adesse duos Magistros Caeremoniarum, quorum alter serviat soli Episcopo, alter Dignitatibus et Canonicis ad s. caeremonias opportune peragendas. n. 3328 die 13. Mart. 1694.

Vd. *Caeremon.* (electio).

19) SS. Sacram. Celebranti non porrigit.

Vd. *Ostensorium.*

20) Sedes.

Cf. *Caeremoniar.* (Locus in choro).

Magistros Caeremoniarum debere assistere apud Celebrantem vel sedere ad ejus pedes. n. 419 die 28. Nov. 1609.

Magistrum Caeremoniarum seu ejus Substitutum, quando dictum officium exercet et vestibus Magistri Caerem. indutus est, licet ex numero Cappellanorum sit, debere sedere et assistere apud Celebrantem et ejus Assistentes, Pluvialibus indutos (de Vesperis enim agitur). n. 537 die 8. Maji 1617.

Ad dubium: an liceat Magistro Caeremoniarum in Matutino Nativ. Dom., Officiis tenebrarum et Officio defunct. in die Commemor. Omn. fidel. sedere inter Beneficiatos et in eorum stallis? S. C. resp.: Danda esse decreta de 28. Nov. 1609 et 8. Maji 1617. n. 3581 die 30. Apr. 1701.

Magister Caerem. stare debet semper reliquis Clericis et Acolythis sedentibus in Vesp., Matut. et Laudibus sol., dum munus actualiter exercet, secus negative. n. 4536 ad 8 die 4. Junii 1817.

Decretum de 9. Dec. 1638 (n. 1110): „Magistro caeremoniar. nullum competere locum in sedendo, sed stare debere, dum munus suum exercet"— authenticum esse; intelligendum tamen, quod non sit Caeremoniario locus in sedendo, quando actualiter suum exer-

cere debet Officium. num. 4536 ad 9 die 4. Junii 1817. (Cf. *Caerem. Ep. lib. 1 c. 5*).

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Authenticum et genuinum est Decretum editum sub die 9. Dec. 1638, sed mendum irrepsit in citatione Caeremonialis et legi debet Lib. 1 cap. 5, ubi revera agitur de caeremoniarum Magistris. Neque tamen ex eo consequitur, quod ille, qui Ecclesiasticas functiones dirigit, numquam sedere debeat. Equidem Caeremoniale Episcoporum nullum ei locum in sedendo assignat, quia regulas dumtaxat praebet in exercendo munere servandas, et certum est, quod in actuali exercitio non est ei sedendi locus. Jure laudatum Decretum dum praecipit stare debet, limitationem ponit dum munus suum exercet. Quid ergo prohibet, ne sedeat dum ab officio quiescit, nihilque est, quod ejus vigilantiam requirat? Indecens immo esset, ut ipse staret satis diu inoperosus, quando omnes in Choro sedent Matutinas et Vespertinas horas solemniter cum cantu persolventes, et Celebrans, Sacri Ministri, aliique nec assistentia indigent, nec directione. Quod autem non exprimit Caeremoniale, et forte obscurum est in praefato Decreto, declaratur per alia S. C. Responsa, praesertim in Patavina et Viterbien.

Ad dubium: an Praefectus Caerem. Episcopo Pontificalia exercente, teneatur stare vel potius sedere debeat in scabello? S. C. resp.: Servetur Solitum, extra tamen solium. n. 4064 ad 16 die 31. Aug. 1737.

21) Thurificatio.

Canonicum Caeremoniar. Magistrum nullo pacto debere associare Acolythum thurificaturum Magistratus saeculares. n. 1807 die 10. Junii 1656.

Ad idem dubium resp. S. C.: *Tenetur associare*, cum appendice: Magistratum saecularem, videlicet Syndicos, Electos etc. inibi collegialiter assistentes. n. 2272 ad 2 die 24. Maji 1664.

22) Vestis.

Vd. *Caeremon. Ecclesiae Colleg.; Administratio Sacram.* (Ministri decr. n. 4536).

Magistris Caerem. Cathedralis competit usus vestis violacei coloris juxta Caeremoniale Ep. Lib. I. c. IV., non tamen sericae materiae, neque cum globulis aliisque ornamentis rubei coloris. n. 2130 die 3. Sept. 1661.

Ad dubium: an Magister Caeremon. Capituli ex permissione Capituli uti valeat in functionibus canonicalibus veste violacea tam praesente quam absente Episcopo? S. C. resp.: Affirmative tantum in functionibus episcopalibus ex dispositione Caeremonialis, non vero ex dispositione Capituli. n. 4028 ad 3 die 22. Jan. 1735.

Serventur praescripta a Caeremoniali Ep. circa vestem violaceam et ferulam gestandam, prout legitur c. 5 et hujusmodi color et ferulae gestatio convenit solummodo Caeremoniariis Cathedralis. num. 4153 ad 7 die 21. Mart. 1744.

Ad dubium: an Magistri Caeremon. Cathedr. qui ex dispositione Caerem. Ep. necnon Patriarchalium Urbis, qui ex ap. Indulto, veste violacea in s. functionibus utuntur, eadem uti possint extra Servitium Episcopi et resp. Capituli? S. C. resp.: Negative ad utrumque et quoad caerem. Magistros Ecclesiarum Patriarchal. Urbis servandam esse strictam formam privilegii. n. 4590 ad 14 die 17. Sept. 1822.

23) Vigilans rubricas.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXXVII. n. 2.

Ad dubium: Quomodo se gerere debeant Magistri Caeremoniarum, aliique, qui vident in Ecclesiis non per-

agi functiones juxta Rubricas, nec observari Decreta et Resolutiones S. R. C.?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi.. respondendum censuerunt ut infra, videlicet:

„Adeundus loci Ordinarius, qui stricte tenetur opportunis remediis providere, ut Rubricae, et S. R. C. Decreta rite serventur, si quid dubii occurrat, recurrendum ad eamdem S. C. pro declaratione."

Atque ita responderunt, et statuerunt. n. 4590 ad 1 die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. Dom. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit, Decretumque desuper expediri, et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense, Anno, quibus supra.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Dubium hoc illustratione non indiget. Quis enim est, qui nesciat pastoralis solicitudinis esse, sedulo invigilare, ut adamussim Ecclesiasticae leges, quae circa ritus, sacrasque caeremonias versantur, rite recteque serventur; et si qui inoleverunt abusus, radicitus extirpentur? Id jubent Ap. Constitutiones praemissae tam Breviario et Missali Rom., quam aliis ritualibus libris: id pariter S. R. C. iterata Decreta. Nam *quaecumque ad Dei cultum spectant ab Ordinario diligenter curavi, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est.* Ita Trident Syn. *Sess. 21 cap. 8 de reformat.* Jure igitur ad Episcopos pertinet in suis respective Dioecesibus curare, et jubere, ut a sibi subdito Clero s. ritus, ac caeremoniae ad praescripta Rubricarum et Decretorum componantur. Sed quoniam Episcopus aliis sui ministerii curis distractus, nec ubique adesse, nec omnia noscere per se potest, Magistris caeremoniarum onus incumbit, (quin ad hoc liberi censeantur Ecclesiarum Rectores), si quid viderint in Ecclesiis, sacrisque actionibus fieri a scriptis legibus, decretisque alienum, quod ipse nequeunt suasu, consiliisque abrumpere vel ad Ecclesiastici juris formam revocare, illud deferre ad Episcopum, qui sua auctoritate, prout stricte tenetur, jubeat, quid faciendum, quid vitandum est. Quodsi implexa res, involutaeque quaestiones sint, patet recursus ad S. R. C., quae facultatem habet declarandi, quod obscurum est, legemque interpretandi, ubi non est satis clara.

S. CAJETANUS.

(Off. et Transl.)

Cum Festum S. Cajetani Confessoris incidit in Dominicam XIV. post Pentecosten, quaeritur, an Lectiones III. Nocturni debeant esse de Festo sine IX. Lectione Dominicae, vel de Communi Confessorum non Pontificum cum IX. Lectione Dominicae? Et an pariter Antiphonae ad *Benedictus*, vel *Magnificat* desumendae sint de Communi Confessorum, vel variandae non sint, cum sufficiat additio, *Alleluja*, quod repetitur in Antiphona Dominicae.

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Reponatur Officium S. Cajetani in propria sede die 7. Aug., et illud B. Vincentii ab Aquila transferatur in primam diem non impeditam."

Facta autem per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo. D. N. Pio PP. VII. P. M. relatione; S. S. S. C. responsa approbavit, confirmavit atque ita in posterum a dicti Ordinis, et Provinciae Religiosis servari mandavit. n. 4549 ad 7 die 25. Aug. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Dubium hoc locum non habet, in quo consistat, utpote ortum ex arbi-

traria remotione *Festi S. Cajetani* a propria Sede, et translatione ad alienam, videlicet *a die 7. Aug.*, in qua illud ponit nuperrimum Breviarium trium Ordinum, *ad 6. Sept.*, ut in illa locari posset Officium *B. Vincentii ab Aquila* postmodum concessum Ordini Minoritico. Equidem me non latet, plura esse S. hujus C. Decreta, quae praelationem dant Officio particulari Ordinis, vel Religionis prae altero Ecclesiae universalis aequalis ritus. His forte Decretis innixus Director Calendarii Ordinis Minoritici arbitratus est, sibi licere amotionem *S. Cajetani* a propria sede, ut in eo collocaret suum *B. Vincentium ab Aquila.* Sed is sua est opinione deceptus. Etenim Decreta illa ordinem ponunt servandum *in occurrentia* plurium Festorum aequalis ritus eadem die. Ita in *Einsidlen.* ad *Dubium: An in occurrentia Festorum ejusdem ritus etc. in Vilnen. ad dub. 6*, et in *Panormitana* etc. Ita etiam in peculiari Rubrica Breviarii trium Ordinum *num. 83.* Verum hujusmodi Decreta nullam dant regulam quoad designationum dierum, in quibus collocanda sunt Officia noviter concessa, si dies, in quibus ponenda forent, pleni sint Officiis aequalis ritus. Non haec sunt a suis sedibus amovenda, ut cedant locum aliis, quae supervenerunt sub obtentu, quod nova Officia sint propria Ecclesiae particularis, vel indulta alicui Ordini Regulari; sed haec amandanda sunt ad proximos dies non impeditos. Non enim valet illatio ab occurrentia ad assignationem, ac si regula, quae obtinet in plurium Officiorum occurrentia, aeque tenenda esset in assignatione perpetuae sedis novis Officiis. Contra vero certum est, caeteris paribus, non esse exturbandum illum, qui in possessione est. Igitur in proposito casu corrigendum, quod est male gestum; et *S. Cajetani* festivitas propriæ sedi, a qua mota fuerat, restituenda.

Cum itaque, restituta festivitate *S. Cajetani* propriae sedi, cesset casus occurrentiae *cum Dominica XIV. post Pentecosten,* vanum videtur illam enodare quaestionem, quae ancipites facit utentes Breviario trium Ordinum.

CALCEAMENTA.

(Deponenda in ador. crucis.)

Ad dubium: an in adoratione crucis fer. VI. in Parasceve etiam Diaconus et Subdiac. debeant deponere calceamenta? S. C. resp.: Servetur consuetudo. num. 4815 ad XIV. 5 die 22. Sept. 1837.

CALENDARIUM.

1) Congregationis SS. Redemptoris.

Vd. *SS. Redemptor. Maternitas B. V. M.*

Ad dubium: An Patres Cong. SSmi. Redemptoris in Calendario Dioecesano, quo unaquaeque Domus utitur, additis Officiis eidem C. specialiter concessis, inserere quoque possint, et quidem sub eodem ritu, Officia propria aliarum Cong., quarum privilegiis et indultis utuntur, et gaudent per plenissimam communicationem etiam quoad Officia Sanctorum propria confirmatam, et quatenus opus sit de novo concessam in Literis Apostolicis obtentis 9. Januarii 1807?

Et Emi. P... respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

„Ad Emum. Ponentem cum Promotore Fidei ad mentem.“ Mens est, „ut exhibeatur Calendarium revisum, et adprobatum die 21. Jan. Anni 1789, et alterum redactum ad formam posterum servandus, et, facto verbo cum SSmo., de novo adprobari: salvis in reliquis omnibus et singulis privilegiis competentibus et concessis eidem Cong., vel ex communicatione cum aliis Cong., vel ex alia quacumque causa.“

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821 n. 4581 ad 1.

Ad dubium: Cum ex Decreto 19. Febr. 1794 in unaquaque Domo Cong. praedictae persolvantur Horae Canonicae juxta Calendarium Dioecesis, in qua sita est, additis Officiis eidem Cong. specialiter concessis; Quaeritur, an in occurrentia Dedicationis Cathedralis, praeferendum sit Officium SSmi. Redemptoris titularis Cong., quod celebratur sub ritu dupl. 1. cl. cum Octava ex concessione fel rec. Benedicti XIV.?

Et Emi. P... respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

„Praeferendum esse Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis."

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821 n. 4581 ad 2.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Congregatio a *B. Alphonso de Ligorio* instituta denominationem accipit *a SSmo. Redemptore,* et hoc nomine distinguitur ab aliis Regularium Clericorum coetibus; aequum proinde est, ut qui hanc regulam profitentur, specialibus cultus significationibus Festum celebrent *SSmi. Redemptoris*, et cum Officio *dupl. 1. cl. cum Octava.* Hujusmodi autem ritus ei competit non ex jure scripto, regulisque Rubricae, sed ex quadam congruentia, et ex privilegio, quod a S. M. Benedicto XIV. benigne concessum fuit, dum novam hanc Cong. sua auctoritate probavit. Non equidem a jure scripto; quia Rubrica de Ordinum, et Congregationum Regularium Patronis, aut Titularibus non loquitur. Siquidem Patroni, sic proprie dicti, dantur Regnis, Dioecesibus, Civitatibus, Locis, non autem Ordini, aut Monasterio, veluti declaravit S. R. C. in Leodien. 16. Martii 1658. Verumtamen, etsi agatur de Regnis, Dioecesibus, Locis, nequit assumi in particularem Protectorem *Christus Jesus Redemptor Noster*, cum ipse sit communis omnium Advocatus apud Patrem, caeteri vero e Coelicolarum numero Advocati apud ipsum sunt, nec apud Patrem, nisi ipso mediante. *Unus est,* ait Apostolus, *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus: quia sic est Advocatus noster apud Patrem, ut non solum impetrator, sicut alii omnes Sancti; sed sit etiam ipsemet Auctor et Largitor bonorum, quae a Patre pro nobis postulat. Vide* Guyetum *in Heortologia lib. 1 cap. 5 quaest. 3. Meratum ad Gavantum Rubric. Breviar. Sect. 8 cap. 5 n. 1.* Quod si Patronus lato modo accipi velit, ille erit, qui aliquem Ordinem in Ecclesia fundavit, quatenus in Sanctorum album relatus sit, atque huic competere Patronorum praerogativas arbitratur Gavantus *ib. sect. 3 cap. 12 num. 24. Quae diximus de Patrono loci, eadem conveniunt Fundatori et Patrono Ordinis in toto Ordine post solemnem Canonizationem ejusdem.*

Titulares vero dantur Ecclesiis, non Communitatibus. Non est hic locus disserendi *de Titulis*, et de varia hujus nominis significatione: a proposito diverterem, si spartam hanc illustrandam susciperem. Gavantus ib. sect. 8 cap. 6 num. 1, postquam enumeraverat diversas *tituli* acceptationes, concludit: *Titularis ergo Ecclesiae est ille, a quo titulus, seu Ecclesia denominationem habet: ib. cap. 14 quaest. 4* atque Meratus ad Gavantum *loc. cit.* haud renuunt dari *Titulares* Religiosis Ordinibus, imo id exploratum habent. Non intercedam; dummodo tamen vox *Titularis* lato modo accipiatur; non autem in sensu Rubricae ita, ut de jure hujusmodi *Titularibus* a Religione, Congregatione, Monasterio assumptis de jure competant praerogativae, quibus decorantur Ecclesiarum *Tituli*; quamquam, ut supra dixi, maxime con-

gruat, quod iisdem ex privilegio donentur. Cum itaque non ex jure, sed ex privilegio, et ex quadam convenientia *Titularis, vel Patronus Ordinis,* Congregationis, Monasterii gaudeat ritu dupl. 1. cl., locum cedere debet Officio aequalis ritus, quod in praecepto est; nec in hac specie regula obtinet de ordine servando in occurrentia plurium Officiorum ejusdem ritus, ut supra notatum est, quoad Officium SSmi. Cordis Jesu occurrens cum solemnioribus, ubi gaudet ritu 1. cl.

Atqui in casu nostro Cong. SSmi. Redemptoris Alumni conformare se debent Calendario respectivae Dioecesis; tenentur idcirco vi praecepti celebrare Festum Dedicationis Cathedralis sub ritu dupl. 1. cl. cum Octava, et transferre juxta Rubricas Festum *SSmi. Redemptoris*, quod nedum particulare est, verum etiam ex congruentia, et privilegio gaudet eodem ritu. Quamquam, hac praetermissa quaestione, decidendi rationem dabat eadem S. C., quae in *Majoricen. sub die 8. Aug. 1643* ad Quaesitum: *Concurrente, vel occurrente Dedicatione Ecclesiae Cathedr., quae sub ritu dupl. in tota civitate celebratur cum Titulari alicujus alterius Ecclesiae; quisnam debeat praeferri in Ecclesia Titulari, et quid de Octava eorum?* Respondit: *Praeferendam esse Dedicationem Ecclesiae Cath. Quo vero ad Octavas, servandas esse Rubricas Breviarii et Missalis Romani. Si ita sancivit quoad Titularem* particularis Ecclesiae, qui jure proprio habet solemniorem ritum *I. cl. cum Octava*, multo magis decrevisset quoad *Titularem Ordinis, seu Cong.*, qui lato modo *Titularis* dicitur, et ex privilegio eodem ritu gaudet. Neque dicas, ideo S. C. dedisse praelationem Festo Dedicationis, quia Festum Domini putabatur; nam multo serius in hanc venit sententiam anno *scilicet 1779* quam tamen sententiam, re maturius discussa, postea repudiavit, ut propius adhaereret Rubricarum praescriptis, ceu patet ex Decretis relatis. Nec praetereundum, quod maxime dedeceret in una Ecclesia Festum peragere diversum ab illo, quod in tota civitate solemnissime celebrandum, ut proprium et ab omnibus est. Ideo S. C. huic dubio respondens, praelationem dedit *Festo Dedicationis.*

Ad dubium: An Officia specialiter concessa Patribus Congreg. SSmi. Redemptoris consideranda sint tamquam propria Ordinis, ac propterea in paritate ritus sint praeferenda in occurrentia Sanctis, qui sunt in Calendario Dioecesano, juxta quod unaquaeque Domus tenetur recitare Horas Canonicas?

Et Emi. Patres . . . respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

„Negative."

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821 n. 4581 ad 3.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Licet Regula sit, quod Officia propria Ordinis, seu Congreg. simul cum aliis eadem die occurrentia, in paritate ritus praeferantur; aliqua tamen distinctio est adhibenda. Nam non aeque omnia Festa, quae propria dicuntur, hoc gaudent privilegio, sed illa dumtaxat, quae specialem relationem habent ad eumdem Ordinem, seu Cong. Vere propria dicuntur Officia illorum Sanctorum, *qui Religionem aliquam professi dum viverent, in ea pie et constanter ad obitum usque perseverantes, sacrum apud posteros cultum, publico Ecclesiae judicio, meruerunt. Ita Guyetus lib. 1 cap. 14 quaest. 4,* qui prosequitur: *Neque vero horum tantum memoria, sed et aliorum quoque, qui licet extranei sint, affinitate tamen aliqua, aut alio quovis nexu ad ipsam Religionem, aut Cong. utcumque per-*

tinere noscuntur. Diversa ratio est quoad Officia Sanctorum, quae Regulares recitant ex speciali indulto, quin ulla intersit ad Ordinem, seu Cong. relatio, veluti illa sunt, quae vel ab peculiari devotione, aut ex communicatione privilegiorum etiam quoad Officia, vel ab alio extraneo titulo causam repetunt. Quoniam igitur Alumni Cong. *SSmi. Redemptoris* Calendario Dioececsano uti debent, et Officia peculiariter ipsis concessa, vere propria Congregationis non sunt, quamvis improprie talia dicantur, quia ab ipsis tantummodo recitantur, et non ab aliis, qui eodem Calendario utuntur, ideo ad propositum dubium S. R. C. respondit: *Negative,* quod idem est, ac si dixisset, in occurrentia, caeteris paribus, praeferentiam dandam esse Sanctis, qui in Calendario Dioecesano notantur. Aliud certe fuisset responsum, si Festa illa, quae in dubio propria dicuntur, ad eamdem Cong. jure quodam pertinuissent, utpote Sanctorum, quos aluit, vel quorum regulam sequendam sumpsit.

Ad dubium: An Octavae censendae sint abrogatae Decreto 18. Dec. 1793 pro his tantum Domibus, quae utuntur Calendario Dioecesano, in quo Sancti redundant, non pro aliis, quae Calendaria habent Festis Sanctorum non redundantia?

Et Emi. P... respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

„Abrogationem Octavarum ad totam Congr. extendi.“

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821 n. 4581 ad 4.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

In antecessum notandum est, quod, instante Rectore majori Cong., *S. M. Pius VI.* sub die 18. Oct. 1793. *Octavas omnes peculiariter concessas eidem Cong. abrogavit, praeter Octavas SSmi Redemptoris Titularis et Patrocinii S. Joseph Patroni.* Patet igitur auctoritate Supremi Principis absolute, et simpliciter abrogatas positive fuisse omnes Octavas, praeter expresse exceptas, neque in Rescripto ulla adhibita fuit dictio facultativa; quamobrem inopportunum erat dubium proponere. Verum enim ratio praeceptae reductionis et respectivae abrogationis repetenda non est a majori, vel a minore numero Officiorum, quae non in omnibus Calendariis Dioecesanis aequaliter occurrunt, sed ponenda in quadam potius congruentia, conformandi Calendarium Congr. pro omnibus et singulis Domibus in varias dissitasque Dioeceses fundatis, et ne multiplices Octavae confusionem gignerent ob frequentes translationes, quae nimis turbarent ordinem ab iis servandum, qui Calendario Dioecesano uti tenentur. Quamquam vel haec, vel alia causa fuerit, qua Supremus Congreg. Moderator Octavas omnes, praeter duas principales, deleri postulaverit; satis est reapse a Pontifice deletas fuisse per positivam dictionem *abrogavit,* ut omnibus Cong. Alumnis eas in posterum interdictum sit retinere. Leges quippe, Decreta, Privilegia, Rescripta, quae claris sunt verbis expressa, nequeunt contorqueri et trahi in sensum ab illo diversum, quem habent secundum propriam significationem et communem loquendi modum. Id autem accideret, si quaelibet ex Cong. familiis, non servata forma Rescripti, sed istud arbitrarie interpretando, ad sui commodum, et juxta diversas contingentias abrogatas Octavas vel rejiceret, vel admitteret.

Ad dubium: An, abrogatis Octavis omnibus specialiter concessis, censeantur, abrogatae pro Ecclesiis particularibus Octavae illarum Dedicationis et Octavae omnium Ecclesiarum, quae in omnibus Domibus ab omnibus Patribus celebrantur 3. Oct. assignata in

Calendario reviso et adprobato 21. Jan. 1789?

Et Emi. P... respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

,,Quum Festum Dedicationis Ecclesiae sub ritu dupl. 1. cl. non sit specialiter concessum, sed praeceptive celebrandum, PP. Cong. teneri celebrare Octavam Dedicationis Ecclesiarum omnium consecratarum Ordinis fixa die 3. Oct. in Calendario reviso et adprobato; et non posse denuo propriae particularis Ecclesiae Dedicationis Officium persolvere, quod intelligitur comprehensum et celebratum, quando in Ordine ex speciali Indulto Festum celebratur omnium Ecclesiarum consecratarum."

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821 n. 4581 ad 5.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Si ad inducendam in Calendario Cong. uniformitatem, et ad evitandas frequentes variationes, indultum est, ut una, eademque die celebretur Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Congreg., frustra quaeritur: num Ecclesiae singulae aliud queant propriae Dedicationis Officium peragere. Nam ea dies, qua fit de omnibus Cong. Ecclesiis, perinde habenda est, ac si propria esset, et singulis assignata. Quod si praeter generalem Solemnitatem, adhuc unaquaeque Ecclesia peculiarem recoleret, cessaret uniformitas illa, ob quam privilegium concessum fuit. Frustra etiam petitur, num Octava Dedicationis abrogatis debeat adnumerari; haec siquidem in praecepto est, nec confundenda cum illis, quae fuerant specialiter indulta. Utrumque declaratur a S. R. C. Rescripto ad propositum dubium.

Ad dubium: An Religiosi utentes Calendario Dioecesano teneantur se conformare eidem Calendario pro Officiis Sanctorum, quae specialiter fuerunt concessa Congr., vel possint illa recitare diebus in concessione pro tota Cong. assignatis?

Et Emi. P... respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821 n. 4581 ad 6.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Regula est pluribus S. C. responsis confirmata, quod Officia peculiariter concessa alicui Communitati, Provinciae etc., certis assignata diebus, si temporis successu, aut ad totam Dioecesim et respective ad Provinciam, vel ad universalem extendantur Ecclesiam, pro diversis tamen diebus, in his recitanda sunt, relictis sedibus in particulari concessione assignatis. Videri possunt Decreta *17. Jun. 1684,* quoad Festum *SSmi. Nominis Mariae,* quoad alterum *SSmi. Nominis Jesu* in Bononien. *29. Nov. 1722,* et quoad *Patrocinium S. Joseph,* in una Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciae Conceptionis B. M. V. in Regno Portugalliae *18. Decbr. 1779,* ac tandem cum s. m. *Clemens XIII.* Officium *S. Camilli de Lellis* a semid. ad dupl. minor. elevatum ab Ecclesia Universali celebrari jussisset die 18. Jul., quaesitum fuit: an etiam in illis peculiaribus Ditionibus, ubi *idem Officium S. Camilli fuit alias concessum sub eodem ritu pro die 15. ejusdem mensis, in qua praedictus Sanctus e vita decessit, variandus sit dies, et Officium praefatum perpetuo transferendum ad diem 18. Jul. noviter assignatum?* S. C. *sub die 17. Aug. 1771* respondit: *Officium esse recitandum prout in Ecclesia Universali, die nempe 18. Julii.*

Ad dubium: In Officiis propriis pro Patribus Congreg. editis Romae 1784 jussu Superioris Generalis et ex De-

creto Cong. Episc. et Reg. 13. Febr. 1784. Officium habetur Transverberationis S. Theresiae dupl. 2. cl. die 27. Aug. cum Antiphonis, et reliquis propriis, juxta Breviarium Theresianum, et in VI. Lectione legitur in fine: „Iis omnibus perspectis, Benedictus XIII. P. M. solemnitatem hanc ad recolendam insignis prodigii memoriam in eodem Ordine quotannis celebrari concessit, et Pius VI. pariter P. M. Congregationi SSmi. Redemptoris extendit: et die 15. Oct. habetur aliud Officium S. Theresiae pariter cum antiphonis, aliisque propriis sub dupl. 1. cl. cum Octava; Quaeritur: an haec Officia persolvenda sint juxta Breviarium Theresianum, prout edita sunt in memoratis propriis pro Patribus Cong., an potius juxta Breviarium Romanum, perlectis tantum in Officio Transverberationis Lectionibus propriis II. Nocturni?

Et Emi. P... respondendum censurunt, ut infra, nimirum:

„Quum certo non constet de Apostolica concessione et extensione, non posse Patres continuare recitationem Officiorum prop. Transverberationis et Festi S. Theresiae, prout in proprio edita sunt Anno 1784, sed teneri se interim in persolvendis horis canonicis conformare tam quoad ritus quam quoad Officia, Breviario rom. et Calendario reviso et approbato anno 1789, donec idem Calendarium cum specialibus Indultis postmodum concessis huic S. C. exhibitum, noviter revisum fuerit, et plene in omnibus adprobatum; et ad D. Secretarium cum SSmo. pro aperitione oris super Literis Apostolicis in forma Brevis."

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821 n. 4581 ad 8.

Quarum vigore resolutionum reviso, correcto et emendato infrascripto Calendario ab Emo. et Rmo. D. Card. Galleffi Ponente una cum R. D. P. Alexandro Buttaoni S. Fidei Promotore, factaque per subscriptum Secretarium de singulis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione, S. S. praevia, quatenus opus sit, aperitione oris, S. R. C. responsa confirmando, Calendarium ut infra digestum, Apostolica adprobatione munivit, eoque in posterum uti debere mandavit omnes utriusque sexus dictae Cong., qui ad Horarum Canonicarum recitationem tenentur. Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus." n. 4581 die 3. Aprilis anni 1821.

Ex usu septem jam Annorum compertum est magnas oriri quotannis difficultates ex celebratione nonnullorum Festorum, quae quamvis non sint de praecepto quoad forum, tamen in praxi quae talia fere celebrantur a Populo, sed in nostro Calendario aliam diem, quam in Germania, occupant. Inter quae praecipue notandum Festum S. Joannis Nep. Mart. die XVII. Maji assignatum, quod tamen in Germania die XVI. ejusdem, et quidem etiam in iis regionibus v. g. Austria, Styria etc. ubi est de praecepto cum solemnitate maxima, cum Novendialibus et Octava celebratur: in nostris tamen Ecclesiis, in quibus populus concurrit ad idem Festum celebrandum, et in quibus Altaria et Imagines ejusdem Sancti, quae nullibi desunt, cum tapetibus, floribus et luminaribus exornata sunt, leguntur Missae aut in colore albo de S. Ubaldo, quem noster Populus nec noscit, aut *de Requie* non sine offensione populi, immo etiam nostrorum Patrum, qui ergo primum hunc Sacramentalis Sigilli Assertorem devotionem fovent quam maximam. Ergo supplicatur humillime, ut liceat nobis celebrare hoc Festum die XVI. Maji reponendo S. Paschalem ad diem XVII. ejusdem, et assignando pro S. Ubaldo diem XXII. Maji. Idem rogamus pro Festo S. Bartholomaei Ap., quod in Germania die XXIV. Augusti

celebratur, unde similes inconvenientiae occurrunt, quia in nostro Kalendario plerumque fit de duplici translato coloris albi, non sine admiratione Populi, qui Festa Apostolorum solemniter celebrat: S. C. resp.: Pro gratia in omnibus juxta preces. n. 4812 ad 1 die 1. Sept. 1838.

Ad dubium: Quando Sacerdotes Congregationis SSmi. Redemptoris apponere debent in Officio Commemorationes, seu Suffragia Sanctorum, tenenturne inter illa apponere tantum Commemorationem S. Alphonsi Mariae Institutoris Congregationis, vel illam etiam adjicere SSmi. Redemptoris Congregationis Titularis?

Et S. eadem R. C... rescribendum censuit:

„Affirmative ad primam partem. negative ad secundam."

Atque ita rescripsit, declaravit, servarique mandavit. n. 5185 ad 1 die 7. Maji 1853.

2) Dioecesanum.

a) Jus reformandi.

Octavae (moderatio); *Festum* (mutatio etc.); *Officium feriale*; *S. Gregor. PP. VII.* (transl. decr. n. 4561 *nota*); *Translat. fest. ejusdem ritus* (decr. n. 4161); *Simplex* (perpetuo imped.; decr. n. 4181); *Ritus Offic.* (mutat.); *Transl. perpetua* (non licet Episcopo); *Regulares* (Off.; decr. n. 4688); *Breviar. monasticum; Moniales* (Breviar.); *Sancti.*

S. R. C. facultatem tribuit Episcopo Santanderien. reformandi Calend. juxta petita pro suo arbitrio et prudentia, ita tamen ut de Festis secundariis, quae supprimuntur, fiat commemoratio in utrisque vesperis Laud. et Missa cum 9. l. ad Matut. et quoad omnia serventur rubricae. n. 4448 ad 11—14 die 22. Jan. 1793.

Ad dubium: an per decretum in una Santanderien. (22. Januar. 1793) concessa sit *quibuslibet* Episcopis facultas reformandi proprium Calendarium, juxta ibi petita, et prout opportunum et conformiter ad rubricas necessarium judicaverit (Episcopus Cordubensis). Et quatenus negative: Supplicat Orator pro gratia ad hoc, ut possit procedere ad reformanda Calendaria suae Dioecesis et Monialium ejus jurisdictioni subjectarum? S. C. resp.: Negative ad primam partem; quoad secundam vero Orator transmittat exemplar Calendarii reformandi, ut S. C. examini subjiciatur. n. 4501 ad 6 die 12. Nov. 1806.

Concedi posse Episcopo, ut ipse cum duobus Canonicis, quorum unus ab ipso, alter a Capitulo eligatur, in iis quae ad debitum in divinis Officiis regimen spectant et caeteris, quae necessaria erunt pro Ecclesiae utilitate, certam formulam praescribere valeat, usque ad Synodum Prov. proxime habendam, quae tamen regulis Pontificalis rom. ac Breviarii et Missalis non adversetur. n. 53 die 6. Julii 1593.

Non potest Episcopus extendere ad suam Dioecesim Officium illud, quod fieri solet in civitate. S. R. C. 16. Jan. 1707. *In Bojan.*

Festa Sanctorum celebranda sunt eo die, quo cadunt. Verum si incidant in diem impeditam, transferenda sunt in alteram diem non impeditam juxta rubr. Breviar. roman. neque immutari possunt de licentia Ordinariorum. S. R. C. 14. Nov. 1620; 22. Nov. 1631; 3. Dec. 1630; 2. Sept. 1690.

Cum Officia non sunt ejusdem ritus Episcopus in sua Dioecesi non potest minus digno fixum diem assignare. S. R. C. 15. Mart. 1698.

b) Obligatio.

Vd. *Regulares; Officium* (obligatio); *Festum Dioeces.; Calendar. Congreg. ss. Redempt.* (decr. n. 4581 ad 3 et 6 *nota*).

Ad dubium: num Regulares possent ultra Officia propria Sanctorum Ordinis recitare etiam Officia propria, quae

habentur in Calendario Dioecesano? S. C. resp.: non posse Regulares uti Calendario Dioecesano; sed tantum teneri ad recitationem Officii proprii Sanctorum Patroni principalis scilicet Titularis Ecclesiae Cathedralis et Protectoris civitatis. n. 1805 die 10. Jun. 1656; n. 3316 die 11. Julii 1693; n. 4348 ad 3 et n. 4349 die 15. Julii 1769; n. 3019 ad 1 die 20. Martii 1683; n. 3125 ad 2 die 5. Oct. 1686.

Hoc decretum comprehendit etiam Moniales Ord. s. Benedicti, dummodo alio speciali indulto non gaudeant. n. 3622 ad 1 die 18. Mart. 1702.

Ad dubium: an Canonici Savonen. ratione subjectionis Metropolitanae Mediol. possint recitare Officia et celebrare festa Sanctorum, quae recitat et celebrat ipsa Metropol. Mediol.? S. C. resp.: *Negative.* n. 2692 die 14. Apr. 1674.

Ad dubium: an Canonici regul. s. Augustini Ordinariis locorum subjecti, habentes proprium sui Ordinis Calendarium, teneantur praeterea ad festa Dioecesana recitanda? S. C. resp.: non teneri. n. 4018 die 16. Maji 1733.

Religiosi utentes Calendario Dioecesano tenentur se conformare eidem Calendario pro Officiis SSrum., quae specialiter fuerunt concessa Cangregationi et non possunt illa recitare diebus in concessione pro tota Congregatione assignatis. n. 4581 ad 6 die 3. Apr. 1821.

Ad dubium: an PP. Minor. Provinciae s. Mariae de Arrabida Portugalliae debeant vel possint continuare recitationem Officiorum specialium Calendarii Dioec. vel ab illa totaliter abstinere? S. C. resp.: negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et serventur decreta S. C. et Constitutiones Ord. n. 4249 ad 2 die 11. Jan. 1755.

Venetiis pluribus ab hinc annis multae Ecclesiae Parochiales, vel Collegiatae, atque Regularium destructae sunt, vel in usus profanos conversae, ex iis autem, quae cultui divino servatae fuerunt triginta tantum nova territorii divisione constitutae sunt Parochiales, reliquae vero vel regularibus Ordinibus progressu temporis restitutae, vel Parocho intra jurisdictionis novos fines extant, traditae sunt administrandae per Vicarium, vel Rectorem, qui absque ulla canonica institutione, sed Patriarchali solum mandato Missam ibi quotidie celebrat, et Poenitentiae, atque SSmae. Eucharistiae continuo servatae Sacramenta cum dependentia a Parocho ibidem Fidelibus administrat; et Festis praecipue diebus solemnium Missarum et Vesperarum functiones peragit. Pro singulis iis Ecclesiis Vicarialibus exarata fuit usque nunc quotannis appendix propria ad Calendarium Dioecesanum, in qua praeter Officia Titularis et Dedicationis, cetera quoque Officia adnotantur, quae ratione corporis, vel insignis Reliquiae, vel alio ex peculiaribus privilegiis a S. Sede obtentis celebranda sunt juxta Rubricas, additis etiam singulis pro Ecclesiis cujuslibet Paroeciae sub ritu dupl. II cl. Officiis Titularum Ecclesiarum, quae nunc dirutae, vel in usus profanos conversae sunt, extabant vero intra fines ipsius Paroeciae. Ratio autem hujus additionis haec est: felicis recordationis Cardinalis Jacobus Monico Patriarcha Venetiarum in petitione pro novo totius Dioecesis Calendario, quod a S. R. C. concessum fuit de anno 1830 die 3. Aprilis, postulaverat, ut Officium de Sanctis olim Titularibus praedictarum non amplius existentium Ecclesiarum celebraretur sub ritu dupl. II. cl. in omnibus Ecclesiis Paroeciae intra cujus fines extabant antiquae illae Ecclesiae ad memoriam earumdem servandam, et ad fovendam cleri, populique devotionem erga antiquum Paroeciae Patronum. Quamvis vero in hujus S. C. Decreto die 3. Aprilis 1830

superius relato sermo sit tantummodo de Calendario communi totius Dioecesis, tunc temporis Caeremoniarum Magister implicite concessum duxit, quod a Patriarcha postulatum fuerat circa Officia de antiquis Ecclesiarum non amplius existentium Titularibus ideoque Patriarchali Decreto injuncta fuit eorum Officiorum additio in Appendicibus, de quibus superius relatum est. Quum vero ex varia interpretatione Decretorum hujus S. R. C., et praesertim quorumdam ex recentioribus, nonnulla orta sint circa usum harum Appendicum, ad tollendam omnem anxietatem quaeritur:

1. An Sacerdotes ordinati titulo Patrimonii a Benefactoribus fundati cum onere propriae Paroeciae inserviendi, possint vel debeant sequi relatam Appendicem propriae Parochialis Ecclesiae in Divini Officii recitatione, sicuti usque nunc plerique fecerunt. Quaeritur 2: An Vicarius vel Rector memoratarum Ecclesiarum Vicarialium, vel Rectoralium possint vel debeant sequi relatam Appendicem Ecclesiae cujus est Vicarius, vel Rector, sicuti usque nunc omnes fecerent. Quaeritur 3: An quum Venetiarum Ecclesiis olim addicti fuerint stricto servitio tamquam Collegiatis aliqui Sacerdotes ordinati privilegio Sixti Papae V ad titulum servitutis Ecclesiae, qui in praesentiarum quoque percipiunt, quae de subrogatis beneficiis, et Capitulari Mensa supersunt bona, hi quoque possint vel debeant recitare, sicuti usque nunc recitarunt, Officium juxta memoratas Appendices illius Ecclesiae, cujus titulo servitutis ordinati sunt, cuique et in praesens deserviunt. Quaeritur 4: utrum omnes celebrantes in hujusmodi Ecclesiis Parochialibus, Vicarialibus, vel Rectoralibus in Missae celebratione, nisi obstent alia vulgata Decreta hujus S. R. C., et praesertim diei 7. Sept. 1816 in Tuden, sequi debeant illud Calendarium, quod e Dioecesano et Appendice exurgit?

Et S. eadem C . . . . rescribendum censuit. Nihil aliud fuisse concessum praeter expressa in Decreto reformationis novi Calendarii peracta die 3. Mense Aprili Anno 1830, quae strictim ab omnibus sunt servanda; ceteris propterea quaestionibus inde ex supposito excitatis negative.

Atque ita rescribere censuit, et declarare. n. 5180 ad 11 die 25. Sept. 1825.

Ad dubium: An in casibus dubiis adhaerendum est Calendario Dioecesis, sive quoad Officium publicum, et privatum, sive quoad Missam, sive quoad Vestium Sacrarum colorem, etiam si quibusdam probabilior videtur sententia Calendario opposita? et quatenus affirmative, an idem dicendum de casu quo certum alicui videretur errare Kalendarium? S. C. resp.: „Standum Kalendario." Die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 2.

3) Regularium.

Vd: *Calendar. Dioecessanum; Officium,* (oblig.) *Translatio; Breviarium; S. Cajetanus* (off.; decr. n. 4549 nota) *Regular.* (off.; decr. n. 4608); *Moniales* (Breviar.)

Ad dubium PP. Benedictinor. Einsidlen: Quid agendum sit Regularibus, quando in Dioecesi transfertur aliquod Festum ad aliquam diem in Choro, et Foro, in quo apud Regulares occurrit, vel saltem, ad quem transferendum esset Festum antiquius translatum, potissimum si sit majoris ritus, et dignitatis? V. G. si transferatur propter Dominicam Septuagesimae, et propter Dominicam Quinquagesimae Festum Purificationis B. V., idque in Choro, et Foro, jam facile contigere, ut in Dioecesi jam celebratum sit Festum SSmmi Nominis Jesu alia die vacua, non autem apud Regulares; celebrabuntne hi tertia Februarii cum Dioecesanis Festum Purificationis in

Foro, ulterius translato Officio Purificationis in Choro tantum? In Choro autem dicent tertia Februarii Officium de SSmmo Nomine Jesu? vel si videatur (quando simul transferenda sunt Festum SSmmi Nominis Jesu, et Festum Purificationis) prius reponendum sit posterius tamquam solemnius, utpote Festum Fori, esto alterum sit dignius; adeoque tertia Februarii in Dioecesi ponatur Festum Purificationis, et se illi, ulterius translato Festo SSmmi Nominis Jesu, conforment Regulares, qui tertia Februarii S. Blasium celebrant ritu simplici? Quid autem agent illi, apud quos S. Blasius celebratur ritu duplici, consequenter dies tertia Februarii non est dies vacua ad reponendum in ea Festum translatum Purificationis? Similis casus in Dioecesi Augustana contigit anno 1734, ubi Festum S. Georgii in Foro et Choro ab Ordinario loci est translatum, et repositum ad diem 15. Maji, ubi in multis Monasteriis aderant Festa antiquius translata, et in aliquo etiam Festum translationis sui Patroni, quod ritu II cl. eo loci celebratur. Eratne Regularibus illis agendum de S. Georgio, translato ulterius antiquius translato adhuc extante, aut Festo Regulari eo die cadente ejusdem, vel etiam majoris ritus; vel eratne cum Dioecesanis S. Georgius tantum in Foro celebrandus, et in Choro ulterius transferendus?

R. „Pro Festo SSmmi Nominis Jesu satis*) provisum in Titulo de Translatione Festorum. Officium Purificationis transfertur ad primam diem non impeditam, juxta Rubricas Breviarii Romani de Translatione Festorum. Pro Translatione Festorum talis ratio habeatur, ut prius fiat Officium de prius descripto in Calendario, nullo habitu respectu, quod Officium translatum sit Ecclesiae Universalis, Nationis, Dioecesis, Ordinis, et Ecclesiae particularis. Quando occurrit Festum aliquod in Dioecesi, quod sit de praecepto quoad Forum, Regulares debent de eo Officium facere; nisi apud ipsos occurrat eadem die aliud Festum, quod sit ejusdem classis, ritus, et majoris dignitatis."

*) Vd.: *S. Meinradus* (decret. n. 4043.)

4) Romanum.

Vid.: *Sancti; Patronus; Reliquiae; Festum* (dignitas etc.); *Breviarium; Canonisatio; Directorium.*

Non potuisse nec posse Ordinarios saeculares quam regulares addere Calendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quae Breviarii romani rubricis vel S. R. C. seu Sedis Apost. licentia conceduntur; neque propria auctoritate quavis praetextu mutare ritum, qui habetur in Calendario rom. seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa Officia de loco ad locum n. 892 ad 1 die 13. Jan. 1631. De sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus et aliis, de quibus in Calendario rom. seu rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur sed consulatur omnino ut par est. n. 892 ad 1. die 13. Jan. 1631.

Calendarium novum, veteri abrogato, ubicunque Terrarum recipiendum et observandum esse, illudque propterea . . . in Dioecessibus, in quibus hactenus introductum non est, omnino introduci et servari n. 1520 die 26. Novb. 1644.

Sanctis in Calendario rom. descriptis extra proprios dies non potuisse nec posse assignari alterum diem fixum et sedem propriam absque auctoritate Sedis apost. n. 3098 ad 4. die 24. Novb. 1685.

Ad dubium: Utrum Capitulum Oppidi Villafranca, cum ulterius non

utatur Calendario Toletano, possit Astoricensi Ordinario uti? Et quatenus negative, quo Calendario uti debeat supradicta Capitularis Ecclesia?

Et S. eadem C. respondit:

„Negative, et adhibendum esse Calendarium Romanum, exceptis Officiis peculiariter concessis Clero dumtaxat Urbis, vel totius Status Ecclesiastici, vel Italiae cum Insulis adjacentibus; iis vero additis, quae juxta Rubricarum Regulas, et generalia S. R. C. Decreta, ejusdem Ecclesiae Oppidi Villafranca del Vierzo vere sunt propria.

Facta autem per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmmo D. N. Pio VII. P. M. relatione, S. S. S. C. responsa approbavit, confirmavit, atque ita in supradicta Ecclesia servari mandavit. n. 4542 die 30. Septembris 1817.

Nota Gard. ad hoc Decretum: Calendarium Romanum universale est, et ad totum catholicum orbem extenditur. Quapropter Calendaria particularia Dioecesium, Ecclesiarum, ac Ordinum Regularium in eo tantum differunt ab illo, quia retentis Officiis, quae omnibus praeceptive communia sunt, alia his adduntur, quae peculiariter pertinent ad Dioeceses, Ecclesias seu Religiones, ut illa sunt Titularis, Patroni principalis, Dedicationis, et alia, quae forte locum habent, vel ratione Corporum, et Reliquiarum insignium, vel ex concessione Apostolica. Neque iis, qui proprium Calendarium non habent, licet assumere Calendarium unius vel alterius Dioecesis, quia, ut diximus, unum dumtaxat est Calendarium Romanum, quod universale sit. Id adeo verum est, ut supplicanti Clero Civitatis et Dioecesis Brugnaten. pro facultate sese conformandi Calendario Metropolitanae Januensis, cum proprium non haberet, S. R. C. respondit sub die 16. Sept. 1673: Utantur Calendario Romano. Cum itaque Capitulum Oppidi de Villafranca del Vierzo minime modo pertineat ad Dioecesim, vel Toletanam, vel Astoricensem, sed Nullius denominetur, et sit; plane consequitur, non posse arbitrarie in persolvendis horis Canonicis ordinem sequi Calendarii Astoricensis, sed debere universali Romano uti, additis illis tantum modo Festis et Officiis, quae, ut notatum est, vel proprie ad eam pertinent Ecclesiam, vel a Sede Apostolica eidem sunt indulta.

A sexaginta annis in Ecclesia Colleg. Nullius in Dioecesi Spiren. nulla petita vel obtenta S. Sedis facultate plura recitantur Officia Dioecesis Spirens., quae non reperiuntur in Brev. rom. nec constat a S. Sede fuisse approbata: Quaeritur: an dicta Ecclesia non obstante memorata consuetudine, reasumere possit Officium divinum juxta Calendar. rom. et relinquere Officia praedictorum Officiorum? Item quaeritur de Officio dedicationis Cathedr., quod in Ecclesia Colleg. exempta recitatur sub ritu. dupl. 1 cl. cum octava? S. C. resp.: Affirmative n. 4330 ad 1 die 21. Jan. 1766.

CALIGAE.

(Dignitar., Canon. etc.)

(Jus deferendi.)

Vd.: *Annulus Canon. et Dignit.* (decr. n. 4224; *Usus Pontif.* (decr. n. 4593 ad 8; n. 4882 etc.)

CALIX.

1) Benedictio.

Vd.: *Benedictio Parament., calicum etc.*

Calix et Patena solummodo per Episcopum consecrentur et si fuerint denuo deauratae, indigent nova consecratione S. R. C. 14. Junii 1845.

2) Dignitariorum.

Non potest prima Dignitas Cathedr. Spol. anteferri calicem in altari, illumque ante expletum Sacrificium removeri facere. n. 2967 ad 5 die 20. Sept. 1681.

Vd.: *Usus Pontificalium.*

3) Execratio.

Vd.: *Execratio Calicum etc.*

4) Extersio.

Ad dubium: an Sacerdos debeat extergere purificatorio guttas vini adhaerentes lateribus interioribus cuppae calicis, quae aliquando resiliunt, dum praeparatur calix? S. C. resp.: Praxim extergendi calicem purificatorio magis congruere et summopere laudabilem esse. n. 4526 ad 28 die 7. Sept. 1816.

5) Locus infra incensationem crucis.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX n. 16.

6) Purificatio.

a) Omittenda.

Vd.: *Calix* (usus duorum.)

In die festo Nativitatis Dom. in I. et II. missa non debet fieri purificatio Calicis. n. 3635 die 16. Sept. 1702.

b) Vinum et aqua.

Beatissimo Padre.

Il Sacerdote Giuseppe Gasparetti da Castedemilio Diocesi di Ancona domiciliato in Roma divotamente espone, che per serie malattie sofferte, è obligato bevere sempre l'acqua, ed è talmente alieno del vino, che non può suffrirne nè anche l'odore. Per ovviare adunque quegl' inconvenienti che potrebbero nel tempo del S. Sacrifizio sconcertarlo anche con irriverenza del Sanctissimo Sagramento, implora l'Apostolica Dispensa di non usare il vino nelle due purificazioni dela Santa Messa, e così sumere solo il Sacro Sangue, e poi usare per le purificazioni la sola acqua, Che ec.

„SSmus D. N. Pius IX. P. M., referente subscripto S. R. C. Secretario, attentisque expositis, de speciali gratia benigne commisit Rmo. D. Card. Urbis Vicario, ut constito de veritate expositorum per authenticas probationes petitum indultum Oratori largiatur extenden. quoad eadem salutis perdurent incommoda.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5061 die 15. Jan. 1847.

Beatissime Pater.

Placidus Bruno de Gandraundo Sacerdos Saec. Oppidi vulgo Manquèa in Dioec. Calaguritan. ad Vestrae Beatitudinis pedes provolutus humillime ex gratia postulat facultatem ad faciendam cum sola aqua purificationem Calicis, et ablutionem digitorum in Sacrificio Missae propter repugnantiam ad vinum ob difficultatem digerendi illud, ob quas causas non utitur vino regulariter extra Missae Sacrificium. Et Deus etc.

„SSmus D. N. Pius IX. P. M., referente subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia annuit; dummodo preces veritati nitantur.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5092. (Sine dato; Est intra 5. Mart. — 7. Maii 1847.)

7) Sacerdotis defuncti.

Vd.: *Sacerdos defunctus; Sepult.* (Sacerd. def.)

Potest retineri Consuetudo ponendi calicem in manibus † Sacerdotis. S. R. C. 23. Maii 1846.

8) Tangend. in collat. Subdiacon. et Presbyt.

Vd.: *Subdiaconatus* (Calix tangend. etc. decr. n. 4565 ad 7, 3.)

9) Tractatio.

Calices contrectare Clericis tantum non Laicis in Sacristiis inservientibus

concedi posse. n. 624 ad 2 et infra die 24. Apr. 1626.

Vd. *Ministrantes* (decr. n. 4526)

10) Usus unius vel duorum.

Ex S. C. Concilii ad Congregationem S. Rituum.

Ex Relatione Status Ecclesiae Episcopi Ebusitani ad S. C. Concilii transmissa die 1. Oct. 1814 inter caetera contenta sic habetur:

Opportunum censeo in re particulari exponere, quae in Parochiali Ecclesia S. Francisci a Paula in Salinis animadverti. Oratoriis in duobus (cum ibi nondum Ecclesia aedificata sit) ordinatum est rem Sacram peragere ad Missam audiendam in diebus festis, in quorum uno populus frequenter assistit, etiam ad S. Sacramenta recipienda; et in altero solum in tempore recollectionis Salis, ob magnam locorum distantiam, et quia vicinius invenitur, ad damna praecavenda, secunda Missa, et Sanctum offertur rursus Sacrificium ab eodem Parocho jejuno; sed quia unus tantum est Calix ad duas Missas, ipse idem solum cum stuppis purificatus parum reverenter ad istud deferebatur Oratorium, hac de causa a me provisum fuit in prima Parochiali visitatione, ut altero distincto Calice, secundum Sacrificium offeratur, ita ut unumquodque Oratorium quod est reapse necessarium contineat: ast quomodo in prima Missa purificationes debeant fieri anxie nos torquent, siquidem species Sacramentales corruptioni veniunt expositae, si ibi relinquantur, aut si Calix impurificatus permaneat ibidem super Altare, cum neutra Oratoria habeant nec Tabernaculum, nec Sacraria, in quibus recondi valeat reverenter, et aliunde sit Calix ipse impurificatus ad Missam sequentis diei permaneat super Aram, ut in nocte Nat. D. N. J. Chr., desiccantur in aestate, aut corrumpuntur ob nimium calorem particulae Sacramentales Sacri Sanguinis Domini; imo nec facile evitare valent irreverentiae, et luminis perpetui defectus; quid ergo? Ut rite omnia fiant, et sancte tractentur, quid peragendum, praesertim cum in defectibus occurrentibus in celebratione Missarum, nec in Rubricis Generalibus, neque in nocte Nativitatis specialibus, quidquam dispositum inveniamus, quo regi possimus decenter et religiose? Omnia considerantur timide, et cum tremore cum iisdem Parochis; atque S. V. annunciandum judicavi, si forte S. R. C. consulendum foret dubium, quid in his, et similibus angustiis, quando duo Sacrificia in diversis Ecclesiis adeo sejunctis ob maximam distantiam, et populi commissi necessitatem celebrantur ad satisfaciendum de auditione Missae praecepto ab uno ipso Sacerdote peragendum sit, ut digne, sancte et devote quod decentius sit uniformiter exequatur. Die 10. Julii 1815.

Ad Rmum. D. Camillum Canonicum Rubbi, qui faveat sensum suum pro veritate aperire.

Praesens quidem Dubium confuse admodum proponitur; nihilominus, quantum ex contextu intelligi potest, agitur de celebrandis eodem die festo duabus Missis ab eodem Parocho jejuno cum eodem Calice in duobus Oratoriis valde dissitis, ut satisfiat populo fideli, ejusque obligationi audiendi Sacrum. Ne novi absque necessitate inducantur ritus, simulque decentiae ac reverentiae Sacramento debitae consultum sit, rem ita expediri posse censeo: ut Parochus in prima Missa Calicem impurificatum relinquat, prout fit in duabus prioribus Missis Nativ. D.: Calici autem statim imponat Patenam et Pallam, prout fit in eisdem Missis; dein Calicem et Patenam cooperiat velo, quod etiam circumligabit Calici, prout fit in reposi-

tione Sacri Corporis in Sepulchro Feria V. in Coena Domini. Atque Calicem hunc sic coopertum, et circumligatum, defectu Tabernaculi, post primam Missam relinquat in Altari super Corporale. Dein vero suo tempore eumdem hac ratione praeparatum decenter deferat ad aliud Oratorium, ut ibi celebret secundam Missam, quam peraget eodem ritu, quo celebratur tertia Missa in Nativitate Domini. Ex hac agendi ratione nihil indecentiae, nihil irreverentiae consequi videtur. Species enim Sacramentales, quae in Calice non purificato remanserunt, ob tenuitatem suam exsiccantur, statim (aestivo tempore praesertim) non corrumpuntur, eaeque ad pristinam fluiditatem suam facile redeunt, cum paucas post horas, eodemque mane aliud recens vinum Calici infunditur ad alteram Missam celebrandam. Sed haec, quae dixi, S. C. judicio humillime subjicio.

Camillus Canonicus Rubbi in Collegio Romano S. Theologiae Professor. n. 4515 die 16. Sept. 1815.

Emi. D. Card. S. R. C. praepositi, audita instantia Rmi. Episcopi Ebusitani, matureque considerato voto R. D. Camilli Canonici Rubbi, in casu, de quo agitur, reprobarunt usum duorum Calicum tamquam in Ecclesia novum, et censuerunt unum dumtaxat esse adhibendum, ut in more est apud Missionarios in locis praesertim Infidelium, servata forma in praedicti Theologi voto proposita. Et ita etc.

Ad dubium: 1. an retinendus sit usus, qui dicitur vigere in Dioecesibus Compostellana et Salmantina, nec non in Dioecesi Meldensi et aliis Gallicis dioecesibus, vel sit permittendus alibi, adhibendi scilicet ob peculiares rationes duos calices, quum sacerdos duas celebrat missas eadem die in Ecclesiis longe dissitis? 2. et quatenus ob peculiares circumstantias hujusmodi usus retinendus sit vel permittendus, quid servandum circa purificationem primi calicis, ut et reverentiae Sacramento debitae consulatur et sacerdos jejunus maneat pro secunda missa, habita ratione peculiarium circumstantiarum, quae tam in primo quam praecipue secundo supplici libello exponuntur? S. C. resp. ad 1: *Usum duorum calicum in casu posse permitti*; ad 2: *Ad mentem. Mens est, ut conficiatur Instructio.*

Instructio autem ejusmodi est, prout sequitur: Quando sacerdos eadem die duas missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super Corporali ponat calicem et palla tegat ac junctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus etc.* et subinde in alio aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum etc.* et abstergat manus. Hisce peractis calicem super corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiat, ut moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla et demum velo. Post haec missam prosequatur et completo ultimo Evangelio rursus stet in medio altari et detecto calice inspiciat, an aliquid divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim s. species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, quum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimodo omittendum est, quia sacrificium moraliter durat et superexstantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquae fundat, quantum vini prius posuerat, eamque cir-

cumactam ex eadem parte, qua s. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari decedat.

Depositis s. vestibus et gratiarum actione completa, aqua e calice dimissa pro rerum adjunctis *vel* ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat missam habiturus) et in secunda purificatione (i. e. in missa alterius diei) in calicem demittatur *vel* gossipio aut stupa absorpta comburatur, vel in sacrario, si sit exsicanda, relinquatur vel demittatur in piscinam. Quum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si ille ipso pro altera missa indigeat, eum secum deferat, secus vero in altera missa diverso calicem uti poterit. Die 11. Mart. 1858.

11) Velum.

Tam in principio missae quam post communionem calicem velatum esse debere totum in parte anteriori et ita in posterum tam in Dioecesi Urbinat. quam ubique servari voluit et mandavit. S. C. n. 2464 die 12. Jan. 1669.

Ante versiculum, quod dicitur Communio, cooperiendum velo calicem in anteriori parte prout ante Confessionem. n. 3459 ad 1 die 1. Mart. 1698.

S. CAMILLUS DE LELLIS.

1) Conclusio Orationis.

Juxta Decretum S. R. C. diei 12. Nov. 1837 ad dub. 49. Oratio S. Bernardini Senen. die 20. Maji modo solito est concludenda, quia nomen Spiritus, quod in ea legitur, non indicat Spiritum S. Quum autem eadem verba — *Spiritum tuae dilectionis* — habeantur in Oratione S. Camilli de Lellis die 18. Julii, quaeritur: an in conclusione etiam omitti debeat vox *ejusdem*?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Omittendam esse juxta citatum Decretum."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad IX. 2 die 7. Dec. 1844.

2) Officium.

Ob occursum Festi Triumphi S. Crucis, quod ritu dupl. maj. in universa Hispania celebratur die 16. Julii, Festum B. M. V. de monte Carmelo perpetuo translatum fuit in diem 18. ejusdem mensis, quae quidem dies nunc in Calendario Romano assignata est Festo S. Camilli de Lellis. Hinc ergo exurgit Dubium: An, ex quo praedicta dies 18. assignata fuit S. Camillo, Festum B. M. V. de monte Carmelo possit ulterius transferri in alteram diem primo non impeditam, praecipue ob conformitatem cum Ecclesia universali, ut jam factum est in aliquibus Hispaniarum Ecclesiis?

S. eadem C. respondit, ut infra:

„Negative, et pro Festo S. Camilli perpetuo assignetur dies proxima non impedita."

Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 4491 ad 6 die 12. Mart. 1804.

Cum a S. M. Clement. XIII. Officium s. *Camilli de Lellis* a semid. ad dupl. min. elevatum ab Ecclesia universal. celebrari jussisset 18. Julii, quaesitum fuit: an etiam in illis peculiaribus Ditionibus, ubi idem Officium s. Camilli fuit alias concessum sub eodem ritu pro die 15. ejusdem mensis, in qua Sanctus e vita decessit, variandus sit dies, et Officium praefatum perpetuo transferendum ad diem 18. Julii noviter assignatum? S. C. resp.: sub die 17. Aug. 1771: Officium esse recitandum prout in Ecclesia universali, die 18. Julii. (n. 4581 ad 6 *nota)*; n. 4357 ad 1 die 17. Aug. 1771.

CAMPANAE.

1) Benedictio.

Vd. *Campanae* (quae non puls.)

Non videntur posse benedici solemni ritu Campanae, quae solum deserviunt profanis usibus; nam, ut ex ipsa benedictione colligi potest, Campanae benedicuntur in usum tantum ecclesiasticum ut caetera vasa sacra; et ideo inunguntur, variisque caeremoniis consecrantur fere ad eum modum, quo consecrantur Altaria; non videtur ullo modo decere, ut Episcopus in habitu pontificali ascendat turrim, ut Campanas solemni ritu benedicat; posset tamen sacerdos aliquis turrim ascendere et aqua benedicta Campanas aspergere. n. 83 ad 1 et 3 die 16. Julii 1594.

Ad dubium: An signa, seu Campanae pro indicandis horis in horologiis publicis possint benedici eadem formula, qua ex Pontificali Rom. benedicuntur signa Ecclesiarum?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi... respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Negative, praeterquam in casu, quod eadem signa nedum pro horarum indicatione pulsanda sint, verum etiam pro s. actionibus.“

Atque ita responderunt et statuerunt. n. 4590 ad 2 die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit, Decretumque desuper expediri, et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense, Anno, quibus supra.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Ideo Campanae ablutionibus, sanctis oleis, signis, ac aliis s. caeremoniis cum psalmorum cantu, et precibus ex Ecclesiae institutione in Pontificali Rom. praescriptis ab Episcopo benedicuntur, quia ad usum religiosum destinantur, veluti consecrantur vasa, quae in s. conficiendis Mysteriis adhiberi debent. Idcirco mysticis actionibus deprecationes respondent, et quae ad Divinum cultum agenda sunt, vel a Deo postulanda, designant: per earumdem sonitum excitamur ad mentes nostras elevandum ad Deum: per eumdem indicantur tempora orationis, psalmodiae, sacrificii, supplicationum, ac aliarum s. functionum: earumdem clangore fugantur Daemones, abeunt aëreae potestates, dissipantur procellae, tonitrua, et fulgura repelluntur, quae omnia duo versus exponunt relati a Glossa *cap. 1. de Officio custodis, Extravagant. commun.* videlicet:

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum
Defunctos ploro, nimbum fugo, Festaque honoro.

Idcirco in prima Oratione ad benedicendum aquam pro abluendo tintinnabulo, Episcopus Deum exorat, ut *Ubicumque sonuerit hoc tintinnabulum procul recedat virtus insidiantium, umbra phantasmatum etc. et cum clangorem illius audiverint filii Christianorum, crescat in eis devotionis augmentum . . . cantent tibi in Ecclesia Sanctorum canticum novum etc.* dum vero ungit Campanam, iterum precatur: *ut per illius tactum fideles invitentur ad praemium. . . crescat in eis devotio fidei, procul pellantur insidiae inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, ventorum flabra fiant salubriter ac moderate suspensa etc.* Ita etiam et in aliis Orationibus, quae sequuntur. Ut enim s. vasa peculiari Episcopi benedictione a profanis segregantur, quia ad unum Sacrificii usum deputantur, sic etiam Campanae, quae religiosis

usibus, et Officiis inservire debent. Et quoniam Campanae eo modo benedictae Dei cultum respiciunt. auctores non desunt, qui censent, haud posse sine piaculo easdem ad usum profanum adhiberi. Ita Quarti *de Benedictionibus tit. 2 sect. 12 dubitat. 2.*

Ex his igitur patet, signa illa benedicenda non esse, quae nec ad Dei cultum, nec ad religionis destinantur officia, sed ad usum dumtaxat civilem, et profanum. Deest quippe in iisdem finis ab Ecclesia intentus; neque hujusmodi Campanis conveniunt ablutiones, unctiones, preces, aliaeque actiones ac caeremoniae, quae mysticas habent significationes cum relatione ad effectus, ad quos deputantur, dum Ecclesiastico ritu benedicuntur. Quatenus vero quae ad horas pulsandas in turri collocari debent, pulsandae etiam sint ad s. indicendas actiones, vocandum, excitandumque populum ad actus religionis; utique erunt benedicendae, veluti opportune, data distinctione, proposito dubio S. C. respondit. Episcopo non licet delegare bened. campanarum, omissa unctione, aliis personis Ordine Episcopali non insignitis. S. R. C. 19. Apr. 1687; 16. Maii 1744.

2) Capituli.

Campana major Cathedralis Recinati, quae pulsatur pro convocando Capitulo Dignitatum et Canonicorum, non potest pulsari pro convocandis Congregationibus respicientibus negotia particularia Altaristarum. n. 3740 ad 2 die 20. Mart. 1706.

3) Damnati.

Campana illa, quae in damnatorum suppliciis exequendis pulsari solet, nunquam in usum Ecclesiae adhibeatur. n. 2000 die 12. Juni 1660.

4) Oratorii.

Ad dubium: an in diebus festivis valeant celebrari in Oratorio Confrat. S. Rosarii Bargi missae tam lectae quam cantatae cum signo campanarum ante celebrationem missae paroch.? S. C. resp.: Arbitrio et prudentia Ordinarii. n. 3910 ad 10 die 9. Julii 1718.

5) Non puls. fer. V. Coena D.

Non licet PP. Minoribus Convent. Montis novi in fer. V. maj. hebdom. post Silentium Campanarum Ecclesiae matricis pulsare campanas. n. 3722 ad 3 die 9. Mai 1705.

Ad dubium: an liceat pulsare campanas Ecclesiae s. Mariae (matricis) fer. V. in Coena Dom. post silentium campanarum Ecclesiae s. Blasii Terrae s. Viti? S. C. resp.: Licere n. 3725 ad 2 die 4. Julii 1705.

6) Pulsantur in festis Dignit. et Canon.

Campana magna eodem modo pulsari debet sive celebrent Dignitates sive Canonici habita tamen ratione festorum majoris vel minoris solemnitatis. n. 4064 ad 8 die 31. Aug. 1737.

7) Puls. in festis translatis.

Ad dubium: an translato aliquo festo debeant pulsari campanae eodem ritu, quo in ipsa die festi, in qua cadit Officium? S. R. C. resp.: Si festum transferatur quoad chorum tantum, negative; si transferatur quoad chorum et forum, affirmative. n. 3800 ad 3 die 23. Mart. 1709.

8) Puls. ad ingressum Episcopi.

Cf. *Sabbat. sanct.*

Campanae pulsandae sunt, quando Episcopus ad solemniter celebrandum ad Ecclesiam venit. n. 21 ad 1 die 23. Mart. 1592.

9) Puls. in omnibus Ecclesiis.

Jubente Ordinario, ut in quibusdam solemnitatibus, vel in alio peculiari

casu sonus Aeris Campanae omnium Ecclesiarum edatur, Ecclesiae Regul. aliaeque exemptae ejus mandato parere tenentur. n. 4578 ad 3 die 3. Apr. 1821.

10) Puls. pro effect. profanis.

Vd.: *Camp.* (quae non puls.)

Pro pulsatione campanarum ad praefatos usus *(ad ingress. principis, ad incendium, ad inundationem, pro victoria contra hostem reportata etc.)* necesse non est ab Ordinario licentiam petere toties, quoties pulsandae sunt, sed sufficit eandem semel petere pro semper. S. C. Ep. 8. Jun. 1592.

De consensu Episcopi campanae *bened.* pulsari possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur causae sanguinis et praesertim, si communitatis expensis constructae fuerint, quantumvis tale jus non sibi reservasset. S. C. Ep. 31. Jan. 1589.

11) Pulsandae feriis sextis in Memoriam Agonis Christi.

Ad dubium: Ex Constitutione Benedicti XIV. Summi Pontificis die 13. Dec. 1740 conceditur Indulgentia in memoriam Agoniae D. N. J. Chr. pro singulis sextis Feriis: pulsatio Campanae fieri debet hora III. post meridiem, ut innuit laudata Constitutio, Horologii italici, vel hora vigesima prima uti vult Libellus Romae editus Anno 1834 inscriptus: *Raccolta di Orazioni, e pie Opere ec.* Typis Perego Salvioni.

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Ad S. C. Indulgentiarum."

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4782 ad 2 die 27. Aug. 1836.

12) Puls. pro expos. SSmi.

Instructio Clem. §. X. n. 2, §. XI.

13) Puls. pro horis canon.

Vd.: *Matutinum* (tempus decr. n. 4246); *Campanae* (puls. pro Off. del. cant.)

Potest insignis Ecclesia Colleg. Gerundae pulsare campanas ante vel post horas, in quibus pulsat. Cathedralis pro recitandis Matutinis et Vesperis. n. 3610 ad 1 die 21. Jan. 1702. n. 3613 die 11. Febr. 1702.

Ad dubium: An liceat Capitulis Collegiatarum Civitatis Aquilae, et praesertim Collegiatae S. Justae, pulsare campanas pro vocandis Presbyteris seu Capitularibus, ad effectum celebrandi divina Officia, seu potius ad dictum effectum unice attendendus sit sonitus campanarum, quas vocant squilla, et squillone Cathedralis Ecclesiae S. Maximi Civitatis praedictae, a quibus omnes regulari debent, et tenentur, in casu etc.?

2. An liceat Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Saganica Civitatis Aquilae pulsare proprias campanas pro convocandis Presbyteris, ad effectum celebrandi divina Officia, non exspectato sonitu campanarum Cathedralis S. Maximi dictae Civitatis, quas dicunt squilla, et squillone, seu potius exspectari debeat sonitus dictarum campanarum Cathedralis per integram primam mediam horam, ita ut postea tantum, et donec sit expletum signum Cathedralis, liceat dictae Collegiatae pulsare campanam, quam vocunt la squilla, et dicitur alla stessa, in casu etc.?

Et eadem S. R. C. tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit:

Ad 1. „Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam partem."

Ad 2. „Servetur solitum."

Et ita declaravit, et servari mandavit. n. 3789 die 4. Aug. 1708.

Diuturnae pariter tam pro Defunc-

tis, quam occasione Festorum, et etiam integro unius horae spatio nocturnae, adest consuetudo Campanas pulsandi, quod non videtur S. Ritibus congruum.

Et S. eadem C.... respondendum consuit: „Ipse Episcopus provideat jure ordinario.“

Atque ita rescripsit. Die 10. Januarii 1852 n. 5166 ad 4.

14) An puls. pro Laicis?

Non licere pulsare campanas Ecclesiarum neque Piorum Locorum in adventu Domini loci, sine licentia Ordinarii. n. 1065 die 10. Julii 1638.

In adventu Baronum locorum nullo modo licet pulsare campanas. n. 1126 die 19. Febr. 1639; n. 1407 die 16. Aug. 1642.

Est abusus non tolerandus, quod campana aliqua pro solis nobilibus pulsari reservetur, sed pulsari debet pro quibuscunque petierint. S. C. E. 19. Junii 1583.

Vd. *Campanae* (puls. pro effect. profanis.)

15) Puls. pro Off. def. cantando.

Servanda est pia consuetudo pulsandi campanam aliquot ictibus tam de sero, quam de mane, quando dicend. est off. def. S. C. Ep. 21. Aug. 1607.

16) Puls. in Processione.

Tenentur Clerici regulares in transitu processionis Lytaniar. majorum campanas pulsare. n. 144 ad 2 die 7. Apr. 1598.

17) Puls. in Process. SSmi.

Ad dubium Collegii Parochorum Urbis: an in festis solemnioribus anni aut occasione particularis Jubilaei aut Indulgentiae, quibus temporibus a parochis maximo apparatu et pompa defertur SSmum. Infirmis, omnes Ecclesiae Saecularium, Regul. et Monialium, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, teneantur ac debeant solemniter pulsare campanas, dum SSmum. tam in eundo quam in redeundo transit non solum ante portas majores et laterales earundem Ecclesiarum, verum etiam quando transit ante januam domus, conventus, monasterii, aedis parochialis et capitularis, quae respectivis Ecclesiis sit adnexa? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 4428 die 10. Mart. 1787.

Vd. *Processio SSmi. Regul.* (modus, decr. n. 4130); *Instructio Clem.* §. XX n. 15.

18) Puls. in Sepultura.

In casu, quo defunctus tumulatur in Ecclesia Regularium, non posse parochum defuncti impediri ab ipsis Regularibus, quin pulset Campanas parochiales, neque ipsos Regulares Ecclesiae, in qua defunctus sepelitur, impediri a Parocho, quin pulsent campanas eorum Ecclesiae. n. 1364 die 8. Febr. 1642.

Licet PP. Minoribus Conventualibus Caselli in funeribus libere campanas pulsare absque licentia Plebani. n. 4210 ad 4 die 19. Sept. 1750.

Quoad mercedem campanae, quae pulsatur occasione funerum, servanda est consuetudo. S. C. Ep. 5. Maii 1617; 28. Maii 1638.

Episcopus prohibere non potest, ne campanae pro funeribus pulsentur sine licentia ipsius Episcopi. S. C. Ep. 26. Febr. 1601.

19) Puls. in signum jejunii.

Prohibetur fratribus s. Augustini campanas pulsare media nocte ante diem Cinerum in signum coepti jejunii, cum hoc specialiter spectet ad campanam Cathedralis. n. 1677 die 5. Julii 1653.

20) Quae non pulsantur?

Campanae consecratae etiam in turri profana existentes nullatenus usui profano inservire debent, nisi de licentia Episcopi. S. C. E. 31. Jan. 1559.

Vd. *Camp.* (puls. pro eff. prof.)

Regulares possunt cogi ab Episcopo ad deponendum de Campanili campanas, si ibi non benedictas appenderunt. S. C. E. 17. Jan. 1614. Campanae ne pulsentur, si non sint benedictae, potest Episcopus prohibere. S. R. C. 5. Julii 1614.

21) Quod?

Ad dubium: an Confraternitas SSmi. Rosarii Burgi possit retinere tres vel quot campanas in campanili suae Ecclesiae seu Oratorii? S. C. resp. Affirmative. n. 3910 ad 1 die 9. Julii 1718.

CAMPANULA.

1) In missa priv. et sol. (et in distrib. s. Commun.)

Vd. *Instructio Clem.* §. XVI. n. 1 etc.

Campanula ad egressum Sacerd. ibid. n. 4.

Genuflexio ante SS. Sacrament. (In processione etc. decr. n. 2943.)

Ad dubium: 1. In Ecclesiis Peruvianis est communis consuetudo pulsandi Campanulam a Ministro in Missa non solum ad verba *Sanctus* etc. et in elevatione Sanctissimi, sed etiam ad verba *Domine non sum dignus* ante sumptionem, et quoties administratur Communio Fidelibus ad praedicta verba: Utrum toleranda sit ista consuetudo, et sequenda in Ecclesiis?

2. Utrum pulsanda sit Campanula quando in Choro elevato et sito in extrema parte Ecclesiae, ubi non videtur Celebrans, recitatur Officium?

Emi. et Rmi P.... rescribendum censuerunt:

Ad. 1. Tolerari posse.

Ad. 2. Affirmative. n. 5224 ad 9 et 10 die 14. Maii 1856.

2) Ministror. in process. SSmi.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXII n. 6.

CANDELA.

1) Baptismalis.

Candela a rituali praescripta et aliae candelae, quae occasione collationis Baptismatis sponte offeruntur, debentur Ecclesiae (Cathedrali). n. 4270 ad 7 die 16. Julii 1757.

2) In Confirmatione.

Licuisse et licere Episcopo Portugalensi observari facere caeremoniam candelae accensae in confirmatione conferenda, utpote ab Ecclesia receptam, fidei protestativam et meritoriam. n. 4172 die 15. Maii 1745.

3) In Dedicat. Eccles. ad pariet.

Candelae ante cruces accendendae sunt in die, ad quam transf. celebratio Officii Dedicat. S. R. C. 28. Febr. 1682.

Cf. *Dedicat. Eccles.* (crux).

4) Dignitatum.

(Quae?)

Vd. *Processio Corp. Chr.* (candela cleri); *Cereus.*

Praeposito in processionibus debetur candela majoris ponderis quam caeteris de Capitulo. n. 4040 ad 5 die 21. Apr. 1736. Candelae, quae in festo Purificat. B. V. M. distribuuntur Dignitatibus, debent esse ejusdem ponderis ac structurae? n. 4064 ad 6 die 31. Aug. 1737.

In festo Purificationis B. V. M. Archidiacono (Metrop. Hydrunt.) debetur juxta solitum candela majoris ponderis. n. 4358 ad 25 die 7. Dec. 1771.

5) Episcopi.

Vd. *Bugia Episcopi.*

6) In expositione SSmmi.

Vd. *Expositio SSmi.* (num. lumimum); *Lumina.*

7) In functionib. solemnib.

Cappellanis in diebus festivis solemnibus vel non solemnibus licet celebrare cum tot candelis accensis, sicut celebrat parochus. n. 2630 ad 2 die 6. Mai 1673.

Numerus candelarum apponendus, in altari et resp. accendendus, dum divina Officia et missae sol. celebrantur in festivit. 1 et 2 cl. et in dominicis et aliis festis est juxta votum Episcopi. n. 4383 ad 2 die 12. Julii 1777.

8) In funeribus.

Vd. *Sepultura* (associatio; modus) *Cera; Quarta funeral.*

9) Materia.

Resolutionis Dubiorum super usu novarum Candelarum ex *Stearina* confectarum. Instantibus nonnullis Ep., permultisque Cereorum Fabricatoribus, cum Rmo. Ep. Massilien., ac referente Emo., et Rmo. D. Card. Cosimo de Corsi Ponente, rescriptum fuit: „Consulantur Rubricae.“ Die 16. Sept. 1843. n. 4975.

Sacrarum Missionum In Océania.

Etsi S. C. de Propaganda Fide non intermisse institerit, ut in remotissimis etiam Missionibus pro Sacrosancto Missae Sacrificio adhibeantur Candelae ex industria apum labore confectae, et interdum ex Apost. venia indulserit, ut Missionarii possint uti Oleo in Missae celebratione loco Cerae, et deficiente etiam oleo celebrarent absque luminibus; attamen praeterire nequivit fervidas preces Operariorum Evangelicorum in dissitis, et adhuc nascentibus S. Missionibus in Oceania, quorum nomine exponebatur sibi pene impossibile esse pro Sacrosancto Missae Sacrificio vel Ceram vel Oleum comparare, ut jam impetratum Indultum pro Oleo loco Cerae adhibendo executioni demandare valeant. Et quum Operariis ipsis non parum displiceat absque luminaribus Sacrosanctum celebrare Sacrificium, ac iisdem difficile minus appareat ex piscatione, quae ibi instituitur a Societatibus Balneariis consequi Candelarum illarum qualitatem, quae pluribus in regionibus sunt in usu, quaeque efformantur ex oleo, seu adipe Caeti, praevia necessaria purificatione, et communiter *Spermacoeti* appellantur; harum usum in S. Actione sibi permitti instanter efflagitant, eo vel magis quia ex eorumdem depositione hujusmodi Candelae ob nitorem, puritatem, et lucem lingua illa nominantur *Bougies à l'etoile.* Et quoniam eidem S. C. de Propaganda Fide, antequam quidquam in re decerneret, placuit hujus S. R. C. votum, et sententiam exquirere, Emi., et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita a subscripto Secretario fideli relatione, cribratisque maturo examine circumstantiis singulis in facti expositione concurrentibus, rescribere censuerunt: Affirmative, seu permitti posse, dumodo preces veritate nitantur.“ n. 5150 die 7. Sept. 1850.

10) In missa Episcopi, Dignitarii, Abbatis.

Vd. *Missa Episcopi, Dignitarii, Abbatis.*

11) In missa parochiali.

Tiburtina.

Etsi non una vice tantum ab hac S. R. C sancitum fuit Parochialem Missam pro populo celebrandam esse absque ulla exteriori pompa, ac proinde Archipresbyteris, et Parochis jus nullum competere exigendi, ut Candelae in Altari accensae sint numero plures quam duae; repetitae hujusmodi sanc-

tioni parere recusant duo Canonici Vicarii perpetui Cath. Tiburtinae a S. Laurentio Mart. nuncupatae, qui in praesentiarum actu in Cath. illa Basilica in cura animarum Capitulum repraesentant, quique mordicus exigunt ut quatuor accendantur candelae, dum ipsi memoratam Missam Parochialem pro populo celebrant. Quorum consilium, et factum P. R. C. humillimis datis precibus exponentes reliqui Canonici enixe rogarunt, ut declarare dignaretur, num tolerari possit quod, contra Decretorum praescriptum, in suo proposito Vicarii perpetui perseverent, ac proinde quatuor accensas Candelas in casu adhibere valeant.

Et S. eadem C ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis audita ab infrascripto Secretario fideli relatione, ac omnibus in facto concurrentibus maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt: „Non licere juxta Decreta, abusumque omnino eliminandum.“ Atque ita rescripsit, servarique praecepit. n. 5149 die 7. Sept. 1850.

12) In missis de Requ.

Ad dubium: Utrum in Exequiis e. g. pauperum Cerei accensi in Altari pauciores esse possint numero quam sex, et in Missis quotidianis cantatis pro Defunctis quam quatuor? rescriptum prodiit:

„In Missis *de Requie* cum cantu saltem quatuor.“

Atque ita S. C. rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. n. 5208 ad 7 die 12. Aug. 1854.

13) Modus deferendi.

Vd. *Instructio Clem.* §. XX n. 12; *Processio SS. Corp. Chr.*

14) In Ordinatione.

Vd. *Ordinatio* (oblatio.)

14) Ordo accipiendi in festo Purificat. B. V. M.

Vd. *Purificatio B. V. M.*

16) In portand. SS. Viatico ad Infirmos.

Caeremonialis liber nec Laicis nec Clericis prohibet, quominus im process. SSmi. (ad infirmos) deferant intortitia vel candelas accensas. S. R. C. 12. Apr. 1603.

CANDÈLABRUM.

1) Ad Evangelium.

Vd. *Pileolum Ministr.* (decr. n. 2625.)

2) Ad Legile.

Vd. *Bugia Canon. in choro.* (decr. n. 3597); *Bugia Canon. in missa* (decr. n. 4536 Nota; ad finem.)

3) Modus Ponendi.

Juxta Caeremoniale Episcoporum l. 1 c. 12 n. 11. Candelabra in Altari ponenda non sunt omnino inter se aequalia. In tota Dioecesi Briocensi sunt omnino inter se aequalia. Quaeritur utrum hoc praescriptum Caeremonialis Episcoporum ea de re sit rigorose tenendum? Et si affirmative, petitur, ut iis Candelabris inter se aequalibus in omnibus Ecclesiis, seu Cappellis uti liceat, donec admodum renovanda sint?

S. eadem C.... respondendum censuit:

„Adductam causam a praescriptione Caeremonialis observanda excusare.“ Atque ita rescripsit. n. 5221 ad 9 die 21. Julii 1855.

4) Septimum.

a) Cui non debetur?

Cf. *Dignitas; Missa sol.; Usus Pontifical.*

Rectores et Beneficiati Ecclesiarum parochial. non possunt collocare sept. candelabrum in altari majori in festi-

vitatibus solemnioribus. n. 3046 ad 6 die 11. Mart. 1684.

Super altari locentur sex tantum et non septem candelabra cum totidem candelis celebrante Priore usum Pontificalium habente. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Vicarius et Beneficiati Ecclesiae paroch. Caesaraugustanae non possunt collocare sept. candelabrum in altari maj. in festivitatibus solemnibus. n. 3077 die 10. Febr. 1685 et 20. Aug. 1687; n. 3178 die 22. Jan. 1689.

Cum *Episcopus Administrator* missam cantat in Pontificalibus, non debet poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa. n. 3952 ad 6 die 22. Aug. 1722.

Celebrante Suffraganeo super altare non esse ponendum septimum candelabrum, sicut ponitur celebrante proprio Archi-Episcopo. n. 354 die 1. Sept. 1607.

b) In missa sol. Episcopi.

Vd. *Ordinatio* (lum.)

Episcopo pontificaliter celebrante debet super altare poni 7. candelabrum eorum sumptibus, qui ad caeteras missae pontif. expensas tenentur. n. 4317 ad 7 die 6. Aug. 1763.

c) In Missa de Requ. Episcopi.

In Missis defunctorum ab Episcopo celebratis nunquam adhibetur septimum candelabrum. n. 351 ad 8 die 19. Maii 1607.

d) In vesp. Episcopi.

In missa tantum et non in vesperis Episcopo celebrante, solet adhiberi septimum candelabrum. n. 351 ad 8 die 19. Maii 1607.

CANES.

(ab Ecclesia prohibendi.)

Vd. *Instructio Clem.* §. VIII n. 3.

CANON.

1) Dignitarii.

In missa solemniter cantata in elevatione non potest uti canone prima Dignitas Cathedr. Spolet. n. 2967 ad 2 die 20. Sept. 1681.

Vd. *Bugia Dignitat.;* decr. n. 4824. *Usus Pontificalium.*

2) Nomen Abbatis et Episcopi.

Vd. *Missale*; *Oratio pro Episcopo.*

Eos Religiosos, qui Antistitis nomine tacito, ejus loco in precibus sive in Canone suae Religionis superiorem nominant, contra charitatem facere. n. 283 die 12. Novb. 1605.

Non debent Regulares in Canone nominare Superiores suos ut Antistites. S. R. C. 15. Novb. 1615.

In Canone et in Collectis omnino faciendam esse mentionem de Episcopo etiam ab exemptis. n. 1611 ad 6 die 25. Sept. 1649.

In canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium. n. 2363 ad 11 die 13. Febr. 1666.

In loco defuncti Pontificis vel Episcopi nemo alius in Canone nominari debet. n. 2451 ad 12 die 15. Sept. 1668.

Postulabat Abbas saecul. Collegiatae de Lerma nullius Provinciae: Ut liceret Clero saeculari quam regulari in Ecclesiis ei subjectis eum nominare in canone. S. C. resp. *Negative.* n. 4494 die 1. Sept. 1804.

Nomen *Episcopi Administratoris* amovibilis Ecclesiae vacantis non debet in Canone memorari per sacerdotes celebrantes. n. 3952 ad 5 die 22. Aug. 1722.

Celsitudinis Regalis Eminentiae Ludovici D. Cardinalis Infantis Hispaniarum Toletanae, Hispalensis Ecclesiarum *administratoris* et Possessoris, licet sacris destituti Ordinibus, nomen

in canone missae, Collecta et Praeconio est exprimendum. n. 4135 die 19. Jan. 1743.

3) Nomina SSrum.

Vd. *Inclinatio capit. infra missam*; *S. Joannes B.* (ejus nominatio etc.)

Additionem nominis s. Josephi Sponsi B. V. M. in canone fieri non debere. n. 4520 die 16. (17.) Sept. 1815.

4) Plures missae, uno tamen sacerd. dicente Canon.

Fratres Ordinis SS. Trinitatis Insularum Majoricae in septem altaribus, in capella rotunda erectis sub titulo 7 Mysteriorum dolorum B. V. M. et privilegio apostolico pro defunctis decoratis septem Missas semel celebrant, *uno Sacerdote totum s. Canonem alta voce proferente*, ita ut alii Celebrantes simul consecrent, simul elevent hostiam et simul terminent Missam. S. C. resp.: *Aboleri dictum abusum.* n. 1451 ad 1 die 13. Junii 1643.

CANONICATUS.

(Cui conferendus?).

Canonicatum et Praebendam conferendam esse in perpetuum et in titulum Clerico saeculari, qui cum caeteris Canonicis munus Praebendae theologalis adimpleat juxta formam Concilii Tridentini, quia nullo modo convenit, ut Frater regularis cantet Officium in choro cum Canonicis et presbyteris saecularibus. n. 220 die 15. Novembris 1603.

CANONICI.

1) Ecclesiae Cathedralis.

a) Accessus ad chorum.

Non licet Dignitatibus se induere cotta et Almutia in stallis chori sed debent se induere in Sacristia et processionaliter cum Canonicis accedere ad chorum. n. 3121 ad 6 die 20. Julii 1686.

Canonici in accedendo et recedendo a choro progredi et recedere valeant per partem proximiorem stallo. num. 4358 ad 32 die 7. Dec. 1771.

b) Administratio Sacrament.

Vd. *Cappa Canon. Cath.* (decr. n. 4946 et 4536); *Canonicus* (Insignia et habitus); *Stola in administr. Sacram.*; *Rocchettum Canon.*; *Mozzetta Canonicor.*; *Usus Pontifical.* (decr. n. 4696 ad 3).

Canonici, usum cappae et Rocchetti habentes, debent Sacramenta administrare cum superpelliceo et stola juxta Rituale romanum. n. 753 ad 1 die 12. Julii 1628; n. 4365 die 19. Junii 1773.

Canonici Collegiatae s. Laurentii Florent., qui habent usum Rocchetti, in administratione SS. Sacramenti utantur rocchetto et stola. n. 2635 die 17. Junii 1673.

Ad dubium: an Dignitatibus et Canonicis (Ecclesiarum Colleg.) habentibus usum Mozzettae, dum Sacramenta administrant, sit permittendus usus stolae super mozzetta? S. C. resp.: Pro observatione decretorum et Caerem. respective. n. 3484 die 2. Aug. 1698.

Canonici Cathedralis in administratione Sacramentorum tam intra, quam extra Cathedr. tenentur deponere cappam atque uti superpelliceo et stola juxta rituale rom. n. 4536 dub. addit. 1 die 4. Junii 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Clara et generalis est rubrica Ritualis Romani tit. 1. num. 7, videlicet: *In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit.* Idipsum habetur, ut de aliis Synodis sileam, in Conc. Prov. I. Mediolanensi, ubi S. Carolus Borromaeus expresse jubet,

„ut Sacerdotes in Sacramentorum administratione semper superpelliceum decens, et stolam adhibeant.“

Cum autem lex generalis sit, nulla excipitur persona quavis dignitate praefulgens: hinc fit, ut etiam Canonici usum Cappae magnae habentes, Sacramenta administraturi eam debeant deponere, et superpelliceum assumere. Quod declaratum video pluries ab hac S. C. Ita in una Dubiorum Urbis: *„an* Canonicis usum Cappae habentibus liceat Sacramenta administrare cum solo Rocchetto, et deposita Cappa“: sub die 12. Jul. 1628 responsum fuit: *„Sacramenta esse administranda cum superpelliceo, et stola, juxta Rituale Romanum.“* Neque credas hujusmodi Decretum longo temporis decursu obliteratum in desuetudinem abiisse: nam eadem S. R. C. illud instauravit, et ad observantiam revocavit, simili quaestione proposita in C. habita die 19. Junii 1773 a Canonicis Collegiatae S. M. in Cosmedin. Urbis. Idipsum dispositum habetur in Syracusana die 2. Aug. 1698, et in Pisauren. 12. Dec. 1750.

Aesina.

In Bulla erectionis (Collegiatae) Ecclesiae loci Cuprae Montanae vulgo Massaccio intra fines Dioecesis Aesinae haec habentur: „Canonici Rocchettum cum suis Manicis, et Mozzettam violacei coloris tam in dicta Parochiali Ecclesia, quam extra eam . . . . quibuscunque Actibus et Functionibus publicis et privatis . . . deferre et gestare . . libere et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat.“ Ex illimitata Bullae enunciatione usque ab Anno 1778, in quo Collegiata erecta fuit, Canonici cum Rocchetto et Stola Sacramenta Baptismi, Poenitentiae, et Eucharistiae administrare coeperunt, et Archipresbyter, qui est unica Collegiatae Dignitas, Rocchetto, Mozzetta, et Stola indutus Domorum benedictionem in Sabbato Sancto perficit. Hisce positis alter ex Canonicis Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit pro declaratione; nimirum: an stante illimitata concessione tum Canonici, tum Archipresbyter perseverare queant in invecta consuetudine? Sacra autem Rituum Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, re mature, diligenterque perpensa, rescribendum censuit: „Negative, et detur Decretum in una S. Mariae in Cosmedin. Urbis diei 19. Junii 1773.

Et ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 16. Aprilis 1831 n. 4664.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Responsio S. Congregationis responsionibus est conformis alias datis tum die 12. Julii 1628, tum die 19. Junii 1773 cum simile huic Dubium fuit propositum, nec diverso potuisset modo respondere. Cum enim accuratae Rituum et Rubricarum observationi S. Congregatio sit praeposita, quidquid abusum, vel novitatem redolet, debet reprobare, atque eliminare ex ipso suae Institutionis fine. Abusum autem, et novitatem praesefert consuetudo, quae in medium profertur, quaeque Sacrae Congregationi perpendenda proposita est; administrandi scilicet Sacramenta Baptismi, et Eucharistiae a Canonicis cum Rocchetto, et Stola, et domos benedicendi in Sabbato Sancto cum Rocchetto, Mantelletto et Stola ab Archipresbytero: praeter quod enim solum Rocchettum non possit haberi tamquam vestis Ecclesiastica, nec in choro quis cum hoc tantum adesse possit, et Rocchettum cum Mozzetta sit habitus choralis tantum, nimis clara est Ritualis Rubrica: *De iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt,* quae praecipit, ut Sacramenta administrentur

cum Superpelliceo et Stola: *In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola:* Tenentur igitur Sacerdotes stolam et cottam induere dum Sacramenta administrant, et id ab hac Rubrica praecipitur (demptis casibus ab ipsa Rubrica notatis, qui locum in nostro casu nullum habent) quod etiam monitum fuit a S. Congregatione Episcoporum die 8. Nov. 1588. Si qui sunt, qui ex concessione usu gaudent Rocchetti et Mozzettae, his uti nequeunt in administrandis Sacramentis, pro quorum administratione taxative vestis praescribitur a Rubrica, ut vidimus, sed illis tantum uti possunt in in Choro, in Processionibus et Functionibus omnibus, in quibus habitum choralem induunt. Hinc enunciatio Bullae, quae illimitata dicitur, suos utique habet limites, nempe *Functiones publicas et privatas* respicit, quae collegialiter sive in Ecclesia, sive extra peraguntur, et hic habitus toti Collegio, non singulis est concessus, exclusa tamen semper Sacramentorum administratione, in qua unusquisque eam debet vestem induere, quae pro hac est a Rubrica praescripta. Non igitur illimitata est concessio, sed illimitata potius, et nimis libera, et contra Rubricae praescriptum illius interpretatio, ex qua abusus est exortus, quem Sacra Congregatio dato Decreto, et confirmatis aliis jam super hac re existentibus, eliminandum esse censuit.

Ad dubium: Utrum possint et ipsi Canonici, qui ex antiquo more Mozzetta et Rocchetto insigniti sunt, uti Rocchetto in administratione seu confectione Sacramentorum et Sacramentalium, quum Rmus. Episcopus usum Rocchetti generaliter, et pro majori Seminario recenter praeceperit, aut saltem probaverit, et pro omnibus insuper suae Dioecesis Presbyteris, etiam in Sacramentorum administratione se toleraturum esse voto et scripto declaravit, quidquid in contrarium faciant Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum, Missale et Pontificale, et licet nulla in Dioecesi Cenomanensi antiqua, aut usquedum generalis pro ea S. Liturgiae derogatione extiterit consuetudo?

Emi. et Rmi. P. . . rescribendum censuere:

,,Rocchettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum, ac proinde tum ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam Tonsuram, et Minores Ordines necessario superpelliceo utendum."

Atque ita declaravit. n. 5165 die 10. Januarii 1852.

Ad dubium: Canonici habentes usum Rocchetti, et Cappae seu Mozzettae, quo habitu debent concionari, Confessiones excipere, baptizare, aliaque Sacramenta ministrare tam in propria, quam in aliena Ecclesia et Dioecesi? S. C. resp.: ,,Detur Decretum diei 31. Maji 1817 in una Dubiorum, nimirum: tam intra, quam extra propriam Ecclesiam tenentur Canonici in Sacramentorum administratione Cappam, vel Mozzettam deponere, et assumere Superpelliceum et Stolam. Si Concionem habeant in propria Ecclesia Cappa vel Mozzetta utantur, non item extra." n. 4669 ad 26 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: Canonici et Cappellani Ecclesiae Primatialis Pisanae itemque Parochi, aliique Sacerdotes per Dioecesim occasione ministrandi Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae induere solent Stolam super Cappam, et Mozzettam, aut Caputium. Hunc abusum est difficile evellere. Quum enim hujusmodi Presbyteri ex antiquissimo privilegio pro Superpelliceo utantur Rocchetto, continuo conquaeruntur, praesertim pauperiores, sibi esse in promptu habendum Superpelliceum super Rocchetto imponendum. Pro Ecclesia vero

Conventuali Divi Stephani Papae et Martyris, quum ab jurisdictione Ordinarii non pendeat, nescio quo pacto animadverti possit in consuetudinem hujusmodi; seu: Utrum 1. Dignitates, Canonici, Parochi, et Sacerdotes tum Ecclesiae Primatialis, tum aliarum Ecclesiarum Dioecesis Pisanae adigi debeant ad Superpelliceum cum Stola in administratione Sacramentorum juxta Rituale Romanum, deposita Cappa, et Mozzetta, vel Caputio etc.? Utrum 2. In Ecclesia Conventuali Sancti Stephani Papae et Martyris exempla Presbyteri ministrantes Sacramenta sine Superpelliceo cogi valeant ab Archiepiscopo ad servandam recensitam Ritualis Romani Rubricam. S. C. resp.:

„Affirmative quoad utramque partem. n. 4672 ad 22 die 12. Novbr. 1831.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Haec praxis, quae in Primatiali Ecclesia Pisana in administrando Fidelibus Sacram Eucharistiam servatur, contraria est Rubricae Ritualis Romani, quae *Superpelliceum et Stolam* in administratione Sacramentorum adhibendam praecipit, quod pariter singulari modo praescribit, dum Sacra Eucharistia est administranda: sic enim praecepit in ordine administrandi Sacram. Communionem: *Sacerdos lotis prius manibus, et Superpelliceo indutus, et desuper Stola coloris Officio illius diei convenientis.* Jam omnia ordine fieri debent, quemadmodum monet Apostolus et in Litteris Apostolicis sub plumbo Paulus V. fel. rec. repetit, confirmatque immortalis memoriae Benedictus XIV. et ea praecipue, quae pertinent ad Ecclesiae Dei Sacramentorum administrationem. Insuper, qui in Rituali Romano comprehenduntur ritus, monet ut inviolate ab omnibus tamquam Ecclesiae filiis serventur, quia ejusdem Ecclesiae Matris et Magistrae auctoritate constituti sunt. Qui, quaeso, ordo esset in administranda Sacra Eucharistia, quomodo inviolabiliter servaretur quod de habitu, quo hoc Sacramentum debet administrari, praescribitur, si Superpelliceum, quod praecipitur, non adhiberetur? Sane hoc contra Rubricae praescriptum esset, ideoque improbandum foret. Esse abusum non denegatur in dubio, sed affirmatur aeque difficile esse illum evellere. Profiteri abusum sufficiens est ratio ad illum tollendum, evelli autem facili potest negotio si res ad ordinem redigatur, si religiose et inviolabiliter, ut par est, quae praescripta non sunt observentur, ut revera ab omnibus servari absque ullo dubio debent. Neque Rubricae servandae sunt, aut negligendae pro uniuscujusque commoditate, quia in promptu ex. gr. non est Superpelliceum super Rocchettum imponendum. Non agitur sane hic de administranda Sacra Eucharistia per modum Viatici infirmo morituro, sed bene valentibus, adeoque nihil officit, aut potest officere communicandis, si parumper expectent: expectent utique donec Sacerdos habitu praescripto induatur, et, ut debet, hoc Sacramentum administret. Quod vero ad Ecclesiam sancti Stephani Papae et Martyris spectat, quae ab Ordinarii jurisdictione non pendet, pro qua tamquam exempla difficilis et pene impossibilis asseritur animadversio in consuetudinem non adhibendi Superpelliceum, velim dicerent, num Ritualis Rubricae hos, illosve respiciunt, hanc vel illam eximunt? An non potius omnes aeque Sacerdotes Sacramentorum Ministros respiciunt, et obligant? Quid exemptio Ecclesiae ab Ordinarii jurisdictione cum exemptione ab observandis Rubricis? Magnum quidem est inter utrumque discrimen. Apostolicae autem Litterae Summorum Pontificum neminem ab observandis

Ritibus et eo, quo praecipiuntur modo, excipiunt, nullam Ecclesiam, quaecumque ea sit, eximunt. *Quapropter*, sic habetur in Apostolicis Litteris Benedicti XIV, qui aliorum Pontificum mandata refert, ***hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, et dilectos Filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubique locorum existentes, et alios, ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae filii . . . inviolabiliter observent.*** Sane quae exemptio in his verbis apparet? quae exceptio? Quis inter Ecclesiae Filios per inobedientiam adnumerari recusaverit? Aut hoc nomine per inobservantiam Rituum, quos servare debet, noluerit gloriari? Nemo sane, ut arbitramur, reperietur, qui tantam gloriam negligat.

Atque hinc quisque intelliget rationem ab exemptione Ecclesiae desumptam nihili omnino esse faciendam, ut pariter a servandis Ecclesiae Ritibus exemptus quis putetur, et Rubricarum praeceptis renuat obtemperare.

Haec autem responsio haud recens est, nec unica, ita ut quid novi sit modo decretum. Conferantur quae alias ipsa Sacra Rituum Congregatio edixit, et eadem semper decrevisse apparebit, quippe quae ad tuendos servandosque legitimos et antiquos Ecclesiae Ritus fuit instituta. Sic in *una Dubiorum Urbis sub die 12. Julii 1628*, *sic* in *Syracusana die 2. Augusti 1698*, in *Pisaurensi die 12. Decembris 1750* et in *una Urbis Sanctae Mariae in Cosmedin 19. Julii 1773*, in quibus omnibus Decretis, ut alia multa, et similia ommittantur, praescriptum semper fuit *Superpelliceum cum Stola* in administratione Sacrae Eucharistiae, additumque semper aeque fuit: *juxta Rituale Romanum.* Nulla itaque est ratio, cur aliter responderi posset, adeoque servari debet, quod Rituale Romanum praescribit, contra quod nulla admittenda est contraria consuetudo, nulla vel Personarum, vel Ecclesiarum exemptio, nihili habendae sunt in contrarium sentientium quaerimoniae. Omnes enim Ecclesiae praescriptis obtemperare tenentur, eaque inviolate ac religiose servare.

c) Assistentes Episcopo.

I. In habitu canonicali in choro.

Vd. *Mandatum.*

Canonicos in Dominicis Adventus et Quadragesimae aliisque diebus festis, quibus Archiepiscopus in choro cum cappa assistit, sub poena non tantum amissionis distributionum sed sub alia arbitrio ejusdem Archiepiscopi debitam assistentiam praestare debere. n. 1505 die 23. Maii 1648.

Canonicos non indutos canonicalibus indumentis non teneri ad praestandam assistentiam Archiepiscopo; imo contra ritum praestari. n. 1874 die 16. Mart. 1658.

Inchoatis Officio et Missa supervenientibus Dignitatibus vel Diaconis dignioribus, ad quos munus assistentiae incumbit, tum cappa, tum sacris vestibus indutis locum cedere tenentur eorum vices supplentes, si eodem habitu amicti inter alios apud stalla interesse potuerunt. Verum si indumentum eos mutare oporteat, in assistentia persistant usque ad finem actionis. n. 2805 ad 1 die 14. Novb. 1676.

II. Parati in choro

Cf. *Processio* (Can. par.); *Almutia; Episcop. assist.; Suffraganeus; Pluviale in choro* (decr. n. 3551); *Canonici Colleg.* (parati assist.); *Episcop. Administrator* (Ministri etc.); *Diaconi ass.* (quae param.); *Parasceve* (ador. crucis; Clerus, decr. n. 4803.)

Decentius esse, ut Dignitates Plu-

vialibus, Canonici Presbyteri Planetis, et Diaconi et Subdiaconi vel qui pro Diaconis et Subdiaconis supplent, licet ordine sint Presbyteri, utantur dalmaticis et tunicellis. Ita enim ecclesiasticus apparatus varietate circumamictus majorem praebet aspicientibus splendorem et decentiam, quam si amnes Canonici Pluvialibus induantur. n. 374 ad 9 die 15. Mart. 1608.

Episcopo Vesperas vel Missas solemniter celebrante vel aliquid Pontificale exercente, ultra necessarios Ministros, omnes Dignitates et Canonici *apparati* esse debent. n. 13 ad 3 die 20. Mart. 1590.

Canonicos Cathedralis teneri *capitulariter* assistentiam praestare Episcopo, quando *solemniter in cantu* inter divina Officia fiunt Ordinationes; si vero fiant *privatim*, tres tantum ex ipsis debere Episcopo inservire. n. 1944 ad 1 die 7. Decb. 1658.

Esse abusum, ne Canonici sumant ad Missam (pontificalem Episcopi) sacra indumenta. — Ex quo non adsit distinctio Praebendarum, posse omnes tum Dignitates tum Canonicos indui pluvialibus. n. 1955 ad 1 et 2 die 15. Febr. 1659.

Ad conquestionem, quod Episcopus Theles. praecepisset, ut Canonici Cathedr.... in missis et Vespris pontificalibus Pluvialia deferant, S. C. resp.: „*Servari Caeremon.*“ n. 2120 die 2. Julii 1661.

Dignitates Episcopo Divinis pontificaliter interessenti assistentes non possunt inter solennia hujusmodi deponere Pluviale missam celebrandi causa. n. 2172 die 3. Junii 1662.

Episcopus, habens in Cathedrali Dignitates et Canonicatus *omnes presbyterales*, potest statuere quod ultra Presbyterum assistentem alii duo in scamnis assistentium habeant pluviale et ultra duos Canonicos assistentes cum dalmaticis in throno et duos alios ad altare in habitu diaconali et subdiaconali respetive habeat in dictis scamnis assistentium ultimos quatuor Canonicos, duos indutos dalmaticis et duos tunicellis; et, quod non sunt distinctae praebendae, primum locum deberi tribus Canonicis assistentibus in throno; secundum Canonicis assistentibus in presbyterio cum Pluvialibus; tertium assistentibus cum planetis; quartum assistentibus in figura diaconali cum dalmaticis et Diacono Evangelii assumendo ex tribus per turnum; quintum assistentibus in figura subdiaconali et Subdiacano Epistolae pariter assumendo ex tribus per turnum. n. 2941 ad 1 et 2 die 11. Jan. 1681.

Quatuor Canonici, qui ultimi sunt, figuramque faciunt Diaconorum et Subdiaconorum, debent in sedendo, in thurificando et in pacem dando tractari, ut disponit Caerem. Episc. de Canonicis vere Diaconibus et Subdiaconibus. n. 2941 ad 3 die 11. Jan. 1681.

Si in Vesperis semipontif., quibus Episcopus assistit in pluviali et mitra cum quatuor aut sex Canonicis pluviali indutis, cum de Sacristia pervenerint processionaliter ante altare majus, et Episcopus genuflecterit in faldistorio, duobus Canonicis cum cotta hinc inde assistentibus, ipsi Canonici parati in pluviali debent orare in suis locis in choro et non genuflexi post Episcopum. n. 3851 ad 1 die 8. Apr. 1713.

Canonici parati manere debent in propriis stallis, dum ab Episcopo thurificatur altare. n. 3851 ad 4 die 8. Apr. 1713.

Dum *Episcopus Administrator* missam cantat in Pontificalibus, non debent omnes Canonici s. paramentis indui, sed tres tantum fungentes officiis Diaconi, Subd. et Presbyteri assistentis. n. 3952 ad 7 die 22. Aug. 1722.

Ad dubium: an exercente Pontificalia Episcopo, liceat Episcopo titulari assistenti in stallo cum reliquis Canonicis deferre Pluviale vel potius incedere debeat cum rocchetto, mantelletta et habitu violaceo? S. C. resp.: affirmative, exercente Episcopo Pontificalia et assistente Capitulo cum paramentis sacris. n. 3976 ad 3 die 10. Apr. 1728.

Ad dubium: Excepto Presbytero et Diaconibus assistentibus ceteri Canonici non assumunt s. paramenta, cum Archiepiscopus sol. celebret vel facit illas functiones, in quibus juxta Caer. Ep. id praestare debent omnes Dignitates et Canonici; Quaeritur: Utrum tolerari possit haec consuetudo? S. C. resp.: *Negative.* Die 16. Apr. 1861.

III. In Catechizatione.

Episcopo pueros plebemque docenti christianam doctrinam assistentiam non deberi. n. 4285 die 29. Mart. 1760.

IV. In Confirmatione.

Vd. *Biretum; Episcop. missae etc.*; *Caeremoniar.* (assistens. Ep.); *Assistens* (incens. decr. n. 4358); *Benedictio cum SS. Sacramento.*

Episcopum in Cathedrali Confirmationis Sacramentum vel Ordines collaturum debent saltem duo Dignitates seu Canonici in habitu chorali ad januam Ecclesiae excipere, aspersorium porrigere eique Confirmationem vel Ordines conferenti assistere. n. 4317 ad 9 die 6. Aug. 1763.

V. Coram SSmo.

Ad dub.: An Episcopo Rocchetto et Mozzetta induto ac genuflexo in suo Faldistorio, sive Genuflexorio ante SSmum. Sacramentum assistere debeant duo Canonici unus ad dexteram, alius ad sinistram, vel potius omnes simul in stallis suis choralibus interesse?

S. eadem R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: „Negative quoad primam partem; et Affirmative quoad secundam.“ Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3632 die 26. Augusti 1702.

VI. Dum induitur Episcopus.

Canonicos teneri stare circa ipsum Episcopum, dum sacris paramentis induitur tam pro missa Pontificali quam processionibus. n. 1650 ad 6 die 28. Sept. 1652.

Episcopo celebranti in Pontificalibus debent assistere duo Canonici, donec alii quinque in Sacrario desumunt paramenta. n. 3597 ad 6 die 10. Sept. 1701.

Cf. *Diaconi assist.* (ubi sumunt paramenta.)

VII. Extra Cathedralem.

Canonici Cathedralis, quando assistunt in aliqua Ecclesia *civitatis* pro celebrandis Vesperis et Missis solemnibus, *cum habitu canonicali assistere debere.* n. 1502 ad 5 die 14. Maii 1644.

Vd. *Diaconi assist. extra Cathedr.; Canonici* (praeced. super alios)*; Rector Ecclesiae*; *Translatio Corp. Sanctorum.*

Capitulum et Canonicos Cathedralis Surrenti teneri et cogi posse ad assistendum Archiepiscopo in omnibus functionibus per eundem extra Cathedralem faciendis, dummodo remaneat in Ecclesia pars Canonicorum sufficiens pro Divinorum celebratione. n. 2260 die 22. Jan. 1664. Idem decretum sub n. 2349 die 19. Decb. 1665 pro Dioecesi *Aquila.* Archiepiscopo Bonon. in Ecclesia s. Petronii solemniter celebrante, praecedentiam et assistentiam deberi ibidem Canonicis Cathedr., dummodo ipsi ad Ecclesiam s. Petronii capitulariter accedant. n. 3256 die 15. Decb. 1691.

Dignitates et Canonicos Cathedr., qui invitati ab Episcopo se conferunt

ad Ecclesiam Colleg. Vallettae, occasione alicujus solemnitatis et ecclesiasticae functionis intervenire collegialiter in obsequium Episcopi. n. 4439 ad 1 sine dato (videtur esse 28. Julii 1789.)

Ad dubium: an Episcopo Pontificalia exercenti in Collegiata debeatur assistentia a Dignitatibus et Canonicis Cathedralis seu potius a Priore et Canonicis ejusdem Collegiatae? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 3978 ad 1 die 10. Apr. 1728. n. 5004 ad 1 die 7. Decb. 1844. Celebrante Episcopo in Pontificalibus die Festo s. Benedicti in Ecclesia Monialium Melphiten. non tenentur Dignitates et Canonici in corpore praestare assistentiam sed assistere tantum ei debent Canonici necessarii pro celebratione in Pontificalibus. n. 4103 ad 5 die 10. Decb. 1740; et arbitrii Episcopi *est, istos duos Canonicos assumere et deferre in suo curru. Ibid.* ad 6. n. 4145 ad 5 die 20. Julii 1743.

Episcopo Pontificalia Celebranti in Collegiata (Casalen.) praestanda est assistentia a Canonicis Cathedr. n. 4226 ad 10 die 15. Julii 1752.

VIII. An induunt Episcopum?

Ad dubium: an Canonici assist. teneantur induere Episcopum s. paramentis? S. C. resp.: Servetur Caerem. Lib. 2 c. 1 et 8.

Vd. *Cappa Episcopi.*

IX. In Ordinationibus.

Alii Canonici (qui non sunt Ministri) ad publicas Ordinationes, quae sine missa cantata fiunt, in habitu canonicali assistere poterunt. n. 351 ad 2 die 19. Maii 1607.

Ad dubium: an facienti Episcopo Suffrag. Velitern. Ordinationes Generales in aliquo Sacello, propter impedimentum altaris maj. ex causa recitationis horarum in choro, debeant assistere aliqui ex Canonicis? S. C. resp.: Servetur Pontificale: cum missa sol. in altari majori praesente Clero. n. 3491 ad 3 die 6. Sept. 1698.

Vd. *Canonici assist. Episcopo in hab. canonicali* (decr. n. 4317.)

Ad dubium: an Canonici Cath. possint compelli assistere et inservire Episcopo Ordinationes habenti et alia Pontif. exercenti? S. C. resp.: Dispositionem s. Concilii Trid. Sess. 23 de Reform. c. VIII omnino servandam. Et haec dispositio est: „Ordinationes s. Ordinum . . in Cathedrali Ecclesia vocatis praesentibusque Ecclesiae Canonicis publice celebrentur; si autem in alio Dioecesis loco praesente clero loci. n. 3391 die 9. Junii 1696.

X. Obligatio.

Episcopus non potest Canonicum, qui Canonicatum alteri renuntiavit stante senectute, cogere ad interessendum Episcopalibus functionibus una cum aliis Clericis simplicibus. n. 743 die 27. Mart. 1628.

XI. Paramenta.

Vd. *Diaconi ass. in Ordin. confer.* decr. n. 4732.

XII. In Processione.

In Processionibus, dum ponitur pro Episcopo Genuflexorium et hinc inde a lateribus duo scamna, dignior locus Canonicis dandus est. n. 647 die 18. Julii 1626.

XIII. Si non sunt consecrati.

Canonicus nondum consecratus potest assistere Episcopo celebranti amiculo sacerdotali indutus. n. 2239 ad 1 die 4. Aug. 1663. Non esse permittendum, quod Canonicus non consecratus Episcopo celebranti assistat amictu sacerdotali indutus. n. 2287 ad 1 die 30. Aug. 1664.

Vd. *Canon. supranum.*

d) Assist. in functionib. Dignitariorum.

Ad dubium: an in festivitatibus SS. Antonii et Dominici, quae ex populi devotione (Branae) celebrantur cum missa et vesperis sol. cantatis ab Archipresbytero Ecclesiae Colleg. vel Canonico turnario, Canonici teneantur choro interesse? S. C. resp.: Esse hortandos. n. 3962 ad 8 die 7. Julii 1725.

e) Associantes Episcopum.

Vd *Episcopus* (Accesus ad Eccles.); *Canonici* (habitus etc.)

f) Capite detecto in choro.

Vd. ***Reverentia***; ***Gloria Patri***; ***Pileolum***; ***Biretum.***

Canonicos Cathedralis Conversanae teneri insurgere detecto capite, quando alius Canonicus intonat aliquam antiphonam, procul insurgunt presbyteri Portionarii. n. 2524 die 24. Jan. 1671.

Surgere debent Canonici (Neapol.) quando ab ipsis cantatur Antiphona, et eodem modo Beneficiati, quando ab ipsis cantatur. n. 2845 die 20. Novb. 1677.

g) Celebrantes.

Cf. ***Diaconus Missae***; ***Vesperae Canonicorum; Assistens Canon.***; ***Canonici*** (Officiat.); ***Dignitas***; ***Purificatio B. V. M.***; ***Missa conv.*** (Celebrans); ***Coadjutor Canonici; Expositio SSmi.*** (Exponens; decr. n. 5179.)

Absente, impedito vel nolente Praeposito functiones ecclesiasticas spectare ad Canonicos digniores ordine successivo. n. 3647 die 12. Aug. 1673.

Omnes functiones, quae peraguntur ab Archipresbytero Collegiatae Oppidi Bronae cum interventu Capituli eodem absente Archipresbytero, spectare ad Canonicum seniorem. n. 3962 ad 1 die 7. Julii 1725.

Servari potest consuetudo (Cathedr. Conimbricen.) ut fer. IV. Cinerum Canonicus turnarius impedito vel nolente Episcopo, Cinerum benedictionem peragat et Missam cantet. n. 4233 ad 9 die 14. Apr. 1752.

Canonicos praesentes et non impeditos per se ipsos servire et sua munia exercere debere et non per Substitutos. n. 172 ad 3 die 23. Novbr. 1602.

Canonicos et Presbyteros missas aliasque functiones facere recusantes, ad munia exequenda per se ipsos non autem per Substitutos cogendos esse. n. 305 die 16. Apr. 1606.

h) Chorus.

Cf. ***Chorus; Sedes; Protonotarius***; ***Bened. in Matut.; Lectio nona; Completor.***; ***Psalmi grad.***; ***Canonici (Officii recitatio).***

i) Comitantes Episcopum.

Vd. ***Episcopus*** (associatus in ambul.)

k) Feriae.

Vd. ***Coadjutor Canon.*** (residentia); ***Synodus*** (tempus).

Episcopus potest consuetudinem Canonicorum longius ab Ecclesia abesse, quam a Concilio praescribitur, ad praescriptum reducere. n. 172 ad 1 die 23. Nov. 1602; n. 227 ad 7 die 10. Jan. 1604.

Tempore vacationis ***non omnes Canonicos simul*** a servitio vacare debere sed alios post alios ordine servato, ita ut Ecclesia servitio non defraudetur. n. 172 ad 2, die 23. Nov. 1602.

Ad preces Capituli Cathedr. Derthon: Ut intra Annum quisque ex Canonicis per bimestre vel continuum, vel interpolatum a Choro abesse possit absque distributionum amissione etiam honestae animi relaxionis causa, attamen servatis de jure servandis. —

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen.... rescribi mandavit:

„Recurrat ad S. C. Concilii."

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4924 ad 4 die 22. Maji 1841.

l) Genuflexio.

Vd. *Benedictio Episcopi*; *Diaconi assist.* (stant vel genufl.); *Venite ador. etc.*; *Genufl. cor. Episc. et ante alt.*; *Episcopus* (access. ad Eccles., genufl.).

Dignitates et Canonici assistentes inservientes non tenentur genuflexi ministrare. n. 973 die 15. Dec. 1632.

Ad dubium: an Praepositus et Decanus Cathedralis Herbipol. thurificando Episcopum teneantur genuflectere? S. C. resp.: Servandum esse Caer. Episc. (negative l. I. c. IX. n. 1 ad fin. et n. 5). n. 3500 ad 3 die 22. Novbr. 1698.

Canonicos pro Diacono et Subdiacono assistentes debere genuflectere, dum Archiepiscopus actu Sacramento benedicit. n. 4099 die 28. Nov. 1739.

m) Habitus.

I. In administrandis Sacramentis.

Vd. *Canonici* (Administ. SSrum.); *Canonici* (Insignia et habitus etc.)

II. In associatione Episcopi.

Ad relationem Capituli Altemurae, Nullius Baren., quod eorum Ordinarius compellit Canonicos sub censuris ire processionaliter *detecto capite* ad capiendum illum ante ejus antecameram toties, quoties vult celebrare vel assistere? S. C. resp.: *Non teneri.* n. 2609 die 3. Dec. 1672.

Episcopum venientem cum *cappa* semper excipi debere a Canonicis in habitu *canonicali* in aula suae habitationis. . . n. 945 ad 1 die 6. Decbr. 1631; n. 715 die 20. Nov. 1627.

A Canonicis cum habitu *canonicali* non esse excipiendum Episcopum, nisi sit *cappa* indutus. n. 1548 ad 2 die 13. Jan. 1646; n. 178 die 14. Dec. 1602; n. 1540 ad 2 die 16. Septbr. 1645.

Canonicos associaturos Episcopum ad Ecclesiam ab Episcopio... debere esse indutos insigniis et vestibus canonicalibus, ac contrariam consuetudinem esse abusum. n. 1973 die 29. Mart. 1653.

Canonicos associantes Episcopum ad Ecclesiam ab Episcopio distantem citra sexaginta passus debere esse indutos Insigniis et vestibus canonicalibus ac contrariam consuetudinem revocandam fore et esse abusum. n. 1973 die 29. Martii 1659.

III. In Choro.

Canonicos caeterosque divinis Officiis in choro assistentes, decenti habitu talari nec non superpelliceo ac bireto indutos esse debere et contrarium abusum omnino abrogandum. n. 3199 ad 2 die 30. Julii 1689.

Vd. *Chorus* (habitus); *Chorus* (absentia etc. decr. n. 602); *Canonici* (Insignia et habitus etc.)

IV. In Funeribus.

Vd. *Sepultura* (oblig. Canon. etc.)

In associatione cadaverum sepeliendorum in Ecclesiis quorumcunque Regularium licet Canonicis Cathedr. invitatis Ecclesiam Regularium ingredi cum cappa et rocchetto. n. 3407 ad 1 die 22. Dec. 1696.

n) Honorarii.

Vd. *Canonici supranumerarii.*

Rme. D. uti Frater.

SSmus. D. N. Pius Papa IX. preces Amplitudinis Tuae ad hanc S. R. C. de more remisit, ut de jure super expositis decerneretur. Expositum vero fuit: in Gallia Episcopos nonnullis Sacerdotibus optime meritis indulgere facultatem gestandi eadem insignia, quibus Canonici Cathedralium decorantur, eosque Canonicos Honorarios decernere. Hi autem Sacerdotes, etsi Praebendam non consequantur nec

Actis Capitularibus interveniant, jus tamen habent personaliter Choro interessendi quoties illis arriserit, et sedendi post Canonicos Titulares. Post haec Amplitudo Tua expostulabat, utrum nec ne sola voluntas Episcopi satis esset ad interdicenda praelaudata Insignia, quando gravis ratio adesset judicio ipsius relinquenda, an potius quaestio ad Forum esset trahenda? S. eadem C. ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata Ordinariis in Comitiis, audita super expositis plena relatione a Secretario facta, maturo ac diligenti examine adhibito, satius duxit rescribere: „Scribatur particulariter Episcopo juxta Mentem," quam quaestionem de jure dirimere. Quamvis enim, et haec fuit S. C. Mens, nulli dubium sit, atque in ipso jure fundatum Episcopos ex se indignos posse ab honoribus, quos contulerint, repellere; quum tamen expoliatio hujusmodi quasi mortem civilem importet, et quamdam infamiae notam Sacerdoti inurat cum non minori certe Populi scandalo, propterea Amplitudo Tua curet ad haec non devenire, nisi quando Sacerdotis indigna conversatio exigat, ut contra illam de more procedere necesse sit ad majora scandala praevenienda. Hanc S. C. Mentem dum Amplitudini Tuae communico, diuturnam ex animo exopto felicitatem. n. 5109.

Romae 11. Sept. 1847.

Rmo. D. uti Fr. Ep. Valentinen.

o) Incensatio.

I. Ductus.

Vd. *Incensatio Cleri* (decr. n. 3551); *Diaconi assist.*; *Assistens*; *Vicarius gener.* (incensatio n. 4774).

In Vesperis et Missis Canonici et Dignitates *duplici* ictu thuribuli thurificentur. n. 479 die 11. Dec. 1613; n. 518 die 30. Jan. 1616.

Canonici duplici ductu thurificandi sunt. n. 518 die 30. Jan. 1616.

Canonicos tam praesente quam absente Archiepiscopo duplici ductu thurificandos esse. n. 923 ad 9 die 5. Julii 1631.

Etiam Canonicus, qui proprio loco et in suo stallo non manet, thurificandus est. n. 2082 ad 11 die 20. Nov. 1660.

Idem respondit S. C. n. 2083 ad 11 die 18. Decbr. 1660 cum appendice: Dummodo non extra numerum stallorum canonicalium.

Servandum esse Caeremoniale super thurificatione et modo thurificandi Dignitates et Canonicos Cathedralis Sarni, non obstante contraria introductione thurificandi Dignitates triplici ductu. n. 2326 die 20. Junii 1665; n. 3121 ad 4 die 20. Julii 1686; n. 4108 ad 8 die 21. Jan. 1741.

Praeposito non Officianti non deberi trinam thurificationem. n. 3508 ad 4 die 21. Mart. 1699.

Praeposito Cathedralis Anagninae non debetur thurificatio triplici ductu absente Episcopo. n. 4040 ad 1 die 21. Apr. 1736.

II. Series.

Ratione paramentorum Canonici *parati* thurificentur ante Vicarium. num. 374 ad 2 die 15. Mart. 1608; n. 2237 ad 2 die 4. Aug. 1663; n. 2599 die 3. Sept. 1672.

Magistratum ante Canonicos thurificari debere, quando Canonici *uti singuli* in aliqua Ecclesia assistunt. n. 997 die 6. Mart. 1634.

Canonicis uti singulis sine habitu canonicali in Ecclesiis extra Cathedralem assistentibus nullam deberi thurificationem. n. 1020 die 21. Jul. 1635; n. 1682 die 9. Aug. 1653; n. 2925 ad 5 die 31. Aug. 1680.

Thurificationem incipiendam esse a parte digniore, ea vero ordine successivo absoluta, continuandam esse ab altera parte, facto initio a digniore

illius partis. n. 1477 die 26. Sept. 1643; n. 2377 die 26. Junii 1666.

Tam Dignitates quam Canonicos a latere digniori chori sedentes prius thurificandos esse quam Dignitates et Canonicos, qui sedent a latere chori minus digno. num. 1597 ad 1 die 5. Sept. 1648.

Thurificentur omnes Canonici etiam Supranumerarii, hebdomadarii nuncupati, eodem tempore ab una parte chori, antequam thurificentur ex altera. n. 2557 die 12. Sept. 1671. Hoc decretum confirmatum est die 21. Nov. 1671; n. 2618 die 4. Mart. 1673.

Si Dignitates sunt distributae in utraque parte chori, primo loco thurificari debent Dignitates et immediate Canonici existentes in parte dextera chori a cornu Evangelii et postea Dignitates et Canonici existentes in altera parte chori a cornu Epistolae juxta Caeremon. roman. num. 2643 die 17. Junii 1673.

Ad dubium: an Canonici in Ecclesia PP. Minorum Montis Brandeni Dioec. Ripanae thurificari debeant ante omnes alios Religiosos paratos? S. C. resp.: Servetur Caerem. n. 4061 ad 2 die 3. Aug. 1737.

Thurificandas esse Dignitates et Canonicos Collegiatae Altamurae ex parte Hebdomadae, et deinde Dignitates et Canonicos stantes in altera parte. n. 2944 ad 1 die 1. Mart. 1681.

Thurificationem faciendam toti ordini a latere dextero et deinde toti a latere sinistro. n. 3121 ad 3 die 20. Julii 1686.

Ad dubium: an deficientibus duabus Dignitatibus primis sedentibus a latere dextero, thurificatio inchoari debeat ab alio latere, in qua sedent duae Dignitates secundae? S. C. resp.: Incipiendum esse a latere, ubi adsunt Dignitates. num. 3275 die 17. Maji 1692.

Caven.

Quum hodiernus Primicerius Eccl. Cathedr. Caven. pro opportuna solutione sequens proposuerit Dubium S. R. Congregationi: An celebrante vel assistente Ep. Vesperis et Missae solemni post incensationem ipsius, et Canonicorum assistentium, aliorum in Dignitate constitutorum, si forte adsint, incensatio prosequenda sit a parte Throni, vel incipienda a Dignitatibus, veluti innuere videtur Episcoporum Caeremoniale, iisque deficientibus, a Canonicis antiquioribus? Haec ad Vaticanum subsignata die coadunata ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuit: „Servetur ordo in Caeremoniali Episcoporum in incensatione praescriptus."

Atque ita rescripsit, et declaravit. n. 5147 die 7. Sept. 1850.

III. Incensantur stantes.

Canonicos debere stare durante eorum incensatione; caeteros vero a principio usque ad finem. n. 2082 ad 8 die 20. Nov. 1660; n. 2083 ad 8 die 18. Dec. 1660; n. 2944 ad 1 die 1. Mart. 1681.

IV. In Vesperis.

Incensationem Canonicorum in Vesperis fieri debere per aliquem ex Beneficiatis assistentibus Pluviali indutis. n. 923 ad 2 die 5. Julii 1631.

p) Insig. et habitus.

I. Extra Ecclesiam Cath. et Dioecesim.

Vd. *Cappa Canonicor. Cath.* (decr. n. 4536 et 4537); *Vicarius gener.* (habit.; decr. n. 4961); *Synodus*; *Canonici* (habitus); Concio.

Extra Dioecesim non licet Canonico uti insignibus canonicalibus, si fuerit ibi invitatus ad aliquas functiones Ecclesiasticas, puta ad Concionem, Matrimonia assistendum etc. n. 2861 die 12. Mart. 1678.

Canonici Cathedral. habentes usum cappae et rocchetti tam in eorum quam in quibuslibet aliis Ecclesiis in functionibus et divinis Officiis, supplicarunt, se illis uti posse etiam in aliis Ecclesiis, dum conciones habent, vel ab eis Poenitentiae aut Baptismatis sacramenta ministrantur et in aliis similibus functionibus? S. C. resp.: id eis non licere nisi in propria Ecclesia. n. 1626 die 15. Julii 1651.

Canonici Cathedr. Policastren. existentes in locis Dioecesis uti singuli, non possunt assumere habitum canonicalem. n. 3892 ad 1 die 12. Sept. 1716.

Canonici Cathedr. Aliphanae in Convisitatores adhibiti possunt gestare signum Canonicale in Collegiata et aliis Ecclesiis sitis inter fines ejusdem et debetur praecedentia Canonicis Cathedralis. num. 4138 ad 5 et 6 die 19. Jan. 1743.

Pisana.

Metropolitanae Ecclesiae Pisarum Canonici, qui semper honestate vitae, zelo Domus Dei, Religionis honore, sana doctrina, ac nobilitate generis, ex S. hujus Apostolicae Sedis indulto usque ab anno 1672 raro utuntur privilegio in Ecclesiasticis Functionibus et Choro induendi Vestem, Mozzettam et Cappam rubri coloris, quod Decreto lato pridie Id. Julii Anno 1790 ab s. m. Pio Papa VI. iterum instauratum fuit quoad Vestem ob desuetudinem jam ab illis dimissam. Verum quum peculiaris haec honorificentia suis coarctetur limitibus, intra nimirum propriam Ecclesiam, caeterasque, quae utpote eidem unitae ab ea dependent, propterea Rmus. Pisanus Archiep. ut aliquod suae benevolentiae, et existimationis testimonium erga Capitulum ostendat, S. R. C. enixe rogavit, ut Canonicis Primatialis et Metropolitanae Pisarum liceat eodem uti privilegio quotiescumque aliqua in Ecclesia intra tamen eamdem Dioecesim solummodo Sacram. peragunt Functionem. Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus rite consideratis, de speciali gratia benigne annuit juxta Archiepiscopi Oratoris preces: dummodo tamen strictim servetur Clausula recensiti Decreti s. m. Pii Papae VI. nimirum. quod Vestis talaris sit ad formam in omnibus juxta reliquos de Clero, scilicet sine cauda. n. 4902 die 12. Sept. 1840.

Ad dubium: an vi assertae consuetudinis possit unusquisque Canonicus singillatim uti cappa et mozzetta tum extra Metropolitanam tum etiam extra Dioecesim? S. C resp.: *Negative* et detur decr. n. 4537 ad 2 die 31. Maii 1817, quod est; Dignitatibus vero et Canonicis, etiamsi gaudeant Indulto deferendi cappam et rochettum tam in propria quam in alienis Ecclesiis; hujusmodi tamen aliorumque Canonicalium Insignium Usum extra propriam Ecclesiam licitum esse dumtaxat, quando *capitulariter* incedunt vel assistunt, et peragunt s. functiones; non autem, si intersint *uti singuli*, nisi speciale privilegium, nedum Collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur. die 16. Apr. 1861.

II. Mutatio.

Vd. *Superpelliceum; Rocchettum; Sedes Dignit. et Canonicor. in choro* (decr. n. 809); *Cappa Canonicor. Colleg.* (Assign. mutat.); *Canonici honorarii.*

Nec moderno Archiepiscopo (Ecclesiae Hydruntinae) neque Praedecessoribus suis licuisse vel licere aliquod signum particulare vel colorem in signis mutare et innovare tam pro Canonicis quam pro aliis suae Ecclesiae Presbyteris vel Clericis sine ex-

pressa licentia S. Sedis Apost. et ideo omnia in pristinum esse reducenda, ac si nihil . . . concessum fuisset. n. 460 die 1. Sept. 1612.

Episcopis minime licere auctoritate sua ordinaria concedere signum Canonicis Ecclesiae suae Cathedr. vel alterius Collegiatae suae Dioecesis, seu etiam mutare jam concessum a Sede Apostolica, sed recurrendum esse ad S. C. n. 748 die 12. Julii 1628.

Episcopo non licere, signum, a Dignitatibus et Canonicis Cathedr. gestari solitum mutare, cum hoc nonnisi ad Summum Pontificem pertineat. n. 882 die 7. Decb. 1630; n. 1762 die 7. Aug. 1655.

Non licuisse neque licere sine expressa Sedis apostolicae licentia, quod Prior et Canonici Collegiatae Balneor. deferant almutium de camellotto vel de lana violaceis. n. 1385 ad 2 die 31. Maii 1642.

Ad instantiam Episcopi Venafrani: Insignia Canonicorum sunt violacei coloris cum almutia gestata in brachiis; proinde stante orum paupertate concedi posset, ut super humeris eam gestare possent S. C. resp. *nihil.* n. 3306 ad 3 die 14. Mart. 1693.

Dignitatibus et Canonicis eorumque Coadjutoribus Capituli Conimbricen. ac etiam Portionariis seu Semicanonicis nuncup., et Tertionariis non licuit neque licet absque Indulto Sedis apost. deferre Insignia Canonicalia. n. 3734 ad 1 die 12. Sept. 1705.

q) Ministri.

Cf. *Diaconi assist.; Assistens; Diaconus; Missa privata Episcopi; Vesperae Dignit.; Episcopus assist.; Suffraganeus celebrans* (Ministri); *Episcopus Administr.* (Ministri etc.); *Coadjutores Canonicor.; Coena Dom.*

Canonicum, fabricae administrationi deputatum, teneri Ecclesiae inservire sicut omnes alii Canonici; et si facere id contemnat, mulctandum esse in ammissione distributionum. n. 172 ad 6; die 23. Novb. 1602.

Deservire debere Episcopo celebranti personas de Capitulo et nullo modo alios, qui non sunt de eodem Capitulo n. 1019 die 26. Maii 1635.

Per se ipsum obire debere Cantorem uti primam Dignitatem, et nullo modo per Substitutum, non obstante contraria consuetudine. n. 1087 die 24. Julii 1638. n. 1088 ad 2 die 24. Julii 1638.

Dignitates, Canonicatus vel alia Beneficia in Ecclesia Cath. obtinentes teneri Episcopo solemniter celebranti vel Pontificalia exercenti assistere ac vestibus sacris sui quisque Ordinis vel Officii munera per se ipsos exercendos inservire . . ., legitimo vero impedimento detentos, si per se ipsos adimplere praemissa nequiverint, alios respective ejusdem Ordinis et Dignitatis substituere debere, idque per Episcopum opportunis juris remediis exigi posse. n. 1449 die 13. Julii 1643.

In absentia Coadjuti in omnibus functionibus canonicalibus teneri Canonicos inservire et ministrare juniori Canonico *Coadjutori* eo modo, quo tenentur inservire et ministrare Canonico antiquiori Coadjuto. n. 396 die 10. Jan. 1609.

De obligatione serviendi, Vd. *Canonici* (Celebrantes; decr. n. 172 et 305.)

r) Officiator.

Vd.: *Canonici Celebr.; Sedes Canon.; Paroch. Canonicus; Officiator; Reverentia.*

Canonicum, qui facturus est Officium, debere cum paramentis ad chorum accedere. n. 1502 ad 1 et 2 die 14. Maii 1644.

Canonico celebranti vel facienti Officium sacris vestibus induto deberi praecedentiam etiam supra Dignitates tam in sessione quam in aliis actibus.

n. 1694 die 6. Dec. 1653; n. 2679 die 3. Mart. 1674.

Canonico celebranti, etiam sola cappa canonicali induto, in Completorio ac etiam in Triduo hebdom. majoris deberi praecedentiam supra Dignitates Cathedr. n. 2526 die 14. Jan. 1671; n. 2679 die 3. Mart. 1674.

s) Officii recitatio.

Cf. *Chorus*.

Canonici Vercell. officiant in duobus Cathedralibus; et Canonici S. Mariae solent recitare Officium de Sanctis, quorum reliquiae et Capellae sunt in S. Eusebio. S. C. resp.: *Convenientes* tantum in alterutra Ecclesia satisfacere recitando Officium proprium ejusdem Ecclesiae, in qua conveniunt. n. 1441 ad 2 die 14. Mart. 1643.

Canonici, qui sunt ligati Ecclesiae, etiam absentes tenentur recitare Officium juxta ritum Ecclesiarum, quibus sunt ligati. n. 2828 ad 3 die 10. Julii 1677.

t) Ordo incedendi.

Vd. *Episcopus* (accessus ad Eccles.; Ordo incedendi.); *Usus Pontif.* (decr. n. 4696 ad 2.)

Dignitates et Canonicos simili indumento suffultos in processionibus binos incedere debere et seniorem Canonicum, quoties disparitas numeri Canonicorum id exigat, a sinistris ultimae Dignitatis vel etiam primae, si alia Dignitas non aderit, incedere oportere. n. 1740 die 14. Novb. 1654; n. 3584 die 11. Junii 1701.

Archipresbyter Casalis, prima Dignitas, quando incedit cum cotta, associetur cum aliqua ex aliis Dignitatibus; quibus non existentibus cum Decano Canonicorum, et si numerus sit dispar, idem incedat in medio duorum digniorum et eundem ordinem *voluit* (S. C.) servari debere in defectum Archipresbyteri, nimirum, quod dignior de Capitulo incedat associatus ut supra. n. 2760 die 23. Novb. 1675.

Canonicis Collegiatarum unitarum Bisagliae exponentibus, quod in dictis Collegiatis exstant duo Dignitates cum titulo Abbatum, quae in processionibus uniuntur simul, et propterea supplicantibus, an in absentia unius ex praedictis, altera debeat se associare cum ultimo Canonico? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2950 die 7. Junii 1687.

Ad dubium: an Episcopus possit, quando deferuntur s. Imagines in publicis processionibus, cogere Capitulum anteire dictis Imaginibus, cum habeant consuetudinem ab exordio Ecclesiae (Cathed. Urban.), quod praecedant dictae Imagines? S. C. resp.: Servandam esse consuetudinem, dummodo Episcopos cum Pluviali et Mitra non incedat. n. 3255 die 24. Novb. 1691.

Dum III. Kal. Mart. hoc ipso vertente anno in Ordinariis S. R. Comitiis expendebantur preces Sacerdotis Aloysii Balatti Decani, ac primae Dignitatis Capituli Metrop. Sen. Eccl., queis exquirebat, num ipse qui ex Apost. Litteris erectionis Decanatus s. m. Julii Papae II datis Kal. Nov. 1510 peculiarem Vestem gestat, nimirum Cappam, seu Capputium more Praelatorum, solus dum Processionibus interest incedere debeat post Capitulum ac alias Dignitates, placuit Emis., et Rmis., P. S. tuendis Ritibus praepositis nil in re definire quin prius exquireretur Rmi. Sen. Archiep. dilucida Informatio cum Voto praesertim super consuetudine praecedentium Dignitatum. Mentem itaque S. C., qua praestat diligentia, ac religione exequens Sen. Archiep. pastoralis sui muneris esse duxit ingenue enunciare memoratum Decretum suae Metropolitanae ad Dubii tantum solutionem preces suas proposuisse ac deinceps S. C. certiorem reddere, consuetudinem semper ibi viguisse ut Decanus sequenti ordine incedat in quibuscumque Suppli-

cationibus. Si binae Dignitates (quae praeter Decanum numero quinque in Metropolitana ipsa existunt) vel duo ex antiquioribus Canonicis ob Dignitatum absentiam, postremae sunt, medius inter eas procedit Decanus, si una Dignitas, vel unus antiquior Canonicus supersit, hic sinistram, Decanus vero dexteram tenet. His expositis Votum etiam suum prodere quum ipse Rmus. Archiep. adigeretur, minus congruum ac decens evasurus opinatur, quod solus in Processionibus Decanus incedat contra immemorabilem consuetudinem, quae haud perperam introducta censeri debet. Insuper adnotare operae pretium ducit, quod aliquoties Archiep. Processionibus interest post Canonicos s. Paramentis indutos, vel si breviores intra Eccl. Processiones fiant, post ipsos chorales Vestes gestantes, ac in utrisque solus semper incedit. Jam vero si in hujusmodi Processionibus postremae lineae trium Dignitatum solus, et absque comite Decanus succedat, et post hunc solus Archiep., absque dubio admirationi non exiguae locus pateret, neque amplius haberetur praeeminentia illa, quae ex jure Episcopis tribuenda est. Tam dilucidam ac numeris omnibus absolutam rerum expositionem, cum enunciatis Decani precibus iterato fideliter referente in novo Ordinario Coetu S. R. ad Quirinales Aedes subsignata die coadunato Secretario subscripto Emi., et Rmi. P. S. Ritibus praepositi in voto fuere: „Negative, attenta praesertim consuetudine juxta Informationem et Votum Archiepiscopi.“

Atque ita rescripsere, ac servandum mandarunt. n. 5108 die 11. Sept. 1847.

u) Paramenta et locus induendi.

Vd. *Diaconi ass.* (quae param.); *Paramenta* (quando pretios. utenda) *Suppellectilis.*

Dignitatibus et Canonicis Cathedr. Recineti convenit distinctio tam quoad qualitatem paramentorum, tam quoad locum se parandi pro missis privatis respectu Altaristarum aliorumque sacerdotum eidem Ecclesiae addictorum. n. 3740 ad 1 die 20. Mart. 1706.

Ad dubium: an Canonici Sacrum facientes tam diebus festis quam ferialibus, uti valeant iisdem vestibus et s. ornamentis, quibus Dignitates utuntur, sive potius eisdem Dignitatibus debeantur pretiosiora? S. C. resp.: Affirmative ad primam, negative ad secundam partem Dubii, habita tamen ratione festorum majoris vel minoris solemnitatis. n. 4064 ad 9 die 31. Aug. 1737.

v) Praecedentia.

I. Inter sese.

Vd. *Episcopus titul.* (Habitus etc.); *Turnus*; *Canonici* (Ordo incedendi); *Processio. Canon.* (Officiat.); *Processio funebr.*; *Dignitas* (praeem.) Canonici supernum.; Vicarius gener. et foraneus.

Canonicos juxta receptionis suae tempus locum in choro habere oportet. n. 61 die 3. Aug. 1593. n. 1687 die 22 Novb. 1653.

Inter omnes Canonicos, etiamsi in duabus Ecclesiis unius Civitatis resident, ordinis et receptionis rationem esse servandam. n. 1491 die 5. Mart. 1644.

Ad dubium: an Canonicus Tirletti in assumptione Canonicatus posterior, in presbyteratus vero ordine anterior, locum digniorem cedere debeat Canonico antea inter Canonicos cooptato, licet in ordine presbyteratus posteriori? S. C. resp.: Affirmative. n. 4420 die 30. Apr. 1705.

Praecedentiam competere Canonicis prius receptis. n. 578 die 18. Decb. 1619.

Canonicus Doctor, ultimo receptus non debet praeferri in sedendo, votando et similibus Canonico non Doc-

tori primo recepto. n. 122 ad 1 die 8. Maji 1597.

Vanam et inanem esse praetensionem novi Canonici Doctoris, cum longe dignior sit ordo presbyteratus quam gradus Doctoratus; et ideo illum in loco suae admissionis ad Canonicatum et non supra alios sedere et incedere debere. n. 221 die 29. Nov. 1603. — Canonicus Ferrus ad locum suae admissionis redeat. n. 226 die 10. Jan. 1604.

Canonicum non Sacerdotem, licet prius admissum, cedere debere digniorem locum Canonico Sacerdoti postea admisso *et post susceptum Sacerdotium retinere debere eundem locum, in quo reperiebatur ante susceptum Sacerdotium.* n. 993 die 19. Novb. 1633. n. 4002 ad 2 die 30. Julii 1731; n. 4052 ad 2 die 15. Sept. 1736; n. 4067 die 31. Aug. 1737.

Canonico Presbytero post assumptum Sacerdotium est danda eadem praecedentia. n. 4459 ad 2 die 18. Febr. 1794.

Illum Canonicum debere praecedere, qui prius tamquam presbyter praecedentiam habuit, licet Canonici Diaconi postea facti sint presbyteri, quia attenditur prioritas Ordinis et non Canonicatus. n. 159 die 3. Aug. 1602; n. 1218 die 31. Mart. 1640; n. 4459 ad 1 die 18. Febr. 1794.

Ordinem in omnibus maxime in Ecclesia servandum esse, ut qui digniores ordine sunt, minus dignis praeferantur; et ideo Canonicos presbyteros Diaconis et Diaconos Subdiaconis praeferendos esse, etiamsi presbyteri Canonicatum post Diaconos et Diaconi post Subdiaconos obtinuerint. n. 214 die 6. Sept. 1603; n. 2001 die 27. Sept. 1659; n. 3376 die 17. Decb. 1695.

Habentes Praebendas Presbyterales, licet posteriores in possessione, praeferri debere habentibus Praebendas diaconales, licet anterioribus in optione. n. 944 ad 2 die 6. Decb. 1631. — Obtinentes Praebendas presbyterales, licet noviter erectas, praecedentiam habere debere supra Obtinentes praebendas diaconalem et subdiaconalem, licet antea erectas, et Obtinentes praebendas diaconalem et subdiaconalem teneri subire eadem onera, ad quae tenebantur, antequam erigerentur praebendae presbyterales. n. 1056 die 12. Junii 1638. — Ordinem Ecclesiasticum Hierarchiae servandum esse, ut primum et digniorem locum obtineant Canonici presbyteri, 2. Diaconi, 3. Subdiaconi, licet Diaconi et Subdiaconi ante Canonicos Presbyteros sui Canonicatus possessionem acceperint, non obstante contraria consuetudine. n. 1195 die 14. Jan. 1640; n. 3281 ad 3 die 14. Junii 1692. — Canonicum retinere debere locum possessionis novae praebendae, Subdiaconalis nullatenus attenta possessione. n. 1845 die 15. Sept. 1657.

Canonicum sacerdotem praeferendum esse Canonico Diacono. n. 242 die 19. Junii 1604; n. 1159 die 23. Maii 1639.

Canonicum Auditorem Archiepiscopi in sessionibus et congregationibus cum aliis Canonicis coram Archiepiscopo vel ejus Vicario generali sedere vel stare non super alios Canonicos sed in loco suae promotionis. n. 261 die 29. Jan. 1605.

Placere consuetudinem trium Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, in quibus, si aliquis Canonicus habuerit Dignitatem seu ordinem Episcopalem cum retentione Canonicatus, praecedit omnes alios Canonicos, etiam ipso in Canonicatu anteriores et digniores; et ita servandum esse in Ecclesia Ruthen. n. 276 die 24. Sept. 1605.

Digniorem locum obtineant Canonici presbyteri, secundum Diaconi, tertium

Subdiaconi, licet Diaconi vel Subdiaconi ante Canonicos presbyteros Canonicatum susceperint, non obstante quacunque in contrarium consuetudine. n. 321 die 17. Junii 1606: n. 2290 die 30. Aug. 1664; n. 3776 ad 1 die 27. Aug. 1707.

Canonicum Beroa, non obstante consuetudine per ipsum allegata, non posse praecedere illos Canonicos, qui Coadjutoria (ipsius Beroa) durante, provisi sunt de Canonicatu. n. 730 die 26. Febr. 1628.

Sacerdotem antiquiorem in ordine, non debere praecedere in actibus privatis Canonicum sacerdotem in ordine posteriorem. n. 753 ad 4; die 12. Julii 1628.

Canonicus, qui adeptus est Canonicatum pinguiorem in eadem Ecclesia non potest retinere stallum Canonicatus jam dimissi. n. 757 die 12. Julii 1628.

Duo Canonici dimisso Canonicatu petierunt declarari: an ipsi praecedere debeant eos Canonicos, qui possessionem adepti sunt, postquam ipsi dimiserint Canonicatum. S. C. resp.: „non debere praecedere.“ n. 812 die 11. Junii 1629.

Canonicum *Protonotarium* cum habitu *praelatitio* nec supra nec inter Canonicos assistere debere, nec lucrari distributiones. n. 823 die 20. Junii 1629.

Canonico *Vicario* in habitu *canonicali* nullam debere praerogativam; secus autem si assistat in habitu *Protonotarii*. n. 824 die 20. Junii 1629.

Praecedentiam debere Canonicis presbyteris prius assumptis ad Sacerdotium. n. 1170 die 2. Julii 1639.

Canonicus Diaconus vel Subd. anteriorem habens possessionem, promotus postea ad sacerdotium, praecedere non debet Canonicum Sacerdotem ordine sacerdotali anteriorem. n. 3776 ad 2 die 27. Aug. 1707; n. 4002 ad 1 die 30. Julii 1731.

Inter Capitulares cujuscunque Ecclesiae tam in functionibus ecclesiasticis quam actibus quibuscunque capitularibus quod paerogativas et praeeminentias attentendum esse tempus captae possessionis et juxta cujus admissionem illos stare, sedere et incedere debere, ipsorumque stallum in choro debere esse communem et uniformem cum aliis Capitularibus ejusdem ordinis, quibuscunque aliis qualitatibus et dignitatibus saecularibus minime attentis. n. 1313 die 23. Mart. 1641.

Canonicus *Clericus antiquior* debet cedere Diaconis et Subdiaconis modernioribus. n. 2854 ad 1 die 22. Jan. 1678.

Canonici *Diaconi et Subdiaconi antiquiores* debent cedere Sacerdoti moderniori. n. 2854 ad 2 die 22. Jan. 1678.

Juniores Canonicos praebendas presbyterales obtinentes, Canonicis diaconali vel subdiaconali praebenda gaudentibus, etiam possessione anterioribus, praeferendos esse. n. 2175 die 3. Junii 1662. n. 2768 die 14. Jan. 1676: n. 4052 ad 1 die 15. Sept. 1736.

Canonicis presbyteris etiam in actibus, quibus eos uti Canonicos, etiamsi talari veste et pallio communi indutos posthac interesse contigerit, a Canonicis Diaconis et Subd. praecedentiam deberi. n. 1717 die 22. Aug. 1654.

Canonici Clerici, ubi Praebendae non sunt distinctae in presbyterales, diacon. et subd., quamvis antiquiores receptione, non sunt praeferendi Canonicis presbyteris, etiam postquam Canonici Clerici fuerint effecti sacerdotes, et tunc nec ipsis competere reintegrationem seu praecedentiam adversus Canonicos sacerdotes posteriores receptione; cum jus semel adeptum ex Sacerdotio nunquam amittatur, non obstante immemor. consuetudine in contrarium, quam abusum

impraescriptibilem declaravit S. C. Et ita servari mandavit etiam in Cathedr. Monopolitana, dummodo tamen praebendae sunt solummodo presbyterales. n. 2714 die 17. Novb. 1674; n. 3197 die 30. Julii 1689.

Intervenientibus Canonicis cum habitu Ordinis sacri, prout in die ss. Corp. Chr. non debetur praecedentia Thesaurario Clerico incedenti cum almutia super cotta. n. 3121 ad 2 die 20. Julii 1686.

Cum Joannes Thomas Barattinius olim Coadjutor quondam Joannis Thomae Salinerii Canonici Ordinis Presbyteralis in Cathedrali Januen. hodie post obitum Coadjuti petierit declarari, sibi debere stallum in Choro in Ordine presbyterali, supra omnes alios Canonicos ejusdem Ordinis provisos de Canonicatibus post assecutionem suae Coadjutoriae, vel saltem sibi competere ultimum locum Ordinis Presbyteralis supra omnes alios Canonicos Ordinis Diaconalis, vel Subdiaconalis —

S. R. C. respondit: ,,attento quod in dicta Cathedrali Ordines, videlicet Presbyteralis, Diaconalis et Subdiaconalis non sint adnexi certo, et determinato Canonicatui et Praebendae, sed juxta antianitatem a die, qua quilibet provisus efficitur verus Canonicus ascendere debeat gradatim ab ultimo loco inter Subdiaconos, etiamsi Canonicus defunctus (cujus praebendam, et Canonicatum assequitur Coadjutor post obitum) fuerit tempore obitus in ordine Diaconorum, vel Presbyterorum, censuit dicto Joanni Thomae Barattinio competere Stallum ultimum inter Subdiaconos ad die obitus Coadjuti.“ Et ita declaravit, quibuscumque non obstantibus. n. 3261 die 19. Januarii 1692.

Praesente Coadjuto Diacono et per se ipsum inserviente, illius Coadjutor Diaconus debet in choro et functionibus ecclesiasticis stare post omnes Canonicos ejusdem Ordinis Diaconalis et non post Canonicos Subdiaconos. n. 3716 die 4. Apr. 1705.

Isernien.

In Ecclesia olim Cath. Civitatis Venafri Dioecesis Isernien. Canonicali Praebenda jamdiu potiebatur Sacerdos Joannes Bapt. Menichetti, qui quum novissime optavit, atque sit consequutus pinguiorem in eadem Ecclesia Praebendam, praeter ibi invectam consuetudinem conformem S. R. C. Decretis antiquum Stallum retinere praesumpsit. Quod aegre ferentes Canonici, eandem S. R. C. supplices adivere, et factum Canonici Menichetti reclamantes ingenue testati sunt hanc semper inter eos regulam viguisse, ut Canonicus Praebendam immutans ultimum occuparet Stallum. Quod si aliquando Capitulum indulsit, ut aliquis Canonicus Praebendam immutans antiquum Stallum retineret, id evenit ex peculiaribus circumstantiis, vel quia merita, aut aetas longaeva permutantis id exigebant, vel quia physica incommoda impediebant, quominus permutans Canonicus Pontificalibus deservire posset. Antequam vero S. ipsa C. huic controversiae definiendae manum imponeret, pro Informatione, et Voto Patribus auditis, Rmum. Isernien. Ep. requisivit, qui S. C. mandata exequens, capitulariter Canonicos Venafri congregavit, singulosque de sententia requirens, praeter duos, qui Canonici Menchetti sunt consanguinei, omnes reperisse testatur in voto, ut Canonico ipsi Menichetti denegaretur praecedentia, et juxta solitum adigeretur ad ultimum in Choro Stallum occupandum, veluti et ipse Rmus. Antistes exquirit, ne antiqua consuetudo vel in minimo turbetur. Proposita quocirca causa in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, referente

infrascripto Secretario, adductis rationum momentis sedulo perpensis, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Juxta alias decreta praesertim in Sutrina Praecedentiae diei 11. Jun. 1701. Canonico Menichetti spectare Stallum secundae possessionis."

Atque ita rescripserunt, ac servandum omnino mandarunt. n. 4939 die 16. Apr. 1842.

Albanen.

Cath. Alban. in Eccles. Canonicatus non iidem omnes inter se sunt: alii enim primam, alii vero recentiorem institutionem agnoscunt, cujus quidem institutionis Canonici, licet postremum in Choro locum accipere ex conditionibus debeant, ejusdem nihilominus a Capitulo primae institutionis ad superiora stalla ascendendi, in eisque sedendi facultas tribuitur, si Decani, seu Archipresbyteri, hujusque immediate sequentis Canonici Archidiaconi sedes tantummodo excipiantur. Hac facultate instructus Jo. B. Silvestroni secundae erectionis Canonicus super quatuor aliis Canonicis sedebat, quum ipse inter primae erectionis Canonicos est cooptatus, adeo ut postremus nunc ipse inter hos adnumeretur, ac ad quorumdam onerum adimplementum postremo ex Canonicis inhaerentium teneatur: Ad haec implenda paratissimus, dum, uno dimisso, alterum Canonicatum obtinuit, supplicem s. m. Pio Papae VII. sub die 21. Febr. 1823. Libellum porrexit, ab Eoque idem, in quo sedebat, retinendi stallum indultum postulavit, atque accedente Emi. ac Rmi. Episc. informatione et voto, ipsiusque Capituli consensu, ita SSmus. Oratoris precibus indulsit quoad stallum dumtaxat. Per hanc Summi Pont. concessionem Canonici Velletrani et Scalchi, qui in possessione Canonicatus primae erectionis, antiquiores sunt Canonico Silvestroni, quoad stallum tamen posteriores, haud existimantes per memoratum indultum ab exequendis officiis ad postremos duos Canonicos peculiariter spectantibus immunitatem concedi, inito cum Canonico Silvestroni consilio, sequentia Dubia S. R. C. enodanda proposuere:

1. An conveniat Canonico Silvestroni praecedentia, quum sit Canonicorum ultimus?

2. An Hebdomadarii officia peragenda sint a Canonico Silvestroni eo ordine, quo sedet, an vero ut ultimo ex Canonicis?

3. An, quum spectet ad duos postremos Canonicos Diaconi et Subdiaconi officium in Missis solemnibus, et associatio Celebrantis ad thurificationem, quae fit in Vesperis, considerari debeat Canonicus Silvestroni ut unus ex duobus ultimis?

4. An in actibus Capitularibus suffragium dare debeat ante Canonicos, qui ei priores sunt in Capitulo et ante eos Capitulares Libros subsignare?

5. An in associatione cadaverum, absentibus Senioribus, possit Canonicus Silvestroni Stolam induere, pro qua duplex est emolumentum, et cerae distributio, in illius praejudicium, qui eam induere deberet, nisi Canonicus Silvestroni stalli privilegium obtinuisset?

Et Emi. P. S. Ritibus tuendis praepositi, re mature, diligenterque discussa, auditoque voto alterius ex Ap. Magistris Caer. scriptis exhibito, praeloque cuso, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Pedicini Ponentis, respondendum censuerunt:

Ad 1. „Juxta Votum, *scilicet* in casu praecedentiam deberi Canonico Silvestroni."

Ad 2. „In eodem, *nimirum* Hebdomadarii munus obeundum esse a Canonico Silvestroni juxta ordinem stalli."

Ad 3. „Negative."

Ad 4. „Juxta Votum, *videlicet* Canonico Silvestroni deberi ultimum locum in Actibus capitularibus.“

Ad 5. „Negative.“

Atque ita responderunt, ac servari mandarunt in Cath. Albanen. Die 6. Maji 1826.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo. D. N. Leoni XII. P. M. per infrascriptum Secretarium relatione, S. S. S. C. responsa adprobavit, et confirmavit. N. 4619 die 10. supradicti Mensis et Anni.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Facti species haec erat. In Cath. Eccl. Civitatis Albani duae sunt Canonicorum classes. Ad primam pertinent qui antiquitus fuere instituti: in altera ponuntur illi, qui postea ex piis fundationibus accesserunt, et secundae erectionis nuncupantur. Hi autem, licet ultima teneant subsellia, nihilominus ex indulgentia Canonicorum primae erectionis, in vacationibus superius permittuntur ascendere juxta ordinem antianitatis. Hinc fit ut, etiamsi quoad praebendas, et massam communem, et vocem in Capitulo ab iisdem Canonicis primae erectionis omnino discriminentur, quoad stallum in Choro, aliis, qui postea de Canonicatu provisi sunt, praecedant. Id accidit Canonico Silvestroni, qui, licet praebendatus esset secundae erectionis, hujusmodi ascensum a Capitularibus obtinuerat, et gradatim eo inde pervenit, ut post se duos haberet Canonicos primae erectionis, quibus onus incumbit inserviendi Canonicis in officio Diaconi et Subdiaconi. Quoniam vero non ita multo post praefatus Silvestroni primae erectionis Canonicatum obtinuit et, ne, ut de novo provisus, inferius descendere cogeretur, indultum petiit, retinendi locum, in quo reperiebatur, quod concessum Apost. auctoritate ei fuit sub hac expressione: *SSmus. Oratoris precibus indulsit quoad stallum dumtaxat.* Erat hinc quaestio super dictione illa restrictiva *dumtaxat*, et juniores duo Canonici sese ei contradictores praebuerunt, arbitrati materialem tantummodo sedem in Choro ei fuisse supra ipsos indultam; neutiquam vero concessum, ut iis frui posset officiis, quibus seniores gaudent, et ab iis esset oneribus exemptus, quibus duo juniores gravantur. Ut autem componerentur dissidia, conventum inter partes fuit, ut res omnis definienda proponeretur S. R. C.

Quinque igitur Dubiis, quae data fuerunt, Emi. P. eidem C. praepositi responderunt, ut in supra relato Decreto; declarantes, Silvestronio de novo Canonicatu proviso cum retentione stalli praeeminentias, et munera in omnibus Eccl. functionibus fuisse praeservata, quae eidem, priusquam novum Canonicatum consequeretur, vel ex indulgentia competebant, quin obstet dictio illa *dumtaxat*, quae retentio stalli alia omnia includit, quae in eo sedenti conveniunt. Duo tamen excipienda visa sunt, videlicet sedes in Capitulo, et delatio Stolae in funeribus.

Etenim sedes in Capitulo confundi nequit cum stallo in choro. Per stallum quippe locus designatur a Praebendatis occupandus ad persolvendas Horas canonicas, aliaque agenda, quae ad Divinum Cultum pertinent, nihilque ibi licet peragere quod temporale, et profanum sit. Contra vero eorumdem conventus in Capitulo de rigore actio sacra non est, vel talis improprie, latoque modo appellanda. Non enim fit ad *Primam* complendam, ut antiquitus praesertim apud Monachos erat in more positum, qui, dicta Oratione, e choro pergebant ad Capitulum, videlicet in unum conveniebant omnes *ad Martyrologii, Necrologii, Sacraeque regulae lectionem, Culparum emendationem, ac laboris injunctionem etc.* (Videri

possunt Martene l. 1 c. 5 *de Monachorum ritibus*, ac alii, quos recenset Meratus *ad Gavantum sect. 5 c. 21 n. 4)*. At juxta hodiernam disciplinam Capitulum nihil commune habet cum Horis Canonicis, a quibus omnino sejungitur. Si quid vero superest antiqui moris vestigium, non ad Capitulum sed ad Chorum pertinet, ubi Horae Primae Oratione absoluta, preces leguntur, quae antiquitus legebantur in Capitulo. Sed nedum Capitulum a choro distinguitur, verum etiam in eo plerumque temporalia tantum tractantur, agitur de bonorum administratione; dati et accepti rationes a ministris redditae expunguntur; designantur personae, quibus diversa distribuuntur officia, et id genus alia fieri solent, quae, ut quisque videt, planeque intelligit, latum ponunt discrimen inter stallum in Choro, et sedem in Capitulo, seu, ut rectius dicam, inter choralia officia, et capitularia negotia. Jure igitur *per dictionem illam praeservativam* simul et *restrictivam*: *quoad stallum dumtaxat*, reservata fuisse Silvestronio declaratum fuit munera, praeeminentias, honorificentias, ac alia, quae stallo Chori adnexa sunt: neutiquam vero praecedentiam in Capitulo, tum quia antequam ipse Canonicus fieret primae erectionis, vocem in Capitulo non habuerat, tum etiam quia aequum non videbatur, quod ei essent postponendi in voto, et subscriptione, qui usque dum in possessione reperiebantur tam votandi, quam subscribendi.

Jus autem deferendi Stolam quod Silvestronio non competebat ratione praecedentiae in stallo, priusquam Canonicis primae erectionis adnumeraretur, neque competere modo potest supra illos, qui licet sint inferiores in sedendo, sunt tamen antianitate potiores. Enimvero cum hujusmodi jus in funeribus lucrum aliquod secumferat, ratio illud exercendi non est petenda a jure praecedendi in stallo, sed, cum praebendae omnes sint aeque presbyterales, anterioritas possessionis unice spectanda est; ideo detrimentum inferendum non est illis, quos Silvestronius priusquam novo Canonicatu potiretur, ex indulgentia praeierat, neque eo privilegio uti potuerat, etsi gauderet aliis honorificentiis stallo adnexis, veluti sunt officium hebdomadarii, Missa conventualis per turnum, praeintonatio Antiphonarum, et his similia.

Aquipendien.

Cathedralis Aquipendiensis, ubi nulla est Praebendarum distinctio, quum omnes Canonicatus Presbyterales existant, Hermes Garzonotti Presbyteratu adhuc non insignitus, praevia Apostolica Dispensatione Canonicatum est assequutus. Ad Sacerdotalem Ordinem dein promotus certiorem reddidit Canonicum Aloysium Chierici nondum Sacerdotio inauguratum, sed in Canonicatus possessione anteriorem, se ex Sacerdotii receptione illi praecedere debere tam in choro, ceterisque functionibus, quam in actis Capitularibus. Etsi aegro animo, monitus tamen cessit; sed Presbyteratum quum obsequutus fuisset, iterum praecedentiam expostulavit, quam ex Sacerdotii defectu amiserat. Sed cum res ad pacem non componeretur, Rmi. Episcopi judicio commissa fuit, atque ante causae cognitionem Canonicus Garzonotti Sac. adivit Congregationem Concilii. Interim Decretum Episcopi Aquipendien. Canonico Chierici praecedentiam tribuit. Dum S. C. Supplici Garzonotti Libello rescripsit: „Utatur jure suo coram Episcopo ad formam Decretorum S. C. Rituum, praesertim in Monopolitana diei 17. Nov. 1674, et Sac. Congreg. Concilii, praesertim in Albanen. die 17. Junii 1826.“ Quum autem a suo Decreto Rmus. Aquipendien. Antistes

non recesserit, quinimmo oblato Congregationis recensitae Oraculo mandaverit: *Salvis hinc inde juribus supersederi:* ad quaestionem definiendam supplex fuit SSmo. D. N. Leoni XII. P. M. Canonicus Chierici, ac S. S. sub die 14. Martii 1827 mandavit" proponi in Ordinario S. R. C. Conventu, audito prius Rmo. Episcopo, qui accessitis omnibus congruum constituere debuerat terminum ad comparendum et deducendum jura sua in ipsa Sacra Congregatione. Longiorem vero moram a Canonico Chierici animadvertens Canonicus Garzonotti interponi, etsi ad juris tramites ab Episcopo monito, qui suam sententiam in scriptis aperuit, Sac. Rit. Congregationi memoriale cum Summario exhibuit, ut super re decerneretur. Sacra autem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum coacto sub die 22. Martii vertentis anni 1828, audita relatione Emi. et Rmi. D. Card. Joannis Francisci Falzacappa Ponentis, visisque juribus deductis, respondendum censuit: „Affirmative favore Canonici Garzonotti" Lis certe componenda foret, nisi Canonicus Chierici appellationem intermisisset. Denuo itaque proposita causa sub infrascripta die, Emi. ac Rmi. Patres sacris ritibus tuendis praepositi ad Vaticanum iterum in Ordinariis Comitiis coadunati, ad relationem ejusdem Emi. et Rmi. D. Card. Ponentis Causa discussa, et examinata, rescribendum censuerunt: *In decisis, et amplius.* Atque ita decreverunt, ac servari mandarunt. Die 16. Dec. 1828 n. 4643.

II. Super Clerum inferiorem.

Vd. *Processio*; *Archipresbyter*; *Vicarius gen.*; *Synodus*; *Canonici* (assist. ext. Cathedr.); *Magistratus*; *Coena Dom.* (praeced. etc.) *Stola paroch.* (decr. n. 4615.)

Canonici Cathedralis Ecclesiae praecedere debent Canonicos, caeterosque Ecclesiae Collegiatae tam in funeralibus officiis celebrandis, quam in aliis etiam intus Collegiatam. Et in funeralium processionibus Canonici Ecclesiae Collegiatae congregentur in Ecclesia Cathedrali et inde cum Canonicis Cathedralis discedant, et incedant, consuetudine in contrarium non obstante. n. 134 ad 1 et 2 die 2. Sept. 1597.

Praecedentiam deberi Canonicis Cath. supra Canonicos Colleg. etiam in Ecclesia propria. n. 1315 die 20. Apr. 1641.

Vd.: *Canonici* (Insignia etc. extra Ecclesiam etc. decr. n. 4138.

Canonicos et Capitulum Cathedralis semper et ubique quoscunque Curatos, etiam in eorum propriis Ecclesiis, praecedere debere. n. 210 die 2. Aug. 1603.

Canonicos Cathedralis etiam non graduatos praeferendos esse omnibus Presbyteris non Canonicis etiam graduatis. n. 367 die 19. Jan. 1608.

Praecedentiam semper dandam esse Canonicis tam in Cathedrali quam in quacunque alia Ecclesia, dum ad Officia divina vel ad Concionem audiendam sedent in habitu canonicali. n. 424 die 6. Martii 1610.

Canonicis nullam competere praecedentiam seu praerogativam, quando assistunt sine habitu canonicali. n. 895 die 8. Febr. 1631.

Canonicos sacris indutos Magistratui in omnibus praeferendos esse. n. 1911 die 13. Julii 1658.

Canonicos semper praecedere debere Beneficiatos, licet Cappis indutos, dummodo Beneficiati non sint parati sacris vestibus. Praecedentiam in ecclesiasticis functionibus inter presbyteros simplices et Canonicos, ratione paramentorum deberi Paratis. n. 2422 die 10. Sept. 1667; n. 923 ad 3 die 5. Julii 1631.

Accedente Archiepiscopo ad aliquam Parochialem suae Dioecesis cum Canonicis suae Cathedr. locum digniorem deberi Canonicis immediate post Ar-

chiepiscopum; Rectorem vero sedere debere post Canonicos vel e regione sedis Archiepiscopalis. n. 948 ad 3 et 4 die 14. Febr. 1632.

Archiepiscopo Bonon. in Ecclesia s. Patronii solemniter celebrante, praecedentiam et assistentiam deberi ibidem Canonicis Cathedr., dummodo ipsi ad Ecclesiam Colleg. capitulariter accedant. n. 3256 die 15. Decb. 1691.

Episcopo in aliqua Ecclesia Colleg. vel Parochiali assistente, Capitulo Cathed. supra Capitulum, Clerum et quoscunque alios Sacerdotes Ecclesiarum inferiorum praecedentiam deberi. n. 1153 die 7. Maii 1639.

Praecedentiam deberi assistentibus solenniter celebranti supra Canonicos. n. 1136 die 26. Mart. 1639.

Canonicis *uti singulis*, nullam deberi praecedentiam aut praerogativam. n. 1242 die 17. Julii 1640.

In sessionibus, stationibus et processionibus ecclesiasticis, quando capitulariter incedunt, Canonicos Cathedr. utique praeferendos esse; in reliquis vero actibus privatis, vel alias, in quibus *uti singuli* intersunt ad ritum ecclesiasticum, nullatenus pertinere . . . n. 2069 die 24. Julii 1660; n. 3892 ad 2 die 12. Sept. 1716.

Ad dubium: an Canonicus Cathedr. *residens in aliquo Oppido* ejusdem Dioecesis praecedere possit Archipresbytero Curato et aliis sacerdotibus in processionibus et aliis publicis functionibus? S. C. resp.: Canonicum praedictum non habere locum nisi in Ecclesia propria. n. 1615 die 19. Mart. 1650; n. 3892 ad 2 die 12. Sept. 1716.

Canonicis *presbyteris* ubique locorum competere praecedentiam (etiam supra Canonicos Diaconos etc. prius receptos) in functionibus capitularibus, tam quae fiunt cum habitu canonicali quam sine habitu. n. 1716 die 18. Julii 1654.

Canonicos supranumerarios, etiamsi antianos, non tamen consecratos non posse praecedere Sacerdoti. n. 2287 ad 2 die 30. Aug. 1664.

Canonici Cathedr. Agrigentinae, qui sine cruce suae Ecclesiae et sine consensu capituli tamquam singuli incedunt, non habent praecedentiam supra Curatos. n. 2660 die 2. Dec. 1673.

Ad dubium: an Canonico Cathedralis Titulari praesente Episcopo in alienae Dioecesis Ecclesiae competat praecedentia super parochum ipsius Ecclesiae? 2) an idem dicendum sit quoad Canonicum Cathedr. honorarium tantum, praesente similiter Episcopo? S. C. resp.: Affirmative in omnibus. n. 4830 die 19. Maii 1838.

III. Super Laicos.

Interamnen.

Orta controversia inter Canonicos Eccl. Cath., et Magistratum, Canonici recursum habuerunt ad S. C. petentes declarari infrascripta, et respective mandari super eisdem observantiam Caeremonialis:

1. Magistratus, qui antehac consueverat in concione sedere a sinistris Episcopi remotius ab illo, et in scamno ejusdem qualitatis cum illo, quo Canonici a dexteris sedent, nunc usurpat sibi sessionem ad dexteram in scamno eminentiore, et proximo Episcopo cum genuflexorio.

2. Idem Magistratus contra formam Caeremonialis usurpat sessionem in Presbyterio e regione Episcopi cum genuflexorio, quo nec ipse Ep. utitur.

3. Contra ejusdem Caeremonialis dispositionem, praetextu cujusdam Decreti Episcopalis, thurificationem exigit eodem tempore, quo Canonicis exhibetur.

4. Distributionem Candelarum ante Canonicos, vel eodem saltem tempore postulat.

5. Idem de Cineribus.

6. Idem de Palmis.

7. Idem de adoratione Crucis feria V. et VI. majoris hebdomadae.

8. In Processionibus SSmi. Corpor. Christi locum sibi vindicat immediate post SSmum. Sacramentum.

9. Idem Magistratus ab immemorabili tempore consuevit in ipso die sui ingressus ad Eccl. Cath. accedere, et Missae solemni interesse, et publicam eleemosynam elargiri, nunc, praedictorum obtentu, neutrum facere contendit.

Et S. C., proponente Emo. et Rmo. Card. Roccio, Partibus in jus vocatis, ac Decretis alias editis inhaerendo, ad 1. respondit: „Magistratui non licere occupare locum Capituli et Cleri, qui debet esse dignior immediate post Episcopum."

Ad 2, 3, 4, 5, 6, 7 et 8: „servandum omnino esse Caeremoniale."

Ad 9. „eum Magistratum teneri consueta obsequia et accessus in diebus solitis, et solemnibus Ecclesiae Cath. praestare, et ad id cogi posse." Et ita in posterum servari mandavit in Civitate Interamnen. n. 1401 die 19. Julii 1642.

1. Capitulum Ecclesiae Metropolit. Ravennae in *corpore* praecedere debeat Magistratui in corpore cum insigniis incedenti tam in Ecclesia quam extra.

2. Archidiaconus, Praepositus et Canonici uti *singuli* praecedentiam cedant Magistratui collegialiter incedenti.

3. Si contigerit caput Magistratus et alios Sapientes per civitatem incedere non quidem collegialiter sed uti *singuli sine insigniis* tamen Magistratus et sic invicem obviare, tunc ille praecedentiam retineat, qui dexteram obtinet.

4. Iidem Sapientes Magistratus uti *singuli cum Insigniis* praecedant Canonicis uti singulis;

5. Canonici uti *singuli* praecedant Sapientibus uti Singulis quamvis cum famulo publico sine tamen Insigniis incedentibus. n. 1416 die 24. Sept. 1642.

Canonicos canonicali habitu indutos praesertim in Divinis aliisque functionibus ecclesiasticis Magistratui civitatis semper praeferendos esse. n. 1849 die 17. Nov. 1657.

Senen.

Eminentissimi e Reverendissimi Signori. L'Arcivescovo di Siena facendo le prime assistenze Pontificali nella sua Metropolitana, osservo che nella Festa della Purificazione della Santissima Vergine eravi l'uso di distribuire prima al Magistrato Communitativo della Citta, e quindi alle Dignita, e Canonici non parati le Candele benedette, e parimenti nella Domenica delle Palme si costumava porgere i Palmizii prima al suddetto Magistrato, e quindi ai Capitolari.

Sembrando all' Arcivescovo, che tale precedenza del Magistrato fosse indebita, e contraria alle Regole Liturgiche, fece delle vive premure presso il medesimo, affinche da Lui si cedesse la precedenza in tali Funzioni al Reverendissimo Capitolo. La Magistratura ne tenne uffizio al Superiore Governo della Capitale, e postasi in discussione dal Ministero questa vertenza, ed esaminati i dritti affacciati dalla Magistratura fu deciso, che anche per evitare controversie, e disgusti, si continuasse il medesimo sistema.

L'Arcivescovo senti con dispiacere una tal risoluzione, e non potendo far altro si ritiro dal fare egli stesso tali Funzioni: non si reco piu in tali mattine nella Cattedrale, e lascio fare all' Eddomadario le distribuzioni delle Candele, e dei Palmizii, e cosi ha seguitato per sei anni. Ben' e vero che questa sua perseverante condotta cagiona una diuturna amarezza tra i membri di quel Magistrato, la quale

sarebbe desiderabile, che potesse togliersi, qualora cio si trovasse eseguibile senza reale lesione degli Statuti Disciplinari della Chiesa.

L'Arcivescovo Oratore considera che la prescrizione del Ceremoniale de' Vescovi (lib. 2 cap. 16) che debbano preferirsi i Canonici ai Magistrati, suppone che i Canonici siano rivestiti dei sacri Paramenti, e cio piu volte vi si ripete; ma nel nostro caso i Canonici non hanno che il semplice abito Corale; e se fossero parati, il Magistrato probabilmente non vorrebbe la precedenza, ed in fatti godono di questa anche attualmente il Presbitero Assistente, ed i due Diaconi parati. Sembra pure che non sia interamente da escludersi la ragione principale, che per tal precedenza si adduce dal Magistrato, che cioe esso è succeduto a quello della Signoria, che formava un tempo la Rappresentanza Governativa di questo Stato, e che percio l'attuale Governo Granducale ha lasciato a questa Civica Magistratura certi privilegi, che ad altre simili in Toscana non vengono concessi.

Comunque pero sia l'Oratore Arcivescovo ha incominciato a dubitare se convengagli rimanere in questo allontanamento delle predette due Sacre Funzioni, mentre cio tende ad esacerbare gli animi di alcuni suoi distinti Diocesani, e diminuisce la confidenza e l'affetto, che debbono nutrire verso il proprio Pastore.

Prega inoltre l'Eminenze Loro Reverendissime ad avvertire, che troverebbe affatto incongruo obbligare i Canonici a pararsi, giacche cio non vogliono fare che nelle principali solemnita dell' anno, e sarebbe cosa troppo arrischiata ed imprudente il volergli a cio astringere, oltre che sembrar potrebbe, che cio si facesse appostatamente per soggiogare la Magistratura.

Non essendo adunque ben precisa, e chiaramente applicabile all' esposto caso la prescrizione del Ceremoniale de' Vescovi, che stabilisce la precedenza in tal distribuzione ai Canonici parati sopra il Magistrato, e non gia ai Canonici non parati, e concorrendovi ancora altre circostanze, prega l'Oratore la bonta dell' Eminenze Vostre Reverendissime a degnarsi significargli come debba regolarsi, e se possa senza offesa de Sacri Riti, o almeno per i debiti riguardi della pace, e della concordia prestarsi spontaneamente all' assistenza Pontificale, e fare da se stesso le distribuzioni delle Candele, e delle Palme a forma del consueto. Che ec.

Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, rem maturo examine perpendens, atque insimul advertens, quod in Caeremoniale Episcoporum statuatur, praecedentiam in casu deberi Canonicis paratis: inhaerens alias decretis, et praesertim in una Interamnen. diei 19. Julii 1642 rescribendum censuit: „Strictim servetur Caeremoniale Episcoporum. Die 16. Mart. 1833." n. 4703.

w) Residentia.

Vd. *Coadjutor Canonici* (residentia, decr. n. 306).

x) Sepultura.

Servandus est ordo Ritualis roman. quoad preces et caeremonias, etiam quoad luminaria in sepeliendis Canonicis. n. 2345 ad 8 die 31. (Julii) 1665. Vd. *Sepultura Canonicorum; Mitra ad Exequ.; Cadaver* (asport.); *Processio funebr.* (exitus a Cath. decr. n. 4592 ad 5.)

y) Vox in Capitulo.

Canonicum, qui est etiam Dignitas, unam tantum vocem habere debere in

Capitulo, maxime cum Dignitati non sit adnexus Canonicatus. n. 1327 die 11. Maii 1641.

Vd. *Capitulum* (Vox).

2) Ecclesiae Collegiatae.

a) Assistentes parati Episcopi.

(Vd. *Canon. Cath.* (assist. parati;) *Diaconi assistent.*)

Canonici Collegiatae Foggiae possunt in propria Ecclesia mutare habitum choro consuetum et assumere vestimenta s. et taliter assistere in certis anni diebus Episcopo in dicta Ecclesia ad instar Canonicorum Cathedralis. n. 3563 ad 1 die 22. Maii 1700.

Archiepiscopo Pontificalia celebranti in Collegiata Surrenti vel filialibus aliisque sitis intra illius districtum assistere debent Canonici ejusdem Collegiatae, dummodo Canonici Metropolitanae non interveniant capitulariter. n. 4031 ad 4 die 12. Mart. 1735; n. 4094 ad 4 die 11. Julii 1739.

Ad dubium: an Canonici Collegiatae Surrenti *assistentes Archiepiscopo in throno* Pontificalia exercenti, debeant esse induti vestibus choralibus seu potius paramentis s.? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4094 ad 5 die 11. Julii 1739.

b) Associantes Episcopum.

Vd. *Visitatio* (associatio).

c) Associatio.

Vd. *Dignitarii* (associatio).

d) Crux.

Licere Capitulo Ecclesiae Colleg. loci Belvedere in omnibus processionibus deferre propriam crucem, sub qua incedere debere etiam omnes inservientes in eadem Ecclesia Colleg. praeterquam in funeralibus defunctorum, qui tumulari debent in aliis Ecclesiis. n. 986 die 18. Junii 1633.

Canonici Collegiatae Cerreti Dioecesis Theles. exposuerunt, ipsis vetitum fuisse ab Episcopo moderno delationem propriae crucis in processionibus, quamvis illam hactenus deferre consueverint et novissime cogi adincedendum sub cruce Cathedralis, intermedios vero inter Oratores et Capitulum Cathedr. praecepisse Ordinarium, ut incedant Clerici Seminarii. S. C. resp.: Episcopus admoneatur, ne quid innovare praesumat. n. 2090 die 18. Dec. 1660.

Clerus Collegiatae Cerreti sub sua cruce et non Cathedralis incedat ad formam Concordiae. n. 2970 ad 10 die 22. Nov. 1687.

Ecclesiae Colleg. Fulginei non licet in processionibus, in quibus intervenit Capitulum Cath. deferre propriam crucem. n. 4261 die 4. Sept. 1756.

e) Erectio et Confirmatio.

Canonici Ecclesiae erectae *ab Episcopo in Collegiatam absque confirmatione* Sedis Apostolicae non possunt frui praerogativis Ecclesiae Collegiatae. n. 693 die 3. Julii 1627.

Erectionem Collegiatae auctoritate Ordinario, cui saltem Auctoritas Apostolica minime accesserit, penitus nullam nequaquam sustineri. n. 1837 ad 4 die 4. Aug. 1657.

f) Genuflexio cor. Episcopo.

Vd. *Benedictio Episcopi*; *Genuflexio coram Episcopo* (praecipue decr. 4595).

Ad dubium: An Dignitates et Canonici insignis Collegiatae s. Pauli Vallettae in omnibus indistincte functionibus ecclesiasticis debeant, ut alii de Clero, genuflectere Episcopo, etsi non pontificalibus vestibus sed cappa dumtaxat vel mozzetta induto, seu potius caput tantummodo et humeros eidem profunde inclinare? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. n. 4436 die 28. Julii 1789.

Canonici Collegiatae, seclusa consuetudine in contrarium, uti personae graduatae et in quasi dignitate constitutae, non genuflectunt, sed caput et humeros profunde inclinant Episcopo et altari. n. 4091 ad 2 die 11. Julii 1739.

Ad dubium: an occasione processionis, quae fieri solet in die festo s. Gregorii, Canonici Collegiat. Vallettae, transeuntes ante Episcopum, debeant genuflectere eidem? S. C. resp.: Negative n. 4359 ad 1 die 16. Maii 1772.

Ad dubium: an Canonici Colleg., non obstante asserta consuetudine teneantur genuflectere Episcopo ad differentiam Canonic. Cathedr. altari et Episcopo sive pontif. sive cappa tantum et mozzetta induto? S. C. resp.: affirmative in omnibus. n. 4827 ad 3 die 23. Sept. 1837.

g) Incensatio.

a) Ductus.

Vd. *Incensat. Cleri*; *Canonici Cath.* (incens.).

Servandam esse consuetudinem loci et quatenus consuetudo non adsit, thurificandos esse Canonicos Eccl. Coll. duplici ictu thuribuli. n. 468 die 19. Jan. 1613; n. 4108 ad 8 die 27. Jan. 1741.

Satis esse, si Prior Collegiatae, dum in Cathedrali simul cum illius Dignitatibus et Canonicis interest, duplici ductu thurificetur. n. 574 ad 5 die 19. Aug. 1619.

Canonici et Archipresbyter Collegiatae Fundanae, in Cathedrali divinis Officiis assistentes duplici ductu thurificandos esse. n. 2694 ad 2 die 16. Junii 1674.

Dignitates (Collegiatae) thurificari debent dupl. ductu, prout caeteri Canonici; forte si adesset consuetudo de tripl. ductu, absente Praesule, quae autem debet esse immemorabilis et formiter probanda. n. 2944 ad 5 die 1. Mart. 1681.

Thurificationem Canonicis Colleg. Navariae interveniente Capitulo Cathedr. deberi ab eodem ministro sed unico ductu. n. 3548 die 23. Januarii 1700.

Thurificationem Canon. Colleg. Casal. (praesente Capitulo Cathedr.) per Acolythum unico ductu cum inclinatione capitis antea et post singulis Canonicis. n. 4225 ad 8. die 15. Julii 1752; n. 4232 die 14. Apr. 1753.

b) Series.

Thurificandas esse Dignitates et Canonicos Collegiatae Altamurae ex parte Hebdomadae et deinde Dignitates et Canonicos stantes in altera parte. n. 2944 ad 1 die 1. Mart. 1681.

Ad relationem Collegiatae Altamurae S. C. resp.: Thurificandas esse incensato Celebrante prius a Diacono Dignitates et Canonicos stantes in stallo, postea dignitatem, quae fungitur Officio presbyteri assist., duos Diaconos assistentes et Subdiaconum et demum ipsum Diaconum a Thuriferarcio. n. 2944 ad 2 die 1. Mart. 1681.

h) Insignia et habit. extra Eccles. et Dioeces.

Vd. *Canonici Cathed.* (Insignia etc.).

i) Parati.

Vd. *Processio* (Canon. Colleg.).

k) Praecedentia.

a) Inter sese.

Cf. *Synodus* (sessio).

Canonicum Sacerdotem antiquiorem in ipso ordine Sacerdotii et posteriorem in Canonicatu praecedere debere cuique alteri Canonico non Sacerdoti quamvis anteriori in Canonicatu ejusdem Colleg., in qua tamen Praebendae non sint distinctae in presbyterales, diaconales et subdiaconales. n.

2462 die 12 Jan. 1669; n. 2754 die 28. Sept. 1675; n. 2956 die 7. Junii 1681 cum append.. „quacunque contraria consuetudine etiam immemorabili non obstante“. n. 3311 die 9. Maii 1693; n. 3797 ad 1 die 2. Mart. 1709.

Stante consuetudine antiqua Ecclesiae s. Mariae Rotundae de Urbe, quod illi Canonici Collegiatae praecedant, qui prius Canonicatum obtinuerint, licet non sint Presbyteri et quod ibi Praebendae non sint distinctae nec Concil. Trid. de Reform. Sess. 24 c. 12 loquatur de Ecclesiis Colleg. sed de Cathedral. tantum et quod hujusmodi consuetudo viget etiam in aliis Ecclesiis Colleg. Urbis, nihil pro nunc innovandum sed consuetudinem servandam esse. n. 331 die 16. Dec. 1606.

In Collegiata Cegliae, in qua Praebendae non sunt distinctae, antiquiori Canonico receptione sed posteriori Sacerdotio non competere praecedentiam seu reintegrationem adversus alios Canonicos posteriores respective, sed antiquiores Sacerdotio, postquam ipse antiquior fuit effectus Sacerdos, quia posteriores jus semel adeptum ex Sacerdotio nunquam ammittunt, ut saepe ac pluries declaravit S. C. n. 2511 die 9. Aug. 1670; n. 3797 ad 2 die 2. Mart. 1709.

Praecedentiam in choro et aliis ecclesiasticis functionibus deberi Canonico sacerdoti in Collegiata Eugubii, licet posteriori receptione, adversus quemcumque alium Canonicum non sacerdotem, licet anteriorem receptione, et postea effectus quoque esset sacerdos, stante quod Praebendae in dicta Colleg. non sunt distinctae in presbyteralem, diaconal. et subdiacon., sed sunt omnes de numero presbyterali. n. 2571 die 19. Dec. 1671. n. 3495 die 27. Sept. 1698; idem decr. sub. n. 4422 die 27. Maii 1786 pro Collegiata Oppidi Brane Dioecesis Placentinae.

„Juxta Congregationis votum posse Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Jacobi Civitatis Calathaieronen. vigore praefatarum Literarum Conopaeum, et Tintinnabulum gestare; verum in iis tantum solitis et consuetis Ecclesiasticis functionibus, in quibus non concurrit cum altero Cathedralis Ecclesiae Capitulo, idque in Ecclesiae ambitu, vel intra limites tantum ejusdem Paroeciae, excepta dumtaxat ab hac limitatione solemni supplicatione ab eadem Collegiata fieri quotannis solita per vias Civitatis in die festo S. Jacobi ejusdem Ecclesiae Titularis.“ Atque ita decrevit, statuit, et in posterum servari mandavit. N. 4531. Die 25. ante dicti mensis, et anni. (Mart. 1817).

Ad dubium: an simplex Clericus in Collegiata obtinens Canonicatum, cui adnexus est titulus Thesaurarii ac proinde pro 3. Dignitate habeatur, praecedere debeat tam in choro quam in processionibus aliis Canonicis presbyteratu insignitis et locum suae Dignitati proprium obtinere? S. C. resp.: affirmative. n. 4370 ad 1 die 11. Dec. 1773.

Militen.

Collegiata in Ecclesia S. Mariae Maj. Oppidi Montisleonis Dioeces. Militen. multi quum sint Canonicatus diversae erectionis, novissimus Philippus Morsilli, dimissa Canonicali Praebenda, qua nonnullis abhinc annis potiebatur, novam obtinuit vacantem per mortem Canonici Gregorii Giusti. In actu possessionis hujus novi Canonicatus sedem in Choro adivit, quam primitus ratione antianitatis obtinebat, ut tempore S. Functionis nulla in Populo admiratio, vel inter Clerum in Templo Dei dissentio obveniret, ne unus quidem ex Canonicis obstitit. Quum vero unusquisque penes Sacrarium se recepisset, illico Canonicus Morsilli fuit admonitus, se per novam

possessionem occupare debere ultimum in Choro Stallum. Ille autem consiliis non aquiescens, S. R. C. adivit, quod per supplicem Libellum praestitit Capitulum pariter, et coram R. P. D. Secretario Kalendis Junii anno vertente de more praesentibus Partibus, seu Procuratoribus deputatis, sequens concordatum Dubium fuit suo tempore disputandum, nimirum: An sit locus dimissioni veteris Stalli, seu potius manutentioni in casu? Adventante demum disputationis momento, in Ordinariis scilicet S. R. Comitiis penes Quirinales Aedes subscripta die coactis, nullam pro se Canonicus Morsilli rationem attulit, immo nec Procurator pro defensione comparuit; sed quum Capitulum recensitae Collegiatae desideret quaestiones abrumpere, omnia ordinate componere, et sibi in posterum regulam juxta alias praescribi, humillime S. R. C. rogavit pro Dubii solutione. Et Emi. et Rmi. P. S. Ritibus praepositi, audita plena relatione ab Emo. et Rmo. D. Card. Constantino Patrizi Urbis Vicario, et Ponente, facta, attentis consideratisque rationum momentis, omnibusque quae ad facti speciem attinent mature libratis, rescribendum censuerunt: *Pro Informante* locum nimirum esse pro dimissione veteris Stalli.

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt in Choro Colleg. Eccl. S. Mariae Maj. supradictae, n. 4944 die 24. Sept. 1842.

Ad dubium: an ad Canonicos *Clericos* Collegiatae Eccles. S. Mariae Sermonetae possessione antiquiores seu potius ad Canonicos *presbyteros* antianitate posteriores tam in stallo quam in omnibus aliis functionibus tam intra quam extra Ecclesia spectet praecedentia? S. C. resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. n. 4612 die 5. Mart. 1825.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Etsi centies a Sac. Rit. Congregatione declaratum fuerit, quod ubi praebendae non sunt distinctae, praelationis ratio petenda sit ab dignitate Ordinis, non ab anterioritate possessionis, ita ut Presbyteri Diaconis, hi Subdiaconis anteire debeant, Clerici vero ultima tenere subsellia, et in Processionibus aliisque sacris functionibus locum iisdem cedere: nihilominus frequenter ad Sacram Congregationem deferuntur querelae ob insolentiam Clericorum, qui anterioritate possessionis superbientes, nolunt se intra praescriptos continere fines, et locum dignioribus debitum usurpare praesument. Ideo, exorta hujusmodi controversia inter Canonicos Clericos Collegiatae S. Mariae Sermonetae, qui praestare contendunt tam in stallo, quam in omnibus aliis functionibus, tam intra, quam extra Ecclesiam Canonicos Presbyteros potiores Ordine, sed possessione posteriores, incassum adlaborante Episcopo, ut litem componeret, turbatamque pacem revocaret, opportunum huic malo remedium a Sacra Congregatione petitum fuit, quae, constans in sententia, et inhaerendo Decretis alias latis Canonicos in casu proposito Presbyteros posteriores antianitate praeferendos esse Canonicis Clericis possessione antiquioribus, edixit. Regulam dat Decretum in una Urbis S. Mariae ad Martyres. Postquam enim S. C. rem definiverat sub die 29. Martii 1659, non acquiescentibus Canonicis Clericis, iterum discussa fuit controversia in S. R. C. ordinaria habita coram SSmo., et Sanctitas Sua nedum decrevit: Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi praebendae non sunt distinctae, semper, et ubique praeferendos esse Canonicis inferioris Ordinis, etiam possessione Canonicatus anterioribus:

Verum etiam addidit: non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum imperscriptibilem declaravit. Duo praesertim in hoc Decreto notanda sunt: Primum, quod, ut generale habendum est, quia Pontifex dictionem ubique adhibuit, qua significare voluit, in omnibus Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, ubi praebendae non sunt distinctae, praeferendos esse Presbyteros Canonicis clericis, quamvis hi sunt possessione anteriores. Secundum vero, quod minime prodest consuetudo, etsi immemorabilis, quae non aliam qualitatem habere edixit, nisi illam abusus imperscriptibilis. Neque a regula declinavit S. C. in similibus controversiis alias excitatis. Forte tamen quis erit, qui secum putet, diversum quandoque fuisse judicium, ac inter se pugnare Decreta. At oppido fallitur, qui ita credit; nam S. C. semper pro regula stetit, ut ex pluribus Decretis evidenter patet. Quod si aliquando ab eadem recessisse videatur, id accidit in casibus particularibus, et concurrentibus, aut alia consuetudine, aut circumstantiis, quae diversum exigebant responsum. Ita in Tropien. 10. Dece. 1619 respondit: Praecedentiam competere Canonicis prius receptis: ex eo quia eiusdem Ecclesiae consuetudo habet, ut Canonici omnes sint Presbyteri. Sed praeterquamquod hoc Decretum elatum est longe prius, quam generalis regula prodiret in posterum servanda, quae, ut supra notatum est, peti debet a S. C. responsis Pontificia auctoritate firmatis, in Causa praecedentiae inter Canonicos S. Mariae ad Martyres: eadem S. C. die 24. Maii 1659 id declaravit, quod forte in Tropien. erat obscurum, edicens, quod, ubi praebendae omnes sunt Presbyterales, sequens ordo tenendus sit: Consuetudinem Ecclesiae servandam esse, modo Canonici infra terminum a Sacra Tridentina Synodo statutum, Presbyteralem Ordinem susceperint; at si consuetudo probari nequeat, praeferendum esse Canonicum, qui prius post adeptam possessionem ad Ordinem Presbyteratus ascenderit. Ita in Veliterna. Hinc in Sutrina praecedentiae postquam declaraverat, praecedentiam deberi Presbyteris non autem Diaconibus et Subdiaconibus possessione potioribus, nam ita sancitum legitur in cap. *Statuimus de maioritate, et obedientia;* alteri Dubio, quo quaerebatur: *An Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus anteriorem habens possessionem, promotus postea ad Sacerdotium, praecedere debeat Canonicum Sacerdotem Ordine Sacerdotali anteriorem? sub die 27. Aug. 1707* respondit: *Negative.* Ab hac attamen regula fateor aliquando recessisse: verum id accidit aliquo peculiari in casu rationabili ex causa, quia alia forte erat Ecclesiae consuetudo, vel quia Clericus possessione anterior aetatem non habens ad suscipiendos Sacros Ordines requisitam, protestatus fuerat, paratum se esse, quamprimum aetatem impleverit, ad suscipiendum Ordinem, ac proinde locum suae possessionis tunc velle repetere. Hoc in casu *in una Sanctae Severinae sub die 23. Nov. 1659 S. C. declaravit,* quod *Orator quousque Sacerdotio carebit posthabendus est Canonicis Presbyteris etiam posterioris possessionis. At si, cum primum licuerit, Sacerdotium suscipiet, tunc, nisi consuetudo Ecclesiae, quam eo casu Canonici juniores probare debebunt, secus exigat, locum suae possessionis ascendat.* Videri etiam possunt *Eugubina* die 15. Sept. 1736 et *Verulana* praecedentiae 14. Aug. 1737. Haec adnotanda duxi, ne quis existimet, inter se pugnare S. C. Decreta. Nam in servanda regula eadem constans semper fuit, quod si ab eadem declinasse quandoque videatur, id fecit,

quia aut consuetudo aut peculiares circumstantiae diversum exigebant responsum.

b) Super alios.

Cf. *Synodus; Sedes Cleri in Synodo* (decr. n. 3993); *Canonici Eccles. Cathedr.* (praecedentia); *Magistratus.*

In Processionibus antecedant ante totum Clerum Ecclesiae Cathedralis: Vd. *Processio; Processio in festo ss. Corp. Chr.*

Ad Funeralia in Eccles. Cathedr. congregantur: Vd. *Processio funebr.*

Capitulum et Canonicos Collegiatae Parocho et Clero Ecclesiae Parochialis Matricis in omnibus praeferendum esse. n. 1837 ad 1 die 4. Aug. 1657.

Canonici Ecclesiae Colleg. in omni actu semper praeferendi sunt Ecclesiis simplicibus et non Collegiatis. n. 150 die 10. Junii 1602; n. 1121 die 5. Febr. 1639.

Non competere Priori Collegiatae praecedentiam super Canonicos Cathedralis. n. 574 ad 6 die 19. Aug. 1619.

Canonicos Collegiatae capitulariter convenientes in Ecclesia parochiali occasione festivitatum aut funeralium habere debere praecedentiam super omnes alios praeter celebrantem solemniter aut Officium facientem. n. 1045 ad 1 die 21. Junii 1636.

Praecedentiam deberi Ecclesiae Collegiatae supra omnes alias Ecclesias non Collegiatas, *etiamsi praedictae Ecclesiae non Colleg. habuerint praecedentiam supra Ecclesiam Colleg., antequam in Collegiatam erigeretur.* n. 1101 die 27. Nov. 1638.

Praecedentiam competere Canonicis Collegiatis supra Abbatem. n. 1580 die 6. Apr. 1647.

Collegiatam canonice erectam jus praelationis acquirere super caeteris a die expeditionis literarum apostolicarum. n. 1857 ad 4 die 4. Aug. 1657.

Ad dubium: an in functionibus publicis Cathedralis, in quibus interveniunt Canonici Collegiatae, iidem Canonici sedere debeant post Beneficiatos Cathedr.? S. C. resp.: In hoc casu Canonicos Collegiatae praeferendos esse Beneficiatis Cathedralis. n. 1119 ad 1 die 2. Julii 1661.

Sedeant Canonici (Colleg.) Canthiani immediate post Collegiatas antiquioris erectionis in eodem banco. n. 2220 die 16. Junii 1663.

Ad dubia: 1. An in Processionibus, caeterisque functionibus Ecclesiasticis praecedentia debeatur Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Matthaei Sarni, vel potius Seminario ejusdem Civitatis? Et quatenus Negative quoad primam, Affirmative quoad secundam partem.

2. An eadem praecedentia debeatur dicto Capitulo, et Canonicis, quotiescunque praefatum Capitulum, et Canonici incedant sub Cruce Cathedralis?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit:

Ad 1. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam, quando incedunt sub diversa cruce."

Ad 2. „Affirmative."

Et ita decrevit, ac servari mandavit. N. 3882. Die 15. Februarii 1716.

In Processionibus Prior et Canonici Collegiatae Castignani praecedere debent parochis aliisque presbyteris et Praebendatis Ecclesiae paroch. s. Petri. n. 4042 ad 3 die 21. Apr. 1736. Idem decret. pro civitate Augusta Dioeces. Syracus. n. 4965 ad 2 die 17. Junii 1743.

3) Qui sunt Canonici?

Presbyteri de capitulo Ecclesiae Nucerinae petebant declarari: quod Canonici dicantur, qui habent stallum in choro et vocem in Capitulo. S. C. R. resp.: *Negative.* Non enim valet Consequentia: Habent vocem in Ca-

pitulo, ergo sunt Canonici. n. 608 die 31. Jan. 1626.

Vd. *Coadjutor Canonicor.*

4) Canonici Parochi.

Vd. *Canonici Supranum*; *Canonicus Parochus*; *Processio funebris;* (Praeced.; praecip. decr. n. 4673).

Ad dubium: An Canonicus Paroch. Eccl: Metrop. Ravennat., quum conventui Parochorum interest, jus habeat sedendi in distincto subsellio, seu potius sedere debeat in alio loco juxta ordinem antianitatis? S. C.... rescribendum censuit:

„Negative quoad primam partem: affirmative quoad secundam."

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 5100 ad 1 die 11. Septbr. 1847.

5) Supranumerarii.

a) Incensatio.

Vd. *Canonici Cathed.* (incensatio).

b) Praecedentia.

Vd. Canonicus non consecratus; Canonici honorarii.

Canonicos supranumerarios Cathedralis Nepesinae stante consuetudine decennali praecedere debere Canonicos de numero postea receptos. n. 737 die 27. Mart. 1628.

Canonici supranumerarii et Antiani non consecrati non debent praecedere sacerdotibus. n. 2239 ad 2 die 4. Aug. 1663; n. 2287 ad 2 die 30. Aug. 1664.

Sacerdos Petrus Bonasera Canonicus Supranumerarius Cath. Pitilianen. itemque Eccl. S. Mariae in Civitate ipsa Parochus, quum S. R. C. sequentia Dubia pro opportuna declaratione exhibuerit, nimirum:

1. An in funeribus, facta ab haeredibus electione, dum Orator uti Parochus advocat ad funus Cathedralis Capitulum, possit praecedentiam habere incedendo cum Stola ante Feretrum, locumque in stallo supra Capitulum assumere, cujus ipse est Canonicus supranumerarius?

2. An Parochus Canonicus supranumerarius Cath., in propria Eccl., praesente ipsius Cath. Capitulo, jus habeat Missam canendi?

3. Parochus constitutus Canonicus Supranumerarius cum plenitudine juris Canonicalis, expressa voce: *Audito Capitulo*, utrum vocem habeat in Capitularibus Comitiis?

S. eadem C. post acceptam Rmi. Pitilianen. et Soanen. Informationem cum Voto, auditamque a subscripto Secretario fidelem relationem, in hodierno Ordinario Coetu ad Quirinale coadunata, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. „Affirmative in associatione Cadaverum: in Officio pariter affirmative, si Hebdomadarii munus exerceat."

Ad 2. „Affirmative, praesente Corpore, et in diebus III., VII. et XXX., in Anniversariis aliisque Functionibus negative, sed spectare ad Hebdomadarium."

Ad 3. „Vocem habere tantum quando agitur de Disciplina, vel novo honore, aut onere suscipiendis."

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. n. 5133 die 22. Julii 1848.

CANONISATIO.

Vd. *Martyrologium*; *Sancti; Calendarium*; *Beatificatio.*

Nullatenus in *Anniversario* Canonisationis debere celebrari festum cum Officio, nisi illa tantum die Canonisationis et eo modo, quo concesserit S. C. n. 772 ad 6 die 28. Oct. 1628; 8. Apr. 1628.

Facultatem concessam in litteris et Bullis Canonisationum celebrandi festum de aliquo Sancto Canonisato et Officium

de eo recitandi, non posse ad exercitium reduci, *nisi et modo et forma, qua specialiter per Sedem Apostolicam et S. R. C. permittitur.* n. 788 ad 1 die 9. Dec. 1628.

Non posse Ordinarium neque Capitulum aut alios recitare Officium de Sanctis Canonisatis, *qui non sunt in Calendario descripti,* vel non sint Patroni Ecclesiarum, aut adsint ipsorum reliquiae insignes. *Ibidem ad 2.* Et n. 2166 die 1. Apr. 1662.

Instructio de causis Canonizandorum et Beatificandorum.

1) Electio causarum spectet ad S. R. C. Secretarium pro tempore, qui adnotabit in codice ab ipso subscribendo nomen servi dei unicuique advocato per turnum assignandi.

2) Quilibet advocatus per octo saltem dies ante propositionem causae in Consistorio, ipsammet relaxet in manibus praedicti Secretarii, a quo si quid compertum fuerit contra dispositionem eorum, quae continentur in praesenti Instructione, amoveri debeat omnino et accomodari ad mentem ejusdem Secretarii.

3) De miraculis in Individuo nihil afferatur sed narrando seriem vitae, permittitur agi solummodo de virtutibus, de miraculis vero in genere tantum.

4) Item de fama sanctitatis a die obitus usque ad praesentia tempora, referendo asperitatem vitae, vigilias, orationes, jejunia, eleemosynas, disciplinas aliaque opera meritoria a Beatificandis patrata.

5) De populorum concursu ad sepulchrum, de oblationibus ac de instantiis multiplicibus Principum virorum.

6) De gloria militantis Ecclesiae in Beatificationibus SS., deque excitatione ad heroicas virtutes eorundem exemplo.

7) Instantiae debent fieri a procuratoribus causarum, a quibus praestabuntur solita honoraria huc usque erogata a curia criminali gubernatoris Urbis.

8) Advocatus proponens habeat et teneat in manibus commissionem in formam signandi ad effectum illam relaxandi, cui Sanctitas Sua mandaverit.

9) Promotor fidei, cum sit ad praesens, et in posterum semper esse debeat de Collegio advocatorum consistorialium, immunis sita propositione dictarum causarum; esset enim inconveniens eum, qui ratione sui officii opponere debet processibus Beatificandorum fabricatis seu fabricandis ad hoc, ut in re tanti momenti veritas magis elucescat, praestare in eisdem causis suum favorabile patrocinium. n. 893 die 27. Jan. 1631.

Non licere recitare Officia de Sanctis non canonisatis ne descriptis in Martyrio rom. n. 3041 die 20. Nov. 1683.

Sacerdotes confluentes devotionis gratia non possunt in Eccles. Monialium celebrare missas de Beatis non Canoniz. ipsarum Monasteriis concessas. n. 3588 ad 2 die 11. Junii 1701.

Decretum Generale.

Quum maximopere intersit, ne quid veritati, aut pietati haud consentaneum in Coelitum actis describendis proponatur, providentissime S. P. Urbani VIII. Decreto cautum est, ut vitae, res gestae, miraculae Ven. Servorum Dei edi typis nequeant, „sine recognitione, atque adprobatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios ac doctos viros in consilium adhibeat, et ne deinde fraus, vel error, aut aliquid novum, aut inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam remittat“ *Item ad diem 17. Nov. 1674.* „Consulta S. R. C. per R. P. Magistrum Sac. Palatii, super modo concedendi licentiam imprimendi libros

continentes vitas, gesta, et miracula Servorum Dei, non adhuc a S. Sede Sanctorum fastis adscriptorum; eadem S. C. censuit in posterum, antequam typis mandentur, revidendos esse per R. P. D. Fidei Promotorem, et per eumdem in R. S. C. referendos.“ Id demum de ea re adnotavit S. M. Benedictus XIV. in Opere de Beatificatione et Canonizatione *lib. II. cap. 11* §. *6. et* 7, quod videlicet: „S. R. C. aliquando eorumdem revisionem defert ad Cong. SSmae Inquisitionis, quae, accepta relatione ab aliquo ex suis Relatoribus, aut Qualificatoribus, si quando illa typis imprimendi facultatem tribuit, injungit locorum Ordinariis observantiam erga saepe memorata Decreta Urbani VIII.“

Salutaria haec Instituta paullatim languescere, ac ex usu plane jam decesisse compertum est; ideoque S. R. C. Secretarius, de opportuno remedio adhibendo egit in generali Conventu habito die 28. Julii 1821. Re itaque diligenter perpensa, Emi. P. decernendum censuere: „Detur novum Decretum, facto verbo cum SSmo., et transmittatur ex officio P. M. S. Palatii Apostolici.“

Facta autem de praemissis omnibus SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum S. R. C. Secretarium, S. S. S. C. Decretum adprobavit, confirmavitque, utque ab omnibus servetur, typis evulgari, atque in actis ejusdem C. referri mandavit. Die 31 recensiti mensis, et anni.

Decretum Generale.

Ad tollendos ac eliminandos abusus, qui irrepserant in Cultus exhibitione nonnullis Dei Servis, qui cum fama et opinione Sanctitatis decesserant, inconsulta Sede Apostolica, ac si essent Beatorum honoribus legitime decorati; sa. me. Urbanus Papa VIII. generalibus Decretis editis anno 1625 confirmatisque die 5. Julii 1634, providis latis Legibus certum praescripsit ordinem in hisce agendis Caussis in posterum omnino constanterque servandum. Per hanc tamen generalem sanctionem expresse declaravit: „Se nolle ullum praejudicium inferre iis (Servis Dei), qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum Scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii coluntur.“ Quoniam vero hujusmodi ab universali Lege exceptionum cognitio ad Sacrorum Rituum Congregationem servabatur, extunc obtinuit consuetudo, ut quoties eorumdem Servorum Dei, qui aliquo ex modis supramemoratis in Cultus possessione repiriri putabantur. Caussa ad eamdem Sacram Congregationem deferri contingeret; primum in ordinario Conventu de introductionis Commissione signanda ageretur: qua favorabili Rescripto absoluta, in altero postmodum cogendo, de Cultu, sive casu excepto instrueretur judicium. Hoc tandem juxta Postulatorum vota prolato, locum habebat altera Instantia pro Officii et Missae concessione. Ita refert, et docet Benedictus XIV. „De Servorum Dei Beatificatione Lib. IV. Part. II. Cap. IV. et sequen.“, atque haec fuit constans Sacrae Congregationis disciplina per bina fere Saecula.

Sed quoniam saepe evenire solet in iis etiam, quae recte sapienterque constituta sunt, diuque incorrupte servata, ut temporis lapsu languescant, sensim immutentur, et diversam formam suscipiant, unde opus, ut obliteratus rigor, si non omni, aliqua saltem in parte ad observantiam revocetur: id quod accidit in praefatis Caussis pertractandis, quae a Papae Urbani Lege excipiuntur. In his quippe novus paullatim longe facilior, et expeditior inductus est ordo sub ea specie, quod

antiquus rigor retinendus sit dumtaxat, si, sententia dicta de casu excepto, progredi mens sit ad formalem Canonizationem, non autem, si ut legitimus Cultus adprobari petatur, nisi ad hoc tantum, ad petendum nempe Officium et Missam.

Quamobrem hanc veteris disciplinae relaxationem non sine aliqua indulgentia, et moderatione coercere exoptantes, Emi. Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serioque recogitantes decere, ut pro casuum diversitate, diversus sit modus, diversaque judicandi ratio, re mature diligenterque perpensa in Ordinariis Comitiis sub infrascripta die habitis, unanimes fuerunt in Voto, decernentes, ne in posterum admittantur Instantiae pro concessione Officii et Missae in honorem illorum Dei servorum, qui sunt aliquo ex recensitis modis in possessione publici, et ecclesiastici cultus, nisi ordine sequenti servato.

Primum in Congregatione Ordinaria proponendum et discutiendum erit Dubium : „An constet de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani PP. VIII.“ audito tamen in scriptis Promotore Fidei, cui tradenda erunt originalia, et legalia documenta, ut suas exaret Animadversiones, quibus, si opus fuerit, poterunt Postulatores respondere. Si Patres Emi. Sacrae Congregationi praepositi in affirmativam abeuntes sententiam dixerint constare de casu excepto, locus erit in subsequenti Congregatione novae instantiae super concessione Officii et Missae, audito pariter in scriptis Promotore Fidei, velut supra dictum est.

Quatenus vero in aliqua ex Caussis, in quibus adprobatus auctusque cultus est accessione Officii et Missae, procedi optetur ad formalem Canonizationem, Acta strictim iteranda erunt, ac retinendus antiquus judicialis ordo, qui in similibus inviolabiliter servatus fuit. Et ita decreverunt et declararunt, praecipientes infrascripto Secretario, ut Generale Decretum ederet facto verbo cum Sanctissimo.

Die 26. Decembris 1826. De quibus omnibus, et singulis facta Santissimo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae ejusdem Congregationis sententiam adprobavit, et confirmavit, ipsumque generale Decretum praelo tradi et evulgari mandavit. n. 4626. Die 20. superioris Mensis et Anni.

CANTOR.

Vd. *Directio chori; Rector chori*; *Virga*; *Nativit. Dom.*; Chorus; Archidiaconus; Subcantor; Decanus.

Cantoris est dirigere chorum; processiones vero ... ordinare pertinet ad Episcopum et ejus Vicarium. n. 181 die 14. Dec. 1602.

Cantoris est: 1) Mandare cantare; 2) mandare recitare alta vel submissa voce paullatim vel celeriter; 2) minuere lectiones; 4) sonare *Te Deum* totam aut partem; 5) locum dare in choro; 6) excitare dormientes, quando punctator non attendit; 7) vocare Beneficiatos, ut vadant ad adjuvandum cantare. 8) determinare dubia, de quo recitandum est; 9) mandare recitare de Sancto aut de feriis; [10) regere processiones intus et foris;] 11) mulctare Beneficiatos et Thesaurarios, qui desunt in processionibus; 12) punire pueros chori et eis imperare; 13) non consentire in choro sine cotta; 14) facere notam, per quam omnes inserviant in Hebdomada; 15) mandare dicere Missam, quando deest notatus et eodem modo Evangelium et Epistolam. n. 136 die 2. Sept. 1597.

Ea, quae chori regimen concernunt, spectare ad Cantorem. n. 2869 ad 4 die 26. Nov. 1678.

Ad Cantorem Ecclesiae Collegiatae spectare functiones chorales muneris

sui proprias. n. 4439 ad 7 sine dato (videtur esse 28. Julii 1789).

CANTORES.

(Locus in processione.)

Vd. Magister Capellae; *Musica* (in process.).

Cantores in processionibus debere incedere in loco Episcopo bene viso et exinde non inferri ad praecedentiam respectu Beneficatorum. n. 1670 die 10. Maii 1653.

Praetendentibus Cantoribus et Musicis locum prope SSmum in processione Corp. Chr juxta solitum, non autem post crucem et ante Clerum, ut ipse Clerus praetendit, S. C. resp.: Servetur Caeremon. n. 2213 die 28. Apr. 1663.

Ad dubium: an Cantores Metrop. Banan. in processionibus praecedere debeant Clericis et Capellanis Beneficiatis, an vero e contra ipsi omnes illos antecedere, S. C. resp.: Servandum esse Caeremon. n. 2386 die 15. Jan. 1667.

In publicis processionibus competat praecedentia sacerdotibus saecularibus, non cantoribus, qui in loco ab Fpiscopo designando incedere debent. n. 4398 ad 1 et 2 die 22. Apr. 1780.

Quando genuflectunt? vd. *Incarnatus est; Genuflex. Chori infra missam etc.*

CANTUS.

1) In Bened. cum SSmo.

Vd. *Benedictio cum SSmo.* (Cantus).

2) Firmus.

Capellani de Massa debent possidere cantum firmum, ita ut eligi non debeant, neque possint imperiti hujusmodi cantus, et in posterum examinentur a deputandis per Ordinarium. n. 2083 ad 1 (2do loco) die 18. Dec. 1660.

3) In choro.

Vd. Chorus (cantus); *Nativit. Dom. N.* (Off. temp. decr. n. 4582).

4) In festis.

Vd. *Patronus princip.* (transl.; decr. n. 4555 ad 2 nota).

5) Quo idiomate?

Sive adsit expositum SS. Sacramentum sive non, omnino Episcopus prohibeat in Ecclesiis cantiones vel quorumvis verborum cantum materno idiomate. n. 1819 die 24. Mart. 1657.

Cf. *Processio SS. Corp. Chr.*

6) In missa.

a) Abbreviatio.

Ad dubium: An pariter tolerandus sit usus quod in Missis cum Cantu praetermittatur cantus Introitus, Offertorii, Communionis, et quando post Epistolam occurrit etiam Sequentia? Item quod in Missis defunctorum praetermittatur cantus saltem integrae Sequentiae *Dies irae,* et Offertorii, ac post easdem Missas defunctorum, quae tamen ex nulla obligatione decantantur, an praetermitti possit cantus saltem alicujus partis absolutionis?

Et S. eadem C... rescripsit:

Vel non celebrandas Missas Defunctorum, vel canenda esse omnia, quae precationem suffragii respiciant. n. 5118 ad 2 die 11. Sept. 1847.

b) In missa convent.

Vd. *Missa conv.* (cantus).

7) In Ordinatione.

Vd.: *Ordinatio ad Presbyterat.* (ritus; decr. n. 4669).

8) In Processionibus.

Prohibitionem Vicarii gen. cantandi preces et psalmos in processionibus ac praesertim in funeribus, esse nullatenus servandam et per Vicarium revocandam. n. 1918 die 7. Sept. 1658.

Non posse Regulares impediri psalmos canere in processione funebri. n. 831 die 18. Aug. 1629.

Vd. *Instr. Clem.* §. XIX. n. 15, 16.

9) Coram exp. SSmo.

Vd. *Instructio Clem.* §. III. n. 9 — 17; §. XXXI. n. 18 etc. *Benedictio cum SSmo.*

S. CANUTUS M.

Festum s. Canuti est ad libitum. n. 4181 ad 3 die 7. Maji 1746.

Postquam s. Canutus pro Ord. Benedictino fixe est repositus ad 20. Febr., potest pridie hoc elogium dici: *S. Canuti Regis et Martyr. VII. Id. Jan.*, non variata tamen dispositione Martyrologii roman. S. R. C. 5. Maji 1736. *In Einsidl.*

CAPILLI FICTITII.

Vd. *Parrucca.*

CAPITULUM.

1) Associatio.

Vd. *Aspersorii porrectio Canonicis etc.*; *Processio* (terminatio).

Regulares accedentes ad publicas processiones tenentur associare Capitulum Cathedr. Materanens. nedum in accessu, quo dirigitur processio, verum etiam in suo recessu ad ipsam Metrop., in qua revertitur, non obstante contraria consuetudine, quam abusum esse. n. 3118 die 20. Julii 1686.

Quatuor saltem Canonici Collegiat. Placent. in habitu chorali tenentur obviam ire Capitulo Cathedr. ad eorum Ecclesiam accedenti usque ad januam una cum sacerdote seu sacrista et Clerico aquam lustralem deferente cum aspersorio et idem servandum in recessu. n. 3816 ad 1 die 17. Aug. 1709.

Ad dubia: 1. An accedentibus processionaliter una cum Cruce et Clero, et una cum Decurionibus Civitatis Capitulo, et Canonicis Cathedralis ad Ecclesiam S. M. Gratiarum in Festo Nativitatis B. M. V., teneantur Canonici Regulares Lateranenses dictae Ecclesiae recipere dictum Capitulum et Canonicos?

2. Et quatenus Affirmative: In quo loco dictae Ecclesiae teneantur recipere, et quousque tam in accessu, quam in recessu associare, et an in Corpore et cum superpelliceo, an sine teneantur?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, respondit.

Ad 1. „Affirmative."

Ad 2. „Dilata, et concedantur Literae Remissoriales, et interim, per modum provisionis, sine praejudicio jurium ambarum partium, recipiant in ingressu, et associent in regressu eodem modo Capitulum et Magistratum." Et ita decrevit. n. 3870 die 18. Augusti 1714.

Post expletas functiones ecclesiasticas et funera in Ecclesiis paroch. assistente Capitulo Cathedr., Archipresbyteri aliique de Clero tenentur associare idem Capitulum usque ad januas dictarum Ecclesiarum. n. 4262 ad 14 die 18. Dec. 1756.

2) Convocatio.

a) Quis convocat?

Posse Archipresbyterum, etiam quod non sit de Capitulo, convocare Capitulum *pro rebus statum Ecclesiae concernentibus.* n. 1544 ad 11 die 16. Septbr. 1645.

Convocationem Capituli ad Archipresbyterum spectare uti primam Dignitatem. n. 2869 ad 1 die 26. Nov. 1678.

Invocationem seu Orationem Spiritus s., quando convocatur Capitulum, spectare ad digniorem. n. 2289 ad 6 die 30. Aug. 1664.

Jus convocandi Capitulum, proponendi in ea negotia resolvenda, dandi primum votum et suffragia recolligendi spectare ad Praepositum S. Michaelis majoris Papiae. n. 2475 ad 1 die 23. Mart. 1669.

Mortuo Episcopo ante electionem Vicarii capitularis convocare Capitulum spectat ad primam Dignitatem, quae sit Canonicus, et deinde gradatim ad alias Dignitates, quae pariter sint Canonici. n. 3855 ad 6 die 26. Aug. 1713.

Ad dubium: an Archidiaconus (Metropol. Hydrunt.) habeat jus convocandi Capitulum pro illius negotiis, quandocunque Capitulo expedire ei visum fuerit atque ei coadunato praesidendi sive potius idem competat Syndaco aut alteri ex auditoribus? S. C. resp.: Servetur Solitum. n. 4358 ad 26 die 7. Dec. 1771.

b) Tempus.

Tempore Divinorum Officiorum et Missarum non posse convocari Capitulum et contrafaciendos mulctandos esse in amissione distributionum quotidianarum. n. 923 ad 10 die 5. Julii 1631.

Non licere nec debere celebrari Capitulum tempore Divinorum Officiorum nec inter Missarum solemnia. n. 1332 die 11. Maji 1641.

Celebrationem Capituli in aliud magis opportunum tempus rejiciendam esse, non obstante statuto et consuetudine quacunque. n. 2856 ad 5 die 22. Jan. 1678.

3) Ecclesiae Cathedralis.

Vd. *Canonici* Cathedralis.

4) Ecclesiae Collegiatae.

Vd. *Canonici* Collegiatae.

5) Materiae propositio.

Ad dubium: an ante affixionem schedulae convocatoriae Canonici Syndici teneantur designare Archidiacono vel alteri, qui sequitur in ordine, materias Capitulo proponendas? S. C. resp.: Affirmative solum in genere n. 4075 ad 24 die 19. Julii 1738.

6) Praecedentia.

In actibus Capitularibus non debetur praeeminentia Vicario generali supra Dignitates et Canonicos antiquiores in canonicatu. n. 1160 die 23. Maii 1639. Vd. *Episcop. titul. Canonicus; Canonici* (praecedent.).

7) Sigillum.

Capsulam, in qua observatur Sigillum Capituli, duabus clavibus obsignandam esse, quarum altera sit penes electum a Capitulo, altera penes majorem Capituli, nempe Archipresbyterum. n. 2869 ad 2 die 26. 1678.

Ad dubium: an liceat Vicario Capit. Metrop. Tarentinae in expeditionibus, actibus Vicarii capitularis uti proprio sigillo, vel potius debeat uti sigillo Capituli? S. C. resp.: *Negative.* n. 3085 ad 9 die 23. Mart. 1709.

8) Vox.

Vd. *Canonici Cath.* (Vox); *Coadjutor Dignitar.*

In Capitulo Vicarium general. uti Vicarium non habere vocem, uti vero Canonicum nonnisi in loco suae receptionis. n. 1247 die 17. Julii 1640.

Ad dubium: An Dignitates Ecclesiae Majoricen., quamvis non sint Canonici, habeant locum et vocem in Capitulo in omnibus concernentibus bonum regimen Ecclesiae exceptis tantum, quae concernunt fructus mensae capitularis? S. C. resp.: *Negative.* n. 3855 ad 1 die 26. Aug. 1713.

Ad dubium: an Canonicus nondum in s. Ord. constitutus vel non habens aetatem pro s. Ord. possit habere vocem in Capitulo et quid si fuerit dispensatus super defectu aetatis? S. C.

resp.: Negative ad utramque partem. n. 4075. ad 22 die 19. Julii 1738.

9) De comm. C. non P. (Quod).

Dubitatur: In Communi Conf. non Pont. ad Capitulum quaedam recentiores editiones Breviarii Rom. habent: *nec speravit in pecunia, et thesauris;* aliae vero habent *nec speravit in pecuniae thesauris:* quomodo ergo legendum?

S. C.... rescribendum censuit: juxta votum Magistri Caeremoniarum nimirum:

Legendum „*in pecunia, et thesauris.*"

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4930 ad IX. die 11. Sept. 1841.

CAPPA.

1) Canonicorum.

a) Cathedralis.

Vd.: *Parasceve* (adorat. crucis etc.); *Canonici* (administ. Sacrament.; decr. n. 4536 dub. addit.); *Concio* Canonicorum.

Canonicis parochis Cathedralis funera *concomitantibus* non licet deferre cappam choralem, per quam a caeteris simplicibus presbyteris distingantur. n. 3543 die 19. Decb. 1699.

Non licet Capitulo Cath. s. Severi cappis extensis usque ad talos incedere in processionibus poenitentiae et in associatione cadaverum Concapitularium et Episcopi Ordinarii. n. 4178 ad 2 die 4. Sept. 1745.

Non posse Episcopum Canonicos cogere ad deferendam cappam pro *usu chori,* cum nec Canonici nec alii cappam deferre possint sine expressa et speciali licentia Sedis Apost. n. 227 ad 3 die 10. Jan. 1604.

A primis Vesperis Vigiliae Omnium SS. usque ad Sabbatum s. Canonici deferant Cappam supra Rocchettum, et deinde postea Cottam seu Superpelliceum ad instar Canonicorum s. Petri. n. 2855 die 22. Jan. 1678.

Canonici habentes usum cappae magnae non possunt illam deferre expansam seu extensam, ut Episcopus, in adoratione Crucis fer. VI. Parasceve vel alio tempore. Abusum Episcopus tollat. n. 3544 ad 3 die 23. Januar. 1700.

Ad dubium: an teneantur Canonici Cathedr. cappam deponere tam intra quam extra Cathedr., dum verbum Dei praedicant vel dum Officium Sacerdotis assistentis in missa novi Celebrantis aliasque quascunque non capitulares functiones exercent? S. C. resp.: Negative in propria Ecclesia, etiam in Concionibus aliisque functionibus, excepta SSrum. administratione, in qua utendum est superpelliceo et stola; affirmative extra propriam ecclesiam, et detur decretum generale. n. 4536 dub. addit. 2 die 4. Junii 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Nemini dubium, quod Canonici Cappae magnae usum habentes, aut aliis honorificis Insigniis decorati, illam, vel ista adhibere possint in propria Ecclesia, vel assistentes, vel incedentes et sacras functiones peragentes capitulariter, vel uti singuli operantes, excepto dumtaxat casu administrationis Sacramentorum, quae cum ex Rubricarum praescripto, tum ex S. C. Decretis (ut ad proximum Dubium notatum est), exigunt usum Superpellicei et Stolae. Ideo si quis ex Canonicis conciones habeat ad Populum, vel S. explanandis Scripturis, vel ad instituendos reformandosque mores Catechesibus, ac spiritualibus exercitationibus incumbat, poterit in propria Ecclesia uti Cappa, aliisque Canonicatus Insigniis pro temporum varietate. Haud tamen idipsum poterit in alienis Ecclesiis, vel intra, vel extra

Dioecesim. Ita a S. R. C. declaratum lego die 10. Sept. 1650 et 12. Mart. 1678 praesertim vero habenda ratio est alterius Decreti in Capuana 15. Julii 1651.

Si quidem „*Canonici* habentes ex Apostolico Indulto usum Cappae, et Rocchetti, tam in eorum, quam in quibuslibet aliis Ecclesiis," declarari postulabant: num iisdem Insigniis uti possint in aliis Ecclesiis, dum Conciones habent?" quibus responsum fuit: Id eis non licere, nisi in propria Ecclesia. Ex quo Decreto colligimus, quod privilegia deferendi Canonicalia Insignia extra propriam Ecclesiam, ita sunt intelligenda, ut id liceat, quando Canonici capitulariter, vel in Processionibus incedunt, vel in alienis Ecclesiis s. peragunt functiones, aut iisdem assistunt; Corpori siquidem concessa sunt, non Canonicis uti singulis. Quamobrem consequitur, quod Canonicus habens usum Rocchetti et Cappae extra Ecclesiam propriam concionaturus, aut aliam Ecclesiasticam functionem peracturus, uti non poterit privilegio Capitulo et Canonicis unum corpus constituentibus concesso, nec proinde adhibere Rocchettum, et Cappam, aut aliud honorificum Canonicale Insigne. Ne quis tamen sit, qui credat, antedictum S. C. responsum accipiendum ita esse, ut Canonicis in propria Ecclesia liceat uti Cappa, nedum in Concionibus habendis, verum etiam in Sacramentorum administratione, cum generalis sit dictio „*Non* licere, nisi in propria Ecclesia," quae nullam ponere limitationem videtur. Nam responsum relativum est ad Dubium super intelligentia privilegii extra propriam Ecclesiam; et S. C. significare, et declarare voluit, quod non omnia, quae fieri possunt in propria, aeque licent in aliena Ecclesia, quin tamen id permissum censuerit, quod jura vetant, quale est administratio Sacramentorum cum Cappa, et non cum Superpelliceo. Decreti igitur sensus est, quod Canonici possunt in propria Ecclesia uti singuli conciones habere, aliasque omnes functiones non capitulares peragere cum Cappa excepta Sacramentorum administratione: extra vero propriam Ecclesiam nullibi, et in nulla omnino functione eadem, vel aliis Canonicatus Insigniis uti posse. Haud tamen inficior in more positum esse in Basilicis Urbis Sacramentum Poenitentiae administrari tam a Canonicis quam a Beneficiatis stola imposita supra Cappam in propria Ecclesia. Improbandane erit hujusmodi consuetudo, immo ne potius retinenda? Si mihi licet proprium expromere sensum, crederem morem hunc posse retineri, difficile namque esset illam abrumpere et certum est Regulares vel ex consuetudine vel ex privilegio Sacramentum Poenitentiae administrare solitos, Stola dumtaxat adhibita, sine superpelliceo. Lex igitur coarctari potest ad aliorum Sacramentorum administrationem, Baptismatis scilicet, Eucharistiae, Matrimonii.

Quaeritur praeterea in eodem dubio, Num Canonicus, fungens Officio Sacerdotis assistentis in Missa noviter ad Presbyteratus Ordinem evecto, debeat Cappam deponere? Nulla, quod sciam, est lex, quae in tali occasione et officio usum Cappae prohibeat Canonico in propria Ecclesia (in alienis servanda est regula generalis, de qua supra), quamobrem necesse non est, ut Sacerdos Assistens illam deponat, sed aeque poterit cum illa, vel cum superpelliceo supra Rocchettum hoc munus explere; non enim res est de conficiendo, aut administrando Sacramento, sed de simplici assistentia Celebranti praestanda. Quoniam vero contingere potest, ut Sacerdos assistens debeat, aut tangere Calicem post Consecrationem, aut quid aliud agere immediate circa Sacramen-

tum, proindeque stolam adhibeat; decens magis videtur, ut Cappam deponat, et induat Superpelliceum. Et revera si in Patriarchalibus, et insignioribus Urbis Basilicis, dum sit solemnis ostensio S. Reliquiarum, Canonici, qui assistunt Episcopo aut alteri Sacerdoti s. peragenti actionem, Cappa deposita, superpelliceum Rochetto imponunt; potiori jure, ob rationem supra allatam maxime congruit, ut idem fiat, dum Canonicus assistentiam praestat Sacerdoti primum Sacrum Deo offerenti. Neque id adversatur S. C. responso, quod, cum sit relativum ad Dubium: An teneatur deponere? facultatem importat, non inducit necessitatem. In hoc igitur crederem servari posse consuetudines Ecclesiarum.

„Dignitatibus vero, et Canonicis, etiamsi gaudeant Indulto deferendi Cappam et Rochettum tam in propria, quam in alienis Ecclesiis, hujusmodi tamen aliorumque Canonicalium Insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse dumtaxat, quando capitulariter incedunt, vel assistunt, et peragunt s. functiones; non autem, si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum Collegium comprehendat, verum etiam singulariter, et distincte ad personas extendatur."

Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit, si SSmo. videbitur, die 31. Maii 1817

Facta autem relatione etc. per infrascriptum Secretarium S. R. C. de praemissis SSmo. D. M. Pio VII. P. M., S. S. S. C. Decretum Apostolica confirmatione munitum, typis tradi, ac evulgari jussit, pridie Nonas Junii MDCCCXVII. n. 4537 ad 2.

Mutinen.

Praeclarissimae Cath. Mutinen. Eccl. Dignitatibus et Canonicis s. m. Clemens Papa XI. per Apost. Litteras in forma Brevis datas pridie Kal. Oct. Anno 1713 indultis, ut antiquo habitu Chorali dimisso, Rochettum cum suis manicis et Cappam magnam violaceam cum pellibus, tam intra quam extra Ecclesiam, etiam in Processionibus, Funeralibus, et Functionibus publicis quibusvis anni temporibus, et juxta temporum opportunitatem etiam Rochettum solum, et sine Cappa deferre, et gestare, illisque libere et licite uti perpetuo possent. Hujusmodi Indultum ex summa erga praedictam Ecclesiam et Capitulum benevolentia concessum antiquitus, dissidii modo, et quaestionis non levis causa est. Dignitates siquidem et Canonici autumant, Rochettum, et Cappam gestare posse etiam in assistendo Vesperis Missaeque Pont., quae ab Episcopo celebrantur, nec non in aliis Pont. Functionibus, et in omnibus solemnibus Supplicationibus, ne illa quidem excepta SSmi. Corp. Chr., ac eo magis in sententia simili persistunt, et usum conservare contendunt ob consuetudinem centenariam, et amplius introductam, atque, uti asseritur, pacifice servatam. Sed Rmus. Ep. quum asserat istiusmodi perpetuum Cappae usum non tribui per supradictum Clementinum Indultum, immo potius adversari Legibus Caerem. Ep., Decretisque alias latis, de communi consilio et consensu ad quaestionem componendam, remque omnem ordinate disponendam S. R. C. sequens Dubium enodandum proposuerunt, nimirum: „An vigore praedicti Indulti assertaeque centenariae consuetudinis Rochettum, et Cappam magnam tum in Pont., tum in solemnibus Supplicationibus, nulla excepta, gestare valeant Mutinen. Dignitates et Canonici, an potius Episcopi voluntati conformare se debeant?"
Et Emi. ac Rmi. P. Ordinariis in Comitiis penes Quirinales Aedes subscripta die coadunati, percepta relatione ab Emo., et Rmo. D. Card. Carolo Acton Ponente facta, omnibus mature

consideratis, accurateque libratis, exquisitoque Voto ex Apost. Caeremoniarum Magistris scripto pandito, praeloque cuso, rescribendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, *nimirum* Dignitatibus et Canonicis Cath. Eccl. Mutin. suffragari Clementinum Indultum quoad usum Cappae et Rochetti in iis tantum Functionibus, pro quibus aliter non disponatur et a Caerem. Ep., et a Decretis S. hujus C.

Atque ita rescripserunt, et a praedicto Capitulo servari mandarunt; n. 4946 die 24. Sept. 1842.

b) Collegiatae.

I. Modus deferendi.

Ad dubium: an Canonici Colleg. Surrenti possint in processionibus aliisque solennitatibus intervenire solutis cappis vel potius illis ligatis et recollectis? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4031 ad 3 die 12. Mart. 1735. Idem decretum pro Canonicis Colleg. Surrenti. n. 4094 ad 3 die 11. Julii 1739.

II. Mutatio.

Ad dubium: an in Calendario Ecclesiae Placentinae adnotari debeat tempus, in quo sit mutatio capparum Canonicorum Colleg. Ecclesiae (s. Antonini) siculi adnotatur tempus mutationis capparum Canonicorum Cathedralis? S. C. resp.: Negative et arbitrio Episcopi, etiam quoad alias Collegiatas. n. 3980 ad 3 die 3. Julii 1728.

Vd. *Canonici Cath.* (Insignia etc.; mutatio).

III. Qualitas.

Canonicis Colleg. Ecclesiae s. Mich. Archang. Surrenti licet uti cappis cum caputio subsutis serico rubri coloris. n. 4031 ad 2 die 12. Mart. 1735. Idem permissum est Canonicis Colleg. Surrenti. n. 4094 ad 2 die 11. Julii 1739.

Casalen.

Beatissime Pater.

Ad Sedes Sanctitatis Tuae humiliter provoluti Praepositus et Canonici Collegiatae insignis S. Mariae Novae Oppidi Lii Casalensis Dioecesis devotissime exponunt a suprema benignitate Benedicti PP. XIV. fel. rec. Praedecessoris tui indultum obtinuisse vestiendi in quibuslibet Functionibus Capparum insignia *ormesini violacei coloris*, ut ex Bulla V. Kal. Maii MDCCXLVIII.

Ast (qua de causa ignoratur) Canonici tunc temporis loco *ormesini violacei coloris*, serico *coloris cremisini* ad instar Cathedralis usi sunt, idque servarunt usque in hodiernum diem, atque sic induti pluries adstiterunt tam coram Episcopo exercente, quam Canonicis Cathedralis, et in tempore Synodi, nemine contradicente aut impugnante.

Occasione vero Pastoralis Visitationis tribus abhinc annis peractae Canonici Cathedralis recursum porrexerunt Episcopo actu visitanti, ubi instanter petiverunt, ut Canonicos Collegiatae hujus perstringat ad utendum colorem violaceum in Bulla concessionis signatum, et cremisinum deponendum.

Quapropter Canonici Collegiatae praedictae elapso Anno apud Sanctitatem Tuam suppliciter expostularunt, ut loco *ormisini violacei coloris*, colorem purpureum permittere dignareris, sed a S. R. C. istiusmodi postulatio rejecta fuit.

Verum quum Ormesinus violacei coloris apud sericarum telarum mercatores amplius non reperiatur quia a pluribus annis obsoletus, ideo Canonici praedictae Collegiatae humanissime

iterum supplices apud Sanctitatem Tuam sistunt, ut loco *ormesini violacei coloris*, sericum ignei coloris, seu purpureum praedictum benigniter concedere digneris, ut in usu est in nonnullis Pedemontanae Ditionis Collegiatis, consentientibus unanimiter Canonicis Cathedralis una cum Episcopo. Quare etc. Propositis hujusmodi precibus in Ordinariis Comitiis S. R. C., Emi., et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in sensu fuerunt, ut scriberetur Rmo. Episc. Casalen. ut sequitur:

Reverendissime Domine uti Frater.

In S. R. C. Ordinaria subscripta die coadunata iterum per R. S. D. Secretarium ejusdem relatae sunt preces Canonicorum Colleg. Ecclesiae Oppidi Lii vulgo nuncupati istius Casalen. Dioecesis, quas Amplitudo Tua in hunc eumdem fasciculum conjectas reperiet. Sed Emi. P. noluerunt aliquid decernere super expositis, satiusque duxerunt ad quaestiones vitandas sequenti modo rescribere. „Episcopo pro Informatione super veritate expositorum, et Oratores exquirant consensum Capituli Cath.“

Dignetur itaque Amplitudo Tua S. C. de omnibus certiorem reddere, praesertim super totali defectu serici coloris a s. m. Benedicto XIV. praescripti in Cappa eorumdem, atque Canonicos ipsos monere ut supplici prece istius Capituli Cath. in Scriptis censensum petant, et reportent, qui in forma authentica S. C. est exhibendus.

Et Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat. Romae 23. Septbr. 1837. n. 4517. Rmo. D. uti Fratri Episc. *Casalensi.*

Casalen.

Rme. Pater.

Ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provoluti Praepositus et Canonici Collegiatae insignis S. Mariae Novae Oppidi Lii Casalensis Dioecesis devotissime exponunt, a suprema Benignitate Benedicti Papae XIV. fel. rec. Praedecesssoris Tui Indultum obtinuisse vestiendi in quibuslibet Functionibus Capparum Insignia ormesini violacei coloris, ut ex Bulla V. Kal. Maji 1748.

Ast (qua de causa nescitur) Canonici tunc temporis loco ormesini violacei coloris, serico coloris cremisini ad instar Cathedralis usi sunt, idque servarunt usque in hodiernum diem, atque sic induti pluries adstiterunt tam coram Episcopo, quam Canonicis Cathedralis, nemine contradicente, aut impugnante.

Occasione vero Pastoralis Visitationis anno elapso peractae, Canonici Cathedralis recursum porrexerunt Episcopo actu visitanti, ubi instanter petierunt, ut Canonicos perstringat ad utendum colorem violaceum in Bulla concessionis signatum, et cremisinum deponendum. Quamvis Canonici Collegiatae Oratores Tui praescriptionem ab immemorabili allegare possent, attamen jurgia devitare cupientes apud Sanctitatem Tuam suppliciter expostulant, ut loco ormesini violacei coloris, colorem purpureum, ut ex signo hic apposito, benigne permittere digneris, quemadmodum conspicitur in usu in pluribus Pedemontanae Ditionis Collegiatis, Episcopo consentiente, et Canonicis Cathedralis, pro qua gratia Canonici preces effundunt ad Omnipotentem Deum, ut Tibi longitudinem dierum, ac quodcumque solamen pro Ecclesiae bono, et exaltatione Tibi misericorditer impertiatur, Pedes humillime osculantes.

Hujusmodi precibus ab infrascripto Secretario relatis in Ordinariis Comitiis S. R. C. ad Qurinale hodierna die habitis, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt: „Servetur dispositio Brevis

s. m. Benedicti XIV." n. 4768 die 8. Aug. 1835.

2) Dignitatum.

Vd. *Cappa Canon. Cathedr.*

3) Eorum, qui ex privil. eam deferunt.

In aliquibus Cathedr. et Colleg. Ecclesiis Beneficiati vel Mansionarii vel Hebdomadarii, vel quocunque alio nomine nuncupati, ex ap. speciali Indulto deferunt cappas pellibus ornatas, diversi tamen coloris ab eo, quo Canonici utuntur. Quum haec coloris differentia inter Canonicos et inferiores Beneficiatos opus sit, ut semper appareat: S. R. C. ad nonnullas removendas exortas quaestiones declaravit, quod in illis Capitulis, in quibus, aestivo etiam tempore, Cappa, pellibus depositis, retinentur, sericum operimentum in anteriori parte Capparum eorundem Beneficiatorum debet respondere colori pellium, quas ipsi dimittunt. n. 4599 die 12. Apr. 1823.

4) Episcopi.

a) Locus induendi.

Vd. *Missa coram Episcopo celebranda*; *Episc. regul.*; *Episcopus (assist. Divinis et Concioni)*; *Episcopus* (accesus ad Eccles.).

Satis esse, si Episcopus cappam induat in illa camera, in qua expectant Canonici pro illo excipiendo. n. 777 ad 4 die 20. Nov. 1628; n. 1567 ad 6 die 13. Sept. 1646.

Ad dubium: an *Episcopus Administrator*, dum vadit ad Cathedralem, debeat sumere cappam magnam in aedibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu Ecclesiae vel Presbyterii? S. C. resp.: Arbitrio Administratoris. n. 3952 ad 8 die 22. Aug. 1722.

b) Quando induitur?

In Matutinis tenebrarum Episcopus uti debet cappa, ut Caer. disponit in dictis diebus. n. 2381 ad 5 die 16. Sept. 1666.

Archiepiscopus Turritanus accedens ad Cathedr. in solemnitatibus ad effectum assistendi functionibus ecclesiasticis tenetur deferre cappam magnam. n. 3687 ad 5 die 26. Apr. 1704.

c) Quis induit?

Canonici et Dignitates Cathedr. Tranen. non tenentur imponere vel aptare cappam magnam Archiepiscopo Ecclesiam introeunti. n. 3746 die 17. Julii 1706.

Vd. *Canonici Cath.* (assist. Episcopo; induunt etc.).

5) Episcopi Suffrag.

Vd. *Suffraganeus* (accessus ad Eccles.; decr. n. 3491).

6) Monastica in processione.

Vd. *Processio SSmi. Regul.* (modus; decr. n. 4130).

CAPELLA.

1) Domestica.

(Erectio et benedictio.)

Vd. *Oratorium*; *Benedictio Oratorii etc.*; *Missa* (licentia celebr.). *Dedicatio Oratorii*; *Patronus Capellae*; *Credo in festis Titular. Capell. publicar.*; *Missa extra Ecclesiam celebranda*; *De loco Capellae* cf.: *Seminarium* (habitaculum); *Communio* (frequens).

Pius PP. VII.

Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Jamdiu ad Nos perlatum fuerat, complures presbyteros in Neapolitano praesertim Regno degentes, id sibi arrogare voluisse, ut Altare portatile, seu Oratorium privatum in aedibus suae habitationis erigerent, non ex aliquo speciali Apostolico Indulto sibi personaliter concesso, sed dumtaxat ex eo, quod nomen ipsi dederint Confrater-

nitati in Capella S. M. V. Campi Sancti de Urbe erectae, asserentes tale privilegium Confratribus hujus Confraternitatis, qui Praelati, aut Presbyteri essent, ac etiam Capellanis a rec. mem. Leone PP. X. Praedecessore Nostro concessum fuisse. Hoc quoque addunt, quod licet per successivam S. Conc. Trid. talia privilegia abrogantis adprobationem a memorato Leone factam idem privilegium abrogatum remanserit, hoc tamen revixisse dicunt ex eo tempore, quo rec. mem. Pius PP. IV. Praedecessor itidem Noster ut Confratres Ecclesiasticos ad Capellam praedictam frequentandam, et socialia pia opera ibi exercenda alacriores redderet, idem privilegium confirmavit. Quamquam vero patet nihil horum operum a praedictis Ecclesiasticis domicilium extra Urbem habentibus expleri minime posse, idem tamen privilegium sibi postulant, non alia de causa, nisi quia ipsorum nomina in Confratrum Catalogo fuerint adnotata, quasi id non solis iis, qui re ipsa Confratres essent, sed etiam pro aliis, qui a longe nomen dedissent, sit concessum. Quamobrem jure quidem optimo Fraternitates, et Discretiones Vestrae horum postulantibus obstiterunt, et obstant. Haec jamdiu, ut diximus, ad nos fuerant perlata, verum ob temporum iniquitatem, et superventam rerum omnium eversionem, abusum hujusmodi radicitus tollere nequivimus. Nunc autem, pace divinitus restituta, eo citius illum eruendam arbitramur, quo callidius nonnulli ad superandam vestram repugnantiam, per publica etiam scripta contenderunt, ut accepimus, abusum eumdem ex diuturniore Nostro silentio adprobatum remanere. Nos igitur dictorum Praedecessorum Literas Apostolicas desuper expeditas praesentibus pro insertis habentes, privilegium hujusmodi Altaris portatilis, seu Oratorii privati, licet pro Ecclesiasticis Confratribus tantum, non autem pro simplicibus Adscriptis concessum, et respective confirmatum. Auctoritate Apostolica, tenore praesentium abolemus, et abrogamus; et Oratoria privata (si quae ubique fuerint taliter erecta) supprimimus. Ne autem hic perantiquam Confraternitatem, in qua haud obscuri nominis Viri floruerunt, minoris facere videamur, neque Ecclesiasticorum Confratrum zelus quidquam ibi detrimenti capiat, imo potius augeatur, eisdem Ecclesiasticis, nempe Curiae Nostrae Romanae Praelatis, Presbyteris, et Capellanis nunc, et pro tempore existentibus, Confratribus ejusdem Confraternitatis (minime vero in eorum Catalogo simpliciter adscriptis) ut ipsi, postquam ex jurato suorum Guardianorum testimonio constare fecerint Dilecto Filio Nostro in Alma Urbe Vicario in Spiritualibus Generali, se per quinquennium, aut saltem per triennium Functionibus Socialibus juxta Confraternitatis Statuta fieri consuetis assidue adfuisse, in privato domus suae habitationis in eadem dumtaxat Urbe Nostra existente Oratorio ad hoc decenter muro exstructo, et ornato, seu exstruendo, et ornando ab omnibus domesticis usibus libero per ipsum Vicarium prius visitando, et approbando, ac de ejusdem Vicarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per se ipsos celebrare, seu per quemcumque Sacerdotem approbatum saecularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque Jurium Parochialium praejudicio, ac Paschatis Resurrectionis, et Pentecostes, ac Nativitatis D. N. J. Chr., aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua, consanguineorum, et affinium secum simul in eadem domo habitantium praesentia (ita ta-

men, ut hi consanguinei, et affines Missam hujusmodi dumtaxat audire, numquam vero celebrari facere valeant) celebrari facere libere, et licite possint, Auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus. Non obstantibus, quatenus opus sit, memoratis Leonis et Pii Praedecessorum Literis, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transsumptis, seu exemptis impressis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. mensis Aprilis MDCCCXVI. Pontificatus Nostri Anno Decimo septimo. n. 4548.

Pro Dom. Card. Braschio de Honestis
G. Bernius Substitutus.

Loco † Sigilli Annuli Piscatoris.

Ad dubium: Potestne Episcopus vel per se ipsum, vel per alium Sacerdotem benedicere Oratorium *Monialium* S. Augustini, quae, destituto earum Conventu, vitam degunt in quadam domo, ut possint Sacramenta Confessionis, et Sacrae Eucharistiae recipere, cum absque clausura vivant?

Et S. eadem R. C... respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „Negative, cum Oratoria privata numquam benedicantur ritu praescripto in Rituali Romano pro publicis Oratoriis.“

Atque ita statuit, et decrevit, die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 10.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Licet Episcopis, qua funguntur ordinaria auctoritate, publici Sacelli erectionem queant permittere, ut Sacrum in eo fiat, non ad alicujus privatae familiae commodum, sed et ad aliorum extraneorum utilitatem; ideo tale Sacellum, sive Oratorium, quod parva Ecclesia est, ostium apertum habere debet in viam publicam, ut cunctis pateat ingressus: intra vero privatae domus parietes, nemo, praeter Romanum Pontificem, indulgere potest, ut domestica Oratoria, ad ibi Sacrum faciendum, erigantur. In Dubio autem, quod proponitur, quamvis non sit clare expressum, praesumi tamen potest privilegium ab Apostolica Sede concessum, cum agitur de Sacello domestico, pro commoditate Monialium provisionaliter ibi sine clausurae lege commorantium. Posito autem, quod revera Apostolicum non desit Indultum, et legitime Oratorium fuerit erectum, cum privatum sit, solemniter benedicendum non est, nisi adhiberi velit Benedictio domus, vel loci, quae nullam solemnitatem habet, et fieri potest privatim a quolibet Sacerdote quocumque tempore. Etenim Rituale Romanum ritus, preces sacrasque caeremonias praescribit, tam pro minoribus Ecclesiis, quam pro parvis Oratoriis benedicendis; verum ibi agitur de Oratoriis publicis, quae cunctis patent, et in viam publicam habent apertum ostium; sed hujusmodi ritus trahi nequeunt ad Oratoria domestica. Non inficior Gatticum in Tractatu de Oratoriis domesticis cap. 12. in ea opinione versari, quod Oratoria ipsa domestica consueverint benedici, et consecrari, ante quam in iisdem Missae Sacrificium celebraretur. Sed id a jure, quo vivimus, alienum est, ac propterea idem Gatticus ibidem num. 20. benedicenda esse Oratoria domestica omnino negat. Videndus Baruffaldus ad Rituale Rom. tit. 72. num. 18. et 19. nec non Catalanus ad idem Rituale Rom. tit. 8. cap. 19. num. 10., ubi docet: „Oratoria in domibus privatis erecta, ut in iis Sacrificium Missae

celebretur, nequaquam benedici debere praescriptis in Rituali precibus pro Benedictione novae Ecclesiae. vel Oratorii publici; et ratio est, quia Oratoria illa non perpetuo Deo devoventur, sed pro libito illius, qui gaudet hujusmodi Indulto ab Apostolica Sede obtento, in alios usus converti solent, vel saltem post illius mortem Sacrificio inepta redduntur. Sed neque conveniens est, ut privatae domus Oratoria, passim illa praerogativa decorentur, quae praecipue pro publicis Oratoriis a Rituali praescripta est. Ut enim majores Ecclesiae a minoribus sive ab Oratoriis publicis circa ritum Dedicationis distinguuntur (nam illae, ut dictum est, Pontificali Consecratione indigent, ista vero Sacerdotali dumtaxat Benedictione) ita par esse videtur, ut privata Oratoria a publicis differant circa ritum Benedictionis, quae in Rituati solum pro novis Ecclesiis, publicisque Oratoriis assignatur. Caeterum docet laudatus Gatticus, satis esse, si Oratoria privatarum domorum, antequam Sacrificium Missae in iis celebretur, aqua benedicta aspergantur, et super illa recitetur communis ac generalis precum formula, quam pro nova benedicenda domo Rituale nostrum proponit.“ —

2) Episcopalis.

a) Missa.

Titularis Capellae (decr. n. 5215); *Oratorium.*

In Capella Palatii Episcopalis etiam absente vel vacante sede posse missam celebrari, potissimum vero per Vicarium, nec non diebus festis inibi Sacrum audientes implere praeceptum Ecclesiae. n. 2103 die Julii 1661; n. 2107 die 3. Julii 1661.

De consecrat. ss. Oleor. in capella Ep. vd.: *Coena Dom.* (olea s.).

Metropolitanus potest erigere in propria (Episcopi Suffr.) domo altare ad tempus. n. 2210 ad 3 die 17. Mart. 1663.

Metropolitanus non potest Episcopo, in civitate sua de ordine SSmi. commoranti et non valenti commorari in sua Dioecesi, prohibere Sacrum celebrare in propria domo. n. 3824 ad 3 die 22. Mart. 1710.

De Episcopis Titularibus.

Quum non una, eademque sit Auctorum omnino sententia, de privilegiis, quibus Episcopi, Titulares praesertim gaudent, relate ad Missae celebrationem, dum in propria, vel aliena Dioecesi peragrantur; ad quascunque eliminandas dubitationes, sequentia Dubia in Ordinario Conventu S. C. diei 22. Aug. labentis Emis. et Rmis. Patribus enucleanda proposita sunt, nimirum:

1. „Se un Vescovo Titolare possa, senza uno speciale Rescritto, eriggere l'Altare ovunque egli voglia, ancochè nella casa di sua abitazione esista già una Capella per uso dei suoi Parenti?“

2. „Se possa, altre la sua Messa, far celebrare altre Messe?“

3. „Se detta Messa, o Messe vagliano in adempimento del precetto anche a' suoi Parenti seco abitanti, ed alle persone non solo addette al suo servizio, ancorchè non necessarie nell' atto della Messe, ma anche di servizio di detti suoi Parenti seco abitanti?“

4. „Se posse celebrare, e far celecrare nei giorni soliti eccettuarsi nell' Apostolico Indulto?“

5. „Se nel caso, che i suoi Parenti, quali già godono dell' Oratorio privato, avessero fatta celebrare la Messa, possa il Vescovo far celebrare un' altra Messa, oltre la sua?“

S. eadem R. C., audito prius altero ex Caeremoniarum Apostolicarum Ma-

gistris, qui suam scripto sententiam pandidit, typisque evulgavit, referente Emo. et Rmo. D. Card. Matthaeio, loco Emi. et Rmi. D. Card. Julii Mariae de Somalia Praefecti, et Ponentis absentis, respondendum censuit:

Ad 1. „Affirmative. Verum consulendum Sanctissimo pro extensione privilegii, videlicet, quod Episcopi, in casibus a jure permissis, hospitantes domi vel Parentum, vel Extraneorum, qui gaudent Indulto Oratorii domestici, possint, et valeant in eodem celebrare, vel celebrare facere, loco, et vice Arae portatilis, quam tantum extra propriam Dioecesim indulget Bonifacius VIII. cap. *Quoniam Episcopi* De Privilegiis in 6., servata in reliquis forma Decreti S. M. Clementis XI., juxta tamen posteriores declarationes S. M. Innocentii XIII., et Concilii Romani sub Benedicto XIII., cap. 15. num. 3.“

Ad 2. „Negative; verum consulendum Sanctissimo pro extensione Privilegiorum quoad unicam Missam, quam, propria celebrata, Episcopi solent audire.“

Ad 3. „Affirmative quoad familiares dumtaxat eidem Episcopo actu necessarios; Negative quoad reliquos.“

Ad 4. „Affirmative.“

Ad 5. „Jam provisum in primo, atque secundo.“

Facta autem relatione de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. S. S. S. C. responsa adprobavit, confirmavit, et extensionem Privilegii, ut in responsione ad primum, et secundum ex propositis dubiis indulsit, contrariis non obstantibus. Die 25. ejusdem mensis et anni. „Quoniam per mox relatum Decretum provisum est Privilegio, quo gaudent Episcopi, adhibendi Aram viatoriam: non ingratum fore arbitratus sum, si hic adjicerem nuperrimam Encyclicam SSmi. D. N. Pii VII. P. M. ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates et Priores, jurisdictionem quasi Episcopalem in Italia, et adjacentibus insulis exercentes; qua tolluntur, et irritantur abusus circa Aram portatilem, sive Oratorium domesticum, quo gaudere praesumunt adscripti inter sodales Archiconfraternitatis S. Mariae de Campo Sancto Urbis.“ n. 4547 die 22. Aug. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Quod Episcopi residentes in propria Dioecesi possint in Episcopali Palatio Capellam stabilem erigere, in qua tam ipsi, quam alii Sacrum faciant, jura concedunt; et nemo est, qui de hujusmodi facultate excitet controversiam. Imo tales Capellae a publicis, ac ne vix quidem differunt, ideoque festivis diebus quotquot ibi Missae intersunt, satisfaciunt praecepto. Tale privilegium tam late extenditur, ut valeat, etiam si Ecclesia suo sit viduata Pastore, vel Episcopus absit. Nedum enim ita respondit S. C. in casu particulari, verum etiam per modum regulae edixit in generali Decreto die 2. Julii 1661: *In Capella Palatii Episcopalis, etiam absente (Episcopo), vel vacante Sede, posse Missam celebrari, potissimum vero per Vicarium, nec non in diebus festis inibi Sacrum audientes implere praeceptum Ecclesiae; sicque in casibus particularibus in posterum responderi mandavit.*

Verumtamen quaeri potest: num Episcopi vel de Residentia vel Titulares queant ubique locorum absque speciali Indulto habere Sacellum domesticum; vel hospitantes domi cum Parentum, tum Extraneorum, qui gaudent Oratorio privato, hoc uti valeant, ibique Missam celebrare, vel celebrari facere ultra Sacrum illis concessum, quibus privilegium datum est. Utrique quaestioni respondens *Andreuccius de Episcopo Titulari part. 5 cap. unic. a num. 249 ad plures sequen.* affir-

mativam tuetur sententiam, ubi diversa proponit sibi hac super re dubia suasque responsiones conformat sententiae, quam principio adoptaverat, videlicet, quod Episcopi Titulares *possunt in suo Palatio deputare locum stabilem, in quo indifferenter ab omnibus Missa celebretur;* ac plures pro se habere putat *Theologos et Canonistas.* Nec secus opinari videtur *cl. Gatticus de usu Altaris portatilis* cap. 12 privilegio innixus Episcopis a jure concesso, *ne ulla dies sine Sacrificio transeat,* veluti habetur in cap. *Quoniam Episcopi, de privilegiis* in 6 hanc tamen iis datam facultatem quosdam inter limites coërcet, concluditque non licere, aut Sacrum fieri sine Episcopi praesentia, aut plures celebrari Missas; quia, sicuti Indultum personale est, et non locale, utpote quod datum est in spirituale Episcopi commodum, nequit ampliari, et finis stricte attendi debet, quem Pontifex habet in concessione. Hinc Ara, quam in privata domo Episcopus componit, *ne ulla dies sine Sacrificio transeat*, nequit ullo modo confundi cum Sacra Episcopi Capella, quae ut publica reputatur.

Itaque repudianda est *Andreuccii* sententia; et *Gattici* opinio non sine aliqua distinctione amplectenda. Discrimine est opus, et distinqui debet Oratorium domesticum ab Ara portatili, seu viatoria. Si de illo res est, certum est, non licere Episcopis sine Apostolico privilegio privata in domo stabile, fixumque Oratorium erigere; etiamsi non aliorum commodum, sed pro sui dumtaxat usu erigatur; sed neque fas ei erit uti Oratorio domestico aliis concesso, nisi servatis conditionibus, et limitationibus in Brevi, seu Pontificio Rescripto expressis.

Id adeo verum est, ut Episcopi Solio Assistentes, qui longe majoribus privilegiis cumulantur, praeter illa, quae omnibus Episcopis communia sunt, nequeant in privatis eorum domibus Oratorium instruere, nisi ex speciali Indulto *Gregorii XV.*, qui tamen hujusmodi Oratoria subjicit visitationi Card. Vicarii in Urbe, et respectivi Ordinarii alibi; imo consuetas addit clausulas, et conditiones, et signanter illam celebrandi unicam Missam, vel ab alio Sacerdote celebratae interessendi: *dummodo in domo hujusmodi celebrandi alteri licentia concessa non fuerit;* quin ad satisfaciendum praecepto aliis haec Missa prosit, exceptis dumtaxat Familiaribus actuali servitio necessariis. Videnda Constitutio *Gregorii Papae XV. die 17. Aug. 1606.* in magno Bullario Mainardi *tom. V. part. V. num. LXXI.* §. *8.*

Verumtamen temporis successu, cum plures irrepsissent abusus, forte quia Episcopi etiam non Assistentes Oratorium domesticum simul confundentes cum Ara portatili, licere sibi arbitrantur Sacrum facere in quolibet privato Sacello, minime servatis conditionibus, et clausulis apponi solitis; *Clemens XI.* Apostolicae auctoritatis robur adjecit generali Decreto C. Concilii, jussitque: *In Oratoriis privatis non licere quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis etc. in reliquis vero diebus Sacerdotibus quibuscumque etiam Episcopis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quae Indulto conceditur, fuerit celebrata etc.* Etsi vero Episcopi nequeant in privatis domibus sine Apostolico Indulto Sacellum instruere, quod Oratorii domestici nomine venit, et teneantur se conformare legibus concessionis, si celebrare velint, vel Sacro adesse domi Laicorum, qui privilegio gaudent; non eis tamen interdictus est usus Arae portatilis in casibus a jure contemplatis ex dispositione *Bonifacii VIII.* relat. in cap. *Quoniam Episcopi, de privilegiis in 6.* Poterunt igitur in

casibus a jure permissis amovibilem Aram componere etiam apud Laicos, qui domestico gaudent Sacello, neque hoc privilegium per Conc. Trid. Decretum sublatum est, ut saepe declaravit S. C.; praesertim vero patet ex libro Decretorum 12. pag. 120, ubi legitur: *S. C. etc. censuit, Cardinales non solum, ac Episcopos sine ulla Episcopi Dioecesani licentia, uti posse privilegio Altaris portatilis ad praescriptum constitutionis fel. recordat. Bonifacii VIII., quae incipit:* „Quoniam Episcopi", *nec hujusmodi privilegium sublatum fuisse Concilii Decreto cap. unic. sess. 22.* Errant, qui putant a Clemente XI. Privilegium hoc sublatum fuisse Decreto emanato *15. Dec. 1703*, in quo legitur: *Episcopis, et his majoribus Praelatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore juris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus laicis, etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrare facere etc.*

Non enim sapientissimus Pontifex eo privilegio privatos voluit Episcopos, sed abusus eliminandos jussit, qui irrepserant in *Sanctarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam*, revocando usum Privilegii ad tramites juris, et ad casus, in quibus talis usus concessus est, adempta facultate illud perperam interpretandi, et extendendi pro lubitu ad casus omnes non contemplatos, sed arbitrarios. Talem esse sensum *Clementini Decreti* firmat Benedictus XIV. de Missae Sacrificio lib. 3. cap. 6. num. 6.: *Ratio, quae Pontificem ad illud condendum Decretum impulit, ea fuit, quod resciverat, nonneminem Episcoporum tam in sua, quam in aliena Dioecesi, domo sua egredi consuevisse, et ut primario cuipiam viro laico gratum faceret, qui non haberet privati Oratorii privilegium, ad illius domum se conferre, ibique vel ab aliquo Missam celebrare facere, aut etiam plures, si vir ille habuisset Oratorium privatum, ubi non nisi unicam Missam eadem die liceret celebrari.* Episcopi etiam in aliena Dioecesi extra domum propriae habitationis in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures e suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolari. *Idcirco opus fuit Decretum Clementis XI. declarari* etc. Id, quod factum fuit ab ejus Successoribus *Innocentio XIII.* in Constitutione *Apostolici Ministerii* legend. in dict Bullar. *tom. XI. par. II. num. XXXIV.* §. *24, et Benedicto XIII.* juxta Decretum, quod habetur in Concilio Romano *tit. XV. cap. 3. Declaramus tamen, quod cum in praedicto Decreto* (Clementis XI.) *statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis, in domibus laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sibi celebrare facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis vel itineris hospitio excipiantur, et nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae ordinariae habitationis moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio Altaris, ad effectum praedictae celebrationis.*

Ex his consequitur, quod Episcopus domi commorans laicorum, qui Indulto gaudent Oratorii privati, haud possit hoc uti ultra terminos concessionis; valeat tamen in casibus dumtaxat a jure permissis, vel clare expressis, vel

tacite contempla'is in sui commodum, Aram porta'ilem, seu viatoriam adhibere. Sed quoniam longo decentius videtur, Sacram Hostiam Deo offerre in fixo, ac stabili Altari, q iam in Ara portatili et mobili; idcirco S. C. sapienti consilio, postquam ad tramites Juris responderat primo ex propositis Dubiis *Affirmative*, addidit: *Verum SSmo. consulendum pro extensione privilegii, videlicet, quod Episcopi in casibus a jure permissis hospitantes domi, vel parentum, vel extraneorum, qui gaudent indulto Oratorii domestici, possint et valeant in eodem celebrare, vel celebrari facere loco, et vice Arae portatilis, quam tantum extra propriam Dioecesim iisdem indulget Bonifacius VIII. cap.* quoniam Episcopi, *de privilegiis in 6, servata in reliquis forma Decreti S. M. Clementis XI. juxta tamen posteriores declarationes S. M. Innocentii XIII., et Concilii Romani sub Benedicto XIII. cap. XV. num. III.*

Neque tamen quis credat privilegium *Bonifacii VIII.* adeo esse effraene, ut sine ulla omnino limitatione possit pro lubitu extendi ad casus non contemplatos a jure, vel ita posse ampliari, ut Missa ad formam ejusdem privilegii celebrata, prosit pro adimplemento praecepti omnibus interessentibus, et assistentibus. Talis non est sensus Decretalis; neque *Innocentius XIII. et Benedictus XIII.* declarando Decretum *Clementis XI.* a juris dispositione recesserunt. Quippe privilegium personale est atque ideo concessum, ne contingat aliquam praeteriri diem, in qua Episcopus non celebret, vel saltem Sacro non assistat: ergo datum est ad solius Episcopi commodum, et spirituale solatium. Id patet clarissime si spectetur cum causa, tum finis privilegii. Qua enim ratione motus *Bonifacius VIII.* indulsit Episcopis: *ut Altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, vel facere celebrare ubicumque.* Vide quod sequitur: *Quia Episcopi se debent diversis ex causis a suis Ecclesiis, et Dioecesibus absentare frequenter, nec semper possunt commode ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis.* En igitur causa: qui vero finis? *sine qua* (Missa scilicet) *eos transire non decet absque causa rationabili ullam diem.* Non est ergo privilegium tam late accipiendum, ut vel Episcopus sine ulla rationabili causa ubique locorum Aram erigere possit, vel Sacrificium in ea oblatum valeat pro omnibus interessentibus in adimplementum praecepti, vel plures Missas ibi celebrari liceat. Merito igitur *Clemens XI.* non id, quod erat jure dispositum, deletum voluit, sed licentiam cohibuit, et sensim inductos abusus ex mala legis interpretatione eliminavit, veluti deinde ab ejus Successoribus fuit declaratum.

Cum itaque S. C. rescriptum Pontificis auctoritate roboratum relationem habeat ad dispositionem juris, plane consequitur ampliationem indulti ad Oratoria domestica, et Altaria fixa favore Episcoporum hospitantium in aedibus laicorum, in quibus tale Sacellum ex speciali privilegio existit, non plus eis indulgere, praeter id, quod *Pontifex Bonifacius* concesserat; sed dumtaxat in casu facultatem transferre ab Ara viatica ad Altare fixum, ne contingat in una eademque domo, uno eodemque tempore Sacrum fieri in Altari fixo vigore particularis Indulti, aliam vero Missam celebrari in Ara mobili et viatica, vi alterius privilegii clausi in corpore juris. Atqui, attenta causa finali hujusmodi privilegii, Episcopo licet uti Ara viatica, ne ulla sit dies, in qua vel ipse non celebret, vel saltem Missae ab alio celebratae non assistat, jam quisque videt, planeque intelligit, ad unicam

Missam ia die contrahi novum indultum utendi Altari fixo, vice et loco Arae portatilis. Recte idcirco *Gatticus loc. cit. num. 14.* adversus *Pasqualinum* limitavit privilegium ad unicam Missam, quippe ait: *Quantum ad finem attinet concessionis unica tantum permittitur Missa, eamque proinde in singulari nominat Bonifacius, et distinctione facta illam celebrandi, vel audiendi.* Sed quoniam maxime decet, ut Episcopus, Sacro peracto alteri assistat, et hoc fere apud omnes positum in more est; idcirco S. C., ne Episcopi spirituali hoc solatio priventur, equidem dubio secundo respondit ad juris formam, sed simul addidit: *Consulendum SSmo. pro extensione privilegii ad alteram Missam, quam post Sacrum ab ipsis operatum Episcopi audire solent:* quia solius Pontificis est privilegia privilegiis addere.

Hinc alterum descendit, quod, quum privilegium stricte datum sit Episcopis, nequit extendi ad domesticos, et familiares, qui frui dumtaxat poterunt speciali indulto ipsis concesso, servatis clausulis, et conditionibus in eodem appositis. Contra vero hujus vigore Rescripti poterunt Episcopi in Ara fixa loco Arae portatilis celebrare, et celebrare facere in solemnioribus etiam diebus, in quibus alias non licet, quia *Bonifacius VIII.* nullam excipit diem, dummodo causa intercedat, cujus intuitu privilegium datum est. Eadem de causa vel Episcopus celebret, aut celebrare faciat vigore Indulti tam in diebus solemnioribus, vel aliis festivis de praecepto, Missa non prodesse declaratur, nisi familiaribus illis, qui actu sunt necessarii, quia, ut supra probatum est, privilegium clausum in corpore juris personale est favore Episcoporum, ne contingat ullum transire diem, quin Missam vel ipsi celebrent, vel celebrare faciant.

Hinc fit, ut vigore Indulti utendi Altari fixo, sive Oratorio domestico loco Arae viatoriae, de quo in responsionibus ad duo prima Dubia adprobata, et confirmata *a SSmo. D. N. Pio VII. P. M.*, poterit Episcopus Sacrum facere vel audire in Ara fixa, etiamsi in eadem alia celebrata, vel celebranda sit Missa illorum favore, quibus peculiare privilegium cum consuetis clausulis, conditionibus, ac limitationibus datum est. Cum enim haec duo privilegia distincta sint, diversisque personis concessa, non ita confundi debent, ut unum impedimentum alteri afferat.

Tarvisina.

Rmus. D. Sebastianus Soldati Episcopus Tarvisinus sequens Dubium humillime exponit, nempe:

An Episcopus gaudens, prout est de more, privilegio Altaris portatilis, licite possit, si forte aliquando sit morbo impeditus, jubere ut aliquis ex Sacerdotibus sibi benevisis super idem Altare portatile, decenter collocatum juxta cubiculum suum, Sacra peragat ad devotionis solatium? Et quatenus negative idem Episcopus enixe deprecatur pro hujusmodi Indulto valituro pro quocumque casu eventuro ad ejusdem Episcopi Oratoris vitam. Et S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subscripti Secretarii, respondendum censuit: „Affirmative ad primam partem: ad secundam non indigere.“ n. 4776. Die 12. Martii 1836.

Ad dubium: 1. An Sede Episcopali vacante in Episcopali Sacello quilibet Sacerdos Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare possit?

2. An id locum habeat etiam in casu praesenti, in quo Sacellum Episcopale Bosanen. assignatum est pro excipiendis ad Scholas accedentibus?

3. Et quatenus negative, Orator Indultum efflagitat, ut ibi in Dominicis saltem, Festisque de praecepto Sacrosanctum Missae Sacrificium celebretur, cui adstantes tam Magistri, quam discipuli satisfacere valeant praecepto adstandi Sacro?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Ad 1. et 2. „Affirmative.“

Ad 3. „Jam provisum in praecedentibus.“

Atque ita rescripsit. n. 5200. die 8. Aprilis 1854.

b) Ordinatio.

Vd. *Ordinatio* (Ecclesia; missa).

3) Publica.

Vd. *Titularis Capellae* (decr. n. 5215).

4) Superposito cubiculo.

Arboren.

Seminarii Arboren. Sacellum ita fuit ab initio aedificatum, ut superius haberet Cubiculum, in quo interna dispositio Seminarii ipsius in praesentiarum exigeret, ut aliquis de noctu etiam moraretur. Ast quum hodiernus Archiepiscopus probe noscat id ab Ecclesiasticis Sanctionibus omnino prohiberi; hinc S. R. C. supplex adivit Apostolicum exquirens Indultum. Emi. itaque ac Rmi. P. S. Ritibus tuendis praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita fideli relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt: „Detur Decretum in Lucien. diei 26. Apr. 1834. nimirum: petitum elargiti sunt Indultum, hac tamen adjecta lege, ut super Altare Baldachinum apponatur, et removeatur, si fieri potest, Custodia SSmi. Sacramenti, quatenus ibi asservetur.“ n. 4770. die 12. Mart. 1836.

Non licet habitare die noctuque et etiam dormire in domibus aedificatis super capellis, in quibus quotidie celebratur. S. R. C. 11. Maii 1641.

Vd. *Seminarium. Capella.*

CAPELLANI.

1) Absentia.

Vd. *Parochus* (absentia).

2) Assistentes Matrimon.

Vd. *Matrimon.*

3) In choro.

Vd. *Chorus*; *Officium.*

4) Confraternitatum.

Vd. *Capella domest.*; *Oratorium; Confraternit. Parochus* (celebr. et irig. in sua parochia)*; Sepultura; Stola in processionibus*; *stola in funeribus*; *Processio funebr.* (praeced.).

Ad quaest.: Utrum parochus seu moderator Confraternitatis cujusdam, sive legitime impeditus sive non, possit licite et valide sibi vicarium vel alium presbyterum quemcunque approb. subrogare ad recipiendos fideles confraternitati adscribendos? S. C. Ind. resp.: *Negative*, nisi in concessione facta ab habente auctoritatem delegandi expresso cautum sit, ut vicarius sive alius presbyter subrogari possit. Die 22. Aug. 1842.

5) Episcopi.

Vd. *Episcopus reg.* (Officium).

Capellani Episcopi, qui cum eo recitant Officium, debent se illi conformare. S. R. C. 11. Junii 1605.

6) Monialium.

Missa in Eccles. aliena (decr. n. 3588; 5195; 4154) *Missale* (quod?); *Officium* (obligat. ad quod?)

CAPUCEUM.

Episcopo Aquipendentis facultatem S. C. concessit cogendi etiam sub censuris et poenis, Regulares in pro-

cessionibus ad deferendum Capuceum et non pileum. n. 2288 die 30. Aug. 1664.

CAPUCCINI (Crux).

Fratres Capuccinos juxta Constitutionem *Gregorii XIII. „Exposcit Pastoralis"* in publicis processionibus crucem erigere et deferre posse. n. 556 die 21. Maii 1618.

Capuccinos cedere debere digniorem locum iis Regularibus, qui sub propria cruce et in proprio loco in processionibus incedebant, antequam ipsi crucem propriam deferrent. n. 570 die 23. Mart. 1619.

Erectionem crucis Capuccinis fuisse concessam in iis tantum locis, in quibus sub cruce Minorum Conventual. incedebant, quia alias id fortasse nunquam permisisset, ac propterea eosdem Capuccinos in locis, in quibus sub propria cruce seu in proprio loco sub cruce Cleri in processionibus ante hujusmodi concessionem incedebant, eundem locum retinere debere. n. 600 die 10. Julii 1621.

Vd. *Processio* (crux Regular.).

CAPUT.

1) Quando detegendum coram SSmo.?

Vd. *Biretum* (coram exp. SSmo.),

2) Quando cooperit Clerus?

Vd. *SS. Sacramentum*; *Reliquiae*; *Processio*; *Pileolum*; *Parrucca*; *Biretum*; *Tertia (quomodo se gerant Can.)*; *Instructio Clem.* §. XXXII. 7 etc.

Celebrans in missa sol., quando sedere debet, dum cantatur *Gloria* et *Credo* nudo capite se inclinare debet ad verba consueta, item procedere ad sedem et regredi ad altare aperto capite. n. 2776 ad 1 die 21. Mart. 1676.

3) Quando cooperiunt Laici?

Cf. Reliquiae; Pileum Laicor.; Vexillifer.

Magistratus missis sol. aliisque ecclesiasticis functionibus adstans non potest caput tegere et detegere prout facit Clerus, qui interest. n. 3230 ad 4 die 2. Sept. 1690.

Non licet Gubernatori civitatis Anagninae in assistentia Episcopo praestanda in missis aut vesperis galero cooperire caput, quoties Episcopus mitram assumit. n. 3453 die 25. Jan. 1698.

S. CAROLUS BORROMAEUS.

De ejus Translat. vd. *Dedicat. Eccles.* (Transl. decr. sub n. 3351).

Eestum s. Caroli in Provincia Mediolan. celebrari potest ritu dupl. S. R. C. 20. Nov. 1610.

CASSINENSES ABBATES.

Vd. *Usus Pontificalium* (praecipue decr. n. 5058); *Coelestini.*

Congregationis Cassinensium.

Procurator generalis Congregationis Cassinensium SSmo. humiliter supplicavit, dignaretur praecipere C. S. R., ut, quae Abbatibus Cassinensibus particulari Sedis Apostolicae indulto ex vetitis, et praeter expressa in Decreto novissime super usu Pontificalium edito, adhibere liceat, praevia discussione declararet. Sanctissimus autem Oratoris preces ad eamdem Congreg. transmisit, rescripsitque per Emum. D. Cardinalem Franciottum notulam dubiorum supplici libello subnexam in ipsa Congregatione referri, quae

Ad §. 4. „Decreti, quo prohibetur usus praeterquam unius Abaci, asserentibus Monachis hactenus ab immemorabili tempore eorum Abbates adhibere consuevisse secundum Abbacum ad pelvim, et urceolos exponendos, censuit: Servandum esse Decretum."

Ad §. 5., „quo tribus tantum diebus de praecepto etc. Pontificalis celebratio permittitur, exponentibus Mo-

nachis, taxativam hujusmodi non extendi ad usum Pontificalium sine Baldachino, ac propterea ex Indulto Alexandri II. sibi competere Pontificalium usum, tum in exequiis nobilium virorum: S. R. C. censuit: Hujusmodi privilegium tantummodo suffragari Monasterio Cavensi, nec ad alia Monasteria extendi."

Ad §. 6., „quo in accessu Abbatis Divina peracturi, et recessu ejusdem post Divina absoluta, prohibetur associatio more Episcoporum, affirmantibus Monachis se ab immemorabili tempore simili associatione usos esse, atque indecorum videri, ut Abbas pontificaliter peracturus Divina solus Ecclesiam petat; S. C. censuit: Annuendum esse petitis, modo non extra, sed intra septa Monasterii sese ad Ecclesiam conferat.

Ad §. 7., „quo taxatur numerus ministrorum, exponentibus Monachis, Abbates indigere ministris ad librum, et candelam, ad intortitia elevationis, et ad candelabra Evangelii, ad Mitram et Baculum S. C. censuit: Indulgendos fore alias quatuor ministros cotta indutos praeter expressos in Decreto."

Ad §. 8., „quo usus Mitrae pretiosae, et Baculi sine velo appenso vetitus est, asserentibus Monachis, Mitram pretiosam ipsis de jure competere, velum quoque nunquam eos consuevisse baculo appensum adhibere, nec esse de ritibus Romanae Ecclesiae, sed Ambrosianae tantum. S. C. censuit: Quoad Mitram servandam esse dispositionem cap.: *Ut Apostolicae* de Privileg. in 6; quoad Baculum vero servandum esse Decretum."

Ad §. 10., „quo prohibetur usus Pontificalium in aliena Ecclesia, licet exempta, quamvis Abbas ad ipsam fuerit invitatus; exponentibus Monachis, eos inibi Pontificalibus Insigniis hactenus usos esse, idque a jure ipsis permissnm praesumere S. C. censuit: Servandum esse Decretum."

Ad §. 11., „quo Sacras vestes ex Altari sumere Abbates privatim celebraturi prohibentur, asserentibus Monachis, se hactenus tali privilegio gavisos esse. S. C. censuit: Servandum esse Decretum."

Ad §. 13., „quo disponitur, ne Abbates extra Pontificalia pontificali more, ac trina Crucis productione, necnon privatim occurrenti Populo, tum pontificaliter induti, etiam per Ecclesiam incedentes benedicant; asserentibus Monachis, Abbates in Missis privatis hactenus Episcopali more benedixisse, et Pontificalibus praesertim indutos per Ecclesiam transeuntes occurrenti Populo benedictionem elargiri consuevisse. S. C. censuit: Servandum esse Decretum."

Ad §. 14., „quo in praesentia Episcopi Abbatibus denegatur facultas benedicendi solemniter etiam in Pontificalibus, asserentibus Monachis, ex privilegio ipsis, etiam praesente Episcopo, benedictiones hujusmodi competere. S. C. censuit: Servandum esse Decretum."

Ad §. 15., quo traditur ordo inferioribus Praelatis Divina pontificaliter peragendi, praesente Episcopo loci Ordinario, exponentibus Monachis, Episcopo vetitum reperiri ingressum in eorum Ecclesias, ipsis invitis. S. C. censuit: Servandum esse Decretum."

Ad §. 17., „quo usus Mitrae, et reliquorum Insignium Pontificalium, praeterquam tribus anni diebus, abrogatus est, suggerentibus Monachis, indecorum videri, ut in Ordinibus conferendis, in consecrationibus, et in receptionibus, et professione Monachorum, et Monialium, Abbates Mitram non adhibeant. S. R. C. censuit: Indulgendum fore, ut ea tantum utantur in actu Ordinationum et Benedictionum cum Sac. Oleo."

Ad §. 19., „quo velita est Abbatibus benedictio sacrae suppelectilis pro usu alienarum Ecclesiarum, asserentibus Monachis, pro aliena Ecclesia ex Apostolico indulto eis licitum esse Ecclesiasticam suppellectilem benedicere. S. C. mandavit: exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum, et interim abstineri. *)

Ad §. 21., „quo in Missis privatis prohibetur Abbatibus quivis ritus, et praerogativae ad Episcopos privative spectantes, exponentibus Monachis, Abbates Cassinenses hactenus in Missis privatis adhibuisse quatuor candelas, ministros ad lotionem manuum, ac duos assistentes cum cotta etc. S. C. censuit: Servandum esse Decretum. **)

Praesentisque Declarationis Decretum typis inprimi posse concessit. Die 12. Junii 1660. Praedictis autem SSmo. relatis, Sanctitas Sua ea approbavit, et Decretum editum die 27. Septembris 1659 omnino exequi, et servari mandavit. Verum quoad §. 5, 6, 7, 8 et 17 ad limites tantum praesentis declarationis, et non alias; salva quavis contraria, verbaliter tamen expressa dispositione privilegiorum particularibus Monasteriis Congregationis Cassinensium concessorum.“ n. 2056 die 20. Jul. 1660.

CASTRUM DOLORIS.

Vd. *Tumulus.*

CASULA.

Vd. *Planeta.*

S. CATALDUS.

Cum, prout assertum fuit, in Officio S. Cataldi Archiepiscopi, et Patroni Civitatis Tarentinae, adsit rubrica praecipiens, ut cujuscumque mensis die prima non impedita recitetur Officium dicti Sancti sub ritu simplici, et mense Martio celebretur ejus Festivitas cum Officio duplici, ac mense Maji Inventio ejusdem Sancti cum Officio duplici, et Octava: A Capitulo et Clero Cathedralis praefatae Civitatis humiliter supplicatum fuit declarari: An mensibus Martii et Maji praedictis dicta rubrica servanda sit, non obstante quod recitatum fuerit, vel recitandum erit praedictum Officium duplex?

Et S. R. C. respondit: „Negative.“ n. 3446. die 5. Oct. 1697.

CATALOGUS MISSARUM.

Vd. *Missa* (descriptio).

CATHEDRA.

1) Concionatoris (velum).

Vd. *Pulpitum*; *Ambo.*

Cum apud Sodales Congregationis titulo Christi Domini Spinis coronati, B. M. V. nostrae spei civitatis Hispalen. dubitatio occurrerit circa colorem veli, quo contegenda sit Cathedra, ex qua, occasione piarum exercitationum, quae ab eadem sodalitate agi assolent in Ecclesia, verbum Dei annuntiatur, num scilicet adhibendus sit color violaceus, ut praeteritis temporibus usu veniebat; vel color albus, ut sex abhinc annis, postquam scilicet eaedem piae exercitationes coram SSmo. Eucharistiae Sacramento peragi coeptum fuerat? ad quam dubitationem tollendam recursus habitus sit ad S. R. C.

S. eadem C., audita prius sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris scripto exarata, et etiam typis impressa, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Matthaei Ponentis, rescripsit prout infra, videlicet: „Utendum colore albo quoad exedron in SSmi. Sacramenti expositione.“ Et ita declaravit, et decrevit die 9. Apr. 1808. n. 4510.

*) Vd. *Abbas et Dignitat.* (decr. 4155 ad finem).

**) Vd. *Missa privata Abbat.*

2) Fpiscopi.

Vd. *Sedes Episcopi; Baldachinum.*

3) S. Petri ap. Antiochiae.

COLLEN.

Quum Rmus. Collen. Ep. S. R. C. exposuerit, quod in sua Cath. Officium S. Mart. Faustini, et Jovitae recitetur sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct., insimul addidit quod Officum Cathedrae S. Petri Antiochenae incidens ipsa die oct., assignatum fuit tamquam in sedem propriam die 25. Februarii. Interdum vero superveniente Quadrag., ac cessante Octava, quum dies 22. Februar. libera remaneat, non una est Cleri Collensis opinio circa assignationem hujus Officii Cathedrae Antiochensis; siquidem asserentibus aliis, quod de Cathedra Antiochensi fieri debeat cum universali Eccl. die 22., alii verius et rectius opinentur nec tunc removendum a designala die 25. Febr. Ad tollendum quocirca quamcunque dubitationem, et ambiguitatem idem Rmus. Collen. Antistes ipsius S. C. oraculum requisivit. Quae ad Quirinale in hodiernis Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem Secretarii, post diligens expositae controversiae examen rescribendum censuit: „In casu exposito dies 25. Febr. habenda est tamquam fixa Officio Cathedrae S. Petri Antiochenae, non obstante citata occurrentia.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 5124. die 22. Julii 1848.

CATHEDRALIS (Quae est?).

Vd. *Sedes Episcopi in Ecclesia extran.* (decr. n. 4720 *nota).*

CAUDA.

1) Dignitarii.

Non licuisse neque licere Canonico Praeposito Cathedral. Ravennae usum vestis talaris cum cauda ad instar Praelatorum romanae Curiae. n. 2642 die 17. Junii 1673; n. 2666 die 2. Dec. 1673 cum appendice: „neque licere etiam Archidiacono Ravennae.“

Juxta vero decret. n. 1673 die 13. Jan. 1674 manu tenendum esse praefatum *Archidiaconum* (Ravennae) in possessione deferendi caudam, non obstante decreto de die 2. Decemb. 1673.

Posse restitui, prout resituit, Praeposito Ravennae usum vestis caudatae, non obstante prohibitione S. C. . . . n. 2726 die 30. Mart. 1675.

Vd. *Canonici Cath.* (Insignia et habit. extra Ecclesiam et Dioeces. decr. n. 4902).

2) Episcopi.

a) Quo modo deferenda?

Ad dubium: an, dum Episcopus in missa pontificali, signanter dum recitat psalmum: *Judica me Deus etc.* et in aliis functionibus stat vel permanet genuflexus, ipsius Caudatarius debeat dimittere caudam cappae aut vestis Episcopalis, ut Assistens caeterique Canonici transire valeant ante ipsum caudatarium? S. C. resp.: Affirmative. n. 4235 ad 15 die 15. Sept. 1753.

b) Sublevatio Laicorum.

Magistratus Episcopo pontificaliter agenti non debet caudam seu vestis extremitatem sublevare. n. 4015 ad 3 die 9. Maii 1733.

3) Episcopi Suffraganei.

Suffraganeus occasione functionum sol. Episcopalium tenetur caudam *cappae* involutam sub brachio sinistro deferre. n. 3490 ad 3 die 6. Septbr. 1698.

Episcopus Suffragan. non potest sibi deferri facere caudam *vestis violaceae* una cum elevatione fimbriae anterioris

in plano pavimenti Ecclesiae. n. 3490 ad 4 die 6. Sept. 1698.

4) Gubernatoris.

Non licet Rectori seu Gubernatori laico civitatis Carpenctoraten. gestare caudam. n. 3539 die 21. Novemb. 1699.

CAUDATARIUS.

1) In choro.

Caudatarius Episcopi non debet lectiones et prophetias canere in choro, quando ibidem absque Almutio et cum solo pallio nigro persistit. n. 3551 ad 23. die 13. Mart. 1700.

2) Episcopi Administr.

Ad dubium: An Ep. Adm. Caudatarii opera uti possit saltem dum in s. Functionibus peragendis solutam habere debet longiorem talaris vestis fimbriam? Et S. eadem C.... respondendum censuit: „Affirmative in casu.“ Atque ita rescribendum rata est, ac ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 10 die 23. Sept. 1848.

3) Regalia.

Nihil de Capellis Cardinalium deberi Caudatariis seu Capellanis ipsorum. n. 870 die 20. Julii 1630.

4) Vestis.

Pro honore Collegii Caudatariorum (Cardinalium) SS. D. N. audita Congregationis sententia vestes sublanas violacei coloris Caudatariis concessit. n. 390 die 2. Aug. 1608. vd. *Cotta.*
Caudatarius Episcopi potest eidem inservire in choro in habitu Caudatarii. n. 3551 ad 17 die 13. Mart. 1700.

CELEBRANS.

1) In Ecclesia aliena.

Vd. *Missa (in Ecclesia aliena); Missa* (oblig. celebrandi).

2) Coram Episcopo.

Vd. *Reverentia erga Episcop.*; *Missa priv. et sol. cor. Episcopo*; *Episcopus assist. missae solemn.*

3) Absente vel imped. Episcopo.

Vd. *Dignitas.*

4) Fer IV. Cinerum.

Vd. *Cineres* (Benedicens etc.).

5) In Festo Purific. B. V. M.

Vd. *Purificatio B. V. M.*

6) Incensatio.

Vd. *Incensatio Cleri* (ductus); *Episcopus assist. missae sol.* (incensatio).

7) In Oratoriis.

Vd. *Oratorium*; *Parochus.*

8) In Parochia.

Vd. *Parochus.*

9) In Sabbatho s.

Vd. *Sabbat. sanct.* (celebrans).

CELEBRATIO MISSAE.

1) In altari vel Ecclesia certa.

Vd. *Missa* (in altari etc.); *Missa* (oblig. celebr.); *Missa* (descriptio).

2) Licentia.

Vd. *Missa* (licentia celebr.)

CERA.

(In Exequiis.)

Heres Defuncti pro funere ad suum libitum accipere potest quantitatem cerae. S. C. Ep. 5. Maii 1617.
Vd. *Candela in funerib.; Quarta funeralis.*
Licet haeredibus cadavera defunctorum ad tumulum associari facere intortitiis et candelis extinctis offerendis Confraternitatibus pro associatione SS. Sacramenti aut pauperum ad se-

pulturam, dummodo eorundem cereorum saltem duplum accensum deferatur; unde si ex extinctis deferuntur duo, ex accensis saltem debent esse quatuor. S. C. Ep. 14. Oct. 1598.

CEREUS.

1) Canonicor. Cathedr. et Colleg.

In processionibus Dignitates et Canonici Collegiatae iisdem uti valent cereis, quibus utuntur Dignitates et Canonici Cathedr. in casu. n. 4439 ad 11 sine dato (videtur esse 28. Julii 1789). cf. *Candela.*

2) Paschalis.

a) Accenditur.

Cereus Pasch. regulariter accenditur ad Missas et Vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, Sabbatho in Albis et in diebus dominicis usque ad festum Ascensionis D. N. J. Chr., quo die, cantato Evangelio, extinguitur ad Matutinum: et in aliis diebus et solemnitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accendetur, quae servanda esset, n. 351 ad 13 die 19. Maii 1607.

b) Benedictio (Modus. Quinque grana).

Cf. *Diaconus* (cant. Exultet); *Cereus pasch.* (nomen Episcopi).

Ad dubium: Utrum ferendus sit usus in Sabbatho Sancto infigendi quinque grana Incensi non quidem in Cereo Paschali, sed cerae cuidam albae Cruci ab eo separatae, atque hujus muneris obeundi per Chori Capellanum sive Sacerdotem, sive Diaconum a Diacono Praeconii seu Missae diversum? S. C. resp.: „Negative.“ n. 4672 ad 9 die 12. Nov. 1831.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Improbanda sane in usu, de quo est sermo, Rubricae infractio reperitur, et novitas in Ritibus pro hoc Officio praescriptis proprio lubitu inducta, quae nullo prorsus modo erat ferenda: atque ex hoc ipso nihil, ut quisque videt, advertendum occurrit, nec ratio nulla est adducenda ad usum praedictum eliminandum. Res enim ipsa per se apparet manifestissime, ac propterea nonnisi simplici negativa responsione poterat a S. C. dubio huic satisfieri. Quin igitur infractionem Rubricarum ac novitatem demonstrando immoremur, aliquid quoad Cereum advertamus. Ecclesia hoc die ad resurgentem Christum recipiendum se praeparat, et mox ipsum resurrecturum Fidelibus pariter annuntiat, et consecratione itaque Luminis Paschalis solemnitatis annuntiationem inchoat, quae verae lucis claritatem humano generi contulit. Quod ad Cereum spectat, Paschalis hic Cereus benedicitur in Sabbato Sancto, quia ex simplici sua natura absque benedictione non potest mysteria significare, quae per illum Ecclesia repraesentare intendit. Est haec benedictio non de constitutivis per quae immutato naturali rei alicujus statu sacrum quid efficitur, sed de simpliciter invocativis, quibus Dei benignitas invocatur, ut personis vel rebus aliquid boni tribuat: et licet per has benedictiones res nec statum suum naturalem non immutent, nec sacrum quid efficiantur, aliquid tamen religiosum in se continent, nec amplius prophanae possunt haberi. Constans autem ac perpetua fuit Ecclesiae disciplina, ut nulla re ad religiosum quemdam ritum publice uteretur, quin prius eam benedixerit, ut ex Thoma Massimio, Benedict. XIV. aliisque Auctoribus constat. Juxta Liturgicos Cereus hic columnam nubis et ignis, quae Hebraeos in deserto ambulantes praecedebat, significat, et hinc illa Praeconii verba, *sed jam columnae hujus prae-*

conia novimus, et vel Christum significat corporaliter prius extinctum, et postea resurgentem, sicut tunc Diaconus Cereum benedicens significat Evangelii praedicatorem, qui Christum, passione corporaliter extinctum, debet Laudum benedictionibus praedicando Resurrectionis Luminosa gratia reddere illustratum. Item Cereus Paschalis ex Ecclesiasticis Scriptoribus, quos refert Theophilus Raynaldus, institutus primo fuit ut symbolice esset imago Baptismi, ac propterea singulis qui baptizabantur parvus dabatur Cereus, et ideo dabatur ut illum asservarent, et suscepti Baptismatis memoriam identidem in se suscitarent.

Instituti deinde fuerunt Cerei *Agnus Dei*, ob Agni figuram, quae in illis inspicitur, nuncupati, ut essent pariter suscepti baptismi symbolum, et singulis recenter baptizatis, depositis in Sabbatho post Pascha vestibus albis, dabatur Cereus hic *Agnus Dei*, quia commodius hunc prae parvo etiam cereo gestare poterant. Hi autem *cerei Agnus Dei* illorum collo appendebantur, ne suscepti baptismatis memoriam una cum albis vestibus baptismatibus, quas deponebant, amitterent, sed hos prae oculis semper habentes et tantum beneficium per baptismales aquas receptum recolerent, et gratias Deo redderent, et receptam gratiam fideliter custodirent.

Olim dispertiebantur populo particulae Cerei Paschalis ad suffumigandum una cum thure pio ac religioso animo ad advertenda mala, bonaque postulanda. Est ea secundaria Cerei Paschalis institutionis caussa. Quemadmodum vero substituti fuerunt *cerei Agnus Dei* ad excitandam retinendamque baptismi memoriam in recenter baptizatis, et pro Cereo Paschali sive hujus particula parvi Cerei ipsis dabantur, ita et cerei *Agnus Dei* postmodum pro Cerei magni particula et pro parvis cereis populo distribui coeperunt, et praecipuo fini, qui fuit in illorum institutione, ut Deus illis utentibus mala averteret, ut bona conferret, secundarius successit, ut reliquis etiam fidelibus, praeter recenter baptizatos distribuerentur in octava Paschae, quemadmodum Cerei Paschalis particulae distribuebantur, ut liquet ex Ordir. Romano *tit: De benedictione Cerei*, ubi sic legitur: *In Octava vero Paschae dantur ipsi Agni (Cerei infra Civitatem Romanam) ab ipso Archidiacono in ipsa Ecclesia post Missam et Communionem, et ex eis faciunt incensum accendi ad suffumigandum in domibus suis pro quacumque tribulatione eis evenerit necessitas. Similiter et in forensibus civitatibus de Cereo Paschali faciunt.* Multa addi possent de cereis *Agnus Dei*, si res de qua hic praecipue agitur, postularet, sed haec sint obiter adnotata licet non inopportune, res enim ipsa haec pauca innuere deposcebat. Ne itaque finem nobis propositum praetergrediamur ad Paschalem Cereum redeamus. Cereus itaque nubis, ignisque columnam significat, qui Hebraeos in deserto itinerantes per diem noctemque praecedebat, et Christum à morte ad vitam gloriose resurgentem, ut Rupertus et cum eo Auctores Liturgici pene omnes, et ideo Cereus ipse prius extinctus apparet, et dum adhuc extinctus est, in eo quinque incensi grana infiguntur, quae quinque Christi plagas repraesentant; deinde accenditur post verba Praeconii: *Rutilans ignis accendit.* Item Cereus in significatione columnae ignis et nubis Hebraeos praecedentis illorum demonstrat defensionem a solis aestu, et illuminationem nocturno tempore: in significatione vero Christi nubis columna potest repraesentare Christum fideles a vitiorum aestu defendentem. Ignis vero Christum ipsum, qui fideles in hujus

saeculi nocte, ac in ignorantia et peccatorum tenebris sedentes illuminat. —

Ne quis autem putet, cum dicitur Cereum Paschalem nubis et ignis columnam significare, ita haec esse accipienda, ut Ecclesia id absolute recolat, quod Hebraico populo olim evenit, sed id tantum, quod illis quidem evenit, tamquam tamen in figura nostri omnia, quae illis eveniebant, *figura et umbra futurorum erant*, omnia enim in figura facta sunt nostri, *omnia in figura contingebant illis*, ut scribit Apostolus Paulus ad Corinth. ep. 1. v. 10., et alibi: *Vetera namque transierunt, facta sunt omnia nova.* Hinc Ecclesia suos non instituit ritus ad ritus hebraeorum ac gesta recolenda, sed in suis quibusdam mysteriis recolendis veterum hebraici populi ritum quandoque meminit, quae figura olim fuerunt eorum, quae postmodum adveniente temporum plenitudine erant eventura, et reapse evenerunt, et sic ostendit quomodo umbris et figuris lux et veritas respondeat. Ecclesia eadem, quae ritus et caeremonias instituit, non inepte, non inconsulto, non sine aliquo sapientissimo fine eos instituit, ut vellet Sacrorum Rituum perpetuus irrisor Vertus, qui cum Religione ritus etiam voluisset evertere, sed sapientissime eos instituit, et ut Sancto est Spiritu edocta, et directa, in illis mysteria quaedam includit, aut ad illa nos revocat, et quidquid in suis divinis Officiis recolit, quidquid celebrat, quidquid Fidelibus celebrandum offert ac proponit, ad spirituales intelligentias eos vocat, et per mysticas ipsas figuras ad mysterium aliquod contemplandum filios suos excitat, et quandoque in mysterio mysterium latet, ut observat S. Petrus Damianus, et ipsae res sensibiles tamquam humanae infirmitatis adjumenta ad spiritualia et coelestia cogitanda contemplandaque inducunt, ut ipsum Concilium Tridentinum loquitur Sess. 22 de Sacrificio Missae cap. 5: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, quaedam altiori pronuntiarentur instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus plura ex Apostolica traditione recepta, quo et majestas sacrificii commendaretur, et fidelium mentes per haec visibilia Religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Quod sensibilia signa quoad Sacrificium, quod mysticae figurae, quod aenigmata praestant, idem et in aliis Ecclesiasticis Officiis obtinent. Hinc nihil de illis, quae Ecclesia statuit, despiciendum est, nihil negligendum, licet parva, licet minima videantur, quae ipsa fidelibus repraesentant. Nam ut scribit citatus Petrus Damianus in lib. *Dominus vobiscum* inscripto: *Nonnulla in Ecclesiasticis observationibus fiunt, quae in superficie quidem frivola videntur et levia, considerata vero subtilius magnae virtutis videntur veritate subnixa*: In confirmatione hujus sententiae plurima deinde affert exempla: Huic consonat Alcuinus, cujus haec sunt verba in ep. ad Carolum Magnum: *Nihil sine caussa in Ecclesiasticis consuetudinibus a Doctoribus constitutum percipimus*; caussam vero, ob quam Ecclesia symbola Filiis suis proponit, reddit S. Jvo Carnotensis his verbis, quae habet in Sermone de Purificatione Sanctae Mariae Virginis: *Consuetudo Ecclesiastica multas ex rebus gestis retinet consuetudines, quibus et rerum gestarum repraesentat veritatem, et simplicium corda excitat ad pietatem, ut per ea, quae foris venerantur, ad internorum*

amorem rapiantur. Hinc est quod ad recordationem Dominicae passionis in Ecclesia Cruces erigimus, quod tempore Ascensionis vexilla triumphum Christi significantia in eminentiori loco Ecclesiae tamquam in arcu triumphali sublimamus.

Post haec quis umquam audeat Auctores reprehendere cum Paschalem Cereum significare dicunt columnam ignis et nubis? quis Ecclesiae ipsi contradicere, quae mysticae hujus columnae ut figurae quae olim de futuris praecessit, meminit in Praeconio? Solus Vertus, et qui cum eo aeque impie sentiunt, hoc auderent, et tantae essent capaces temeritatis, mysticas pariter figuras et aenygmata rejciendo.

In Cerei demum benedictione non semel sed saepius mentio fit noctis, licet de die haec benedictio peragatur. Id autem, ut nemo non ignorat, evenit, quia per anticipationem hoc Officium ab Ecclesia peragendum statutum est. Olim enim, quemadmodum plura alia Officia, noctu hoc quoque peragebatur, ut Ecclesia tempori se accomodaret quo Dominus resurrexit, in nocte scilicet, seu prope auroram. Et licet de die jam a multis saeculis hoc Ecclesia peragat Officium, noctis tamen mentionem facit in Praeconio, ut tum tempus indicet, quod verum horae resurrectionis Domini respondeat, tum ut veteris disciplinae vestigium aliquod eo, quo potest, modo retineat, et ejusdem disciplinae praebeat in ipso Officio testimonium.

De Obligatione benedictionis cerei paschalis vd. *Benedictio Ignis* (oblig.).

c) In benedictione fontis.

Vd. *Benedictio fontis.*

Ad dubium: Utrum servanda sit consuetudo deferendi praeter Cereum Paschalem duos alios parvos Cereos ex eo accensos in Supplicationibus, quae in Ecclesia Pisana fiunt, tum in Sabbatho Sancto ad obeundam Fontis baptismalis benedictionem, tum quotidie in octo dierum spatio ad eumdem Fontem? S. C. resp.: „Affirmative.“ n. 4672 ad 10 die 12. Novbr. 1831.

d) Extinguitur.

Ad dubium: Utrum in Ecclesiis Regni Lusitani, ubi in Ascensione Dom. Nona cantatur sol. post meridiem usque ad primam horam, absque Officii interpolatione, debeat cereus pasch. extingui post Evang. Missae sol. aut servari usque ad finem Nonae et tunc extinqui finita antiphona praeced. horae? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam, quia rubrica adamussim servari debet. n. 4414 ad 3 die 20. Dec. 1783.

e) Locus ad altare.

Cereus paschalis ponendus est super distincto candelabro in plano posito a cornu Evangelii. n. 5012 ad 2 die 14. Junii 1845.

f) Nomen Episcopi.

In benedictione Cerei Paschalis nomen Episcopi Dioecesani exprimendum est (Gav. p. I. tit. 8. n. 2 lit. N.) et non aliorum. n. 3208 ad 1 die 8. Apr. 1690.

g) Qui?

Ad dubium: an sit servanda consuetudo adhibendi in Sabb. s. parvum cereum pro praeconio ad majorem commoditatem Celebrantis, aliumque majorem alias benedictum accendendi in Dom. Resurr. ac toto tempore paschali; seu potius pro omnibus his functionibus adhibendus sit unus et idem cereus in toto vel saltem in parte in singulis annis renovandus et benedicendus? S. C. resg.: Servetur solitum. n. 4235 ad 9 die 15. Sept. 1753.

b) Quid est et quid significat?

Vd. *Cereus pasch.* (Bened. modus; decr. n. 4672 *nota*).

3) **Quando extinguendus in processione?**

Vd. *Process. SSmi. Regul.* (modus, decr. n. 4730).

CEROFERARII.

1) Ad Capitulum.

Vd. *Antiph.* (inton.; decr. 5141).

2) In missa.

Ceroferarii in Missa conventuali, quando decantatur Evangelium, cum cereis accensis assistere debent. n. 1597 ad 4 die 5. Sept. 1648.

Vd. *Thuriferarius* — quis?

3) In processione.

Vd. *Instructio Clem.* §. XX n. 1.

4) In Vesperis.

Vd. *Antiphona* (Intonatio, decr. n. 5111).

S. CHILIANUS M.

(Officium et Oratio.)

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: an festum s. Chiliani m. sit celebrandum cum sociis de communi plur. mm. vel sine sociis de comm. unius m.? *S. C.* resp.; Fiat Officium de comm. un. m. et dicetur oratio; *Infirmitatem.* n. 4044 (2do) ad 10 die 23. Julii 1736.

CHIROTECAE.

1) Dignitariorum et Canonicor.

Vd. *Annulus Canonicor. etc.* (decr. n. 4224); *Usus Pontifical.* (decr. n. 4585; 4593 ad 8; n. 4863).

2) Episcopi.

a) In benedictione cum SSmo.

Vd. *Bened. Episcopi cum SS. Sacramento* (decr. n. 5211 ad 4).

b) In Pontificalibus.

Episcopus non debet uti chirotecis, nisi in iis functionibus pontificalibus, in quibus eisdem Episcopi utuntur. n. 3551 ad 14 die 13. Mart. 1700.

CHORUS.

1) Absentia, Praesentia, Distributio.

Archidiaconum haberi pro praesente (in choro) dum assistit Episcopo tam in Ecclesia s. Venantii quam in quocunque alio loco, in quo ipse Prior interveniat, vel intervenire soleat una cum Capitulo Ecclesiae Cathedr. n. 372 ad 1 die 15. Mart. 1603.

Nullo modo posse Canonicos lucrari distributiones quotidianas, nisi quando aliquis Canonicus vel ex officio vel de expresso Episcopi mandato in casu necessitatis, Confessiones Poenitentium audiret, dum recitantur in choro horae canonicae, et hoc tantum casu excepto; qui tantum adsunt, dum oratio pro Matutinis et horis cantatur, non lucrari licite distributiones; quidquid hactenus in contrarium servatum fuerit, potius abusum esse quam consuetudinem. n. 388 die 14. Junii 1608.

Dignitates et Canonicos non lucrari distributiones quotidianas, nisi in in choro, processionibus, aliisque hujusmodi actibus *proprio habitu* Dignitatibus et Canonicis respective convenienti utantur. Si vero uti voluerint habitu Protonotarii, non posse participare de distributionibus quotidianis, tamquam extraneos reputandos esse, eisque locum assignandum non supra nec inter Canonicos sed post Abbates (Caerem. Lib. I. c. XIII. circa finem). n. 602 die 7. Aug. 1621.

Canonici non possunt exire de choro non expetita licentia ab Archidiacono. n. 3358 ad 5 die 7. Maji 1695; n. 3373 ad 3 die 17. Decbr. 1695.

Ad dubium: an debeantur distributiones Canonicis, qui tempore hor.

canon. exeunt proprio motu a choro ad celebrandam missam? S. C. resp.: Episcopus utatur jure suo juxta decreta tam in hoc quam in iis, quae respiciunt disciplinam chori. n. 3597 ad 9 die 10. Sept. 1701.

Canonicus Theologus tempore lectionis semper est dispensatus a servitio chori. n. 3597 ad 11 die 10. Sept. 1791.

Ad dubium: an Primicerii Ecclesiae Colleg. Aquae 'vivae abesse possint a choro, audiendi causa Monialium seu Saecularium confessiones et dirigendi Confraternitates vel ex quacunque alia causa? S. C. resp.: Affirmative pro diebus, quibus tenentur interesse Choro. n. 4004 ad 5 die 24. Nov. 1831.

Privationem distributionum pertinere ad Archiepiscopum (Metrop. Hydrunt.) n. 4358 ad 7 die 7. Dec. 1771.

Canonicos Examinatores non lucrari distributiones quotidianas, quia examen potest fieri hora commoda extra tempus, quo tenentur assistere in choro. n. 339 ad 2 die 7. Mart. 1607.

FLORENTINA.

Ad preces Rmi. Archiepiscopi Florentini expetentis Indultum, cujus vigore Canonicus suae Metropolitanae Joseph Chiecchini incumbens constructioni Processus Ordinarii Servae Dei Reginaldae Tosetti participare valent de distributionibus Choralibus, quamvis hac de causa Choro non intersit, S. C. rescripsit: „Non indigere, et detur Decretum in Neapolitana diei 23. Dec. 1827 quo declaratur: Dignitates et Canonicos ubique locorum existentes, qui construendis Processibus Ordinariis, vel Apostolicis operam dabunt, licet a Choro ea de causa absint, lucrari nedum quotidianas distributiones, verum etiam alias omnes quocumque jure, titulo et nomine, et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes. Hoc antem Indultum locum habere iis tantum diebus, quibus conficiendis et adornandis Inquisitionibus incumbunt.“ n. 4795 die 27. Aug. 1836.

2) Accessus.

Congregentur omnes Canonici in Sacristia et induti consueto habitu canonicali, incipiant progredi versus Chorum, ordine praescripto in Caeremoniali (Lib. II. c. VI.) n. 1427 ad 3 die 24. Jan. 1643.

3) Cantus.

Vd. *Nativit. D. N.* (Officii cantus; decr. n. 4582); *Laudes.*

Decere, ut Canonici voce non impediti, alte canant in choro, coadjuvantes alios, et posse Episcopum illos, maxime eos, qui in hoc culpabiles sunt, ad id faciendum hortari. n. 172. ad 4 die 23. Nov. 1602.

Quoad Vesperas et Officium satis esse, si Canonici illud recitent alta, clara, intelligibili et destinata voce. n. 278 die 27. Jan. 1606.

Canonici Lignin. petierunt declarari, ipsos non teneri ad recitationem Officii in cantu plano in festis sol., prout Episcopus mandavit. S. C. resp.: Canonicos in hoc debere parere Episcopo. n. 1689 die 22. Nov. 1653.

Episcopum debere adhaerere iis, qui Officia divina *canere* volunt, quod est favorabilius Ecclesiae; quoad festa vero per constitutionem urbanam sublata, Canonicos teneri ad eandem solemnitatem prorsus peragendam, quo ante constitutionem festa quorumvis Sanctorum recolebant. n. 1930 die 7. Sept. 1658.

Ad dubium: an omnes Horae canonicae sint cantandae singulis dominicis, festis aliisque diebus, quibus Officium sub ritu dupl. celebratur? S. C. resp.: *Servetur solitum.* n. 4235 ad 21 die 15. Sept. 1753.

Ad preces Capituli Cathedr. Derth.: ut in diebus ferialibus Vesperas persolvere liceat sine cantu;

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . . rescribi mandavit: „Negative.“

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. n. 4924 ad 3 die 22. Maji 1841.

Canonici, Beneficiati, Capellani ac caeteri Assistentes in choro abstineant in posterum a Confabulationibus in choro nec non a praepropera divini Officii recitatione. n. 4063 ad 1 die 3. Aug. 1737.

4) Egressus.

Canonici Collegiatae s. Joan. Neapolis a choro exeundo veniam petere debent Primicerio et Punctatori causam egressus notam facere. n. 3430 ad 4 die 22. Junii 1697; n. 3445 ad 1 die 5. Oct. 1697.

Licentiam discedendi a choro absente Episcopo esse exquirendum a Praefecto ejusdem chori. n. 4063 ad 1 die 3. Aug. 1737. n. 4358 ad 19 die 7. Dec. 1771.

Ea, quae pertinent ad facultatem concedendi licentiam a choro exeundi et ab eo abesse, cum alterius substitutione in servitio chori, ad Archipresbyterum spectare. n. 2869 ad 4 die 26. Nov. 1878. Capitulares de choro exire volentes ab Archidiacono prima Dignitate et eo absente, a digniore ordine successivo, veniam petere debere. n. 1622 ad 1 die 11. Mart. 1651. Facultatem impertiendi licentiam Capitularibus recedendi a choro, dum ibi Divina persolvuntur, spetcare ad Vicarium gener. absente Episcopo. n. 1667 die 10. Maii 1653. Incoepto Officio Capellanus de Massa non potest recedere de choro sine licentia majoris Canonici praesentis vel Chori Praefecti vel, quatenus nullus ex praedictis est in choro, absque licentia dignioris, etiam quod esset de Massa, et absoluto Officio expectare debet Canonicorum recessum et interim stare detecto capite. n. 3083 ad 5 (2do loco), 18. Dec. 1660 n. 3232 ad 5 die 29. Maji 1694.

Primicerius Ecclesiae Colleg. Neapolis a choro exeundo causam egressus Punctatori notam facere tenetur extra chorum. n. 3430 ad 3 die 22. Jun. 1697.

Ad dubium: an et ad quem spectet dare nutum inchoandi divina Officia in choro eaque terminandi nec non veniam concedere iis, qui a choro quavis ex causa egredi volunt? S. C. resp.: Spectare ad Decanum (Metropol. Rhegii). n. 4321 die 11. Febr. 1764.

5) Habitus.

Canonicos caeterosque divinis Officiis in choro assistentes, decenti habitu talari nec non superpelliceo ac bireto indutos esse debere et contrarium abusum omnino abrogandum. n. 3199 ad 2 die 30. Julii 1689.

Vd. *Sedes Dignitat. et Canon. in choro* (decr. n. 809); *Canonici* (Insignia etc.); *Canonici* (habitus in choro); *Chorus* (absentia etc. decr. n. 602).

6) Initium et finis.

Cf.: *Episcopus* (off. init.) *Officium.*

Archidiaconi munus esse signum dare pro inchoando Officio divino, et antequam signum detur pro discessu a choro, nulli de Capitulo exire licere. n. 1622 ad 3 die 11. Mart. 1651; n. 3332 ad 1 die 29. Maji 1694; n. 4358 ad 17 die 7. Decemb. 1771.

Vicarius non est expectandus post datum signum in choro. n. 2237 ad 3 die 4. Aug. 1663.

In festivitatibus minoribus absente Magistro Caeremon. spectat dare signum pro incipiendis Matutinis et Vesperis

ad Hebdomadarium. n. 2248 ad 3 die 4. Aug. 1663.

Dare signum in choro pro incipiendo Matutino et Vesperis spectare ad Hebdomadarium impedito Magistro Caeremoniarum, non autem ad primam Dignitatem. n. 2313 die 24. Januar. 1665.

Pulsato tertio signo pro vocandis Canonicis ad recitandum divinum Officium et non perventis Archipresbytero et alia Dignitate, non tenentur Canonici expectare. n. 3017 die 20. Mart. 1683.

Ad primam Dignitatem praesentem in choro spectare dare signum incipiendi et inchoandi divinum Officium et a choro exeundi, reliqua vero munia, ad regimen chori spectantia, ad Cantorem pertinere. n. 3288 die 30. Aug. 1692; n. 5209 ad 9 die 21. Junii 1855.

Primicerico Collegiatae Neapolis competit dare signum inchoationis et dimissionis Chori in Matutinis, horis, missis et vesperis. n. 3455 ad 1 die 25. Jan. 1698.

7) Initium singul. horarum.

Hebdomadarius in choro non potest intonare initium horae sequentis, priusquam Sacerdos evang. s. Joannis terminaverit. n. 4233 ad 8 die 14. Apr. 1752.

8) Laici a choro removendi sunt.

Vd. *Presbyterium.*

9) Locus recitandi Officium.

Sine licentia Episcopi Capitulum non potest in casu aliquo recitare divina Officia extra chorum in aliqua parte Ecclesiae. n. 3103 ad 5 die 23. Mart. 1685.

Vd. *Chorus* (Modus recitandi).

10) Missae privatae tempore chori.

Vd. *Missa privata Canonic. tempore chori.*

11) Modus recitandi Officium.

Vd. *Preces* (genufl.); *Antiphona B. V. M.*; *Lectiones* (modus etc.).

Apud Capitulum Cathedrale Civitatis Plebis pluribus abhinc annis usus invaluit omittendi recitationem Horarum Canonicarum, Sextae nimirum et Nonae voce Chorali post Missam Conventualem, easque recitandi submissa voce tempore ejusdem Missae varias ob causas: nimirum 1) quando Episcopus Pontificaliter celebrat, vel in Sede Pontificali Missae solemni adsistit: 2) quando protrahitur servitium Chori ob prolixiorem Missam, sive ob extraordinariam aliquam Functionem: 3) temporibus Adventus et Quadragesimae ratione Concionis. Quaeritur ergo:

1) An hujusmodi usus valeat continuari? et quatenus negative, quaeritur:

2) An valeat continuari de licentia Archidiaconi, seu (illo absente) de licentia antiquioris Canonici Praefecti Chori? et quatenus negative, quaeritur:

3) An saltem valeat continuari de licentia Episcopi?

Sacra autem Rituum Congregatio sub infrascripta die ad Vaticanum in Ordinario Coetu coadunata, omnibus mature perpensis, accurateque consideratis, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuit; „Negative in omnibus, nec satisfieri Chori obligationi per privatam recensitam recitationem Sextae et Nonae tempore Missae Conventualis. Die 16. Martii 1833.“ n. 4699.

12) Obligatio Canonicorum.

Cf.: *Psalmi gradual.*; *Officium def.*; *Coadjutor Canon.* (residentia, decr. n. 306). Chorus (tempus).

Ob nimiam aëris inclementiam hyemali praesertim tempore, et glacierum ac nivium incommoda quum difficilis

admodum reddatur accessus ad Cath. Boven. Ecclesiam, atque ob maximam loci humiditatem non parum valetudini obnoxia sit diutina in illa permansio, Rmus. hodiernus Episc. haec serio perpendens, ac insimul habito respectu ad tenuitatem Praebendarum, id sumpsit consilii, ut iterum Chori servitium ad Sextiarias reduceret, uti ante fieri consuevit, nam a Praedecessore immediato in Sede sua Episc. ad Tertiarias servitium ipsum adactum fuisse comperuit. Nulla interim interposita mora S. C. E. P. S. Conc. Trid. interpretum supplex adivit idem Boven. Episcopus, factique seriem exponens religiosissime, renovatae consuetudinis quoad Sextiarias veniam insimul, et confirmationem exposcens. Ast quum ex recensitis, et exhibitis allegationibus compertum fuerit, S. Apostolicam Sedem alias Decretis S. R. C. Cath. ejusdem Capitulo benigne indulsisse, ut post Vesperas anticipare posset Matutinum cum Laudibus insequentis diei, ac deinde ut semel tantum in die ad Ecclesiam accederent Capitulares Horis Can. Matutinis non minus quam Vespertinis, ac Missae Convent. satisfacturi sine interruptione, ad eamdem R. C. jam praeventam res omnis definienda, ordinandaque transmissa fuit. Emi. itaque ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi serio perpendentes in casu, de quo agitur, validissimas urgere rationes ad confirmandum Indultum a Rmo. Episcopo suae Cathedralis Capitulo concessum, ac insimul constabiliendam certam methodum a Capitularibus omnino servandam, quin essentialiter recederent ab iis, quae ab Antistite Oratore indigitantur, in Ordinario Coetu subsignata die coadunati apud S. Mariam supra Minervam loco Palatii Apostolici Quirinalis de mandato SSmi., infrascripto Secretario referente, statuerunt servitium Chorale a Capitulo Cath. Boven., ut hic adnotatur, in posterum servandum esse, nimirum:

I. A Mense Novembri ad integrum Mensem Aprilis servitium Chorale a Capitulo Cathedralis praestabitur per Sextiarias, adeo ut Capitulares teneantur, persoluta in Choro Hora Tertiae, assistere Missae Conventuali. In Quadragesima vero, et Vigiliis, in quibus duae Missae celebrandae veniunt, teneantur etiam persolvere in Choro tam Sextae quam Nonae Horas.

II. In Dominicis vero intra hos sex Menses occurrentibus teneantur integrum Officium in choro persolvere, ac sine interruptione Missam Conventualem celebrare, iterato ad Cathedralem accedentes hora consueta Vesperis cum Completorio satisfacturi.

III. In Festis autem solemnioribus, nimirum: omn. Sanctorum, Conceptionis B. M. V., Nativitatis, Circumcisionis, et Epiphaniae Domini, nec non Purificationis, Annuntiationis Deiparae, et in Festo S. Josephi Sponsi, integrum Capitulum teneatur ad Chorale servitium statis a Rubricis Horis a primis Vesperis incl. ad Completorium insequentis diei.

IV. Idem observandum, et omnino exequendum per integram majorem Hebdomadam, ac in die Paschatis, et duobus insequentibus Feriis.

V. In reliquis vero mensibus servitium Chorale praestabitur pariter per Sextiarias more consueto; verum in Dominicis et Festis tum I., tum II. cl., et per integram Octavam SSmi. Corporis Christi, singuli de Choro integrum servitium praestare cogantur statutis a Rubricis temporibus et horis.

VI. Tandem, ut omnis via praecludatur dissentionibus, quae forte oriri possent ex imminutione servitii tempore hyemali, nimirum per sex enunciatos menses, nec minima omnino fiat variatio quoad Praebendas et Puncta-

turas: satis enim obeunda tunc temporis incommoda supplent Choralis servitii imminutioni.

Atque ita rescripserunt, sanxerunt, ac quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus, in posterum strictim servandum esse mandarunt. n. 4816. Die 23. Septbr. 1837.

Quum Rmus. Cameracen. Ep. S. R. C. enixe rogavit, ut declarare dignaretur: Utrum Canonicis prout a tempore Concordatus 1801 in Galliis instituti sunt, incumbit obligatio non tantum assistendi in Choro celebrationi Divinarum Laudum, prout in respectivis Capitulis est instituta, sed etiam cantandi Horas Canonicas in Choro, ita ut Canonicus in Galliis assistens quidem in Choro, sed non decantans publicas preces canonicas peccet mortaliter, et teneatur ad restitutionem partis fructuum omissioni correspondentis? Emus. et Rmus. D. Cardinalis Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius, et S. eidem R. C. Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo. D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit: „Canonicum in casu juxta alias decreta obligationi non satisfacere.“ n. 4916 die 22. Maii 1841.

13) Obligatio Canonic. in festis abrogatis.

Oritan.

Dum s. m. Pius Papa VII. pro Regno utriusque Siciliae sub die 10. April. 1818 contraxit numerum Festorum sub utroque praecepto servandorum edixit, ut quoad Eccl. ritum, nimirum quoad Officia, Missas et Vigilias eadem Sanctorum et Solemnitatum Festa abrogata, ut antea servarentur, siquidem reductionis causa unica fuit exemptio Fidelium ab utroque praecepto servando. Verum quum interdum eadem abrogata Festa incidant in Dominicis per Annum privilegiatis, vel cum Festis mobilibus concurrant, ac proinde ex Rubricarum praescripto eorum Officia sint transferenda, non una est Cleri Oritani sententia circa Chorale servitium a Capitularibus praestandum, ac proinde S. R. C. sequens quaestio proposita fuit pro opportuna declaratione, nimirum: „An ob occurrentiam Dom. privil. vel alterius solemnitatis majoris ritus, vel dignitatis, translatis ad aliam diem Officiis Festorum abrogatorum, in die repositionis Clerus adigatur Choro interesse, sicut in diebus propriis, ut supra impeditis, queis reapse interest, quamvis ex alia causa?“ Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes in Ordinario Coetu hodierna die coadunata, audita a subscripto Secretario fideli relatione, ac singulis relationum momentis sedulo perpensis, declarandum censuit: Clerum ad iteratam Chori assistentiam ex solo titulo translationis Festorum abrogatorum nullatenus teneri, ac proinde rescripsit: „In die propria tantum.“ n. 5041. Die 23. Maji 1846.

14) Obligatio Presbyter. aliorum.

Sacerdotes, qui non sunt de gremio Capituli, nec ex certis vel incertis Cathedralis redditibus aliquid percipiunt, non posse cogi ad assistendum diebus festis omnibus horis canonicis. n. 1550 die 13. Jan. 1646.

Sacerdotem, qui non est de gremio Capituli, neque percipit fructus ex Cathedr. Ecclesia, ut assistat ecclesiasticis functionibus, hortandum, non autem cogendum esse. n. 1568 die 13. Sept. 1646.

Ad dubium: an parochi civitatis Terentini possint cogi ad deferendam Ecclesiam propriam praesertim in solemnibus et ad interessendum choro Cathedr.? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2222 ad 1 die 16. Junii 1663.

Sacerdotes simplices non participantes de Massa capitulari Collegiatae Martinae Dioeces. Tarent. non posse per Ordinarium cogi ad interessendum in choro cum cotta diebus festivis. n. 2929 die 7. Dec. 1680.

15) Ordo sedendi.

a) Canonicorum.

Vd. *Canonici Cathedr.* (praeced. inter sese).

b) Sacerdotum inferior.

Vd. *Sessio; Sedes.*

16) Ornatus.

Romana.

In Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis hodierna die ad Quirinale habitis, per infrascriptum Secretarium proposito pro opportuna solutione sequenti Dubio, nimirum: Utrum Canonici sacris induti Vestibus adhibere possint Chorum paratum vulgo *di damasco, seta, o velluto,* dum solemniter Sacra peragit Episcopus in sua Dioecesi, vel Cardinalis Titularis in propria Ecclesia? Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature diligenterque examinata, rescribendum censuerunt: „In Choro stabili non licere.“ n. 4734. Die 6. Septembris 1834.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Ex ipso Caeremoniali Episcoporum eruitur jure datam a S. R. C. responsionem fuisse. Sane ea quae ornari vel possunt vel debent clare Caeremoniale indigitat vel praecipit, si de Choro silet, hoc ipsum silentium demonstrat omnem ornatum ab eo excludere voluisse. Verba quidem facit de ornatu Cathedrae vel Sedis Episcopalis, quomodo scilicet sit ornanda toto anni decursu, quomodo diebus solemnioribus, quomodo in Matutinis Tenebrarum et in Missis defunctorum. Item loquitur Caeremoniale de ornatu Sedium pro nobilibus atque illustribus viris, pro magistratibus ac principibus, easque dum juxta Sacrorum Canonum praescripta laudabiliaque antiquae disciplina documenta inde ab exordiis Christianae Religionis introductae ac longo tempore observatae, praecipit eas extra chorum esse collocandas, easdem pariter plus minusve pro cujusque dignitate et gradu ornandas esse praescribit, nullum autem verbum quod Chori ornatum respiciat. Jam cur tam accurate Caeremoniale de his sedibus earumque loco et ornatu agit, nihil vero de ornando Choro habet, et altum de hoc silentium servat? Certe quia Chorum nullimodo ornandum esse putavit, atque licet expresse non prohibeat, tacite tamen omnem ornatum Chori improbare dicendum est: et fortasse per eam quae intercedere debet differentiam inter Cathedram Episcopalem et Canonicorum aliorumque subsellia. At animadvertet fortasse aliquis: a S. Congregatione hi Chori fixi dicuntur, et ab his ornatus excluditur. An dantur Chori, qui possunt ornari? Dantur utique, et per eam differentiam, quae est inter hos et Choros fixos, possunt, ne dicam debent, quandoque necessario ornari. Sane evenit non semel ut Officia non in praecipuo, sed in alio aliquo peragantur Altari, in quo Chorus non adest; tunc necesse est ut scamna portatilia in eo ponantur, et cum his Chorus efformetur, haec autem cum persaepe viliori sint ex materia, et ut plurimum ex rudi ligno, si ornatu careant, indecora prorsus videntur, nec majestati sacrarum actionum respondent. Ut igitur omnis deformitas videtur, et decus omne in divinis celebrandis Officiis servetur, haec scamna, quibus hoc in casu constat Chorus, ornar

possunt, immo et debent, et Sacra Congregatio tacite in his ornatum permittit per ipsam enunciationem in responsione positam nempe: *Chori fixi;* a quo ornatum excludit. Et magna est differentia inter Choros fixos et scamna portatilia, in qua sita diversa ratio est vel ornandi, vel non. Scamna enim haec cum sint minus decora, ornanda sunt ob decentiam, quae debetur divinis rebus et Ecclesiae.

Quae ratio haud quidem Choris fixis potest aptari: sunt enim semper ex pretiosa materia eleganter elaborati, et nonnulli tales sunt, ut de his dici possit materiam ab opere superari, quo in casu eos ornare idem fere esset ac aurum argento oblinire, vel plumbo aut stamno pretiosum aliquod metallum obtegere. Nullam proinde vim haberet ratio, quae deduci posset a scamnis portatilibus, quae ornari possunt ad Choros fixos ornandos, quod a S. Congregatione denegatum est.

17) Reverentia Cleri invicem.

Vd. *Benedictio in Matutinis*; *Reverentia*; *Vicar. gen.* (reverentia); *Magistratus* (reverentia).

Capellani de Massa tenentur assurgere et stare detecto capite, quando Canonici chorum ingrediuntur, Concapellanis vero ex urbanitate possunt. n. 2083 ad 7 (2do loco) die 18. Dec. 1660.

Ad relationem, quod Episcopus Trivent. in Synodo decrevisset, ut omnes Presbyteri, etiam Capitulares choro adstantes, in egressu Canonici in ipso choro, assurgere debeant; utque ipsi Canonici viceversa in egressu presbyteri quamvis Capitularis, solum biretum levare debeant. S. C. resp.: *Pareant decreto.* n. 2234 die 16. Jun. 1663.

Reverentia ab his, qui a choro discedunt celebrandi causa vel alterius necessitatis primae Dignitati in choro existenti exhibenda est. n. 2813 ad 2 die 13. Feb. 1687.

Inferiores Canonicis non tenentur surgere Canonicis ingredientidus chorum. n. 3535 ad 2 die 3. Octobris 1699.

Januen.

In insigni Collegiata Ecclesia S. Mariae de Remedio Civitatis Januensis a sua prima institutione extat consuetudo reverentiam praemittendi Praefecto Chori ad initium Psalmodiae, id est ad ingressum, ad initium Primae de mane, et ad quascunque Horas quum interponitur aliqua Missa, et post Missam Feriae in Quadragesima. De sero autem in principio Chori, post Completorium, annunciando *Pater noster* Matutino, et antequam inchoetur *Domine labia mea aperies.* Quam vero in praesentiarum Mansionarii, et Capellani renuant sequi in parte tantum hanc consuetudinem omittendo reverentiam ante Horas, post Missam, ad Vesperas itidem, et ad *Domine labia mea etc.*, Abbas hodiernus enunciatae Ecclesiae, illiusque Canonici S. R. C. humillimis precibus adivere efflagitantes, an servari debeat antiqua consuetudo, et etiam dum tempore Quadragesimae de sero Completorium dat initium s. Psalmodiae? Quae in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, re attente considerata, ad relationem subscripti Pro-Secretarii respondendum censuit: „Laudabilem consuetudinem in omnibus esse servandam.“ n. 5172. Die 25. Sept. 1852.

Ad dubium: In mortuorum Officiis, in Matutinis Tenebrarum, per integram Feriam VI. in Parasceve ac Sabbatho S. usque ad Missam Solemnem exclusive, si quis superveniat vel egrediatur, Officio jam inchoato, teneturne alios de Choro circumstantes salutare? Silent de hac re Caeremoniale Episco-

porum et Rubricae? Rescriptum prodiit:

„Servandas peculiares locorum consuetudines."

Atque ita rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. n. 5208 ad 15. die 12. Aug. 1854.

18) Reverentia Episcopi.

Ad dubium: an quando Dignitas seu Canonicus hebdomad., postquam celebraverit, ad chorum regrediens, Praelatus existens in choro surgere debeat vel caput detegere eo tunc, quod hebdomadarius reverentiam exhibet? S. C. resp.: Negative et sufficit quod Episcopus producat signum crucis super eum. n. 3551 ad 24 die 13. Mart. 1700.

Vd. *Reverentia erga Episc.*

19) Quando standum?

Cf.: *Antiphonae* (intonatio etc.).

Non est de usu Ecclesiae rom. surgendi in recitatione cujuslibet psalmi ad Laudes et in Vesperis et in iecitatione Completorii, prout neque rn Antiphona tam ante quam post Magnificat. n. 2342 ad 15 die 31. (Julii) 1665.

Praepositus debet surgere, quando unus ex Canonicis cantat in choro antiphonam sibi delatam a chorista, adstantibus aliis Canonicis. n. 3508 ad 3 die 21. Mart. 1699.

20) Tempus.

Vd. *Missa convent.* (tempus, decr. n. 4086); *Nativitas D. N.* (Off.); *Tabella pro funct. etc.*

SSmo. D. N. Pio VII. P. M. exposuit Rmus. Episcopus Boven. suae Cathedralis Capitulum et Clerum haudquaquam posse absque valetudinis detrimento, statis horis hyemali tempore Ecclesiam illam in montanis positam, et humiditatibus ac frigore inclementer obnoxiam petere Sacris interfuturum et Divina persoluturum; propterea que petiit humiliter, ut antedictis Capitulo et Clero facultas fieret, in posterum ea tempestate semel in die, et opportuniori hora ad eamdem accedere Horarum Canonicarum onus adimplendi causa, Missaeque conventualis celebrationem. Et S. S., attentis expositis, ac veris existentibus narratis, infrascripto S. R. C. Assessore referente, Rmi. Episcopi precibus annuendo, benigne indulsit, ut Canonici aliique Sacerdotes et Clerici Cathedralis Boven. servitio addicti, possint et valeant hyemali tempore, nimirum post Festum Sanctorum omnium, usque ad majorem Hebdomadam exclusive, semel in die ad eamdem Ecclesiam accedere, ibique tam Matutinas, quam Vespertinas Horas, nec non conventualem Missam, sine interruptione, persolvere, ita tamen ut Completorio post Meridiem finis imponatur. Diebus vero Dominicis, Festivis, et magnae solemnitatis, statis horis de more Divinis in Choro vacandum fore decrevit. Quibuscumque in contrarium non obstantibus, die 11. Julii 1820.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Etsi jure cautum sit, ut Horae canonicae statis horis in Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis persolvantur: nihilominus nonnullae quandoque concurrunt circumstantiae, quae plane suadent, aliquid remittendum, aliquid esse indulgendum. Id accidit in casu proposito, quum Cathedralis Ecclesia in montanis sita sit, aedes Canonicorum, aliorumque inservientium longe distent, difficilis sit accessus hyemali tempore ob aëris inclementiam et viarum difficultatem. Hisce incommodis occurrere volens Sacratissimus Princeps, ita legis rigorem temperavit, ut Ecclesia debito non fraudaretur servitio, et personarum incolumitate provisum foret.

S. Marci et Bisianen.

Reverend. Domine uti Frater.

Accepta a S. R C. Amplitudinis Tuae Informatione, et Voto, quae juxta illius voluntatem dederas septimo Cal. Maj. vertentis Anni super supplici Libello, Dubiisque in propositis a Sacerdote Vincentio Campagna Canonico Theologi istius Cath. Ecclesiae S. Marci, super iisdem de more actum est in Ordinariis ejusdem S. C. Comitiis ad Vaticanas Aedes subsignata die coadunatis. Ex omnium allegatorum examine, vel ex iis etiam, quae peracta sunt apud S. C. Patrum Conc. Trid. Interpretum contra lividos recursus supradicti Canonici, Emi. P. ad rem omnem conciliandam satius duxerunt duplici forma rescribere Canonico nimirum: ut ad Amplitudinem Tuam recursum haberet super expositis, et ipsi Amplitudini Tuae scriberetur juxta Mentem. Prudenti hujusmodi consilio via intercluditur Canonici Campagna livori, ac odio contra primam ejusdem Capituli Dignitatem, et Episcopalis Dignitas, et auctoritas sarta tectaque relinquitur, dum nullum recipit super Dubium directum responsum, et lex illi impungitur ad Ordinarium conveniendi, ut res componi queat atque ad debitum ordinem, quatenus opus fuerit, revocari. Mens itaque hujus S. C. est, ut Amplitudo Tua pro sui muneris parte omnem sollicitudinem, curamque omnem impendat, ut in S. Marci Capitulo debitus quoad Chorum servetur ordo, et si qui abusus forsan irrepserint de medio tollantur. Hujus generis procul dubio esset et a pluribus Decretis jam interdicta consuetudo recitandi Sextam et Nonam dum per Cantores ex Organo expletur decantatio Missae, quae aliquando, ne tardior protraheretur hora Chori post meridiem, effecta est a Canonicis et Mansionariis in Choro posito post Altare majus, siquidem omnis obligatio Chori successive semper, et non simultanee est adimplenda, et juxta praecitata Decreta neque Amplitudo Tua amplius hoc permittat, omnemque facultatem super Praefecto Chori adimat, adeo ut in posterum nullimodo, nulloque in casu initium habeat recitatio Horarum Sextae et Nonae in Choro, nisi perfecte expleta solemni Missa. Nec dissimili modo ad observantiam revocanda est debita praesentia in Choro omnium inservientium, praesertim in Anniversariis celebrandis, quae idcirco dicuntur inter praesentes, super quo certe opus non est insinuare oneratam Amplitudinis Tuae conscientiam remansuram, si secus fieret, omnemque adhibendam esse diligentiam, ut res in aperto ponatur, nec ulli quaerelae locus relinquatur. Emorum denique Patrum in voto fuit Amplitudini Tuae opportunum praebere consilium, ut quoniam novum omnino est ponere in Choro vas prunarum hyemali tempore, quod certe assertis incommodis locum praebere aliquando poterit, satius esse ut removeatur a Choro, et juxta omnium morem Ecclesiarum ponatur in Sacrario, ad quod pro opportunitate accedere potuerunt omni secluso scandalo ii, qui vel per aetatem, vel non firmam valetudinem his opus habent. Summa religio, pietas, ac Ampltudinis Tuae sollicitudo peculiaris ad decorem DomusDei procurandum, promovendumque, S. C. in spem erigant, ut si quis forte abusus super adsertis irrepserit Cath. in Ecclesia S. Marci, ille quantocius de medio tollatur. Et Amplitudo Tua diu felix, et incolumis vivat. n. 4835. Die 19. Maji 1838.

Rmo. Domino uti Fratri Episcopo S. Marci et Bisianen.

Ad petitionem Capituli Cath. Derthan.: Ut a Festo omnium Sanctorum ad Pascha usque Resurrectionis incl.

anticipare queant in Choro post Vesperas et Completorium Matutinum cum Laudibus insequentis diei. —

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen.... rescribi mandavit: Pro gratia, a Festo tamen omnium Sanctorum usque ad Pascha Resurrectionis excl.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4924 ad 1 die 22. Maji 1841.

Canonicos Examinatores non lucrari distributiones quotidianas, quia examen potest fieri hora commoda extra tempus, quo tenentur assistere in choro. n. 339 ad 2 die 7. Mart. 1607.

CHRISMA.

a) In Baptismo.

Vd. *Baptismus* (oleum).

b) In Benedictione.

Vd. *Benedictio* (chrisma).

S. CHRYSOLOGUS.

Vd. *S. Petrus Chrysologus.*

S. CHRYSOSTOMUS.

Vd. *Cognomina.*

CIBORIUN.

Vd. *Pyxis.*

CINERES.

(Fer IV. Cinerum.)

1) Benedicens et Missam celebrans.

Vd. *Purificatio B. V. M.*; *Campana.*

Missam solemnem in fer. IV. celebrari debere per distribuentem Cineres. n. 1131 die 26. Mart. 1639.

Episcopum posse cogere per censuras, ut, qui benedicit cineres, candelas etc., prosequatur etiam Missam. n. 1663 die 22. Mart. 1653.

Benedictionem cinerum fer. IV. cinerum, candelarum et palmarum spectare ad primam Dignitatem, modo Officium prosequi et missam canere velit; alias ad hebdomadarium pertinere. n. 1977 ad 1 die 29. Martii 1659.

Benedictionem candelarum, cinerum etc. spectare ad Praepositum Collegiatae, quatenus celebret, sin minus ad Celebrantem. n. 2204 die 17. Mart. 1663.

Absente vel impedito Episcopo jus celebrandi missam spectare ad illum, qui facit benedictionem palmarum, cinerum et candelarum. n. 2299 die 22. Nov. 1644.

Servari potest consuetudo (Cathedralis Conimbricen.), ut fer. IV. Cinerum Canonicus turnarius impedito vel nolente Episcopo, cinerum benedictionem peragat et missam cantet. n. 4233 ad die 14. Apr. 1752.

Ille idem, qui benedixit Cineres ... debet etiam missam cantare sequentem. S. R. C. 26. Feb. 1628; 12. Apr. 1640.

2) Benedictionis tempus.

Ad dubium: an benedictio publica s. Cinerum prima die Quadrag. facienda sit post Tertiam? S. C. resp.: Servandas esse rubricas. n. 3575 ad 4 die 24. Jan. 1701.

Benedictio publica s. Cinerum facienda in fer. IV. post Dom. Quinquag. non potest fieri post Tertiam sed post Nonam. n. 4136 ad 4 die 19. Jan. 1743. Cf. *Missa conv.* (tempus).

3) Bened. cor. expos. SSmo.

Vd. *Bened. Palmar.* (cor. expos. SSmo.).

4) Dies.

Fer. IV. Cinerum cadens infra octavam — vd.: *Preces* (decr. n. 4044); *Fest. ss. Cord. Jesu* (com. hujus festi; decr. n. 4604).

Non transf. potest Officium in fer. IV. ciner. Vd.: *Ibid. (decr. 4604); Dies cinerum. Dies octavae.*

5) Distributio.

a) Finita Missa.

Ad dubium: Utrum Sacerdos in Missa privata Sacris indutus Paramentis possit Cineres distribuere, et Sanctorum Reliquias deosculandas praebere, uti mos est in Veronesi Dioecesi, expleta Missa?

Et quatenus affirmative: an possit sibimet Cineres prius imponere genuflexus coram Altare nihil dicens? S. C. resp.: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam." n. 4707 ad 5 die 16. Mart. 1833.

b) Ordo Cleri.

Ad dubium: an simplices sacerdotes assistentes Canonico solemniter celebranti in officio Diaconi et Subdiaconi debeant praecedere Dignitatibus et Canonicis in functionibus accipiendi palmas, cineres et candelas? S. C. resp.: Standum esse Caeremoniali Lib. II. c. XVII. n. 2. n. 2240 die 4. Aug. 1663.

c) Ordo Laicorum.

Servandum esse Caeremoniale Episcoporum in distribuendis cineribus, candelis et palmis Consulibus et Magistratibus Plebis prope Centum Bonon. Dioecesis. n. 2535 die 21. Martii 1671.

Magistratus admitti non debet post Canonicos ante Beneficiatos caeterosque de Clero ad Cineres. n. 3915 ad 6 10. Sept. 1718.

d) Per domos.

Quardiano Min. Observ. Reform. non licere se conferre ad domos habitantium sub ejus parochia, eisque distribuere in iisdem domibus cineres . . ., prout introduci exposuit. n. 2441 die 2. Junii 1668.

6) Distributor.

Vd. *Confessar. Monial.;* Celebrans capite detecto distribuit, vd.: *Purificatio B.V.M.* (modus).

Potestne Distributor sibimet cineres imponere? Vd.: *Cineres* (distributio fin. missa; decr. n. 4707); *Cineres* (Benedicens et miss. celebr.).

7) Modus receptionis.

Vd. *Purificatio B. V. M.*

Hebdomadarii Metrop. Neapolis tenentur recipere cineres genuflexi. n. 4248 ad 3 die 7. Sept. 1754.

8) Qui?

Cineres aridos debere esse et in modum pulveris in Ecclesia universali. n. 197 ad 6. die 23. Maji 1603.

CINGULUM.

1) Color.

Episcopus Minerv. etiam auctoritate Congregationis Archipresbyterum Corignolae nullius Dioecesis cogat ad deponendum cingulum violacei coloris, quem uti Protonotarius de numero non Participantium defert in pileo, nisi docuerit de speciali Sedis apostolicae indulto. n. 1895 die 8. Junii 1658.

Cingulum esse posse colore paramentorum. n. 3809 ad 4 die 8. Junii 1709.

2) Materia.

Ad dubium: an Sacerdos in Sacrificio Missae uti possit cingulo serico? S. C. resp.: Congruentius uti cingulo lineo. n. 3575 ad 7 die 22. Januarii 1701.

Vd. *Paramenta* (materia).

CIRCULUS.

1) Cui non debetur?

Episcopo Administratori amovibili Ecclesiae vacantis, dum assistit missae sol. ab alio cantatae, Canonici non debent facere circulos ad *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus et Agnus Dei*; sedeat in primo stallo chori. n. 3952 ad 4 die 22. Aug. 1722.

2) Faciendus detecto capite.

Non licere Priori, Praeposito et Canonicis uti pileolo in circulis. n. 1602 ad 1 die 23. Jan. 1649.

Vd. *Biretum Canonicorum; Pileolum.*

3) Quando Episc. sumit paramenta.

Ad dubium: an Canonici teneantur facere circulum Episcopo assumenti vel dimittenti paramenta in Sacristia? S. C. resp.: Servetur Caer. et Episcopi sedes ita collocetur, ut ipse respiciat Canonicos. n. 4235 ad 6 die 15. Sept. 1753.

4) Quis facit circulum?

Utrum in Ecclesia *exempta* Canonici Circulum facere debeant? Vd.: *Episcopus assistens missae sol.* (Assistentes extra Cath.)

Vicarius ad curam animarum in Cathedr. deputatus (non Canonicus) non potest cum Canonicis circulum facere. n. 616 die 14. Febr. 1626.

Priorem et Canonicos *Ecclesiae Collegiatae* non esse admittendos ad Circulos cum Canonicis Metrop., qui fiunt coram Archiepiscopo. n. 732 die 27. Mart. 1628; n. 4031 ad 5 die 12. Mart. 1735.

Debere Canonicos et teneri praesente tantum Archiepiscopo ad *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus et Agnus Dei* circulum facere. n. 888 ad 2 die 13. Jan. 1631.

Episcopus extra suam Cathedr. in Ecclesiis exemptis intra fines suae Dioecesis potest ibi celebrare, sibi assumere *Canonicos* et habere cum iisdem Circulos ad Gloria etc. n. 232 ad 1 die 7. Febr. 1604.

Episcopus assistens non potest absentibus Canonicis Cathedralis extra Cathedralem quoscunque presbyteros ad circulos vocare. n. 633 die 16. Maii 1626.

Ad dubium: an Episcopus tempore circuli possit relinquere in choro duas Dignitates et unum Canonicum seniorem pro substentatione cantus, juniores vero Canonicos cogere ad circulum? S. C. resp.: Posse, deficientibus Cantoribus n. 2502 ad 4 die 31. Maii 1670.

Quando Canonici sunt parati, nunquam accedunt ad Circulos. n. 2944 ad 6 die 1. Mart. 1681.

Ad dubium Canonicorum *Collegiatae* Liburni: an Archiepiscopus, dum assistit missae sol., prohibere valeat Canonicis, quin ei faciant circulum? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 3026 ad 10 die 24. Julii 1683; n. 4094 ad 5 die 11. Julii 1739. *Canonicus Episcopus titul.* in missis et vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis tenetur discedere a stallo una cum reliquis Canonicis pro faciendis consuetis circulis praescriptis. n. 3976 ad 2 die 10. Apr. 1728.

S. CLARA.

1) Baculus.

Vd. *Rosarium.*

Non licet Monialibus, in Imaginibus s. Clarae pingere Pastorale. n. 1809 die 10. Junii 1656.

2) Festum Translationis.

Cf. *Vesp. dimid.*

Ad dubium Monialium: an Officium Octavae s. Clarae, earum institutricis et patronae praeferendum sit Officio Octavae s. Laurentii et Assumptionis B. V. M.? S. C. resp.: Quoad octavam s. Laurentii praeferendum esse, quo

vero ad octavam B. V. negative. n. 2184 die 5. Aug. 1662.

Quando recitatur Officium semid. s. Clarae quolibet mense, in 2. et 3. n. recitari debent lectiones de Nativitate ejusdem, quae habentur die 12. Aug. n. 2988. ad 8 die 13. Junii 1682.

3) Nominatio in Confiteor.

Vd. *Confiteor.* (additio licita; decr. n. 5134; 5148.)

4) Oratio.

S. C. resp. PP. *Benedictinis Einsidl.*: In festo s. Clarae v. dicenda est oratio apposita in Breviar. Benedictino romano; *Exaudi nos Deus* etc. n. 4044 ad titul. de *Oration.* die 5. Maii 1736.

CLAUSURA.

Ad dubium: an Confratres et Consorores tertii Ordinis s. Francisci Barchinonae dicantur comprehensi in constitutione a SS. Domino Nostro edita super clausura Monasteriorum quorumcumque virorum Regularium? S. C. resp.: Affirmative. n. 4151 die 1. Febr. 1744.

Vd. *Bened. domus et Monast.*

CLAVA IN PROCESSIONE.

Ad dubium: an Canonicis Collegiatae Vallettae jus competat in processione utendi clava capitulari? S. C. resp.: Negative in casu; mens autem haec fuit: Si placeat capitulo Collegiatae, ministrum aliquem deputare, qui tenens baculum quomodocunque ornatum turbas submoveat, Ministrum hujusmodi tantum in casu etc. universae processioni praeiri posse. n. 4439 ad 10 sine dato (videtur esse 28. Julii 1789).

Ad dubium: An sit consulendum SSmo. pro reportatione Rescripti Pii Papae VII. concedentis Canonicis Collegiatae insig. s. Pauli opp. Vallettae facultatem deferendi in s. functionibus argenteam clavam senatoriam? S. C. resp.: Affirmative et consulendum SSmo. pro concessione Brevis, quo detur Canonicis facultas utendi clava argentea intra et extra Ecclesiam exclusis tamen functionibus, quibus intervenerit Capitulum Cathedr. aut s. Joannis Vallettae. Et SSmus. Resp. approbavit. n. 4637 ad 1 die 16. Sept. 1828.

CLAVIS.

1) Pro capsa Stipendiorum.

Debeant Regulares omnes et quascunque eleemosynas tam manualium quam perpetuarum et temporalium missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputatum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione missarum coram Patribus discretis seu Conciliariis vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus distinctam rationem exigere et respective reddere. S. C. Conc. Die 23. Novbr. 1697.

2) Pro Tabernaculo.

Vd. *Coena Dom.* (Clavis etc.)

3) Tangenda in Ordin. ad Ostiariat.

Vd. *Ostiariat.* (Clavis tang.)

CLERUS.

1) Ecclesiae Cathedralis.

Canonici Cath. (praeced. super clerum); *Processio* (crux Cathedralis).

Capellani perpetuo beneficiati Eccles. Cathed. adscripti aut aliquo modo ei uti de gremio inservientes praeter celebrationem Missae, nomine „Clerus Eccles. Cathed." comprehenduntur. n. 48 die 11. Maii 1593; n. 62 die 24. Aug. 1593.

Clerus. adscriptus Ecclesiae Cathedr. Salern. qui alias non tenetur recitare

Officium *in choro*, sed tantum *private* ratione s. Ordinis vel beneficii, non tenetur, nec etiam private, recitare in singulis Sabbatis in B. Mariae, et singulis quintis feriis in B. Matthaei honorem Officium, prout in choro hujusmodi Ecclesiae recitatur. Item nec alii Clerici saeculares nec regulares tenentur. n. 167 ad 1 et 2 die 30. Aug. 1602.

Si sunt Canonici et alii de gremio, extra civitatem et Dioecesim ex justis causis existentes, — decere; alii tales Clerici saecul. et regulares non tenentur. *Ibid.* ad 3.

Et qui sunt de gremio Ecclesiae, recitare debere, prout recitatur in choro. *Ibid.* ad 5.

2) Incensatio.

Vd. *Incensatio Cleri.*

3) Paratus.

Vd. *Processio* (Clerus paratus); *Canonici Cath. et Colleg.* (parati).

4) Saecularis et regul.

Quo loco incedit in processionibus? Vd. *Processio.*

COADJUTOR.

1) Archidiaconi.

Absente vel impedito Archipresbytero ad Coadjutorem Archidiaconi, non ad alias Dignitates inferiores vel Canonicos ejusdem Ecclesiae pertinere illas functiones, actus et jurisdictiones facere, et exercere, quas faceret et exerceret quocunque jure ipse Archidiaconus, si praesens esset. n. 501 die 14. Jan. 1615.

Non licet Coadjutori Archidiaconi, primae Dignitatis, se ingerere in executione litterarum apostolicarum, quando diriguntur Archidiacono. n. 770 ad 1 die 28. Aug. 1628.

Vd. *Purificatio B. M. V.*

2) Canonicorum.

Coadjutor Canon. (Praecedent.)

a) Canonicus verus non est.

Coadjutores non esse vere Canonicos nec pro talibus habendos esse viventibus Coadjutis sed tantum post obitum Coadjuti; gaudere tamen omnibus privilegiis expressis in ipsa Coadjutoria. n. 345 ad 2 die 16. Sept. 1606.

Coadjutores non esse veros Canonicos nec pro talibus habendos esse viventibus Coadjutis, sed tantum post eorum obitum et in vim pradictae possessionis acceptae in vita Coadjuti non praecedere debere in choro, Capitulo et processionibus publicis veros Canonicos, qui post ipsos Coadjutores succedunt seu de Canonicatu provisi sunt. n. 491 die 13. Junii 1614.

b) Distributio.

Non posse Coadjutores lucrari distributiones quotidianas, quando Coadjuti sunt praesentes ex quacunque causa. n. 306 ad 4 die 15. Apr. 1606.

Coadjutores lucrari distributiones quotid. absentibus Coadjutis ad commoditatem tamen et utilitatem Coadjuti. n. 325 ad 6 die 16. Sept. 1606.

Circa distributiones, quae dantur Canonicis vel Praebendatis, quando aliquas missas celebrant, Coadjutores eas non lucrari, nisi quando celebrant pro ipsis Coadjutis. n. 325 ad 3 die 3. Decb. 1616; n. 533 die 18. Mart. 1617.

S. C. mandavit, ut Coadjutores pro Coadjutis absentibus possint lucrari distributiones et supplere vicibus eorum. n. 2058 die 12. Junii 1660.

Coadjutor Canonici justa de causa immunis et exempti a choro, tenetur interesse ut Canonicus lucretur distributiones. n. 675 die 20. Febr. 1627.

Coadjuto infirmo deberi non distri-

butiones quotidianas de distributionibus capitularibus, sed de bursa ipsius tantum Coadjutoris non inservientis pro suo Coadjuto. n. 1235 ad 1 die 2. Julii 1640.

c) Hebdomadarius.

Canonicum juniorem juxta Ecclesiae consuetudinem et non Coadjutores debere Officium facere in locum Hebdomadarii absentis vel impediti. n. 306 ad 5 die 15. Apr. 1606.

d) Obligatio ad quod?

Vd. *Canonici* (Celebrantes); *Coadjutor Dignitatis* (Celebrans).

Coadjutores non teneri nec cogi posse, nisi ad onera dumtaxat Coadjuti. n. 1049 die 11. Maii 1638; n. 1340 die 17. Sept. 1641.

Coadjutores posse tantum obligari ad onera suorum Principalium, non autem etiam ad onera Canonicorum juniorum. n. 325 ad 7 die 16. Sept. 1606.

Teneri Coadjutores celebrare Missas, quas ex vigore Testamenti et Institutionis Capellaniae ipsi Coadjuti celebrare tenentur, quando Coadjuti legitime sunt impediti vel ob senectutem vel aegritudinem non possunt dictas missas celebrare. n. 325 ad 2 die 3. Decb. 1616.

Decreta (circa Coadjutores) ad Officia tantum divina, nempe ad assistentiam quarumcunque precum, officiorum et sacrificiorum divinorum, concionum, supplicationum et processionum: nullatenus vero ad sessiones capitulares vel alias quascunque Canonicorum Congregationes, quocunque nomine nuncupatas, eorumque congressus extendi. n. 2093 die 15. Jan. 1661; n. 3167 die 21. Aug. 1688.

Coadjutor non potest quidquam exercere invito vel nolente Coadjuto. n. 794 ad 3 die 20. Decb. 1628.

Coadjutorem praesente Coadjuto non habere personam assistendi in choro uti Canonicum. n. 1474 ad 1—3, et n. 1475 ad 1—3 die 26. Sept. 1643; n. 1551 ad 1 et 2 die 4. Mart. 1646.

Non licere Coadjutori in diebus, in quibus vacat a servitio Coadjuti, supplere vices Canonici obligati. n. 1488 die 5. Mart. 1644.

Non licet Coadjutoribus Canonicorum, absentibus vel impeditis Coadjutis, inservire pro Assistentibus Episcopo sol. celebrandi vel cum cappa Divinis interessenti. Sed hoc munus spectat et pertinet ad veros Canonicos ordine successivo. S. R. C. die 24. Maii 1636.

e) Pax.

Coadjutores pacem in ultimo loco post omnes veros Canonicos debere accipere. n. 525 ad 1 die 3. Decb. 1616.

f) Possessio.

Capitulum non potest ob senectutem vel aliam causam Coadjutores Canonicorum eximere et jubilare. n. 306 ad 1 die 15. Apr. 1606.

Coadjutorem debere habere post mortem Coadjuti novam possessionem nec sufficere primam possessionem vivente Coadjuto, superveniente tamen titulo Canonicatus post Obitum Coadjuti censeri sibi mutasse causam possessionis, nisi aliud appareat.

Coadjutores, quibus non est data nova possessio post obitum suorum Principalium, esse tutos annales, triennales seu decennales possessores, si per annum, triennium vel decennium continuaverint in sua possessione post obitum Coadjuti.

Coadjutorem debere capere novam possessionem post mortem Coadjuti nec sufficere primam possessionem captam vivente Coadjuto. n. 517 die 30. Jan. 1616.

Secundum Coadjutorem, qui adeptus est possessionem Canonicatus per mor-

tem Coadjuti praecedere debere Coadjutori primo, qui nondum adeptus est possessionem. n. 679 die 13. Mart. 1617.

Coadjutori post mortem Coadjuti non suffragari possessionem captam in vita Coadjuti, sed opus esse nova possessione post mortem Coadjuti et ab hac ultima possessione esse regulandam praecedentiam sibi debitam uti vero Canonico. n. 1236 die 17. Julii 1640.

g) Praecedentia.

Cf. *Coadjutor Canon.* (Canon. verus non est; Possessio); *Coadjut. Dignit.* (Praeced.)

Coadjutorem in vim primae possessionis acceptae in vita Coadjuti, non praecedere in choro, Capitulo et processionibus publicis veros Canonicos, qui de novo ipsis Coadjutoribus succedunt sed durante vita Coadjuti debere remanere in ultima Sede post omnes Canonicos, sibi assignata tempore suae receptionis et ingressus. n. 325 ad 4 die 16. Sept. 1606; n. 1235 ad 2 die 2. Julii 1640; n. 2742 die 13. Julii 1675.

Coadjutores viventibus Coadjutis debere sedere post omnes Canonicos. n. 577 die 8. Decb. 1619.

Non licere Coadjutori sedere praesente Coadjuto supra Canonicos. n. 2934 die 11. Jan. 1681.

Coadjutores Canonicorum, qui non sunt vere Canonici viventibus Coadjutis, et sedere debent in ultimo loco post omnes Canonicos et quando aliquas functiones faciunt, quae pertinent ad suos Coadjutos, ut cantare lectiones, praeintonare antiphonas et similia, illas debere facere in novissimo loco, relinquendo praecedentiam ac locum digniorem in illis recitandis ac praeintonandis propriis et veris Canonicis. n. 325 ad 1 die 3. Decb. 1616.

Non posse Coadjutores stare, sedere aut incedere inter Canonicos, quando assistunt vel incedunt Coadjuti. n. 1042 die 24. Maii 1636.

Licere Coadjutoribus etiam praesentibus Coadjutis, Divinis in choro interesse sed veris Canonicis digniorem locum deferre, iisdemque supervenientibus stallum dimittere et si sedes sufficiant tantum veris Canonicis, omnibus iisdem praesentibus vel supervenientibus a choro discedere Coadjtores teneri. n. 1882 die 6. Apr. 1658.

Coadjutoribus licere etiam praesentibus Coadjutis cum habitu canonicali Divinis caeterisque ecclesiasticis functionibus interesse, modo veris Canonicis stalla non occupent, immo iis advenientibus, si stalla non supersint, ipsi Coadjutores a choro discedant. n. 1965 die 15. Febr. 1659.

Canonicis Coadjutoribus Calaritanae licere etiam praesentibus Coadjutis Divinis in choro interesse, dummodo stalla pro veris Canonicis praesentibus vel pro Coadjutoribus, quorum Coadjuti abfuerint, supersint vel aliis inchoato Officio advenientibus dimittentur. n. 2922 die 31. Aug. 1680; n. 3011 ad 1 die 23. Jan. 1683.

Coadjutori Canonici presbyteri debetur praecedentia super Canonicos Diaconos, dum pro suo Coadjuto Divinis interest. n. 1489 die 5. Mart. 1644. Inde dubitatur: an dicta declaratio procedat, etiamsi Coadjutores Canonicorum Ord. presbyt. non sint Sacerdotes sed in minorib. Ordinibus tantum constituti? S. C. resp.: Affirmative. n. 2496 ad 1 die 31. Maii 1670.

Coadjutori Canonici obtinentis praebendam presbyteralem locum deberi post omnes Canonicos, etiam inferioris Ordinis; verum cum Canonici s. vestibus induti fuerint, immediate post presbyteros eidem locum competere. n. 2188 die 20. Novb. 1662.

h) Privilegium.

Vd. *Coadjutor Canon.* (Canonicus verus non est; decr. 325).

Coadjutores posse uti privilegiis concessis veris Canonicis, veluti optandi beneficia et similibus pro dispositione statutorum ad utilitatem tamen et commoditatem Coadjuti. n. 325 die 16. Sept. 1606.

Ad dubium: an Coadjutor possit juvari beneficio regularum de annali? S. C. resp.: Necesse est, ut *lapsum* sit tempus unius anni juxta regulam de annali, et tempus unius triennii juxta regulam de triennali post admissionem ad Coadjutoriam. n. 794 ad 2 die 20. Decb. 1628.

i) Residentia.

Coadjutores non remanere exemptos seu liberos ab obligatione residendi, quando Coadjuti sunt infirmi vel alia causa impediti, per quam tamquam praesentes vigore statuti reputarentur; et Coadjutum residere debere, quando Coadjutor est absens vel ex quavis causa exemptus. n. 306 ad 2 et 3 die 15. Apr. 1606.

Coadjutorem non esse exemptum seu liberum ab obligatione residendi, quando Coadjutus legitime impeditus ratione infirmitatis vel alterius excusationis vult haberi pro praesente. Et ideo Punctatorem chori posse punctare Coadjutum etiam legitime impeditum, quando Coadjutor non vult residere, ad damnum tamen ipsius Coadjutoris juxta formam Coadjutoriae. n. 325 ad 8 die 16. Sept. 1606; n. 535 die 8. Maii 1617; n. 584 die 4. Apr. 1620; n. 3148 die 20. Sept. 1687.

k) Suffragium passivum.

Ad dubium: an debeat Canonicus Coadjutor passiva Suffragia obtinere in electionibus Capitularibus, postquam vota habuit Coadjutus? S. C. resp.: *Negative.* n. 3011 ad 2 die 23. Jan. 1683.

l) Thurificatio.

Coadjutores Cananicorum thurificationem in ultimo loco post omnes veros Canonicos debere accipere. n. 525. ad 1 die 3. Decb. 1616.

Vd.: *Incensatio Cleri; Canonici Cath.* (Incensatio).

3) Dignitatis.

a) Celebrans.

Cf. *Diaconus Coadjutoris*; *Coadjutor Dignit.* (Praeced.); *Coadjutor Canon.* (Oblig.)

Teneri Coadjutores celebrare missas, quas ex vigore Testamenti et institutionis Capellaniae ipsi Coadjuti celebrare tenentur, quando Coadjuti sunt legitime impediti vel ob senectutem vel aegritudinem non possunt dictas missas celebrare. n. 525 ad 2 die 3. Decb. 1616.

Coadjutori licere absente vel impedito Coadjuto celebrare, et impediri non posse. n. 1634 die 2. Mart. 1652.

Functiones Episcopales absente vel impedito Episcopo ad Praepositum uti primam Dignitatem ac ipso absente, ad ejus Coadjutorem spectare. n. 597 die 8. Maii 1621.

Coadjutorem praeferendum esse caeteris Dignitatibus in obeundis muneribus, quae spectant ad Coadjutum. n. 1820 die 9. Junii 1657. n. 1841 die 15. Sept. 1657; n. 2183 die 5. Aug. 1662.

In exercitio Ordinis, scilicet in Missarum et Divinorum operatione, quae alias ad Coadjutum pertinerent, praeferendum esse Coadjutorem primae Dignitatis caeteris Dignitatibus inferioribus. In reliquis vero omnibus dictis Dignitatibus postponendum fore. n. 1904 die 13. Julii 1658.

Functiones Episcopales absente vel impedito Episcopo ad Praepositum uti primam Dignitatem, ac ipso absente ad ejus Coadjutorem spectare. n. 597

die 8. Maii 1621; n. 1607 ad 2 die 24. Apr. 1649.

Absente vel impedita prima Dignitate ejus munia ad ipsius Coadjutorem privative quoad caeteras Dignitates pertinere. n. 1814 die 10. Mart. 1657; n. 2183 die 5. Aug. 1672; n. 2371 die 10. Apr. 1666; n. 4265 ad 2 die 15. Mart. 1757.

b) Praecedentia.

Cf. *Coadjutor Canon.* (Praeced.)

Orta controversia de Praecedentia inter Canonicos Coadjutores Praepositi Colleg. de Borgomainerio in Ord. sacerdotali constitutos, Curatos nuncupatos, et reliquos Canonicos inferioris Ordinis ejusdam Collegiatae praetendentes, non competere dictis Coadjutoribus praecedentiam, nisi in functionibus et actibus capitularibus ad curam animarum spectantibus. S. C. resp.: Tribus Coadjutoribus in omnibus functionibus praecedentiam deberi. n. 3214 die 22. Apr. 1690.

Coadjutori Dignitatis debere eundem locum, Coadjuto absente, eisdemque Insignibus uti posse, quibus utitur Coadjutus n. 690. die 12. Junii 1627.

Coadjutorem praeferendum esse caeteris Dignitatibus in obeundis muneribus, quae spectant ad Coadjutum; in sessionibus vero et subscriptionibus caeterisque praelationis actibus semper posthabendum esse omnibus Dignitatibus quamvis Coadjuto inferioribus superstite Coadjuto. n. 1820 die 9. Junii 1657.

Stallum in choro et locum in processionibus eundem competere Coadjutori Dignitatis, qui competeret Coadjuto. n. 794 ad 1 die 20. Decb. 1628; n. 1235 ad 2 die 2. Julii 1640.

Coadjutorem Dignitatis absente Coadjuto, in choro et processionibus debere praecedere omnes alios, etiam Dignitates, quos et quas praecederet Coadjutus, si praesens esset. n. 921 die 5. Julii 1631.

Coadjutori Decani, (primae Dignitatis) assignandum esse ipsummet locum, in quo sederet suus Coadjutus, si praesens esset, et praecedere debere omnes alios de Capitulo. n. 1168 die 2. Julii 1639.

In Ecclesia Nierensi, in qua sex Dignitates et tres Canonici existunt, et praebendae sunt omnes presbyterales Coadjutori primae Dignitati deberi ultimum locum post omnes Dignitates. n. 1522 die 26. Novb. 1644; n. 2183 die 5. Aug. 1662. Idem decr. pro Eccles. Metrop. Banon. n. 4265 ad 1 die 15. Mart. 1757 cum appendice; tam absente, quam praesente Coadjuto.

Coadjutorem Dignitatis etiam primae posse interesse ecclesiasticis functionibus praesente Coadjuto sed sedere debere post omnes Dignitates. n. 1974 die 29. Mart. 1659; n. 2387 15. Jan. 1667.

Coadjutorem Praepositi in processionibus et in choro locum habere immediate post omnes dignitates et supra Canonicos, dummodo supersint stalla pro veris Canonicis. n. 2141 die 3. Decb. 1661.

Praevio recessu a decisis sub dieb. 15. Jan. et 2. Apr. 1667. Coadjutores Dignitatum absentibus Coadjutis stare et incedere debere in stallo Coadjuti tam in choro quam extra et amplius. n. 3898 die 17. Apr. 1717.

Coadjutores Dignitatum, praesentibus Coadjutis, sedeant post omnes Canonicos, quibuscumque decretis in contrarium non obstantibus. n. 2871 die 27. Jan. 1679.

Coadjutori Dignitatis in *choro*, caeterisque actibus capitularibus locum deberi post omnes Dignitates tum praesente tum absente Coadjuto; in *capitulo* vero praesente Coadjuto

Coadjutorem voce carere. n. 2161 die 1. Apr. 1662.

Coadjutori primae Dignitatis locum debere in choro, processionibus caeterisque ecclesiasticis functionibus post omnes Dignitates. Ad ipsum tamen spectare functiones, quae eidem Coadjuto competerent, si praesens esset, nisi literis apostolicis secus cautum fuerit. n. 2200 die 23. Decb. 1662. Idem decretum est n. 2261 die 26. Jan. 1664 cum appendice: „Ideoque non licere eidem praecedere Archidiacono, qui est secunda Dignitas in Ecclesia Tudertina.“

Coadjutori Dignitatis in *Colleg.* S. Nicolai deberi locum in choro post omnes Dignitates, si ipsae Dignitates non habeant locum *fixum* sed gradatim ascendant; si autem habeant locum perpetuo fixum deberi proprium ipsius Dignitatis coadjutae nisi aliter in literis apost. provisum fuerit. n. 2426 die 19. Novb. 1667.

Ad dubium: an Coadjutor Dignitatis, qui sit insimul Coadjutor Canonicatus, praecedere debeat Canonicos antiquiores tam in sedendo quam in votando in Capitulo, seu potius habere locum destinatum suae Coadjutoriae et dare votum in eodem loco? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3856 ad 4 die 26. Aug. 1723.

Ad dubium: an Dignitates et eorum Coadjutores, sive sint sive non sint Canonici, praecisive a functionibus chori et processionum, in caeteris congressibus extra Cathedralem, ubi Canonici capitulariter solent concurrere, debeant Canonicos omnes praecedere, quamvis sint juniores vel teneantur primum locum cedere antiquioribus vel ab hujusmodi ingressibus sese abstinere? S. C. resp.: affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3856 ad 5 die 26. Aug. 1713.

c) Sedes.

SENOGALLIEN.

Capitulum Colleg. Eccl. Montisbodii in Senogalliensi Dioecesi recenter erectum, praeter Canonicos, tribus constat Dignitatibus, inter quas tertia est Praepositura et actualis Praepositi Coadjutor est Sacerdos Joannes Menchetti, qui dum Choro adest, absente Coadjuto, nullo obsistente, Praepositi Stallum occupat. Quaestio autem non levis inter eos est, dum assistit Choro praesente Praeposito Coadjuto; nonnulli siquidem opinantur sedere debere post Dignitatem, dum alii autumant, post omnes Canonicos. Ad litem legitime componendam humillimis datis precibus S. R. C. rogarunt pro solutione sequentis Dubii, nimirum: „An moderno Coadjutori Praepositi tertiae Dignitatis Colleg. Eccl. Montisbodii, etiam praesente Coadjuto competat, sedere in choro post omnes Dignitates seu potius post omnes Canonicos?“ Et S. C. Ordinariis in Comitiis ad Quirinales Aedes coadunata, percepta relatione ab Emo et Rmo D. Card. Gabriële Ferretti Ponente facta, exquisitoque voto alterius ex Apost. Caeremoniarum Magistris scriptis pandito, praeloque cuso, omnibus mature consideratis, riteque libratis, rescribendum censuit: Juxta votum Magistri Caeremoniarum“, nimirum: „Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.“ Atque ita rescripsit, ac servari mandavit in supra dicta Colleg. Eccl. Montisbodii. n. 4945 die 24. Sept. 1842.

Coadjutores Dignitatum (Colleg. s. Aemiliani Trebii) sedere debere post omnes Dignitates. n. 4967 die 17. Junii 1843.

4) Episcopi.

a) Celebrans.

Coadjutor potest de *consensu Ordinariorum* jurisdictionem habentium, ubicunque Pontificalibus uti. n. 96 die 30. Sept. 1596.

Coadjutorem Archiepiscopi Caesaraugust. solemniter celebrantem in Ecclesia Caesaraug. contentum esse debere Ministris solitis, id est Diacono, Subdiacono et uno Capellano, cum Pluviali, qui ei assistat ad librum. n. 312 die 9. Maii 1606.

b) Sedes.

Coadjutor cum futura successione in Synodo Provinciali sedeat juxta tempus suae Promotionis. n. 95 die 30. Sept. 1596.
Vd. *Synodus*.

5) Poenitentiarii.

Deberi eidem Coadjutori locum in sede fixa ejusdem Poenitentiarii. n. 1280 die 12. Jan. 1641.

6) Primicerii.

Coadjutorem primi Primicerii exercentem functiones pro primo Primicerio non in stallo proprio ipsius primi Primicerii Coadjuti, sed in stallo secundi Primicerii exercere, stare, sedere et incedere debere; secundum vero Primicerium absente vel impedito primo Primicerio stare, sedere etc. debere in loco primi Primicerii; nec non, vacante stallo primi Primicerii, secundum Primicerium statim subintrare stallum et locum primi Primicerii juxta Cathedralis Monopolitanae consuetudinem. n. 965 die 17. Julii 1632.

Coadjutorem Primicerii in Cathedr. Lauretana sedere debere in choro post omnes alias Dignitates. n. 2409 die 2. Apr. 1667.

COADJUTRIX.

Vd. *Abbatissa*.

COCHLEAR.

Usus cochlearis parvi pro aqua in calicem infundenda non est de praecepto rubricae. S. R. C. 7. Sept. 1850.

COELESTINI ABBATES.

Vd. *Missa privata Abbatis*; *Usus Pontificalium*.

COEMETERIUM.

Vd. *Bened. et Reconcil. Eccles.*

COENA DOMINI.

1) Clavis pro Tabernaculo.

Vd. *SS. Sacramentum* (asservatio in Coena D.)

Nequaquam Gubernatori civitatis clavem esse consignandam, sed potius illi Dignitati vel Canonico, qui in crastinum fer. VI. in Parasceve erit celebraturus. n. 420 die 30. Jan. 1610; n. 2257 die 26. Jan. 1664.

Clavem, quae Inquisitori tradebatur, consignandam esse Sacerdoti in crastinum celebraturo. n. 720 die 29. Jan. 1628; n. 4986 ad 4 die 7. Decb. 1844.

SS. Sacramentum Fer. V in Coena Dom. sub unica tantum clave asservari debere, retinenda per Sacerdotem in crastinum celebraturum et nullo modo apud personas laicas et saeculares, cujuscunque status, gradus et conditionis existant, non obstante quacunque contraria consuetudine, quam abusum esse. Hoc decretum afficere omnes Ecclesias tam saeculares quam regulares, quovis modo a jurisdictione Ordinarii exemptas. n. 940 die 6. Decb. 1631; n. 1048 die 22. Novb. 1636; n. 4069 die 7. Decb. 1737; n. 4179 die 11. Decb. 1745; n. 0ç29 die 14. Junii 1845.

Clavem, sub qua reconditur SS. Sacramentum in Sepulchro fer. V. in coena Dom., esse consignandam Sacerdoti celebraturo in die sequenti fer. VI. Parasceve. n. 987 die 9. Julii 1633.

Clavem Tabernaculi, in quo SS. Sacramentum in fer. V. in coena Dom. asservatur, nequaquam Laicis etiam illustribus tradendam esse sed potius Dignitati vel Canonico in crastinum celebraturo. n. 1412 die 13. Sept. 1642.

Rectorem Ecclesiae parochialis (praefato) Matthaeo clavem tabernaculi tradere non teneri. n. 1890 die 3. Aug. 1647.

Claves custodiae SSmi. in fer. V. hebd. s. in Cathedr. Conversan. retinendas esse per Sacerdotem in crastinum celebraturum, non autem a Laico, cujuscunque sit Dignitatis, etiam existente consuetudine in contrarium. n. 2434 die 21. Apr. 1668. Idem decret. pro civitate Lorcitana. n. 4007 die 15. Mart. 1732.

Non permittendum est Cancellario Theatinae in coena Dom. publico civitatis sigillo obsignare arcam, in qua repositum est s. Corpus Dom., illudque sigillum sequenti die inter s. Solemnia publice inde auferre. n. 3752 die 18. Sept. 1706.

Ad dubium: Num. Feria V. in Coena Domini, postquam SSmum. Eucharistiae Sacramentum reconditum est in Sepulchro, Clavis Tabernaculi hujus Sepulchri tradenda sit a Canonico Assistente Priori Sodalitatis SSmi. Sacramenti inibi erectae, qui eam deferat ad collum appensam usque ad S. Functiones insequentis Fer. VI. in Parasceve, uti in praesentiarum fieri assolet?

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen . . . rescribi mandavit: „juxta alias decreta Clavem in casu nulli esse omnino tradendam.“ n. 4918 ad 1 die 22. Maji 1841.

MELITEN.

Precibus Carmelitarum antiquae Observantiae Civitatis Valletta Dioecesis Meliten. exquirentium confirmationem conventionis initae cum Sodalitate B. M. V. ibi erectae, in qua statuitur ut clavis Tabernaculi SSmi. Sacramenti Feria V. in Coena Domini tradatur custodienda Priori ejusdem Sodalitatis; Emus: et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. C. Vice Cancellarius, et S. R. C. Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo. D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit: „Obstare Decreta hujus S. C.“ n. 4923 die 22. Maji 1841.

Apponi non debet Sigillum in Ostiolo, ubi fer V. in Coena Dom. reconditur SSmum. n. 4986 ad 1 die 7. Decb. 1844.

2) Communio.

a) Cleri Obligatio.

Vd. *Stola Sacerdotis communicantis; Purificatio B. V. M.* (ordo accipiendi . . . Laicorum, decr. n. 4338); *Officia hebd. maj.* (in paroch.; decr. n. 4583).

Episcopus potest et debet cogere Clerum Cathedralis ad sumendam ex ejus manibus in Coena Dom. infra Missarum solemnia sacram Communionem et quoscunque Sacerdotes in benedictione Oleorum ministrantes. n. 1817 ad 1 die 10. Mart. 1657.

Sacerdotes vocatos ad ministrandum in consecratione ss. Oleorum in coena Domini teneri s. Communionem accipere e manu Episcopi celebrantis. n. 1846 die 15. Sept. 1657.

Cadente festo s. Josephi in fer. V. in coena Dom. propter praeceptum audiendi missam aliquae missae privatae celebrandae sunt, sed tamen propterea communio Celri in missa

solemni ejus diei . . . nullatenus omittatur. n. 3289 die 13. Sept. 1692.

Ad dubium: an fer. V. coena Dom. Canonici, qui non celebrant, possint cogi ad susceptionem s. Eucharistiae de manu Episcopi? S. C. resp.: Debent. n. 3597 ad 16 die 10. Sept. 1701.

Ad dubium: an omnes Dignitates, Canonici, Portionarii et alii Sacerdotes Cathedr. Fer. V. in coena Dom. debeant non celebrare sed s. Communionem sumere de manu Episcopi velalterius Celebrantis prout ordinatur in Caer. Ep.? S. C. resp.: Servandam esse Caer. Ep. regulam, quae universalis Ecclesiae consuetudini conformis est; ut scilicet fer. V. in Coena D. in memoriam, quod D. N. J. Chr. manu sua propria omnes apostolos communicavit, omnes presbyteri tam Dignitates quam Canonici et Mansionarii Communionem sumant de manu Episcopi vel alterius Celebrantis. (die 27. Sept. 1608) n. 4353 die 22. Decb. 1770.

Revera Omnes de Clero inservientes missae pontificali et praesertim Sacerdotes, Diaconi et Subd. SS. Oleorum consecrationi assistentes tenentur s. communionem sumere de manu Celebrantis. n. 4815 ad I. die 22. Sept. 1837.

b) Cleri Ordo accedendi.

Feria V. in Coena Dom. eos Presbyteros ac Diaconos, qui sacris indumentis amicti in Consecratione ss. Oleorum ministrant, tametsi iidem non fuerint de gremio Cathedralis, in communione aliisque actibus praeferendos esse reliquis Sacerdotibus ac Diaconis, qui sacris nullatenus induti de gremio tamen Cathedralis existunt. n. 1852 die 27. Novb. 1657.

Ad dubium: utrum 7 Subd., Diaconi et 12 Presbyteri, qui fer. V. in Coena Dom. in consecratione ss. Oleorum inserviunt, ss. Eucharistiam debeant suscipere *ante* Canonicos . . . in *habitu clericali* e choro egredientes, an post Capitulum? S. C. resp.: Omnes paratos ratione paramentorum deberi refici ss. Eucharistia ante *Omnes* de choro non paratos. n. 3209 die 8. Apr. 1690. Idem resp. S. C. sub n. 3378 die 21. Jan. 1696 ad petitionem Capituli Caesaraugust.

In communione, quae inter missae Sacrificium peragitur, ministrum Sacrificii non ratione praeeminentiae sed ministerii praeferendum esse caeteris quantumvis dignioribus. n. 1907 die 13. Julii 1658.

c) Dispensator.

Vd. *Azymus*.

Ad dubium: Cui incumbat onus communicandi Omnes de Capitulo in missa solenni in Coena Dom., si forte Episcopus esset impeditus? S. C. resp.: Servari Caeremoniale. n. 1046 ad 2 die 6. Sept. 1636.

Abbas Collegiatae, cantans missam solemnem in coena Dom., potest communionem Cleri *et* populi facere, qui forsan Clero tunc temporis adjungitur, contradicente etiam Dignitate secunda, curam animarum exercente. n. 1453 die 13. Junii 1643.

Teneri Episcopum fer. V. in Coena Dom., etiam nimium defatigatum, SS. Sacramentum per se ipsum ministrare. n. 1469 ad 2 die 8. Aug. 1643.

d) Laicorum.

Amerina.

Dum Feria V. in Coena Domini Magistratus Civitatis Amerinae accedebat ad S. Synaxim formiter suscipiendam in solemni Missa in Cathedrali Amerina Ecclesia, Cathedralis ipsius Caeremoniarum Magister disposuit, ut post omnem Clerum ad Eucharisticam Mensam admitteretur, et ut in solemni Supplicatione SSmi

Corp. Chr. Magistratus ipse procederet vel ante Crucem Cleri, vel post Baldachinum ceu fert praxis, et Ecclesiasticae leges exigere videntur. Quum autem idem Caeremoniarum Magister summopere exoptet, ut ab hac S. R. C. declaretur, ut quatenus se recte gesserit per opportunam declarationem idipsum adeo confirmetur, ut futuris quibusvis temporibus ab hac ipsa praxi recedere non liceat, humillimas ad id preces porrexit. Quas quidem preces in Ordinariis S. R. Comitiis ad Vaticanum infrascripta die coadunatis per subscriptum Secretarium relatas postquam S. ipsa C. maturo examine expendit, declarandum et rescribendum censuit: „Si Magistratus Feria V. in Coena Domini velit ad S. Synaxim accedere, admittatur post universum Clerum, pro quo Communio praescripta est: in Processione autem SSmi. Corp. Chr. locum teneat post Baldachinum, cujus hastas intra Ecclesiam deferre debet.“

Atque ita rescripsit et servari mandavit. n. 5203 die 12. Aug. 1854.

Vd. *Communio Laciorum.*

e) Modus.

In Communione, quae confertur ab Episcopo fer. V. Coena Dom. et in ordinum collatione solemniter celebrante, sunt ab Episcopo verba: *Ecce Agnus Dei etc.* et *Dom. non sum dignus etc.* quoad Presbyteros tantum in ordinatione habita esse reticenda, in aliis vero casibus semper proferenda. n. 3614 ad 4 die 11. Febr. 1702.

3) Consecratio Oleorum sanct.

a) Assistentia Canonicorum.

Canonicos ex Collegiatis (stante penuria) teneri assistentiam Oleorum Consecrationi praestare, juxta tabellam more solita faciendam et subscribendam per Priorem Cathedr. n. 1560 die 11. Aug. 1646.

Capitulum et Canonici Colleg. S. M. Capuae non possunt cogi accedere et assistere *arbitrio* Archiepiscopi, benedictioni Olei s. in Ecclesia Cathedr. n. 4066 ad 1 die 31. Aug. 1737.

Abbates et Canonici Collegiatarum Civitatis Vigilien. non mittentes duodecim presbyteros paratos pro assistentia et servitio praestando benedictioni ss. Oleorum in fer. V. maj. hebd., et non invenientes presbyteros, qui velint interesse et inservire benedictioni, tenentur interesse et inservire per se ipsos. n. 4194 die 16. Sept. 1747.

Formam libri Pontificalis servandam esse nec Canonicos Cathedr. a functione inserviendi et ministrandi exemptos esse, quatenus sine eis numerus sufficiens non reperiatur. n. 308 ad 1 die 9. Maii 1606.

b) Dies et Obligatio Consecrationis.

Porrectis per Carolum Wolmesley Episcopum Ramatensen, Vicarium apost. in Anglia ad praesens Coadjutorem Laurentii Jork Episcopi Nisibensis humillimis precibus, quibus supplicatum fuit, quatenus eidem Episcopo Ramatensi indulgere dignaretur, ut functiones fer. V. in Coena Dom. in bened. chrysmatis perficere valeat in fer. II. vel alio die conveniente ejusdem hebd. maj., eo quod nec ipse sine gravissimo incommodo fer V. a sua residentia abesse possit nec sufficienten numerum Sacerdotum illa die ad praedictum effectum simul convocare. „Sanctitas Sua, dummodo vera sint exposita, gratiam petitae Dispensationis indulsit. n. 4325 die 9. Mart. 1765.

Olea ss. quotannis ab Episcopo con-

fici et suae Dioecesis Presbyteris distribui debent, crematis veteribus; et vetera non possunt adhiberi, postquam nova sunt consecrata. S. R. C. 7. Sept. 1601.

c) Locus Consecrationis.

Ad petitionem Episcopi Torcellen., ut Oleorum consecrationem peragere possit in capella Episcopali, cum magnum suae saluti afferat praejudicium ob aeris intemperiem hujusmodi agere in Cathedrali, S. C. resp.: *Lectum.* n. 2150 die 21. Jan. 1662.

S. R. C. benigne concessit, ut Olea sacra possint ab ipso Episcopo Brugnatensi benedici et consecrari, etiam extra suam Cathedralem et in Ecclesia Terrae Sestri suae Dioecesis, ubi Episcopi pro tempore, pro meliori aeris temperie et majori ipsorum et cultus divini decore residere solent. n. 2471 die 23. Mart. 1669.

Non licet fer. V. in Coena Dom. conficere Oleum s. in *Capella privata* etiam adhibitis omnibus Ministris, prout disponitur in Pontificali, n. 3312 ad 1 die 13. Jnnii 1693.

Consecratio ss. Oleorum non potest adimpleri in Capella omnino incapaci omnium Sacerdotum, Diac. et Subd., qui requiruntur. n. 3312 ad 3 die 13. Junii 1693.

Episcopus Trivicanus consecrationem ss. Oleorum in Coena Dom. tenetur facere in Ecclesia Cathedrali, cessante legitimo impedimento. n. 3764 ad 1 die 19. Febr. 1707.

d) Modus Consecrationis.

Cf. *Coena Dom.* (Consecrat. sedens.)

Ad enixas instantias Episcopi Mindoniens. ab Emo. et Rmo. D. Car. Colloredo infrascripto supplici Libello in S. R. C., prout jacet, relato, videlicet: Emi. et Rmi. D. Episcopus Mindonien. devotus EE. VV. orator humiliter exponit, quod cum ipse pro prima vice voluisset anno praeterito feria V. in Coena Dom. conficere, et consecrare Olea Sacra, reperiit, et vidit, quod duodecim Presbyteri assistentes nedum inspirabant, sive halebant super os ampullarum, et salutabant eadem Olea Sacra, sed ulterius illa exorcizabant, benedicebant, Orationes legebant, caeterasque omnes caeremonias faciebant ad instar ipsiusmet Episcopi; idque ita practicari audivit vigore antiquissimae consuetudinis innixae certo Caeremoniali olim edito a bon. mem. Christophoro Valtodano Episcopo Lalentino, et impresso anno 1563, quod pariter observari asseritur in aliquibus aliis Ecclesiis Regnorum Hispaniarum.

Verum quia hujusmodi consuetudo in eo, quod pertinet ad exorcismata, Benedictiones, et Orationes, videtur repugnare formae praescriptae in Pontificali Romano, quod S. M. Clemens VIII. districte praecipit observari in omnibus universi Terrarum Orbis Ecclesiis, privative quoad omnia alia Caeremonialia, et Pontificalia, derogando insuper quibusvis consuetudinibus.

Ideo Episcopus Orator, ad tollendas imposterum quascumque controversias inter ipsum, et Capitulum suae Cathedralis Mindonien. supplicat declarari: an in futuris Consecrationibus ss. Oleorum servari debeat supradicta consuetudo et Caeremoniale Episcopi Voltodani, sicuti hactenus fuit observatum, vel potius sit observanda forma designata a Pontificali romano, nempe quod duodecim presbyteri Episcopo assistentes debeant tantummodo assistere Consecrationi ac debito tempore inspirare seu halare et respective salutare ss. Olea, non autem possint illa exorcizare et benedicere nec non orationes legere vel proferre cum Episcopo. S. C. resp.:

Servandum esse Pontificale romanum. n. 3667 die 24. Novb. 1703.

e) Consecrator delegatus.

Episcopus, aegritudine impeditus potest et ex necessitate propriae ecclesiae etiam debet demendare alteri Episcopo consecrationem ss. Oleorum in aliqua ecclesia. n. 3312 ad 2 die 13. Junii 1693.

f) Consecrator sedens.

Hispalen.

Summa genuum debilitate ob non firmam valetudinem diu laborans Emus. et Rmus. D. Card. Archiep. Hispalen ab hac S. Apost. Sede speciale Indultum obtinuit Sacrum faciendi continuo sedendo. Verum maxime percupiens necessitatibus suae Archidioecesis occurrere, quae urgentiores evadunt ob frequentes vicissitudines, quae Hispaniarum Regnum modo perturbant, praesertim ob Ep. pene omnium deficientiam, SSmo. D. N. Gregorio Papae XVI. humillime supplicavit pro extensione Indulti, conferendi nimirum S. Ordines, et conficiendi S. Olea Fer. V. in Coena D. etiam pari modo sedendo. S. S. preces ad S. R. C. remisit, quae exquisito prius Voto alterius ex Apost. Caer. Magistris, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunatis, ad relationem subscripti Secretarii, rescribendum censuit: „In casu, de quo agitur, attentis peculiaribus gravissimis circumstantiis, iisdem perdurantibus, annui potest de speciali gratia, dummodo privatim fiant Ordinationes et Benedictiones Oleorum Fer. V. in Coena D. cum assistentia trium saltem Sacerdotum, facto verbo cum SSmo.“ Die 18. Febr. 1843.

Super quibus omnibus facta postmodum SSmo. D. N. Gregorio XVI. P. M. per subscriptum Secretarium fideli relatione, S. S. benigne annuit de speciali gratia, nullo umquam tempore in exemplum afferenda. Die 11. Martii ejusdem Anni 1843. n. 4963.

g) Diaconi et Subdiaconi.

I. Numerus.

Vd. *Coena D.* (Assistentia Canonicor.)

Archiepiscopus Corcyren. petiit, ut sine Diaconis et Subdiaconis ss. Olea conficere possit, ne cogatur ea ab Ecclesia Hydruntina accipere et sua Ecclesia hac solemnitate privetur. S. R. C. resp.: A regulis praescriptis in libro Pontificali circa confectionem ss. Oleorum non esse recedendum, et posse Archiepiscopuum in sua Ecclesia et Dioecesi uti oleo antiquo anni praecedentis, donec novum recipiat. n. 369 die 19. Jan. 1608.

Episcopo Retthimensi, petenti licentiam conficiendi Olea sacra cum minori numero Ministrorum, S. C. resp.: petitam facultatem concedi posse, quatenus sufficiens numerus *Presbyterorum* in Dioecesi non reperiatur, vel aliter commode habere nequeat, super quo ejus conscientia oneratur et dummodo in reliquis, quantum fieri potest, Pontificali se conformet. n. 1429 die 24. Jan. 1643; n. 1486 die 23. Jan. 1644.

II. Paramenta.

Septem Subdiaconos et Diaconos parandos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola transversa et dalmatica. n. 2940 ad 1 die 11. Jan. 1681.

h) Distributio.

I. Locus.

Dato, quod propter aliquam canonicam necessitatem Episcopus consecrationem ss. Oleorum faciat in aliqua

alia Ecclesia Dioecesis, dicta Olea ss. dispensari debent in Ecclesia Cathedrali parochis totius Dioecesis. n. 3764 ad 2 die 19. Febr. 1707; n. 4000 ad 3 die 23. Apr. 1731.

II. Tempus.

Ad dubium: an Decani distributionem ss. Oleorum differre possint usque post Dominicam in Albis? S. C. resp.: Negative, n. 4623 IV. die 16. Decb. 1826,

Nota Gardell. ad hoc decretum.

Sacrorum Oleorum dispensatio nequit differri usque ad Dominicam in Albis, nisi prius nequet ob locorum distantiam, viarum difficultatem et asperitatem, nec non ob aeris temporumque vicissitudines, et intemperiem, nec ditationis causa peti potest ab inducta consuetudine, quae potius appellari debet abusus damnandaque curruptela. Rubricae generales cum Pontificalis tum Ritualis certam ponunt regulam, ut ante Paschalem solemnitatem sacra Olea per Parochias distribuantur, nisi intercedat altera ex causis superius allatis. Non mihi est animus hic quaerendi, num sacrorum Oleorum benedictio, et consecratio, ceu nonnulli Auctores volunt a *S. Fabiano Pontifice* fuerit instituta, quod probatum non est: sed quoniam de ea mentio fit in magni Gregorii Sacramentario, et in veteri Ordine Romano; ideo sub finem saeculi sexti, vel saltem septimi initium de re liturgica Scriptores volunt saeculo septimo invaluisse morem benedicendi, et conficiendi sacra eadem Olea Feria V. in Coena Domini. Quidquid autem de hoc sit, satis nobis sunt Rituales, et a Sede Apostolica probatí Codices, quibus in Sacramentis et Sacramentalibus uti debemus. Porro Pontificale Romanum titulo *de officio in Feria V. in Coena Domini* notat et praecipit: *hac die singulis annis benedicitur Oleum Cathecumenorum et infirmorum, et conficitur Chrisma:* jubet vero Rituale Romanum de iis agens, quae ad sancta pertinent Olea: *sanctum Chrisma et sanctum Oleum, quod et Cathecumenorum dicitur, quorum usus est in baptismo, eodem anno sint benedicta ab Episcopo de more Feria V. in Coena Domini.* Huic Rubricae altera succedit, videlicet: *curet Parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat, et tunc vetera in Ecclesia comburat.* Quod autem tempus sit, ad quod referri debeat illud *curet quamprimum* clare patet ex alia Rubricae dispositione. Cum singulis annis Sabbatho Sancto baptismalis Fons sit benedicendus, et in eo nova olea Feria V. in Coena Domini sacrata debeant infundi, ut Rubrica praescribit, et habetur in *cap. Si quis de consecratione distinct* 4., consequitur curandum esse, ut quamprimum, scilicet Sabbatho Sancto eadem Olea ad Paroecias delata sint. Hoc ex Rubricarum inter se collatis dispositionibus clare deduci, et hanc esse obviam, et legitimam, non arbitrariam interpretationem a sacris Synodis passim confirmatam, quae mandant, ut Parochi ante Paschatis Solemnitatem Sacra Olea petant et recipiant. Sic Synodus Carthaginiensis IV. Canone 36. praecipit: *Presbyteri, qui per Dioeceses Ecclesias regunt . . . . a suis (Episcopis) ante Paschatis solemnitatem Chrisma petant.* Idem mandatum legitur in Synodo Vasensi Canone 3. *ut per singula Territoria Presbyteri, vel Ministri ab Episcopis . . . . per annos singulos Chrisma petant appropinquante Solemnitate Paschatis.* Adeundus aeternae memoriae Pontifex *Benedictus XIV.*

qui spartam hanc Institut. ecclesiastic. 81. solita sua eruditione doctissime illustravit.

Quod si ex iis, quae huc usque allata sunt clare patet, Parochos teneri Olea Sacra petere et accipere ante Paschalem Solemnitatem, nisi rationabilis causa intercedat, qua cohonestari queat dilatio; eruntne sine censura dimittendi Decani foranei, qui Sacra Olea jam confecta ex una dumtaxat improbanda loci consuetudine ad Parochos mittere usque ad Dominicam, quae in Albis dicitur, differunt? Ex hac autem arbitraria consuetudine, quae legitimam causam non habet, illud consequitur grave incommodum, ut, si interea contingat baptizari infantem, vel infirmum extrema unctione muniri, cogatur Parochus veteribus oleis uti, quod nefas est, dum haberi possunt recenter consecrata. Si verum est a peccato excusari non posse Parochum, seu Sacerdotem, qui sua culpa negligat, aut sub reprobandae consuetudinis praetextu olea recentia recipere, quibus utatur in administratione baptismatis, et extremae unctionis, eritne a reatu immunis habendus Decanus foraneus, qui sine causa, aut ulla necessitate, differat traditionem Oleorum ad Paroecias, usque ad Dominicam in Albis? Audiendus *Barruffaldus,* qui titul. de *sacris oleis* haec habet: *Haec olea debent esse eo ipso anno benedicta .... si Sacerdos uteretur veteri oleo, peccaret graviter, et quoque puniri debere, etc.*; et agens de Sacramento extremae unctionis inquit: *debet esse hoc Oleum illo anno benedictum ab Episcopo in Feria V. in Coena Domini, quia, quamvis Doctores allegati per Clericat. decis. 65. num. 16. concludant valide posse administrari Sacramentum extremae unctionis cum oleo veteri benedicto .... nihilominus illicite semper fit, quia est contra praeceptum de singulis annis comburendo veteri oleo et novo consecrando: attamen in casu necessitatis, deficiente novo, poterit adhiberi oleum benedictum vetus juxta responsum Sacr. Congregationis Episcoporum 20. Maji 1590 apud Gavant. in Manuale Episcoporum verboe: xtrema unctio, num. 10.* etc. Sed non omnis necessitas excusat a culpa, verum illa tantum, quae non oriatur ex negligentia et socordia Sacramentum ministrantis, ideo, ut *Barruffaldus* prosequitur: *Si necessitate non urgeatur Parochus adhibens vetus oleum, non videtur a peccato excusandus . . . . quia debet Oleum esse benedictum eo anno, ut praecipitur in cap. literis de consecr. distinct. 3. Si vero Parochus careat oleo noviter benedicto ob aliquem fortuitum casum, adeo, ut ista deficientia absque sua culpa sit, poterit vetere oleo morituros ungere, usque dum novum ipsi ab Episcopo transmissum fuerit etc.* In casu autem proposito ob paritatem rationis haud poterunt excusari Decani foranei, qui cum differant ex una tantum loci consuetudine delationem oleorum usque ad Dominicam in Albis, Parochis dant causam, ut, si interea temporis sit Baptismum administrandum vel moribundus extrema unctione muniendus, veteribus oleis utantur.

In sua quisque Episcopus Dioecesi Regularibus s. oleum prompte et liberaliter tradi curet et faciat. Clem. VIII. in Const.: *Exponi Nobis* etc. die 24. Mart. 1599.

i) Distributor.

Oleum s. debet asservari in Cathedr. et ab ejus Dignitatibus dispensari aliis Ecclesiis. S. R. C. 19. Aug. 1619.

Ad dubium: Utrum Caeremoniarius Cathedralis ratione proprii Officii cogi possit, ut distribuat Feria V. in Coena Domini S. Olea subditis Ecclesiis?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „juxta alias Decreta spectare ad Archidiaconum.“

Atqua ita rescribere censuit et declarare N. 5180. ad 2. Die 25. Sept. 1852.

k) Missa.

Cf. Missa in Coena Dom.

Ad dubium: An olea consecrari possint sine sacrificio missae et quatenus missa requiratur, an celebrari possit per Canonicum seu Dignitatem et consecratio fieri valeat per Episcopum assistentem, stante quod propter ejus infirmitatem celebrare, seu alteri Episcopo viciniori, propter difficultates itineris, comittere non possit? S. C. resp.: *Servetur Pontificale.* n. 2590 die 16. Julii 1672.

l) Presbyteri.

I. Numerus.

Vd. *Coena Dom.* (Cons. Oleor. — Assist. Canon.)

Stante penuria Episcopum in confectione Olei s. explere debere numerum Sacerdotum cum *Regularibus* Sacerdotibus n. 1354 die 11. Novb. 1641.

Praecedentiam tam in sedendo quam in processione deberi Sacerdotibus saecularibus et non Quardiano Fratrum Minorum et Priori Ordinis s. Dominici, quando simul omnes conveniunt in consecratione Olei s. per Episcopum facienda. n. 2281 die 12. Julii 1664.

Vicariatus Apostolici Ken-si.

Revme. Domine uti Frater.

Quum R. P. Fr. Aloysius a. S. Justo Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia in Ecclesia ista Ken-si Caeremoniarius S. R. C. exposuit quae sequuntur, nimirum:

Quoniam a S. Sede dispensatum fuit cum Vicario Apostolico hujus Provinciae, ut Feria V. in Coena Domini peragere possit consecrationem ss. Oleorum cum minori numero Presbyterorum quam qui requiritur ut in Caeremoniali Episcoporum ob horum deficientiam, quumque in dispensatione habeantur haec verba: *Adhibeat quo plures habere potest Presbyteros.* Quaeritur: utrum ista clausula sic intellegi debeat, ut duo Presbyteri, quorum eo die unus agit Diaconum Evangelii, alter Subdiaconum Epistolae in Missa Pontificali, debeant, quum ventum fuerit ad S. Caeremoniam supradictae consecrations, deponere Dalmaticam et Tunicellam, et Casulam assumere, ut major appareat Presbyterorum numerus ejusmodi consecrationi assistentium, dictaque ss. Olea salutantium, peractaque Caeremonia, Dalmaticam et Tunicellam reassumere ad Missam perficiendam? Notandum aliunde quod fere nunquam habeatur aliquis ex Ordine Diaconali vel Subdiaconali, qui e Secretario afferat illucque referat S. Olea, unde si non sit necesse supradictos deponere et reassumere dicta Paramenta, tunc ipsi afferunt et referunt Olea, totaque Caeremonia convenientius peragitur. Quoad cetera nil deest ad Pontificalem Missam, ceteraque illa die peragi solita, solemniter perficienda Super quibus omnibus, et singulis facta per supscriptum S. R. C. Pro-Secretarium fideli relatione, *prudenti sane consilio* constituit nil directe memorato Patri respondendum, et satius esse Amplitudini Tuae communicare propositam ab eodem praxim nullo modo adoptandam, ac proinde omnino convenientius, ut Diaconus et Subdiaconus, qui Pontificali Missae assistunt, quique in casu sunt Presbyteri, postquam ad suam sedem Episcopum comitati sunt, retentis s. vestibus, quibus induti sunt, processionaliter ad Sacrarium accedant,

ex eoque deferant Olea: inde quoad fieri potest, Episcopo, praestent singula Officia, quae a Pontificali requiruntur, et praestanda essent ab Archidiacono et Presbytero assistente, expletaque S. Caeremonia ad Sacristiam S. Olea reducant, processionaliter ad latera Episcopi revertantur, ut ei in suo quisque officio deserviat. Posita enim Apostolica dispensatione quoad numerum Presbyterorum assistentium, nulla prorsus apparet causa ad propositam praxim adoptandam. Quae singula Amplitudini Tuae communico, ut SSmi. oraculum, uti exponitur, exequutioni demandetur, et interim ipsa Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat. Amplitudinis Tuae. Nr. 5187. Romae 2. Junii 1853.

Rmo. Dno uti Fratri.
Episcopo Tienen. Vic. Apost. Ken-si.

II. Paramenta.

Duodecim Presbyteri in Consecratione Oleorum in Coena Dom. parandos esse amictu, alba, cingulo, manipulo, stola directa et planeta, quamquam non inserviunt altari sed tantum sunt Ministri pro confectione s. chrismatis. n. 2940 ad 1 et 2 die 11. Jan. 1681.

m) Processio a capella ad altare maj.

Fer. V. in Coena Dom., cum Episcopus exit a Sacrorum Custodia ad altare, debent Canonici, qui eum parati associantur. *sequi* presbyteros, Diaconos etc. qui eum comitantur, ut assistant ei Olei consecrationi. n. 3810 ad 1 die 8. Junii 1709.

n) Processio solemnis.

Vd. *Parasceve* (Processio); *Exposit. SSmi.* (in fer. V. etc.)

Non licere fer. V. in Coena Dom. facere processionem cum SS. Sacramento extra Ecclesiam. n. 481. die 11. Decbr. 1613. Processio SS. Sacramenti, quae in fer. V. in Coena Dom. fit ad sepulchrum, et a sepulchro ad altare fer. VI. Parasc., non debet fieri extra Ecclesiam. S. C. Ep. 6. Aug. 1592.

Andrien.

Beatissimo Padre.

Il Capitolo della Cattedrale della Città di Andria nel Regno delle Due Sicilie unitamente al Clero, e Popolo umilmente espongono alla Santità Vostra, che da tempo immemorabile si é quivi costumato nel Venerdi Santo dopo le Funzioni della mattina riporsi in apposita Urna decentemente ornata, ed a ciô destinata la sagra Particola, che processionalmente si porto per la città sostenuta da quattro Sacerdoti scalzi. Grande si é stata sempre la commozione, e divozione insieme in tal circostanzia, ed é perciò che con sommo rammarico udirono, che Monsignor Vescovo inibiva tal Processione, e divota Ceremonia, finchè non se ne fosse riportata l'approvazione dalla Santa Sede. Premurosi però ricorrono alla Santita Vostra, perchè a riguardo della lunga consuetudine, e sull' esempio ancora di quanto pratticasi nelle Diocesi di Trani, e Barletta, ed in altri Luoghi, voglia benignamente condiscendere alla loro petizione tendente solo a ricordarsi con effeto quanto in quel giorno il Salvatore del Mondo operò, sostenne, e compi per la Redenzione del Genere umerno. Che etc.

In Congregatione ordinaria ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata Emi. et Rmi. Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi rescribendum censuerunt: „Scribatur Episcopo laudando Decretum ab ipso latum de Processionis abolitione, idemque in posterum omnino servetur.“

Die 16. Decembris 1828 n. 4647.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRET.

Rescriptum S. R. Congregationis, quo laudandus decernitur Episcopus, qui Decretum tulit pro abolitione hujusmodi Processionis, quo etiam praecipitur, ut in posterum servetur, novum non est. Haec S. R. Congregationis responsio ab alia non discrepat responsione, sed illi prorsus conformis est, qua in una Mantuana Episcopi Litteris satisfecit, qui postquam prohibuit undecim suae Dioecesis Oppidis deferri SSmum. Sacramentum processionaliter Feriis V. et VI. majoris hebdomadae, S. ipsam Congregationem de hac re consuluit, a qua Episcopus laudatus fuit, et ejus pariter Decretum fuit confirmatum. Laudandi sane sunt Episcopi, qui irreptos paullatim abusus eliminare student, vel ritus Ecclesiae rite servari praecipiunt, vel novos induci, aut veteres, et adprobatos ab Ecclesia ritus quodamodo corrumpi vel immutari sentiunt; laudandi, inquam, sunt Episcopi, ad quos ex Litteris Apostolicis Summorum Pontificum, quae Caeremoniali Episcoporum, Pontificali Romano vel praefiguntur, vel in fine referuntur, spectat ex officio advigilare, ut omnia rite serventur, quae ab Ecclesia in ritibus, et caeremoniis sunt constituta, et in dubiis, quae passim occurrunt, S. R. Congretionem adire, eamque consulere, et ab illa Sententiam et Decreta perquirere, ne ritus ipsi immutentur, corrumpantur, ut Divini Cultus majestas per inscitiam, negligentiam, vel novitatis amorem vilescat. Laudandus quidem, iterum dicam, jure est Episcopus, qui hanc processionem cum Sanctissimo Sacramento prohibuit, quia hac die passionis et moestitiae non convenit: adversatur enim ritui, caeremoniis, ac mysteriis, quae in Ecclesia universa hoc tempore recoluntur, ac celebrantur: nam post processionem SSmi. Sacramenti ad Sepulchrum, strictiori quo potest fieri modo et sensu passionis mysteria incipiunt, quemadmodum evincunt Altarium denudationis vetustissimus ritus ab Ordinibus Romanis praescriptus, qui, ut Durandus, Aluinus, Amalarius, mysticas hujus ritus et varias significationes assignantes sentiunt, vel Christum vespertinis horis suis discipulis nudatum significat (et ideo immediate post Vesperas denudantur Altaria) vel, ut opinatur Rupertus, et cum eodem Durandus, Christum in crucifixione suis expoliatum vestimentis designat, quae inter milites divisa fuerunt, ut non obscure indicat Antiphona, quae in Altarium denudatione dicitur: *Diviserunt* sibi etc., vel item Christum Passionis suae tempore amisisse speciem et decorem.

Eamdem repugnantiam ostendit vetustissima Ecclesia disciplina, quae diem prorsus aliturgicum sequentem Feriam sextam agnovit, qua cum memoria recolatur cruenti in Cruce Jesu Christi sacrificium cessat ab incruento Missae sacrificio celebrando. Ad quid, quaeso, expoliantur Altaria, Templa suis ornamentis carent, silent Instrumenta omnia Ecclesiastica, et pro campanis Crotalum ad convocandum ad Ecclesias populum adhibetur? Nisi ad indicandum Ecclesiae luctum ob passionem et mortem Christi Domini Sponsi sui? Cur lampades, quae ante Altaria lucent, extinguuntur? Omnia profecto moestitiam et luctum sive in Templis, sive in Altaribus, sive in Ministris annunciant, ut Fideles per haec exterioris tristitiae signa Christi passionem recolant, mortem ejus meditentur, et cum lugente Ecclesia lugeant et ipsi Filii. Jam quid commune esse potest cum moerore et laetitia, cum lacrymis et gaudio, cum pompa et luctu? Quid demum cum Christi morte juxta Ecclesiae intentionem, et triumphali cum SSmi. Sacra-

menti Processione his diebus, quibus ipsa incruenta Sacrificia cessari Ecclesia praescribit? Hujusmodi itaque Processio contra ipsius Ecclesiae mentem perageretur, quia adversatur peculiaribus ritibus dierum, peculiaribus mysteriis, ad quae consideranda et celebranda Ecclesia signis etiam externis, filios suos excitat, invitat. Per hoc ipsum Processiones omnes, quae hac die prohibentur (si Ecclesiae spiritum, et mentem inspiciamus), vetitae etiam censeri debent sequenti die. Haud hic loquor de Processionibus, quae ad Passionis ac mortis Christi mysteria referentur. Non est hic mei muneris de illis inquirere, cum de his neque Decretum agat. Vetitae, dixi, censeri debent Processiones sequenti etiam die. Et sane extat de hac re Decretum Congregationis Episcoporum. *Processio solemnis aliquo certo die facienda, si cadat in Feriam sextam Parasceve, eo Anno transferenda est in alium diem.* Ita decretum fuit 25 Februarii 1598 ut legi potest apud *Cavalerium Tom. 4. c. 2.* Transferenda est Processio juxta allatum Decretum. Igitur in Parasceve facienda non est, et ratio patet manifestissima; siquidem huic diei non convenit solemnitas et festivitas, et quidquid solemnitatem potest redolere, sed moestitia et luctus, haec sola conveniunt. Haec tamen aeque conveniunt toto Passionis, et mortis Christi triduo. Ex hoc sequitur Processiones laetitiae celebrandas non esse a Vesperis Feriae IV. majoris hebdomadae usque ad Sabbathum Sanctum inclusive, quorum dierum spatio, licet etiam in antecedentibus singulari modo Ecclesia ad luctum moestitiamque componitur. Et quamvis videri posset in Sabbatho Sancto post meridiem, juxta hodiernam disciplinam, Paschali cantato Praeconio et incoepto Resurrectionis gaudio celebrari posse solemnes processiones, nihilominus laudabile non esset illas peragere: quia etsi Ecclesia Paschale praeconium annuntiat, et si in Missa canat *Alleluia* vocem exhibendo, quae cum jubilo Deum laudare vi hebraicae vocis significet, ac proinde ad laetitiam invitet, tamen ostendit gaudium suum plenum adhuc non esse, et in ipsa Missa hanc vocem ipsam cum *Tractu*, vocabulo nempe moestitiae conjungit; ex quo liquet gaudium cum luctu Ecclesiam miscere; et si gaudium Paschale est, plenum tamen completumque non est, nam Christi Resurrectio nondum plene, perfecteque est patefacta. Eadem ratione in Missa ad Evangelii cantum luminaria non deferentur ad significandum Angelos annuntiare quidem nobis Christum resurrexisse; quemadmodum Evangelium, quod canitur, annuntiat, sed nondum Christum, qui resurrexit, manifeste apparuisse. Item quibusdam caret Missa partibus, ad indicandam hanc incompletam Ecclesiae laetitiam: caret Introitu, Graduali, Offertorio, Symbolo, Communione, vel quia, ut putat *Durandus* cap. 25 num. 2 et *Belethus cap. 111*: sicut Introitus, ut alias de cujusque partis omissione rationem omittam, quae ab Auctoribus proferuntur, est caput Missae, et Christus nostrum est caput; ita omittitur ad significandum Christum Dominum nobis subtractum, et in sepulchro silentem manere, et quamvis resurrexit, nocte tamen Resurrectionis suae Discipulos ipsum surrexisse adhuc ignorare; vel quia, ut *Rupertus de divin. offic. lib. 7. cap. 11* opinatur, cum tam Introitus, quam aliae partes, quae omittuntur, considerari possint tamquam totidem ornamenta solemnis diei, detrahuntur diei ipsi licet jucundo, licet festivo ad indicandum moerorem, ac tristitiam, qua Ecclesia adhuc quodammodo afficitur. Et si nihilominus Ecclesia, ut innui, per Levitas suos solemniter Paschalia

gaudia filiis suis annuntiat; si laetitiae vestes Ministris suis praescribit, si Altaria festivo ornantur apparatu; haec omnia, aliaque, quae offeri possent, si cum aliis omnibus conferantur ritibus, et caeremoniis superexpositis, non comprobant plenam perfectamque ejus laetitiam, et per anticipationem fiunt. Nam hujus Sabbati dies nullum per se de die Officium haberet, et esset per se, inspecta aeque ac praecedens Feria VI., dies aliturgica, et totum Officium antiquitus erat sequentis noctis ejusdem Sabbati. Haec omnia, quae sunt huc usque adnotata, si quis attente consideret, facili negotio sibi persuadere poterit, solemnitates omnes, quae cum imperfecta laetitia non conveniunt, quae cum gaudio et moerore simul componi nequeunt, prorsus excludi, ac proinde Processiones, de quibus sermo est in Decreto, locum memoratis diebus, nempe Feria V. et VI. majoris hebdomadae, habere non posse, ac jure proinde Episcopum esse laudandum, qui illas prohibuit, et Decretum ab eo latum servandum in posterum esse, et sapienter Sacrorum Rituum Congregatio sancivit.

De Coena Domini cf.:

Crux (velam.); *Mandatum*; *Lotio pedum; Missa in Coena Dom. Celebrans* aegroto Episcopo, Vd.: *Episcopus aegrotus. Annuntiatio B. V. M.; S. Joseph*; *Officia hebdomadae s.*

COGNOMINA.

1) In Orationib. pro defunctis.

Vd.: *Off. Def. (Orationes;* decr. n. 4687 nota.)

2) Sanctorum,

a) Dicenda.

DECRETUM GENERALE.

Pluries dubitari contingit: utrum in Orationibus Sanctorum Joannis Episcopi Constantinopolitani, et Petri Episcopi Ravenaten. Cognomina Chrysostomi, et Chrysologi proferri deberent, jubentibus Sacrae Liturgiae legibus, quod Cognomina ex Ecclesiae precibus omnino expungantur: quae sane controversia nuperrime in quadam Etruriae Civitate excitata, delata est ad Sacrorum Rituum Congregationem pro opportuna definitione. Haec autem in ordinario Conventu coactu sub infrascripta die, re mature, diligenterque perpensa, audito prius Voto R. D. Assessoris, ad infrascripti S. R. C. Secretarii Relationem, etsi perspectum habeat Sanctorum Cognomina, vel Patriam non esse in Orationibus apponenda, quum horum Deus non indigeat ad dignoscendum in cujusnam Servi sui, nomine Oratio sibi dirigatur, nihilominus, quoniam non abest ab Ecclesiae disciplina, ut peculiaris aliqua virtus mirificumque donum significetur, ob quae unus, aut alter ex Sanctis caeteris praeluxit, ab hujusmodi lege excipere ea censuit, quae minus proprie Cognomina dici debent, sed potius characterem Sancti alicujus, vel donum illi a Deo collatum exprimunt.

Adeoque Emi. Patres

S. R. C. praepositi in sensu fuere: „Non esse in Orationibus expungenda nomina Chrysostomi, ac Chrysologi, quae adjectiva potius sunt, et vel facundiam, vel vim, et efficaciam divini sermonis recensitis Sanctis, quasi supernaturali inditam virtute designant, idque ubique servandum censuere, si SSmo. Domino Nostro placuerit.“

„Die 5. Martii 1825.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo. Domino Nostro Leoni XII. Pontif. Max. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sensum adprobavit, jussitque edi Decretum generale,

atque, ut ab omnibus servetur, referri mandavit in Acta ejusdem Congregationis, ac typis evulgari.

Nro. 4610. Die 8. supradicti Mensis, et Anni.

NOTA GARDELL. AD HOC DECR:

Dubitatum saepe fuit, num in Orationibus recitandis in Officio et Missa *S. Joannis Constantinopolitani Antistitis, et S. Petri Episcopi Ravennae* addi possent agnomina *Chrysostomi, et Chrysologi*, an potius omitti vigore Decreti ab hac S. Congreg. editi in Einsilden. *23. Junii* 1736., quod jubet ut *expungantur omnino in Orationibus tantum cognomina et Patriae Sanctorum*. Jure autem super hoc rogata S. R. C. definivit, stricte accipiendum esse praefatum Decretum, nec extendi ad agnomina, vel pronomina specialis praerogativae, qua Sancti decorantur. Ratio autem discriminis est, quia familiae cognomina, et Patriae designatio distinguunt personam ab aliis, quibus idem nomen est, et cum Oratio dirigatur ad Deum, non est opus, ut Sanctus, cujus memoria recolitur, cognomine aut Patria ab aliis eiusdem nominis secernatur. Etenim, ut notat Cavalerius *tom. 2. cap. 38. decr. num. 4.: In Orationibus . . . . Deum alloquimur, qui haud eget instrui, cujusnam Sancti intercessionem postulemus, quare ab Orationibus, aliisque, quae ad Divinum pertinent Officium, merito ad distinctionem Patria apponi vetatur:* et ibidem *decr. 2 num. 2. ubi in praecedenti decreto ab Orationibus Patria expungi dumtaxat praescribitur: modo et Patria, et cognomina expungenda dicuntur. Sicuti namque in praecedenti decreto ponderabamus, Deum, quem in Orationibus alloquimur, ut intelligat cujus Sancti praesidium, imploramus, cognomine aliquo nefas est indignum reputare.*

Non ita dicendum de pronomine, quod includit, atque designat specialem quamdam qualitatem seu praerogativam, qua Deus decoravit Sanctum, de quo recitatur Officium, uti sunt *Joannes Chrysostomus* et *Petrus Chrysologus*. Non enim pronomen adjicitur, ne confundantur cum aliis Santis ejusdem nominis, uti sunt familiae cognomen et indicatio Patriae, sed adjicitur ad recolendum singulare donum iisdem concessum, quod ad Dei donantis gloriam referetur, et ad fidelium aedificationem. Praefatus Cavalerius ibidem *decreto 1. num. 5.* postquam a regula excipiendas esse docuerat *Mariam Magdalenam, Mariam Aegyptiacam*, aliasque Sanctas, quae *Mariae* nomen habent, ut distinguantur a *Maria Christi Matre, quam sicuti dignitas a caeteris mulieribus admodum distare facit, ita congruit eadem secernatur, ita ut Mariae nomen absolute, et simpliciter pronuntiatum, Matri Christi dumtaxat adaptetur*: prosequitur *ad decret. 2 num. 4.: ab hac regula* (vetante additionem cognominis et Patriae) *exciperemus agnomina illa, ut Chrysostomi et Chrysologi etc., quae tituli honoris sunt et praesertim quia novissime cum hoc titulo in Breviarium S. Petrus Chrysologus invectus fuerit:* videri etiam potest Gayetus *in Hortologia lib. 3. cap. 2 quaest. 5.*

Et revera, si in Orationibus id exprimendum est, in quo magis emicuit Sanctus, de quo celebratur memoria ad fidelium aedificationem et exemplum: curnam tacendum erit pronomen, quod donum Dei includit et pandit, veluti sunt *Chrysostomus et Chrysologus?* Nonne haec duo pronomina miram exhibent in dicendo facundiam, et in suadendo efficaciam, qua *Joannes et Petrus* fuerant insigniter a Deo ditati, ut docerent, instituerent, corriperent, animarum spirituali saluti con-

sulerent, ac devios in vias Domini revocarent? Numne grande hoc Dei donum, quod nedum honorificum est illis, quibus datum est, verum etiam in elargitoris Domini gloriam convertitur, cui soli debetur laus, honor, et gratiarum actio, in Orationibus tacendum erit? Numne hujusmodi pronomina confundenda sunt cum familiae cognomine, et designatione Patriae, de quibus dumtaxat loquitur Decretum anni 1736.? Res tamen clara ulteriori illustratione non indiget; et cessat modo quaelibet controversia, postquam S. C., re mature discussa, pronomina illa retinenda esse declaravit, ut patet ex relato Decreto. Firmum igitur stat, quod per Decretum *anni* 1736. delenda ex Orationibus sunt familiae cognomina, Patriae designatio, et aliae quaelibet additiones, quae ideo invectae sunt, ut Sanctus ab aliis eodem nomine nuncupatis distinguatur; non autem pronomina, quae honoris sunt, et ad significandam Sancti, de quo fit Officium, singularem a Deo ipsi datam qualitatem, apponuntur.

Juxta Decretum S. R. C. die 23. Jun. 1736 expungi debent in Orationibus cognomina et patriae Sanctorum; idcirco in aliquibus editionibus Brev. Rom. in Oratione S. Petri Coelestini die 19. Maji ponitur tantum: *Deus, qui beatum Petrum,* in aliis vero tam antiquis, quam novis additur: *Coelestinum,* quia juxta Responsum Romanum die 6. Maji 1747. (quod creditur authenticum) excipiuntur a Decreto citato nomina Sanctorum characteristica, quae exceptio firmatur per Decretum Gen. diei 8. Maji 1825. Idem est de Oratione S. Joannis Gualberti die 12. Julii, in qua additur *Gualberti* in aliquibus Breviariis, in aliis vero omittitur. Quaeritur ergo:

An in Oratione Petri Coelestini solummodo dici debeat B. Petrum, non addendo Colestinum; et an in Oratione S. Joannis Gualberti omitti debeat Gualberti, vel addi?

Et S. eadem C. respondendum censuit. „Posse addi *Coelestinum*, debere omitti *Gualberti*, quum non sit nomen."

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. N. 4985. ad IX. I. Die 7. Dec. 1844.

Vd. Cogn. SS. (non dicenda; decr. n. 5157; 4746.)

b) Non dicenda.

Vd. *Officium Def.* (Orationes. decr. n. 4687 nota.)

Fratribus Ordinis Minor. S. Francisci de Paula non licet in Lytaniis, Orationibus, Versiculis caeterisque actibus inter divina Officia occurrentibus nomen dicti Francisci invocare cum expressione *de Paula.* n. 947. die 14. Febr. 1632; 23. Decb. 1624.

Expugnantur omnino in Orationibus tantum Cognomina et Patriae Sanctorum. n. 4044 (2do) ad 2 die 23. Julii 1736.

Ad dubium: An die 12. Julii ab Oratione sit omnino expungendum verbum, „Gualberti", etsi Auctor Cavalieri contendat, quod non sit cognomen, sed nomen S. Joannis Gualberti? S. ipsa C. respondendum censuit: „Affirmative juxta Decretum in Mechlinien. die 7. Dec. 1844 ad IX."

Atque ita rescripsit, declaravit, servarique mandavit die 29. Martii 1851. Nr. 5157. ad 5. Vd. *Cognomina SS.* (dicenda; decr. n. 4985.)

Ad dubium: Utrum in Oratione S. Joannis Episcopi Alexandrini ob insignem erga pauperes misericordiam cognomento Eleemosynarii, hoc Eleemosynarii adjunctum recitari debeat, sicuti fit de Chrysostomo, deque Chrysologo?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative."

Atque ita rescribere censuit, et declarare, Nr. 5180. ad 8. Die 25. Sept. 1825.

Ad dubium: Juxtra Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 5. Maji 1736 ab Orationibus expungenda sunt cognomina, et patriae Sanctorum: an igitur die XII. Julii expungendum est nomen Gualberti? Sunt qui contradicunt? S. C. resp.:

„Affirmative juxta Decretum in Einsidlen. Die 5. Maji 1736.

Die 23. Maji 1835. n. 4746 ad 3.

COLLECTA.

Vd. *Oratio.*

COLOR PARAMENTORUM.

1) Altaris.

Vd. *Altare*; *Expositio SSmi.*; *Vexillum.*

2) Aureus.

Ad dubium: An S. Paramenta coloris aurei inservire possint pro coloribus albo, viridi, rubro?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Negative.“

Atque ita rescribere censuit, et declarare.

N. 5152. ad 5. Die 29. Martii 1851.

3) In Festo ss. Redemptoris.

In Celebratione festi SS. Redemptoris Jesu colorem album adhibendum esse. n. 5131 ad 1 die 22. Julii 1848.

4) In Missa.

Vd. *Sacerdos caecutiens; Missa de et coram SSmo.*; *Elias*; *Missa in aliena Ecclesia; Missa concordans cum Officio.*

In diebus dominicis, quibus tam Fratres (Regulares) quam exteri celebrant de dominica, possunt exteri coloribus uti paramentorum, quibus utunter Fratres ratione alicujus octavae et Fratres celebrantes in alienis Ecclesiis uti possunt coloribus juxta ritum earumdem. n. 3586 ad 3 die 11. Junii 1701.

Sacerdotes confluentes devotionis gratia non possunt celebrare in Eccles. Monial. missas de Beatis non Canoniz. ipsarum Monasteriis concessas sed celebrare missam de die et se conformare debere confluentes Officio proprio, quatenus color param. Ecclesiae Monialium, in qua celebratur festum, sit idem nec disconveniat. Secus vero alibi celebrandum. n. 3508 ad 2 et 3 die 11. Juni 1701.

Ad dubium: Cum ex privil. Sedis ap. concessae sunt Indulgentiae Mysteriis s. Joseph Confratribus ejusdem et affixae dominicis privilegiatis, ut dominica Quinquag.: utrum in talibus dominicis ob concursum populi, cantata sol. missa vot. de s. Joseph, qualis in aliis privatis missis celebrandis debeat adhiberi color, an violaceus competens dominicae, an albus competens solemnitati ob concursum populi et expositionem SSmi., et utrum fieri possit commemor. de s. Joseph? S. C. resp.: color parament. in missis privatis nullo habitu respectu colori adhibito in quavis missa vot. sol., semper is esse debet, qui convenit Officio in illa die occurenti. n. 4134 ad 5 die 1. Decb. 1742.

Rhemen.

Rmme. D. uti Frater.

Quum Sacerdos Joannes Petrus Cadot Vice-Parochus Eccl. S. Jacobi Civitatis Rhemensis S. R. C. exposuerit, plures Sacerdotes in Civitate 'non minus, quam Dioecesi Rhemensi, annuente Amplitudine Tua, in Divinis Laudibus persolvendis se conformare Breviario, ac Missali Rom., eosque ut plurimum dubios haerere quoad colorem Paramentorum in Missae Sacrificio nimirum: an sequi debeant quoad

colorem Rubricas Kalendarii Rhemensis, vel potius adigantur adhibere quoad colorem indictum in Kalendario Rom.? S. eadem C. ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, quin aliquid memorato Sacerdoti responderet, satius duxit ad Amplitudinem Tuam scribere, eique communicare, ut qua praestat prudentia, Sacerdotes ipsos commoneat vetitum omnino esse se conformare colori convenienti Officio, quod recitant juxta Breviarium Rom., dum in publicis Eccl. diversus est color, quia in Kalendario Rhemen. Officium ritus dupl. occurit; ac proinde tunc solum teneri ad expetendum colorem Officio Romano respondentem, quum Semiduplicia occurrunt in Kalendario Rhemensi. Dum Amplitudini Tuae mentem S. C. aperio, diu felix et incolumis vivat. n. 5075. Romae 27. Febr. 1847.

Rmo. D., uti Fratri, Ep. Rhemensi.

Non licet in Missae celebratione aliisque ecclesiasticis functionibus adhibere paramenta etiam pretiosa, quae non correspondeant coloribus a rubrica praescriptis S. R. C. 19. Decb. 1829.

5) In missa Dominicae infra octavam.

In casu, quo recitatur officium de dom. per annum occurrente infra aliquam octavam cum commem. festi dupl., quae praefertur illi diei infra octavam, adhibendus est in missa color conveniens octavae. n. 4378 ad 8 die 15. Juni 1776.

Ad dubium: In dominicis infra octavam ss. ap. Petri et Pauli et Dedicationis Ecclesiae color paramentorum debet esse rubeus vel albus? S. C. resp.: Servandam rubricam et colorem parament. in casu debere esse rubeum vel album, prout exigit diversitas octavarum. n. 4594 ad XV die 12. Apr. 1823.

6) In missa coram exp. SSmo.

In altari, ubi est publice expositum SSmum, si celebretur missa diei, celebrari debet cum paramentis festo seu Officio convenientibus. n. 4223 ad 3 die 29. Jan. 1752.

7) In missa. (Mixtus color.)

Ad dubium: Quum in Hispania nunc temporis multae sint Eccl. pauperes; quaeritur: an saltem in eis possit permitti in celebratione Missarum tam pro S. Confessoribus, quam Martyribus, ut adhibeatur unum idemque Paramentum ex duobus coloribus albo scilicet et rubro contextum? Et similiter unum idemque Paramentum aliud ex violaceo et viridi coloribus compositum pro diebus, quibus convenit color violaceus, vel viridis juxta Rubricas?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Recurrat ad Ordinarium."

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. N. 5050 ad 7. Die 23. Mai 1846.

Ad dubium: Potestne continuari usus illarum Ecclesiarum, quae pro colore tam albo, quam rubro, viridi, et violaceo utuntur paramentis vel flavi coloris, vel mixtis diversi coloris floribus? praesertim si colores a Rubrica praescripti in floribus reperiantur? In Rubrica Missalis Fratrum Ordinis Praedicatorum num. 6 legitur: *In diebus vero illis solemnibus . . . . uti possumus pretiosioribus paramentis cujuscumque sint coloris, dummodo non sint nigri.* S. C. resp.: „Servetur strictim Rubrica quoad colorem Paramentorum." n. 4669 ad 54 die 12. Novbr. 1831.

Marsorum.

Perlectis resolutionibus datis ab hac Sacra Rituum Congregatione sub die 12. Novembris superioris anni 1831 nonnullis Dubiis propositis ex parte Reverendissimi Marsorum Episcopi, solutionem, seu declarationem iterum postulavit quoad Dubia 54 et 46. Attenta siquidem Ecclesiarum paupertate Decretum novum expostulavit ad tramites alterius quoad Sacram Suppellectilem ex Gossypio confectam, nimirum, ut sublata obligatione servandi strictim Rubricas quoad Paramentorum Colores, sicuti 54. Dubio responsum fuit, Casulae ex variis coloribus assutae, vel flavi tantum coloris tolerari possint quoadusque consumerentur. S. C. resp.: „In decisis.“ n. 4684 die 7. Apr. 1832.

Ad dubium: Utrum liceat uti colore flavo, vel caeruleo in Sacrificio Missae et expositione Sanctissimi Sacramenti? S. C. resp.: „Negative.“ n. 4707 ad 2 die 16. Mart. 1833; 23. Sept. 1837.

8) In missa, quando subsequitur Processio.

Vd. *Instructio Clem.* §. XVIII. n. 2—6 §. XIX. n. 11.

9) In missa. (Unus color pro pluribus.)

Paramenta coloris flavi adhiberi non possunt pro quocunque colore. n. 4815 ad VIII. 1. die 22. Sept. 1837.

Item paramenta confecta ex serico et aliis coloribus floribusque intexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, usurpari non valent mixtim pro albo, rubro et viridi. *Ibid. ad VIII. 2.*

Ad dubium: An usus coloris *caerulei* in s. paramentis permitti possit pro colore albo, uti fieri assolet in missis B. V. M. vel potius violaceo? S. C. resp.: Negative in omnibus et usum caerulei coloris veluti abusum eliminandum. n. 4847 ad 2 die 23. Februar 1839.

Pisana.

Emmi. et Rmmi. Signori.

L'odierno Arcivescovo di Pisa Ranieri Alliata rappresenta con profondo ossequio all' Emze Vostre Rme, che dopo aver proibito ad un Nobile Signore di far celebrare la Santa Messa, e di esporre il SSmo. Sagramento nella di lui Capella publica di Campagna colla Pianeta e Piviale di Broccato paonazzo, dietro le assicurazioni, che aveva avuto tanto dal defunto Mons. Fornici, che da Mons. Perugini Sagrista della Pontificia Capella „ch'era stata fissata la massima di non ammettersi fuori che il fondo del Drappo per il colore, che può usas secondo il Rito senza attendere nè il recamo, nè i fiori“ e che percio non si poteva permettere nè il Piviale paonazzo per le esposizioni del SSmo. Sagramento, nè la pianeta di broccato di fondo paonazzo per la Messa, allorchè il colore dev'essere bianco, o altrimenti; ha potuto risapere, che lo stesso Cavaliere, lo ha fatto usare anche in quest'Anno ad onta della sua proibizione, solo perchè un'Ecclesiastico gli aveva detto che gli ordini emanati dalla sa. me. Leone XII erano veri, ma portavano ancora, che fino a tanto che durassero i vecchi Paramenti di altri colori, fosse tollerato l'uso di quelli anche per l'Esposizioni, purchè nel farli nuovi si stesse alla regola stabilita.

Questa eccezioni non essendo stata rilevata dai sullodati Prelati allorchè gl'interpellò, non crede che possa sussistere, e d'altronde per procedere con ogni regolarita sottopone alle ellevate menti dell'Emze Vostre Rme come l'organo piu diretto, la presente questione, affinchè si degnino accordargli quella risolutione, che crederanno poter

convenire, Oude ec. Perillustris et Rme. Dne. uti Fr. Acceperunt Eminentissimi Patres Sacrorum Rituum Congregationi praepositi ex tuo supplici libello, quem huic reperies fasciculo insertum, in quodam rurali publico Sacello sacras peragi Functiones, nec non sacrosanctum Missae sacrificium cum Paramentis textilis serici violacei coloris, etiamsi Missae colori non respondeant. Quae omnia quum Emi. Patres Rubricarum dispositionibus obstare cognoverint, et ex parte Sacrorum Rituum indemnitati provideri posse confiderint, rescribendum censuerunt in Congregatione ordinaria sub infrascripta die coacta ad Vaticanum: „Archiepiscopus provideat omnibus juris remediis etiam nomine Sacrae Congregationis.“ Et Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem. Die 19. Decembris 1829. „Rmo. Archiepiscopo Pisano.“ n. 4653.

Vicen.

Inter postulata a Rmo. Episcopo Vicen. in Visitatione ad Limina transmissa unum extat, quo ipse jure conqueritur de confusione colorum in paramentis sacrosancto Missae Sacrificio, aliisque Ecclesiasticis Functionibus deservientibus, quae etiamsi Sacris Ritibus opposita, in dicta tamen Civitate, et in ceteris Episcopatus Ecclesiis conspicitur. Huic propterea abusui providere, immo de medio tollere volens, humillime supplicavit idem Episcopus pro opportuno remedio. Et Sacrorum Rituum Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto respondendum censuit: „Serventur omnino Rubricae Generales, facta tamen potestate Episcopo indulgendi, ut in Ecclesiis pauperibus permittat illis uti donec consumentur. Die 19. Decembris 1829.“ n. 4655.

10) In Missa de Requ.

Vd.: *Communio in missa de requ.* (decr. n. 5111). *Indulgentia altaris privil.*; (Color. parament.) *Altare privileg.*

Servandum esse decretum Vicarii in Ecclesia *Cathedr.* (Oritanae) ne in posterum celebrentur missae defunctorum nisi cum colore nigro vel saltem violaceo. Quo vero ad alias Ecclesias planetas hujusmodi facere non valentes et proinde qualibet colori uti solitas, audiendum esse eundem Vicarium. n. 2504 die 21. Juni 1670.

Ad dubium: An possit dici missa de Requ. in paramentis violaceis, ut praeberi possit s. Communio cum particulis praeconsecratis? S. C. resp.: Serventur rubricae. n. 4815 ad III. 2 die 22. Sept. 1837.

Ad dubium: 1. An liceat Sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare missam de Requ., ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt celebrandi secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quaenam sit illius intentio, pro defunctis necne?

2. An liceat Sacerdotibus uti param. nigris et celebrare missam de Requ., ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt celebrandi pro vivis?

S. R. C. resp.: Ad 1: Affirmative.

Ad 2; Affirm., quando non diverse praescripserit, qui dedit eleemosynam. Die 29. Novb. 1856.

C. Ep. Alban. Card. Patrizi.

11) In missa de Req. cor. SSmo.

In expositione SSmi. *occasione 40 hh. occurrente in die Commem, omn. fid. def.* possunt dici missae sol. et privatae de Requ. Quaeritur: an adhiberi debeant paramenta coloris violacei vel nigri? S. C. resp.: Arbitrio superioris localis. n. 4477 ad 2 die 16. Sept. 1801.

12) In miss. vot. B. V. M.

Vd.: *Sacerdos caecutiens* (decr. n. 4498.)

Ad dubium: Quo colore utendum est pro missis votiv. B. V. M. in sabbatis in illis Ecclesiis, ubi fit de martyre dupl.? Adhiberi debet color albus. n. 4395 ad 4 die 18. Decb. 1779.

13) In Vesp. cor. SSmo. et in vesp. cum subsequ. processione.

Vd: *Instructio Clement.* §. XVIII. n. 1—5.

COLOR VELAMINIS CRUCIS.

Vd.: *Crux* (Velamen.)

COMMEMORATIO.

1) SS. Apostolorum omnium.

(Cf. *Commem. SS. Apost. Petri et Pauli.*)

Per Decretum die 9. Apr. 1802. datum, et in quibusdam Breviariis insertum in Festo SS. Ap. Petri et Pauli fit commemoratio omnium Apostolorum in I. et II. Vesp. ac in Laudibus per proprias Antiphonas, et fit etiam in Missa, Item in quibusdam Missalibus invenitur commemoratio omn. SS. Martyrum in Festo S. Stephani Protomartyris, sed non reperitur haec commemoratio in Breviariis. In novis Missalibus Communio Missae in Festo S. Petri Chrysologi die IV. Dec. differt a Communione Missae de Communi Doctorum, cui substituitur alia, quae incipit: *Domine quinque talenta.* Convenitne, ut hae nostrae Rubricae ad Dioecesim extendantur?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative quoad primam partem, nisi constet de speciali concessione: affirmative ad secundam.“

Atque ita rescripsit, ac servari praecepit eadem in Archidioecesi. Die 12. Sept. 1840. N. 4904 ad 1.

Syrcusan.

Ex Apost. Literis in forma Brevis usque ab anno 1828 IV. Id Apr. expeditis super reductione Festorum in regno utriusque Siciliae s. m. Pius Papa VII. edixit, ut Officio ac Missae SS. Ap. Petri et Pauli III. Kal. Jul. adderetur commemoratio omn. SS. Apostolorum, et omn. SS. Martyrum. Verum quum interdum hoc SS. Apostolorum Festum occurat ipsa die octavo SSmi. Corp. Ch., Rmus. Syracusan. Antistes S. R. C. enixe rogavit, ut declarare dignaretur, num hujusmodi in occursu enunciata comm. SS. Apostolorum et Martyrum, utpote Festo SS. Ap. Petri et Pauli adnexa, fieri debeat ante comm. diei oct. SSmi. Corp. Chr.? Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ord. Coetu, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: „Quum nihil praescribatur in enunciato Ap. Brevi, praecedere debet comm. Octavae SSmi. Corp. Ch.“ Atque ita servandum mandavit. n. 5045. Die 23. Maji 1846.

Quum s. m. Pius Papa VI. de anno 1798. XV. Kal. Junii indulserit, ut in Festo SS. Ap. Petri et Pauli III. Kal. Julii adderetur comm. omn. SS. Ap. in Vesperis, Laudibus ac Missa; ac ut comm. omn. SS. Mart. apponeretur in Officio et Missa S. Stephani Protomart. VII. Kal. Jan., in Belgio varia est praxis quoad memoratas Commemorationes; alii siquidem contendunt faciendas esse sub unica, alii sub diversa conclusione, proindeque quaeritur: An in praedictis Festis Oratio pro comm. uniri debeat in Missa Orationi Festivitatis sub unica conclusione, an potius dicenda sub distincta conclusione?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.“

Atque ita rescripsit, definivit, ac

servandum esse mandavit. N. 5049. Die 23. Maji 1846.

Commemoratio Omn. SS. Apost., facienda in Solemnitate ss. ap. Petri et Pauli, non habet locum in die festivitatis vel in dominica, in quam solemnitas transfertur. Item de comm. omn. ss. mart. pro Ecclesiis, in quibus Solemnitas S. Stephani uti Patroni item ad dominicam transfertur n. 4746 ad 14 (2 u. 3) die 23. Mai 1835.

2) SS. App. Petri et Pauli.

Ubi festum s. Petri ad Vincula vel Conversio s. Pauli est *Titulus* Ecclesiae semper per octavam facienda est commemoratio distincta alterius, prout in die Festo. n. 4119 ad 10 die 2. Sept. 1741.

Cf. *Commem. ss. Apost. omnium.*

2) B. V. Mariae.

Vd.: *Suffragia*; *Commem. octav.* (ordo, decr. n. 4566); *Vesp. dimid.* (decr. n. 4393.)

Ad dubium: an *in Basilica s. Mariae Maj.* in Officio SS. Nominis Mariae, facienda sit commem. de eadem Octava? S. C. resp.: Nunquam satis laudes et commem. in hon. B. V. M. recitare posse. Et ideo laudabile, ut in *praefata Ecclesia* B. M. V. dicata, praedicta commem. habeatur n. 3060 die 17. Junii 1684.

In festo ss. Nominis B. V. M. non est facienda comm. de octava Nativit. B. V.; nec est in 2. Vesp. Nativitatis cadentis in Sabbato facienda comm. de ss. Nomine B. V. n. 3069 ad 1 et 2 die 23. Sept. 1684; n. 3098 ad 1 die 24. Nov. 1685.

De omittenda hac commemor.; vd.: *Commemoratio* (omittenda)*; Transl. festor ejusd. ritus B. V. M.* (decr. n. 5135)*; Festum B. V. M. de Mercede* (decr. n. 5135); *Septem dol. B. V. M. in mense Sept.* (Ritus; decr. n. 4682 ad 2. 2do.) *Sept. dol. B. V. M. fer. VI. etc.* (Commem. decr. n. 2594) *Vesperae integrae* (decr. n. 4393.)

4) B. M. V. de Columna.

Ex apost. concessione 12. Julii 1747 recitatur in Congregatione Canonicorum regul. s. Augustini Lusitaniae Officium festi commemorationis B. Mariae de Columna in prima dominica mensis Junii non impedita festo altioris ritus. Quaeritur: an impedita prima dominica, secunda possit haberi et reputari tamquam prima non impedita ad dictum Officium recitandum et sic de aliis dominicis usque ad finem mensis? S. C. resp.: Affirmative, quatenus constet de concessione ejusdem Officii. n. 4440 ad 2 die 29. Mai 1790.

5) Crucis.

Vd.: *Commemoratio Patroni.* (Oblig.)

Ad dubium: An, exceptis Officiis de Feria, Commemoratio SSmi. Salvatoris in Laudibus, et Vesperis requirentibus commemorationes communes, vel Suffragia Sanctorum, praemittenda sit commemorationi de Cruce?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative juxta Rubricas.“

Atque ita S. C. rescribendum, et declarandum censuit. N. 5176. Die 25. Sept. 1852 ad 1.

6) Defunctorum.

Cf. *Fidelium.*

In semiduplicibus, quando contingit plures cantari missas, permitti posse, ut commemoratio pro def. in Missa conventuali fiat. n. 1498 ad 4 die 16. Apr. 1644.

Ad dubium: an occurrente commemoratione Sancti Simplicis in fer. 2. Quadrages., quando dictum est Noct. def., debeat in missa quarto loco dici Oratio: *Omnip. semp. Deus, qui vi-*

vorum etc. pro commemor. def., et quatenus affirmative, quaenam oratio dicenta sit 5to loco? S. C. resp.: Sufficere 3tiam orationem: *A cunctis.* Quodsi dicatur 4ta *Omnipotens etc.*, 5ta erit ad *libitum.* n. 3808 ad 1 die 4. Maii 1709.

7) Diei octavae.

a) Obligatio.

Vd.: *Indulgentia de Portiuncula* (decr. n. 4048); *SS. Innocentes mm.* (commemor.)

b) Series.

Vd.: *Dies octava*; *Commemor. octavar.*

Quando dies octava (dedicationis) impeditur per festum majoris ritus et in ea occurrat dominica vel concurrat in 1. vel 2. vesp. semid., commemor. diei octavae facienda est ante commemor. dominicae occurrentis et semiduplicis cujuscunque occurrentis. n. 4044 *(alia dubia)* dub. 9 die 5. Mai 1736.

Quaesitum fuit: Dies octavae Sancti proprii cadit in festum immacul. Concept. B. V. M. et dominica. 2. Adv. die 7. Decbr., utrum in 1. vesp. B. M. V. primo loco fieri debeat commemor. de dom. Adv. et postea de die octava Sancti proprii? S. R. C. resp.: Occurrente dominica 2. Adv. die 7. Decb. cum festo B. V. M. immacul. Concept. et die octava Sancti proprii debet fieri prius com. octavae Sancti proprii deinde de dom. juxta dispos. tabellae secundae de concurrentia Dominicae majoris sive I. sive II. cl. cum die octava, ut ibi regula tertia, quemadmodum praecise docet rubr. Brev. rom. *de commem. num. 11.* Die 10. Jan. 1693. *in una Galliar.*

8) Festi semid. et dupl. min.

Vd.: *Semidupl.* (Commemor.); *Missa vot. priv.* (commem.)

9) Festi simplicis.

Vd.: *Simplex* (commemor.)

10) Festi ad ritum simpl. redacti.

Vd.: *Officium* (transferri etc. decr. n. 4039; 4810.

11) In Missa.

Vd.: *Oratio*; *Missa vot. pro non re gravi* (decr. 4474.)

12) In Missa votiva.

Vd.: *Missa vot. pro re gravi* (dies; decr. n. 4361).

Ad dubium: an dum in choro praeter missam convent. cantatur missa votiva ex fundatione, in hac missa debeat fieri commemor. festi, de quo cantatur missa conventualis? S. C. resp.: Negative. n. 4049 ad 10 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 10 die 16. Febr. 1737.

13) In missa vot. de SSmo.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XII. n. 17.

14) S. Josephi.

Vd.: *Desponsatio B. V. M.*

15) Octavarum.

a) Ordo.

Cf. *Commemor. B. V. M.*; *Commemor. diei Octavae*; *Commem. Patroni.*

Ad dubium: an occurrente commemoratione octavae Omn. Sanctorum et B. V. M. de Paradiso, debeat poni prius de B. V. M. vel posterius? S. C. resp.: In aequalitate ritus praecedere debere commemorationem B. V. M.; quod si hujus festum, quamvis gaudeat octava, sit tamen 2. cl., praeferendam esse commemorationem Omn. SSrum., cujus festum est. 1. cl. n. 4566 ad 5 die 11. Mart. 1820.

Nota Gardell. ad hoc decret.:

Succedit Dubium, quod est de concursu duarum octavarum, videlicet *B. M. V. de Paradiso* nuncupatae, et

omnium Sanctorum: Cuinam ex istis praelatio debetur? quaenam in diebus infra Octavam non impeditis Officium obtinebit? quaenam simplicem commemorationem? Decidendi ratio vel a dignitate simul, et ritu petenda est, vel a ritu dumtaxat. Si duae Octavae concurrant aequalis ritus, cum in diebus infra Octavam non impeditis de utraque fieri nequeat Officium, in praelatione major dignitas attendi debet. Quatenus vero diversus sit ritus et Octava dignioris sit II. cl., altera de minus digno sit I. cl., non amplius dignitas, sed sola qualitas ritus regulam dat praelationi. Ita decretum lego a S. C. Quaesitum fuit in *Curien. 19. Jan. 1700*; de quo fieri deberet Officium, de die infra Octavam, concurrente illa Patroni principalis, cujus Festum gaudebat ritu I. cl., et altera B. M. V. II. cl. ? et S. C. respondit: *Recitandum Officium de Patrono principali cum commemoratione Octavae B. M. V.*, et in una *Ordinis Barnabitarum* in simili concursu Octavae Patroni loci cum Octava Conceptionis B. M. V. sub die 13. Sept. 1710. S. C. sancivit: *Fiat Cfficium de Octava S. Patroni loci, cum commemoratione Octavae Conceptionis.* Quoniam autem in Dubio reticebatur ritus, quo gaudet *Festum B. M. V. de Paradiso:* ideo S. C. non absolute respondit, sed distinxit casum a casu, ei decernendo praelationem ob dignitatem in aequalitate ritus, juxta Rubricas et Tabellam de occurrentia, secus vero in ritus disparitate, quum praeferendum sit etiam in diebus infra Octavam Festum illud, quod potioris est ritus, juxta decreta in similibus edita.

b) Quando?

Cf. *Comm. B. V. M.*; *Missa vot. priv.* (dies; decr. n. 4183); *Dies octava.*

Commem. octavae alicujus festi fieri potest in Officiis ferialibus, Nativitatem Domini praecedentibus, quibus ex Breviarii rom. praescripto propriae antiphonae ad Laudes sunt assignatae. n. 16 ad 2 die 11. Junii et 9. Julii 1591.

Tam exteri in Ecclesiis Fratrum quam Fratres in alienis possunt apponere commemor. octavae occurrentis servata rubrica de dupl. oratione habenda in Dominica infra octavam. n. 3586 ad 4 die 11. Jani 1701.

Quando duae octavae simul occurrunt, quarum una sit Patroni principalis sub ritu dupl. I. cl., altera B. V. M. sub ritu dupl 2. cl. recitandum est Officium de Patrono principali cum commemor. B. V. M. S. R. C. 19. Junii 1700.

16) Omittenda.

Vd.: *Festum ss. cord. Jesu* (commem. SSmi.); *Transl. fest. ejusd. rit, B. V. M.* (decr. 5135); *Annuntiatio B. V. M.* (Vesp.); *Dies octava* (non commemor.); *Commemor. B. V. M.*

In festo ritus dupl. 1. cl. nulla diei infra octavam fit commemoratio. n. 4259 ad 2 die 29. Novb. 1755.

17) Omn. fidel. def.

a) Missa. (Quae?)

Vd.: *Applicatio*; *Expositio SSmi. 40 hh. in Commem. omn. fid*; *Commem. Om. fid. def.* (transf. potest etc.); Officium — (tempus — decr. n. 3127); *Expositio pro Defunct.*; *Benedictio SS. Sacram.* (In Commem. Omn. fid. def.)

Si in ipsa die Commem. omn. fidel. defunct. obierit nonnullus ultra missam de communi def. celebrandam missam ut in die obitus praesente corpore defuncti. n. 1554 ad 4 die 14. Apr. 1646; Idem decretum n. 3149 die 20. Sept. 1687 cum append.: *Missas autem privatas dicendas esse de communi.* — In die Commem. Omn. fid. def., quo omnes missae priv. dicendae sunt de requ., Sacrificia possunt a Celebrantibus applicari ad libi-

um, vel pro omnib. fid. def. vel pro aliquibus tantum etiam accepta eleemosyna. Beneficiatus ad quotid. applicationem obligatus idem facere poterit nullo tamen accepto stipendio. S. C. R. 27. Sept. 1698; 4. Aug. 1663.

Non licere et Archiepicopus sub poenis interdicti aliisque canonicis remediis etiam nomine ejusdem S. C., quatenus opus sit, abusum, in die Commemor. omn. fidel. def. *tres Missas* celebrare, eliminare curet. n. 2866 die 26. Nov. 1678; n. 1762 die 11. Jan. 1676.

Cum Lusitani gaudeant Privilegio tres missas celebrandi in die commem. Omn. def., qualemcumque trium a Benedicto XIV. ipsis praescriptarum possunt dicere, licet pro uno tantum applicetur. n. 4414 ad 2 die 20. Sept. 1783.

Ad dubium: an in die commemor. omn. fidel. def., in qua quotannis occurrit dies octava dedicationis Collegiatae S. Germani Montis Cassini, sint missae privatae celebrandae de def. vel de octava? S. C. resp.: Missas privatas dicendas esse de defunctis et *cantandas* esse duas missas de octava et de mortuis juxta rubricas. Quando vero dies octavae incidat dominicam, omnes missas esse celebrandas de die octavae, cum Commemoratio Omn. fid. def. transferatur in diem sequentem. n. 3496. die 29. Sept. 1698. *De missa sol. et privat. in die Commemor. Omn. fid. def. cor. SSmo. in oratione 40 hh.*, vd.: *Instructio Clem.* §. XVII. n. 9 – 16.

In Ordine Equitum Christi in regno Lusitaniae et in Ordine Avisiensi nuncupato agitur de Festo S. Malachiae Episcopi et conf. sub ritu dupl. min. die 3. Nov., in hac perpetuo translato a die 2., utpote assignata commemorationi omnium Fidelium defunctorum; sed quando haec ipsa commemoratio transfertur in Feriam II., quae est dies 3 Nov. propter advenientem Dominicam in die 2., potestne anticipari, et reponi Officium S. Malachiae in die propria, quae, ut supra, est dies 2. Nov.? Tunc enim impedimentum, propter quod translatum fuit, adhuc in die 3. Nov. perseverat.

Et S. eadem R. C. rescripsit: „Fieri non posse ad reversionem Officii perpetuo translati, sed in casu, Officium S. Malachiae recitandum esse semper die 2. Nov.. et translationem factam contra Decreta S. C. deficientibus limitationis causis, non esse approbandam; Missas tamen in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum dicendas de Requiem, licet Officium fiat de S. Malachia sub ritu dupl. min.“ Atque ita in posterum servari mandavit. N. 4530 ad 5. Die 22. Mart. 1817.

Ad dubium: Si prima die post Festum omnium Sanctorum fuerit Dominica, Commmeoratio omn. Fid. Def. fit sequenti Feria II. juxta Rubricas Brev. et Missalis Rom., illa autem die in Archidioec. Mechlin. fit de S. Huberto ritu dupl., cujus Festum magno populi concursu celebratur; et non posse absque inconvenientia in aliam diem transferri; Quaeritur: utrum tunc liceat cantare, ubi agitur hoc Festum magna solemnitate, unam Missam de S. Huberto, *et alteram de Requie*, ut praescribit Rubrica pro Cathedralibus et Collegiatis? et quatenus negative, supplicatur S. R. C. pro hac concessione.

S. vero C. rescribendum censuit: „Affirmative.“

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. N. 5151 ad 2. Die 7. Sept. 1850.

In die commem. Omn. fid. Def. missae in omnibus altaribus sunt privileg. ex Indulto Clem. XIII. dd. 19. Maii 1761.

Vd.: *Indulg. alt. in die commem. Omn. fid. def.*

b) Missa. (Estne de praecepto?)

Rothomagen.

Quum professores Seminarii Rothomagensis Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarint, ut declarare dignaretur, utrum Missa die secunda Novembris in Commemoratione Fidelium defunctorum sit de praecepto, et quatenus affirmative, utrum praeceptum istud audiendi Sacrum memorata die sublatum fuerit per Constitutionem sa. me. Pii Papae VII. pro reductione Festorum; Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub signata die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: „*Negative ad utrumque.* Die 16. Martii 1833." n. 4705.

c) Octava.

Nemini licere facere octavas pro Defunctis, praesertim infra octavam Omnium Sanctorum, sine speciali indulto S. Sedis apost. n. 2421 die 13. Aug. 1667.

Non licere Confraternitatibus vel Ecclesiis quibuscunque non habentibus Indultum speciale celebrandi octavam def. et signanter Confratribus SSmi. Sacramenti et Omn. SS. in Ecclesia s. Mariae super Rotundam extendere octavam Omn. SS. usque ad diem 8. Novb. inclusive. Neque infra eandem octavam posse ibidem haberi Conciones pro animabus Purgatorii neque pro iisdem fieri expositionem SSmi., neque recitare publice Officium def. cum 3 noct., cum funebri apparatu, castro doloris et extraordinaria luminum copia. n. 3372 die 8. Oct. 1695.

d) Officium (Tempus).

Vd.: *Officium Defunctorum.*

Ad dubium: an in die Comm. omn. fidel. def. fieri possit Officium de dupl. minore occurrente vel translato; et quomodo dicendae sint missae privatae, an de Sancto vel de requ.? S. C. resp.: Quoad Officium: *affirmative*; quoad missas privatas, dicendas de requ. tali die, quocunque decreto in contrarium non obstante. n. 3127 die 5. Oct. 1686.

Officium def. pro 2. die Novb. potest recitari etiam praesente Episcopo ante Completorium diei festi Omn. SS. n. 3477 ad 20 die 5. Julii 1698.

Ad dubium: an Matutinum diei Commem. Om. fid. def. recitari possit in choro in die festivitatis Omn. SS. post Completorium? S. C. resp.: Servandas esse rubricas. n. 3575 ad 3 die 22. Jan. 1701.

Cum Rubrica et decreta praecipiant Matutinum diei commem. Omn. fid. def. recitari debere post Laudes Officii currentis et cum haec ordinatio videatur pro nobis (Ord. Eremit. Camaldul.) nimis onerosa, quippe qui ad duas hôras per noctes semper protrahimus Matutinum consuetum cum Laudibus, dubitatur; an Matut. defunct. remitti possit ad summum mane ante Primam immediate vel recitari permittatur in die festiv. Omn. SS. post Completorium? S. C. resp.: Servandum decretum 22. Jan. 1701. Matut. commemor. Omn. fid. def. non potest recitari in choro in die festiv. Omn. SS. post Completor. sed servandae sunt rubricae. n. 4136 ad 5 die 19. Jan. 1743.

In Ecclesia Viterbien., et per totam Dioecesim die 3. Novembris celebratur Officium sub. ritu dup. min. SS. Martyrum Valentini et Hilarii, quorum corpora in Ecclesia Cathedrali asservantur magna populi devotione et concursu, et cum proximum sit, quod eodem die 3. Novembris concurrat commemoratio omnium Fidelium defunctorum translata, occurrente Dominica die praecedenti

secunda die Novembris; Quaeritur: an sit transferendum Officium praedictum Sanctorum Martyrum Valentini et Hilarii, vel potius commemoratio defunctorum?

Et s. eadem R. C. censuit: Transferendum esse Officium Sanctorum Martyrum, dummodo Festum non sit de praecepto.“ Et ita declaravit, et servari mandavit. N. 3817. Die 5. Octobris 1709.

Cum Festum S. Pirminii Epipscopi Moldensis et Confessoris a Clericis Regularibus S. J. Civitatis Oeniponti Dioecesis Brixiensis die 3. Novembris sub ritu dupl. min. celebretur, cumque eadem die aliquando occurrat commemoratio Fidelium defunctorum, propterea ex parte Clericorum Regularium praedictorum S. R. C. humillime supplicatum fuit declarari: An, occurrente Festo S. Pirminii Episcopi eadem die commemorationis omnium defunctorum, possint ipsi, aut etiam debeant transferre Festum S. Pirminii ad aliam diem non impeditam currentis Octavae, an vero, non obstante Officio commemorationis defunctorum, sit faciendum Officium de S. Pirminio, an saltem Missa solemnis dicti Sancti celebrari possit?

Et S. eadem R. C. respondit: „Transferendum esse Officium S. Pirminii.“ N. 3887. Die 11. Julii 1716.

Privata Officii recitatio def. pro *generali* illorum commemoratione absolvi licite potest post vespertinas horas festi Om. SS.; in *choro* autem juxta rubricas adimplenda est *mane* die 2. Novb., nisi, ut populi commodius et frequentius illi interesse possint, contraria jam faceret consuetudo. n. 4177 die 4. Sept. 1745.

e) Transf. potest festum in hunc diem?

Vd.: *Commemor. Omn. fidel. def.* (Off. decr. n. 3127); *Translatio festi dupl. in diem commem.*

De festo dupl. min. vel occurrente vel translato fieri potest in die Commemor. Omn. fid. def., missas tamen *privatas* dicendas de requiem. In Una Urbis 5. Oct. 1686 et 19. Junii 1700 ad 5, et 5 Mai 1736 ad 11, quae decreta declarant, locum dumtaxat obtinere, si pro repositione festi translati nullus supersit dies usque ad finem anni. n. 4536 ad 10 die 4. Junii 1817.

(Decret. de 5. Oct. 1686 n. 3127 hoc est: In die commemoratione Omn. fid. def. fieri potest Officium de dupl. min. occurrente vel translato; missas privatas vero dicendas esse de requ. tali die, decreto in contrarium non obstante.)

Nota Gard. ad hoc decretum (n. 4536):

Plura occurrunt in hoc dubio notanda. Regula generalis est, quod in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum fieri possit Officium de Festo ritus dupl. min. vel occurrente, vel etiam translato, cum omnibus tamen Missis privatis de Requie. Ita respondit S. R. C. in una Urbis, in Curien. et in Einsiedlen. Et jure id quidem; nam Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum proprie non est Officium diei, sed potius quid supperadditum Officio diei: quamobrem si aliud non occurrat Festum ritus dupl., ea die fit de Octava omnium Sanctorum. Cur igitur non poterit de dupl. min. vel occurrente vel translato? Ne quis tamen secum repudet S. C. in aliam quandoque abisse sententiam, cum de occurrente fieri posse negaverit, quod dicendum erit potiori jure de translato. Non enim primam repudiavit sententiam, quae firma manet, sed prae oculis habuit casuum diversitates, et peculiares circumstantias, quae concurrebant: ideoque juxta eorumdem casuum et circumstantiarum varietatem, respondens, non declinavit a regula, sed limitationem possuit. Translationem Festi dupl. min. occur-

rentis fieri debere respondit tam in Viterbien. 5. Oct. 1709. quam in Brixinen. 11. Jul. 1716., sed in utroque casu res erat de Festis, quae, etiamsi essent ritus dupl. min., nihilominus magnam habebant extrinsecam solemnitatem. In Viterbien agebatur de Festo *SS. Martyrum Valentini, et Hilarii, quorum corpora in Ecclesia Cathed. asservantur, magna populi devotione et concursu:* tantaque erat Festi celebritas, ut dubitatum fuerit, quod esset de praecepto servandum: merito igitur responsum: *transferendum esse Officium Sanctorum Martyrum* adjecta conditione, *dummodo Festum non sit de praecepto*; nam si fuisset de praecepto, fuisset etiam de eo faciendum, translata ad aliam diem commemoratione Fidelium defunctorum, uti fit quando haec occurrit cum Dominica. In Brixinen. res erat de S. Pirmino Episcopo, cujus Festum transferendum dixit S. C., non quia insignes Reliquiae asservabantur in Ecclesia S. J. Oeniponti, ut putat Meratus ad Gavantum part. 1. tit. 5. num. 10., et in Indiculo Decretorum num. 631., sed potius ob extrinsecum apparatum, populique frequentiam de qua Pittonius in Opusc., de Commemorat. omn. Fid. def. §. 2. num. 12. ubi ait: *Ego enim, qui semel, atque iterum fui Oeniponti, rationem translationis esse puto, quia S. Pirminius est in magna veneratione apud populum illum, et in ejus Festo, ut ibi audivi, est copiosus concursus, et adornatur Ecclesia pulcherrimo apparatu.* Ad quid erga pompa cum luctu, ad quid luctus cum pompis? Sed et aliud Decretum est, quod pariter adversari regulae generali specietenus videtur. Petebat editor Calendarii Ord. Min. Observ. Reformat. S. Franscisci: *An, quando habentur tria Officia translata, unum classicum, alterum dupl. maj. et tertium dupl. min., quodnam ex his reponi debeat in die Commemorat. omn. def.; vel potius faciendum sit de Octava omn. Sanctorum?* Cui S. C. sub die 27. Mart. 1779. absolute respondit: *nullum ex translatis esse admittendum.* Hujusmodi responso nonnulli innixi putant S. C., prima repudiata sententia, in aliam longe diversam abiisse, et ejusdem Decreti, utpote posterioris dispositionem omnino esse servandam, etiam in occurrentia, vel translatione Festi ritus dupl. min. Sed oppido falluntur, qui ita opinantur; etenim firma manente regula, de qua in superioribus Decretis, non secus proposito dubio erat respondendum. Siquidem provisum fuerat occurrentiae, vel translationi Festi dumtaxat ritus dupl. min. per annum, et ad hunc solummodo casum coarctatur facultas, quin extendi debeat, aut possit ad solemniora; quamobrem excipiuntur etiam dupl. minora, si fiant cum extrinseco apparatu, Populique frequentia, ut palam fit ex laudatis Decretis in Viterbien. et Brixinen. Enimvero, occurrente translatione plurium duplicium, cum servandus sit ordo a Rubricis praescriptus, et in repositione maj. ritus habenda ratio; cumque non deceat cum Missis de Requie Festum peragere ritus dupl. maj. aut I. et II. cl., quae, ut plurimum, etiam extrinsecam habent celebritatem; neque iis anteferri liceat in repositione Festum ritus inferioris, secus ac jubent Rubricae; ideo in hoc casu particulari, similique translatorum concursu, maturo consilio S. C. respondit: Nullum ex translatis esse admittendum. Videlicet non classicum, nec dupl. maj., quia regula coarctatur ad Festa dumtaxat ritus dupl. min., quae fiunt sine extrinseca solemnitate; non alterum dupl. min., quia non licet ordinem Rubricarum invertere, et in repositione Festum ritus inferioris solemniori anteferri. Patet igitur ex posterioribus

hisce Decretis haud derogatum fuisse anterioribus, quibus statutum est de dupl. min., aut occurrente, aut translato fieri posse in die Commemorat. omn. defunctorum, dummodo omnes Missae privatae celebrentur de Requie.

Ad dubium: an quando habentur tria Officia translata, classicum, dupl. maj. et dupl. minus, quodnam ex iis reponi debeat in die Commem Omn. Fidel. def. vel potius faciendum sit de die octava Omn. SS.? S. C. resp.: Nullum ex translatis esse admittendum. n. 4393 ad 7 die 23. Mart. 1779. Vd. *infra decret. n. 4771.*

Ad dubium: an in simplificandis Officiis dupl., quae ad anni terminum reponi nequeunt, servari possit Officium ritus dupl. persolvendum die 2. Novb., in qua occurrit translatio Officii ritus dupl. maj., quod ex decreto ibi locum habere nequit? S. C. resp.: Negative. n. 4849 ad 3 die 23. Novb. 1839.

Ad dubium: An die II. Nov. *fixe* assignari possit, et ut in *sede propria* recitari aliquod Officium ritus dup.?

Emmi., et Rmmi. P. S. tuendis ritibus praepositi respondendum censuerunt:

„Negative juxta Rubricas et alias Decreta."

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt, die 24. Sept. 1842. N. 4947.

Ad dubium: An in die commem. omn. Fid. def. reponi queat apud eosdem Fratres min. translatum dupl. vel adhuc servari debeant ab ipsis Rubricae peculiares, a quibus id expresso prohibetur?

Et Emmi. ac Rmmi. P. S. Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„Supplicandum esse SSmo."

Atque ita rescripserunt: Die 16. Sept. 1843.

Super quibus omnibus facta postmodum ab Emmo., et Rmmo. D. Card. Carolo Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae, et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellari, eidemque S. C. Praefecto, SSmo. D. N. Gregorio Papae XVI. fideli relatione; „SS. Rescriptum S. C. confirmavit, dispensando quatenus opus sit hac in parte dispositionis peculiaris Rubricae super expositis Dubiis, obtemperandum esse mandavit a Fratribus trium Ord. S. Francisci novissimis hujus S. C. Decretis." Contrariis non obstantibus quibuscumque. N. 4974 ad 2. (Die 30. Oct. 1832.)

Civitatis Castellan. et Hortan.

Quum Clerus Civitatis Castellan. et Hortan. ad conscientiarum tranquillitatem S. R. C. requisierit: „Utrum servandum sit Decretum ipsius S. C. hisce conceptum terminis editum die 27. Martii 1779. nimirum: In die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, licet habeantur tria Officia translata et reponenda, unum classicum, alterum duplex majus, tertium dupl. min., nullum ex translatis est admittendum; vel potius fieri debeat regressus ad aliud Decretum retroactis temporibus antecedenter remissum, posse tali die duplicia translato reponi, prout duobus abhinc Annis in Civitatis Castellanae et Hortanae Kalendario mos introductus est? S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente infrascripto Secretario rescribendum censuit: „Extra casum a Decreto diei 27. Martii 1779 signatum, posse." N. 4771. Die 12. Martii 1836.

f) Translatio.

Abusum esse et non consuetudinem, ut Commem. Omn. fid. def., quando venerit in dominica, celebretur ipsa die et non transferatur in feriam 2. sequentem. n. 281. die 24. Sept. 1605.

Quando Commem. Omn. fid. def. in-

citat in dominicam, transferatur in diem sequentem. n. 3496 die 27. Sept. 1698.

Quando Commemoratio Omn. fid. def. occurit in dominica, transfertur in fer. 2. sequentem, quando autem die 3. et 4. Novbr. occurrunt festa dupl., quo die celebranda sit commem. def.? S. C. resp.; Occurrente festo dupl. minori seu translato in die Comm. Omn. fid. def. *Officium* faciendum de Sancto, *Missas* vero celebrandas de Requ. n. 3565 ad 5 die 19. Junii 1700.

Usitatum est in Urbe Leodiensi ex statuto et consuetudine immemorabili semper facere commemorationem Omn. fid. def. 2. Novb., quamvis incidat in dominicam; quia sequens (dies) est impedita per festum s. Huberti C., protectoris civitatis et festum praecepti. Unde quaeritur: an liceat Regularibus et aliis, qui sequuntur ritum romanum, et missam def. celebrare in dominica, prout semper fecerunt? S. C. resp.: *Negative* n. 3749 ad 3 die 28. Aug. 1706.

Ad dubium: a possit et debeat differri dies commemorat. usque ad 6 diem ejusdem mensis, cum diebus 3. 4. et 5. occurrant festa, quorum officia fiunt sub ritu dupl., an fieri possit die 4., qua occurrit festum s. Caroli, quod non est de praecepto (apud Capuccinos Leodienses), quoties dies commem. incidit in dominicam et hac die non potest celebrari, nec die 3.; si hoc ultimum, tunc posset pro festo s. Caroli assignari dies prima infra octavam SS. omnium non impedita? S. C. resp. negative. n. 3763 ad 8. die 19. Febr. 1707. Vd.: 17. *d. Off.* (decr. n. 3817. 3887.)

18) Omn. fid. def. Confrat. Ordinis.

Vd.: *Aniversar. generale Ordinis.*

Jam in omnibus congregationibus Ord. Benedictini post festum Omn. SSrum. 13. Novb. celebratur sol. commemor. omnium † confratrum dicti Ordinis. Quid, si illa 13. Novbr. alicubi adsit festum dupl. translatum aut occurrens? S. C. resp.: Commemor. Omnium defunct. non est transferenda, sed, si die illa occurat festum dupl. minus seu translatum, fiet Officium de Festo dupl. cum missa sol. post Tertiam, Officium vero defunctor. recitandum erit post Laudes et omnes missae privatae dicentur pro def. in paramentis nigris. n. 4044 (alia dubia) dub. 11 die 5. Mai 1736.

Quando Aniversarium seu Officium sol. pro animabus Omn. def. Confratrum alicujus Congregationis, sit in festo ritus dupl. minus, potest cantari missa de requiem, secus si occurrat in festo alioris ritus. S. R. C. die 8. Mart. 1738.

Sub die 5. Maii 1736 S. R. C. decrevit: „Annua Commemoratio omn. def. alicujus Ordinis seu Cong. non est transferenda, si in die illa occurrat dupl. min. etiam translatum, sed fiat Officium de dupl. cum sola Missa solemni post Tertiam, Officium vero defunctorum recitandum erit post Laudes sub ritu dupl., et omnes Missae privatae dicantur pro Defunctis in paramentis nigris.“ Quaeritur nunc ergo 1: An tale Indultum extendatur ad omnes qualescumque Cong. sive Confraternitates etiam Saeculares utriusque sexus in aliqua Eccl. legitima auctoritate constabiles? et 2. An omnes Missae privatae dicendae pro Defunctis in paramentis nigris, intelligantur solummodo de Missis, quae applicantur in suffragium defunctorum ipsiusmet Cong. sive Confraternitatis, vel intelligantur de omnibus omnino Missis, quae dicuntur in illa Eccl., etiamsi non applicentur pro def. Confratribus, sed pro aliis quibuslibet Defunctis ad libitum, et intentionem Celebrantis?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: Quoad primam quaestionem negative, sed quibus indultum est: quoad secundam quaestionem, affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. N. 5050 ad 16. Die 23. Maji 1846.

19) Omnium ss. Martyr. in festo s. Stephani.

Vd.: *Commemor. ss. Apostol. omnium.*

20) Patroni.

a) Obligatio.

Cf. *Suffragia*; *Patronus*; *Compatronus* (commemor.); *A cunctis; Patronus paroch.* (transl. Solemnitatis decr. n. 4910.)

Regulares Theatini interrogant, an debeant facere commemorationem de Patrono Ecclesiae, ubi morantur, cum in praeteritum nullam de eo, sed loco Patroni, de Cruce tantum fecerint commemorationem, in memoriam institutionis eorum Ordinis, qui in die Exaltationis SS. Crucis institutus fuit? S. R. C. resp.: faciendam esse commemorationem de Patrono Ecclesiae et de Cruce. n. 355 ad 2. die 1. Sept. 1607.

Beneficiatus, obligatus facere commemorationem s. crucis diebus solitis, etiam commemorationem ordinariam facere tenetur. n. 595 die 30. Mart. 1621. Vd. *Beneficiati.*

Non debere Ordinarium permittere, quod fiant Commemorationes vel Officia non approbata n. 1734 ad 3 die 19. Sept. 1654.

b) Ordo.

Cf. *Commem. octav.* (ordo.)

Clerus Terrae Saracenae Dioecesis Cassan., ad tollendam omnem ambiguitatem, quae contingit in occurrentia Festivitatis S. Leonis Episcopi praecipui Patroni ipsius Terrae cum altera Patroni Civitatis, ac ejusdem Dioecesis super commemoratione peragenda S. R. C. humillime supplicavit. Et S. eadem C. respondit: „Commemorationem fieri debere de utroque, primo scilicet de Patrono Dioecesis, secundo de Patrono loci." Et ita declaravit. N. 3947. Die 7. Junii 1721.

Tarentin.

Ad omnem ambiguitatem eliminandam in ordinando Kalendario Civitatis ac Archidioec. Tarentin. Magister Caer. Metrop. illius Eccl. anceps haeret quodnam Decretum S. R. C. potissimum sequi debeat in assignandis commemorationibus Patronorum in Laudibus ac Vesp., dum Loca particularia praeter Patronum Dioecesis, alium suum praecipuum venerantur S. Patronum. Etsi enim usque ab anno 1683 XII. Kal. Dec. sancitum fuerit de principaliori tantum Patrono instituendum; attamen de anno 1721. VII. Id. Jun. praecipitur: „Commemorationem fieri debere de utroque, primo scilicet de Patrono Dioec., secundo de Patrono Loci," eamdem S. C. R. enixe rogavit, ut declarare dignaretur quid in casu exequendum? Quae in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis coadunata, referente subscripto Secretario, probe intelligens, Decretum diei 20. Nov. 1683 loqui tantum de pluribus Patronis ipsius Loci, ac aliud praecipere observantiam Rubricarum, quae praeter Patronum integrae Dioec., cujus Commemoratio institui debet in ipsa Dioec., admittunt Patronum praecipuum cujusque Loci, rescribendum censuit ad propositam quaestionem: „Servandum in casu Decretum diei 7. Jun. 1721." Atque ita rescripsit. n. 5078. Die 27. Febr. 1847.

21) S. Pauli ap.

a) Festum.

(De Commemoratione s. Pauli ap. occurrente cum festo privil. *ss. Cordis Jesu*, vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (ut festum privileg. decr. n. 4579 ad 5).

Ad dubium: 1. An occur. Officio Sacratissimi Cordis Jesu sub ritu dupl. maj. pridie Kal. Julii, fieri de ipso debeat, vel potius de Comm. S. Pauli Ap., quae, quamvis gaudeat tantum ritu dupl., attamen habetur tamquam continuatio praecedentis Solemnitatis SS. Apostolorum?

2. An in casu affirmativo ad primam partem Comm. S. Pauli reponi debeat intra Oct. SS. Apostolorum, quamvis reponendum sit aliud praecedens Officium translatum, quod gaudeat ritu dupl. maj.?

3. An Officium Comm. S. Pauli gaudeat praecedentia super alia Officia translata ritu dupl. min., dum reponitur vel infra Oct. SS. Apostolorum, vel etiam extra ipsam, adeo ut ratione dignitatis reponi debeat ante aliud quodcumque trauslatum ritu dupl. min.?

4. An in casu translationis Officii Comm. S. Pauli sequenda sit peculiaris Rubrica in Vesperis apposita in Breviario pro iis locis, ubi est Titularis Eccl.? S. eadem C. . . . rescribere rata est:

Ad 1. „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.‘

Ad 2. „Negative.“

Ad 3. „Affirmative ad utrumque.“

Ad 4. „Affirmative.“

Atque ita rescripsit, servarique ubique mandavit. N. 5114 ad 7—10. Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: 1. In Rubrica Brev. Rom. die 30. Junii legitur: „Si Comm. S. Pauli venerit in die Oct. Corp. Chr., extra propriam Eccl. transferatur in primam diem infra Oct., Dominica vel Festo non impeditam.“ Quaeritur 1. An haec Rubrica ita intelligenda sit, quod Comm. S. Pauli in primam diem infra Oct. Dominica vel Festo non impeditam sit transferenda, quamvis supersint Festa etiam altioris ritus, quae prius forent transferenda; et quatenus negative; quaeritur 2. An in translatione Comm. S. Pauli praeferri debeat saltem aliis duplicibus min., quae prius transferri debeant?

2. An idem servari debeat, si Comm. S Pauli transferenda sit ob Festum Sacratissimi Cordis Jesu, quod cum illa coincidat, vel ob quamcumque aliam causam, quam praefata Rubrica non agat nisi de casu, ubi haec Comm. incidat cum Oct. Corp. Chr.?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Ad 1. „Negative quoad primum, affirmative quoad secundum.“

Ad 2. „Affirmative.“

Atque rescribere rata est, et declarare. N. 5115. ad 2 et 3.

Die 11. Sept. 1847.

b) Festi ritus.

Vd.: *Conversio s. Pauli* (Ut titulus).

c) Translatio.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (transl. decr. n. 5155).

22) Sancti in missa.

Vd.: *Missa vot. de Sanctis* (dies imped. decr. n. 5146)

Ad dubium: In diebus juxta Rubricas Missalis Tit. VI. cani non potest Missa de Sancto, cujus Officium transferendum est, potestne saltem addi ejus Collecta vel Commemoratio Missae solemni diei, exceptis Feria V. in Coena Domini, Sabbato S. et in diebus Paschae et Pentecostes? Et quatenus affirmative, estne dicenda sub unica conclusione cum Oratione Missae? „Negative in omnibus“, resp. S. R. C.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183 ad XIII. Die 16. Aprilis 1853.

23) SS. Sacramenti.

a) In missa.

I. Series.

Vd.: *Missa cor. exp. SSmo.* (decr. n. 4387); *Festum ss. Cord. Jesu* (commemor. in hoc festo).

Esse faciendam commemorationem de Sacramento post alias omnes orationes de praecepto et in missis sol. celebrandis in festis 1. et 2. cl. esse eandem commemor. faciendam sub unica conclusione. n. 4049 ad 8 die 23. Juni 1736; n. 4056 ad 8 die 16. Febr. 1737. Quando missa cantatur coram SSmo. in festis 1. cl. occurrentibus in dominica, commem. SSmi. conjungenda est commemorationi Dominicae. n. 4299 ad 6 die 3. Mart. 1761.

Ad dubium: an Commemoratio SSmi. ob ejus expositionem in dupl. 1. et 2. cl debeat uniri cum oratione missae sub unica conclusione, quando insimul concurrunt aliae commemorationes de praecepto aut de feria majore? S. C. resp.: Uniendam esse in fine aliarum Commemorationum de praecepto. n. 4395 ad 8 die 18. Decb. 1779.

II. In missa, in qua consecratur hostia pro expos. SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 1.

In tertia Dominica cujuslibet Mensis, ex antiqua consuetudine in solemni Missa duae consecrantur Hostiae, quarum una in usum Sacrificii, altera pro publica veneratione in Ostensorio collocatur, confectaque celebratione processionaliter per Ecclesiam gestatur. Cum vero tempore Quadragesimae, et Adventus supplicatio per Ecclesiam omittatur, ex eo quod praefato tempore scamnis referta ipsa reperiatur, pro commoditate populi ad audiendum verbum Dei accurrentis, dubium propositum est: An, omissa in casu supplicatione, commemoratio SS. Sacramenti in Missa solemni debeat omitti?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Commemorationem SSmi. Sacramenti in praefata Missa solemni faciendam esse, licet accidentaliter omittatur Processio."

Et ita respondit, atque decrevit, die 15. Maji 1819. N. 4561 ad 2.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Cum Missa celebretur pro exponendo Augustissimo Eucharistiae Sacramento, cumque in ea duae consecrentur Hostiae, altera pro Sacrificio, altera pro expositione facienda post Missam, plane consequitur in eadem legendam esse Collectam de Sacramento. Nemo est, qui de hoc quaestionem moveat. Plura sunt S. R. C. Decreta, quae pro hujusmodi Missa certas dant regulas omnino servandas: praecipue vero in Fanen. 6. Dec. 1653.: siquidem a Sodalitate SSmi. Sacramenti qualibet tertia Dominica in singulis mensibus supplex instruebatur agmen ad Sacram circumferendam Eucharistiam. Excitata controversia, num quae praecedebat Missa, cantanda esset de Dominica cum commemoratione Sacramenti, vel potius de Sacramento, cum commemoratione Dominicae? Dubium delatum fuit ad S. R. C., quae illud diremit respondens: *Missam in dicto casu celebrandam esse de Dominica, seu de Festo duplici, si in illa die occurat cum commemoratione SSmi. Sacramenti ad formam Rubricarum Missalis.* Heic autem loci abs re non est perconctari, quonam in loco haec Collecta ponenda sit? Huic dubio per eamdem S. C. provisum fuit, data regula, quod commemoratio SSmi. Sacramenti fiat post

omnes Orationes de praecepto, et in dupl. I., vel II. cl. unienda sit Orationi Festi sub unica conclusione, vel Orationi Dominicae, si in ea occurrat Festum I., vel II. cl. Ita *in Burgen.* 23. Jun. 1736., *in Aquen.* 3. Mart. 1661., et *Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Provinciae Conceptionis B. M. V. in Regno Portugalliae.* Quid autem si post Missam non sequatur Processio? Eritne hoc in casu omittenda commemoratio? Cur dubium hoc proponatur, non video; cum nulla occurrat dubitandi ratio, quippe Commemoratio fit non ex causa Processionis, quae extrinsecam auget solemnitatem, sed ex motivo venerationis debitae SSmo. Sacramento, quod palam Fidelium oculis adorandum exponitur, vel statim post Missam collocetur in Throno, vel processionaliter circumferatur. Plura addere possem ad spartam hanc illustrandam, libenter tamen abstineo. Cum enim, ut piis nonnullis doctisque Viris id poscentibus, morem gererem, dare constituerim Commentaria quaedam ad Instructionem *Clementis XI. de Oratione 40 Horarum* ad enodandas quaestiones quae saepe insurgunt, incompto sermone sed opportune digesta: Sacrae Liturgiae studiosi habere in iis poterunt tum quae ad hujusmodi dubii solutionem conducunt, tam alia plura, quae circa expositiones tam publicas, quam privatas versantur.

III. In missa de Requ. omittenda.

Vd.: *Missa de Req. cor. SSmo.* (decr. n. 4650 nota.)

IV. Quando fit?

Vd.: *Festum ss. Cord. Jesu* (comm. in hoc festo).

Commemorationem de SSmo. posse fieri in missa de festo dupl. coram ipso exposito celebrata, non tamen primae vel secundae classis. n. 4119 ad 5 die 2. Sept. 1741. Commemoratio de SSmo. in missis *privatis* potest fieri, quando ejus expositio fiat ex publica causa. n. 4181 ad 9 die 7. Maii 1746.

Ad dubium: Cum in Polonia frequenter fiant expositiones SSmi. publice in majori altari et praeter missam sol. dicantur etiam missae *privatae* ad idem altare majus et alia altaria minora durante expositione SSmi., an debeat fieri commemor. de eodem SSmo.? S. C. resp. poterit fieri commemoratio de SSmo., durante expositione. n. 4181ad 10 die 7. Mai 1746.

Pistorien.

In Cath. Pistorien. Eccl. alia extat Eccl. subterranea in Apside, ad quam accessus patet ex ipsa Cath. Quum vero in hac subterranea Eccl., quae est prima Civitatis Paroecia bis in anno solemnis Expositio SSmi. Sacramenti in forma Quadraginta Horarum locum habeat, Sacerdos Aloysius Agostine S. R. C. enixe rogavit, ut formiter declarare dignaretur:

An Missis Officii occurrentis, quae in Cath. celebrantur, addi possit commemoratio SSmi. Sacramenti, et si Capitulum in Choro ob nimiam distantiam ab Expositione SSmi. Sacramenti sedeat capite cooperto?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit: In casu utrumque fieri posse, attamen servatis Rubricis.“ N. 5086. Die 27. Febr. 1847.

Ad dubium: In quibusdam Ecclesiis occasione Orationis Quadraginta Horarum suspenditur Oratio a Vesperis usque ad unam vel duas horas post solis ortum diei sequentis, ne nocturno tempore scandala oriantur; quaeritur: utrum ab aurora, usque ad Eucharistiae expositionem in Missis dici possit Collecta de Sacramento, vel solum tempore Expositionis, hoc est per uni-

cum spatium Quadraginta horarum interruptarum?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam."

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. N. 4782 ad 6. Die 27. Aug. 1836.

Nota Gardellini ad hoc Decretum.

Non est hic inquirendum quo tempore Oratio Quadraginta horarum inceperit, quis fuerit hujus Orationis primus Auctor, et ubi ea fuerit instituta: haec qui desiderat adeat Summos Pontifices Pium IV. in sua Constitutione: *Divina disponente Clementia,* Benedictum XIV. in Instit. Eccl. trigesima latinae editionis; adeat insuper Ughellium Ital. Sacr. Tom. 4., Thiersium, Cavalerium, aliosque: hoc investigare alienum esset a proposito, et parum interesse videtur. Aliud est hic inquirendum, quod cum praesenti dubio est aliquo modo connexum. Sane licet Quadraginta horarum spatio haec Oratio duraret, certum tamen non est hanc Orationem ubique, saltem initio, ante SSmum. Sacramentum fuisse peractam, et Hoc ea solemnitate fuisse expositum, qua hisce nostris temporibus solet exponi, cum vere dici possit aliquem ante SSmum. Sacramentum orare, quamvis illud in Ciborio sit inclusum. Ipsa Clementina Instructio de sola loquitur Oratione, non de Expositione, et ipsa fel. rec. Clementis VII. (a cujus aetate perpetuae adorationis in Urbe initium est repetendum) verba, nempe: *Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur,* de publicis precibus possunt intelligi, quae semper, sive exposito, sive non exposito Sacramento in conspectu Domini fiunt. Non eadem in exordio fuit ubique praxis. Mediolani e. g. vel in ipsa hujus Orationis institutione aevo S. Caroli Borromaei, non modo statutae et distributae succesive sunt Ecclesiae, in quibus haec Oratio fieri deberet, sed in unaquaque Ecclesia expositum solemniter erat s. vas cum Eucharistia super altari, et Oratio fiebat diu noctuque sine ulla intermissione, ut clare colligitur ex Instructione ejusdem Sancti Antistitis. Aliis in locis quibusdam, et in nostra Urbe ipsa asseri certo nequit, tempore hujus Orationis S. Eucharistiam ab initio usque ad finem Orationis exponi consuevisse; quin immo valde de hoc dubitatum est.

Praeterea Romae in ipsa Orationis hujus institutione, quae nonullorum privatorum initio fuit, qui statis temporibus aliquam in Ecclesiam ad Religionis opera exercenda conveniebant, Oratio non ita erat perennis et continua, quemadmodum hac nostra aetate servatur, ut numquam per totum anni circulum in hac illave Ecclesia per quadraginta illas horas cessaret, et licet aliquibus in Ecclesiis Oratio per illas quadraginta horas non intermitteretur, et Sodales coram SSmo. Sacramento orarent, et invicem sibi ad orandum succederent, tamen non in omnibus aeque Ecclesiis Sacramentum expositum erat.

Dictum supra est ex Clementina Constitutione erui, praeceptam fuisse continuam ante SSmum. Sacramentum Orationem, non vero continuam aeque expositionem, et hanc in arbitrio et facultate fuisse. At si hoc ab initio fuit, tamen non ita post, et tempore ipsius Clementis VIII. consuetudo fuit inducta exponendi Augustissimam Eucharistiam in singulis Ecclesiis per integras quadraginta horas praescriptae Orationis. Auctor nobis de hoc est fel. rec. Benedictus XIV., qui in allata superius Constitutione, quamvis dicat expositionem SSmi. Sacramenti non fuisse a Clemente VIII. aliqua lege

praeceptam, ejus tamen tempore merito fuisse inductam; haec enim habet: *Licet de exponenda publice Eucharistia nullum* (Pontifex Clemens VIII.) *verbum faciat, conjici tamen potest tunc primum morem fuisse inductum, vel paulo ante ut S. Eucharistia exponeretur, cum quadraginta horarum Oratio indicebatur:* quo in testimonio adnotandum apposite est, Benedictum XIV. non dixisse paullo post, sed paullo ante, quae ennunciatio omne tollit dubium circa praescriptionem latam et consuetudinem aetate Clementis VIII. Haec autem consuetudo, quae quodammodo Clementi ipsi coaeva dici potest, universalis est, diuturna, non interrupta, eam nunc vim habet quam praescriptae leges habent nec alicui liberum est ab ea recedere.

Haec insuper consuetudo quam maxime laudabilis Orationi cunjungendi expositionem SSmi. Sacramenti ex ipsa Clementina Instructione eruitur non obscure: leguntur enim in exordio haec verba: *Della Introduzione dell' Esposizione de Santissimo Sacramento per l'Orazione continua delle quaranta ore;* neque obstat quod supra dictum est, quodque oontradictionem quamdam offere primo intuitu videtur; nam utrumque stare potest; haec enim verba ita sunt intelligenda ut demonstrarent primum inductam fuisse perennem et perpetuam Orationem ante SSmum. Sacramentum (fortasse Romae), et postea usum invaluisse exponendi SSmam. Eucharistiam tempore continuae Orationis initio quammaxime laudatum, postea praeceptum. Insuper addendum aliquid videtur, per quod ostendatur, sicut continua et non interrupta est Oratio, continuam et non interruptam esse debere SSmi. Sacramenti expositionem, adeoque eos, qui a laudabili non modo, sed a praescripta consuetudine recedunt, illud per aliquas horas in tabernaculo includendo, contra legem agere, quae continuam et non interruptam illius expositionem praecipit. Id ex dictis patet ex ipsa S. R. C. quae in Ilerden. die 28. Apr. 1607. jussit: *ne Concionatores caput tegant ante SSmum. Sacramentum expositum infra Octavam Corporis Christi, et quando per annum Oratio continua quadraginta horarum indicitur.*

Quidquid anteacto tempore factum fuerit, quidquid diversi sentiant auctores inquirendo, fueritne Orationi huic in institutione simultanea SSmi. Sacramenti continua expositio, vel posterioribus temporibus haec fuerit inducta, certum est, morem hunc vetustissimum esse, et nunc legis vim habere, licet, ut jam observatum est, ea initio in arbitrio fuerit, et Orationem 40 horarum sine simultanea SSmi. Sacramenti expositione haud nunc indicere licere.

Clementina Instructio non de institutione agit hujus Orationis, sed ea continet, quae ordinem, et ea quae in expositione sunt servanda, respiciunt. Multa sane haec sunt quae affere inutile esset, et praesens disquisitio non postulat; unum dumtaxat quod huic proposito opportunum videtur notare juvat. Siquidem titulus Instructionis hic est. *Intruzioni ed ordini da osservarsi nell'Orazione continua delle quarant'ore;* primus autem paragraphus sic incipit: *Essendo state fatte fin dal tempo dell'Intituzione dell'Esposizione del Santissimo Sagramento per l'Orazione continua delle quarant' ore diverse provisioni etc.* In utroquo loco usurpatur vox *continua* et haec vox afficit *Orationem,* non vero *expositionem,* hinc dicere quis posset praecipi Orationem continuam, non autem continuam expositionem, ita ut haec non illa possit interrumpi; sed hoc non sequitur semel ac, ut supra adnotatum est, Clementis VIII. mens fuerit ut continua pariter et Oratio et

expositio esset, et hanc fuisse illius mentem clare patet ex eo, quod ille Summus Pontifex voluerit ut Oratio Romae fieret ad exemplum Ecclesiae Mediolanensis. At Mediolani toto Orationis continuae tempore vas cum SS. Eucharistia super Altari *diu noctuque*, erat solemniter expositum, quis ergo non videt Clementis mentem fuisse ut cum continua et non interrupta Oratione, continua item et non interrupta SSmi. Sacramenti expositio simul conjungeretur? Dicendum itaque est, nihil erui posse ex voce *continua*, apposita Orationi et non expositioni, neque posse expositionem interrumpi: generice tamen et juxta praescriptionem hoc dictum intelligatur; potest enim quandoque evenire ut aliqua in Ecclesia, rationabili aliqua interveniente causa, debeat Expositio interrumpi, sed hac deficiente, haud eam interrumpi fas est. His adductis, quae proposito dubio opportuna visa sunt, quamplurima praescribit Clementina Instructio. Inter alia pracipit, ut in Missa dicatur Collecta de SSmo. Sacramento, cum iis exceptionibus quae videri possunt tum in ipsa Instructione, tum in Illustratione Decretorum S. R. C. Jam si hoc Clementina Instructio praecipit, per hoc praecipit, quod supponit, SSmum. Sacramentum eo tempore publice esse expositum, non vero in Tabernaculo inclusum; secus quicumque Sacerdos, et quovis tempore in Missae celebratione posset Collectam addere de SSmo. Sacramento, quod non est ex Rubricis, quodque neminem qui asserat inveniri posse putandum est. Hinc sequitur, Collectam de SSmo. Sacramento dicendam esse (cum exceptionibus supra citatis) tempore tantum quo Illud publice patet per expositionem. Ex his eruitur, quod Collecta in Missis dicenda relationem habet ad expositionem non vero ad Orationem, quae licet sit continua Collectam non exposcit. Duo autem haec, Oratio nempe et Expositio, valde in se differunt. Cum insuper continua debeat esse non solum Oratio per quadraginta horarum spatium, sed etiam per hoc idem spatium Expositio, sequitur, qui si alicubi quis Missam celebret, et nondum ea in Ecclesia SSmum. Sacramentum, quavis ratione nocturnis horis in ciborio inclusum, nondum fuerit iterum publice expositum, Collectam, de qua agitur, addi omnino non debere. Si quis contra ageret, et Collectam adderit eo tempore, contra finem ageret, per quem ea addenda praecipitur. Finis autem est, ut memoria fiat de SSmo. Sacramento, quando dici nequit Missa de eo, sed dicitur de aliquo Sancto, ut eo quo licet modo aliquid in Missis addatur quod referri possit ad ipsus Sacramenti expositionem quodam particulari modo eam memorando, et in Illius gloriam et Fidelium adstantium bonum redundet. Haec autem omnia supponunt veram, realem et patentem SSmi. Sacramenti expositionem, quae ut supra probatum est, continua et non interrupta esse debet. Cum itaque realis intermittitur Expositio, toto intermissionis tempore Collecta erit jure omittenda, deficiente principali fine, contra hunc eam addendo ageretur. Demum contra S. R. C. Decreta adderetur Collecta, et ea videri possunt in authentica Collectione, ex quibus clare patet eam esse addendam durante expositione. Sic in una Varsavien. anni 1746. in qua dicitur *durante Expositione*, quae enunciatio supponit veram et realem Expositionem. Sic pariter in una Canonicorum Reg. Lateran. die 2. Dec. 1684. in qua dicitur posse (nempe addi Collectam praedictam) exceptis Festis I. et II. cl. ratione SSmi. Sacramenti actu et realiter expositi. Ex his omnibus quae adducta sunt clare descendit, omittendam omnino esse Collectam de

SSmo. Sacramento in omnibus Ecclesiis, quoties in illis Missae celebrantur, et nondum SSmum. Sacramentum, quod aliquibus horis in Tabernaculo inclusum fuit, iterum fuerit publice expositum, quemadmodum S. C. ad propositum dubium respondit.

b) In Oratione 40 hh.

Vd.: *Expos. SSmi. occasione 40 hh.*

Ad dubium: an in missa privata de Sancto dupl. vel semid., de quo tali die fit Officium, facienda sit com. de SSmo. exposito occasione 40 hh.? S. C. resp.: Posse, sed omittendum in festis I. et II. cl. n. 3073 ad 4 die 2. Decb. 1654.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XII. n. 9, 12. et 25. §. XIII. n. 4; §. XVII. n. 20—34. (In num. 25.; *Ordo.*)

Ad dubium: An Collecta SSmi. Sacramenti in expositione 40 horarum, vel quando dicitur in omnibus tertiis Dominicis mensis, dici debeat primo loco post Orationem Missae currentis, vel ultimo loco post alias Orationes?

Et eadem S. R. C. censuit respondendum:

Servandum esse quod praescribitur in novissimo folio Instructionis pro publica Oratione 40 horarum, de mandato SSmi. Domini Nostri anno 1705. edito num. 10. §. Nell' Altare, si agitur de Missa solemni; si autem agitur de privata, habetur pariter in eisdem folio, et numero §. Non si celebrino, et quomodo regulari debeat Collecta de qua agitur juxta praescriptum Rubricae, quae est octava in ordine tit. de Commemorationibus."

Et ita decrevit, ac servari mandavit. N. 3800 ad 2. Die 23. Martii 1709.

c) In tabernaculo inclusi.

Vd.: *Commem. SSmi. in miss. et festis.* (Quando; decr. n. 4782 nota ad finem.)

d) In Vesperis.

In istis vesperis, ubi SSmum. expositum est, commemoratio SSmi. fieri non debet. S. R. C. die 25. Septbr. 1852.

24) In vesperis (Ordo).

Cf. *SS. Trinit.* (vesp.)

Concurrente Dominica II. Adv. cum festo Conceptionis B. V. M. et die octava Sancti proprii fieri debet in vesp. prius commem. Sancti proprii, deinde de dominica. n. 3301 ad 7 die 10. Jan. 1693.

Ad dubium: An in primis et secundis Vesp. de Octava Dedicationis Basilicae, servandus adhuc sit immemorabilis usus addendi tantum commemorationem Sancti ritus dupl. vel praecedentis, vel subsequentis?

S. ead C. rescribendum censuerit . . . „Negative, et servendur Rubricae." Atque ita S. C. rescribendum, et declarandum censuit. N. 5176. Die 25. Sept. 1852 ad 2.

COMMENDATIO ANIMAE.

Vd.: *Lytan. Sanctor. Omn.* (add. licita).

COMMUNE C. NON P.

Vd.: *Capitulum de comm. C. non P.*

COMMUNE VV.

(Ant. 3. in 1. n. Vd.: *Ant. 3. in 1. n.*)

COMMUNICANTES.

a) In Missa.

Cf. *Praefatio.*

Occurrente festo ss. Philippi et Jacobi seu inventionis S. Crucis infra octavam Ascensionis D. dicitur Praefatio de die festo propria, *Communicantes vero de Ascensione*, quamquam dicta festa non admittunt commemorationem octavae n. 707 ad 2 die 7. Aug. 1627. Communicantes de As-

censione non omittitur in festis 2. cl., quae occurunt infra octavam Ascensionis, licet de ea non fiat commemoratio. n. 2362 ad 10 die 13. Febr. 1666.

Infra octavam Ascensionis in Missis defunctor. dici debet Communicantes commune. n. 1509. die 4. Junii 1644.

Si celebratur missa votiva infra octavam, *Praefatio* de missa votiva cantanda est, dum propriam habet; *Communicantes* vero de Octava, quia est proprium de illo tempore infra octavam. n. 2223 ad 3 die 16. Junii 1663.

b) In festo Pentecostes.

Circa *Communicantes* proprium dicendum in festo Pentecostes in quibusdam missalibus legitur: *Igneis linguis*, in aliis quampluribus legitur: *Innumeris linguis;* quaenam ex duobus lectionibus amplecti debeat? S. C. resp.: Lectionem: *Innumeris* etc. esse conformem missali ab Urbano VIII. recognito. n. 4491 ad 11 die 12. Mart. 1804.

Vd.: *Exaltatio crucis,* — conclusio etc. — decr. n. 4566.

COMMUNICATIO PRIVIL. IN OFFICIIS RECITAND.

Vd.; *Officium particul.*; *Dies fixus* (decr. sub. die 28. Aug. 1706.

COMMUNIO.

1) In Coena Domini.

Vd.: *Coena Domini.*

2) Diaconi et Subdiaconi.

Vd.: *Missa.* (interrupta per mort. Sacerdotis; nota ad finem.)

3) Distrubens (Habitus).

Vd.: *Stola in distrib. communione.*

Ad dubium: An toleranda sit, vel eliminanda consuetudo inveterata, Sacerdotem, qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit, sic S. Vestibus Sacrificii indutum, et prae manibus Calicem tenentem, ascendere in transitu ad Altare, in qua adest SSma. Eucharistia, ut ibi S. Communionem Fidelibus distribuat? Et quatenus non sit toleranda utrum depositis Planeta, et Manipulo in Sacristia, accedere possit cum Alba et Stola?

Emmi itaque ac Rmi. P. . . rescribendum censuerunt: „Si adsit necessitas, posse tolerari.“ Atque ita rescripserunt, ac servandum esse mandarunt. N. 4777 ad 12. Die 12. Martii 1836.

4) Distributio.

a) Infra Missam.

Vd.: *Communio in Sabb. s.* (decr. n. 4815); *Communio* (ordo accip., decr. n. 1907); *Patena* (in commun.)

Quando in missa sol. ministratur s. Eucharistia Clericis vel Laicis, reliqui de Clero in choro debent stare. S. R. C. 9. Maii 1711.

In Catanien.

JANUEN.

Emme., et Rmme., D. Observandissime. Quum nomine Sacerdotum istius Januen. Civitatis, qui Sacrum peragunt in Eccl. S. Octaviani S. huic R. C. humillimae datae sint preces, queis exponitur a memoratae Eccl. Parocho contra invectam ubique locorum consuetudinem prohiberi S. Communionis expleto Sacrosancto Missae Sacrificio Fidelibus distributionem, ob irreverentiam, quae, ut asserit, SSmo. Sacramento irrogatur a ceteris Fidelibus Missa peracta exeuntibus; dum ob hanc novitatem Presbyteri clamant, ei ob incommodum Populus obloquitur. Quae singula sedulo perpendentes Emmi. et Rmmi. D. Card. S. tuendis Ritibus praepositi, quia aliquid directe supplici Libello responderent in Ordinariis

Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis satius sumpsere consilium de expositis Eminentiam V. certiorem reddere, ut veris existentibus narratis dignetur providere, ac singula componere juxta communem et unversalem praxim, ne dissensiones ulterius progrediantur. Hanc S. C. mentem dum Eminentia V. communico, manus humillime deosculor.

Romae 7. Dec. 1844. n. 4984. Emmo. et Rmmo., Domino Card. Archiep. Januensi.

b) Locus.

Vd.: *Tabernaculum* (locus et situs. decr. n. 5028).

c) Coram SSmo. exposito.

Vd.: *Missa convent. cor. SSmo. expos.* (decr. n. 4677).

d) Distribui non debet hostia magna post depositionem Sanctissimi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 24.

5) Duae (communiones).

Vd.: *Missa* (interrupta per mort. Sacerdot.; votum P. Aloy. Janni); *Parasceve* (missa).

6) Ecclesia.

Cf. *Osculum manus Communio pasch.* (Ecclesia); *SS. Viaticum* (Quibus port).

Fideles in die Paschalis recipientes ss. Sacramentum Eucharistiae in Ecclesia *matrice*, satisfaciunt obligationi de recipiendo Communionem in parochiali n. 1047 ad 9 die 6. Sept. 1636.

Christifideles sumentes SSmum. in *Cathedrali* adimpleri praeceptum paschale. n. 2165 die 1. Apr. 1662.

Ad dubium: an in Oratorio Confraternitatis S. Rosarii Burgi possit ministrari SS. Sacramentum tam Confratribus quam non Confratribus et quibus diebus? S. C. resp.: Affirmative. n. 3910 ad 4 die 9. Juli 1718.

Ad dubium: an Parocho s. Pauli civitatis Vallettae sit prohibendum administrare Sacramenta et praecipue occasione praecepti paschalis Clericis saecularibus habitantibus intra limites parochiae portus Salvi, etiamsi adscripti non sit servitio parochiae s. Pauli, ita ut teneantur accedere in adimplementum dicti praecepti ad eandem parochiam Portus Salvi? S. C. resp.: Omnes teneri satisfacere praecepto paschali in propria parochia praeter addictos et insimul inservientes Ecclesiae s. Pauli. n. 3957 ad 13 die 27. Febr. 1723.

Ad dubium: an Ecclesiae, ubi Functiones maj. hebd. fieri nequeunt, sint Regularium, id liceat, ut Superior communicare valeat suos Alumnos pro adimplemento paschalis praecepti? S. C. resp.: Superior celebret in privato Oratorio ad ministrandam Religiosis Communionem et si desit Oratorium fiat in Ecclesia clausis januis n. 4870 ad 2 die 31. Aug. 1839.

7) Episcopi consecrati.

Ad dubium: Quibus verbis in Episcoporum consecratione uti debeat Consecrator, dum communicat consecratum de Corpore et Sanguine Domini?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit: „Servandum esse Pontificale.“ Atque ita rescribere censuit et declarare. N. 5100 ad. 6.

Die 25. Sept. 1852.

8) Episcopus distribuens.

Ad dubium: Utrum formula illa, quae in Pontificali Rom. adhibenda edicitur, dum Ordinatis SSmam. Eucharistiam administrat Episcopus Ordinans, adhiberi possit ab Episcopo quotiescumque SSmam. Eucharistiam administrat,

seu an extra Communionem Ordinatorum adhibere debeat communem formulam, prout jacet in Rituali Rom.?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

Formulam in Pontificali praescriptam dum ad S. Synaxim Episcopus Ordinatos admittit extra casum illum non esse adhibendam: seu quoad primam Negative, quoad Secundam Affirmative.

Atque ita rescripsit, declaravit, servarique mandavit. n. 5186 ad 3 die 7 Maji 1853.

9) Frequens.

Decrêtum S. C. C. approb. ab Innocentio XI.

Cum ad aures SS. Domini N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Dioecessibus vigere usum quotid. Communionis etiam in fer. VI. Parasc., et simul affirmari eandem quot. communionem praeceptam esse a jure divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse videlicet, quod aliqui non in ecclesia, sed *in privatis Oratoriis* et domi, immo cubantes in lecto et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant ss. Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena aut secreto illis deferunt Sacerdotes saeculares aut reg. aliique in communione accipiunt plures formas ac particulas vel grandiores solito, ac tandem, quis confiteatur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Cum autem haec consideranda SS. commisserit S. C. Card. Concilii Trid. interpretum, Eadem S. C. praevia natura discussione super praedictis unanimi sententia ita censuit. Etsi frequens quotidianusve SS. Eucharistiae usus a SS. PP. fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen aut saepius illam percipiendi aut ab ea abstinendi certis singulis mensibus aut hebdomadibus dies statuerunt, quos nec Concilium Tritendinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secus reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem SS. Synodus ut singulis missis fideles astantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent;* idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes, multae econtra gratiae et Dei dona parvulis concessa, quae cum humanis oculis scrutari non possunt, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis essu potest constitui.

Et propterea quod *Negotiatores* attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, confessariorum Secreta Cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu Laicis negotiatoribus et conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.

In *Conjugatis* autem hoc amplius animadvertant, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob SS. Eucharistiae reverentiam continentiae vocandum puriorique mente ad caelestium epularum communionem esse conveniendum.

In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana s. communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, *sed magis quid singulis permittendum*, per se, aut parochos, seu confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino prohibeat, ut Nemo a s. Convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, re-

pellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius Dominici corporis suavitatem degustet.

Itidem *Moniales* quotidie S. Communionem petentes admonendae sunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto praestitutis communicent; si quae vero puritate mentis eniteant et fervore Spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis superioribus permittatur.

Proderit etiam praeter parochorum et confessariorum diligentiam, opera quoque *Concionatorum* uti et cum eis constitutum habere, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicunque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini judicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est, revereri et si quando se minus paratos senserint, *ab ea abstinere* seque ad majorem praeparationem accingere.

Episcopi autem, in quorum Dioecesibus viget hujusmodi devotio erga SS. Sacramentum, pro illo gratias Deo agant eamque ipsi adhibito prudentiae et judicii temperamento alere debebunt; et ab eorum Officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque et dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina praestante gratia, tenentur, seque SS. Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere seque probare cum timore et charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum et se pretium in morte tradidit atque in coelesti regno se praemium est daturus, precatur S. Congregatio, ut suam opem ad dignam praeparationem et sumptionem largiatur.

Porro Episcopi et Parochi seu confessarii *redarguant asserentes, Communionem quotidianam esse de jure divino;* doceant in Ecclesiis seu Oratoriis priv. ex dispensatione seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam ss. Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena aut secreto ad existentes domi vel cubantes in lecto, praeter quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant et ad hos, si ab *Ecclesia* deferatur, publice et cum pompa juxta formam Ritualis rom., si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti.

Curent etiam ut circa Communionem in fer. VI. Parasc. missalis rubricae et Ecclesiae rom. usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradant plures Eucharistiae formas seu particulas neque grandiores sed consuetas; non permittant, ut venialium Confessio fiat *simplici Sacerdoti non approbato* ab Episcopo aut Ordinario. Si Parochi et confessarii etiam Regulares aut quicunque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo O. M. rationem reddituros neque defuturam Episcoporum et Ordinariorum justam ac rigorosam animadversionem in Contrafacientes etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis et Ordinariis per hoc decretum per Sedem ap. specialiter attributa. Et facta de praemissis omnibus ac de verbo ad verbum relatione SS. approbavit ac praesens

decretum typis mandari ac publicari voluit.

Datum Romae 12. Febr. 1679.

F. Card. Columna Praef.
S. Archiep. Brancaccius
Ep. Viterb. Secret.

10) Genuflexio.

Sacerdos missam celebraturus transiens ante altare, ubi fit populi communio, non debet permanere genuflexus, quousque terminetur communio. n. 3477 ad 19 die 5. Julii 1698.

11) Hostiae dividendae.

VERONEN.

Ad dubium: Utrum tuto sequi valeat Regula Ritualis Parisiensis, sic expressa: Si quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot Hostiae dividi in plures Particulas, quae singulis distribuantur: Et quatenus non sit sequenda, utrum quibusdam saltem in circumstantiis temporis, locorum, et personae sequi possit? S. C. resp.:

„Servetur consuetudo dividendi consecratas Particulas, si adsit necessitas.“ n. 4707 ad 1 die 16. Mart. 1833.

Vd.: *Hostia.*

12) Pro Indulgent. lucrandis.

Vd.: *Confessio* (pro indulg. lucrandis.)

Ut Christi fideles scire possint, quid sibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis insentiarum varietate super intelligentia verborum: *Qui vere poenitentes, confessi ac s. communione refecti Ecclesiam visitaverint,* S. C. fuit in voto, confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere, etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, nec non praefatam confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia festivitatis. Quod autem ad Ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse sive ante sive post aliorum piorum operum implementum.

S. C. J. die 19. Maji 1759.

Attenta praedicta declaratione S. C. J. de die 19. Maji 1759 quamplures supplices libelli tum regularium Communitatum et praesertim Monialium, tum etiam parochorum et nonullorum Episcoporum porrecti sunt, quibus exponebatur difficultas, quae persaepe incidit, pro sacramentali confessione sive in festo vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem enixis precibus supplicabant Sanctitati Suae ut opportuno aliquo remedio providere dignaretur. Ideo S. C. J. propositum est dubium: An et quomodo sit consulendum SSmo. super praefati decreti executione vel declaratione?

Resp. fuit: Consulendum SSm. D. N., ut concedere dignetur Indultum omnibus Christifidelibus, in frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt et nullius lethalis culpae a se post peractam ultimam confessionem commissae sibi conscii sunt, ut omnes et quascunque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione, quae caeteroquin juxta praefati decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilaei tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilaei concessas, pro quibus assequendis sicut et alia opera injuncta et sacramentalis confessio, tempore in eorum concessione praescripto peragantur. Et SSmus. annuit et praefatum Indultum expediri et publicari mandavit. S. C. J. 9. Decb. 1763.

Urbis et Orbis.

Cum non pauci ad S. C. J. supplices libelli porrecti fuerint, ob confessariorum inopiam pro oblinenda facultate sacramentalem confessionem peragendi per plures dies ante eucharisticam communionem ad indulgentias acquirendas praescriptam; nec non ut explicetur, an ad eas lucrandas liceat s. Synaxi refici in pervigilio diei festi, pro quo declarantur concessae, eadem S. C. censuit licere ad praefatum effectum Eucharistiam sumere in pervigilio festivitatis, quo vero ad petitam explicationem respond. censuit:

Firmo remanente decreto 9. Decbr. 1763 pro iis fidelibus, qui ad confessionem saltem semel in hebdomada accedunt; pro caeteris autem fidelibus in locis, in quibus ob inopiam confessariorum nequeunt fideles frequenter confessione sacramentali expiari; postulantibus communicetur dictum decretum et facto verbo cum SSmo. extendatur ad omnes utriusque sexus Christifideles; unde confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis et dummodo nullius lethalis culpae post peractam confessionem commissae conscii sint; nihil innovando circa indulgentias ad formam Jubilaei concessas ut in Decreto de 9. Decb. 1763.

Et Sanctitas Sua votum S. C. benigne approbavit ac publicari mandavit. Die 12. Junii 1822.

Ad dubium: Utrum fidelis aut sacerdos per unicam s. communionem possit lucrari plures indulgentias plenarias vel sibi vel defunctis applicabiles. si ad has lucrandas praescribatur s. communnio? S. C. J. resp.: Affirmative ut in diebus 29. Maii et 15. Decb. 1841. Die 30. Aug. 1847.

(Vd.: *Indulg.* — pro fidelibus singulis etc. —)

Ad dubium: An Christifideles sesundum Canonem: *Omnis utriusque sexus etc.* SS. Eucharistiam suscipientes *tempori paschali* possint per hanc s. Communionem lucrari Indulg. plenariam, ad quam lucrandam inter caetera praescribitur s. Communio. Ea praesertim de causa de hoc re dubitat Orator, quod a s. m. Bened. XIV. in litteris encyclicis: *Inter praeteritos etc.* et in constitutionibus eccles. Inst. 53 n. 7 videtur definitum, unam Communionem pro Indulg. in forma Jubilaei concessa et pro paschali etiam praecepto sufficere non posse?

S. C. J. resp.: Affirmative, dummodo Ingulgentia lucrifacienda non sit in forma Jubilaei, pro qua tantum requiritur *pecul. Confessio et Communio;* satis enim declaratum est a SS. D. N. Gregorio PP. XVI. per decr. s. hujus Congr. sub die 19. Mart. 1841. Romae 1. Maii 1844.

Per confessionem et communionem *die paschalis* resurrectionis peractam et *Indulgentiam plenariam Papali Benedictioni adnexam lucrari* et satis praecepto paschali fieri. J. C. J. 19. Mart. 1841.

13) Infirmorum.

Vd. *Administratio Sacrament.*; *Stola* (Administ. Sacram. decr. n. 4622); *Canonici* (administ. Sacrament.); *Professio fidei*; *Viaticum*; *Benedictio SS. Sacramenti in commun. Infirnorum*; *Communio* (frequens).

In parochiis ruralibus, ubi longum faciendum est iter, plerumque SS. Sacram. ad aegrotos defertur eisque administratur cum stola super vestem communem absque cotta sine superpelliceo; quaeritur: an praxis illa, ubi invaluit, et Ordinarii locorum non contradicunt, retineri possit? S. C. resp.: Negat. et eliminata consuetudine ser-

vetur rit. rom. praescriptum. Die 16. Decb. 1826.

14) Pro Jubilaeo lucrando.

Communio pasch. ad lucrandum Jubilaeum absque speciali Indulto non sufficit. S. C. J. 6. Mart. 1847.

Quid pro ea supponatur in pueris, qui s. commun. non sunt capaces? Vd.: *Bened. cum Indulg. plen. pro Moribundis* (nota ad finem.)

Vd.: *Communio* pro Ind. lucrandis, decr. de die 9. Decb. 1763; de die 1. Maii 1844.

15) Laicorum in Coena Dom.

(Vd.: *Purificatio B. V. M.* (Oblig. Laicor. etc.; Ordo accipiendi etc.) *Coena Dom.* (Communio Laicorum).

Ad dubium: An Feria V. in Coena Domini ad accipiendam S. Synaxim Gubernator et Magistratus accedere possint ad gradus Altaris? Et in casu negativo, an saltem ipsis dispensari debeat SSmum. Sacramentum intra septa Presbyterii, scamno ad hoc parato? S. C. respondendum esse censuit: „Affirmative ad primam partem". Atque ita rescripsit, ac in omnibns servari mandavit, die 27. Aug. 1836. N. 4794 ad 6.

16) Qua lingua distribuenda?

Ad dubium: An consuetudo dicendi in Communione Fidelium: *Ecce Agnus Dei, et Domine non sum dignus* idiomate vulgari, sit sustinenda, vel potius eliminanda utpote contraria Rituali et Missali Romano? S. C. resp.: „Consuetudinem esse eliminandam". Die 23. Maji 1835. n. 4748 ad 5.

17) Lumina.

Vd. *Expositio SS. Sacramenti*; *Coena Dom.*; *SS. Sacramentum* (asservatio). *Azymus.*

18) Materia et renovatio hostiae.

Vd.: *SS. Sacramentum* (renovatio, decr. n. 4623 nota); *Communio* (frequens).

19) In Missa de Requiem.

Cf. *Altare privil.* (decr. n. 4348).

Ad dubium: utrum in missa de Req. conveniat communionem fidelibus ministrare vel post illam et in casu convenientis administrationis post missam cum paramentis nigris et conveniat dari benedictionem; an vero benedictio omittenda? S. C. resp.: Non esse contra ritum. Si tamen ministretur communio post missam, omittendam esse benedictionem. n. 3025 ad 2 die 24. Julii 1683.

Ad dubium: an in missa de requiem s. liceat distribuere Eucharistiam? S. C. resp.: *Omnino negative.* n. 3575 ad 11 die 22. Jan. 1701. Vd. infra decr. n. 4753.

Ad dubium: an decretum quo prohibetur dare Communionem in missis pro def. debeat ita intelligi, ut Sacerdos celebrans tales missas in quacunque occasione nequeat absolute Communionem dare, scilicet nec tempore celebrationis ante, post Communionem, nec post celebrationem, finito Evang. s. Joannis? S. C. resp.: negative in Omnibus. n. 3833 ad 4 die 21. Mart. 1711. Verum sub die 21. Mart. 1711 reproposito eodem dubio S. C. resp.: Dilata et ad mentem et mens fuit ut resolutio ad quartum edita 21. Julii 1710 non extra detur.

In missis def. in paramentis nigris non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti extrahendo pyxidem a custodia, potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est, quando fidelibus praebetur Communio cum particulis infra eandem missam consecratis. n. 4119 ad 4 die 2. Sept. 1741. (Vd. infra decr. n. 4753.)

Ad dubium: An videatur magis consonum dicere missam de festo in altari privil. singulis diebus, cum in Ecclesia Monialium quotidie fieri soleat s. Communio, quae in param. nigris fieri nequit? S. C. resp.: Negative. n. 4338 ad 1 die 15. Julii 1769.

Ad dubium: An toleranda consuetudo celebrandi Missas de Requiem in paramentis violaceis ad hoc, ut possit praeberi s. Communio cum particulis praeconsecratis? S. C. resp.*:* Serventur rubricae. n. 4815 ad III. 2 die 22. Sept. 1837.

Quaestio saepe exorta est, utrum in missa de Requ., cum paramentis nigris celebrata, post Communionem Celebrantis administrari possit fidelibus Eucharistia cum particulis *praeconsecratis.*; asserentibus nonnullis posse; 1, quia in operibus Ferd. Tetami decr. de 2. Sept. 1741 tamquam apocriphum habendum esse dicatur; 2, quia affirmativum fuit responsum Jos. Dini apostol. Caerem. Magistri sententiae innixi Benedicti XIV. in opere de Sacrificio missae; ut autem omnis hac de re tollatur scrupulus, quaesitum fuit: an pro certo tenenda sit Sententia affirmativa Bened. XIV. et Tetomi vel supradictum decr. de 2. Sept. 1741? S. C. resp.: Dilata et videatur particularitur ex officio. n. 4594 ad IX. die 12. Apr. 1823.

Nota Gard. ad hoc decret:

Nemini dubium, quod Decretum diei 2. Septembris 1741 genuinum et authenticum sit. Inter alia quaesita, quae comprehenduntur in dubio 4., postremum est*: Possunt in Missa de Requiem consecrari hostiae infra eam distribuendae?* et Sacra Congregatio non directe huic quaesito respondit, sed potius regulam dare voluisse videtur servandam quoad communionem Fidelibus praebendam. ***In Missis itidem defunctorum, seu, ut verbis utar Decreti***, in paramentis nigris ***non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti, extrahendo Pyxidem a custodia, potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est, quando Fidelibus praebetur Communio cum particulis infra eamdem Missam consecratis.*** Atque hoc pacto indirecte propositam quaestionem solvit directe vero legem servandam indixit. Hic autem quaeri posset: quodnam Decretum illud sit, de quo in praefato responso, videlicet: ***seu ut utar verbis Decreti, in paramentis nigris?*** Fateor me hujusmodi decretum minime reperiisse in Sacrae Congregationis Regestis. Forte qui jussus fuit suum pandere votum, digitum intendit in suppositum Decretum, quod dicitur datum anno 1705, et legitur in Calendario Ecclesiae S. Mariae de Pace Canonicorum Regularium Lateranensium pro anno 1736, videlicet: ***Sacerdos in Missa de Requiem non potest populo ministrare Eucharistiam cum particulis existentibus in Pyxide; potest tamen ministrare particulas a se consecratas in eadem Missa S. R. C. die 2. Augusti 1805;*** in hoc tamen nun leguntur verba: ***in paramentis nigris.*** Verumtamen quid juvat in hoc immorari, et persequi Decretum, cujus ne vola quidem, aut vestigium in S. R. C. codicibus? Quatenus autem praefatum Decretum authenticitatis nota non caruisset, Sapientissimus Cardinalis Ferrarius, instando in ordinario conventu anni 1711., ne copia fieret alterius Decreti anni 1701 Communionem in Missis de Requiem omnino vetantis (vide Benedictum XIV. de Sacrificio Missae lib. cap. 18 num. 10. 11. 12.) illud produxisset, quo nihil aptius ad suam sustinendam sententiam; et forte etiam allatae distinctionis modum compro-

basset. Nobis satis est, quod genuinum et authenticum sit Decretum anni 1741., quin simus soliciti de aliquibus verbis praeter necessitatem adhibitis et insertis, veluti illa sunt, ***seu, ut verbis utar decreti, in paramentis nigris,*** quae S. C. decisionem minime afficiunt. Tota stat ratio in discrimine, quod ponitur inter Communionem administratam per modum Sacrificii aut per modum Sacramenti; congruit namque, ut petentibus Sacra Eucharistia praebeatur ex particulis in eadem Missa consecratis, tum quia ita intelligenda videtur adhortatio Tridentinae Synodi *Sess. 22 cap. 5 de Sacrificio Missae:* tum etiam quia Oratio: *Supplices te rogamus* legenda in Canone, peracta consecratione, expresse loquitur de participatione ejusdem Sacrificii: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus.* Quis forte contra consurget, et reponet, nihil fieri oportere argumentum ex Canonis Oratione desumptum; quia, si valeret, nec congrueret Eucharistiam ministrare cum praeconsecratis particulis, etiam in Missis ferialibus, et de Sanctis. Non ego repugno, neque contendo S. C. illud posuisse discrimen, quia prorsus illicitum putasset praeconsecratas particulas Fidelibus ministrare in Missis vel de Sanctis, vel ferialibus: contendo tamen per illam distinctionem significare voluisse, decens non esse, ut cum paramentis nigris aperiretur Tabernaculum ad extrahendam Pyxidem pro Communione Fidelium. Quidquid vero sit, et quocunque motivo S. C. mota fuerit ad illud ponendum discrimen inter modum, et modum, probans unum, rejiciens alterum; satis nobis est, quod dubitari nequeat de authenticitate Decreti. Quamobrem istud, usque dum alio posteriori revocatum aut declaratum non fuerit, dat regulam servandam. Nihilominus quaestioni propositae S. C. non respondit, sed satius duxit ampliare judicium, remque maturiori examini subjicere; tum quia non infimae immo summae auctoritatis Scriptores, (quos inter principem locum tenet Benedictus XIV., quem certe latere nequibat Decretum anni 1741, cum ejus opus de Sacrificio Missae latine redditum recusum Romae fuerit multo post, scilicet anno 1748) contrariam sententiam et tuentur, et pluribus rationibus sustinent; tum etiam quia non una, eademque est apud omnes Ecclesias et Sacerdotes consuetudo. Expectandum est igitur novum S. C. Decretum, quo vel illud anni 1741 confirmet, et ab omnibus servari jubeat, vel potius, ne divisiones fiant, et exoriantur scandala, indulgeat, ut quae in Ecclesiis invaluit consuetudo, et praxis, quae huc usque obtinuit, servari possit, et valeat. Interim, donec novum non prodeat Decretum, quo componantur quaestiones, et dissensionibus opportunum afferatur remedium, congruit, ut, ubi fieri potest sine admiratione Fidelium, praefati Decreti anni 1741 servetur dispositio. Porro novum non est, ut S. C. prudenti aliqua discretione utatur in iis, quae in sacris ritibus quamdam possunt aut moderationem, aut indulgentiam admittere, ad effectum evitandi admirationem, offensionem, et scandala. Ita, ut exemplo utar, licet rogata in una Senarum: *An super Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat?* sub die 14. Maji 1707. respondisset: *Numquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi apposita collocationem*: nihilominus reformandam non esse, ubi inolevit, contrariam consuetudinem, et quamlibet Ecclesiam in sua praxi relinquendam esse, in *eadem Aquen.* die 12. Sept. 1741. declaravit.

Ad dubium: Si Missa *de Requie* celebretur in Paramentis violaceis, potestne ministrari SSma. Eucharistia per modum Sacramenti id est cum Particulis praeconsecratis?

S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Serventur Decreta".

Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5111 ad 11. die 11. Sept. 1847.

Veronen.

Quum diversae circumferantur opiniones circa Communionem fidelibus administrandam in Missis Defunctorum, Rmus. Veronen. Episcopus pastoralis sui muneris esse censuit hanc S. R. C. adire, eidemque humillimis datis precibus supplicare, ut declarare dignaretur, an in praedicta Missa *de Requie* cum paramentis nigris liceat unquam S. Synaxim administrare cum Particulis praeconsecratis? Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunati post auditam ab infrascripto Secretario relationem, perpendentes alias sancitum fuisse in iisdem Missis Defunctorum seu in paramentis nigris ministrandam non esse Eucharistiam per modum Sacramenti, extrahendo Pyxidem a Custodia, ac posse tantum ministrari per modum Sacrificii cum Particulis intra eamdem Missam consecratis, proposito Dubio rescribendum censuerunt: „Negative juxta Decreta in una Congregationis Montis Coronae diei 22. Jan. 1701. In una Ordinis Capuccinorum diei 22. Nov. 1710. et in Aquen diei 2. Sept. 1741."

Atque ita rescripserunt, ac omnino servandum mandarunt, die 23. Maji 1835. n. 4753. (Vd. supra decr. n. 4119; n. 3575.)

20) Monialium.

Ad dubium: Sitne toleranda conversio super humerum sinistrum communicando Moniales habentes fenestrellam in parte Evangelii? S. C. resp.: debere descendere et reverti per gradus anteriores et non laterales altaris. n. 4055 ad 8 die 15. Septemb. 1736.

Vd. *Communio frequens.*

21) In Nocte Nativ. Dom.

Nullo modo licere, in nocte Nativ. Dom. communicare fideles. n. 1319 die 20. Apr. 1641; n. 1360 die 7. Decb. 1641. Praeceptum, quod in Nocte Nativit. Dom. post missam decantatam non possint succesive aliae duae missae celebrari nec communio exhiberi eucharistica fidelibus deposcentibus, ligat etiam omnes Regulares tum Ord. Mend., tum Congreg. Monachalium, tum etiam PP. Soc. J. tum omnes cujusque alterius Instituti, etiam speciali mentione nominandi. Neque possunt excipi in Ecclesia confessiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, sed expectandum est, ut illucescat aurora tam pro confessionibus mulierum excipiendis quam pro Eucharistia ministranda fidelibus utriusque sexus. S. R. C. 13. Mart. 1686; 7. Decb. 1641; 15. Sept. 1668.

Non licet in nocte Nativ. Dom. s. Eucharistiam fidelibus illam deposcentibus exhibere. n. 3607 die 3. Decb. 1701; n. 3648 ad 1 die 28. Apr. 1703.

Quum, prout expositum fuit, Moniales, Educandae, et Conversae Monasterii Ursulinarum Goritiae Dioecesis Aquileiae a parte Imperii a tempore immemorabili in nocte Nativitatis D. N. J. C. in fine primae Missae cantatae S. Communionem semper recipere consueverint, cumque modo pro Indulto in posterum continuandi in

praedicta consuetudine, S. R. C. humillime supplicatum fuit.

S. eadem C., „attentis circumstantiis supra expressis, hujusmodi instantiae juxta petita annuendum esse censuit.“ n. 3940 die 27. Julii 1720.

Indulti recipiendi SS. Eucharistiae Sacramentum in nocte Nativ. Dom. pro Abbatissa et Monialibus Monasterii s. Faudiosi Neapolis: „Lectum n. 4295 die 9. Aug. 1760 n. 4304 die 12. Sept. 1761.

Indulti sumendi SSmum. in nocte Nat. D. pro Monialibus Monasterii S. Mariae Aegypt. Neapolis: „Servetur decretum“. n. 4297 die 9. Decb. 1760; n. 4346 die 10. Decb. 1768.

Ad petitionem Congreg. Missionis, ut Tyrocinii domus Neapolitanae olim Coenobii s. Nicolai sequenti indulto gaudeat ut ceterae, nimirum: In nocte Nativitatis Domini intra Missarum Solemnia sacram Synaxim ministrandi Clericis, Confratribus, et Familiaribus Congregationis non solum, verum etiam Clericis externis, praesertim Congregationis Conferentiae, qui Ecclesiam ex nocte frequentare consuescunt;

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit: „Pro gratia in omnibus“.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit, die 27. Aug. 1826. n. 4793 ad 1.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Missa).

22) In Oratoriis privatis.

Vd.: *Communio* (frequens).

23) In Ordinatione.

Ad dubium: An in Communione, quae confertur ab Episcopo in Ordinum collatione vel fer. V. in Coena Dom. solemniter celebrante sint ab Episcopo dicenda verba: *Ecce Agnus etc.* et *Dom. non sum etc.?* S. C. resp.: Quoad Presbyteros tantum in Ordinatione habita esse reticenda, in aliis vero casibus semper proferenda. n. 3614 ad 4 die 11. Febr. 1702.

Ad dubium: In Communione Ordinandorum, si communicentur etiam Ordinati in Minoribus, Episcopus utine debet forma: *Corpus Domini Nostri Jesu Christi custodiat Te in vitam aeternam:* an dicere: *custodiat Animam tuam?* „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam“. n. 4669 ad 16. die 12. Novb. 1831.

24) Ordo accipiendi (Cf. Coena Dom.).

In communione, quae inter Missae Sacrificium peragitur, ministrum Sacrificii non ratione praeeminentiae sed ministerii praeferendum esse caeteris quamvis dignioribus. n. 1907 die 13. Julii 1658.

25) In Parasceve.

Circa communionem in fer. VI. Parasceves Missalis rubricae et Ecclesiae romanae usus serventur. S. C. C. 12. Febr. 1679 approb. Inocent. XI. Vd.: *Communio* (frequens).

26) Paschalis.

a) Num ea sumenda satisfit Jubilaeo?

Vd.: *Communio* (pro Jubil. etc.); *Communio* (pro Indulg. lucr.; decr. de die 1. Maji 1844).

b) Num ea sum. satisf. communioni Bened. papali annexae?

Per confessionem et communionem *die paschatis* resurrectionis peractam et indulgentiam plenariam Papali Benedictioni adnexam lucrari et satis praecepto paschatis fieri. S. C. J. die 19. Mart. 1841.

c) Ecclesia, in qua sumenda.

Regulares possunt Laicis, qui degunt intra septa monasterii eisque actu inserviunt, ministare Sacramenta Eucharistiae etiam tempore Pasch. ac extremae Unctionis, necnon sepulturam dare in propria Ecclesia juxta editum in Mediolanensi, *non tamen iis, qui quidem actu inserviunt sed degunt extra septa Monasterii nec eorum familiis.* S. C. C. 25. Januar. 1738.

Ad dubium: An famuli et famulae Monialium saeculares degentes in mansionibus sitis in atriis monasteriorum muro circumvallatis, et quae sunt contigua monasteriis et habent portam, quae clauditur, teneantur recipere Sacram. Euchar. tempore pasch. a parochis, in quorum parochiis Monasterium et mansiones sitae sunt? S. C. C. resp.: Affirmative et non amplius. Die 19. Sept. 1722.

In Oratoriis Collegiarum Convictoribus discipulis et domesticis, hoc est, illis, qui actu degunt in Collegio et illi inserviunt, Communio pasch. administrari non potest. S. C. C. 11. Junii 1718.

Vd.: *Communio* (Ecclesia).

d) Excommunicatio.

Episcopus adversus eos, qui temporibus ab Ecclesia statutis ad Confessionis et Eucharistiae Sacramenta negligunt accedere et poenas cap.: *Omnis utriusque Sexus* de Poenit. et Remiss. contemnunt, potest etiam ad excommunicationem procedere, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ex rationabili causa communio ad tempus dilata fuerit. S. C. C. 28. Jan. 1587 ad 1.

e) Tempus.

Communionis in Paschate praeceptum potest extendi in longius tempus ex Episcopi aut Parochi dispensatione rationabili, veluti si timeatur de relapsu in peccatum, seu gravitas delicti perpetrati id requirat aut si causa alicujus forensis expeditionis impediat conscientiae serenitatem. S. C. C. 19. Novb. 1619.

27) Pyxis ferenda a Diacono.

Celebrans, qui non habet usum pontificalium, s. communionem distribuens, non potest sibi teneri facere Pyxidem a Diacono et per Subdiaconum Patenam. n. 2791 ad 2 die 13. Junii 1676.

28) Quotidiana.

Vd.: *Communio* (frequens.)

29) Ritus.

Ad dubium: An in Communione Fidelibus ministranda post Versum: *Panem de Coelo etc.* dici omnino debeant ante Orationem alii Versus: *Domine exaudi etc., et Dominus vobiscum?*

Emi., et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . respondendum censuerunt: ,,Affirmative, ut praescribitur in Rituali Rom“.

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt, die 24. Sept. 1842. n. 4947 ad 3.

Vd.: *Communio* (distribut. infra miss.); *Patena* (in commun.)

30) In Sabb. sancto.

Quum orationes tam praecedentes quam subsequentes Communionem missae Sabb. sancti loquantur in numero plurali; quaeritur: utrum liceat in eadem missa post Communionem Celebrantis SSmum. ministrare Fidelibus et praesertim cum particulis in eadem missa consecratis? S. C. resp.: Negative, nisi adsit consuetudo. n.

4815 ad II. die 22. Sept. 1837; et tunc post missam non vero intra eandem 7. Sept. 1850.

31) Sacerdotum sub utraque specie.

Vd.: *Missa* (interrupta per mortem Sacerdotis; *Votum P. Joni.*)

32) Sacerd. consecrandorum.

Vd.: *Ibidem.*

33) Tempus.

Ad dubium: An liceat in Sabb. s. inter missarum solemnia s. Eucharistiam Fidelibus distribuere et num pereandem sumptionem s. Communionis praeceptum paschale adimpleatur? S. C. resp.: Affirmative in utroque. n. 4499 die 22. Mart. 1806.

Ad dubium: An die magni concursus ad Indulgentiam plenariam vel Jubilaeum possit ministrari s. Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem? S. C. resp: In casu, de quo agitur, affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia missae celebrentur vel ad formam rubricae vel al formam Indulti eidem Ecclesiae concessi. n. 4526 ad 37 die 7. Sept. 1816.

COMPATRONUS.

1) Commemoratio.

(Vd.: Commemor. Patroni.)

Ad relationem: quod in illis Ecclesiis aut locis, in quibus Sanctus Titularis aut Patronus habet socium in Breviario, de Sancto socio fiat tantum commemoratio, tamquam de simplici, dum non remanet dies vacuus pro translatione. S.C. resp.: Negative, excepto casu, quod in toto anni decursu dies vacui deficerent, pro translationibus juxta rubricas. n. 4508 ad 6 die 9. Apr. 1808.

2) Festum (Cf. Patronus).

Cum servitium Cathedralis Thelesinae in Ecclesiam s. Leonardi terrae Cereti, Dioecesis Theles., sit translatum et s. Leornadus sit Compatronus dictae Terrae, Canonici petierunt, praecipi diem festum s. Leonardi venerari de praecepto tam in dicta Terra quam per totam Dioecesim cum Officio et Octava. S. C. resp: *nihil.* n. 858 die 20. Apr. 1630. Festa ss. Comprotectorum non posse indici sub praecepto. n. 1922 die 7. Sept. 1658. Capitulo Ostuni supplicanti pro concessione facultatis continuandi in celebrando festum s. Orontii cum octava non obstante, quod in dicta civitate sit alius s. Patronus; S. C. resp.: „Nihil et in posterum abstineant". n. 2722 die 9. Febr. 1675.

3) Oblig. Regul. ad Officium.

Ad dubium: An Regulares teneantur celebrare praeter Officium Patroni Civitatis et Dedicationis Eccl. Cath., etiam Compatroni, de quo agitur Festum cum onere audiendi Missam, et etiam alicujus Sancti specialis loci illius, in quo degunt?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit: „Regulares teneri ad Officium tantum praecipui Patroni Dioec. si adsit, vel Loci".

Atque ita declaravit, definivit, servarique praecepit. n. 5042 ad 1 die 23. Maji 1846.

COMPLETORIUM.

1) Modus.

Ad dubium: An sustineatur edictum Episcopi mandans Canonicis *cantum* completorii diebus in eo praescriptis, seu potius liceat *recitare* modo chorali vel cani facere a Musicis Capellae capitularis? S. C. resp.: Ne-

gative ad primam partem exceptis solemnioribus festis in Quadrag. occurrentibus; ad secundam affirmative: ad tertiam negative. n. 4235 ad 20 die 15. Sept. 1753.

Ad completorium, postquam Hebdomadarius dixit *Confiteor*, universus chorus debet respondere *Misereatur et Confiteor*. n. 351 ad 16 die 19. Maji 1607. (Vd.: Episcopus assistens).

2) Pontificale.

Non licet Abbati Monasterii s. Sepulchri die dominica 27. Julii celebrare Completorium pontificaliter et sub baldachino occasione successivae processionis SSmi. n. 3789 ad 1 die 22. Aug. 1705.

3) Tempus.

Ad dubium: An Episcopus possit praescibere, ut Vesperis in Choro peractis, recitatio Completorii suspendatur, usque dum Sacra Pyxis in majoris Altaris Tabernaculo collocetur, Catechismus, vel Concio ad Populum absolvatur, quaedam Orationes recitentur in conspectu SSmi. Sacramenti, et fiat cum eo benedictio, quod est contra Ecclesiae Putedanae consuetudinem, cum ejusdem Canonici soleant post Vesperas statim Completorium recitare?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum: „Juxta votum, hoc est, de jure non teneri". n. 4534 die 22. Martii 1817.

Nota Gardellini ad hoc Decretum: Huic Dubio occasionem dedit expositio S. Pyxidis in majoris Altaris Tabernaculo, quae fieri solet post Vesperas; unde Canonici Completorium differre coguntur, ut interim concio habeatur, nunnullae recitentur preces, et populus, post benedictionem cum S. Pyxide ei impertitam, dimittatur. Ne quis autem sit, qui credat, S. C., dum stricte Dubio respondit, tacite saltem non reprobasse morem extrahendi S. Pyxidem Tabernaculo ad effectum eam exponendi sub Umbella, vel elargiendi populo benedictionem: etenim P. E. eidem S. C. praepositi. Dubio respondentes, haud ampliarunt examen ad id, quod non quaerebatur. Equidem caeremoniarum Magister, qui ut super propositis Dubiis votum suum aperiret, rogatus fuit, morem exponendi S. Pyxidem sub umbella, vel e Tabernaculo extrahendi pro impertienda confluentibus benedictione, agnoscens esse contra receptos Ecclesiae ritus, opportune notavit: de quo ritu hic agere ad me non pertinet. Nam expositio cum Pyxide *privata* est, et sub ea conditione permittitur, dummodo e Tabernacolo non extrahatur: veluti repetitis Decretis expresse jubent S. C. Episcoporum, et Regularium die 9. Dec. 1602., altera Conc. Trid. interpretum 17. Aug. 1630. 28. Febr. 1654, et 14. Apr. 1674. ex Lib. 19. Decretorum pag. 319., et Lib. 28. pag. 72., ac tandem S. R. C. in Savonen. 31. Mart. 1642. Spartam hanc mirifice illustrat S. M. Benedictus XIV. tam ut Doctor privatus in altera ex suis Institutionibus Ecclesiasticis, quae est XXX. latinae editionis, quam ut Pontifex in Epistola ad Cardinalem Guadagni suum in Urbe Vicarium dat. die 27. Julii 1755. legenda in Bullario ejusdem Pontificis Tom 4. pag. 317, et sequent. editionis Romanae. Hinc etiam fit, ut nec liceat S. Pyxidem loco Ostensorii radiati sub umbella exponere. Ita laudatus Pontifex in citat Institut. num. 77. Penitus interdicitur S. Pyxidem ob *privatam* causam extra Tabernaculum afferri, vel velatam sub umbella collocari, cum nullum hujus ritus vestigium apud Scriptores, nullaque Sedis Apostolicae consuetudo depre-

hendatur, quam sequi omnino debemus. Haec obiter adnotasse sufficiat.

Ab antiquo tempore Canonici Cathedralis Casalan. diebus dominicis aliisque festis per annum occurrentibus, quando a Musicis vesperae decantantur, consueverunt eo tempore in choro bini et bini Vesperas et Completorium recitare. S. C. resp.: Canonicos non satisfacere obligationi chori, recitando hoc modo Completorium tempore, quo a Musicis vesperae decantantur. n. 4215 die 3. Apr. 1751.

CONCEDE. (Oratio.)

(Vd.: *Oratio tert.*; *A cunctis.*)

Ad dubium: An in Missa votiva S. Francisci Oratio: *A cunctis*, quando dicenda est, permutari debeat in aliam B. M. V. *Concede*, prout in Missa votivo SS. Apostolorum Petri et Pauli volunt aliqui Rubricistae?

Et Emi., ac Rmi. P. S. eidem C. praepositi respondendum censuerunt: *Juxta votum*, videlicet:

„Vel omittendum nomen S. Francisci in Oratione *A cunctis*, aut legendam Orationem ad poscenda suffragia, quae incipit *Concede* etc. Et ita responderunt, die 15. Maji 1819. n. 4560 ad 3.

Nota gardell. ad hoc Decretum:

Cum de uno eodemque simul Officium et Commemorationem fieri vetitum sit, ut omnes norunt, pari ex ratione recolenda iterum non est in secunda Oratione memoria illius Sancti, cujus in honorem oblatum est Sacrificium, vel haec Officio respondeat, vel Missa ex illis sit, quas Votivas dicimus: servari nihilominus in his debent qualitas et numerus Orationum, quas Rubrica praescribit. Quid igitur agendum, si celebretur Missa Votiva de S. Titulari, in qua secunda Oratio debet esse *A cunctis*, et *per litt. N.* ibi signatam ejusdem Titularis memoria recolenda indicatur? Satisne erit, eadem Oratione retenta, nomen Titularis omittere, vel potius aliam, quae prima est, ad petenda suffragia Sanctorum, illi sufficere? Regula peti nequit a Rubrica, quae in Missis votivis de B. M. V., ne iterum de ea fiat, Orationi *A cunctis*, alteram *de Spiritu S.* substituendam jubet; et in illis de SS. Apostolis Petro et Paulo Orationem *Concede nos famulos tuos* de B. M. In neutra ex his Missis potest surrogari Oratio *Concede*, quae, inter diversas prima est, quia in hoc etiam cum B. M. V., tum SS. Apostolorum peculiaris fit mentio: nihilominus cl. Gavantus ex hac Rubrica quaestionem sibi proponit part. 1 tit. IX. num. 15: *An similem ob causam in Missa votiva de Patrono, seu Titulari, qui nominatur in litt. N.* in *Oratione* A cunctis *debeat fieri similis mutatio?* et respondet: *Satis esse in eo casu vel tacere in Oratione* A cunctis *nomen Patroni, seu Titularis, ne de eodem bis fiat mentio in Collectis; vel nominare poteris vice illius alium pro tua devotione*". *Gavanto* adhaeret *Guyetus lib. 3. cap. 29. quaest. 7.* Bene quidem: sed haec est privata Scriptorum sententia, quam S. C. non rejicit, immo adprobat; tanti tamen non est ponderis, ut pro certa regula habenda sit, et non alius potius Sacerdotum arbitrio relinquendus modus, scilicet Orationem *A cunctis* commutandi in aliam *Concede*, quae similiter est ad petenda suffragia Sanctorum? Non alia certe de causa, nisi liberum sit Sacerdoti vel unam potius quam aliam legere, dum alterutra districte non praecipitur; vel in aliqua circumstantia, veluti illa est, de qua in Dubio proposito, praeceptam in aliam commutare. En igitur ratio, qua S. C. facultatem relinquendam esse du-

xit Sacerdotibus vel omittendi in Oratione *A cunctis* nomen Titularis, vel Patroni, vel potius legendi illam, quae prima est inter diversas, scilicet *Concede quaesumus etc.*

CONCIO.

1) Assist. Canonicorum.

Canonicis licere tenere pannum in eorum scamno extra stallum, cum assistunt Concionibus n. 612 die 14. Febr. 1626.

Canonici et Praebendati reliqui Cathedralis vel Collegiatae, si inibi conciones habeantur, interfuturi assistant, ordine sedentes in proprio ac decenti scamno cum habitu chorali sub poenis Episcopo benevisis. n. 2135 die 1. Oct. 1661.

Canonici Cathedralis Civitatis Pompeji Stabbiae interessentes concionibus debent esse induti habitu canonicali dum sedent in propriis stallis. n. 3644 die 31. Mart. 1703.

2) Pro Defunctis.

a) Habitus Concionatoris

Limburgen.

Sacerdos Carolus Klein S. Theologiae Doctor ac Rmi. Ep. Limburg. Caerem. Magister quum animadverteret in Caere. Ep. s. m. Benedicti XIV. jussu edito *libro 2 cap. 2* praescribi: „Si Sermo habendus erit in laudem Defuncti pro quo Missa celebratur, tunc ea finita, ante absolutionem accedat Sermocinaturus vestibus nigris indutus sine Cotta, et facta Oratione ante medium Altaris, nulla petita benedictione ab Ep., sed facta eidem profunda reverentia vel genuflexione, pro qualitate personae, ascendat Pulpitum panno nigro coopertum, ubi facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo Crucis facit sermonem". Ut ab hac Caeremonialis praescriptione quaecumque ambigua interpretatio amoveatur, S. R. C. enixe rogavit, ut declarare dignaretur:

1. An praenotatis Caeremonialis *vestibus nigris* etiam Stola comprehendatur, ita ut Sermocinaturus in laudem Defuncti (extra Urbem) stola super veste talari, vel alia dignitati suae competenti, indui debeat?

2. An laudata dispositio Caeremonialis in Eccl. Cath. tantum, an etiam in aliis omnibus, Episcopo absente, servari debeat? Et S. eadem C. ad Vaticanum subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem mei Secretarii rescribendum censuit:

Ad. 1. „Negative".

Ad. 2. „In omnibus Ecclesiis servandam". n. 5010. die 14. Junii 1845.

b) Tempus.

Non licet fieri Conciones infra Octavam Omn. SS. pro animabus Purgatorii sine speciali Indulto. n. 3372 die 8. Oct. 1695.

3) Dignit. et Canon. (Habitus.)

Vd.: *Canonicus*, (insign. et habit); *Cappa Canon. Cath.* (decr. n, 4536.); *Stola; Rocchetum Canon.* (decr. n. 4683.); *Canonici* (administr. Sacram. decr. n. 4669.)

Non licet Dignitati et Canonico, qui sit etiam Protonotarius titularis, in Cathedrali concionari cum habitu *praelatitio*, videlicet subtana, rocchretto, mantelletto et stola. n. 3150 die 11. Novb. 1641.

Non licere Canonicis Cathedralis vel Collegiatae uti habitu canonicali, dum concionem habent in aliqua Ecclesia intra Dioecesim, sed tantum in propria Ecclesia, ubi sunt Canonici. n. 1619 die 10. Sept. 1650.

Ad dubium: An Dignitatibus et Canonicis Ecclesiarum Colleg. habenti-

bus usum mozzettae, dum conciones intra et extra proprias Ecclesias sunt habituri, sit permittendus usus stolae super mozetta? S. C. resp.: Pro observatione decretorum et Caerem. respective. n. 3484 die 2. Aug. 1698.

Ad dubium: Debentne Episcopi et Sacerdotes concionem habentes adhibere stolam? S. C. resp.: Servandam esse immorabilem consuetudinem. n. 4669 ad 21 die 12. Novb. 1831.

4) Episcopi (Habitus, bened., assistentia.)

Cf.: *Episcopus, (ingressus etc.)*; *Episcopus* (assistens Concioni).; *Concio* (assistent. Canonicor.)

Episcopus habitu quotidiano et ordinario concionaturus est, nempe cum rorchetto et mozzetta et addita stola, nisi solemniter prius celebraverit, quia tunc servanda est forma libri Caeremonialis. (lib. II. c. VIII. n. 48. 49.) n. 174 die 23. Novb. 1602.

Ob supremum Ordinem et Dignitatem Episcopalem non convenire, ut Episcopus concionaturus ab Ordinario etiam Cardinali ante Concionem benedictionem petat. n. 343. die 28. Apr. 1607.

Episcopo in Ecclesia Cathedrali in ambone, ubi praedicatores ordinarii praedicare consueverunt, praedicanti sine baldachino, *et in habitu Mozzettae et Stolae* non debetur assistentia Canonicorum aut Dignitatum sed nonnisi quando cum Pluviali et Mitra juxta Caeremoniale praedicare voluerit. n. 4185 die 19. Decb. 1643. Teneri duo Canonicos assistere Episcopo in pulpito concionanti, si idem pontificaliter indutus, id est, cum Pluviali et mitra et baculo, concionetur in Cathedrali. n. 3103 ad 1 die 23. Mart. 1686; n. 3605 ad 2 die 3. Decemb. 1701.

Nemini tam saeculari quam regulari etiam in eorum propriis Ecclesiis licere concionare, ipso Episcopo actu concionante. n. 2422 die 10. Sept. 1667.

Ad dubium: An Episcopus censuris, et poenis, vel distributionum amissione valeat Canonicis Ecclesiae Cathedralis praescribere, ut Catechismo intersint, quem ad populum habet, eidemque in Ambone concionanti assistere, ubi solent alii Verbi Dei Praecones, si id faciat talari habitu indutus, vel cum Mozzetta, vel Stola?

Et S. eadem R. C censuit respondendum: „Juxta votum, hoc est, de jure non teneri". n. 4534. die 22. Martii 1817.

Nota al. Gardellini ad hoc Decretum:

Plura occurrunt S. C. Decreta, quibus firmatum est, Canonicos concionanti Episcopo assistentiam praestare debere dumtaxat, quando Pontificalibus est indutus, servata forma Libri caeremonialis; sed non teneri, si Episcopus extra Pontificalia cum simplici Mozzetta, et Stola Verbo Dei velit pascere suas oves. Ita responsum lego die 19. Dec. 1643., et rursus in Nolana 23. Mart. 1686. in respons. ad Dub. 1, et in Calaritana 3. Dec. 1701 in respons. ad Dub. 2. Praesertim vero in Pacten. 19. Mart. 1760, ubi Dubium idem erat, ac illud a Puteolanae Cathedralis Canonicis propositum, videlicet: An ab ipsis debeatur assistentia Rmo. eorum Episcopo Pacten. pueros plebemque docenti Christianam Doctrinam? Cui responsum fuit: In casu, de quo agitur, assistentiam non deberi.

Ad dubium: Debentne Episcopi et Sacerdotes concionem habentes adhibere stolam? S. C. resp.: Servandam esse immemorabilem consuetudinem. n. 4669 ad 21. die 12. Novb. 1831.

5) Infra missam (Locus).

Vd.: *Instructio. Clem.* §. XXXII. n. 11.

6) In Oratorio.

Prior . . . Congregat. s. Philippi N. Placent. potest cum licentia tantum Ordinarii habere publicas conciones. n. 3864 ad 4 die 10. Mart. 1714.

7) Protonotarii (Habitus).

Protonotario apost. extra numerum licet concionari cum habitu praelatitio, videlicet subtana, rocchetto et mantelletto. n. 1679 die 9. August. 1653.

8) Cor. SSmo. exposito.

Cf. *Concionator* (bened. cor. SSmo.). *Commem. SSmi. in missis et festis* (Quando etc. decr. n. 4782 nota).

Nullo modo convenire, ut caput tegant Concionatores, quando praedicant vel sermonem habent in Ecclesia, ubi super Altare SS. Sacramentum in tabernaculo chrystallino publice, ut a Christifidelibus veneretur et adoretur, exponitur, prout fieri solet infra octavam festivitatis Corp. Christi et quando per annum oratio continua quadraginta horarum indicitur, sed eos semper capite detecto, dum concionem habent coram SS. Sacramento, stare debere. n. 344 die 28. Apr. 1607.

Indecens omnino esse ante SS. Sacramentum, publice expositum, concionem vel sermonem habere *capite cooperto*, consuetudinem contrariam esse abusum tollendum et prohibendum. n. 788 ad. 4 die 9. Decemb. 1628.

S. R. C. prohibuit in posterum et vetuit neminem concionari vel sermonem habere ante SS. Sacramentum publice expositum, nisi *capite detecto* non obstante quacunque contraria consuetudine, quam abusum esse, et ita ab omnibus etiam quavis speciali nota dignis ubique terrarum servari. n. 845 die 16. Febr. 1630.

Ad dubium: An saltem liceat fieri concionem coram SSmo. capite tecto, quando illud velo serico obductum est? S. C. resp.: *Negative* n. 4815 ad IV. die 22. Sept. 1837.

De licentia concionandi cor. exp. SSmo.; vd.: *Instructio Clem.* §. XXXII. n. 1—3; *de objecto:* n. 4.; de *persona, habitu et stola:* n. 5 et 6; *capite detecto:* n. 7. 8. 9.; *locus:* 11 etc.

9) Post. Sumpt. SS. Sanguinis.

Ad dubium: Possuntne in Missa post sumptionem haberi breves sermones, dum vel ad S. Synaxim prima vice adolescentes admittuntur, vel alia quacumque ex causa, qui quidem sermones *Fervorini* nuncupantur? S. C. resp.: „Affirmative.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 24 die 16. Aprilis 1853.

10) Tempus.

Praesente Archiepiscopo non pertinere ad Decanum Cathedr. praescribere quantum temporis durare debent Sermones in Cathedrali. n. 3370 ad 4 die 3. Sept. 1695.

CONCIONATOR.

1) Benedictio.

Non ad Decanum sed ad ipsum Suffraganeum Administratorem praesentem pertinere absolutionem generalem facere et benedictionem Concionatori impertiri. n. 706 ad 2 die 7. Aug. 1627.

Episcopo absente non pertinet ad Vicarium benedictionem impertiri con-

cionem habituro. n. 950 ad 2 die 13. Mart. 1632; n. 3523 die 11. Julii 1699.

Etiam *Regulares* ad conciones et sermones habendos ab Episcopo benedictionem petere debent. n. 1061 ad 2 die 12. Junii 1638.

Ad dubium: An liceat Canonico Turritano solemniter celebranti impertiri benedictionem Concionatori, quoties infra missarum solemnia non interessente Archiepiscopo ascendit pulpitum ad praedicandum, vel potius sufficiat unica benedictio impertita ab Archiepiscopo, dum illum eligit ad praedicandum? S. C. resp.: *Negative*: n. 3736 ad 1 die 12. Sept. 1705.

Vetita est (omnibus Dignitariis) etiam habentibus usum Pontificalium, benedictio concionatoris. n. 2048 die 17. Apr. 1660.

Archipresbyteri, quid gaudet usu Pontificalium, non licuisse per Concilium Tridentinum benedictiones super concionatorem elargiri. n. 2057 die 12. Junii 1660.

Praedicatores in Ecclesiis Monachorum non debent accipere benedictionem ab Abbate praesente, tam si assistat celebrando pontificaliter, quam alio tempore assistendo seu celebrando sine habitibus pontificalibus. n. 2661 ad 2 die 2. Decb. 1673.

Exponentibus Canonicis Reg. S. Joann. Ev. Portug., quod Episcopus Vlisbonen. praetendit, ut, quando Oratores volunt concionare, prius recipiant ab eodem bened. *genuflexi et non stantes*, contra Caerem. Bauldry c. 9 de Canonic. off. n. 4.; S. C. resp.: Servetur Caerem. lib. 1. c. 22 n. 3114 die 4. Maji 1686. n. 4062 ad 9 die 3. Aug. 1737.

Canonicos reg. Congr. s. Augustini de cruce Coimbriae Portug. teneri *genuflectere* in accipienda bened. ab Ordinariis, antequam concionent, contraria consuet. non obstante. n. 3126 die 5. Oct. 1686.

Parochis non competere facultatem benedicendi (concionatores) n. 3203 die 11. Febr. 1690.

Ad dubium: An Concionatores in Ecclesia Collegiata Manresae teneantur petere benedictionem a Canonico celebrante? Et quatenus affirmative:

2. An Concionatores, etiam Superiores Regulares, teneantur *deosculari* manum Canonici celebrantis post benedictionem ab eo acceptam?

S. C. respondit: „Affirmative ad utrumque, et amplius.“ n. 4468. die 30. Aprilis 1796.

Ad dubium: 1. An Parochis competat jus exigendi, quod presbyteri in missa sol. ad Evangelium de licentia Episcopi praedicantes a parocho celebrante benedictionem petant?

2. In casu affirmativo: an etiam Canonicus a parocho non Canonico benedictionem petere debet?

S. C. resp.: Negative in Omnibus. n. 4999 die 7. Decb. 1844.

Ad dubium: 1. Utrum Parochus quisque Populo enunciaturus Verbum Dei tempore Missae solemnis vel in sua Eccl., vel in altera intra limites suae Paroeciae, veniam aut benedictionem a Celebrante expetere debeat, etiamsi hic non esset Episcopus?

2. Utrum Praelati Reg., qui usu Pontificalium insigniti sunt in Ecclesiis sui Instituti praedictam veniam, ut in praecedenti, petere debeant praedicaturi? Et S. eadem C . . . rescribendum censuit:

Ad 1. et 2. „Negative“.

Et ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 5035. die 23. Maji 1846.

2) Bened. cor. SSmo. exposito.

Coram SSmo. publice exposito Concionator petere debet benedictionem in qualibet concione a quocunque ce-

lebrante, *si in Dioecesi Bracharensi adsit consuetudo;* secus petendam esse benedictionem a celebrante, dummodo sit Episcopus, juxta Caerm. Lib. I. c. 22. n. 4469 ad 1 die 10. September 1796.

Vd.: *Concio cor. SSmo.*

3) Regularis.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXII. n. 5. 6.; *Concio Dignitatum* (decr. n. 4669).

4) Salutatio.

a) Cleri.

Absente Archiepiscopo Concionator nec Priores, nec Magistratum nec Capitulum salutare debet. n. 1648 die3. Aug. 1652. Non est inconveniens, si Ministri altaris et ipse Celebrans salutationi concionatoris correspondeant. n. 3120 ad 7 die 2. Julii 1686.

Concionator debet prius salutare Canonicos Cathedr. in apparatu chorali absente Episcopo, capitulariter sedentes et deinde Gubernatorem saecularem n. 3243 die 11. Aug. 1691. Etiam praesente Episcopo: n. 3304 die 24. Jan. 1693.

Concionatorem non teneri absente Episcopo Canonicis Cathedr. titulum Rmi. tribuere. n. 3434 die 13. Julii 1697; n. 3545 ad 3 die 23. Jan. 1700; n. 3768 ad 2 die 2. Apr. 1707.

Ad dubium: An concionator debeat prius salutare Capitulum aut Magistratum? S. C. resp.: *Affirmative* n. 3545 ad 2 die 23. Jan. 1700.

Salutatio per Concionatorem Capitulo et Magistratui est peragenda cum praelatione Capituli. n. 3992 ad 4 die 9. Decb. 1730.

Concionator absente Episcopo post reverentiam generalem factam Capitulo deinde populo, non tenetur vix incoepta Concione iterum veniam exhibere seu postulare a Canonicis, quia ut ajunt, unum sunt cum Episcopo. n. 4536 ad 7 die 4. Junii 1817.

b) Episcopi.

Deberi Episcopo primam et distinctam salutationem n. 3385 die 7. Apr. 1696. Dum assistit Suffraganeus Velitern. in Presbyterio concioni, salutatio praedicatoris ei prius dirigi debet distincte ab illa Canonicorum et Magistratus saecularis. n. 3491 ad 4 die 6. Sept. 1698.

c) Laicorum.

Vd.: *Reverentia; Magistratus* (reverent).

Non licet Concionatori salutare Magistratum et alios cives titulo Illmi. praesente et absente Archiepiscopo. n. 2877 die 18. Mart. 1679.; n. 3545 ad 3 die 23. Jan. 1700; n. 3768 ad 1 die 2. Apr. 1707.

Connivendum fore ab Archiepiscopo (Surrentino) ut Concionatores, postquam initio concionum ipsum salutaverint cum titulo Illmi. et Revdmi., juxta antiquam consuetudinem Gubernatorem et Magistratum subinde salutent cum titulo Illmi. n. 2068 die 12. Junii 1660.

Duci Campaniae dari non debet a Concionatoribus salutatio cum titulo Excellentiae post illam Episcopi. n. 3705 ad 1 die 13. Sept. 1704.

Faciendam esse a concionatoribus unicam reverentiam ante initium concionis, primam Capitulo, alteram Magistratui. n. 4403 ad 7 die 23. Julii 1781.

CONCLUSIO.

1) Orationum diversarum.

Vd.: *S. Ludovicus*; *Absolutio in die Commemor. etc.; Oratio imperata* (decr. n. 4526); *Exaltatio s. crucis* (conclus.); *Missa vot. pro Spons.* (conclusio). *Anniversarium*

creationis et coronat. SS. PP. (oratio); *S. Camillus de Lellis.*

Oratio: Excita Domine in populo tuo spiritum charitatis etc. concludenda est: *Ejusdem Spirit. s.* n. 1181 die 17. Sept. 1639.

Ad dubium: Si 2. oratio est de Spiritu s. aut de eo fit mentio, tertia sive ultima debet concludi *Ejusdem Spir. s. Deus etc.?* S. C. resp.: *Negative;* n. 4055 ad 6 die 15. Sept. 1736.

Ad dubium: In aliquibus Breviariis, et Missalibus Orationes Sancti Juliani, Sancti Fidelis, Postcommunio Sancti Joannis Nepomuceni, Sancti Bernardini, Sancti Hieronymi Aemiliani, Sanctae Joannae Franciscae, Postcommunio Sancti Januarii, Octavae Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Feriae quartae post Dominicam secundam Quadragesimae in Vesperis concluduntur: *in unitate Spiritus Sancti*; quaeritur: an nomen *Spiritus,* quod in iis Orationibus legitur, indicet revera Spiritum Sanctum et quomodo sint concludendae? S. C. resp:

Negative ad primam partem; ideoque quoad secundam more solito concludendae. n. 4669 ad 49 die 12. Novb. 1831.

Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit R. P. Fr. Jacobus Spratt Ordinis Eremitarum Sancti Augustini hodiernus Prior Collegii Sanctae Mariae in Posterula Urbis, nimirum:

1. Quando in Missa vel Officio dicuntur plures Orationes sub unica conclusione, et in prima Oratione, vel secunda, non autem in ultima nominatur Spiritus Sanctus, quaeritur: an in conslusione dici debet: *in unitate ejusdem Spiritus Sancti etc.*

2. An idem dicendum *Per eumdem Dominum nostrum,* quoties Filius non in ultima Oratione, sed in aliqua ex praecedentibus tantum fuerit nominatus?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, audita relatione ab infrascripto Secretario facta respondendum censuerunt: Negative ad utrumque. die 23. Maji 1835. n. 4747.

2) Orationum SSmi.

S. R. C. mandavit, ut servetur rituale rom. circa conclusionem orationis: *qui vivis et regnas per — saeculorum,* vel: *qui . . . in saec. saeculorum,* in repositione SSmi. n. 3140 die 14. Junii 1687; n. 3145 die 30. Aug. 1687. *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 23 etc.

Cum ex parte civium Civitatis Platiae Dioecesis Catanien. expositum fuerit, quod occasione, qua in Ecclesiis Civitatis praedictae exponi solet SSmum. Eucharistiae Sacramentum, inoleverit abusus recitandi post finem ultimae Orationis loco: *Qui vivis et regnas, etc.: Per Dominum Nostrum Jesum Christum filium* etc., ac propterea ea pro declaratione, quomodo terminanda sit ultima Oratio? S. R. C. humillime fuit supplicatum.

S. eadem R. C.: „Orationem praedictam his verbis: Quis vivis, et regnas in saecula etc. concludi debere" declaravit. Et ita servari mandavit. n. 3912 die 10. Sept. 1718.

Ad dubium: An Oratio: Deus qui nobis sub Sacramento mirabili concludi debeat per verba: *Qui vivis et regnas in saecula,* seu: *qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum?*

Et S. eadem C . . . respondendum censuit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Atque ita rescribere censuit et declarare. n. 5152 ad 6 die 29. Martii 1851.

CONCURRENTIA FESTORUM.

Vd.: *Festum*; *Translatio*; *Officium*; *Vesperae: Dupl.* (dignit.); *SS. Sacram.* (Off. fer. V. decr. n. 4191)

In concurrentia plurium officiorum aequalis ritus, sive martyrum vel confessorum aut virginum vel viduarum, minime attenditur dignitas eorum sed praeferenda sunt festa posteriorum, si celebrentur pompa solemniori aut sint ex illis festis, quae celebrantur in propriis locis et ecclesiis et hoc juxta verba rubricae de concurr. off. tit. II. n. 2: *Inter festa aequalis ritus* etc. S. R. C. 20. Julii 1686.

SS. Martyres in occurentia officii dupl. cum s. Confess. non debent habere integras vesperas propter majorem dignitatem et nobilitatem, quam habet martyr prae confessore. Neque haec major dignitas et nobilitas tribuenda est confessori concurrenti cum virgine, sicque in concurrentiis officiorum aequalis ritus, quae possunt accidere, s. confessor non habet integras vesperas; aliter enim fit in praedictis casibus, quam fiat in concurrentia festorum Domini, B. M. V., Angelorum, Apost., unde in antedictis primis concurrentiis standum est praescriptioni rubricae Brev. rom. de conc. Off. n. 2. quae dicit: *Regulariter fit a cap. de seq.* S. R. C. 14. Decb. 1709 *in una Ord. Capucc.*

Festa per annum duplicia, quae solem. celebrantur a choro, et in populo sunt de praecepto, in concurrentia cum aequalibus quoad ritum et dignitatem possunt habere integras Vesperas ad sensum rubricae XI. Brev. rom. n. 2. S. R. C. 22. Aug. 1744 in *Cracoviensi.*

CONCURSUS POPULI.

(*Quis est?*)

Ad dubium: Quid intelligatur verbis: *concursus populi ad celebrandum festum*, qua ratione cani possit missa sol. de festo, quod transferri debet, et an in hac missa dici debeat et possit semper Credo? S. C. resp.: Intelligitur concursus, qui sit extraordinarius et relate ad festa serventur rubricae de translatione festorum et a pari quoad symbolum serventur rubricae missalis. n. 4815 ad XII. 4 die 22. Sept. 1837.

CONFESSARIUS MONIALIUM.

De cruce erigenda in funeribus, vd.: *Processio fun.* (crux)
De deferenda stola; vd.: *Stola.*
De expon. SSmo., vd.: *Expos. SSmi.*

Jus benedicendi palmas candelas et cineres, quae Monialibus dandi sunt, competere Confessario. n. 2251 die 6. Sept. 1663.

Vd.: *Fest. Omn. SS. Ord. s. Benedicti*; *Cappellanus*; *Aspersorium porrigit Episcopo:* vd.: *Aspersorii Porrectio in Eccles. Monial.*; *Missa* in aliena Ecclesia (decr. n. 3588; 4154; 5195.)

Ad preces Monial. Ord. SS. Salvat. Dioeces. Calagur., ut Asceterii Confessarius ejusque Successores, licet Saeculares Presbyteri, in Divinis persolvendis laudibus se conformare valeant Sanctimonialium Kalendario. S. C. resp.: „Obstant Decreta". n. 4715 ad 6 die 17. Aug. 1833.

CONFESSIO.

1) Assist. Episcopi.

a) Assistentes.

Quando intervenerit Episcopus missae solemni celebrari solitae a Cano-

nico cum assistentia duorum *Beneficiatorum*, ipsi duo Beneficiati debent genuflectere et sic permanere durante tempore Confessionis faciendae per Episcopum cum Celebrante. n. 2882 die 6. Maji 1679. Cf.: *Episcopus. assist. missae sol.; Diacon. et Subd. Celebrantis etc.: Biretum Episcopi* (quando depon.)

b) Celebrans.

Quando Dignitates et Canonici s. vestibus ad celebrandum induti in altari existunt, Episcopus vero in choro cum sola cappa consistoriali, iidem in Introitu missae, quando dicitur confessio, stare debent sicut Episcopus. n. 3551 ad 10 die 13. Mart. 1700.

2) Diaconus cantat.

Confessio cantari debet per Diaconum, sive Episcopus celebret sive non n. 15 ad 13 die 16. Mart. 1591.

Convenientius esse, ut Confessio, quae fit post concionem ante Episcopum a Diacono Evangelii, cantetur memoriter ab eo; si tamen aliquis ex Diaconis non poterit sine libro confessionem memoriter cantare, poterit ei concedi aliquis Minister ex inferioribus, qui librum sustineat, donec cantet. n. 374 ad 5 die 15. Mart. 1608; n. 3271 die 26. Apr. 1692.

Canonicos (Diaconos) teneri dicere confessionem post concionem. n. 1650 ad 1 die 28. Sept. 1652.

Ad dubium: Finito sermone praescribit Caeremoniale lib. I. cap. 25 num. 1: *Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ante infimum vel in supremo gradu Altaris . . . cantat Confessionem:* In libro 2 vero cap. 39 num. 1 legitur: *Statim finito sermone Diaconus stans ante infimum gradum solii . . . cantabit Confessionem.*

Quaeritur primo: An liberum sit Diacono in Confessione cantanda stare vel ante infimum gradum solii, vel in supremo, aut in infimo gradu Altaris? S. C. resp:

Ad Quaestionem 1. Negative, sed stabit aute gradum Solii, celebrante Episcopo, ante gradum Altaris, assistente tantum Episcopo. n. 4669 ad 14 die 12. Novb. 1831.

3) Genuflexio.

Vd. *Genuflexio chori etc.*

Dum Missa solemniter celebratur Canonici et totus Clerus ad Confessionem cum suo psalmo genuflectere debent n. 1311 die 23. Mart. 1641; n. 1427 ad 1 die 24. Jan. 1643.

Omnes choro interessentes genuflectere debent ad *Confessionem et Benedictionem Paschali tempore excepto, nec non dominicis exceptis.* n. 2856 ad 2 die 32. Jan. 1678

Consuetudinem, ut Canonici in choro existentes ad confessionem stare, reliqui vero inferiores genuflectere debeant, ab Ecclesiae Cusentinae praxi revocandam fore. n. 1992 die 19. Julii 1659.

In statione et in sessione cum a Canonicis tum a Beneficiatis uniformitatem semper fore servandam et quoties Divina stare non exigant, nedum a Canonicis verum etiam ab inferioribus aequaliter sedendum esse. n. 1982 die 24. Maji 1659.

Beneficiatos, Cappellanos, Clericosque Beneficiatos et caeteros his inferiores, exceptis Cantoribus Lateranensis . . . in quibuscunque Missis sol ad confessionem cum suo psalmo teneri ad genuflectendum, quacunque consuetudine etiam immemorabili non obstante, quam abusum esse et corruptelam n. 3189 die 18. Junii 1689.

4) Pro Indulgent. lucrandis.

Vd.: *Communio* (pro Indulg. lucr.)

Per decretum S. Congr. J. die 12. Jun. 1822.

Conceditur confessionem sacramentalem peractam *infra hebdomadam ante festivitatem* suffragari posse ad Indulg. lucrandam.

Dub. I. Quaeritur 1: An verba „infra hebdomadam" significent octo dies tantum, quae festivitatem immediate praecedunt: an vero hebdomadam illam totam integram, quae ante festum decurrit, ita ut ex. gr. confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam indulgentiam die Sabbati hebdomadae sequentis, in quam dies festus incideret, tametsi tunc tredecim dies inter confessionem et festivitatem intercessissent?

Quaeritur 2do.: An Confessio octavo die ante festivitatem peracta vi hujus indulti suffragetur tantum ad unam indulgentiam lucrandam; an vero per hanc confessionem aliae etiam indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrent et ad quas lucrandas sacr. confessio caeteroquin requireretur?

Dub. II.: Quaeritur, utrum, cum in Brevi, quo conceditur indulgentia, confessio, tanquam conditio sine qua non praescribitur, necesse sit, ut sacrament. absolutio Poenitentibus detur ad indulg. lucrandam?

S. C. J. resp. ad dub I. Quaest. I.: Affirmat. quoad primam partem, negat. quoad secundam.

Ad Quaest. II.: Negative quoad primam partem; affirmat. quoad secundam.

Ad dub. II.: Negative.

Die 15. Decb. 1841.

5) Pro Jubilaeo lucrando.

Vd.: *Communio* (pro Indulg. lucr.; praecipue decr. de die 1. Maji 1844.)

6) In missa coram Laicis.

Vd. *Missa cor. Laicis.*

7) In nocte Nativ. Dom.

Procurator Curiae archiep. Senen. instat declarari, ut mandata ab omnibus pariter serventur, et quaerit: an possit dicta nocte excipi in Ecclesia confessiones maxime mulierum, durante tempore nocturno sive expectandum, ut illucescat aurora pro confessionibus mulierum excipiendis? S. C. resp.: Utatur jure suo. n. 3105 ad 2. die 23. Mart. 1686.

Vd. Communio *(In nocte Nativit.).*

8) Laici.

Nullo modo licere confessionem facere cum Magistratu et contrariam consuetudinem esse abusum removendum. n. 1032 die 24. Novb. 1635.

9) Locus faciendi.

Vd. *Missa*; (quo gradu alt. incipi.?); *Diaconus Missae Celebrantis missam, cui Episcopus ass.*

Non licet Sacerdoti missam solemniter celebranti cum Levitis facere confessionem a cornu Epistolae, praesente ibidem *Rege* vel alio simili Principe loci, qui sit magnus et supremus non recognoscens superiorem, absente vero Episcopo vel Archiepiscopo. n. 1445 die 18. Apr. 1643.

10) Monialium.

Vd.: *Confiteor* (additio)

11) Paschalis.

a) Confessarius.

Vd.: *Communio paschalis.*

Episcopi declarare non possunt, quod Regulares ad Confessiones Saecularium

excipiendas approbati, hos in Paschate audire non valeant sine Parochorum licentia, quia Regulares possunt audire Confessiones quorumcumque ad eos Confluentium. S. C. C. 24. Mart. 1597; 8. Junii 1599; 26. Mart. 1671.

b) Schedula.

Confessores Regulares cogendi non sunt habere libros, in quibus scribantur nomina poenitentium, quod Parochorum proprium est, sed sufficit, quod poenitentibus in scriptis consignant attestationis schedulam, ubi est praeceptum vel consuetudo, ut eam parocho exhibeant tempore paschali. S. C. C. 18. Mart. 1586.

CONFESSIONALE.

(*In Oratoriis.*)

Ad dubium: An liceat Confratribus retinere Confessionale in Oratorio eorumque Cappellano approbato liceat audire confessiones sine licentia parochi? S. C. resp.: *Arbitrio Ordinarii.* n. 3832 ad 7 die 22. Novb. 1710 n. 3835 ad 3 die 9. Mart. 1710; n. 3914 ad 7 die 10. Sept. 1718.

Non licet sine licentia Episcopi habere in Oratorio Confraternitatis s. Mariae Confalonis sedes fixas confessionales ibique per confessarios approbatos excipi facere confessiones sacramentales. n. 3850 ad 5 die 11. Febr. 1713. Idem decr. pro Confraternitate S. Mariae Perusinae n. 3928 ad 6 die 13. Maji 1719.

Declarationis dubii circa modum concedendi licentias Cappellanis Confraternitatum audiendi Confessionis pro Episcopo Perusino. Scribatur Episcopo juxta mentem. Et mens est, quod abstineat in posterum a concedendis licentiis audiendi confessiones cum clausula „de licentia parochi". n. 3929 die 13. Maji 1719.

Prior . . . Congregat. s. Philippi N. Placent. potest retinere sedem confessionalem ad publice audiendas confessiones fidelium utriusque sexus independenter a parocho de licentia tamen Episcopi. n. 3864 ad 7 die 10. Mart. 1714.

Cappellani manuales Societatis Mortis Perusinae et alii Sacerdotes ab Episcopo approbati et per confratres invitati, possunt audire confessiones sacr. in Oratorio dictae Societatis absque licentia et consensu parochi et confratres possunt impedire, ne parochus audiat Confessiones in Oratorio. n. 3911 ad 1 et 2 die 9. Julii 1718.

Ad dubium: An Cappellanus Confraternitatis SS. Trinitatis Clastidii possit audire confessiones sacr. confratrum et consororum in Oratorio? S. C. resp.: Serventur Constitutiones Synodales. n. 4012 ad 9 die 13. Sept. 1732.

CONFIRMATIO.

1) Assist. Canonicorum.

Vd.: *Canonici assist. Episcopo in hab. can.* (decr. n. 4317.)

2) Impos. manus.

Cum in rubricis de Sacramento Confirmationis dicatur: Adulti seu alii majores ponant pedem suum super pedem dexteram Patrini sui, quaeritur: an sufficiat, si Patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexteram Confirmandi? S. C. resp.: Sufficere. n. 4205 ad 8 die 20. Sept. 1749.

3) Nomen imponendam.

Ad dubium: An Confirmandos tempore Confirmationis, quando Episcopus dicit: *N. signo te* etc., praeter nomen suum baptismale, possit aliud nomen Sancti sibi imponi curare? S. C. resp.:

Posse n. 4205 ad 9 die 20. Septemb. 1749.

4) Signum crucis.

Ad dubium: Triplex signum Crucis quod ab Episcopo confirmante fit super Confirmatum dum profert verba: *In nomine Patris etc.*, fierine debet pollice super frontem Confirmati, aut manu simpliciter sine frontis contactu super personam Confirmati?

Et S. eadem C . . . rescribendum censuit: Juxta Pontificale dum frontem Chrismate inungit dicere debet *Signo te signo Crucis* signum super frontem ipsam pollice producens; quo facto manu extensa versus Confirmatum incipit: *In nomine Patris etc.* ter signum Crucis efformans more solito.

Atque ita rescripsit, declaravit, servarique mandavit. n. 5186 ad 2 die 7. Maji 1853.

5) Sine mitra.

Vd.: *Mitra Episcopi.*

CONFITEOR.

1) Additio.

Vd.: *Confessio*; *Lytan. SSrum.* (add. illic. decr. 20. Mart. 1606.)

Ad dubium: An ad Confiteor post nomen S. Francisci possit addi nomen etiam S. Clarae per verba: *Beatae Matri Clarae.*

Emi. et Rmi. P. s. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Affirmative in omnibus“.

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 5 die 7. Sept. 1850.

Ordinis S. Joannis De Deo.

Beatissimo Padre. Fr. Luigi Maria Carmignani Prior Generale dell' Ordine di San Giovanni di Dio, divotamente espone, che quasi tutti gli Ordini Regolare godono il privilegio di aggiungere al *Confiteor* nella Santa Messa, ed in altre Sacre Funzioni il nome del Santo Fondatore, e perchè i Sacerdoti dell' anzidetto Ordine anelano moltissimo un tal privilegio, l'Oratore si fa ad implorarlo della Santita Vostra, onde ciascuno richiamandosi spesso alla mente il Santo Patriarca, si faccia conpiu impegno ad imitarne le virtu, e specialmente la Carita, fine del suo Istituto. Che ec. Sacra Rituum Congregatio ad Vaticanum sub signata die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: *Pro gratia in Officio tantum:* die 16. Martii 1833. n. 4711.

Regulares absque speciali privilegio sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum non possunt addere nomen S. Fundatoris in Lytaniis et Confiteor. S. R. C. 20. Mart. 1706.

In regulis ad Missale Fratr. Minor. subjectis S. C. declaravit: In missa dicendum est *Confiteor* pure et simpliciter, prout habetur in miss. rom. absque additione alicujus Sancti etiam Patroni, qui in sola oratione: *A Cunctis* et Postcomm.: *Mundet* addendus est; . . non autem sic in *Confiteor*, ideo in illo nulla debet fieri additio, praeterquam in Ecclesiis Hispaniarum, quibus a Pio V. hoc concessum est. (Cavant. p. I. tit. 3 n. 7) n. 2362 ad 5 die 13. Febr. 1666.

Usum Patrum Congreg. Oratorii s. Philippi Nerii Ulysbon. addere in *Confiteor* nomen s. Philippi eorum Patriarchae posse tolerari. n. 2702 die 16. Junii 1674.

Monialibus Monasterii s. Donati sub regula s. Benedicti Ordin. Cisterciens. extra moenia Florentinae S. C. concessit, ut nomina ss. Benedicti et Ber-

nardi in Confiteor recitari possint et valeant. n. 3998 die 3. Mart. 1731.

Moniales ss. Visitationis Dioec. Genevensis in Confiteor exprimere posse nomen s. Antistitis (s. Francisci Salesii) n. 2425. ad 6 die 19. Novemb. 1667.

Ad dubium: An licitum sit in *Confiteor* ad Primam, Completorium et Missam et in Orationibus, ubi S. P. Franciscus nominatur, addere nomen *Patris nostri,* cum hoc expresse legatur in Rubrica peculiari nostri Breviarii (PP. Minorum).

Et S. eadem C. respondendum censuit:

„Affirmative juxta praefati Breviarii Rubricam. num. 158."

Facta autem per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo. D. N. Pio PP. VII. P. M. relatione, S. S. S. C. responsa approbavit, confirmavit, atque ita in posterum a dicti Ordinis et Provinciae Religiosis servari mandavit. n. 4549 ad 2 die 25. Augusti 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

S. haec C. adprobavit *anno 1666* sub *die 13. Febr.* nedum ***Rubricas peculiares Ordinis Minorum, verum etiam notanda quaedam ad easdem, seu excerpta ex ejusdem S. C. resolutionibus,*** quarum altera est: ***in Missa dicendum est*** Confiteor ***pure et simpliciter, prout habetur in Missali Romano absque additione alicujus Sancti etiam Patroni, qui in sola Oratione: A cunctis, et postcommun.:*** Mundet ***addendus est***; et in una ***Ordin. Min. de observ. Provinciae Conceptionis B. M. V. in Regno Portugalliae*** ad quaesitum: ***An in oratione et versiculis B. Francisci possit addi a Franciscanis:*** B. Patris nostri: sub die 18. Decemb. 1779 respondit: *Negative.* Hujusmodi autem Decreta generalem ponunt regulam; sed quoniam in nova editione *Breviarii trium Ordinum* legitur sequens rubrica *num. 158: Omnibus hoc Breviario utentibus licitum est in Confiteor ad Primam et Completorium et Missam post nomina SS. Apostolorum addere nomen B. Patris nostri Francisci; eaque Patris nostri appellatio, licet iisdem pariter in vers.:* ora pro nobis etc., *et in orationibus seu Breviarii seu Missalis, in quibus Seraphicus idem Patriarcha nominatur etc.*; ideo haec specialis facultas Pontificis adprobatione et auctoritate roborata, ut praefatis Decretis posterior est, ita id licitum facit utentibus *Breviario trium Ordinum,* quod sine hujusmodi privilegio foret (il) – licitum.

Quum in S. R. C. serio examine expendebantur Preces, queis Sanctimoniales Ordinis S. Clarae Monasterii Civitatis Havannae in Insula vulgo dicta de Cuba efflagitabant Indultum, ut deinceps nomen S. Matris Clarae addere valerent ad *Confiteor*, in Officii Commemorationibus, caeterisque in Orationibus, in quibus S. Francisci nomen apponitur, innotuit Emis. et Rmis. P. S. tuendis Ritibus praepositis usque ab anno 1825 s. m. Leonem Papam XII. propria manu pro Sanctimonialibus Asceterii S. Cosmae et Damiani Mart. in Urbe signasse gratiam confirmationis consuetudinis ibi invectae et eidem Summo Pont. expositae, addendi nempe in Suffragiis, quoties locum habent in Divino Officio, Commemorationem S. Clarae, illiusque nomen exprimendi in privata non minus, quam publica confessionis *Confiteor* recitatione tantum. In Ordinariis quocirca Comitiis ad Quirinale coadunatis subsignata die Emi., et Rmi. P., audita a Secretario fideli relatione super omnibus, de speciali gratia annuendum censuerunt juxta memoratum Indultum a. s. m. Leone Papa XII. Sanctimonialibus Ordinis s.

Clarae ad S. Cosmam et Damianum Urbis concessum. n. 5134 die 22. Julii 1848.

2) In Bened. apost. pro Moribundis.

Vd.: *Bened. cum Indulg. plen. pro Moribund.*

3) Mutatio.

Moniales, quando faciunt inter ipsas Confessiones, non debent alterare verba „*vobis fratres*" in *Sorores* et „*te Pater*" in „*te Mater*"; sed Confessionem fieri deberi prout jacet in Breviario. n. 827 die 18. Aug. 1629; n. 2364 ad 5 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: Quum duo vel plures Officium Divinum privatim recitant, debentne ad Confiteor omittere verba illa: *vobis fratres, et vos fratres: misereatur tui, et misereatur vestri,* sicut quando unus tantum illud recitat? S. C. resp.: „Possunt et non debent". n. 4669 ad 42 die 12. Novb. 1831.

4) In Ordinatione.

Ad dubium: Diaconi et Subdiaconi in sacra Ordinatione quando dicere debent *Confiteor*, ante, vel postquam communicati sunt Presbyteri? S. C. resp.: Post Communionem Presbyterorum. n. 4669 ad 9 die 12. Novb. 1831.

CONFRATERNITAS.

1) Administratio bonorum.

Confraternitates possunt propria bona administrare ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho. n. 3670 ad 31 die 12. Jan. 1704.

2) Associat. funerum.

Vd.: *Processio funebr.*; *Sepultura.*

Confraternitates non posse impediri, quominus non associent Mortuorum cadavera ad sepeliendum. n. 832 die 18. Aug. 1629.

Confratres Rosarii Gallipollitanae ab Ordinario impediri non possunt, quominus vocati ad associanda corpora defunctorum accedant, quotiescumque non vocatur Capitulum Cathedr. n. 859 die 8. Junii 1630.

Confraternitates laicorum in actu associationis cadaveris nullo modo posse erigere Crucem propriam. n. 936 ad 2 die 22. Novb. 1631; n. 2910 ad 1 et 2 die 27. Jan. 1680.

Confraternitati Senogall. sub Invocatione ss. Conceptionis B. V. M. non licere associare cadavera sine licentia et interventu Parochi et propriam erigere crucem contra formam decretorum. n. 2293 die 30. Aug. 1664.

Ad dubium: An Parochi Monopolitanae Confratres SS. Sacramenti prohibere possint haeredibus defunctorum, ne ipsos invitent ad associanda cadavera, quae in parochialibus deferuntur? S. C. resp.: Non posse prohiberi. n. 2639 die 17. Junii 1673.

Rectores sive Sacristae, qui cum *suis Confraternitatibus* ad funus vocatis incedunt, post absolutum a parocho Officium funeris in sua Ecclesia parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, possunt super dicto cadavere iterum funebre Officium peragere sine cruce et stola. n. 2910 ad 4 die 27. Jan. 1680.

Ad dubium: An Confraternitates possint accedere ad funeralia *non vocati*; et si fuerint vocati in actu associationis, an possint erigere crucem? S. C. resp.: *Negative quoad omnia.* n. 2912 ad 9 die 24. Febr. 1680.

Licet confratribus associare cadavera Confratrum et Sororum ad Ecclesiam et Oratorium cum interventu parochi. n. 3832 ad 12 die 22. Novb. 1710.

3) Congregatio.

Confraternitates, sive sint erectae in Ecclesia parochiali sive extra illam, possunt pro libitu et juxta unius cujusque peculiaria Statuta Congregationes facere absque interventu et licentia parochi, dummodo non impediant functiones et divina Officia. n. 3670 ad 30 die 12. Jan. 1704.

Quando Parochus eisdem Congregationibus interest de mandato Ordinarii et tamquam ejus delegatus, non potest Suffragium decisivum ferre neque Suffragium duplex. *Ibid. ad 32 et 33.*

4) Erectio et confirmatio.

Vd.: *Cappellanus* (Confratern.).

Nemini licere inconsulto Episcopo in sua Dioecesi erigere et creare de novo Confraternitates et eorum Statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios pertinent ad Episcopum tantum. n. 548 die 7. Oct. 1617.

Duas Confraternitates in *eodem loco sub eadem invocatione* erigi non posse, et . . ideo ubique locorum id esse prohibendum. n. 1362 die 7. Decemb. 1641.

Neque etiam in alio loco ultra horam ab ecclesia, in qua aliqua confraternitas ejusdem nominis et instituti erecta manet, erigi potest. Bene vero in eadem ecclesia plures Confraternitates sub diversis tamen titulis institui possunt, e. g. de Rosario et de b. Corde Mariae, Confraternitates vero de SS. Sacramento et de doctrina christiana in qualibet ecclesia *parochiali* erigi licet. S. C. J. 7. Febr. 1607. Dec. Rot. Rom. 18. Jan. 1745.

Non obstare Bullam Clementis VII. quoad erectionem plurium Confraternitatum, quae sint diversi instituti vel Invocationis. n. 1950 die 7. Decemb. 1658.

Ad dubium: An liceat sub eodem tecto stare duas Confraternitates ejusdem Instituti habentes eadem signa et peragentes eadem exercitia? S. C. resp: Servetur Constitutio fel. rec. Clementis VIII. n. 2803 die 14. Novb. 1676.

Postquam Vicarius Generalis Dioecesis Montis Albani exposuit huic S. Sedi Apostolicae in Ecclesia Parochiali S. Jacobi Ap. Civitatis Montis Albani canonice erectam reperiri Confraternitatem Sacratissimi Cordis Jesu et Mariae (quae tamen vulgo sub priori tantum titulo Sacratissimi Cordis Jesu cognoscitur) prorsus distinctam ab Archiconfraternitate Romana sub eodem titulo Sacratissimi Cordis Jesu: siquidem haec Confraternitas Montis Albani duplicem habet scopum, spiritualem scilicet sodalium utilitatem et in necessitatibus temporalibus ope menstruae retributionis assistentiam, ab hac S. R. C. humillime postulavit ut declarare dignaretur: utrum in Civitate Montis Albani, vel in eadem Parochiali Ecclesia institui possit alia Confraternitas Sacratissimi Cordis Jesu Romanae Archiconfraternitati vel Confraternitati Molinensi in Gallia aggreganda, ac prorsus distincta ac diversa a Confraternitate, de qua supra, in Parochiali Ecclesia S. Jacobi erecta? Quae singula quum subscriptus Secretarius ejusdem S. R. C. retulerit in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis rescribere rati sunt: „Quum juxta exposita una Confraternitas ab altera differat non tantum nomine sed etiam scopo, simultaneae utriusque confraternitatis existentiae in eadem Civitate minime officere censenda est Constitutio s. m. Clementis Papae VIII., quae inipit: Quaecumque. Atque ita S. R. C. rescripsit. n. 5226 die 29. Nov. 1856.

Urbis et Orbis.

Decretum

Super institutionibus seu erectionibus et aggregationibus Confraternitatum ab Ordinibus Regularibus, Religionibus, Institutis, Archiconfratribus et Congregationibus faciendis.

Ex Audientia SSmi. die 8. Jan. 1861.

Ad Religionis et pietatis incrementum ac mutuam charitatem inflammandam Apostolica Sedes pluribus sive Ordinibus Regularibus Religionibus et Institutis sive etiam Christi fidelium Saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus potestatem fecit alias Confraternitates et Congregationes erigendi et instituendi nec non etiam aggregandi ac Indulgentias, Privilegia, aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi.

Cum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset, quae in hujusmodi institutionibus et erectionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Clemens VIII. fel. rec. Constitutione, quae incipit: *Quaecumquae a Sede Apostolica*, data sub die 7. Dec. 1604, modum praecepit servandum in his peragendis formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit, Indulgentias, Privilegia etc. tantummodo communicari posse, quae nominatim et expresse Societati aggreganti concessa sunt, non tamen ea, quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et quidem communicari non sub generali verborum forma vel ad instar sed expresse et in specie atque per dictam formulam ab ipso Pontifice approbatam, quae quidem omnia in eadem Constitutione reperiuntur praecepta sub nullitatis poena, ut clarius patet ex laudata Constitutione.

Compertum tamen est progressu temporis non ab omnibus adhibitam fuisse hanc formulam neque Privilegia neque Indulgentias adamussim communicatas, quemadmodum Pontifex praeceperat.

Cum insuper statutum fuisset in eadem Constitutione, ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent, et tantummodo per Decretum Congregationis Cardinalium sub Paulo V. Indulgentiarum moderationi praepositae latum die 6. Mart. 1608 titulo expensarum permissum fuisset Instituentibus vel Aggregantibus scutum unum aureum recipere et quidem sub poena, inter caetera, nullitatis, prout clarius innotescit ex eodem Decreto, attamen cognitum similiter est neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse. Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate horum institutionum seu aggregationum Sanctitas Sua benigne sanavit institutiones et aggregationes hucusque factas, in quibus aliquid ex praedictis desideretur, quod perficiendum erat per Constitutionem enunciatam aut Decretum superius expressum, vel contra in iisdem praescripta peractum sit, simulque mandavit, ut in posterum formula in hujusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII., cujus Constitutionis ad minus praecipua Capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab eadem Sanctitate Sua approbatis, cujus quidem formulae exemplar iis praesertim, quorum interest, communicandum in Actis S. Congregationis servari prascepit et ut Societati aggregatae ab Ordine, Instituto, seu Archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula ac etiam typis impressus Elenchus Indulgentiarum et Privilegiorum ab Ordinario tamen loci recognitus; cujus im-

pressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi Indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus etc., non obstante decreto S. C. Indicis, et altero Decreto S. C. Indulgentiarum explicante et moderante praedictum Decretum Indicis diei 22. Jan. 1858.

Atque hoc Decretum absque ulla Brevis expeditione publicari jussit derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium etiam specialis memoriae dignae.

Datum Romae ex Secretario S. C. Indulgentiarum et S. Reliquiarum.

F. Card. Asquinius Praefectus.

A. Colombo Secretarius.

Formula servanda saltem in substantialibus) a Superioribus Regularibus Religionum etc. in erigendis seu instituendis Confraternitatibus ac communicandis Indulgentiis et gratiis spiritualibus quas a Sede Apostolica obtinuerunt.*

N. N. Ordinis N. Generalis.**)

Religio nostra cum inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat saecularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias privilegia et Indulgentias communicandi, in hujusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christifidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem se praebere consuevit. Nos igitur, qui generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes fore ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa Confraternitatem N. in Ecclesia N. Loci N. Dioecesi N. de consensu loci Ordinarii, qui ejusdem Confraternitatis institutum pietatem ac religionem Literis patentibus nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia similis in ipso vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes nostras Litteras erigimus et instituimus illisque et pro tempore existentibus utriusque Sexus Confratribus elargimur et communicamus Indulgentias, privilegia et speciales gratias singillatim descriptas in Elencho, quem rite per Ordinarium loci recognitum una cum his Litteris tradimus diligenter asservandum*). Quibus omnibus Indulgentiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam ejusque Confratres potiri et gaudere posse decernimus juxta ea, quae fel. mem. Clemens Papa VIII. in Constitutione, quae incipit: *Quaecun-*

*) Dicitur in substantialibus quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, qua substantiam non afficiant. Integrum etiam erit unicuique Ordini Religioni, Instituto sive originem sive naturam sive praestantiam proprii Ordinis indicare et alia quae solent in hujusmodi Litteris apponi.

**) Hic exprimitur persona vel qui auctoritate pollet juxta facultates et privilegia uniuscujusque Ordinis.

*) Potest etiam inseri si lubet Elenchus; in utroqne tamen casu Elenchus jam ab Ordinario loci recognitus continere debet distincte et expresse non sub generalibus verbis Indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per Communicationem et extensionem gaudet.

Ad tollendam tamen omnem dubitationem: dum per Ordinarium loci dicitur recognosci debere Elenchum, intelligitur ut semel ab Ordinario loci, ubi Auctoritas praecipua Ordinis Instituti Religionis etc., quae habet facultatem erigendi etc., moratur, recognitus fuerit Elenchus, non indigeat nova recognitione et tradi possit Societati erigendae etc., etiam alibi cum necessarium sit ut semper idem sit Elenchus, salvis additionibus, quae ex novis concessionibus pariter recognoscendis fieri contingat.

que data sub 7. Dec. 1604. praescripsit et variationes a SSmo. D. N. Pio IX. approbatas, ut ex Decreto S. Cong. Indulgentiarum diei 8. Jan. 1861, et cujus Constitutionis praecipua Capita cum dictis variationibus subnectuntur*) scilicet: 1. quod unica tantum Confraternitas ejusdem Instituti et generis institui et aggregari possit in Ecclesiis tam Saecularium quam Regularium; 2. quod id fiat de Consensu Ordinarii et cum Litteris testimonialibus ejusdem; 3. quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur Privilegia et Indulgentiae Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet; 4. quod Statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint; 5. quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur; 6. quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget juxta formam per Ordinarium praescribendam; 7. quod Litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae acceptae expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, cordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutorum sex monetae romanae in Italia, et extra non excedat summam libellarum, vulgo *francs* triginta pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat; 8. quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes Privilegiorum et Indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis Officiorum, quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum testimonium has litteras fieri et per Nostrum Secretarium subscribi et publicari mandavimus sigilloque officii nostri muniri. Datum etc.

*Formula servanda in substantialibus**) *ab Archiconfraternitatibus et Congregationibus pro aggregatione Confraternitatum et Congregationum.*

Dilectis Nobis in Christo Confratribus Societatis N. in Ecclesia N. Auctoritate N. canonice erectae Salutem in Domino sempiternam.

Nos qui juxta Officii Nostri debitum Fidelium salutem, pietatisque ac Religionis progressum procurare debemus libenter nostrae Archiconfraternitati alias ejusdem Instituti Confraternitates adjungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis Indulgentias, facultates et Indulta juxta facultatem nobis a Summis Pontificibus concessam impartimur. Qua de re cum D. N. ejusdem Confraternitatis Procurator aggregationem hujusmodi et Indulgentiarum communicationem enixe postulaverit, Nos Protector, Prior et Custodes praedicti ipsam Archiconfrater-

*) Si lubet, inseri etiam potest integra Constitutio addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Caeterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita quae substantiam continent cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

*) Dicitur in substantialibus quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem quae substantiam non officiant. Addendo etiam si lubet quae respiciunt originem, praestantiam etc. Societatis aggregantis.

nitatem repraesentantes Constitutioni inhaerentes fel. rec. Clementis VIII. incipienti:

Quaecumque die 7. Dec. 1604 super hujusmodi aggregationibus et Coelestis Ecclesiae Thesauri communicatione editae una cum variationibus approbatis a S. D. N. Pio P. IX. per Decretum S. C. Indulgentiarum diei 8. Jan. 1861 his nostris Litteris solo Dei amore ac pietatis Religionisque Christianae augendae zelo ducti Confraternitatem praedictam canonice ut superius erectam attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu ac Litteris Testimonialibus, quibus ejus institutum, pietas ac religio commendatur, nostrae Archiconfraternitati (dummodo per nos similis gratia prius alteri in dicto loco N. concessa et tempore hujusmodi concessionis alteri Archiconfraternitati aggregata non fuerit) juxta facultatem Apostolicam nobis concessam adjungimus et aggregamus atque illi ejusque Confratribus Indulgentias, et spirituales gratias nostrae Archiconfraternitati Litteris Pontificiis nominatim expresse et praecise concessas largimur et communicamus juxta tenorem descriptionis contentae in Elencho, quem rite recognitum per Ordinarium loci una cum his litteris separatim tradimus*).

Quibus omnibus Indulgentiis et gratiis spiritualibus inibi singillatim descriptis praedicta Confraternitas uti, potiri et gaudere possit juxta ea quae s. m. Clemens VIII. in supracitata Constitutione praescripsit et variationes a S. D. N. Pio P. IX. approbatas, cujus quidem Constitutionis quoad substantiam tenor una cum dictis variationibus ita se habet*), scilicet: 1. quod unica tantum Confraternitas ejusdem instituti et generis institui et aggregari possit in Ecclesiis tam Saecularium quam Regularium; 2. quod id fiat de consensu Ordinarii et cum Litteris Testimonialibus ejusdem; 3. quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur Privilegia et Indulgentiae Archiconfraternitati instituenti vel aggreganti nominatim concessae, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet; 4. quod Statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint; 5. quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur; 6. quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget juxta formam per Ordinarium praescribendam; 7. quod Litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae acceptae expediri et concedi possint et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio sigillorum, expensis cordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutorum sex monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum vulgo *francs* triginta pro singula aggregatione vel institutione sive confirmatione, recipere liceat; 8. quod sin-

---

*) Potest etiam inseri si lubet Elenchus; in utroque tamen casu Elenchus debet ab Ordinario loci, ubi Archiconfraternitas existit, recognosci, et continere debet distincte et expresse non sub generalibus verbis Indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

*) Si lubet inseri etiam potest integra Constitutio addendo in fine Variationes a SS. D. N. approbatas. Caeterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

gula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes Privilegiorum et Indulgentiarum nullius sint roboris et momenti et quilibet Superiorum atque Officialium privationis Officiorum, quae obtinent atquae inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has Litteras nostras exinde fieri et per Nostrae Archiconfraternitatis Secretarium subscribi et publicari mandavimus et sigillorum ipsius Protectoris et Archiconfraternitatis jussimus et fecimus appensione muniri *).

Datum Romae ex loco solitae nostrae Congregationis anno — Indictione — die — mense — Pontificatus praesentibus.

5) Indulgentiae.

An sint transferendae? Vd.: Indulg. Orat.

6) Praecedent. int. se.

Cf.: *Sedes Confraternit.; Instructio Clem.* §. XXII. n. 4 etc.

Exorta controversia inter Confraternitatem Confalonis et SS. Sacramenti S. R. C. decrevit: Non esse recedendum a Bulla fel. rec. Gregorii PP. XIII. in qua declaratur, quod illa Confraternitas, quae prius vestes, quas saccos vocant, induerit in aliqua civitate, terra seu loco praecedentiam super alias Confraternitates habeat et in omnibus processionibus locum digniorem obtinere debeat. Quia tamen in Solemnitate SS. Sacramenti sumptus cerae et aliarum necessariarum rerum fiunt in dicta Terra Compagni per Confrat. SS. Sacram., declaravit Congr. ut nonnulli ex Confratribus SS. Sacramenti saccis induti cum funalibus accensis in manibus possint incedere et incedere debeant hinc inde, ante et apud SS. Sacramentum, dummodo vexillum crucis et alia eorum insignia ac major pars Confratrum incedat in loco suo ante Confraternit. Confalonis juxta formam Bullae Gregorii PP. XIII. n. 377 die 10. Mai 1608; n. 439 19. Mart. 1611.

Praecedentiam dandam esse illi Confraternitati, quae prius saecis usa est, juxta bullam Gregorii XIII. „*Exposcit*“ n. 1079 die 24. Julii 1638; n. 4302 die 21. Julii 1761.

Praecedentiam inter Confraternitates illi deberi, quae prius saccis usa est, etiam in concursu cum Confraternitate SS. Sacramenti, cui tamen debetur praecedentia in processione SS. Sacramenti, dummodo accedat etiam ad alias processiones et in loco sibi debito incedat. n. 1164 18. Junii 1639; n. 3150; 20. Sept. 1687. n. 3359 ad 3 die 18. Junii 1695.

Indulgendum ex gratia Confraternitati SS. Sacramenti loci Lignarelli, ut eadem die festo SS. Corp. Chr. in processione praeferatur Confraternitati S. Ambrosii loci Lignani, dummodo ipsa caeteris processionibus interesse non omittat et Confraternitati s. Ambrosii praecedentiam libere dimittat. n. 1739 die 14. Novb. 1654; n. 1756 die 19. Junii 1655; n. 2153 die 4. Mart. 1662.

Ad dubia: 1. An in Processione, quae fit in die Corporis Christi, et in alia, quae fit infra Octavam, nec non etiam in aliis quibuscumque Processionibus, quae fiunt infra annum, liceat confratribus SSmi. Sacramenti incedere post Crucem Capituli, seu

*) Hic indicantur nomina eorum qui proprias subscriptiones etiam per sigillum apponere debent quique varii sunt juxta peculiaria statuta.

Patriarchae junctim, seu intermedie cum Canonicis Metropolitanae Ecclesiae, sive isti incedant in habitu chorali, sive cum pluvialibus, attenta praetensa consuetudine in casu etc.

2. An idipsum liceat eidem Confraternitati in associatione cadaverum, attenta praetensa consuetudine in casu? Et quatenus negative:

S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, respondendum censuit: Ad 1 et 2: „Negative".

Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 3859. die 23. Septembris 1713.

Orta controversia inter Sodalitatem S. Josephi erectam in Ecclesia Minorum Observantium in suburbiis Civitatis Notabilis Insulae Melitae, et alteram SSmi. Sacramenti in Paroecia S. Pauli ejusdem Civitatis, super praecedentia in publicis Supplicationibus, eaque delata ad S. R. C.; S. eadem C. auditis juribus, quae afferebantur pro parte Sodalitatis S. Joseph dumtaxat, cum pro Confraternitate SSmi. Sacramenti nemo comparuerit, ad relationem Emi., et Rmi. D. Card. Galeffi Ponentis, rescribendum censuit: „Praecedentiam deberi Sodalitati S. Joseph, praeterquam in Processionibus SSmi. Sacramenti; Sodalitatem vero SSmi. Sacramenti teneri et cogi posse ad alias Processiones, jussu tamen, prudentia et arbitrio Ordinarii". n. 4571 die 23. Sept. 1820.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Controversiae de praecedentia in Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus, quae frequenter excitabantur cum inter Fratres Ordinum Mendicantium, tum inter varias Confraternitates laicales, per Constitutionem *Gregorii XIII. Exposcit Pastoralis Officii, dat. 25. Julii 1583* compositae fuerunt: et, ne in posterum glisceret, per eamdem Constitutionem certa servanda methodus praescripta fuit, ut, quae ex diversis Sodalitatibus simul concurrentibus antiquior esset, et habitum, quem *Saccum* dicunt, assumpsisset, caeteris anteiret. En Constitutionis verba: „Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se de praecedentia hujusmodi contendentibus, aut confratribus Confraternitatum praedictarum, inter quos lites et causae praemissorum occasione ortae jam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione praecedentiae, ac juris praecedendi sunt, ii, (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, et aliis subterfugiis prorsus remotis, et cessantibus et expeditis) in processionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae hujusmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiae, inter confratres vero inter se litigantes, ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant etc." S. autem R. C. in quaestionibus hac super re ad eam delatis constans fuit in tuenda regula, quam *Gregorius XIII.* praescripsit, ut ex innumeris Decretis, quae videri possunt in hac nostra Collectione. Haec regula est, quae tamen aliquam patitur limitationem quoad Sodalitatem SSmi. Sacramenti, quae praecedentiam obtinet supra alias Sodalitates antiquiores, sed dumtaxat in Processionibus SSmi. Sacramenti, aliisque functionibus, quae Venerabile Sacramentum respiciunt; veluti declaravit eadem S. C.: quae tamen conditionem adjecit: *dummodo accedant etiam ad alias Processiones, et in loco sibi debito incedant.* Ita in

una *Lunen. Sarzanen die 18. Junii 1639*, in una *Mediolanen. die 14. Nov. 1654. in Lauden. 4. Mart. 1662*, et, ut de aliis sileam, in *Vercellen. die 20. Sept. 1687* ubi clarius: *Indulgendum, ut Societas SSmi. Sacramenti praecedat in Processionibus, in quibus SSmum. Sacramentum defertur tantum, dummodo eadem accedat ad alias Processiones juxta ordinem antianitatis:* et in *Mediolanen die 19. Jun. 1655*, in qua responsum lego: *competere praecedentiam Societati SSmi. Sacramenti supra Confraternitatem S. Ambrosii in omnibus Processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum.* Ideo in hac controversia S. R. C. respondit: *Praecedentiam deberi Sodalitati S. Joseph.* Verum juxta praefata Decreta exceptionem posuit: *praeterquam in Processionibus SSmi. Sacramentii:* iisdemque Decretis inhaerens declaravit: *Sodalitatem vero SSmi. Sacramenti teneri, et cogi posse ad alias Processiones:* addidit tamen: *jussu, prudentia et arbitrio Ordinarii:* quia revera solius Ordinarii jus est decernere, num in quibusdam circumstantiis conveniat, nec ne, ad caeteras Processiones Confraternitatem SSmi. Sacrmenti compellere. —

In quibuscunque processionibus, in quibus defertur SSmum., praecedentiam deberi Confraternitati ejusdem SSmi. n. 4228 die 26. Aug. 1752; n. 4598 ad 1 die 12. Apr. 1823.

Beneventana.

Eme., et Rme. Domine Observandissime. Tres extant Sodalitates penes Commune Lapio vulgo nuncupat. istius Beneventanae Archidioecesis, nempe Sanctissimi Corporis Christi, Sanctae Mariae ad Nives, et Sanctae Mariae de Monte Carmelo, inter quas Sodalitas Sanctae Mariae ad Nives aliis praecedere praesumit etiam in Processionibus Sanctissimi Sacramenti. Ad exortas controversias omnino de medio tollendas Sodalitas Sanctissimi Corporis Christi, quae antiquitus in Archipresbyterali Ecclesia erecta fuit, ac deinde anno 1690 Archiconfraternitati sub eodem titulo erectae in Ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam Urbis fuit aggregata, Sacrorum Rituum Congregationem adiit postulans declarari, cui competat praecedentia in Processionibus. Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi quum probe noscerent praecedentiarum hujusmodi controversias pluries definitas fuisse, ac praesertim in una Lunen-Sarzanen. diei 17. Junii 1639; in una Mediolanen diei 14. Novembris 1654; in una Lauden, diei 4. Martii 1662; ac tandem in una Vercellen. diei 26. Septembris 1687; quibus in Decretis statuitur: *In Processionibus Sanctissimi Corporis Christi praecedentiam dandam esse Confraternitati Sanctissimi Sacramenti; dummodo eadem aliis Processionibus intersit, et antiquioribus locum cedat*: ideoque in Ordinario Coetu subinfrascripta die ad Quirinale coadunati, quin quidquam precibus rescriberent, Eminentiae Vestrae significandum censuerunt, ut, dissidiis compositis, curet observantiam hujusmodi Decretorum. Et Eminentiae Vestrae Manus humillime deosculor. Romae 17. Augusti 1833.

Eminentissimo Domino Cardinali Archiepiscopo Beneventano. n. 4713.

Neritonen.

Rme. Domine uti Frater. Quum ab hac S. R. C. humillimis datis precibus expetierit hodiernus Prior Confraternitatis SSmi. Sacramenti istius Neritonen. Civitatis declarari, an Sodalitati ipsi jus competat praecedendi aliis Sodalitatibus in Processionibus SSmi.

Sacramenti, quod quidem jus quamvis fundatum super Decretis alias ab hac ipsa S. C. prolatis, in praesentiarum ipsi controvertitur; quumque Emi., et Rmi. P. S. Ritibus tuendis praepositi compererint juxta Constitutionem s. m. Gregorii Papae XIII. et alia Decreta, praesertim in una Verullen diei 20. Sept. 1687: „Societatem SSmi. Sacramenti praecedere debere in Processionibus, in quibus SSmum. Sacramentum defertur tantum; dummodo eadem accedat ad alias Processiones juxta ordinem antianitatis": hinc ad jurgia eliminanda, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, ad supplicem enunciatum libellum rescribendum censuerunt „Episcopo, qui ad formam Constitutionis Gregorii XIII. et Decretorum provideat." Amplitudinis itaque Tuae erit singula componere juxta mentem S. C. . . Et diu felix atque incolumis vivas. n. 4790. Romae 27. Aug. 1836.

7) Processio.

a) Licentia.

Vd.: *Processio* (licent. Episcopi); *Crux Confraternit.*; *Processio in festo SS. Corp. Chr.*; *Laici.* Confrat. (sunt sub parocho).

Confratribus laicorum non licet deferre processionaliter SS. Sacramentum ocsasione 40 horarum. n. 869 ad 1. die 20. Julii 1630.

Non licere facere processiones per Confratres societatum sine licentia Episcopi, immo solitas posse per ipsum prohiberi. n. 1102 die 27. Novemb. 1638.

Non licere Confraternitati SS. Rosarii extendere processionem extra ambitum Ecclesiae SS. Anuntiationis sine licentia parochi. n. 2321 die 20. Junii 1665.

Licet Confraternitatibus laicis, erectis in Ecclesiis Patrum Praedicatorum Bagnoli, associare processionem, quam faciunt Dominica infra octavam Corp. Chr. n. 2444 ad 2 die 9. Junii 1668.

Non licere Confratribus s. Rochi SSmum processionaliter circumferre in die festivitatis s. Rochi neque alias processiones peragere absque expressa licentia Ordinarii n. 2978 die 28. Febr. 1682; n. 3910 ad 8 die 10. Sept. 1718.

Confraternitates existentes inter limites parochiae compelli posse ab Episcopo ad interessendum processionibus fieri solitis a parocho n. 3341 die 14. Sept. 1694.

Ad dubium: An liceat Cappellano Confraternitatis SS. Sacramenti Montis Marciani facere processionem qualibet 3. dominica intra ipsius Ecclesiam sine licentia, consensu et cruce parochi? S. C. resp.: Servetur decretum Episcopi (quod prohibuit). n. 3457 ad 1 die 25. Jan. 1698.

Intra ambitum Ecclesiarum Confrat. fieri possunt processiones absque interventu et licentia Parochi, extra ambitum vero non possunt, nisi adesset licentia Episcopi. n. 3670 ad 21. et 22 die 12. Jan. 1704; n. 3832 ad 12 et 13 die 22. Novb. 1710; n. 3910 ad 2 die 9. Julii 1718.

Confratribus Societatis saecularis S. Mariae Pedemontis non licet sine licentia Episcopi processiones facere per oppidum absque licentia et interventu Capituli Colleg. s. Crucis, penes quod residet jus parochial. n. 3758 ad 1 die 22. Jan. 1707.

In processionibus sol., in quibus intervenire solet parochus, licet Confraternitati Rosarii Terrae Plebis incedere sub suo Cappellano, seorsim a parocho. n. 3910 ad 14 die 9. Julii 1718.

Ad dubium: An liceat Confraternitati S. Mariae Perusinae solemnem ducere processionem cum delatione

SSmi. in qualibet dominica intra limites parochiae absque licentia parochi quotannis obtinenda? S. C. resp.: Affirmative de licentia Episcopi. n. 3928 ad 5 die 13. Maji 1719.

Ad dubium: An liceat Capellano Confrat. SS. Trinitatis Clastidii in Dominica infra octavam SS. Corp. Chr. processionaliter deferre SSmum. et in Dom. IV. cujuslibet mensis, necnon in festivitatibus SS. Trinitatis et s. Sebastiani illud exponere et cum eo benedicere populum independenter a parocho? S. C. resp.: Negative. n. 4012 ad 10 die 13. Sept. 1732.

Capellanus Confraternitatis SS. Trinitatis Clastidii, indutus superpelliceo potest associare confratres tam in processionibus, quae fieri solent qualibet fer. VI. pro visitatione SSmi. in parochiali Ecclesia expositi, tam in iis fieri solitis quolibet Sabb. pro lucrandis indulgentiis necnon processione diei secundae Paschatis Resurrectionis. n. 4012 ad 11 die 13. Sept. 1732.

b) Locus.

Vd.: *Laici* (ante Clerum etc.); *Instructio Clem.* §. XX. n. 10. 16. 17. §. XXII. 1—9.)

Clerum semper debere quibuscunque Laicorum Confraternitatibus praecedere et si quid in contrarium servetur, abusum et non consuetudinem esse. n. 227 ad 6 die 10. Jan. 1604.

Servandum esse Caeremoniale, ut nempe in Processionibus ante Regulares incedant Confraternitates Laicorum. n. 603 die 7. Aug. 1621.

Laicos non esse interessendos cum Clericis in processionibus. n. 620 ad 2 die 4. Apr. 1626.

Praecedentiam deberi Novitiis supra Laicos juxta jus commune et constitutiones. Et ita ubique et in toto Ordine (Orbe?) servandum esse. n. 1937 die 28. Sept. 1658.

Ad dubium: 1. An liceat confr. V. Societatis SSmi. Terrae Montis Novi incedere cum intortitiis post clerum hinc inde et ante baldachinum in Solemnitate Corp. Chr., sive potius teneantur incedere a latere ejusdem baldachini? 2. An idipsum liceat in processione, quae fieri solet fer. VI. hebdom. maj. cum statua Salvatoris, seu potius teneantur etiam incedere a latere statuae? S. C. resp.: Ad 1: Negative ad primam, affirmative ad secundam partem; ad 2: Provisum in primo et amplius. n. 4045 ad 1 et 2 die 5. Maji 1736.

Praecedentia tam in incessu quam in Ecclesia occasione s. processionum debetur Confratribus Ven. Societatis SSmi. gestantibus intortitia accensa et non famulis Magistratus similia intortitia deferentibus. n. 4147 die 31. Aug. 1743.

c) Obligatio.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXII. n. 1—9.

8) Sepultura.

Vd.: *Sepult.* (In Eccles. etc.)

9) Est sub Parocho.

Vd.: *Parochus. Oratorium. Anniversar. in Oratoriis. Sepultura* (a parocho faciend).

Non licere supra januam Ecclesiae invito parocho in publico exponere Protectorem Confraternitatis, sed ponatur supra Capellam Confraternitatis intus Ecclesiam. n. 787 die 9. Decb. 1628.

Capellanus alicujus Confraternitatis sitae in aliqua Ecclesia parochiali non potest ad libitum absque interventu seu consensu Parochi proprii facere processiones sibi benevisas per limites Parochiae. n. 860 die 8. Junii 1630.

Non licere . . . Confraternitatibus laicorum facere processionss extra pro-

prias Ecclesias, *nisi cum licentia et consensu Parochi.* n. 673 die 24. Aug. 1630; n. 1122 die 5. Febr. 1639.

Capellanus Confratrum SSmi. Rosarii Cataceu. pro concinendis missis, sepeliendis defunctorum cadaveribus et confessionibus audiendis cumulative a Vicario et a digniori Curato, intra cujus Parochiae limites sita est Ecclesia seu publicum Oratorium Archiconfraternitatis, tenetur licentiam petere. n. 1784. die 18. Mart. 1656.

Sine expressa licentia Episcopi non licet Confratribus Oratoriorum publicorum terrae Pantremolis exponere SS. Sacramentum, peragere Divina solemnioribus anni diebus, nec non audiendi confessiones et populum sacra communione reficere in eorum publicis Oratoriis. n. 1808 die 10. Junii 1656.

Capellanus Confraternitatis s. Jacobi non potest in Oratorio suo benedicere palmas, comestibilia etc., nisi quid relevans in contrarium habeat. n. 2062 die 12. Junii 1660.

Confraternitates non posse in suis Ecclesiis per suos Capellanos facere ea, quae ad solum parochum spectant, absque expressa licentia Ordinarii *et* parochi; ideo . . . in iisdem Oratoriis prohibetur celebratio missarum solemnium de Requiem, Anniversariorum Confratrum def. pro legatis piis, benedictio candelarum etc. n. 2330 die 20. Junii 1665. n. 2334 ad 2 die 31. Julii 1665.

Jus faciendi functiones fieri solitas per Confraternitatem SS. Rosarii erectam in Oratorio sito intra limites parochiae s. Philippi Nerei, et erecto de licentia Ordinarii sive praejudicio ipsius parochi, spectare ad Parochum, non autem ad Patres ejusdem Oratorii. n. 2466 die 16. Febr. 1669.

Confraternitates Laicorum legitime erectae in Ecclesiis paroch. in Cappellis, Oratoriis tam publicis quam privatis adnexis parochialibus Ecclesiis habent dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non parochialibus. n. 3670 ad 1 et 2 die 12. Jan. 1704.

10) Non est sub Parocho.

Confraternitates Laicorum erectae in Oratoriis tam publicis quam privatis *sejunctis* ab Ecclesiis parochial. non habent dependentiam a parocho quoad functiones non parochiales. n. 3670 ad 4 die 12. Jan. 1704.

Per Capellanos seu alios Sacerdotes a confratribus invitatos in Oratorio Confraternitatis s. Mariae Confalonis peragi valent omnes functiones ecclesiasticae non parochiales, independenter a parocho, quoad vero benedictionem cum Venerabili — arbitrio Episcopi. n. 3850 ad 4 die 11. Februari 1713.

CONGREGATIO LATERANENSIS.

Moniales poenitentis Ordinis S. Augustini Monasterii S. Augustini, Monasterii S. Mariae Magdalenae civitatis Vicentiae, obtenta facultate alias recitandi Officia Sanctorum Ordinis, ignorantes: an concessis Officiis praedictis Sanctorum Ordinis S. Augustini intelligantur etiam concessa Officia Congregationi Lateranensi, humillime S. R. C. supplicaverunt declarari: An Sancti Congregationis Lateranensis sub Religione Augustiniana comprehendantur?

Et S. R. C. respondit: „Negative“. Et ita declaravit. n. 3568 die 19. Junii 1700.

CONOPAEUM.

(Tabernaculi.)

Vd.: *Altare* (ornatus).

Ad dubium: Utrum Tabernaculum, in quo reconditur SSmum. Sacramentum, Conopaeo cooperiri debeat, ut fert rituale? et quatenus affirmative: 2. Utrum Conopaeum istud confici possit ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto? 3. Cujusnam coloris esse debeat? aliis opinantibus ut Baruffaldus, Conopaeum debere esse coloris albi, utpote convenientis SSmo. Sacramento, aliis autem, ut Gavantus, ejusdem coloris, cujus sunt pallium Altaris et caetera paramenta pro temporis festique ratione, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo in exequiis defunctorum.

S. eadem C. . . respondendum censuit: „Quoad primam quaestionem affirmative; quoad secundam pariter affirmative; quoad tertiam, utramque sententiam posse in praxim deduci, maxime vero sententiam Gavanti, quae pro se habet usum Ecclesiarum Urbis."

Atque ita rescripsit. n. 5221 ad 12. die 21. Julii 1855.

S. CONRADUS.

Lectiones 2. n. propriae s. Conradi approbantur pro Dioecesi Placentina. S. R. C. 24. Oct. 1609. Et extenduntur pro Dioecesi Syracusana et in districtu et civitate Netina. S. R. C. 29. Maji 1614. Conceditur idem Officium etiam Ordini Min. S. Francisci et PP. Cappucinis. S. R. C. 2. Aug. 1625.

CONSECRATIO.

1) Altaris execrati.

Vd.: Altare (reconciliatio); *Reconciliatio Eccles.* (decr. n. 4577).

Demissa nimis facies Arae maximae Cathedralis Ecclesiae Senogallien. in altiorem formam reducta nuper cum fuerit, superiorem lapidem Altaris ejusdem mensam efformantem a suo stipite amoveri necessario oportuit; constat autem Altare illud ad modum fixi fuisse consecratum cum sigillis atque unctionibus mensam inter et stipitem; hinc diversa Canonicorum studia quoad necesitatem illud iterum consecrandi. Eapropter a S. R. C. petitum responderi: Utrum, amota mensa ab Altari ad modum fixi et non portatilis consecrati, necessario nova indigeat consecratione?

Et S. eadem C. infrascripto ejusdem Secretario referente in Casu, de quo agitur, Altare denuo consecrandum esse decrevit. n. 4562 die 15. Maji 1819.

Nota Gardellini ad hoc Decretum.

Consecratio tam Arae stabilis, quam Arae Viatoriae seu portatilis, quoad essentiales preces, ritus, solemnitates eadem omnino est; in eo tamen differt, quod Altare portatile, seu lapis, in cujus medio Sacrae Reliquiae reconduntur, in superficie dumtaxat sacra linitur unctione; contra vero in Altari fixo nec transferendo, alia adhibetur Sacra unctio, qua lapis in angulis conjungitur, et connectitur cum inferiori stipite seu structura; atque hoc pacto non unus lapis, sed integrum Altare consecratum censetur. Ideo execratur Ara portatilis, si vel enormiter fracta fuerit, aut violatum Reliquiarum sepulcrum: execratur vero Altare fixum etiamsi sine violatione sepulcri vel solus lapis a stipite amoveatur. Ita *Alexander III. Cap.: Ad haec, de Consecratione Ecclesiae vel Altaris. „Ad haec si Altare motum fuerit, aut Lapis ille solummodo suppositus qui sigillum continet, confractus, aut enormiter diminutus extiterit, debet denuo consecrari.* ***Et in Cap. Quod***

eod. titulo: Altare vero, in quo tabula, cui consecrationis Benedictio Pontificali ministerio adhibetur, semota fuerit, vel enormiter fracta, debet non immerito consecrari". Et quamquam non desint, qui putant Altare fixum consecrationem amittere, etiamsi Altare integrum de loco, in quo exstructum fuit, sacrisque caeremoniis delibutum, alio transferatur; communis tamen sententia est, quod hoc in casu necessaria non sit nova consecratio. Ratio est, quia licet Altare fixum in hoc differe videatur ab Altari portatili quod hoc sit transferibile de uno loco ad alium, ipsum vero non ita, proindeque fixum dicatur et immobile, tamen haec differentia est more extrinseca, accidentalis et respectiva ad ipsum locum potius, quam inter ipsa Altaria; nam ratio formalis, per quam Altare fixum intrinsece differt a portatili, proprie in eo consistit, quod Altare fixum habet ac essentialiter importat conjunctionem Tabulae cum sua structura inferiori, seu basi, cui Tabula proinde necessario debet esse unita: ubi e contra Altare portatile de sua natura importat esse a basi sejunctum; propter hoc enim portatile est, quia de se habet sejunctionem a basi; alias non esset amplius Altare portatile sed fixum. Hinc essentia Altaris fixi vere ac proprie consistit in dicta conjunctione, hoc est in mensa seu tabula unita cum basi fixioneque in tali loco, ideo importat, quia ibi ipsum voluit qui illud construere fecit: quod proinde ipsimet Altari est quid extrinsecum et accidentale. Poterat enim alibi illud idem construi. Quare cum Altare supponatur eamdem conjunctionem servare, Tabulae scilicet cum sua basi, non obstante ipsius translatione de uno in alium locum; dicendum est, quod adhuc retinet suum esse, ac per consequens, suam consecrationem, quae eidem accesserat: *accessorium namque cum fundetur super principali, naturam sequi congruit principalis: ex Reg. 42 de Reg. juris in 6.* Propterea, ut verificetur illud *mota*, non est necesse, quod Tabula fuerit translata de uno in alium locum, sed sufficit, quod fuerit a sua basi disjuncta; et sic per hoc Altare nova indigeat consecratione. Hinc *Glossa cum ad Canon. Si motum, tum ad Caput Ad Haec 1 §. Altare; Parnomitanus ibid.* aliique per Altare intelligunt ipsam Altaris Tabulam, quae connexa est cum sua structura inferiori; *per motum* vero intelligunt advenientem disjunctionem ejusdem Tabulae, vel etiam Lapidis consecrati ab ipsa inferiori structura; adeo ut sensus illius Textus: *Si Altare motum fuerit etc.* sit iste: *Si ipsa Tabula,* aut *Lapis consecratus Altaris disjunctus, seu disjuncta fuerit a sua inferiori structura*: Altare debet denuo consecrari. Quod si Tabula, quam mensam dicimus, lapideo stabilique Altari superposita, licet tantae dimensionis sit, ut subjectam structuram superet, vel saltem aequet, numquam tamen conjuncta et unita fuisset cum inferiori stipite, et per Sacram unctionem quodammodo in angulis colligata, per amotionem et translationem de loco ad locum haud amitteret Consecrationem, quia hoc in casu non aliam rationem haberet, nisi Altaris portatilis, quod execratur dumtaxat, vel per enormem fracturam, vel per violationem sepulcri Reliquiarum. Quoniam igitur in proposita facti specie res sit de Altari fixo, et stabili, ac superpositus Lapis Arae maximae amotus fuerit ab inferiori stipite, cui per Sacram unctionem conjunctus fuerat, plane consequitur per hujusmodi amotionem execratum Altare fuisse, novaque indigere Consecratione, quemadmodum S. R. C. declaravit.

Patavina.

Rme. Dne. uti Fr. Hujus S. R. C. Litteris sub datum 22. Septembris 1827. exquisita amplitudinis Tuae sententia super supplici Libello Bartholomaei Cremonese Parochi Ecclesiae S. Justinae istius Civitatis quoad dispensationem a nova execratorum Altarium consecratione, instar indulti in Beneventana die 26. Novembris 1696; haec accepta Mense Novembri superioris anni in Ordinario ejusdem S. C. Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, fuit perlecta, et Emis. Patribus communicata. Quum autem ex ipsa probe intelligerent et animadverterent tredecim haec e viginti quinque Altaribus per feraces manus aut ablata, aut disfissa, aut penitus destructa fuisse, ac duodecim, quae supersunt, integra Altaria satis superque sufficere Parochialibus functionibus commodum praebere, censuerunt propterea, non esse locum dispensationi petitae et haec ipsa Altaria nova indigere consecratione, quam Amplitudo Tua perficere poterit vel una simul vel divisim, juxta sancitas leges Romani Pontificalis.

Hisce itaque novis litteris apperta ejusdem est S. C. mens, et voluntas; ideo curet Amplitudo Tua, ut nihil super execratis Altaribus innovetur, donec nova accedat consecratio, nisi maluerit per Aras portatiles, seu sacros Lapides superpositos eorum usum expeditiorem reddere, donec consecrentur. Et diu felix, et incolumis vivas. Amplitudinis Tuae. Romae 22. Martii 1827. n. 4636.

„Pro Emo. D. Card. De Somalea Praefecto J. F. Card. Falzacappa. J. Gaspar Fatati S. R. C. Secretarius.“

Nota Gard. ad hoc decret:

Antiqua est nonullornm quaerela, qui arbitrantur et praedicant plura reperiri Decreta a Sacrorum Rituum Congregatione lata, quae sustinent sese inter adversa fronte pugnare. Hi autem errant quammaxime, quia plerumque non distinguunt casum a casu; ignorant quandoque habendam esse rationem consuetudinis, vel immemorabilis, vel legitime inductae; et difficillime sine offensione et scandalo abrumpendae neque considerant in aliqualibus speciebus, attentis diversis factorum circumstantiis a juris rigore consulto posse, vel debere recedi quoad ea, quae circa disciplinam versantur, quin ulla generali regulae noxa inferatur. Quapropter si qui forte inveniatur et sit, qui hujusmodi querelam instauret in praesenti casu; cum Sacra Congregatio *Patavinae Ecclesiae* illud negaverit, quod sub die 1. Maji 1668 *Augustinae* Ecclesiae et sub die 26. Novembris 1696. Beneventanae indulserat, iste certe haud discrimen attendens, quod casum inter quod casum intercedit, falsa sua opinione deceptus a vero longissime aberrat. Sacra et enim Congregatio in *Patavina* Oratoris precibus abnuens generali regulae Pontificalis standum esse juri sancivit, legesque liturgicas, quae hac in re vetustissima et gravissima semper viguerunt, quasque servandas voluit, neque vel nulla, vel levissima admodum intercedente ratione, infirmandas est passa; quum ex instituto ritus omnes et caeremonias in ritualibus Libris praescriptas (nisi rationabilis gravisque causa adducatur) eadem S. C. debeat protueri. Neque sibi adversatur contradicitque si in *Beneventana* Emi. Archiepiscopi, qui postea in Petri Cathedra sedit Benedictus XIII. appellatus, postulationibus annuens, rationabilibus de causis concedi posse sancivit, quod postea in *Patavina* negavit. Ne quis autem in posterum ea concessione abuteretur, clausulam addidit: ***dummodo non transeat in exemplum.*** Hujusmodi autem

clausula aperte significare voluit veterem hanc disciplinam, sacrosque Canones, qui eam praescribunt, in sua firmitate manere, Mentem vero Patrum Sacris Ritibus tuendis praepositorum fuisse et esse, ut nonnisi rationabilibus de causis dispensatio concederetur. Sane sibi hoc modo non adversatur, quippe quia, si tunc aliquid de hac veteri disciplina remisit, idipsum faciendum in *Patavina* non duxit, in qua similis satis valida non occurrebat, quae simili Indulgentiae viam aperiret, locumque dispensationi relinqueret. Qui enim aliquid quandoque vel ob validas gravesque circumstantias, vel etiam, si vis ex gratia, ex causis sibi notis, concedere non renuit, nec semper ad idem concedendum tenetur, nec cogi potest nec proinde sibi adversatur, nec ullam notam meretur, si aliis accedentibus de eadem re petitionibus illud ipsum deneget, quod alias putavit concedi posse.

Scite autem prudenterque clausulam illam in *Beneventana* addidit, ne scilicet plura dandi ac afferendi possent dispensationis exempla, et ne ex concessionibus iteratis pedetentim abusus inducerentur, quibus eliminandis, si sint, vel praecavendis, si futuri praevideantur, eadem Sacra Congregatio adniti quam maxime debet.

Hisce praejactis, vide modo discrimen, quod intercedit *Patavinam* inter causam aliasque *Beneventanam* ac *Augustanam*, in quibus S. R. C. rationabiles circumstantias non desiderari, merito credidit aliquantulum relaxandi de juris rigore, quae quidem in *Patavina* non occurrunt; idcirco in ista nihil esse cognovit, quod Indulgentiae locum daret; secus ac in illis. Et enim in *Augustana* (de hac primum loquimur, utpote antiquiore) *quam plurima milliaria Altarium pollutorum erant sola violatione Sepulcrorum, ex quibus extractae fuerunt sacrae Reliquiae in praeteritis Sanctorum invasionibus*, ac propterea violenter profanata, non tamen amotis lapidibus seu mensis a suis stipitibus. Quommodo autem potuisset Episcopus tot Altaria in variis vastissimae Dioecesis locis, iisque inter se dissitissimis, sita, de novo et integraliter consecrare, omnibus servatis ritibus, et caeremoniis in Pontificali praescriptis? Id certe nedum multum difficultatis habebat, verum et erat plane impossibile, nisi plures accersiti fuissent Episcopi ad id peragendum, quod per unum dumtaxat nequibat, aliqua idcirco dispensatione opus erat, quam S. C. indulsit, concedendo facultatem illa reconciliandi *sola repositione Reliquiarum*, servatis caeremoniis pro eadem praescriptis. Atque id erat, quod Episcopus in gravissima illa circumstantia compulsus merito postulabat.

In *Beneventana* autem, licet non multa essent Altarium millia reconcilianda, ut fuerant in *Augustana*, sed longe minor numerus, scilicet quatuordecim; licet praeterea non in dissitis inter se locis extarent; licet tandem non tam gravi cum Episcopi incommodo possent rite consecrari, tamen Emi. Antistitis petitionibus annuendum esse Sac. Congregatio tunc censuit, quia Mensae non impia manu fuerant pollutae, aut alio nefario modo Altaria direpta, sed eaedem Mensae integrae permanentes cum Reliquiarum Sepulcris a stipitibus decenter fuerant amotae, ad hunc solum finem, ut Altaria, quibus sacris unctionibus adhaerebant, ex nobiliori materia construerentur, ac in elegantiorem redigerentur formam; ex quibus externis operibus major iis splendor et majestas accederet, et majus per haec divinus Cultus decus acciperet. Quod mirum igitur, si petitioni adhaerens S. R. C. ea indulgentia usa fuit, ut concederet, procedi posse ad Altarium

consecrationem, omissis ceteris caeremoniis ad repositionem Reliquiarum pertinentibus, prout in Decreto ea in Causa lato clare intelligitur.

Haec autem omnia magnam inter *praefatas Ecclesias et Patavinam S. Justinae* ponunt differentiam. Singulis quippe inspectis, quae in hac concurrunt, circumstantiis, nihil erat, quae petitam dispensationem concedi posse suaderet, imo omnia collineabant ad eam denegandam. Viginti quinque eo in Templo extabant Altaria, ex quibus duodecim integra adhuc, et ad sacra Mysteria idonea supererant, satis superque ad commodum praebendum Parochialibus, aliisque explendis functionibus.

Tredecim dumtaxat nova indigebant consecratione, non per solam remotionem lapidum ad effectum solummodo eadem Altaria construendi cum majori decore Religionis et ornamento; verum quia, ut legitur in Decreto, *per feraces manus, aut ablata, aut disfisca, aut destructa fuerant.* Praeterea quatenus occasio daretur in iisdem Altaribus de novo consecrandis celebrandi Missam, suppleri interea poterit per modum provisionis ope Ararum portatilium, quae superponantur. Quoniam igitur S. C. omnia mature perpendit, casumque longo intervallo distare ab iis, quae valida argumenta praebuerant pro dispensatione in *Augustana* et *Beneventana,* respondit: *non esse locum petitae dispensationi.* Et ita decernendo, tam leges super tam gravi re latas ab Ecclesia servatas voluit; quam abusus, qui novo interveniente exemplo, novaque accedente concessione, si in hac causa a regula declinasset, exoriri et augeri possent, eos praecavendo penitur sustulit.

2) Altaris majoris.

Vd.: *Dedicatio Eccles. Cath.* (Transl. decr. n. 3755); *Dedicatio Eccles.* (Cum altari maj.)

Debet cum ipsa Ecclesia omnino consecrari altare majus, nam istud est principale, et si hoc tantum sit in Ecclesia, sufficit; alia vero accessoria, pro quibus datur consecratio distincta sine Ecclesiae Consecratione. n. 2343 ad 2 die 19. Sept. 1665.

Ad dubium: An ultra consecrationem seu benedictionem Ecclesiae, Capellae seu publici Oratorii requiratur effectiva et formalis consecratio altaris seu altarium, vel sufficiat sola Oratorii Capellae seu Ecclesiae benedictio, etiam absque lapide consecrato et cui incumbat onus probandi adesse in altari talem lapidem consecratum visitatione Episcopi deficiente? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem saltem circa altare portatile; negative quoad secundam; probationem vero spectare ad asserentem. n. 3762 ad 3 die 22. Jan. 1707.

3) Altaris, cujus Mensa ex plur. lapid. existit.

Cf.: *Dedicatio Ecclesiae cum altari majore* (decr. n. 4966.)

Fanen.

Sacerdos Ignatius Rossi Cath. Eccl. Fanen. Caerem. Magister S. R. C. exposuit, Ep. quemdam de commissione proprii Ordinarii VIII. Id. Nov. Anno superiore perfecisse consecrationem Eccl. Oppidi S. Georgii in eadem Dioecesi, qua in actione etiam si fuerint omnia rite peracta juxta Pont. Rom. Rubricas, videtur tamen quamdam exceptionem pati posse Altare eodem actu censecratum, ex eo potissimum, quod ejusdem Mensa non ex integro lapide, sed ex parvis sex lapidibus ad formam unius unitis constructum est, ac insuper lignea corona Mensam hanc

per gyrum devincit, et cum stipite conjungit, super qua S. Olei unctiones fuere peractae, sicuti et in angulis Mensae separatorum lapidum. Hac ipsa in actione et consecratione Eccl. et Altaris iisdem cum formulis fuit etiam Altare portatile consecratum, quod vulgo nuncupatur *Pietra Sacra* ibidem apposito loco praeparatum, omisso omnino ritu proprio in Pont. Rom. praescripto, titulo: „De Altaris portatilis consecratione". Ex his itaque Caeremoniarius supradictus occasionem nactus est sequentia Dubia proponendi pro solutione, nimirum:

1. An hoc Altare exposito modo constructum censendum sit consecratum?

2. Et quatenus negative, quid de Eccl. consecratione sentiendum, quum ex Pont. Rom. nequeat sine consecratione Altaris Ecclesia consecrari?

3. Quid in posterum sit faciendum similibus in circumstantiis?

4. Utrum necne valida et licita sit consecratio Altaris portatilis tali modo peracta?

Emi. et Rmi. P. S. Ritibus praepositi . . . rescribendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum" nimirum:

Ad 1. „Reiterandam esse Altaris consecrationem, dummodo Mensa ex integro lapide constituatur, alioquin si hoc commode fieri non possit, parvus lapis medius collocatus consecretur ad instar Altaris portatilis".

Ad 2. „Ecclesiam fuisse rite consecratam".

Ad 3. „Jam provisum in superioribus".

Ad 4. „Affirmative pro hoc casu, dummodo una cum formulis omnia fuerint super hoc Altari peracta, sicuti praescribit Pont. Rom., et non afferatur in exemplum".

Atque ita rescripserunt ac omnino servari mandarunt. die 17. Jun. 1843. n. 4966.

4) Altaris, cuj. titul. et imago transl. fuerant.

Cum in nova constructione ecclesiae imagines et tituli altarium antiquitus consecratorum translati fuerint de uno loco ad alium non amota tamen a primaevo loco mensa jam consecrata, non indigent altaria nova consecratione. S. R. C. 7. Julii 1759.

5) Altarium plurium.

(*Modus.*)

Ad dubium: Cum nec in Pontificali, nec alibi reperiantur, quae dicenda, quaeque facienda sint, dum *plures Arae consecrantur simul*; quaeritur: si, quae in Pontificali pro consecratione Altaris portatilis sunt in singulari, dicenda sint in plurali, v. g. hos Lapides, has tabulas, has Petras, et similia, cum Altare sit ipse Christus, et nihil dicat Pontificale?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet:

„Quando Episcopi ritum Consecrationis seu Benedictionis in Pontificali pro uno tantum praescriptum exercere debent pro pluribus, regulam certam pro his, quae semel in plurali dicenda sunt, quaeque cuilibet repetenda in singulari, desumant ex eodem Pontificali in collatione Ordinum pro pluribus, ita videlicet, ut Psalmi, Antiphonae, Preces recitandae a Choro, vel etiam a solo Episcopo, quae cum actionibus non conjunguntur, semel, et respective in plurali dicantur; actiones vero cum adjunctis formulis, uti sunt Cruces et Unctiones, super singulis Aris ab Episcopo reiterentur.

Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 1.

Ad dubium: An sufficiat ter tantum ante Tabulas consecrandas dicere: *Deus in adjutorium meum intende,* pro omnibus Aris simul consecrandis?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: ,,Affirmative". Atque ita statuit, et decrevit, die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 2.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

In hoc S. C. ad primum et secundum Dubium responso nihil occurrit, quod illustrandum aut magis sit declarandum: imo certa datur regula servanda in similibus, si in *Pontificali Libro,* praeter *Ordinationes,* pro quibus apte Rubrica distinguit, quae super omnibus, et quae super singulis Ordinandis dicenda sunt aut agenda, aliae occurrant Consecrationes atque Benedictiones, quarum ritus unam dumtaxat respiciunt personam aut res, si ad plures sint transferendi. Discrimine quippe est opus; alia enim praeparatoria sunt; alia Benedictioni aut Consecrationi essentialia: alia demum ad gratiarum actionem referuntur. Itaque preces, quae fiunt vel ad implorandum Dei praesidium, vel pro re bene gesta ei debitas grates reddendum nequeunt ex Ecclesiae instituto omitti, verumtamen haberi dumtaxat possunt, ut quaedam rerum vel personarum Benedictioni aut Consecrationi adjuncta; ideo et semel, et in plurali dicendae; nec toties reiterandae, juxta numerum rerum et personarum. Etenim preces et Psalmi, qui ante Consecrationem leguntur, qui infra eamdem actionem praemittuntur unctionibus et signis ab Episcopo peragendis, aut, expleta jam Consecratione, recitantur; proprie non constituunt ritum super persona aut re consecranda exequendum; eo tamen diriguntur, ut Deus suam elargiatur gratiam, et acceptum gratumque habeat, cum quod agendum est, tum quod agitur, et actum est. Secus vero dicendum de unctionibus, adspersionibus, signis, formulis, precibus, quae ab ipso Episcopo fiunt et pronunciantur, conjungendo simul preces et formulas cum actionibus. Ea namque essentialem ritum important Benedictionis et Consecrationis. Ideo dum Episcopus pollice dexterae manus signat Cruces cum aqua benedicta, oleo Catechumenorum et Chrysmate tabulas ad praescriptum Pontificalis inungit, simultanee formulas Benedictionesque pronuntians, necessario et actiones et preces sive benedictiones repetere debet super qualibet tabula consecranda, quia actiones et preces in his simul conjunguntur, et essentialiter ad ritum Consecrationis referuntur, imo ipsam Consecrationem perficiunt. S. autem C. hujusmodi adhibita distinctione nedum propositis dubiis respondit; verum etiam certam dedit regulam in similibus, si quae forte occurrant, omnino tenendam.

Ad dubium: In verbis *Sanctificetur et Consecretur* sunt *quinque Crucis* signa in Pontificali; et Rubrica dicit quod Pontifex facit Crucem cum pollice; sufficitne facere unam tantum Crucem pollice, et unam tantum benedicendo manu, quoties haec verba proferenda sunt in qualibet Ara?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: ,,Negative, sed signa Crucis cum pollice et manu benedicendo toties facienda sunt, quoties cum signo Crucis adnotatur forma sanctificationis et consecrationis, quam proferre debet Episcopus juxta praescriptum Rubricae, prius in medio Tabulae, deinde in quatuor cornibus illiusmet Tabulae, et idem successive facere et repetere super singulis lapideis Tabulis consecrandis".

Atque ita statuit et decrevit die 11. Mart. 1820. n. 4565 ad 3.

NOTA GARDELL AD HOC DECRETUM.

Hujus Dubii solutio plane consequitur ex regula generali, quam S. C. constituit in *responsione ad 1 et* 2. (pag. 387 et 388).

Ad dubium: Pontifex aspergit tribus vicibus in circuitu Tabulam seu Aram, et dicit Antiphonam et Psalmum: *Miserere*, et Orationem sequentem, et tribus vicibus incensat in circuitu Tabulam seu Aram, et dicit Psalmum: *Quam dilecta.* Sufficitne aspergere et incensare tribus vicibus tantum in circuitu omnium Tabularum simul consecrandarum tamquam in unum junctarum, et semel dicere Orationem et Psalmos praedictos?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: ,,Affirmative ad utramque partem, videlicet sufficere aspergere et incensare tribus vicibus tantum in circuitu omnium Tabularum, et semel dicere Antiphonas, Orationem et Psalmum: *Miserere*, non vero Psalmum *Quam dilecta* (ut perperam ponitur in dubio) qui non dicitur, dum tribus vicibus per gyrum thurificatio fit. sed dicitur semel, dum Oleo Catechumenorum liniuntur Tabulae. Excipienda tamen est postrema thurificatio ante Orationem: *Descendat*, *quaesumus*, *Domine etc.* iteranda supra singulas Aras“.

Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 4

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Standum Libri Pontificalis praescripto, ad cujus normam thurificatio per gyrum in consecratione Altaris facienda est. Haud enim oportet singulas circuire tabulas, dum plures simul sacrandae sunt; sed satis est de latere ad latus thurificare mensam, in quae sitae reperiuntur; etenim hujusmodi thurificationes perinde habentur, ac actus praeparatorii ad unctiones cum oleo catechumenorum singulariter ab Episcopo peragendas supra quamque tabulam. Dum autem thurificatio per gyrum fit, bonus odor supra tabulas omnes, quae in mensa sunt, diffunditur. Id adeo verum est, ut, liniente Episcopo oleo catechumenorum Aras, cum ipse simul thuribulum fumigantem agitare per gyrum nequeat et interea non sit a thurificatione cessandum; id ut fiat a Sacerdote Superpelliceo induto, Libri Pontificalis Rubrica praecipit. Excipienda tamen est postrema thurificatio, quae secus ac aliae, de quibus supra, reiteranda est super singulis Aris; non enim actio praeparatoria, sed essentialis est, et fieri debet ab Episcopo non circum, sed *supra tabulam in medium Crucis*, canente interim Choro Antiphonam: *Omnis terra etc.*

Ad dubium: Inter ea, quae pro Altaris Consecratione parari debent, ordinatur *media libra thuris*, cujus medietas sit in granis. Estne eadem sumenda pro singulis simul consecrandis, aut sufficit sumere pro omnibus simul quantitatem thuris pro arbitrio?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: ,,Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, dummodo quantitas thuris cum ad thurificandum, tum ad cremandum in Aris satis sit pro numero Tabularum“. Atque ita statuit et decrevit, die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 5.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Dum Pontificale certam quantitatem thuris parandam esse jubet ad thurificandum et cremandum, non illam taxative designat, sed demonstrative, illam scilicet, quae pro numero Alta-

rium necessaria censetur. Quum autem ad plurimum mobilia Altaria plura sint, quae simul consecrantur, pro eorumdem majori, vel minori numero, majus minusve esse debet thuris pondus. Ideo in parvo Pontificali Romae evulgato anno 1759 (cujus exemplaria rarissima sunt) de ritu consecrandi plures Aras portatiles, non thuris quantitas specificatur, sed expresse dicitur quod *paratur sufficiens quantitas thuris, cujus medietas sit in granis.*

Ad dubium: Sufficitne celebrare *Missam super unam tantum Aram antea consecratam*, vel extunc consecratis?

Et S. eadem R. C . . . respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet:

Post peractam Consecrationem Altarium portatilium Missam vel per Episcopum, vel per aliquem Sacerdotem celebrandam esse super *unam* dumtaxat ex Tabulis consecratis.

Atque ita statuit et decrevit, die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 6.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Jubet Rubrica praefati parvi Pontificalis, quod, extersis tabulis per ministros cum panno lineo, vel Episcopus paret se ad celebrandum, si voluerit, vel faciat per aliquem Sacerdotem super una ex tabulis consecratis celebrare Missam, quae erit ut in Missali in ipsa die consecrationis Altaris. Soluta igitur quaestio est, et omnis cessat ratio dubitandi.

Quum Rmus. Ambianen. Ep. in Galliis animadvertat Rubricas Pontificalis Rom. in consecratione Altarium Portatilium loqui tantum de consecratione unius Altaris, S. R. C. humillime rogavit, ut quando plura consecranda veniunt Altaria hujus generis praefatae Rubricae ad praxim sequenti modo reduci valeant, nimirum quaerit:

1. In Rubrica de Altaris portatilis consecratione legitur quod consecratio fieri debeat jejuno stomacho, quaeritur utrum ratione habita plurium Altarium liceat Pontifice ea consecrare non jejuno?

2. Ex iisdem Rubricis haec verba: *Sanctificetur et consecretur haec tabula in nomine etc.*, quinquies proferri debent super singulam Tabulam: quaeritur: an liceat Pontifici, ne nimium protahatur consecratio, ea verba semel tantum proferre pro unaquaque Tabula dum supra eam format quinque Cruces cum aqua benedicta?

3. Utrum idem liceat quando Altaria inunguntur cum S. Chrismate et Oleo Catechumenorum?

4. Utrum praedictae Unctiones fieri possint cum stylo ligneo spongia quadam munito, ut mos est in Unctionibus Baptismi et Extremae Unctionis, non autem cum pollice nudo, ne licet unctionibus multiplici vice supra petram repetitis laceratur?

5. Ex Rubricis Episcopus Sepulchrum propriis manibus claudit: licetne postquam Reliquias in Sepulchro propria manu collocaverit Pontifex, alicui Sacerdoti assistenti committere curam Sepulchrum signandi cum cera, Episcopo praesente et jubente?

6. Item circa ea, quae immediate sequuntur, *manu dextera confricans, liniens et perungens*; quaeritur: utrum cura liniendi et confricandi Sacerdoti assistenti demendari possit, postquam Episcopus propria manu consperserit Oleo S. totam Altarium superficiem?

7. In Rubricis legitur quod Pontifex: *proprio manu ex ipso incenso quinque Cruces format*; quaeritur: an possit, postquam aliquot grana incensi super quinque Cruces propria manu sparserit, alicui assistenti commendare

curam ea in modum Crucis disponendi?

8. Addunt Rubricae, quod Episcopus *ponit unam Crucem de subtili candela factam super quamlibet Crucem thuris*; quaeritur: utrum possit unam tantum Crucem ponere, relinquendo aliis ministris curam caeteras disponendi?

9. Quid de casu, in quo Sepulchrum, ubi Reliquiae conduntur, confractum sit? Amittitne portatile suam consecrationem?

Et Emus., ac Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae, et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius, et S. R. C. Praefectus vigore facultatum sibi specialiter a SSmo. D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum, omnibus mature perpensis, rescribi mandavit: „Servandam omnino esse in omnibus formam a Rom. Pontificali praescriptam." n. 4914 die 22. Maji 1841.

6) Altaris portatilis execrati.

Vd.: *Reliquiae in altari; Altare port.* (Execratio)

Pastoralem Visitationem Ecclesiarum suae Dioecesis explens Rmus. Vicarien. Ep. animadvertit non pauca reperiri Altaria portatilia, quorum Sepulchra tractu temporis confracta fuere, ac insimul reperit similia portatilia Altaria in novissimis perturbationibus per simplices Sacerdotes consecrata fuisse, Reliquiis minime appositis. Queis incommodis qua praestat vigilantia ac religione occurrere exoptans S. R. C. humillimis precibus adiens, enixe rogavit, ut sequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum:

1. An memorata Altaria, quorum Sepulchra confracta sunt, debeant denuo consecrari, vel an sufficiat in illis novas Sanctorum Reliquias inducere, Sigilloque muniri?

2. An Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari queat super Altaribus secundi generis a simplicibus Sacerdotibus consecratis absque appositione Reliquiarum, vel an et ista debeant iterum consecrari Sanctorum Reliquiis appositis?

Et S. eadem C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, quum a subscripto Secretario comperit usque ab anno 1837. IX. Kal. Oct. pro Dioecesi Rhedonensi sancitum fuisse ut similia Altaria iterum consecrentur, appositamque Instructionem Rhedonensi Ep. transmissam fuisse, propositis Dubiis a Rmo. Vivarien. Ep. rescribendum censuit: „In utroque casu Altaria esse denuo consecranda, ut in Redonen. die 28. Sept. 1837.; die 7. Dec. 1844 n. 4990.

7) Ecclesiae.

Vd.: *Dedicatio.*

8) Episcopi.

Anniversarium.

I. Commemoratio.

Vd.: *Consecr. Ep.* (*Anivers.* Missa).

Ad dubium: An occurrente die anniversaria Consecrationis Episcopi facienda est a Sacerdotibus omnibus per totam Dioecesim vel solum in Cathedrali commemoratio ejusdem Consecrationis in Missa? S. C. resp.: „Juxta praxim et Decretum in Portugallen. die 17. Septembris 1785 per universam Dioecesim in omnibus Missis, praeterquam in Solemni dicenda in Cathedrali et Collegiatis Ecclesiis, in quibus post Nonam dicenda est Missa cantata ejusdem Aniversarii".

Die 23. Maji 1835. n. 4746 ad 7.

II. Dies.

Vd.: *Episcopus* (Consecratio).

Ad dubium: An annivers. Consecrat. Episcopi Viennen. in Austria 2.

die Aprilis habitae, incidens anno 1703 in hebdomadam maj., anticipari possit, an alium sibi diem pro anniversario eligere possit? S. C. resp.: Negative, et servetur Caer. Episcop. n. 3664 ad 1 die 22. Sept. 1703. (Caer. Ep. Lib. II. c. 35).

Ad dubium: An si dies Anniversaria Consecrationis Episcopi incidat in Dominica primae class., vel infra totam hebdomadam majorem, vel die S. Paschae, Pentecostes, Nativitatis Dom., vel alio die solemniori, debeat, vel possit dici eo die Missa de dicta Consecratione, cantata altera Missa de die, vel in ipsa Missa de die possit, vel debeat fieri collecta pro dicta Episcopi Consecratione? Et in casu, quo neque debeat neque liceat tali die praedicta Missa vel sola collecta; an possit vel debeat transferri Missa pro Anniversario dictae Consecrationis, et in quem diem?

S. eadem R. C., ad relationem Emi., et Rmi. Dom. Cardinalis S. Clementis, respondendum censuit:

„Circa commemorationem serventur Caeremoniale Episcoporum et Rubricae. Et si dies Anniversaria Consecrationis fuerit impedita, eo anno Missa omittitur".

Et ita declaravit. n. 3718 ad 2 die 4. Aprilis 1705.

Ad dubium: Si Episcopus non sit primum consecratus pro Ecclesia, cui praeest, sed pro alia, a qua ad praesentem fuerit translatus, missa, quae habetur in missali, quandonam dicenda erit, in die Consecrationis, an Nominationis an Translationis? S. C. resp.: De Episcopo translato est missa in Ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali Ecclesiae praefecit. Exemplum habetur in electione SS. Pontificis, festumque hujusmodi erit annuntiandum cum termino: *Translationis.* n. 4119 ad 11 die 2. Sept. 1741.

Rmus. Episc. Cenomanen. in Gallia S. R. C. quaedam humillime exposuit Dubia, eorum solutionem supplex efflagitans nimirum:

1. An ipsius consecrationis Anniversarium regulariter celebrari possit eo die, quo evenit, nimirum Feria VI. post Dominicam Passionis, in qua Festum VII Dolorum B. M. V. recolitur, vel potius die mensis, qua consecratio peracta fuit?

2. An Missa Pontificalis, quae solemniter celebrari solet in Cathedrali, debeat esse votiva pro Anniversario consecrationis Episcopi, aut propria de Compassione Deiparae cum Anniversarii consecrationis memoria per Orationem?

3. Si hoc Anniversarium necessario celebrari debeat die XXI. Martii, qua die evenit, quid agendum, quando haec dies incidit in unam ex Dom. Quadrag., vel in Dom. Passionis? Licetne solemnem celebrare Missam Pontificalem de Anniversario consecrationis cum memoria Dom. per Orationem et ultimum Evangelium?

Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, referente Secretario, respondendum censuerunt:

Ad 1. „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam".

Ad 2. „Provisum in primo".

Ad 3. „In casu addendam esse Orationem pro Episcopo."

Atque ita servari mandarunt; n. 4898 die 12. Sept. 1840.

III. Missa.

Vd.: *Consecr. Ep.* (Anivers. Commem).

In die (anniversario) Consecrationis Episcopi occurrente Officio dupl. Officium recitandum esse de dicto dupl.; in missis priv. post alias, si occurrunt, faciendam commemor. consecrationis

cum Collecta: *Deus omnium fidel. etc.*; post Nonam celebrandam missam sol. pro electione vel consecratione Episcopi cum *Gloria, Credo et praef. communi.* n. 4421 ad 3 die 17. Sept. 1785.

Clerus saecularis et regularis non tenetur celebrare, quando recurrit, missas Consecrationis Episcopi anniversarias in tota Dioecesi. n. 3743 die 24. Apr. 1706.

Ad dubium: 1. An haec Rubrica sit intelligenda dumtaxat de Missa solemni, quae ex praescripto Caeremonialis Ep. illa die celebratur in Ecclesiis Cath., an vero in omnibus etiam Missis privatis, in quibus tunc additur commemoratio praedicti Anniversarii juxta morem tam in Archidioecesi Mechliniensi, quam in aliis Belgii Dioecesibus receptum?

2. An Sacerdos, qui vellet Missam pro Anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi legere ex devotione illa die, dum Rubricae non obstant, debeat in ea dicere *Gloria* et *Credo*? an vero utrumque vel alterutrum omittere? item an dicendae sint tres saltem Orationes, ut in Missis votivis?

S. R. C. . . . rescribendum censuit:

Ad 1. „De Missa solemni tantum intelligenda est“.

Ad 2. „Quum haec Missa votivis non sit accensenda, nequit ad libitum celebrari“.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4911 die 12. Sept. 1840.

9) Episcopi Administr.

(Anniversar.)

Non fieri debet Anniversarium Consecrationis Episcopi Administratoris amovibilis Ecclesiae vacantis cum missa cantata per Capitulum. n. 3952 ad 5 die 22. Aug. 1722.

10) Oleorum sanctor.

Vd.: *Coena Domini* (Consecratio Oleor).

11) SSmi. Papae.

Vd.: *Electio et Consecratio SS. Pontif.*

12) Sacerdotum consecrandorum.

Vd.: *Missa* (interrupta per mort. Sacerdotis; *votum Al. Joni).*

13) Virginum Monial.

Vd.: *Benedictio Monial.*

CONSECRATOR.

(In Coena Dom.)

Vd.: *Coena Dom.*

CONSUETUDO.

Vd.: *Ritus*; *Caeremoniale*; *Caeremoniae*; *Decreta.*; *Abusus etc.*; *Extrema Unctio* (Unctio ped.; decr. n. 4780 *nota)*; *Nativit Dom.* (Officii cant. decr. n. 4672 *nota.*)

Ad dubium: An quaecunque inveterata consuetudo in contrarium derogare possit Legi a decretis S. C. praescriptae? S. C. resp.: Negative. n. 4861 ad 2 die 13. Aug. 1839.

Ad dubium: An veteres Ecclesiae consuetudines, quae scilicet nulli Ecclesiae statuto opponuntur, abrogatae sint per ea rescripti verba: *Semper et a quocunque servetur caeremoniale?* S. C. resp.: Recurrendum ad S. R. C. in casibus particularibus. n. 4620 ad 2 die 6. Maii 1826.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Nihil est quoad hoc Quaesitum indigens declaratione. Sacra enim Rituum Congregatio, dum servandum jubet Caeremoniale Episcoporum, haud intendit adprobare vel reprobare peculiares Ecclesiarum consuetudines, sed

sibi reservat earumdem examen in casibus particularibus, ut cognoscere possit, num rationabiles et laudabiles sint, vel potius habendae ut corruptelae et abusus, ac tales propterea sint, ut reprobari et eliminari omnino debeant. Equidem in dubio de consuetudinibus res esse videtur, quae nulli Ecclesiae Statuto opponuntur: sed id privatorum judicio non est relinquendum. Multae quippe consuetudines, quae laudabiles privato aliquorum judicio videri possunt, tales revera non sunt: idcirco vel ad debitam formam a locorum Ordinariis reducendae sunt, vel in dubio Sac. Congregationi exponendae, ut eadem definiat, utrum necne queant retineri. Si ita est, poteruntne consuetudines omnes, ut in dubio, ac veluti in unum collectae, quaeque ignorantur, probari vel rejici unica responsione negativa, vel affirmativa? Quis non videt quot quantaque incommoda, quotque in probatorum rituum perniciem induci aut invalescere possent corruptelae ex nimis generico illimitato responso; prudens ideo et omnino necessaria est illius regulae observantia, quam constanter servat Sac. Coneregatio, dum generica haec dubia proponuntur, respondens, prout in casu: *recurrendum in casibus particularibus.*

Ad dubium: Utrum necne servandae sint antiquae consuetudines cujusque Ecclesiae, quando hae non sunt Rubricae contrariae? S. C. resp.: Explicet, quae sint consuetudines et recurrat in casibus particularibus. n. 4986 ad 6 die 7. Decb. 1844.

Ad dubium: Quid dicendum de consuetudine a doctis piisque Sacerdotibus, Ordinariis non contradicentibus, usurpata?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit: „Recurrat in casibus particularibus".

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4782 ad 1 die 27. Aug. 1836.

Ad dubium: An decreta S. R. C., dum eduntur, derogent cuicunque contrariae invectae consuetudini etiam immemorabili et in casu affirmativo obligent etiam quoad conscientiam? S. R. C. resp.: Affirmative et recurrendum in particulari. die 11. Septemb. 1847.

Ad dubium: An Decreta S. R. C. dum eduntur derogent cuicumque contrariae invectae consuetudini etiam immemorabili, et in casu affirmativo obligent etiam quoad conscientiam?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Affirmative, sed recurrendum in particulari". Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 16 die 11. Sept. 1847.

CONVERSIO S. PAULI APOST.

1) Commemoratio.

Vd.: *Commemor. ss. Ap. Petri et Pauli.*

2) Titulus.

Ex responso S. R. C. in Mechlinien. die 22. Maji 1841 constat servandam esse peculiarem Rubricam Breviarii quoad II. Vesp. SS. Ap. Petri et Pauli, quando sequenti die fit Offic. de S. Paulo in Eccl. propria, etsiamsi Festum Conversionis die 25. Jan. ibidem colatur sub ratione Tituli, ritu dupl. I. Cl. cum Octava. Quum autem, seu Decreto citato, qualis ritus competat Commemorationi S. Pauli die 30. Jun.: et quum hoc pariat difficultatem in Dioec. Mechlinien., praesertim pro II. Vesp. propter sequens Festum S. Rumoldi Dioecesis Patroni; hinc quaeritur: an in illis Eccl., ubi Conversio S. Pauli colitur tamquam Titulus ritu dupl. I. Cl. cum Oct., alterum Festum ejus-

dem S. Ap., scilicet Commemoratio ejus die 30. Jun. habeat ritum dupl. I. Cl., vel an duplicis maj. tantum tamquam Festum secundarium Patroni?

Et S. eadem C. ... ; respondendum censuit:

„Nisi constet de speciali Indulto quoad ritus elevationem, ritu tantum dupl. maj. gaudet."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad VIII. die 7. Dec. 1844.

CONVIVIA IN ANNIVERS. DEF.

Convivia et prandia tolerari possunt in anniversariis def., ubi est consuetudo, praesertim si ita a defuncto cautum fuisset in dispositione testamentaria, habita ratione pauperum, qui de illis participant, sed providendum erit, ut absit excessus sumptuum et quidquid potest esse scandali. S. C. E. 6. Decb. 1588.

SS. COR B. V. M.

Vd.: *Festum s. Cord. B. V. M.*

S. CORDULA.

Festum s. Cordulae, unius ex sociabus s. Ursulae, quae in Martyrologio ponitur passa postridie S. Ursulae et sociarum, nempe 22. Oct. sub die, in quo cadit et in Martyrologio romano assignatur, celebrandum esse. n. 1470 ad 2 die 8. Aug. 1643.

SS. CORNELIUS ET CYPRIANUS.

Vd.: *Antiphona in festo s. Euphemiae; De eorum translat.* infra octavam Dedicationis, Vd: *Translatio festi a die propr. etc.* (decr. n. 4165).

CORONA B. V. M.

Vd.: *Rosarium* (indulg.)

CORPORALE.

1) Benedictio.

Vd.: *Bened.* (supellect.)

2) In Expositione SSmi.

Vd.: *Instructio. Clem.* §. V. n. 4. 5.

3) Materia.

Ad dubium: An Corporale confici possit ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, quem vocant Mussulo? S. C. resp.: *Lectum.* n. 2267 die 15. Mart. 1664.

Vd.: *Paramenta* (materia, decr. n. 4563 etc.)

4) In Missa.

Cf.: *Bursa.*

Ad dubium: An deceat, necne, Corporale retinere extensum super altare toto tempore, quo celebrantur missae, et donec ab ultimo in eo celebrante reportetur ad Sacrarium? S. C. resp.: Archiepiscopus incumbat observantiae et executioni rubricarum. n. 3707 ad 1 die 13. Sept. 1704.

5) Tractatio.

Corporalia contrectare Clericis tantum, non Laicis, in Sacristiis inservientibus, concedi posse. n. 634 ad 2 et infra die 24. Apr. 1626.

SS. CORPUS JESU CHRISTI.

1) Dies octava.

Cf.: *SS. Petrus et Paulus* (festum cadens).

2) Lectio nona infra octav. Corp. Chr.

Vd.: *Lectio nona.*

3) Missa et Translatio.

Vd.: *Processio in festo . . . ss. Corporis Chr.*; *Octava Corp. Chr.*; *Missa in festo ss. Corp. Chr.*; *Missa votiva* (dies); *Missa de Requ.*; *Festum ss. Corp. Chr. occurr. cum festo s. Joan. Bapt.*, vd.: *S. Joann. Bapt.* (transl.)

Festum SS. Corporis Chr. non celebratur in Ecclesiis Monialium (civitatis Angelopolitanae) ac etiam in aliis in tota ejusdem octava, sed semper illud transferunt in aliquem diem dominicum aut festivum. Quomodo erit cantanda haec missa vot. de SSmo.? Et addendum est in processione ad versiculum: *Panem de coelo etc.*, Alleluja? S. C. resp.: Haec translatio sine privilegio fieri non debet; quando adsit privilegium diebus illis, quibus a rubrica permittuntur cantari missae votivae, ratione concursus poterunt cantari duae missae, una de SSmo. sine commem. Dominicae aut Sancti occurrentis, et ad vers: *Panem* etc. addi *Alleluja*, et aliae (missae) cum reliquis privatis de dominica aut festo currenti. In prima (missa de SSmo.) dicetur *Gloria et Credo* et nulla fiet commem. dominicae aut festi. Si vero translatio caderet in Dominica aut festo, in quibus missae votivae non admittuntur, missa erit de festo aut dominica currenti cum comm. SSmi. n. 2542 ad 5 die 13. Junii 1671.

COTTA.

(*Quando defertur?*)

Vd.: *Baldachinum* (hastas def.; decr. n. 4055.)

Quando Archiepiscopus est pontificaliter indutus, nempe Mitra cum Pluviali vel Planeta, Caudatarium et Cruciferum adhibere debere cottam, verum, si cappam deferat Episcopus, praedicti vestem violaceam deferre debent. n. 2029 ad 2 die 24. Jan. 1660. Vd.: *Cruciferarius.*

Ad dubium: An liceat Clericis et Conversis Conventus PP. Ord. Praedicat. Vallettae in *processionibus* Corp. Chr. incedere cum Rocchettis seu cum Cottis habentibus manicas angustas, ad instar Rochetti? Et an id liceat in aliis functionibus infra annum? S. C. resp.: Quoad Rochettum negative; quoad Cottam affirmative juxta usum Religionis in Insula Melitae. n. 3885 ad 4 et 5 die 9. Maii 1716.

CREDENTIA.

Vd.: *Abacus.*

CREDO.

1) In Dominica.

Vd.: *Missa vot. de Sancto* (Gl., Credo; decr. n. 4660).

In Vigiliis Nativitatis Dom. dicendum est in missa Credo, dum incidunt in dominicam. n. 4526 ad 30 die 7. Sept. 1816.

2) Intonatio.

Credo in missa sol. dici debet post concionem, non ante, juxta rubricas missalis. n. 15 ad 8 die 16. Mart. 1591.

Quoniam libri osculandi oblatio Celebranti facienda maxime decens est et mysterio non caret et Celebrans, antequam Credo incipiat, thurificandus est a Diacono, inconveniens est, ut sine osculatione et thurificatione statim post cantatum Evang. *Credo* vel *Dom. vobiscum* intonet. n. 32 ad 3 die 17. Novb. 1592.

Credo intonandum est a Celebrante, osculato prius libro Evangeliorum ab Episcopo eoque thurificato. n. 2883 ad 9 die 6. Maii 1679; n. 3551 ad 4 die 13. Mart. 1700. (Vd : *Episcop. assist. missae sol.* — Osculatio Evang.); *Missa* (Abbreviatio).

3) In Lytaniis majoribus.

Vd.: *Lytaniae major.*

4) In Missa in Coena Dom.

Missae, quae praescribuntur assignandae ab Ordinario fer. V. in Coena Dom., ut populi possint commodius satisfacere praecepto occurrente festo s. Joseph vel Annunciat. in praedicta fer., dici debent cum Gloria et Credo sicut solemnes. n. 4526 ad 15 die 7. Sept. 1816.

Vd.: *S. Joseph; Missa in Coena Dom.*

5) In missis de Beatis.

Vd.: *Credo in missa Patroni princip.* (decr. n. 4259.); *Beati.*

In missa Beatorum Ordinis non debet dici Credo. n. 2284 ad 7 die 12. Julii 1664; n. 2363 ad 17 die 13. Febr. 1666.

6) In missa de festis principalibus *(alicuj. Ord.)*

Regulares possunt in festis principalibus suorum Ordinum et maxime in festo Fundatoris seu Patriarchae addere symbolum in missa celebranda extra proprias sui Ordinis Ecclesias. n. 4395 ad 7 die 18. Decb. 1779.

Ad dubium: An Festivitates particulares Ecclesiae Cath. Colymbr. sub ritu dupl. ex ejusdem Dioecesis constitutionibus vel consuetudinibus celebrari solitae cum processione intus eandem Ecclesiam comprehendantur in rubrica missalis: „et in festis principal. Ordinum etc.“ et sic Symbolum in missa debeat decantari? S. C. resp.: Negative, quod rubrica illa loquatur tantum de festis SS. Ordinum Regularium, ne extendatur ad presbyteros saeculares. n. 2152 die 4. Mart. 1662; n. 3754 ad 20 die 25. Sept. 1706. Vd.: *Infra n. 19.*

Ad dubium: An in festis s. Bonifacii et S. Benedicti 16. Novb. Ord. Camaldul., quae celebrantur sub ritu dupl. 2. cl., dicere possit Credo, attento, quod expositores rubricarum asserunt, dici posse in festis principal. Ord. et sub nomine festorum principalium comprehendi etiam illa, quae sunt 2. cl.? Et si secus, supplicatur pro gratia. S. C. resp: Affirmative. n. 3703 ad 2 die 23. Aug. 1704.

Ad dubium: An cum in festis principalibus Ordinum Religiosorum et per eorum octavas dicitur Credo, dici etiam debeat a sacerdote ejusd. Ord. alibi celebrante, ut missa conveniat cum Officio? S. C. resp.: Nihil immutandum. n. 3754 ad 1 die 25. Sept. 1706.

7) In missa ss. Mart., Conf. et Virg.

In festis ss. Martyr., Confess. et Virg. sub ritu dupl. maj. in missa dici non potest Symbolum. n. 3565 ad 8 die 19. Junii 1700.

8) In missa cum paramentis violaceis.

Symbolum non dicitur in votiva sol., in qua paramenta violacea adhibeantur. n. 2363 ad 6 die 13. Febr. 1666.

Instructio Clem. §. XIII. n. 5.; §. XII. n. 10 *(Innocentes).*

9) In missa de Patronis et Titularib. Confrat.

Vd.: *Patronus Confraternit.* (festum); *S. Franciscus Xav. ut Patronus etc.*

10) In missa Patroni principalis.

Ad dubium: Juxta rubricam missalis in festo Patroni alicujus loci vel Titularis debeat *Credo.* Illa particula „*Patroni*“ sit intelligenda de Patrono

principali, vel extendatur etiam ad Patronos minus principales? S. C. resp.: De Patrono principali tantum illam particulam esse intelligendam. n. 3247 die 15. Sept. 1191.

Ubi s. Joannis B. festum et ejusdem decollationis memoria gaudent praerogativa Patroni vel Titularis, in missis recitandum est *Credo*, secus vero negative, nisi adesset ejusdem insignis reliquia. n. 4143 ad 6 die 11. Maji 1743.

De dicendo *Credo* in missa vot. de Patrono principali in aliqua feria, vd.: *Missa vot. de B. V. M. in Sabb.* (decr. n. 4227.)

Cum adsint decreta, quod in missa de Beatis, id est nondum Canonizatis, *Credo* dici non debeat, dubitatur: an in festis b. Joannis Cantii, b. Ladislai a Cenlow, et b. Cunegundis v., quorum officia auctoritate sedis apost. tamquam de *Patronis Regni princip.* ritu dupl. 1. cl. in Polonia recitantur, Credo dicendum sit? S. C. resp.: Affirmative. n. 4259 ad 1 die 29. Novb. 1755.

Ordinis Minorum
S. Francisci Capuccinorum.

Quum inter Alumnos Ord. Min. S. Francisci Capucc. Coenobii vulgo di Sassoferrato diversae circumferantur opiniones quoad Symb. Nicaenum in Missis S. Joseph Sponsi B. M. V., ac S. Joannis Bapt. Praecursoris D., R. P. Fr. Rogerius a Camerino alter ex Sacerdotibus memorati Ord. et Coenobii S. R. C. rogavit enixe, ut declarare dignaretur, quae firma regula servanda sit, dum iidem Sancti alicubi seu Patroni et Titulares venerantur. Et S. eadem C. ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente Secretario, rescribendum censuit: „Dicendum *Credo* in omnibus Eccl., quando est Patronus praecipuus; in Eccl. propria tantum quando est Titularis juxta Rubricas“. die 6. Sept. 1845. n. 5031.

11) In missa de Patronis minus princip.

Ad dubium: An decreta prohibentia dicere *Credo* in missis Patronum minus principalium sustineantur, etiamsi nunquam fuerint ad praxim deducta, quinimo in missalibus post Evang. in istis missis notatus sit Credo? S. C. resp.: Exequenda sunt decreta 2. Decb. 1684 et 15. Sept. 1691 et 19. Junii 1700, quibus vetitum est dicere *Credo* in missis Patronorum minus principalium, etiamsi nunquam fuerint ad praxim deducta, et a missalibus, ubi contrarium notatur, expungatur. n. 4166 ad 10 die 22. Aug. 1744.

Symbolum in missis de Patronis minus principal. cantandum non est nisi in iis Ecclesiis, in quibus aut s. Corpus aut insignes reliquiae asservantur. n. 4134 ad 2 die 1. Decb. 1742.

12) In missa propter reliquias insignes.

Vd.: *Missa in aliena Eccles.* (decr. n. 4878); *Reliquiae insignes.* (quae sunt? decr. n. 5000); *Reliquiae insig.* (missa).

Canonici *Regul.* Lateranens. recitare valent Officia SSrum. Basilicae Lateranens., quorum insignes reliquiae in eadem Basilica existunt, sicut ad praesens eadem recitantur a Canonicis *saecular.* ejusdem Basilicae; Quaeritur: an in missis dictis Officiis conformibus a Canonicis *regul.* Lateran. in propriis Ecclesiis celebratis dici debeat *Credo*, sicut fit a Canonicis ejusdem Basil. Lat. et praecipue in festo s. Joann. Bapt. infraque ejus octavam? S. C. resp.: Negative. n. 3073. ad 2 die 2. Decb. 1684.

Insignis reliquia Sancti, ratione cujus dici queat *Credo*, ea est, ratione

cujus dupl. Officium recitari potest, scilicet de Sancto, cujus habetur caput, brachium, crus, ea pars corporis, in qua passus est martyr., modo sit integra et non parva. Quodsi corpus habeatur integrum aut illius magna pars, a fortiori symbolum in missa recitari debet. n. 2363 ad 16 die 13. Febr. 1666.

Regularis recitans Officium de Sancto, cujus reliquia insignis in propria Ecclesia, si celebret tali die festi extra propriam Ecclesiam, omittere debet *Credo.* n. 3073 ad 1 die 2. Decb. 1684. Vd.: Infra n. 26.

Si Officium conessum sit universo Clero Civitatis de aliquo Sancto, cujus reliquia asservatur in Cathedrali, tunc missa cum Symbolo celebranda est in *Cathedrali tantum*, in aliis vero Ecclesiis sine Symbolo. n. 3301 ad 11 die 10. Jan. 1693.

Vd.: Credo in missa Patroni princ. (n. 4143.)

Vd.: Credo in missa Patroni minus princip. (n. 4134.)

Ad dubium: Usque nunc in Missa Translationis s. Eulaliae dicitur *Credo* ab omnibus Sacrum facientibus etiam extra Cath. Ecclesiam, ubi tantum Reliquiae asservantur: retinendane est haec immemorabilis consuetudo?

S. eadem C . . . rescribendum censuit:

„Negative etiam in Cathedrali, dummodo Reliquia non fuerit insignis, quo in casu in Cathedrali tantum“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 11. Apr. 1840. n. 4878 ad 2.

13) In Missa coram expos. SSmo.

In missis votivis pro re gravi aut publica Ecclesiae causa dicitur *Credo.* Quaeritur: an dicendum sit in missis *privatis* tam de SSmo. quam de Sancto dupl. (cui aliter non competit) quae celebrantur in Ecclesiis, ubi adest SSmum. expositum occassione 40 hh? S. C. resp.: *Negative.* n. 3073 ad 3 die 2. Decb. 1684.

Instructio Clem. §. XVII. n. 34.

Vd.: Missa vot. de SSmo. in divers. festis etc. (decr. n. 4303.)

14) In missa de SSmo. fer. V.

Vd.: *Missa de SSmo. fer. V.*; *Missa vot. de B. V. M. in Sabb.* (decr. n. 4227).

In missa, quae celebratur, in Ecclesia Monialium Ord. s. Francisci de Laurizal de SSmo. omnibus feriis V., 1. et 2. cl. non impeditis, Symbolum dici non debet. n. 4464 ad 1 die 21. Mart. 1795.

15) In missa pro exp. et rep. SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XII. n. 10.

16) In missa cum magna Solemnitate celebranda.

Vd.: *Credo propter reliquiam insig.* (decr. n. 4878.)

17) In Missa Titul. Capellar publicar.

Vd.: *Capella domestica.*

Juxta Decretum S. R. C. diei 12. Novb. 1831. celebrari non debet ritu dupl. I. Cl. cum *Credo* et Oct. Festum Titularis Capellarum publicarum, quae existunt in Hospitalibus Domibusque Regularium. Verum existunt in Dioecesi Mechlinien. plura hujusmodi Oratoria benedicta, quandoque etiam consecrata, quibus unus saltem Sacerdos, tamquam Director seu Pastor adscriptus est, qui ex speciali commissione Ordinarii non tantum ibidem celebrat, sed et munia quaedam Pastoralia exercet; v. g. instruendo Populum, aliqua Sacramenta ministrando etc. Quaeritur ergo: an sub Decreto supracitato comprehendantur etiam praedicta Oratoria?

1. Si sint publica.

2. Si non sint publica, sed tantum inserviant determinatis personis, e. g. infirmis in Nosocomio, vel Monialibus, aut aliis in Monasterio sive Conventu commorantibus?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Ad quaest. 1. et 2. „Juxta Decretum die 12. Nov. 1831".

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 die 7. Dec. 1844.

Ad dubium: An festum Titularis Capellarum publicarum et Oratoriorum, quae existunt in aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus Regularium et privatis, celebrari debeat sub ritu dupl. 1. cl. cum *Credo et Octava?* Nam Oratoria publica vocantur etiam Ecclesiae. S. C. resp.: Negative. n. 4669 ad 34 die 12. Nov. 1831.

18) In Missa Titularis Cathedralis.

Ad dubium: An in die s. Laurentii Titularis Cathedralis Perusii sit recitandum Symbolum in Ecclesiis Regularium? S. C. resp.: Negative, nisi in Ecclesia propria. n. 3804. ad 1 die 23. Mart. 1709.

19) In Missa Titularis Ordinis

Ad dubium: An sit servanda consuetudo penes nonnullos Regularium Ordines invecta addendi Symbolum Nicaenum Missae insignium Patronorum Ordinis, qui non sint Institutores, Titulares, vel Patroni, etiam si de ipsis recitetur ritu dupl. II. Cl.? Emi. et Rmi. P. respondendum censuerunt:

„Consuetudinem esse abrogandam, et solum addendum Symbolum, si sint vel Titulares vel Patroni".

Atque ita servandum mandarunt. n. 5125 ad 3 die 22. Julii 1848.

Ad dubium: An Festa principalia Ordinum Religiosorum, in quibus juxta Rubricas inter Regulares Familias addi potest in Missa Symbolum Nicaenum, intelligenda veniant Festa Fundatorum tantum, vel potius etiam aliorum Sanctorum cujusque Ordinis, quae recensentur sub ritu dupl. II. Cl. cum Octava?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam".

Atque ita rescripsit die 12. Martii 1836. n. 4772 ad 3.

20) In Missa translati Patroni.

Festum Patrocinii S. Joseph primi regionis Canadae Patroni per Indultum die 16. Nov. 1834 datum, concessum fuit Archidioecesi Quebecen. sub ritu dupl. II. cl. Dom. II. p. Pascha celebrandum, sed per tenorem provisionis S. C. die 20. Novb. ejusdem Anni datae, quando illud Festum venerit die XXV. Apr., vel I. aut III. Maj. transfertur. Quaeritur: an *Credo* recitandum sit in Missa Festi sic translati ratione Dignitatis Patroni Dioecesis et Regionis?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit.

„Quando legitime constet de Patronatu elevari permittitur Festum Patrocinii S. Joseph ad duplex I. cl."

Atque ita rescripsit ac servari praecepit eadem in Archidioecesi. n. 4904 ad 2 die 12. Sept. 1840.

Cum ex Indulto diei 16. Nov. 1834 concessum fuerit Festum Patrocinii S. Joseph celebrandum sub ritu dupl. II. Cl., utpote primi Canadensis Regionis et Dioecesis Patroni, quaeritur: utrum recitandum sit Symbolum in Missa, quoties ad aliam diem conferre contigerit?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Affirmative, si vere constat de Patronatu formiter ab hac S. S. confirmato“.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4988 ad 1 die 7. Decemb. 1844.

21) In Missa Translationis Patroni Cathedr.

Ad dubium: Utrum in festo Translationis Patroni princip. Cathedralis sub ritu dupl. maj. in missa dici possit Symbolum, non solum in Cathedr. sed etiam per totam Dioecesim. S. C. resp.: Negative. n. 3565 ad 7 die 19. Junii 1700.

22) In Missa votiva B. V. Mariae.

Vd.: *Missa vot. B. V. M.*

23) In Missa vot. de Sancto.

Vd.: *Missa vot. de Sancto.*

24) In M. vot. pro re gravi.

Vd.: *Missa vot. pro re gravi.*

25) In Miss. vot. sol. infra octavas.

Vd.: *Missa vot. priv.* (dies; decr. n. 4183.)

26) Si Sacerd. celeb. in aliena Ecclesia.

Vd.: *Missa in aliena Eccles.* (decr. n. 4878); *Credo in missa propt. reliqu. insig.* (decr. n. 3073).

27) In Officio.

Vd.: *Officium.*

Quando ad Credo detegitur caput? Vd.: *Caput* (quando deteg.)

28) In Vigiliis Nativit. Dom.

Vd.: *Credo in dominica* (decr. n. 4526.)

De *Credo* cf.: *Gloria, Novena; Symbolum.*

CRUCES.

1) Duodecim in Consecrat. Eccles.

Vd.: *Dedicatio Eccles* (crux); *Candelae* (in Dedic. Eccles. ad parietem).

2) Quinque in Consecr. Altaris.

Vd.: *Consecratio altarium plur.* (modus, decr. n. 4565 ad 3).

3) Simultanee deferendae in process.

Ad dubium: An in Processionibus, in quibus intersunt tam Parochus et Beneficiati S. Michaëlis Archangeli, quam Archipresbyter et Canonici Ecclesiae S. Mariae Matricis, praecedere simultanee debeant duae Cruces utriusque Ecclesiae, et post eas sumultanee etiam utriusque Capitulares? Et quatenus negative: An Parochus et Beneficiati S. Michaëlis Archangeli incedere priores debeant post propriam Crucem, quatenus incedere nolint post unicam Crucem Matricis ipsius, ita ut hujus Archipresbyter et Canonici velut digniores incedant postremi in casu etc.? S. C. respondit: „Servetur solitum juxta modum, dummodo Cruces procedant una post aliam, pariterque Capitula“.

N. 4483 ad 1 die 11. Septembris 1802.

Vd.: *Cruciferar. archiep.* (habitus, decr. n. 4672).

CRUCIFERARIUS.

1) Archiepiscopi.

(Habitus).

Vd.: *Subdiaconus*; *Cotta*; *Cruciferarius in proces. dom. Palmar. etc.*

Cruciferum, dum Archiepiscopus concionibus interest, posse crucem parieti haerentem dimittere. n. 2029 ad 3 die 24. Jan. 1660.

Ad dubium: Celebrante in Ponti-

ficalibus Archiepiscopo (Pisano), ipsius Crux defertur sine luminaribus a Crucifero absque Tunicella, et habitu Chorali tantum induto: Crux vero, quae ante Clerum procedit, defertur ab Acolytho juxta morem Ecclesiae, Pluviali induto inter duos Ceroferarios candelabra accensa portantes similiter paratos. S. C. resp.:

„Servandum esse dispositionem Caeremonialis lib. 2 cap. 6 §. 24 et 27 eo modo ut Subdiaconus deferens Archiepiscopalem Crucem sit paratus; atque Acolytus deferens Crucem Capituli sit Cotta indutus, medius tamen inter duos Ceroferarios cum luminaribus.“ n. 4672 ad 16 die 12. Nov. 1831.

2) Cleri.

a) Cotta indutus.

Cf.: *Processio SSmi. Regul.* (modus); *Cruciferarius archiep.*

Crucem Cleri saecularis omnino deferendam esse a Clerico cotta induto et contrariam consuetudinem esse abusum. n. 2067 die 12. Junii 1660. Vd.: *Cotta.*

6) Paratus in processione.

Crux processionalis in processione in Dominica infra octav. SS. Corp. Chr. Nucerinae potest deferri ante Clerum (paratum) per Subdiaconum paratum cum tunicella. n. 4113 ad 2 die 20. Maji 1741.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XX. n. 1. 16.

3) In process. dom. Palmar., die Ann. fid. def., die festo Purif. B. V. M.; Coena Dom. et Parasceve.

Vd.: *Planeta plicata* (pro Dalmatica etc. decr. n. 4620.); *Subdiaconus Episcopi.*

Asservari potest consuetudo (Cathedr. Conimbricen.) ut *in procesionibus Palmarum et Candel.* (functionem non peragente Episcopo) Crucem portet Capellanus per turnum paratus. n. 4233 ad 10 die 14. Apr. 1753.

Ad dubium: Quomodo sit interpretandum Caerem. Ep. quoad crucis delationem in processionibus ac potissimum die omnium fid. def., Purificat. et dominica Palmarum, assistente nimirum Episcopo? S. C. resp: Caeremoniale Epis. interpretatione non indiget et sub respectivis capitibus aperte declarat, a quo et qua s. veste induto deferenda sit crux, nimirum: in die Purificat., Dom. Palm., Fer. V. in Coena Dom., Fer. VI. in Parasc., a Subdiacono diverso a Ministrante, amicto Tunicella aut planeta plicata, prout exigit s. actionis qualitas; die vero Commemorat. Omn. Fid. def. a Subdiacono missae. n. 4620 ad 1 die 6. Maji 1826.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Non inficior aliqua (sed sane pauca) in Episcoporum Caeremoniali occurrere, quae forte non satis clara videri possunt; talia tamen non sunt, dummodo non superficiali intuitu, vel sola, separatim a contextu, spectetur expressio, vel ratio haberi velit omissionis alicujus dictionis non necessario exprimendae, ut sibi fingunt, qui novitates amant, easque inducere student; sed attenda sunt, simulque conferenda adjuncta, et circumstantiae sacrae functionis, ut qui fuerit extensoris sensus, et quid in casu faciendum sit, intelligatur. In hoc tamen immorari non est opus, quum in proposito casu, de quo est quaestio, nihil implexum sit, nil obscurum, nil non satis declaratum, ut propterea interpretatio sit postulanda. Lege *cap. 16. lib. 2. Caeremonialis* de Processione Candelarum in die Purificationis B. M. V., praesente Episcopo. Ibi *num. 15.* prae-

cipitur. Processionem esse inchoandam, praeeunte thuriferario, quem sequuntur *duo Acolythi . . . . et inter eos Subdiaconus paratus Planeta ante pectus plicata super Albam sine manipulo, portans Crucem.* Igitur non a Clerico Cotta induto Crux est deferenda, sed ex Caeremonialis lege *a Subdiacono Planeta ante pectus plicata.* Quod vero is diversus esse debeat a Subdiacono Missae ministrante, clarissime patet, quia, dum fit Processio, *Canonicus, aut alius Missam celebraturus cum Diacono et Subdiacono capiunt paramenta convenientia.* Ibi §. 16. Nec diversus est ordo servandus in Dominica Palmarum, etenim, ut in cap. 21. §. 8 habetur, *ordinatur per Caeremoniarium Processio* per Ecclesiam eodem ordine, *quo ibi* (scilicet in die Purificationis) *dictum fuit . . . . interim Canonicus Missam celebraturus cum Diacono et Subdiacono debent esse parati.* Quod vero attinet ad *Feriam V. in Coena Domini,* jubet Caeremoniale cap. 23. num. 10. *interim alter Subdiaconus accipit Crucem velatam velo violaceo.* Et agens *cap. 25.* de Feria VI. in Parasceve: *interim ordinatur Processio . . . praecedit Subdiaconus paratus cum Cruce denudata inter duos Ceroferarios.* Qui Subdiaconus alius sit oportet a Subdiacono Missae, qui ministrare necessario debet Celebranti in reliquo Officio et Missa, quae dicitur *Praesanctificatorum.* Ubinam igitur obscurum occurrit quod interpretatione indigeat? imo potius clara sunt omnia et ad cujuscumque intelligentiam expressa.

Aliqua forte posset exoriri dubietas de Crucifero adhibendo apud Castrum doloris, dum assistens Episcopus vel e throno vel e faldistorio in die omnium Fidelium defunctorum, et in Anniversariis absolutionem facit. Siquidem Caeremoniale *lib. 2 cap. 12 n. 6.* apertis non id declarat verbis: at si te non pigeat implicitum scrutari sensum, fatearis oportet, satis hoc esse declaratum. En Caeremonialis verba: *Si Episcopus voluerit ipse absolvere, deposita cappa apud sedem, capiet amictum supra Rochettum, sive supra cottam, si sit Regularis, crucem pectoralem et Stolam, et demum pluviale nigrum, et mitram simplicem, et omnia fient, quae superius in praecedenti capite dicta sunt.* Atqui ibi legitur: *praecedunt duo Acolythi . . . in quorum medio erit Subdiaconus, qui in Missa cantavit Epistolam, deferens Crucem etc. cap. 11 num. 14.* Idipsum igitur faciendum est si Episcopus dumtaxat assistat, et Missa ab alio celebrata fuerit. Atque haec est omnium Ecclesiarum Cathedralium praxis, quae arbitrarie invertenda non est, imo constanter servanda, cum nulla ratio occurrat, qua vel Subdiaconus diversus a Ministrante, vel non Tunicella nigri coloris, sed simplici indutus Cotta, Crucem deferat.

CRUX.

1) In Absolutione ad feretrum.

Vd.: *Absolutio. Cruciferarius in processione Dom. Palmar.* (decr. n. 4620).

2) Altaris.

Cf.; *Benedictio Crucis.*

Parva Crux cum imagine Crucifixi, posita super tabernaculum ligneum, in quo inclusum asservatur SSmum. in altari, non est sufficiens ad implemendum rubricae volentis, quod in altari, dum celebratur missa, debeat apponi crux in medio candelabrorum, sed poni debet alia crux. n. 2231 ad 1 die 16. Junii 1663.

In altari, in quo est magna statua SS. Crucifixi, illa est sufficiens et non indiget alia cruce. *Ibid.* ad 2. Res

divina fieri non potest in altari, in quo exigua solum crux minori tabulae defixa fidelibus exhibetur, sed Crucifixus inter candelabra ita prominere debet ut Sacerdos celebrans et populus Sacrificio assistens eundem Crucifixum facile et commode intueri possint. *Bened. XIV. in Const.*: *Accepimus.* 16. Julii 1746.

Ad dubium: An, et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem vel supra Tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi . . . respondendum censuerunt ut infra, videlicet.:

„Reprobandum abusum, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris et facti remediis; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia, tempore Sacrificii, apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti quam Populo".

Atque ita responderunt, et statuerunt. n. 4590 ad 8; die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S.S. cuncta benigne approbavit, Decretumque desuper expediri, et publici juris fieri mandavit, Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense et Anno, quibus supra.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Si ratio prae oculis habeatur, propter quam Rubrica *tit. de Praeparatione Altaris* praecipit, ut *Crux collocetur inter candelabra,* facile intelligitur nobiliorem locum ab eadem occupari debere ac talem esse ejus magnitudinem, ut subito in conspectum veniat cum Celebrantis tum Populi; si vero finis ab Ecclesia intentus consideretur, qui est, ut *ab aspectu Crucis Sacerdoti celebranti Passio Christi in memoriam revocetur, cujus Passionis viva imago et realis repraesentatio hoc Sacrificium est,* veluti habet *Card. Bona rer. liturg. l. 1. cap. 25. num. 8.*; consequitur, vix, ac ne vix quidem hujusmodi finem parvis illis Crucibus obtineri posse, quae, neglecta positiva lege Rubricae, superimponuntur vel Tabernaculo, vel parvis tabulis alicubi, non ita infrequenter in medio Altarium collocatis. Jam S. R. C. declaraverat *in Rosanen. 16. Jun. 1663., parvam Crucem sufficientem non esse, sed poni debere aliam Crucem in medio candelabrorum,* nihilominus temporis successu, ut coeperunt multiplicatae minores tabulae in singulis fere Altaribus collocari, ita crevit abusus, ut fel. rec. Benedictus XIV. illum deprehenderit *in aliquibus Ecclesiis hujus nostrae Romanae Urbis, et aliis pariter, quae Episcopis Suburbicariis subjiciuntur.* Quamobrem nedum hujusmodi abusum reprobavit, verum etiam Encyclicam dedit *sub die 16. Jun. 1746.* ad Archiepiscopos, aliosque Ordinarios Ditionis Ecclesiasticae: *De retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam et visibiliter exposita super Altaribus. Illud, inquit, permittere nullatenus possumus, quod Missae Sacrificium in his Altaribus celebretur, quae careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius Sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat: id enim alienum est a legibus, ut institutis Ecclesiae, quae in Rubricis aliisque Ecclesiasticis Sanctionibus continentur . . . ita ut certissimum sit violari leges Ecclesiae, si exigua solum Imago Crucifixi prae-*

figatur minori tabulae, vel Statuae Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur: et post plura eruditissime disputata concludit: *Si juxta Rubricas Missalis Crux inter candelabra statuenda est . . . si juxta sensum S. R. C. non satis esse judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus . . . nemo est, qui non videat praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque marte a privatis personis usurpatam . . . esse omnino improbatam; eoque magis, quia ex exiguo Crucifixo, qui praefigitur tabulae ejus Sancti, qui Altari superadditur, ea profecto utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum Crucem inter candelabra collocandam decernit:* Hanc Encyclicam interesset plurimum, ut Episcopi aliique locorum Ordinarii sedulo perlustrarent, et tempore Sacrae Visitationis ubique ad praescriptum Rubricae Crucis collocationem exigerent et inobedientes poenis plecterent a jure indictis.

3) Altaris, in quo asservatur SSmum.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 2.

4) Altaris cor. exp. SSmo.

a) Incensatio.

Dum incensatur altare, in quo est expositum publicae venerationi Venerabile, post illud incensatum Crux non debet incensari. n. 4080 ad 5 die 29. Novb. 1738. *Instructio Clem.* §. XXX. n. 6 12. *Parasceve* (incens. crucis).

b) Positio.

Ad dubium: An super altare, in quo SSmum. expositum est, crux de more collocari debeat? S. C. resp.: nunquam omittendam crucis cum imagine Crucifixi apposita collocationem. n. 3773 ad 1 die 14. Maji 1707.

Etsi decr. de anno 1707 praecipiat, quod in altari, ubi est publice expositum SSmum, tempore Sacrificii Crux de more collocetur: non est tamen in viridi observantia et Patriarchales Ecclesiae Urbis Oppositum servant; supervacaneam enim adjudicant Imaginis exhibitionem, ubi Prototypus adoratur. Et hac de causa Instructio Clem. sub silentio praeterit: an locanda removendave sit hujusmodi crux, *linquens quemlibet in sua praxi.* n. 4119 ad 5 die 2. Sept. 1741.

Instructio Clem. §. XXX. n. 2 etc. §. VI. n. 12.

5) Archiepiscopi.

a) Ad benedictionem.

Cf.: *Crux Metropol.*; *Cruciferarius.*

Ad dubium: An in missa pontif. non cantata, cum Ministris tamen non paratis, *in qua conferuntur Ordines,* debeat Archiepiscopus pro tempore in fine benedicere populum cum cruce ante se? An ex eo quod sine Cruce benedicat, accipere debeat mitram ad benedicendum? S. C. resp.: Citra approbationem missae cum ministris et non cantatae, cum in *Ordinationibus general.* debeat Episcopus benedicere solemniter habens ante se Crucem: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 3774 ad 2 die 27. Aug. 1707.

b) Non alius ea uti debet.

Abusum omnino tollendum, ut Prior . . . et ejus Vicarius crucem ante se deferri faciat, quae Archiepiscoporum et Legatorum specialis praerogativa est; et ideo Prior et Vicarius a praemissis in futurum abstineant. n. 300 die 4. Mart. 1606.

c) Quando et quomodo deferenda?

Vd.: *Episcopus* (accessus, ordo incedendi, decr. n. 4597).

Archiepiscopus incedens vel equitans per Civitatem et Dioecesim suam crucem ante se praeferri facere debet, etiamsi Nuntius in iisdem locis commoretur. Quodsi contingat, Archiepiscopum *simul cum Nuntio iter habere* vel eundem Archiepisc. ad invisendum Nuntium accedere, tunc quidem ob reverentiam Sedis Apostol., quam in ipso Nuntio agnoscere et venerari debet, Archiepiscopus abstinebit a delatione crucis. n. 44 ad 1 die 16. Febr. 1593.

In *primo ingressu* Archiepiscopi ad suam Provinciam crucem esse deferendam ab aliquo Capellano, immediate ante Personam Archiepiscopi, inter quem et Archiepiscopum nullus omnino esse debet, nisi soli Dignitates et Canonici Ecclesiae Metrop. n. 470 die 2. Mart. 1613.

Archiepiscopo Theatino crucem ante se per Monasterium S. Liberatoris (situm est Monasterium intra fines Dioecesis dicti Archiepiscopi, quamquam sit nullius Dioecessis) et loca hujusmodi deferri facere licuisse et licere. n. 475 die 13. Julii 1613.

Ubique in sua Provincia potest Archiepiscopus crucem ante se deferri quando ei placebit, dummodo non sit in curru. n. 2381 ad 7 die 18. Sept. 1666.

Licere Archiepiscopo Neapol. ingredi Ecclesias Regularium cum Cruce n. 2757 die 23. Novb. 1675.

Quando Archiepiscopus s. vestibus indutus procedit e Secretario ad altare celebraturus, crux archiepisc. deferenda est ante Canonicos paratos. n. 3026 ad 7 die 24. Julii 1683.

Crux archiep. in processione ss. Corp. Chr. deferri debet per Subdiacum paratum ante Beneficiatos paratos. n. 3026 ad 9 die 24. Julii 1683.

6) Ave etc.

(*Genuflexio.*)

Omnes debent genuflectere in recitando Officio in choro ad verba: *O crux ave!* n. 2345 ad 14 die 31. (Julii) 1665.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 11; *Off. de cruce.*

7) Benedictio.

Cruces altarium seu processionum non sunt benedicendae de praecepto, potest tamen simplex Sacerdos eas benedicere privatim et non solemniter. S. R. C. 12. Julii 1704.

8) Capituli.

(*Quae?*)

Capitulum et Canonici Colleg. s. Mariae. Corignoni cum cruce tripartita seu patriarchali in processionibus et aliis actibus non valet intervenire. n. 3633 die 26. Aug. 1702.

9) Cleri saecul. inferioris.

a) Quae?

Altaristae in associatione funerum sine interventu Capituli Cathedralis Recineti non possunt uti cruce argentea, quae de praesenti adest in Ecclesia, sed debent uti alia cruce inferiori dumtaxat. n. 3740 ad 3 die 20. Mart. 1706.

b) Quando deferenda?

Vd.: *Processio*; *Sepultura*; *Canonici Colleg.*; *Processio funebris.*; *Processio* (Regul.; crux); *Stola paroch.* (decr. n. 4615); *Capuccini.*

Unumquodque Capitulum et Ecclesiam incedere debere sub propria

cruce. n. 1524 ad 2 die 11. Febr. 1645.

Ad dubium: An servanda sit consuetudo immemorabilis deferendi in functionibus tam crucem Capituli, quando intervenit, quam parochorum ejusdem Cathedralis Cusentinae, S. C. resp.: Servandam esse consuetudinem immemorab. n. 2314 die 21. Mart. 1665.

Capellanos Collegiatae Matricis Itri in omnibus processionibus posse deferre propriam crucem (separatam a Cruce Capituli). n. 2516 ad 5 die 13. Sept. 1670.

Praepositis et rectoribus Lauden. licet deferre in processione SS. Corp. Chr. et in aliis sol. crucem, non obstantibus praetensa contraria consuetudine et Concilio Provinciali IV. et aliis a Canonicis Cathedr. Lauden allegatis. n. 2779 die 21. Mart. 1676.

Ad dubium: An in processionibus sub quanam cruce incedi debeat Prior Colleg. an sub cruce tantum Ecclesiae Collegiatae (Castignani) an sub cruce Ecclesiae paroch. s. Petri? S. C. resp.: Sub utraque cruce. n. 4042 ad 5 die 21. Apr. 1736.

c) Quo modo deferenda?

Fratribus Dominicanis non licet, dum crucem in processionibus deferunt, id agere Crucifixi imagine ad sese versa. n. 2732 ad 1 die 18. Maji 1675.

10) Deferenda per aliam parochiam.

Cf.: *Processio funebr.* (Crux in transitu); *Processio* (Crux Cathedr. etc.).

Licet Parocho Sutrinae occasione processionum discedere a sua parochia, accedere et transire per parochiam Cathedralem cum cruce erecta et simili modo redire ad suam parochiam. n. 3650 ad 5 die 28. Apr. 1703.

Ad dubium: An parocho s. Pauli in tribus processionibus quolibet anno ab ipso fieri solitis, quae transire solent per limites Ecclesiae parochialis matricis (Portus Salvi) (Castidii) licitum sit deferre crucem nudam sive potius cum velo aut pallio appenso in signum ejus subjectionis Ecclesiae matrici?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam n. 4013 ad 4 die 21. Mart. 1733.

11) Super Ecclesia collocanda.

Vd.: *Titularis et Patronus* (Differentia inter haec nomina.)

12) Facienda cum s. hostia.

Vd.: *Patena*; *Parasceve.*

13) Hastata.

Vd.: *Crux Societat.* (saecul. — quae? —)

In novissima rerum omnium perturbatione, a prisca et recta S. R. observantia recesserunt Laicorum Sodalitates Civitatis Capuanae, dum in publicis Supplicationibus funeribusque ducendis Sodalitii Vexillum nullo obductum velo, vel etiam hastatam Crucem gestabant. Ne consuetudo istiusmodi invalesceret die 14. mense Majo anno 1831. Emus. et Rmus. D. Card. Archiepisc. Capuanus uniuscujusque Sodalitii Moderatores Literis commonere fecit, ut juxta sancitas Leges Vexillum velo obducerent, quod ultra factum est praeterquam a Sodalitate Charitatis, quae insuper autumans vel ex privilegio vel ex consuetudine jus sibi quaesitum fuisse deferendi hastatam Crucem, neque definitum terminum die 16. mense Julio anno 1838 neque Decretum die 17. mense Nov. insequente ad praxim deduxit, immo appellationem intermit-

tens ad hanc S. R. C. recursum instituit. Quum vero statuto die coram R. P. D. Secretario subscripto Procuratores partium multum dissiderent super ista Dubiorum concordatione, eadem S. C. die 3. mense Aug. superiori Anno sequens Dubium, super quo disputandum hinc inde foret, proposuit, nimirum: An et quomodo sit servandum et exequendum Monitorium Emi. Card. Archiep. in casu?" Per Defensores itaque tum Archiepiscopalis Curiae Capuanae ex una, tum Sodalitatis Charitatis partibus ex altera, productis juribus, iisque rite accurateque libratis et examinatis Emi. et Rmi. P. S. ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die habitis, post omnimodam et absolutissimam relationem ab Emo. et Rmo. D. Card. Joanne Francisco Falzacappa Episcopo Portuensi ponente factam, rescribendum censuerunt: Affirmative in omnibus, seu Monitorium esse servandum et exequendum". Atque ita rescripserunt ac omnino servandum mandarunt; n. 4894 die 12. Sept. 1840.

14) In impositione Incensi.

Vd.: *Incensum.*

15) Incensatio.

Vd.: *Parasceve*; *Crux altaris coram expos. SSmo.*

16) Materia.

Ad dubium: Crux, quae Feria Sexta in Parasceve est detegenda et adoranda, debetne esse lignea, an potest esse etiam de metallo, praesertim si in ea lignum verae Crucis includatur? S. C. resp.:

„Servetur Rubrica Missalis, vel laudabilis consuetudo". n. 4669 ad 59 die 12. Novb. 1831.

17) Metropolitani.

Metropolitano pro temporalibus negotiis accedenti ad Dioecesim Episcopi (Suffr.) licet attollere crucem. n. 2210 ad 1 die 17. Mart. 1663; n. 2611 die 3. Decb. 1672.

Archiepiscopus Amalphitanus tamquam Metropolitanus per Dioeceses Suffraganeorum pertransiens potest elevare crucem. n. 3720 die 9. Maji 1705.

Cf.: *Crux Archiep.*

18) Super Oblata.

Cruces, quae fiunt super Oblata a sacerdote, manu recta in transversa parte crucis fieri debent. n. 2241 ad 4 die 4. Aug. 1663.

19) Offerenda Episcopo.

Vd.: *Episcopus* (accessus primus); *Episcopus Visitator.*

Jus deferendi crucem ad deosculandam Episcopo Castelli in actu visitationis et in ingressu Ecclesiarum paroch. et Monialium spectare ad parochos et Confessarios et non ad Canonicos Convisitatores Cathedralis. n. 2809 die 16. Jan. 1677.

Episcopo dare deosculandam crucem in ingressu primae Ecclesiae spectare ad digniorem. n. 2948 die 19. Apr. 1681.

20) Officium.

Vd.: *Officium de s. cruce.*

21) In Ostensorio.

Vd.: *Rosarium de B. V. M.* (ritus, decr. n. 5112).

22) Pectoralis.

a) Benedictio.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4640 nota.)

b) Dignit. et Canonicorum.

Vd.: *Annulus Canonicor. etc.* (decr. n. 4224.); *Pectorale Episcopi.* (decr. n. 4235); *Usus Pontif.* (decr. n. 4585 nota; n. 4593 ad 8; n. 863; n. 4640 etc.)

Collegiis Canonicorum vel Beneficiatorum, quibus ab apost. sede concessum fuit privilegium gestandi Cruces vel Numismata s., licitum non est ea palam deferre in param. s. vel in administratione Sacramentorum. n. 4590 ad 15 die 17. Sept. 1822.

Ad dubium: An et quomodo a Canonicis tam Cathedralis quam Collegiatae (qui privilegium habent) deferenda sit crux pectoralis? S. C. resp.: Servata forma concessionis Episcopus mandet, Canonicos decoratos privilegio crucis deferendae super paramenta sacra, eo uti debere ad praescriptum Caeremonialis, nempe imposita cruce super albam et eandem tegere celebrante Episcopo. n. 4636 ad II. die 16. Sept. 1828.

c) Episcopi.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4650 nota.)

d) SS. Pontificis.

Ibidem.

23) Reliquia.

a) Asservatio.

Vd.: *Reliquia* (veneratio, decr. n. 4956).

b) Expositio.

Vd.: *Reliquia* (expositio).

Clerici Reg. Scholarum Piarum Florentiae degentes assolent Feria VI. in Parasceve ad populi venerationem exponere Reliquiam SSmae. Crucis immediate post adorationem Crucis ipsius, et ante Missam Praesanctificatorum; quaeritur: num sit retinenda consuetudo, seu post eamdem Missam et consummationem SSmi. Sacramenti exponenda sit?

Et S. ipsa C. . . . respondendum censuit:

„Posse, dummodo Reliquia inclusa sit Crucis talis mensurae, ut poni queat inter Candelabra Arae majoris".

Atque ita rescripsit, servandumque mandavit. n. 5009 ad 4.

Die 14. Junii 1845.

Ad dubium: An liceat Feria VI. in Parasceve in loco, ubi asservatur SSmum. Eucharistiae Sacramentum pro hac Feria, statim post Caeremonias ipsius Feriae exponere publicae venerationi Reliquiam SSmae. Crucis, et ibi manere usque ad crastinum ad horam solemnis Functionis expositam? Emi. itaque ac Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

„Negative".

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 5 die 12. Martii 1836.

c) Genuflexio.

Ad dubium: An Capitulo et Clero processionaliter transeuntibus ante altare, in quo recondita est s. Crux genuflectendum sit illi, et a quibus? S. C. resp: Negative n. 4051 ad 3 die 15. Sept. 1736.

Vd.: *Reliquia* — genuflexio —; *Missa cor. exp. s. cruce; Genufl. ante crucem.*

Ad dubium: Coram Sanctissimo Sacramento palam exposito omnes in Choro stant nudo capite, nec transeunt ante medium Altare, quin genua flectant: an idem observari debeat coram Ligno Sanctae Crucis palam exposito? S. C. resp.:

„Negative ad utrumque, sed tantum unico genu in transitu".

Die 23. Maji 1835. n. 4743 ad 2.

d) Incensatio.

Vd.: *Reliquia* (incensatio); *Reliquia* (veneratio etc. decr. n. 4956 et 4634); *Baldachinum in reliquiar etc. processionibus.*

Ad dubium: An, quando incensatur reliquia s. crucis, incensanda sit a Celebrante genuflexo vel stante, ut tenet Tonellius sacr. rit. lib. 3 c. 3. n. 22. et Bauldry de thurificat. art. 2. n. 5 docentes cultum incensandi genibus flexis soli Augustmo. SSmo. competere? S. C. resp: Negative n. 4051 ad 2 die 15. Sept. 1736.

Fere in omnibus Ecclesiis apponi solet fer. VI. in Parasceve reliquia s. Crucis; dubitatur: an dicta feria incensari debeat a Sacerdote genuflexo? S. C. resp.: Negative n. 4815 ad XIV. 1 die 22. Sept. 1837.

e) Osculum.

Ad dubium: An fer. VI. Parasceve admittendi sint fideles ad osculum reliquiae s. crucis? S. C. resp.: Servetur consuetudo. n. 4815 ad XIV. 4. die 22. Sept. 1837. Vd.: *Reliquiae* (veneratio).

Sacerdos potest in missa priv. Sanctorum Reliquias de osculandas praebere s. indutus paramentis. S. R. C. 16. Mart. 1833.

f) Reliquia s. crucis.

Vd.: *Processio in festo SS. Corp. Chr.* (quae res. etc.); *De benedictione cum particula s. Crucis.*

Vd.: *Benedictio cum reliquiis etc.*; *Reliquia* (deferent. habit.); *Reliquia* (*veneratio etc.*; decr. n. 4956); *Tabernacul.* (ornatus).

24) Super rebus benedicendis.

Ad dubium: Quando in Indulto existit clausula: „In forma Ecclesiae consueta“, sufficitne signum crucis efformare super res benedicendas absque pronuntiatione verborum formulae benedictionis et sine aspersione aquae benedictae? S. C. J. resp.: Affirmative 8. Jan. 1843.

25) Societatis saecularis.

a) Quae.

Confratribus Societatis saecul. b. Mariae Pedemantis in processionibus et associatione cadaverum non licet deferre Crucem inalberatam sine velo. n. 3758 ad 3 die 22. Jan. 1706. Vd. *Crux hastata.*

b) Quo loco deferenda?

Cf.: *Processio* (crux); *Processio funebr.* (crux).

Ad dubium: An crux debeat ante confratres Societatis saecul. B. Mariae Pedemantis vel post illos ante Clerum deferri debeat? S. C. resp.: Ante ipsos Confratres. n. 3758 ad 4 die 22. Jan. 1707.

26) In Summitate Monstrantiae.

Vd.: *Ostensorium.*

In Summitate Ostensorii Crux visibilis apponatur. S. R. C. 11. Sept. 1847.

27) Velaminis color.

Quaesitum fuit, quo velo cooperienda sit crux in altari ad functionem lotionis pedum in fer. V. maj. hebdom. et crux processionis, cum Sacerdos indutus sit violaceo et Diaconus colore albo, et actus ipse lotionis sive mandatum praecipiatur a rubricis fieri cum floribus et signis laetitiae et videatur participare de festivitate missae celebratae in mane cum cruce velata albo colore et ex alia parte sit actus humilitatis? S. R. C. resp.: Colorem non esse mutandum. die 16. Novb. 1649.

Fer. V. in Coena Dom. albi coloris debet esse velum crucis altaris, in quo missa celebratur; violacei vero crucis processionis et altaris lotionis. n. 4414 ad 4 die 20. Decb. 1783.

Ad dubium: An in missa sol., quae cantatur fer. V. in Coena Dom., Crux altaris debeat esse cooperta velo albo seu violaceo? S. C. resp.: Servetur consuetudo Ecclesiae. n. 4322 ad 2 die 11. Febr. 1764.

28) Velatio in Sabbato Passionis.

Vd.: *Imago* (velatio.)

29) Veneratio.

Vd.: *Reliquiae* (exposit).

Rme. Domine: Cum orta sit dubitatio inter Ecclesiasticos viros Regalis Capellae Titulo SSmae. Crucis Oppidi Caravacae in ista tua jurisdictione S. Jacobi de Spathae Nullius Dioecesis Compostellanae existentes circa externas significationes venerationis, et publicos actus cultus, qui exhiberi consueverunt erga eam Crucem, quae maxima religione in praedicta Capella asservatur; num scilicet retineri possit consuetudo, cujus initii memoria non extat, exhibendi eidem S. Cruci eosdem externos actus cultus, qui SSmo. Eucharistiae Sacramento exhibentur, praeter modum a Rubricis et Decretis S. R. C. praescriptum, vel ab iisdem sit abstinendum, ejusque cultus ad Rubricarum et Decretorum normam sit exigendus? proindeque, ad amovendam omnem haesitationem, S. R. C. supplicaverit, ut, quid in hoc casu agendum foret, decerneret.

Emi. et Rmi. Domini Patres S. R. C. praepositi, exquisita sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, ac re mature perpensa, referente Emo. et Rmo. Domino Card. Antonio ab Auria, censuerunt: „Tibi per hasce Literas significandum esse, quod si revera noscas consuetudinem esse immemorabilem, atque etiam praevideas, ex immutatione facienda, ut Rubricis Decretisque satisfiat, nedum admirationem, sed scandalum in Populo oriri, aut languorem in Religione erga praedictam S. Crucem induci posse, nihil innovari permittas, et diu bene valeas".

N. 4462. Romae 23. Augusti 1794.

CUBICULARIUS.

Fer. VI. Parasc. SSmo. D. N. fimbrias deferre ad Cubicularios intimos pertinet, cum eo die Summus Pontifex sit absque pluviali. n. 125 (sine die assig.).

S. CUNEGUNDIS V.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidl.: an 3. Martii, qua occurrunt s. Anselmus Abb. et s. Cunegundis v. imperatrix in Germania, s. Cunegundis sit celebranda translato s. Anselmo? S. C. resp.: Faciendum est Officium de s. Cunegunde et assignanda fixa et propria dies pro s. Anselmo. n. 4043 ad titul. X. dub. 2 die 5. Maji 1736.

CURRUS.

(Pro asport. cadav. Def.)

Vd.: *Defunctus* (depos. modus).

CUSTODIA SS. SACRAMENTI.

Vd.: *Instructio Clem.* §. V. n. 7—14.; *Ostensorium.*

D.

DALMATICA ET TUNICELLA.

1) Dignitariorum, Abbat. etc.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 8; n. 4863).

2) Episcopi.

(Quando deferenda?)

Cf.: *Laici.*

Episcopus fontem baptism. benedicturus, cum planeta deponere debet pariter dalmaticam et tunicellam, nam sunt illae indumenta missalia et non deferuntur cum Pluviali et ita usus communis Ecclesiarum. n. 2946 ad 2 die 19. Apr. 1681.

3) Ministrorum.

Ad dubium: An deceat Canonicum celebrantem esse in paramento pretioso, Diaconum et Subdiaconum paratos esse inferiori Dalmatica et Tunicella? S. C. resp.: Congruere, quod Dalmaticae et Tunicellae, si fieri potest, conformes sint planetae celebrantis, quia sacra haec indumenta non ministrorum ornatui sed ecclesiasticae functionis decori inserviunt. n. 4536 ad 4 die 4. Junii 1817.

Nota gardell. ad hoc Decretum:

Etsi nulla lege praescriptum sit, ut Dalmatica et Tunicella nedum in colore, de quo non est quaestio, verum etiam in qualitate inferiores non sint Casula, qua utitur Celebrans, congruit tamen, ut, quantum fieri potest, ab illa non differant, minime obstante, quod Celebrans sit Canonicus; in officio vero Diaconi et Subdiaconi Beneficiati aut simplices Sacerdotes ministrent. Quippe sacra haec indumenta non ad personae ornatum adhibentur, sed ecclesiasticae functionis decori inserviunt. Verumtamen certa regula dari nequit, quia non omnes Ecclesiae sacris suppellectilibus aeque sunt instructae, et in aliquibus pretiosiores Casulae habentur ex pia fidelium largitione; desunt vero similes Dalmaticae et Tunicellae, neque ad illas comparandas idonea suppetunt media Curandum tamen, ne nimis differant.

4) Pro planeta plicata utenda.

Vd.: *Planeta plicata* (pro dalmatica, decr. n. 4620).

5) In Processione.

Vd : *Processio* (Clerus inf. paratus. decr. n. 4113).

De dalmatica etc. Thuriferariorum in processione, vd.: *Thuribula duo in process.* (decr. n. 4233.); *Cruciferarius in processionib. Dom Palm. etc.* (decr. n. 4620).

6) In Process. funebri.

In sepultura defunctorum dum cadaver e sua domo defertur ad Eccl. cum assistentia Parochi et Ministris s. cum Pluviali, Dalmatica et Tunicella indutis, Ministri s. sine amictu, neque alba, neque cingulo superimponunt Dalmaticam et Tunicellam soli Cottae vel Superpelliceo. Quaeritur: an talis consuetudo possit sustinui, vel cogendi sint Ministri s., ut simul cum Dalmatica et Tunicella induant amictum, albam et cingulum?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Servandam in casu dispositionem Ritualis Romani“.

Atqui ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. n. 5050 ad 10 die 23. Maji 1846.

7) In Vesperis.

In Ecclesia parochiali s. Michaelis arch. ab antiquo tempore est usus, quod Diaconus et Subdiaconus in vesp. sol. praestent assistentiam Celebranti

non induti pluvialibus, sed Tunicella et Dalmat. S. C. resp.: *Arbitrio* Archiepiscopi. n. 4456 die 31. August. 1793.

DAMNATUS.

Vd.: *Campana Damnati; Sepultura* (in Eccles.).

DECANUS.

Concedi posse Decano Ulysbon 1. mandare incipere; 2. dare ictum et signum incipiendi Lectiones Nocturnorum; 3. et facere signum exeundi a choro. n. 136 die 2. Sept. 1597.

Decanum, habentem praebendam presbyteralem et diaconalem, in *utroque* Officio inservire debere, si vult gaudere illorum proventibus. n. 1255 die 21. Aug. 1640.

Cf.: *Chorus; Hebdomadarius.*

DECEMBRIS.

(Dies XXX.)

De translatione in hunc diem, vd.: *Transl. festi dupl.* (decr. n. 5159).

DECOLLATIO S. JOANN. BAPT.

Festum decollationis s. Joann. Bapt. quod die 29. Aug. ab universa Ecclesia ritu dupl. min. agitur, in posterum celebrandum esse ritu dupl. majori; quod SS. PP. Pius VI ubique executioni mandandum esse praecepit. n. 4429 die 14. Mart. 1787.

Quando *Credo* dicendum, vd.: *Credo in Missa Patroni princip.* (decr. n. 4143).

De vesperis, vd.: *Vesp. integrae.* (decr. n. 4594. VII.)

DECRETA.

(Authenticitas et Obligatio.)

Vd.: *Consuetudo.*

Cum saepe oriantur dubia super authenticitate nonnullorum decretorum, quae, licet in publicis tabulis S. R. C. inscripta reperiantur, nihilominus in collectione eorumdem decretorum typis edita omissa fuerunt; hujusmodi decreta pro postulantium voto eidem Collectioni addi possunt. n. 4590 ad 13 die 17. Sept. 1822.

Quaecunque inveterata consuetudo in contrarium derogare non potest Legi a decretis S. C. praescriptae. n. 4861 ad 2 die 3. Aug. 1839.

Ad dubium: An decreta S. R. C., dum eduntur, derogent cuicunque contrariae invectae consuetudini etiam immemorabili et in casu affirmativo obligent etiam quoad conscientiam? S. C. resp.: Affirmative, sed recurrendum in particulari. die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: An decreta a S. C. emanata et responsiones quaecunque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae eandem habent auctoritatem ac si imediate ab ipso SS. Pontifice promanararent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanct. Suae? S. C resp.: Affirmative 23. Maji 1846.

Ad dubium: 1. Quum in declaratione S. R. C. lata die 23. Maji 1846 sancitum fuerit quod Decreta et Responsiones ab ipsa emanatae, dummodo scripto formiter editae fuerint, eamdem auctoritatem habere, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quaeritur: an per verba „dummodo formiter scripto editae fuerint“ sufficiat quod sint subscriptae a S. R. C. Praefecto et Secretario, ac ejusdem sigillo munitae, seu potius requiratur, ut sint vel Romae, vel ab Episcopis in suis Dioecesibus promulgatae?

2. Et quatenus affirmative ad 1 partem, negative ad 2.; an tamquam formiter edita habenda sint Decreta et Responsiones in Gardelliniana authentica Collectione insertae?

Et S. eadem C . . . respondere rata est:

Ad 1. „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam“.

Ad 2. „Affirmative, uti patet ex adjecta Declaratione“. n. 5202 die 8. Aprilis 1854.

DEDICATIO.

1) Basilicae.

a) SS. Apostolorum.

Ad dubium: An Officium Dedicat. Bas. ss. ap., quando incidit die Sabbathi 14. Decb., qua die cadit etiam Dedicatio Cathedralis Regien., sit transferendum ad diem dom. immediate sequentem, vel potius ad fer. 2.? S. C. resp.: Transferendum esse ad diem immediate sequentem, non tamen impeditam Officio novem Lectionum et translationem ad diem domin. abolendam esse a Calendario Gavanti. n. 2230 die 16. Junii 1663.

b) Lateranensis,

I. Festum.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Off. quod.?)

S. D. N. Benedictus XIII. ad humillimas preces Capituli et Canonicorum Basilicae Lateranensis, ut novae Consecrationis ejusdem Basilicae, quam Sanctitas Sua die 28. Apr. currentis anni solemni ritu peregit, memoria in posterum recolatur, benigne indulsit atque concessit, ut in festo Dedicationis illius die 9. Nov. sextae lectioni secundi nocturni sequentia verba addantur: eamdem Ecclesiam incendiis, vastationibus, terrae insuper motibus disjectam eversamque, ac sedula Summorum Pontificum cura reparatam, nova postmodum molitione restitutam, Benedictus XIII. P. M. die 28. Apr. 1726 ritu solemni consecravit ejusque celebritatis memoriam hac die recolendam statuit: „ac insuper mandavit, ut idem Festum, tamquam dedicationis Ecclesiae Cathedralis hujus almae Urbis, ab universo illius Clero saeculari tantum, ejusque districtus, juxta Decreta S. R. C. hac in re pluries edita sub ritu dupl. 1. cl. cum oct. quotannis celebretur“. n. 3968 die 14. Sept. 1726.

II. Vesperae.

Rubrica Breviarii die 8. Novembris Octava omnium Sanctorum sic se habet: „Vesperae a Cupitulo de sequenti, scilicet de Dedicatione Basilicae SSmi. Salvatoris; dup. min. cum commemorat. praecedentis, hoc est omnium Sanctorum: „die autem 18. ejusdem ait.: Festum Dedicationis Basilicarum SS. Apostolor Petri et Pauli dup. min. Vesperae a Capitulo de sequenti, id est de S. Elisabeth Vid. dup. min., cum Commemorat. praecedentis Festi Dedicationis. Ex quo quaeritur: Utrum in dictis casibus, et similibus, faciendum sit a Capitulo, ut disponit Rubrica supracitata, an Vesperae debeant esse integrae de Dedicatione Basilicarum cum commemoratione praecedentis, vel sequentis ejusdem, ob ritus praestantiam, et dignitatem Basilicarum? S. C. resp.: „Ubi Dedicatio Basilicarum Lateranensis, Vaticanae, et S. Pauli in Via Ostiensi fit sub rit. dup. min., in concursu cum Festis ejusdem ritus, prout in casu etc. Vesperas esse dimidiandas. n. 4594 ad 4 die 12. Apr. 1823.

Nota Gardellini ad hoc Decretum.

Nemini dubium, quod in casibus expositis, et similibus, fieri debeat in primis et secundis Vesperis a Capitulo. Siquidem de qualitate Festi Dedicationis Ecclesiae omnino silent Rubricae, ideo nec quaestio fieri debet de majori vel minori dignitate. Quidquid enim sit de aliqua antilogia quae occurrit in via variis S. R. C. Decretis, quorum quaedam eo innitebantur principio, quod Dedicatio sit Festum Domini; ultimis

tamen decisionibus inhaerendum est. Etenim maturiori examini quaestione subjecta, cum praefatum Festum (dato etiam quod sit Festum Domini) non primariis sed secundariis adnumerandum veniat, satius visum est servare ordinem Tabellae duplicium primae classis, quae praefatum Dedicationis Festum praefert dumtaxat Patrono et Titulo Ecclesiae (quod ita est intelligendum, dummodo Patronus vel Titulus Ecclesiae non sint majoris dignitatis) vide ultima decreta in una *Ordinis Clericorum Minorum Villae Matriten. Toletanae Dioecesis ad dub. 3 et 4 sub die 13. Martii 1804, et in Brixien ad dub. 9 et 10 sub die 20. Septembr. 1806.* Praeterea notandum est, quod casus in dubio expositus non est de concurrentia Dedicationis, ubi obtinet ritum duplicem primae classis, cum alio Festo aequalis ritus; verum de duplici minori: quam ob rem subintrat regula tradita in Tabella de concurrentia sub *numero* 5., quae jubet Vesperas esse dimidiandas. Quamquam nonne ita praesertim est in speciali Rubrica Breviarii sub die 9. Novembris, et 18. ejusdem mensis? Nonne ita sancitum legitur ab hac Sacra Congregatione in Romana 12. Julii 1664, et in Maceraten 22. Januarii 1678? In primo namque respondit: *Servari Rubricas generales in concurrentia duplicium minorum:* et in altero ad quaesitum: An in sesundis Vesperis Dedicationis Basilicae S. Petri debeat a Capitulo fieri de Officio duplici S. Elisabethae viduae? jussit: *Servari Rubricam Breviarii Romani, qnae disponit a Capitulo de S. Elisabetha:* Quae igitur dubitandi ratio? Praestantia Basilicarum Lateranensis, Vaticanae et Ostiensis efficit, ut de harum Dedicatione fiat speciale Officium sub rit. dup. min. in Orbe Catholico universo, sed non immutat praescriptum Rubricae.

c) S. Petri.

In 2. Vesperis Dedicationis Basilicae S. Petri debet ad Capitulum fieri de Officio dupl. s. Elisabethae vid. n. 2851 die 22. Jan. 1678.

Vd.: *Dedicatio Basil. S. Salvat.* (Commemor.; Vesperae.)

d) SS. Salvat. et S. Petri.

I. Commemoratio.

Ad dubium: Utrum, quando occurrit Dedicatio Basilicarum Salvatoris et S. Petri infra octavam Dedicationis aliarum Ecclesiarum, assignandae sint aliae Collectae vel Orationes, vel sit omittenda commemoratio? S. C. resp.: Sumatur pro commemoratione alia Oratio de Communi, nempe: *Deus, qui in visibilibus etc.* et apponatur decretum in principio Missalis. n. 3754 ad 15 die 25. Sept. 1706.

II. Vesperae.

Concurrente festo Dedicationis Basilicae S. Salvatoris et ss. Petri et Pauli cum insequentibus Officiis ritus pariter dupl. minoris secundas vesperas esse dimidiandas. n. 4826 die 23. Sept. 1837.

(Vd.: *Dedicat. Basil. Later.* — vesp. —)

Dedicatio Basilicae SS. Salvatoris extra Almam Urbem non habet integras vesperas secundas, si concurrat cum sequenti Officio dupl. minori. S. R. C. 12. Julii 1664 *in una Ord. Min. Obs.*

III. Translatio.

A Capitulo Cathedralis Schalen in suo Calendario assignata fuit dies 10. Novb. Officio Dedicat. Basilicae S. Salvatoris ac subinde tali die ex ap. concessione assignatum fuit 10. Novb. Off. s. Andreae Ap. pro Ecclesia uni-

versali. Quaeritur: an in praedicta die 10. Novb. recitari debeat Officium s. Andreae vel Dedicationis Bas.? S. C. resp.: Pro Cathedrali Sebatensi, firmo remanente sub die 10. Novbr. Officio Dedicat. Bas., ipsi jam pridem assignata, ad aliam diem non impeditam transferatur Officium s. Andreae Ap. postea concessum. n. 4142 die 11. Maji 1743.

c) Vaticanae.

(Vesperae.)

Vd.: *Dedicatio Basil. Lateran.* (vesp.)

2) Ecclesiae.

a) Unacum altari majori.

Vd.: *Dedicatio Eccles. et dies incerta* (decr. n. 4688 nota).

Debet cum *ipsa Ecclesia* omnino consecrari *altare majus*, nam istud est principale, et si hoc tantum sit in Ecclesia, sufficit; alia vero accesoria, pro quibus datur consecratio distincta sine Ecclesiae consecratione. n. 2343 ad 2 die 19. Sept. 1665. Cf.: *Consecratio altaris* (Mensa ex plurib. lapid. etc. decr. n. 4966.)

Fesulan.

Rme. Domine uti Frater . . . Prudenti quidem consilio A. T. in exequenda Consecratione duarum Ecclesiarum Parochialium istius Fesulanae Dioecesis non acquiescens opinioni eorum, qui autumabant exequi posse consecrationem ipsam absque Dedicatione altaris a Pontificali Romano et a Decretis omnino requisita, una cum Ecclesiis Altaria etiam dedicavit. Quum vero Litteris datis hoc ipso vertente Anno XV. Kal. Aug. S. R. C. sententiam Amplitudo Tua requirat, eique sequens Dubium expendendum proponat: An Ecclesia antea per simplicem Ritualis benedictionem ad Divini Cultus servitium apta reddita, cujus Altaria ad incruentum super iisdem litandum Sacrificium absque consecratione Lapide tantum sacrato sunt communita, possit licite consecrari, quin eodem tempore Altare consecretur? Et quatenus affirmative: qui ritus hac in caeremonia servandus? S. eadem C. in Ordinario Coetu hodierna die coadunata ad Vaticanum, ad relationem infrascripti Secretarii, proposito Dubio negativam responsionem dandam censuit, ac in Ecclesiarum consecratione Altaris omnino Dedicationem juxta Pontificalis Romani regulam et ad Decretorum praescriptum requiri declaravit. Quod dum Amplitudini Tuae aperio, diu felix et incolumis vivat. n. 5204.

Die 12. Aug. 1854.

Rmo. Domino uti Fratri
Episcopo Fesulan.

Estne Ecclesia dedicata, si altare majus non rite fuerit consecratus? Vd.: *Consecratio altaris* (Mensa ex pluribus lapidib. decr. n. 4966).

b) Assignatio diei anniversarii.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae et dies Dedicat. incerta* (praecipue decr. n. 4688 nota) *Dedicatio Eccles.* (Transl.; decr. n. 2343; 2873; 3777; 4300).

c) Celebrans.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (Vigil. decr. n. 4742).

d) Celebratur a populo.

Ad dubium: An, si Ecclesia consecretur die feriali, sitne festum observandum in populo tali die cum obligatione in hujusmodi loco abstinendi ab operibus servilibus et audiendi s. missam? S. C. resp.: *Negative.* n. 4400 ad 3 die 29. Julii 1780.

Dum Episcopus in Consecratione Ecclesiae non elegerit diem sed consecravit eam die etc. Mensis etc., annivers. Dedicat. debet celebrari in futurum die, quo hactenus consuetum est celebrari. S. R. C. 20. Novemb. 1662.

e) Non celebratur.

Ad dubium: An diruta et solo aequata Ecclesia Matrice dedicata teneatur Clerus quotanis ad Officii celebrationem de dicta dedicatione cum octava, quamvis in alio situ dein matrix Ecclesia constructa fuit, cui Clerus inservit? S. C. resp.: Negative. n. 4516 ad 1 die 15. Sept. 1815.

Ad dubium: An Clerici Regulares S. Pauli civitatis Cherii, Episcopalis Cathedrae honore destitutae, Ecclesiam nacti nulla adhuc sol. consecratione decoratam, ad aliquod celebrandam Dedicationis Ecclesiae Officium teneantur? S. C. resp.: Non debere Officium peragere Dedicationis propriae Ecclesiae, quae non est consecrata. n. 4463 ad 1 die 21. Mart. 1795.

Cf.: *Ecclesia benedicta* (Off. annivers. etc.)

Ad dubium: Si alicui Ecclesiae consecratae nullus Clerus sit addictus, debet aut potest Clerus Ecclesiae Parochialis, intra cujus fines Ecclesia illa existit, recitare Officium Missamque celebrare in Anniversario dedicationis Ecclesiae cum Octava? S. C. resp.: „Juxta Decretum in una Urbis diei 5. Octobris 1679. „Negative“. n. 4669 ad 35 die 12. Novb. 1831.

f) Circuitus.

Vd.: *Jejunium*; *Dedicatio Eccles.* (Consecrator.)

Quando in Dedicatione aut reconsiliatione Ecclesiae eam circumdari impossibile est, circumdetur Ecclesia eo modo, quo commode fieri potest. n. 99 ad 1; die 30. Sept. 1596.

Potest Ecclesia consecrari et circumdari per illas partes, in quibus est aditus. n. 2343 ad 1 die 19. Sept. 1665; n. 2986 die 13. Junii 1682.

Licentiam Ecclesiam ob multa impedimenta circuitionis etc. consecrare eo modo, quo melius fieri potest, concedi posse, dummodo in omnibus, quantum fieri licet et permittitur, Episcopus in Consecratione Ecclesiae se conformet regulis et rubricis Libri Pontificalis. n. 248. die 17. Julii 1604; n. 277 die 24. Sept. 1605; n. 3219 die 10. Junii 1690; n. 3226 die 16. 15. Julii 1690; n. 3267 die 8. Mart. 1692.

Discretioni et prudentiae Episcopi remittendum, ut (dictam) Ecclesiam consecrare possit et valeat, etiamsi illam undique ob impedimenta (aedificiorum illi adhaerentium) circumdare non valeat, dummodo ab ea parte, quae circumdari potest, circumdetur, et quantum fieri potest et licet ritus et caeremoniae in Pontificali praescriptae serventur et adhibeantur. n. 392 die 27. Sept. 1608; n. 744 die 12. Junii 1628; n. 1723 die 22. Aug. 1624; n. 3594 die 13. Aug. 1701.

g) Consecrator.

Consecrationem Ecclesiae Sacerdotis Jesu Audomaren. spectare ad Episcopum Dioecesanum, nisi Abbas Monasterii S. Bertini Ord. s. Benedicti privileg. s. sedis apost. habeat speciale, quod Episcopo tenetur exhibere. n. 2686 die 14. Apr. 1674.

Oppiden.

Quum Rmus. Oppiden. Ep. praenoscat ob gravem suam aetatem non sine considerabili valetudinis dispendio per-

ficere haud posse juxta formam in Pont. praescriptam imminentem Consecrationem novae suae Cath. Eccl., ac proinde SSmum. D. N. Gregorium XVI. P. M. enixe rogarit Indultum hanc ipsam S. Caeremoniam exequendi duobus consecutivis diebus; S. S., referente subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia ita annuit benigne ut uno eodemque die peracta omnino consecratione Eccl. et Altaris maj. ab ipso Ep., poterit per alium Sacerdotem Missa celebrari, qua finita Ep. solemniter Populum benedicet, Indulgentiam publicabit, et diem anniversariam ad recolendam consecrationem assignabit. Alia vero die quacumque consecrari poterunt caetera Altaria, strictim servatis omnibus a Pont. Rom. praescriptis. Contrarium quibuscumque disponentibus minime obstantibus. die 24. Maji 1844 n. 4976.

h) Cruces in pariete.

Vd.: *Lumina in cruce in pariete posita.*

Ad dubium: An duodecim cruces, quae in solemni dedicatione Ecclesiae pinguntur in pariete et ab Episcopo consecrante s. Chrismate liniuntur, expleta consecratione possint evelli, si sint factae ex marmore aut deleri, si sint depictae? S. C. resp.: Omnino perpetuis in futuris temporibus remanere debere. n. 3382 die 18. Febr. 1696.

Sanctimonialium
Sacri Cordis Jesu.

Quanam de causa factum sit prorsus ignoratur, sed reapse in parietibus Ecclesiae SSmae. Trinitatis ad Montem Pincium in Urbe XIV Cruces depictae apparent, peractam consecrationem Ecclesiae ipsius repraesentantes. Verum quum id contra Rubricarum et Pontificalis praescriptum actum fuerit, Sanctimoniales Sacratissimi Cordis Jesu adjectum asceterium incolentes, ne inconveniens istud diutius perseveret, S. R. C. rogarunt enixe, ut definire dignaretur quid in casu sit agendum. Et S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem subscripti Pro-Secretarii respondendum censuit: „Duas Cruces ex lateralibus esse tollendas, salvis remanentibus positis in Presbyterio, et prope portam principalem". Atque ita servandum praecepit. n. 5178 die 25. Septemb. 1852.

i) Cruces dirutae renovantur.

Vd.: *Dedic. Eccles. et dies incerta* (decr. n. 4688 nota).

k) Dedicatio Ecclesiae et dies Dedicationis incerta.

Cf.: ***Ecclesia benedicta*** (Off. etc.) *Dedicat. Cathedr.* (oblig. etc. decr. n. 4559); ***Dedicatio Ecclesiar. omnium*** alicujus Ordinis (decr. n. 4821). Ded. (transl. decr. n. 2343; 2873).

Cum de *die* dedicationis Ecclesiae liquido non constet et Ecclesia parochialis sit dedicata b. Michaeli Arch. et verisimiliter credatur illam fuisse consecratam in die dedicationis ejusdem b. Michaelis Arch. et sit consuetum, dictam diem solemnizari cum Officio duplici et Octava, resp. S. C.: Archipresbyterum satisfacere celebrando juxta consuetum Officium cum octava in festo dedicationis s. Michaelis Arch. n. 389 die 14. Junii 1608.

Non potest celebrari festum Dedicationis illius Ecclesiae, quam *certum est* non fuissse consecratam, immo neque si est *dubium*. n. 826 ad 1 die 18. Aug. 1629.

Potest Episcopus extra actum Consecrationis constituere *diem* celebrationis festo consecrationis Ecclesiarum

quando certa *dies* ignorabatur, *dummodo constaret fuisse consecratas*, sed festum Consecrationis Ecclesiarum, praeterquam Cathedralis, celebrari debere *in ea tantum Ecclesia*, cujus dies festus Consecrationis peragitur. n. 826 ad 2 die 18. Aug. 1629.

Cum ignoretur *dies* Consecrationis Ecclesiae, Episcopus constituere debet ex nunc certum diem, qui deserviat quatannis pro Consecratione Ecclesiae n. 1001 ad 4 die 19. Aug. 1634; n. 1256 die 21. Aug. 1640; n. 4300 ad 2 die 3. Mart. 1761.

Festum dedicat. Eccles., cum sit ex solemnioribus, celebrandum esse eadem die, qua venerit. Posse tamen Episcopum Ord. eidem diem assignare suo arbitrio, si *diem* certam non habuerit, qua semel electa, hujusmodi festum amplius non esse variandum. n. 2675 die 3. Mart. 1674.

Ad dubia: 1. an licite continuari possit Officium et Missa Dedicationis Ecclesiarum Congregationis s. Pauli I. Erem. Montis Ossae, in I. die Sept. *per capitulum gen.* assignata? Et quatenus negative, 2. an locus sit novae concessioni ejusdem Officii et Missae pro die I. Sept.? S. C. resp.: ad 1: *Negative*; ad 2: Quatenus constet de Consecratione, saltem Ecclesiae Monasterii primarii totius Congregationis n. 4397 die 22. Apr. 1780.

Patribus Soc. Jesu exponentibus diem dedicationis Ecclesiae celebratam fuisse retroactis annis in die Pentecostes et postmodum intermissam dictam celebrationem dedicationis, resp. S. C.: „Certum diem per Episcopum esse eligendum, qui semel electus amplius mutari nequeat pro Anniversario Dedicationis Ecclesiae". n. 1353 die 11. Novb. 1641.

In quo die solemnitas Dedicationis Ecclesiae fieri possit, cujus dies festivitatis ignoratur, sed quam dedicatam esse sub invocatione B. V. M. constat? S. C. resp.: Celebrari posse in die Asumptionis B. V. M. n. 1703 die 2. Maji 1654.

Ad Propositionem: ex certis signis haesitari non posse, quin olim fuerit consecrata Ecclesia s. Francisci Ariminen., verum ignorari penitus diem actae Consecrationis, propterea supplicari diem assignandum; S. C. resp.: Modo Vicarius general. Episcopi absentis non haesit et de veritate narratorum, ejusdem arbitrio diem in posterum semper retinendam, *extra tamen Adventum et Quadragesimam* indulgendam. n. 2053 die 12. Junii 1660.

Assignatio diei Dedicationis Ecclesiarum, quarum *Dedicatio* ignoratur, spectat ad S. R. C. n. 2419 ad 7 die 13. Aug. 1667.

Non licuisse neque licere celebrare festum Dedicationis Ecclesiae s. Crucis Varsavien. Dominica in albis, prout ex abusu introductum fuit; neque licuisse et licere Ordinario ad aliam dominicam transferre et proinde, *auctoritate apost.*, transferendum esse ad aliam dominicam proximiorem. n. 2427 die 19. Novb. 1667.

Ad dubium Congreg. s. Benedicti Vallisolet.: an Ecclesiarum Congregationis certo non consecratarum, vel de quarum consecratione dubitatur, Officium dedicationis earum ab immemorabili recitari consuetum, continuari posse? S. C. resp.: Quoad Ecclesias *certo non consecratas negative* et ad mentem. Mens autem est, ut quatenus constat de consecratione Ecclesiae Monasterii primarii Congregationis Vallisol. Officium de illius Dedicatione recitari possit in aliis Ecclesiis ejusdem Congregationis, quae non habent seu habere nequeunt diem assignatam pro Officio propriae Dedicationis. Quoad Ecclesias vero, de quarum Consecratione dubitatur, stante asserta imme-

mor. consuetudine nihil innovandum. n. 4396 die 22. Apr. 1780.

Ad dubium: An expediat assignare aliam diem Festo Dedicationis Ecclesiae S. Vincentii et Anastasii ad aquas salvias, ut celebrari possit cum Octava, cum in praesens ex antiqua consuetudine agatur in Feria V. post Dominicam Passionis? Et quatenus affirmative, supplicatur pro assignatione diei. S. eadem R. C., referente Emo. et Rmo. D. Card. Livizzani, exquisita sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, quae typis etiam fuit evulgata, rescripsit: „In omnibus, juxta sententiam ejusdem Magistri caeremoniarum", cujus libellum tradi Oratori pro norma mandavit; ejus autem summa haec est:

„Affirmative assignata imposterum die 6. mensis Septembris, vel 21. Octobris Festo Dedicationis Ecclesiae S. Vincentii et Anastasii ad aquas salvias".

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4471 ad 6 die 10. Septembris 1796.

Cum in parietibus antiquae Ecclesiae S. Joannis Baptistae sitae prope moenia Terrae Campiliae in Dioecesi Massae Populoniae multae depictae sint Cruces, ex quibus aperte patet dictam Ecclesiam consecratam fuisse; cumque dies festivus consecrationis illius Ecclesiae ob lapsum tanti temporis ignoretur: propterea ex parte Plebani et Cleri supradictae Terrae pro facultate imposterum celebrandi die 22. Octobris Officium diei Festi Dedicationis praedictae Ecclesiae cum octava S. R. C. humillime supplicatum fuit.

Et S. eadem R. C.: „Gratiam juxta petita, pro die tamen ab Ordinario designanda, et nunquam immutanda, Oratorum instantiae annuendam esse censuit". n. 3899. die 17. Aprilis 1717.

Cum ex parte Praepositi Ecclesiae paroch. Viveroni Dioeces. Vercellen. supplicatum fuerit pro assignatione diei festi Consecrationis illius Ecclesiae, quia ob longum temporis lapsum, quamvis in parietibus Ecclesiae plures adhuc existent Cruces ipsius consecrationem indicantes, penitus ignoretur. S. C. resp.: Petitam assignationem pro die ab ipso Episcopo semel designanda et nunquam in posterum mutanda, concedendam esse censuit. n. 4032 die 12. Mart. 1735.

Ordinis Sancti Hieronymi Vallis de Hebron Dioecesis Barchinonen.

Eminentissimi Patres: Fr. Emmanuel Fonitsere Monachus professus, Caeremoniarum Magister Regalis Monasterii Divi Hieronymi Vallis de Hebron Dioecesis Barchinonensis Sacrae Rituum Congregationi humillime exponit, a tempore immemorabili festum celebratum fuisse recitatumque Officium Dedicationis Ecclesiae supradicti Monasterii usque ad annum 1807, quo tempore, quum subortum fuerit dubium, utrum praedicta Ecclesia esset consecrata aut benedicta tantum, omissa est illius festivitatis celebratio. Ambigendi occasio inde sumpta est, quod nulla Crux, nullum aliud signum in Ecclesia videatur, unde inferri valeat illam fuisse consecratam. Verum praeter allatam consuetudinem, quod non leve argumentum praestat, ut Ecclesia credatur consecrata, exstat quoque hujusce rei aliud testimonium in quodam libro perantiquo manuscripto et caute custodito, ubi notatur ac legitur: traditos fuisse sexaginta solidos Reverendissimo Domino Episcopo Rodenicopolis ob Ecclesiae consecrationem: quae tamen ultima verba ambigentes opinati sunt per errorem aut inscitiam scriptoris in praedictum librum irrepsisse, adeoque legendum: *benedictionem,* non: *consecrationem.* Post-

modum anno 1829 consulti sunt super hac re duo Vicarii Ecclesiastici Civitatis Barchinonensis, iisque in Rubricis et Sacris Ritibus peritissimi, qui omnibus perpensis scrupuloseque examinatis censuerunt: praedictum Festum haud rite fuisse omissum, ideoque rursus celebrandum ac prosequendum in posterum tum ob consuetudinem antiquissimam et immemorabilem recitandi de eo Officium, tum quia nullum apparet monumentum evidenter ostendens dictam Ecclesiam non fuisse consecratam: quinimo probabilius judicandam esse talem ob probationes adductas. His expositis quaeritur:

1. Utrum possit necne celebrari in futurum Festum dedicationis suae Ecclesiae ac recitari Officium a Patribus Hieronymianis Monasterii Vallis de Hebron?

2. Utrum Capitulum Generale Ordinis facultatem habuerit diem indicendi pro hoc festo celebrando, quod fecisse videtur Capitulum Generale anni 1591 designans diem XIV. Julii cujusque anni pro hujus festivitatis celebratione?

3. In casu, quo Capitulum Generale praedicta caruerit facultate, ac aequum visum fuerit Eminentiis Vestris, ut istud Festum quotannis ut antea celebretur, humiliter Eminentiis Vestris supplicatur, ut eamdem diem XIV. Julii pro celebratione dignentur designare.

Sacra autem Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, diligenterque examinata, rescribendum censuit: Negative in omnibus n. 4688; die 7. Aprilis 1832.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Ea, quae excitare dubium possunt, an aliqua Ecclesia sit consecrata, in signorum praesertim defectu sita sunt, quae in ipsa Ecclesia apparere debent, licet alia etiam esse possint, quae in idem dubium adducunt. Existentibus signis, nullum de illius consecratione dubium exoritur. At si haec deficiant, puta si Cruces in parietibus non extent, si desit Altare lapideum fixum ac stabile, cujus mensa continua non interrupta planities sit, tale enim esse debet, ut possit illud consecrari, et Ecclesia non consecretur sine Altaris alicujus consecratione simul: nam hujus consecratio necessario peragi debet in Ecclesiae consecratione (quum pro hoc Ecclesia consecretur, non vero illud pro Ecclesia), si scriptura desideretur, quae de consecratione peracta testetur; si testes fide digni non habeantur aliaque hujusmodi, de illius tunc consecratione jure potest dubitari, immo concludi rationabiliter poterit, illam non fuisse consecratam, adeoque Dedicationis Festum nequit celebrari et omittendum erit, si illud vel ab antiquo tempore fuerit per errorem celebratum. Praesumptio autem ob quam illius Festum celebratum fuit, nempe peractae consecrationis, nullius momenti haberi debet, nec valet contra signorum aut cujusque certi indicii defectum, quae necessario requiruntur, ut Ecclesia aliqua consecrata credatur, *et praesertim Cruces*, quae si in parietibus aliquando exaratae fuissent, vix umquam evenire potest, ut illae penitus eradantur aut vetustate ita deleantur, ut aliquod saltem de illis vestigium non supersit, aut etiam ad indicium peractae consecrationis iterum, si aliquantulum deperierint, *non pingantur aut sculpantur, vel alio quovis modo non renoventur*, nequit enim tanta incuria et negligentia in illis supponi, qui Ecclesiis praeficiuntur, aut in illis, ad quos vel jure patronatus vel alio quocumque titulo Ecclesiae spectant.

Jam vero quando rationabile exoritur dubium de alicujus Ecclesiae consecratione, jus statuit, eam absque ulla dubitatione esse consecrandam. *Sic Can. Ecclesiae de consecratione dist. 1 ita judicant in Panormitana cap. Proposuisti de consecratione Ecclesiae vel Altaris: Silvester verbo Consecratio num. 4. Azor prima parte lib. 10 cap. 26 quaest. 12* et rationem affert Glossa ibidem: *quod non apparet, dicitur non esse.* Hoc est etiam juxta Sacrorum Rituum Congregationis decreta.

Quemadmodum itaque consecranda est Ecclesia, de hujus consecratione rationabiliter et jure dubitatur, sic etiam de eadem Ecclesia nequit fieri Dedicationis Officium. Hoc non semel a Decretis Sacrorum Rituum Congregationis statutum fuit, ut quisque videre facile poterit in hac ipsa Authentica Collectione, praesertim in *Alexandrina sub die 18. Augusti 1629 et in Vallisoletana in Hispaniis sub die 22. Aprilis 1780.* Omittendum autem erit, si de ea peractum fuerit Festum: sed rationabiliter et jure de consecratione Ecclesiae, de qua agitur, dubitatur: Concludendum itaque est Officium de illius Dedicatione omnino omitti debere.

Neque in casu nostro aliquid ponderis habet, quod asseritur, fuisse nempe et ab immemorabili tempore illius Dedicationis Festum celebratum; quod tamquam praescriptionis argumentum ad finem obtinendum, in medium profertur. Nam celebratio immemorabilis hujus Festi non alia ratione inducta fuit, nisi quia praesumebatur illam Ecclesiam esse consecratam. Sed inanis est haec praesumptio, nec ullo certo nec probabili quidem fundamento innititur; et si res attentius consideretur, contrarium probari potest, et quidem ex iis ipsis, quibus tanta est cura, ut dedicationis Festum celebretur, quod exortis dubiis postmodum omissum fuit. Sane in secundo Dubio quaeritur: *Utrum Capitulum Generale habuerit facultatem diem indicendi pro hoc Festo* (dedicationis) *celebrando, quod videtur fecisse Capitulum Generale Anno 1591 designans diem XIV. Julii cujusque Anni pro hujus Festi celebratione?* Ad examen dubii verba parumper revocemus. Patet ex his Generale Capitulum diem indixisse pro Festo dedicationis celebrando. Jam quando hoc indixit, aut ipso consecrationis die, aut postea? utroque in casu haec non ipsi erat facultas, sed Episcopo ipsi consecranti, et ipso consecrationis die, ut ex Pontificali Romano eruitur: in primo casu et in secundo nec eidem etiam Episcopo, inconsulta Apostolica Sede, si diem jam statutum immutaverit. At nulla prorsus mentio de Episcopo; dicendum itaque diem pro Dedicationis Festo et Officio non fuisse ab Episcopo adsignatum. Si hoc, jam sequitur nedum suspicando, sed veritati adhaerendo hanc Ecclesiam non fuisse consecratam, sed benedictam tantummodo ut ab iis contenditur, qui hujus Festi celebrationi adversantur, ac proinde *Consecrationem* loco *Benedictionis* aut Scriptoris inscitia, aut unam cum altera voce, unam cum altera actione confundendo per errorem irrepsisse in scripturam. Non enim est verisimile Episcopum consecrantem non indixisse pro Festo dedicationis celebrando diem, si vere Ecclesiam ipse consecrasset; dicendum proinde, omnibus perpensis, Episcopum Ecclesiam benedixisse tantum, et hanc ob rationem ab eo nullum adsignatum fuisse diem pro Festo celebrando, quia de sola Ecclesiarum benedictione nulla facienda est memoria, nedum Festum celebrandum est. Hinc Capitulum Generale minus recte se gessit diem statuendo

ut supra, ac perperam usque ad Annum 1807 Dedicationis memoratae Ecclesiae Festum celebratum fuit sola peractae consecrationis nuda praescriptione attenta, quae nullo erat fundamento innixa. Quocumque se vertant qui pro Consecratione ejusque Festi celebratione contendunt, nihil invenient quod eis possit favere, et idcirco persuadere sibi debent de hoc Dedicationis Festo nihil omnino faciendum esse; neque attendendum quod ab immemorabili, ut asseritur (sine tamen ratione), peractum est, et a Capitulo Generali male et sine ulla facultate praedictus pro hoc Festo celebrando dies fuit adsignatus.

l) Dies.

Vd : *Dedicatio Ecclesiae* (Translatio).

m) Dies annivers. ab Episcopo destinatur.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Consecrator; decr. n. 4976.); *Dedicatio Eccles. et dies etc. incerta*; *Dedicatio Ecclesiae* (Transl.; decr. n. 2343; n. 2873; 3777; 4300; *Dedicatio Eccles.* (Mutatio etc.; celebr. a populo).

Dedicationis festum extra actum Consecrationis non potest amplius mutari ab Episcopo inconsulta sede apost. S. R. C. 16. Oct. 1604.

n) Dies octava.

Utrum transfer. est dies octava? Vd.: *Rosarium* (decr. pro Cathedr. *Conchen.*)
Vd.: *Praesentatio B. V. M.* (decr. n. 3897).

In die octava Dedicationis lectiones 1. n. sunt de communi. n. 4119 ad 12 die 2 Sept. 1741.

Ex parte fratr. Capucin. Conventus Aquaenigrae Dioeces. Mantuanae S. R. C. supplicatum fuit, quatenus ob occurrentiam diei octavae Dedicationis eorum Ecclesiae cum festo s. Annae in posterum transferri benigne concedere dignaretur; et S. C. resp.: Festum dedicationis minime transferendum, sed faciendum esse Officium s. Annae cum commem. diei octavae dedicat. n. 3931 die 15. Julii 1719.

o) In honorem alicujus Beati.

Vd : *Beati.*

p) Interruptio.

Cum Episcopus quidam circa medium Consecrationis Ecclesiae, improviso accidenti correptus defecerit et Consecrationem perficere non potuerit, S. C. ad dubium de hac re resp.; Considerando, quod Consecratio Ecclesiae maxime consistit in inungendis s. Chrismate duodecim crucibus per Ecclesiam et in proferendis illius verbis: *Sanctificetur et consecretur hoc templum in nomine* † † †, quae cruces adhuc ab Episcopo non fuerint inunctae, Consecrationem Ecclesiae *de novo et a principio* ab Episcopo inchoandam et continuandam esse usque in finem. n. 486 die 12. Apr. 1614.

q) Lectiones.

Ad dubium: An in Officio Oct. Dedicationis Eccl. Lectiones repetendae sint ex die festi, etiam quando lectae non fuerunt quae habentur intra Oct.?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Servetur pecul. rubrica".

Atque ita rescribere, ac proposita Dubia declarare existimavit. n. 5064 ad 4 die 27. Febr. 1847.

In die octava dedicationis semper sunt repetendae lect. I. n., quae jam lectae fuerunt in I. n. officii de ipsomet festo Dedicationis (Rubr. Brev. de lect. n. 9) S. R. C. 5. Maii 1736 *in Einsidlen.*

Vd.: *Lectiones in dedicat. Eccles.*

Ad dubium: Cum diversa opinentur circa designationem Lectionum

III. Nocturni in Octava Nat. S. Joannis Baptistae, et in die pariter Octava Dedicationis Ecclesiae, siquidem alii dicant sumendas esse de II. die, alii de IV. die infia Octavam, quaeritur: quae certa indubiaque regula servari debeat? Emi. itaque ac Rmi. P. . . . respondendum censuerunt:

„Servetur Rubrica peculiaris Breviarii Romani, adeo ut quando nullae Lectiones intra Octavam sint lectae, in die octava legantur ut in II. die: quando vero omnes fuerint lectae, in Octava erunt ut in Festo".

Atque ita rescripsere ac servandum omnino mandarunt. n. 4787 ad 5 die 27. Aug. 1835.

r) Missa.

I. In ipsa die Dedicat.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (Consecrator); *De Secreta Missae dedicat.* cf.: *Dedicatio Eccles. Omn.* (decr. n. 4749.)

Ubi nulla alia sit Ecclesia vel Capella Parochus aut Sacerdos celebret post peractam Consecrationem; sin minus ea die se abstineat a Missae celebratione et populus audiat Sacrum ab Episcopo decantandum; et missam non esse (a sacerdote) celebrandam de dedicat. Ecclesiae sed de feria vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Calendario. n. 4400 ad 6 et 7 die 29. Julii 1780.

II. In Orator. Ecclesiae parochiali subjectis.

Ad dubium: An die Consecrationis vel Tituli Ecclesiae paroch. et non Cathedralis per octavas possit celebrari Missa Dedicationis vel Tituli sub eodem ritu dupl. ac in parochiali, etiam in Oratoriis eidem Ecclesiae paroch. subjectis, in quibus de facto multi Sacerdotes celebrant ut in parochiali? S. C. resp.: negative. n. 3814 ad 2 die 17. Aug. 1709.

s) Mutatio diei Dedicationis.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae et dies incerta.*

Ad dubium: Quaeritur, an Episcopus licite possit extra actum Dedicationis Ecclesiae immutare diem anniversarium dedicationis ejusdem, praecedenti decreto jam constitutum et confirmatum, eo quod experientia demonstravit Oppidanos parochiae non posse ad Ecclesiam convenire ob impedimentum illa ipsa die quotannis incidens? S C. resp.: Negative n. 4735 ad 1 die 6. Sept. 1834.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Dies ipse, quisquis is sit, quo Ecclesia quaevis consecratur, verus est et proprius Dedicationis dies, et ipse dies, qui ab illius dedicatione primitus peracta singulis quibusque annis recurrit, proprius est et verus pariter dies anniversarius ejusdem dedicationis, eodem plane modo, quo dies Sancti alicujus natalis ille dicitur, qui ab illius ex hac vita in Coelum transitu in Calendario censetur: unde sicut dies natalis Sancti alicujus *ordinarie* non mutatur, ita nec dedicationis Ecclesiae proprius et verus recurrens dies in alium mutari nequit, nisi ab ipso Consecrante justa de causa, sed actu ipsius consecrationis; (verum hoc vere loquendo, non esset vera et stricta, et quomodo in dubio exponitur, mutatio, sed potius assignatio diei ab illo, quo Ecclesia consecratur, diversi). Itaque, extra ipsam consecrationem mutari dies dictus non potest, inconsulta Sede Apostolica, quae quidem difficillime et nonnisi gravissimis mota rationibus ad id concedendum inducitur, de quo unum vel alterum reperiri poterit exemplum. Si Decretorum S. R. C. seriem pervolvamus, inveniemus S. hanc Congregationem hanc mutationem pene semper

improbasse, et si quandoque concesserit ob peculiares rationes, semper etiam aliam mutationem prohibuisse, omnemque praecavisse, quae dari fortasse posset, Episcoporum nimiam libertatem, speciali apposita clausula. Ut res exemplis pateat S. R. C. facultatem quidem fecit Episcopo Recanatensi assignandi certum diem pro anniversario consecrationis Ecclesiae Cathedralis; at in casu particulari, a quo non infringitur universalis regula; hanc enim ei facultatem dedit, quia constabat quidem de Consecratione peracta, sed dies in ipsa consecratione assignatus pro illius anniversario ignorabatur; hac tamen apposita lege, quod certus dies electus amplius mutari nequiret; sic respondit sub die 12. Martii anni 1640. In una pariter Recanatensi simili ferme in casu supplicantibus PP. Societatis Jesu pro assignatione alterius diei ad celebrandum Consecrationis propriae Ecclesiae anniversarium per aliquot annos celebratum in die Pentecostes et postmodum intermissum, S. R. C. respondit (die 11. Nov. 1641): diem certum per Episcopum statuendum esse, sed addidit, *qui semel* electus amplius non possit mutari. Hic autem est advertendum, quod pro concessione, de qua hic agitur, peculiaris etiam occurrebat ratio, nam per aliquot retroactos annos consecrationis anniversarium in die Pentecostes celebratum fuerat, qui dies ex iis est, quibus ex Rubricis interdicitur omnis celebratio alterius Festi, atque ideo etiam celebratio anniversarii dedicationis Ecclesiarum, et per hoc ipsum est, quod hic aliique hujusmodi dies pro Ecclesiarum consecratione minime sunt eligendi. Item in Bituntina reperitur S. R. Congregationem similiter respondisse, nam cum Capitulum exposuerit quod antiquitus ab immemorabili celebratum fuerit Officium Consecrationis Ecclesiae sub die 4. mensis Maji, et anno postmodum circiter 1679. Episcopus ad alterum diem, consecrato Altari majore ejusdem Ecclesiae, praefatum dedicationis Officium transtulerit, nempe ad diem primam Septembris *contra Decreta* S. R. C. et supplicarit (Capitulum) declarari, an dicta translatio deberet sustineri, vel potius remitti in praedictam diem 4. Maji, S. R. C. respondit *negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Ex quibus omnibus responsionibus, ut cetera omittantur, quae adduci adhuc possent, eruitur diem semel assignatam pro anniversario dedicationis Ecclesiarum celebrando mutari non posse, nec in facultate Episcoporum esse, inconsulta S. Sede, hanc mutationem inducere, ac proinde Sacram Congregationem, data ut supra responsione, leges et ritus sapienter statutos, et certis validisque principiis et regulis innixos voluisse tectos sartosque manere, pro quibus tuendis ipsa est constituta.

t) Nomen Sancti.

Vd.: *Imago non Titularis ponenda in altari collat.* (decr. n. 4793 nota).

u) Officium.

I. Obligatio Cleri saecul.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (non celebranda; Officium, a quo tempore etc.; quod?)

Archipresbyter nuncupatus Congregationis Ecclesiae S. Mariae Gratiarum Terrae Montis Tilotrani Dioeces. Auximanae dubitat: an Clerus dictae terrae posset vel debeat recitare Officium cum missa tam in die quam per octavam Dedicationis Ecclesiae matricis? S. C. resp.: Non teneri, nisi qui fuerint ipsius Ecclesiae servitio adstricti aut in eo aliquod Beneficium vel tenue possiderent. n. 4156 ad 1 et 2 die 16. Maji 1744.

Ad dubium: An festum dedicationis Ecclesiae SS. Annunciatae Castri celebrari posse cum octava non solum a Sacerdotibus hebdomadariis aliisque Ecclesiae inservientibus, verum etiam a Confratribus cujusdam Confraternitatis in dicta Ecclesia erectae et an octavam tenere debere etiam omnes Sacerdotes tam saec. quam regul. ob populi concursum? S. C. resp.: Negative quoad Confratres praedictos caeterosque sacerdotes tam saec. quam regul.; posse tamen Sacerdotes dictae Confraternitatis et alios quoscunque ex mera devotione in dicta Ecclesia illius se festo conformantes missam Dedicationis Ecclesiae celebrare. n. 3393 die 11. Julii 1696.

Ad dubium: An Officium Dedicationis vel Titularis alicujus Eccl. Parochialis recitandum etiam sit in Eccl. vel Oratoriis subjectis?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Juxta alias decreta a Clero Ecclesiae tantum".

Atque ita rescribere censuit et declarare. n. 5152 ad 3 die 29. Martii 1851.

CAMERINEN.

Rmus. Camerinen. Archiepiscopus sequens Dubium quum proposuerit S. R. C., nimirum: An Parochi, qui intra limites Parochiales habent Ecclesias filiales, quarum servitio Clerus non adest, de ipsis Ecclesiis recitare possint Officium, pariter recitare de S. Titularibus earumdem Ecclesiarum?

S. eadem C., referente infrascripto Secretario, rescripsit: Negative. n. 4783 die 27. Aug. 1836.

Festum Dedicationis aliarum Ecclesiarum a Cathedrali, celebrandum est tantum in ea ecclesia, ubi consecrationis dies peragitur. S. R. C. 19. Aug. 1629.

De Titulo et Consecratione Ecclesiae partic. etiam paroch., quae non est Cathedralis, non debet fieri Officium in die neque per octavam a sacerdotibus, quando non sunt dictae Ecclesiae Titulati vel saltem per Residentiam ipsius choro adscripti, licet sub eadem parochia degant. S. R. C. 17. Aug. 1709 *in Bergamen.*

II. Obligatio Episcopi.

Cum praescriptum sit dicendum esse Officium de dedicatione Ecclesiae in ipso die consecrationis a Clero illius Ecclesiae, quae consecratur, dubium est, utrum Episcopus consecrans etiam non Ordinarius loci, debeat dicere idem Officium? S. C. resp.: Negative quoad praeceptum, poterit tamen, si velit, ex congruentia. n. 4181 ad 8 die 7. Maji 1746.

III. Oblig. Regularium.

Vd.: *Dedicatio Eccles. omn. alicuj. Ord.* (decr. n. 4941); *Titularis princip.* (non oblig. ad Off.; decr. n. 5042); *Titul. Eccles.* (Oblig Regul. decr 24. Jan. 1682).

Ad dubium: Utrum Religiosi Carmelitarum Discalceatorum sive aliorum Ordinum, qui quocumque die infra Annum omnium proprii respective Ordinis Ecclesiarum dedicationem celebraverint, possint et teneantur propriae quoque Ecclesiae dedicationem celebrare, quum in Hibernia II. Dom. Oct. dedicatio omnium Ecclesiarum Hiberniae a Clero Saeculari celebretur?

Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi. . . rescribendum censuerunt: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum":

„Negative".

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt, die 16. Apr. 1842. n. 4941 ad 1.

Ad dubium: An Clerici Regulares S. Pauli civitatis Cherii teneantur

festum celebrare dedicationis Ecclesiae principalis ipsius civitatis Officio 2. cl. sine octava? S. C. Non posse Dedicationem Ecclesiae principalis Cherii celebrare. n. 4463 ad 2 die 21. Mart. 1795.

Ad dubium: An Regulares Dioecesis Verulanae teneantur recitare Officium Dedicationis Ecclesiae Veruli, quae occurrit die 1. Maji festo ss. Ap. Philippi et Jacobi? S. C. resp.: *Non teneri.* n. 3285 die 2. Aug. 1692.

IV. Quod?

Camaldulensibus Fanen petentibus: an die Dedicationis Ecclesiae eorum sub invocatione s. Salvatoris, quae simul occurrit cum Dedicatione Basilicae Lateran. pariter sub invocatione s. Salvatoris, diversum a dedicatione Basilicae Lateranens. Officium recitare teneantur? S. C. resp.: E Communi Dedicationis et Lectiones sumendas fore pro celebratione festi dedicationis propriae Ecclesiae et prima die secundum rubricas non impedita infra octavam ab Oratoribus recitandum esse Officium Dedicationis Basilicae Lateran. n. 1736 die 14. Novb. 1654.

Cum praeter propriae Ecclesiae dedicationem fieri debeat Officium Dedicat. Eccles. Cath., in Urbe cum octava, extra Urbem sine octava, quaesitum fuit: utrum extra Urbem in Ecclesia, quae propriam non habet dedicationem, fieri debeat octava Dedicationis Cathedralis? S. R. C. resp.: Negative. 10. Jan. 1693.

v) Probatio.

Consecrationem Ecclesiae probari concludenter ex signis deductis et signa probari per Testes *deponentes de visu.* n. 1001 ad 1 die 19. Aug. 1634.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae et dies Dedicationis incerta.*

w) A quo tempore celebrandum?

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Vigil.; decr. 4979, 4742 nota ad finem; Vesp. decr. n. 4400).

Ad dubium: Officium Dedicationis Ecclesiae particularis, quod ritu annuali cum Octava celebratur, debetne tam privatim quam publice inchoari a primis Vesperis pridie dedicationis cum Matutino ejusdem Festi, vel incipere tantum consecratione Ecclesiae facta, id est circumcirciter ad Horas minores? S. C. resp.:

„Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et a Clero tantum servitio Ecclesiae strictim addicto". die 23. Maji 1835 n. 4742 ad 1.

Incipiendum est Officium Dedicat. peracta Consecratione ab hora minori Tertia. S. R. C. die 7. Decb. 1844.

x) (Ecclesiae) restauratae.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae Cathedr.* (Translatio decr. n. 3755.)

y) Sepulchra.

Ecclesiae, in quibus Corpora mortuorum sepulta sunt, rite consecrari possunt, dummodo corpora sub altare majore sepulta non sint vel sub confessione, ubi Sanctorum Corpora et reliquiae s. locari debent. n. 326 die 7. Oct. 1608.

Cf.: *Altare* (super quo sunt cadavera etc.); *Sepultura* (juxta altare).

z) Tempus.

Ad dubium: an *post prandium* possint fieri reconciliationes et consecrationes, quas Pontificale rom. vult fieri ante prandium et jejunii? S. C. resp.: *Servari Pontif. roman.* n. 1632 ad 1 die 2. Mart. 1652.

aa) Translatio.

Vd.: *Epiphania* (octava); *Dedicatio Eccl.* (vesp. etc.) *Annuntiat. B. V. M.* (Off. decr. n. 4528); *Lectiones in dedicat.*; *Dedicatio Ecclesiar. omnium etc.*; *Occurrentia.*

Festum Dedicationis Ecclesiae paroch. de Caramb. celebrandum esse eo die, quo venerit, nec ob devotionem s. Joa. Bapt., eadem die cadentis, alterandam esse consuetudinem, sed devotioni satisfieri posse, celebrando duas missas, unam de dedicatione, alteram s. Joann. Bapt. n. 2472 die 23. Mart. 1669.

Quidam Fratres Capuccini, qui die 8. Sept. in festo Nativ. B. V. M. Officium et Missam de Dedicatione celebrare solent, petunt, ut eis liceat, hac die celebrare festum Nativ. B. V. M. cum commemoratione de Dedicatione. S. R. C. resp.: non esse ordinem adhuc servatum mutandum, sed festum Dedicat., cum sit ex solemnioribus, celebrandum esse ea die, qua venerit, cum commemorat. tamen Nativit. B. V. M. ipsa die et per totam octavam. Devotioni vero erga B. V. M. fratres satisfacere posse celebrando duas Missas Conventuales, unam de Dedicatione, alteram de B. V. M. n. 254 die 16. Oct. 1604.

Festum Consecrationis Ecclesiae cadens in *hebdomada majori*, fieri sine Octava juxta rubricas Breviarii romani. n. 782 die 20. Nov. 1628.

Festum Consecrationis Ecclesiae, cadens in *diebus privilegiatis*, ut in hoc casu est dies 2. Pentecostes, esse transferendum juxta rubricas Brev. romani. n. 1051 die 11. Maji 1638.

Festum Consecrationis Ecclesiae prius agendum ut dignius, festum vero Titularis transferendum in diem proxime sequentem. n. 972 die 15. Decb. 1632; n. 1842 die 15. Sept. 1657.

Moniales, exponentes festum Dedicationis concurrere cum festo s. Ludovici, quod ab ipsis celebratur sub ritu duplici, et cum octava s. Clarae, petunt translationem Dedicationis. S. C. resp.: Si Ecclesia est *consecrata*, Officium dedicationis fieri debere ipsa die Dedicationis; in reliquis servandas esse rubricas. n. 1012 die 9. Decb. 1634.

Ad petitionem: Ut S. C. confirmare dignaretur decretum Episcopi de celebranda dedicatione Ecclesiae Oppidi Rapelli die 6. Julii ob incertitudinem diei Consecrationis, licet modo de ea notitia habita fuerit ex authenticis scripturis, cum dicta dies Consecrationis coincidat in festo s. Bonaventurae a toto Ordine strictioris observantiae magna cum solemnitate celebrari consueto, S. C. resp.: Non suffragari decretum Episcopi, sed celebrandum esse in ipsa die, quando repertum fuerit Ecclesiam consecratam fuisse. n. 1605 die 13. Mart. 1649.

Ad dubium: Utrum, occurrente in *Dominica SS. Trinitatis* Anniversario Dedicationis alicujus Ecclesiae liceat Sacerdotibus in eadem celebrantibus Sacrum facere de Dedicatione? S. C. resp.: in festo SS. Trinitatis quoad *missas* servandas esse Rubricas de translatione festorum; quoad *Officium* vero transferendum illud de Anniversario Dedicationis et recitandum Officium de Trinitate utpote privilegiatum, ut in rubricis Breviarii de transl. festor. n. 1. In festis vero ss. *Apostolorum* quae celebrantur sub ritu dupl. 2 cl. et *similibus non privilegiatis* Officium et missam fieri de dedicatione et festum Apostolorum transferri ad primam diem non impeditam. n. 2873 ad 1 die 21. Jan. 1679.

Occurrente festo dedicationis Ecclesiae et festo *Apostoli aequalis ritus* fieri debet Officium de dedicat., translato festo apostoli. n. 4526 ad 9 die 7. Sept. 1816.

Dies Consecrationis potest transferri propter anniversarium in aliam diem

diversam ab illa, in qua facta fuit Consecratio, dummodo sit deputatus dies Anniversarii ab Episcopo in actu Consecrationis Ecclesiae. n. 2343 ad 3 die 19. Sept. 1665.

Dedicationis festi mutationem spectare ad Consecratorem in actu consecrationis, adeo ut extra ipsam non possit amplius immutari inconsulta sede apostolica. n. 2873 ad 2 die 21. Jan. 1679.

Occurrente eadem die Dedicatione Ecclesiae cum festo ss. Ang. Custodum festivitatem ss. Angel. transferendam esse. n. 3175 die 4. Decb. 1688.

Guardianus Min. Reform. exposuit, diem festum dedicationis Ecclesiae Conventus s. Mariae Sabin. occurrere cum altero s. Caroli infra Octavam Omn. SS. cadente; supplicavit declarari:

1. An reliquis diebus octavae Omn. SS. praeferri debeat Octava dedicat. Ecclesiae?

2. An dies festus s. Caroli transferri debeat ad diem sequentem?

S. C. resp.: ad 1: Praeferendam octavam Omn. SS. tamquam digniorem; ad 2: Festum s. Caroli transferendum esse juxta rubricas. (rubr. 10 de transl.) n. 3354 die 5. Mart. 1695.

Occurrente quotannis Festo Dedicationis Ecclesiae Oppidi Orserii Civitatis Algeren cum Festo B. V. M. Immaculatae ejusdem Ecclesiae Titularis, Capitulum et Canonici Collegiatae praedictae, ut tam dictum Festum Titulare Conceptionis cum toto orbe celeberrimum, quam alterum Dedicationis distinctis cultus et venerationis obsequiis et officiis celebrare possint, humiliter S. R. C. supplicaverunt pro facultate transferendi Festum Dedicationis ad diem 21. mensis Augusti.

Et S. eadem R. C. respondit: „Lectum". n. 3474 die 9. Julii 1698.

Capitulum Bituntinum exposuit: quod antiquitus ab immemorabili celebrat Officium Consecrationis Ecclesiae sub 4. Maji et cum anno circiter 1679 Episcopus in altera die, quae ignoratur, consecrato altare majore, transtulerit idem Officium Consecrationis ad diem primam Sept. contra Decreta S. R. C., demisse supplicavit declarare: an dicta translatio debeat sustineri vel potius remitti in diem 4. Maji? S. C. resp.: *Negative* quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 3777 ad 1 die 1. Oct. 1707.

Dedicatio Eccles. occurens cum festo Invent. s. Crucis, vd.: *Inventio s. Crucis*, (transl. decr. n. 4044); *Occurrens cum festo ss. Cordis Jesu*, vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. decr. n. 4579 ad 1 et 4579 ad 2); *Occurrens cum festo Titularis*, vd.: *Titularis* (transl.; decr. n. 1469; 1842); *Titularis* (fest. celebr.; decr. n. 3795).

Cum festum Dedicationis loci Trensi saepius impeditur a festo ss. app. *Petri et Pauli*, supplicavit parochus pro translatione. S. C. resp.: petitam translationem Dedicationis pro illis tantum annis concedendum esse, in quibus festum ss. app. concurrit cum dedicat. Ecclesiae. n 4258 die 30. Aug. 1755.

Episcopus diem assignabit pro celebratione festi dedicationis Ecclesiae, si perpetuo occurrat Dedicatio in festis primae class. ac propterea esset transferenda. n. 4300 ad 2 die 3. Mart. 1761.

JANUEN.

Interdum, veluti hoc ipso vertente Anno, Anniversarium Dedicationis insignis Colleg. Eccl. B. M. V. de Remedio in Civitate Januensi occurrit die 29. Jun., nimirum in solemnitate s. Apost. *Petri et Pauli.* Quum vero incertum sit quodnam ex duobus Officiis ritus dupl. I. Cl. cum Oct. transferri debeat, ex parte memoratae Eccl.

Capituli S. R. C. pro opportuna declaratione; sequentia exhibita fuerunt dubia, nimirum:

1. Quodnam ex duobus Officiis recitandum est die 29. Junii?

2. Ad quam diem transferendum aliud?

3. An Commemoratio S. Pauli Ap. remanere debeat die 30. Junii?

S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, postquam ad relationem Secretarii subscripti rite expendit eadem Dubia, rescripsit:

Ad 1. „De S. Apostolis".

Ad 2. „Ad primam diem liberam juxta Rubricas".

Ad 3. „Affirmative".

Atque ita rescribere censuit, et servari mandavit. n. 5155 die 29. Martii 1851.

Ad dubium: Utrum in die *Octava Solemnitatis Corporis Christi,* ubi celebratur cum privilegio ad instar Epiphaniae, faciendum sit occurrens Officium Dedicationis vel Tituli propriae Ecclesiae?

S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Affirmative, uti duplex I. Cl.". Atque ita rescribere censuit, et declarare. n. 5180 ad 9 die 25. Sept. 1852.

Ad dubium: Post novissima Decreta S. R. C., quae ad Officium Dedicationis Ecclesiae referuntur, utrum in occurrentia ejus in Festo *S. Martyris, Confessoris, Virginis aut Viduae ritu et per omnia aequali,* recitandum sit de Dedicatione cum praeferentia, vel de Sancto?

Emi. et Rmi. P. . . . rescribendum censuerunt:

„Affirmative quoad primam partem: negative quoad secundam, et dentur Decreta".

Atque ita S. C. rescripsit et servari mandavit. n. 5224 ad 2 die 14. Maji 1856.

bb) Vesperae.

Cf.: *Vesp. dimidiatae.*

Festo Dedicationis Ecclesiae cadente in diem 16. Aug. *primae* Vesperae decantari debent de Dedicatione. n. 1309 die 23. Mart. 1641.

Ad dubium: An in loco consecrandae Ecclesiae Officium de comm. Dedicationis Ecclesiae sit celebrandum a I. vesp. die praecedenti recitandis inclusive, seu potius inchoandum finita Consecratione in vesp. subsequentibus? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam; et eo casu Vesperas, Matutinum, Laudes et horas Consecrationem praecedentes, recitandas esse vel de feria vel de Sancto, prout praescriptum fuerit in Ordinario. n. 4400 ad 4 et 5 die 29. Julii 1780.

Concurrentibus 2. vesperis s. Petri ad Vincula dupl. maj. cum 1. vesperis dedicationis Ecclesiae s. Mariae Angelorum Totum de sequenti cum commem. tantum de praecedenti. n. 2988 ad 1 die 13. Junii 1682.

Ad Dubia:

1. An sub die 27. Martii 1779 in una Ordinis Minorum Observantium ab hac S. R. C. emanaverit Decretum: quod si concurrant secundae Vesperae S. Matthaei Apostoli cum primis Vesperis Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quae ab Regularibus celebratur sub ritu secundae classis, Vesperae debeant esse integrae de Dedicatione Ecclesiae cum commemoratione S. Matthaei Apostoli; ex quo Dedicatio Ecclesiae declarata fuit Festum Domini? Et quatenus affirmative;

2. An hujusmodi Decretum afficiat Ecclesiam universalem, id est, an omnes utentes Breviario Romano teneantur sese illi conformare?

3. An occurrens Festum Dedicationis Ecclesiae, etiam sub ritu duplici minori, qualia sunt Festa Basilicae Salvatoris et Basilicae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli cum duobus Festis ejusdem ritus dupl. min. vel dupl. maj., Festum Dedicationis Ecclesiae, utpote Festum Domini, debeat habere integras easdem Vesperas cum commemoratione concurrentis dupl. maj. vel min.? Et quatenus affirmative;

4. An idem servari debeat in die octava Dedicationis Ecclesiae ita, ut ex quo est Festum Domini, in paritate ritus habere debeat integras utrasque Vesperas? S. R. C. respondit ad 1.: Affirmative; (vd. decr. n. 4157) ad 2. 3. et 4. Provisum in primo. n. 4426 die 10. Mart. 1787.

Ad dubium: In Ecclesia B. V. M. Assumptae Colancae occurrente festo Assumpt. B. V. M. in 2. vesp. cum Dedicat. Ecclesiae praedictae supplicatum fuit declarari, quid agendum? S. C. resp.: Totum de praecedenti cum comm. sequentis. n. 3556 die 8. Maji 1700; n. 4900 ad 4 die 12. Sept. 1840.

In Conventu Alcodii celebratur Festum Dedicationis suae Ecclesiae die 9. Decemb.; quaeritur: quomodo Vesperae ordinandae sint in die 8. ejusdem Mensis; an integrae relinquendae Festo Dedicationis cum commemoratione Conceptionis ut videtur, eo quod Festum Dedicationis, declaratum sit Festum Domini in una Ordinis Reformatorum 27. Martii 1779 ad 10.: etiamsi Festum Conceptionis celebretur in Hispania ex indulto festivum de praecepto, quia Hispaniarum Patrona, ritu duplici primae classis cum Octava?

Et S. eadem C . . . rescribendum censuit ut infra:

„Affirmative".

Et ita decrevit. n. 4488 ad 1 die 16. Sept. 1801.

Occurrente festo Dedicationis Ecclesiae Congregat. Oratorii s. Philippi N. Cortonae cum 1. vesp. ss. ap. Petri et Pauli faciendum esse totum de digniori cum comm. minus digni, scilicet totum de dedicatione cum comm. ss. ap., quodque servandum est in praelatione Octavarum juxta rubr. generales, etiam occurrente in Dominica 5. p. Pentecosten. n. 4157 die 16. Maji 1744.

Ad dubium: Quommodo sint ordinandae Vesperae die undecima Julii, qua Ecclesiae paroch. anniversarium dedicationis celebratur, in sequenti autem die occurrit festum Patroni civitatis et Protectoris princip. sub ritu dupl. 1. cl.? S. C. resp.: Vesperae in casu sunt dimidiandae. n. 4832 die 19. Maji 1838.

Vi Indulti pro reductione Festorum diei 9. Apr. 1802. Anniversarium dedicationis omnium Ecclesiarum celebratur in Belgio in Dom., quae Octavam Festivitatis omnium Sanctorum proxime sequitur, et quidem ritu dup. I. Cl. cum Oct. juxta Rubricas.

Quaeritur: quomodo ordinari debeant Vesperae, quando Festum Patroni principalis Eccl. vel Loci e. g. S. Martini Ep. occurrit pridie vel postridie Anniversarii praedicti; an scilicet integrae persolvendae sint de Festo Dedicationis cum sola commem. Patroni, vel an sit dimidiandae juxta Decreta S. R. C. 13. Mart. 1804 et 20. Sept. 1806?

Et S. eadem C. . . . respondeudum censuit:

„Integras esse persolvendas de Dedicatione juxta alias Decreta".

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4985 ad V. die 7. Decemb. 1844.

cc) Vigiliae.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Officium; a quo tempore etc.); *Reliquiae* (in altari etc.)

Summo studio et cura quum invigilet Rmus. Cenoman. Ep., ut in omnibus, quae s. Functiones respiciunt, praesertim vero solemnem Ecclesiarum Dedicationem seu consecrationem, Rom. Pontificalis dispositiones sub omni respectu impleantur, propterea exorto quodam Dubio circa genuinum sensum horum Pontificalis verborum: „*Celebrandaeque sunt Vigiliae ante Reliquias ipsas et canendi Nocturni et matutinae Laudes in hon. Sanctorum*"; dum nonnulli protuentur sententiam in hisce Vigiliis recitandum esse Officium de ipsa Dedicatione, licet Altaris solummodo peragenda sit consecratio, et incipiendum a primis Vesp. etiam in satisfactionem oneris Divini Officii, nonnulli econtra alterum defendunt consonum verbis Pontificalis: in Vigiliis scilicet Nocturni canendi in hon. Sanctorum per Psalmos et Officium de Communi, quin tamen hi Nocturni onus Divini Officii currentis excludant; S. R. C. enixe rogavit pro illius solutione. Emi. ac Rmi. P. S. Ritibus tuendis praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Joannis Serafini Ponentis, exquisito prius voto alterius ex Apost. Caer. Magistris scriptis pandito, praeloque cuso, omnibus attente consideratis, riteque libratis, rescribendum censuere: „Juxta Votum Magistri Caer., *nimirum*: Juxta alias decreta praesertim in Mechlinien. diei 19. Julii 1780., et in Gratianopolitan. diei 23. Maji 1835: *Vigilias faciendas juxta Pontificale; Officium vero Dedicationis Eccl. non Altaris solum inchoandum esse peracta consecratione ab Hora minori Tertia*".

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt. die 7. Dec. 1844. n. 4979.

Cenomanen.

Etsi Decreto hujus S. R. C. nuperrime lato VII. Id. Dec. anni 1844 declarata fuerint Dubia a Rmo. Cenomanen. Ep. proposita quoad consecrationem Ecclesiarum; quum tamen idem Ep. comperiat ambiguitates adhuc oriri quoad qualitatem Officii seu Nocturnorum cum Laudibus in Vigiliis ante s. Reliquias in Altari reponendas persolvendis, nimirum: an Officium ipsum nominatim sumendum sit ex Communi Martyrum vel potius an celebrandae sint Vigiliae per totam noctem, cantando vel recitando Hymnos, Psalmos aliasque preces; ac proinde iteratis precibus S. ipsam C. rogarit ut dilucidam regulam in praxi servandam sibi tradere dignaretur ad omnem disputationem praecidendam, ac rite intelligendum quid strictim praecipiant Pontificalis Rom. haec verba: „Celebrandae sunt Vigiliae ante Reliquias ipsas et canendi Nocturni ac matutinae Laudes, in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae recondendae sunt: S. C. resp.: „Pontificalis verba in casu intelligenda esse, quod celebrentur Vigiliae cum Matutino, Laudibus, Hymnis, Canticis de Communi, cum simili Oratione de Communi, sine nomine expresso, quum non sint partes Officii diei". Atque ita rescripsere ac servandum mandarunt. n. 5008. die 14. Junii 1845.

Ad dubium: Pontificale Romanum expresse innuit, quod pridie dedicationis Ecclesiae Matutinum cum Laudibus canendum sit (ac proinde recitandum pro privatim dicentibus) de Sanctis, quorum Reliquiae reconduntur in vase ante fores Ecclesiae posito. Illud Officium obligatne sub gravi? Numquid eo die duplex Matutinum recitantum est unum de Sanctis, alterum de Dedicatione? S. C. resp.:

„Officium de Dedicatione: Vigiliae

juxta Pontificale ante Reliquias, de Sanctis".

Atque ita rescripserunt, ac servandum mandarunt n. 4742 die 23. Maji 1835 ad 2.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Ritus reponendi Sanctorum Reliquias in altari consecrando vetustissimus est, et originem suam ducit ab ipsis Ecclesiae primordiis, cum super martyrum sepulchra erigebantur Altaria, et super his Sacrum peragebatur. De hoc ritu loquuntur quamplurimi tum antiqui tum recentiores libri Pontificales, codices M. S., Ordines Romani, veteres Ecclesiae Patres, et omnes fere Liturgici auctores; qui quidem ritus ad illa Apocalypsis verba referri videtur: *Vidi sub Altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei.* Hoc autem valde est uniforme S. Augustini verbis, ex quibus eruitur congruum esse Sanctorum martyrum Reliquias in Altari reponere; ita enim ipse loquitur Sermone 37: *Convenienter autem, et quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur; scilicet, ut qui propter mortem ejus mortui fuerunt, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant.* Hinc est, quod Reliquiae Sanctorum, quae reponuntur, *Martyrum* esse debent, et plurium; et *solum permittitur* ut cum his Sanctorum Confessorum Reliquiae uniantur, illorum praesertim in quorum honorem vel Ecclesiae vel Altaria dedicantur; plurium autem Sanctorum Reliquiae ponendae sunt, ut verba Sacerdotis in prima Altaris deosculatione verificentur: *quorum Reliquiae hic sunt*, siculi etiam pars aliqua corporum reponenda est, non vestes aut quidquid aliud hujusmodi.

Quemadmodum vetustissimus est memoratus ritus, ita pariter ab ipsa antiquitate in more erat, ut hae Sanctorum Reliquiae pridie vel Ecclesiae vel Altaris consecrationem sub papilionibus apposite paratis, vel in aliqua proximiori Ecclesia ponerentur, et coram eisdem Reliquiis sequenti die in Altari recondendis vigiliae pie religioseque agerentur. In multis Pontificalibus primus qui occurrit ritus pro Ecclesiarum dedicatione est denunciatio Sanctorum martyrum Reliquiarum in Altari reponendarum ab Episcopo facienda, et vigiliarum *tota nocte* coram illis peragendarum. Non inopportunum videtur nonnulla hic referre. In Pontificali MS. Egberti Archiepiscopi Eboracensis anni *CM.* enunciata prius repositione Reliquiarum, haec scripta reperiuntur: *Inde vero pridie quam consecretur Ecclesia providendae sunt Reliquiae ab Episcopo et ponendae in tali loco, ac tota nocte cum hymnis et laudibus atque luminaribus sint, usque quo exinde levandae et ad locum ubi condendae sunt, deducantur.* Hunc ipsum ritum memorat Pontificale M. S. Ecclesiae Cadurcensis: *Ponuntur Reliquiae in feretro compositae in altera Ecclesia pridie quam nova Ecclesia consecretur, et fiunt ibi vigiliae in ipsa nocte in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae condendae sunt.* Eadem Ecclesiae praxis erat saeculo IV. circa has vigilias, uti discimus ex S. Ambrosio, qui epistola 22 ad Marcellinam Sororem ita scribit (de Basilicae Ambrosianae dedicatione): *Qui multa condivimus integra ad ordinem. Transtulimus vespere jam incumbente ad Basilicam Faustae, ibi vigiliae tota nocte, manus impositio, sequenti die transtulimus ea in Basilicam quam appellant Ambrosianam.* De hoc ritu multa habet S. Gregorius Episcopus Turonensis, narrat enim ipse lib. *de gloria martyrum* cap. XXXVI., quod ipse dedicaturus Ecclesiam S. Juliani

pridie ejusdem Sancti Reliquias incipiente nocte in Basilicam S. Martini detulit, *ubi*, inquit, *depositis super altare sacrosanctis Reliquiis, vigilata nocte cum grandi psalterio*, sequenti die in praedictam Ecclesiam transtulit. De his vigiliis habitis coram sacris Reliquiis nocte praecedente diem Consecrationis multa habet Rhabanus Maurus, sed unum tantum adducitur testimonium ex multis, quod vetustatem simul ritus comprobat et originem ostendit, quam a veteri lege manare asserit: *Quod in dedicatione Templi*, inquit, *in nocte praecedente diem dedicationis Reliquiae Sanctorum feretro conditae, in tentorio vigiliis custodiuntur*, *quid aliud demonstrat quam quod arca Testamenti cum Sanctis, quae in ea erant in Tabernaculo mosaico ante dedicationem Templi per excubias Levitarum servabantur?*

His omnibus consonant verba Pontificalis Romani de Ecclesiae dedicatione; §. IV praecipitur enim quod celebrandae sunt vigiliae ante Reliquias ipsas *(eas nempe quae positae sunt in decenti et mundo vasculo)*. Hae autem vigiliae, ut ex adductis hucusque patet, *in honorem Sanctorum* fieri debent, quorum Reliquiae recondendae sunt in Altari, quae die praecedenti in vase inclusae in aliqua proximiori Ecclesia vel oratorio, vel sub papilione apposite parato et ornato inter luminaria exponuntur. Laudes itaque, hymni et quidquid aliud ante Reliquias vel recitatur vel etiam canitur in his vigiliis, ad ipsorum Sanctorum honorem recitari, aut cani debet, ut clarissime patet. Hae insuper vigiliae perdurare debent usque dum tempus advenerit, quo levandae sunt et in altari praescriptis ritibus et caeremoniis recondendae: quid enim aliud óstendunt, quae leguntur in allatis testimoniis et auctoritatibus, nempe *tota nocte*, per *totam noctem, vigilata nocte* etc.? Falsa itaque quorumdam opinio, qui asserunt non esse stricte praeceptum ut per totam noctem vigiliae agantur, et sufficere ut Nocturni tantum Officii de Sanctis, quorum Reliquiae exponuntur, recitentur, et per *vigilias Nocturni* hoc loco intelligantur, eo quod *nocturni vigiliarum* nomine appellentur. Hoc quis nesciat, at unde hanc hauserunt opinionem? non ex antiquitate, non ex Pontificalibus libris, non ex praxi tum vetustissima, tum praesenti, et si in nostro Pontificali Rom. non expresse dicitur vigilias per totam noctem esse agendas, non inde sequitur sufficere aliquos Nocturnos tantum recitari. Pontificale enim quandoque solum innuit quid faciendum generice sit, quin ab antiqua semper retenta et universali praxi recedat, nec verisimile est, ut, cum in honorem Sanctorum vigilias agendas praecipit, sine honore eorum Reliquias relinqui permittat: hoc autem sequeretur, si satis esset Nocturnos tantum recitare, quod absurdum est, et intentioni Ecclesiae penitus adversatur. Relinquat igitur, quisquis is sit qui hanc opinionem forte tenet, quae novitatem redolet.

Insuper, si vigiliae in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae sunt in Altari recondendae, celebrandae sunt, ut expresse dicitur a Pontificali, jam de Officio Dedicationis nihil est agendum, quia haec Reliquiarum expositio, ante quas vigiliae sunt agendae, est quaedam solummodo remota praeparatio alicujus peculiaris ritus in Ecclesiae dedicatione vel altaris consecratione servandi, non autem est ipsa Ecclesiae dedicatio, et per Reliquiarum expositionem nedum ea incepit; nisi enim prius super Ecclesiam dedicandam ab Episcopo consecrante aspersiones, unctiones, orationes, aliique omnes ritus qui praescribuntur a Pontificali adhibeantur minime consecrata

Ecclesia censeri debet; cum illius consecratio ab hujusmodi actionibus omnino pendeat, ac proinde Officium consecrationis jam peractae, antequam peragatur et per statutas actiones et ritus perficiatur, nequit celebrari: Si quidem si pridie recitari vellet Officium Dedicationis, vera non essent, quae vel in Officio vel in Missa leguntur, quibus Ecclesiam divinis cultibus sacrisque mysteriis dedicatam esse asseritur, ac falso diceretur: *locum illum factum esse inaestimabile Sacramentum* (ut in Graduali in Dedicatione Eccl.), *terribilem esse locum quia domus Dei est* (per ritus nempe et caeremonias talis effectus est) ut in Introitu dicitur; et falso pariter diceretur a Celebrante ipso consecrationis die in Oratione post communionem: *Quem nomini tuo indigni dedicavimus*; quod alienum esset a veriate et divino honori repugnans. Neque arridet Halden et Guyeti sententia, quam exemplo ab hymno Sancti confessoris desumpto tuentur, in quo dicitur: *Hac die laetus,* hoc enim respicit Sancti alicujus mortem jam sequutam, cujus memoria ecclesiastico ritu a primis vesperis celebratur, non vero de re non existente, qualis in casu est Ecclesiae dedicatio nondum expleta. Ex Rubrica vero Breviarii FF. Ordinis Praedicatorum, quam in auxilium suae sententiae proferunt, nihil in re nostra praesenti concludi posse videtur, quia sanctio particularis vel usus apud illos Fratres receptus ad universalem Ecclesiam nequit extendi.

Demum si in vigiliis ante Reliquias agendis Officium dedicationis dicendum esse quis contenderet, adversaretur Decreto S. R. C. diei 9. Julii 1780 edit. quo sancitum fuit, *inchoandum esse Officium finita consecratione.* In eodem autem Decreto ad 5. dubium statutum pariter fuit a S. R. C.: *Vesperas, matutinum, laudes et horas consecrationem praecedentes recitandas esse vel de feria vel de Sancto prout descriptum fuerit in Ordinario.* Quando itaque incipiendum erit Officium dedicationis ipsa consecrationis die? Clarissime patet ex adducto Decreto: non ante consecrationem, sed consecratione peracta et completa. Officium itaque inchoari debet ab illa hora, in qua consecrationis actio perfecta jam est. Qua hora inchoandum revera sit in Decreto non indicatur, sed si Rubricarum regulas parumper velimus perpendere, ab ipsa Pontificalis Rubrica desumere facile poterimus. Nam cum Episcopus consecrator peracta consecratione teneatur celebrare solemniter Missam de ipsa consecratione, vel si nimis sit defatigatus per alium Sacerdotem solemniter celebrare facere *(Rub. Pontifical. in Dedic. Eccl. sub fine)*; cum juxta Caeremoniale Episcoporum Missam ab Episcopo solemniter celebratam praecedere debeat cantus alicujus horae canonicae; cum Rubrica Missalis *(tit. de hora celebrandi Missam)* diebus duplicibus et festivis definiat celebrandum esse post horam Tertiam, cum denique Officium dedicationis festivum sit, non feriale, ac proinde ex ipsa Rubrica Missa post Tertiam debeat celebrari, sponte sequitur Officium dedicationis ab hora Tertia esse incipiendum, illudque debito ritu per sequentem Octavam prosequendum esse, sed ab iis tantum de clero, qui Ecclesiae illi sunt addicti, neque totus loci clerus ad duo Officia recitanda tenetur, nam in casu hoc Officium non ex iis est, quae a toto Clero juxta Rubricas sunt persolvenda, ut in die omnium Sanctorum in Vesperis, et secunda die Novembris ad Matutinum et Laudes.

3) Ecclesiae Abbatialis.

Nullius Sublacen.

Cum Rmus. D. Card. Joann. B. Spinula, Abbas Commendatarius Ecclesiae Sublacen supplicaverit: an Clerus universus suae Ecclesiae teneatur celebrare festum Dedicationis Ecclesiae Abbatialis s. Scholasticae? S. C. resp.: Teneri universum Clerum sub ritu dupl. 1. cl in civitate cum octava; in Dioecesi vero sine octava; Regulares sub ritu dupl. 2. cl. et sine octava. n. 4211 die 19. Sept. 1750.

4) Ecclesiae Cathedralis.

a) Obligatio Cleri saecul.

Vd.: *Dedicatio Eccles. omn. alicuj. Ord.* (decr. n. 4941 ad 4); *Dedicatio Ecclesiae* (non celebranda; Officium, quod?)

Ad dubium: An Dedicatio Cathedr. per universam Dioecesim celebrari posse cum octava? S. C. resp.: Servetur rubrica Brev. rom. N. 32 ad 4 die 7. Novb. 1592.

Licere Officia recitare de Dedicat. Cathedr. cum octava in propria tantum Ecclesia; in civitate vero et Dioecesi sub dupl. maj. sine octava. n. 1883 die 6. Apr. 1658.

Festum Dedicationis Cathedralis tam in ipsa Cathedr. quam in aliis Ecclesiis *ejusdem civitatis* celebrandum esse cum octava; in aliis vero Ecclesiis Dioecesis esse solum celebrandum sub ritu dupl. sine octava. n. 572 die 2. Maji 1619.

Petitur, quod Octava Dedicationis Cathedr. Compostell. extendatur ad universam Dioecesim. S. C. resp.: Negative et serventur rubricae et S. C. decreta. n. 4508 ad 4 die 9. Apr. 1808.

Occurrente vel concurrente Dedicatione Cathedr. cum Titulari alicujus alterius Ecclesiae praeferendam esse dedicationem Cathedr.; quoad octavas vero servandas esse rubricas. n. 1469 ad 3 die 8. Aug. 1643.

Quando plures adsunt Cathedrales unitae, Officium Dedicationis cujuslibet Cathedralis non debet recitari ab universo Clero Dioecesum unitarum, sed in qualibet respective Dioecesi debet recitari de sua propria resp. Cathedrali. S. R. C. 6. Mart. 1704 *in Viterb.*

b) Obligat. Monialium.

Ad dubium: An Moniales Ordinariis subjectae teneantur recitare Officium de octava Dedicationis Cathedralis, vel saltem ad libitum possint recitare de eadem? S. C. resp.: Negative quoad utramque partem et tantum tenentur recitare Off. Dedicationis Cathedr. sub ritu dupl. 2. cl. sine octava. n. 3617 ad 2 die 11. Febr. 1702; 20. Novb. 1683.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae Colleg.*

c) Obligatio Regular.

Vd.: *Dedicatio Eccles. Cath.* (transl. decr. n. 5224); *Dedicatio Ecclesiae Colleg.*; *Dedicatio Ecclesiarum omnium alicuj. Ord.* (decr. n. 4842; n. 4941 ad 3 etc.); *Patronus civitatis* (oblig. Off. Regul. decr. n. 5042.)

Ad dubium: Num Ordo Militaris Equitum Chr. in Regno Lusitaniae teneatur conformari decreto de non agendis festis particularibus Dioecesium, in quibus morantur, praeter Officium Patroni principalis sub ritu dupl. 1. cl. et Dedicat. Cathedralis sub ritu 2. cl. utrumque vero sine Octava? S. C. resp.: Affirmative. n. 4530 ad 6 die 22. Mart. 1817; 5. Maji 1736.

Regulares *in die* Dedicat. Cath. ad Officium teneri. n. 1606 ad 1 die 13. Mart. 1649; n. 1869 die 16. Mart. 1658; n. 2749 ad 3. 28. Sept. 1675.

Regulares *in ipsa civitate degentes* teneri ad celebrandum festum Dedicat. Cathedr. cum Officio dupl. 2 cl. sine

octava. n. 2159 die 1. Apr. 1662; n. 3316 die 11. Julii 1693.

Extra civitatem Regulares non teneri neque ad recitationem Officii in die festo. n. 3301 ad 3 die 10. Jan. 1693.

Ad dubium: an per verba „*in ipsa civitate degentes*" illi tantum Regulares veniant degentes in civitate, in qua est Ecclesia Cathedr., an etiam illi, qui degent in aliis ejusdem Dioecesis Oppidis, quae vulgo in Gallia *civitates* nuncupantur? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3788 ad 3 die 16. Junii 1708.

Ad dubium PP. Benedict. Einsidl.: An Festum Patroni princip. alicujus Dioeceseos a Regularibus sit celebrandum ritu primae classis et dedicatio Cathedralis ritu 2. cl., licet Festum Patroni celebratur ritu dupl. maj., dedicatio autem omnino non celebratur? S. C. resp.: Affirmative ad primum et secundum, sed sine octavis et degentes extra civitatem non tenentur ad Dedicationis Officium. n. 4044 *(Alia dubia)* dub. 1. die 5. Maji 1736.

Ad dubium: An Regulares utriusque sexus teneantur vel possint recitare Officium Dedicationis in Calendario Dioecesano assignatum de illis Cathedralibus, quae certo non sunt consecratae vel de earum consecratione prudenter dubitatur?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Juxta votum, videlicet:

„Si Officium Dedicationis Ecclesiarum Cathedralium in Calendario propriae Dioecesis est assignatum, illud que ab Episcopis et Clericis Beticae Provinciae persolvitur, ad illius recitationem omnes etiam tenentur Regulares utriusque sexus, quibus permissum non est de illarum Consecratione dubia excitare."

Et ita pronunciavit etc. n. 4559 ad 1 die 15. Maji 1819.

Vd.: *Breviar. Monasticum.*

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Curnam a Directore Calendarii pro Ordine Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Beticae inferioris hujusmodi excitentur Dubia, nec video, nec intelligo. Numquid ad Regulares pertinet inquirere de Ecclesiarum Cathedralium Consecratione? Numquid ab illis, ad quos non attinet, proponenda sunt hypothetica Dubia, quae licet in abstracto ad Regulae generalis normam exigenda sint, in casibus tamen particularibus, seu, ut Scholastici dicunt, in concreto, ob peculiares circumstantias, quae concurrunt, praesumptiones, illationes et conjecturas, longe secus sunt enodanda? Ideo, si quis generaliter quaerat: num fieri debeat Anniversarium Consecrationis Ecclesiarum, quae certe consecratae non sunt, aut de quarum Dedicatione merito dubitatur, negativo responso erit dimittendus. Si vero quaestio sit: num Ecclesla N., de cujus Consecratione nullum habetur signum nullaque superest scripta memoria, revera dedicata fuerit? Dubitandi rationes erunt expendendae, priusquam resolutio prodeat. Fieri enim potest, ut nullum prorsus in parietibus signum supersit, aut sculpta epigraphes, aut in Tabulariis peractae Consecrationis memoria; nec tamen dedicendum est consecratam non fuisse: nam negligi non debent, imo multum pendendae sunt praesumptiones, ex quibus infertur, quod factum revera id fuerit, quod factum fuisse ob temporum injuriam ignoratur. Si constanter in Calendariis fiat Consecrationis mentio; si quotannis Anniversaria dies cum Officio et Missa celebretur, id satis superque erit ut habeatur valida perac-

tae Consecrationis praesumptio. Ideo S. R. C., licet sub *die 18. Augusti 1629.* decrevisset: *Non posse celebrari Festum Consecrationis illius Ecclesiae, quam certum est non fuisse consecratam, imo neque, si est dubium,* quod nuperrime eadem S. C. confirmavit *die 22. Apr. 1780,* in una *Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisoletanae in Hispaniis,* declaravit tamen: *Quoad Ecclesias, de quarum Consecratione dubitatur, stante asserta immemorabili consuetudine* (celebrandi scilicet Anniversarium cum Officio et Missa) *nihil innovandum.* Nam ex consuetudine celebrandi Anniversarium jure merito conjici poterat Consecratio illa, de qua dubitabatur; quod etiam clarius declaratum video in Ferentina *die 27. Novb. 1706.* Quamvis enim scripturae, monumenta, signum Crucis in pariete et alia similia Consecrationem indicantia nullibi haberentur de Ecclesia Cathedrali, quia tamen Anniversarium *sub fide majorum recolebatur,* ideo responsum fuit: *Ecclesiam Cathedralem non indigere nova Consecratione.*

Cum itaque in propositis Dubiis quaestionem excitet de Consecratione Ecclesiarum Cathedralium Provinciae Beticae Director Calendarii Carmelitarum Discalceatorum, minime attendi debet generalis assertio: *an Regulares teneantur peragere Anniversarium Dedicationis Cathedralium, quae certo consecratae non sunt, vel de quarum Consecratione prudenter dubitatur.* Satis enim est, quod in Calendario Dioecesano assignata sit dies Consecrationis Anniversaria, ut Regulares se illi conforment, et ad legum Ecclesiasticarum praescripta Dedicationis Festum celebrent. Etenim simul ac Calendarium Consecrationis notat diem, hoc sufficit, ne de Consecratione dubitetur; licet monumenta perierint et circumstantiae temporis, Episcopi consecrantis, idque genus aliae lateant sub antiquitatis caligine. Quaero tamen: Ecclesiae, quas Carmelitarum Calendarista fidenter adfirmat certo non esse consecratas, antiquis adnumerantur, vel novo molimine recenter fuerunt extructae? Si primum dicit, haud poterit negativum argumentum adhibere contra praesumptionem, quae oritur ex Calendario Dioecesano et anniversaria Festi celebratione. Si alterum velit, in specie designet Ecclesias, quas ipse certo scit consecratas non esse. Quamquam id ad ipsum non pertinet. Siquidem poterunt Regulares excitare quaestiones de Ecclesiis ipsorum juri subjectis, ut sciant in Dubiis quid facto opus sit: non autem ciere turbas de Ecclesiis Cathedralibus etc., de quarum Consecratione, ut Officium ab ipsis fiat, satis est, quod in Calendario Dioecesano dies anniversaria notetur. Ad loci Ordinarium, ad Capitulum, ad Chori, Officiorum et Ecclesiasticarum functionum Directorem attinet investigare, num revera Cathedralis Ecclesia sacris caeremoniis fuerit dedicata. Quatenus vero certa desint signa, ipsorum est inquirere, num tales concurrant circumstantiae, quae valeant praesumptionem inducere et certitudinem illam, quam moralem dicimus. S. igitur C. proposito dubio respondens non recessit a sententia alias firmata de Officio omittendo Dedicationis Ecclesiarum, quae certe consecratae non sunt, aut de quarum Consecratione jure dubitatur; sed simul declaravit incompetentiam instantis pro resolutione Dubii, et praesumptionem moralemque certitudinem, quae oritur ex more recolendi cum Officio et Missa Anniversariam memoriam, satis esse, ne de peracta Consecratione dubitandum sit, etsi nulla supersit scripta in tabulariis memoria, vel in pariete signum.

Moniales locorum Ordinariis subjectae tenentur recitare de Dedicatione Cathedr., non vero de octava, nisi id specialiter indultum sit ex vi concessionis apost. vel propriae constitutionis ab ap. Sede approbatae. n. 4162 die 22. Aug. 1744.

Dedicatio Ecclesiae Cathedr., ad quam Regulares intra eandem civitatem constituti sub ritu dupl. 2. cl. celebrandam tenentur, ultra illius octavam transferri potest ab iisdem Regularibus, si prima dies altiori festo simulque tota reliqua octava aliis 9 ll. festis impedita est. n. 4198 ad 1 die 11. Jan. 1749; n. 4223 ad 2 die 29. Jan. 1752.

Regulares degentes in civitate tenentur ad Officium Dedicat. Cathedr., extra civitatem non tenentur neque ad recitationem Officii in die festo. n. 4223 ad 1 die 29. Jan. 1752.

De occurrentia Dedicat. Eccles. Cath. cum Officio *SS. Redemptoris* in dicta Congregatione, vd.: *Calendar. Congreg. ss. Redempt.* (decr. n. 4581 ad 2).

Episcopus Varmiens. cogat Fratres Minor. de Observantia ad celebrationem festi dedicationis suae Cathedralis ad formam decretorum. n. 4263 die 18. Decb. 1756.

Ad dubium: Assisii dominica 4. post Pascha occurrit Dedicatio Cathedr. apud Regul. dupl. 2. cl. et eadem die saepe occurrit festum s. Petri Regalati vel s. Paschalis Baylon etc., quae celebrantur a Franciscanis sub eodem ritu 2. cl.; quaeritur: quodnam ex dictis Officiis celebrare debeant Patres? S. C. resp.: Officium Dedicat. Cath.; et reliqua Officia Ord. regul. eadem die et sub eodem ritu occurrentia ad aliam diem esse transferenda. n. 4393 ad 8 die 27. Mart. 1779.

P. Gaudentio ab Arminio Procuratore gen. Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae pro declaratione infrascripti Dubii S. R. C. demisse supplicante, nempe:

An praedicti Eremitae Camaldulenses extra Civitates et loca murata degentes teneantur, et sub quo ritu, ad recitationem Officii proprii Patroni principalis et titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, nec non Protectoris Civitatis et Locorum, in quorum vel quarum respective Dioecesibus, seu districtibus sitae sunt singulae Eremi?

Eadem S. R. C., ad relationem Emi. et Rmi. Domini Card. de Abdua, censuit: „Comprehendi Patres Eremitas et teneri ad Officia de Patrono Principali Loci, Regni, seu Provinciae, et de Titulari Ecclesiae Cathedralis sub ritu quidem primae classis, sed sine octava; nec non ad Officium Dedicationis Cathedr., sub ritu tamen secundae classis sed sine octava; et danda esse Decreta; et ita a Patribus Camaldulensibus Congregationis Montis Coronae servari mandavit". n. 3803 die 23. Martii 1709.

Ad dubium: An Clerici Regulares s. Pauli civitatis Cherii teneantur, uti solebant, memoriam agere Officio secundae classis sine Octava Dedicationis Ecclesiae Metropolitanae Augustae Taurinorum, in cujus Dioeceseos finibus, licet quinque circiter passus dissitis, sita est eadem Cherii Civitas?

S. vero C., perpensa sententia unius ex caeremoniarum Magistris typis etiam vulgata, censuit:

„Non teneri ulla obligatione ad Dedicationem Metropolitanae Ecclesiae Taurinen. celebrandam; et quatenus laudabilem consuetudinem illam celebrandi retinere velint, eam esse sub eo ritu ab iis celebrandam, quo consuevit a dupl. secundae classis inclusive."

Et ita declaravit, et servari mandavit. n. 4463 ad 3 die 21. Martii 1795.

d) Ritus.

Ad dubium: An dedicatio Eccles. Cathedr., quae extra civitatem celebratur sine octava, nihilominus extra civitatem per tot. Dioeces. celebranda sit sub ritu dupl. I. cl., an sub ritu dupl. min. dumtaxat? S. C. resp.: Servetur solitum. n. 3565 ad 1 die 19. Junii 1700.

e) Translatio.

Cf.: *Patronus Regni, civitat. etc.*; *Dedicatio Eccles. Cath.* (Obligatio Cleri saec. decr. n. 1469.)

Festum dedicationis Cathedralis non posse transferri. n. 1922 die 7. Sept. 1658.

Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedr., quae cadit die Exaltationis ss. Crucis, per Dioecesim est recitandum ipsa die anniversaria Dedicationis et festum ss. Crucis est transferendum. n. 2021 die 20. Decb. 1659.

Cum ob decretum emanatum 8. Aprilis 1662 Regulares teneantur celebrare Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis sub ritu dupl. 2. cl. sine Octava, et Bergomi apud Augustinianos occurrant die 14. Januarii Festa Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et SSmi. Nominis Jesu sub ritu dupl. secundae class.; quaeritur: Quale ex his Officiis sit suo die celebrandum, translato altero ad primam diem non impeditam?

S. eadem R. C., ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Rubini censuit respondendum:

„Servetur Tabella occurrentiae Festorum posita post Rubricas generales Breviarii Romani num. 8.“

Et ita declaravit. n. 3704 ad 2. die 23. Augusti 1704.

Ad dubium: Die 28. Oct. occurrit in Dioecesi Leodien. Dedicatio Eccles. Cathedr. cum festo ss. ap. Simonis et Judae, potestne uni aut alteri ex illis dies sequens assignari? S. C. resp.: *negative*. n. 3763 ad 6 die 19. Febr. 1707.

Cathedralem Sanctorum Joannis et Pauli Ferentinam nimis rudem, antiquatam et absque laqueari constructam ex traditione anno salutis humanae 1100. postmodum Capitulum et Canonici anno 1693 et subsequentibus fornice decorarunt, interiores parietes a solo ad culmen emarginaverunt, columnas quasdam novo caemento circumvestitas glutinaverunt et dealbarunt, Capellas laterales demolitas recenti studio aequali situ composuerunt, ita ut tota pars interior et forma Ecclesiae non tantum restaurata, sed insimul rennata appareat. Scripturae, Monumenta, Signum Crucis in pariete, et alia similia Consecrationem indicantia nullibi habentur de tota Ecclesia, sed tantummodo de Ara majori anno 1576 die 29. Novembris, prout hujus memoria legitur in Schedula apud Sanctorum fragmenta sub mensa ejusdem requiescentia.

Anniversarium tamen totius Ecclesiae sub fide majorum recolitur die 13. Junii, in qua pariter ad Ecclesiam Fratrum Minorum S. Francisci solemniter celebratur Festum D. Antonii Patavini populo Civitatis et finitimorum locorum propter affluentes nundinas ibidem adveniente, et Cathedralem non visitante, nec memoriam colente suae Dedicationis. Quapropter Episcopus, Capitulum et Canonici humiliter S. R. C. consuluerunt et quaesierunt declarare:

An opportuniori tempore consecranda sit Cathedralis et etiam Ara major ejusdem in die non impedita, ut Populus anniversarium Dedicationis possit recolere? Et quatenus, „Negative“:

An saltem sit locus translationi anniversariae solemnitatis, quae recoli-

tur die 13. Junii ad aliam opportuniorem diem?

Et eadem R. R. C. ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Colloredi respondit:

„Ecclesiam Cathedralem non indigere nova consecratione, sed tantum Altare majus; Festum vero dedicationis Ecclesiae posse transferri ab Episcopo ad aliam diem ab ipso designandam et non amplius immutandam". Et ita declaravit. n. 3755 die 27. Novembris 1706.

Utrum Regulares hanc dedicat. Cathedr. transferre possunt? vd: *Dedicat. Eccles. Cath.* (oblig. Regul. decr. n. 4198, 4393).

Ad dubium Ord. Min. s. Francisci in Peruviana Republica: Quum juxta Rubricas peculiares num. 83. in aequalibus praelationem habeat Officium nostri Ordinis, utrum occurrente S. Petro de Alcantara in die Anniversaria Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, recitari debeat de laudato Sancto, ista translata, quum sint ambo ejusdem ritus?

Emi. et Rmi. P. . . . rescribendum censuerunt:

Festum Dedicationis Ecclesiae non propriae utpote secundarium in paritate ritus esse omnibus Festis etiam secundariis Christi Domini, et primariis B. M. V. ac Sanctorum in occurrentia postponendum: in concurrentia vero non cedere nisi Festis primariis et secundariis D. N. J. Christi.

Atque ita S. C. rescripsit, et servari mandavit. n. 5224 ad 3 die 14. Maji 1856.

f) Vesperae.

Ad dubium: Quomodo apud Franciscanos regulandae sint vesperae, si Dedicatio (2. cl.) Cathedr. concurrat in 1. aut 2. vesp. cum Sanctis regular. 2. cl. (ut s. Paschalis Baylon) etiam cum Indulgentia plenaria decoratis? S. C. resp.: Vesperas debere esse integras de Dedicat. Cathedr. cum commem. Sancti Ord. regularis. n. 4393 ad 9 die 27. Mart. 1779; n. 4395 ad 14 die 18. Decb. 1779.

Eugubii concurrunt 2. vesp. s. Matthaei ap. cum 1. vesp. Dedicat. Cath., quae celebratur ritu 2. cl. a Regularibus. Quid agendum? S. C. resp.: Vesperas debere esse integras de Dedicat. Cathedr. cum commem. s. Matthaei ap., ex quo est festum Domini. *Ibid. ad 10.*

5) Ecclesiae Cathedr. veteris.

Cum ab Ecclesia s. Petri olim Cathedrali et adhuc stante, jus Cathedralitatis ad aliam Ecclesiam Bosonens. nuper aedificatam fuerit legitime translatum, Officium dedicationis dictae veteris Cathedr. non recitandum est per totam Dioecesim, sed a Clero eidem Ecclesiae addicto. n. 4355 ad 10 die 23. Marf. 1771.

6) Ecclesiae Collegiatae.

Ad dubium: An Regulares et Moniales Aquaevivae teneantur facere Officium Dedicat. Colleg. uti de insigni et majori Ecclesia? S. C. resp.: De Titulari Ecclesiae *Cathedr.* et Patrono teneantur, sed in die tantum et non per octavam. n. 2302 ad 4 die 22. Novb. 1664.

7) Ecclesiarum omnium

(Alicujus Ord.)

a) Celebratio.

Vd.: *Calendarium Congreg. s. Redemptoris* (decr n. 4581 ad 5.); *Dedicatio Eccles.* (off. — oblig. Regul.)

Ad dubium: An Officium Dedicat. omn. Eccles. Ord. B. V. M. de Mercede die decima Octobris persolvendum sit iis in Coenobiis tantum, in

quibus certo constat adjectas Ecclesias fuisse consecratas, an vero in omnibus Ordinis Coenobiis, etiam si Ecclesiae adnexae non sint consecratae?

Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescripsere: „Juxta Votum ipsius Caeremoniarum Magistri" videlicet:

„Negative ad primam partem, affirmative ad secundam".

Atque ita servandum mandarunt. n. 4821 ad 1. die 23. Sept. 1837.

Nota gardell. ad hoc Decretum:

Dupliciter Ecclesiae Dedicationis Officium aut Festum considerari potest; quum nempe Ecclesia solemni ritu consecratur et cum dies hujus consecrationis recurrit. Prima vere dicitur estque Consecratio seu Dedicatio, altera, quae singulis annis recoli solet, est anniversaria Dedicationis olim peractae memoria. Utraque, licet una minus alia majus proprie, Ecclesiae Dedicatio appellatur, et sic duplex est Dedicationis Officium. Alterum, quod semel tantum peragitur, alterum, quod quovis anno, ea ipsa recurrente die, celebratur, et est anniversarius dies dedicationis. Jam si Officium dedicationis, quod celebratur singulis annis, est quaedam et vera anniversaria memoria Ecclesiae jam peractae semel consecrationis, requiritur fieri non posse Officium dedicationis Ecclesiae, quae non est consecrata; quod enim numquam peractum est, numquam pariter recoli potest tamquam peractum. At in Ecclesia non consecrata alterius Ecclesiae consecratae fieri potest anniversaria memoria sive Sacrum de illius consecratione peragendo, sive Officium persolvendo, quemadmodum evenit in unaquaque Dioecesi, in cujus omnibus Ecclesiis etiam non consecratis fit Officium dedicationis Ecclesiae Cath., ut patet ex Decretis S. R. C., et ex Rubrica, quae in Missali in Missa Anniversarii dedicationis Ecclesiae Orationi secretae praefixa videtur: *Extra Ecclesiam ipsam dedicatam omittitur Parenthesis*: Quod in his ex lege et Decretis ac Rubricae dispositione fit, fieri potest in Ecclesiis, quibus a S. Sede privilegium est concessum Officium nempe peragendi de Dedicatione alterius Ecclesiae vel aliarum simul sumptarum Ecclesiarum. Jam quum inclitus Ordo B. M. V. de Mercede privilegio gaudeat peragendi Officium de Dedicatione Ecclesiarum totius Ordinis, jure hujusmodi Officium fieri potest, et nihil impedit, quominus fiat in iis Ordinis Ecclesiis, quae consecratae non sunt, sive Ecclesia non consecrata non est impedimentum ad illud peragendum; nam non de illius consecratione memoria agitur; semper autem Officium facit de Ecclesia, quod ex vi privilegii facere potest, semel ac de Dedicatione Ecclesiarum sui Ordinis peragit Officium, et quum in privilegii concessione nulla ponatur distinctio, nulla pariter ponenda est pro illis Coenobiorum Ecclesiis, quae consecratae non sunt. Privilegium autem non Ecclesiis singularibus, non singularibus Coenobiis, sed universo Ordini datum est, atque hinc omnibus ejusdem Ordinis Ecclesiis est commune. Quibus perpensis S. C. *negative primae parti, affirmative alteri parti* hujus dubii respondit.

Ad dubium: An in omnibus Coenobiis, sive certe sciatur, sive non sciatur dies consecrationis, vel dedicationis Ecclesiae, persolvi debeat Officium consecrationis die decima Octobris fixa assignata pro Festo Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis?

Emi. et Rmi. P. S. tuendis ritibus praepositi . . . rescripsere:

„Juxta Votum ipsius Caeremoniarum Magistri" videlicet:

„Affirmative, seu jam provisum in primo“.

Atque ita servandum mandarunt. n. 4821 ad 2 (vd. pag. 442); die 23. Sept. 1837.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

In hujusce dubii solutione haec advertere necesse erat. Si certe sciatur aliquam Ecclesiam non esse consecratam, vel jure de consecratione dubitetur, hujus quidem Ecclesiae dedicationis Officium fieri nequit. Sic statuit S. C. Non ita tamen si constet de Consecratione, consecrationis vero *dies* ignoretur: tunc enim Ecclesiae consecrationis Officium peragi debet, et eo die ad hoc assignato, nisi postea per documenta detegatur verus consecrationis dies, tunc enim in hoc est peragendum. In casu proposito nec certo constat Ecclesias omnes non esse consecratas, nec jure dubitari potest de consecratione omnium Ecclesiarum Ordinis simul sumptarum (ad quod peculiariter privilegium concessum est); hinc jure fieri Officium potest ab omnibus ejusdem Ordinis Ecclesiis. His addendum est quod quum privilegium complectatur dedicationem omnium Ecclesiarum Ordinis, fieri nequit, ut rationabile oriatur dubium de dedicatione omnium, et admitti debet aliquas esse consecratas, quod sufficit et hinc fieri debet Officium, et eo die (per doctrinam superius allatam) cui illud est assignatum nempe die X. Oct. quum hic dies sit assignatus, nec diversimode constet.

Quum vero fiat Officium de dedicatione omnium Ecclesiarum simul Ordinis, alterum propriae Ecclesiae consecratae Officium alio die fieri nequit; nam eo die, quo fit de dedicatione omnium Ecclesiarum Ordinis, intelligendum est fieri etiam de dedicatione propriae et singularis Ecclesiae; omnes enim pariter in Privilegio comprehensae censentur. Alias de una eademque Dedicatione bis fieret Officium, quod non debet omnino. Una enim et sola est Anniversaria Dedicationis memoria. Patet itaque sapienter respondisse S. C. *affirmative*, seu jam provisum esse in praecedentis dubii responsione.

Ad dubium: In Terris haereditariis Austriae celebratio Dedicatio Metrop., vel Cath. Ecclesiae una cum Dedicatione omnium Ecclesiarum tum Saecularium tum Regularium Dom. III. Oct.; et sic in Directoriis Dioecesanis notatur: „Officium de Communi cum comm. Eccles. respective Metrop. vel Cath., mut. Ant. V. cum Orat. *Deus qui invisibiliter*, et Dom. in utrisque Vesp. et Laud. et Missa. Et agitur ubique cum solemnitate externa, ornantur Ecclesiae, in turribus vexilla in signum Dedicationis exponuntur, et omnes conciones fiunt de eadem solemnitate. Submisse itaque rogamus, si nobis ex benigna concessione S. R. C. liceat in praedicta Dominica celebrare Dedicationem Ecclesiarum nostrae Congregationis etiam in Choro cum commemoratione respectivae Cathedralis. Nam semper timenda est Ordinariatus, cujus censurae nostrum Directorium subjacet, exprobratio, quia exceptionem facimus a communi lege sine dubio ab Apostolica Sede adprobata totius Austriae, Styriae, Tyrolis.

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Pariter pro gratia in omnibus“.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit a Patribus Cong. SSmi. Redemptoris extra Italiam, et in Dominiis Austriacae Domus degentibus. n. 4842 ad 2 die 1. Sept. 1838.

Decretum in Mechlin. die 1. Sept. 1838 praescribit ut Sacerdotes nulli vel non consecratae Ecclesiae adscripti, propter uniformitatem Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum ce-

lebrent cum Octava ut in Cathedr. et in civitate Mechlin. Petitur, ut propter eandem rationem extendatur hoc decretum ad Dioeces. Brugensem? S. C. resp.: Pro gratia ad instar concessionis factae Clero Mechlinensi die 1. Sept. 1838. n. 4897 ad 4 die 12. Sept. 1840.

Ad dubium: 1. An Religiosi cujusvis Ordinis, qui dedicationem omnium suorum Ordinum Ecclesiarum celebrare possint et debeant ad instar Cleri Saecularis dedicationem omnium Hiberniae Ecclesiarum celebrare absque speciali Sedis Apost. Indulto, et quatenus negative, stante cujusvis longi temporis consuetudine, tuto possint Regulares praedictam omnium Hiberniae Ecclesiarum dedicationem in posterum celebrare?

2. Utrum Regulares, qui Sedis Apost. Indultum impetraverint dedicationem omnium Hiberniae nec non suorum Ordinum Ecclesiarum celebrandi, possint et debeant dedicationem quoque Ecclesiae Cath. illius, qua degunt, Dioecesis, absque Sedis Apost. speciali Indulto, celebrare, quum Clerus Saecularis, ut jam dictum est, dedicationem omnium Ecclesiarum Hiberniae quotannis celebret?

3. An teneantur vel possint praeterea Cleri Saecularis Sacerdotes, et alii propriae suae Ecclesiae dedicationem celebrare, sive Cath. illa sit, sive quaevis alia?

Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescribendum censuerunt:

„Juxta votum Magistri Caeremoniarum in omnibus" videlicet:

Ad 1: „Pro nunc nihil innovetur".

Ad 2 et 3: Dilata, et ad Mentem. Mens autem est ut per S. C. de Propaganda Fide scribatur Archiep. Dublinensi et Tuamensi, nec non Ep. Galvaniensi per modum Instructionis, qua dicatur ad eamdem S. C. perlatum esse in eorum Dioecesibus praeter Festum dedicationis omnium istius Regni Ecclesiarum, quod habetur Dom. II. Oct., celebrari etiam diem anniversarium consecrationis propriae Ecclesiae Cath., et quatenus ita se res habeat, hujusmodi morem consonum non esse et Decretis S. R. C., et ipsi rationi, eo quod propriae particularis Ecclesiae Dedicationis Officium intelligitur comprehensum, et celebratum in Festo consecrationis omnium Ecclesiarum, ac propterea eamdem S. C. vehementer optare, ut praedictum Officium Dedicationis propriae particularis Ecclesiae ex Kalendario proximi anni expungatur".

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt, die 16. Apr. 1842. n. 4941 ad 2. 3. 4.

Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci.

Ut uniformitas servaretur in Divinis persolvendis Laudibus sancitum est ab hac S. R. C. ut uno eodemque die, nimirum IV. Nonas Julii, Officium institueretur Dedicationis omnium Ecclesiarum trium Ordinum S. Francisci. Ast quum in Ordine Divini Officii reperiatur adnotatio quaedam, nimirum: in Secreta Missae omittenda esse verba inter parenthesim comprehensa, quoties Ecclesia aliqua non sit consecrata; hinc hodiernus Guardianus Ordinis Reformatorum S. Francisci Civitatis Venusin. eamdem S. R. C. requisivit humillime pro declaratione insequentis Dubii, nimirum: An IV. Nonas Julii instituendum sit Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, quum constet illam consecratam fuisse VI. Idus Oct. 1728. qua quidem die celebrandum esset quotannis Festum Dedicationis sub ritu duplicis I. Cl. cum Octava? Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die

coadunati, infrascripto Secretario referente, animadvertentes ab hac S. Sede id consilii potissimum ceptum fuisse, ut uniformitas induceretur in Kalendario Seraphico, rescribendum censuerunt: „Officium dedicationis propriae Ecclesiae faciendum die IV. Julii".

Atque ita servandum mandarunt, die 23. Maji 1835. n. 4749.

b) Translatio.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (transl.)

Juxta decr. die 21. Junii 1804 praescribitur, ut Anniversarium Dedicationis Ecclesiar. omnium consecratarum celebratur dominica, quae subsequitur diem octavam festi omnium SS.; interdum die ista dominica occurrit festum s. Martini vel s. Patroni et Titularis Ecclesiae aut Patroni loci; decretum vero de die 21. Aug. 1688 statuit festum Patroni et Dedicationis esse ejusdem dignitatis: petitur ergo de quo faciendum sit Officium? S. C. resp.: Faciendum de dedicatione in casu juxta decr. die 8. Aug. 1643 ad III. et festum Patroni transferendum juxta rubricas. n. 4897 ad 5 die 12. Sept. 1840.

Ad dubium: Juxta Decretum cl. m. Cardinalis Caprara, si solemnitas *translata* Festi Patroni et Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum occurrant eodem die, faciendum est de Solemnitate Dedicationis. Hinc quaeritur:

1. An ita faciendum sit si in istam Dominicam Dedicationis incidat non Solemnitas translata, sed Festum Patroni?

2. An in isto casu cantari possit Missa votiva Solemnis Patroni juxta Rubricas Missalis Romani de translatione Festorum? Hic enim Articulus Missalis enumerans dies privilegiatos, qui excludunt Missam Votivam Festi, quod transferri debet, non recenset inter eos Anniversarium Dedicationis Ecclesiae.

3. Supposito quod ita fieri non possit, an ita dicendum sit de Ecclesiis non consecratis?

4. Supposito etiam quod in omnibus respondendum sit negative, demisse obsecratur, ut ad gloriam Patronorum nec non ad gaudium populi, qui summa veneratione hos Sanctos colit, in casibus supra enunciatis cantari possit Missa Votiva Solemnis Patroni, translata ad Dominicam sequentem Solemnitate Dedicationis?

S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Quoad quaestionem primam affirmative; quoad quaestionem secundam affirmative; non exclusa tamen alia Missa Solemni de Festo Dedicationis, si sermo sit de Ecclesia ubi est obligatio cantandi Missam quotidie juxta Decretum in una Bergomen. diei 17. Aug. 1709.; quoad quaestionem 3. et 4: Provisum in secunda".

Atque ita rescripsit. n. 5215 ad 1. die 22. Julii 1855.

8) Ecclesiarum plurium in una die.

Cum autem Dedicationes Ecclesiarum nostrae Provinciae diebus Dominicis, iisque ut plurimum valde incongruis celebrentur, nos infrascripti Provinciales et Definitores nostri demisse supplicamus E. V., ut dignentur unam et eamdem diem assignare pro uniformi celebratione Dedicatione omnium Ecclesiarum hujusce Provinciae Nostrae Leodiensis: dies autem ad hoc convenientissima videtur aut 26. Februarii, aut Dominica secunda post Pascha.

In pluribus Dioecesibus Galliae omnium fiunt Ecclesiarum Dedicationes eodem die, ut cum majori devotione, solemnitate et uniformitate celebrentur, quam eamdem gratiam ab E. V.

humiliter postulamus iisdem de causis pro Dedicatione omnium Ecclesiarum nostrorum Conventuum Provinciae Leodiensis, et, ut nunquam omittatur haec celebratio, ut non raro accidit, cum tempore, quod deberet celebrari Ecclesiae alicujus Conventus Dedicatio, saepe saepius fiant nostrae mutationes capitulares, et sic transeuntes Religiosi de Conventu, in quo proxima est Ecclesiae Dedicatio, ad alium, in quo jam celebrata est, teneantur, ut se conformare possint aliis Religiosis in recitatione Officii illud Dedicationis omittere hoc anno, quod advenientibus iisdem mutationibus annis sequentibus, ut potest fieri, fere semper omittent. Et eadem S. R. C., Emo. et Rmo. D. Card. S. Clementis referente, respondit: „Negative". n. 3763 ad 7 die 19. Febr. 1707.

9) S. Mariae Angelorum.

Vd.: *Indulgentia de Portiuncula* (decr. n. 4048.)

10) Oratorii.

(Utrum celebrandum.)

Cf.: *Oratorium.*

In Ecclesiis et Oratoriis Ecclesiae parochiali subjectis, in quibus multi Sacerdotes quotidie celebrant, non possunt celebrari missae Titularis et Dedicationis sub eodem ritu dupl. ac in Ecclesia parochiali. n. 4844 ad 8 die 23. Febr. 1839.

Missionarii in Hollandia et confoederatis Provinciis habentes tantum Oratoria, Ecclesiis jam profanatis vel destructis destituti, non possunt annue recitare Officium Dedicationis cum octava. n. 3089 ad 1 die 2. Junii 1685.

11) Vexillum in signum Dedicationis.

Vd.: *Dedicat. Eccles. omn. alicuj. Ord.* (decr. n. 4842.)

DEFECTUS IN ORDINATIONIBUS.

Vd.: *Subdiaconatus*; *Ordin. ad Presbyt.*; *Diaconatus.* (tradit. libri Evang. decr. n. 4813.)

DEFUNCTUS.

Depositio.

1) Locus.

Vd.: *Commemor. Omn. fidel. Def.*; *Off. Def.*; *Processio funebr.*; *Sepultura*; *Sepultura* (Sacerd. def.; Episcopi def.); *Cadaver.*

Ad dubium: An haeredes sint cogendi ad retinendum domi cadavera usque ad sepulturam, an iisdem liceat pro libitu asportare cadaver ad quamcunque Ecclesiam usque ad horam tumulandi, etiamsi sepelienda essent in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu parochi seu prohibitione ab eodem facto uti Vicario Foraneo? S. C. resp.: Petita et etiam non obtenta licentia posse cadavera deponi arbitrio haeredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturae. n. 2733 ad 1 die 22. Junii 1675; n. 4316 ad 3 et 4 die 7. Maji 1763 *cum append:* Et parocho deberi ratione ejusdem depositi intortitia tantum, quibus cadaver expositum fuit, dummodo aliquas preces expleverit.

Posse deponi cadavera in quacunque Ecclesia arbitrio Testatorum vel Haeredum. n. 3522 ad 3 die 11. Julii 1699; n. 3690 ad 3 die 7. Junii 1704; n. 3881 ad 2 die 14. Decb. 1715.

Ad dubium: An haeredes defunctorum cogi possint ad retinendum domi cadavera usque ad tempus sepulturae, sive eorum libitu, petita et non obtenta licentia parochi possint eadem deponere in aliqua Ecclesia, usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepelientem? S. C. resp.: Ad primam partem negative, ad secundam affirmative. n. 3722 ad 12

die 9. Maji 1705. S. C. C. 14. Mart. 1722; 6. Febr. 1734.

Ad dubium: An volentibus haeredibus facere dictum depositum, teneantur illud privative facere in alterutra ex duabus Ecclesiis parochialibus terrae Montis Novi, sive potius possint illud facere in quacunque Ecclesia? S C. resp.: Ad primam partem negative, ad secundam affirmative. n. 3722 ad 13 die 9. Maji 1705. Et ibidem ad 14: ,,Depositum fieri posse in *quacunque* Ecclesia, arbitrio haeredum.

Praetendente Curato Ecclesiae S. Luciae Terrae Montis Alboddi Dioecesis Senogallien, occasione funerum, Haeredes non habere facultatem faciendi depositum defuncti in Ecclesiis sibi bene visis; ex parte Guardiani et Patrum Minorum Conventualium nomine Vicarii Foranei et civium Terrae praedictae S. R. C. pro declaratione: An arbitrio Haeredum defuncti depositum sit faciendum in quacumque Ecclesia? humillime supplicatum fuit. Et S. eadem R. C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, respondit: ,,Dentur Decreta in Senogallien. 22. Junii 1675, et pariter in eadem causa 9. Martii 1706". n. 3854 die 1. Julii 1713.

2) Modus.

Nullo modo est tollerandus abusus, quod mortui curru clausi deferantur ad Ecclesiam. S. C. Ep. 17. Mart. 1650.

3) Tempus.

Cadavera in quacunque hora diei deferri possunt ad Ecclesiam, de nocte vero nonnisi de licentia Ordinarii. S. C. C. 15. Mart. 1704 (et Clem. XI. 9. Decembris 1704). Vd.: *Sepult.* (Tempus).

Cum in Oppido Trepani Dioeces. Mazarien irrepsisset abusus collocandi cadavera Archipresbyterorum defunctorum occasione funerum, induta pluviale in sede, secus vero in feretro, ut praescribit Rituale roman., S. C. resp.: Non licere et servetur Rituale rom. n. 4043 die 21. Apr. 1736.

DEINDE.

(In form. Absolutionis.)

Vd.: *Absol.* (A peccatis.)

DELEGATIO.

(Ad benedict. Indumentorum etc.)

Vd.: *Benedictio* (Delegatio).

DELEGATUS APOST.

Vd.: *Installatio novi Canonici* (decr. n. 4274).

DENUDATIO ALTARIS.

1) Fer. V. in Coena Dom.

Ad dubium: An fer. V. maj. hebd. teneantur Canonici post vesperas ad denudationem altar. procedere, seu potius fieri debeat denudatio per Episcopum celebrantem eique assistentes? S. C. resp.: Servetur solitum. n. 4235 ad 8 die 15. Sept. 1753.

Ad dubium: Utrum iditem ferendus sit usus, ut post Vesperas Feriae V. in Coena D. denudatio Altarium fiat per simplicem Sacerdotem Superpelliceo et Stola indutum cum duobus Clericis Superpelliceo pariter indutis, non vero a Celebrante cum Ministris, uti in Missali indicitur?

Et S. eadem C. rescripsit:

,,Servari posse consuetudinem: dummodo Sacerdos Altaria denudet Fer. V. in Coena D.".

N. 5118 ad 3 die 11. Sept. 1847.

Vd.: *Coena Dom.* (Processio; decr. n. 4647 *nota*).

2) Tempus.

Ad dubium: Utrum Feria V. in Coena Domini servari debeat usus denudandi Altaria post *Mandatum* hora quarta pomeridiana? S. C. resp.: „Negative". n. 4672 ad 7 die 12. Novbr. 1831.

DEPOSITIO.

1) Defunctorum.

Vd.: *Defunctus.*

2) Sacerdotis defuncti.

Vd.: *Defunctus* (depos.; temp. decr. n 4043).

3) Sanctissimi post processionem.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 1. etc.

4) SSmi. in nocte in Orat. 40 hh.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 3. etc.

DE PROFUNDIS.

Canonici, ratione Legati obligati, possunt quotidie post Completorium recitare psalmum *De profundis* cum oratione *Inclina* etiam in diebus festivis de praecepto. n. 1257 die 21. Aug. 1640.

Licere in choro post Primam recitare ps. *De profundis* cum Oratione pro Def. in Communi, exceptis tamen dupl. I. cl. n. 5004 ad 3 die 7. Decb. 1844.

Utrum „*De profundis*" dici possit post *Laudes?* vd.: *Officium def.* (orationes; decr. n. 4687. *nota*).

Quando „*De profundis*" in Off. defunct. omitti debeat? vd.: *Officium def.* (omissio).

DESCRIPTIO MISSARUM.

Vd.: *Missa* (descriptio)

DESPONSATIO B. V. M.

1) Commemoratio in hoc festo.

In Desponsatione B. V. M. non est facienda commemor. s. Joseph, nisi constet de speciali concessione. n. 4044 (ad Tit. IX.) die 5. Maji 1736.

Ad dubium: An die 23. Jan. in festo Desponsationis B. V. M. sit facienda commemoratio Sponsi ejus s. Joseph tam in Officio quam in missa? S. C. resp.: Servetur rubrica quae habetur in Officio Desponsationis. n. 4049 ad 3 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 3 die 16. Febr. 1737.

Omnibus Fratribus et Monialibus Ord. Min. s. Francisci indulgetur atque conceditur, ut in recitatione Officii Despons. B. V. M. cum s. Joseph fiat ab ipsis oommem. ejusd. s Joseph tum in utrisque vesp. tum in laud. et resp. etiam in missa cum antiphonis et oratione a S. R. C. approbatis. S. R. C. 1. Julii 1713. *In una Ord. Min. Obs.*

Officium et Missa Desponsationis B. M V. cum S. Joseph recitatur in Dioec. Tudens. die 26. Nov., et in eis fit comm. S. Joseph ante alias omnes Commemorationes. A multis tamen non fit talis comm., quam dicunt licitum non esse facere sine speciali concessione hujus S. S. Quapropter quaeritur: an revera omittenda sit comm. S. Joseph in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa Desponsationis B. M. V. juxta Decretum, quod proferunt istius S. R. C. sub die 5. Maji de anno 1736 emanatum? Et si revera omittenda est, Orator humillime postulat pro illius extensione saltem ad Dioecesim Tudensem ob specialem Fidelium pietatem erga S. Joseph Sponsum B. M. V.

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Etsi fieri nequeat comm. S. Joseph in Officio et Missa Desponsationis B.

M. V., ubi non est concessa, attamen S. R. C. de speciali gratia annuit ut deinceps a Clero Civitatis ac Dioec. Tuden. ante omnes alias quascumque comm. in memorato Officio et Missa Desponsationis Deiparae, S. Joseph ejus Sponsi Commemoratio apponatur".

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. n. 5050 ad 17 die 23. Maji 1846.

2) Officium et translatio.

Vd.: *Sancti ad libitum.*

Officium Despons. B. V. M., attento quod dies vigesima tertia Januarii, qua concessa est illius recitatio, est impedita Officio s. Idelphonsi, cujus festum est solemnissimum in Cathedr. Angelopolitana in Indiis, transferatur ad primam diem non impeditam alio officio 9 ll. n. 3120 ad 1 die 20. Julii 1686.

In Regnis Catholico Regi subjectis fuit concessum Officium Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph sub ritu dup. maj. ad libitum: an possit praedictum Officium fieri, dum semper occurrit cum Festo semidup. de praecepto in Ecclesia Universali, stante Decreto de Sanctis ad libitum non transferendis, quando occurrunt cum Sanctis de praecepto?

Et S. R. C. censuit respondendum: „Negative".

Et ita declaravit n. 3701. die 23. Augusti et 13. Septembris anni 1704.

Benedictus XIII. concessit, ut in toto ecclesiast. Statu ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, Off. et Missa de Despons. B. V. M. cum s. Joseph die 23. Jan. sub ritu dupl. maj. celebrari debeat. S. R. C. 23. Aug. 1725; 15. Sept. 1736.

DIACONATUS.

1) Evangelii Cantus.

Cf.: *Evangelium* (Quis cantat etc.)

Ad dubium: Pariter si Missa Ordinationis non fiat in cantu, Subdiaconus et Diaconus debentne cantare, vel legere Epistolam et Evangelium, et quando? S. C. resp.:

„Legant, dum Episcopus legit". n. 4669 ad 9 die 12. Novb. 1831.

2) Evangelii traditio.

(Defectus.)

Archiepiscopus Taurinens. scripsit ad S. R. C.: Emza Rma.

Mi trovo costretto ricorrere all' Eminenza Vostra Rvdsma. per il sequente caso. Nel Sabbato delle orscorse tempora di Pentecoste due Religiosi Francescani intervenuti all' Ordinazione pel Diaconato, dopo terminata la Funzione, e quando il Vescovo Ordinante, si era di gia ritirato nel suo appartamento, manifestarono, che non si erano presentati a ricevere il Libro degli Evangelii, credendo che non fosse giunto ancora il loro tempo; e che lo festo era accaduto a qualche altro Chierico secolare, senza saperlo indicare. Sentito cio, furono tosto condotti innanzi allo stesso Vescovo ordinante, il quale suppli l' omessa tradizione del Messale. Osservatosi perrò in seguito, che varie sono le opinioni degli Autori, e che segnatamente Benedetto XIV. *De Synodo Dioeces. l. VIII. c. X. n. 13.* riporta un decreto in senso contrario, sebbene si riferisca all Ordine del' Presbiterato, si é creduto non doversi prendere determinazione veruna senza consultare l' Oracolo della S. Congregazione. A tale oggetto pertanto mi rivolgo all' esimia bontà dell Em. Vostra, pregandola degnarsi dirmi, che cosa debba farsi tanto riguardo a quelli ne' quali

nulla fu fatto, e si verificasse che effettivamente anche per essi abbia avuto luogo l'istesso difetto, Attendo con impazienza un suo venerato riscontro e m' inchino al bacio della Sacra Porpora protestandomi col piú profondo rispetto.

P. S. Dopo scritta la presente vengo a riconoscere, che sebbene nella sera dello scorso Sabbato, mi fossi fatto premura di scrivere al Superiore di detti Religiosi per impedire ch' esercitassero l' Ordine, pure non essendo giunta in tempo la Lettera, uno di essi lo essercito e puo essere accaduto lo stesso pergli altri.

S. C. rescripsit: Simulac Amplitudinis Tuae epistolam datam accepimus super omissione traditionis libri Evangelior., quae inconsulto accidit in promovendo nonnullos Subdiaconos ad Diaconatus Ordinem. Sacra Congreg. in suo et Consultorum sensu respondet, quod, si Amplitudo Tua prudenter judicet moram temporis, quae inter Ordinationem horum Subdiaconorum in Diaconos et supplementum defectus intercessit, haud tantam fuisse, ut moralis conjunctio formae cum traditione materiae merito censeatur abrupta, Ordinatos hujusmodi relinquere possit in sua bona fide quoad praeteritum et a qualibet suspensatione in posterum absolutos declarare, quatenus sui Ordinis Officium publice tuta conscientia (si aliud non obstet impedimentum) pro ratione sui Status libere valeant exercere. Si vero dubitet tantum fuisse temporis et diversarum operationum intercapedinem et varietatem, ut hiatus iste inter Ordinationem et supplementum defectus nulla probatorum auctorum interpretatione conjungi possit; tunc iterum, si cum traditione prius omissa libri Evang. simul protulit formam, sciat se posse acquiescere et ita Ordinatos in suorum Ordinum exercitio pariter acquiescentes dimittere. Si vero solam tradidit partialem materiam libri Evang. sine forma, tutius erit, si Ordinatis hujusmodi caute et secreto suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiae simul cum prolatione suae formae repetendo. Quo in casu si tempus proximae futurae Ordinationis ad hujusmodi supplementum a Canone constitutum expectari nequeat, vel ob periculum scandali vel ob alias non levis momenti causas et circumstantias, nec aliud obstet impedimentum, poterit ab Interstitiis dispensare et proximo quove festo defectum prudenter et secreto supplere. Quod ad Clericos spectat saeculares, de quibus, prout in casu exponitur, dubitatur, an omissio eadem acciderit, curare pro sua prudentia Amplitudo Tua poterit, ut Ordinati hujusmodi innotescant, (quod non videtur tam difficille, si Catalogum, quem apud se certe habebit, Subdiaconorum in ea Ordinatione ad Diaconatum evectorum percurrat, et eos, in quos suspicio hujusmodi cadere potest, caute et secreto circa hujusmodi dubium interrogari faciat). Si quos igitur invenerit, quibus eadem contingit omissio, idem praestabit, quod superius dictum est de duobus Religiosis et si eos Ordinem Diaconatus bona fide hactenus exercuisse repererit, a Censuris, quatenus opus fuerit, (si nihil aliud obstet) absolvat et ad ejusdem Ordinis ministerium et officium in posterum, quatenus opus fuerit excercendum, hoc est ad pie et fideliter in suscepto Diaconatus munere ministrandum tutos in conscientia declarabit. n. 4813 die 16. Junii 1837.

3) Evangelii Osculum.

Vd.: *Evangel.* (oscul. Episcopi in Ordinat).

DIACONI ASSISTENTES.

1) Abbatum.

Licere Abbatibus *Congreg. Camaldul.*, quando solemniter celebrant, quod in tribus tantum quolibet anno festivitatibus permittitur uti *assistentia duorum Diaconorum* ultra Diaconum et Subdiaconum pro cantandis Evangelio et Epistola. n. 966 die 21. Aug. 1632.

Prior usum Pontificalium habens non habeat duos Diaconos assistentes, sed contentus esse debet Diacono et Subdiacono Missae et uno Capellano cum pluviali assistenti. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbates, quando celebrant solemniter, non habeant duos Diaconos assistentes. n. 531. die 18. Martii 1617.

Vd.: *Usus Pontifical.*

2) Episcopi.

a) In Coena Dom.

Vd.: *Diaconi assist. Episcopi* (porrig. SSmum. decr. n. 4672).

b) In Ecclesia Cathedr.

Vd.: *Canonici assist.* (dum Episcop. etc.); *Biretum Canonic. assist.*; *Assistens*; *Canonici (Ministri)*; *Canonicus non consecratus*; *Episcopus assist.*; *Sedes assistentium Episcopo.*; *Genufl. in bened. cum SSmo.*

Episcopo pontificaliter et solemniter celebranti Archidiaconum a dexteris et alium Diaconum a sinistris diaconaliter paratos assistere oportet. n. 15 ad 12 die 16. Mart. 1591; n. 21 ad 1 die 23. Mart. 1592.

Dignitates proxime sedentes post Archidiaconum assistere debere in loco duorum Diaconorum et recusantes etiam sub censuris cogendos esse. n. 1599 die 21. Novb. 1648. Episcopus potest cogere Dignitates, ut ei, absentibus Diaconis et presbyteris Canonicis in munere Diaconi assistentis inserviant. n. 1803 die 10. Junii 1656.

Munus assistendi Episcopi latera, fimbrias elevandi, imponendi et deponendi mitram etc. pertinere ad Archidiaconum et antiquiorem *Diaconum* Canonicum, ambos dalmaticis indutos. Quodsi Canonicus *Diaconus* nullus aderit, ultimum *Presbyterum* Canonicum in diaconali habitu succedere debere, qui stabit a sinistris Episcopi et Archidiaconus a dexteris, licet ipse Archidiaconus ordine tantum diaconali fuerit initiatus. n. 21 ad 6 die 23 Mart. 1592.; n. 91 die 24. Jan. 1595.

Ad Diaconos assistentes pertinet onus elevandi fimbrias Pluvialis hinc inde, quando Episcopns progreditur et dum thurificat Altare. n. 351 ad 7 die 19. Maji 1607.

Vesperas vel Missas Episcopo solemniter celebranti Archidiaconus a dexteris et alter Canonicus Diaconus . . . a sinistris diaconali habitu induti assistere debent. Quodsi Diaconus nullus adsit, tum Canonicus alius ex ordine presbyterali assistentis diaconi munus suppleat. n. 33 ad 1 die 17. Novb. 1592.

Episcopo vero non celebranti *sed Divinis assistenti* iidem assistere debent. *Ibidem.*

Si habeat Episcopus Missae solemni assistens cappam pontificalem, habebit Assistentes; secus, si sine cappa. n. 133 ad 3 et 4 die 2. Sept. 1597.

Quidam Canonici Diaconi praetendebent, quasi assistentes a dexteris et a sinistris Episcopi ad Ecclesiam cum cappa accedentis procedere. S. R. C. resp.: Canonicis Diaconis praedictum locum non convenire, *nisi quando Episcopus paratus cum mitra* ad Ecclesiam accedit. n. 157 die 3. Aug. 1602.

Nullam Episcopo convenire assistentiam neque Diaconorum neque Presbyterorum, quando *procedit cum*

cappa, nec est sacris vestibus paratus. n. 166 die 30. Aug. 1602.

Archidiaconus Officium presbyteri assistentis exercet, duo digniores Canonici immediate sequentes post Primicerios officium duorum Diaconorum assistentium exercent. Quod si vero Archidiaconus *non erit Presbyter*, officium primi Diaconi assist. exercebit, illud secundi Diaconi assist. exercebit primus Canonicus immediate sedens post Primicerium et Archipresb. munus presb. assistentis exercebit.

Quotiescunque vero Episcopo tantum *praesenti Archipresbyter* assistat, a duobus primis Canonicis immediate sequentibus *post* Primicerios officium Diaconorum assistentium exercendum esse. n. 212 die 6. Sept 1603.

Quando Praebendae non sunt distinctae, duo Diaconi assistentes apud solium Episcopo erunt primae duae Dignitates immediate sequentes post primam, si autem inter Praebendatos Canonicos perpetua, non autem accidentalis, esset Ordinum distinctio in presbyterales et diaconales pro munere assistentiae assumuntur primi duo Canonici ex ord. diaconali. Diaconus vero Evangelii et Subd. Epistolae, quando tale onus inter omnes per vices vel alias juxta ecclesiae consuetudinem non sit, erunt alii duo digniores, sive Canonici sive Dignitates fuerint, qui sequuntur in Ordine post ass. Canonicos in solio, si nulla intercedat Ordinum vel Praebendarum distinctio. n. 4176 ad 3 die 4. Sept. 1745. Assistentiam praestare Episcopo sol. celebranti spectare ad Diaconos. n. 4334 dd. 1 die 21. Junii 1766.

In functionibus publicis, quae fiunt absque interventu Archiepiscopi ab aliquo Episcopo, non tamen Suffraganeo sed *ab Ordinario ad id deputato* tenentur Canonici et Dignitates eadem obsequia praestare, quae deleganti praestare tenentur. n. 238 ad 2 die 20. Mart. 1604.

Assistentiam duarum Dignitatum vel Canonicorum tantummodo Episcopo *loci Ordinario* et nulli alteri convenire. n. 310 die 9. Maji 1606.

Quotiescunque Episcopus solemniter celebrat sive Ordinationes teneat, sive non, convenit, ut ei saltem illae personae assistant, de quibus in libro Caerem. mentio habetur. n. 319 die 17. Junii 1606.

Cum in Ecclesia Placentina praebendarum ordo distinctus non sit, ita ut Presbyteri anteponantur Diaconis et Diaconi Subdiaconis, prout deceret et maxime conveniret, servanda est consuetudo Ecclesiae, ut, Episcopo celebrante, prima Dignitas ei assistat et de libro serviat et duo sequentes Dignitates duorum Diaconorum assistentium munus sustineant; *quando vero Praebendae distincte essent*, non Dignitates sed duo primi Canonici Diaconi id munus exerceant.

Quando antem Episcopus facit ordinationes generales vel alias functiones Episcopales, si illas *solemniter* cum Missa *cantata* celebret, idem Ordo servandus est et iidem Assistentes Episcopo inservire et ministrare debent, qui in Missis solemnibus ministrare solent.

Si vero Episcopus dictas functiones *sine Missa solemni* facere voluerit, quia etiam tunc erit omnibus paramentis pontificalibus indutus, *conveniens* est, ut iidem, vel illis impeditis, saltem duo alii Canonici parati assistant, praeter Archidiaconum, qui vocat Ordinandos, et Presbyterum, qui de libro serviat et alios, qui juxta Pontificale in Ordinationibus requiruntur. Alii vero Canonici ad publicas Ordinationes, quae *sine Missa cantata* fiunt, in habitu canonicali

assistere *poterunt*. n. 351 ad 2 die 19. Maji 1607.

Servandam esse formam libri Caeremon., ut quando Episcopus solemniter celebrat, duae Dignitates vel Canonici praeter Diaconum et Subdiaconum ei assistant, ut in libro Caerem. lib. I. c. VIII. de assistentia duorum Canonicorum in habitu diaconali cavetur. n. 399 die 10. Jan. 1609.

Diac. assist. cantant duas penultimas lectiones ad Matutinum. Vd.: *Lectiones.*

Ad dubium: Utrum Episcopo *assistenti Concioni* in sua sede ordinaria cum Cappa Pontificali debeatur assistentia duorum Canonicorum? S. R. C. resp.: „In hoc exquiri solitum Ecclesiarum vicinarum". n. 777 ad 5 die 20. Novb. 1628.

Dignitates et Canonici assistentes inservientes non tenentur genuflexi ministare. n. 973 die 15. Decembrii 1632.

Deservire debere Episcopo celebranti personas de Capitulo et nullo modo alios, qui non sint de eodem Capitulo n. 1019 die 26. Maji 1635.

Non licere *Coadjutoribus* Canonicorum absentibus Coadjutis *inservire pro Assistentibus Episcopo solemniter celebranti,* vel cum cappa Divinis interessenti, sed hoc munus pertinere ad *veros Canonicos* ordine successivo. n. 1042 die 24. Maji 1636.

Dignitates sive Canonici, qui assistunt Archiepiscopo, supervenienti Dignitati sive Canonico digniori locum assistentiae cedere debent. 1597 ad 2 die 5. Sept. 1648.

In Missa pontificali Episcopi tres Canonicos assistere debere. n. 1741 die 14. Novb. 1654.

Fer. V. in Coena Dom. Episcopus pedes Canonicorum lavans debet habere assistentiam duarum Dignitatum ad formam caerem. n. 4317 ad 8 die 6. Aug. 1763.

Cf.: *Suffraganeus; Coadjutor; Purificatio B. V. M.*

c) Extra Ecclesiam Cathedralem.

Cf.: *Canonici Colleg.* (assistent.); *Canonici Cathedr.* (assistentes extra Cathedr.); *Canonici* (assist. in hab. canonicali).

Licet Archiepiscopo compellere Canonicos, quoties ad alias Ecclesias Civitatis et Suburbiorum accedit ad aliquod munus pontificale exercendum, ut sibi inserviant et ministrent; curet vero, ne Ecclesia Metropolitana Ministris omnibus destituatur et Officio defraudetur. — In Ecclesiis, in quibus adsint aliae Dignitates et Canonici, curet, ut omnes confusiones . . . removeantur; et sciat Dignitates et Canonicos Ecclesiae Metrop. debere praecedere Dignitates et Canonicos Ecclesiae Colleg. n. 21 ad 2 die 23. Mart. 1592; n. 159 ad 4 die 3. Aug. 1602; n. 2260 die 26. Jan. 1664; n. 4317 ad 10 die 6. Aug. 1763.

Cum Episcopus ad aliam Ecclesiam suae civitatis accedere voluerit, non posse semper Canonicos cogere, ut eidem assistant, sed ita demum, si ob aliquam publicam solemnitatem vel celebraturus vel Episcopales functiones executurus vel ad Ordines conferendos accesserit. Quo casu etiam curare debebit, ut in Ecclesia Cathedr. remaneant Canonici et Ministri necessarii pro ejus servitio. n. 205 die 5. Julii 1603.; n. 1540 ad 3 die 16. Sept. 1645; n. 1711 die 20. Junii 1654. Idem decretum est n. 2325 ad 5 die 20. Junii 1665 cum appendice: *Sive ipse sive alter sit celebraturus*; n. 2349 die 19. Decb. 1665.

Teneri Canonicos et cogi posse ab Episcopo ut sibi ministrent et inserviant non modo in Cathedrali, verum etiam in quibuscunque aliis suae civi-

talis Ecclesiis, ad quas ad publicas vel solemnes Episcopales functiones exercendas Episcopum ire contigerit. n. 228 die 10. Jan. 1604.; n. 4193 ad 1 die 16. Sept. 1747.

Illi tantum Canonici et Ministri Ecclesiae Cathedr. Episcopo extra Cathedralem in alia Ecclesia civitatis Pontificalia exercenti assistant, qui necessarii Ministerio sunt et ob quorum absentiam in Ecclesia Cathedr. chori servitium non deseratur. n. 339 ad 3 die 17. Mart. 1607.

Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cath. seu Metrop. . . . manutenendos esse semper et ubique, etiam in Ecclesia Colleg. (s. Petronii) possessione assistendi Archiepiscopo celebranti vel Pontificalia exercenti, donec et quousque Capitulum et Canonici s. Petronii (Colleg.) allegatam immemorabilem consuetudinem legitime juridiceque probaverint. n. 376 die 10. Maji 1608.

Canonicos teneri ministrare Archiepiscopo Ordinationes tam intra quam extra Ecclesiam Cathedr. celebranti, dummodo in Cathedr. tot Canonici et Ministri remaneant, qui satis sint ad Divina Officia celebranda. n. 459 die 7. Julii 1612; n. 3103 ad 2 die 23. Mart. 1685.

In omnibus Ecclesiis parochialibus et Collegiatis assistentiam Episcopo Pontificalia celebranti pertinere ad Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedr., si cum Episcopo erunt, non autem ad proprios Presbyteros vel Canonicos Eccles. Colleg. vel Parochialis, in qua Episcopus exercet Pontificalia. n. 545 die 15. Julii 1617.

Omnes functiones, quae fiunt per Episcopum sive in Cath. sive in Collegiatis suae Dioecesis, esse faciendas cum assistentia Canonicorum Cathedralis et non aliorum. n. 868 die 20. Julii 1630.

Canonicos Cathedralis non solum teneri sed etiam cogi posse, ut Episcopo inserviant, quando accedit ad alias Ecclesias extra Cathedralem ad Episcopales functiones exercendas. n. 774 ad 2 die 20. Novb. 1628; n. 1562 die 11. Aug. 1646.

Canonicos Ecclesiae Cathedr. omnino inservire debere etiam extra Cathedralem et non alios inferiores. n. 927 die 2. Aug. 1631.

Tres Canonicos Cathedralis in *civitate* teneri assistere Archiepiscopo Pontificalia exercenti; at *extra* civitatem non esse cogendos. n. 1910 ad 2 die 13. Julii 1658.

Episcopo extra Cathedr. sed *in civitate* pontificaliter celebranti praeter Diaconum et Subdiaconum tres tantum Canonici tenentur assistere; non teneri autem *extra civitatem*. n. 3103 ad 2 et 3 die 23. Mart. 1686; n. 5004 ad 1 die 7. Decb. 1844.

Canonicis Cathedralis Sulmanensis exponentibus, se gravatos ab Episcopo ad praestandam eidem assistentiam, quando assistit Missarum solemniis, quae per Canonicum celebrantur extra Cathedralem, S. C. resp.: *Ut Canonici pareant Ordinario.* n. 2089 die 18. Decb. 1660.

Episcopo Labacensi in Pontificalibus celebranti extra Cathedr. in civitate tamen et suburbiis teneri Canonicos illi inservire . . tam in missa quam in aliis functionibus solemnibus. Necnon, cum non sint Canonici Cathedralis nisi quatuor et duae Dignitates et unus vel alter infirmitatis etc. causa absit, Canonicos teneri ad inserviendum una cum Sacerdotibus non Canonicis, qui in supplementum sumuntur, et Episcopum posse ad id eos compellere. Et non deberi totum numerum ministrorum assumere ex dictis Sacerdotibus, dum ipsi Canonici assistunt tantum penes Episcopum in habitu canonicali. n. 2315 die 21. Mart. 1665; n. 2335 die 31. Julii 1665.

Canonici Colleg. Surrenti assistentes Archiepiscopo in throno Pontificalia

exercenti debent esse induti s. paramentis. n. 4031 ad 5 die 12. Mart. 1735.

Episcopo pontificaliter celebranti in Colleg. Melevitanae debetur assistentia a Dignitatibus et Canonicis Cathedralis. n. 4108 ad 4 die 21. Jan. 1741.

d) In habitu canonicali.

Vd.: *Canonici assist. in habitu canonic.*; *Episcopus assist. missae sol.*

e) Incensatio.

Cf.: *Assistens.*

Post thurificatum Episcopum thurificari debet prima Dignitas, assistens cum pluviali, secundo Diaconi assistentes a lateribus Episcopi, tertio Dignitates et Canonici in choro sedentes, quarto caeteri. n 33 ad 4 17. Novb. 1592*)

Canonici et Vicarius ante Auditores et Advocatum Fiscalem thurificandi sunt. n. 42 die 16. Febr. 1593.

Nec ullum generari praejudicium Dignitatibus, si post Canonicos assistentes, licet ipsis Dignitatibus inferiores, thurificentur, quia ratione assistentiae et non Dignitatis procedit. n. 170 die 28. Sept. 1602.

Thurificandum esse primo Episcopum (assistentem) triplici ductu et post eum immediate Canonicos Cathedr. duplici ductu; deinde Abbatem duplici ductu et demum Canonicos Collegiatae unico ductu. n. 232 ad 4 die 7. Febr. 1604.

Dignitates et Canonici omnes prius thurificentur et pacis osculum accipiant quam Mansionarii. Et ideo recte fit, si prius Dignitates et Canonici ab una parte chori successive thurificentur, deinde aliae Dignitates et Canonici ab alia parte et postea Mansionarii ab una parte et demum Praebendarii ab alia parte chori sedentes, non obstante quacunque consuetudine in contrarium. n. 351 ad 3 die 19. Maji 1607.

Prius Presbyter, deinde Diaconi assistentes thurificentur, quamquam presbyter assistens non est prima Dignitas. n. 352 die 23. Junii 1607.

Vd.: *Canonici Cath.* (Incens.)

f) In missa de Req.

Ultra Diaconum et Subdiaconum Missae debent assistere Episcopo alii duo Diaconi assistentes prout in aliis pro vivis. n. 4815 ad XIII. 1 die 22. Sept. 1837.

g) In Ordinibus conferendis.

Ad dubium: An, accedente Episcopo a sede ad altare pro Ordinibus conferendis, duo Diaconi assistentes debeant illi inservire, cum haec actio non sit pars Missae, an vero Diaconus Evangelii et Subdiaconus? S. C. resp.: Convenientius ministrari per Diaconum Evangelii et Subdiaconum, quia ipsi sunt, qui ministrant, alii vero Diaconi solummodo dicuntur assistentes. n. 2946 ad 5 die 19. Apr. 1681.

Ad dubium: An duo Canonici assistentes parati (in Ordinatione) induere debeant Dalmaticam seu Planetam plicatam dumtaxat super Rocchetto cum Amictu, vel super Albam cum Amictu, cum Manipulis, et unus cum Stola Diaconali?

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, omnibus mature perpensis, ad relationem per infrascriptum Secretarium factam, rescribendum censuit: „Servetur Caeremoniale Episcoporum lib. 1 cap. 7“.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. die 6. Sept. 1834. n. 4732.

Vd.: *Diac. ass. Ep.* (paramenta).

*) Cf.: *Vicarius gener.* (incens. decr. n. 4174).

Compostellana.

Reverendissimus hodiernus Compostellan. Archiepiscopus Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit, declarationem consecuturus quoad sequens Dubium, nimirum: An Canonici Cathedralis teneantur assistentiam praestare Episcopo extra Cathedralem ipsam Sacras Ordinationes facienti?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum sub infrascripta die habitis, audita relatione a Secretario facta, perpendentes alias ab hac Sacra Congregatione decretum fuisse: Canonicos Cathedralis teneri ad assistentiam Episcopo praestandam tam intra quam extra Cathedralem, atque etiam privatim Ordinationes peragenti, rescribendum censuerunt: „Serventur Decreta in una Veliternen. diei 6. Septembris 1698, in Grossetana diei 16. Septembris 1645, ac Civitatis Ducalis diei 7. Decembris 1698, nec non Caeremoniale Episcoporum". diei 23. Maji 1835 n. 4740.

Vd.: *Diaconi assist. Episcopi extra Cathedr.*

h) Paramenta.

I. Locus induendi.

Canonici assistentes non valent se induere et exuere s. paramentis super solio in loco proprii scamni, sed potius, interim aliis Canonicis eorum munere fungentibus, descendere debeant de solio ad propria stalla canonicalia ibique s. vestes assumere et post completum Officium deponere. n. 4435 ad 3 die 24. Sept. 1788.

Vd.: *Diaconi assist. in Ord. conf.* decr. n. 4732.)

II. Quae.

Cf.: *Canonici ass.* (param.)

Canonici assistentes Episcopo non Albam sed Rocchettum vel Cottam quoquo modo vel forma ad regionis morem compacta illa sit et consuta, debent induere una cum amictu subtus dalmaticam vel aliud chori peculare Insigne. n. 4176 ad 2 die 4. Sept. 1745.

i) Porrigunt SSmum.

Vd.: *Ostensorium* (quis porrigit etc.); *Diaconi assist. Episcopi* (stola).

Celebrante Praesule in Solemnitate Corp. Chr. non debet Canonicus cantans Evangelium etc. sed Diaconus assistens a dexteris in throno indutus tantum dalmatica tradere, accipere de manu Celebrantis SSmum. et deponere super altare. n. 2944 ad 4 die 1. Mart. 1681.

Ad dubium: An Capituli Dignitates excludi possint ab Assistentia Episcopi SS. Sacramentum deferentis in Coena Domini? S. C. resp.: Negative et servanda Caeremonialis dispositio. n. 4610 ad 3 die 6. Maji 1826.

Nota Gardellini ad hoc Decretum.

Nec video nec intelligo, quo argumenti genere queant se tueri, qui dubium proponunt voluntque assistentiam a Dignitatibus non deberi Episcopo Sacramentum deferenti ad paratum Sacellum Feria V. in Coena Domini, hoc officium rejicientes in Diaconum et Subdiaconum, qui Missae inservierant. Qui novitatem hanc nituntur inducere, oculos tantisper intendant in Caeremoniale Episcoporum *lib. 2 cap. 23.*, in quo agitur de *Feria V. in Coena Domini num. 12.* ubi legitur: quo facto Episcopus *redit ad Altare . . . . . . et* **Diaconus assistens** (ut distinguatur a Diacono, qui ministravit in Missa) *et non alius, cum debitis reverentiis capit Sacramentum de Altari et illud stans offert Episcopo:* et paulo post **Ministri assistentes** (non Diaconus et Subdiaconus Mis-

sae) *hinc inde elevant fimbrias anteriores Pluvialis.* Quod si adhuc dubitas, lege *Memoriale Rituum,* in quo praescripta in Caeremoniali clare et ordinate enumerantur. Dum ibi agitur de Processione cum SSmo. Sacramento ad sacellum §. IX. *num. 1.* legitur: *Episcopo parato, accedit* Presbyter assistens . . . . *recedentibus Diacono et Subdiacono in Secretarium pro deponendis Albis et sumendis paramentis super Rocchettum sicuti et caeteri Canonicorum etc. . . .; in suppedaneo genuflexus Sacramentum incensat,* adjuvantibus Presbytero et Diaconis assistentibus (non Diaconus et Subdiaconus Missae) *qui jam recesserant et amicti paramentis Ordini convenientibus se aliis Canonicis adjunxerunt.* Nonnisi igitur qui Caeremoniale ignorat opinari potest, quod in solemni hac SSmi. Sacramenti delatione ab assistente Episcopo facienda, non ei teneantur debitum obsequium ac servitium praestare, a quibus id exigit qualitas functionis pontificalis.

Ad dubium: Post Missam Pontificalem Feriae V. in Metrop. Pisana duo Diaconi assistentes statim se recipiunt in Secretarium ad deponendam Dalmaticam, et in eorum locum succedunt Diaconus et Subdiaconus Missae, Archiepiscopum Sanctissimam Eucharistiam ad Sacellum deferentem comitaturi. Id etiam fieri solet in aliis Functionibus Sanctissimi Sacramenti ritu Pontificali ab Antistite celebrandis. Convenientius enim videtur ut interveniant Ministri cum Amictu et Alba parati, quam super Amictu et Rocchetto Dalmatica induti. S. C. resp.: „Serventur in omnibus etiam in Vestibus Diaconorum Assistentium Caeremonialis Episcoporum et memorialis Rituum dispositiones". n. 4672 ad 18 die 12. Novbr. 1831.

k) In Processione.

Episcopo SSmum. processionaliter deferenti assistere debere duo Canonicos dalmaticis indutos hinc inde procedendo, et ad id cogi posse, si renuant. n. 4419 ad 2. 3. die 18. Decb. 1784.

Vd.: *Diaconi assist. Episcopi* (porrig. SSmum. decr. n. 4672).

l) In Sabbatho sancto.

Caerem. (Lib II. c. XXVII.) de assistentia duorum Diaconorum non loquitur nisi postquam ipse Episcopus missalia paramenta accepit, tempore, quo Prophetiae cantari debent, quaeritur: an praedicti Diaconi praebere possint assistentiam, cum ignis incipit benedici et cantatur *Exultet?* S. C. resp.: Posse, maxime ad praeconium, prout dicitur ex Caerem. Episcop. in Sabb. s. n. 2946 ad 1 die 19. Apr. 1681.

Quando deponunt Paramenta violacea? Vd.: *Lytaniae in Sabb. s.* (Depos. Param.)

m) Stantes vel genuflectentes

Episcopo legente Epistolam, Graduale et Evangelium Canonicos assistentes discoopertos stare debere. n. 2883 ad 7 die 6. Maji 1679.

Vd.: *Canonici Cath.* (genufl.)

n) Stola.

Ex duobus Diaconis assistentibus Episcopi saltem primum Diaconum assistentem in omnibus functionibus, in quibus ponendum sit vel deponendum SSmum., parari debere cum stola. n. 4421 ad 2 die 17. Sept. 1785.

o) Vertunt folia.

Cf.: *Assistens.*

Canonici assistentes tenentur folia missalis revolvere et digito indicare

legenda per Episcopum stantem in Throno. n. 3845 ad 6 die 27. Febr. 1712.

3) Episcopi Administratoris.

Ad dubium: An Ep. Adm. Pontificalibus celebrans possit habere Diaconos assistentes?

Et S. eadem C . . . respondendum censuit.:

„Negative".

Atque ita rescribendum rata est, ac ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 7 die 23. Sept. 1848.

4) Episcopi Suffraganei.

Vd.: *Suffraganeus* (Celebrans, Assistens et Ministri).

DIACONI ET SUBDIACONI.

1) In Coena Dom. in Consecr. ss. Oleorum.

Vd.: *Coena Domini.*

2) In Funeribus.

Vd.: *Dalmatica et Tunicella in process. funebri.*

DIACONUS.

1) Aptat s. Hostiam Ostensorio pro exposit. SSmi.

Vd.: *Hostia* (Immittenda etc.)

Ad dubium: Quum Sacrista Presbyter Supperpelliceo et Stola indutus adstet Canonico solemniter celebranti, dum in Ostensorio reponitur Hostia pro renovatione et expositione SSmi. Sacramenti, poteritne Diaconus hoc in casu manere ad sinistram Celebrantis, eo quod idem Sacrista eo tempore ejus vices gerat, aut necesse est ut veniat ad cornu Epistolae nil ibi facturus?

S eadem C. . . . respondendum censuit:

„Esse Officium Diaconi, et non Sacristae".

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 17. die 11. Sept. 1847.

2) Potestne domum benedicere?

Vd.: *Bened. domus.* (decr. n. 4757).

3) Distribuitne s. communionem?

Diaconus, in ord. tantum Diaconatus constitutus, extra casum necessitatis non potest distribuere s. communionem Fidelibus n. 4379 die 25. Febr. 1777.

4) Num potest SSmum. exponere et cum eo benedicere?

Vd.: *Expositio SS. Sacramenti.* (Exponens).

Ad dubium: An in expositione SSmi. Sacramenti extra Missam Diaconus solus possit vicem gerere Sacerdotis in exponendo et recondendo, cumque SSmo. Sacramento benedicere Populo antequam Ostensorium in Sacrarium reponat?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„In exponendo tantum et recondendo SSmo. Sacramento".

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 11. die 11. Sept. 1847.

5) Potestne sepelire?

Diaconus cum Pluviali non potest cadavera comitari ac de licentia Parochi benedicere sepulturam. n. 5102 ad 12 die 11. Sept. 1847.

DIACONUS MISSAE.

1) Cantat Exultet.

Vd.: *Cereus Paschalis*; *Oratio pro Imperat.*; *Cereus Paschalis.* (Bened.; Modus.)

Ad dubium: An in Sabb. s. retinenda sit consuetudo Tiburtinae Ca-

thedr., ex qua post benedictionem ignis alius Diaconus diversus ab eo, qui Celebranti assistit et totius Missae Officio debet inservire, albis vestibus indutus, debitis caeremoniis arundinem accendit et ad Legile procedit ad cantandum *Exultet*; quo cantato s. vestes deponit et postea ad chorum cum aliis revertitur? S. C. resp.: Negative, sed consulendum SSmo. juxta votum. n. 4603 ad 2 die 27. (30.) Mart. 1824.

Vd. *inf. decr. n. 4672.*

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Eruditissimus Meratus hac de re agens *part. 4. tit. 10. de Sabbatho Sancto rubric. 4 num. XI.* notat, quod: *Diaconus debet esse ille idem, qui in Missa et Officio inservire debet, et non alius ad hanc solam functionem, et ad cantandum tantummodo Praeconium Exultet etc., ut male multi faciunt, hoc enim repugnat omnino rubricae Missalis, neque in ullo habetur Caeremoniali, cum sit quiddam addere, quod est contra Bullam Pii V., et maxime notandum cum Corsetto cap. 8. num 3. et Hyppolito a Portu rubric. 4. in adnotat. num. 7.* Haec profecto est generalis regula in rubricae praescripto fundata; quae tamen tanto cum rigore accipienda non est, ut et praeceptivis adnumeranda sit, et nullus detur casus, qui non aliquam in quibusdam circumstantiis exigat moderationem; quamobrem Sacra Congregatio regulae insistens, primum proposito dubio respondit: *negative*, verumtamen omnia considerans, quae in casu concurrunt et indulgentiae dant locum, rem supremo Pastori definiendam remisit addens rescripto: *consulendum SSmo. juxta Votum*, quod erat pro *indulto servandae consuetudinis, attentis peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur:* Et SANCTITAS SUA adprobando et confirmando ejusdem S. Congregationis Votum *benigne annuit.* Quum enim ad Praeconium canendum Diaconus eligendus sit, qui bene polleat cantu Gregoriano, ne asperitate vocis et dissonantia notarum adstantibus offensioni et scandalo sit, multosque ad risum potius commoveat quam ad devotionem alliciat: cumque alicubi ad officium Diaconi pro sacris actionibus et Missa specialiter aliquis teneatur, qui tamen ad modulandum, vocemque notis aptandam habilis non sit; satius esse videtur alium substituere ad canendum Praeconium, quod multum requirit idoneitatis. Hinc novum non est, quod in permultis Ecclesiis mos invaluerit ad unum Praeconium canendum alium seligere Diaconum ab eo diversum, qui Celebranti assistere debet. Hujusmodi autem mos, qui Praesidum vigilantiam ut fugiat, haud credi potest; nihilominus tacite toleratur; sed tolerantia locum non haberet, si rubrica aliquam quandoque moderationem aut dispensationem aut benignam interpretationem non admitteret. In nostra facti specie rationabilis causa dispensationis non deerat; siquidem Episcopus ipse fatebatur in Tiburtino Clero perpaucos esse ad hujusmodi officium aptos, praesertim quia ea in Cathedrali Diaconus, qui Celebranti tenetur assistere, unus est ex duobus, qui ex fundatione Cardinalis Marescotti praebenda fruuntur cum onere inserviendi in officio Diaconi et Subdiaconi Canonicis celebrantibus. Plerumque idcirco fit, ut ex his nullus sit aptus ad cantum Praeconii: en necessitas alterum ad hoc munus sufficiendi. Aderat igitur in casu proposito congruus ac rationabilis titulus, quo Tiburtinae Cathedralis Capitulum servandae consuetudinis indultum obtineret.

Ad dubium: An tolerandus sit usus

ut in Sabb. S. Praeconium decantetur ab alio Diacono diverso ab illo, qui Missae inservit, adeo ut duo sint Diaconi, alter Missae, alter vero Praeconii?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Usum esse contrarium Decretis“.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 5127 ad 4 die 22. Julii 1848.

Ad dubium: Utrum probari possit usus obeundae in Sabbato Sancto benedictionis novi ignis et incensi ab alio Sacerdote, licet Missam non celebraturo; et deinde ab eodem Diaconalibus vestibus induto deferendae Arundinis *lumen Christi*, et canendi Praeconii, etsi in subsequenti Officio et Missa ipse Celebranti non assistat? S. C. resp.:

„Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam“. n. 4672 ad 8 die 12. Novb. 1831.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Quoad hanc secundam hujus dubii partem, cui S. R. C. negative respondit, plurima jam sunt adnotata, eaque videri possunt in *Tiburtina.* Ibi in subjecta adnotatione eruditissimi Merati affertur auctoritas praxim improbantis quarumdam Ecclesiarum, in quibus diversus est Diaconus, qui Paschale Praeconium cantat, ab illo, qui in Missa mox celebranda ministrat. Praxis haec revera contraria est Rubricae Missalis, juxta quam unus idemque debet esse Diaconus, ut advertit Meratus et Corsettus in ea adnotatione adducti. Merati verba in ea adnotatione leguntur. Corsettus autem Cap. 8 num. 5. haec habet illis simillima verba: *Tum Diaconus, qui debet esse ille, qui in Missae Officio inservire debet, et non alius ad hanc solam functionem, et ad cantandum tantummodo Praeconium, hoc enim repugnat Rubricae Missalis, neque in ullo habetur Caeremoniali, cum sit quiddam addere (quod est contra Bullam Pii V., et maxime notandum)* Quam opportune haec a Corsetto postrema verba addita sint, quisque per se videt: nam post reformationem, adprobationem et evulgationem Missalis, Pontificalis, Caeremonialis, Ritualis, Breviarii, nihil addi, nihil detrahi, nihil immutari potest, et in Litteris Apostolicis Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi monentur ut accuratae illorum observationi advigilent, quae statuta in illis sunt: hinc si quis quid addat, quid detrahat, quid immutet, tam eo ipso et novitatem inducit, et jure inobedientiae notam incurrit. Jam diversum Diaconum cantare Praeconium, diversum in Missa ministrare est contra Rubricae Missalis praescriptum. Si enim haec inspiciatur, et illius dispositio, patet manifestissime unum eundemque esse debere in utroque memorato Officio Diaconum, idque ex toto contextu eruitur, initio sumpto ab ignis benedictione ad licentiam usque, quae Populo datur discedendi ab Ecclesia. Mitto hic actiones, quae ad Diaconum spectant, quasque non memorat Rubrica, utpote illius muneris proprias, ac ab Arundine incipiam. *Tum*, inquit Rubrica, *Diaconus indutus Dalmatica albi coloris etc. . . . Diaconus elevans Arundinem . . . Diaconus dat Arundinem uni Acolytho* . . . deinde*: Completa benedictione Cerei, Diaconus depositis albis, sumit violacea paramenta, et vadit ad Celebrantem, qui exuitur Pluviali etc.* Quis, quaeso, Diaconus, nisi qui cantavit Praeconium? et hic non ad Sacrarium vestem depositurus sed ad Celebrantem accedit, depositis albis et sumptis violaceis paramentis. Demum inquit Rubrica: *Cum autem perventum fuerit ad Pec-*

catores: Te rogamus: Sacerdos et Ministri surgunt, et accedentes ad Sacristiam induuntur paramentis albis pro Missa solemniter celebranda: iidem igitur debent esse et Celebrans et Diaconus et Subdiaconus, si iidem Ministri; ergo ex Rubricis is, qui cantavit Praeconium, si loquamur de Diacono, si qui detulit Crucem, si loquamur de Subdiacono, de utroque enim dicitur quod debeat ministrare in Missa, nullum dubium de Subdiacono; cur de Diacono dubium excitari potest? Sed quid dico dubium excitatur? Cur diversus adhibetur Diaconus, dicere debuissem, et ex praxi quadem per abusum inducta in nonnullis Ecclesiis, diversus est Diaconus Missae a Diacono Praeconii. Praxis quae adversatur penitus Missalis Rubricae, ex qua dispositione et ordine inspectis infertur, unum eundemque esse debere Diaconum et Praeconii et Missae, quod quidem ex legitima illatione concluditur. Ratio autem hujus illationis patet ex Officio ipso: nam qui Functionem incepit, idem et perficere debet. Hujus diei Officium unum idemque est, sive Praeconium respiciamus sive Missam; omnia simul sumpta Officium diei proprium constituunt; et licet diversa Ecclesia recolat, tamen Functionem unicam statuit peragendam. Si itaque Diaconus eam incepit, eam pariter et debet perficere; nisi peculiaris aliter agendi sit ratio, aut Rubrica ipsa aliter faciendum non indigitet. Sed ratio non adest aliter peragendi. Rubrica aliter peragendum non innuit: idem igitur Diaconus debet esse et Praeconii et Missae. Quod spectat ad Rubricam, si haec disponit diversum esse debere in aliqua functione Ministrum, non omittit sane vel indicare, vel etiam praecipere, ut evenit, cum Feria V. in Coena Domini alium Subdiaconum innuit esse debere a Subdiacono Missae pro deferenda Cruce in Processione: *Et fit Processio more solito, alio tamen Subdiacono parato Crucem ferente.* Haec Ministri diversitas non indigitatur a Rubrica quoad Diaconum in Sabbato Sancto, sed unus idemque innuitur; a Rubricae igitur dispositione non est recedendum. Recte proinde statuunt Auctores unum eumdemque esse debere pro utroque Officio Diaconum, et tamquam Rubricae violatores diversimode agentes considerant, cum audeant sic a Rubricae praescripto declinare. Si omnia secundum ordinem fieri debent, eo magis cum de Ritibus agitur, quorum unus in Ecclesiasticis functionibus legitimus et accuratus est omnino retinendus ac religiose servandus. Haec fuit Summi Pont. Syxti V. Constitut. LXXIV. maxima cura in S. R. Congregatione statuenda, ut Sacri Ritus ubivis locorum, in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, a quibusvis personis diligenter observarentur; ut caeremoniae, si exoleverint, restaurarentur; si depravatae fuerint, reformarentur; si immutatae, ad ordinem revocarentur. Quae olim fuit Summorum Pontificum cura, ea ipsa adhuc est et Summi Pontificis, quem sospitem Deus servet, ea ipsa adhuc est Sacr. Rit. Congregationis, quae ritus omnes ut reviviscant, restaurentur, ad ordinem revocentur, accuratissime serventur, et proprio munere adnititur, ut sic et splendor Divinae majestatis magis effulgeat, et Fideles ad Divinarum rerum contemplationem sustollantur, ut inquiunt Tridentini Concilii Patres, et Supremae Apostolicae Sedis, a qua dimanat legislativa auctoritas, observetur. Habitualis autem rituum et caeremoniarum inobservantia tacitum, ut plurimum, potest inferre contemptum et leviorum etiam Rubricarum omissio, vel mutatio, et libera illarum interpretatio confusionem in Ecclesia parere possunt, et ad Dei opus negli-

genter peragendum inducere. Non me latet, hac ipsa in re, de qua loquimur, in eadem Tiburtina, et videri potest, S. Congregationem consulendo Sanctissimo respondisse; se quid hoc probat? nisi S. Congregationem, cujus munus est vigilare Rubricarum observationi, allatam in contrarium consuetudinem noluisse admittere, sed attentis peculiaribus circumstantiis inclinasse, forsan ad illam non penitus saltem excludendam, sed eodem tempore noluisse eam propria auctoritate aut adprobare aut confirmare, utpote Rubricae dispositioni non apprime conformem, et, si quae Indulgentia hac in re posset concedi, a Supremo Pastore concederetur, quemadmodum revera factum est. Sed peculiaris haec Tiburtinae Ecclesiae Cathedrali ob peculiares rationes concessa Indulgentia generalem non constituit dispensationem, adeo ut liberum cuique sit ea uti. Si enim eadem non adsint rerum adjuncta, fortasse nec alteri Ecclesiae concedetur, eoque minus poterit aliqua Ecclesia per se hanc sequi praxim: persaepe enim evenit ut Diaconus Praeconii diversus sit a Diacono Missae non ex necessitate, *non ex vocis defectu, vel ex voce aut nimis aspera, aut ad modulationem inepta, sed ex quadam vocis ipsius ostentationis specie alius seligatur Diaconus*, qui adstantium concinna nimis vocis modulatione alliciendo aures, plausus captare velit ac laudes. Nisi igitur necessitas adsit, unus idemque esse debet Diaconus Praeconii et qui in Missa ministrat, sine enim necessitate aut rationabili causa *Rubrica accuratissime servanda est*, nec ab ea declinandum, et omnis illius interpretatio, si qua in tam clara illius dispositione esse potest, excludenda est.

2) Def. patenam in s. Communione.

Vd.: *Assistens Presbyteri.*

Presbyterum assistentem non debere subtus Pluviale stolam gestare nec fidelibus cum patena ministrare, quoties Eucharistica Communio instituenda est, sed utrumque spectare ad Diaconum. S. R. C. 11. Mart. 1837.

3) Ministrat incensum.

Cf.: *Incensum.* (quis etc.); *Assistens Episcopi*; *Diaconus etc. Episcopi* (incensat Episcopum).

Diaconus, quotiescunque thurificatur *altare*, incensum ministrare tenetur. n. 1597 ad 4 die 5. Sept. 1648.

4) Porrig. Celebranti SSmum. et recipit.

Vd.: *Ostensorium.*

DIACONUS ET SUBDIACONUS MISSAE.

1) Abbatis.

Cf.: *Usus Pontificalium.*

Abbates contenti esse debent Diacono et Subdiacono, qui in missa cantaturi erunt Epistolam et Evangelium. n. 531 die 18. Mart. 1617.

Vd.: *Diac. ass. abb.*

2) Archipresbyteri.

In functionibus extraordinariis non teneri Canonicos Archipresbytero solitam assistentiam diaconalem et subdiaconalem praebere. n. 1544 ad 9 die 16. Sept. 1645.

3) In benedict. Palmarum.

Ad dubium: Quum Caeremoniale Episcoporum lib. 2 cap. 21 num. 4 mandet, ut Epistola et Evangelium Benedictionis Palmarum decantentur ab iis Ministris, qui in Missa ministraturi sunt, quaeritur: utrum haec observanda sint, quamvis Benedictio

Palmarum fiat ab Episcopo, et Missa celebretur ab alio cum Ministris non Canonicis, vel potius duo Canonici in Missa non ministraturi debeant Epistolam et Evangelium supradictum decantare?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Affirmative ad primam partem, negative ad secundam“.

Atque ita rescribere censuit et declarare. n. 5180 ad 1 die 25. Sept. 1852.

4) Canonicorum Cathedralis.

a) In ipsa Cathedrali.

Vd.: *Purificatio B. V. M.; Diaconus in Missa convent.; Mansionarii; Osculum manus Epis. et Celebrant.*

Canonicos teneri ad inserviendum pro Diacono non solum Dignitati sed etiam cuique alii Canonico solemniter celebranti. n. 810 die 31. Mart. 1629; n. 1459 die 11. Julii 1643.

Canonico solemniter celebrante Canonicos pariter pro Diacono et Subdiacono et non alios inferiores inservire debere, non obstante contraria consuetudine, quam abusum. n. 901 ad 1 die 8. Mart. 1631; n. 1094 die 24. Sept. 1638; n. 1271 die 6. Oct. 1640; n. 1699 die 28. Mart. 1654; n. 2124 die 23. Julii 1661; n. 2280 ad 1 die 12. Julii 1664 cum appendice: „Teneri etiam absente Episcopo“ Archiepiscopum Baren. posse et debere compellere Canonicos Cathedral., quando non sunt legitime impediti, per se ipsos et non substitutos ad inserviendum Canonico celebranti pro Diacono et Subdiacono sub censuris et poenis, etiam auctoritate S. C. n. 2826 die 10. Julii 1677.

Decreta jam emanata habere locum in *omnibus functionibus*, in quibus celebrante Dignitate requiritur Diaconus et Subdiaconus. n. 907 ad 1, die 22. Mart. 1631. — Non vero habere locum in *Vesperis et Matutinis*, quia in ipsis non adhibetur neque Diaconus neque Subdiaconus. *Ibidem ad* 2. — Habere vero decreta iterum locum, sive Dignitas celebret pro Episcopo sive per turnum ad Dignitatem spectantem. *Ibidem ad 3;* et n. 2280 ad 1 die 12. Julii 1664.

Canonicis antiquioribus solemniter celebrantibus pro Diacono et Subdiacono inservire debere Canonicos habentes praebendas diaconales et subdiaconales non obstante statuto et consuetudine in contrarium allegatis, quam abusum esse. n. 937 die 22. Novemb. 1631.

Habentes Canonicatus seu Praebendas diaconales vel Subdiaconales, etiam cum Dignitate, onera illis adnexa obire debere n. 1610 die 23. Aug. 1649. — Dictum decretum non comprehendere Dignitates, quae habent Praebendas Diaconales *perpetuo unitas*, nec tales Dignitates in posterum esse apponendas in turno Diaconorum. n. 1662 die 22. Mart. 1653.

Dignitates Cathedr. Gerund. cogi non possunt ad Evangelium canendum celebrante Canonico vel alio Portionario inferiore. n. 3532 ad 2 die 3. Oct. 1699; n. 3855 ad 5 die 26. Aug. 1713.

Vd.: *inf. decr. n. 1252; 3456; 3030.*

Dignitates Cathedralis Sarnensis non tenentur ad exercendum Officium Diaconi et Subdiaconi in missis sol. et conventualibus. n. 3629 ad 2 die 1. Julii 1702. Nec tenentur consolvere pro Solario duobus presbyteris a Canonicis assignato pro explendo munere Diaconi et Subd., nec tenentur per se ipsos explere hoc officium. *Ibid.* ad 3 et 4.

Canonico celebranti Canonicos pro Diacono et Subdiacono et non alios inferiores inservire debere. n. 955 die 30. Apr. 1632; n. 113 die 22. Jan. 1639; n. 1209 die 31. Mart. 1640;

n. 1216 die 31. Mart. 1640; n. 1448 ad 6 die 16. Maji 1643.

Decanum habentem praebendam presbyteralem et diaconalem inservire debere in *utroque* Officio, si vult gaudere illorum proventibus. n. 1252 die 21. Aug. 1640.

Canonicum, qui simul est Organista, propter hoc onus non excusari, quominus teneatur suum Officium Diaconi ut caeteri praestare. n. 1472 die 8. Aug. 1643.

Illud verbum „*In solemnibus Missis*" intelligendum esse de illis festis, in quibus (Dignitates et Canonici) tenentur celebrare ex obligatione Capituli. n. 2280 ad 2 die 12. Julii 1664.

Ad dubium: An Dignitates et Canonici Cathedr. Sarnen. teneantur in missis sol. et conv. praecipue in diebus festis ex obligatione capitulari assistere semetipsis gradatim in ministerio Subdiaconi et Diaconi, non obstante antiqua consuetudine, quam praetendunt, sufficiendi alios simplices Sacerdotes non de gremio Capituli ad exercendum Off. Diaconi et Subd. . . etiam assistente Episcopo; an vero hoc munus obire teneantur, Episcopo dumtaxat pontificaliter celebrante? S. C. resp.: Canonicos semper et quandocunque teneri. n. 3248 die 15. Sept. 1691.

In omnibus et singulis diebus, in quibus missae cantantur per Dignitates seu Canonicos, Canonicos pariter debere inservire in Officio Diaconi et Subd., non obstante quacunque contraria consuetudine. n. 3281 ad 1 die 14. Junii 1692; n. 5069 die 27. Febr. 1847.

In Ecclesia Cathedr. Nuceriae nulla est distinctio Ordinum Canonicorum Diaconorum et Subd., sed omnes recipiantur absque ulla differentia actu Sacerdotes. Canonici vero *antiquiores* cum recusent inservire pro Diaconis et Subd. junioribus missam celebrantibus et propterea ad illas cantandum non admittant, S. C. resp.: Non obstante consuetudine quacunque in contrarium teneantur omnes Canonici, exceptis Dignitatibus, sibi invicem ministrare, nullo habito respectu ad receptionem sive antiquiorem sive recentiorem. n. 3456 die 25. Jan. 1698; n. 4627 die 22. Sept. 1827.

Ad dubium: An *Capellani Capellaniarum* erectarum in Cathedr. Alexandrina vigore dispositionis quondam Canonici Pumesani teneantur inservire in Officio Diaconi et Subd. Dignitatibus vel Canonicis ejusdem Cathedralis celebrantibus? S. C. resp.: Negative et amplius proponi vetuit. n. 3826 die 17. Maji 1710.

Solemniter celebrante uno ex Canonicis (Cathedralis Neritonen) non tenentur Dignitates ei assistere in munere Diaconi et Subdiaconi, sed servetur solitum. n. 3030 ad 2 et 3 die 12. Mart. 1735.

In quadam Cathedrali, quando celebrat Canonicus, Diaconus et Subd. aliquando sunt inferioris ordinis. An haec consuetudo retineri possit? S. C. resp.: Affirmative. n. 4536 ad 4 die 4. Junii 1817.

b) Extra Cathedralem.

Canonici non tenentur inservire in Officio Diaconi et Subd., nisi Canonici celebrent extra Cathedralem ex obligatione Capituli. n. 220 ad 3 die 12. Julii 1664.

5) Canonicorum Collegiatae.

a) In ipsa Ecclesia Colleg.

Canonicos Collegiatae Canonicis solemniter celebrantibus non teneri pro Diacono et Subdiacono inservire, nisi Praebendae sunt distinctae, alias servandum esse solitum. n. 1569 ad 2 die 17. Novb. 1646.

Distributionem muneris Diaconi et Subdiaconi (in Eccles. Colleg.) esse faciendam a prima Dignitate juxta cujusque praerogativam et per turnum, quatenus ab alia Dignitate hujusmodi distributio fieri non consueverit. n. 1569 ad 3 die 17. Novb. 1646.

Laudandos esse Canonicos (Collegiatae s. Petri Dioeces. Spoletanae), si Concanonico celebranti assistentiam Diaconi et Subdiaconi praestent, *sed ob paucitatem numeri Canonicorum eos nullatenus cogendos esse.* n. 2088 die 18. Decb. 1660.

b) Extra Collegiatam.

Non teneri Canonicos Diaconos. . . Canonicis celebrantibus extra Collegiatam inservire nisi interveniente Capitulo. n. 1139 die 16. Apr. 1639. n. 1156 die 23. Maji 1639.

Dignitatibus et Canonicis Missas et vesperas solemniter ubicunque extra propriam Ecclesiam celebrantibus, competit jus habendi assistentes in Officio Diaconi et Subdiaconi de gremio Capituli Colleg., quando totum Capitulum convenire debet. n. 4407 ad 19 die 10. Sept. 1782.

6) Celebrantis missam, cui Episcopus assistit.

Diaconus et Subdiaconus post Episcopum et Celebrantem stantes inter se confessionem ipsam absolvent medii inter Canonicos assistentes, si Diaconus et Subdiaconus fuerint Canonici; sin minus, a sinistro latere simul stantes post Episcopum et Celebrantem. n. 2805 ad 6 die 14. Novemb. 1676. Vd.: *Episcopus assist. missae solemni.*

7) Coadjutoris.

Canonicos teneri inservire Archidiacono et Coadjutori sol. celebrantibus. n. 3388 die 7. Apr. 1696.

In absentia Coadjuti in omnibus functionibus canonicalibus teneri Canonicos inservire et ministrare juniori Canonico Coadjutori eo modo, quo tenentur Canonico antiquiori Coadjuto. n. 396 die 10. Jan. 1609.

8) Dignitarii Cathedralis.

Cf.: *Mitra*; *Coadjutor Canonicorum.*

Librum Caeremonial. non prohibere, quin Canonici Dignitati seu alio Canonico celebranti assistere possint et debeant cantando Epistolam et Evangelium; et ideo in hoc a solito non esse recedendum. n. 303 die 4. Mart. 1606.

Cum indecorum sit, digniorem inferiori ministrare, S. R. C. censuit, non convenire, ut Canonici Ecclesiae Cath. serviant seu ministrant simplici presbytero non Canonico celebranti cantando Epistolam et Evangelium. n. 492 die 5. Junii 1614.

Diaconi et Subdiaconi Canonicorum assistentiam primae Dignitati Missarum solemnia peragenti deberi. n. 1888 die 6. Apr. 1658; n. 3339 die 4. Sept. 1694; n. 4280 die 7. Julii 1759.

Convenire, ut dum in diebus festivis et solemnibus Decanus Missam solemnem celebrat, duo Canonici ei assistant, cantando Evangelium et Epistolam. n. 500. die 14. Febr. 1615; n. 1872 die 16. Mart. 1658.

Stante etiam penuria Canonicorum in choro, celebranti Dignitati debetur assistentia duorum Canonicorum (Diaconus et Subdiaconus) n. 803 die 17. Martii 1629; n. 2025 die 24. Jan. 1660.

Canonicos teneri ad inserviendum pro Diacono non solum Dignitati solemniter celebranti, sed etiam cuique alii Canonico pariter celebranti. n. 810 die 31. Mart. 1629.

Dignitate solemniter celebrante Canonicos pariter pro Diacono et Sub-

diacono et non alios inferiores inservire debere, non obstante contraria consuetudine, quam abusum. n. 901 ad 1 die 8. Mart. 1631.

Dignitati . . . celebranti Canonicos pro Diacono et Subdiacono et non aliores inferiores inservire debere. n. 955 die 30. Apr. 1632; n. 1209 die 31. Mart. 1640; n. 1216 die 31. Mart. 1640; n. 1317 die 20. Apr. 1641; n. 1334 die 6. Julii 1641; n. 1539 ad 2 die 26. Aug. 1645; n. 1671 die 24. Maji 1653; n. 1696 ad 4 die 7. Martii 1654; n. 1761 die 7. August 1655.

Dignitatibus solemniter celebrantibus Diaconum et Subdiaconum debere assumi ex numero Canonicorum, contraria consuetudine non obstante. n. 1502 ad 3 die 14. Maji 1644.

Prima Dignitas non potest uti Diacono et Subdiacono, qui sint etiam presbyteri. n. 1683 die 9. August 1653.

Dignitati seu Canonico solemniter celebranti Canonicos pariter inservire debere in Officio Diaconi et Subdiaconi *quamvis Praebendae non sint distinctae*. n. 1946 die 7. Decb. 1658.

Attento, quod Praebendae canonicales sint presbyterales, Canonicos Cathedralis Amalphitanae Dignitatibus celebrantibus non teneri inservire pro Diaconis. n. 2756 die 23. Novemb. 1675.

Canonicos primae Dignitati solemniter celebranti in Sabbato s. et Sabbato Pentecostes ad Ministerium Diaconi et Subdiaconi praestandum omnino teneri. n. 1724 die 22. Aug. 1654; n. 1769 die 8. Oct. 1655.

Canonicos Cathedralis etiam *per Ordinarium* ad inserviendum in Officio Diaconi et Subdiaconi Dignitatibus celebrantibus *compellendos* esse n. 1941 die 7. Decb. 1658; n. 4004 ad 7 die 24. Novb. 1731.

Ad Praepositum spectat jus cantandi Missas et Vesperas cum assistentia Diaconi et Subdiaconi Canonicorum in solemnioribus. n. 2475 ad 2 die 23. Mart. 1669.

Ad dubium: An Canonicus turno adstrictus exercere Officium Diaconi in missa sol., assistente Episcopo, possit hoc off. comittere suo Coadjutori et insimul exercere per se ipsum alterum Officium libri coram Episcopo in praejudicium Praebendati immediate sequentis? S. C. resp.: Negative n. 4047 die 23. Junii 1736.

Canonicos tam ordinis diaconalis quam subdiaconalis per turnum teneri ad assistentiam Praeposito tam in solemnioribus quam in dominicis, quando ipsemet celebrat, nec tolerandam consuetudinem assumendi duos presbyteros extra gremium Capituli. n. 2486 ad 1 die 20. Julii 1669; n. 2493 die 31. Aug. 1669.

Canonici tenentur assistere Archidiacono (Dignitati) Ecclesiae Macerat. in missa et processione SS. Corp. Chr. in Officio Diaconi et Subdiaconi. n. 2890 ad 1 die 17. Junii 1678.

Ad dubium: An Archidiacono sol. celebranti debeatur assistentia a tribus ultimis Canonicis? S. C. resp.: Deberi assistentiam Canonicorum pro Diacono et Subd. tantum. n. 3373 ad 2 die 17. Decb. 1695; n. 3674 ad 2 die 23. Febr. 1704.

Solemniter celebrante una ex Dignitatibus (Cathedralis Neritonen) non tenentur alii Canonici assistere in munere Diaconi et Subdiaconi sed servetur solitum. n. 4030 ad 1 et 3 die 12. Mart. 1735; n. 4358 ad 12 die 7. Decb. 1771.

Canonici Cathedral., in quibus nulla adhuc invecta sit consuetudo aut particularis institutio et ubi Praebendae canonicales nullimode sunt distinctae in Presbyterales, Diacon. et Subdiaconales, tenentur ex jure ministrare pro Diacono et Subd. Dignitati . . . sol.

missam conv. celebranti n. 5019 ad 3 die 14. Junii 1845.

Canonicos Collegiatae inservire debere pro Diacono et Subdiacono Dignitatibus solemniter celebrantibus. n. 1569 ad 2 die 17. Novb. 1646; n. 3430 ad 7 die 22. Junii 1697; n. 3455 ad 4 die 25. Jan. 1698; n. 4475 die 20. Maji 1801.

Canonicos Collegiatae famulari debere in Officio Diaconi et Subdiaconi Abbati solemniter celebranti. n. 1947 die 7. Decb. 1658; n. 3445 ad 2 die 5. Oct. 1697.

Abbati Collegiatae Aquilanae solemniter celebranti Canonicos in Officio Diaconi et Subdiaconi inservire debere. n. 3199 ad 1 die 30. Julii 1689.

In Ecclesiis Colleg. Diaconus et Subdiaconus (quamvis Canonici), qui inserviunt Celebranti in benedictionibus Candelarum etc., debent etiam inservire sol. Missae, quae ab eodem, qui benedicit, semper celebrari debet. n. 3416 ad 2 die 30. Mart. 1697.

Ad dubium : An absente vel impedito Canonico Diacono vel Subd. teneatur in functionibus supplere Canonicus junior Sacerdos seu potius Sacerdos Capellanus personaliter residens aut alius simplex Sacerdos sumptibus dictorum Canonicorum Diaconi vel Subdiaconi? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3962 ad 7 die 7. Julii 1725.

Non licere Praeposito Collegiatae Finarii celebrare missas sol. cum duobus Diaconis et duobus Subdiaconis et Presbytero assistente parato pluviali. n. 2959 die 7. Junii 1681.

10) Episcopi.

a) Canonicus est.

Cf.: *Confessio*; *Sandalia.*

Epistolam et Evangelium cantare debere duos Canonicos ex ordine Diaconali et Subdiaconali, modo tamen sint distincti inter Canonicos Ordines; alioquin duos ex *ordine presbyterali* illud munus *per turnum* singulos peragere debere. n. 21 ad 6 die 23. Mart. 1592; n. 3281 ad 2 die 14. Junii 1692. Vd.: *Diaconi ass. in Eccl. Cath.* (decr. n. 4176).

Posse Dignitatem vel Canonicum munia, Epistolam et Evangelium cantare, per alium adimplere *cum licentia Episcopi*, dummodo *ipse* Canonicus provideat de serviente seu ministrante pro eo. n. 230 die 10. Jan. 1604.

Deservire debere Episcopo celebranti personas de Capitulo et nullo modo alios, qui non sint de eodem Capitulo. n. 1019 die 26. Maji 1635.

Archiepiscopum, dum in aliis Ecclesiis quam in Cathedr. pontificaliter celebrat, propriorum Canonicorum ministerio uti debere. n. 1464 ad 2 die 11. Julii 1643.

Decano in ministerio Primicerii, cujus est Coadjutor, impedito, Officium de Diacono per Canonicum in ordine proximiorem esse exercendum. n. 1468 die 8. Aug. 1643.

Si nullus presbyter Canonicus aderit, praeter Dignitates, tunc aliquem ex ipsis Dignitatibus teneri ad supplendum locum Diaconi deficientis. n. 1726 die 22. Aug. 1654.

In missa pontificali Episcopi tres Canonicos assistere et alios duos in officio Diaconi et Subdiaconi ministrare debere. n. 1741 die 14. Novb. 1654.

Episcopo injungendum esse, ut auctoritate etiam S. R. C. Canonicos compellat ad observanda decreta circa assistentiam Diaconi et Subdiaconi. n. 1956 die 15. Febr. 1659.

Inchoatis missarum solemniis imo et s. induti vestibus si semel ad Episcopum Diaconus et Subdiaconus eidem famulatum exhibituri accesserint, inde a supervenientibus dignioribus Cano-

nicis removeri non debent. n. 2805 ad 1 die 14. Novb. 1676.

In fer. V. Coena Dom. Episcopus pedes Canonicorum lavans habere debet Dignitatem, quae munus Diaconi, et Canonicum, qui munus Subdiaconi subeunt. n. 4317 ad 8 die 6. Aug. 1763.

Ad dubium: An duo primi Canonici post primam Dignitatem sedentes debeant assistere Episcopo celebranti in habitu diaconali vel potius unus servire debeat in Officio Diaconi Evangelii, et alter in Officio Subdiaconi? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4827 ad 1 die 23. Sept. 1837.

b) In Coena Domini.

Vd.: *Coena Dom.* (Consecr. Oleor. s.; Presbyt. numerus, decr. n. 5187.)

c) Diaconus incensat chorum.

Vd.: *Incensatio Cleri* (a quo facienda); *Diaconi assist.* (porrig. SSmum); *Diaconi assist. in conf. Ordinib.*; *Reverentia incensantis.*

Evangelium in Missa pontificali cantans thurificare debet Canonicos aliosque de Capitulo juxta rubricas Pontificalis. n. 33 ad 3 die 17. Novb. 1592. Etiam in Missa conventuali. *Ibid.* ad 5.

Non videtur sub quovis praetextu consuetudinis excusandus Diaconus Evangelii, quin Chorum thurificet juxta regulas Caeremon. n. 374 ad 10 die 15. Mart. 1608.

d) Diaconus minist. navic. et incensat Episcopum.

Diaconum Evangelii Episcopo ad *altare* existenti naviculam ministrare et eum *ibi* thurificare debere. n. 21 ad 6 die 23. Mart. 1592.

Diaconus, quotiescunque thurificetur *altare*, incensum ministrare tenetur. n. 1597 ad 4 die 5. Sept. 1648.

e) Elevant brachia.

Ad dubium: An Episcopo ascendente et descendente gradus Diaconus et Subd. teneantur brachia Episcopi sustentare? S. C. resp.: Servetur Caerem. L. 1. c. 8. n. 3845 ad 5 die 27. Febr. 1712.

f) Induunt Episcopum.

Vd.: *Canonici assist.* (an induunt Episcop.); *Sandalia*; *Tertia.*

g) In Processione SSmi.

VIGILERANEN.

Emi., e Rmi. Signori.

Il Canonico Pietro Gilardini della Citta di Vigevano divotamente espone, che in quella Cattedrale nel giorno del *Corpus Domini* nella consueta Processione si porto egli ad assistere Monsig. Vescovo in qualita di Diacono, come precedentemente nella medesima qualita lo aveva assistito nella S. Messa. Non mancarono alcuni oppositori, i quali pretendevano, che il Diacono, e Subdiacono della Messa non gia, ma i due Diaconi assistenti dovessero eseguire quella Sagra Funzione. Ad evitare pertanto negli anni avvenire consimili contestazioni, che potrebbero provocare scandalo nel popolo, e fissare insieme una massima, colla quale progredire senza errore, il supplicante umilmente implora l'oracolo dell' Eminenze Vostre Reverendissime. Che ec.

Sacra autem Congregatio Rituum audita relatione a Secretario facta in Ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die habitis, rescribendum censuit: „Servetur Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. XXXIII. num 8. 17. 22." Die 6. Septembris 1834. n. 4736.

h) In Sabb. s. et Vigil. Pentecost.

Vd.: *Lytaniae in Sabb. s.* (Depositio Param.); *Episcopus* (paramenta.)

11) Episcopi Suffrag.

Vd.: *Suffragan. celebrans* (Assist. et Ministri).

12) Locus sese induendi.

Recineten.

Sacrorum Rituum Congregationi sequens propositum fuit Dubium ex parte Capituli Cathedralis Ecclesiae Recineten., ut illud de more declarare dignaretur, nimirum: An beneficiati ipsius Cathedralis, qui Diaconi et Subdiaconi munia exercere debent, possint ac debeant indui Paramentis Sacris in eadem Mensa, in qua Planeta vel Pluviali se induit Celebrans etiam si hic sit Canonicus et Dignitas. Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: „*Affirmative:* die 16. Martii 1833". n. 4706.

13) Manus non admovent ad altare infra genuflexionem.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 7.

14) In Missa cantata conventuali.

Vd.: *Diaconus Missae Dignitarii* (decr. n. 5019.)

Sacerdotes, qui non sunt de gremio Capituli, nec ex certis vel incertis Cathedralis redditibus aliquid percipiunt, non posse cogi ad inserviendum pro Diacono et Subdiacono in Missis cantatis. n. 1550 die 13. Jan. 1646.

Canonici in Missa conventuali Celebranti in Officio Diaconi et Subdiaconi famularentur. n. 1890 die 8. Junii 1658.

Canonicos Cathedralis ad inserviendum in Officio Diaconi et Subdiaconi Canonico missam conventualem celerante teneri diebus festivis et duplicibus tantum, reliquis vero diebus posse servari consuetudinem celebrandi missam convent. etiam sine ministris ad ritum in Missali rom. praescriptum. n. 1942 die 7. Decb. 1658.

15) In missa lecta.

Ad dubium: Utrum loco Missae solemnis cum cantu, ad evitandam diuturniorem moram, celebrari possit Missa lecta, eidem inservientibus Diacono et Subdiacono Dalmatica et Tunica indutis?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Negative in omnibus". n. 5211 ad 1 die 21. Julii 1855.

16) In aliis Missis solem.

Vd.: *Evangel.* (quo modo cantant.)

Etiam Regulares cujuscunque Ordinis et Instituti, etiam Societatis Jesu teneri in missis solemnibus adhibere Diaconum et Subdiaconum. n. 1653 die 5. Oct. 1652.

17) Non induunt Celebrantem.

Diaconus et Subdiaconus non debent adjuvare celebraturum, dum sacras induit vestes. n. 2791 ad 3 die 13. Juuii 1676.

18) In Processione.

Sustineri non potest consuetudo, ut in processionibus aliisque s. functionibus, in quibus Celebrans est indutus pluviali et ejus ministri dalmaticis, dicti ministri incedant in medio processionis unus post alium ante Celebrantem, ad latera vero Celebrantis assistant duo Canonici sive parochi, induti superpelliceo; sed Ministri dalmaticis induti debent incedere unus

ad dexteram alter ad sinistram Celebrantis n. 4326 ad 3 die 23. Aug. 1766.

S. DIDACUS.

Occurrente festo translationis s. Didaci (dupl. min. ex concessione Alex. VII.) fer. 2. Rogationum cum alio festo dupl. min. et cum festo semidupl., festum translationis s. Didaci transferendum ad aliam diem non impeditam. n. 2988 ad 3 et 4 die 13. Junii 1682.

DIES.

1) Anniversarius.

Vd.: *Annivers.* (dies fixus.)

2) Assignatus.

Cf.: *Dies fixus*; *Translatio.*

Die 27. Septembris, in quo celebratur solemniter Festum et Officium sub ritu dupl. primae classis S. Cosmae et Damiani supradictae Basilicae Titularium, occurrit etiam Festum SS. Antimi, Leontii, Euprepii pariter Martyrum ac germanorum Fratrum eorumdem S. Cosmae et Damiani, quorum omnium Sacra Corpora in eadem Basilica asservantur: quod quidem Festum colitur sub ritu dupl. maj., et celebrari consuevit die sequenti, nempe 28. ejusdem mensis Septembris: unde supplicatur, ut ita imposterum perpetuo servetur, ac si esset dies propria.

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:

„Pro gratia juxta petita". n. 3901 ad 3 die 12. Junii 1717.

3) Cinerum.

Cf.: *Cineres*; *Dies octava* (non commem.)

Pro parte Monialium Benedictinarum Ecclesiae Sanctorum Cosmae et Damiani in Terra Tagliacotii Dioecesis Marsicanae expositum fuit apud S. R. C., quod concessum fuit Congregationi Cassinensi, ut cum octava possit recitari officium s. Benedicti et S. Scholasticae etiam in quadragesima: et quia variae sunt opiniones circa celebrationem diei Cinerum, cum cadit infra octavam S. Scholasticae: quapropter dictae Moniales supplicarunt pro declaratione, ut infra, videlicet:

1. An tali die Cinerum in laudibus debeat fieri commemoratio octavae, relinquendo solitas commemorationes Sanctorum, preces ad Primam, Officium B. V. M., Psalmos graduales, et Orationes Horarum stando dicere?

2. An in tali officio, relinquendo commemorationem octavae, debeant solitae commemorationes recitari, preces ad Primam dicere, et Officio B. M. V. cum Gradualibus satisfieri, et Orationes horarum audiri flexis genibus, vel quomodo?

3. An Missa Conventualis debeat concordare cum Officio infra octavam et debeat dici de feria?

Et eadem S. R. C. respondit:

Ad 1. „Negative".

Ad 2. „Serventur omnino Rubricae Fer. IV. Cinerum".

Ad 3. „Dicenda Missa de Feria".

N. 2973 die 24. Januarii 1682.

In Off. Fer. IV. Ciner. relinquendo commemor. Octavae debent Privilegiati dicere preces, psalmos, graduales etc. et servare omnino rubricas. Fer. IV. Ciner. S. R. C. 24. Jan. 1682.

Cf.: *Octava* (cessatio).

4) Festivus.

Ad dubium: An nomine diei festivi veniat in Caeremoniali Dominica quaecunque et quodcunque festum dupl. min. aut majus? S. C. resp.: Affirmative. n. 3664 ad 3 die 22. Sept. 1703.

5) Fixus.

Cf.: *Dies assignatus*; *Translatio festi perp. transl.* (decr. n. 4166; 4039.); *Calendarium*; *Annivers.* (dies fix.); *Martyres quadrag.*; *S. Mar. Magd. de Pazz.*; *S. Barbara*; *Dies natalis.*

Quando a Sede ap. aliquod festum dupl. vel semid. institutum vel instituendum occurrat eodem die festo dioecesano ejusdem ritus, de instituto pro universali Ecclesia Officium prius est recitandum, et si non sint ejusdem ritus, Episcopus non potest in sua Dioecesi minus digno diem fixum assignare. n. 3463 ad 1 et 2 die 15. Mart. 1698.

Officia, quae debent transferri, non transferri ad diem fixam sed ad primam diem non impeditam juxta rubricas de transl. fest. n. 3008 ad 3 die 28. Novb. 1682.

Nemo valet assignare diem fixum Sanctis translatis sine speciali decreto S. R. C. Ita S. R. C. 28. Novb. 1682.

Nullum Officium transferri debet in diem fixum nisi aliter indultum fuit a Sede apost. S. R. C. 10. Jan. 1693.

Non licet PP. Capuccinis nec aliis cujusvis Ordinis regul., qui non utuntur Breviario PP. Min. Obs. in usum deducere rubricam in dicto Brev. anni 1696 n. 15 expressam: *Quando autem plura Officia de praecepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrant, ut translatio alicujus seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita, assignanda censetur in perpetuum pro die propria festi translati respective.* Siquidem concessio facta utentibus Breviario Min. non extenditur ad non utentes. S. R. C. 28. Aug. 1706 in *una PP. Cap. Prov. Leodien.*

Cum pluries occurrant quotannis eodem die duo festa Sanctorum, quorum unum juxta rubricas est transferendum, petitum fuit ex parte Archiepiscopi et Capituli Hispalensis, ut quoties perpetua est talis occurrentia, assignetur ei, quod transferendum est, dies propria et fixa, prima nempe dies non impedita. S. R. C. resp.: Sanctis, qui perpetuo sunt transferendi, sit assignanda dies fixa et commisit eidem Revdssmo. Archiep., ut pro unica vice deveniat ad hanc assignationem dierum. die 26. Novb. 1735.

6) Irae etc.

(Cantanda in missa de Requ.)

Vd.: Missa de Requ. sol. (Ritus). *Sequentia in missa de Requ.*

7) Natalis.

Vd.: *Dies fixus.*

Dies Natalitii ii omnes habendi sunt, qui licet vere non sunt dies obitus, tamen ex decr. apost. assignati sunt festivitati alicujus Sancti veluti fixi et veluti propria eorum sedes. S. R. C. 28. Novb. 1682 *in Neapolitana.*

8) Obitus et tertius, sept. et trigesimus.

Vd.: *Officium Defunct.*; *Missa de requ. in die obitus etc.*; *Oratio pro def.*; *Missa de requi. in die 3. 7. et 30.*

Si trigesima vel septima aut tertia dies ab obitu defuncti incidat in diem dominicam, potest anticipari vel transferri in diem immediate sequentem, et ita semper debet enumerari a die obitus; si vero incidat in diem dominicam, in tali casu a die depositionis enumerandum erit, et in tertia, 7. et 30. semper canitur missa ex privilegio ut in die obitus. n. 4175 ad 7 die 4. Sept 1745; n. 197 ad 5 die 23. Maji 1603.

Vd.: *Missa de Requ. in die obitus in dominica.*

Ad dubium: An diebus 3. 7. et 30. a depositione defuncti, in quibus occurrit Officium duplex per annum, non tamen festivis de praecepto, celebrari possint Officium et Missa def.

et an praedicti dies numerari debeant a die obitus vel depositionis? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, dummodo sermo sit de missa cantata; ad secundam partem dies 3. 7. et 30. posse numerari a die obitus sive a die sepulturae juxta diversam Ecclesiae consuetudinem. n. 4336 ad 2 die 23. Aug. 1766.

9) Octava.

a) Non commemoratur.

Vd.: *Commemor. octavae*; *Commemor.* (*omittenda*); *S. Scholastica* (decr. de die 23. Jun. 1736). *Octava* (cessatio).

Ad dubium: Num facienda sit commemoratio diei octavae alicujus Sancti, de quo ex privilegio intra Quadrag. recitatur, quando praedicta dies octava incidit in fer. IV. Cinerum? S. C. resp.: Negative juxta alias decr. praesertim in Marsicen die 2. (4.) Jan. 1682 et in Einsidl. 29. Junii 1736.; n. 4900 ad 1 die 12. Sept. 1840.

b) An permittit aliud festum?

Cf.: *Festum fixum.*

Ad dubium: An festa affixa dominicis diebus v. g. Patrocinii, Raphaelis etc. possint celebrari in diebus octavis? S. C. resp.: Non possunt transferri Officia illa affixa certis diebus, quae sunt concessa pro *locis et Ecclesiis particul.* ad eorum instantiam. At quando Officia praedicta sunt de praecepto pro aliquo statu sicuti sunt Officia plura B. V. M. concessa a. S. M. Benedicto XIII. pro Statu ecclesiastico affixa certis diebus, transferuntur. n. 4044 (alia dubia) dub. 10 die 5. Maji 1736.

Cum in die octava b. Joannis de Ducla, Compatroni Regni Poloniae incidat perpetuo festum s. Annae, qui dies magna cum devotione populi frequentatur, quaeritur: an debeat fieri Officium de s. Anna? S. C. resp.: De die octava s. Joannis habendum esse Officium, s. Annae vero die prima non impedita. n. 4171 ad 3 die 15. Maji 1745.

c) Vesperae.

Cf.: *Octava*; *Patrocinium B. V. M.*; *Translatio*; *Vesperae de B. V. M.*; *Commemor. in vesp.*; *Praesent. B. V. M.*; *Commem. Omn. fid. def.* (missa; decr. n. 3496.); *Octava Corp. Chr.*; *Fest. ss. Nom. B. V. M.* (decr. n. 3565); *Vesp. dimid.*; *Festum SS. Nom. Jesu* (decr. n. 4445.); *Dedicat. Eccles.* (Off. etc. decr. n. 3931); *Transfiguratio D. N.* (decr. n. 4500).

Ad dubium: Utrum Dignitas, qua gaudent festa apostolorum et Angelorum, extendatur ad horum diem octavum, quando cum octava celebrantur, ita ut, concurrente die octavo in I. vel II. vesp. cum festo dupl. min. inferioris dignitatis, integras sortiatur vesperas dies octavus cum sola commem. praecedentis vel subsequentis? S. C. resp.: *Negative.* n. 4401 ad 20 die 16. Febr. 1781.

d) Non transfertur.

Vd.: *Protector civitatis* (decr. n. 2311.); *Septem. dolor. B. V. M. in mense Sept.* (decr. n. 4541); *Commemorat. diei octavae*; *S. Januarius* (Officium; decr. n. 4097.); *S. Joachim* (transl. decr. n. 4175); *Octava Corp. Chr.* (privileg. decr. n. 4576 nota.); *Dedicatio Eccles.* (dies octava); *Octava privileg.* (decr. n. 4772).

Dies octava cujuslibet festi, quia non transfertur, excludit et transferri facit quodlibet festum dupl. sive majus sive minus, solisque cedit festis sol. I. vel. II. cl., nisi sit octava *privil.*, qualis est octava Epiph. Hinc apud Franciscanos, ubi festum s. Elisab. reg. Hung. celebratur cum octava, festum b. Delphinae occurrens in die octava, licet sit dupl. minus, transferri debet in primam diem non impeditam. S. R. C. 1 Mart. 1681.

Ad dubium: Quando dies octava

Sancti proprii cadit in festum Praesent. B. V. M., utrum transferendum sit festum B. V. M., vel solum fieri debeat comm. diei octavae Sancti proprii ut in simili casu refert Gavant. fieri Regii de s. Prospero, cujus dies octava est festum Visitat. B. V. M.? S. R. C. resp.: Transferendum esse fest. Praesent. B. V. M. juxta rubr. X. de transl. fest. n. 2 et in tabella de occurrentia, prout monet Gavant. sect. 3. c. 12. n. 20.; ibi enim aliter decrevit et specialiter indulsit S. C. in gratiam festi Visitationis B. V. M., quod ibidem colitur de praecepto; unde cum privileg. sit locale, non potest extendi de loco ad locum. S. R. C. 10. Jan. 1693.

Occurrente die octava Dedicationis cum festo Visitationis B. V. M. faciendum est Off. de octava translato Officio Visitationis. S. R. C. 21. Aug. 1688.

10) (Octavae) Ritus.

Cf.: *Vesperae dimidiatae.*

Dies octavae quarumcumque Festivitatum (excepta die octavae Epiph. Paschae, Ascensionis, Corporis Chr.) sunt duplicia minora, ideo in pari concursu cum duplicibus minoribus per annum dimidiatas habent Vesperas. n. 2928 ad 12 die 7. Sept. 1680.

Dies octavarum Assumpt., Nativ. aliarumque festivitatum B. V. M. octavas habentium, concurrentes cum officio dupl. min. habere debent integras vesperas. n. 2943 ad 3 die 1. Mart. 1681.

Ad relationem: In Hispania ex Ind. ap. recitatur Off. de s. Juliano c. Conchensis cum octava; sed quia anno 1693 incidit fer. IV. Cinerum in diem octavam et secundum rubricam 7 de octavis in Brev. rom. adveniente Quadragesima cessat quaecunque octava, quaeritur: an in fer. 3. praeced. cessare debeat octava ad Nonam aut ad Completorium ejusdem diei? S. C. resp.: In proposito Dubio Officium recitandum esse de die infra oct. usque ad Nonam, vesperas autem debere esse feriales. n. 3277 die 17. Maji 1692.

Vd.: *Octava* (cessatio).

11) Quae putatur impedita?

Quum ex privilegio apost. Cathedralis Melitensis recitat Officium hebdomad. s. Pauli ap. Patroni princip. totius Dioeces. qualibet fer. 4. non impedita Officio 9 ll.; quaeritur propterea: an respectu talis Officii sit et dicatur dies impedita dies, in qua reponi debet Officium translatum sive dupl. sive semid. vel potius debeat ulterius protrahi praedictum Officium? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4866 ad 1 die 31. Aug. 1839.

DIGNITAS.

1) Cathedralis.

a) Assistens Episcopo.

Vd.: *Assistens Episcopi*; *Diaconi assistentes.*

b) Assistens missae sol.

Dignitates nolentes celebrare Missas pontificales absente Archiepiscopo, justa causa impeditae, possunt assistere in suo stallo in choro. n. 687 ad 4 die 12. Junii 1627.

c) Associatio.

Prior Collegiatae s. Joannis Lucanae in accessu et recessu Ecclesiae associari non debet a Canonicis usque ad aedes priorales. n. 4098 ad 2 die 28. Novb. 1739.

Cf.: *Usus Pontificalium* (decr. n. n. 1856 ad 6; et alia decreta).

d) Celebrans missam absente etc. Episcopo.

Cf.: *Missa sol. Dig.* (lumina); *Episcopus aegrotus et defunctus*; *Vesperae*; *Nativit. D. N.*; *Matut.*; *Canonici celebrantes*; *Archidiaconus*; *Purificatio B. V. M.*; *Dignitas secunda*; *Processio* (Dignitate etc.)

Ad Dignitates pertinet missas ab Episcopo celebrari solitas, eo absente vel impedito celebrare non ad Vicarium. n. 75 die 26. Apr. 1594; n. 258 die 8. Jan. 1605; n. 1283 die 12. Jan. 1641.

Et haec decreta habent Locum tam sede vacante quam plena. n. 268 die 11. Julii 1605.

Dictas Missas pertinere ad primam Dignitatem, et ita servandum, non obstante alio decreto. n. 611 die 31. Jan. 1626; n. 1539 ad 1 die 26. Aug. 1645.

Missarum sol. celebrationem ad Dignitates non ad *Vicarium* spectare. n. 186 die 25. Jan. 1603; n. 1173 die 20. Aug. 1639; n. 1177 die 20. Aug. 1639; u. 1753 die 29. Maji 1655.

Omni tempore, tam absente quam impedito Archiepiscopo et sede vacante ad Dignitates, non ad *Vicarium,* etiam quod sit de gremio Capituli, missas solem. celebrare pertinet et cogendum esse Vicarium, quatenus recuset, remediis opportunis. n. 187 die 25. Jan. 1603; n. 1148 die 16. Apr. 1639.

Functiones solemnes, quas Episcopus, si praesens esset, obiret, eo absente vel impedito spectare ad digniorem de Capitulo, quocunque nomine nuncupetur, dummodo sit in sacerdotio constitutus, non autem ad *Hebdomadarium.* n. 975 die 15. Decb. 1632.

Missas solemniores impedita prima Dignitate non ad *Hebdomadarium* sed ad secundam Dignitatem spectare, et impedita secunda ad alios successive, et illis deficientibus ad digniorem et antiquiorem Canonicum. n. 924 die 5. Julii 1631; n. 262 die 11. Junii 1605; n. 275 die 16. Julii 1605; n. 285 die 16. Novb. 1605; n. 292 die 25. Febr. 1606; n. 309 die 9. Maji 1606; n. 482 die 1. Febr. 1614; n. 363 die 17. Novb. 1607; n. 366 die 19. Jan. 1608; n. 739 die 27. Mart. 1628; n. 373 die 15. Mart. 1608; n. 929 die 2. Aug. 1631; n. 4423 die 27. Maji 1786; n. 3719 die 4. Apr. 1705; n. 4064 ad 4 die 31. August. 1737.

Non ad *Vicarium* sed ad primam Dignitatem pertinere celebrare *et alias functiones* facere, quas, si praesens esset, Episcopus faceret. n. 335 die 16. Jan. 1607; n. 686 die 20. Maji 1627; n. 695 die 17. Julii 1627.

Contrariam consuetudinem esse abusum nec non synodale decretum minime sustineri. n. 1972 ad 1 die 29. Mart. 1659.

Decretum alias factum super functionibus supradictis contra Vicarium Ordinarii comprehendere et afficere etiam *Vicarium Capitularem* et dictas functiones spectare ad primam Dignitatem. n. 702 die 7. Aug. 1627; n. 930 die 2. Aug. 1631; n. 938 die 22. Novb. 1631.

Non posse primam Dignitatem impeditam *alium sibi benevisum deputare loco sui* pro functionibus faciendis, sed spectare et pertinere ad secundam Dignitatem ordine successivo. n. 1107 die 9. Decb. 1638; n. 1273 die 6. Oct. 1640; n. 3942 die 27. Julii 1720.

Pro Episcopo absente solemnes functiones ad primam Dignitatem et ea impedita, ad aliam proxime sequentem ordine successivo et non ad *Archidiaconum* spectare. n. 1174 die 20. Aug. 1639.

Ille, qui possidet Dignitatem et legitimo impedimento detentus munera

sibi incumbentia per se ipsum adimplere nequit, *neminem alium substituere potest*, nisi eum, qui immediate ei succedit. n. 2869 ad 5 die 26. Novb. 1678.

Episcopo aegritudine praepedito functiones ad Praepositum uti primam Dignitatem non ad Canonicum hebdomadarium spectare. n. 1600 die 23. Jan. 1649; n. 3900 ad 1 die 12. Junii 1717.

Missarum cantum in solemnioribus ad digniorem et successive seniores aliosque Canonicos, exclusis Coadjutoribus, pertinere. n. 1748 die 19. Decb. 1654; n. 3708 ad 1 die 23. Decb. 1704.

De muniis pontificalibus, quae a Dignitatibus et Capitularibus impleri nequeunt, Episcopo licet demandare alium sibi benevisum; secus de iis, quae a Dignitatibus et Capitularibus ipsis impleri possunt, quae alteri licet digniori in praejudicium Dignitatum aliorumque Capitularium Episcopo demandare non licet. n. 1802 die 10. Junii 1656.

Ad dubium: An celebratio Missae solemnis et intonatio hymni *Te Deum laudamus* occasione natalis Regis, publicationis pacis, reportatae victoriae et similium, Episcopo non celebrante, spectent ad Decanum primam Dignitatem, vel liberum sit Episcopo alteri ex Dignitatibus vel Canonicis dictas functiones supplendas demandare, in casu etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit.:

„Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam".

Et ita decrevit et servari mandavit. n. 3884 die 21. Martii 1716.

Nolente vel impedito Episcopo celebrare in solemnitatibus maj. hebdom., Paschatis, Pentecost., et caeteris expressis in Caer. Ep. lib. 2. c. 34., prout etiam occasione processionis SSmi. Corp. Chr. et similium celebrare spectare ad primam Dignitatem, eaque impedita gradatim ad alias. n. 3593 ad 2 die 13. Aug. 1701; n. 3612 ad 2 die 11. Febr. 1702; n. 3900 ad 1 die 12. Junii 1717; n. 3855 ad 4 die 26. Aug. 1713; n. 3619 die 18. Mart. 1702; n. 3665 die 24. Novb. 1703.

Episcopo non celebrante in festivitatibus solemniorib., Praepositus, prima Dignitas Cathedr. Cremen., non tenetur ad celebrationem Missae et vesperarum, sed decere; sed tenetur ad celebrandas vesperas tum primas tum secundas, quoties velit canere Missam et e contra, nisi sit legitime impeditus. n. 3811 die 8. Junii 1709.

Ad dubium: An sede Episcopali vacante spectet ad primam Dignitatem et successive ad alias gradatim celebrare functiones Ecclesiasticas in majoribus Festivitatibus, quae, vivente Episcopo, ex dispositione Caeremonialis faciendae sunt per Episcopum, vel potius spectet ad Vicarium Capitularem vel alium Canonicum a Capitulo eligendum? S. R. C., auditis iterum informationibus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce deductis referente eadem Emo et Rmo. D. Card. de Abdua rescripsit:

Spectare ad primam et successive ad alias Dignitates, etiam si non sint Canonici". Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 3855 ad 7 die 26. Aug. 1713.

Ad dubium: 1. An Episcopo non celebrante in festivitatibus solemnioribus Praepositus prima Dignitas Eccl. Cath. Maurianensis teneatur ad celebrationem Missae, nisi sit ipse absens vel impeditus?

2. An Capitulum condere possit Statutum, quo decernatur Praepositum primam Dignitatem teneri ad celebrationem Missae solemnis dictis diebus?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit:

Ad 1. „Teneri juxta alias Decreta".

Ad 2. „Posse in omnibus". N. 5047. die 23. Maji 1846.

2) Collegiatae Eccles.

a) Celebrans in Eccles. Colleg.

Functiones principales spectantes ad Praepositum Collegiatae Albingan. ipso absente vel impedito vel nolente peragere, illas gradatim ordine successivo peragere debere Canonicum digniorem et hoc impedito digniorem Capellanum de massa Collegiatae et non posse Praepositum pro se substituere aliquem sibi benevisum. n. 2743 die 13. Julii 1675.

b) Extra Collegiatam.

Praeposito Collegiatae Dioecesis Pragen., habenti usum mitrae et baculi, licet paramenta sumere de altari et habere ministrum inserviente de candela, quandocunque celebrat in locis suae jurisdictionis, extra vero eam nonnisi quando celebrat in Pontificalibus *de licentia Ordinariorum.* n. 985 die 18. Junii 1633.

Cf.: *Missa sol. Abb. et Dignit.; Diaconus et Subd. Dignit. Colleg.*

3) Ut Diaconus et Subdiaconus.

Vd.: *Diaconus et Subd. Missae Canonicor. Cath.*

4) Incensatio.

Vd.: *Canonici Cathedr.* (Incensatio.)

5) Praeeminentia.

Vd.: *Synodus* (sessio); *Turnus.*; *Capitulum* (vox); *Coadjutor Dignitat.*; *Episcopus titularis*; *Canonici* (access. ad chorum).

In die Purificationis B. V. M., fer. IV. Ciner., Dom. Palm., fer. V. in commun. gener. et VI. maj. Hebd. nullam deberi praeeminentiam Dignitatibus assist. cum cotta et almutia supra Celebrantem vel Ministros servientes altari pro Diacono et Subdiacono dalmaticis indutos sed in singulis functionibus servandum Caerem. n. 3121 ad 5 die 20. Julii 1686.

Non licet Dignitatibus se induere cotta et almutia in stallis chori sed debent se induere in Sacristia et processionaliter cum Canonicis accedere ad chorum. n. 3121 ad 6 die 20. Julii 1686.

Recedendum a decisis sub die 16. Junii 1674, nempe competere praecedentiam Dignitatibus, habentibus Canonicatum, supra simplices Canonicos etiam antiquiores. n. 3856 ad 1 die 26. Aug. 1713.

6) Secunda.

(Celebrans).

Brundusina.

Quum Rmus. Brundusin. Archiep. pro Informatione et Voto requisitus super expositis ab Archidiacono Prima Dignitate Metrop. Eccl. Brundusinae responderit singula veritate inniti, ac proinde Votum suum adjecerit, ut juxta communem praxim et Decreta alias ab hac S. C. lata etiam in sua Brundusina Eccl. Metrop. constituatur, ut in Festo S. Stephani Protomartyris, ut in Fer. II. tam post Pascha, quam post Pentecosten solemnis Missa celebretur a secunda Capituli Dignitate, non vero a prima Dignitate, uti huc usque factum est, siquidem primae Dignitati competit jus vices supplendi Episcopi absentis in omnibus Functionibus, quae ad Episcopum ipsum spectant, preces ipsae per subscriptum Pro-Secretarium relatae quum fuerint in S. R. Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi scripsere: „Servanda esse decreta et consuetudinem, quae communis est". n. 5164 die 10. Jan. 1852.

DIRECTIO CHORI.

Vd.: *Rector chori*; *Chorus*; *Hebdomadarius*.

Absente Cantore, Canonico et Dignitate directio chori et exercere munia cantoris non spectat ad Subcantorem Capit. n. 2238 ad 1 die 4. Aug. 1663.

Non potuisse Episcopum Ruben. nominare Censores pro directione chori, sed hoc jus pertinere ad primam Dignitatem. n. 3021 die 20. Mart. 1683.

DIRECTORIUM.

Vd.: *Calendarium*.

Suffraganeus Episcopus non potest publicare, ut non observetur Directorium pro recitando Officio, quod est conforme Breviario romano; ac etiam majori ex parte antecessoris Episcopi absque consensu et licentia Metropolitani vel privil. Sedis apost. n. 2682 ad 5 die 3. Mart. 1674.

DISCIPLINANTES.

In civitate Entamil. confraternitas Disciplinantium Fer. V. hebdom. maj. hora IV. noctis processionaliter ad visitandum Altare majus Cathedr. accedere solebat. S. R. C. resp.: Tolerandam esse laudabilem consuetudinem, sed ad evitanda scandala prohibendum esse mulieribus, ne nocte in Ecclesiam ingrediantur vel per civitatem discurrant. n. 256 ad 1 die 11. Decb. 1604.

S. DISMAS.

Vd.: *Sept. dolor. B. V. M. fer. VI.* (transl. decr. n. 4754.)

DISTRIBUTIO.

1) Candelar., cinerum etc.

Vd.: *Purificat. B. V. M.*; *Cineres*.

2) Pro missa conv.

Vd.: *Missa conv.* (Celebr. in Cathedr. decr. 19. Aug. 1744).

3) SS. Oleorum.

Vd.: *Coena Dom.* (Consecr. Oleor.; Distributio.)

4) Quotidiana.

Vd.: *Vicarius*; *Chorus* (absentia); *Coadjutor Canon.*

DOCTORATUS.

Doctor Canonicus junior non est supra Canonicum sen. non Doctorem, vd.: *Canonici* Eccl. Cath.; *Processio* (*Cler. saec. int. se.*); *Annulus Doctoris*.

Ad dubium: Utrum Regulares, qui ad tramites Constitutionis Ordinis proprii assequuti sunt gradum Doctoris in S. Theologia, valeant legitime dimisso Religionis habitu, titulo Doctoris honoribus adnexis gaudere?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Per Religiosos tantum."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5035 ad 5 die 23. Maji 1846.

DOCTORES ECCLESIAE.

Ad dubium: Quinam pro doctoribus Ecclesiae intelligendi sunt? S. C. resp.: Intelligendos illos, in quorum Officio Ecclesia utitur Antiphona: *O doctor optime etc.* n. 4247 ad 2 die 7. Sept. 1754.

DOCTRINA CHRISTIANA.

Doctrinam christianam esse explicandam ante vesperas, ut moris est. n. 2444 ad 4 die 9. Junii 1668.

DOMINE EXAUDI.

Vd.: *Minorista* (ut hebdom).

DOMINE NON SUM DIGNUS IN S. COMMUN.

Vd.: *Communio* (Qua lingua etc.)

DOMINE PRAEVENISTI etc.

Vd.: *Martyr.* (resp.)

DOMINICA.

1) Prima Adventus.

Vd.: *Dominicae Adventus.*

Dominica I. Adventus non patitur festum Patroni princip.; Vd: *Patronus principalis* (transl. decr. 4596); *Patronus paroch.* (transl. Solemnitatis; decr. n. 4910); *Titularis* (fest. celebr.; decr. n. 2362); *Translatio festi 2. cl. in dom. privileg.*

2) In Albis.

Vd.: *Annuntiatio B. V. M.*; *Dedicatio Eccles. et dies incerta*; *Curnam dicitur Dominica in albis?* vd.: *SS. Trinitas,* (vesp. decr. n. 4604 *nota.)*

3) Commemoratio.

Vd.: *Patronus Confrat.* (Festum, decr. n. 4507); *SS. Trinitas* (vesp. decr. n. 4604).

In dupl. 1. cl. semper fit commemor. Dominicae occurrentis, de qua etiam legitur homilia, ne omittatur, etiam in Sabbato impedito Officio 1. cl. si occurrat anticipari Officium dominicae. n. 4175 ad 6 die 4. Sept. 1745.

4) Non fit commemor.

Vd.: *Missa vot. priv.* (dies, decr. n. 4183); *Non fit comm. in missa vot. pro re gravi in Cathedr. celebrata,* vd.: *Bened. Monial. (missa; decr. n. 2419).*

5) Homilia.

Vd.: *Dominica* (commemor. n. 4175.)

6) Infra octav. Corp. Christi.

Vd.: *Lectio nona de Sanctis*; *Col. par. in missa dom. inf. oct.*

7) Infra oct. Nativ. Dom.

Ad dubium: An praetermitti possit Officium Dom. infra Oct. Nat. D. N. J. C., quacumque die de ea fieri contingat, ut reponi possit Officium ritus dup. a propria sede translatum, addita vero IX. Lect. et commem. ipsius Dom.?

Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . respondendum censuerunt:

„Negative et juxta Decretum in Brixien diei 27. Jan. 1778 solum quando in Sabb. occurrit dies XXX. Dec., ac proinde fieri deberet de VI. die infr. Oct., reponi potest Offic. dupl. translatum, attamen non exclusis commem. quatuor Octavarum".

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt die 24. Sept. 1842. n. 4947 ad 2.

Vd.: *S. Thom. Cantuar.* (decr. de die 1. Mart. 1681.)

8) Est fest. novem lect.

Sub nomine festi 9 ll. venit etiam Dominica. S. R. C. 12. Mart. 1618.

9) Licentia laborandi.

Concessionem licentiae laborandi diebus festivis urgente necessitate, quando ad Episcopum recursus haberi nequit, ad Vicarium foraneum spectare. n. 2869 ad 6 die 26. Novb. 1678.

Vd.: *Vacatio ab operibus.*

10) Palmarum.

De distributione palmar. et Celebrante, vd. Purificatio B. V. M.; Cineres.; Benedictio palm.

Dominica Palmarum non patitur Solemnitat. festi Patroni vel Titul. princip; vd.: *Patronus paroch.* (transl. Solemnit. etc. decr. n. 4910); *Titularis* (festum celebr.; decr. n. 2362); *Translatio festi 2. cl. in dom. pri-*

vileg.; *Episcop. ass. miss. sol.* (Evang. non legit); *Passio.*

11) Passionis.

Excludit octavam, vd.: *Octava* (cessat. decr. n. 4044).

12) Prima post Pentecosten.

Vd.: *SS. Trinitas* (vesp. decr. n. 4604).

13) Prima Quadragesimae.

Non patitur Solemnitatem festi Patroni principalis; vd.: *Patron. paroch.* (transl. Solemnitatis etc. decr. n. 4910.); *SS. Trinitas* (vesp. decr. n, 4604.); *Titularis* (festum celebr.; decr. n. 2362); *Transl. festi 2. cl. in dom. privileg.*

14) Prima Septembris.

LIMBURGEN.

Quum Rmus. Ep. Herinensis Vicarius Apost. Vicariatus Limburg. S. R. C. humillimis precibus rogarit, ut declarare dignaretur Dubium, quod hisce terminis conceptum proposuit, nimirum: utrum Dom. I. Sept. sit eadem pro Festo S. Angelorum Cust., ac pro historia de Scriptura occurr., quando nempe Kalendas Sept. antecedit?

S. eadem C. in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit:

„Eam esse, quae incidit Kalendis Sept., vel post eam diem" die 24. Sept. 1842 n. 4948.

15) Privilegiata.

Vd.: Patronus civit. (decret. pro civitate Brixien.); *Excludit octavam,* vd.: *Octava* (cessat.; decr. n. 4044); *Excludit festa 2. cl.* vd.: *Transl. festi 2. cl. in dom. privil. cadentis.*; *Titularis* (fest. celebr.; decr. n, 2362).

16) Quatuor temporum.

Dominicam quatuor temporum esse illam, quae Sabbatum quatuor temporum immediate sequitur; non est prorsus ambigendum. n. 4146 die 31. Aug. 1743.

17) Quinta Octobris.

Quando October habet tantum quatuor dominicas, servetur omnino dispositio Brev. rom. et in fer. V., VI. et Sabb. hebdomadae IV. legantur lectiones de dom. V. continentes historiam martyrii ss. Machab. S. R. C. 5. Maji 1736 in *Einsidl.*

18) SS. Trinit.

Vd.: *SS. Trinitas* (vesp. decr. n. 4604).

DOMINICAE.

1) Adventus.

Vd.: *Commemor. in vesperis*; *SS. Trinitas* (vesp. decr. n. 4604 nota); *Patron. princip.* (transl. decr. n. 4596 nota).

2) Post Epiphaniam.

Ad dubium: Cum superest una Dominica post Epiphaniam, nec potest poni post Pentecosten, utrum, si tota hebdomada ante Septuagesimam, praeter feriam 2., quae simplex habet Officium, impediatur Officio 9 ll., poni possit in dicta fer. 2. homilia Sabbathi ante Septuagesimam? S. C. resp.: Satis esse provisum in Brev. rom. de dominicis n. 6 et per rubricam propriam positam ante dominicam 1. post octavam Epiphaniae, nempe: in casu Off. de dom. faciendum esse in primo Sabbato post Epiphaniam, festo dupl. vel semid. non impedito; alioquin, scilicet si dictum Sabb. esset impeditum, faciendum in prima die post dictam octavam, quae non reperitur impedita festo duplici; festum vero semid. in ea occurrens transferendum in primam diem similiter non impeditam. n. 3301 ad 16 die 10. Jan. 1693.

Vd.: *Dominica* (commemor. decr. n. 4175).

Disponente rubrica, quod dum in I. Dominica post octavam Epiphaniae occurrat Septuagesima, in primo Sabb. post octavam Epiphaniam non impedito festo 9 ll., alioquin prima die post octavam, fiat Officium de feria, in qua ponuntur RR. 1. n. Dominicae II. post Epiph. et tres lectiones leguntur de homilia ejusdem dominicae cum ejus Antiph. ad *Bened.* et oratione: Festum vero semid. in ea occurrens transferatur ad primam diem non impeditam. Cumque aliquibus in locis occurrat dies infra octavam s. Patroni, nec fieri possit Officium de dominica in Sabbato impedito festo 9 ll., dubium oriebatur:

1. An Officium dictae Dominicae secundae faciendum sit in supradicta die in-infra Octavam, sine commemoratione Octavae, sed cum precibus, suffragiis et commemoratione de Cruce, sicut fit quando in aliqua die infra Octavam occurrit Feria IV. Cinerum, et quando infra Octavam Sanctae Scholasticae et Sancti Benedicti Abbatis occurrit Dominica Quadragesimae, et in Choro recitandum sit Officium B. M. V. et Defunctorum pro prima die mensis non impedita: et in Cathedrali et Collegiatis dicendae sunt duae Missae, una pro Defunctis post Laudes, aut post Primam, altera de dicta Dominica secunda post Sextam, sine *Gloria*, sine *Credo*, et cum tribus Orationibus, prima de Dominica, secunda *Deus, qui salutis etc.*, tertia *Ecclesiae, vel pro Papa*, nisi occurrat commemoratio simplicis, cum Praefatione de communi, vel de Octava, si habeat propriam; color virid.?

2. Vel faciendum Officium de dicta die infra Octavam cum nona Lectione de Homilia et commemoratione Dominicae secundae, absque precibus, suffragiis etc., Missa vero de Dominica cum commemoratione dictae infra Octavam, cum Praefatione communi vel de Octava, si habeat propriam, et in fine Benedicamus Domino; color alb.?

3. Vel faciendum Officium dictae Dominicae secundae cum commemoratione Octavae, sine precibus, suffragiis etc.

4. Vel si post Octavam Epiphaniae occurrat supradicta dies infra Octavam in una die et semiduplex in altera die, Officium Dominicae secundae reponendum in die, in qua faciendum est de die infra Octavam? vel in die, in qua occurrit semiduplex?

S. C. resp.: Ad primam ex quatuor Quaesitis dubii secundi hodie primo loco propositi: *Affirmative.*

Ad secundum et tertium: *Jam provisum in primo.*

Ad quartum: *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.* n. 4602 die 27. Mart. 1824.

Sacerdos Cajetanus de Petra Canonicus Cath. Eccl. Platien. illiusque Kalendarii Director exponit: sequenti Anno 1843 praepeditam esse Dom. II. post Epiph. a Dom. Septuag., quo casu peculiaris Rubrica praecepit Officium Dom. II. anticipandum esse Sabbato praecedenti Septuag.; quod si illud fuerit a Festo dup. praepeditum, tum hujus Dom. Officium reponendum esse prima die post Oct. Epiph. non impedita ut supra. Quoniam vero duae sunt dies post eamdem Oct., in quas incidit Officium ritus semid; 14. scilicet et 16. Jan., nonnulli opinantur hac die 16. utpote Sabb. proximiori agendum esse de Dom. II., alii die 14. ad peculiaris Rubricae sensum. Quo vero quaestio omnis de medio tollatur et ipse securius incedat pro Officio praescribendo in eadem Cath., S. R. C. humillime supplicavit pro opportuna quaestionis solutione. Et. S. eadem C. ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, om-

nibus mature consideratis, rescribendum censuit: „Juxta Brev. Rom. peculiarem Rubricam agendum esse in casu de Dom. II. post Epiph. prima die non impedita post ejusdem Oct., scilicet 14. Jan.". Et ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4995 die 7. Decb. 1844.

Urgellin.

Rector Seminarii Urgellensis ac illius Dioecesis Kalendarii Ordinator S. R. C. humillimis datis precibus exposuit, quod cum in Breviario de Octava Epiphaniae Domini legatur sesequens Rubrica: Quando autem Septuagesima venerit in secunda Dominica post Octavam Epiphaniae, tunc in primo Sabbato post Octavam non impedito Festo Novem Lectionum, alioquin prima die post Octavam, fiat Officium de Feria, in qua ponantur Responsoria primi Nocturni Dominicae II. post Epiphaniam, et tres lectiones legantur de Homilia ejusdem Dominicae cum ejus Antiphona ad *Benedictus* et Oratione. Festum vero semiduplex in ea occurrens transfertur in primam diem similiter non impeditam: in praesentiarum ob elevationem ritus in Festo S. Hilarii Ep. Conf. Doct. nulla in Hispania superest dies ritus semiduplicis in praedicta hebdomada post Octavam Epiphaniae. Quibus positis Orator S. ipsam C. rogavit ut declarare dignaretur, utrum in hoc casu in primo Sabbato post Octavam Epiphaniae fieri debeat de Festo duplici occurrente cum commemoratione Dominicae II. post Epiphaniae et cum IX. Lectione de Homilia, ceu Rubrica disponit, de III., IV., V. et VI. Dom. post Epiphaniam, quando ex eis aliqua poni nequit ante Septuagesimam vel reponi post Dominicam XXIII. post Pentecosten?

Et S. eadem C. ad Quirinale hodierna die coadunata „in Ordinario Coetu ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuit.:

„Affirmative" n. 5197 die 17. Sept. 1853.

3) Lectiones.

Vd.: *Lectiones.*

4) Quadragesimae.

Vd.: *SS. Trinitas.* (vesp., decr. n. 4004 nota).

Officia Sanctorum ad libitum sive dupl. sive semidupl., occurrentia in die, quo fieri debet officium de dominica anticipanda ante Septuag. vel ante dominicm 24. p. Pent., non sunt recitanda cum commem. dictae dominicae, neque transferenda sed potius omittenda. S. R. C. 4. Apr. 1705.

Lectiones I. n. de Exodo, quae leguntur in dom. IV. Quadrag., quoties illa sit impedita festo 1. cl., reassumendae sunt intra illam hebdomadam in festo occurrente, carente lectionibus propriis I. n., quae desumerentur de script. occurrente, si festum illud extra Quadrag. incidisset. S. R. C. 26. Novb. 1735 *In Hispalen.*

S. DOMINICUS.

(Commemoratio.)

Commemoratio de s. Dominico ex Concess. Clem. X. a Franciscanis facienda, quando fit Officium de s. Francisco, fieri debet tantum in Off. s. Francisci, quod semel in mense ab iisdem recitatur, post alias commemorationes. S. R. C. 27. Sept. 1698. In una Ord. Cappucc.

DOM. VOBISCUM.

1) Ad altare in medio Presbyterii.

Cum in Ecclesia Collegiata S. Eustachii de Urbe Altare ejusdem majus juxta formam antiquam in medio Pres-

byterii inter quatuor columnas divisum, ac disjunctum a parietibus omni in parte, nec non super nonnullis gradibus elevatum reperiatur; Celebrantes proinde, prout decebat ac in omnibus Altaribus hujusmodi qualitatum mos est, semper in eodem Populum versus et partem inferiorem Ecclesiae praedictae *Dominus vobiscum* dicere consuevere. Cumque occasione novae constructionis ejusdem Ecclesiae a solo usque ad tectum nuper constructo pariete per duos vel tres palmos circiter ab Altari praedicto distante ita inferior pars Ecclesiae praedictae pertecta remanserit, ut Christifideles Sacrum audituri omnino debeant in Presbyterio convenire; Parochus S. Eustachii praedicti S. R. C. humiliter supplicavit declarari: An a Celebrantibus in Altari majori praedicto de praesenti in casu proposito Chorum versus, et sic populum versus, vel potius partem Ecclesiae inferiorem a pariete nuper constructo prorsus pertectam, sit *Dominus vobiscum* dicendum?

Et S. eadem R. C., referente Emo. et Rmo. D. Card. de Carpineo, censuit respondendum: Chorum versus. Et ita declaravit. n. 3608 die 3. Dec. 1701.

2) Ad benedict. cum SSmo.

Vd.: *Minorista* (ut hebd.)

In festo SS. Corp. Chr. in reponendo SSmo. servandum est Caerem. Ep. Lib. II. c. XXXIII. ubi nulla fit mentio de versu „*Dom. vobisc.*“ sed jubetur tantum post V. et R., cantari orationem. Et sic servat in Urbe SS. Dominus N., observatur ab omnibus, quidquid alii in contrarium asserant. n. 2223 ad 7 die 16. Junii 1663; n. 2752 die 28. Sept. 1675.

In benedictione SSmi. ante Orationem non debet dici: *Dominus vobiscum*. In festo ss. Corp. Chr. servanda est dispositio Caer. Ep. lib. II. c. 33. de reponendo SSmo. ubi nulla fit mentio de V.: *Dom. vob.*, non vero Rituale rom., ubi dicitur addi: *Dom. vob.* Et sic servat in Urbe SS. PP. et servatur ab omnibus. n. 4299 ad 7 die 3. Mart. 1761.

Instructio Clem. §. XXIV. n. 22 etc. §. XXXI. n. 4 etc. 16.

DUPLEX.

1) Dignitas.

Cf.: *Festum* (Dignitas); *Festum* (ind. et mut.); *Ritus Off.* (mut.); *Ritus festorum.*

Festa duplicia, quae coluntur a populo de praecepto, retinent eundem ritum, quem alias haberent, seclusa hac qualitate praecepti, nec sunt duplicis majoris; qualitas festivitatis non est ratio, quod vesperae dicantur integrae de tali festo, nisi hoc festum fruatur simul qualitate vel majoris dignitatis vel altioris ritus. n. 4119 ad 3 die 2. Sept. 1741.

Usus celebrandi quam plura festa sub ritu dupl. maj. ex eo, quia sunt celebria in populo, sustineri non potest. S. R. C. 22. Aug. 1744.

2) Majus de praecepto.

Festum dupl. majus de praecepto est illud, in quo occurrit Officium recitandum sub ritu dupl. majori, cuique a legitimo Superiore adnexum est praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus. n. 4244 ad 5 die 11. Maji 1754.

3) Minus.

(Commemor.)

Vd.: *Semidupl.* (Commemor. decr. n. 4378).

4) Translatio.

Vd.: *Translatio festi dupl.*

E.

ECCE AGNUS DEI.

(In cummunione Fidelium).
Vd.: *Communio* (Qua lingua etc.)

ECCE SACERDOS MAGNUS.

Ad dubium: An antiphona: „*Ecce Sacerdos magnus*" quae dici debet ex dispositione Pontificalis rom. in ingressu et receptione Praelatorum in suis civitatibus, debeat repeti toties, quoties iidem Praelati ingrediuntur Cathedralem ad actus pontif. peragendos? S. C. resp.: Servetur consuetudo. n. 4140 ad 2 die 11. Maji 1743.

ECCLESIA.

1) Benedicta.

Missa.

In missa de Eccles. non consecrata omittitur Parenthesis Secretae; vd.: *Dedicatio Ecclesiarum Omn. etc.* (decr. n.4749). *Titul. Eccl. bened.*

b) Num Officium anniv. dici potest?

Cf.: *Dedicatio Ecclesiae et dies incerta*; *Dedicatio Eccles.* (non celebranda)

Ad dubium: An omisso Officio Dedicationis Cathedralis Astoricensis, possit illud Collegiatae Oppidi Villafranca celebrari, cujus templum tantum *benedictum* esse memoria constat, cum vetus perierit igne absumptum? S. C. resp.: Negative. n. 4542 ed 6 die 30. Sept. 1817.

Nota gardell. ad hoc Decretum:

Capitulum, quod nullius est Dioecesis, solemniter celebrare debet dumtaxat anniversariam diem Consecrationis propriae Ecclesiae, dummodo tamen indubia documenta evincant, eamdem certo consecratam fuisse. Unum quippe satis est dubium, ne Officium de Dedicatione fiat. Ita respondit S. R. C. in Alexandrina 18. Aug. 1629: *Non posse celebrari Festum Consecrationis illius Ecclesiae, quam certum est, non fuisse consecratam*, imo neque si est dubium. Igitur si vel simplex dubitandi ratio satis est, ne Dedicationis Officium recitetur, multo minus peragi Anniversarium poterit, si certum est, Ecclesiam simplici Benedictione, non autem Pontificalibus ad divinum cultum et Sacrorum usum fuisse deputatam. Ad rem facit alterum Decretum *in Taurinen* die 21. Martii 1795 scilicet: *non debere Officium peragi Dedicationis propriae Ecclesiae, quae non est consecrata.* Neque prodest, quod nova Ecclesia suffecta fuerit Templo solemni ritu consecrato, sed igne consumpto: Etenim recolenda non est memoria Dedicationis illius Ecclesiae, quae vel amplius non extat, vel temporis injuria ob aliquod infortunium magna in parte dejecta aut consumpta, consecrationis decus amisit. Videri possunt Decreta in *una Hollandiae* 2. Julii 1685, et in alia *Nullius Balneariae* 15. Sept. 1815, ac praeterea *Cavalerius* tom. 1. cap. 1. Decret. 4. circa finem, et *Tetamus* in Appendice ad Diarium cap. 4. num. 5.

2) Benedictio.

Vd.: *Benedictio Oratorii et Ecclesiae*; *Benedictio* (delegatio, decr. n. 4307).

3) Cathedralis.

Clerus ejusdem Ecclesiae, vd.: *Clerus Ecclesiae Cathedr.*; *Patron.*, *Titul. Cath.*

4) Collegiata.

(Erectio et Confirmatio.)

Vd.: *Canonici Ecclesiae Collegiatae* (Erectio etc.)

5) Exempta.

Vd.: *Episcopus* (Ecclesia exempta); *Crux archiepiscop.*

6) Filialis.

De ejusdem Titul. et Dedicatione Vd.: *Dedicatio Oratorii; Functiones* (in Ecclesia filiali). Cf.: *Aspersio aquae; Expositio SSmi.; Titularis Capellar.*

7) Fores.

Apertis foribus possitne impertiri benedictio cum SSmo.? Vd.: *Benedictio cum SSmo.* (janua aperta.)

8) Matrix.

Episcopo volenti erigere aliquam ex Ecclesiis dissitis in matricem, ubi fiat benedictio fontis et distributio novorum ss. Oleorum S. C. resp.: Fiat expeditio Romae, quia Episcopus de jure comm. non potest alterare statum Ecclesiarum. n. 113 die 9. Mart. 1597.

9) Polluta.

Cf: *Reconcil. Eccles.*

Ecclesia polluta non dicitur reconciliata per celebrationem missae et ideo deberi reconciliari juxta Pontificale. n. 1001 ad 2 die 19. Augusti 1634.

Si Episcopus ob legitimam causam concesserit celebrari missam in Ecclesia polluta, causa illa cessante, Ecclesia reconciliari debet. n. 1521 ad 1 die 26. Novb. 1644.

Quid agendum in dubio Ecclesiae Cathedralis pollutae et in dubio illius reconciliationis rite vel non rite factae? S. C. resp.: Ad mentem; et mens est, quod facto verbo cum SSmo. scribatur Episcopo, non esse amplius de hac re inquirendum. n. 4506 ad 4 die 11. Julii 1807.

Quis benedicit Ecclesiam pollutam? Vd.: *Bened.* (deleg. decr. n. 4307)

10) Porta.

Non concedatur porta alicui laico absque Ind. apost., per quam privatus in ecclesiam transitus habeatur, etsi domus eorundem domibus parochorum contiguae sint, per quas accessus in ecclesias pateat. S. C. Ep. 17. Febr. 1619.

11) Quae est Ecclesia?

Vd.: *Titularis Capellar.* (decr. n. 5215.)

ELECTIO ET CONSECRATIO SS. PONTIF.

(Commem. diei annivers.)

Ad dubium: An in diebus anniversariis electionis et consecrationis Summi Pontificis Collecta in Missa adjungenda pro Eodem sit de praecepto?

Emi. itaque ac Rmi. . . . rescribendum censuerunt:

„Affirmative“.

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 11 die 12. Martii 1836.

ELEEMOSYNA.

1) Collectio in Ecclesia.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXVIII. n. 1 etc.

2) Pro funeribus.

Vd.: *Quarta funeral.*

Ad dubium: An et in qua summa sit praestanda eleemosyna per homines Communitatum Pelusii et Barnae Archipresbytero et Canonicis Menasii vocatis ad associationem alicujus cadaveris tumulandi in Ecclesiis paroch. dictarum communitatum? S. C. resp.: Praestandam esse summam conventam in Instrumento separationis.

Pro eadem eleemosyna praestanda pro associatione cadaveris non tenen-

tur Archipresbyteri et Canonici interesse celebrationi missae aliisque Officiis def. super cadavere agendis. n. 3420 ad 1 et 2 die 27. Aprilis 1697.

Non licere parocho exigere majorem eleemosynam ab externis tumulandis in Ecclesiis Regularium quam a civibus. n. 3485 ad 3 die 2. Augustii 1698.

Ad dubium: An Parochis caeterisque ecclesiasticis associantibus cadavera ad Ecclesias Regul. liceat exigere pro dicta associatione majorem eleemosynam et emolumentum seu potius illud dari solitum occasione associationis faciendae ad Ecclesiam? S. C. resp.: Negative ad primam, affirmative ad secundam partem. n. 4316 ad 5 die 7. Maji 1763.

ELEVATIO.

1) Manuum in benedictione.

Vd.: *Benedictio Sacerdotis extra missam* (decr. n. 4782 nota).

2) Oculorum.

Ad dubium: Denegatur ab aliquibus Ecclesiasticis obligatio Crucem adspiciendi, dum a Rubrica Sacerdoti celebranti injungitur in Missa oculorum elevatio. Quid dicendum de hujusmodi opinione?

Et S. eadem C. . . . rescripsit:

„Juxta Rubricas in elevatione oculorum Crucem esse aspiciendam".

Atque ita rescripsit declaravitque n. 5121 ad 3 die 22 (?) 1848.

3) SS. Sacramenti.

a) Cantus in missa ad elev. SSmi.

Ad dubium: An in elevat. SS. Sacramenti in missis sol. cani possit *Tantum ergo* vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria? S. C. resp.: Affirmative et amplius. die 14. Apr. 1753 ad 6.

b) Genuflexio.

Vd.: *SS. Sacrament.*; *Funalia*; *Sacerdos inhabilis.*

ELIAS.

1) Color paramentorum.

In Officio et missa s. Eliae prophetae adhibendus est color albus. n. 4369 die 11. Decb. 1773.

2) Officium.

Quando sexta dies Martii cadat in Sabbatum quatuor temp. vernal. una cum Officio s. Eliae, non est in fine missae legendum Evang. Feriae, quod idem est ac Evangelium festi; sed in Laud. sicut et in missa habebitur ejus commemor. cum suis antiphonis et oratione; omissa tamen ejus homilia pro nona Lectione. n. 4367 die 4. Sept. 1773.

3) Praefatio.

Ad Preces R. Prioris Gener. Ord. Carmel. Calceator., ut approbare dignaretur S. R. C. Praefationem propriam in hon. s. Eliae Proph., S. C. resp.: Negative. n. 4901 ad 2 die 12. Sept. 1840.

S. ELISABETH V.

(Officium.)

Cf.: *Dedicatio Basilicae s. Petri*; *Sancti ad libit.*

Officium proprium s. Elisabethae ex Indulto Urbani VIII. editum et in Breviario rom. appositum potest et debet a fratribus minor. recitari et in eorum Breviario apponi. n. 2284 ad 5 die 12. Julii 1664.

Ad dubium: An de s. Elisab. (reg. Port. vid.) quando fit ejus Officium ad libitum, debeat fieri cum suis hymnis et antiphonis propriis, an sufficiat fieri tantum de communi cum primis lectionibus de Scriptura? S. C. resp.: Affirmative, nimirum: quod fiat cum suis hymnis et antiphonis ppr. n. 3244 ad 9 die 11. Aug. 1691.

EPIPHANIA.

1) Dies octava.

Vd.: *Protector civit.*; *Dominicae post Epiphaniam*; *Patronus civit.* (Missa sol.)

Cadente festo s. Hilarii protectoris principalis civitatis Parmen in die octava Epiphaniae, *Officium* esse faciendum de octava; missas vero posse recitari duas, unam de festo, alteram de octava. n. 2311 die 24. Jan. 1665.

2) Festorum publicatio.

Festa mobilia in Epiphania Domini publicare pertinet ad Canonicum juniorem. n. 336 die 16. Jan. 1607.

Canonici Metropol. Capuae in die Epiphaniae tenentur annuntiare populo festa mobilia. n. 4059 ad 6 die 3. Aug. 1737.

3) Festorum translatio.

Ab octava Epiphaniae omnia duplicia excludi praeter ea, quae sunt primae Classis, nempe Titularis et Patroni *principalis* ac Dedicationis Ecclesiae; propterea in civitate Asculana Officium de s. Leone, patrono minus principali, transferendum esse. n. 2080 die 20. Novb. 1660.

Ad relationem: Celebravimus hactenus in Cathedrali Viennen. in Austria octava die Januarii infra octavam Epiph. festum s. Severini abbatis sub ritu dupl. maj. tamquam Patroni *minus princip.* ejusdem Ecclesiae? S. C. resp.: Festum s. Severini esse transferendum. n. 3664 ad 4 die 22. Sept. 1703.

4) Vigiliae.

Vd.: *Vigilia Epiphaniae.*

EPISCOPUS.

1) Accessus ad Ecclesiam Cathedral.

a) Associatio Canonicorum.

Cf.: *Episcop.* (Officii initium); *Canonici*, (habit. in assoc. Episcopi); *Visitatio; Magistratus (*praes. etc.); *Aspersorii porrectio in Colleg. — praes. Capit.* (decr. n. 3340); *Suffragan.* (access.); *Cappa*; *Caeremon.* (indicit Episcopo etc.); *Ecce Sacerdos magnus*; *Episcopus Administrator*; *Episcopus* (associatio).

Non quoties Episcopus ad Ecclesiam accedit, Dignitates et Canonici eum ex Palatio excipere et comitare ac reducere tenentur sed in *solemnibus* tantum diebus, quando ad Ecclesiam *cum cappa* ad celebrandum vel Pontificalia exercendum accedit. In caeteris autem diebus, quibus ad Ecclesiam ire debet, satis esse, si aliqui ex Dignitatibus et Canonicis et ad ostium Ecclesiae occurrant et in reditu eundem usque ad ostium similiter comitentur. n. 333 die 16. Decb. 1606; n. 2415 die 23. Julii 1667.

Episcopus tenetur praenuntiare Canonicis per diem ante, quando intendit celebrare in Pontificalibus. n. 1008 ad 3 die 9. Decb. 1634.

Condicta hora cum Episcopo pro inchoando Officio et dato signo cum campana, Canonici accedere tenentur ad cubiculum, ut illum excipiant et associent ad Ecclesiam. n. 1565 ad 2 die 13. Sept. 1646; n. 1567 ad 7 die 13. Sept. 1646; n. 2807 die 14. Novb. 1676.

Canonici exspectare debent in *aula* adventum Episcopi, quem oportet esse discretum. n. 1944 ad 1 die 7. Decb. 1658; n. 3028 ad 3 die 24. Julii 1683; n. 3103 ad 4 die 23. Mart. 1686.

Quando Episcopus ad Ecclesiam cum cappa pontificali accedit, ut solemniter celebret, vel ut assistat divinis officiis, concioni aut processioni, vel ut aliud quidquam ex Pontificalibus exerceat, Dignitates, Canonici et Capitulum debent ad cubiculum accedere, ubi Episcopus induitur cappa; in reditu debent etiam saltem usque ad ostium domus Episcopum associare.

Episcopo vero *privatim* venienti, id est *sine cappa* pontificali, nonnulli ex Dignitatibus et Canonicis *ad ostium Ecclesiae* occurrere, et in reditu similiter usque ad ostium Ecclesiae ipsum comitare debent. n. 21 ad 3 et ejusdem num. infra ad 3 et 4 die 23. Mart. 1592; n. 60 die 3. Aug. 1593; n. 87 die 24. Jan. 1594; n. 851 ad 3 die 16. Febr. 1630; n. 1375 ad 3 die 10. Maji 1642; n. 2144 die 21. Jan. 1662; n. 2249 die 4. Aug. 1663; n. 4103 ad 1 die 10. Decb. 1740.

Episcopum venientem *cum cappa* semper excipi debere a Canonicis in habitu canonicali in aula suae habitationis seu alio loco per ipsum ad hoc destinato, eumque associari ad Ecclesiam et abeuntem pari modo reduci ad locum, ubi exceptus fuit, non obstante, quod Palatium distet ab Ecclesia; venientem vero sine cappa et Canonicis in choro divinas horas recitantibus, satis esse, quod a quatuor vel quinque de Capitulo in *ostio* Ecclesiae excipiatur. — Episcopum venientem ad Ecclesiam *extra tempus communis existentiae Canonicorum in Ecclesia* semper excipi debere a Canonicis in Ecclesia existentibus in *ostio* Ecclesiae, eique Ecclesiam ingredienti a digniore Aspersorium ministrari. — Episcopum a Canonicis excipi debere in Capella vel alio loco, ubi missam privatam celebravit vel alias functiones exercuit et ab iisdem associari in choro vel in alio loco (missam cantandam audiendi vel praedicationis causa). n. 945 ad 1—3 die 6. Decb. 1631.

Satis esse, quod Episcopo, dum divina Officia cantantur, occurrant ad ostium Ecclesiae quatuor ex Canonicis, dummodo in choro remaneant Canonici in majori numero. n. 1008 ad 2 die 9. Decb. 1634.

Non debere Canonicos excipere Episcopum de cubiculo, dum ad Ecclesiam accedit, ut divinis Officiis intersit, nisi quando incedit cum *cappa*; si vero cum rocchetto et Mozzetta accedat, satis esse ut per Canonicos excipiatur ad portam Ecclesiae. n. 1567 ad 4 et 8 die 13. Sept. 1646.

Canonici non tenentur ad Episcopi cubiculum accedere, nec ipsum sine pontificali cappa existentem associare n. 133 ad 9 die 2. Sept. 1597.

Nullam Dignitatem, Canonicum aliamve personam propria auctoritate vel vigore cujusvis consuetudinis ad latus Episcopi vel cappa pontificali vel sacris vestibus induti, incedere debere, nisi ipse ex sua humanitate aliquem vocare velit; ipsum vero Archiepiscopum pro sua dignitate magis decere, ut solus incedat. n. 21 ad 4 et ejusdem num. infra 5; die 23. Mart. 1592.

Cf.: *Diaconi assistentes.*

Immemorabilem consuetudinem, ita ut Archiepiscopus duos Canonicos assistentes hinc inde apud se habeat per viam, dum ex domo ad Ecclesiam procedit, servandam esse. n. 379 die 10. Maji 1608; n. 414 die 24. Oct. 1609.

Non convenire Laicos cum Episcopo simul incedere, maxime in Processionibus. n. 541 ad 2 die 3. Junii 1617; n. 3878 ad 4 die 11. Maji 1715.

Neque ullam Episcopo, dum capitulariter associatus ad Ecclesiam cum *cappa* progreditur, assistentiam deberi. n. 593 die 30. Mart. 1621; n. 3468 die 19. Apr. 1698 cum append.: „secus vero quando est cum paramentis s.“

Quando Episcopus finita Missa vel aliqua hora canonica est ab Ecclesia discessurus, tantisper cessandum est a reliquis horis decantandis, quousque Capitulares abeuntem Episcopum reducere possint. Si interdum contingat Episcopum vel processione vel aliqua hora canonica nondum finita, abire compelli, tunc non omnes Capitulares cum eo discedant, sed satis erit, si quatuor de Capitulo eum domum reducant, ita ut perturbationis officii occasio non praebeatur. Ibidem n. 21 ad 1.

Quodsi Episcopus finita Missa vel Vesperis, non tamen Completorio vel concione morali, discedere voluerit, Canonici tenentur saltem extra Ecclesiae portam comitari et postea statim redire ad chorum. Si vero discedat persolutis divinis Officiis tenentur illum associare extra portam vel usque ad primum atrium vel portam domus Episcopi, quando domus contigua est Ecclesiae (Caer. Lib. 1. c. 2.) n. 1565 ad 1 die 13. Sept. 1646; n. 1674 die 24. Maji 1653.

Cum Episcopus *solam concionem* auditurus ad Ecclesiam accedit, etiamsi cappa pontificali indutus, non omnes Capitulares, sed saltem duo ex Dignitatibus et sex ad minus ex Canonicis Episcopum venientem ad ostium excipere atque ad eundem usque locum abeuntem reducere debere. n. 22 die 23. Martii 1592.

Canonicos Ecclesiae Callien. solitos esse Episcopum ad concionem audiendam venturum a propriis aedibus exceptum ad Ecclesiam indeque redeuntem similiter usque ad aedes comitari; quod cum modo id facere detrectant, supplicatum est continuari in tali observantia. S. R. C. resp., *Servari solitum*. n. 683 die 24. Apr. 1627.

Canonicos teneri Episcopum associare, quandocunque *cum cappa pontificali* ad concionem audiendam ad Ecclesiam accedat, cum ea distet nisi ducentis passibus. n. 2203 die 17. Mart. 1663; n. 2415 die 23. Julii 1667; n. 3322 die 19. Sept. 1693.

Capitulum teneri non solum prodire obviam usque ad ejus cubiculum Episcopo venturo ad Ecclesiam cum *cappa pontificali*, ut solemniter celebret aut divinis officiis assistat . . . verum etiam teneri eundem usque ad ipsius domum reducere, non obstante consuetudine in contrarium. n. 31 die 20. Oct. 1592; n. 115 die 8. Julii 1602; n. 4317 ad 1 die 6. Augusti 1763.

A Canonicis cum habitu *canonicali* non esse excipiendum et associandum Episcopum, nisi sit *cappa* indutus. n. 1548 ad 2 die 13. Jan. 1646.

Omnes Canonici tenentur accedere in festivitatibus majoribus ad Palatium Episcopale, etiam non contiguum Cathedrali et ad aulam sive mansionem per eum destinatam, eumque associare ad Cathedr. et eundem cum cappa revertentem ad Palatium reassociare. n. 3845 ad 7 die 27. Febr. 1712; n. 4103 ad 2 die 10. Decb. 1740.

Quoties Episcopus cum cappa ad Ecclesiam venit, Canonici eum a loco suae habitationis associare tenentur, dummodo distantia sit brevis. n. 160 ad 2 die 3. Aug. 1602.

A decreto sub die 8. Julii 1602 edito (de associatione Episcopi agente) non esse recedendum et ad illud omnino servandum Canonicos teneri, eisque in posterum super praemissis perpetuum silentium imposuit et imponi mandavit S. R. C. n. 206 die 5. Julii 1603.

Canonicos debere associare Episcopum a domo suae habitationis ad Ecclesiam in habitu *canonicali*, quotiescumque illuc *cum cappa* accedit.

Idem servandum esse a Canonicis Civitatis Theatinae, non obstante quod ejus habitatio asseratur distare ab Ec-

clesia per passus sexaginta, cum modicum spatium non habeatur in consideratione. n. 178 die 14. Decemb. 1602; n. 206 die 5. Julii 1603; n. 746 die 12. Julii 1628.; n. 792 die 20. Decb. 1628.

Stante distantia a cubiculo Episcopi ad Cathedralem supra 170 passus, trium palmorum pro quolibet passu, Canonici non tenentur Episcopum cum cappa ad Cathedralem accedentem associare. n. 844 die 22. Decb. 1629.

Canonici tenentur Episcopum excipere et reducere, non obstante, quod Palatium distet a Cathedrali supra 186 passus. n. 996 die 6. Mart. 1634; n. 10.8 die 15. Sept. 1635; n. 3117 die 20. Julii 1686.

Canonicos associaturos Episcopum ad Ecclesiam ab Episcopio distantem citra sexaginta passus, debere esse indutos insigniis et vestibus canonicalibus ac contrariam consuetudinem esse abusum. n. 1973 die 29. Martii 1659.

Teneri Canonicos in *habitu canonicali* accedere ad domum Episcopi, eumque cappa indutum a camera. . ad Ecclesiam associare, quotiescumque solemniter celebraturus vel ut divinis Officiis assistat, accesserit, et finito Officio ipsum in *eodem habitu* ad eundem locum reducere. n. 205 die 5. Julii 1603; n. 698 die 17. Julii 1627. n. 4434 ad 4 die 27 Maji 1788.

Satis esse, quod Episcopum cappam induat in illa camera, in qua expectant Canonici pro illo excipiendo. n. 777 ad 4 die 20. Novb. 1628.

Canonicos teneri ad associandum Episcopum, quoties ipse cum cappa ad celebrandum Divina Officia vel ut assistat, ad Ecclesiam accedit. Debere tamen Episcopum curare, ne occasione hujus comitatus Ecclesia omnino deseratur, ita ut in ea nulli vel pauci Canonici vel presbyteri pro servitio Ecclesiae remaneant, quod prudentiae et discretioni Episcopi S. R. C. moderandum reliquit. n. 227 ad 1 die 10. Jan. 1604.

Dignitates et Canonicos teneri Episcopum cappa indutum etiam in reditu ab Officio associare saltem usque ad portam domus suae habitationis. n. 284 die 12. Nov. 1605; n. 3103 ad 4 die 23. Mart. 1686; n. 3235 die 16. Decb. 1690; n. 3266 die 8. Mart. 1692; n. 4434 ad 5 die 27. Maji 1788.

Ad dubium: 1. An Archidiaconus et Canonici teneantur capitulariter in habitu canonicali recipere Episcopum a suo cubiculo et associare ad Ecclesiam Cathedralem, similique modo ad eundem reducere, quando iste vult pontificaliter celebrare, tam in solemnioribus a Pontificali Romano praescriptis, quam in aliis solemnitatibus ex consuetudine vel devotione in Civitate introductis vel occasione universalis Jubilaei vel alia rationabili causa Episcopo benevisa?

2. Et an idem veniat servandum, quando Episcopus ad eamdem Ecclesiam accedit cum cappa, vel ut assistat Missae cantatae vel Vesperis aut Processioni, vel ut Concionem audiat, vel alia de causa etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:

Ad 1. „Affirmative“.

Ad 2. „Affirmative, juxta Caeremoniale“.

Et ita decrevit ac servari mandavit. n. 4028 ad 5 et 6 die 22. Jan. 1735.

Capitulum et universos Canonicos obligatos esse ex debito non ex urbanitate associare Episcopum ab ejus cubiculo ad Ecclesiam Cathedralem cum cappa pontificali euntem ad celebrandum vel divinis Officiis assistendum eumque finito Officio debere associare usque ad primum atrium seu portam domus ipsius, dummodo Ecclesia contigua sit domui vel non multum ab ea distans.

Dictam vero obligationem non procedere, quando Episcopus *cum cappa ad Cameram Capitularem* digreditur nisi ex eorum urbanitate. n. 274 die 16. Julii 1605; n. 1597 ad 5 die 5. Sept. 1648; n. 3327 die 13. Mart. 1694; n. 4317 ad 4 die 6. Augusti 1763.

Non ex urbanitate sed etiam ex debito et obligatione non modo Portionarios Canonicos et Dignitates, sed etiam ipsum Decanum teneri associare Episcopum a domo suae habitationis usque ad Ecclesiam Cathedr. veniendo et ab Ecclesia usque ad domum redeundo, quoties *cum cappa* venit ad Ecclesiam celebraturus vel ut divinis Officiis assistat. n. 398 die 10. Jan. 1609.

Capitulum et Canonicos debere accedere ad aulam sive cameram, quam ad hoc Archiepiscopus destinaverit tam in accessu ad Ecclesiam quam in reditu ad formam Caeremonialis, et renuentes etiam sub censuris in subsidium compellendos esse. n. 1598 die 21. Novb. 1648; n. 1754 die 19. Junii 1655.

Canonicos Cathed. compellendos esse ab Episcopo, etiam sub censuris ad associationem ipsius a Palatio ad Ecclesiam et ab Ecclesia ad Palatium; ac si quid relevans in contrarium iidem habeant, in S. C. deducant. n. 2091 die 15. Jan. 1661; n. 2575 die 26. Mart. 1672; n. 2716 ad 1 die 17. Novb. 1674; n. 4434 ad 6 die 27. Maji 1788.

Non quoties Episcopus ad Ecclesiam accedit, Dignitates et Canonici eum ex Palatio suo excipere, comitari et reducere tenentur, sed in solemnioribus tantum diebus, quando ad Ecclesiam *cum cappa* ad celebrandum vel Pontificalia exercenda accedit. In caeteris autem diebus, quibus ad Ecclesiam ire debet, satis esse, si aliqui ex Dignitatibus et Canonicis ei ad ostium Ecclesiae occurrant et in reditu eundem usque ad ostium similiter comitentur. n. 415 die 24. Oct. 1609; n. 536 die 8. Maji 1617; n. 562 die 19. Jan. 1619; n. 594 die 30. Mart. 1621; n. 594 die 30. Mart. 1621; n. 599 die 29. Maji 1621; n. 747 ad 2 die 12. Junii 1628.

Non semper et indistincte Obsequium (Associatio) a Dignitatibus et Canonicis Episcopo ad Ecclesiam venienti praestandum est, sed in solemnioribus tantum diebus, quando Episcopus *cum cappa* accedere voluerit.

Quando Episcopus ad Ecclesiam ascendit *dum in choro recitantur horae Canonicae* . . . satis erit, si quatuor vel quinque ex *Canonicis* vel de Capitulo Episcopo obviam procedant et major pars Canonicorum in choro remaneat, ne Officium deseratur vel interrumpatur propter adventum Episcopi.

Majore et fortiori ratione id servandum esse, quando Episcopus jam *inchoata Missa conventuali* ad Ecclesiam accedit, sicut etiam, quando Episcopus *finita concione non expectat finem Missae conventualis*, sed statim discedere voluerit.

Quando Episcopus statim *finita Missa* conventuali discedere voluerit et *non expectare Sextam*, quae immediate finita Missa cantari solet, convenire videtur, ut Canonici statim finita Missa Episcopum saltem usque ad portam Ecclesiae comitentur et statim postea redeant ad cantandam horam Sextam.

Quando Episcopus *private, sine cappa,* ad Ecclesiam venire voluerit, non tenentur Canonici nisi ex voluntate et urbanitate haec obsequia praestare. n. 505 ad 1—6, die 4. Julii 1615; n. 2739 ad 3 die 13. Julii 1675.

Si Episcopus a choro discedat non expletis divinis Officiis, duo saltem

Canonici eum associant. n. 1661 die 22. Mart. 1653.

Post vesperas quatuor Canonici ad minus teneri associare Episcopum, dummodo alii Canonici remaneant in choro ad Completorium. n. 2151 die 4. Mart. 1662.

Servitium chori non esse omittendum per Canonicos recitare debentes Completorium immediate post Vesperas, sed Episcopum esse associandum per solos Canonicos assistentes, quando ipse Episcopus post Vesperas discedit ab Ecclesia et Completorio assistere non vult. n. 2536 die 21. Mart. 1671; n. 2739 ad 1 die 13. Julii 1675; n. 4317 ad 3 die 6. Aug. 1763.

Quando Episcopus Rocchetto et Mozzetta tantum indutus assistit Missis et Vesperis Canonici non tenentur ipsum *a proprio cubiculo* ad Ecclesiam comitari. n. 633 die 16 Maji 1626.

Canonicos non solum in illis diebus enumeratis in Caeremoniali sed etiam semper et quandocunque teneri in habitu canonicali excipere et associare Episcopum venientem ad Ecclesiam ad solemniter celebrandum vel Pontificalia exercentem seu Divinis assistendum sive ad Conciones audiendum, seu alia quacunque de causa eumque pari modo abeuntem reducere *dummodo cappa indutus sit*. n. 715 die 20. Novb. 1627.

Praevio recessu a decisis teneri Canonicos excipere Episcopum ad formam Caerem. approbati a Bened. XIII., et Episcopus se abstineat a hujusmodi assistentia cum pluviali in diebus minus solemnibus. n. 4145 ad 1 die 20. Julii 1743. In decreto de 22. Aug. 1744 n. 4163 resp. S. C.: Teneri semper (associare) ac Episcopus accedit cum cappa magna, etiam *Dominicis et festis minus solemnibus*.

Canonicos teneri Episcopum cappa indutum *per eam viam (habebat Episcopus viam breviorem per porticum Sacristiae ex aedibus, alteram longiorem per plateam ad portam majorem Ecclesiae)* et ex ea aula seu camera, quam ipse ad hoc singulis vicibus destinaverit, ad Ecclesiam comitari atque deducere et ad easdem sic destinatas reducere. n. 1424 die 17. Decb 1642.

Satis esse, quod Episcopus cappam induat in camera, in qua Canonici illum excipiunt. n. 1567 ad 6 die 13. Sept. 1646.

Canonicos in eorum habitu Ecclesiastico, sed Canonicali, teneri Episcopum, cappa indutum, per eam viam et ex ea aula, quam ad hoc ipse singulis vicibus destinaverit, ad Ecclesiam comitari atque deducere; quod si in Sacristia vel alio loco Episcopus cappam deponat, data benedictione canonicis dimitttat. n. 1661 die 22. Mart. 1653.

Cf.: *Episcop.* (accessus etc.; associatio *presbyt.* decr. n. 4063).

Ad relationem Episcopi Tragurien., quod ob debilitatem genuum sibi confici fecit *una segetta alla romana* ad effectum faciendi se gerere in illa ad Ecclesiam, et quod propterea Canonici renuunt ei praestare solitam associationem, quam in casu ei praestari supplicavit, S. C. resp.: „*Lectum*“ n. 2886 die 6. Maji 1679.

Ad dubium: An omnes Dignitates et Canonici Episcopo *curru vel portatili Sella* ad Ecclesiam venienti teneantur extra portam Cathedr. occurrere et usque ad suam sedem in choro associare ipsumque ad januam deducere? S. C. resp.: Affirmative usque ad locum, ubi Episcopus induit cappam. n. 4317 ad 2 die 6. Aug. 1763.

Ad relationem, quod sub *praetextu modicae pluviae* nolunt Canonici Ragus. Archiepiscopum associare a palatio ad Ecclesiam cappa indutum, S. C. resp.: Teneri Canonicos associare

Archiep. et posse cogi. n. 2274 ad 2 die 24. Maji 1664.

Canonicos Cathedr. Pharen. debere Episcopum educere ab aede episcopali, sive eo celebrante *sive aliquo alio.* n. 2651 die 12. Aug. 1673.

Episcopum Canonicos, qui eum in solemnitatibus ad Ecclesiam cum cappa magna accedentem comitari resusant, in distributionibus quotidianis mulctare non posse; caeterum utatur jure suo. n. 3425 die 27. Apr. 1697.

Impeditis Canonicis et Dignitatibus in actuali servitio chori tenentur duo Canonici, non tamen impeditis servitio chori, *saltem duo Canonici*, excipere ad ostium Ecclesiae illucque associare Episcopum *Rocchetto et Mozzetta indutum*, quando accedit, ut intersit benedictioni SSmi. aliisque functionibus ecclesiasticis. n. 3632 ad 1 et 2 die 26. Aug. 1702.

Canonici Turritani tenentur processionaliter accedere ad palatium Archiepiscopi ad associandum tam in accessu quam in recessu a Cathedrali ad palatium, non obstante distantia biscentum et ultra passuum et intermediatione viae publicae. n. 3687 ad 6 die 26. Apr. 1704.

Ad dubium: An in diebus solemnioribus Canonici Cathedr. Melphit. teneantur Episcopum reducere ad aulam sive potius ad fores Ecclesiae? S. C. resp.: In casu, de quo agitur, esse reassociandum extra fores Ecclesiae. n. 4145 ad 2 die 20. Julii 1743.

Ad idem dubium S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. n 4163 ad 2 die 22. Aug. 1744.

Ad dubium: An Episcopo accedenti ad Ecclesiam Cathedralem pro celebranda Missa privata ad Altare S. Emigdii teneantur Canonici occurrere in ostio, porrigere aspersorium, nec non praestare assistentiam Missae?

Et S. R. C. rescribendum censuit: „Affirmative quoad occursum per nonnullos Canonicos et porrectionem Aspersorii: In reliquis dilata".

Et ita decrevit ac servari mandavit. n. 3886 ad 4 die 11. Julii 1716.

MONOPOLITAN.

Canonicus Caer. Magister Cath. Monopolitanae S. R. C. declarationem super sequenti proposito Dubio quum humillime requisierit, nimirum:

Ep. Monopolitanus ab immemorabili Vesperas Assumptionis B. M. V. solemniter celebraturus in Sacello Episcopalis Palatii Pontificalibus vestibus induitur, et inde ad Cathedralem Canonicis comitantibus et ante illum cum Planetis supra Rocchettum gradientibus, ipse processionaliter sub Baldachino incedit, cujus hastas quatuor juniores Canonici cum Cappa deferunt. Quaeritur ergo: utrum haec rite fiant, vel potius quoad hastas Baldachini standum sit duobus ejusdem S. R. C. Decretis in Arianen. latis diebus 20. Aug. 1639, et 2. Julii 1840?

S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente subscripto Secretario, rescripsit: „Servandam esse *Pontificalis Rom.* Rubricam".

Atque ita rescribere rata est et servari mandavit. n. 5158 die 29. Martii 1851.

COMPOSTELLANA.

Quum Canonici Cathedralis Compostellanae renuant associare Reverendissimum Archiepiscopum ab Aula ad Ecclesiam, uti praescribitur in Caeremoniali Episcoporum, dum Pontificalia peragere debet, Reverendissimus idem Archiepiscopus opportunam in re declarationem a Sacrorum hac Rituum Congregatione expostulavit humillime.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in Ordinario Coetu rescribendum censuit: „Servetur dispositio Caeremonialis lib. I. cap. XX. et detur Decretum in Turritana diei 26. Aprilis 1704".

Vd.: *Supra decr. n. 3687.*

Atque ita rescripsit servarique mandavit. die 23. Maji 1835 n. 4741.

b) Associatio alior. Presbyterorum.

Non tenentur Presbyteri, qui non sunt de Capitulo, associare et reassociare Episcopum, quando venit cum cappa ad Ecclesiam. n. 1243 die 17. Julii 1640.

Capellani Metropolitanae Ecclesiae (Januen) de Massa nuncupati ad eamdem Archiepiscopo accedentem Missam aliaque divina Officia pontificaliter celebraturo ex aula archiepiscopali ad ad Ecclesiam et ab Ecclesia ad dictam aulam comitari tenentur; et eadem associatio debetur, quando Archiepiscopus cappa indutus descendit ad effectum praestandi assistentiam. n. 3997 ad 1 et 2 die 3. Mart. 1731.

Ad relationem Episcopi Urbevetani: Accedente Episcopo cum cappa ad Cathedralem tam in diebus solemnioribus quam minus sol., vel ut Divinis assistat vel pontificaliter celebret vel Conciones audiat vel alia de causa, teneantur Canonici et Dignitates capitulariter *una cum Beneficiatis et Capellanis* illum excipere in aula, ubi se induit cappa et simili modo reducere, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili, sub Poena arbitrio Episcopi. S. C. resp.: Associationem esse praestandam Episcopo a *Canonicis* diebus solemnior. et quandocunque est pontif. celebraturus, etiamsi ingrediatur per januam privat. et in reliquis serventur decreta. n. 4063 ad 3 die 3. Augusti 1737.

c) Genuflexio Canonicor.

Vd.: *Genuflexio coram Episcopo*; *Canonici* (genufl.)

Ad dubium: An tempore, quo Episcopus cappa indutus in accessu ad Ecclesiam Venerabile in genuflexorio adorat, liceat Canonicis pergere ad sedes chorales vel alibi, ibique genuflectere vel stare, seu potius teneantur genuflectere circa genuflexorium Episcopi? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4062 ad 13 die 3. Augusti 1737.

2) Access. ad Eccl. Colleg. vel aliam.

Cf.: *Aspersorium etc.*; *Stola in receptione Praelati.*

Accedentem Episcopum ad aliquam Collegiatam suae Dioecesis tenentur Canonici ejusdem Collegiatae associare et circa ordinem incedendi servari Caeremoniale (Lib. I. c. XV.; lib. II. c. XXXII.) n. 1030 die 24. Novemb. 1635.

Dignitates et Canonicos non esse cogendos nec teneri Episcopum extra Cathedralem ab alia Ecclesia discedentem usque ad rhedam associare. n. 1633 die 2. Mart. 1652; n. 1646 die 3. Aug. 1652.

Procurator gener. Camaldul. admoneatur, ne audeant Monachi debita obsequia recusare Episcopo ad eorum Ecclesiam accedenti ad exercenda Pontificalia Ordinis, non tamen jurisdictionis. n. 2070 die 24. Julii 1670.

3) Accessus.

(Ordo incedendi.)

Canonicos in habitu eorum *ordinario* associantes *Episcopum Cardinalem* debere anteire et non sequi. n. 747 ad 1 et 2 die 12. Junii 1628.

Ad dubium: An in associatione Episcopi Pontificalia exercentis tam

in accessu quam in recessu ab Ecclesia praeire debeant familiares Episcopi, deinde ipse Episcopus et postea Canonici; vel potius praeire debeant Clerus et Canonici, postea familiares Episcopi et postea Episcopus? S. C. resp.: Servetur Caerem. lib. 1 c. 15. n. 4062 ad 8 die 3. Aug. 1737.

Tam in associatione Episcopi quam in processione deberi praecedentiam et locum digniorem prope Episcopis Canonicis Cathedr. n. 4108 ad 6 die 21. Jan. 1741.

Ad dubium: An Consuetudo, qua Canonici Ravennatenses in associatione Archiepiscopi ab ejus aula ad Ecclesiam incedunt post ejus crucem immediate ante ipsum, possit sustineri? S. C. resp.: Negative, ac servetur omnino Caer. Ep. et amplius. n. 4597 die 12. Apr. 1823.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

De ordine servando in sociatione Episcopi ad Ecclesiam profecturi, ut Sacra solemniter peragat vel iisdem assistat, agens *Caeremoniale Episcoporum lib. 1 cap. 15 num.* 2. praeire jubet familiares Episcopi, Magistratum ac Viros illustres; Canonicos vero suae Cathedralis Eum sequi. Haec est regula generalis, quae tamen magis urget, si agatur de Archiepiscopo; nam, ut Caeremoniale loco citato prosequitur: ***Si fuerit Archiepiscopus aut alius utens Cruce, ipsa Crux immediate ante Archiepiscopum per aliquem Capellanum deferatur, Imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa, inter quam et Archiepiscopum, nullus omnino incedat***; ***est enim insigne ipsius:*** ergo familiares Episcopi, Magistratus, illustres viri ante Crucem incedere debebunt: Canonicos vero anteire non licet; et quamquam quis crederet tolerari id posse, si Episcopus sit associandus, attamen nequit, si Ecclesia Metropolitana sit et Archiepiscopatus honore gaudeat, vel Praesul deferendi ante se Crucem Apostolico privilegio fruatur, quia nedum habenda ratio est regulae generalis, verum etiam et multo magis peculiaris, quia Crux immediate ante Archiepiscopum vel Episcopum eodem privilegio decoratum, nemine intercedente, deferenda est. Ab hac autem Caeremonialis dispositione fas non est recedere, etiamsi contraria invaluisset consuetudo. Si haec alicubi obtinuerit, improbanda est, utpote contraria Pontificii juris dispositioni; ideoque tradita regula Caeremonialis ad observantiam revocanda. Nam illae dumtaxat reservantur consuetudines, quae vere laudabiles et rationabiles sunt, nec aperte repugnant regulis in eodem Caeremoniali praeceptive praescriptis. Talis non erat, quae Ravennae vigebat, ubi Canonici non sequebantur Archiepiscopum, sed incedere consueverant ante ipsum post Crucem, contra expressam Caeremonialis legem, quae omnino vult, ne inter Crucem et Archiepiscopum ullus intersit. Quae regula limitationem solummodo patitur, ***dum Archiepiscopus Sacris amictus incedit; tunc enim Canonici parati ad modum processionis immediate antecedunt.*** En dispositio Caeremonialis *lib. 2 cap. 8 num. 27.* ***Si vero celebrans fuerit Archiepiscopus, aut Archiepiscopo major, aut habens privilegium, ut Crux ante se deferatur Archiepiscopalis, per Subdiaconum paratum defertur ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero.*** Spartam hanc praeclare illustravit in suo elucubratissimo voto cl. Vir Joannes Canonicus Fornici Congregationis Caeremonialis a Secretis; nec mei instituti ratio patitur, ut plura hic addam. Haec adnotasse sufficiat, ut quisque intelligat, jure Sac. Congreg. respondisse proposito Dubio:

Servandum omnino esse Caeremoniale Episcoporum.

Ad dubium: Laudatae Ecclesiae Primatialis Pisanae Canonici, dum e propria residentia ad illam, vel ab illius janua ad propriam Sedem Archiepiscopalem Archipraesulem in Cappa accedentem comitantur, juxta sublatum morem Canonicorum Ravennatensium bini post Crucem Archiepiscopalem ante ipsum Antistitem progrediuntur. Ad hanc tuendam consuetudinem maxime roboris esse perhibetur veterum picturarum testimonium et perennis traditio a Majoribus accepta, adeo ut praesumatur hic usus ab eo tempore inchoatus, quo ab Urbano Papa II. haec Primatialis Ecclesia in Metropoliticam dignitatem recepta est. Quaeritur igitur: utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit? S. C. resp.:

„Negative, et servetur omnino Caeremoniale Episcoporum". n. 4672 ad 23 die 12. Novb. 1831.

Vd.: *Canonici* (Ordo incedendi).

4) Accessus primus in civitatem.

Cf.: *Homagium*; *Magistratus*; *Visitatio* (jus, associat. Canonic. decr. n. 3624); *Ecce Sacerdos magnus. Episcopus Visitator.*

Accipere Pluviale, crucem osculandam Episcopo porrigere, Versiculos et Orationes super eum cantare et alias quascunque functiones, quae juxta librum caeremonial. in *primo* ingressu Episcopi exercendae sunt, ad primam Dignitatem seu digniorem de Capitulo spectare. n. 516 die 30. Jan 1616.

Oblationem crucis ad osculandum Rdmo. Episcopo vel alicui Principi spectare ad digniorem e Dignitatibus. n. 2491 die 31. Aug. 1669.

5) Administrator.

a) Assistens missae solemni.

Ad dubium: An Ep. Adm. umquam Missae solemni assistere possit Pluviali vel Cappa indutus, absque tamen circulo Canonicorum, vel potius requiratur, ut cum Mantelletta assistat ad lucrandos suae Praebendae fructus?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Quoad primam partem negative: quoad secundam affirmative.

Atque ita rescribendum rata est ac ex aliis etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 7 die 23. Sept. 1848.

b) Associatio.

Ad dubium: An Canonici Episcopum Administratorem accessurum ad Cathedr. debeant omnes excipere in aedibus, vel soli tres aut quatuor ad portam Ecclesiae? S. C. resp.: Decere in casu, de quo agitur, ut omnes accedant. n. 3952 ad 9 die 22. Aug. 1722.

c) Celebrans.

Ad dubium: An Episcopo Administratori liceat perficere benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum ac Fontis Baptismalis in Sabbato S., quin Missam deinde celebret?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Negative, nam id unice competit Episcopis Ordinariis; et quum Orator Praebendam retineat, necesse est ut praxi communi se conformet, nimirum: ut enunciatae benedictiones perficiantur a Celebrante".

Atque ita rescribendum rata est ac ex aliis etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 8 die 23. Sept. 1848.

d) Incensatio.

Vd.: *Concionator* (bened.)

Ep. Adm. deberi honorem thuris per manus Diaconi vel alterius ministrantis ante Gubernatorem civitatis et alios quoscunque n. 706 ad 3 die 7. Aug. 1627.

e) Ministri et Assistent.

Cf.: *Suffraganeus celebr.* (Ministri etc.)

Dum Episcopus Administrator cantat missam in Pontificalibus, non debent omnes Canonici s. paramentis indui sed tres tantum fungentes officia Diaconi, Subd. et Presbyteri assistentis. n. 3952 ad 7 die 22. Aug. 1722.

f) Praerogativa.

Episcopus Civitatis Ducalis modernus Administrator Ecclesiae Sarsinaten. in functionibus pontif. non gaudet omnibus illis praeeminentiis et praerogativis, quibus fruuntur et gaudent omnes alii Episcopi in propriis Dioecesibus. n. 3952 ad 1 die 22. Aug. 1722.

Vd.: *Epistola pastor. Episcopi Adm.; Mantellett. etc.*; *Episcopus Titularis.*

6) Aegrotus.

a) Administratio Sacramentorum.

Sacramenta administrare Episcopo aegrotanti vel in extremis laboranti spectare ad Capitulum Cathedralis privative quoad parochum unicum loci et intra cujus limites Episcopus degit. n. 2165 die 1. Apr. 1662.

Sacramenta Episcopo aegrotanti ministranda sunt a digniori Capituli Cathedralis. n 2970 ad 12 die 22. Novb. 1687. (Caer. Ep. lib. II. c. 38 n. 4) n. 3593 ad 1 die 13. Aug. 1701.; n. 3612 ad 1 die 11. Febr. 1702.

Ad dubium: An spectet ad Dignitates gradatim juxta eorum Ordinem vel potius ad Canonicos ministrare Sacramenta Episcopo infirmo eoque defuncto Officia celebrare? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3855 ad 3 die 26. Aug. 1713.

Ad dubium: Caeremoniale Episcoporum lib. 2 cap. 38 n. 3 injungit Episcopo aegrotanti, ut antequam communicet, profiteatur Catholicam fidem ex formula ab Apostolica Sede praescripta. Quaeritur: quae sit ista formula? S. C. resp.:

„Eadem, quae a Cathedralibus et Superioribus Ecclesiasticis vel Beneficiatis curam Animarum habentibus observanda est". n. 4669 ad 24 die 12. Novb. 1831.

b) Inhabil. pro functionibus.

Vd.: *Ordinationes* (missa); *Episcop. assist. missae sol.*; *Coena Dom.* (Olea s., Consecrator); *Dedicatio Ecclesiae* (Consecrator).

Ad petitionem: An Episcopus Patavinae in Monialium ac S. Oleorum consecratione podagrae morbo affectus et ad operandum prorsus inhabilis, per Vicarium seu Dignitates missam celebrari, ipse sedens et legendo formam Consecrationis Solemniis vacare liceat? S. C. resp.: Episcopus omnino abstineat, quatenus non possit servata forma ad praescriptum rubricarum hujusmodi vel similia implere. n. 2114 die 2. Julii 1661.

Episcopus aegrotus sibi missam legi facere potest in suo Oratorio; vd.: *Capella Ep.* (praecipue decr. n. 4776.)

7) Assistens.

a) Benedictioni SSmi.

Vd.: *Benedictio SS. Sacramenti* (Benedicens non petit etc.)

Saepius fit in Dioecesi Briocensi, ut in fine Missae et Vesperarum benedictio cum Augustissimo Sacramento Eucharistiae populo impertiatur a Celebrante; quaeritur: an ab Episcopo assistente vel potius a Celebrante thus in thuribulum imponi debeat ad thurificandum Sanctissimum Sacramentum? Ratio dubitandi est, quia in hoc casu thus benedici non debet, sed simpliciter poni in thuribulum.

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et Episcopum thurificare debere".

Atque ita rescripsit. n. 5221 ad 8 die 21. Julii 1855.

b) Concioni.

(Assistentia.)

Vd.: *Concio* (Episcopi); *Sedes Episcopi assist.* (decr. n. 3079); *Cruciferarius.*

Ad dubium: Utrum Episcopo audienti concionem in sede sua ordinaria cum cappa pontificali debeatur assistentia duorum Canonicorum? *S.* R. C. resp.: In hoc exquiri solitum Ecclesiarum vicinarum. n. 777 ad 5 die 20. Novb. 1628; n. 1567 ad 2 die 13. Sept. 1646.

Episcopo concionem cum cappa audienti saltem per duos Canonicos assistentiam praestandam esse. n. 1548 ad 1 die 13. Jan. 1646.

Episcopum tempore Quadragesimae etiam in diebus ferialibus intervenire volentem concioni, assistere debere cum *cappa* illumque Canonicos praesentes associari teneri juxta Caerem. n. 1578 die 6. Apr. 1647.

In defectum Ecclesiae Cathedralis, cui subrogata est de consensu Capituli Ecclesia s. Francisci, debent Canonici Episcopo cum cappa concioni assistenti in ea Ecclesia cum eorum habitu canonicali assistere, prout in Cathedrali. n. 1660 die 22. Martii 1653.

Ad dubium: An intervenienti Episcopo ad concionem tempore Quadragesimae vel Adventus cum cappa seu mozzetta super sedili in medio chori teneantur duo ex Canonicis senioribus vel junioribus assistere? S. C. resp.: Attendenda esset consuetudo, si legitime probaretur. n. 2502 ad 3 die 31. Maji 1670.

c) Divinis.

(Assistentia. habitus et locus.)

Non convenire assistentiam Archiepiscopo, dum *Completorio* assistit, quacunque consuetudine in contrarium non obstante et servandas esse in hoc regulas Caeremonialis. n. 370 die 19. Jan. 1608.

Episcopus potest Divinis interesse cum Rocchetto et Mozetta, dummodo non in sede ordinaria, sed in primo stallo in choro supra omnes alios assistat et hoc etiam casu *absque ulla assistentia Canonicorum*, de qua loquitur Caeremon. Lib. I. c. VIII. n. 1074 die 24. Julii 1638.

Nullam assistentiam Canonicorum deberi Episcopo interessenti horis Matutinis et Completorio, etiam cum cappa pontificali, quacunque contraria consuetudine non obstante. n. 1567 ad 2 die 13. Sept. 1646; n. 2502 ad 2 die 31. Maji 1670.

Episcopus in sua *Cathedra* existens Diaconorum assistentia uteretur, sed cappa vel Mozzetta supra Rocchettum indutus in *sede chorali* manens horis canonicis interveniens, assistentiam Canonicorum nullatenus adhiberet. n. 1774 die 29. Jan. 1656.

Ad dubium: An Episcopo assistenti in throno cum cappa recitationi horarum canonic. liceat habere presbyteros chorales illi assistentes, superpelliceo indutos, hinc inde adstantes? S. C. resp.: Servetur Caerem. lib. 2 c. 5 n. 4062 ad 2 die 3. Aug. 1737.

Episcopum quandocunque accedentem ad Ecclesiam in diebus *ferialibus* ad interessendum simpliciter horis Canonicis, Vesperis et Completorio aut etiam missae conventuali, non uti debere cappa magna sed rocchetto et mozzetta. n. 1577 die 12. Jan. 1647.

Ad dubium: An et quo habitu et loco Episcopus teneatur assistere celebrationi missae cantatae et recita-

tationi divini Officii? S. C. resp.: Assistentiam choralem praestandam esse ab Episcopo cum cappa in altera ex duabus sedibus existentibus in choro, quae congrue aptetur, ac prope Episcopum sedent Dignitates et Canonici juxta ordinem. n. 4062 ad 1 die 3. Aug. 1737.

d) Expositioni SSmi.

Vd.: *Expositio SSmi. coram Episcopo.*

e) Missae solemni.

I) Assistentes in Cathedrali.

Vd.: *Canonici* (assistent.); *Caeremoniar.* (assist. Ep.); *Obligatio Episcopi celebr. et assist.* (decr. n 4565); *Diaconus Celebrantis*; *Canonici Episcopo assist.*; *Biretum Canonicorum*; *Circulus* (Quis facit?); *Diaconi assist.*

Quando Episcopus cum cappa assistit, nullus ei assistere debet. (Caer. Lib. II. c. X. et XXII.) n. 2707 ad 4 die 4. Aug. 1674.

Assistentia proprie Episcopo convenit, quando est *paratus cum mitra.* n. 249 die 21. Aug. 1604.

De Assistentium thurificatione, cf.: *Vicar. gener.* (incensatio, decr. n. 4174).

Quodsi Episcopus post missam plenam velit etiam missae solemni vel conventuali seu divinis Officiis assistere, non esse opus, ut ab universo Capitulo associetur a dicto altari, ubi celebravit, ad sedem Episcop., sed satis esse, si a duobus Canonicis ministrantibus comitetur. n. 205 die 5. Julii 1603.

Capite detecto debet esse Canonicus assistens Episcopo, dum legit Epistolam, Graduale et Evangelium. n. 2637 ad 8 die 17. Junii 1673.

Episcopo assistenti cum cappa magna Canonico celebrante tenetur unus ex Canonicis sustinere librum ipsi Episcopo Epistolam, Evangelium, Offertor. et Commun. legenti. n. 2685 die 3. Mart. 1674.

Diaconus et Subdiaconus Celebrantis Episcopo missae assistente post Episcopum et Celebrantem stantes inter se confessionem ipsam absolvent medii inter Canonicos assistentes, si Diaconus et Subdiaconus fuerint Canonici; sin minus a sinistro latere simul stantes post Episcopum et Celebrantem. n. 2805 ad 6 die 14. Novb. 1676.

Ad dubium: An Episcopo assistenti Vesperis et missae sol. Prior (prima Dignitas) Cathedralis Spoletanae teneatur ministrare naviculam et incensum et Episcopum thurificare? S. C. resp.: Servetur Caerem. Lib. 1 c. 7 n. 7. n. 3623 ad 1 die 18. Mart. 1702.

II. Assistent. extra Cathedralem.

Episcopus extra suam Cathedral. in Ecclesiis exemptis intra fines suae Dioecesis missae aut Vesperis assistens potest sibi assumere Canonicos et habere cum iisdem Circulos ad Gloria etc. n. 232 ad 1 die 7. Febr. 1604.

Episcopus assistens non potest absentibus Canonicis Cathedr. extra Cathedralem quoscunque presbyteros ad circulos vocare. n. 633 die 16. Maji 1626.

Vd.: *Canonici* (assist. extra Cathedr.); *Diaconi assist.* (extra Cathedr.); *Circulus* (quis facit?)

III. Benedictio Aquae.

Ad dubium: An Ep. assistens Missae solemni, dum Subdiaconus ei porrigit Ampullam aquae, debeat omnino recitare Orationem: *Deus, qui humanae substantiae,* vel satis sit ut efformet signum crucis super oblatam Ampullam?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Dicendam esse orationem“.

Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5102 ad 9 die 11. Sept. 1847.

Vd : *Passio* (Episcop. assist.)

IV. Benedictio solemnis.

Solemniter benedicere post Vesperas et missas ad Episcopum assistentem pertinere. n. 232 ad 5 die 7. Febr. 1604.

Ad Archiepiscopum Jadren. assistentem missae sol. et Vesperis in Ecclesia Dominicanorum spectare populo solemniter benedicere caeteraque similia de more adimpleri et exequi. n. 2732 ad 2 die 18. Maji 1675.

Episcopus tantum in *sede* assistens Missae solemni populo benedicit et Indulgentias publicare facit. n. 5004 ad 2 die 7. Decb. 1844.

Cf.: *Benedictio Episcopi.*

V. Confessio.

Vd.: *Confessio*; *Missa sol. coram Episcopo*; *Dom. Palmar.*; *Canonici*; *Episcopus* (officii init.); *Mitra Episc. assist.*; *Diaconus et Subd. Celebrantis etc.*; *Passio* (Episc. assist.); *Biretum Episcopi* (quando depon.)

Episcopus assistens *sine cappa pontificali* facere non debet confessionem cum celebrante a sinistris et duobus assistentibus a dexteris. n. 133 ad 4 die 2. Sept. 1597.

Confessionem facere cum Celebranti ad Episcopum assistentem pertinere. n. 232 ad 5 die 7. Febr. 1604.

Quando Episcopus assistit missae solemni Celebrans ad Confessionem debet respondere Episcopo usque ad Indulgentiam inclusive. n. 2241 ad 7 die 4 Aug. 1663.

Dum Archiepiscopus Jadren. in Ecclesia Dominicanorum missae solemni assistit, ad ipsum spectare facere confessionem cum Celebrante. n. 2732 ad 2 die 18. Maji 1675.

Episcopus tum cappa tum pluviali indutus assistens Missarum solemniis debet a dexteris Celebrantis non Episcopi cum eo confessionem explere et *Celebrans eidem uti minister respondere* usque ad versum*: Deus tu conversus etc. exclusive*, quem Episcopus debet explere cum Diaconis assistentibus et Celebrans cum Ministris Sacrificii. n. 2805 ad 6 die 14. Novb. 1676.

Canonici Cathedralis Salernitanae exposuerunt, qualiter eorum Episcopus reperitur brachio destitutus et pede ob apoplexiae infirmitatem ita ut non possit in throno assistere Officiis cum cappa et aliis s. paramentis sed quandoque assistit in sella gestatoria cum zimarra et collocatus in planitie throni vult osculari Evangelium etc. et facere alias functiones, quas faciunt Episcopi s. paramentis induti. S. C. resp.: *Non licere.* n. 3171 die 25. Septemb. 1688.

Cf.: *Episcopus aegrot.*

Ad dubium: Dum Episcopus Missae per alium cantatae assistens Missam cum Celebrante incipit ante infimum gradum Altaris, Presbyter assistens et Diaconi assistentes ubi stare, et quid agere debent? S. C. resp.:

„Presbyter assistens cum aliis Canonicis, Diaconi vero assistentes a tergo Episcopi et Celebrantis“. n. 4669 ad 15 die 12. Novb. 1831.

VI. Evangel. legit.

Episcopus capite cooperto legere debet Evangelium et ante illud dicere: *Munda cor meum etc., Jube Dom. benedicere etc. et Dominus vobiscum.* n. 2637 ad 7 die 17. Junii 1673.

Cf.: *Epistola* (legit Episcop.) decr. n. 3786.

Vd. supra decr. n. 3171.

VII. Evangel. non legit etc.

Episcopus palmas benedicens et missae assistens, non debet legere epistolam neque Evang.: *Cum appro*

pinquasset vel: *Altera autem die* post passionem, tam ex Praxi Capellae Pontificiae quam ex praescripto Caerem. Ep. S. R. C. 28. Apr. 1708.

VIII. Evang. osculum.

Ad Archiepiscopum Jadren. assistentem in Ecclesia Dominicanorum in throno missae sol. spectare osculari textum Evangelii. n. 2732 ad 2 die 18. Maji 1675.

Vd.: *Evangelium* (oscul. Episcopi).

Quando Episcopus assistit in choro aliquantulum ab altari majore distans, post Evangelium cantatum Diaconus debet illi Missale ad deosculandum deferre, et interim in hujusmodi actus executione Sacrificium intermittendum. n. 3551 ad 4 die 13. Mart. 1700.

Vd.: *Credo in missa*; decr. n. 2883.

IX. Incensatio.

(Nudo capite.)

Si Episcopus assistat cum cappa, debet stare sine bireto, dum a Presbytero assistente incensatur. n. 4669 ad 14 die 12. Novb. 1831.

X. Incensatio.

(Quando fit?)

Quando Episcopus assist. missae sol. cum *cappa* Celebrans debet thurificari *finito Evangelio* et non Episcopus, si non est paratus Pluviali. n. 2241 ad 8 die 4. Aug. 1663.

Aut Episcopus Pluviali indutus et mitra redimitus Missae per alium celebratae assistit et eo casu solus Episcopus post Evangelium thurificari debet (Caer. Lib. 1 c. XXIII.) vel eidem missae assistit cum cappa, et eo casu Episcopus una vice tantum thurificari debet post Offertorium. (Caer. Lib. II. c. IX. in fine) n. 2707 ad 1 die 4. Aug. 1674.

Epicopus mitratus (id est cum Pluviali et Mitra) assistens ter in missa thurificetur. n. 3418 die 30. Martii 1697.

Episcopus in choro assistens absque Baculo et Mitra, sed solum cappa indutus, post Oblata tantum thurificandus est. n. 3551 ad 5 die 13. Mart. 1700; n. 3810 ad 2 die 8. Junii 1709.

Ad dubium: An thurificatio post Evangelium debeatur Celebranti seu potius Episcopo cum cappa assistenti? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4962 ad 6 die 3. Aug. 1737.

Dum in choro et extra Cathedralem Missae sol. assistit Episcopus in Mozzetta post thurificationem altaris et cantato Evangelio *Celebrans tantum* incensatur n. 5004 ad 2 die 7. Decb. 1844.

XI. Incensatio.

(A quo fit?)

Cf.: *Canonici Cathedr.* (genufl.)

Dignitas vel Presbyter Canonicus, qui ministrat naviculam Episcopo, debet semper illum thurificare, quando assistat ad Missas, et non Diaconus Evangelii, licet sit Canonicus. n. 351 ad 9 die 19. Maji 1607.

XII. Incensum imponit.

Incensum imponere et benedicere ad Episcopum assistentem pertinere. n. 232 ad 5 die 7. Febr. 1604.

Ad Archiepiscopum Jadren. assistentem missae sol. et Vesperis in Ecclesia Dominicanorum spectare thus imponere. n. 2732 ad 2 die 18. Maji 1675.

XIII. Salut. et bened. Canonicos.

Episcopus divinis assistens cum cappa lata non debeat salutare Canonicos transeuntes detegendo caput, sed satis esse manu benedicere. n. 227 ad 5 die 10. Jan. 1604.

Cf.: *Benedictio Episcopi super Canonicos.*

XIV. Quando sedit?

Post thurificationem altaris dicto Offertorio poterit sedere Episcopus interim, quo Diaconus thurificat Dignitates, Canonicos et reliquos de Clero. n. 2883 ad 8 die 6. Maji 1679.

Episcopum missae sol. praesentem tempore thurificationis altaris sedere posse. n. 2883 ad 6 die 6. Maji 1679.

Episcopus sedere debet quoties incenso adoletur altare, quia quoad sessiones diversimode sese habent altari ministrantes et assistentes in solio Episcopi. (Caer. Lib. I. c. XVIII.) n. 2707 ad 2 die 4. Aug. 1674.

Quando Episcopus assistit Missae per alium celebratae, sedere debet cum mitra, dum aut per Sermocinatorem aut Celebrantem in fine Missae publicatur indulgentia. n. 2707 ad 3 die 4. Aug. 1674.

f) Processioni.

Vd.: *Reverent. erga Episcop.* (decr. n. 3551 ad 2); *Intortitium Episcopi.*

Episcopus debet in publicis processionibus cum cappa et biretto non inter Dignitates sed solus incedere. n. 789 ad 1 die 20. Decb. 1628.

Nullam deberi Episcopo assistentiam Canonicorum in processionibus, in quibus cum cappa incedit post baldachinum SS. Sacramenti vel post Reliquias, vel post Celebrantem pluviali indutum, sed solum in iis, in quibus Episcopus paratus incederet. n. 1567 ad 3 die 13. Sept. 1646.

Episcopus, assistens processionibus, si est paratus, mitra indutus incedere debet; sin minus detecto capite (quia processiones fiunt ad implorandam divinam clementiam). n. 2637 ad 9 die 17. Junii 1673.

Episcopus in s. supplicationibus tum cappa pontificali tum Pluviali indutus incedere debet inter Canonicos Diaconos assistentes vel inter Dignitates, quibus assistentiae munus incumbit. Laicos vero oportet omnino Episcopum snbsequi, modo Canonici intersint, ut prorsus debent, choralibus Insigniis seu s. vestibus induti; sin minus, potest consuetudo tolerari (ut Episcopus medius inter Laicos incedat). n. 2805 ad 8 die 14. Novb. 1676.

Episcopus in habitu Episcopali processionaliter comitans SSmum., non potest incedere *sub eodem baldachino* cum Sacerdote illud deferente, nec potest in ipsamet processione sibi deferri facere particularem umbellam, neque per se ipsum gestando SSmum. sub baldachino, sub eodem baldachino uti particulari umbella extensa et delata a suo famulo. n. 2935 ad 1 et 2 die 11. Jan. 1681.

8) Associatio.

a) Ad altare.

Ad dubium: An Sacerdotes et Canonici aliique assistentes teneantur associare Episcopum ante altare et ibi immorari, donec Episcopus revertatur ad sedem Episcopalem? S. C. resp.: Teneri Canonicos assistentes, juxta Caer. lib. 1 c. 8 n. 3845 ad 2 die 27. Febr. 1712.

Vd.: *Canonici parati assist. in choro* (decr. n. 3851.); *Episcopus* (accessus ad Cathedr.)

Episcopum, quando exiit a choro, ut altare incenset vel aliam caeremoniam faciat, omnes Dignitates et Canonici assistentes et alios necessarios, qui sunt membra, debent in hujusmodi actibus associare et honorare. n. 13 13 ad 2 die 20. Mart. 1590.

b) In ambulando.

Canonicos laudandos esse, si Episcopum, quando in via eum invenirent,

ad locum, ad quem accedit, comitentur, sed non cogendos esse. n. 1823 die 9. Junii 1657.

c) In accessu ad Ecclesiam.

Immemorabilem consuetudinem, ita ut Archiepiscopus duos Canonicos assistentes hinc inde apud se habeat per viam, dum ex domo ad Ecclesiam procedit, servandam esse. n. 379 die 10. Maji 1608.

Vd.: *Episc.* (access. ad Cath.)

d) Non associatus incedit Episcopus.

Ad dubium: An Magistratui et Consuli liceat in processionibus aliisque s. functionibus incedere pari gradu, ut dicitur a spalla cum Episcopo, seu potius Episcopus solus praeire debeat? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 3878 ad 4 die 11. Maji 1715.

Nullam Dignitatem, Canonicum aliamve personam, propria auctoritate vel vigore cujusvis consuetudinis ad latus Episcopi vel cappa pontif. vel s. vestibus induti, incedere debere, nisi ipse ex sua humanitate aliquem vocare velit; ipsum vero Archiepiscopum pro sua dignitate magis decere, ut solus incedat. n. 133 ad 4 et ejusd. num. infra 5 die 23. Mart. 1592.

Non convenire Laicos cum Episcopo simul incedere, maxime in processionibus. n. 541 ad 2 die 2. Junii 1617; 3878 ad 4 die 11. Maji 1715.

...e ullam Episcopo, dum capi... ...sociatus ad Ecclesiam cum ...tur, assistentiam deberi. ...rt. 1621; n. 3468 ...um appendice: ...cum para-

9) Celebrans.

a) In aliena Ecclesia.

Vd.: *Missa in Ecclesia aliena.*

Quum pleraque extent Decreta S. R. C., quibus per modum gen. regulae edicitur, ut Sacerdotes, qui celebrant in aliena Eccl., quoad s. Indumentorum colorem conformare se debeant Eccl. ipsi, in qua Sacrum peragunt, Rmus. Alben. Ep. pro ea, qua praestat pietate, ac in S. Ritibus servandis sedulitate S. ipsam C. humillimis datis precibus rogavit, ut declarare dignaretur: num ipse, qui ad Pastorale munus explendum, interdum adigitur privatim celebrare in aliqua Eccl. tum propriae tum alienae Dioecesis, teneatur se conformare memoratis Decretis, vel potius, attenta Episcopali dignitate, sequi debeat colorem in suo Dioecesano Kal. praescriptum?

Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita relatione a subscripto Secretario facta, reque mature examinata, respondendum censuerunt: „Serventur Decreta“. die 7. Decb. 1844 n. 4980.

Quum Rmus. Episcopus Coebuan., seu SSmi. Nominis Jesu S. R. C. supplicia vota porrexerit, ut sententiam suam dicere dignaretur super sequenti Dubio, quod pro opportuna solutione proposuit; nimirum: „Utrum tempore Visitationis Episcopus actu visitans Ecclesiam Parochi Regularis, hujus ritum in Missae celebratione sequi debeat, vel potius Parochus Regularis ritum Episcopi?“

Eadem S. R. C. ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, referente subscripto Secretario, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: „Detur Decretum in Alben. diei 7. Decemb. 1844“.

Atque ita rescripsit. n. 5216 die 21. Julii 1855.

Vd.: *Missa in Eccles. alien* (decr. n. 5005).

b) In Eccl. exempta.

Episcopum in omnibus suae Dioecesis Ecclesiis *quantumvis exemptis* et privilegiatis esse honorandum, ita ut ei is honor tribuatur, qui suae Dignitati par sit, eique in choro, in Capitulo, in Processionibus et in aliis actibus publicis primam sedem et primum locum, quem ipse elegerit, dandum et concedendum esse, nec posse prohiberi, quominus in dictis Ecclesiis etiam exemptis Pontificalia exerceat, imo posse Episcopum contradictores poenis . . . ecclesiasticis compellere. n. 477 die 6. Decemb. 1613.

Episcopus potest accedere ad Ecclesiam exemptam ad faciendas processiones et alia Pontificalia exercenda, et erigere potest Baldachinum. n. 752 die 12. Julii 1628.

c) In fer. IV. Cinerum.

Vd.: *Cineres.*

10) Non celebrans.

Episcopo non celebrante, quis celebret? Vd.: *Dignitas* (celebrans etc.) *Vesperae; Matutinum solemne; Nativit. Dom.*

11) Concionator.

Vd.: *Concio Episcopi.*

12) Consecratio.

a) Assistentia.

Vd.: *Consecratio Episcopi* (annivers.); *Communio Episcopi consecrati.*

Ob impossibilitatem assistentiae duorum Episcoporum S. R. C. Episcopo Goan. de speciali gratia facultatem et licentiam consecrandi in Episcopum Fratrem Dominicum cum assistentia duarum Dignitatum loco duorum Episcoporum concessit. n. 272 die 16. Julii 1605.

An interrogatio in consecrationibus: *Scis eum esse dignum?* sit ommittenda; quandoquidem in Romana Curia omittitur in consecrationibus Episcoporum. S. R. C. resp.: *Servandum esse Pontificale.* n 663 die 21. Novb. 1626.

Consecrationem (Episcopi) celebratam a duobus Episcopis tantum, adhibito pro tertio Decano Cathedr., convalidari posse, una cum omnibus inde sequutis, quod ternarius numerus *(Turrecremata in cap. Porro num.* 3 dict. 66) Episcoporum non sit de substantia Ordinis Episcopalis. n. 1425 die 17 Decb. 1642.

In Consecratione Episcopi cum facta fuit facultas ut assistant duo Presbyteri loco duorum Episcoporum, utrum isti Presbyteri Assistentes debeant ambabus manibus caput consecrandi post Episcopum consecrantem tangere, et recipere Consecratum ad osculum pacis? S. C. resp.:

„Servetur Rubrica Pontificalis Romani". n. 5188 Romae 9. Junii 1853.

b) Commemoratio.

Ad dubium: Quo loco debeat fieri commemoratio in missa pro consecratione Episcopi, quando ratione festi currentis dicitur Missa de festo habente plures alias commemorationes? S. C. resp.: Serventur rubricae Pontif. rom. de Consecratione Electi in Episcopum post examen §.: propter ordinationem, et Missalis in fine post Benedictiones. n. 3809 ad 7 die 8. Jun. 1709.

Ad dubium: Quid sit agendum in Missa solemni tam in Ecclesia Me-

trop. seu Cath., quam in aliis Ecclesiis Dioecesis quando dies anniversaria Consecrationis Episcopi incidit in Feriam V. in Coena Domini, ut fiet in Dioecesi Mechliniensi Anno 1841, vel in Sabb. S.? Item an liceat in omnibus Missis tam cantatis, quam lectis privatis addere commemorationem pro Episcopo, si dies anniversaria ejus consecrationis incidat in Dominicam aliquam ex privilegiatis I. cl., quae unicam tantum admittunt orationem, vel Festum I. aut II. cl., et quatenus affirmative, an debeat illa commemoratio uniri orationi diei sub unica conclusione, vel dici sub distincta conclusione?

S. R. C. . . . rescribendum censuit:

„Commemoratio Anniversarii locum habet tantum in Dominicis, et dupl. II. cl. sub unica conclusione, in reliquis omittenda".

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4911 ad 3 die 12. Septemb. 1840.

c) Paramenta.

In Consecratione Episcoporum Consecrandus colore *albo*, Consecrator et Assistentes colore tempori convenienti uti debent. n. 2223 ad 2 die 16. Junii 1663.

13) Defunctus.

Vd.: ***Anniversarium; Sepultura Episcopi***; De Paramentis Episcopi † cf.: ***Sacerdos defunctus*** (decr. n. 4669).

14) Electio.

Diebus festis fieri debent publicae orationes pro novi Episcopi electione ad formam Concilii Tridentini et Caerem. Ep. n. 3952 ad 10 die 22. Aug. 1722.

Collecta pro eligendo Episcopo continuari debet usque ad diem electionis, qui est dies Consistorii secreti. n. 4651 ad 3 die 19. Decb. 1829.

Vd.: *Praeconis. Episcopi.*

15) Functiones.

Vd.: *Functiones pontifical.*

16) Genuflexio in choro.

Conf.: *Genuflexio.*

Longe melius esse Episcopum in choro genuflectendo vertere renes Canonicis quam altari. n. 198 ad 1 die 23. Maji 1603.

17) Habitus.

Lingonen.

Quum Rmus. Lingonen. Ep. Liturgiam Rom. in sua Dioec. induxerit, anceps haeret, num adhibere possit habitum violaceum cum longa cauda, scilicet Cappam magnam, quo habitu communiter utuntur Ep., ac de opportuna declaratione S. R. C. enixe rogavit.

S. eadem C. ad Vaticanas Aedes subscripta die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente Secretario, respondendum censuit:

„Posse ad tramites Caer. Ep." die 23. Maji 1846 n. 5010.

Cf.: ***Episcopus assist. Divinis. Cappa. Mozzetta. Episcopus*** (vestis); ***Episcopus titular.***

18) Incensatio.

a) Ductus.

Vd.: ***Episcopus assist.***; ***Canonici Cathed.*** (genufl.); ***Pileolum Episcopi***; ***Episcopus titularis.***

Celebrans (Episcopus) tantum in Vesperis triplici ductu thurificandus est. n. 518 die 30. Jan. 1616.

Ternam thurificationem Episcopo vel Archiepiscopo esse debitam. n. 1448 ad 4 die 16. Maji 1643.

b) Modus.

Non convenire, ut Episcopus a prima Dignitate vel Canonico, seu presbytero assistente *genuflexo* thurificetur; sed Episcopum stantem Canonico vel Presbytero assistente *stante* tam post Introitum et Evangelium, quam post Offertorium thurificandum esse. n. 473 die 4. Maji 1613.

Dignitates et Canonici assistentes inservientes non tenentur genuflexi ministrare. n. 973 die 15. December 1632.

Canonici non possunt Episcopum *cooperto capite* thurificare. n. 1596 ad 2 die 20. Junii 1648; n. 1602 ad 1 die 23. Jan. 1649.

Cf.: *Pileolum.*

c) In Process. SS. Corp. Chr.

Incensationem post Evangelia quatuor ad altaria per vias in process. SS. Corp. erecta decantata deberi Episcopo SSmum. deferenti, non autem Archiepiscopo cappa induto illud comitanti. n. 3402 die 6. Oct. 1696.

d) Series.

(Ord. s. Francisci Ariminen.)

Quaeritur: an quum in Choro nostro, tempore Missae solemnis vel Vesperarum adsit Episcopus non Dioecesanus simul cum Patre nostro Provinciali Visitatore, sit thurificandus solus Episcopus aut ambo? Et quid, si Episcopus esset Dioecesanus, simul cum Patre nostro Provinciali Visitatore, sit thurificandus solus Episcopus aut ambo? Et quid, si Episcopus esset Dioecesanus? S. C. resp.: „Servetur Caeremoniale Episcop." 4681 ad 3 die 7. Apr. 1832.

19) Incensum imponit etc.

Vd.: *Incensum; Episcop.* (thuris impos.)

20) Jus in Divinis mutandi etc.

Cf.: *Calendar. Dioeces.; Translatio perpetua.*

21) Lectionem cantat.

Vd.: *Lectio.*

22) Ut Minister inserviens.

Ad dubium: An Episcopi dignitati suae praejudicium inferrent, quando Archiepiscopo Primati suo pontificaliter celebranti ad altare inserviunt? S. C. resp.: Praejudicium inferre et non licere. n. 2911 die 24. Febr. 1680.

23) Nominatio in Canone et benedictione cerei paschalis.

Vd.: *Canon; Oratio pro Episcopo; Cereus paschalis.*

24) Obligatio celebrandi.

Vd.: *Obligatio Episcopi celebrandi.*

25) Officium.

a) Initium.

Cf.: *Episcopus* (accessus ad Eccles.); *Chorus* (initium); *Caeremon.* (indicat Episcopo etc.)

Teneri Canonicos . . . expectare Episcopum nec officia inchoare nisi post ejus adventum, dummodo hora Officii certe intimata sit nec ultra signum datum pro inchoando officio Episcopus moretur et diutius Canonicos expectare faciat. n. 274 die 16. Julii 1605.

Quando Episcopus in solemnitatibus ad Ecclesiam celebraturus vel ut divinis Officiis assistat venire voluerit, intimanda est hora certa Officii et dato signo et Episcopo non veniente, Officium inchoari potest. n. 505 ad 1 die 4. Julii 1615; n. 2515 ad 10 die 13. Sept. 1670.

Quando per sonum Campanae hora certa Officii inchoandi intimatur, dato signo, diutius ultra ultimum signum

datum, non est immorandum, sed Canonici post signum datum, etiam non expectato Episcopo, Officium inchoare poterunt. n. 505 ad 5 die 4. Julii 1615.

Condicta hora cum Episcopo eique intimata, ut, si velit, possit accedere, et dato signo, si Episcopus inchoatis horis advenerit ad divina Officia, non tenentur omnes Canonici illi obviam procedere, sed quatuor tantum et quinque de Capitulo, ita ut major pars Capituli vel Canonicorum remaneat in choro ad horas prosequendas. n. 688 die 12. Junii 1627.

Episcopus tenetur praenuntiare Canonicis per diem ante, quando intendit celebrare in pontificalibus. n. 1008 ad 3 die 9. Decb. 1634.

Ad dubium: An Archiepiscopus possit inhibere Canonicis, qui inchoant divina Officia ante ipsius adventum, et perveniente post illa incoepta teneantur Canonici repetere? S. C. resp.: *Negative*, et dentur decreta. n. 3026 ad 8 die 24. Julii 1683.

Horam certam inchoandorum Officiorum antea cum Episcopo consultandam et stabiliendam esse et intra eam non esse inchoanda Officia nisi expectato Episcopo; ultra ultimum vero signum datum non debere Episcopum immorari, sed post illud posse per Canonicos Officium, etiam non expectato Episcopo, inchoari. n. 1456 die 11. Julii 1643.

Canonici missas vel vesperas celebraturi, paulo antequam Episcopus in chorum veniat, debent sumere paramenta eumque venientem ad loca sua expectare. n. 1494 ad 2 die 16. Apr. 1644.

Canonicos debere expectare adventum Archiepiscopi nec posse inchoare solemnia, quibus ipse interesse velit, si adhuc non pervenerit, sed Archiepiscopum oportere esse discretum, ne alias urgeat necessitas consulendi gravi Canonicorum incommodo. n. 1874 die 16. Mart. 1658; n. 1903 ad 1 die 13. Julii 1658; n. 4103 ad 4 die 10. Decb. 1740.

Ad dubium: An Episcopus teneatur reperiri in Ecclesia hora congrua pro assistendo missae conv. et an Celebrans expectare debeat ultra dictam horam? S. C. resp.: Quoad primam partem: Episcopum debere opportune accedere ad Ecclesiam hora constituta, quoad secundam satis provisum in prima. n. 4145 ad 4 die 20. Julii 1743.

b) Recitatio.

Episcopus, quando reperitur in aliquo Oppido suae Dioecesis in visitatione seu alia de causa, potest licite recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma rubricarum seu ex concessione S. C. et quod sint patroni seu titulares, in eisdem Oppidis recitatur, et sic praecepto de recitando Officio satisfacit. n. 1437 die 14. Mart. 1643.

Episcopo in actu Visitationis existenti non licet ob occupationes, quibus tunc temporis impeditur, Officium quod ex Breviario rom. simplex recitari debet, sub ritu duplici vel semiduplici recitare et loco Officii de Feria non potest aliud brevius persolvere, eo, quo magis rubricarum observantiam praeseferre debet. n. 1452 die 13. Junii 1643.

Tam Archiepiscopus quam Canonici, qui sunt ligati Ecclesiae, etiam absentes tenentur recitare Officium juxta ritum Ecclesiarum, quibus sunt ligati. n. 2828 ad 3 die 10. Julii 1677.

26) Paramenta.

(Ubi induit ea?)

Vd.: *Diaconus et Subd. Episc.*; *Sandalia.*

Ad dubium: Utrum Episcopus tolerare possit quod Canonici Episcopum

Pontificalia exercentem non ad Altare majus, sed in Sacristia vestiant?

Emi. et Rmi. P. . . . respondendum duxerunt:

„Negative et servandas esse praescriptiones Caeremonialis Episcoporum".

Atque ita S. R. C. rescribere rata est propositaque Dubia declarare. n. 5228 ad 2 die 29. Novb. 1856.

27) Praeeminentia.

a) In Ecclesia exempta.

Vd.: *Episcopus celebr. in Eccles. exempta.*

b) Extra suum Territorium.

Episcopo nullam jurisdictionem in aliquo oppido habenti praeeminentias, quae debentur Episcopo proprio et alia similia, non convenire. n. 250 die 21. Aug. 1604.

28) Praecedentia.

Vd : *Assistentes in Solio Pontificio*; *Episcopus titular.*; *Archiepiscop. titularis.*

Ordinem, characterem et titulum semper inhaerere personae Episcopi consecrati, quae numquam dimittit nec dimittere potest et ideo, licet administrationem Episcopatus quis dimittat, titulum et ordinem semper retinere et consequenter debere praecedere omnibus aliis Episcopis post ipsum electis et consecratis. n. 299 die 4. Mart. 1606.

Episcopum Dioecesanum in *sua Ecclesia Cathedr. et Dioecesi* in Consecrationibus et in omnibus aliis functionibus et actibus pontificalibus exercendis, praeferendum esse omnibus aliis Archiepiscopis et Episcopis etiam promotione ipso Dioecesano anterioribus, *Metropolitano proprio tantum excepto*; licet alias Episcopus Dioecesanus teneatur Episcopos advenas et peregrinos in sua Dioecesi honorare et ex urbanitate dexteram et locum digniorem eis cedere. n. 400 die 10. Jan. 1609.

Circa Praecedentiam inter Episcopos nullam aliam rationem esse habendam, nisi temporis electionis seu promotionis ad Episcopatum, ita, ut qui prius electus seu promotus et a Summo Pontifice in Consistorio propositus et confirmatus sit, debeat alteri cujuscunque dignitatis vel qualitatis postea electo, proposito et, ut supra confirmato, praecedere. Et hoc . . . inter omnes totius Orbis Episcopos servandum esse. n. 404 die 21. Mart. 1609.

Ad Archiepiscopum uti Archiepiscopum majoritate gradus supra Episcopum praecedentiam spectare. n. 1779 die 19. Jan. 1656.

Archiepiscopo titulari aeque ac de residentia praelationem et obsequia deberi, ac propterea Archiepiscopum Suffraganeum Pragensem Oratorem caeteris Dignitatibus Archiepiscopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendum esse. n. 1857 die 1. Decb. 1657.

Episcopo titulari aeque ac de residentia praelationem et obsequia deberi . . . ac propterea Episcopum Dionisiens., Suffragan. Leodiens., caeteris omnibus Dignitatibus Episcopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendum esse. n. 1859 die 1. Decb. 1657; n. 1908 die 13. Julii 1658.

Episcopo Ruremunden., Canonico Cathedralis Leodien., supra Archidiaconum, in ipsa civitate archidiaconalis jurisdictionis exercitium habentem, praecedentiam competere. n. 2039 die 28. Febr. 1660.

Ad petitionem Episcopi Vigevan. *Visitatoris Hospitalis* s. Matthaei, non sub Ordinario Papiens. sed immed. sub sede apost. existentis, S. C. declaravit: Quod in loco tertio debet praecedere Episcopus Dioecesanus, cum delegatus non sit universalis in tota

Dioecesi; ex urbanitate tamen potest Episcopus cedere. n. 2495 ad 2 die 5. Oct. 1669.

In regno Aragonum consuetum est, ut Episcopi juxta antiquitatem eorum erectionis Episcopatuum in comitiis praeeminentiam habeant. Episcopus Terul. supplicavit pro declaratione: an in aliis functionibus idem servari debeat vel potius tempus *consecrationis* sit attendendum? S. C. resp.: *Attendendum est tempus promotionis.* n. 2848 die 20. Novb. 1677.

Archiepiscopus Gnesnensis, Poloniae Primas, decrevit:

1. Episcopi, et simul Regni Senatores, quoties ad aliquam Praelaturam vel Canonicatum in Ecclesia nostra Metrop. possidere contigerit, omnes alios praecedant, primumque locum in choro ac processionibus nostrae Metrop. obtineant.

2. Post eosdem autem Episcopos Senatores Suffraganei nostri locales Archidioecesani, et quidem primo loco Gnesnensis dein Laviciensis in choro, stallo et processionibus in eadem Ecclesia aliis Episcopis titularibus praecedant.

3. Post Suffraganeos nostros locales Episcopi in partibus titulares et Canonicatus in nostra Metrop. possidentes pro dignitate suarum Praelaturarum sive juxta senium suorum canonicatuum locum habeant.

4. Post Episcopos titulares Administrator gener. Archidioecesis praesentis pro tempore existens sedeat et praecedat. Quodsi autem idem Administrator gen. sit Episcopus Senator, ex tunc aliis Episcopis Senatoribus praeferendus; si vero Episcopus tantum titularis, tunc immediate post Suffraganeum nostrum Laviciensem aliis Episcopis titularibus praeeat. Subsequenter reliqui Praelati et Canonici Metrop., Ordine pontificali non insigniti, juxta distinctionem Praelaturarum sive senium canonicale stallum in choro et locum in processionibus obtineant.

Quae decreta probata sunt a S. R. C. sub n. 4408 die 12. Mart. 1783.

29) Privilegium altaris concedens.

Vd.: *Indulg. alt. priv.* (Episcopus etc.)

30) Processionem indicat.

Vd.: *Processio.*

31) Vestis.

Ad dubium: An Episcopi uti debeant vestibus violaceis ipsa die Annuntiationis in Quadrag. occurrente, licet festum transfertur; an eo die, ad quam hoc festum transfertur in Quadragesima? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, excepta tota hebdomada majori et fer. VI.; negative quoad secundam. n. 3809 ad 1 die 8. Junii 1709.

Cf.: *Episcopus* (habitus).

32) Regularis.

a) Cappa.

Regulares promotos ad Episcopatus debere uti cappa pontificali coloris propriae Religionis, et renuentem opportunis remediis coercendum. n. 1035 die 12. Jan. 1636.

Vd.: *Archiepiscop. religiosus.*

b) Officium.

Episcopum regularem debere Officium recitare et divina officia celebrare juxta ritum suae Dioecesis, non vero sui Ordinis. — Occurrente una eademque die festum alicujus Sancti Dioecesis et alterius Sancti Ordinis celebrandum esse festum de Sancto Dioecesis. — Capellani ejus, sive regulares sive saeculares sint, qui alternis vicibus cum Episcopo regulari

Officium recitare solent, debent se conformare Episcopo circa recitationem Officii. n. 265 ad 1—3; die 11. Junii 1605.

Episcopum Regularem teneri recitare Officium roman., omisso Officio suae Regulae. n. 903 die 8. Mart. 1631.
Vd.: *Beati.*

33) Reverentia.

Vd.: *Chorus* (reverentia); *Reverentia.*

34) Sanctus.

Vd.: *Sancti*; *Officium rom.*; *Calendarium rom.* (decr. n. 892).

Ad dubium Regularium: An licite celebrari possint Officia SS. Archiepiscoporum, de quibus nihil habetur in Calendario romano seu rubricis Breviarii, omisso Officio de Feria aut de simplici occurrente? S. C. resp.: Licere Regularibus utentibus Breviario romano Officia dictorum Archiepiscoporum celebrare, si eorum festa apud Ecclesiam Mediolan. consueverant per biscentum annos ante Constitutionem S. M. Pii V. celebrari, dummodo non sub altiore ritu, quam quo in eadem Ecclesia Mediolan. recitantur. n. 1389 die 31. Maji 1642.

Officia de Episcopis sanctis locorum possunt continuari de communi, si constat illos fuisse canonizatos vel per tempus immemorabile celebratum fuisse de illis Off. et Missam. S. R. C. 28. Oct. 1628.

De Sanctis Episcopis, qui reperiantur expressi in Martyrologio romano, celebretur Officium sub dupl. min. in civitate et Dioecesi. n. 1883 die 6. Apr. 1658.

35) Suffraganeus.

Vd.: *Suffraganeus.*

36) Thuris impositio in accessu ad altare.

Episcopus sumptis paramentis in *presbyterio apud sedem* non debet imponere thus in thuribulo antequam accedat ad altare. n. 4827 ad 2 die 23. Sept. 1837.

Vd.: *Incensum*; *Episcopus assist. missae sol.*

37) Titularis Canonicus.

a) In Capitulo.

Per praeeminentiam in sedendo debitam Episcopo tit. Canonico non est in sedendo praejudicatum Primicerio in recipiendo vota Canonicorum capitulariter congregatorum quoad capitulares resolutiones, jura convocandi et similia, quae pertinent ad Primicerium. n. 2648 ad 4 die 12. Aug. 1673.

Cum Capitulum congregatur in peragendis capitularibus negotiis sedentibus Dignitatibus et Canonicis in suis stallis, expleta propositione, elevantur quatuor de Capitulo, quorum primus est Primicerius, et Secretarius capituli elevatur, consistunt in medio cum sedibus coramine coopertis; Primicerius legit vota, Secretarius scribit; et praetendente Episcopo tit. Canonico intervenire ac sedere in prima sede ex illis positis in medio, idem Episcopus Canon. hoc facere non potest nec debet. n. 2648 ad 6 die 12. August 1673.

Vd.: *Episcopus Administr.*

b) Celebrans.

Ad Episcopum titularem Canonicum per praeeminentiam in sedendo non spectare peragere functiones proprias Primicerii, quas prius agebat, ut primus in choro. n. 2648 ad 3 die 12. Aug. 1673.

c) Habitus, locus in choro, Praeced.

Vd.: *Episcop., (praeced.)*; *Pax Episcopi Titular.*; *Canonici* (parati assist. etc. decr. n. 3976); *Capella Episcopalis.*

Ratione Episcopatus Episcopum posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est, Rocchetto supra Subtanam et Mantelleto violacei coloris et debere praecedere omnibus aliis Canonicis ejusdem Ecclesiae et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit et servatur Romae simili casu eveniente in tribus Ecclesiis Patriarchalibus s. Joannis, s. Petri et s. Mariae Majoris. n. 546 die 15. Julii 1617.

Episcopo titulari (Coadjutori deputato) qui in eadem Ecclesia Calaritana Canonicatum obtinet, in Choro, Capitulo, processionibus aliisque actibus supra omnes ejusdem Ecclesiae Dignitates et Canonicos praecedentiam debere. n. 606 die 13. Novb. 1621.

Eisdem praerogativis gaudere debet Canonicus Neapol., Episcopus Titularis, quibus gaudent Canonici, qui sunt Episcopi tam in Basilica s. Petri, quam in caeteris Basilicis de Urbe, qui praesunt caeteris Canonicis, etiam antiquioribus et fruuntur quavis majori praeeminentia, non solum in choro, recipiendo primas antiphonas sed in Capitulo et quovis alio loco, ubi convenire contingit. n. 2608 die 3. Decb. 1672; n. 2629 die 6. Mart. 1673; n. 2648 die 12. Aug. 1673.

Episcopus Oropiensis, Canonicus Cathedralis Majoric., praecedere debet supra omnes Dignitates et Canonicos ejusdem Cathedralis. n. 2955 die 7. Junii 1687; n. 2982 die 18. April 1682.

Petro Francisco Episcopo Lacedemoniae Suffraganeo et Auxiliario Archiepiscopo Hispalensis S. R. Congr. demisse supplicante declarari:

An ipsi uti Archidiacono et Canonico Ecclesiae Metropolitanae Hispalensis liceat ingredi Chorum et Capitulum cum superpelliceo et habitu Canonicali?

S. eadem R. C. censuit:

„Teneri incedere cum habitu Episcopali. n. 3666 die 24. Novb. 1703.

Episcopus titul. Canonicus facit fructus suos, quando in solemnioribus functionibus Archiepiscopi non sedet in loco canonicali primus super caeteris sed relicto suo stallo canonicali transit ad locum separatum, sedens inter alios Episcopos . . perfunctorie existentes, solitos interesse in dictis solemnioribus functionibus. n. 2648 ad 5 die 12. Aug. 1673.

Episcopo titulari Canonico debetur praecedentia in omnibus actibus supra Primicerium, ubicunque convenire contigerit. n. 2689 die 14. Apr. 1674.

Episcopum titul. Canon. Neapolitanae non lucrari distributiones, nisi assistat in stallo canonicali. n. 2689 die 14. Apr. 1674.

Vd. *supra decr. n. 2648.*

Ad dubium: 1. An dum Ep. tit. Choro assistit uti Praepositus prima Capituli Dignitas retinere debeat primum Stallum?

2. An in Processionibus, ut suae Praebendae competentes fructus percipiat, necesse sit ut cum suo Capitulo incedat omnino occupans digniorem locum?

3. An in iisdem Processionibus possit interdum incedere post Sacerdotem deferentem SSmum. Eucharistiae Sacramentum, quin tamen de propriae Praebendae fructibus participet?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Ad 1. „Affirmative“.

Ad 2. „Affirmative“.

Ad 3. „Affirmative“.

Atque ita rescribendum rata est, ac ex aliis etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 4—6 die 23. Sept. 1848.

Mediolanen.

Reverendissimus Praesul Franciscus Maria Zoppi, qui, Sanctissimo annuente, Episcopatum Massensem dimisit, in eo est, ut potiatur Canonicatu superioris Ordinis in Metropolitana Mediolanen. Ecclesia, et ne in hoc novo munere aliquid detrahat Episcopali Dignitati ac vanitatis notam devidet, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna dilucidatione proposuit, nimirum:

1. Quaenam Sedes, vulgo Stallo, sibi competat in Choro, in quocunque Capituli congressu, et quando sibi cum eodem Capitulo publice procedendum est?

2. Quemnam habitum gerere in Choro, quemnam in publicis Supplicationibus aliisque Sacris Functionibus, quemnam extra Chorum, quum privatam personam agit?

3. An teneatur in sua hebdomada Missam et Vesperas canere seu celebrare, aliaque singulariter peragere, ad quae tenentur Canonici ejusdem Ordinis in sua quisque hebdomada?

4. Et quatenus teneatur, an Sandaliis, Dalmaticis, Mitra, Baculo pastorali, Cruce et similibus Episcopo competentibus uti debeat?

5. Quatenus vero non teneatur, vel sibi liceat a praefatis Hebdomadarii Officiis se abstinere, an distributiones amittat, quamvis Choro cum ceteris Canonicis interfuerit?

6. An debeat Archiepiscopo Solemnia agenti assistere, ministrare, aliaque praestare, quae ceteri ejusdem Ordinis Canonici de more eidem praestant?

7. Quum autem Orator minime ignoret a ceteris ejusdem Ordinis Canonicis aegre ferri Episcopum e gremio ejusdem Capituli vestes et caligas coloris violacei et quidquid aliud Episcopalem Dignitatem referat in Choro eorumque congressu gestare, et quomodocumque se ab ipsis distinguere, ac proinde non multis abhinc annis duo ejusdem Capituli Canonicos, a Summo Pontifice Episcopos in partibus renuntiatos, locum, quem antea in Choro habebant, et in quovis Capituli congressu retinere, et Missas et Vesperas aliasque Functiones in sua hebdomada, nulla adhibita Indumentorum aliave distinctione, ceu reliquos Canonicos hebdomadarios celebrare consuevisse, seque dumtaxat a Supplicationibus publicis Episcopalis honoris ergo abstinuisse, distributiones tamen amittendo, ac si culpabiliter minime interfuissent, obsequentissime postulat: An teneatur, vel saltem sibi liceat huic consuetudini se conformare in omnibus, aut quanam in parte?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub signata die coadunata, referente infrascripto Secretario, attentis expositis, ac singulis rationum momentis serio examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. et 2. „Ratione Episcopatus posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est Rocchetto supra Subtanam et Mantelletto violacei coloris, et debere praecedere omnibus aliis Canonicis et sedere in primo Stallo supra omnes ut in Compostellana diei 15. Julii 1617“.

Vd. *supra decr. n. 546.*

Ad 3. „In Missis de Turno abstineat, et subroget alium ut in Asculana diei 10. Aprilis 1728; in Solemnioribus cum Indumentis Pontificalibus, sed de licentia Episcopi“.

Ad 4. „Jam provisum“.

Ad 5. „Quoad primam partem jam provisum:

Negative quoad secundam partem.“

Ad 6. „Tenetur sedere in Choro cum Pluviali“.

Ad 7. „Negative in omnibus.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit die 16. Martii 1833 n. 4709.

MEDIOLANEN

Eminentissimi e Reverendissimi Signori. Francesco Maria Zoppi Vescovo di Gerra e Canonico Ordinario della Metropolitana di Milano coll' ultimo articolo della sua supplica dei 5 prossimo passato Aprile non solo dimando all' Eminenze Loro Reverendissime, se tenuto fosse, ma ancora se gli fosse almeno lecito de seguire la pratica tenutasi presso questo Capitolo Metropolitano dai Monsignori Canonici Vescovi Gallerati, e Scotti, con che dimostro bastantemente la sua disposizione di conformarvisi, che poi comprovo anche col fatto avendo preso il possesso, e la residenza del suo Canonicato giusta la pratica suddetta prima che gli pervenisse il Rescritto dell' Eminenze Loro Reverendissime colla data dei 16. Marzo corrente.

Onde venendo a conoscere che cio sarebbe conforme anche al volere di questo Eminentissimo Arcivescovo, supplica umilmente l'Eminenze Loro Reverendissime di volergli permettere che tenga l'anzidetta pratica, specialmente quanto all' Abito, ed allo Stallo, e pel resto cio che di concerto col medesimo giudicheranno stabilire in riguardo ad Carattere Episcopale. E poi che la data del 16 Marzo del suddetto Rescritto dietro Supplica dei 5 Aprile del Ricorrente, diede luogo a sinistre suspicioni, e dubiezze, supplica percio col piu profondo ossequio l'Eminenze Loro Reverendissime, che si degnino rattificare la data istessa, e dichiarare, che il Rescritto suddetto non é potuto arrivare a notizia del Supplicante, che dopo l'epoche del Possesso, e della Residenza del suo Canonicato preso l'uno ai 29 prossimo passato Aprile, l'altera ai 4. successivo Maggio. Che ec.

Milano 9. Agosto 1833.

Humillimis hisce precibus a subscripto Secretario relatis in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis Eminentissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Serventur Decreta hujus Sacrae Congregationis de praecedentia Episcopi Titularis, et scribatur Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Mediolanensi ad mentem."

Die 17. Augusti 1833. n. 4716.

Eme. et Rme. Domine Obsme.

Praecipua res gravissima ad hanc Sacram Rituum Congregationem nuper allata apprime nota Eminentiae Vestrae has litteras dirigendi praebet occasionem. Titularis Episcopus Franciscus Maria Zoppi obtento Canonicatu istius Ecclesiae Metropolitanae, quum jampridem Episcopali Dignitate esset ornatus nonnulla Dubia proposuit enodanda, quibus responsum fuit juxta Decreta alias a priscis temporibus emissa. Quo super facto omnis est removenda suspicio, ac pro certo habendum sincere et innocue eundem se gessisse. Mos enim invaluit apud Sacras Congregationes, quum supplices porriguntur Libelli, quorum postulata et materies nihil novi discutiendum offerunt ac decisiones anteactas respiciunt, illis rescribi sub datum diei Congregationis praecedentis, licet post aliquot dies atque etiam mensem preces receptae fuerint. Id ipsum evenit in praesenti casu. Et quidem si Eminentiae Vestrae libuerit ipsa responsa cum adductis Decretis conferre, statim res omnis liquido patebit, ad ingenuitatem probitatemque Episcopi Canonici dignoscendam.

Attamen quum ad eundem re-

sponsa pervenissent post adeptam Canonicatus possessionem, majori pressus angustia, dum refragari timet Sacrae Congregationis Decretis, vel abnuere Capituli studiis, iterum Sacram Congregationem adivit postulans: Num ad vitandam quamlibet controversiam sibi liceret, posthibitis Decretis, prosequi eodem modo, quo Canonicatus possessionem fuerat adeptus? Eminentissimi Patres in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione habita die 17. Augusti ad Quirinale, dubia eadem in Eminentiae Vestrae obsequium rursus exponenda curarunt, atque intellexerunt responsa decerpta esse ex Decretis jamdudum editis ab eorum Antecessoribus in Sacra Congregatione, ac Summorum Pontificum auctoritate confirmatis, quibus adhaeret constans omnium Urbis etiam Patriarchalium Ecclesiarum praxis et consuetudo. A veterum itaque Decretorum sensu minime declinare, immo Episcopali characteri ac dignitati consulere (quemadmodum antiquitus statutum fuit) Eminentissimi Patres unanimes censuerunt et idipsum, expleta per R. P. D. Secretarium Sanctissimo relatione, Eminentiae Vestrae per praesentes officiose nunciare. Sanctitas Sua eidem Secretario audientia sub infrascripta die impertita, omnibus rei circumstantiis perceptis, commendavit plurimum, ut Eminentiae Vestrae per Litteras Sacrae Congregationis mens panderetur; cui Summus Pontifex accedens robur adjungit, atque haec potissimum est, ut auctoritate et eloquio, quo pollet Eminentia Vestra, istius Metropolitanae Canonicos Religione, Pietate ac titulis omnibus illustres hortetur et suadet ad benigniorem animum erga Collegam Episcopum Zoppi induendum et ad Decreta Sacrae Congregationis exequenda, quam a priscis temporibus ab ejusdem Metropolitanae Capitulo saepe de sententia rogatam fuisse constat ex pluribus postulatis et Liturgiae dubiis exhibitis, ipsumque Capitulum libentissime recepisse responsa et solutiones, atque hujusmodi Decretis, tamquam Sedis Apostolicae oraculis, obsequium praestitisse, quod et praestare in praesenti casu, in quo agitur de praecedentia Episcopi in dubium non revocabit, maxime quum praecedentia isthaec proprio istius Metropolitanae Ritui nihil detrahat, quum honor Episcopis exhibendus universam Ecclesiam respiciat: permulta sunt jamdiu lata de Episcoporum praecedentia Decreta, atque hujus constanter servatae praecedentiae in Capitulis Urbis et vetera et recentiora extant exempla; adeo ut si contigerit Episcopali Dignitate insigniri Sacerdotem aliquem ex coetu in stationibus inferioribus Chori sedentium, verbi gratia inter Beneficiarios, statim superius ascendat, et Praelatitio habitu indutus, Crucemque pectoralem gestans et ante Canonicos locum obtineat, ac in solemnioribus Functionibus, in quibus Capitulares Sacris utuntur indumentis, Pluviali ac Mitra ornatus assistat. Hoc in primis servari Basilicis Patriarchalibus Urbis compertum est, a quibus totius Orbis Christiani Ecclesiae exempla desumere in pretio habent. In ipsis enim Patriarchalibus Basilicis augustissimas Functiones per annum peragit Summus Pontifex, qui ideo ab excelso Apostolico Solio omnia, quae ad cultum Ritusque Sacros pertinent, ob oculos habet, et Ecclesiasticae Hierarchiae gradus omnes in suo conspectu propriis decoratos insignibus circumstantes intuitur. Quapropter exoptat Sanctitas Sua tam laudabilem morem servari a celebri istius Metropolitanae Capitulo, cujus perspecta habet erga Sedem Apostolicam devotionis et obsequii argumenta. Ac pergratum accipiet conciliatis animis, Episcopum

Titularem Canonicum Zoppi praecedentia fuisse donatum, quod quidem turbare nequit peculiarem istius Metropolitanae Ritum, ac decet Episcopalem Dignitatem, et cum praecedentia eidem restitutam conscientiae quietem, nec non amissa emolumenta, quum ipse abstinuerit a Choro veritus Sacrae Congregationis perfringere Decreta, quae ubicumque floret Catholica Religio, servantur ac recoluntur.

Haec omnia Eminentiae Vestrae significare me oportuit, ut Sacratissimi Principis mandata perficerem, et Sacrae Congregationis mentem communicarem, quod sedulo adimplens Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor. Romae 23. Augusti 1833. n. 4716.

d) Incensatio.

Episcopum titular. (ut Canonicum assistent.) esse thurificandum post exercentem Officium Presbyteri assistentis et Canonicos in throno assistentes. n. 3976 ad finem die 10. Apr. 1728.

In Wratislavien. sub die 13. Aug. 1763 sancitum fuit, ut Ep. Suffraganeo praesenti in Choro etiam si non sit Dignitas Capituli, competat thurificatio terno ductu absente proprio Ep. Dioecesano; quaeritur: an haec dispositio valeat etiam pro Canonico Ep. non suffraganeo?

Emi. vero ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescribendum censuerunt:

„Juxta consuetudinem".

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. n. 5000 ad 6 die 7. Decb. 1844.

38) Translatus.

Vd.: *Consecratio Episcopi* (annivers.; dies, decr. n. 4119).

39) Visitator.

Vd.: *Benedictio*; *Rocchettum*; *Mantellettum*; *Episcopus* (praeced.); *Visitatio*; *Episcopus* (accessus primus); *Episcopus* (celeb. in aliena Eccles. decr. n. 5216).

In *janua Hospitalis* Episcopum Vigevanens. Visitatorem posse exercere omnia illa munia, quae debentur Episcopis in actu visitationis, nimirum: osculatio Crucis, thurificatio, habitus pontificalis et alia hujusmodi, non tamen esse permittendum, umbellam erigi in Ecclesia Hospitalis, cum ibidem non debeat neque Missas neque Vesperas celebrare, sed tantummodo visitare et rationes exigere. Caeterum standum esse clausulis in literis apostolicis contentis. n. 2495 ad 3 die 5. Octobr. 1669.

EPISTOLA.

1) Cantatur a quo?

Vd.: *Subdiaconus*.

Ad dubium: An in Ecclesiis Colleg. illis diebus ferial., in quibus cantatur missa convent. vel votiva a solo Celebrante sine s. Ministris, sit cantanda Epistola a Clerico eidem Missae inserviente vel ab uno ex caeteris presbyteris Beneficiatis in habitu clericali tunc temporis in choro residente? S. C. resp.: Epistolam canendam esse ab aliquo lectore superpelliceo induto. n. 3416 ad 1 die 30. Mart. 1697.

Ad dubium: An extra casum necessitatis possit permitti a Superioribus, ut Canonicus constitutus in minoribus Ordinibus cantet Epistolam in Missis solemnibus paratus absque manipulo? S. R. C. resp.:

Negative, et Episcopus curet abscindere consuetudinem tam in Cathedrali quam in Collegiata; videlicet extra casum absolutae et praecisae necessitatis non posse a Superiore permitti, ut Clericus in minoribus pro

Subdiacono suppleat in Missis solemnibus paratus sine manipulo, et pro hujusmodi effectu per Episcopum abscindendam esse consuetudinem tam in Cathedrali, ubi Clerico etiam extra casum necessitatis permittitur, se parare pro Subdiacono sine manipulo, quam in Collegiata, in qua induci vellet, ut Canonicus Clericus ministret pro Subdiacono sine manipulo, existentibus aliis Canonicis Diaconis et Presbyteris, ad quos de jure spectet supplere vices Canonici Clerici in Officio Subdiaconi. n. 4418 ad 1 die 18. Decb. 1781.

Data necessitate posse permitti, ut deficiente Subdiacono pro missa solemni possit per Superiores substitui constitutus in Minoribus ad cantandam Epistolam absque manipulo. n. 3477 ad 18 die 5. Julii 1698.

2) Cant. in Ordinatione.

Vd,: *Subdiaconatus*; *Evangelium* (Oscul. Episcopi in Ordin.)

Ad dubium: An in missa, in qua *uni* tantum confertur Ordo Subdiaconatus, debeat promotus Subdiaconus cantare Epistolam, ut fit in Ordinationibus general.? S. C. resp.: *Negative.* n. 3774 ad 3 die 27. August. 1707.

3) Ubi cantatur?

Consuetudo cantandi Epistolam in Choro in pulpito tollenda non est, retinenda, cum sit antiqua. n. 15 ad 1 die 16. Mart. 1591.

4) Legit Episcopus.

Ad dubium: An Episcopus palmas benedicens et missae assistens debeat legere Epistolam et Evangel.: „*Cum appropinquasset*; vel: *altera autem die*“ post Passionem vel utrumque? S. C. resp.: Negative tam ex praxi Capellae Pontificiae quam ex praescripto Caerem. Ep. n. 3786 ad 1 die 28. Apr. 1708.

Vd.: *Episcopus ass. miss. sol.* (Evang. non legit.)

EPISTOLA PASTORALIS.

(Episcopi Administr.)

Ad dubium: An Epistolam pastoralem sive latino, sive vulgari sermone conceptam commisso in administrationem gregi Ep.Adm.dirigere possit?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Negative“.

Atque ita rescribendum rata, ac ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 1 die 23. Sept. 1848.

SS. EUCHARISTIA.

Vd.: *SS. Sacramentum.*

S. EULALIA.

Vd.: *Vesperae dimid.* (decr. n. 4878.)

S. EUPHEMIA.

Vd.: *Antiphona in festo s. Euphemiae.*

S. EUSTACHIUS.

Ad dubium: An de s. Eustachio m. patrono principali et titulari Ecclesiae colleg. fieri debeat Off. dupl. de comm. pl. mm. cum octava, prout ab immemorabili servatum fuit vel potius de comm. un. m., prout disponitur in rubricis?

S. C. resp.: Servandas esse rubricas Brev. rom. et non obstante quacunque consuetudine in contrarium etiam immemorabili Off. s. Eustachii tamquam de principali et solo patrono loci et titulari dictae Ecclesiae fieri debere de comm. un. m. absque commem. aliorum, qui transferri debeant ad

primam diem festo 9 ll. non impeditam servata regula rubricae.

Ad dubium: An de s. *Januario* e. m. et patrono princip. civitatis et regni Neapolis debeat fieri off. de comm. un. m. vel potius unitum cum aliis sociis, prout fieri consuevit?

S. C. resp.: Ut ad proximum. die 22. Novb. 1664, ad 1. 2. *In Baren.*

EVANGELIUM.

1) In Benedictione Palmarum.

a) Ubi legendum.

Pro benedictione sol. Palmarum a Celebrante absque Diacono et Subd. Evangelium est canendum in cornu Epistolae. n. 3423 die 27. Apr. 1697.

Vd.: *Diaconus et Subd. in benedictione Palmar*; *Episcop. ass. missae sol.* (Evang. non leg.)

b) Ultimum.

Ad dubium: An in Dominica Palmarum Parochus, peracta benedictione et distributione Palmarum, in fine Missae debeat dicere Evangelium benedictionis Palmarum vel Sancti Joannis? S. C. resp.:

„Si per se expleverit benedictionem Palmarum immediate ante Missam, legere debet Evangelium sancti Joannis in fine Missae.“ n. 4691 ad 3 die 28. Julii 1832.

2) Cantatio.

a) Locus.

Servetur consuetudo cantandi Evangelium in ambone sive in pulpitu. n. 15 ad 2 die 16. Mart. 1591.

Si pulpitum ad recitandum Evangelium ex *vetere* consuetudine in choro fuerit juxta *facultatem apostolicam* concessam, in eodem pulpitu, ut prius, cantetur; sin minus, ante gradus Presbyterii in cornu Evangelii juxta rubricas Missalis cantatur. n. 32 ad 2 die 17. Novb. 1592.

b) Modus.

Est abusus et non licet in missis diebus festivis celebrari solitis a parocho loci Pedaci alteri sacerdoti cum stola canere Evangelium. n. 2567 die 21. Novb. 1671.

Supplicantibus Canonicis, an sibi liceat, prout hactenus consueverunt, cantari facere Evangelium per assistentem cum stola et cotta in forma Diaconi, quando ipsi cantant Missas sine Diacono et Subd.? S. C. resp.: Servandas esse rubricas. die 19. Novb. 1607.

c) In Ordinatione.

Cf.: *Diaconatus.*

In missa, in qua *uni* tantum confertur Ordo Diaconatus, non debet promotus Diaconus cantare Evangelium, ut fit in Ordinationibus generalibus. n. 3774 ad 3 die 27. August. 1707.

3) Liber.

Textum Evangelii esse porrigendum cum *diverso Missali*, quo utitur Diaconus in cantando Evangelio, ad hoc praeparando. n. 1014 die 23. Decb. 1634.

4) In Missa: In Virtute etc.

Vd.: *Missa* (In virtute tua.)

5) Osculum.

a) Abbatis et Dignitarii.

Textum Evangelii inter Missarum Solemnia uni tantum et Digniori porrigendum esse et ideo convenire ut Priori tantummodo et non caeteris Fratribus porrigatur. n. 391 die 2. Aug. 1608.

Priori Ecclesiae s. Sepulchri Baruli Tranen. Dioeces. non debetur osculum Evangelii. n. 3550 ad 1 die 13. Febr. 1700.

b) Abbatissae.

Exigit Abbatissa in Oppido de Remiremant, ut Subdiaconus deferat ipsi Librum Evangeliorum ad osculandum, ad quod S. C. resp.: Non licere. n. 3097 die 24. Novb. 1685.

c) Celebrantis.

Cf.: *Ceroferarii*; *Per Evang. dicta.*

Quaniam libri osculandi oblatio celebranti facienda maxime decens est et mysterio non caret et Celebrans, antequam Credo incipiat, thurificandus est a Diacono, inconveniens est, ut sine osculatione et thurificatione statim post cantatum Evangelium *Credo vel Dom. vobiscum* intonat. n. 32 ad 3 die 17. Novb. 1592.

Vd.: *Credo.*

d) Episcopi.

I. In Missa.

Textum Evangelii Episcopo, si adesset, vel in ejus absentia, Celebranti tantum esse porrigendum et non loci Domino. n. 411 die 24. Aug. 1609.

Episcopo missam privatam audienti non *Plebanus* praebeat librum Evangeliorum ad osculum. n. 1378 ad 1 die 10. Maji 1642.

Vd.: *Episcopus assistens missae sol.* (Evangel. osculum).

II. In Ordinatione.

Ad dubium: Utrum quando Ordines conferuntur sine cantu, Subdiaconus ex noviter ordinatis postquam Epistolam legerit, debeat osculari manum Episcopi stantis ad Altare, nec non Diaconus similiter ex novis ordinatis antequam Evangelium legat, debeat, dicto *Munda cor meum,* benedictionem petere, et manum Episcopi stantis ad Altare deosculari, ut fit in Missis cantatis a simplici Sacerdote, et an Episcopus post Evangelium hujus Missae lectae debeat deosculari librum, quo ipse usus est, vel quo usus est Diaconus in Evangelii lectione?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Negative et ab Episcopo osculandum suum Missale".

Atque ita rescribere censuit et declarare. n. 5180 ad 5 die 25. Sept. 1852.

III. In Processione.

Deosculationem Evangelii post Evangelia, quae in process. SS. Corp. Chr. ad quatuor altaria per vias erecta cantantur, deberi Episcopo SSmum. deferenti, non autem Archiepiscopo cappa induto illud comitanti. n. 3402 die 6. Oct. 1696.

IV. Extra Dioecesim.

Non licere Episcopo extra suam Dioecesim deosculationem textus Evangelii. n. 561 die 13. Oct. 1618.

e) Laicorum.

Presbyteri tam saeculares quam regular. in Missis eorum solemnibus et privatis Evangelium *Proregi* osculandum porrigere non debent. n. 27 die 1. Septb. 1592. n. 211 die 2. Aug. 1603.

Praetensum osculum Evangelii Praesidi Lucerinae non licere. n. 2751 die 28. Sept. 1675. Idem decretum pro Praeside Lucerinae. n. 3032 die 2. Oct. 1683; n. 3155 et 3156 die 13. Mart. 1688. Idem decr. pro Praeside Aprutinae n. 3401 ad 3 die 6. Oct. 1696.

In causa Lucerina interdicti, introducta pro parte et ad instantiam R.

D. Vicarii capit. contra PP. Coelestinos referente Emo. D. Card. Colloredo S. R. C. inhaerendo decretis alias in eadem Lucerina editis sub die 22. Novb. 1644 et 28. Sept. 1675 iterum declaravit: Non licuisse neque licere dare Saeculari etiam Praesidi Evangelium osculandum et mandavit, quod Ordinarius sub poenis gravibus prohibeat Abbati, ut in posterum abstineat, facta in specie obligatione per dictam Abbatem de servando praefata decreta; Decreta vero facta, anno 1664 et 1675 renoventur et copiae illorum Archiepis. et Episcopis Regni Neapolis transmittantur eisdemque injungatur, ut illa intimare faciant Superioribus Ecclesiarum suae Dioecesis tam saecul. quam regularibus et in casu transgressionis procedant etiam contra Regulares auctoritate S. C. die 13. Mart. 1688 *in Lucerina.*

Non competere jus laicis osculandi Evangelium, *nisi Imperatori aut Regibus* aut in eorum dominiis jura imperalia seu regalia habentibus. n. 46 die 23. Mart. 1593.

Hoc intelligendum esse tam in Missis solemnibus sive cantatis, quam in Missis privatis, seu lectis, et tam in Ecclesiis publicis quam in Capellis privatis, tam in Palatia Regiae Audientiae quam in quocunque loco. n. 247 die 17. Julii 1604.

Non licuisse neque licere porrigere Baroni de Malvito Missale ad osculandum in Missis cantatis per Subdiaconum. n. 2487 die 20. Julii 1669.

Non convenire, ut a viro laico, etiam loci Domino, liber Evangeliorum osculetur. n. 302 die 4. Mart. 1606; n. 1443 die 18. Apr. 1643.

Textum Evangelii Episcopo, si adesset, vel in ejus absentia, Celebranti tantum esse porrigendum et non Domino loci. n. 445 die 17. Septemb. 1611.

Nullo modo convenire, ut textus Evangelii porrigatur osculandus Gubernatori provinciae, cum a personis Ecclesiasticis et ab Episcopo tantum et eo absente, a solo Celebrante osculari debeat. n. 541 die 3. Junii 1617.

Textum Evangelii porrigendum *Confalonerio Magistratus reipublicae Lucanae* et debere porrigi per Capellanum ipsius Magistratus in habitu ordinario et cum diverso Missali, quo utitur Diaconus in cantando Evangelio, ad hoc praeparando. n. 1014 die 23. Decb. 1634.

Non licere *Praesidi,* quantumvis titulo, deosculari textum Evangelii. n. 1343 die 17. Sept. 1641; n. 1408 die 16. Aug. 1642.

Non esse praebendum Praesidi Missale et osculandum post Evangelium in Missa. n. 2551 die 13. Junii 1671.

Episcopus imposterum curet, ne in missis publicis vel privatis quidquam tale (deosculandum Evangelium porrigendum Auditori generali) amplius attentetur et si aliquis attentaverit, etiam sub censuris delinquentes ad observantiam decretorum compellat. n. 3265 die 9. Febr. 1692.

Nullo modo licere in Ecclesiis regularibus neque in Missis solemnibus neque privatis textum Evangelii *Ministris* Regiis deosculandum porrigi. n. 1358 die 11. Novb. 1641.

Nullo modo licere Textum Evangelii Principi tradi. n. 1978 ad 2 die 29. Mart. 1659

Prohibentia decreta saecularibus porrigi osculandum Evangelium debent intelligi etiam de missis publicis seu privatis, quas Praeses Licien. celebrare facit in *Capella Palatii,* in quo residet, et ubi adest Tribunal cum auditoribus et aliis administris. n. 3276 die 17. Maji 1692.

Electis et Gubernatori Aversanae permittendum non est osculum missalis etiam stante consuetudine, n. 3682

ad 13 die 26. Apr. 1704. Idem decretum pro Barone Calimerae. n. 3684 ad 5 die 26. Apr. 1704.

f) In Missa de Requ.

Ad dubium: Num in Missa *de Requie* quamvis non osculatur Evangelium, recitari debeant verba: *Per Evangelica dicta*?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Negative".

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5111 ad 12 die 11. Sept. 1847.

g) Vicarii.

Vicario non licere celebrante Dignitate vel Canonico librum Evangelii deosculari. n. 695 die 17. Julii 1627.

Non licere Vicario deosculari textum Evangelii. n. 728 die 12. Julii 1628.

6) Proprium.

Pro aliquo martyre, vd.: *Martyr* (missa, decr. n. 4080 ad 2).

7) Ultimum.

Vd.: *Vigilia in Adventu*; *Titularis* (fest. celebr.; decr. n. 2362); *Missa votiva priv.* (Commem.); *Patronus Confrat.* (festum, decr. n. 4507); *Missa vot. pro Sponsis* (decr. n. 4544); *Missa votiva* (oratio, decr. n. 4044); *Evangel. in bened. palmarum.*

Ad dubium: Utrum occurrente festo s. Romuli protectoris civitatis in Octava ss. Apostolorum Petri et Pauli die dominico legendum sit ult. Evangel. Dominicae vel Octavae? S. C. resp.: Legendum esse ultimum Evangel. Dominicae. n. 1810 die 3. Jan. 1657.

In regulis, quae generales sunt, ad Missale Fratr. Minor. subjectis, S. C. declaraverat: In fine vero dictarum missarum (quarum una de die, altera de festo (titulari) celebrata est) legitur Evangel. s. Joannis et non aliud feriae vel festi occurrentis, si de eo non debeat celebrari Officium illa die n. 2362 ad 1 die 13. Febr. 1666.

In missis votiv. *numquam* legitur aliud Evangelium in fine, nisi s. Joannis juxta rubricas in c. 13 in fine. n. 2674 ad 2 die 13. Jan. 1674.

In diebus Dominicis non possunt dici duae Missae de festo simplici in ea occurrente, sed de eo fieri tantum commemoratio in Missis Dominicae. Ratione tamen confluentiae potest in eodem festo simplici cantari Missa solemnis votiva cum Gloria et Credo, sine tamen Evangelio et commemoratione Dominicae, dummodo tamen alia Conventualis de Dominica non omittatur, in qua in tali casu nulla debet fieri Commemoratio ejusdem Festi simplicis. Similiter in Feriis Quadragesimae quod Missae de Festo simplici occurrenti non possunt dici nisi votivae, et tunc privatae in gratiam festivitatis currentis erunt cum Gloria et commemoratione Feriae, de qua tamen in fine non est legendum Evangelium, sed Evangelium S. Joannis, quod semper est legendum in Missis votivis; in feriis praedictis ratione concursus poterit etiam cantari de eodem Festo simplici Missa solemnis, quae similiter est votiva, et in ea ob solemnitatem dici etiam Credo, sine tamen Evangelio et commemoratione Feriae. n. 2542 ad 2 die 13. Junii 1671. Qui prae timore vel balbutie non pronuntiat Evang. s. Joann., debet a missae celebratione suspendi. S. R. C. 5. Julii 1631.

EXALTATIO S. CRUCIS.

1) Conclusio Orationis.

Vd.: *Conclusio orationum.*

Ad dubium: An Oratio Exaltationis s. Crucis concludi debeat: „*per eund. Dom. Nostrum etc.*, eo quia diversi-

mode legatur? S. C. resp.: Nihil immutandum et retinendam esse conclusionem *per eund. D. N.*" n. 4566 ad 5 die 11. Mart. 1820.

ota Gardellini ad hoc Decretum:

Varii sunt modi, quibus concludi debent Orationes; neque a praescripto Rubricarum, quae dant regulam, est declinandum. Nulla est conclusio, etsi brevis, quae D. N. J. Chr., cujus passione et meritis redempti sumus, nomine non absolvatur; sed non aequalis semper est modus; cum juxta diversas relationes dici debeat vel: *Qui vivis et regnas;* vel: *Qui vivit et regnat;* vel: *Per eumdem Dominum etc.:* nihilominus aliqua Orationes occurrunt, in quarum conclusione quaeri potest, num unus potius, quam alter modus sit adhibendus. Ad harum classem illa referri posse videtur, quam legimus in *Officio et Missa Exaltationis S. Crucis.* In fere omnibus Missalibus et Breviariis conclusio est: *Per eumdem Dominum nostrum etc.* Aliqui sunt tamen, qui putant simpliciter esse legendum: *Per Dominum Nostrum Jesum Christum etc.:* eo, quia nec in prima, nec in secunda parte Orationis Jesu nomen occurrit, innixi *rubricae XVI. de Oratione num. 4.*, ubi legitur: *Si Oratio dirigatur ad Filium, concluditur*: *Qui vivis et regnas: Si in* principio *Orationis fiat mentio Filii, dicatur: Per eumdem*; *Si in* fine *Orationis, dicatur: Qui tecum vivit et regnat.* Et re quidem vera generalis haec regula est, sed non ita accipienda, ut ad effectum variandi conclusionem necesse omnino sit, ut explicite Jesus in prima, vel in secunda Orationis parte nominetur, satis est, quod memoretur mysterium *ad Filium hominem factum* pertinens, cujus nomen subintelligitur. Oratio, de qua disputatur, est de Crucis mysterio et Redemptione per Crucem operata. Redemptio autem necessario personae Filii Reparatoris referenda est, non alteri. De Filio igitur tam in Orationis exordio, quam ejus in fine per verba: *Cujus mysterium, ejus redemptionis* mentio fit. Ideo conclusio esse debet: *Per eumdem etc.* Imploramus enim a Patre, ut per mysterium Crucis praemium, quod per ipsam Crucem a persona Filii nobis comparatum est, assequi in coelesti patria mereamur. Atque en ratio, ob quam nedum in recentibus, verum etiam in antiquis Missalibus et Breviariis legitur conclusio: *Per eumdem,* quae proinde sine ulla innovatione retinenda est.

His accedit, quod S. C. in similibus quaestionibus recedere numquam voluit ab iis, quae probavit ac sacravit antiquitas. Cum novum Missale cudendum esset typis de Propaganda Fide, plures quaestiones enodandae S. R. C. propositae fuerunt, quas inter 8.: *Utrum in Missali corrigenda sint quae diversa inveniuntur a S. Bibliis in principio Epistolarum et in litteris assignatis? et 22.: An in benedictione incensi ad Offertorium, ubi dicitur: Per intercessionem B. Michaelis Archangeli stantis a dexteris Altaris incensi, pro Michaële reponendum sit nomen Gabrielis, qui apparuit Zachariae stans a dexteris Altaris Incensi?* Eadem S. C. *sub die 25. Sept. 1706* ad utrumque respondit: *Nihil innovandum.* Exorta controversia circa *Communicantes proprium dicendum in Festo Pentecostes,* (quia) *in quibusdam Missalibus legitur: Igneis linguis: in aliis quam pluribus legitur: Innumeris linguis; et cum ex hac lectione varia haud modica exorta sit controversia, ad eam dirimendam petitur a S. R. C., quatenus declarare dignetur, quaenam ex dictis duabus lectionibus amplecti debeat?*

Et quatenus S. C. sub die 13. Martii 1804, praescindendo a majori minorive proprietate verborum, decidendi rationem petiit ex conformitate lectionis cum antiquis Missalibus, ideoque respondit: *Lectionem: Innumeris linguis, esse conformem Missali ab Urbano VIII. recognito.* Quo sane responso S. C. satis superque ostendit, nihil esse in Missali innovandum post ultimam correctionem et reformationem peractam sub *Urbano VIII.* Cum igitur conclusio Orationis in Festo Exaltationis S. Crucis non alia fit in antiquis ac recentibus Missalibus, quam: *Per eumdem etc.* haec est retinenda. Praestat et aliud affere responsum, quo idipsum magis comprobatur. Dubitatum fuit: utrum Oratio pro Rege concludenda esset: *Per Dominum nostrum etc.*, aut: *Qui vivis, et regnas etc.* quia eadem videtur dirigi ad Filium, quia specialiter dicitur: *Via, veritas, et vita:* et S. C. sub die 3. Martii 1761 respondit: *Conclusio Orationis pro Rege debet esse: Per Dominum nostrum etc.;* neque ita decrevit, eo quia aeque Patri, ac Filio proprie conveniunt verba illa *Via, veritas et vita,* verum, quia: *Ita habent autographa Missalia S. Pii V., Clementis VIII. et Urbani itidem VIII.*

2) Translatio.

Occurrente festo exaltationis s. Crucis in dominica infra octavam Nativ. B. V. M., in qua celebrandum esset de praecepto festum Nominis V. M., quae ambo festa sunt sub ritu dupl. maj., Officium Nominis B. V. M. transferendum esse ad primam diem non impeditam festo 9 ll. n. 3119 die 20. Julii 1686.

Si festivitas exaltationis s. Crucis occurrat in dominica sitque *titulus* Ecclesiae et celebretur in ea solemniter hoc anno festum Nativitatis B. V. M., cadens in fer. II., juxta Breve apostol. pro dictionibus Regis Borussiae in dominicam proxime sequentem transferendum: Utrum, etiam non obstante hoc Brevi, a parocho loci in dominica proxime antecedenti celebrari possit et debeat? S. C. resp.: Festum Nativ. B. V. M. transferendum esse ad dominicam praecedentem. n. 4444 ad 3 die 11. Sept. 1790.

EXCOMMUNICATIO.

Solus Archipresbyter seu Curatus loci Balneoli, Nuscanae Dioec., potest privative quoad alios, publicare excommunicationes solitas seu literas significatorias tam a SS. Papa quam ab Episcopo concessas, et non potest Episcopus publicationem alteri Sacerdoti demandare. n. 2227 die 16. Junii 1663.

Vd.: *Communio pasch.* (excommun.)

EXECRATIO.

1) Altaris.

Vd.: *Consecratio altaris execrati* (decr. n. 4562.); *Altare portatile.*

Ad dubium: An altare, quod fuit consecratum, omittat suam consecrationem absolute et simpliciter toties quoties demolitur? S. C. resp.: Juxta votum. n. 3833 ad 5 die 21. Martii 1711.

Ad dubium: An altaria, a quibus alio translati fuerint Tituli et Imagines, remanente tamen mensa consecrata, nova indigerent consecratione? S. C. resp.: Eadem altaria non indigere nova consecratione, cum altaria non Sanctis sed Deo in honorem Sanctorum dedicentur. n. 4276 die 7. Julii 1759.

Constantien.

Quum Reverendissimus hodiernus Constantien. Episcopus Sacrorum Ri-

tuum Congregationi sequens Dubium enodandum proposuerit, nimirum: An Altaria sive portatilia, sive non, suam amittant consecrationem per fractionem Tumuli, in quo reconduntur Sacrae Reliquiae et earumdem amissionem? Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, re mature perpensa, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuerunt: „Detur Decretum Nullius diei 23. Martii 1686 in quo praescribitur; Altaria, de quibus supra, consecrari debere."

Atque ita rescripserunt die 23. Maji 1835 n. 4739.

S. Severi.

Capitulum Cathedralis S. Severi S. R. C. humillime exposuit, a Rmo. Episcopo Altare majus ipsius Ecclesiae Cathedralis translatum fuisse in alium locum, in qua quidem translatione contigit, ut Mensa a stipite separaretur, ac proinde dubitatur de illius consecratione, et ad hoc requirit quid in casu faciendum sit?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Debet denuo consecrari." n. 4752 die 23. Maji 1835 ad 1.

Altaria *portat.* suam consecrationem amittunt, quando Sanctor. reliquiae ibidem reconditae amissae sunt, nec sufficit alias reliquias authenticas in illis sine consecratione tumulare. S. R. C. 7. Decb. 1844.

2) Calicum aliorumque vasorum.
Decret. gener.

Usus sensim invaluit, ut quoties Calices aliaque vasa, S. Unctione consecrata, juxta ritum Pontificalis Rom., Artificis opera indigeant, quippe reficienda vel fundenda iterum sint; non antea eidem traduntur, quam per Sacerdotem vel directe et manu vel aliquo mediante instrumento fuerint execrata: Utrum vero execratio haec, modusque illam peragendi rationi Ecclesiaeque ritibus sit consentanea vel potius abusiva nullique innixa principio, cum dubitaverit R. D. Archipresbyter Ferdinandus Valeriani; Dubia, quae sequuntur humillime exposuit sapientissimo Emorum. P. S. R. C. praepositorum judicio, enixe postulans illorum resolutionem.

1. Utrum rite, vel potius ex errore passim fiat hujusmodi execratio?

2. Si rite; utrum ab Episcopo, vel a quocumque Sacerdote sit peragenda?

Et ead. S. R. C., audita prius sententia alterius ex Apostolicarum S. Caeremoniarum Magistris scripto exarata, typisque evulgata, Emo. et Rmo. D. Card. Julio Maria de Somalia S. eidem C. Praefecto referente, respondit:

Ad 1. „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam".

Ad 2. „Provisum in primo, et detur Decretum generale." n. 4588 die 20. Aprilis 1822.

Factaque de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per Secretarium infrascriptum, S. S. S. C. responsa approbavit et generale Decretum desuper edi ac typis publici juris fieri mandavit. die 23. dicti Mensis et Anni.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Abusus minime ferendus est, quod s. Vasa ad Altaris mysteria destinata, dum redduntur ad abusum inepta, vel decentius expoliri intusque inaurari debent, non prius tradantur artifici quam ab aliquo vel Episcopo vel Sacerdote ictu manus aut instrumenti despiciantur, ut hoc modo tamquam execrata haberi possint. Huic errori, ut occurreret S. R. C., simulque abusum eliminaret, propositis dubiis res-

pondit: *hujusmodi execrationem non rite sed ex errore fieri.* Vel enim s. Vasa consecrationem servent, vel non: nihilominus dedecet, quae peculiaribus precibus et s. Unctione fuerant linita, et ad Altaris conficienda mysteria adhibita, eo contemni modo, ne amplius Sacrificio inserviant. Non est id faciendum, quod debitae reverentiae repugnat. Et quamvis eo animo fiat, ne res sacra, quae adhuc constitutivam inhaerentemque benedictionem perperam servare creditur, a laicis, dum adhuc sacra est, contrectetur; modus tamen contumeliam sapit, ac utpote religioni oppositus reprobandus videtur. Quid igitur faciendum? Discrimine est opus et pro casuum diversitate diversa ratio tenenda est. Etenim Calices cum Patenis vel ex necessitate expoliendi, instaurandi, ac inaurandi sunt, quia ex longo usu ad s. ministerium non amplius censentur idonei, vel, licet adhiberi tuto possint, nihilominus, ut pallescere incipit vividus auri intus fulgentis color, ad consulendum majori decentiae, traduntur aurifici, qui novum aurum superinducat. In primo casu, simul ac calix vel fractus est, vel internam perdidit inaurationem, aut quoque modo nequeat in s. conficiendis mysteriis adhiberi, formam amittit, qua precibus, signis et unctionibus sacer evaserat. Nam *durat consecratio, donec frangatur vel intus de novo auro liniatur. Ita* Gavantus *ad Rubric. Miss. part. 2 tit. 1 litt. H.* Quamobrem, si ejusdem usus est interdictus, quia nec sacer, nec ad Altaris mysteria aptus haberi potest; curnam execrandus? Atque en ratio, quapropter neque in Pontificali Rom., neque in aliis ritualibus Codicibus ulla occurrit hujus execrationis formula. Vanum quippe esset, prorsusque inutile, illud ictu, vel verbis execrare velle, quod jam execratum est. Quamquam data etiam hypothesi, quod aliquo modo execrari ac profanari deberet, foret omnino indignum id spretu et contumelia peragere. Uno dilemmate rem conficio; vel calix fractus ad ministerium ineptus, adhuc consecrationem servat, vel non? Si primum velis; quum benedictio et consecratio constitutiva sit, ac materiae inhaereat, haud potest auferri, nisi destruatur materia, formamque amittat; ideo neque per ictum, neque per spretum et contumeliam consecratio perire potest: et actio materialis subjectum consecratum, usque dum formam retinet, haud valet immutare, inhaerentemque consecrationem ab eo auferre. Si vero dicas, non amplius consecrationem servare, fateberis etiam prorsus ineptum esse spretu vel ictu tolli id velle, quod non est. Itaque in utroque casu actus ille per abusum inductus contumeliosus est vel inutilis.

Quatenus vero Calix non ex necessitate sed ex majori decentia expoliri et intus inaurari velit, licet adhuc formam servet, et in s. agendis mysteriis sine religionis detrimento adhiberi tuto possit, consecrationem certe non perdidit; quamobrem multo minus despiciendus est contumelioso ictu manus vel instrumenti. Quid igitur agendum, priusquam tradatur artifici? Ut mihi videtur, facilis et expeditus est modus. Adeundus Episcopus, vel quicumque sit Praelatus loci Ordinarius, qui calicis, etsi adhuc apti ad Sacrificium, permittat traditionem artifici ad hoc, ut is iterato velamine intus linire, et decentius eundem valeat instaurare. Hujusmodi permissio, per modum dispensationis, loco execrationis haberi poterit. Neque abnuerem, imo opportunum putarem, quod locorum Ordinarii ad hoc opus subdelegare possint tam suos Vicarios Generales et Foraneos, quam Ecclesiarum Rec-

tores et Superiores locales. Nam si fere universalis invaluit opinio, usu vel potius abusu confirmata, quod quilibet Sacerdos possit per ictum manus, vel instrumenti calices et patenas execrare: cur non idipsum fieri multo decentius, sine spretu et contumelia poterit a praefatis Vicariis, Rectoribus et Superioribus localibus, jure subdelegato, per modum veniae et dispensationis, dum s. Vasa instauranda artifici tradenda sunt?

Imo neque hac venia et dispensatione opus esse crederem, si calix diversis partibus constet, et pes dumtaxat expoliendus et instaurandus sit, et sejungi a cuppa, quae inauratione non indiget, sine fractura possit. Haec quippe in specie, non est opus tradere artifici integrum calicem, sufficit dumtaxat pedem a cuppa sejunctum. Id saepenumero accidit, quia calices ut plurimum conflati ita sunt ut inferior pars per cochleam cuppae conjuncta, dum haec novo auro liniénda non est, facile possit ab ea separari. Non enim, ut ajebam, perit consecratio, quae inest auratae cuppae, ut pluribus probat *Fabius de Albertis de s. utensilibus cap. XX. num. 13. ad num. 20.*, explosa eorum sententia, qui contrarium tenent. Secus est de Calicibus, quorum pars inferior a superiori disjungi nequeat, quia ita fixa est in cuppa, ut ab ea sine fractura separari haud possit. Et quum hoc in casu, nonnisi integri artifici tradendi sint, quamvis extrinseca tantum indigeant reparatione, et nequeant ut execrati haberi, quia auro intrinsecus liniendi non sunt, crederem licentiam ab Ordinario, vel a Vicario generali aut foraneo, sive Ecclesiae Rectore vel Superiore locali petendam, et per modum dispensationis obtinendam.

Quid autem si Calices, qui adhuc ad Sacrificium sunt apti, venundari velint, aut liquefieri? Optandum, ut idem servetur modus et Ordinarii provideant vel per Synodales constitutiones vel per edicta, quod nemini liceat calices et s. vasa vendere, vel destruere, nisi petita et impetrata licentia ipsius loci Ordinarii ejusque Vicarii generalis: nam si in libertate relinquatur, non levia possunt oriri mala in rei s. et religionis spretum et contumeliam. Erit forte nonnemo, qui in opinione sit, quod non liceat materiam ex calicibus et patenis igne fusis converti in usus profanos: nam, si cautum jure est, quod s. suppellectiles usu attritae atque ita consumptae, ut nequeant amplius ad Sacrum adhiberi, igni tradantur *ex cap. Altaris de Consecrat. distinct. 1.* si vetitum est trabes et ligna dirutae Ecclesiae in profanum usum adhiberi, sed esse potius comburenda *ex cap. Lignea, eodem tit.;* multo magis id faciendum forte videtur de calicibus et patenis, vasis scilicet, quae nedum sacra evaserunt precibus et unctionibus ab Ecclesia in libro Pontificali praescriptis verum etiam, quod magis est, immediato contactu Corporis et Sanguinis D. N. J. C. Verumtamen rigida nimis hujusmodi esset opinio; neque, si vellet, aeque posset ad praxim adduci. Numquid enim materia pretio et valore aestimabilis disperdenda erit cum possidentis damno? Non hoc meum est consilium; quippe fateor, longe decentius fore ex eadem conflare novos Calices, Patenas, Pyxides, Vasa pro S. Oleis, S. Imagines, coronas, candelabra, atque id genus alia in Dei cultum, Sanctorum honorem et Ecclesiarum decus et ornamentum; nihilominus absit, ut censeam illicitum, si velint eadem converti in usus profanos. Nam simul ac aurum, argentum, aes fusum est, primam formam amittit, et ut profanum habetur, ac proinde fas erit ar-

tifici, prout mavult, ad quodlibet opus informem illam materiam adhibere. Diversa ratio est de suppellectilibus vel lineis, vel sericis, quae, nisi flammis tradantur, possunt quidem aliam induere formam quoad usum diversum, sed nequeunt illam perdere, quae eisdem data fuit a textore. Idem dicendum de lignis, quae ex dirutis Ecclesiis supersunt.

LEODIEN.

Quum Rmus. Leodien. Ep. S. R. C. enixe rogarit, ut declarare dignaretur: Utrum Calix et Patena suam amittant consecrationem per novam deaurationem et sic indigeant nova consecratione? S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem Secretarii rescripsit: „Affirmative amittere, *nimirum:* et indigere juxta exposita". n. 5011 die 14. Junii 1845.

EXEQUIAE.

1) Ecclesia.

Vd : *Absolutiones quinque*; *Tumulus.*

Ad dubium: An Exequiae SS. Pontificum, Regum, Ducum, Magnorum, Principum et similia tamquam functiones pontificales, fieri debeant in Ecclesia Metrop. vel ejus loco in Ecclesia PP. Franciscanorum (Avenionen.)? S. C. resp.: Quoad primam partem affirmative; quoad secundam relinquendum arbitrio Archiepiscopi. n. 4022 ad 1 die 17. Julii 1734.

2) Pro Episcopo def.

Vd.: *Sepultura Episcopi.*

3) Parvulorum.

Vd.: *Missa de ss. Angelis*; *Sepultura parvulor.*; *Gloria Patri* (in exequiis etc.) *Tumulum* (pannum nigr.); *Lumina in exequiis per triduum.*

Ad dubium: An liceat in exequiis parvulorum, praesente vel non praesente cadavere cantare missam sol. vel dicere missam planam votiv. de ss. Angelis? S. C. resp.: Servetur rubrica Ritualis romani. n. 3800 ad 1 die 23. Mart. 1709.

4) Ab uno Sacerdote peragendae.

Vd.: *Absolutio Mort.* (quis perag.? decr.

5) Coram SSmo. exposito.

Vd.: *Expositio SSmi. pro Def.*

6) Per Triduum.

Vd.: *Lumina* (In Exequiis); *Sepult.* (Per Triduum.)

De Exequiis cf.:

Sepultura; *Processio funebr.*; *Officium Defunct.*; *Stola in Off. def.*

EXITUS PROCESSIONUM.

Vd.: *Processio* (exitus); *Process. SS. Corp. Chr.* (exitus)

EXERCITIA SPIRIT. CANONICOR.

Ad dubium: 1. An et quomodo sint compellendi Dignitates et Canonici Colleg. Alonae et alii Ecclesiastici ejusdem Colleg. et Civitatis ad agenda exercitia spiritualia?

2. An debeant pro dictis exercitiis pergere ad civitatem episcopalem eaque agere in domo seu Seminario ejusdem an vero ea peragenda sint in domibus religiosis in eadem civitate existentibus? S. C. resp. ad utrumque: Hortandos esse sed non cogendos, praeterquam quod suscipere debentes s. Ordines. n. 4189 ad 3 et 4 die 4. Mart. 1747.

Vd.: *Indulg.* (Exercit.)

EXPECTATIO PART. B. V. M.

1) Festum.

Benedictus XIII. benigne concessit, ut in toto Statu eccles. ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 18. Decb. festum Expectat. part. B. V. M. cum Off. et Missa sub ritu dupl. maj. celebrari debeat. S. R. C. die 23. Aug. 1725; 15. Sept. 1736.

2) Hymnus.

Cf.: *Ave Maris stella.*

Ad Primam, si Officium fiat de B. M., dicendum est: *qui natus es de Virgine* tam in hymnis quam per horas; si vero fiat de *feria*, per *horas* dicendum est: *qui venturus es in mundum*, et in *hymnis*: *Virtus, honor, laus, gloria.* n. 1555 ad 6 die 21. Apr. 1646.

Vd. infra decr. n. 3295.

Ad dubium: Utrum hymni Festivitatis Expectationis B. V. tam Matutini quam reliquarum horarum sint terminandi sub Versiculo consueto B. V., vel sub proprio de Adventu, cum festivitas sit de expectatione? S. C. respondit et declaravit ut infra: Sub vers: *Jesu tibi sit Gloria etc.* tam ad Matutinum quam ad reliquas horas, hymno vesperarum excepto, scilicet *Ave Maris Stella*, qui habet versum proprium. Ad Resp. Primae vero dicendus est versus: *qui natus es de Maria V.*, prout in festo conceptionis, quod pariter occurrit tempore Adventus. n. 2344 ad 1 et 2 die 19. Sept. 1665.

Ad idem dubium resp. S. C.: Servetur rubrica: n. 4049 ad 7 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 7 die 16. Febr. 1737.

Hymnos tam in Matutino quam in omnibus horis canonicis in Expectatione partus B. V. M. sub ritu dupl. celebrari solita in Hispaniis, esse terminandos cum Versiculo: *Virtus, laus et gloria*, non autem: *Jesu tibi etc., qui natus etc.*: et in R. Primae dicendum esse: *qui venturus es in Mundum*; non autem: *qui natus es de Virg.* n. 2506 ad 1 et 2 die 21. Junii 1670; n. 4039 ad 4 die 26. Novb. 1735.

In Officio expectationis partus B. V. M. in Hispaniis celebrando die 18. Decb. dicuntur hymni de tempore Adv. tam in vesp. quam in Matut. et Laud. Quaeritur: An hymni praedicti debeant terminari: *Jesu tibi sit etc.*, an cum terminatione posita in iisdem hymnis? S. C. resp.: Si Off. sit de B. V. M. dicendum esse: *Qui natus es* etc. ad vers. ad primam, et: *Jesu tibi* etc. in hymnis. Si vero fiat de feria, per horas dicendum esse: *Qui venturus es* etc. ad vers., et in hymnis: *Virtus, honor* etc. n. 3295 ad 4 die 13. Sept. 1692.

Vd. supra decr. n. 1555.

Ad dubium: Utrum in festo Expectat. Partus B. V. M. hymni debeant terminari: *Jesu* tibi sit etc. vel: *Virtus, honor etc.?* S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4080 ad 6 die 29. Novb. 1738.

Ad dubium: Die 18. Decb. in Festo Expectationis Partus Beatae Mariae Virginis finis est hymnorum: — *Virtus honor, laus, gloria* etc. — an, ut legitur in Breviariis Lodii et Antuerpiae impressis, excipiendus est Hymnus Matutini — *Verbum supernum prodiens?* S. C. resp.: „Negative". die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 13.

3) Vesperae.

Occurrentes cum translato festo Patrocinii B. V. M., Vd.: *Vesp. dimid.* (decr. n. 4393.)

EXPOSITIO SSMI. SACRAMENTI.

1) Adorantes.

Vd.: *Instructio Clem.* §. IX. n. 1. etc., n. 12 etc., n. 16 etc.; §. X. n. 2; §. XXVII. 1 etc. *Expositio SSmi.* (habitus ministr. etc.); *Sedes et scamna Laicor. coram SSmo.* (Instructio Clem. §. XXVII. n. 3 etc.)

Ad dubium: Utrum servari queat inducta consuetudo, ex qua, dum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi expositum est, continuo duo Clerici Superpelliceo induti, Diaconi autem et Sacerdotes etiam Stolam albam habentes, ut in Coena Domini, flexis genibus intra Presbyterium assistunt, quisque per horae spatium? S. C. resp.:

„Affirmative juxta Instructionem Clementis Papae XI. die 1. Sept. 1736“. n. 4714 ad 2 die 17. Aug. 1833.

2) Adorationis Ordo et Perpetuitas.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 1.

3) Altare.

a) Expositionis.

Ad dubium: An infra Octavam SSmi. Corp. Chr. expositio SSmi. Sacramenti fieri debeat in Altari, in quo asservatur SSmum. Sacramentum, vel alibi fieri possit?

S. eadam C. rescribendum censuit:

„Affirmative ad primam partem juxta laudabilem consuetudinem“.

Atque ita S. C. rescribendum et declarandum censuit. n. 5176 ad 6 die 25. Sept. 1852.

b) Ornatus.

Vd.: *Instructio Clem.* §. 3 n. 1. 2. §. XXXVI. n. 2 etc. (Cf.: *Altare*, quando SS. Sacram. est expos.); *Expositio SSmi. pro Defunctis.*

4) Apparatus.

Instructio Clem. §. XXXVI. n. 2. etc.

5) Aspectus.

Vd.: *Instructio Clem.* §. V. n. 6; §. XXXVI. n. 9 etc.

6) Causa et Licentia.

Vd.: *Novena Nativ. D.*; *Instructio Clem.* §. XXXII. n. 2. §. XXXVI. n. 1 etc., 3 etc. 5 etc., 8 etc., 10 etc. *Expositio SSmi. quadraginta horar.* (licentia).

Non licet sine licentia Episcopi ex levi causa publice exponere SS. Sacramentum. n. 691 die 12. Junii 1627.

Non licet Regularibus exponere SS. Sacramentum absque licentia Ordinarii. n. 729 die 26. Febr. 1628; n. 1788 die 8 Apr. 1656; n. 1794 die 8. Apr. 1656; n. 2592 die 16. Julii 1672 cum appendice: „removendam esse aemulationem Regularium circa expositiones et processiones cum SSmo. in civitate Posnaniensi minuentem ejusdem SSmi. decentiam, cum saepissime una eodem die simul in 4, 5 et 6 Ecclesiis expositiones et processiones peragantur; ita ut vix aliquot personae assistentes in Ecclesia reperiantur“.

Jesuitas petere debere ab Episcopo, qui permittat pro ultima Dominica Carnis Privilegium exponendi SS. Sacramenti. Quo vero ad processiones per loca publica nec ipsis nec aliis licere. n. 819 die 20. Junii 1629.

Neque Regularibus neque Confraternitatibus Laicorum quovis praetextu licere exponere SS. Sacramentum absque speciali licentia proprii Ordinarii. n. 953 die 3. Apr. 1632; n. 1533 die 29. Mart. 1645; n. 1812 die 3. Jan. 1657; n. 2162 die 1. Apr. 1662; n. 2626 die 6. Maji 1673; n. 2652 ad 5 die 12. Aug. 1673; n. 2958 ad 1 die 7. Junii 1681; n. 2978 die 28. Febr. 1682; n. 3662 die 22. Sept. 1703; n. 3670 ad 27 die 12. Jan. 1704.

Regulares non possunt publice exponere SS. Sacramentum absque licentia Ordinariorum. n. 1021 die 21. Julii 1635; n. 1061 ad 1 die 12. Junii 1638; n. 1120 die 5. Febr. 1639. Et contrafacientes censuris coercendos. n. 1158 die 23. Mart. 1639.

Nullo modo convenire nec posse per Regulares publice exponi SS. Sacramentum sine expressa Licentia Ordinarii. n. 1124 die 28. Apr. 1640; n. 1228 die 28. Apr. 1640; n. 3843 ad 3 die 21. Novb. 1711.

Non licere Confraternitatibus Laicorum exponere SS. Sacramentum, et esse prohibendum. n. 1245 die 17. Julii 1640.

Non licere Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis SS. Sacramentum palam adorandum exponere, nisi ex causa publica, *quae probata sit ab Ordinario*; ex causa vero privata licere, dummodo non extrahatur e tabernaculo et maneat velatum, ita ut ipsa sacra hostia videri non possit. n. 1392 die 31. Maji 1642.

Idem decret. emanatum est a S. C. Ep. 10. Decb. 1602; et 17. Aug. 1630.

Confraternitatem SS. Trinitatis de Basignena Dioeces. Papien. continuare usum qualibet 3. Dom. mensis exponendi SSmum. cum sola licentia Ordinarii etiam renuente et contradicente parocho. n. 2880 die 18. Mart. 1679.

Confraternitates vigore cujuscunque aggregationis non posse exponere SS. Sacramentum sine Licentia Ordinarii. n. 1413 die 13. Sept. 1642.

Confratribus Societatis Misericordiae in *Oratorio* sine licentia Episcopi non licet exponere SSmum. n. 1927 die 7. Sept. 1658; n. 2162 die 1. Apr. 1662; n. 4012 ad 10 die 13. Sept. 1732.

Episcopus *Confraternitatibus* permittere debet expositionem SS. Sacramenti juxta solitum, nisi quid relevans adsit in contrarium. S. C. Ep. 16. Mart. 1649.

Non possunt *Confraternitates* exponere SS. Sacramentum in sua Capella de licentia et consensu Parochi, in cujus Ecclesia erectae sunt, sed potius requiritur licentia Ordinarii. S. C. C. 5. Aug. 1789.

Dioecesis et Civitatis Toletanae Clero tam saeculari, quam regulari, Monialibus atque Confratribus SS. Sacramenti publice exponere nisi cum speciali Ordinarii licentia non licere et inobedientes poenis et censuris coercendos esse. n. 1591 die 18. Decb. 1647.

Quando in die Solemnitatis Corp. Chr. in Metropolitana seu Matrice Ecclesia solemniter SS. Sacramentum expositum detinetur, non licere Regularibus exponere SS. Sacramentum sine licentia Ordinarii. n. 1764 ad 1 die 7. Aug. 1655.

Rector Ecclesiae paroch. petiit declarari: non posse Regulares quoscunque exponere SSmum. in eorum Ecclesiis, *nisi de licentia Parochi, intra cujus Parochiae limites sita est regularis Ecclesia.* S. C. resp.: Regularibus licentiam Episcopi satis esse. n. 1824 die 9. Junii 1657.

Non licere sine licentia Ordinarii in Ecclesia *Monialium* exponere Ven. SSmum. n. 2162 die 1. Apr. 1662. Idem decret. emanatum est a S. C. Conc. 16. Mart. 1743.

Clerus s. Annuntiatae terrae Quardiae quoad expositionem SSmi. adeat Episcopum. n. 2216 die 28. Aprilis 1663.

Expositionem SSmi in Ecclesiis Regularium civitatis Ragusae . . . esse faciendam et regulandam arbitrio Archiepiscopi tam quoad causas exponendi quam etiam locum, horas et assistentiam ad illius securitatem et decentiam. n. 2358 die 13. Febr. 1666; n. 2480 die 16. Febr. 1669.

Ad dubium: Si publica causa et magna devotio fuerit semel vel pluribus vicibus approbata, debeat quolibet anno, recurrente anniversario, iterum ab Ordinario approbari, si petatur? S. C. resp.: Non posse sine licentia Ordinarii (exponi SSmum.) n. 2958 ad 2 die 7. Junii 1681.

Rector Hospitalis generalis Majoricen non potest exponere SSmum. sine licentia Episcopi et potest Episcopus in casu contraventionis procedere ad censuras et alia juris remedia, quibuscunque privilegiis non obstantibus, dummodo intra quindecim dies, postquam in ipsius manus pervenerit hujusmodi decretum, non fuerit ex parte Rectorum deductum ullum privilegium, quo expresse et absque aequivoco, illis a sede ap. concedatur facultas exponendi SSmum. absque licentia Ordinarii. n. 3254 ad 1 et 2 die 24. Novb. 1691.

Cum in civitate Pisaur. inoleverit mos exponendi in quolibet die festivo SSmum. in omnibus tam Saecularium quam Regular. Ecclesiis, eo dumtaxat temporis spatio, quo Fidelibus Benedictio impertitur, unde fit, ut nec ipsis ad commodam tanti Sacramenti venerationem exponatur et ex tam multiplici et perfunctorio benedictionum numero oriatur facile confusio et devotio tepescat. S. C. resp.: Esse comittendum ut talem in posterum pro sua (Episcopi) prudentia in expositione SSmi. praescribat formam, ut omnibus abusibus prospiciatur, dummodo praedictas benedictiones *de nocte* fieri expresse prohibeat. n. 3284 die 2. Aug. 1692.

PP. Minores Convent. Montis novi non possunt sine licentia Ordinarii exponere SSmum., et obtenta hac licentia cum clausula: „accedente consensu parochi" tenentur requirere consensum et non sufficit ad effectum praedictum consensus *petitus, licet non obtentus,* nam parochus potest ex justa causa illum denegare. n. 3722 ad 4—6 die 9. Maji 1705.

Ordinarius, concedendo licentiam exponendi SSmum., non potest ad libitum conditionem apponere requirendi consensum parochi. n. 4222 die 4. Sept. 1751.

Ad dubium: An petita et non obtenta licentia dicta habeatur pro concessa? S. C. C. resp.: Negative 13. Apr. 1726.

Ad dubium: An liceat Capellano s. Francisci Mordani exponere SSmum. absque consensu Archipresbyteri (parochi) sive eodem irrequisito? S. C. resp.: *Arbitrio Ordinarii* et servetur decretum Synodale. n. 3812 ad 4 die 13. Julii 1709; n. 3832 ad 6 die 22. Novb. 1710; n. 3835 ad 2 die 9. Mart. 1711.

Prior . . . Congregationis s. Philippi N. Placent. potest in Oratorio facere expositionem SSmi. de licentia Episcopi. n. 3864 ad 1 die 10. Mart. 1714.

Praeter consuetas usuque receptas SSmi. expositiones, extraordinariae quoque in Ecclesiis exemptis fieri non possunt sine licentia Ordinarii. n. 4578 ad 4 die 3. Apr. 1821.

Ad dubium: An in Provincia Tridentina, quae ab Imperatore Leopoldo I. inter Provincias Germaniae adnumerata est, ab Alumnis Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum absque Ordinarii licentia praeter consuetas usuque receptas SSmi. Sacramenti expositiones fieri possint extraordinariae, quae in illis Provinciis ex inveterata consuetudine introductae sunt?

Emi. itaque ac Rmi. P. . . . rescribendum censuerunt:

„Negative".

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandaverunt. n. 4777 ad 7 die 12. Martii 1836.

7) Pro Defunctis.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXVI. n. 2.; *Benedictio SS. Sacramenti* (In Commemorat. Omn. fid. def.)

Nemini licet sine speciali indulto infra Octavam Omn. SS. exponere SSmum. pro animabus Purgatorii. n. 3372 die 8. Oct. 1695.

S. Congregationem valde improbare consuetudinem in Florentinam civitatem invectam, ut ex fide dignis testimoniis compertum est, SS. Sacramentum publice exponendi occasione exequiarum *privatae* alicujus personae, sive eae peragantur in die obitus vel depositionis sive in Anniversariis aut aliis quibuslibet diebus, quam consuetudinem S. C. declarat abusum et ad eam tollendam curas omnes, ac exploratum erga S. rituum decorem Amplitudinis (Episcopi) Tuae studium ex oblata occasione excitare non omittit. — Haec epistola data fuit ad Antistitem Florentinum. n. 4490 die 13. Mart. 1804.

Vd.: *Altare*, (ornatus, quando SSmum. etc., duo decreta, quae habent n. 4477. 4490.)

Florentin.

Quum in Ecclesia S. Mariae a Jesu nuncupata in Oppido vulgo San Casciano in Val di Pesa intra fines Archidioecesis Florent. ubi erecta reperitur Sodalitas Suffragii, dum pro defunctis in genere SSmum. Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium venerationi exponitur, ante benedictionem et *Tantum ergo* recitatur Antiphona: *Exultabunt* cum Psalmo *Miserere*, et in fine *Requiem aeternam*, et Oratio *Fidelium Deus*, vel *Deus veniae largitor:* quumque hujusmodi praxis ab aliquibus non adprobetur, immo etiam contradicatur, Sacerdos Jo. B. Borboni, nomine etiam memoratae Sodalitatis, S. R. C. humillime rogavit, ut quatenus ipsa praxis reapse sit interdicta, ipsam tamen confirmare dignaretur, aut tolerare saltem in memorata Ecclesia; nam Sodalitas ipsa in id potissimum intendit, ut piis exercitiis levamen obveniat animabus, quae piacularibus addictae flammis in purgatorio cremantur.

Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, perpendens de Anno 1828 XVII. Kal. Jan. in una Volaterrana ad Dub. V. sancitam fuisse hanc ipsam praxim seu consuetudinem, quatenus revera existat, tolerandam esse, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: „Servetur Decretum in Volaterran. diei 16. Decb. 1828 ad Dub. V". die 18. Febr. 1843 n. 4958.

Ad dubium: An in expos. SSmi. pro defunctis dicendo psalmum *De Profundis*, sive *Miserere*, liceat in fine dicere: *Requi. aeternam etc.*, *A porta inferi etc.* pro oratione defuncti sive defunctorum, sicuti in multis locis faciunt? S. C. resp.: Tolerandam consuetudinem, si adsit. n. 4645 ad 5 die 17. Decb. 1828.

Montis Politiani.

Dum Rmus. Ep. Montis Politiani ingenue exposuit in sua Dioec. consuetudinem vigere exponendi SSmum. Eucharistiae Sacramentum pro hoc vel illo defuncto quotannis, vel quibusdam diebus loco Officiorum *de Requie*, insimul declaravit difficile admodum esse hanc ipsam consuetudinem impedire, siquidem quatenus venia denegatur, Fideles neque expositionem SSmi. Sacramenti faciunt neque Officia *de Requie.* Verum quum expositio ista Decretis non sit consentanea, hujus S. Apost. S. oraculum requisivit Rmus. idem Ep.; cujus humillimae preces quum a SSmo. D. N. Pio IX. P. M. transmissae fuerint ad S. R. C., haec

in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunata, audita Secretarii infrascripti fideli relatione, respondendum censuit:

,,Pro gratia speciali, non obstantibus Decretis, Ep. pro suo arbitrio et prudentia juxta particulares casus et circumstantias indulgeat". n. 5130 die 22. Julii 1848.

8) In Ecclesia non paroch.

Ad dubium: An in Ecclesiis non parochialibus Venerabile palam exponi et asservari possit? S. C. respondendo plurimum de prudentia Ordinarii confisa ejusdem arbitrio indulgendum dimisit. n. 2017 ad 3 die 22. Novb. 1659.

9) Coram Episcopo.

In expositione SSmi. impositionem thuris pertinere ad Episcopnm, quatenus assistat saltem cappa indutus; sin minus ad Canonicum hebdomadarium Pluviali indutum facientem functionem. n. 3642 ad 1 die 31. Martii 1703.

Et ministrari debet navicula et cochlear non a Magistro Caeremoniarum sed a digniore Canonico non Dignitate, quando accedit Episcopus cum cappa. *Ibid ad* 2.

Vd.: *SS. Sacr.* (exp. in Pontifical.)

10) Exponens.

Vd.: *SS. Sacrament.* (genufl.); *Diaconus*; *Instructio Clem.* §. IX. n. 2 etc.; §. XVIII. n. 2—6. *Pluviale* (in expos. etc.)

Exponere SSmum. in Ecclesia propria semper spectare ad digniorem. n. 1668 ad 2 die 10. Maji 1653.

Sorana.

Quum Rmus. Episcopus Soran. Aquinaten. et Pontis Curvi S. R. C. humillime rogavit, ut declarare dignaretur: num Canonicus Officium faciens in expositione SSmi. Sacramenti diebus infra Octavam Corporis Christi, et in repositione post Completorium in Choro, item in expositione in Novendialibus, et similibus, uti possit Amictu, Stola et Pluviali supra Rocchettum, vel potius uti debeat Amictu, Alba, Stola et Pluviali?

S. eadem C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata ad relationem infrascripti Prosecretarii respondendum censuit:

,,Assumendum esse Pluviale vel super Rocchetto et Cotta, vel cum Rocchetto et Alba. n. 5179 die 25. Sept. 1852.

Ad dubium: An recipienda doctrina, quod ad deponendum SSmum. a suo throno eminentiori parentur in Sacristia Sacerdotes tres, unus amictu, alba, stola et pluviali, alii vero duo assistentes pluvialibus tantum super cottas, quorum dignior assistens deponat Ostensorium (notetur quin utatur stola) quia est pluviali indutus? S. C. resp.: duos assistentes sumere debere dalmaticam et tunicellam vel alium sacerdotem cum cotta et stola ponere et deponere debere Ostensorium cum SSmo. n. 4421 ad 1 die 17. Sept. 1785.

11) In fer. V. usque ad fer. VI. Parasceve.

Ad dubium: An toleranda sit consuetudo quorumdam, qui contra, quod praescribit Missale, exponunt *patenter* hostiam consecratam conservandam a fer. V. usque ad ipsius consumptionem fer. VI. in Parasceve? S. C. resp.: Servandam omnino rubricam missalis. n. 3710 ad 7 die 14. Febr. 1705.

12) In festis Sanctorum.

Vd.: *Instructio Clem.* §. III. n. 8—10.

13) Frequentia.

Vd.: *Expositio SSmi.* (causa et licentia, decr. n. 2592); *Instructio Clem.* §. XXXVI. n. 4 etc. *SS. Sacr.* (expos.)

SS. Eucharistia non est singulis diebus exponenda super altari sed in quibusdam tantum Solemnitatibus. S. R. C. 4. Mart. 1606.

14) Habit. ministr. vigilantium.

Vd.: *Instructio Clem.* §. VII. n. 2. 3; §. IX. n. 1 etc.; §. XXVII. n. 1 etc.; *Expos. SSmi.* (adorantes).

15) Ingressus populi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. VI. n. 13—15.
Vd.: *Laici* (quomodo etc.)

16) Licentia.

Vd.: *Expositio SSmi.* (causa et licentia).

17) Lumina.

a) Numerus.

Vd.: *Benedictio cum SSmo.*

Episcopus ipse potest ordinare, ut accendentur duo lumina, quotiescunque expositum fuerit SS. Sacramentum pro communione Fidelium. n. 777 ad 1 die 20. Novb. 1628.

In expositione SSmi. luminum quantitatem facientis expositionem remittendam et in altari super candelabris ad minus sex candelas accensas esse retinendas. n. 3464 die 15. Mart. 1698.

Instructio Clem. §. VI. XIX. n. 3; §. XXXVI. n. 24. *Expos. SSmi.* (publ. et priv.) *Pyxis* (expos.)

b) Pondus.

Vo.: *Instructio Clem.* §. VI. n. 3.

c) Situs.

Vd.: *Instructio Clem.* §. V. n. 6; §. VI. n. 1. 4. 5. 12.

Ad dubium: An liceat in expositione SSmi. lumen aliquod eo artificio collocare a parte postica Spherae ut recta illuceat in ipsam ss. hostiam, quae exinde lucida appareat? S. C. resp.: Negative et servetur Instr. Clem. §. VI. n. 4578 ad 5 die 3. Apr. 1821.

18) Missa.

Vd.: *Missa pro expos. et repos. SSmi.*

19) Modus (exponendi) vetus et recens.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXVI. n. 9 etc.

Ad dubium: An toleranda sit consuetudo quorumdam, qui contra quod praescribitur in missali, exponunt *patenter* hostiam consecratam conservandam a fer. V. in Coena D. usque ad ipsius sumptionem in fer. VI. in Parasceve? S. C. resp.: Servandam omnino rubricam missalis. Die 14. Febr. 1705 in una Ord. Capucc. ad 7.

20) In Nocte.

Non probari utpote extra communem, quod in nocte Nativ. D. publice exponatur SSmum. n. 4421 ad 4 die 17. Sept. 1785.

Ad dubium: An reprobanda ac proinde eliminanda sit consuetudo, Feria VI. in Parasceve de sero in Ecclesia et ad proprium Altare, cum luminaribus iterum collocandi SSmum. Eucharistiae Sacramentum?

Emi. itaque ac Rmi. P. . . . rescribendum censuerunt:

„Abusum esse eliminandum“.

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 4 die 12. Martii 1836.

21) Infra Oct. SS. Corp. Chr.

Posse Regulares *infra hebdomadam* ss. Corp. Chr. inter Missarum solemnia et ad Vesperas SS. Sacramentum publice exponere absque licentia Ordinarii. n. 1321 die 20. Apr. 1641.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXVI. n. 2. 4 etc.; *Fest. SS. Corp. Chr.* (exp.)

22) Paramenta.

a) Color.

Cf.: *Altare*; *Vexillum*; *Exponens. Instructio Clem.* §. XVIII. n 2—6; *Repositio SSmi.* (modus); *Color param. in missa* (mixtus; decr. n. 4707) *Expos. SSmi.* (publica etc.)

Nunquam nigro colore utendum in expositione et repositione Sacramenti. n. 2864 ad 9 die 9. Julii 1678.

Ad dubium: Qui color paramentorum Ministrorum adhibendus sit, quando exponitur vel reponitur SS. Sacramentum occasione Orationis 40 horarum vel etiam pro infirmis et pro defunctis? S. C. resp.: colorem adhibendum esse, qui praescribitur per rubricas. n. 1570 ad 2 die 17. Novb. 1646.

Ad dubium: An in fer. 2. 3. et 4. majoris hebdomadae, quando exponitur SS. Sacramentum, uti debeant presbyteri indumentis albis seu violaceis? S. C. resp.: *Servari rubricas.* n. 1644 die 3. Aug. 1652.

In actu benedictionis cum SSmo., quando illud exponitur in suffragium fidelium def.. utantur sacerdotes stola et pluviali coloris albi et non nigri. n. 2957 die 7. Junii 1681.

Non licere Confraternitati Suffragii in Cathedrali Antuerp. exponere SSmum. cum apparamentis nigris pro facienda processione neque licere similem expositionem facere in Missa et Officio def. cum apparatu nigri coloris. n. 3075 ad 1 et 2 die 10. Febr. 1685.

In Expos. SS. Sacram. pro defunctis adhibeatur stola et pluviale coloris *albi* et non nigri. S. R. C. 7. Junii 1681.

Ad dubium: Utrum liceat uti colore flavo vel caeruleo in Sacrificio missae et expos. SSmi.? S. C. resp.: Negative 16. Mart. 1833.

b) Quae?

Vd.: *Pluviale in process. SSmi.* (decr. n. 3575).

23) In Parasceve.

Vd.: *Expos. SSmi. in nocte.*

24) Publica et privata.

Vd.: *Instructio Clem.* §. IV. n. 5; §. IX. n. 2; §. XXXVI. n. 2 etc., 10 etc.; *Pyxis* (expositio SSmi. in pyxide); *Exposit. SSmi. privat. potest fieri sine Ordinarii licentia*, vd.: *Instr. Clem.* §. XXXVI. n. 10. 20. *Expos. SSmi.* (causa etc. decr. n. 1392).

Expositio SS. Sacramenti facienda non est nisi ob causam publicam et gravem; et pro personis particularibus infirmis aut afflictis etc., quae in sui auxilium publicas preces ante SSmum. exoptant, non exponatur detectum sed Ostiolo tabernaculi aperto aut ad summum in pyxide velata cum numero convenienti luminum et assistentia Sacerdotum. Et ita Ordinarii fieri curabunt nedum in Ecclesiis saecularibus sed etiam regul. S. C. Ep. 1. Sept. 1598.

Si quandocunque priv. ex causa SS. Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo nunquam extrahatur sed in pyxide velata in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo cum assistentia alicujus Sacerdotis stola et superpelliceo induti et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. S. C. Ep. 9. Decb. 1602.

25) In Pyxide.

Vd.: *Expositio SSmi. solemnis etc.*; *Pyxis.*

26) Quadraginta horarum.

a) In Commemor. Omn. fidel. def.

Ad dubium: 1. An in Ecclesiis, in quibus expositum manet SSmum. Eucharistiae Sacramentum Fidelium adorationi, in turno perpetuae orationis,

quae dicitur quadraginta horarum, occurrente die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, liceat recitare Officium defunctorum et celebrare Missam solemnem et etiam Missas privatas itidem defunctorum?

2. Et quatenus affirmative: an adhiberi debeant paramenta coloris violacei potius quam coloris nigri?

3. Et an in eodem casu excipiendum sit Altare, in quo habetur expositum SSmum. Sacramentum?

Et S. eadem C. rescribendum censuit, ut infra:

Ad 1. „Affirmative".

Ad 2. „Arbitrio superioris localis".

Ad 3. „Affirmative".

Et ita declaravit die 16. Septemb. 1801. n. 4477.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XVII. n. 9—16.

b) Licentia.

Expositionem SSmi. propter orationem 40 hh. esse de licentia Episcopi. n. 899 die 8. Febr. 1631.

Prima Dignitas Cathedralis non potest indicere orationem 40 hh. et exponere SSmum. absque licentia Episcopi. n. 1510 die 4. Junii 1644.

In Ecclesia Confratern. Mortis Perusinae, sita intra limites parochiae s. Severi, potest SSmum. exponi in forma 40 hh. sive alio modo sine interventia vel licentia parochi. n. 3911 ad 9 die 9. Julii 1718.

Idem decr. pro Confrater. s. Mariae Perusinae. n. 3928 ad 2 et 3 die 13. Maji 1719.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXVI. n. 1 etc.

c) Missa.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XII. n. 1 etc. *Missa coram et de SSmo.*

d) Modus.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 19 etc.

e) Origo.

Vd.: *Instruct. Clem.* (Operis ratio).

f) Perennitas.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XXIX.; §. XXXIII. n. 3 etc.; *Commemoratio SSmi. in miss. et fest.* (quando fit? decr. n. 4782 *nota*); *Expositio SSmi.* (Adorationis Ordo etc.)

g) Tempus.

Vd.: *Credo*; *Comm. SSmi.*; *Oratio 40 hh*; *Expos. SSmi.* (tempus)

Non licere in Orationibus 40 horarum *reponere* Augustissimum Sacramentum tempore noctis et contrariam consuetudinem esse abolendam. n. 1922 die 7. Sept. 1658.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 1 etc.

h) Translatio.

Ad dubium: An Canonici Cathedr. Conimbricen. possint ac teneantur in fer. IV. Cinerum transferre processionem quandam et alias commemorationes pro defunctis, ad quas ex legato tenentur, ut expos. 40 hh. facere possint, seu potius expositionem in aliam diem transferre possint, ut mentem Testatoris adimpleant? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, et quoad secundam, nempe expositionem SSmi., esse transferendam in aliam diem commodiorem arbitrio Episcopi et amplius. n. 4233 ad 5 die 14. Apr. 1752.

27) In „Rorate" (miss. vot. de B. V. M.) per Adventum.

LIMBURGEN.

Per omnem fere Germaniam jam ab antiquo invaluit consuetudo, ut sive ex fundationibus sive ex postulationibus fidelibus etiam in Ecclesiis, in quibus nonnisi unicus Sacerdos celebrat, fere quotidie per Adventum can-

tetur missa, quae modo angelica modo aurea etiam appellatur, votiva nimirum B. V. M. de adventu, exposito simul per talem missam SSmo. in monstrantia. Quaeritur propterea: An hujusmodi expositio ob consuetudinem gener. et populi in ejusmodi rebus tenacitatem ferri et continuari possit?

S. R. C. resp.: Attenta longaeva consuetudine tolerari in casu posse expositionem SSmi., sed quoad missam vot. B. V. M. servandas est rubricas. Die 7. Maji 1857 ad III.

28) Solemnis et minus sol.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XXXVI. n. 2 etc.; *Expositio SSmi. in pyxide*; *Pyxis*; *Expositio SSmi.* (causa etc. decr. n. 1392).

29) Tempus.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. IX. n. 15 etc.; §. X. n. 1. 2. (Cf.: *Horologium*); *Expositio SSmi. 40 hh.* (tempus).

30) Coram Tumulo Mortuorum.

Vd.: *Tumulus cor. exp. SSmo.*

31) Velamen ante Ecclesiam.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. 2.

32) Velatio fenestrarum.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. VI. n. 16.

EXTREMA UNCTIO.

1) Monialium.

Ad dubium: An dum ministratur Sacramentum Extremae Unctionis possint Sanctimoniales Ord. s. Clarae dicere tantum primum ex septem Psalmis Poenitentialibus, dum Sacerdos Unctiones peragit?

Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„Posse urgente praesertim necessitate".

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 3 die 7. Sept. 1850.

2) Oleum.

a) Delatio ad Infirmos.

Cf.: *Viaticum*; *Stola* (in extrema unctione); *Olea s.* (asservatio); *Oleum Infirm.* (asservatio); *Episcopus aegrotus.*

Extremae unctionis oleum non esse deferendum solemniter ad infirmos cum superpelliceo ac lanternis. n. 289 die 28. Jan. 1606.

b) Quod utendum?

In Congreg. gener. habita coram S. R. Ecclesiae Cardinal. contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus propos. dubio: An in casu *necessitatis* parochus ad validitatem Sacramenti extr. Unctionis uti possit oleo a se benedicto? iidem EE. decreverunt: *Negative;* ad formam decreti 19. Jan. 1611, quam resolutionem approb. SS. Gregor. P. XVI. 14. Sept. 1842.

c) Mixtum.

Vd.: *Benedictio Fontis* (Oleum).

Ad dubium; An praeter casum a Rituali Rom. praevisum titulo de Sacramento Extremae Unctionis num. 3, in quo de S. Oleo adhibendo in hoc Sacramento haec habentur: „Id tamen si forte intra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico alio benedicto in minori quantitate super infuso reparari potest", liceat umquam S. Oleis Feria V. in Coena D. benedictis aliam olei non benedicti quantitatem addere? An haec additio saltem fieri possit eadem Fer. V. in Coena D., adeo ut pars tantum Olei subjiciatur benedictioni, et immediate misceatur cum Oleo non benedicto?

Emi. vero ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi ... rescribendum censuerunt:

„Negative, sed in casu tantum necessitatis fieri potest additio, uti in Rituali praescribitur".

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. n. 5000 ad 4 die 7. Decb. 1844.

3) Unctio Pedum, Oculorum etc.

Rhedonen.

Quum Rmus. Rhedonen. Episcopus animadverterit suae Dioecesis Parochos in nonnullis administrandis Sacramentis quoad quasdam Caeremonias haud penitus inter se convenire, nec eam aeque ab omnibus servari uniformitatem, quam ipse maxime optaret, pro eo quo praestat studio et diligentia ad rectum ordinem in Ritibus ac Caeremoniis Ecclesiae servandum, S. R. C. humillime sequens dubium enodandum proposuit ad hunc finem aliquando obtinendum, nimirum: Utrum pedum pars superiorne, an inferior ungenda sit in Sacramento Extremae Unctionis?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum:

„Nihil innovandum".

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4780 ad 1 die 27. August 1836.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Varia semper in Ecclesia Christi fuerunt ritus, sive rituum varietas semper in Ecclesia viguit, et si illius inspiciamus exordium, tanta in ritibus fuit diversitas, ut, si ea excipiamus, quae ad Fidei substantiam spectabant, si in ea demamus, quae vel divinam habebant institutionem, quae constitutiva rerum efformabant, ut in Sacramentis, vel divinum habebant praeceptum, vel Apostolicae institutionis aut vetustissimae traditionis notam praeseferebant (in quibus omnes conveniebant Ecclesiae, quaeque ab omnibus aeque Ecclesiis servabantur); si haec, inquam, excipiamus, tot erant in accidentalibus ritus et Liturgiae, quot Ecclesiae diversae erant, quin unitas fidei tolleretur, quin religio aliquid pateretur detrimenti. Ecclesiam autem hanc utique, primis praesertim saeculis, libertatem reliquit, unde ipsa rituum varietas exorta est. Haec una ex praecipuis fuit causis; alias hic meminisse supervacaneum foret. Haec autem, quae olim fuit in unaquaque Ecclesia rituum ac caeremoniarum varietas (de accidentalibus semper intelligo), haec, quae fuit Liturgiarum diversitas, admirabilis habenda est, et necessaria agnoscenda: admirabilis quidem, dum haec ipsa ex multis nationibus, gentibus, populis, et linguis Christi Ecclesiam constatam esse demonstrat: necessaria (saltem initio) quia cum diversae indolis, diversi ingenii essent gentes, quae Christi fidem amplectebantur, ea ipsos retinere et Apostoli et Apostolorum successores passi sunt, quae substantialia non attingebant; idque sapientissimo ab ipsis factum est consilio, ne scilicet, si omnia statim improbari ac rejici vidissent, quae usque ad illud tempus retinuerant, quaeque nec fidei substantiam neque unitatem respicerent a nova et vera Christi fide ac religione amplectenda deterrentnr. Sapientibus loquor, qui haud certe mirari possunt vel suspicari, me novum aliquid in medium proferre. Satis est de veteri Ecclesiae disciplina pertractantes auctores perlegere ac diversa Ritualia invisere, in quibus varii describuntur ritus, variae caeremoniae observantur, quibus diversae per or-

bem Ecclesiae, sive in Occidente, sive in Oriente usae sunt, et adhuc utuntur.

His praemissis videamus si forte aliquid sit, quod diversimode possit a quibusdam agi quam alii in ritibus et caeremoniis agant, vel ipsum Rituale praescribat, praesertim si hoc in quibusdam, aut diversimode agi permittat, aut quaedam non ita clare aut praeceptive praescribat. Sane Rituale Romanum ita appellatur, quia ritus continet, quibus Ecclesia Romana, seu universalis utitur, quique Romae servantur tamquam Ecclesiae Apostolicae proprii, in qua, ut inquit Augustinus Epistola 157: *semper viget Apostolicae Cathedrae Principatus:* et ut longe ante ipsum docuit S. Irenaeus Libro 3 Capite 8.: *ad hanc Ecclesiam* (nempe Romanam) *propter principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Periculosum itaque esset a Ritibus Romanae Ecclesiae omnium matris et Magistrae praescriptis recedere, atque hic omnia, ut praescribuntur, servanda sunt. Ecclesia enim S. directa Spiritu nihil sine ratione, nihil frustraneum praescripsit, et ad finem aliquem religiosum, omnia instituit, omnia ad divini cultus majestatem, ad spirituale filiorum bonum pia Mater instituit: idcirco scribit S. Joannes Chrysostomus Homilia prima in Matthaeum: *Magistri nostri* (hoc est Apostoli) *Ecclesiarum institutores usque ad humilia et minuta praecepta deduxerunt diligentiam disciplinae.* Ordo igitur ab omnibus servandus est, et de hoc ordine ab omnibus servando in ritibus et caeremoniis cum Chrysostomo et alii Patres intelligunt ea verba, quae Paulus Apostolus habet prima ad Corinthios: *omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Hinc est quod prisci fideles sedulo caeremoniis studuerunt, et ut omnia in ordine et accurrate fierent, eligere quemdam consueverunt s. ritibus praefectum, qui *Monitor* appellabatur, ut observat S. Isidorus Abbas, et ut probat exemplo Sacerdotis Nepotiani, quem laudat S. Hieronymus in sua ad eum epistola his verbis: *quod cernitur ejus in omnes caeremonias sollicitudo.* Quamvis haec in dubium nequeant revocari, nihilominus ex ipso Rituali Romano quaedam esse possunt, quae aliquantulum diverse in ipsa Sacramentorum administratione peragi possunt, quin illicite aut administrentur aut suscipiantur. Patet ex ipsis Ritualis verbis: Hoc enim postquam titulo: *De iis quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt,* haec dixerit: *Ut ea, quae ex antiquis Catholicae Ecclesiae institutis et S. Canonum Summorumque Pontificum Decretis, de Sacramentorum ritibus et caeremoniis hoc libro praescribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur et ubique fideliter serventur, illud ante omnia scire et observare convenit, quod Sacrosancta Trid. Synod. Sess.* 7 *Can. 13 de iis ritibus decrevit in haec verba: Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi censuetos, aut contemni aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse: anathema sit.* — Postquam, inquam, haec dixerit et retulerit Tridentini Concilii auctoritatem, haec habet verba *titulo de Sacramento Baptismi rite administrando: — Dum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de jure divino absolute necessaria, ut materia, forma, minister, alia ad illius solemnitatem pertineant, ut ritus et caeremoniae, quas ex Apostolica et antiquissima traditione acceptas et approbatas nisi necessitatis causa omittere non licet.*

Jam si, in casu quidem necessitatis

omittere quaedam licet, non omnia quae praescribuntur, quamvis extra hunc casum sint servanda, ejusdem aeque sunt generis, ea ratione, quia non sunt substantialia, sed ad majestatem et solemnitatem Sacramentorum sunt instituta et ea sunt, de quibus S. Thomas part. 3. quaest. 64 art. 4, ad primum, scribit: *Non sunt de necessitate Sacramenti, sed pertinent ad quamdam solemnitatem, quae adhibetur in Sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in iis qui suscipiunt, et est finis quem habet Ecclesia juxta Concilium Tridentinum.* Idem Concilium Sess. 24 *de reformatione* Capite 1. haec habet: — *Si quae provinciae* (quoad matrimonii Sacramentum) *aliis ultra praedictos laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri S. Synodus vehementer optat.* Similia habet Rituale Romanum Titulo 7 Cap. 3 §. *Caeterum*: *Si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando matrimonii Sacramento utuntur, eas S. Tridentina Synodus optat retineri.* Quod dictum est generice de diversis Ecclesiae ritibus et caeremoniis, quae per diversa Ecclesiae tempora servatae sunt, quaeque approbante ipsa Ecclesia viguerunt et vigent adhuc, id ipsum de extremae unctionis Sacramento quoad modum et locum ungendi infirmos dici potest: Rituale Romanum de ungendis infirmis haec habet: *Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quos veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe: oculi, aures et nares, os et manus: Attamen pedes etiam et renes ungendi sunt: sed renum unctio in mulieribus honestatis gratia semper omittitur; atque etiam in viris quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet.* At aliquibus in Ecclesiis diversimode per diversa saecula infirmorum unctio peracta est. Cum divus Jacobus Apostolus solum unctionem memoret et nihil de partibus ungendis innuat dicens: *infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae... orent super eum ungentes oleo*, factum est ut non parum different Ecclesiae in hoc ritu et diversimode in unctione conficienda sese gesserint. Graeci, si Arcadium audiamus *lib. 5 Capite 7*, unctionem adhibent ad frontem, mentum, ambas genas, ut fieri videatur unctio a capite ad modum Crucis, deinde ad pectus, tum ad manus idque in utraque parte, postremo ad pedes. Ecclesia latina non eodem modo per diversa tempora sese pariter gessit, et varia quoad partes inungendas fuit ejus consuetudo, ut apud Martenium *de antiquis Ecclesiae ritibus ostendit* Sambovius. Id ex variis ritualibus diversarum Ecclesiarum desumitur, quae ab eodem Martenio proferuntur, quaeque brevitatis gratia omittenda censeo. Ex his nonnulli existimant usum invaluisse varias inungendi Corporis partes et invaluisse post S. Gregorii aetatem, sed pariter sentiunt, non easdem omnibus aeque in Ecclesiis corporis partes fuisse inunctas, imo in aliquibus quasdam debuisse partes inungi, quas innungere in aliis quibusdam vetitum erat. Saeculo Christi VI. apud quasdam Ecclesias una tantum Corporis pars inungebatur et haec pectus erat. Habetur hic ritus in vita S. Augendi sive Eugendi, ex qua discimus, eum in pectore tantum fuisse inunctum: *Cum ultra sexagenariam aetatem sex fere mensibus praedictus pater inaequalitate corporea laboraret, vocato uno ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, secretissime*

quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, inungi: Ubi advertenda sunt ea verba: *ut moris est:* Non novitas ergo, non contra ritum tunc vigentem, sed juxta consuetudinem pectus solummodo inungebatur. Idem observat Mabillonius ad saeculum I. Benedictinum. In Ritualibus libris autem, quos refert Martenius, de quibus supra, juxta quos plures corporis partes inungebantur, pene in omnibus praescribebatur, ut ea pars corporis inungeretur, ubi dolor plus imminebat. Quae praescriptio, qui usus verbis fortasse Apostoli Jacobi nitebatur, nimirum: *Et Alleviabit eum Dominus:* qui tamen usus desiit omnino et vetitus postmodum fuit, ne videretur unctio S. Olei ad medicinam potius corporis, quam ad animae spirituale remedium adhiberi.

En varia quoad unctiones in extremae unctionis Sacramento administrando praxis, quae vel ad veterem Ecclesiae disciplinam spectat, vel diversas respicit sive Orientis sive Occidentis Ecclesiae praxim. Quod vero pertinet ad hodiernam praxim et praescriptum Ritualis Romani sive universalis Ecclesiae, omnibus patet: in hoc enim statuitur, quomodi fieri debeat unctio, et quae sint partes inungendae, quaeque ex his debeant praecipue inungi, et quae inungi quandoque non debeant. Superius a me jam sunt allata Ritualis verba, quibus consonat Concilii Tridentini Catechismus *parte* 2. *De extremae unctionis Sacramento Oculi, aures, nares, os et manus* praecipue debent inungi; *de pedibus et renibus* vero dicitur, quod in quibusdam semper *omittitur* unctio, nempe in *mulieribus* et omittitur *honestatis gratia*: in viris autem non semper, sed tunc solum, quando *infirmus commode moveri non potest. Oculi itaque, aures, nares, os et manus* sunt inungendae praecipue, et has corporis partes nominat, et ideo praecipue eas praescribit inungendas, quia veluti *sensuum instrumenta* considerat. Omissis hic quibusdam quaestionibus, quae ad Theologos spectant, quaeque rei, de qua agimus, nihil prorsus vel officere possunt, vel prodesse, unum breviter adnoto nempe: fuisse olim a Theologis investigatum disceptatumque, an quinque sensuum unctio sit de substantia Sacramenti. Jam in hac disquisitione non de omnibus taxative unctionibus agebatur, sed de illis quinque, quibus sensus liniuntur; sed cum de quinque his sensibus loquuntur, pedes et renes omittendo, renum ac pedum unctionem omittenti posse eos putasse non est credendum, ex quo conjicere quis posset, parvi apud eos momenti fuisse *renum ac pedum* unctionem, adeoque omitti omnino posse vel debere, eos existimasse; sed male admodum quis ex ea quaestione id colligeret: clare enim nimis Ritualis rubrica praecipit, ut *renes et pedes* ungantur; neque ex eo quod Rubrica prius quinque tantum humani corporis partes memorat (eas aliquomodo a renibus et pedibus sejungendo) quas solum, quemadmodum et Concilii Tridentini Catechismus, sensuum instrumenta in homine vocat, ei a natura tributa, non ex hoc, inquam, et *pedum et renum* unctionem vel excludit, vel omnimodam libertatem eas ungendi hujus Sacramenti Ministro relinquit; sed ideo Rubrica, quin sibi contradicat (ut videri primo intuitu posset) quinque partes prius inungendas assignando, septem postea enumerando, abstrahit quodammodo *pedes et renes ab oculis, auribus, naribus, ore, manibus*, non quia sensum ab illis, qui in quinque assignatis prius partibus, diversum aliae duae partes efforment, sed quia hae, quas postea adjicit partes, relationem habent ad aliquem illorum sensuum, quos jam in quinque

aliis partibus memoravit. Nam per *oculos, nares, aures, os et manus* intelliguntur sensus *visus*, *odoratus, auditus, gustus et tactus;* cum quibus potest homo delinquere et peccatum perpetrare. Cum autem relationem ad aliquem ex his quinque sensibus aliae duae postmodum adjectae partes habeant, hinc per has, nempe per *renes et pedes* non de novis, aut diversis sensibus intelligit loqui, sed de duobus ex quinque jam memoratis sensibus. *Pedes* enim sub sensu *tactus*, *renes* autem sub sensu *delectationis* possunt comprehendi, *pes* namque *gressu* potest delinquere, et *renes* per lumborum delectationem, atque idcirco in forma unctionis pedum dicitur: *Quidquid per gressum deliquisti;* et in altera renum: *quidquid per lumborum delectationem deliquisti:* quia hinc Mater Ecclesia instituit ut septem hae singulae partes inungerentur, ut medela cuique sensui plene completeque aptaretur. Quinque igitur, si Auctores audiamus, et ex toto Rubricae contextu eruitur, essentiales esse unctiones in hoc Sacramento dici potest, et duas integrales, *pedum* nempe et *renum*, quarum postrema plerumqe in viris *omittitur*, semper vero in foeminis, quaecumque sit omissionis ratio, sive *impossibilitas* in viris, sive *honestas* in foeminis, quod non diceretur a Rubrica (quae quidem in foeminis renum unctionem omittendam praecipit) si harum partium unctio aeque essentialis esset, ac aliarum quinque. Confirmatur hoc ex aliis, quae immediate habet Rubrica, verbis: *sed sive in mulieribus, sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet;* ex quo fluit integralem tantum esse hanc unctionem, quod quidem de aliis quinque sensibus non dicitur, imo si unctio fieri in aliqua ex aliis quinque partibus nequit, aliquo suppleri modo debere ipsa innuit Rubrica per haec verba: *Si quis autem sit aliquo membro mutilatus pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma;* recta igitur distinctio haec inter *integralem et substantialem partem* dignoscitur, et in ipso Ritualis Rubricae contextu fundata.

Omnibus hisce positis, sive quae ad veterem pertinent disciplinam sive quae diversam respiciunt praxim, sive quae ipsa habet Rubrica quoad partium liniendarum distinctionem, differentia legitime infertur unctionem inter et unctionem, inter partem et partem inungendam, et hinc quoad alicujus etiam partis locum diversum inungendum, quin haec diversitas (loquor de duabus partibus integralibus, quas distinguendo memoravi) aut Sacramenti validitati aliquid detrahat, aut ipsi licitudini officiat; quod habet relate ad pedum unctionem Rubrica: *attamen pedes etiam et renes ungendi sunt.* Hic Rubrica non innuit, an inferiori parte seu planta, vel in superiori pes sit ungendus, sed solum praescribit pedum unctionem. Fateor quidem, si pedum unctionem cum unctione manuum conferamus, colligi quodammodo posse inferiorem pedum partem, sive plantam esse liniendam. Nam cum de unctione manuum Rubrica loquitur, clare innuit manus interius esse ungendas exceptis Presbyteris, de quibus ait: *Manus vero quae reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur.* Idem dici deberet de pedibus licet Rubrica non innuat, sicut de manibus; nam tam Tit. 32 *de Sacramento extremae unctionis*, tam 28. *de ordine ministrandi Sacramentum extremae unctionis*, pedes simpliciter nominat. In illo legitur: *attamen pedes etiam... ungendi sunt*, in hoc legitur: *ad pedes.* Nihilominus facta comparatione unctionis pedum cum alia manuum, colligi posse dixi etiam pedes inferius

esse inungendos, quemadmodum et manus interius, quia in hac parte, sicut in manibus, tactus praecipue situs est. Ad sensum autem tactus vidimus pedes pertinere, et unctio tactum respicit, per quam orat Minister Dominum, ut infirmo indulgeat quidquid per tactum deliquit; quia licet gressus (cujus culpas Minister Deum precatur ut remittat infirmo) toties pedis sit actus, tamen inferiori parti praecipue tribuitur, in qua tactum dici potest praecipue et sensibilius inesse, et qua terram immediate premit. Haec, non inficior, sponte fluere videntur, hoc ex instituta comparatione cernitur. Advertendum tamen est nihil a Rubrica quoad pedes dici, quemadmodum de manibus, an in inferiori vel in superiori parte pedes inungendi sint. Ex hoc factum fortasse est, ut diversi diverso in loco pedes inungant, quidam nempe juxta diversam praxim ad plantam, quidam *ad tarsum*, sive partem superiorem, quidam ad *metatarsum*, ad eam scilicet pedis partem, quae vulgo *collo del piede* dicitur, ut ex Baruffaldo colligitur, qui etiam haec habet: *Si vero infirmus non valeat movere prae lassitudine ex morbo provenienti, ungatur ea pars, quae commode magis prostat.*

Hoc admisso, silente Rubrica, quoad pedis locum, in pedum unctione, praxis varietate inspecta, necessitate ob infirmi ex morbo lassitutidem admissa, pedes inungendi in ea parte *quae magis commode prostat*, (quod aequivalet alteri unctioni faciendae in mutilatis in loco proximiori parti quae deest) unum accedit quod despiciendum non foret nempe: quod sicut pes ex inferiori parte et superiori constat, et pedis idea haec omnia comprehendit, quaecumque ex his partibus ungatur, verum semper erit pedem inungi et nihil fortasse referet, an inferior vel superior illius pars ungatur. Neque dici stricte poterit contra Rubricam agere, qui superiorem potius quam inferiorem partem inunxerit, vel vicissim, aut ab uno potius quam ab altero Rubricae praeceptum servari, vel violari. Quisque enim illorum Rubricam servasse dicet, statim ac pedem, quamque in parte inunxerit, et quisque pro se Rubricam proferet, quae *pedes ac pedem* simpliciter nominat. Quae hucusque dixi, quaeque ex diversa praxi desumpsi, ex auctoribus deprompsi, et ex generica Rubricae locutione protuli, unctionem hanc de qua sermo est liberam fortasse possunt relinquere quoad locum, cum praxis contra praxim, usus contra usum posset afferri, non verum clarum et taxativum Rubricae praescriptum, nisi genericum de pedibus ungendis. Hinc nec Ecclesia unum fortasse prae altero reprehenderet, cum omnes aeque unctionis praeceptum servasse, ac neminem aut Sacramenti validitati detraxisse, aut contra licitam administrationem peregisse, posset aliquo modo contendi. Quot, quaeso, sunt quae in disciplinari oeconomia Ecclesia diversimode peragi permittit? Quot in praxi de aliquibus discrepantiae, in accidentalibus quidem, admissae, quae non prohibentur? Quot rituum varietates, quas Ecclesia ipsa conservat, quot consuetudines, quae dummodo rerum substantiam non attingant, retinentur, observantur, ut scandalum videtur, ut dissidia removeantur, ut contentiones et jurgia praecaveantur? Hoc semper servavit Ecclesia, hoc Patres sese ad prudentiam componentes, sequuti sunt. Narrat apposite ad rem nostram Augustinus, Divum Ambrosium sibi de variis ritibus dubitandi et sciscitandi, ita respondendo scripsisse: *Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus mores serva, si cuiquam non vis esse scandalo, aut quemquam tibi.* Id autem cum

agebatur de non substantialibus, aut de iis, quae fidem non respiciebant. Hinc ipse Augustinus scribit (Epistola 86): *In his rebus de quibus nihil certe statuit Scriptura, mos populi Dei, vel instituta majorum tenenda sunt, de quibus, si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio.* Addam his quae apposite pariter habet Tertullianus initio libri de Virginibus: *Regula fidei una omnino est, sola, immobilis, irreformabilis, caeterae jam disciplinae conversationis admittunt novitatem.*

Omnibus his positis, quae quidem non parvi momenti facienda videntur, quid de Parochis Rhedonensis Dioecesis erit dicendum? Quid de diversa, quae inter eos servatur, praxi decernendum? Sane exponit Illustrissimus Episcopus diversimode in sua Dioecesi sese Parochos gerere in administratione Sacramenti extremae unctionis, et ab aliis pedum plantam, ab aliis superiorem partem inungi: sed duo aeque fatetur, nempe: *et utrosque usui inhaerere,* et ideo inhaerere, tum *quia de hac re* sileat *Rituale Romanum,* tum quia diversa *praescribunt Ritualia,* quae pro *quibusdam Galliarum Dioecesibus* edita fuere. En itaque rationes diversitatis quae inter praefatos parochos advertitur in extrema unctione administranda, quae diversitas apud eos in usum transiit et in consuetudinem, cui unusquisque ipso fatente Episcopo adhaeret. Quod verbum *adhaeret,* demonstrat quodammodo, ita eorum quemque suum in hac re usum moremque retinere velle, ut fieri fortasse posset, neminem ab hoc, quem hucusque servavit, esse recessurum, praesertim cum unusquisque, nulla disciplinari universali existente lege, silente Rituali Romano, diversimode praescribentibus variis Galliarum Ritualibus, respondere, aliter praecipientibus, fortasse posset, sese, sive in inferiori sive in superiori parte pedem ungat, pedem revera inungere, Ritualium suorum praescripta servare, nec inobedientiae notam ullo pacto mereri. Hac supposita, paulisper, proprio usui huc usque retento, adhaesione, hac ad novam praescriptionem responsione admissa, nonne scandalum aliquod posset oriri? Nonne irreverentiae in Episcopum locus daretur? Quod quidem scandalum vitandum est, multoque magis non est excitandum, juxta Ambrosii verba supra relata: *morem ejus serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi?* praesertim cum de re agatur, quae accidentalia respicit, in quibus juxta Tertullianum varietas esse potest, sive discrepantia. *Caeterae jam disciplinae admittunt novitatem*; non vero fidem et fidei substantiam, *quae sola nempe fidei regula* per eumdem Tertullianum *una omnino est immobilis, irreformabilis.* Quid insuper si quisque pro suo usu stare vellet? Si suum quisque morem defendere? Suam quisque consuetudinem diversis Ritualium praescriptionibus innixam tueri? *Orietur interminata luctatio,* ut inquit S. Augustinus, quam luctationem vitare debemus, *quaeque ex aliorum consuetudinum improbatione excitatur.*

Quare, ut scandalum vitetur, ut oppositio, ut luctatio isthaec praecaveatur in hoc accidentali ritu, cum varia fuerit ex ritibus Ecclesiae disciplina, cum varia haec fuerit diversarum Ecclesiarum praxis quoad numerum partium inungendarum, et istarum aeque partium locum inungendum mos et praescriptio, cum nihil Rituale *saltem praeceptive* innuat, cum varia Galliarum Ritualia diversimode praescribant, cum denique vere ab utrisque dici posset aeque pedem inungi, quacumque in parte inungatur, ad scandalum vitandum quod forte posset oriri, ad

luctationes praecavendas, quae possent excitari, S. C. sapienter aeque, ac apposite respondendum putavit: *scribendum Episcopo esse, ut prudentia adhibita hac in re nihil innovet.*

EXULTET.

1) Diaconus cantat.

Vd.: *Diaconus cant. Exult.*

2) Nominatio Episcopi.

Vd.: *Cereus paschalis.*

3) Nominatio Imperatoris.

Vd.: *Oratio pro Imperatore.*

F.

FACULA.

In diebus ferialibus, dum horae canonicae cantantur, permitti non potest, quod loco facularum adhibeantur duo luminaria cum oleo. n. 3597 ad 15 die 10. Sept. 1701.

Vd.: *Lumina. Intortitia.*

FALDISTORIUM.

1) Dignitar. et Canon.

Dignitates et Canonici Metrop. Urbinat. pontif. celebrantes uti nequeunt faldistorio et sedere debent in scamno cooperto tapete vel panno currentis coloris et amplius. n. 4224 ad 2 die 29. Jan. 1752.

Vd.: *Sedes Dignit. et Can.; Usus Pontifical.* (praecipue decr. n. 4863; 4696).

Ad dubium: Quibus personis debeat permitti faldistorium seu genuflexorium et quomodo? S. R. C. resp.: posse concedi, non tamen aequale Episcopo. n. 613 ad 3 die 14. Febr. 1626.

Ad dubium: An liceat Episcopo titulari canenti Missas et Vesperas seu Canonico in propria hebdomada uti faldistorio et indumentis Pontifical. seu potius illas canere debeat sedendo in scamno, prout practicatur cum reliquis Canonicis et absque Pontificalibus indumentis? S. C. resp.: Ad mentem et mens est, ut in missis de turno absistat et subroget alium; in solemnioribus vero non posse, nisi de licentia Episcopi. n. 3976 ad 7 die 10. Apr. 1728.

2) Episcopi.

a) In Absolutione.

Vd.: *Absolutio* (crux).

In exequiis absolvendis pro Papa vel pro Principe, corpore non praesente, faldistorium Episcopi ponendum est ad caput tumuli. n. 4815 ad XIII. 2 die 22. Sept. 1837.

b) Missam audientis.

Vd.: *Capella Episcopi* (Missa; decr. n. 4547).

3) Episcopi Administratoris.

Ad dubium: An in Pontificalibus uti unice debeat Faldistorio?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Affirmative“.

Atque ita rescribendum rata et ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 3 die 23. Sept. 1848.

4) Episcopi exteri.

Non licet Episcopo Ordinario loci extra Cathedralem Episcopo extero,

cui Pontificalia demandet, cathedram sub baldachino indulgere sed Episcopum exterum juxta Caeremon. faldistorio uti debere. n. 1776 die 29. Jan. 1656.

Cf.: *Thronum Episcopi; Sedes Episcopi; Baldachinum Episcopi Administrat.*

FAMILIARES EPISCOPI.

1) Praecedentia.

Cum Nomine Nobilitatis Aesinae expositum fuerit, nonnullas ortas fuisse contentiones inter famulos Episcopi aliosque famulos Nobilitatis in associatione SSmi. infirmis et in aliis processionibus, praetendentibus illis quandoque praecedere etiam Confraternitates et Religiones, S. C. resp.: Competere famulis Episcopi primum locum inter alios famulos. n. 4060 die 3. Aug. 1737.

De praecedentia famil. Ep. in ejus accessu ad Ecclesiam, vd.: *Episcopus* (accessus; *ordo incedendi*, decr. n. 4062; 4597 *nota.*)

2) In Presbyterio.

Posse admitti familiares Episcopi intra Presbyterium, in loco tamen, ubi collocatur Credentia, sed nullo modo in sedibus Beneficiatorum. n. 923 ad 8 die 5. Julii 1631.

Cf.: *Presbyterium.*

FEBRUARIUS.

a) Dies tertius.

Ad dubium: An possit assignari dies 3. Febr. alicui Sancto dupl. vel semid. semper translato pro ejus certa et perpetua sede, cum Alex. VII. decreverit diem quartam Febr. s. Andreae Cors. e. semid., qui occurrit die 6. Januarii, fortasse ad hoc, ne impediretur dies 3. Febr. sacrata s. Blasio simpl. pro festo Purificat., quando in Dominicis privilegiatis occurrit, eo quod Clem. VI. statuerit diem 3. Febr. festo Purificationis. Item Caerem. Papae nec non et Missale rom. ait: Missa vero festi transfertur in sequentem diem. Item Ordo rom. ponens ejus festum die 3. celebrandum? S. C. resp.: *Negative.* n. 2961 ad 2 die 9. Aug. 1681.

Ad dubium: An est authenticum Decretum sequens: „Dies tertia Februarii non potest assignari alicui Sancto duplici vel semiduplici semper translato pro ejus certa et perpetua sede". die 9. Augusti 1681?

Et quatenus affirmative, an transferendum in aliam diem Festum Sancti Raymundi de Pennafort, quod ratione Desponsationis Beatae Mariae Virginis in Dioecese Namuric. fuit sive bene sive male fixum in die tertia Februarii?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunati, percepta relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt: „Affirmative in omnibus".

Atque ita rescripserunt ac sarvari mandarunt die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 15.

b) Dies 24. vel 25.

Vd.: *S. Matthias ap.* (transl. in anno bissext. decr. n. 2943).

S. FELIX DE VALOIS.

Officium s. Felicis de Valois esse ad libitum. n. 3005 ad 2 die 28. Decb. 1682.

Cum dies propria S. Joannis a Cruce sit assignata s. Felici de Valois sub ritu dupl., an istud festum debeat transferri in aliam diem an non? S. C. resp.: Transferendum esse officium

s. Joann. a Cruce et recitandum s. Felicis, cum hujusmodi festum s. Felicis non debeat considerari ut translatum sed immutatum in aliam diem similiter sibi propriam, perpetuo a S. R. C. assignatam, et sit ritus majoris s. Joannis a Cruce, cui vix evi rubricarum de occurrentia competit translatio. Die 11. Julii 1739 ad 2 *in Tropien.*

FENESTRA.

1) Pro aud. missa.

a) Episcopus.

Pro usu et persona Archiepiscopi tantum concedi posse, ut ipse sine consensu Capituli adaperiat fenestram, quae ex aedibus suis in Ecclesiam respicit, ut inde non visus ab aliis divina Officia quandoque audire possit et per eam aspicere, an Canonici et Presbyteri recte et decenter munia ecclesiastica exerceant. n. 244 die 19. Junii 1604.

Fenestrae prohibentur in Ecclesia, per quas in eam prospectus haberi possit; solus Episcopus potest eas habere. S. R. C. 19. Jan. 1614; S. C. Ep. 5. Maji 1619.

b) Laici.

Remissa a SSmo. D. Nostro Innocentio P. XII. ad S. R. C. supplici Instantia Julii Mariae della Leonessa Principis Sepini Bojanen. Dioecesis, supplicantis sibi benigne impertiri facultatem construendi et aperiendi in proprio Palatio fenestram, seu, ut vulgo dicitur, Coretto a latere Capellae ab ipso in Ecclesia Archipresbyterali loci praedicti similiter propriis sumptibus constructae, pro consequenda audiendi inibi sacrum exoptata commoditate.

S. eadem R. C. ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Imperialis, censuit „Negative" respondendum. n. 3482 die 2. Augusti 1698.

2) Velatio in expos. SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. VI. n. 16.

S. FERDINANDUS REX.

Urbis

Et Status Ecclesiastici.

Cum nuper SSmus. D. N. Pius VII. P. M. Capitulo et Clero Patriarchalis Basilicae Liberianae Urbis Officium S. Ferdinandi Castellae Regis recitandum concesserit; quod pridem in Hispaniarum et Neapolis Regnis tantum obtinuerat: Parochorum Urbis Collegium eidem SSmo. D. N. supplicavit, ut hujusmodi privilegium ad universum Urbis et Status Ecclesiastici Clerum extendere dignaretur, ea potissimum de causa, quod cum fiant Officia de SS. Canuto, Hermenegildo, Henrico Imperatore, Ludovico Galliarum et Stephano Hungariae Regibus, consonum videatur S. quoque Ferdinandum hujusmodi honore decorare. Et Sanctitas Sua ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Julii M. de Somali, Episcopi Tusculani, S. R. C. Praefecti antedictam extensionem Officii S. Ferdinandi Castellae Regis Clero Urbis et Status Ecclesiastici clementer indulsit, ritu tamen semidupl. n. 4522 die 19. Sept. 1816.

FERETRUM.

Vd.: *Tumulus.*

FERIA.

1) (IV.) Cinerum.

Vd.: *Cineres*; *Dies cinerum.*

2) (VI.) Post Octav. Ascensionis.

Ad dubium: An si fer. VI. p. Octavam Ascensionis occurrat festum 9 II.. facienda sit in missa commemoratio illius diei? S. C. resp.: Faciendam commem. feriae 6., nisi festum

fuerit ex solemnioribus, juxta rubricas. n. 3718 ad 6 die 4. Apr. 1705.

Vd.: *Translatio festi in fer. VI. p. Oct. Ascens..*

3) Officium.

Vd.: *Officium feriale.* (estne evitandum?)

FERIAE.

1) Canonicorum.

Vd.: *Canonici* (feriae).

2) Majores.

(Commemoratio.)

Temporibus Adventus, Quadrag., Quatuor temporum et feriae 2. Rogationum de iis Feriis semper fieri debet commemoratio etiam occurrente festo dupl. 1. cl. De fer. III. et IV. Rogationum servetur rubrica particularis in missa. n. 4175 ad 6 die 4. Sept. 1745.

Vd.: *Missa vot. priv.* (Commem.); *Immac. Conc. B. V. M.* (Dies etc. decr. Urbani VIII.)

FERULA CAEREMONIARII.

Vd.: *Caeremoniar.* (vestis; decr. n. 4153.)

EFSTIVITATES.

1) In quibus non debet celebrari in Oratoriis privatis.

Vd.: *Orator. privat.* (Missa et alia etc.; decr. de die 17. Novb. 1607.)

2) Solemnes.

Vd.: *Festum solemne.*

FESTUM.

1) Abrogatio.

Vd.: *Reductio festorum.*

Ad dubium: Duo sunt Indulta sa. me. Pii Papae VI. quoad Festa de praecepto contrahenda in Hibernia, alterum nimirum diei 29. Martii 1778 et alterum die 23. Martii 1779 queis onus adimitur adstandi Sacro et abstinendi ab operibus servilibus in viginti duo diebus, quae antea de praecepto servabantur. En indulti verba: Pius VI . . . in Festis sequentibus dispensavit circa praeceptum audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus . . . circa Functiones vero Ecclesiasticas nihil innovetur: ,,Quaeritur: utrum haec ultima verba in supradictis abrogatis Festis obligent, sicut prius, Sacerdotes; vel utrum Sacerdotes teneantur vel celebrare vel Sacro adstare necne, licet prima Indulti pars ab hoc onere Laicos dispenset? Locus dubitandi factus est ex eo, quoniam nonnulli Episcopi affirmativam tueantur sententiam, nonnulli negativam.“ S. C. resp.: *Non teneri*:

Atque ita censuit die 7. Aprilis 1832. n. 4689 ad 3.

2) Annuntiatio in Martyrologio.

Vd.: *Martyrologium* (Annunt. festor.)

3) SS. Apostolorum.

Cadente festo Dedicationis in festo s. Apostoli, vd.: *Dedicatio* (Transl. decr. n. 3873 et 4526.)

De vigiliis jejunandis ss. ap., vd.: *Vigiliae ss. Apost.*

De festo ss. ap. Petri et Pauli, vd.: *SS. Petrus et Paulus.*

De translat. festor. ss. Apost. et Evang. vd.: *Transl. festor. ss. Apost.*

4) Cathedralis.

Cf.: *Patronus Cathedr.*

Ecclesiae non debent se conformare cum Cathedrali in festis SS. et Reliquiarum *Cathedralis* in Officio et Missa. n. 772 ad 7 die 28. Octob. 1628.

Festum Ecclesiae Cathedr. tantum celebrandum per totam Dioecesim ordinare (sine consensu Sedis apostolicae) Episcopo non licet. n. 338 die 16. Jan. 1607.

5) SS. Cord. Jesu.

a) Color.

In missa Cordis Jesu color albus est adhibendus. n. 4356 ad 3 die 17. Aug. 1771.

b) Commem. in hoc festo.

Ad dubium: In Regno Portug. celebratur festum ss. Cordis Jesu cum ritu dupl. 1. class; quaeritur: utrum in 1. vesp. ss. Cordis Jesu fieri debeat, an potius ommitti commemor. Octavae SS. Corp. Chr.? S. C. resp.: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. n. 4487 ad 3 die 14. Maji 1803; n. 5223 ad III. 5 die 16. Febr. 1856.

Ad dubium: In locis, ubi Festum Sacratissimi Cordis Jesu celebratur Fer. VI. post Oct. Corp. Christi, Vesperae sunt de Oct. Corp. Chr. sine commem. sequentis ex Rescripto S. R. C. 17. Aug. 1771. Quaeritur: an inde sequatur omittendam esse commem. de Venerabili, quando Missa propria Sacratissimi Cordis Jesu dicitur ad Altare, in quo SSmum. Sacramentum patenter est expositum, si alioquin praedicta commem. esset facienda?

Et Emus ac Rmus. D. Card Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen . . . rescribi mandavit:

„Ad modum Collectae permitti potest."

Atque ita rescribi ac servari mandavit. n. 4921 ad 2 die 22. Maji 1841.

Ostunen.

In Cathedrali non minus quam in nonnullis aliis Ecclesiis Dioecesis Ostunen. in Festo Sacratissimi Cordis Jesu assolet Missa solemnis celebrari cum cantu ante Sanctissimum Sacramentum solemniter expositum. Hodiernus itaque Cathedralis ipsius Archipresbyter Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit humillime, ut declarare dignaretur: an in memorata Missa solemni de Sacratissimo Corde Jesu apponi debeat commemoratio Sanctissimi Sacramenti? et quatenus affirmative: an locum habeat sub unica conclusione?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata omnibus mature perpensis infrascripto Secretario referente, rescribendum censuit: „Commemorationem in casu esse omittendam". Die 6. Septembris. 1834. n. 4731.

c) Commem. hujus festi.

Vd.: *Octava* (dies oct.); *Corp. Chr.*

Ad dubium: An occurrente in Octava SSmi. Corporis Chr. festo Nativ. s. J. Bapt., ss. ap. Petri et Pauli, Dedicationis aut Tituli Ecclesiae, Patroni principalis aut alterius cujuscunque festi dupl. 1. cl. fieri debeat in 2. vesp. Commemoratio de eadem octava, an potius sequentis festi s. Cordis Jesu? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4604 ad 2 die 27. Mart. 1824.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Casus est novus; et primum accidit (saltem Romae) hoc anno 1824, cum recens sit institutio Festi *Sacri Cordis Jesu*, cui celebrando assignata est *Feria VI. post Octavam SSmi. Corporis Christi*; unde oritur apud nonnullos quaestio: an et cui commemo-

ratio in secundis Vesperis tribuenda sit? De utroque non licet, cum duplex commemoratio vel Officium simul et commemoratio de eodem subjecto ex Rubricarum praescripto fieri nequeant. Omnis controversia cessaret, si obtinuisset illorum opinio, qui censebant nihil obstare, quominus in secundis Vesperis *Octavae SSmi. Corporis Christi* de uno fieri posset Officium, de altero simplex commemoratio (vide Tetamum *Diar. Ecclesiastic tract. 1. lib. 6. part. 2. cap. 2. art. 4. sect. 1.)* Sed quoniam praevalere debet contraria sententia, quae stricte adhaeret regulae generali jubenti, ne in eadem parte Officii simul de eodem Officium et commemoratio fiat, ac propterea in Romano Directorio, quod aliis certam dat normam amovetque arbitrium aliter statuendi, signatur: *Vesperae de eadem Octava sine ulla commemoratione*, ideo decidendi ratio a congruentia petenda est. Etenim ex una parte videtur, quod illud, de quo inchoandum in Vesperis Officium est, locum obtinere debeat prae altero, quod per accidens simplificatum fuit: contra vero, si Octava ob occursum Festi solemnioris ritus huic cedit, et licet duplex sit, gaudeatque privilegio exclusivo cujuscumque Festi, quod dup. primae classis non sit, in hujus duplicis concursu simplicem habet commemorationem, non ideo tamen ea praerogativa privatur, quae compatibilis est cum qualitate simplicis per accidens. Haec autem ratio tanti est, quae unica valet, ut praelatio concedatur commemorationi Octavae, nullatenus vero concurrenti Festo, quod nec habere potuisset commemorationem, si de eadem Octava Vesperae persolvi debuissent.

Quin prosint exempla, quae in contrarium afferuntur ab illis, qui commemorationem Sacri Cordis Jesu fieri debere arbitrantur, altera omissa de die octava. Non illud *Festi Patrocinii B. V. M.* concurrentis (dum transferri contingit *in diem 17. vel 19. Decembris*) cum altero *Expectationis partus,* quippe ad quaesitum: *Quomodo in iis casibus disponendae sunt Vesperae?* Sac. Congreg. sub die 27. Martii 1779 respondit: *totum de praecedenti in utroque casu, nihil de sequenti,* videlicet de *Patrocinio translato in die 17., de Expectatione partus,* si illud *in die 19.* reponendum sit. Utrumque ejusdem est ritus et dignitatis; neutrum ullo peculiari privilegio donatur. Bene igitur stat, ut de illo Vesperae persolvantur, de quo factum est Officium et nihil de sequenti. Imo retorqueri posset argumentum, si in concursu duorum Festorum B. M. V. aequalis ritus Vesperae fiunt, de quo Officium factum est, ita etiam de Octava *SSmi. Corporis Christi* simplificata fieri debet in secundis Vesperis commemoratio, quae venit loco Officii, et nihil de *SSmo. Corde Jesu*, quod relate ad eas Vesperas nec jus habet ad Officium nec ad commemorationem.

Quod si *Dominica IV. Adventus incidat in diem 18. Decembris* assignata Officio *Expectationis partus,* cui reponendo non sit locus, *et ad diem 19. transferatur illud Patrocinii* necesse omnino est, ut de hoc Vesperae fiant, quia nequit habere secundas Vesperas Officium per accidens simplificatum: pari modo, quo in *Feria III. Quadragesimae* nequit habere primas Vesperas dies octava, quae incidit in *Feriam IV. Cinerum*, ut sancivit S. R. C. in una Hispaniarum die 17. Maji 1692, quia in hac Feria nec Officium nec commemoratio Octavae fieri potest. Ast ex hoc non valet illatio ad commemorationem, quam non perdit Officium per accidens simplificatum, praesertim in concursu cum altero Festo, quod, si non occurrisset

impedimentum, nec ad commemorationem jus habuisset.

Multo minus ad rem facit alter hypotheticus casus, quem sibi fingit contrariae opinionis assertor; occursus videlicet octavae *SSmi. Corporis Christi* cum *Dominica privilegiata*, sed ritus semidup. Si hujusmodi occursus dari posset, utique fieri deberent secundae Vesperae de sequenti duplici, non autem de Octava, quae non habuit Officium, sed quid ad nos? Hypotheticus casus nullam habet relationem ad speciem, in qua non de Vesperis quaestio est, sed de simplici commemoratione, ad quam jus habet Octava, cujus Vesperae, remoto impedimento, peragendae fuissent; nullatenus vero Festum subsequens, quod Vesperis caret, nec habet commemorationem. Verumtamen ultro progredior, et quoniam hypotheses placent, fingo casum, quod *Festum Sacri Cordis Jesu* concurrat in Vesperis cum *Dominica privilegiata et Octava SSmi. Corporis Christi*, libenterque concedam de *Sacro Corde Jesu* Vesperas fore celebrandas, sine commemoratione *Octavae*, ob allatam rationem, quod secundas Vesperas nequit habere Festum, de quo factum non fuit Officium: sed quid tum postea? Non inde infertur, quod fieri nequeat commemoratio, in casu a nostro omnino diverso, qui nihil obstat, ut fiat, quinimo fieri debet, quia *Octava* praestat Festum subsequens, quod, re integra, in iisdem Vesperis nec habet commemorationem.

Quin vero ad hos aliosque hypotheticos casus recurramus, obvius est ille de Dominica impedita a Festo duplici, si secundae Vesperae concurrant cum semiduplici; hujus commemoratio non obtinet primum locum, etiamsi in Feria II. integrum de eo Officium persolvendum sit; sed praevalet commemoratio Dominicae, de qua faciendum Officium fuisset, nisi occurrisset impedimentum ob Festum altioris ritus. At si ratio valeret, quod Festum habens integrum Officium in die sequenti, praevalere deberet Officio simplificato, de hoc primum in secundis Vesperis facienda esset commemoratio, deinde de Dominica.

Quid insuper? Nonne casum habemus, qui proprius ad nostrum accedit? Pone, quod in *Feria VI.* non illud *Sacri Cordis Jesu*, sed aliud duplex occurrat non e solemnioribus. De quonam primum facienda erit commemoratio? Nonne de Octava simplificata et secundo loco de occurrenti duplici? Ita *in 28. ex Tabulis perpetuis* a Merato ordinatis priusquam Festum *Sacri Cordis Jesu* Apostolicae Sedis judicio probaretur.

24. *Junii. Nativitas S. Joannis Baptistae. Dup. 1 cl. omn. prop. com. Oct. Corp. Christi . . . . in secundis Vesperis com. Oct. Corp. Christi et sequen.*

25. *Fer. 6. S. Joannis a S. Facundo Conf. dup.* (12. hujus.)

Quatenus vero obtineret contraria opinio, primus locus dandus esset commemorationi duplicis occurrentis, quia de eo die sequenti fit Officium, secundus Octavae simplificatae. Cur autem secus fit? Quia praevalere debet Octava, quae, procul ab occursu Festi primae classis, integras Vesperas habuisset. Plane igitur ex his consequitur, quod etiam in hypothesi commemorationis faciendae de *Sacro Corde Jesu*, ut vult *Tetamus loco supra cit.* huic dandus foret secundus locus, primus vero *Octavae*, de qua Vesperae fuissent peragendae. Sed quoniam *Tetami* opinio rejicienda est, et utraque commemoratio fieri nequit, illa duntaxat obtinebit, quae succedit loco Vesperarum.

Addam ulterius casum, quem sibi proponit Cavalerius *tom. 1 cap. 6*

Decret. 5 num. 34: de duobus aeque duplicibus Festis simul occurrentibus, et ab Officio superioris ritus impeditis, quin circa anni finem dies liberi supersint pro eorumdem repositione, et hanc dat solutionem: *In simultanea autem occurrentia duorum Festorum per accidens simplicium illud prius commemorationem sortietur, de quo Officium fieret, si ambo non impedirentur; et Festum illud, quod in tali occursu transferetur, secundo loco commemorationem habebit; quod enim alteri Festo in casu Officii locum cedit, utique et cedere debet in casu solius commemorationis.* Quod autem obtinet *in occurrentia*, cur non obtinebit *in concurrentia?* Nonne par est casus utriusque ratio? Neque dicas casum a casu differre, et unum inter et alterum interesse discrimen, quia, prout habetur in dubio, Octava per accidens simplificata non occurrit cum Festo pariter simplificato, sed cum illo, quod licet nequeat habere Vesperas, habet nihilominus in sequenti Feria VI. integrum Officium. Sit equidem casus diversus; magnam tamen unus ad alterum habet analogiam et quod discrimen ponit, tanti non est, ut aliam inducat decidendi rationem.

Etenim in aequalitate ritus et dignitatis Officium seu Festum primarium praeferri debere secundario certum est. Atque *Octava SSmi. Corporis Christi* dat complementum Festo primario amplissimis privilegiis decorato: contra vero secundariis adnumerandum est illud *Cordis Jesu*, quod relate ad primarium est quaedam veluti ejusdem appendix: et quamquam idem sit Festi utriusque objectum, illius tamen reale est, istius vero symbolicum, veluti in ejusdem Festi approtabione declaratum fuit, videlicet: *Non aliud agi, quam compleri cultum jam institutum et symbolice renovare memoriam illius Divini Amoris, quo Unigenitus Dei humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde*: Octavae igitur danda est praelatio; et quoniam, nisi occurrisset Festum duplex primae classis, integras habuisset Vesperas, ideo fraudari nequit commemoratione, ut locum cedat secundario, quod, in casu, dum de Octava Vesperae fiunt, commemorationem non habet.

Addam insuper: si contrariae sententiae adhaerere quis vellet, admittere cogeretur absurdum; nam Octava, de qua Vesperae integrae essent recitandae, perderet etiam commemorationem et hanc obtineret Festum, cujus in concursu nulla mentio fieri debet; quia, ut vidimus, et rubrica disponit, de uno eodemque subjecto simul fieri nequit Officium et commemoratio. Atqui juxta *Cavalerii* doctrinam, in aequalitate tam ritus quam simultanei impedimenti, in occursu facienda primum est commemoratio illius, de quo faciendum Officium esset, nisi occurrisset Festum altioris ritus; concludendum videtur, etiam in concursu commemorationem deberi Octavae SSmi. Corporis Christi; quae procul ab impedimento integras habuisset Vesperas sine commemoratione de sequenti. Sed modo composita res est, et omnis cessat dubitandi ratio, postquam S. R. C. proposito dubio respondit: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

d) Decretum propagationis.

Nota Gardell. ad Decretum n. 4579 die 3. April. 1821.

Postquam, maturo praemisso examine, S. R. C. probe noscens: *Cultum Cordis Jesu per omnes fere Catholici Orbis partes propagatum*, si-

mulque intelligens *Officii et Missae celebratione non aliud agi, quam compleri cultum jam institutum et symbolice renovari memoriam illius Divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde . . . annuendum precibus censuit Episcoporum Regni Poloniae et Archiconfraternitatis Urbis titulo Cordis Jesu institutae,* qui supplicaverant pro specialis hujus Festi adprobatione postquam S. M. Clementis XIII. sub die 6. Febr. 1765. S. R. C. Decretum Apostolica sua auctoritate confirmavit probatumque Festum auxit Officio et Missa prop.; cultus ejusdem mirum in modum per omnes Catholici Orbis partes diffusus, majus habuit incrementum. Quamobrem frequentes fuerunt preces S. R. C. porrectae pro extensione Officii et Missae ad plures Dioeceses, Civitates, Regularium Ordines et innumeras fere Sodalitates, quae SSmi. Cordis Jesu titulo et distinguebantur et gloriabantur. Quoniam vero Officium, quod indultum primum fuit sub ritu dupl. maj., temporis successu et petentium supplicationibus, et devotioni, specialibus attentis circumstantiis, satisfieret, ad altiorem ritum, vel 2. vel etiam 1. cl. quoad aliquas Ecclesias, Regiones, Ordines, Sodalitates fuit elevatum: plura exorta sunt dubia, quibus enodandis et declarandis eadem S. R. C. ex officio incubuit.

Nulla equidem quaestio moveri potest quoad Ecclesias, Regiones, Ordines et Sodalitates, quarum favore Festum hoc gaudet ritu dupl. maj. aut etiam 2. cl.; nam si occurrat cum Festo solemnioris ritus (velut hoc anno accidit, cum incidat in diem 29. Jun. Principum Apostolorum Petri et Pauli memoriae sacram) vel omittendum, si indultum fit facultativum, vel transferendum juxta Rubricas, ubi in praecepto est. Quod autem in Dioecesibus, Regionibus, Ordinibus, Sodalitatibus, in quibus tale Festum ritum obtinet 1. cl.? Eritne attendenda major dignitas, ita ut aliis omnibus aequalis ritus forte occurrentibus sit praeferendum? Distinctione erat opus, et decidendi ratio petenda a qualitate Festi, a terminis concessionis, a clausulis appositisque conditionibus, et a diversitate titulorum, propter quos pleraque Festa gaudent ritu 1. cl. Ideo, pro casuum diversitate, scite quinque dubia fuerunt proposita.

S. eadem C., priusquam de singulis sententiam diceret, plura sedulo consideravit, videlicet:

1. Quod S. Cordis Jesu Festum noviter institutum auctumque Apostolica auctoritate Officio et Missa, licet dignissimum prae aliis objectum habeat; tamen primariis non adnumeratur, sed secundarium est et accessorium, ac veluti quaedam appendix ad Festum Corporis Christi.

2. Non versatur circa peculiare Mysterium, cujus specialis solemnis commemoratio facta non fuerit in statutis ab Ecclesia diebus; sed est veluti compendium aliarum Festivitatum, in quibus diversa celebrantur Mysteria, et memoria recolitur immensae illius charitatis, qua Verbum caro factum est pro nostra redemptione et salute, Sacramentum Altaris instituit, peccata nostra portavit seseque Divino Patri in cruce moriens obtulit hostiam et sacrificium.

3. Licet ubique vigeat cultus s. Cordi Jesu debitus, ejus tamen Festum cum Officio et Missa non ad totum Catholicum Orbem extenditur, sed peculiare est pro Ecclesiis, Dioecesibus, Ordinibus, Sodalitatibus, quibus petentibus indultum fuit.

4. Concessio celebrandi idem Festum cum Officio et Missa, ut plurimum,

est permissiva et facultativa, non autem praeceptiva. Quod si praeceptiva, praeceptum tamen coarctatur ad aliquod Regnum, aut ad aliquam Dioecesim, Civitatem, Ecclesiam.

5. Idem praeterea Festum, ubi celebratur, specialem titulum non habet localis relationis, bene vero voluntarium pietatis et devotionis: idcirco in decernenda praelatione, dum eadem die occurrunt alia Festa aequalis ritus, non est necessario tenendus ordo, ut primum illud obtineat Ecclesiae particularis, 2. Congregationis, vel Ordinis. 3. Dioecesis, 4. Nationis, 5. Ecclesiae Universalis.

6. Quamquam pro aliquibus locis elevatus sit hujus ritus ad dupl. 1. cl., tamen non obtinet Octavam; quod tam verum est, ut in universo Lusitaniae Regno gaudet utique, ex speciali gratia, nedum ritu 1. cl., verum etiam privilegio exclusivo, quoad alia omnia Festa aequalis ritus, etsi in universa Ecclesia solemnissima, nihilominus caret. Octava, ut ex Decreto pro universo Lusitaniae Regno *5. Aug. 1778* ubi legitur: *celebretur in posterum sub ritu dupl. 1. cl. sine Octava.*

Vd.: *decr. n. 4324 die 6. Febr. 1765.*

e) Festum privilegiatum.

Ad dubium: Quae regula servanda sit, ubi Festum *SSmi. Cordis Jesu* gaudet privilegio exclusivo quoad alia omnia Festa solemniora aequalis ritus sine ulla expressa limitatione?

Et S. eadem R. C. . . . censuit respondendum:

Festa quaecumque solemniora, quae occurrant cum Festo *Sacri Cordis Jesu*, transferenda esse in Locis, in quibus Officium *Sacri Cordis Jesu* singularissimo privilegio gaudet exclusivo, quoad alia omnia Festa solemniora aequalis ritus, sine ulla expressa limitatione.

Facta autem de praemissis omnibus per infrascriptum Secretarium SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione, S. S. C. responsa adprobavit et confirmavit et Decretum in Actis ejusdem C. referri mandavit. n. 4579 ad 4 die 3. Apr. 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Singulare hujusmodi privilegium S. M. Pontifex Pius VI. precibus Fidelissimae Reginae Lusitaniae et Algarbiorum exoratus benigne indulsit, ut ex Decreto 5. Aug. 1778, quod hic referre juvat: *SSmus. D. N. Pius Papa VI. benigne annuens enixis Serenissimae et Fidelissimae Portugalliae et Argarbiorum Reginae precibus, sub die 31. Maji proxime elapsi indulsit, ut Festum SSmi. Cordis Jesu celebraretur sub ritu dupl. 1. cl. sine Octava, quotiescumque tamen concurreret cum Festo S. Antonii Lusitani Conf. Patroni Principalis praedictorum Regnorum, et non alias. Nunc vero iteratis ab eadem Serenissima Portugalliae et Algarbiorum Regina enixioribus precibus, ut idem Festum sub eodem ritu* indistincte celebraretur, etsiamsi alia solemniora Festa concurrerent, ne illud juxta generales Rubricas transferri umquam contingat: *eadem S. S., ex speciali gratia, concessit, ut praedictum Festum SSmi. Cordis Jesu in omnibus Regnis, Civitatibus et locis ei subjectis celebretur in posterum sub ritu dupl. 1. cl. sine Octava, proindeque non omittatur, etiamsi eadem die aliud ex solemnioribus Festis occurrat.* Cum autem de privilegio, quod nullam ponit limitationem, non sit dubitandum, aeque certum fit, a Festo *SSmi. Cordis Jesu* occurrente iis in Regnis, e propria sede deturbari solemnissima illa *S. Joannis Baptistae et SS. Principum Apostolorum Petri et Pauli.* Dictis enim illa: *ne illud juxta generales*

Rubricas transferri umquam contingat, et altera: *proindeque non omittatur, etiamsi eadem die aliud ex solemnioribus Festis occurrat,* quae concedentis fuerit determinata voluntas, plane demonstrant. Ideo ex hoc speciali casu non infirmantur, quae supra dicta sunt quoad alia dubia. Imo eo magis confirmantur, quia in eodem Decreto, non *a majori Festi dignitate* decidendi ratio petenda est, verum *a privilegio,* quod, etsi abstrahat casum a regula, hanc tamen intactam relinquit.

Ad dubium: Et quatenus declaretur hoc in casu praecedentiam dandam esse Officio *SSmi. Cordis Jesu*; quaeritur: in quam diem reponendum sit Festum Nativitatis S. Joannis Baptistae, vel SS. Apostolorum Petri et Pauli?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum:

In casu, de quo agitur in praecedenti, Festa Nativ. s. Joan. B. vel ss. ap. Petri et Pauli esse celebranda die immediate sequenti, translata Commemoratione s. Pauli in primam diem infra octavam, dominica vel festo non impeditam.

Facta autem de praemissis omnibus per infrascriptum Secretarium SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione, S. S. S. C. Responsa in omnibus adprobavit et confirmavit et Decretum in Actis ejusdem Congregationis referri mandavit. n. 4579 ad 5 die 3. Apr. 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

A praecedenti Dubio oritur praesens. Nam si ex speciali privilegio *Sacri Cordis Jesu* Festivitas in Lusitaniae, Brasiliae, Algarbiorum Regnis, numquam transferri debet, etiam in occursu solemniorum *S. Joannis Bapt. et S. Apostolorum Petri et Pauli,* haec necessario transferenda erunt. Quomodo tamen, et in quem diem? Si sequenda esset generalis regula per Rubricam tradita, dicendum etiam foret, utrumque reponendum esse juxta ordinem translationis in die prima non impedita, quia Rubrica nullam videtur ponere exceptionem. Verum longe aliter putandum, nec Rubrica literaliter et materialiter accipienda est; imo potius in hoc singulari casu juxta spiritum et mentem auctoris. Duo praefata Festa cedant solummodo festivitati *SSmi. Corporis Christi*, utpote magis dignae, solemnissimae in toto Orbe terrarum et pluribus decoratae privilegiis, quibus ab aliis distinguitur. Sed non eadem ratio est in occurrentia cum aliis Festis particularium locorum; siquidem, quaecumque sit solemnitas, in qua peraguntur, haec tamen illis, non illa his cedere debent. Quod si, ut in casu praesenti accidit, eadem duo solemniora Festa transferenda sint, aliquo tamen privilegio donanda sunt, prout in similibus a S. R. C. Rubricarum interprete factum est. Ideo, ut notavimus, occurrente Festo *S. Joannis Bapt.* cum solemnissimo altero *SSmi. Corporis Christi* singulari privilegio indulta fuit translatio in sequentem diem, a quocumque alio Festo impeditam, licet alia Festa aeque solemniora ad Rubricarum formam in primam diem non impeditam transferenda esse S. C. edixerit in *Einsidlen supra relata.* Rursus praecipit Rubrica, ut occurrentia Festa in Dominicis Adventus, Quadragesimae etc. transferantur in primam diem Festo dupl. vel semidupl. non impeditam, ne Sancti etc. propria sede ob translatam aliorum celebrationem depellantur. Sed Rubrica nequibat praevidere, ob auctum postea in aliquibus Calendariis Officiorum dupl. ac semidupl. numerum, toto anni decursu dies deficere pro eorum repositione: Et S. R. C., quod Rubrica non expresserat, declaravit, decernendo, quod Sancti,

qui in fine anni supersunt, non sunt transferendi ad annum sequentem; sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno considerandi sunt tamquam simplices. Ita *die 26. Novb. 1735 in Hispalen.* Sed quoniam minime congruere videbatur, quod Festa *SS. Apostolorum*, quibus reponendis dies deerant, ad ritum simplicem redigerentur, huic incommodo consulere volens, generali Decreto sub *die 13. Martii 1804* sancivit, eadem Festa Apostolorum II. cl. transferenda esse in proximiorem diem etiam impeditam Festo semidupl. aut dupl., quod in illo anno redigatur ad ritum simplicem.

Sed et alia occurrunt exempla, ex quibus palam fit, S. C. peculiaribus intercedentibus circumstantiis, a generalibus Rubricarum legibus, eas interpretando, declinasse. Talia sunt illa Festorum *Purificationis et Annunciationis B. M. V.* quae in diem sequentem reponuntur, si incidant in Dominica privilegiata; ac illud praesertim *Annunciationis*, quod certam obtinet sedem in fer. II. post Dominicam in Albis, dum occurrit in aliqua ex feriis majoris Hebdomadae. Tale est indultum, quo gaudet Festum *SSmi. Nominis Jesu*, quod, dum occurrit in Dominica Septuagesimae, transfertur in diem 28. Jan.; et alterum quo gaudet Festum Dolorum B. M. V. transferendum in proximum Sabbatum Passionis, dum feriam VI. assignatam invenit impeditam ob *occursum Festi Annunciationis ejusdem B. M. V.* Quid tamen juvat in his immorari, dum quaestionem omnem dirimit Decretum supra relatum de translatione Festi S. Joannis Bapt. occurrentis cum Festo *SSmi. Corporis Christi?* Si, adveniente casu, de eo fieri debere in feria VI. immediate sequenti statutum est; cur non eodem privilegio donandum erit in occursu cum *Festo secundario Sacri cordis Jesu?* cur non idem declarandum de *Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli*, ad quod privilegium illud non fuit expressis verbis extensum, quia dari nequibat casus, quod occurrere posset cum *Solemnitate SSmi. Corporis Christi?* Sed quoniam par est utriusque ratio, congruit, ut idem sit de utroque judicium. Quod si possibilis foret casus incidentiae Festi *SS. Apostolorum* cum praefata *Solemnitate SSmi. Corporis Christi*, ex congruentia S. C. ei concessisset translationem exclusivam in diem immediate sequentem, prout indulsit *Festo S. Joannis. Bapt.:* multo magis id convenire putandum est in concursu cum Festo *Sacri Cordis Jesu*, quod nonnisi ex singulari privilegio gaudet ritu I. cl., et iis in Regnis praevalet solemnioribus Festivitatibus. His accedit, quod si Festum SS. Apostolorum transferendum esset juxta Rubricas, debitus etiam ordo necessario foret invertendus; nam prius fieri deberet *Commemoratio S. Pauli*, quae est quid accessorium, quam Festum principale, imo quandoque unum ab altero longo intervallo disjungeretur, licet tanta sit unius ad alterum relatio, ut in unius ejusdemque Festi ratione ambo haberi jure possint. Etenim id antiquitus erat in more positum, ut Romani Pontifices, ea recurrente Solemnitate duas Missas celebrarent, unam in Vaticana Basilica, alteram ad *Pauli* via Hostiensi, de quo more eleganter cecinit *Prudentius in Peristeph. hymn. 12 vers. 57 etc.* Sed quoniam grave nimis erat Pontifici ob locorum distantiam in utroque Basilica eadem die Sacra Solemnia peragere *Magnus Gregorius*, ut opinatur *Micrologus* cap. 62., commemorationem *S. Pauli* postridie, videlicet 30. Jun. celebrandam constituit, ut notat *Baronius in Martyrologio* ad hanc diem. Ne igitur haec fieret ordinis inversio, et ne di-

minuerentur, et forte etiam, ne omnino perirent Octavae, si facienda esset translatio, servata generali Rubricarum regula, habita etiam ratione celebritatis, qua in universo Orbe Catholico haec duo Festa peraguntur, inhaerendo Decreto *23. Junii 1736* S. C. sancivit et declaravit. *In casu etc. Festa Nativitatis S. Joannis Bapt., vel SS. Apostolorum Petri et Pauli esse celebranda die immediate sequenti.*

f) Hymnus.

Ad dubium: Quommodo terminentur hymni in festo SS. Cordis Jesu, quum in missa *Egredimini* dicenda sit praefatio de Nativitate? S. C. resp.: Ut in festis B. M. V. n. 4842 ad 8 die 1. Sept. 1838.

Ordo divini Officii pro Clero Rom. typis R. C. A. editus Anno 1847 pridie Festi SSmi. Cord. Jesu tunc translati in diem 16. Jun. propter occurrentiam Festi S. Barnabae Ap., habet hanc Rubricam: ad Completorium et per totam sequentem diem Hymni concluduntur cum versiculo: *Jesu tibi sit gloria, qui natus es etc.* Quum autem in Officio proprio SSmi. Cordis Jesu, cujus Invitatorium *Christum pro nobis passum* etc., non fiat mentio de illa Rubrica; quaeritur: quomodo in dicto Festo Hymni sint concludendi?

S. vero C. . . . rescribendum censuit:

„Mendum irrepsise et conclusiones Hymnorum non esse in casu variandas."

Atque ita rescripsit et servari mandavit. n. 5151 ad 3 die 7. Septemb. 1850.

g) Missa.

Per Decretum datum pro Dioecesi Mechliniensi die 23. Aug. 1809 concessa est facultas celebrandi Festum Sacratissimi Cordis Jesu Dominica immediate sequenti Octavam Solemnitatis SSmi. Corporis Christi cum Officio proprio ac Missa die 11. Maji 1765 pro Regno Poloniae et pro Archiconfraternitate in Urbe erecta adprobatis. Quum autem in illa Missa, cujus Introitus est: *Miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum, Thren. 3* non assignetur Tractus pro Missis votivis post Septuagesimam, nec *Alleluja* cum V. pro tempore Paschali; hinc dubitatum est: quid in casu occurrente sit faciendum, quum alii ad Missam votivam de SSmo. Sacramento alii ad votivam de Passione Domini recurrant?

S. autem R. C. ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata Ordinariis in Comitiis, audita relatione per infrascriptum Secretarium facta, omnibus mature perpensis riteque libratis, rescribendum censuit:

„Praxim: Tractum et Graduale post Septuagesimam et *Alleluja* cum V. tempore Paschali desumi posse ex altera Missa jam adprobata".

Atque ita rescripsit ac servari mandavit a Clero Archidioecesis Mechliniensis. n. 4839 ad III. die 1. Septemb. 1838.

h) Translatio.

Occurrente Festo Sacratissimi Cordis Jesu, ubi gaudet ritu 1. cl. et Octava, cum Festo Nat. S. Joannis Baptistae aut SS. Apostolorum Petri et Pauli, quaeritur: de quo sit faciendum et quod transferendum?

Et S. eadem R. C. . . . censuit respondendum:

„Primaria Festa Nat. S. Joannis Bapt. et SS. Apostolorum Petri et Pauli in casu esse facienda; et Officium SSmi. Cordis Jesu, utpote de Festo Domini secundario esse transferendum".

Facta autem de praemissis omnibus

per infrascriptum Secretarium SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione, S. S. S. C. Responsa in omnibus adprobavit et confirmavit et Decretum in Actis ejusdem Congregationis referri mandavit. n. 4579 ad 1 die 3. April. 1821.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Festa Nat. *S. Joan. Bapt. et SS. Apostolorum Petri et Pauli* solemnioribus adnumerantur, quae tali tantaque religione et solemnitate, ex Ecclesiae instituto, celebrari ubique debent, ut alia quaecumque eadem die occurrentia, etiam 1. cl. excludant, qualia sunt *Patroni principalis loci seu Ordinis, nec non Titularis Ecclesiae ac ejus Dedicatio, ita ut nequeat fieri Officium de dicto Festo, sed transferri, seu respective mutari debeat in diem proximam non impeditam.* Ita Meratus ad Gavantum *Rubr. Breviar. sect. 3. cap. 10 num.* 2. Quod declaratum fuit a S. R. C. praesertim in *Senen. 11. Maji 1743 dub. 5* hisce verbis: *Primaria Festa S. Joannis Bapt. et SS. Apostolorum Petri et Pauli . . . excludunt omnia alia Festa in ipsis occurrentia, excepta Solemnitate Corporis Christi.* Una igitur est Solemnitas Corporis Christi, quae praestat, et cui ambo illa cedere locum debeant: Quis tamen forte erit, qui hujusmodi innixus Decreto putet Festum quoque *Cordis Jesu* (ubi ritum obtinet 1 cl.) eodem privilegio donandum, cum ejusdem sit identificae dignitatis, et aeque ac illud ad Dei Filium hominem factum pertineat. Non abnuerem, si, ut objectum et ritus, partes essent etiam Festi ratio et qualitas. Verum discrimine est opus. Utique utriusque Festi unum est dignissimum objectum, cui nullo pacto comparari possunt Praecursor et Apostolorum Principes: attamen hoc in casu Festa in eorumdem honorem a primis ferme Ecclesiae saeculis instuta in occursu cum altero *Cordis Jesu*, hujus majori dignitate minime attenta, pluribus de causis praevalere debent, veluti clare patet, dummodo recolere non pigeat, quae in antecessum notata sunt et dant decidendi regulam.

Ideo in occursu praestare debet *Festum Corporis Christi*, quia simul concurrunt major dignitas, solemnitas ritus, praeceptum illud servandi in univero Orbe Catholico. Sed par non est ratio quoad recens probatum *Festum SS. Cordis Jesu*, quod licet, si princeps objectum spectetur, aeque dignum sit, ac alterum *SSmi. Corporis Christi*, primarium tamen non est, non universale, sed petentibus peculiariter concessum, neque apud omnes, quibus indultum est, in praecepto habetur, imo ut plurimum in simplici facultate: et licet pro aliquibus locis, ex speciali gratia, ad ritum 1. cl. elevatum fuerit, non ideo tamen desiit esse secundarium. Quamobrem in occurrentia attendenda non est major dignitas, neque locum habet Rubrica, quae inter Festa aequalis ritus illa Domini aliis omnibus praeferenda esse jubet: nam eadem intelligenda est, caeteris paribus, de Festis aeque primariis, non autem de occursu Festi secundarii majoris dignitatis cum primario minoris, sed aequalis quoad ritus solemnitatem. Neque repugnat eadem Rubrica, neque obstant S. R. C. Decreta, imo favent. Exempla habemus in occurrentia Festi *Dedicationis Ecclesiae* cum aliis Festis aequalis ritus, sed minoris dignitatis; et Patrocinii S. Joseph, ubi ritu gaudet II. cl., cum Festis *S. Marci Ev. et SS. Apostolorum Philippi et Jacobi.*

Etenim invaluerat opinio, quod Anniversarium Dedicationis Ecclesiae, utpote *Festum Domini,* alia omnia prae-

staret, tam in occurrentia, quam in concurrentia, sed quoniam Rubrica nihil decernit, imo in tabella concurrentiae vix illud ponit solummodo ante Patronum loci, vel Titulum Ecclesiae; quoniam insuper ex ea opinione plura oriebantur dubia: re maturius discussa S. R. C. satius duxit, se conformare cum praefatae tabellae dispositioni, tum Decretis antiquis, quae praelationem dant aliis Festis aequalis ritus, uti illa sunt *S. Joannis Bapt. et omnium Sanctorum*, ut *in Aquileien 21. Aug. 1014 et Sabinen. 5. Mart. 1665.* Cur autem ita? Quia licet Dedicatio Ecclesiae Festis Domini adnumerari velit, non ullum respicit peculiare Mysterium, sed generalem habet relationem ad Deum, cui dedicatur Templum ad Divina Mysteria in eo celebranda; sed hujusmodi ratio communis est etiam Festis Sanctorum, quae licet instituta sint ad Coelicolas honorandos, principaliter tamen ad Deum diriguntur. Quamobrem Dedicatio Ecclesiae, si ad Festa Domini referendum sit, ut *secundarium*, non primarium habendum erit, ac propterea jure merito S. C. a prima opinione recedens, standum tabellae decrevit, et generalibus Rubricarum praeceptis inhaerens, in una *Ordinis Clericorum Minorum Toletanae Dioecesis* ad quaesitum nempe: *Cum jam declaratum sit a S. R. C. Dedicationem Ecclesiae esse Festum Domini, quaeritur: an Octava Dedicationis propriae Ecclesiae dignior sit Octava Conceptionis B. M. V. in Hispania, ubi celebratur ritu dupl. 1. cl.?* et quatenus affirmative: *an pariter dignior sit Octava Assumptionis ejusdem B. M. V. et omnium Sanctorum?* respondit sub 13. Mart. 1803: *Negative et serventur Rubricae*; et iterum in Brixien. 20. Sept. 1806 idipsum magis declaravit. Haud tamen putandum est S. C. posterioribus hisce Decretis quidquam decidere voluisse de qualitate Festi Dedicationis, imo quaestionem intactam reliquit. Nihilominus, ut a prima illa sententia, quam tenuisse visa est in una *Ordinis. Min. Obser. Reform. S. Francisci 27. Mart. 1779 et in altera Ordinis Minor. Conventualis Provinciae S. Antonii Patav. 10. Mart. 1787.*, recederet, satis animadvertisse ei fuit, quod licet *Festum Dedicationis* solemni ritu celebretur, quatenus velit Festis Domini adnumerari, minime tamen principalibus, quae ad hanc classem pertinent, adscribendum, sed potius habendum esse ut secundarium. Neque praetereundum, quod Dedicatio Ecclesiae, quacumque in classe reponatur, localis tamen et peculiaris est; ideo praeferenda Festis dumtaxat aeque peculiaribus et localibus, uti sunt Patroni et Titulares locorum et Ecclesiarum, non autem illis quae juxta ordinem tabellae duplicium ritus 1. cl. praeceptive sub gravi obligatione ab omnibus Christiani Orbis Ecclesiis diebus propriis recolenda sunt. Ita in praesenti casu, licet idem sit objectum Festi *SSmi. Corporis Christi* et alterius *Sacri ejus Cordis*, illud tamen principem locum tenet, istud secundarium; illud universale est, istud particulare; illud in praecepto, istud in facultate: idcirco illud nemini cedit, non item istud; quia in illo attenditur in paritate ritus major dignitas; in isto vero, ex rationibus supra allatis, qualitas *Festi secundarii.*

Id magis confirmatur ex novissimo S. C. judicio de occurrentia Patrocinii S. Joseph, ubi gaudet ritu dupl. 2. cl., cum *Festis SS. Apostolorum et Evangelistarum.* In anteactis Decretis data fuerat praelatio *Festo Patrocinii*, ut magis digno; re tamen postea maturius discussa, S. C. a prima sententia recessit, quia Rubricarum praescripto et spiritui magis congruere cognovit, ut tam in occurrentia, quam in con-

currentia cum Festis aequalis ritus, secundaria primariis, facultativa praeceptivis cedere deberent. Ita aperte declaratum video in una *Ordinis Carmelit. Excalceat. Cong. Hispaniae.* Magna cum extrinseca solemnitate populique concursu, in ejusdem Ordinis Ecclesiis peragebatur Festum Patrocinii, quod ex speciali indultu obtinuerat Octavam: nihilominus ad dubium: *Num in concursu et occursu praeferendum esset Apostolis?* respondit: *Negative, cum agatur de Festo secundario;* et rogata, ut, *attenta solemnitate maxima, gratiam praelationis indulgeret;* pariter respondit*: Negative sub die 16. Febr. 1781.*

Cum igitur ex his plane sequatur, in aequalitate ritus, concurrentibus simul Festis secundariis cum primariis, non esse attendendam majorem dignitatem; propterea jure merito proposito Dubio responsum fuit, adjudicandam esse praelationem *primariis Festis S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli.*

Ad dubium: Quae regula servanda sit in praelatione et translatione, si cum Festo *Sacri Cordis Jesu* ritus dupl. 1. cl. concurrant alia Festa aequalis ritus, puta, Dedicationis Ecclesiae, Patroni, Titularis etc.?

Et S. eadem R. C. . . . censuit respondendum:

„Primaria tantum Festa Civitatum et Dioecesium, nempe: Dedicationis Ecclesiae, Patroni vel Titularis esse in casu praeferenda; et Festum *SSmi. Cordis Jesu* transferendum".

Facta autem de praemissis omnibus per infrascriptum Secretarium SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione, S. S. S. C. Responsa in omnibus adprobavit et confirmavit et Decretum in Actis ejusdem Congregationis referri mandavit. n. 4579 ad 2 die 3. Apr. 1821.

Nota Gardellini ad hoc Decretum.

Idem debet esse judicium, ubi eadem militat ratio. Atque in occursu Festi *Sacri Cordis Jesu* cum *Patrono loci, Titulo aut Dedicatione Ecclesiae,* illud, quod secundarium est, coincidit cum primario: huic semper praelatio, et non illi concedi debet. Siculi autem ut supra vidimus, illud non praestat principalia Festa *S. Joannis Bapt. et SS. principum Apostolorum Petri et Pauli,* quae solemnissima sunt in toto Orbe Catholico; ita etiam nequit anteferri *Patrono, Titulo, Dedicationi,* quae primaria et sub praecepto servanda sunt in Ecclesiis, civitatibus et locis, in quibus peragi ista debent. *Sacri* vero *Cordis* Festum, etsi fruatur aequali ritu, hoc tamen gaudet non ex speciali titulo, qui hujusmodi, ut illa, exigat solemnitatem, sed ex privilegio concessum in simplici facultate est. Quod si occurrentia sit cum altero Festo ex indultu, quin rationem repetat a Titulo, Patronatu, Dedicatione, ad ritum 1. cl. elevatum, huic certe praeferendum erit *Sacri Cordis Festum,* quia, cum ambo ex privilegio sint, in paritate ritus aliarumque circumstantiarum digniori minus dignum cedere debet. Id declaravit S. C. in responso ad II. hoc Dubium, praelationem asserendo *Festis tantum primariis Civitatum et Dioecesium, nempe Dedicationis Ecclesiae, Patroni vel Titularis.*

Ad dubium: Quod si declaretur, faciendum esse Officium Nativitatis S. Joannis Bapt., SS. Apostolorum Petri et Pauli, Dedicationis Ecclesiae propriae, Patroni vel Titularis Ecclesiae; Quaeritur: quomodo, et in quam diem reponendum sit Officium *Sacri Cordis Jesu?*

Et S. eadem R. C. . . . censuit respondendum:

„Festum *SSmi. Cordis Jesu* trans-

ferendum esse in primam diem non impeditam, juxta Rubricas". n. 4579 ad 3 die 3. Apr. 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Rubrica de occurrentia et translatione Festorum non excipit, non distinguit, sed expresse jubet, ut quodcumque duplex, si per accidens fieri quandoque nequeat in die assignata, transferri debeat non in proximam, sed in primam diem non impeditam alio Festo dupl. vel semidupl.: quamobrem haec regula tenenda est, etiam quoad Officia I. cl., quae transferenda sunt, servato tamen ordine ritus, dignitatis et Calendarii: numquam vero depellunt e sua sede Festa, quae habent in Calendario designatam diem, ut in ea aliquod ex translatis reponatur. Singulare privilegium est Festivitatis *S. Joannis Bapt.*, quae occurrens cum solemnitate *SSmi. Corporis Christi* transfertur in diem sequentem, a quocumque Officio impeditam ut ex Decreto S. R. C. in *Einsidlen die 23. Jan. 1736.* Consequitur ergo Festum *Sacri Cordis Jesu* transferendum esse in primam diem non impeditam. Eoque magis, quia recens institutum secundarium est, et pro particularibus locis ad ritum I. cl. ex gratia elevatum, cui, deficiente titulo localis relationis, non competeret nisi dupl. maj.

Ad dubium: 1. An, occurrente Fer. VI. post Octavam SSmi. Corp. Chr. quocumque Officio ritus dupl. maj., fieri debeat de hoc Officio vel potius de Sacratissimo Corde Jesu, ubi est concessum ritu dupl. maj., ratione dignitatis?

2. An, quoties fieri debeat de dupl. maj. occurr., Officium Sacratissimi Cordis Jesu transferri possit ad primam insequentem diem liberam, ac eidem praecedentia competat ratione dignitatis super alia Officia ritus dupl. maj. translata?

3. An occurrente Officio Sacratissimi Cordis Jesu sub ritu dupl. maj. pridie Kal. Julii, fieri de ipso debeat, vel potius de Commemor. S. Pauli Ap., quae quamvis gaudeat tantum ritu dupl., attamen habetur tamquam continuatio praecedentis Solemnitatis SS. Apostolorum?

Et S. eadem C. . . . rescribere rata est:

Ad 1. „Negative ad secundam".

Ad 2. „Affirmative".

Ad 3. „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam".

Atque ita rescripsit servarique ubique mandavit. n. 5114 ad 5, 6, 7 die 11. Sept. 1847.

Si Festum S. Cordis Jesu occurrit die, qua in Dioecesi Aretina agitur sub ritu dupl. II. Cl. de SS. Martyribus Laurentino et Pergentino, qui ibi Christianam Professionem sanguine obtestari non dubitarunt, utrum horum Officiorum transferendum sit?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Transferendum in casu Officium Sacratissimi Cordis Jesu uti secundarium".

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5194 ad 6 die 17. Septemb. 1853.

Ad dubium: An festum SS. Cordis Jesu sit praeferendum tamquam dignius, si cum eo occurrat festum s. Barnabae ap., quod est ejusdem ritus? S. C. resp.: Negative in occurrentia, quia est festum secundarium. Die 22. Maji 1841.

i) Vesperae.

Concurrentibus 2. vesp. Octavae Corp. Chr. cum 1. vesp. festi ss. Cordis Jesu, integras vesperas recitandas esse diei octavae Corp. Chr. absque commem.

festi SS. Cordis Jesu. n. 4357 ad 3 die 17. Aug. 1771.

Ad dubium: An iis in locis, in quibus Officium Sacratissimi Cordis Jesu gaudet ritu dupl. II. Cl., habeat etiam primas Vesperas proprias cum commemoratione Octavae SSmi. Corp. Chr., vel an Vesperae esse debeant de memorata Octava?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam".

Atquae ita rescripsit, die 12. Martii 1836. n. 4772 ad 1.

6) SS. Cordis B. V. M.

Ad dubium: Insequenti (2.) dominica Julii assignatum est festum s. Cordis B. V. M., quod superioribus annis diversimode (in Dioec. Piscien.) ad diversas dominicas fuit amandatum in casu impedimenti. Recte necne fuit translatum? S. C. resp.: Transferri potest, si in Indulto facta sit facultas et quidem designata die; alias eo anno omittendum. n. 4859 ad 3 die 3. Aug. 1839.

Lucana.

In universa Dioecesi Lucana Dom. V. post Pentecosten fit Officium Sacri Cordis B. M. V., quod in Ecclesia Clericorum Regularium Matris Dei celebratur magno Populi concursu, sed ritu dupl. majori, ut in Kalendario Dioecesis. Cum in Dominica praecitata quandoque cadit solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli, quandoque S. Paulini Patroni principalis, utraque Festa I. cl. cum Octava: propterea supradictum Officium Sacri Cordis pro iisdem etiam Clericis Regularibus transferendum. Utroque in casu unica Missa solemnis canitur de Sacratissimo B. V. Corde, quod asseritur posse ex Rubricis Missalis de Translatione Festorum titulo VI., quamvis plurimi contradicant. Proposito Dubio S. R. C. a Clericis Regularibus Congr. Matris Dei Lucae degentibus quaeritur: quid sentiat?

Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati ad relationem proprii Secretarii rescribendum censuerunt:

„Abusum esse eliminandum. n. 4775 die 12. Martii 1836.

7) SS. Corporis Ch.

(Exposit. et bened. cum SSmo. in festo et infra octavam.)

Vd.: *Octava SS. Corp. Chr.*; *Process. SS. Corp. Chr.*; *Missa in festo SS. Corp. Chr.*

In dioecesi Limburg. et quantum quidem audere licet, alibi etiam, e. g. in dioec. Herbipol., Mogunt., Colon. et Trevir. usuvenit, ut in festo ss. Corporis Chr. et per octavam exposito sub missa SSmo. in Ostensorio non tantummodo juxta communem Germaniae morem ante et post missam populo cum Ostensorio benedicatur, sed intra ipsam missam post Epistolam trinae Sequentiae *Lauda Sion* strophae a sacerdote intonentur et a fideli plebe cantantur; ad tertiam autem bened. cum SSmo. impertiatur. Ejusmodi, quas *angelicas* dicere amant, cum trina benedictione missae etiam extra laudatam octavam pro feriis quintis per annum in hon. SS. Sacramenti et in fundatorum def. suffragium fundatae reperiuntur. Quaeritur ergo:

1. Num tertiae inter ipsam missam benedictionis usus, ubi ex antiquo viget, per totum annum ferri et continuari possit?

2. Si affirmative, an ad Dioecesis loca, ubi nondum viget, valeat extendi?

3. Si primum negetur, an saltem

in festo Corp. Chr. et per ejus octavam ille usus attenta consuetudine in omnibus etiam finitimis dioecesibus vigente tolerari possit?

S. C. resp.: Negative in omnibus. *(Ad dub. IV.)* Die 7. Maji 1857. *Limburg.*

In festo Corp. Chr., prout in praecedenti dubio dictum est, triplex intra missam, impertitur cum monstrantia benedictio: quarta post capta paramenta ante processionem, inter processionem ad 4 altaria, ad quae Evangeliorum initia pro generali Germaniae more cantantur, quater populo benedicitur; nona demum cum SSmo. benedictio post reditum ad Ecclesiam functioni matutinae imponit finem. Quaeritur: Utrum frequens adeo benedictio ratione consuetudinis in hisce Germaniae partibus fere generalis sustineri possit et si forte negetur, quoties populo in hac sol. occasione benedicendum sit?

S. C. resp.: Intra Ecclesiam nonnisi una bened. in fine supplicationis; extra vero Ecclesiam benedictio dari poterit ad tramites decreti in Volaterana*) diei 23. Sept. 1820. Die 7. Maji 1857. *(Ad dub. V.) Limburg.* Quamvis Rituale rom. de Process. in festo SS. Corp. Chr. n. 2 praecipit, *ut sacerdos in missa duas hostias consecret*, hujus tamen praecepti observatio passim et jamdiu obsolevit, siquidem ubique fere locorum in Germania jam ante missam populo cum Ostensorio benedicitur, sicuti etiam post epistolam et SSmum. per totam missam exponitur.

Quaeritur: Utrum duarum hostiarum consecratio in hujus festi missa restitui debeat, an juxta consuetudinem in caeteris Germaniae regionibus etiam in posterum omitti possit; et si primum affirmetur, an tunc benedictio et expositio ab ineunte missa omittenda sit? S. C. resp.: Servandas rubricas Ritualis. Die 7. Maji 1857 *(Ad dub. VI.) Limburg.*

8) Dignitas.

Cf.: *Translatio*; *Duplex* (dignitas); *Vesperae* (regulatio); *Fest.* (quo ritu etc.) *Festum ss. Nom. B. V. M.* (non transfert. decr. n. 4198).

Cum S. R. C. ex Decreto generali emanato sub die 12. Julii 1704*) rescripserit, quod in occurrentia Festi Calendarii particularis et Festi Calendarii universalis cum paritate ritus, et sine excellentia majoris dignitatis faciendum sit de primo, translato secundo: in praesentiarum Magister caeremoniarum Episcopi Perusini pro majori dilucidatione illorum verborum: sine excellentia majoris dignitatis, S. R. C. demisse supplicavit.

Et eadem S. R. C. respondit: ,,Juxta votum Magistri caeremoniarum". Et ita declaravit. Die 22. Augusti 1711.

Dignitas personarum attendenda est in solis eorum festis, quae expressa sunt in Rubr. Brev. tit. XI. n. 2. (Inter festa aequalis solemnitatis servetur hic ordo, ut festa Domini praeferentur omnibus aliis, sicut festa B. V. M. festis Sanctorum, item festa Angelorum et Apost. caeteris aliis). Die 20. Julii 1686 in *Trident.* ad 2.

Duae sunt regulae, ex quibus in occursu duorum Festorum unum alteri praefertur: ea scilicet, quae oritur ex dignitate classis, altera vero, quae provenit ex dignitate Personae: unde si duo occurrentia Festa aequali gaudeant classe (hoc est paritate ritus), defici-

*) Vd.: *Bened. cum SSmo.* (in process. decr. n. 4574.)

*) Vd.: *Translatio festi part. vel univers.* (decr. n. 3700.)

ente prima regula, recurrendum est ad secundam, nempe ad majorem Personae dignitatem. Ita Gavant. ad Rubric. Breviarii sect. 3 cap. 8 num. 6 *ibi.* — Undenam major dignitas attendi debet? Certe penes classem Festorum; nam prima classis dignior est secunda, in eadem vero classe attende Personas hoc ordine — Christum, B. Virginem, Angelos, S. Joannem Baptistam, Apostolos et alios juxta ordinem Litaniarum — et haec est excellentia majoris dignitatis, de qua loquitur suprascriptum Decretum, et qua pariter deficiente in occurrentia Festorum, penitus parium faciendum est Officium illius de Calendario particulari, transferendo Festum Calendarii universalis.

Et ita etc. Salvo etc. Jo. Baptista Gamberuccius SSmi. Domini Nostri et S. Sedis Apostolicae sacrarum caeremoniarum Magister. n. 3841 die 22. Aug. 1711.

Cum jam declaratum sit, Dedicationem Ecclesiae esse festum Domini, quaeritur: an Octava Dedicat. propriae Ecclesiae dignior sit octava Conceptionis B. V. M., in Hispania, ubi celebratur ritu dupl. 2. cl., et an pariter dignior sit octavis Assumptionis B. V. M. et Omnium SS.? S. C. resp.: Negative. n. 4491 ad 3 et 4 die 12. Mart. 1804.

Ad dubium: An in *occurrentia* *) festorum ejusdem ritus et alias quomodocunque parium, sit eorum praelationis causa Religio aut etiam natio? S. C. resp.: Primo loco habebit Officium Ecclesiae particularis, 2. Ordinis, 3. Dioecesis, 4. Nationis, 5. Ecclesiae universalis. n. 4044 (2do.) ad 1 die 23. Julii 1736; n. 4110 ad 6 die 22. Apr. 1741. n. 4180 die 29. Jan. 1746.

*) Vd.: *S. Cajetanus* (Off. decr. n. 4549 nota.)

Quando festum dupl. maj. s. Gabrielis arch. et s. Benvenuti c. debet celebrari post octavam Paschae, debet celebrari ordine dignitatis. n. 4366 ad 5 die 4. Sept. 1773.

9) Dioecesis.

Vd.: *Festum* (dignitas); *Translatio festi part. vel univers.* (decr. n. 3700); *Officium particulare*; *Calendarium Dioeces.*

10) Dupl. majus.

Vd.: *Dupl. majus* (quid est?)

11) Fixatio.

Ad dubium: An in fixatione attendenda sit anterioritas temporis et non superioritas ritus? S. C. resp.: In fixatione festorum attendi debet, quod praecipit rubrica 16. Breviar. rom. sub. n. 7 *de transl. festor.*, ut scilicet prius agatur de dupl., postea de semid. et inter pluria duplicia, quod est magis solemne, prius semper celebretur, sive ex ritu sive ex dignitate majoritas ista solemnitatis proveniat; alioquin si sint omnino aequalia, unum ante aliud reponatur eo ordine quo erant celebranda in propriis diebus; eadem etiam militat ratio in fixatione, quae probaret in translatione.

Die 7. Decbr. 1743 ad 3. *In Mediolan.*

12) Fixum.

Vd.: *Dies octava* (an permittit etc.); *Festum ad libitum* (decr. n. 4078); *Festum B. M. V. divini Past. matris* (decr. n. 4745); *Puritas B. V. M.* (decr. n. 4769); *Officium dominicae assignatum.*

Ad dubium: In Rubricis particularibus Breviarii Franciscani pro Fratribus minoribus de Observantia, editi anno 1696, extat specialis Constitutio num. 15 dictarum Rubricarum his verbis expressa: — Quando autem plura Officia de praecepto eadem die in ali-

quibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxime non impedita assignata censeatur in perpetuum pro die propria Festi translati respective. — An haec Rubrica possit in usum deduci ab aliis alterius Congregationis Regularibus, ita ut censeri possit ab illis Festa perpetuo transferenda, fixa esse in perpetuum ad primam diem non impeditam?

Et S. R. C. referente Emo. et Rmo. D. Card. S. Clementis respondit: „Negative“.

Et ita decrevit ac declaravit. n. 3749 ad 5 die 28. Augusti 1706.

13) Indictio et Mutatio.

Cf: *Ritus* (mutatio); *Calendar. Dioeces.* (jus reform.); *S. Gregorius PP. VII.* (transl. decr. n. 4561 nota); *Festum* (ritus); *Generales Religionum*; *Duplex* (dignit.).

Non potuisse nec posse Episcopos nec Regulares elevare festa Calendarii romani ad nobiliorem ritum, puta, a semidupl. ad duplicem sine licentia Sedis Apostolicae. n. 772 ad 8 die 28. Oct. 1628.

Archiepiscopus potuit cum consensu populi et Cleri indicere Festum S. Augustini per Dioecesim Hispalensem de praecepto contradicente Capitulo. n. 821 ad 1 die 20. Junii 1629.

Communitas non potest indicere festa de praecepto, quae nec de consuetudine in Terra Tulphae servantur, nec ab Ecclesia romana praescribuntur exigendo mulctum contra inobedientes. n. 862 ad 2 die 8. Junii 1630.

Non solum Vicario non licere mutare festum alicujus Sancti, positum in Breviario certo die, ad alium diem, sed nec etiam ipsi Episcopo et propterea festum s. *Sebastiani* reponendum esse (a 26. Julii) ad diem 20. Januarii. n. 885 die 7. Decb. 1630.

Non permittere debere Ordinarium ut celebrentur nova Officia, quae non sunt per Sedem apostol. approbata. n. 1570 ad 1 die 17. Novb. 1646.

Dedicationis festi mutationem spectare ad Consecratorem in *actu* Consecrationis adeo ut extra ipsam non possit amplius immutari inconsulta sede Apostolica. n. 2873 ad 2 die 21. Jan. 1679.

Capitulum Pragens. sine consensu Ordinarii contradicentis propria auctoritate festa ex antiquo ritu (in antiquo Breviario) celebrata promulgare in contemptum Ordinarii typis edere, publice affigere non potest cum ordinatione, quod dicta festa in Metropolitana observari debeant. n. 2682 ad 4 die 3. Mart. 1674.

Supposita moderatione Octavarum et aliorum Officiorum, quae secundario fiunt, prout expedit, arbitrio Ordinarii, ut diebus vacuis provideatur; quaeritur: Utrum Episcopus possit alia Officia, etiamsi ad aliam diem fixam sint translata, dummodo non sint de praecepto, mutare ipsisque noviter aliam diem ante vel post perpetuo assignare, prout Officiorum celebrationi magis expediat. Et si negative, supplicatur pro gratia.

S. eadem C respondit ut infra: „Serventur Rubricae“.

Et ita decrevit. n. 4495 ad 4 die 1. Septembris 1804.

Petitur, quod festa SSrum., quae occurrunt in diebus, in quibus aguntur festa Titularium Eccles. paroch., sint simplicia ac etiam censeantur tamquam simplices dies octavae, in quibus occurrunt festa dupl. aliorum SSrum., ut de iis fiat tantum commemoratio, ne simplificentur Officia eorundem SSrum. et intervertatur Ordo Calendarii Dioecesani. S. C. resp.: Negative, excepto casu, quod in toto anni decursu dies vacui deficerent pro eorum translationibus juxta rubricas et in hujusmodi casu, quoad diem octavae illius Officium retinendum esse

et simplificandum festum occurrens, licet majoris ritus et dignitatis, dummodo non sit 1. vel 2. cl. n. 4508 ad 3 die 9. Apr. 1808.

14) Lanceae Domini.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidlen: An Festum Lanceae sit approbatum ex indulto in Germania, et an Breviario Benedict. apponi possit, et an impediatur celebratio Feria VI. post Dominicam in albis quocumque Festo duodecim Lectionum?

S. R. C. resp.: „Affirmative ad utrumque. Impedita autem Feria VI. post Dominicam in Albis Officio novem Lectionum, transferatur ad aliam feriam VI. infra tempus Paschale tantum. n. 4044 ad Titul. X. dub. 4 die 5. Maji 1736.

15) Ad libitum.

Vd.: *Translatio*; *Sancti ad libitum*; *Octava*; *Concurrentia*; *Fest. ss. Nom. Jesu* (transl. decr. n. 4581 nota).

Festa ad libitum duplicia, si quae a S. C. concessa sub hoc ritu fuerunt, recitare posse in Dominicis non privilegiatis hoc est 1. et 2. classis, quando in ipsis occurrunt, nec obstare decretum die 2. Decb. 1673 emanatum. n. 2862 ad 1 die 7. Maji 1678.

Ad relationem: Cum a S. C. declaratum sit, quod, quando festa ad libitum occurrunt in diebus dominicis vel in festis mobilibus, non esse transferenda, sed pro illo anno omittenda, quaeritur: an, quando dicta festa ad libitum occurrunt eodem die cum aliis festis de praecepto, puta in die octava vel cum festo alicujus Religionis vel Dioecesis, debent dicta festa ad libitum omitti semper vel transferri in primam diem non impeditam; et sic hoc debet intelligi tam de festis dupl. ad libitum quam de semidup.? S. C. resp.: Festa ad libitum esse omittenda et non transferenda et hoc intelligi debet tam de festis dupl. ad libitum quam de semidupl. n. 2972 ad 1 die 24. Jan. 1682.

Ad dubium: Utrum decretum de 24. Jan. 1681 prohibeat recitari Off. de Sanctis ad libit. non solum in die octava cujuscunque solemnitatis sed etiam in diebus infra octavam? S. C. resp.: Affirmative. n. 3521 ad 4 die 30. Maji 1699.

Officia SSrum. ad libitum incidentia in die imped. in perpetuum possuntne figi ab Ordinariis? Verumne est circa hoc decretum, quod citatur tamquam emanatum 20. Decb. 1703, revocans in hoc aliud decret. 24. Jan. 1682? S. C. resp.: Officia SSrum. ad libitum incidentia in diem perpetuo impeditam, si transferantur, non possunt figi perpetuo in alia die ab Ordinariis designanda, inconsulta S. C. n. 4119 ad 7 die 2. Sept. 1741.

Vd.: *Festum ss. Nom. Jesu* (transl. decr. 4581 ad 7 nota).

Officia ad libitum infra octavas occurrentia omitti debent, nisi aliter specialiter et expresse indulta sint a Sede apost., prout festum S. Elisabeth infra octavam ss. ap. Petri et Pauli juxta decreta 28. Novb. 1682 et 2. Oct. 1683; n. 3120 ad 6 die 20. Julii 1686.

Festa et Officia ad libitum concessa pro *universali* Ecclesia *possunt* etiam Benedictini recitare. n. 3222 ad 2 die 10. Junii 1690.

Ad dubium: An Officia Sanctorum ad libitum sive duplicia sive semiduplicia occurrentia in die, quo fieri debeat Officium de Dominica anticipanda ante Septuagesimam vel ante Dominicam XXIV. post Pentecosten, sint transferenda vel potius omittenda vel in die illa Officium praedicti Sancti ad libitum recitandum, et solum sit facienda commemoratio illius Dominicae?

S. eadem R. C. ad relationem Emi.

et Rmi. Dom. Card. S. Clementis respondendum censuit:

Esse omittenda Officia Sanctorum ad libitum.

Et ita declaravit. n. 3718 ad 5 die 4. Aprilis 1705.

Procurator gener. Ord. Minor. s. Francisci Reformatorum exponit, quatenus recenter concessa sunt quaedam SSrum. Officia, alia Urbis et Orbis, alia aliquibus Regnis Ditionibus Statibusque peculiaribus recitanda tum a saecularibus tum a regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, quae concessiones exprimuntur his verbis: „*recitari posse, fieri posse*“ et cum ex rubr. nostri novi Brev. Franciscani statuatur, ut quotiescunque fit haec expressio: „*recitari posse, fieri posse*“ nihil aliud intelligantur nisi Officia ad libitum; hinc petitur declarari*:* an praedicta Officia cum tali expressione expressa, si occurrant in die impedita ab aliis Officiis de praecepto Breviarii praedicti, non obstantibus decretis de non transferendis Officiis Sanctor. ad libit., a nobis possint transferri ad aliam diem, vel omitti debeant? S. C. resp.: Praedicta Officia acceptata, si occurrant in diebus impeditis, non reputari debere tamquam mera Officia ad libitum sed de praecepto adeoque esse omnino transferenda. n. 4078 die 6. Sept. 1738.

Regulares possunt recedere a recitatione illorum Officiorum ad libitum, quae fuerunt ab ipsis acceptata, quando satisfacere nequeunt Officiis proprii Ordinis. n. 4393 ad 19 die 27. Mart. 1779.

Juxta responsum S. R. C. de die 12. Nov. 1831 ad n. 39. Officia concessa alicui Regno, Nationi, Dioecesi, Civitati aut Oppido, si ob occursum aliorum Festorum celebrari nequeant diebus assignatis, juxta Decreta alias edita, vel omittenda vel imploranda facultas transferendi; quaeritur: An hoc sit intelligendum de solis Officiis aut Festis ad libitum?

S. R. C. . . . rescribendum censuit:

„Specialiter intelligitur de Officiis affixis certis diebus, nimirum vel in Feriis vel in Dominicis“.

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4910 III. 1 die 13. Sept. 1840.

16) B. Mariae V.

a) De Consolatione.

Ad dubium: Dominicae I. mens. Julii assignatur Officium B. V. M. de Consolatione. Hac dominica impedita poterit transferri ad alterutram ex sequ. dom. ejusd. mensis vel omnibus imped. dominicis ad diem ferialem? S. C. resp.: Transferri potest, si in Indulto facta est facultas et quidem assignata die; alias eo anno omittendum. n. 4859 ad 2 die 3. Aug. 1839.

Vd.: *Sancti ad libit.* (decr. n. 3051.)

b) Dignitas.

Vd.: *Officium B. V. M.*; *Septem dolor.*; *Rosarium*; *Vesp. de B. V. M.*; *Festum ss. Nominis B. V. M.* (non transf. decr. n. 4198); *Festum s. Cordis B. V. M.*; *Transl. festor. ejusd. rit. B. V. M.*; *Festum B. V. M.* (cujus ritus etc.)

Festivitates B. V. M., utpote: de Mercede, Desponsationis et aliae Hispaniarum regnis concessae celebrentur sub ritu dupl. minori. n. 3083 ad 3 die 2. Oct. 1683.

Officia desponsationis, 7 dolor., Rosarii, de Mercede, Patrocinii B. V. M. per indulta apostolica in omnibus Regnis et ditionibus catholico Regi subjectis, quando non explicatur qualitas ritus, an sit duplicis maj. vel minoris, intelligenda esse de duplici minori per annum. n. 3040 ad 3 die 20. Novb. 1683.

Officia B. V. M. nempe: Desponsat.,

Patrocinii, Translat. almae domus Lauretanae et Expectationis part. a S. M. Bened. XIII. die 23. Aug. 1725 pro toto statu Ecclesiastico consessa, sub ritu dupl. maj. recitari debent. n. 4054 ad 2 die 15. Sept. 1736.

c) De Mercede.

Innocentius PP. XI. Hispaniarum regnis concessit festum B. V. M. de mercede celebrari dominica proximiori Calendis Augusti, in qua nonnullis annis occurrit dies octavus s. Jacobi ap., Hisp. Patroni. Quid faciendum illis annis? S. C. resp.: Celebretur festum B. V. M. in alia Dominica non impedita. n. 3038 ad 2 die 2. Octob. 1683.

Quando aliqua ex Officiis concessa sunt recitanda in dieb. domin., v. g. de Mercede, SS. Rosario etc. B. V. M. et si quae sunt alia similia, si aliqua ex dictis dominicis impediatur aliquando ab alio Officio majoris ritus, dignitatis, in tali casu dictum Off. ex supra concessis, non potest transferri ad aliam dominicam vel ad primam diem non impedit., sed debet omitti. S. R. C. 20. Mart. 1683.

In una Ord. Min. Obs.

Quando festum B. V. M. de Mercede, quae in Dominica decernitur celebranda, impeditur aliquo festo dupl. 1. vel 2. cl. vel dupl. maj. vel de Octava, eo anno omittendum est vel recurrendum pro assignatione alterius dominicae ad S. R. C. n. 3040 ad 4 die 20. Novb. 1683; n. 3120 ad 5 die 20. Julii 1686.

Ad dubium: Utrum per extensionem ad universam Ecclesiam Officii dupl. de praecepto B. M. V. de Mercede, cui assignata est dies 24. Sept., derogatum sit Indultum ap. celebrandi festum praedictum dominica proximiori Calendis Augusti in Regnis seu dominiis Regis Catholici? S. C resp.: *Affirmative* et se conformet Episcopus Lauden. Ecclesiae universali. 3412 ad 2 die 19. Jan. 1697.

Ad dubium: Quoties in Kalendario Senensi dies octava 7 Dolorum B. M. V. incidit die 24. Sept., in qua occurrit sub ritu dupl. maj. Festum B. M. V. de Mercede, vel die 22. ejusdem mensis, in qua Civitate Senensi Festum Patrocinii Deiparae sub pari ritu dupl. maj. agitur, quaeritur: num recitari debeat de Octava vel de alterutro ex enunciatis Deiparae Festis?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„In casu de Officio occurrenti et nihil amplius de Octava“.

Atque ita rescripsit, declaravit servandumque mandavit. n. 5135 ad 2 die 22. Julii 1848.

Ad dubium: Orta est difficultas circa translationem Festi B. M. V. de Mercede illis in locis, ubi Patronus Principalis est S. Lambertus Ep. et Martyr, cujus Festum celebratur die 17. Sept., et cujus proinde dies octava semper incidit in diem 24. ejusdem mensis, qua occurrit praefatum B. M. V. Festum. Porro in illis locis dies fixa pro Festo B. M. de Mercede erat 15. Septembris, antequam per Indultum diei 20. Julii 1838 Officia quaedam propria essent concessa a Clero Archidioecesis Mechliniensis. Nunc vero pro tota illa Dioocesi in illam diem tamquam in sedem propriam perpetuo translatum est Festum S. Thomae a Villanova, et dies 27. Sept. pariter est impedita, utpote fixe assignatur Festo impressionis Stigmatum s. Francisci. Quaeritur itaque: utrum in locis ubi die 24. Sept. Officium fieri debet de Octava S. Lamberti Patroni Principalis. Festum B. M. V. de Mercede sit celebrandum die 25. Sept. vel transferendum in primam diem, quae nullo Festo fixo sit impedita per Dioecesim; adeoque in diem 3. mensis

Octobris. Et Sanctitas Sua, referente subscripto S. R. C. Pro-Secretario mandavit ut propositis Dubiis responderetur juxta alias decreta, hinc:

„Affirmative ad primam partem, negative ad secundam“.

Atque ita rescriptum fuit. n. 5191. die 23. Junii 1835.

d) De Monte Carmelo.

I. Obligatio et Missa.

Cf.: *Missa de Carmelo.*

Ad dubium Benedictin. Einsidl.: An Festum B. V. M. de Monte Carmelo ejusdemque festum (Officium) celebrandum sit ab omnibus (etiam Regul.) de praecepto? S. C. resp.: Affirmative et servetur decr. 24. Sept. 1746. n. 4044 (2do.) ad 17 die 23. Julii 1736.

Benedictus XIII. benigne concessit, ut in toto Statu ecclesiast. ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 16. Julii festum B. V. M. de Monte Carm. cum Off. et Missa celebrari debeat. S. R. C. 23. Aug. 1725; 24. Sept. 1726.

Cum SSmus. Dom. noster Clemens Papa X. die 4. Decb. 1675 benigne concesserit, ut in omnibus Terris Romano Imperatori subjectis Festum B. M. V. de Monte Carmelo celebrari possit singulis annis die 16. Julii, seu alio die infra octavam sub ritu dupl. secundae classis cum Officio et Missa propria, sed diversa ab illo Officio et Missa, quibus ex ejusdem Summi Pontificis concessione utuntur subditi Regis Hispaniarum; propterea quaeritur primo: Quando dies 16. Julii non impeditur alio Festo novem Lectionum: Utrum praedictum Festum a subditis Imperatoris debeat necessario celebrari die 16. Julii? vel: An pro libito possit celebrari quocumque alio die infra octavam, sive iste dies per aliud Festum novem Lectionum sit impeditus, sive non? Quaeritur secundo: Utrum Imperatoris subditi debeant uti Officio et Missa, quae concessa fuerunt pro Imperio; vel, an etiam possint uti Officio et Missis concessis pro Hispania?

Et eadem S. R. C., referente Emo. et Rmo. D. Card. Gabrielli respondendum censuit:

„Ad primum quaesitum, quoad primam partem Affirmative; quoad secundam partem Negative; Ad secundum quaesitum quoad primam partem pariter Affirmative, quoad secundam partem Negative“. Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 3787 ad 4 die 16. Junii 1708.

Ad dubium Benedict. Einsidl.: An in festo B. M. V. de Monte Carmelo non tantum Evangel. sed etiam tota missa (exceptis 3 orationibus) sit de festo s. Mariae ad Nives post concessionem hujus Officii factam a S. M. Bened. PP. XIII.? S. C. resp.: Dicatur missa a Sede apost. approbata: *Gaudeamus omnes etc.* n. 4044 *(Alia dub.)* dub. 5 die 5. Maji 1736.

II. Translatio.

Officium B. V. M. de Monte Carmelo non potest, ut in pluribus locis fit, transferri in dominicam sequ. diem 16. Julii. n. 3477 ad 1 die 5. Julii 1698.

e) De Pace.

(Translatio.)

Ad dubium: 1. An Festo B. M. V. de Pace perpetuo impedito in Dominica IV. Octobris ob occursum Festi Anniversarii, vel diei Octavae Dedicationis Ecclesiae possit Ordinarius assignare aliam diem non impeditam?

2. An, quatenus affirmative ad primum, possit assignari Dominicae vel IV. Sept., vel III. Novembris?

3. Et qualenus Dominicae IV. Sept. et III. Nov. sint impeditae, illa a translato Officio Septem Dolorum, ista ab Officio Patrocinii Deiparae, quid agendum de Festo B. M. V. de Pace?

4. An quod statuitur de Festo Deiparae de Pace applicari pariter possit Festo Puritatis Deiparae, quamvis hoc stricte dici nequeat perpetuo impeditum ab Anniversario memoratae Dedicationis?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

Ad 1. „Negative, haec enim Officia assignata sunt certis diebus, quae tamen non sunt dies propriae, de quibus Decretum alias editum“.

Ad 2. „Provisum in primo, et in casu supplicandum pro translatione ad primam diem liberam“.

Ad 3. „Juxta Decreta omittendum, nisi facta fuerit facultas transferendi juxta Rubricas“.

Ad 4. „Affirmative, seu provisum in superioribus“.

Atque ita rescripsit. n. 5182 die 25. Sept. 1852.

f) Divini Pastoris Matris.

Vd.: *Maternitas B. V. M.*

Ad dubium: Dominica I. mense Maji, dummodo non occurrat aliud Officium potioris ritus et dignitatis, assignata est Officio B. M. V. divini pastoris Matris. Si haec dominica fuerit impedita, poterit hoc Officium amandari ad alterutram ex sequ. dominicis ejusd. mensis vel omnibus impeditis dominicis ad diem ferialem? S. C. resp.: Transferri potest, si in Indulto facta sit facultas et quidem designata die; alias eo anno omittendum. n. 4859 ad 1 die 3. Aug. 1839.

Sancti Miniati.

Quarto Idus Jan. 1801 sa. me. Pius Papa VII. pro Clero Saeculari et Regulari Magni Ducatus Etruriae peculiare quum adprobaverit Officium in honorem Beatae Mariae Virginis titulo Divini Pastoris Matris ritu duplicis majoris quotannis persolven. Dominica prima Mensis Maji non impedita Officio superioris ritus aut dignitatis; quumque eodem anno 1801 Senis idem Officium typis fuerit cusum, in calce hujus editionis monita nonnulla reperiuntur, in quibus inter cetera et illud invenitur, quod si prima Dominica Mensis Maji fuerit impedita, Officium hujusmodi transferri debeat ad secundam vel tertiam non impeditam. Quod si omnes Dominicas Mensis Maji aliquando impeditas inveniri occurrat, tunc a prima Dominica Maji transferendum erit ad primam diem liberam juxta Rubricas, et in hoc postremo casu octava Lectio dimidietur. Sanctionis hujusmodi regulam a Sacra Rituum Congregatione autumant die 25. Julii ejusdem anni 1801 super hoc Officio requisita datam fuisse. Attamen hac super declaratione dubitari inceptum est, an fuerit authentica, praesertim in Dioecesi Sancti Miniati, proindeque Canonicus Pro-Poenitentiarius, Sede illa Episcopali vacante, Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit ac declarari expetiit:

1. An supradicta declaratio Sacrorum Rituum Congregationis diei 25. Julii 1801 habenda sit ut authentica et pro Sanctis Etruriae Dioecesibus obligatoria? Et quatenus negative,

2. An in Dioecesi Sancti Miniati, quae ab anno 1818 inclusive usque ad annum 1832 (quo ultimus Episcopus obiit) bona fide exemplum sectando aliarum Etruriae Dioecesium, se conformavit regulae in praefata declaratione contentae, quoad translationem Festi Beatae Mariae Virginis Divini Pastoris Matris, eadem regula in posterum servari debeat?

Et Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis coadunati, re mature perpensa diligentique examini subjecta, audita fideli relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt:

Ad 1. „Non reperitur in Registis Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum".

Ad 2. ‚Dentur Decreta in Cusentina diei 10. Julii 1677, in Lycien. diei 25. Septembris 1688 et in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae diei 29. Januarii 1752 in quibus generaliter praescribitur, quod Officia affixa certis diebus eo anno impeditis sint omittenda".

Atque ita rescripserunt ac in proposito casu servari mandarunt. die 23. Maji 1835 n. 4745.

g) Cujus ritus sunt festa B.V.M.

Quaedam festivitates B. V. M. utpote: de Mercede, Desponsat. aliaeque Hispaniarum regnis concessae, celebrari praecipiuntur sub ritu dupl., sed non exprimitur, quod celebrentur sub ritu dupl. maj., quemadmodum exprimitur in aliis festis B. V. M. nempe: in festis Rosarii, Patroc., et de Carmelo eisdem regnis concessis. Quaeritur: utrum omnes festivit. B. V. M. sint sub ritu dupl. maj., quamvis haec majoritas in decreto concessionis talis festi non exprimatur?

S. C. resp.: Celebrentur sub ritu dupl. minori. die 2. Oct. 1683. *In Valentina* ad 3.

Ad dubium: An Officia Despons. etc. B. V. M. per indulta apost. in omnibus regnis et ditionibus cath. Regi subjectis sub ritu dupl. fieri posse concessa intelligenda veniant sub ritu dupl. maj. vel tantum dupl. per annum? S. C. resp.: Quando non explicatur qualitas ritus, an sit dupl. maj. vel min., decreta intelligenda esse de dupl. per annum. die 20. Novemb. 1683 *in Laud.*

Vd.: *Festum B. V. M.* (dignitas).

17) Mobile.

Vd.: *Patron. princip.* (estne fest. mobile?)

18) SS. Nominis Jesu.

a) Obligat. celebrandi.

Officium propr. SS. Nominis Jesu ab omnibus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu dupl. 2. cl. Dominica 2. p. Epiph. recitari et Missam respective celebrari debere indulsit S. R. C. 29. Novemb. 1721 annuente Innocent. XIII. 20. Decb. 1721.

Vd.: *Fest. SS. Nom. Jesu* (Transl. decr. n. 3953). *De Approbatione Confraternitatis sub invocatione SS. Nominis Dei (Jesu) ad cavandum blasphemias, perjuria illicitaque juramenta institutae cum indulgentiarum et aliarum gratiarum concessione facta per PP. Pium IV. die 13. Apr. 1564* vd.: Bull. mag. rom. tom. II. p. 117 (ed. Luxenb.)

b) Translatio.

(Festum ss. Nom. Jesu non celebr. in Quadrag., vd.: *S. Meinradus* (decr. n. 4043 die 5. Maji 1736). Vd.: *S. Raymundus.*

Cum in Hispania ex apostolica concessione celebretur festum s. Juliani ep. Conchensis ritu dupl. 2. cl. cum octava in die 28. Januarii et juxta rubricas Breviarii in eandem diem transferendum sit tamquam in sedem propriam Officium SS. Nominis Jesu, quoties occurrit in dominica Septuagesimae, quaeritur: utrum ex dictis festis celebrandum sit die 28. Jan. et quomodo alterum transferendum? S. C. resp.: Celebrandum esse Officium

s. Juliani et Officium SS. Nominis Jesu reponendum esse ab Episcopo in aliam diem infra eamdem octavam, translato quocunque alio festo, nisi sit altioris ritus. n. 4442 ad 1 die 11. Sept. 1790.

Vd. infra decr. n. 4581.

In Collegiata civitatis Nissae celebratur festum s. Agnetis v. et m. cum octava sub ritu dupl. I. cl. quotannis, proinde dubitatur: 1. an, quando festum ss. Nominis Jesu ob dom. Septuagesimae ad 28. Jan. transferendum est, transferri possit una cum Com. Orationis octavae diei s. Agnetis, vel transferendum sit ad 3. Febr.? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4445 ad 1 die 11. Sept. 1790.

Monialibus SS. Corporis Christi Civitatis Bononiae S. R. C. humillime supplicantibus, ut benigne declarare dignaretur: An ipsis liceat in posterum die 14. Januarii Officium SS. Nominis Jesu, sicut antea, juxta concessionem Fratribus Ordinis Minorum, alias factam, recitare; an vero teneantur illud Dominica II. post Epiphaniam, uti noviter pro Ecclesia universali indultum fuit, celebrare?

S. eadem C. respondit: „Nec Monialibus praedictis nec Fratribus Minoribus aliarumque Religionum, licere amplius memoratum Officium SS. Nominis Jesu die 14. Januarii, sed Dominica II. post Epiphaniam recitare omnesque teneri, sub poenis de non satisfaciendo Officio Divino aliisque in Bulla S. Pii V. contentis, novissimo Decreto die 29. Novembris 1721 pro universali Ecclesia se conformare".

Et ita decrevit ac servari mandavit. n. 3953 die 28. Novembris 1722.

Ad dubium: An liceat Collegio et PP. Societatis Jesu civitatis Monopolis celebrare festum ss. Nom. Jesu in die Circumcisionis D. N. J. Chr.? S. C. resp.: Licere PP. Jesuitis celebrare 1. die Januarii festum ss. Nom. Jesu et amplius. n. 3958 die 13. Mart. 1723.

Quando festum ss. Nom. Jesu ab occurrente dominica Septuag. impeditur, transferendum est ad diem 28. Januar tamquam illi propriam, ne festum praedictum celebretur infra quadragesim. (et officium s. Raymundi transfertur in aliam diem non impeditam — in Dioecesi Aquen. —) n. 4299 ad 1 die 3. Mart. 1761.

In aliqua Dioecesi Officium S. Juliani Episc. sub ritu semid. ad libitum fixe celebratur in die sui obitus, nempe 28. Jan. Quaeritur: an fixe pariter eadem die reponi possit aliud Officium translatum, an sit vacuus relinquendus?

Et Emi. P. . . . respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

„Translata reponi non posse diebus fixis pro Officio alicujus Festi ad libitum, praesertim die 28. Jan., quae dies relinquenda est vacua pro repositione SSmi. Nominis Jesu in Dominica Septuagesimae occurrentis; et in Dioecesi, in qua die 28. Jan. celebratur fixe Festum S. Juliani Episc. ad libitum, omitti debere, quando ea die reponendum sit Officium SSmi. Nominis Jesu".

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821. n. 4581 ad 7.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Tam clare et solide quaestiones, quae super hoc Dubio excitari poterant, enucleavit cl. Vir *Joannes Canonicus Fornici* Apostolicarum caeremoniarum Magister in suo dissertissimo Voto a S. C. adprobato, ut satius esse duxerim illud integrum dare, quam in compendium redigere. Sic ipse „Festa Sanctorum ad libitum, teste Guyeto *lib. 1. cap. 2. quaest. 9.* et Cavalieri *tom. 2. cap. 22,* antiquiora non sunt *Paulo V.,* qui primus

omnium eadem in Ecclesiam invexit, dum *sub die 27. Sept. 1608* Festum S. Angeli Custodis ad libitum Cleri celebrandum indulsit prima die post Festum S. Michaëlis Arch., quod et postea praestitit de Festo S. Caroli Borromaei et impressionis stigmatum in Corpore S. Francisci pro suis respectivis diebus, et deinde id alii egere Summi Pontifices de aliorum Sanctorum Festis. De Sanctis ad libitum nihil quidem disponunt expresse et statuunt Rubricae; sed non desunt hujus S. C. Decreta plurima, ex quibus abunde eorumdem elucescit natura atque conditio et ex quibus dirimi debent dubia, quae hinc exoriri valent".

„Pro expositi Dubii resolutione duo, ut mihi videtur, sunt ad examen revocanda. Primum, an translata reponi possint in die fixo pro Sancto ad libitum: Secundum: an dies 28. Jan. sit vacuus relinquendus pro translatis? Exordiamur a primo et responsum deducamus a resolutionibus hujus S. C. Cum alias S. R. C. declaraverit Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sint impediti die Dominico aut aliquo die Festorum mobilium, quaesitum fuit declarari: quae regula servanda sit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum propriis vel translatis vel demum semel per hebdomadam vel per mensem recitare concessis? En responsum per decretum generale de non transferrendis Officiis Sanctorum ad libitum datum *24. Jan. 1682: Praedicta Officia Sanctorum ad libitum etiam duplicia occurrentia in diebus Dominicis, octavis et natalitiis Sanctorum alicujus Religionis vel Dioecesis ex vi Calendarii proprii a S. Sede Apostolica approbati, quamvis sub ritu semid. de praecepto celebranda, non sunt transferenda, sed omitti debere: si autem occurrant eodem die, in quo aliud aliquod Festum translatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit, eadem Officia ad libitum recitare et Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre. Prout etiam, omisso Officio, quod semel per hebdomadam aut per mensem ex Apostolico indulto recitare concessum est, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari posse decrevit, et ita ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, servari mandavit.* Tria in hoc Decreto decernuntur: Officia ad libitum non esse transferenda; liberum esse illa recitare, quamvis in eodem die alias reponi deberent Officia translata; omisso Officio vel per hebdomadam vel per mensem concesso, posse Officia ad libitum recitari. Primum et ultimum casum propositum non respiciunt; secundum quaestionis nobis solutionem praebet. Liberum est Officia ad libitum celebrare eo die occurrentia, quo alias Festum translatum reponi deberet. Atque Festum translatum in die, quo reponitur, praeceptive celebrandum est ab omnibus, qui Calendarium sequuntur: ergo ex translato tollitur libertas Officium ad libitum recitandi, quod contrarium est Decreto hujus C. Per hanc libertatem nullum translato obvenit incommodum, quippe quod jam e propria die amotum, adhuc in altera die bene et integre resumitur. Per repositionem translati in die Officii ad libitum non solum eidem affertur incommodum, sed prorsus eo anno de medio tollitur, quia omitti debet, nec potest ex ipso Decreto transferri. Nec juvat aliud argumentum in oppositionem adducere: nempe ex Rubrica: Festa translata reponi debent in prima die non impedita; sed dies, quo Festum ad libitum occurrit non est impedita, quia illud non praestat impedimentum, quod pendet a libero arbitrio, argument.

leg. Qui potest facere 3. de Regulis juris. Ergo translatum reponi debet in die, in quo Officium ad libitum occurrit. Huic enim argumento respondi potest cum Cavalieri: Festum ad libitum non praestat impedimentum prohibens, ne Festum translatum eo die reponatur, bene vero praestat impedimentum permittens, ut in dictam diem non transferatur. Nihil ergo ex dicto axiomate erui potest".

Video equidem Decretum supponere, quod aliqua reperiatur dies libera, pro translati repositione, et *Officium translatum ulterius ad aliam diem transferri.* Unde, si nulla adsit anni dies, in quem transferri queat, praesupponi potest, quod amplius locum non habeat Decreti dispositio, quae liberam facit celebrationem Festi ad libitum cum ulteriori protractione Festi translati. Et quidem, si Officium ad libitum penitus omitti debet, ut Officium de praecepto simul occurrens, quod caeteroquin adhuc alia die integre resumeretur, solum habeat incommodum amotionis a propria sede; multo magis omitti debet, si Festum translatum nullum reperiat diem utilem pro sui repositione, sed alias necesse foret, idem ad simplicem redigi commemorationem, vel penitus omitti".

„Verum, quamvis haec congruentiora videantur, ex lege tamen non veniunt. Potius in lege saepe saepius statutum est: *Quod Sancti, qui in fine anni supersunt, quoties toto anni decursu de illis celebrare non valeat, tum in illo anno diebus eorum propriis considerandi sint tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semid. cum nona lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum lectionibus secundi Nocturni ad modum unius. Hispalen. 26. Nov. 1735*; *Ordinis Capuccinorum 8. Mart. 1738.* Sancti ergo translati, quatenus pro illorum repositione non supersint dies toto anni decursu, considerandi sunt diebus eorum propriis tamquam simplices, nec jus habent removendi a propria sede semiduplicia et Officia ad libitum, nisi obtento prius ab hac S. C. speciali et expresso Indultu, jam alias ob plenissimam redundantiam Sanctorum *die 31. Jan. 1789.* Basilica S. Petri in Vaticano concesso, *et die 13. Mart. 1804 ad Ecclesiam Corduben.. aliisque Patriarchalibus extenso, nempe*: *ut Festa dupl., quae incidunt in Dominicas privilegiatas vel in aliam diem solemniori Festo impeditam, si desint prope anni terminum dies simplices aut feriales, in quos transferri possent, tunc transferantur, in diem Festi semid., ita tamen, ut de Sancto qui locum cedit, fiat commemoratio in Missa, Laudibus et utrisque Vesperis cum nona lectione historica.*

„Ex dictis exidentissime patet, non posse, nisi ex speciali Indultu, reponi fixe translatum in die, quo occurrit Officium vel dupl., vel semid. ad libitum. Multo magis nequit hoc fieri *die 28. Jan.*, quo in aliqua Dioecesi fixe, utpote in die sui obitus, celebratur Festum *S. Juliani Ep.* Prohibitum enim est per Decretum S. R. C. assignari stabiliter huic diei Festum primarium *S. Agnetis.* in casu, quo alicubi *21. Jan.* non potuerit stabiliter celebrari ex eo, quia *haec dies 28.* relinquenda sit vacua, ut in ea reponi valeat Festum *SSmi. Nominis Jesu*, quando transferri debet ob occurrentiam Dominicae Septuagesimae. Supplicata enim pro resolutione et declaratione, circa varia Dubia ad Breviarium Benedictinum spectantia, quaesitum fuit ad *tit. 10 de translatione Festorum dub. 1: An die 21. Jan., quia occurrit in multis locis Festum S. Meinradi M. cum Festo S. Agnetis V. et M., sit celebrandum Officium de S. Meinrado, Officio S. Agnetis stabiliter et fixe*

translato ad diem 28. Januarii? S. C. respondit: *Faciendum est Officium de S. Meinrado, et transferendum est Officium S. Agnetis, quod occurrit eodem die, cui assignari debet aliqua dies fixa, quae tamen non sit dies 28. Jan., ne Festum SS. Nominis Jesu, quod celebratur Dominica II. post Epiphaniam, aliquando occurrens in eadem Dominica, quae est Septuagesima, ideoque, ne illud Festum celebretur intra Quadragesimam, quod non conveniret, erit relinquenda vacua dies 28. Jan., in qua id tunc erit transferendum. Quando autem agetur Festum S. Agnetis secundo, fiat de eo commemoratio tamquam de simplici, nullo habito respectu, quod Festum ejusdem solemne prius non fuerit celebratum. Einsidlen 5. Maji 1736*)* Et quot in hoc Decreto dicitur de Festo *S. Agnetis*, eadem de causa dicendum venit de quolibet alio Festo constanter translato, quod alicubi occurrere possit, quod propterea nequaquam assignandum erit huic diei 28. Jan., sed in ulteriorem diem protrahendum, ut in Versavien *de S. Raymundo de Pennafort* ob occurrentiam fixam *Desponsationis B. M. V.* declaravit S. C. *die 7. Maji 1746*, quia non minus illud, ac Festum S. Agnetis et S. Raymundi in casu praedicto afferet impedimentum positioni Festi *SSmi. Nominis Jesu* in hac die“.

„Dici fortasse potest, quod in Dioecesi, in qua fixe celebratur Festum ad libitum S. Juliani Ep. die sui obitus, nempe 28. Jan., eadem dies non sit vacua. Quid inde? Festum SSmi. Nominis Jesu occurrens in Dominica Septuagesimae donatur privilegio accidentariae mutationis, qua mutatione si donatur aliquod Festum, habet privilegium excludendi Festum occurrens in illa die, in quam accidentaliter immutatur seu transfertur tamquam in sedem propriam, nisi occurrat Festum altioris ritus seu dignitatis, ut docent Liturgici omnes. Unde, quamvis in aliqua Dioecesi fixe celebretur Festum alicujus Sancti ad libitum 28. Jan., semper vacua consideranda est pro repositioni festi ss. Nominis Jesu, quia ex allato decreto gen. in casu omitti deberet.

Cum Officio ss. Nominis Jesu aliquando translato occurrente Dominica Septuag. assignata sit dies 28. Jan., ne celebretur in Quadrages., occurrente Officio in proprio loco ritus dupl., debet illud transferri cedendo Officio ss. Nominis Jesu ob uniformitatem cum universali Ecclesia. n. 4361 ad 8 die 27. Mart. 1773.

Ad dubium: Quando Festum SSmi. Nom. Jesu occurrit in Dom. Septuag. transfertur in diem XXVIII. Jan. tamquam in sedem propriam juxta Decreta *S.* R. C., ne celebretur in Quadragesima. Quaeritur: an idem locum habeat quando praefatum Festum die sua propria celebrari nequit ob aliud impedimentum v. g. ob occursum Festi Patroni principalis alicujus loci aut Ecclesiae vel an tunc Festum SSmi. Nom. Jesu celebrari debeat prima die non impedita, si praeter XXVIII. Jan. (quando celebratur in Belgio Festum S. Juliani Ep. et Conf. semiduplex ad libitum) alia dies libera occurrat ante Quadragesimam v. g. III. Febr., qua occurrit Festum simplex S. Blasii?

Et Emus. ac Rmus. D. Card Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . rescribi mandavit:

„Juxta Rubricarum placitum solum quando praepeditur ob Septuagesimae occursum, alias in primam diem non impeditam“.

Atque ita rescribi ac servari mandavit. n. 4921 ad 3 die 22. Maji 1841.

---

*) Vd.: *S. Meinradus* (decr. n. 4043 die 5. Maji 1736.)

Tutto l'Ordine de' Minori Osservanti e Riformati celebra la Festa del Santissimo Nome di Gesù lì 14. Gennaro. Ma in Ascoli della Puglia essendo questo dì impedito dalla Festa di S. Potito Martire Titolare della Chiesa di quel Convento, et della Cattedrale, e Patrono di quella Città e Diocesi, la Festa del Santissimo Nome di Gesù nel suddetto Direttorio dell' anno 1796. vedesi fissato li 14. Febbraio con questa Parentesi *(hic in perpetuum ex 14. Januarii ex S. R. C. Decreto)* Non sembrando però autentico siffato Decreto, perchè sarebbe opposto a varii altri, che proibiscono di celebrare la suddetta Festa in quaeresima, il che avverrebbe spesso se si celebrasse li 14. Febraro; perciò si cerca se i Padri Minori Osservanti Riformati di Ascoli possono celebrarla la seconda Domenica dopo l'Epifania come la Chiesa universale, benchè la loro Rubrica peculiare n. 112 proibisca assegnare agli Officii translati le Ferie, e Domeniche, ossia a giorni mobili? Ed in caso di affermativa, si cerca inoltre, se quando la Domenica seconda dopo l'Epifania è impedita dalla Settuagesima, possano trasferire il Santissimo Nome di Gesù al dì 28. Gennaro, benchè impedito da un doppio minore, giusta i varii Decreti di cotesta Sacra Congregazione, e se quando oltre la seconda Domenica dopo l'Epifania é anche impedito il dì 28. Gennaro, come avverrà nel 1866, possano trasferirlo al dì 20. dello stesso Mese, benchè e gualmente impedito da un doppio minore?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„In casu de quo agitur, servetur Decretum diei 5. Maji 1736 in Einsid. ad 1.*:* Et quando dies 28. Jan. inciderit in privilegiatam Dom. fiat de SSmo. Nomine Jesu die sequenti.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5032 ad 2 die 6. Septemb. 1845.

19) Nominis B. V. M.

a) Dies.

Cf: *Commem. B. V. M.*; *Exalt. s. Crucis.*

Supplicantibus Carmelitis Congregat. Hispan. ut etiam ad tempus quadragesimale pro die non impedita festo 9 II. extendatur Officium votivum s. Nominis B. V. M., quod quater in anno possunt recitare ritu duplici, cum in toto anno non remaneant dies vacui, in quibus recitetur nisi in tempore Quadrag., S. C. resp.: *Negative* n. 4401 ad 15 die 16. Febr. 1781.

Festum Nom. B. V. M. celebrari dominica infra oct. Nativ. B. V. sub ritu dupl. maj. quotannis in eccles. universali ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Saecul. quam Regul., qui ad horas canonicas tenentur. S. R. C. 20. Novb. 1683. Approb. Innocent. XI. 25. Novb. 1683. Sub 5. Febr. 1684 S. R. C. approb. missam propr. necnon Officium.

Innocentius PP. XI. per universam Ecclesiam celebrari praecepit festum SSmi. Nom. B. V. M., quod festum jam ante ex indulto ap. nonnullis in locis cum Indulgentiis pro Missae solemni Interessentibus*) die 17. Sept. celebrabatur cum Officio et Missa propriis. Ad dubia exinde exorta S. C. resp.:

1. Cessare debet in dictis locis tam Officium quam festum SSmi. Nom. M. jam ante a sede ap. approbatum, ita ut idem festum die 17. Sept. in dicto

*) Clem X. die 7. Oct. 1671 largitus est indulg. plen. omnibus Christifidelibus, qui missae de Nomine B. V. M. die 17. Sept. celebr. in *Ecclesiis Provinciarum et Regnorum Regis Hispan.* interfuerint. (Bullar. mag. tom. VI. p. 367 ed. Luxenb. 1727).

Officio et Missa propriis non possit amplius celebrari.

2. Indulgentiae pariter cessant pro illo die et pro translatione supplicandum est Sanctissimum.

3. Dictum Officium et Missa de Nom. B. V. M. pro dictis locis aut Ordinibus Regularibus non possunt amplius reimprimi ac illi posthac non possunt iisdem uti. n. 3054 ad 1—3 die 17. Junii 1684.

Officium Nominis B. V. M. recitandum esse in ipsa die dominica occurrente in octava Nativ. B. V. M. absque comm. octavae. n. 3098 ad 1 die 24. Novb. 1685; n. 3399 die 1. Sept. 1696.

Qualis a Capuccinis observari debeat duorum decretorum, 24. scilicet Novembris 1685., et 22. Januarii 1707, a S. R. C. emanatorum circa celebrationem Festi et Officii SS. Nominis Mariae, quando die pro tali Festo et Officio assignata ab eadem S. R. C. occurrit dies octava alicujus Sancti?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi. et Rmi. D. Card S. Clementis respondendum censuit sub die 10. Junii 1710:

„Servandum Decretum generale, juxta votum".

Ad dubium: Cum Off. SS. Nominis B. V. M. sub *ritu dupl. maj.* *) celebrandum sit dom. infra Oct. Nativ. ejusdem B. V. M., in quam dominicam fere singulis annis incidit in Dioecesi Curien. dies octava SS. Angel. Cust. sub ritu dupl. min., utrum liceat transferre festum SS. Nom. B. V. M. in primam diem non impedit. et in dominica praefata celebrare Off. de die octava ss. Angel.? S. C. resp.: Affirmative. n. 3565 ad 3 die 19. Junii 1700.

Ad dubium Benedictin. Einsidl: An festum ss. Nom. B. V. M. celebrandum sit dominica infra octavam Nativit. vel in ipsa die octava? S. C. resp.: Affirmative ad utrumque et ex praecepto et quando ipsa dies octava Nativitatis incidat in dominicam, nulla fiat commemoratio octavae. n. 4044 (2do) ad 18 die 23. Julii 1736.

Celebrandum esse festum ss. Nom. B. V. M. in die dominico infra octavam Nativitatis ejusdem B. V. M. n. 4284 die 29. Mart. 1760.

Ad dubium: Num Dominica III. vel IV. Sept. in Ecclesiis SSmi. Nominis B. M. V. dicatis, recitandum sit de die octava ejusdem Festi Titularis, et transferendum Festum VII Dolorum ejusdem Deiparae, quod Festum in concursu diei octavae transferendum declaravit S. R. C. die 19. Aug. 1817?

Et S eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Servandam esse regulam assignatam pro die octava Nativ. B. M. V. incidente in Dominicam, et in una Urbis diei 15. Sept. 1685".

Atque ita rescripsit servarique praecepit recensita in Ordine Discalceatorum. Die 12. Sept. 1840 n. 4900 ad 2.

Clerus Saec. et Reg. Dioecesano Florentino Calendario utens gaudet privilegio recitandi Officium Concept. B. M. V. in omnibus Sabb. per Annum, etiam in Quadragesima; Quaeritur: an Clerici Reg. Scholarum Piarum in Dioecesi Florentina degentes et habentes privilegium recitandi Officium SSmi. Nom. Mariae semel in hebdomada, exclusa Quadragesima, possint potius recitare Officium SSmi. Nom. Mariae in die Sabbati etiam in Quadragesima et Adventu?

Et S. ipsa C. . . . respondendum censuit:

*) Decr. S. R. C. n. 4049 ad 5 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 5 die 16. Febr. 1737.

„In Sabbatis tantum per Annum posse, exclusis semper Quadrag., Adv., et Sabbatis quatuor Temporum“.

Atque ita rescripsit, servandumque mandavit. n. 5009 ad 2 die 14. Junii 1845.

b) Lectio Nona.

In Officio SSmi. Nom. Mariae habetur Rubrica praecipiens, quod, si transferatur, IX. Lectio sumi debeat ex Officio B. M. V. in Sabb. Mensis Septembris. Estne hujusmodi regula sequenda dum idem Festum transferri debeat intra Mensem Octobris?

S. ipsa C. . . . respondendum censuit:

„Dicendum de Mense ad quem transfertur Officium“.

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit die 29. Martii 1851. n. 5157 ad 3.

c) Missa.

Vd.: *Missa vot. de B. V. M.* (quae missa? decr. n. 4361.)

d) Translatio.

Vd.: *Festum ss. Nom. B. V. M.* (dies; decr. n. 5565.)

Si Festum Exaltationis SS. Crucis occurrat in dominica infra octav. Nativit. B. V. M., in qua celebrandum est festum Nom. B. V. M., tunc Off. Nom. B. V. M. transferendum est ad primam diem festo 9 ll. non impeditam. S. R. C. n. 3115 die 20. Julii 1686.

Quotiescunque occurrit apud Franciscanos dies octava S. Rosae Viterb. in dom. infra octavam Nativ. B. V. M. fiat Off. de dicta die octava, protracto ulterius festo SS. Nom. B. V. M. S. R. C. 22. Jan. 1706.

e) Non transfertur.

Festum ss. Nominis B. V. M. quod pro regnis et Provinciis austriacis est dupl. 2. cl. et Vienae cum processione, maxima exteriori pompa, Indulgentiis plenariis ac ingenti populi concursu ob liberationem Viennae ab obsidione Turcorum celebratur, in occurrentia cedere non debet festo s. Nicolai Tolent., quod est dupl. 2. cl. cum octava; octava enim non elevat ritum. In paritate autem ritus attendi debet tum major Dignitas B. V. M. tum major solemnitas celebrationis juxta decr. die 2. Mart. 1683. n. 4198 ad 4 die 11. Jan. 1749.

Ad dubium: 1. In occursu Festi Septem Dolorum B. M. V. cum Festo SSmi. Nominis ejusdem, de quo est persolvendum?

2. An in casu quod debeat transferri Festum Septem Dolorum, sit etiam concessa Octava transferenda?

Et S. eadem C. . . . Dubio satisfecit rescribens:

„Officium Septem Dolorum transferendum in sola occurrentia aequalis vel superioris ritus semper ad diem Dominicam et cum Octava juxta Decreta“. Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit. n. 5161 die 29. Mart. 1851.

20) Observatio.

Vd.: *Fest. de Praecepto*; *Patron.* (electio; decr. sub die 15. Mart. 1698.)

Communitates vel Universitates civitatum seu locorum non tenentur ex praecepto servare festa ex voto eorumdem indicta, cumsub praecepto teneantur tantum personae voventes. S. R. C. 18. Apr. 1643.

21) Cum Octava. Non est celebrand.

Cf.: *Octava*; *Translatio festi cum octava*; *Patronus princip.* (transl. decr. 4553 ad 4).

Non licere festa *Beatorum* cum Octava celebrare, nisi hoc expresse Sedes apostol. Regularibus cujuscunque

Ordinis et Instituti indulserit. n. 1653 die 5. Oct. 1652. Vd.: *Beati.*

Non potuisse nec posse tam Saeculares quam Regulares cujuscunque Ordinis et Instituti, etiam Societatis Jesu, excedere limites verbales indultorum Sedis apostolicae super Beatificationibus praesertim in celebratione Missarum et Officii cum octavis, nisi hoc expresse Sedes apost. eis indulserit. n. 1654 die 5. Oct. 1652.

22) Extra suam octav. cadens.

Vd,: *Patronus* (transl., decr. n. 4553 ad 4.); *Annunt. B. V. M.* (Off. etc. n. 4487) *Transl. alicuj. festi cum octava. Octava Corp. Chr.* (privil. decr. n. 4530. 4110.) *S. Januarius* (Officium, decret. n. 4097.) *Sept. dol. B. V. M. mens. Sept.* (decr. n. 4842.)

Ad dubium: an in Ecclesiis Annunciat. B. V. M. Florentiae et in aliis sub eodem titulo, de festo Annuncit. translato post octavam, Officium sit tamquam de Titulari recitandum cum octava? S. C. resp.: *Negative.* n. 3590 ad 2 die 11. Junii 1701.

Si cadat festum s. Benedicti in hebdamada maj. et propterea debet transferri post Pascha, Benedictini non possunt celebrare hoc festum una cum octava. n. 3222 ad 1 die 10. Junii 1690.

Festa Sanctorum Francisci Solani, Didaci conf. ac Rosae Viterb., quibus concessa est octava, sunt in Panormit. Dioecesi perpetuo translata; quid de octava? S. C. resp.: Festa ab assignato cuilibet eorum die perpetuo amota esse celebranda sine octava, si de ea nihil remaneat, vel cum residuo illius, si de *ipsa* tantummodo dies supererunt. n. 4122 ad 1 die 16. Sept. 1741.

23) Origo.

Vd.: *SS. Trinitas* (fest. privil. decr. n. 4680 nota ad finem.)

24) Pontificale.

Vd.: *Functiones Pontificales.*

25) De Praecepto.

Vd.: *Applicatio pro populo* (decr. n 4532); *Vacatio ab operibus*; *Missä* (oblig. aud. etc.); *Patron. princip.* (estne fest. de praecepto?); *Officium* (ex Indulto concess.; decr. de die 2. Maii 1801.); *Fest. votiv.*

Pro observatione Festorum. Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Universa per Orbem novit Ecclesia Romani Pontificis suprema incumbere sollicitudini, Dominicum gregem, ad aeternam dirigere salutem, et apostolica sic explicare praecepta, ut Fideles in viam mandatorum currere, et ad beatitudinem feliciter valeant pervenire.

§. 1. Plurimorum siquidem Venerabilium Fratrum Nostrorum Archiepiscoporum et Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione ad Nos pervenit, Festorum multitudinem per singulas eorum Dioeceses et provincias adeo crevisse devotione, atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quaenam ex praecepto quaeve ex libera cujusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente. Quin imo et clamor pauperum frequens ascendit ad Nos, eamdem multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium, et quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri moerore didicimus, tanta saepe saepius machinatum inimicum in Sanctos, ut ipsa multitudine, non ad aedificationem et ad laudandum in Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates et vitia frequenter abuti non formident, ita ut quae ad glorificandum divinum Numen sunt primitus insti-

tuta, temporis decursu inimicus homo corruperit et in magnam illius offensionem gravemque jacturam converterit animarum. Quamobrem dicti Venerabiles Fratres Archiepiscopi et Episcopi Nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in praedictis de Apostolicae potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

§. 2. Nos itaque volentes ex debito Pastoralis Officii providere et sanctificationis Festorum certum deinceps firmare praeceptum, antiquam Ecclesiae in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos piosque Viros, quos ad hoc specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur gravitas postulare, Motu proprio et ex certa scientia meraque deliberatione nostris, nec non de praedictae Apostolicae plenitudine potestatis, hac perpetuo valitura Constitutione, de voto etiam Ven. Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum, Apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infra scriptos dumtaxat dies pro Festis *ex praecepto* colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur. Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. J. Chr., Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, cum duabus pariter sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, SSmae. Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis S. Crucis; nec non Purificationis, Annuntiationis, Assumtionis et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis-Baptistae, S. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomae, S. Philippi et Jacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, S. Simonis et Judae, et S. Mathiae, Christi Domini Apostolorum, item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silvestri Papae et c., s. Josephi c. et S. Annae Deiparae respectivae Sponsi, ac Genitricis, solemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno sive Provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido vel Pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit.

§. 3. Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos hactenus, sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione aut Regno, Provincia, Dioecesi aut loco quomodocumque, sive ex consuetudine, sive ex devotione, Christi Fideles tanquam festivos celebrarent, nequaquam ex praecepto ipsos teneri, dicta auctoritate tenore praesentium perpetuo etiam decernimus et declaramus. Ne autem dies festos a locorum Ordinariis, nimia aliquorum facilitate aut Populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de cetera perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere. Ut vero ea, quae superius expressa sunt, ferventiori, qua decet veneratione, ac devotione colantur, eisdem Ordinariis, antiquorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus, in concedendis licentiis laborandi diebus festis; quae quidem licentiae non aliter, quam ad formam praedictorum Canonum, ut praemittitur, concedendae, nonnisi gratis, libere et sine ullo prorsus pretio aut pacto, directe vel indirecte concedantur, sub poenis etiam gravioribus nostro successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatos circa ju-

dicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in iisdem statu et terminis, in quibus erant ante ejusdem promulgationem.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena, nunc, et pro tempore existenti nostro in Urbe ejusque districtu Vicario in spiritualibus generali ac universis et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque Praelatis, ac cujuscumque generis locorum Ordinariis, etsi Cardinalatus honore fulgeant, ut has praesentes literas omniaque et singula in eis contenta singuli videlicet in eorum respective Dioecesibus publicent et ab omnibus eorum subditis ad unquem observari faciant.

§. 5. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, etiam in Provincialibus Synodalibus et universalibus Conciliis editis et edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus, ac singularum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum et Locorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus longissimo tempore praescriptis ac observatis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, decretis declarationibus et literis Apostolicis aliisque gratiis, tam per ipsos Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac per Nos etiam motu simili, etiam consistorialiter, quam per Ordinarios Locorum cujuscumque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, ut praefertur, fulgentes, Legatos etiam de Latere, et Sedis Apostolicae Nuncios, ipsius Provinciis, Civitatibus, Oppidis et Locis, aliisque quibuscumque etiam quantumvis privilegiatis personis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum aut aliorum Principum contemplatione vel intuitu, ac alias in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, et si alias pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu scientia et potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, et earumdem praesentium transumptis etiam impressis et manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo personae alicujus in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§. 7. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum declarationum, monitionis, intentionis, mandati, derogationis vel voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1641. Idibus Septembris. Pontificatus nostri Anno XX. n. 1411.

Festa de praecepto a S. R. C. hactenus approbata et in posterum pro omnibus Christifidelibus ad horas canonicas recitandas obligatis approbanda, *tenentur* etiam Benedictini suis Bre-

viariis adjungere et illa de praecepto recitare. n. 3222 ad 1 die 10. Junii 1690.

Festa de praecepto declarata ab Ecclesia romana esse servanda in toto Orbe terrarum. n. 862 ad 2 die 8. Junii 1630.

Quando occurrit festum aliquod in Dioecesi, quod sit de praecepto quoad forum, Regulares de eo debent Off. recitare, nisi apud ipsos occurat eadem die aliud, quod festum sit ejusdem classis, ritus et majoris dignitatis. S. R. C. 5. Maji 1736.

26) Privilegiatum.

Vd.: *Octava privileg.*; *Octava Corp. Chr.* (privil.); *Festum ss. Cord. Jesu.*

27) Publicatio.

Vd.: *Epiphania Dom.* (festa publ.)

Festa *mobilia* in Epiphania Dom. publicare pertinet ad Canonicum juniorem. n. 336 die 16. Jan. 1607.

Publicationem festorum de *praecepto* esse faciendam per Curatos et nullo modo per Vicarios foraneos. n. 994 die 17. Decb. 1633.

28) SS. Redemptoris.

Vd.: *SS. Redemptor; Calendarium Congregat. SS. Redempt.*

29) Reductio.

Vd.: *Reductio festorum.*

30) SS. Reliquiarum.

a) Dies.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: An Festum ss. Reliqu., quae asservantur in Ecclesiis Ordinis Nostri, celebrandum sit et qua die mensis Octobris? S. C. resp.: Affirmative et die 30. Oct. n. 4044 (2do) ad 19 die 23. Julii 1736.

Quando Vigilia Om. SSrum. venit in dominica et consequenter anticipanda est in Sabbatho, quod tunc erit dies 30. Octbr., in qua a PP. Benedictinis celebratur festum ss. Reliquiarum totius Ordinis, tunc a praedictis Monachis facienda est commemoratio tantum de Vigilia Omn. SSrum. S. R. C. Die 5. Maji 1736 *in Einsidl.*

b) Translatio.

Vd.: *Reliquia.*

Ad dubium Benedictin. Einsidl.: Cum festum ss. Reliquiar., quae in aliquibus Ecclesiis Ord. nostri asservantur, celebretur sub ritu dupl. 2. cl. in die dominica, quae tamen non est dies fixa, cum aliquando occurrat in dominica festum s. Lucae Evang.; quaeritur: Quale festum sit transferendum? S. C. resp.: Non est transferendum Officium s. Lucae. n. 4044 (2do) ad 13. die 23. Julii 1736.

Officium Reliquiarum, quod celebratur prima dominica post festum s. Matthaei in Ecclesia Hispalensi, si talis dominica fuerit altioris ritus impedita, poterit in aliam diem non impeditam transferri. n. 4181 ad 6 die 7. Maji 1746.

Ad dubium: Officium SSrum. quorum reliquiae in unaquaque Ecclesia asservantur et coluntur, assignatum est (in Dioec. Piscien.) dominicae non impeditae et proximiori tempori Adventus. Quoniam haec dominica non impedita intelligitur eo, quando occurrit dominicale Officium, accidit, ut de mense ad mensem transferatur, et aliquando locum habuit mense Januario anno sequenti. Quid in casu agendum? S. C. resp.: nunquam transferendum sequenti anno mense Januario juxta pluries decreta. n. 4859 ad 4 die 3. Aug. 1839.

Cf.: *Officium* — transl. in sequ. annum. —

31) Repositio.

Vd.: *Transl. festi.*

In repositione duorum vel plurium festorum eundem ritum habentium et diversa die occurrentium, attendatur prioritas translationis, nisi attendenda sit major dignitas, quae attendi debet in illis tantum festis, quae exprimuntur in rubricis gener. de transl. fest. n. 7, et de concurrentia festorum sub. n. 2. illis verbis: *Inter festa aequalis ritus etc.* S. R. C. 13. Jun. 1682. *In una Ord. Min. de Obs.*

32) Ritus.

Cf.: *Festum* (dignit.); *Patronus* (festiv. gradus etc.) *Ritus* (Missae et Off.)

Festa, quae sunt ritus dupl., non celebrantur sub alio ritu, quam ritus dupl. minoris, nisi constet de diversa concessione; festa tamen secundaria Patronorum minus principal., si celebrentur *cum* solemnitate, habent in se naturam dupl. majoris et qualitatem dupl. minoris, si *absque* solemnitate peragentur. n. 4134 ad 2 die 1. Decb. 1742.

Usus celebrandi quam plura festa sub ritu dupl. maj. ex eo, quia sunt celebria in populo Cracaviensi, sustineri non potest. n. 4160 ad 1 die 22. Aug. 1744.

De ritu festi simplificando, vd.: *Officium* (transl. in sequ. annum etc.)

33) Omnium Sanctorum.

Vd.: *Patrocinium B. V. M.*

De diebus infra octav. vd.: *Dedicat. Eccl.* (Transl. decr. sub n. 3354).

De ejus commemoratione vd.: *Commemorat. octavar.* (ordo, decr. n. 4566.)

Octava Omn. Sanctorum tamquam dignior praeferenda est octavae dedicationis ecclesiae. S. R. C. 5. Mart. 1693 *in Sabinen.*

34) Omn. SS. Ordinis.

Confessarii et Capellani *saecular.* Monialium Ord. s. Bened. in Missa superaddere non possunt verba: *Ordinis Nostri,* ut Monachi Ord. s. Benedicti infra oct. omn. SS. celebrantes festum Omn. SS. Ordinis Introitui missalis rom., orationibus et Collectis superaddunt verba: *Sub honore SS. Omn. Ordinis nostri.* n. 3467 die 15. Mart. 1698.

Ad humillimas preces Vice-Commissarii generalis *Ordinis Minor. Observantiae* Officium Omn. Sanctorum Ord. dicti, quod hactenus sub ritu dupl. min. recitatum fuit, in posterum sub ritu dupl. maj. II. cl. cum Praefatione, prout in festo s. Francisci, a Religiosis praefati Ordinis recitari posse concedit S. R. C. 22. Aug. 1722.

35) Separatio.

Cum S. Januarius fuerit declaratus a S. R. C. Patronus princip. Regni Neapolitani, hinc de festo dicti Sancti debet in eodem Regno fieri Officium sub ritu dupl. cum octava, sed de s. Januario tantum, non vero de sociis ejusdem, quorum Officium transfertur ad primam diem non impeditam. S. R. C. 12. Julii 1664, *in Monopolitana.*

Vd.: *S. Sebastianus* (Off. etc. decr. n. 3499.): *S. Marcus et Marcell.; Reliqu. insign.* (Officium, decr. n. 2812); *S. Eustachius.*

36) Solemne.

Solemnioribus *festivitatibus* adnumerari: Nativitatem s. Joann. Bapt. et festos dies, qui Paschaten et Pentecosten subsequuntur. Solemnioribus vero *functionibus:* Missam de fer. V. in Coena Dom., Missam et Vesperas tam Sabb. s. quam alterius, qui Pentecosten praecedit. S. C. die 3. Julii 1779; *in Vasionen.*

Festa *solemnia* esse praeter festum Paschalis Resurrectionis D. N. J. Chr., feriam V. in Coena Domini, festum Ascensionis D. N. J. Chr., SS. Apost. Petri et Pauli, festum Annuntiationis et Assumptionis B. V. M., festum Omn. Sanctorum, festum Nativitatis ac Epiphaniae Domini. n. 364 die 17. Novb. 1607.

Vd.: *Patronus; Functiones pontificales*; *Obligatio Episcopi celebrandi; Patronus princip.* (transl. decr. n. 4554 ad 2 nota).

37) Translatio.

Vd.: *Translatio festi.*

38) SS. Trinitatis.

Vd.: *SS. Trinitas.*

39) Votivum.

DE FESTORUM OBSERVATIONE.

Quaesitum fuit a multis Episcopis: an Constitutio super observatione Festorum comprehendat Festa ex voto alicujus Personae vel Communitatis introducta? Et interrogatis prius Consultoribus Sac. C., qui post latum suffragium recesserunt, Fr. Lucas dixit, constitutionem tollere festa de voto. P. Alciatus: festa de voto esse sublata quia votum non obligat successores, sed habendam rationem dictorum festorum. Abbas Hilarion: successores non teneri ex voto, sed ex directione Communitatis, accedente auctoritate Episcopi. Ideoque Constitutionem tollere festa de voto pro iis, qui non voverunt, secus pro illius qui voverunt. R. P. D. de Rubeis: festa de voto remanere in dispositione Juris communis. R. P. D. Sacrista: tolli ex vi clausularum derogatoriarum in fine Bullae, quae tollunt omnia statuta etiam juramento firmata. Emmus Cardinalis Sacchettus: successores non obligari, voventes obligari: Pamphilius: in eodem, et in derogatoriis tolli statuta juramento firmata; Reccius in eodem. Pallottus: teneri ad festa de voto qui voverunt, et non esse edendum Decretum generale, sed respondendum ad particularia; Franciottus: teneri, qui voverunt, uti particulares, et responsiones dandas tantummodo petentibus, vel dicta festa ponenda sub festis de devotione. Bragadinus in eodem; Caesarinus in eodem. Ideoque S. C. unanimi consensu Decretum desuper concepit tenoris sequentis:

Proposito Dubio ad instantiam quam plurium Reverendissimorum Episcoporum: an stante Constitutione S. D. N. Urbani P. VIII. super observatione Festorum, quae incipit *Universa*, Idibus Septembris 1642 promulgata, Universitates seu Communitates Civitatum seu locorum teneantur ex praecepto servare festa ex voto eorumdem inducta? Die 18. Aprilis 1643 S. R. C., referente Emo. et Rmo. D. Cardinali Sacchetto censuit: „ex dispositione Constitutionis praedictae Personas voventes tantum teneri;" quam S. C. sententiam sibi relatam SSmus. D. Noster laudavit et approbavit dixitque „intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere festa de voto quoad vim praecepti, et reducere illa ad instar Festorum de devotione, reservata obligatione ratione personalis contractus ex vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt." n. 1444 die 18. Aprilis 1643; n. 3651 ad 1 die 23. Junii 1702. Vd.: *Fest. de praecepto.*

Juxta resoluta sub die 18. Apr. 1643 ex dispositione Constitutionis *Universa* personas *voventes* tantum teneri, quam Congregationis sententiam Urbanus VIII. laudavit dixitque intentionem suam fuisse, per eam Constitutionem tollere festa de voto *quoad vim praecepti* et reducere illa ad instar festo-

rum de devotione, *reservata obligatione ratione personalis contractus ea vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt.* n. 1530 ad 1 die 4. Mart. 1645.

FIDELIUM
(Oratio).

Cf.: *Commem. pro Def.*

Ad dubium: an, quoties qui privatim celebrat de simplici vel reassumit missam Dominicae praecedentis in fer. 2., vel prima die mensis non impedita, teneatur dicere secundam orat. *Fidelium* tam in missa conventuali quam in caeteris privatis? S. C. resp.: Affirmative. n. 3595 die 13. Aug. 1701.

Vd.: *Missa conv. de requ.* (Estne praecept.?); *Oratio imp.* (dicenda; quaest. 4. decr. n. 4746).

FIDELIUM ANIMAE etc.

Non est omittendum in fine cujusvis horae: „*Fidelium animae etc.* quando post eam immediate dicitur missa, sed servandus adamussim textus rubricae 30 Breviarii rom. n. 4124 die 24. Apr. 1742.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Officii temp. decr. n. 4656 *nota* ad finem.)

FIMBRIAE VESTIS EPISCOPI.

Ad dubium: an Episcopo ascendente gradus et descendente Magister Caeremon. teneatur elevare fimbrias? S. C. resp.: Servetur Caerem. L. 1 c. 8. n. 3845 ad 5 die 27. Febr. 1712.

Vd.: *Pluviale* (fimbriae etc.); *Diaconi ass. Episc. in Cath.* (decr. n. 351.

FISTULA
(in Sumptione SS. Sanguinis).

Vd.: *Sumptio SS. Sanguinis.*

FIXATIO
(festorum).

Vd.: *Festum* (fixatio).

FLECTAMUS GENUA.
(Genufl. cor. SSmo).

NEAPOLITAN.

Quum Sacerdos Joseph Pignatelli Neapoli degens S. R. C. humillime rogarit, ut declarare dignaretur: an, quando Missa celebratur in Altari, in quo publicae Fidelium venerationi est expositum SSmum. Eucharistiae Sacramentum, et in Missa ipsa dicendum occurrit *Flectamus genua*, genuflexio isthaec fieri debeat erga SSmum. Sacramentum, an vero more solito ante Missale, ut a Rubrica praescribitur? Quumque S. C. in Ordinario Coetu ad Quirinale habita VIII. Kal. Oct. superioris Anni 1842 edixerit, ut in re exquireretur Votum alterius ex Apost. Caeremoniarum Magistris, iterum proposita instantia in novis Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum: in casu nihil innovandum, ac servandas Rubricas gen. titulo de Oratione num. IV.“ Atque ita servandum mandarunt; die 18. Febr. 1843. n. 4962.

FORMALE.

Vd.: *Pectorale Episcopi* (decr. n. 1235.)

S. FRANCISCUS.

1) Assisi.

a) Imago.

Vd.: *S. Antonius* (imago.)

b) Inventio ejusdem Corporis

Pius Papa VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Assisiensem Basilicam, quam Gregorius IX. ob s. Francisci Minoritarum Parentis honorem, atque ad sacrum ipsius Corpus loco honestissimo condendum molitione admirabili opereque magnifico extruendam ab inchoato curavit, caeterique Romani Pontifices Praedecessores Nostri omni cultu exornarunt insignique copia privilegiorum prae caeteris Aedibus auxere, eam Nobis singulari quadam Divinae Providentiae dispensatione datum est illo digitatis ac gloriae splendore cumulare, qui ad perfectum absolutumque ejusdem decus desiderari unice videbatur. Communi quippe consensione percrebuerat, sub Ara principe ejusdem Basilicae locum esse, in quo Viri sanctissimi Corpus extaret. Verum Eo sic disponente, cujus inperscrutabilia judicia sunt, nondum adinveniri posse, atque in lucem aspectumque hominum proferri Thesaurum omni auro pretiosiorem, lectissima tanti Patris Familia et res Christiana universa condolebat. Imo quae in causis id genus Sanctae hujusce Sedis provida est jugiter, et cauta moderatio, visum fuit Paulo V. fel. rec. decreto ex ipsius auctoritate per Alphonsum Vice-comitem Cardinalem Ordinis Conventualium Patronum edito, diserte cavere, ut perquirere ipsum fossionesque aut aliud quidpiam in eum finem ibidem pertentare, fas esset nemini. Illuxit tamen tempus a Deo praefinitum, quod incensa omnium vota tantopere adproperabant, quo nimirum Vas illud Spiritus Sancti protrahendum foret in lucem: Nostraeque humilitati tot inter tantasque Summi Pontificatus solicitudines fatiscenti eam Deus Omnipotens delatam voluit consolationem, ut nos suspicatissimae hujusce faustitatis administros clementer adsciverit. Cum enim, conficiente Domino miserationes viasque aperiente mirabilium suorum, certis quibusdam gravibusque ex rationibus compulsi, memorato Pauli V. interdicto derogandum esse duxerimus precibusque annuerimus a Dilecto Filio Josepho Maria de Bonis, Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, perlatis, quibus de S. Francisci Corpore inquirendo in Assisiensi Basilica facultas poscebatur, res cessit feliciter.

Longo siquidem duarum et quinquaginta noctium atque incredibili labore clam et occulte insumpto perruptisque, rupe, aggere, muris, coementis saxisque praegrandibus, locum demum introspicere datum fuit Arae maximae recta prorsus suppositum, in quo Arca lapidea jacebat, quam ferrei clathri validis virgis inferiusque ac superius mirifice densis circumcludebant, quin sacras Reliquias ibidem adservatas invisere prohiberent. Aditu proinde in cavum eum sinum, uti cautum fuerat, illico obstructo, neque ad Nos statim delata, primum Venerabili Fratri Francisco Episcopo Assisiensi mandatum fuit, ut ea dumtaxat, quae usquedum acta proferebantur, rite ipse cognosceret, quin tamen de sacris Reliquiis quaestionem institueret. Ad eam quippe pro summa negocii gravitate non ipsum solum Franciscum Episcopum sed et alios praeterea Venerabiles Fratres Nucerinum, Spoletanuum, Perusinum et Fulginatensem Episcopos, datis in forma Brevis Apostolicis Literis die 8. Jan. anno superiori, adlegandos censuimus, ut insimul in memoratum locum convenirent, neque universa accuratissime conspecta, Viris artium peritis auditis et in examen vocatis cunctisque monumentis diligenter conquisitis ac perpensis, ea omnia in acta solemnia referrent ac juridicum super indentitate Sacri Corporis processum pera-

gerent, obsignarent et in Urbem mitterent Nobisque ad veritatem significarent, quid de re ipsa sentirent in Domino.

Nitide iidem atque ea, qua praestant, dexteritate et prudentia imposito sibi munere perfuncti sunt. Quare omnibus ad praefinitam ex Sacrorum Rituum Congregationis institutis normam diligenter absolutis non abnuimus, acta haec ipsa iis, quorum intererat, patefieri, ut quaelibet ex Minoriticis Familiis per suos Generales Procuratores libere hac in causa suam diceret sententiam, ut exinde locupletissima animadversionum documentorumque congerie in disceptationem proposita luculentius veritas tutiusque dignosceretur.

Haec porro omnia discutienda et perpendenda demandavimus juxta Tridentini Concilii Decreta Sessionis XXV.: *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum*, selectae cuidam Congregationi, quam in eum finem designavimus ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. C. Cardinalibus de Somalia Sacri Collegii Decano, ejusdem S. R. E. Vice-Cancellaris et Congregationis Sacrorum Rituum Praefecto; Naro, Sacrae Congregationus Indulgentiarum et Reliquiarum Praefecto; Quarantotti et Antonio ab Aurea, nec non ex Dilectis Filiis Magistris Francisco Serlupi Romanae Rotae Decano, Josepho Antonio Sala memoratae Rituum Congregationis Secretario Coadjutore Alexandro Buttaoni Fidei Promotore et Aloysio Gardellini ejusdem Rituum Congregationis Assessore, ac demum ex tribus Sacrae Theologiae Doctoribus atque Congregationis Rituum Consultoribus Vincentio Garofoli Abbate et Vicario Generali Canonicorum Regularium SSmi. Salvatoris, Aloysio Jonni Magistro Ordinis Eremitarum S. Augustini et Antonio Maria Grandi Pro-Vicario ac Procuratore Generali Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli. Hinc habita ea Congregatione in Aedibus Cancellariae Apostolicae ad diem XVI. Kal. Augusti, allatisque ad Nos per Secretarium suffragiis omnibus scripto traditis, causam universam serio diligenterque considerandam Ipsi suscepimus atque peculiari Divinae Sapientiae praesidio multa humilique prece exorato, decretorium tandem judicium Nostrum juxta ejusdem selectae Congregationis mentem memorato Sacrorum Rituum Congregationis Assessori, qui Nos pro Secretario absente Kalendis Augusti adivit, aperuimus illudque per Apostolicas Literas explicare ac sancire decrevimus.

Benedicentes itaque Patri totius consolationis, optima spe recreati, novum atque illustre salutaris praesidii a Sancto Viro in tanta temporum difficultate Nobis praebendi testimonium ex mira hac sui Corporis inventione praefulgere, de ejusdem Congregationis selectae consilio et voto, Apostolica auctoritate, tenore praesentium edicimus ac declaramus: „Constare de identitate Corporis nuper sub Ara maxima inferioris Basilicae Assisiensis inventi, illudque revera Corpus esse S. Francisci Ordinis Minorum Fundatoris".

Decernentes, hasce praesentes Literas, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari vel impugnari nullatenus posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et ejus-

dem S. R. E. Cardinales. etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur praesentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ne Venerabile Corpus ex subterraneo loco, in quo sex fere saeculis quievit, alio deferatur; item ne vel minimam quidem Sacrorum Ossium partem liceat inde extrahi auferrique; ac demum, ne Arca, postquam clausa fuerit et obsignata, ullo umquam tempore absque Nostro vel pro tempore existentis Romani Pontificis permissu reseretur. Sinimus tamen, ut, si qui sint ex Carnium molliumque corporearum partium intertrimento cineres ac pulveres, colligantur pro Reliquiis asservandi: illudque cum primis etiam atque etiam commendamus ac praecipimus, ut sacratissimus hic Thesaurus ab omni prorsus injuria atque vi tutus inviolatusque conservetur ejusque accuratiori custodiae tuitioni, incolumitati apprime consulatur. Quae ut rite ac pro rei sanctitate diligenter conficiantur, eumdem Episcopum Assisiensem et Generalem Conventualium Ministrum, eoque absente, Custodem Basilicae, pro tempore existentes, uti ab Apostolica Sede Delegatos, in id specialiter eligimus ac deputamus. Facultatem poro facimus, nedum lapideam Arcam, qua Sacrae Exuviae clauduntur, opere eleganti pretiosisque ornatibus contegi ac ditari, sed et integrum conditorium, quo ea prostat, perpoliri omnique cultu exornari et commodiorem aditum in ipsum aperiri, cujus quidem operis universi descriptionem rationemque Nobis probandam reservamus, ac nonnisi ex Nostro consensu executioni demandari permittimus. Nolumus vero, patere in illud ingressum, nisi certis dumtaxat solemnioribus diebus statisque conditionibus per Nos praefiniendis, aut si quando Viri Principes vel S. R. E. Cardinales vel Episcopi seu Consules Romanae Curiae gloriosum Sanctissimi Patriarchae Sepulchrum veneraturi illic accesserint.

Illud tandem quoque mandamus, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annullo Piscatoris die V. Sept. MDCCCXX. Pontificatus Nostri Anno vigesimoprimo.

Loco † Sigilli. H. Card. Consalvus.
n. 4569.

c) Nominatio in Orat.

Ad dubium: An in missa votiva s. Francisci oratio *A cunctis,* quando di-

cenda erit, permutari debeat in aliam B. V. M. *Concede*, prout in missa vot. ss. ap. Petri et Pauli volunt aliqui rubricistae?" S. C. resp.: Vel omittendum nomen s. Francisci in Oratione *A cunctis* aut legendam orationem ad poscenda Suffragia, quae incipit: *Concede.* Die 15. Maii 1819, *in Assis.* ad 3.

Ad dubium: An in oratione et versiculis B. Francisci possit addi a Franciscanis: *B. Patris nostri?*

S. C. resp.: Negative. Die 18. Decb. 1779. n. 4395 ad 16.

d) Nominatio in Confiteor.

Vd: *Confiteor* (additio).

e) Rosarium de s. Franc.

Vd.: *Rosarium* (novum non introd.)

f) Translationis festum.

De bened. octava vd. *Bened. 8.*

Ad dubium: An universus etiam Ordo Capucinorum, qui festa transl. s. Francisci de Assisi et s. Bonaventurae e. d. sub eodem titulo et ritu et solemnitate celebrat, qua PP. Conventuales, sub eadem rubrica, juxta quam recitatio Symboli in dictis festis praecipitur, comprehendantur? S. C. resp.: Servandam esse a PP. Capuccinis rubricam ad instar PP. Conventualium. n. 4345 die 27. Aug. 1768.

2) Borgia.

De s. Francisco Borgia debet fieri Officium semidupl. de praecepto. n. 3244 ad 4 die 11. Aug. 1691.

In Officio de eodem s. Francisco debent dici primae Lectiones de Scriptura. n. 3244 ad 5 die 11. Aug. 1691.

Ad dubium: an per extensionem ad Ecclesiam universalem Officii S. Francisci Borgia derogatum sit Indulto ap. celebrandi hoc festum die 18. Oct. sub ritu dupl. 2. cl. in Regnis Regis Catholici? S. C. resp.: *Negative* et utantur Indulto. n. 3412 ad 3 die 19. Jan. 1697.

3) Coracciolo.

Juxta decretum Urbis et Orbis 5. Aug. 1507 sequenti anno (1840) additum fuit Calenderio (Dioec. Piscien.) Officium s. Franc. Caracc. cum missa *Os justi* de communi. In Calend. aliarum Dioeces. assignatur missa ppr. concessa altero decreto 25. Novb. 1807. Quaenam legenda? S. C. resp.: Esse legendam missam ppr. n. 4859 ad 5 die 3. Aug. 1839.

4) De Paula.

a) Officium.

Ad dubium: An in Festo S. Franc. de Paula Conf., modo cum Octava in utriusque Siciliae Regno celebrando, Officium a Clero persolvendum esse debeat proprium pro Ordine Minimorum adprobatum vel desumendum ex Breviario et Octavario Rom.?

Et *S.* eadem C . . . . respondendum censuit: „Officium Brev. Rom., et per Octavam desumendum ex Octavario itidem Rom. . ."

Atque ita rescripsit servandumque mandavit. N. 5017 ad 1.

Die 14. Junii 1845.

Vd.: *Cognom. SS.* (non dicenda).

Sixtus PP. V.

Hac praesenti constitutione mandamus, ut S. Francisci de Paula c. dies festus, qui quarto Non. Aprilis peragitur, duplici posthac et proprio, et ubi propria non erunt, de comm. c. non p. officio per cunctas totius christiani Orbis ecclesias quotannis cele-

bretur et in Calend. cum duplicis festi adjectione inscribatur.

Romae 1. Sept. 1585. (Bull. rom. tom. II. p. 536).

b) Translatio.

Vd.: *Annunt. B. V. M.* (decretum pro Ordini Minimorum.); *Missa sol. in Coena D.* (decr. n. 3337; idem decret. etiam pro *Sabbato s.* edictum est et sub n. 3352 die 5. Mart. 1695 emanatum est.)

Concessa sub die 7. Novembris 1671, prout assertum fuit, a S. M. Clemente P. X. toti Ordini Minimorum facultate singulis feriis sextis non impeditis sub ritu semiduplici Officium S. Francisci de Paula Ordinis praefati Fundatoris (recitandi) Corrector, et Religiosi ejusdem Ordinis conventus SSmae. Trinitatis in Monte Pincio de Urbe humiliter S. R. C. supplicaverunt declarari*:*

An extante aliquo festo duplici vel semiduplici translato feria VI. pro Officio S. Francisci de Paula toti Religioni ejusdem Sancti, ut supra, concessa, censeatur impedita et de festo duplici vel semiduplici translato fieri debeat Officium; vel potius non impedita et Officium S. Francisci de Paula in eadem recitari debeat, et alterum duplicis vel semiduplicis translati sit ulterius transferendum.

Et S. eadem R. C. „Officium translatum transferendum esse" censuit. n. 3589. Die 11. Junii 1701.

5) Salesius.

Ad dubium: an dies b. Francisci Sal. sacra a Clero et populo Dioecesis Genevens., cujus Pastor et Pater Sanctus ille extitit, sub *praecepto* coli et celebrari possit? S. C. resp.: Posse cum consensu Cleri audito populo, non obstante, quod SS. Pont. 29. Jan. universae Ecclesiae colendam diem mandavit, *non jusserit*, celebrari de praecepto. n. 2425 ad 1 die 19. Novb. 1667.

Vd.: *Moniales* (Breviar.). *Confiteor Monial. Bullam Canonisationis s. Franc. S. promulg. ab Alexd. VII. die 12. Maii 1665. vd. Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 221.* (ed. Luxenburg 1727.)

6) Xaverius.

a) Indulgentia plen. in ejus festo in Ecclesiis Societatis Jesu et ejus Translatio.

Urbanus PP. VIII.

Alias fel. record. Gregorius XV. Praedecessor noster omnibus et singulis presbyteris et Clericis Societ. Jesu ac aliis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac s. commun. refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Societatis ubique existentibus in festo s. Fr. Xav. devote visitassent, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit.

Nos autem, quotiescunque de caetero festum hujusmodi in I. dom. Adv. inciderit, celebrationem festi hujusmodi in unum ex diebus infra octavam festi s. Fr. Xav. tenore praesentium perpetuo transferimus iisdemque Presbyteris ac Christifidelibus praemissa peragentibus *etiam in die, in quam celebrationem festi transferri contigerit, plenariam indulgentiam et remissionem in Domino concedimus.* In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Romae apud s. Petrum sub annulo Piscat. die 22. Decb. 1637.

Innocentius PP. XX.

Nos supplicationibus Procuratoris gen. Societ. Jesu annuere volentes,

quotiescunque de caetero festum S. Fr. X. in I. dom. Adv. inciderit, *tunc eo casu illud in fer. 2. primam dominicam Adv. immediate sequentem*, ita ut Christifideles dicta feria praemissa adimplentes, *eandem prorsus indulgentiam consequantur* ac in die festo tenore praesentium perpetuis futuris temporibus etiam transferimus. Romae die 27. Oct. 1651. Idem decr. confirm. est ab Alexd. VII. die 18. Jul. 1663. (Bull. mag. rom. tom. V. p. 478, 312; tom. VI. p. 197.)

Vd.: *Indulg.* (Monast.)

b) Patronus Unionis Propagationis Fidei.

EUGUBIN.

Quum Deputati Piae Unionis Propagationis Fidei Civitatis Eugubinae S. R. C. enixe rogarint, ut declarare dignaretur: num in Eccl., ubi memorata Sodalitas erecta reperitur, deinceps Festum S. Franc. X. ceu Patroni ipsius Unionis institui queat sub ritu dupl. I. Cl. cum Symb. Nic. in Missa? S. C. rescripsit: „Negative." Die 18. Febr. 1843. n. 4960.

FUNALIA

(in elevatione SSmi.)

Vd.: *Intortitia ad elevationem etc.*

FUNCTIONES.

1) Ecclesiae Filialis.

Cf.: *Parochus*; *Officia hebdomadae sanctae*.

RIPANA.

In Oppido vulgo Montebrandone intra fines Dioec. Ripan. erecta reperitur Eccl. a Sacerdote Joanne Sacri aedificata in hon. B. V. M. a Spe nuncupata atque necessaria Dote ditata, in qua annuentibus Ep. Ecclesiasticae Functiones, quae juris non sunt Prochialis, atque Solemnes per annum Supplicationes ab Ep. ipsis ordinariae declaratae institutae sunt. Quum vero in praesentiarum hodiernus Praepositus jus aliquod sibi vindicet in ipsis Functionibus et Supplicationibus; ac proinde Sacerdoti Oratori de anno 1830 injunctum fuerit ab Ep., ut veniam impetraret ab eodem Praeposito, ipse grave admodum hoc experitur, ex eo potissimum, quia innumeris Decretis S. R. C. praescriptio isthaec opponitur; ac proinde eamdem C. humillimis precibus rogavit, ut declarare vel potius decernere dignaretur: an deinceps in memorata sua Eccl. Supplicationes caeteraeque Ecclesiasticae Functiones, quae Parochialia jura vel in minimo laedunt, exerceri et institui valeant de venia tantum Episcopi, ut simili modo contentiones ac jurgia penitus amoveantur. Et Emi. ac Rmi. P. S. Ritibus tuendis praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati rescribendum censuerunt: Posse in casu, de consensu tantum Ep. juxta alias Decreta." n. 5024 die 14. Jun. 1845.

2) Ecclesiae Parochialis.

Quando promulgantur?

Vd.: *Nupt.* (Promulg. decr. de die 8. Juli 1724); *Off. hebd. s.*; *Sabb. s.*; *Parasceve.*

3) Pontificales.

Vd.: *Festum solemne*; *Obligatio Episcopi celebrandi.*

Functiones pontif. esse: festum Nativit. D., Epiphaniae, Ascensionis, Pentecost., apost. Petri et Pauli, Assumpt. B. V. M., Omnium SS., Dedicationis Cathedr., Titulum ejusdem, Patroni civitatis, Commem. omn. defunctor., distributionem candel., cinerum, palmarum, celebrationem Officii fer. V. in Coena Dom., feriae VI. in

Parasc., festum Pasch. Resurrect. D. N., diem solem. Corp. Chr. cum processione. n. 2603 die 3. Sept. 1672.

Archiepiscopus Turritanus non valet peragere functiones solemnes majoris hebdom. in Ecclesiis particularibus, derelicta Cathedrali. n. 3687 ad 7 die 26. Apr. 1704.

FUNDATOR MONASTERII.

Vd.: *Ordines religiosi.*

FUNERALIA.

Vd.: ***Processio funebr.***; ***Sepultura***; ***Quarta funeralis***; ***Eleemosyna pro fun.***

Funera et funeralia emolumenta def. Episcoporum, Canonicorum aliorumque Praebendatorum Cathedralis Thelesinae spectare ad Cathedralem privative quoad parochum Collegiatae unicae parochialis in Oppido Cerreti. n. 2165 die 1. Apr. 1662.

Funerum emolumenta, quae per Haeredes defuncti Capitulo solvi solent, inter Canonicos et Dignitates aequaliter dividi debent. n. 4064 ad 7 die 31. Aug. 1737.

G.

S. GABRIEL. ARCH.

Vd.: *Bened. octava.*

Ad dubium: An Congregatio Canonicorum regul. Lusitaniae permanere debeat in antiqua possessione recitandi ex Ind. apost. sub ritu dupl. maj. Officium s. archang. Gabrielis dominica prima non impedita cujuslibet mensis a Pascha usque ad Adventum seu potius firmo remanente eodem ritu dupl. maj. teneantur se conformare universo Portug. Regno, ubi dictum Officium recitatur die 18. Mart. sub ritu dupl. min.? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem etiam quoad ritum, negative ad secundam. n. 4425 die 10. Mart. 1787.

GALERUM.

(Episcopi Administr.)

Vd.: *Caput.*

Ad dubium: An habeat Episc. Adm. usum Galeri cum chordulis et floccis viridis coloris ac hujusmodi colore possint ornari equi currus?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Negative ad primam partem, et quoad secundam recurrat ad S. Caeremonialis C.“

Atque ita rescribendum rata est ac ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 9 die 23. Sept. 1848.

GAUDENT IN COELIS.

Vd.: *Martyr.* (antiphona.)

GENERALES RELIGIONUM.

Generales Ordinum tractandos esse ab Episcopo tam in eis comitandis quam in aliis functionibus honorariis pariformiter ac Praelatos quorum Dignitati aequiparantur, ut disponit Caerem. Ep. c. XIII. circa finem. n. 2918 ad 1 die 6. Apr. 1680.

Possuntne Generales novum Officium indicere? Vd.: ***Regulares*** (Officium, praecipue decr. n. 5023); ***Immaculata Conceptio B. V. M.*** (Off. decr. n. 5051) ***Festum*** (indictio etc.)

GENITORI GENITOQUE etc.

1) Quando incipiend. et quis intonat in process.?

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 15. 16. 20.

2) Non infra verba: Genitori etc. fit bened. cum SSmo.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. 21.

GENUFLEXIO.

1) Ante altare.

Ad dubium: An Beneficiati seu alii inferiores Canonicis supervenientes in chorum inchoatis Officiis et Missa debeant ante altare genuflectere? S. C. resp.: Tam a Canonicis quam ab aliis inferioribus servandum esse Caer. Ep. Lib. I. c. XVIII. n. 4—6. n. 3535 ad 1 die 3. Oct. 1699.

Vd.: *Genuflexio coram Episcopo* (decr. n. 4168); *Genufl. Sacerd. ante altare.*

2) Ad benedict. Celebrantis.

Ad dubium: An Sacrum solemniter faciente altero ex Beneficiatis cum assistentia Diaconi et Subdiaconi de eodem gremio. Ministri ipsi, dum Benedictionem a Celebrante accipiunt teneantur genuflectere, stantibus et non genuflectentibus ceteris in Choro permanentibus?

S. eadem C. rescribendum censuit:

„Affirmative, seu teneri ad genuflectendum“.

Atque ita S. C. rescribendum et declarandum censuit. n. 5176 ad 3 die 25. Sept. 1852.

Ad dubium: Utrum ad benedictionem Sacerdotis in fine Missae solemnis, sive cum cantu, Ministri et alii de Choro stare vel genuflectere debeant?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Stare Canonicos se profunde inclinantes, alios genuflectere“.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4782 ad 12 die 27. Aug. 1836.

3) Coram Canonico celebrante.

Ad dubium: An liceat clericis ministrantibus thuribulum seu naviculam Canonicis celebrantibus coram Episcopo genua illi flectere sicut Episcopo? S. C. resp.: Negative; die 4 Apr. 1639 ad 8.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XXX. n. 8.

4) Chori infra Missam et Officium.

Vd.: *Confessio*; *Genuflexio cor. Episcopo* (decr. n. 4595 ad 1); *Incarnatus est.*

Praelati in choro ad confessionem in missa sol. genuflectere non tenentur; tenentur tamen ad orationes in missis fer. Adventus, Quadragesimae, quae jejunantur, exceptis excipiendis, et pariter in missis def., dummodo non adsit contraria consuetudo. n. 3279 die 17. Maji 1692.

Ad dubium: An in vigiliis Apostolorum, eo quia per Bullam SSmi. D. N. Pii Papae VII. die 10. Aprilis 1818 pro Siciliae Regno abrogata fuerunt Jejunia, genuflectendum sit a Choro ad preces Officii et in Missa de iisdem Vigiliis, eo quia in dicta Bulla legitur: Officia et Missas tam in iisdem abrogatis Festis quam in eorum Vigiliis retineri et sicut prius celebrari mandamus?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit ut infra, videlicet:

„Cum per Apostolicum Indultum in casu, de quo agitur, abrogatis vigiliis quoad jejunium et abstinentiam nihil immutatum fuerit quoad ritus et functiones Ecclesiasticas, imo expresse cautum sit, ut retineantur et serventur, ideo ad preces Officii et in Missa

de Vigilia erit genuflectendum ad formam Rubricarum".

Atque ita statuit, respondit atque decrevit, et in Collegiata antedicta servari mandavit. n. 4566 ad 4 die 11. Martii 1820.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Nescio, num ignorantiae crassae et supinae, an potius, quod est longe deterius, taedio tenuissimi laboris propriaeque commoditati indulgendi desiderio tribuendum sit, quod aliquis adinveniatur, qui secum reputet non esse genuflectendum in Officio Vigiliae, eo quia Apostolica auctoritate populus solutus est a lege abstinentiae et jejunii. Clara enim est litera Brevis, qua absolute praecipitur, nihil innovandum esse per Apostolicum Indultum *quoad Missam*, *Officium et alias Ecclesiasticas Functiones.* Itaque si abrogata lege abstinentiae et jejunii, Officium tamen de Vigilia (nisi aliud occurrat novem lectionum) est recitandum, si in Choro celebranda Missa est de eadem Vigilia, etiamsi altera conventualis celebrata fuerit de Festo occurrente, quisque videt planeque intelligit, praeservatam esse dispositionem Rubricarum, quae ritum praescribunt cum standi tum genuflectendi in Officio et Missa de Vigilia.

Ad dubium: Dum a Celebrante legitur Oratio *Communio* dicta, Canonici ac Reliqui de Ghoro ex antiqua consuetudine stant, quaeritur: an stare debeant vel potius sedere?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„In casu esse sedendum".

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 5 die 11. Sept. 1847.

Pisana.

Ad dubium: An liceat manere genuflexos in Choro tempore, quo standum est, sedere, quum est standum etc. non obstante consuetudine immemorabili? S. C. resp.:

„Serventur Rubricae quoad tempus standi, sedendi et genuflectendi in Choro". n. 4678 ad 1 die 12. Novb. 1831.

Serventur rubricae Missalis, Breviarii et Caer. Ep., sic tamen, ut, quando in choro cantantur aliqua verba genuflexionem requirentia, si mora praescriptae genuflexionis est brevis, haec fiat etiam a Cantantibus ad ambonem seu a Regentibus chorum, dum ipsa verba cantantur, quae Genuflexionem requirunt. Quando autem mora genuflexionis est longa, ut ad verba Psalmi invitatorii: *Venite adoremus et procidamus ante Deum.;* ad verba Symboli: *Et Incarnatus est etc.* et ad alia Similia, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, Genuflexio peragatur sub fine verborum. S. R. C. 8. Mart. 1738.

Ad dubium: An Canonici in elevationibus, quae fiunt in missis privatis ad altaria in conspectu chori, genuflectere teneantur? S. C. resp.: Non esse genuflectendum, ne sacra, quibus assistunt, per actum privatum interrumpantur sed ad evitandum scandalum, quod in populo et adstantibus causari posset ob non genuflexionem, esse omittendam pulsationem campanulae in elev. SSmi. in dictis missis privatis; die 5. Mart. 1667.

5) Ante s. Crucis reliquiam.

Vd.: *Genuflexio ante altare*; *Genufl. coram Episcopo* (praecipue decr. n. 4595; 5167.) *Crux* (Veneratio).

Non est genuflectendum a Capitulo et Clero processionaliter transeuntibus ante altare, in quo recondita est reliquia SS. Crucis. S. R. C. 15. Sept. 1736.

6) Diaconi et Subdiaconi.

Diaconi, quando Celebrans facit reverentiam cruci in Sacristia, non tenentur ad genuflectendum, sicuti in altari genuflectunt, quando Celebrans crucem salutat transeundo ante illam et in accessu et recessu. n. 4395 ad 20 die 18. Decb. 1779.

Vd.: *Genuflex. cor. SSmo.* (Celebr. et Ministror.)

Genuflexio D. et Subd., quando Celebranti sustinent librum ad orationes cantandas; vd: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 22 etc.; *Subdiaconus* (genuflexio).

Genuflexio D. et Subd. infra benedictionem Celebrantis, vd: *Instruct. Clem.* §. XXX. n. 19; *Genufl.* (ad bened. Celebrantis).

7) Ante Episcopum.

Vd.: *Concionator* (bened.; decr. n. 3114); *Ablutio manuum Episcopi*; *Purificatio B. V. M.* (modus accipiendi candelas etc.); *Benedictio Episcopi*; *Canonici Colleg.* (genuflexio); *Canonici Cath.* (genufl.); *Reverent. erga Episcop.*

Demisse S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii supplicatum fuit:

An Praepositi Curati, qui simul sunt Dignitates et Capita Collegiatarum Episcopo subjectarum debeant inclinari ipsi Episcopo Ecclesiasticas functiones peragenti eo modo, quo Canonici Cathedralis vel potius ad differentiam Canonicorum Cathedralis teneantur genuflectere eidem Episcopo, et praecipue in Consecratione Oleorum Feria Quinta in Coena Domini, cum ipsi praepositi munia gerunt duodecim Sacerdotum tamquam Parochi; et ita in visitatione peragenda ab ipso Episcopo Ecclesiarum Collegiatarum?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum:

„Secundum, quae proponuntur, in casu teneri genuflectere". n. 3676 die 23. Febr. 1704; n. 3714 die 31. Mart. 1705.

Capellani Metropol. Ecclesiae (Januen de Massa nuncupati in aula archiepiscopali tam in accessu quam regressu tenentur Archiepiscopo genuflectere. n. 3997 ad 3 die 3. Mart. 1731. n. 4016 die 9. Maji 1733.

Dignitates et Canonici Colleg. divi Pauli Vallettae in functionibus ecclesiasticis, quoties transierint ante Episcopum, debent eidem genuflectere. n. 4106 die 21. Jan. 1741; n. 4112 die 20. Maji 1741; n. 4359 ad 2 die 16. Maji 1772; n. 4268 die 26. Martii 1757.

Ad dubium: An Celebrante pontificaliter in Vesperis Episcopo in diebus solemnioribus teneantur Beneficiati ministrantes genuflectere, quoties Episcopus salutat altare sive crucem, videlicet Pluvialibus parati, induti cottis sive cappis in accessu ad altare, in recessu ab eodem et respective in thurificatione et quoties Episcopus salutat Crucem et dum in processione salutantur altaria, et an celebrante cum Pluviali Canonico in Vesperis sive Laudibus, quoties Celebrans salutat altaria sive crucem ac etiam in thurificatione, Benef. assistentes cum Pluvialibus teneantur genuflectere?

Et quid respectu Beneficiatorum, qui cum cappis sive cottis post binos Canonicos incedunt in processione? S. C. resp.: Teneri Beneficiatos ad genuflectendum celebrante Episcopo vel Canonico, tam paratos quam non paratos. n. 3071 ad 1 et 2 die 2. Decb. 1684. Idem decretum S. C. servari mandavit etiam in s. Basilica s. Joannis Lat. de Urbe. n. 3090 die 28. Julii 1685.

Beneficiati Ecclesiae Cathed. Asten. pluvialibus aliisque s. paramentis induti Pontificalibus functionibus inservientes genuflectere tenentur altari et Episcopo Pontificalia exercenti aut

Pontificalibus assistenti quoties transeunt ante altare et Episcopum sive ad idem accedunt vel recedunt. n. 4168 die 15. Maji 1745.

Ad dubium: 1. An Participantes (Mansionarii, Portionarii, absque canonica institutione et sine episcopali auctoritate a Capitulo electi ad chori servitium) Cathedr. Melphitersis, postquam induerunt rocchettum et cappam magnam, sive sint ministri ad altare sive non, teneantur ante crucem et ante Episcopum, necnon assistentes in choro, dum dicitur Introitus in missa sol., genuflectere?

2. An iidem dum Episcopus dat benedictionem vel in sol. missa vel in Officio teneantur genuflectere? S. C. resp.: Affirmative in omnibus. n. 4595 ad 1 et 2 die 12. (10.) Apr. 1823.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

En praesentis disputationis occasio. Ut certa aliqua neque imposterum varianda methodus servaretur in Ecclesiis Regni Neapolitani citra Pharum *adscriptitiis* nuncupatis, quia iisdem praeter Canonicos alii inferiores adjiciebantur Sacri Ministri, sine ulla tamen canonica institutione, qui nulla fruebantur Praebenda, sed pro ratione servitii praestiti quasdam de Mensa distributiones obtinebant: *Sanctissimus Dominus Noster Pius VII. Pont. Max.*, petitionibus annuens *Serenissimi utriusque Siciliae Regis Ferdinandi,* per Literas in forma Brevis expeditas sub die 13. Augusti 1819 decrevit et mandavit, ut in posterum *ad portiones suscipiendas in Ecclesiis receptitiis illi tantnm admitterentur Sacerdotes et Clerici, qui a Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis aut Ordinariis Locorum pietate et doctrina commendatiores essent inventi:* jussit praeterea, ut de ipsis *examen instituatur coram Ordinariis ipsis vel eorum Vicariis Generalibus et tribus saltem ex synodalibus Examinatoribus.*

Altera ex his *collectitiis* seu *receptitiis* Ecclesiis erat Cathedralis Melphitensis, in qua, praeter sex Dignitates, et octo supra decem Canonicos, alii triginta sex inferioris gradus Participantes, ad Canonicorum placitum adsciti, suum Ecclesiae praestabant servitium. Hi tamen aboleta antiqua electionis forma, juxta superius latam a Supremo Pastore legem modo eliguntur et instituuntur. Et quamquam omnium aequalis sit conditio, non aeque singulorum paria sunt officia, cum duo Parochi sint, quatuor Cantores, ex reliquis octodecim seniores, duodecim juniores dicantur. Non ita multo post indultam novam electionis et institutionis formam, Episcopo efflagitante, Melphitenses Portionarii honorifica obtinuerunt Insignia, et praeter ea, quae omnibus et singulis communia sunt, ut aliis nobilioribus Parochi, Cantores, Seniores distinguerentur, iisdem Apostolicis Literis indultum fuit. Factum hinc est, ut praefati Portionarii suae conditionis obliti, sese ambitiose elevantes, ac si Canonici essent, ea obsequia et servitia exhibere et praestare renuerunt, ad quae fuerant, ut sunt ex more et institutione assumpti. Haec causa dissidii inter ipsos et Canonicos. Ne ulterius gliscerent mala et quae inde exortae quaestiones, ut componerentur, proposita fuerunt S. R. C. Dubia, quibus, post exquisitum examen, respondens ad singula Dubia sancivit: Portionarios Melphitenses, etsi auctos nobilioribus Insigniis, adhuc tamen ad obsequia, officia et servitia teneri, quae secundi ordinis Cathedralium Clericis conveniunt, juxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum et ejusdem S. C. Decreta.

Etenim extrinsecae decorationis Insignia non ipsos donant nova nobiliori qualitate, sed in eodem gradu relinquunt, in quo reperiebantur, priusquam illa obtinerent. Quamobrem vel *Portionarii* vel *Beneficiati* vel *Mansionarii* dicantur, aut quacumque alia distinguantur appellatione; nullo tamen pacto Canonicis poterunt assimilari et in Literis Apostolicis non ullum occurrit verbum, quo ad sublimiorem gradum evecti, gratia Pontificis, censeri possint, sed in eodem, quem prius tenebant, adhuc consistunt. Et revera tam certum est, quod Rocchettum, Mozettam, Cappam gestandi privilegium nullam denotat superioritatem et praeeminentiam, ut hujusmodi, et, si etiam vis, nobiliora alia ornamenta alicui Collegiatae concessa, non illi potestatem faciunt incedendi, et sedendi in Synodo supra alias Collegiatas Civitatis et Dioecesis antiquiores, sed iisdem destitutas Insigniis vel longe inferioribus donatas, veluti docet et probat *Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana lib. 3. cap. 10. num. 7.* ubi decisum inquit*: ejusmodi honoris Insignia nullam denotare praeeminentiam, neque alterius juribus praejudicium ullum inferre:* quamobrem ad *Ursaiam* se refert, qui *part. 1. discept. 7. in fin.* asserit procul dubio definitum fuisse: *praecedentiam competere Collegiatae* (non Insigniis nobilioribus ditatae, sed) *quae esset antiquior.*

Ex his plane intelligitur Portionarios Melphitenses, qui certe nec Canonici sunt neque ulla ratione Canonicis aequiparandi, teneri ad praestanda ea obsequia, quae ab omnibus de Clero transeuntibus ante Altare aut ante Episcopum praestari debent, exceptis dumtaxat Canonicis Cathedralis, qui caput tantum et humeros profunde inclinant, veluti jubet *Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 18. num. 3. ibi: Quoties ipsi Canonici transeunt ante Altare vel ante Episcopum, caput et humeros profunde inclinant, Beneficiati autem et caeteri de Clero genuflectere debent transeundo tam ante Altare quam ante Episcopum.* Idem dicito de genuflexione ad Confessionem cum Psalmo in Missa solemni ex Rubricae Missalis praescripto *part. 1. tit. 17. num. 5.* Innumera affere possem S. C. Decreta, quae idipsum districte jubent. Aliqua indicare sat erit. In *Tornacen die 7. Decembris 1630* declaratum fuit: *Praeter Dignitates et Canonicos Cathedralis reliquos omnes teneri ad benedictionem Episcopi genuflectere*; in una *Arichipae 13. Martii 1700: Dignitates et Canonici stent et caeteri genuflectant. In Seguntina 28. Aprilis 1703: Teneri genuflectere Portionarios cum osculo manus in recipiendo candelas et cineres. In Asten. 15. Maji 1745: Beneficiatos etiam pluvialibus indutos aliisque sacris paramentis teneri genuflectere juxta formam praescriptam in Caeremoniali Episcoporum.* Novissime vero in *Neapolitana sub die 22. Decembris 1753* S. C. edixit: *Beneficiatos hebdomadarios nuncupatos teneri servare omnia et singula, quae praescribuntur Beneficiatis a Caeremoniali Episcoporum, idcirco teneri recipere candelas, palmas et cineres genuflexos.* Instaurato judicio sub die 7. Septembris 1754 nedum stetit in decisis, verum etiam addidit: *ad Emum. Archiepiscopum, qui incumbat exequutioni Decretorum S. C. utendo juris et facti remediis.*

Si qui autem sunt Beneficiati alios omnes longe praestantes, certe illi sunt, qui Patriarchalibus Urbis adscribuntur et secundi ordinis, ac subselii Clerum constituunt: tantae nobilitatis eorumdem Collegia censentur, ut Abbatibus et Canonicis Cathedralium

aequiparentur: nihilominus, etsi Cappa Magna insigniti, obsequium genuflexionis praestare tenentur, si excipias illos Basilicae Vaticanae in unico dumtaxat casu, *quo parati simul eodem ordine et gradu cum Canonico parato incedunt et ministrant:* praeter hunc casum tam parati quam non parati semper transeuntes ante Altare genuflectere debent. Cum autem Liberinae Basilicae Beneficiati a genuflexionis obsequio se eximere vellent aut exemptos putarent: delata quaestione ad S. R. C., haec sub die 2. Decemb. 1684 declaravit: *Teneri Beneficiatos ad genuflectendum celebrante Episcopo vel Canonico tam paratos quam non paratos.* Idipsum servandum esse in altera Lateranensi; et etiam clarius fuit expressum in Congregatione diei 18. Junii 1689. En verba Decreti: *Praefatos Beneficiatos, Capellanos Clericosque Beneficiatos non solum in praenarratis supra casibus verum etiam in quibuscumque Missis solemnibus ad Confessionem cum suo Psalmo teneri ad genuflectendum . . . quacunque consuetudine etiam immemorabili, quae allegari possit, non obstante, quam abusum et corruptelam S. C. declarat; cum consuetudines contra Rubricas Missalis sint sublatae per Decretum ejusdem S. C. a fel. record. Urbano VIII. confirmatum et in principio Missalis Romani appositum.* Numquid Portionarii Melphitenses sublimioris sunt gradus, ut possint et debeant caput et humeros tantum inclinare ad instar Canonicorum Cathedralium?

Atque heic loci alia se offert quaestio: num necne Collegiatarum insignium Canonici, eaque ac illi Cathedralium, a genuflexionis obsequio sint exempti? Dixi supra et jure dixi, *solos Canonicos Cathedralis non teneri ad genuflexionem* transeuntes ante Altare vel ante Episcopum, nam de his unice loquitur Caeremoniale Episcoporum. Quoad Canonicos Collegiatarum pacifica res non est; quamquam, si attendi velint, simulque conferantur S. C. Responsa, plane apparebit pro *negativa* stetisse et non obscure demonstrasse, a consuetudine potius, quam a jure, rationem decidendi esse petendam. Utique in *Fundana* sub die 16. Junii 1674 respondit: *Canonicos Collegiatae debere se tantum profunde inclinare.* Novissime vero in causa vertente inter Episcopum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Pauli Civitatis Vallettae in Melevitana rogata: num praefati Canonici, quoties transierint ante Episcopum, debeant eidem Episcopo genuflectere, vel tantum humeros et caput profunde inclinare? sub die 21. Januarii 1741 respondit: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam:* Et pluries instaurato experimento, stetit *in decisis*, ut patet ex Decretis. Ita etiam decretum fuit in una *Montis Alti sub die 26. Martii 1657 et in Papien.* ad quaesitum: *An Praepositi Curati, qui simul sunt Dignitates et Capita Collegiatarum, tenerentur genuflectere Episcopo, an caput dumtaxat inclinare?* sub die 23. Februarii 1804. S. C. respondit: *Secundum ea, quae proponuntur, in casu, teneri genuflectere.* Et repropösita causa die 24. Martii, *stetit in decisis.* Numquid autem in adversa abiisse S. C. censenda est? Haud quaquam. Eadem namque modum ministrat componendi Decreta, quae specietenus pugnantia videntur. Etenim in *Neritonen* ad Dubium: *An Canonici Collegiatae teneantur genuflectere Episcopo ad distinctionem Canonicorum Cathedralis, qui sola inclinatione illum regulariter salutant?* sub die 11. Junii 1793 respondit: *Canonici Collegiatae, seclusa consuetudine in contrarium, ut Personae graduatae et*

in quasi dignitate, non genuflectunt sed caput et humeros profunde inclinant Episcopo et Altari. Cur autem affirmativo responso limitationem aut conditionem adjecit: *seclusa consuetudine in contrarium?* quia a possessione turbandi illi non erant, quibus consuetudo favebat, sed non aeque ad illos trahenda ea honoris distinctio, qui genuflectere consueverant, vel ad Canonicos Collegiatae de novo erectae, quae certe consuetudinem afferre nequibat. Id plane consequitur ex supra relatis Decretis in Melevitana, quippe Capitulum Collegiatae S. Pauli Vallettae recentissimae erat erectionis. Verbo dicam, ex Congregationis responsis, quae pugnantia videntur, sed pugnantia non sunt, qualis sit ejusdem mens et sensus plane colligitur, videlicet, quod soli Canonici Cathedralium a genuflexionis obsequio jure sunt exempti: non item Collegiatarum, nisi ex consuetudine vel privilegio. Potiori igitur jure concludendum, quod Portionarii Melphitensis Ecclesiae teneantur ad genuflectendum Altari et Episcopo, item ad Confessionem cum Psalmo et ad Benedictionem in fine Missae conventualis, vel Sacrum fiat pontificaliter ab Episcopo vel a Canonico vel ab altero ex iisdem Participantibus Missa conventualis celebretur.

Ad dubium: An genuflectere debeant Capellani participantes tum Cruci tum Praelato Ordinario sicut ceteri Presbyteri?

Et Emi. et Rmi. P. . . . rescribendum censuerunt:

„Debere genuflectere, si Canonici titulo destituantur, sed Cruci tantum". n. 5167 ad 2 die 10. Januarii 1852.

8) Coram SS. Sacramento.

a) In benedictione cum SSmo.

Vd.: *Genuflexio ante SSmum. Sacerdot. et Ministr.*; *Genuflexio Diaconi et Subd.*

Canonicos pro Diacono et Subdiacono assistentes debere genuflectere, dum Archiepiscopus actu Sacramento benedicit. n. 4099 die 28. Novemb. 1739.

Ministri sive parati sive non in benedictione cum SSmo. danda a Sacerdote quocunque genuflectant in infimo gradu altaris simul cum Celebrante. n. 4815 ad V. 2. die 22. Septembris 1837.

Duo Canonici Episcopo assistentes, dum impertitur populo benedictio cum SSmo., genuflectere debent in actu benedictionis ipsius. n. 4857 ad 5 die 3. Aug. 1839.

b) Celebrantis et Ministrorum.

Vd.: *Instr. Clem.* §. VII. n. 5 etc. *12.* §. XIX. n. 11. 12.; §. XXIV. n. 1 etc. §. XXX. n. 7 etc.; *Subdiaconus* (genufl. decr. n. 4322); *Genuflexio in missa lecta*; *Genuflexio in bened. cum SSmo.*; *Genufl. Diaconi et Subd.*; *Flectamus genua. Genuflexio ante SSmum.* (unico vel etc.) *SS. Sacram.*

Dum Episcopus accedit ad Ecclesiam pro danda benedictione cum SSmo. Canonici assistentes genuflectant infimo gradu simul cum (Episcopo) Celebrante. n. 4815 ad V. 1. die 22. Sept. 1837.

Ad dubium: Quando Celebrans genuflectit ante altare SS. Sacramenti tam expositi quam in tabernaculo inclusi, debetne genuflectere in plano presbyterii an in infimo gradu altaris? S. C. resp.: Serventur Rubricae sed in accessu et recessu in plano est genuflectendum, in infimo autem gradu altaris, quoties genuflectere occurrat. Die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: Genuflexio, quae fit coram SSmo. exposito tam in missa quam in oratione 40 hh. caeterisque

functionibus, quando fieri debet unico et quando utroque genu tum a Celebrante tum a Ministris vel ab alio qui exponit et reponit? S. C. resp.: In accessu et recessu utroque genu, intra missam unico genu; pro reliquis functionibus consulantur rubricistae. Die 12. Novb. 1831 n. 4669.

c) Celebrantis ante benedict. infra miss. cor. SSmo. celebrandam.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 19. 30.

d) Celebrantis ante benedict. cum SSmo.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 11. etc.

In Expositione SS. Sacramenti cantatis seu recitatis versiculis: *Panem de coelo etc.* Sacerdos insurgens non debet reiterare genuflexionem, antequam recitet Orationes. S. R. C. 2. Aug. 1698; 6. Sept. 1698.

e) Celebr. ad „Et Verbum Caro factum est" in ultimo Evang. cor. exp. SSmo.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX n. 19. 30.; *Flectamus genua.*

f) In Elevatione.

Canonici seu Vicarii assistentes in solemnitate missae cum cappis seu pluvialibus genuflectere debent in elevatione s. hostiae. n. 4279 ad 1 die 7. Julii 1759. Vd.: *Genufl. in process.*

g) Ad incens. SSmi.

Ad dubium: An in Vesp. celebratis coram SSmo. Sacramento exposito Celebrans ad Canticum *Magnificat,* dum incensat Sacramentum, ante incensationem Altaris genuflectere debeat in infimo gradu Altaris vel in Suppedaneo?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„In Suppedaneo".

Atque ita rescribere S. C. rata est et declarare. n. 5063 ad 4 die 27. Febr. 1847.

Vd.: *Genufl. ante SS. Sacram.* (Celebrantis et Ministror).

h) Ministrorum vigilantium.

Vd.: *SS. Sacramentum* (genufl.); *Expositio SSmi.* (habitus ministr. vigil.); *Instructio Clem.* §. VII. n. 4.

i) In missa lecta.

Vd.: *Flectamus genua.*

Quando absolvitur missa lecta coram ss. Sacramento in monstrantia exposito, attamen velato; item cor. SSmo. in pyxide exposito, an debeant omnes genuflexiones observari in tali missa, quae alias observantur coram SSmo. publice exposito et non velato? S. C. resp.: Affirmative. n. 4237 ad 13 die 22. Decb. 1753.

Ad dubium: An transeundo de una ad alteram partem altaris in 2. et 3. missa Nativitatis D. fieri debeat genuflexio ante calicem? S. C. resp.: Serventur rubricae. Die 2. Aug. 1698.

k) In Processione.

Dum elevatur SSmum., Canonici et Clerus, sive in choro existant sive processionaliter incedant, semper debent genuflectere. S. R. C. 2. Maji 1620.

In processionibus SSmi. per Ecclesias debent Regulares Lateran. processionaliter incedentes ante SSmum. in occursu et transitu a latere ejusdem genuflectere. n. 2943 ad 8 die 1. Mart. 1681.

In processionibus candelarum etc. per Ecclesias sine SSmo. faciendis, si occurrat transire ante altare, ubi oc-

casione Missae fit elevatio SSmi., non pulsanda est campanula; quodsi pulsetur et advertatur elevatio, tunc genuflectendum unoque genu a transeuntibus ante altare, ubi Missa celebratur; et deposito SSmo. progrediendum. n. 2943 ad 9 die 1. Mart. 1681.

Vd.: *Instructio Clem.* §. VII. n. 15.

l) Sacerdotis transeuntis ante altare.

Vd.: *Instructio Clem.* §. VII. n. 7. 8. 12. Sacerdos missam celebraturus transiens ante altare, ubi fit populi Communio, non debet permanere genuflexus donec et quousque terminetur communio. S. R. C. 5. Julii 1698.

m) Sacerdotis, si ei obviat Processio.

Vd.: *Instructio Clem.* §. VII. n. 13. etc.; *Genuflexio in processione.*

n) Sacerd. in Genuflectendo non debet ponere Biretum super calicem.

Vd.: *Instr. Clem.* §. VII. n. 11.

o) In Pyxide exposito.

Genuflexiones utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante SSmum. etiamsi fuerit in pyxide patenter expositum. n. 4181 ad 9 die 7. Maji 1746; n. 4815 ad V. 4 die 22. Sept. 1837. Vd.: *SS. Sacram.*

Ad dubium: Quando Celebrans genuflectit ante Altare Sanctissimi Sacramenti tam expositi quam in Tabernaculo reconditi, debetne genuflectere in plano Presbyterii, an in infimo gradu Altaris? S. C. resp.: „Serventur Rubricae, sed in accessu et recessu in plano est genuflectendum: in infimo autem gradu Altaris quoties genuflectere occurrat". n. 4669 ad 51 die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: Quando absolvitur missa lecta coram SS. Sacram. in monstrantia exposito, attamen velato, item cor. SSmo. in pyxide exposito, an debeant omnes genuflexiones observari in tali missa, quae alias observantur cor. SSmo. publice exposito et non velato, conformiter ad rubricam missalis fer. V. in Coena D. vel non? S. C. resp.: Affirmative. Die 22. Decb. 1753 in Wilnen ad 3 n. 4237.

p) Simplex sine capitis inclinatione.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 7 etc. 19.

q) Unico vel utroque genu?

Ad dubium: Genuflexio, quae fit coram Sanctissimo Sacramento exposito tam in Missa quam in Oratione Quadraginta Horarum ceterisque Functionibus, quando fieri debet unico genu et quando utroque tum a Celebrante, tum a Ministris vel alio, qui exponit et reponit? S. C. resp.:

„In accessu et recessu utroque genu, intra Missam unico genu: pro reliquis functionibus consulantur Rubricistae". n. 4669 ad 53 die 12. Novemb. 1831.

r) Quando SSmum. est velatum.

Vd.: *Genufl. ante SSmum. in pyx. exposit.* (decr. n. 4237.)

De Genuflexione vd.: *Benedictio Episcopi; Canonici Cathedr. et Colleg.* (genufl.); *Communio; SS. Sacramentum: Incarnatus est*; *Minister de libro*; *Nativitas Dom.* (missae ritus); *Thuriferarius; Parasceve* (sumptio etc.); *Subdiaconus; Venite adoremus; Reliquia* (genufl.); *Purificatio B. V. M.* (modus accipiendi etc.); *Tantum ergo*; *Benedictio cum Reliquia; Ordinandi.*

GENUFLEXORIUM.

1) Abbatis.

Cf.: *Pulvinar Abbatis.*

Non licet Abbati Collegiatae s. Petri Terrae Laureti Pennen. in functionibus canonicalibus et ecclesiasticis uti genuflexorio cum stratu et pulvinari in orando. n. 3823 ad 3 die 22. Mart. 1710.

2) Adorantium SS. Sacramentum.

Vd.: *Instructio Clem.* §. IX. n. 15.

3) Archiepiscopi.

Archiepiscopo Nazareno in Ecclesiis Regularium Dioecesis Tranen. genuflexorium cum strato et pulvinari deberi. n. 2583 die 26. Mart. 1672.

Vd.: *Praeses* (cap. IV.)

4) Episcopi.

(In Processione.)

Vd.: *Canonici assist. Episcopo in Process.*
Vd.: *Praeses* (Cap. IV.)

5) Episcopi Suffraganei.

Ad dubium: An Suffraganeo Velitern. debeatur genuflexorium et an cum pulvinaribus et strato ad adorandum ante SSmum., dum occasione functionum ingreditur Ecclesiam? S. C. resp.: *Negative.* n. 3491 ad 2 die 6. Sept. 1698.

6) Gubernatoris.

Cf.: *Gubernator*; *Genuflex. Magistratus.*

Gubernatori Praelato non competere jus genuflectendi simul cum Episcopo in eodem genuflexorio sed eum genuflectere debere in alio scamno seu genuflexorio una cum Magistratu saeculari, cujus caput gerit et repraesentat. n. 1975 die 29. Mart. 1659.

Gubernatorem Narnien. intervenientem functionibus ecclesiasticis non debere se genuflectere in genuflexorio, Episcopi, quando est cappa indutus, sed locum habere debere primum supra Magistratum. n. 2614 die 21. Jan. 1673.

Non licet Episcopo cappa pontificali suffulto dexteram deferre in propriis aedibus Gubernatori ejusdem loci, nec ad sinistram eundem admittere ad genuflectendum in eodem genuflexorio, in quo pariter cappa indutus ipse genuflectat. n. 2009 die 22. Novemb. 1659; n. 2591 die 16. Julii 1672.

Vd.: *Praeses* (cap. IV. XI.)

7) Laicorum.

Vd.: *Sedes Laicorum*; *Pulvinar.*

Non licere Regularibus in eorum Ecclesiis parare genuflexorium cum stratu et pulvinaribus, quando ad illas accedunt Germani fratres Baronis pro audiendis Missis et aliis divinis Officiis. n. 3039 die 20. Novb. 1683.

Ad expositionem Episcop. Avellini et Trigenti, quod nonnulli Barones ex ipsis Dioecesibus praetendunt in Ecclesia pro se eorumque conjugibus genuflexorium cum stratu et pulvinaribus in medio Ecclesiarum ad instar Cardinalium sive Episcoporum, S. C. resp.: Praedicta nullo modo esse permittenda sed servandum esse decretum Episcopi etiam per Regulares et procedendum per Episcopum contra inobedientes etiam auctoritate S. C. n. 3068 die 24. Sept. 1684.

Non licere Ducissae Asculi uti genuflexorio et strato in Ecclesiis Regularium. n. 3153 die 13. Mart. 1688.

Ad preces ducis Vincentii de Capua del Bazo S. C declaravit: Licere Baronibus in loco Baronali retinere in Ecclesia genuflexorium amovibile extra tamen presbyterium. n. 3527 die 12. Sept. 1699.

Baroni Calimerae licet retinere in Ecclesia matrice genuflexorium cum tapete et pulvinaribus, sed non Baronissae. n. 3684 ad 2 et 3 die 26. Apr. 1704.

Ad dubium: An Duci Campaniae liceat retinere in Ecclesia sedem et genuflexorium debite ornatum cum strato? S. C. resp.: Negative quoad sedem et genuflexorium fixum et dentur decreta. n. 3705 ad 2 die 13. Sept. 1704.

Baroni Caggiani debetur usus genuflexorii cum pulvinaribus, tapete et sede appodiali amovibili extra presbyterium. n. 3930 ad 3 die 13. Maji 1719.

Duci civitatis Asculi posse concedi usum genuflexorii absque tapete cum pulvinaribus absque auro, et usum sedis cameralis coriaceae amovibilis extra presbyterium, non in medio Ecclesiae sed in loco destinato ab Episcopo tam in Ecclesia Cathedr. quam in aliis; sed uxori ducis tantum posse concedi pulvinar solum. n. 3956 ad 1 et 2 die 23. Jan. 1723.

Juxta modum ab ipso Archiepiscopo praescriptum Oratori Principi Cursi usum Genuflexorii panno laneo cooperti concedi posse, dummodo dictum pannum Genuflexorii fines non excedat cum duobus etiam parvis pulvinaribus simili panno confectis extra tamen Presbyterium, et in Collegiata non in medio Ecclesiae sed in uno ex lateribus ei melius viso et quod nunquam liceat uti genuflexorio praesente Archiepiscopo in Terra Cryptaleorum, neque semper ornato in Ecclesia, sed ornatus ille feratur toties quoties dictus Princeps illam adire contingeret. n. 4010 die 7. Maji 1732.

8) Magistratus.

Vd.: *Genuflexorium Gubernat.*

Non licet Magistratui et Consuli genuflectere in eodem genuflexorio una cum Episcopo cappa induto. n. 3878 ad 5 die 11. Maji 1715.

Vd.: *Praeses* (cap. IV.)

9) Quibus competit in Urbe?

Ad dubium: An permittenda sint vel potius reprobanda in Urbe genuflexoria cum stratis et pulvinis in Ecclesiis pro personis cujuslibet conditionis, praeterquam Regali vel Cardinalitia dignitate fulgentibus?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi . . . respondendum censuerunt ut infra videlicet:

„Negative ad primam partem, affirmative ad secundam".

Atque ita responderunt et statuerunt. n. 4590 ad 11; die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit, Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense, Anno, quibus supra.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.:

Inter diversas hominum classes debitus est ordo servandus et quod uni conceditur vel permittitur, non omnibus aeque concessum et permissum censendum est; ideo ratione natalium, conditionis, dignitatis, gradus, munerum, extrinsecis etiam honorificis decorationibus quidam distingui debent, nedum in civilis societatis officiis, verum etiam in religionis actionibus. Tale est honorificum illud ornamentum genuflexorii, de quo in dubio.

Nuda siquidem sint oportet genuflexoria, si quae in Ecclesiis ante Aras collocantur, praecipue in magnis solemnitatibus, vel dum patet venera-

tioni expositum augustissimum Sacramentum, neque stragulis et pulvinaribus instrui debent, nisi pro S. R. E. Cardinalibus ac Regalibus personis, ut declaratum fuit, indictis poenis contra inobedientes, in S. C. Caeremoniali *die 30. Maji 1701* et etiam expressius *die 11. Aug. 1705* et hujusmodi Decretum fel. rec. Clemens XI. *probavit confirmavitque, nec non promulgari atque exequutioni tradi et in omnibus Ecclesiarum Urbis Sacrariis affigi mandavit, die 23. ejusdem mensis et anni.*

S. GEORGIUS.

Ad relationem Benedictin. Einsidl.: In festo s. Georgii, cujus in Germania specialis est cultus, cum legantur tres lectiones de communi, petitur concessio Lectionum propriarum; celebratur enim Officium sub ritu dupl.; S. C. resp.: Pro gratia et legantur in 2. n. ll. de sermone s. Laurentii Justiniani, quae propriae sunt de s. Georgio. n. 4044 ad titul. XXV. dub 7. die 5. Maji 1736.

Vd.: *Missa* (temp. p.; decr. n. 4930) *De Ordine Equestri s. Georgii M. in Bavaria auctoritate ap. confirmato*, vd.: *Bullam Bened. XIV.* de die 6. Oct. 1741. (Bull. r. t. XVI. p. 47.)

S. GERTRUDIS V.

S. C. resp. PP. *Benedictinis Einsidl.:* In Festo s. Gertrudis V. abbatiss. dicenda est oratio: *Omnipotens sempit. deus etc.* n. 4044 ad titul. *de Oratione.* Die 5. Maji 1736.

SS. GERVASIUS ET PROTASIUS.

De divisione eorum officii, vd.: *Reliquiae insig.* (Off. recit. decr. n. 2812.)

GLORIA.

1) Caput detegendum.

Vd.: *Caput.*

2) Celebrans intonat et recitat.

Canonici missam sol. celebrantes tenentur intonare *Gloria* etc. et *Credo* etc. n. 3628 die 1. Julii 1702.

Canonicos teneri intonare absque alia praeintonatione. n. 3652 die 23. Junii 1703.

Ad dubium: An stante consuetudine, quod hymnus: *Gloria* etc. integre sub organo moduletur et humanis vocibus nec alternatim concinatur, possit Episcopus cogere ad implementum eorum, quae continentur in c. 28. lib. I. Caer. Ep.? S. C. resp.: Abusum hujusmodi ab Ecclesiae praedictae praxi omnino tollendum. Die 19. Sept. 1654.

3) In missa cum parament. violac.

Gloria non dicitur in votiva solemni, in qua paramenta violacea adhibeantur. n. 2363 ad 6 die 13. Febr. 1666.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIII. n. 5.

4) In missa pro re gravi.

Vd.: *Missa pro re gravi.*

5) In missa de Sancto.

Vd.: *Missa de Sancto.*

6) In missa votiva de B. V. M.

Vd.: Missa vot. de B. V. M.; *Missa de Rosario.*

7) In missa vot. pro Sponsis.

Vd.: *Missa vot. pro Sponsis.*

GLORIA PATRI.

1) In Exequiis Parvul. in hebdom. maj.

Non est necesse in fine psalmorum tribus diebus hebdom. majoris (in exequiis parvulorum) recitare *Gloria Patri etc.* sed tantum psalmos sine *Gloria etc.* n. 4175 ad 7 die 4. Sept. 1745.

In Exequiis parvulorum in fer. V. et VI. et Sabb. s. potest omitti Gloria Patri in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. R. C. 16. Jan. 1677.

2) Omittendum.

Vd.: *Venite exultemus.*

3) Reverentia.

Ad dubium: An ad Vesperas et ad Matut. et Laudes assurgens Episcopus ad *Gloria Patri* in fine psalmor. vel pro devotione vel ut se conformet aliis assistentibus in choro, quamvis juxta Caerem. non teneatur, possit iterum sedere antequam canatur versus: *Sicut erat etc.*, quamvis Canonici et caeteri in choro residentes persistant stantes, et quod aliquis Canonicus debeat intonare sequentem antiphonam; nam juxta Caeremoniale Episcopus non debet stare, quando Canonici intonant antiphonam, postquam est inceptus primus psalmus? S. C. resp.: Servandam esse laudabilem consuetudinem et tunc Episcopus sedere non debet antequam versiculum: *Sicut erat etc.* incipiatur. n. 2637 ad 11 die 17. Junii 1673.

GOSSYPIUM.

Vd.: *Paramenta* (materia.)

GRADUS ALTARIS.

Vd.: *Missa* (gradus altaris.)

S. GREGORIUS II. P.

Benedictinis Einsidl. resp. S. C.: Expungatur dies obitus s. Gregorii ab 8. lectione in Officio ejusdem et tantum dicatur: *Coelum conscendisse mense Februario.* n. 4044 ad titul. XXV. dub. 6. die 5. Maji 1736.

S. GREGORIUS VII.

1) Missa.

Ad dubium: Quum Ordo Divini Officii pro Clero Rom. assignet Missam propriam pro Festo S. Gregorii VII. die XXV. Maji, quaeritur: an haec Missa, quae non reperitur in Missalibus in Belgio impressis, concessa sit pro universali Ecclesia? Et quatenus negative: an in praedicto Festo dici debeat Missa *Statuit* de Communi Conf. Pont. primo loco cum Evangelio *Vigilate*, ut habetur in aliquibus Missalibus, an Missa *Sacerdotes tui* de eodem Communi secundo loco, ut legitur in aliis?

Et Emus. ac Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen . . . rescribi mandavit:

„Pro Festo S. Gregorii VII. Missa *Statuit* cum Evangelio *Vigilate*, uti impressa est in Missale Rom.“

Atque ita rescribi ac servari mandavit. n. 4921 ad 5 die 22. Maji 1841.

2) Translatio.

Pisauren.

Impetrata Apostolicae Sedis Indulto per Capitulum Cathedralis Pisauren extensione Missarum et Officiorum sub ritu dupl. min. SSrum. Romanorum Pontificum, Directorii Extensor, in Calendarii reformatione assignavit Officio S. Gregorii PP. VII., quod jam sub ritu dup. celebrabatur, propriam sedem, nimirum diem 25. Maji, quae

est dies fixa pro universali Ecclesia, amandato ad diem 28. ejusdem mensis altero S. Urbani P. et M., cujus tamen simplici dicta die 25. memoria colebatur. Cum autem, re maturius perpensa, congruere magis videatur, ut S. Urbani P. et M. Festum ad rit. dupl. elevatum antiquam repetat sedem translato ad diem 28. Maji Festo S. Gregorii PP. Conf.; sed dubitari possit utrum, nec ne id praestari valeat ab Ordinario et utrum conveniens sit et rationabile; ideo delata res est definienda a S. R. C., sequenti proposito Dubio, cui et alterum accessit, videlicet:

An in casu proposito Ordinarius possit transferre Officium S. Gregorii VII. a die 25. ad diem 28. et Officium S. Urbani a die 28. ad diem 25. et an rationabile sit quod fiat?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

,,Affirmative in casu de quo agitur quoad utramque Dubii partem et Officium S. Gregorii VII. transferendum esse non in diem 28., in quo incidit Festum S. Bonifacii Papae et Conf., sed in diem 29. juxta Proprium Sanctorum Summorum Pontificum".

Et ita respondit atque decrevit die 15. Maji 1819 n. 4561 ad 1.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Regula generalis est, quod nemini liceat a propriis sedibus Officia Sanctorum amovere. Non enim exturbanda possessio est, nisi validae concurrant circumstantiae, quae ad id quodammodo impellant. Hoc adeo verum est, ut S. R. C. declaraverit, amotionem hujusmodi respectivamque translationem nec fieri posse ab Episcopo loci Ordinario. Ita in *Syracusana 7. Dec. 1630*; nam, ut in altero Decreto *die 24. Nov. 1685* sancitum est, *Sanctis in Calendario Romano descriptis extra proprios dies non potuisse nec posse assignari alteram diem fixam et sedem propriam absque auctoritate Sedis Apostolicae.* Dubium oriri posset quoad Officia de novo concessa, quae vel pro Ecclesia Universali, vel pro aliquo Regno, Provincia, Dioecesi etc., si non in propria (quod saepe nequit), in die prima non impedita collocantur; accidit quandoque, ut aliquo in loco alius Sancti sub eadem die celebretur Officium aequalis vel etiam solemnioris Ritus; quid igitur in hoc casu? Indulget S. C., ut Officio noviter concesso assignetur ab Episcopo prima dies vacua, ut patet ex Decretis, doctis adnotationibus a *P. Cavalieri* illustratis *Tom. 1. cap. 9. Decret. 12. et 13.* Videndus etiam *Tetamus in Append. ad Diarium Liturgico-Canonico-Morale cap. 1. §. 2. num. 19.* In casu proposito id accidit, cum enim Capitulo, Canonicis et Clero Cathedralis Pisaurensis facta potestas fuerit recolendi sub ritu dupl. Festa SS. R. Pontificum, novis hisce Festis certae assignandae erant sedes, quatenus alia Festa aequalis vel superioris ritus jampridem occupassent dies ad ea celebranda in Martyrologio notatos. Hac in specie Calendarii Director consulto (annuente et adprobante Episcopo) ad proximiores non impeditos dies numquam postea immutandos potuit Officia illa noviter concessa amandare, quae in propriis, ab aliis jam praeoccupatis, locum habere nequibant. Quod si id pro regulae generalis limitatione tenendum est, multo etiam magis obtinet in speciali casu occurrentiae duorum Officiorum ex noviter concessis in eadem die, veluti reapse illa sunt *S. Urbani Papae et Mart., et S. Gregorii VII. P. et Conf.*, quorum memoria fiebat *die 25. Maji*, eo tamen discrimine, quod Festum *S. Gregorii* gaudebat ritu dupl., illud *S. Urbani*

ritu simpl., sive potius solam habebat commemorationem. Postquam vero sub uno eodemque ritu utrumque Festum celebrari concessum est, cum nequeant in uno Officio simul comprehendi, quia *Urbanus* Martyribus adnumeratur, *Gregorius* Confessoribus; necesse hinc est, alterutri aliam adsignare sedem. Cuinam vero? Illi certe, qui licet potior in Ritu fuerit, posterior tamen est in Veneratione et Cultu, ac utpote Confessor in paritate cedere debet Martyri, qui longe prius propriam habebat sedem in *die 25. Maji*, licet ritu simplici gauderet; ergo cum modo par sit utriusque ritus, a propria Sede *S. Urbanus* exturbandus non est, proptereaque transferendus *S. Gregorius VII.* ad primam diem non impeditam; in hoc quippe casu non est voluntaria et arbitria immutatio, sed necessaria ac, ut ita dicam, coactiva. Neque in contrarium sensum valet ratio ex eo petenda, quia Calendarii Director, ut primum indulta fuerunt Pisaurensi Cathedrali Summorum Pontificum Officia, illud *S. Urbani* amovit transtulitque ad *diem 28. Maji.* Nam quod perperam gestum est pro infecto habetur et corrigendum eratum. Minus vero altera prodest reponenda in more universalis Ecclesiae celebrandi Festum *S. Gregorii VII. die 25.* Siquidem longe priusquam de hoc Sancto memoria fieret, universalis Ecclesia *S. Urbanum*, licet ritu simplici, venerabatur et modo etiam simul cum *S. Gregorio* veneratur, de uno faciens Officium, de altero simplicem commemorationem. Sed fieri id nequit, ubi aequali ritu uterque colitur. Utique servari uniformitas debet, sed quantum fieri potest: secus peculiaria locorum Officia forent expungenda, quia hujusmodi turbant uniformitatem: ideo qui indulto gaudent celebrandi sub ritu dupl. Festa SS. Pontificum, cum nequeant semper sequi Calendarium Universale, se conformare debent Calendariis principum Urbis Ecclesiarum, quae in iisdem celebrandis Officiis, dum nihil obstat, ordinem tenent in Martyrologio; sin minus, quod posterius est ad primam diem non impeditam amandant, tamquam ad propriam sedem. In eo tamen erratum est, quod *S. Gregorio VII.* assignata sit *dies 28.*, quae non est libera, cum in ea communiter fiat de *S. Bonifacio IV. P. et Conf.*, cujus natalitia dies pariter est *25. Maji,* sed in assignatione proximioris diei *S. Gregorio* praeponitur, quia isto anterior est. Quamobrem rite notavit diligens caeremoniarum Magister ab hac S. R. C. rogatus in suo dissertissimo Voto, quod Pisaurense Capitulum eumdem ordinem tenere debet, quem tenent Calendaria Patriarchalium et Collegiatarum Urbis, in quibus dies 28. adsignata est *S. Bonifacio IV.* et 29. *S. Gregorio VII.* De hac re forte nimis. Non inutilem tamen adnotationem hanc fore arbitror, quia licet agatur de casu particulari, nihilominus regulam praebet in similibus servandam, cum non uni Pisaurensi Cathedrali, sed pluribus Dioecesibus indulta sint Officia SS. R. Pontificum.

S. GREGORIUS THAUMATURG.

Ad dubium: An Officium S. Gregorii Thaumaturgi recitandum sit ab omnibus ritu dupl. min?

Et S. eadem C. . . . rescripsit: „Romae ex privilegio“.

N. 4806 ad 2 die 11. Martii 1837.

GREMIALE.

1) Jus deferendi.

Vicarius et Beneficiati Ecclesiae paroch. s. Pauli Caesaraugustanae deferre non possunt gremiale in pro-

cessionibus, quas facere solent intra limites eorum Ecclesiae et Parochiae. n. 3077 die 10. Febr. 1685; et 20. Aug. 1687.

Dictum decretum extendendum fore ad omnes alias Ecclesias ipsius civitatis (Caesar.) injungendo Archiepiscopo ut contra transgressores etiam exemptos procedat auctoritate S. C. n. 3178 die 22. Jan. 1689.

Vd.: *Usus Pontificalium*; decr. n. 4863.

2) Quis imponit?

Magistri Caeremoniarum abstineant in futurum (in Capella Pontificia) ab imponendo et auferendo Gremiale, nisi impeditis Diacono et Subdiacono. n. 3686 die 26. Apr. 1704; n. 3691 die 7. Junii 1704.

GUBERNATOR.

1) De ejus habitu in visitatione publica et priv., vd.: *Praeses* (cap. I. II.) *De accessu ad Eccles.* una cum Episcopo, *aspersione, adorat. SSmi. et de recessu*, vd.: *Praes.* (cap. III. IV. VIII. IX.); *de Pace* (ibid. c. V.); *de candela et palma accipienda* (ibid. c. V.); *de adorat. crucis* (ibid. c. V.); *de Commun. fer. V. in Coena D.* (ibid. c. VI.); *de reverentiis* (ibid. c. VII.); *de accessu ad eccles. una cum Cardinali* (ibid. c. XI.)

2) Praeeminentia.

Vd.: *Genuflexorium*; *Oratio pro Gubern.*; *Incensatio Gubern.*; *Magistratus* (praes. et obsequ. etc.); *Sedes Gubernat. Praeses.*

Instante Episcopo Maceraten. S. R. C. declaravit: Gubernatori Maceraten. Praesidi Provinciae non habenti facultatem Legati de latere non competere sedem sub baldachino, sed sine solio supra scamnum Magistratus: ac proinde Episcopum eo praesente nullibi Dioecesis debere a benedictionibus Populi abstinere".

„Nullam praeterea deberi praecedentiam Gubernatori ac Praesidi praedicto supra Episcopum, etiam extra Dioecesim degentem".

„Episcopum non debere obviam ire Gubernatori praedicto advenienti ad Cathedralem, neque ab illa discedentem associare".

„Gubernatorem ac Praesidem praedictum teneri accedere ad Episcopum, ut ab eo accipiat candelam et palmam benedictam, etiam cum osculo manus ejusdem Episcopi".

„Canonicos teneri praestare Gubernatori Civitatis ac Praesidi Provinciae consueta obsequia et quatenus de consuetudine non liqueat, satis videri, ut per duos Canonicos excipiatur et ad portam Ecclesiae associetur".

„Magistratum teneri praestare Episcopo et Cathedrali Ecclesiae consueta obsequia tum praesente tum absente Gubernatore et quatenus renuat praestare, compelli posse".

„Ad supplendum Magistratui absenti in lotione manuum Episcopi, posse subrogari alios nobiles viros, quibus tamen locus in scamno Magistratus minime assignetur".

Et ita servari mandavit. n. 2160.

Die 1. Aprilis 1662; n. 2182 die 5. Aug. 1662.

3) Visitatio mutua inter Gubernat., Episcopum etc.

Vd.: *Praeses.*

S. GUILELMUS.

Ad dubium: Officium S. Guilelmi Abbatis, quod sub ritu dupl. et cum lectionibus *Justus si morte etc.*, recitabatur in Sardinia, instante ejus Rege per Decretum diei 24. Aug. 1785 extensum fuit ad Eccl. universalem. Hinc quaeritur: An in omni

Ecclesia dici debeant praedictae lectiones de communi, uti notatur in Codice Officiorum pro Ordine Seraphico Reformatorum Romae typis dato? Eadem difficultas circumfertur per Hispanias circa alios casus, in quibus Decreta extendunt aliqua Officia, quae cum majori ritu et lectionibus in primo Nocturno propriis, aut de communi in aliqua Dioecesi recitantur, ad alias Ecclesias, mutando tantum ritum in duplicem vel semiduplicem, quin de lectionibus aliquid statuant?

S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. de Somalia Urbis Vicarii, dicti Congregationis Praefecti et Ponentis rescribendum censuit:

„Negative et lectiones legendas ipsa de Scriptura tam in Officio S. Guielmi quam in aliis, de quibus quaeritur in secunda Dubii parte“.

Et ita declaravit. n. 4474 ad 7 die 2. Maji 1801.

II.

HABITUS ET HONESTAS CLERICORUM.

Habitus in choro assistentium, vd.: *Chorus* (hab.); *Canonici*; *Episcopus*; *Expositio SS. Sacramenti.*

Innocentius PP. XII.

§. 1. Volendo la Santità di Nostro Signore; che omninamente, et con ogni puntualità si osservi, et si dia essecutione alla dispositione de Sacri Canoni, e degli Editti altre volte publicati, tanto circa la decenza dell' Habito, quanto circa la Tonsura Ecclesiastica, non cui li Sacerdoti, e li promossi agli Ordini Sacri, e li Chierici di prima Tonsura, che tengono Benefitii Ecclesiastici di qualunque forte etiamdio semplici, ò che servono con salarii in Chiese, devono secondo la dispositione de' medesimi Sacri Canoni incedere, e molto maggiormente comparire a gli Altari per celebrare, ò fare altre functioni Ecclesiastiche, come anco circa la modestia, e decenza di prepararsi in tempo, e luogo, che devono celebrare; col presente publico Editto di ordine et comissione speciale della Santità Sua si rinova particolarmente l' Editto della sa. me. di Clemente IX. publicato li 29. Giugno 1667, e l'altro della sa. me d'Innocenzo XI. publicato li 10. Ottobre 1681. Et à quelli inherendo, e respettivamente ampliandoli, si ordina, e commanda, che nessum Sacerdote, ò Ordinato in Sacris, ò Chierico come sopra possa andare per Roma dalla levata del Sole sino à mezz' hora di notte vestito con habito, e veste curta, mà debba incedere con habito lungo sino al collo del piede, detto vulgarmente habito Talare, e debba portare la Chierica, e Corona, ò sia Tonsura Chiericale della grandezza conveniente all' Ordine, e grado di ciascheduno, la quale non sia di minor grandezza d'un testone, e sia totalmente apparente, e così spesso rinovata, che si possa ben vedere.

§. 2. Si ordina parimente, e commanda, che nessun Sacerdote, ò Ordinato in Sacris, à Chierico ancor di prima Tonsura come sopra porta Zazarra, ò Capigliatura, e molto meno Capelli, e Zazzara finta, chiamata volgamente Perucca, che copra la fronte, e l'orecchio.

§. 3. Sotto pena in ciascheduno di detti casi, e per qualsivoglia volta, che si trasgredirà della Carcere, e di scudi dieci d'applicarsi ad Opere, e Luoghi Pii in conformità del solito.

§. 4. Et oltre l'incorso delle dette pene possono esse certi quelli, che contraverranno, che il difetto della debita Tonsura et habito Talare et accommodatura modesta de' capelli poterà ad essi, e ciaschedun di loro il totale impedimento alle pretensioni di qualsivoglia impiego Ecclesiastico.

§. 5. Si notifica nondimeno, che con licenza, che si darà da S. E. ò da Monsig. Vicegerente in scritto speditamente, e gratis si permettera in occorrenza di far viaggio, ò altra causa legitima, che le sudette vesti, e ferrajoli siano più curte, purche convenga all' honestà dell' Ordine, e non siano di altro colore che nere, et in questa conformità, e non altrimente si dovranno intendere le licenze, che si daranno et in caso contrario s'incorrerà la pena della Carcere, e perdita di tali habiti.

§. 6. Et alle sudette pene di Carcere, e pecuniarie, et altri maggiori ad arbitrio soggiaceranno quei Sacerdoti, che contra la forma del presente et altri editti come sopra publicati celebraranno in alcuna Chiesa sì dentro, come fuori di Roma, se non in habito del tutto decente, e proportionato allo stato, e conditione Ecclesiastica, e specialmente con veste Talare, e sia quella stessa, con la quale ciascheduno và alla Chiesa, e non presa in prestito meramente per l'atto di celebrare, ò somministratali dal Sagrestano.

§. 7. Che nel trattenersi li Sacertoti nelle Sagrestie non consumino il tempo in vani discorsi mà stiino quieti, e modesti come comporta il luogo, che serve principalmente al Culto di Dio, et al racogglimento per la preparatione al Sacrificio, e rendimento di gratie doppo di esso, e non vi piglino Tabacco nè in fumo, nè in polvere, nè masticato come cosa pregiuditiale alla polizia, e decoro Ecclesiastico sotto le medesime pene immediatamente espresse tanto per quelli, che v'incorreranno, come per li Sagristani, che lo permettessero, e non vi ponessero il debito rimedio.

§. 8. Parimente si commanda come sopra à dutti li Rettori, Sagrestani, Capellani, Custodi, et altri sotto qualsivoglia nome deputati all' amministratione, ò cura, ò sopraintendenza di qualsivoglia Sagrestia, tanto nelle Basiliche, Collegiate, Parochiali, Congregationi, Oratorii, Capelle et Hospedali et ogni altra Chiesa Secolare, quanto di qualsivoglia Chiesa Regolare, sì dentro come fuori di Roma, che non permettino ad alcun Sacerdote il celebrari nelle loro Chiese, se non haverà la solita licenza di S. E., e porterà l'habito, e Tonsura predetta, qual' habito il Sacerdote l'hà da portare avanti che entri in Sagrestia, nè deve essergli imprestato dal Sagrestano sotto la medesima pena della Carcere, e di scudi dieci da applicarsi come sopra, e di più la sospensione di loro Officii et altre ad arbitrio secondo la maggior negligenza, che commetterano nella trasgessione di questo Editto le quali pene s'incorreranno de fatto da ciascheduno dè sopradetti ogni qual volta, che l'haveranno trasgredito, et avvertiranno sotto la medesime pene di non permettere, che alcun Sacerdote celebri con la Zazzana finta, ò sia Peracca.

§. 9. E per lo Scandalo, che porta il vèdere li Sacerdoti, che si affrettano troppo nel legere ò nel fare le ceremonie, ordiniamo, che nelle Sagrestie vi sia un Horologgio da ruote, ò da polvere per mezzo de quale il Sagrestano possa conoscere, se il ce-

lebrante impiega nel Sacrificio il debito è proportiationato tempo, che non dovrà essere meno di un terzo di hora, e trovandosi doppo essere stati avvertiti da Sagrestani a perseverare il Sacerdoti in questa indecenza si debanno licenziare, e privare dell' Officiatura, con dare à S. E. innota li loro nomi sotto le cui già espressedi dieci scudi, et ad altre ad arbitrio, per li Sagrestani, che lo comportassero, e non rimediassero a quanto si è detto.

§. 10. In oltre si dichiara col presente Editto confermato ogni altro, che sia stato publicato in quest' istessa materia, e particolarmente, che nessuno possa celebrare in qualsivoglia Chiesa, ò Oratorio senza licenza in scriptis di S. E. ò di Monsignor Vice-Gerente, nè li Sagrestani possino lasciar celebrare senza la detta licenza, sotto pena tanto alli Celebranti, come alli Sagrestani di scudi dieci per ciascheduna volta da applicarsi à luoghi Pii come sopra.

§. 11. Avertendosi che nelle Chiese di Monache è nesessario d'havere una licenza particolare, che esprima una speciali facoltà di celebrare in dd. Chiese.

§. 12. Per rimediare anche all' abuso della celebratione delle Messe in hore intempestive commendiamo, che non si possa cominciare a dir le Messe prima di un hora avanti l'Aurora, e che ad un hora doppo mezzo giorno debbano essere del tutto finiti li Sacrificii sotto l'istesse pene imposte nel Capitolo precedente, tanto alli Celebranti, come à Sagrestani, non ostante qualsivoglia pretesa Consuetudine, ò Privilegio in contrario, che non sia stato esibito nella Segretario, e riconosciuto et approbato da S. E.

§. 13. Et acciòche i Laici habbino occasione di prendere in tutto buon essempio dagli Ecclesiastici, e si tolga ogni attacco di mormoratione, l' E. S. ordina, e commanda sotto le pene arbitrarie, che nelle Case fabricate per stanza, et uso de Canonici, ò altri Ministri di Chiesa non habitino Donne etiam Parenti in qualsivoglia grado, e nell altre non deputate a servitio de' Canonici, ò Chierici nonvi stiano, se non per causa dall' E. S. approvata.

§. 14. Che le Case delle Chiese, ò vero porte di esse non siano affittate à Laici se non per causa di necessità da approvarsi come sopra.

§. 15. Che li Sacerdoti non possino Procurare, Avvocare, Difendere, nè fare qualsisia attione di Cause dinanzi à Giudice Laico, eccetto che nelle Cause dalli Sacri Canoni permesse, nel qual caso s'impetri dall Eminenza Sua la licenza in scritto.

§. 16. Che li Sacerdoti, et altri Ecclesiastici promossi agl' Ordini Sacri non portino Arme di sorte alcuna, nè da fuoco, nè di punta, nè anche sotto protesto di andare à caccia senza licenza di S. E., quale si darà gratis come di supra.

§. 17. Che questo medemo Editto si debba tenere affisso nelle Sagristie dalli Sagristani à vista d' ogn' uno sotto pena della privatione del loro Officio ad arbitrio; E che publicato et affisso, che sarà conforme al solito obblighi qualsivoglia Persona come se li fosse stato personalmente intimato.

Datum Romae ex Aedibus Nostris hac die 20. Nov. 1691.

(Bull. r. t. VII. p. 271.)

Benedictus PP. XIII.

Cum sicut non sine maximo animi nostri moerore, imo etiam horrore percipimus quorumdam Clericorum Beneficia Ecclesiastica obtinentium audacia et temeritas hodie eo usque processerit, ut in dedecus Ordinis Clericalis, Sacrorum Canonum contemptum

magnamque animarum suarum perniciem incedere in habitu laicali minime vereantur; Nos gravissimo huic abusui et Christifidelium offensioni pro Pastoralis Officii debito, quantum Nobis ex alto conceditur, opportune consulere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae R. E. Cardinalium et aliquot insuper dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio ac etiam Motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus, statuimus et mandamus, quod Ordinarii Locorum, ubi sita sunt Beneficia ejusmodi Clericorum vestes laicales deferentium, impudentiam canonicis remediis omnino coerceant et hunc in finem non modo possint sed etiam debeant contra ipsos procedere per citationes Domi dimissa copia, quatenus domicilium habeant in eorum respective Dioecesibus: sin minus, per citationes ad Valvas, Jurisque ordine servato sententiam declaratoriam privationis obtentorum Beneficiorum in ipsos fere et pronunciare, ita tamen ut eadem Beneficia juxta Constitutionem fel. rec. Sixti V. Praedecessoris Nostri incipientem: *Cum sacrosanctam etc.*, Nostrae et Romani Pontificis pro tempore existentis collationi provisioni ac omnimodae dispositioni reserventur et reservata censeantur.

Praeterea volumus, statuimus et declaramus praedictis Clericis Beneficiatis in habitu laicali incedentibus minime licere, percipere nec facere suos fructus et proventus quoscumque suorum Beneficiorum, cujuscumque generis, speciei, qualitatis et valoris existant: quin etiam expresse decernimus ac sancimus ejusmodi Beneficiatos ex mero facto incessus in habitu laicali quamvis nulla praecesserit Ordinariorum sententia declaratoria privationis Beneficiorum, quae obtinent, imo etiam nulla citatio, monitio vel alius judicialis actus in eos fuerit institutus, ipso jure amissionis et privationis fructuum praedictorum poenam incurrere, ita ut illos nullo modo percipere nec perceptos retinere vel facere suos possint: sed ipsos absque ulla prorsus diminutione ad commodum Fabricae Ecclesiarum, in quibus erecta sunt Beneficia, illico sub poena lethalis culpae restituere teneantur; a qua quidem resitutionis obligatione a nemine praeterquam a Nobis et Romano Pontifice pro tempore existente (sublata caeteris omnibus etiam Poenitentiariae Apostolicae Officio et Majori Poenitentiario condonandi facultate) eos absolvi et liberari posse volumus, praecipimus et mandamus.

Datum Romae die 2. Maji 1725.
(Bull. r. t. XIII. p. 157).

Benedictus PP. XIV.

Date (Episcopi) imprimis operam omnique studio atque ope satagite, ut morum integritas et divini Cultus studium eluceat in Clero, utque ecclesiastica disciplina sarta tecta servetur et ubi collapsa fuerit, redintegretur. Satis enim constat nihil esse, quod omnem populum ad pietatem, religionem et christianae vitae institutionem efficacius instruat, excitet, inflammet, quam eorum exemplum, qui divino ministerio se dedicarunt.

Illud maxime momenti est, ut illis animarum Cura committatur, qui doctrina, pietate, castis moribus et illustribus bonorum operum exemplis ita aliis praelucere possint, ut vere lux et sal populi sint et habeantur. Hi nimirum praecipui adjutores vestri sunt in grege vobis credito informando, regendo, perpurgando. . . . Ex quo pronum est, intelligere, quanti

vestra etiam referat eos ad parochiale Off. obeundum eligi, qui ad fructuosam plebium gubernationem merito judicentur aptiores. In id vero potissimum incumbite, ut quicunque animarum curam gerunt, diligenter diebus saltem dominicis aliisque festis de praecepto plebes sibi commissas pro sua et eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae Christifideles ad salutem scire oportet ac explicando divinae legis capita fideique dogmata et pueros ejusdem fidei rudimentis imbuendo, quacunque prava in contrarium consuetudine prorsus sublata.

Proderit plurimum, ut et qui curam animarum gerunt et alii, qui ad poenitentium confessiones excipiendas destinati sunt, *per aliquot dies spiritualibus exercitiis quotannis vacent*)*.

Epistola Bened. XIV. ad Episcop. die 3. Decb. 1740. (Bull. r. t. XVI. (pag. 3.)

Clericis interdicitur quaelibet negotiatio, etiam sub alieno Laici nomine, vd.: *Constitut. Bened XIV.* die 25. Febr. 1741. (Bull. r. t. XVI. (pag. 19.)

HABITUS.

Archiepisc., Episcopi, Gubernatoris etc. in visitat. publica.

Vd.: *Praeses.* (cap. II.)

HAEC EST VERA FRATERNITAS.

Ad dubium: An rubrica posita in Breviario: Sequens R.: *Haec est vera fraternit.* dicitur post 8. aut 2. lect. in festo plur. mm. fratr., intelligenda sit nedum de fratribus secundum carnem sed etiam de ipsis secundum Institutum Ord. regularis? S. C. resp.; Negative. n. 4491 ad 5 die 12. Mart. 1804.

Cum jam declaratum sit a S. R. C. Responsorium:

„Haec est vera Fraternitas" locum habere solum in Martyribus fratribus secundum carnem, non vero secundum institutum Ordinis Regularis; quaeritur: an praefatum Responsorium dici debeat in Martyribus nostri Ordinis Minorum in Angelorum Provincia extante Rubrica peculiari nostri Breviarii?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Affirmative juxta peculiarem Rubricam Breviarii trium Ordinum num. 196".

Facta autem per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo. D. N. Pio PP. VII. P. M. relatione, S. S. S. C. responsa approbavit, confirmavit atque ita in posterum a dicti Ordinis et Provinciae Religiosis servari mandavit. n. 4549 ad 1 die 25. August 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.:

In Communi plurimorum Martyrum ad R. VIII. vel II. sequens legitur Rubrica: *Sequens Responsorium* (Haec est vera fraternitas) *dicitur post 8. vel 2. lectionem in festo plurimorum Martyrum fratrum.* Dubitatum aliquando fuit: num haec Rubrica intelligenda esset dumtaxat de fratribus secundum carnem, vel eos etiam comprehenderet, qui spirituali foedere unum idemque Institutum profitentur et uti fratres habentur et nuncupantur. Stricte sumendam esse Rubricam de fratribus sanguinis vinculo conjunctis. et ex eodem genitore progenitis vere talibus, Rubricarum expositores, Ecclesiae praxis, S. hujus C. Decreta plane evincunt. Unus ex Scriptoribus

*) Vd.: *Indulg.* (Pro Exercitantibus)

sat erit. *Gavantus*, qui ad hunc locum *Rubric. Breviar. sect. 8. cap. 2. num. 9.* haec habet: *Responsorium*: Haec est vera Fraternitas *non dicitur umquam, nisi vere hi sint fratres secundum carnem: quod si cum fratribus carnalibus celebrentur alii non fratres, in eodem festo, non dicitur.* Hanc autem Rubricae interpretationem praxis Ecclesiae probat, si in *Breviario* mutandum esse Responsorium notatur in eo tantum casu, in quo de solis martyribus fratribus Officium fit. Id adeo verum est, ut nec Respons. mutatur in Festo *SS. Eustachii, conjugis et filiorum*, qui simul eodemque Martyrii genere interiere, quia licet filii inter se fratres sint secundum carnem, conjunguntur tamen in eodem Officio cum Patre et Matre. Declarationes accedunt S. hujus C. in una *Ordinis S. Benedicti ad dub. 3 quaesiti 3.* die 10. Junii 1690 et clarius recentissime in una *Ordinis Clericorum Minorum Villae Matriten* die 13. Mart. 1804. Nihilominus haec regula, etsi generalis, suas partitur limitationes, si aliquis religiosus Ordo gaudeat peculiari privilegio legendi R.: *Haec est vera fraternitas*, dum sit Officium plurimorum Martyrum ejusdem Instituti. Hoc fruuntur indulto Fratres Minores S. Francisci ex eorum Rubricis post maturum examen approbatis et confirmatis a *fel. record. Pio PP. VI.*, occasione novae editionis Breviarii trium Ordinum. Siquidem *num. 196* habetur: R. *ultimum . . . in Officio plurium Martyrum fratrum (sive fratres fuerint secundum carnem, sive Nostrae Religionis filii) esse debet.* Porro haec Rubrica exceptionem regulae ponit, cui non detrahit postrema declaratio *anni 1804* qua S. R. C. generali quaesito: *an rubrica etc. intelligenda sit nedum de fratribus secundum carnem, sed etiam de ipsis secundum institutum Ordinis?* respondit *Negative*. Nec secus poterat, cum in proposito dubio relatio haberetur ad Rubricam generalem Breviarii, quin ulla fieret mentio peculiaris indulti, quo gaudent Fratres Minores. Diversa vero ratio est in praesenti quaestione, quae exceptionem ponit ex peculiari privilegio. Ne sit autem qui arbitretur, responsum S. C. ad hoc primum dubium pugnare cum Decretis supra indicatis. A casuum quippe diversitate diversa petenda est decidendi ratio.

HANC IGITUR.

Manus sacerdotis ad *Hanc igitur* debent ita extendi, ut palmae sint apertae pollice dextero super sinistrum in modum crucis *supra* manus. n. 2241 ad 5 die 4. Aug. 1663.

HASTAE BALDACHINI.

Cf.: *Baldachinum.*

HEBDOMADA SANCTA.

Vd.: *Officia hebdom. maj. in par.*; *Sabbatum s.*; *Coena Dom.*; *Parasceve*; *Lumina in exequiis Tridui*; *Sepult.* (per Triduum etc.) *Off. def.* (Dies).

HEBDOMADARIUS.

1) In Choro.

Vd.: *Rector chori*; *Antiphonae*; *Bened. in Mat.*; *Minorista* (ut hebdom.); *Signum crucis in Officio etc.*; *Canonici Cath.* (praeced. inter se; decr. n. 4619); *Coadjutor Canon.*

A Rubricis Breviarii romani etc. non esse recedendum et ad *Hebdomadarium* sive Canonicum sive Beneficiatum spectare singulis respective diebus ad Matutinum et ad alias horas omnes canonicas: *Pater nost.*, *Domine labia mea etc.*, *Deus in adjut. etc.*, Absolutiones, Benedictiones, Capitula, preces et orationes dicere, non vero ad majorem Sacristam vel

alium Capellanum amovibilem. Et ita omnino servari non obstante quacunque contraria consuetudine. n. 1203 die 10. Mart. 1640.

Minime ad Archidiaconum sed ad hebdomadarium seu peragentem Officium spectare dicere: *Actiones nostras etc.*, *Pater noster etc.*, *Dies et actus etc.* n. 1760 die 7. August. 1655.

Benedictiones ad Primam et Completorium spectare ad Hebdomadarium privative quoad Archidiaconum. n. 1768 die 28. Aug. 1655.

Hebdomadarium debere sedere in digniori et primo stallo a parte chori supra reliquos sui Ordinis, non exceptis Dignitatibus quoad Canonicum Hebdomadarium, ibidemque lectionem cantare. n. 1920 die 7. Sept. 1658.

Canonicus hebdomadarius, faciens officium in choro, debet sedere in primo stallo. n. 1921 die 7. Sept. 1658.

Hebdomadario, sui fuerit Canonicus, deberi digniorem locum a parte chori; Praeposito autem digniorem locum e conspectu hebdomadarii vel immediate post hebdomadarium Canonicum; at si hebdomadarius erit Canonico inferior, deberi ei locum, cum fuerit sacris indutus, apud altare a parte cornu Epistolae; nisi fuerit sacris indutus, digniorem locum supra reliquos sui Ordinis. n. 1985 die 24. Maji 1659.

Vd.: *Hebdom. paratus.*

Hebdomadario tum Dignitati tum Canonico deberi stallum primae vel secundae Dignitatis a parte Chori et immediate sub hebdomadario sedere debere primam vel secundam Dignitatem respective; stallum vero e conspectu Hebdomadarii vacuum dimittatur, ut prima et secunda Dignitas in stallorum paritate conveniant et alter alterum ex directo respiciat. n. 2006 die 22. Novb. 1659.

In festivitatibus minoribus absente Magistro Caeremon. spectat dare signum pro incipiendo Matutino et Vesperis ad Hebdomadarium. n. 2248 ad 3 die 4. Aug. 1663.

Suanen.

Ab immemorabili et numquam interrupta consuetudine illud est in more positum penes Capitulum Cathedralis Suanen. Ecclesiae, ut quoties Canonicus (qui ob paucitatem Sacerdotum insimul munus exercet Parochi in Ecclesia sub titulo B. M. V. ejusdem Civitatis) Hebdomadarii Officium in Choro diebus festis, quibus tantum in recensita Cathedrali Chorus agitur, exercere debeat praedicta in Ecclesia Parochiali, Hebdomadarii officium peragat ejusdem Cathedralis Praepositus. Modernus autem Praepositus, quin plausibilis ei excusatio suffragetur, in praesentiarum hoc praestare renuit. Ad Parochianorum ita assistentiae providendum vitandasque controversias et dissidia ac pacem quoad fieri potest inter Sacerdotes servandam, Paulus Febri Canonicus Parochus S. R. C. sequentia Dubia humillime proposuit pro opportuna solutione, nimirum:

1. An supradicta vetusta consuetudo, tamquam vim legis habens, debeat et possit sustineri?

2. An Dioecesanus Episcopus reluctantem Praepositum ad eamdem consuetudinem retinendam cogere possit et quomodo?

Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata ad relationem subscripti Secretarii, attenta potissimum enunciata consuetudine ac Rmi. Episcopi Informatione et Voto, rescribendum censuit ad utrumque Dubium:

„Affirmative in omnibus ad formam consuetudinis". n. 4789 die 27. Aug. 1836.

Primum locum convenire hebdomadario *Officium facienti* super omnes Dignitates et Canonicos, quando ipse hebdomadarius est Canonicus vel ex numero Dignitatum; si vero est Clericus, debet, quando officium facit, accedere in medio Chori. n. 316 die 17. Junii 1606.

Hebdomadario deberi praecedentiam sive cum paramentis sive absque eis. n. 3889 die 12. Sept. 1716.

2) Paratus.

Hebdomadarium paratum facere debere omnia sibi convenientia. n. 651 die 22. Aug. 1626.

Quando Hebdomadarius est paratus, debet occupare primam sedem. n. 2248 ad 2 die 4. Aug. 1663.

Vd.: ***Sedes Dignit. et Canon. in choro*** (decr. n. 4358.).

Paratis tantum hebdomadariis concedendam esse primam sedem. n. 652 die 22. Aug. 1626.

Vd.: ***Hebd.*** (in choro, decr. n. 1985.)

3) Quis?

Canonicos inter Cath. Eccl. Platiensis controversia parvi quidem momenti orta est, quae tamen nonnullorum animos diversas in partes scindit. Quam quidem controversiam ad formam Dubii proponit pro opportuna dilucidatione R. D. Calogerus Crea recensitae Cath. Canonicus Theol., nimirum: An Canonicus in Choro Diaconus, sed charactere Ordinis Presbyteralis, omnibus annuentibus Canonicis possit in Choro facere Hebdomadam, dum ipse affirmativam protueri sententiam profiteatur?

Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes hac die coadunata in Ordinariis Comitiis audita relatione ab infrascripto Secretario facta inhaerendo decretis alias super re editis, ac perenni consuetudini aliis in Eccl. laudabiliter servatae, rescribendum censuit:

„Affirmative; dummodo Praebendae non sint fixae et in Choro per antianitatem ascendatur ad Ord. Presbyteralem".

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5020 die 14. Junii 1845.

4) Stola in choro.

Cf.: *Stola*; *Stola parochorum etc* (decr. n. 4550 nota.)

Hebdomadarius non debet in choro uti stola. n. 2241 ad 3 die 4. Aug. 1663; n. 4524 die 7. Sept. 1816; n. 4645 ad 3 die 17. Decb. 1828.

Canonico Hebdomadario Collegiatae Collis Veteris ratione stolae digniorem locum in Officio et aliis functionibus ecclesiasticis peragendis debere, non autem ad Archipresbyterum spectare. n. 2989 die 13. Junii 1682; n. 3030 die 2. Octob. 1683; n. 3889 die 12. Sept. 1716.

ORITAN.

Rme. D. uti Frater.

Per recursum apud S. R. C. nuperrime habitum a Sacerdotibus una et Canonicis Colleg. Eccl. Oppidi Francavilla nuncupati istius Oritanae Dioec., scilicet Dominico Forleo Cantore et Emanuele Forleo Capituli Procuratore, eidem innotuit Archipresbyterum vel ejus Substitutos in Choro tempore Divini Officii uti Stola, quod maxime vetitum est ne fiat a Decretis ejusdem S. C., praesertim in Generali diei 7. mense Sept. anno 1816 lato, atque a s. m. Pio Papa VII. sua auctoritate et confirmatione roborato, quo mandatur omnibus Hebdomadariis, Archipresbyteris aliisque, ne possint uti Stola in canendis Divinis Officiis, sed tantum in Sacramentorum confectione et administratione et contraria consuetudo declaratur abusus per Lo-

corum Ordinarium omnino eliminandus: item in una Volaterrana sub die 16. Mense Dec. anno 1828 proposito sequenti Dubio: „An Decreta prohibentia delationem Stolae ab Hebdomadario assistente Horis Canonicis comprehendant etiam Tertiam cantatam solemniter cum Ministris et Vesperas solemnes"? S. C. rescripsit: Serventur Decreta, ea praesertim Gen. novissimum diei 7. Mensis Sept. anni 1816., in quo comprehenditur etiam casus propositus": ea propter S. C. hac die Ordinariis in Comitiis apud Vaticanas Aedes coadunata, audita relatione a R. P. D. Secretario subscripto facta, satius duxit mandare, ut Amplitudini Tuae scriberetur et significaretur, hoc non licere juxta alias decreta, ac pro suo munere provideret, ne in Choro deferatur Stola ab Archipresbytero recensito aut aliis quibuscumque; quae certe consuetudo seu declaratus abusus viget passim in hac Oritana Dioec. atque etiam in Choro ipsius Cath., sicut a testibus fide dignis accepit eadem S. C. permultis in circumstantiis. Ne ulterius itaque transgressioni legis aditus pateat in universa hac Dioec., curet Ampludo Tua, ad tramites Decreti Gen., quod omnes indiscriminatim adstringit, mandare ut in Choro tempore Divini Officii Stola amplius non appareat, neque ab ullo sub quovis praetextu deferatur. Et Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat. n. 5027 die 14. Junii 1845.

S. HEDWIGIS.

(Vid., reg. Polon.)

S. C. resp. PP. *Benedictinis Einsidl.*: In festo s. Hedwigis vid. reg. Polon. recitatur oratio Ecclesiae universalis, nempe: *„Deus, qui b. Hedwigem etc.* n. 4044 ad titul. de *Oration.* die 5. Maji 1736.

Urbis et Orbis.

Clemens PP. XI.

S. C. R. posse concedi censuit, ut Off. s. Hedwigis hactenus sub ritu sem. *ad lib.* recitatum, in posterum cum oratione ppr. sub eodem ritu sem. *de praecepto* recitetur, si SS D. N. visum fuerit. Et S. S. benigne annuit. Die 27. Mart. 1706. (Bull. r. t. VIII. p. 434.)

S. HENRICUS. IMP.

Vd.: *Translatio* (festi perpetuo transl. decr. de die 12. Sept. 1840.)

De ejus Canonisatione vd.: *Constitutio Eugenii III. die 13. Mart. 1152* in Bull. rom. tom. I. p. 34.

S. HERMENEGILDUS.

In festo s. Hermenegildi die 13. Apr. ex decreto S. C. tam tempore Paschali quam extra, dicendum est Evangelium: *Si quis venit.* n. 2419 ad 9 die 13. Aug. 1667; n. 2645 die 17. Junii 1673.

Quando in I. vesp. s. Hermeneg. mart. hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus est in Matut. et hym. Matut. substituendus est in laud. S. R. C. 5. Maji 1736.

Vd.: *Martyr* (Officium; decr. de die 2. Maji 1801.)

S. HIERONYMUS AEMIL.

Vd.: *Translatio* (festi perpetuo transl. decr. de die 12. Sept. 1840.)

S. HILARIUS.

Vd.: *Epiphania Dom.* (Dies octava); *Dominicae post Epiph.* (decr. n. 5197.)

HOMAGIUM.

Episcopum debere Dignitates et Canonicos aliosque *de Capitulo* in actu

praestandae obedientiae recipere ad osculum dumtaxat *manus*, non genu, juxta Caerem. (Lib. I. c. II.) n. 1341 die 17. Sept. 1641.

Praepositos admittendos esse ad osculum manus novi Archiepiscopi, dum primo Ecclesiam ingreditur, non secus ac Canonici. n. 1641 ad 2 die 11. Maji 1652.

Archiepiscopnm Avenion. in primo accessu ad suam Metropol. Dignitates, Personatus Canonicos, Numerarios sive Capitulares, Canonicos supranumerarios et Beneficiatos, nullo excepto, excipere ad osculum manus debere. n. 2624 die 6. Maji 1673.

HOMILIA.

(Cf.: Sermo. Concio.)

Ad dubium: An liceat Canonico Theologo explicare populo sacram Scripturam in diebus Festis inter Missarum Solemnia et praecise post Evangelium in casu etc.?

S. eadem C., audito prius Rmo. Episcopo Ripano perpensisque juribus Archipresbyteri, Canonico vadimonium deserente, respondit: „Negative".

Hodie vero iterum ab eodem Relatore proposito eodem Dubio, audito pariter uno Archipresbytero, respondit: „In decisis et amplius". n. 4467 die 30. Apr. 1796.

S. HOMOBONUS C. CREMONENSIS.

De ejus Canonisatione vd.: *Constitutio Innocentii III. die 22. Decb. 1198* in Bull. rom. tom. I. p. 54 (ed. Luxenbg.) Ejus festivitas celebr. 13. Novemb.

HORAE CANONICAE.

Vd.: *Chorus*; *Officium* (initium); *Episcopus* (initium Officii); *Matut.*; *Complet.*; *Nativit. Dom.* *Psallendi modus.*

HOROLOGIUM.

Pro indicandis horis ad exposit. SSmi., vd.: *Instructio Clem.* §. X.; *Expositio SSmi.* (tempus); *Campanae pro horologiis. Pro celebratione missae*, vd.: *Habitus Clericor.* (§. 9.)

HOSTIA.

1) Dividenda in communione.

Vd.: *Communio* (Hostia etc.)

2) Duae consecrandae.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 2. 6.; *Festum SS. Corp. Chr.* (Expos. etc., *ad dub. VI.*)

3) Forma.

Nulli tradendas esse plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores quam consuetas. S. C. C. 12. Febr. 1679 approb. Innoc. XI.

4) Furtum.

Quomodo in Hostiae furtum animadvertendum, vd.: *Constit. Innoc. XI.* die 12. Mart. 1676. (Bull. r. t. VII. p. 1); *Constitutio Alexd. VIII.* de die 22. Decbr. 1690. (Ibid. t. XII. p. 67.)

Benedictus PP. XIV.

Ab Augustissimo Eucharistiae Sacramento, in quo Salvator Noster et Dominus Jesus Christus se ipsum nobis tamquam gratiarum omnium fontem uberrimum atque pretiosum aeternae gloriae pignus, amandum atque fruendum exhibere ineffabili benignitate dignatur, cur curvari convenit omne genu omnesque gentes et populos et linguas perenne adorationis et honoris tributum offerre, sceleratorum hominum audaciam multoque magis sacrilegas impiorum manus arcendas

esse, in primisque à Nobis Apostolicae auctoritatis clypeo ac districto poenarum gladio, quantum cum Domino possumus, longiùs propulsandas, tum ipso ministerii Nostri Officio tum etiam Praedecessorum nostrorum exemplis admonemur.

§. 1. Et sanè, cum alias Ven. mem. Praedecessor Noster Innocentius Papa XI. per suam Constitutionem datam IV. Idus Martii Anno incarnationis Dominicae 1676 statuerit, ut omnes et singuli utriusque sexus, qui de execrabili furto Hostiae consecratae, sive unius sive plurium Particularum consecratarum, cum sacra Pyxide vel sine illa, legitimè et judicialiter confessi aut convicti fuerint, quive propria malitia vel de alterius mandato, Hostiam ejusmodi, sive unam vel plures Particulas consecratas, ad malum finem apud se retinere vel aliò transferre seu asportare praesumpserint, condignis poenis et animadversionibus pro facinoris atrocitate plectantur et pro prima etiam vice Curiae saeculari tradantur; non obstante minori aetate, dummodo vigesimum annum attigerint; easdemque poenas constituerit etiam contra Mandantes. Immediatus illius Successor. fel. pariter rec. Alexander Papa VIII. aequali zelo ad tam nefarium scelus eliminandum armatus praedictam Innocentii XI. Constitutionem confirmavit per aliam in simili forma datam XI. Kalendas Januarii Anni MDCXC.; in qua etiam illud addidit, ut sub ante dictae Constitutionis dispositione intelligi deberent comprehensae omnes et singulae personae tam Saeculares quam Ecclesiasticae etiam Regulares cujuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, quibuscumque privilegiis, exemptionibus et Indultis munitae et quavis speciali nota aut individuatione dignae, nulla prorsus excepta; easque omnes, si quas atrocissimi hujus criminis, quocumque modo, etiam sine qualitate furti, per se ipsas vel per alios quoscumque aut de alterius mandato commissi reas esse constaret, omnibus et singulis poenis tum antiquis, tum in dicta Innocentii XI. Constitutione innovatis, etiam quoad Ecclesiasticas degradationis realis et traditionis brachio saeculari, omninò et irremissibiliter obnoxias fuisse et esse atque in posterum fore declaravit.

§. 2. Nos igitur, quibus horrendae hujusmodi impietatis magis magisque praecavendae non minor cura pectori insidet, supradictas Praedecessorum nostrorum Innocentii XI. et Alexandri VIII. Constitutiones (quarum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insertae forent, haberi volumus), atque omnes et singulas dispositiones, ordinationes, declarationes et extensiones in illis contentas, prout jacent, Motu proprio et ex certa scientia et deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra perpetuò valitura Constitutione confirmamus, approbamus et innovamus easque inviolabiter et inconcussè servari volumus et mandamus.

§. 3. Cum autem, sicut Nos ipsi pluries agnovimus, dum adhuc in minoribus existentes in Romana atque universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, in hujusmodi Causarum tractationibus, quae coram Sacro praedictae Inquisitionis Tribunali agitantur, hae plerumque exceptiones à Reis atque Reorum Advocatis proponi soleant; quod scilicet subreptarum Particularum sive Hostiarum consecratio, et surripientium sive asportantium vel respectivè retinentium intentio ad malum finem directa, minimè à Fisco probentur; et propter hujusmodi exceptiones et deficientes in Fisco probationes ad easdem repellendas, hujus generis causas in

longum protrahi contingat atque etiam ipsi aliquando Rei delictorum suorum impunitatem aut poenarum minorationem pessimo exemplo obtinere tentaverint; cumque super relevantia istarum exceptionum, quae ex dictarum Innocentii XI. et Alexandri VIII. Constitutionum contextu oriri asseruntur et super eo, an ipsis Reis vel Fisco potius incumbat onus conficiendi probationes pro supradictis exceptionibus fundandis vel respectivè destruendis, novam aliquam declarationem Pontificia auctoritate suffultam memoratis Constitutionibus adjungi desideraretur: Idcirco Nos volentes omnia sacrilegis Hominibus adimere subterfugia, per quae condignas tantae impietatis poenas declinare vel earum minorationem et relaxationum praetendere vel obtinere possent, motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus atque etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum à S. Sede specialiter deputatorum sensui et consilio Nobis aliàs super hac re insinuato inhaerentes, ea, quae sequuntur, opportunè statuenda et declaranda censuimus.

§. 4. Quoties igitur per legitimas probationes constiterit vel Hostiam vel Particulas à Reo subreptas sive alio modo asportatas atque retentas in Sacro prius Repositorio seu Tabernaculo vel in Sacra Pyxide aut Ostensorio asservatas, indeque sacrilego ausu extractas atque asportatas fuisse; vel eidem Reo constituto aut alteri personae in actu Communionis à Sacerdote traditas deindeque vel in eodem Communionis actu vel post illum ab ipso sumente ex proprio ore extractas fuisse; tunc satis et abundè fundatam praesumptionem Fisco suppetere declaramus pro asserenda earumdem Hostiarum seu Particularum consecratione, ad quam excludendam nonnisi claras et concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipsum Reum pertinere dubitandum non est ac ne in posterum dubitari contingat praesentis declarationis tenore statuimus.

§. 5. Inutiliter etiam à Reis vel ab eorum Defensoribus proponeretur exceptio non probatae pravae intentionis abutendi Sacramento ad malum vel sacrilegum finem, nisi concludentibus et juridicis probationibus adstruendis pariter ab ipsis Reis, in quos tale onus praesentis declarationis vigore expressè refundimus, hujusmodi exeptio constabilita fuerit et justa aut excusabilis ratio asportationis aut retentionis Sacramenti plenè comprobetur. Aliàs etenim Fisco semper assistet valida et legitima praesumptio de intentionis pravitate, quotiescumque probaverit ipsam Sacrae Hostiae vel Particulae subreptionem, asportationem aut retentionem, absque eo quod, super malo vel sacrilego fine, speciales probationes debeat cumulare. Itaquè neque istam neque aliam superius memoratam exceptionem, ubi sufficienter ut supra probatae non fuerint, impiis tanti Sacramenti violatoribus ullatenus suffragari volumus, quo minus omnibus et singulis poenis, etiam pro prima vice traditionis brachio saeculari et quoad Ecclesiasticos degradationis realis et traditionis pariter pro prima vice brachio saeculari in praefatis et antiquioribus Praedecessorum Nostrorum et juris sanctionibus, contra hujusmodi numquam satis detestandi facinoris Reos juste ac sapienter constitutis, subjiciantur et cum effectu plectantur et puniantur.

§. 6. Decernentes praesentes Nostras Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo, jus

vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni illis non consenserint nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae vel sufficienter aut ullo modo justificatae fuerint aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudve quodcumque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari aut etiam motu pari et de Apostolicae potestatis plenitudine simili concesso vel emanato quempiam in Iudicio vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcussè observari.

Constitut. Bened. XIV. 5. Mart. 1744. (Bull. r. t. XVI. p. 181.)

5) Tractio ad verba: „Pax Dom.“ etc.

Muran.

Quum Rmus. Muran. Ep. humillimis sequentibus precibus SSmum. D. N. Gregorium XVI. P. M. adierit, nimirum:

Beatissimo Padre.

Fr. Tommaso Antonio Gigli Vescovo di muro di anni 72. umilmente espone, che da molti anni ha sofferto in ambe le braccia ma più nel destro una Paralisia, ossia tremore, che attualmente essendosi accresciuto, con somma difficoltà nel celebrare la Santa Messa può frangere le Sacra Ostia sul Calice, e con periculo di versare il Calice istesso, e far suolazzare i frammenti: che perciò preca la Santità Vostra volersi benignare accordargli il permesso di franger l'Ostia sopra la Patena con le mani poggiate sopra il Corporale, come ha pratticato qualche volta con meno difficoltà e minor pericolo, prosequendo poi il resto secondo il Canone, cioè di far le Croci sul Calice colla particella dell' Ostia dicendo: *Pax Domini.* Che della grazia ec;

S. S., referente subscripto S. R. C. Secretario de speciali gratia benigne annuit, ut Ep. Orator in incruento Sacrificio consecratam Hostiam super Patenam frangere possit juxta preces, non omittendo tamen cetera, quae fieri in actione assolent. n. 5006 die 13. Decb. 1844.

Ad dubium: An pars inferior hostiae praecidi debeat an vero superior, quando dicitur: *Pax domini etc.?* S. C. resp.: Inferior praecidi debet. Die 4. Aug. 1663 ad 6.

6) Imago Crucifixi.

Imolen.

Quaestio orta quum sit inter nonnullos de Clero Imolen.: an liceat Missam celebrare, quin in Sacra Hostia appareat Imago Jesu Christi Cruci affixi?, eaque ad Sacrorum Rituum Congregationem deducta, haec in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, referente R. P. Secretario, respondit: „Servetur

consuetudo". Die 26. Aprilis 1834 n. 4723.

7) Immittenda in Ostensorio.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 2. 5. *Diaconus* (aplat s. hostiam.)

8) Qua manu accipienda?

Sacerdos non valens sumere hostiam consecratam manu dextera, debeat sumere cum sinistra? S. C. resp.: *Lectum.* n. 1698 die 28. Mart. 1654.
Vd.: *Sacerdos inhabilis.*

9) Materia.

Presbyteri graeci Hydruntinae Dioecesis supplicaverunt, posse uti in Sacrificio pane fermentato, sed cocto ad modum Hostiarum, quibus Latini utuntur, non autem in furno, ita ut non sit alia differentia quam in coquendo vel in coctura. S. R. C. resp.: *Nihil.* n. 619 die 28. Mart. 1626.
Vd.: *Fermentat.*

10) Pro Missa

Vd.: *Missa* (Utensilia).

11) Renovatio.)

Vd.: *SS. Sacramentum* (renovatio).

12) Sumptio.

Hostia magna pro expositione destinata, ea finita non debet distribui fidelibus.
Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 24.

HUMILIATE CAPITA VESTRA.

Ad dubium: Utrum in oratione super populum ad verba: *Humiliate cap. vestra,* sacerdos debeat se inclinare versus librum vel versus crucem? S. C. resp.: Servetur pecul. rubrica fer. 4. cinerum nihil praescribens. Die 16. Mart. 1833 ad 7.

S. HYACINTHUS C.

De ejus Canonisatione et festivitate die 16. Aug. celebranda.
Vd.: *Constitutio Clem. VIII. die 17. Apr. 1594.* (Bull. r. t. III. p. 39.)

HYMNUS.

1) Cantus.

Ad dubium: An in octavis Assumpt. et Nativ. B. V. M., in quibus hymni ejusdem metri debent concludi cum: *Gloria tibi Domine, qui natus etc.,* debeant dicti hymni cani in tono ipsorum hymnorum, an vero in tono B. V.? S. C. resp.: Hymnos praedictos canendos esse in tono B. V. Die 28. Mart. 1626.
Vd.: *In Tornacen.*

2) Completorii.

Ad dubium: In consursu diei octavae Ascensionis Domini cum Festo Beatae Mariae Virginis titulo Auxilium Christianorum die XXIV. Maji totum fit de praecedenti et commemoratio sequentis, quomodo autem concludendus est Hymnus Completorii? S. C. resp.: „Cum Stropha Hymni Ascensionis". Die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 9.

3) Conclusio.

Ad dubium: Sunt multi Hymni, qui habent conclusionem propriam: Conclusio ista semperne adhibenda est etiam in Completorio? S. C. resp.: „Negative, sed tantum in Festis Domini et Beatae Mariae Virginis". n. 4669 ad 57 die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: An in festo s. Hyacinthi C. Ord. Praed., Regni Poloniae Patroni principalis, quod ex concess.

apost. (25. Sept. 1723) ritu dupl. I. cl. cum oct., dominica infra octavam Assumpt. B. V. M. in Polonia celebratur: in ejusdem s. Confessoris officio hymni ad horas terminari debeant: *Jesu tibi sit gloria etc.* S. C. resp.: Affirmat. die 29. Novb. 1755. *In Varmien ad 2.*

4) Off. ss. Angel. Cust.

Vd.: *S. Angelus Cust.*

In Festo et per octavam ss. Ang. Cust. in Cathedr. Curien. hymni ejusdem metri terminari non possunt, sicut terminatur hymnus eorum in laudib. per stropham: *Deo P. sit gloria, qui quos redemit filius et sanctus unxit spiritus per Angelos Custodes.* n. 3565 ad 4 die 19. Junii 1700.

5) Proprius.

Ad dubium: An quando in Officiis Sanctorum adsunt hymni proprii et particulares, Reponsoria, Antiphonae etc. ista omnia dicenda sunt de praecepto, ita ut minime liceat ea desumere a communi? S. C. resp.: Propria omnia dicenda sunt et ex praecepto. n. 4044 (2do) ad 23 die 23. Julii 1736.

Ad dubium: Varia sunt Officia, quae Hymnos proprios habent. Si quis Hymnus neque in Vesperis neque in Laudibus possit recitari, potestne aut debet uniri Hymno Nocturni, uti fit in Festo Sanctae Martinae, ad hoc ut omnes Hymni proprii recitentur. S. C. resp.: „Affirmative, si Hymni sint historici, secus negative". n. 4669 ad 47 die 12. Novbr. 1831.

6) Qui?

In dominicis infra octav. immac. Concept. B. V. M. Vd.: *Immacul. Concept.* (hymnus).

Urbanus PP. VIII.

Cum alias Hymni Breviarii rom. paucis exceptis, qui non metro sed soluta oratione aut etiam rythmo constant, jussu nostro vel emendatioribus adhibitis codicibus vel aliqua facta mutatione ad carminis et latinitatis leges revocati, nonnulli etiam de integro conditi dictoque Breviario auctoritate nostra recognito inserti fuerint et ut accepimus, Breviarium praedictum cum hymnis hujusmodi a majore parte Christifidelium, qui ad illius recitationem sunt adstricti, privatim ubivis terrarum recitentur.

Hinc est, quod Nos, qui Hymnos praedictos cum notis musicis elegantius typis et exacta industria excudi jussimus, ne eorum publica recitatio a privata discrepet, sed ea in re uniformitas ubique servetur, pro pastorali nostra sollicitudine providere volentes de ap. plenitudine potestatis, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in omnibus et singulis Patriarch., Primatial., Metrop., Cathedr., Colleg., Paroch. caeterisque tam saecul. quam regul. cujusvis Ord., Congreg., Instituti, etiam Societ. Jesu et Hospitalis s. Joann. Hierosol. aliarumque militiarum utriusque sexus ac Archiconfraternitatum et Confraternitatum quarumlibet, etiam quantumlibet exemptis ac speciali nota et individua expressione dignis Ecclesiis, Basilicis, Capellis, Oratoriis earumque et eorum choris in divinorum offic. recitatione, praedicti hymni jussu nostro emendati ac de integro conditi et typis editi, non autem amplius antiqui recitentur ac decantentur, recitarique et decantari debeant, tenore praesentium praecipimus et mandamus. Volentes, ut praeceptum nostrum hujusmodi in Urbe et ejus districtu infra duos, in aliis vero locis citra montes infra octo, ultra

montes autem infra duodecim menses resp. omnino executioni demandetur.

Romae apud. S. Petrum die 27. Apr. 1643.

7) Versus ultimus.

Ad dubium: Tetamus dicit, illos Hymnos habere ultimum versum proprium, qui in fine non exprimunt gloriam Trinitatis, aut praeter gloriam Trinitatis aliquid aliud exprimunt, uti Hymnus Matutini plurimorum Martyrum et Hymnus Vesperarum S. Crucis; estne attendenda haec opinio?

„In casu servandas peculiares Rubricas".

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad XI. die 16. Aprilis 1853.

J.

S. JACOBUS AP.

1) Patronus Regni.

Vd.: *Patronus Regni* (decr. n. 4507.)

2) Ritus festi.

In Ecclesia Turritana reducendum est festum s. Jacobi ap. a ritu dupl. 1. cl. cum octava ad ritum 2. cl. sine octava prout in Brev. rom. 25. Julii; item abrogandum pariter est festum translationis ejusdem ap. Die 30. Decb. n. 4351 ad 4 die 12. Sept. 1769.

JANSENIUS.

De Prohibitione libri „*Augustinus*" superscripti

Vd.: *Breve Urbani VIII.* in Bullar. mag. rom. tom. V. p. 369 (edit. Luxenburg. 1727) die 6. Mart. 1641; et *Constitut. Innocent. X.* ibidem p. 486 pridie Cal. Junii 1653; et *Declaratio Alexd. VII.*, ibid. tom. VI. p. 46. Calend. Novemb. 1657; *Constitutio Alexand. VII.* quintodecimo Cal. Martii 1664, ibid. p. 211.

JANUA ECCLESIAE.

(Exposito SSmo.)

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 1 etc.

S. JANUARIUS.

1) Officium.

Cf.: *Patronus Regni*; *Festum* (Separatio.)

Ad dubium: An a Clero s. Marci Dioecesis Volturariensis recitari debeant duo Officia pro duobus *translationibus* Corpor. s. Januarii m., unum nempe dominica prima vel secunda Maji, alterum die vigesima tertia Octobris juxta concessiones factas, seu potius alterum ex illis? S. C. resp.: Teneri Clerum s. Marci ad recitationem utriusque Officii pro duplici distincta translatione Corp. s. Januarii m. juxta concessiones factas, neque ullo pacto posse sive ab uno sive ab altero abstinere. n. 4413 die 2. Aug. 1783.

Petiit Clerus Balneariae Dioecesis Nullius sibi declarari: an celebrare teneatur Officium S. Januarii semel in mense diebus non impeditis in mensibus Sept., Dec. et Maji, in quibus mensibus celebratur de praecepto Officium dicti Sancti, nempe Natalis ejusdem in mense Septemb., Patrocinii in mense Dec. et Translationis in mense Maji. Ratio dubitationis ex eo procedit, quod si in dictis tribus mensibus praeter Officia praedicta, celebre-

tur etiam Officium, ut in aliis mensibus, semel in mense, tunc non erit semel, sed bis in mense, in mensibus scilicet Sept., Dec. et Maji.

Et S. R. C. respondit:

Negative et servetur Decretum in Tarentina 5. Oct. 1679 et ita etc. n. 4516 ad 5 die 15. Sept. 1815.

Officium *translationis* s. Januarii, quod in Civitate et Dioecesi Neapolit. celebratur sub ritu dupl. maj. cum octava dominica 1. Maji vel 2., si prima fuerit Dominica in Albis, occurrens cum festo altioris ritus vel majoris dignitatis transferendum est a prima dominica Maji, ipsi tamquam propria die assignata, in primam diem non impeditam: *quoad octavam vero serventur rubricae.* n. 4091 ad 1 die 11. Julii 1739.

Officium translationis s. Januarii pro Clero Campiarnm Dioeces. Licien., si occurrat cum die octava Dedicationis Ecclesiae, transferendum esse in primam diem non impeditam, *omissa octava.* n. 4097 die 28. Novb. 1739.

2) Patronus.

Ad dubium: An attento, quod S. M. Innocentius X. indulserit in toto Regno Neapolitano, tamquam de Protectore Regni, festum s. Dominici c. indici et celebrari, sit una simul in eodem regno continuandum praeceptum in festo s. Januarii, de quo, tamquam de Protectore Regni, hactenus festum celebrari consueverant? S. C. resp.: S. Januarium esse Protectorem civitatis Neapolitanae tantum et non totius Regni; idcirco de eo tamquam de Patrono Regni non licuisse nec licitum alibi festum celebrare. n. 1876 die 16. Mart. 1658.

Ad dubium: An de s. Januario e. m. et Patroni princip. civit. et regni Neap. debeat fieri Off. de comm. un. m. vel potius unitum cum aliis sociis prout fieri consuerit?

Vd.: *S. Eustachius.*

JANUARIUS.

(Mensis)

Est dies 28. Januar. vacua pro festo ss. Nominis Jesu

Vd.: *S. Meinradus* (decr. n. 4043); *Festum ss. Nominis Jesu* (decr. n. 4299; 4581.)

S. IDELPHONSUS.

Vd.: *Desponsatio B. V. M.* (Off. et transl., decr. n. 3120.)

IDIOMA.

Vd.: *Linqua. Ritus graecus.*

JEJUNIUM.

1) Anticipandum.

Vd.: *Vigiliae festor. jejun.*; *Reductio festorum* (decr. n. 4551.)

2) Pro celeb. Missae.

Vd.: *Missa* (interrupta per mortem Sacerdotis). *De Jejun. graec. presbyt.* vd.: *Missa* (hora, decr. *Bened. XIV.*); *Jej. pro SSmo. sum.*

3) In Dedicat. Eccles.

Jejunium in Pontificali rom. praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari; idemque jejunium indicendum esse die praecedente Consecrationi ad formam rubricae Pontificalis. n. 4400 ad 1 die 29. Julii 1780.

Ad dubium: An hoc jejunium sit locale tantum an personale; seu potius locale et personale simul? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 4400 ad 2 die 29. Julii 1780.

Camberien.

Quum in Dioecesi Camberien. diversae circumferantur opiniones circa personas adactas servare jejunium in pervigilio dedicationis Ecclesiae, Rmus. Episc. Camberien. S. R. C. humillime rogavit, ut declarare dignaretur a quibus sit idem jejunium servandum?

Et Emi. ac Rmi. P. S. respondendum censuerunt:

„Missis opinionibus, servetur Decretum in Mechlinien. diei 19. Julii 1780 in quo haec habentur: Jejunium a Pontificali Rom. praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari. n. 4908". Die 12. Sept. 1840.

4) Publicatio per Campanas.

Vd.: *Campanae*; *Patronus civitatis.*

5) Quadragesimale et per Annum.

(Dispensatio.)

Benedictus PP. XIV.

Postquam SS. Pontifex Episcopos ad evellendas pravas consuetudines excitavit, pergit:

Debitum paternae uniuscujusque vestrum sedulitatis et caritatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, *nemini* quidem sine legitima causa et de *utriusque medici* consilio; *multitudini* vero, veluti populo aut civitati aut genti indiscriminatim integrae, *nonnisi gravissima et urgente necessitate* et in casibus per s. Canonum statuta praescriptis, a quadr. jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit, concedendam nec superbe et arroganter ab Ecclesia, siculi alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam.

Gravissimam vero urgentemque necessitatem, etsi non est cur Vobis explicemus: nolumus tamen Vos ignorare, cum hujusmodi necessitate et servandam esse potissimum *unicam comestionem*, sicut alias hic Romae ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes expresse praescribimus: et *licitas atque interdictas Epulas promiscue minime apponendas esse.*

Porro, quemadmodum de ejusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, Nos persuasum habemus, districtam supremo divino judici redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscujusque Vestrum onerandam esse ducimus . . .

Datum Romae die 30. Maji 1741. (Bull. r. t XVI. p. 31.)

Benedictus PP. XIV.

(Una Comestio.)

Factum esse accipimus, quod non defuerint, qui sibi aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari atque epulas licitas et interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem non vero singulis ob legitimam causam et de utriusque medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos, quibuscunque, quacunque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgent. gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legit. causam et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat et aliter fieri necessario exigat, in Quadrag. aliisque anni temporibus et diebus, quibus carnium (ovorum et lacticiniorum) esus est prohibitus, dispensari contigerit, *ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas*, tenore prae-

sentium declaramus et edicimus; quemadmodum per singulas nostras literas Christifidelibus ob Corporis infirmitates in ss. Quadragesima aliisque jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse praescribimus ac praecipimus.

Datum Romae die 22. Aug. 1740. (Bull. r. t. XVI. p. 40.)

Benedictus PP. XIV.

Nos in literis de jejunio eccles. definiendum non suscepimus, an, qui eccles. auctoritate ab jejunio excusantur, non solum vetitis cibis uti sed jussae pariter vespertinae abstinentiae fines egredi queant? Praecipimus autem Episcopis eorumque Delegatis, ut nemini vescendi carnibus aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi imperata simul unicae comestionis norma.

Datum Romae die 12. Maji 1742. (Ibid. p. 92.)

Benedictus PP. XIV.

(Dubia.)

Ad dubium: 1. Utrum, quae in antedictis nostris literis in forma Brevis de unica comestione et de epulis non permiscendis praescribuntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur?

Resp.: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito sub gravi tenere easdem facultates non aliter dare quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet: *unicae in diem comestionis et non permiscendarum epularum.* Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, *sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.*

2. An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quae jejunantibus permittitur?

Resp.: Non licere sed opus habere eo cibo eaque uti potione, quibus utuntur homines jejunantes rectae meticulosae conscientiae.

3. An, qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur et unica commessatione uti debent, horam jejunantibus praescriptam servare opus habeant?

Resp.: Observandum iis esse.

4. Quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis conjungi?

Resp.: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.

5. An praeceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque dominicos *quadragesimales* complectatur?

Resp.: Affirmative.

6. Utrum haec lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla *Cruciatae* edere possunt ova et lacticinia?

Resp.: Nihil in praenunciatis nostris ap. literis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatae Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendent ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.

7. Utrum memorata duo praecepta urgeant extra Quadragesimam?

Resp.: Urgere extra Quadrages. utrumque praeceptum; illud scilicet unicae comestionis cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis; et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Constitut. Bened. XIV. 8. Jul. 1744 (Bull. r. t. XVI. p. 203.)

Vd.: *Sabb.* (Esus carnium.)

De jejunii disciplina conservanda vel reintegranda deque dispensationibus general. pro oppidis aut dioecesibus integris nonnisi certa ratione et justa de causa petendis et concedendis

Vd.: *Constitut. Bened. XIV.* die 16. Jun. 1745.

(Bull. r. t. XVI. p. 298.)

6) Pro SSmo. sumendo.

(Dispensatio.)

Benedictus PP. XIV.

Quadam de more tibi impertita audientia detulisti ad Nos pium aeque religiosum votum Chariss. in Chr. Filii Nostri Jacobi III. Magnae Britaniae Regis, liceret ut sibi SSmum. sumere, etsi de media nocte antevertente diem, quo s. mysteriis participem se fieri cupit, quandoque ex aegra valetudine cibum aliquem sumere cogatur, quo vires reficiat, atque id quidem haud se facere paratum esse, nisi sui Confessarii consilium et approbatio accesserit.

Facilioris doctrinae Theologus responderet, nulla Regem indigere dispensatione, cum res sit de exiguo cibo necessitate cogente; non ex animi levitate sumpto, atque non minus in naturali jejunio quam in ecclesiastico materiae, ut inquiunt, parvitas indulgeatur. Verum opinio isthaec, etsi a Pasqualigo propugnata, falsa est, veluti pluribus demonstrant *Suarez in 3. p. tom. III. qu. 80 art. 8. disp. 68. sect. 4. §. Dico secundo.* Solmaticenses *tom. I. curs. theolog. mor. tract. 4. c. 7. qu. 4. n. 66.* Eandemque refutavimus ipsi pro viribus ac facultate in Tract. *de Sacrif. Missae* sect. 2. c. 4. §. 2. Alia itaque via insistendum est.

Primum, etsi peramabilis Redemptor Nost. s. sui Corporis communione participes fecerit apostolos non jejunos, cum tamen peculiaribus quibusdam gravioribusque de causis id praestiterit, haud tamen ademit ipse ecclesiae suae auctoritatem instituendi, prout reipsa constituit, ne cui, Viatici aliisque paucis exceptis casibus, non jejuno et quidem a media superiori nocte communionem praecedente SSmum. administretur. Rem hanc tractat s. Augustinus *ep. 54. alias 118. ad Jan. c. 6.*, ubi, postquam retulit Christum Discipulis non jejunis Corpus suum ministrasse: *Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli Corpus et Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos*, ita scribit: *Numquid tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui s., ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani primum Dominicum Corpus intraret quam caeteri cibi.* Quod post s. Augustinum traditur quoque a Magistro Sententiarum in 4. Sent. dist. 8. et a s. Thoma 3. p. Quaest. 80. art. 8. Suntque in hoc ipsum gravia et momentosa verba *Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum c. 65.*

Alterum, cum generali lege caveatur, ut nonnisi jejuno universim s. ministretur Communio, quam ipsam legem innuit quoque Synodus Constantiensis *sess. 13.*, ubi haec leguntur: *Hujusmodi SSmum. non debet confici post coenam neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso*, ut alicui expressis casibus non comprehenso liceat, etsi non jejuno, s. participare mysteria, necesse erit, eundem expressa dispensatione juvari,

quae porro dispensatio a Nemine praeter Rom. Pontificem potest indulgeri. At solide tuetur Henaus *de Euchar. disput. 14. sect. 3. n. 44.* Et Suarez *citato loco sect. 5.* §.: *Nihilominus* quaestionem versans: *num possit Sacerdos, etsi non jejunus, missam celebrare, ut aegro in vitae discrimine constituto s. Eucharist. ministret, pervalide oppugnat sententiam asserentium, id ipsi licere ex dispensatione Episcopi: Non potest Episcopus dispensare, quia est praeceptum universale totius Ecclesiae et nulla auctoritate vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo. Per se autem non potest inferior in Lege Superioris dispensare.* Firmissimam in hanc regulam consentit Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 15. sect. 2. n. 55. Haec ejus verba: *In hoc praecepto jejunii naturalis dispensare solus potest Papa. De facto autem neque Papa ipse dispensare solet*; dignumque animadversione est praepositum verbum *solet*, innuens rariora esse similium dispensationum exempla, veluti scite expendit Tamburinus *in methodo expeditae communionis cap. 2. §. 8.*

Tertium, quandoquidem omnem dispensationem ex causa esse oportet, in proposita autem facti specie unica tantum viget ratio indulgendi pietati ac religioni Regis Brit. euchar. pane se frequenter reficientis, expendendum propterea est, an satis idonea haec causa sit, numve afferri possint vetera similium dispensationum exempla.

Ut facilior imploratae dispensationi fiat locus, posset quisquam ad disciplinam confugere quarumdam Ecclesiarum Africae, in quibus Christifideles fer. VI. Parasc. coenati s. sumebant Communionem idque ex religioso cultu erga institutionem SS. Sacramenti a Chr. Jesu apostolis, postquam comederant, distributi: *Nonnullos probabilis quaedam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam coenam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri et accipi liceat Corpus et Sanguinem Domini.* Verba sunt S. Augustini in *cit. ep. ad Januar. c. 7.* ad diu toleratam in occid. et orient. Ecclesiis praxim, cum scilicet post Baptisma communio ministrabatur infantibus, quibus matres vel nutrices etiam ante sumptam s. Euchar., eorum imbecillitatem commiserando, lac exhibere permittebantur; ad ep. 125 s. Joa. Chrysostomi *ad Cyriacum Episc.*, ubi Vir s. incusatus, quod communionem pasto cuidam ministrasset, his resp.: *Quod si mihi obstinata mente id objicere pergunt, Paulum etiam de dignitatis gradu dejiciant, qui coenatus universam domum baptizavit*; *Domino item ipsi auctoritatem abrogent, qui apostolis post coenam Communionem dedit*, ac denique ad celebre factum s. Udalrici Augustae Episcopi ad annum 978 haec leguntur: *Iste Udalricus Ep. fecit prandium cum Conrado Constantiensi Episcopo et eodem die facto prandio celebravit missam cum clero et populo. De hoc accusatus resp.: Ego non comedi sed charitas.*

In nostro Tract de *Synodo Dioec. noviss. ed. l. 6. c. 8. n. 4.* egimus de communione in nonnullis ecclesiis fer. 5. in Coena D. ministrari solita etiam non jejunis deque eucharistia infantibus porrecta post baptismum; verum monumenta ista viam nihilo faciliorem ad id, quod proposuimus, efficiunt. Invectum quippe usum communicandi post comestionem fer. 5. maj. hebd. proscripserunt subinde PP. Synodi 3. Carth., quorum decreto congruit Can. 29. Conc. Trullani anno 692. Quod autem spectat ad Communionem pueris statim post baptis-

mum ministratam, jam a quadringentis et amplius annis is ritus in occid. ecclesia obsolevit. Nonnulla quidem supersunt adhuc vestigia in Orient. ecclesia, at et ipsa quoque pedetentim et antea et nunc quoque temporis studuit ab eo deflectere, quemadmodum latius ostendimus in nostris literis ad Missionarios per Orientem typis editis anno 1755*).

S. Joann. Chrysost.**) haud probat communionem ministrari cuiquam non jejuno, inficiatur seu unquam porrexisse pasto; profitetur, si quid ejusmodi attentasset, dignum se, qui de Episcoporum catalogo atque fidelium electorumque libro expungatur, subinde vero superaddit ea, quae superius allata sunt de communione non jejunis a Christo exhibita. Facile intelligitur, haec quemdam animi impetum importare et argumentandi modum, quo utuntur plerique, qui post factum solide inficiatum ultra progressi non verentur ex falsa hypothesi illud concedere, pugnantes tamen nullatenus exinde confici, quae adversarius inferre contendit. De s. Udalrico nihil plane addemus, cum pura putaque fabella sit istud, ut innuit Christ. Lupus *in notis ad Can. 29. Trullanum* et latius prosequitur Catalanus in *comment. ad eund. Canonem.*

Itaque cum ea, quae hucusque demonstrata est, via minus tuta reperiatur, aliam inire opus est vetustis monumentis suffultam. In secreto Vaticano tabullario inter Brevia Pii IV. *t. 18. n. 63.* extat Breve ad preces Sebastiani Lusitaniae Regis relaxatum, in quo Sacerdotibus per Indias enunciati Regis dominio subjectas commorantibus, qui vel ob contractam aegritudinem vel coeli inclementiam post noctem mediam aliquem sumunt cibum, fit facultas successivo die Sacrum peragendi. Innoc. III. Romanorum Reginae Elisabethae Christinae concessit facultatem sumendi SSmum. etiam post aliquod degustatum cibum, quo die in Bohemiae Reginam ungi solemniter coronarique debebat, ita exposcente imbecilli ejusdem valetudine, quae tam diuturnam functionem nullo recreata cibo perferre non potuisset. Simileque Indultum ab eodem Pontifice datum reperitur Regi Christianiss. regnanti, qui cum solemni consecrationis suae die s. communionem sumere deberet eaque tunc esset aetate, in qua nondum obfirmata valetudine uteretur, justum ingesserat timorem, ne nullo praegustato cibo tam diuturnae functioni non possit interesse. Perspectum denique est, quod quotannis fiat Romae in Pontificio sacello nocte Nativ. D.; in eodem quippe celebratur missa ante mediam noctem nec semper ab eo, qui praecedenti die ab omni cibo se abstinuerit. Scripsere nonnulli singulis annis concedendi a Pontifice dispensationis litteras; at id a veritate aberrat. Verum cum Pontifici perspectum sit, qua hora celebretur missa, innotescat quoque haud semper esse jejunum, qui Sacrificium offert, nec tamen quidquam obloquatur nec quidquam statuat remque ita transigi sinat, locus fit tacitae cuidam dispensationi, quae tutam efficit conscientiam ejus, qui ea nocte missam celebrat non jejunus, uti a Nobis fuit pluribus demonstratum in Tract. *de Synodo Dioec. l. 6. c. 8. n. 13. etc.*

Exempla isthaec profecto proprius ad casum nostrum accedunt quam superius relata, verum nunc plane rem praesentem attingunt, cum nunc disseratur de s. communionis participatione ex singulari religione ac pietate exoptata; proxime autem indicata exempla versentur circa Missae cele-

*) Vd.: *Ritus Graec.* (Const. Bened. XIV. de die 26. Julii 1755.)

**) Bolland. in acta s. Joa. Chrysost.

brationem vel sumptionem Eucharistiae, quodammodo necessarias, et quae praetermissae admirationem induxissent vel etiam offensionem. Facultatem fecit Pius IV. Sacerdotibus Indiarum celebrandi missam adhuc etiam post sumptum evoluta jam media nocte cibi aliquid vel potus; verum cum per eas regiones haud ita frequens esset Presbyterorum numerus, Sacerdos quilibet Sacrum singulis diebus offerre tenebatur. „*Si eos remediis post mediam noctem uti contigerit, si urgentissima fuerit necessitas celebrandi ac paululum inde dormierint, nihilominus die sequenti celebrare libere et licite valeant, auctoritate ap. facultatem concedimus.*

Facile quisquam animadvertit, quod, cum debeant Reges summique Principes, quo consecrantur die, s. eucharistia refici, tum ut statutis regulis satisfaciant tum ut populis suo exemplo praeluceant, si cum iis dispensatur, ut SSmum. eo die sumant, licet quidpiam prius comederint, hanc tamen dispensationem minime pertinere ad privatam communionem sed ad publicam Eucharistiae sumptionem, cujus neglectus admirationem secum tulisset ac scandalum; eodemque ferme modo obtinere dici potest, quod relatum est de Sacrum faciente in Nocte Nativit. D. in Pontif. Sacello; cum nimis urgeat ne praeindicta nocte s. functio in Pontificia Capella omittatur simulque haud ita facile sit adesse semper Cardinalem, qui non obstante aetate, quam plerumque agunt praedicta dignitate decorati, potens sit protrahere naturale jejunium a media nocte superiore ad alteram, in qua solemne offert Sacrificium. Accedit insuper in praxim omnino induci non posse, ut media nocte transacta constituatur initium missae, dum ipsi intersunt Cardinales, Archiep. et Episcopi, qui sequente die ad reliquas Pontificii Sacelli functiones adire debent, quod porro non praestant, nisi lecto jam privatis in sacellis suis oblatoque trino Sacrificio.

Unicum itaque exemplum privatae Communionis in vim obtentae facultatis eam sumendi adhuc etiam post refectionis aliquid degustatum, ita exposcentibus imbecillitate indigentiaque corporeae habitudinis in Carolo V. Imp. suppetit. Is secum ipse cogitavit constituitque de germanicis provinciis cedendis, uti contigit, Ferdinando fratri subinde etiam Imperatori, deque transferendis reliquis ditionibus in Philippum filium suum, tum se recepit in monasterium s. Justi Monachorum S. Hieronymi in Estremadura saepe sacram confessione abstergens peccata sacramque communionem frequentans. Cumque pius Imperator SSmum. jejunus sumere nequiret, recursum habuit ad Julium III., qui eidem indulsit, ut in posterum etiam post sumptum exiguum aliquod jentaculum posse sumere s. communionem.

Ex secretiori Vaticano Archivo est Pontificium Breve tom. 70. n. 152.: *Exponi Nobis Tua Majestas fecit, se nonnunquam ratione suae valetudinis ita suadente et cogente diebus, quibus SSmum. sumere instituit, de medicorum consilio modicum jentaculum ad necessariam sustentationem ventriculi sumere ante consuevisse et Nobis, ut tam de praeterito veniam illi dare, quam in futurum secum super eo dispensare vellemus supplicavit.* En verba concessionis: *Quare Nos hujusmodi necessitatem tuam attendentes et tuae Majestatis pium sincerumque in cath. religione animum agnoscentes, te omni conscientiae scrupulo in Domino absolvimus atque ut in posterum post sumptum necessarium jentaculum SSmum. sumere possis, tecum indulgenter dispensamus.*

Quod Julius III. erga Carol. V. Imper. praestitit, idipsum et Nos agere intendimus, quin et peragimus cum Jacobo III. Magnae Britanniae Rege. Perspecta Nobis esse non potest imbecillis valetudo Caroli V., scimns equidem ipsum natum anno 1500, cumque datum fuerit Pont. Breve 1554, eundem non excessisse annum 54 aetatis suae. Quae patitur Britanicus Rex incommoda, sunt Nobis satis superque nota scimusque etiam eum agere annum 68. Ex animo credimus, quidquid scripsere Historici de pietate Caroli V.; perspecta Nobis fit singularis Regis Jacobi integritas vitae, pietas et religio, universae Urbi exemplo, cum ipsi simus horum oculati testes. Tu itaque, qui regium desiderium attulisti, muntius eidem eris Nos ipsi facultatem indulgere s. Eucharistiam sumendi consulto conscientiae suae moderatore, etsi post evolutam superioris noctis partem dimidiam valetudine ita exposcente exiguum aliquod jentaculum deglutiverit.

Datum Romae die 24. Mart. 1756. (Bull. r. t. XIX. p. 211.)

7) Translatio.

Cum in Civitate Cremensi dies Festus S. Pantaleonis ex voto singulis annis cum jejunio die 10. Junii celebretur, cumque anno proximo venturo Jejunium diei festi praedicti incidat in feria 3. Dominicae Pentec; Episcopus praedictae Civitatis a S. R. C. humiliter exquisivit responderi: An tuto possit anno proximo in his circumstantiis omitti?

Et S. eadem R. C. censuit:

„Jejunium esse transferendum ad aliam diem ab Episcopo designandam. n. 3488 die 6. Septemb. 1698.

Apostolicum Indultum, quo apud Belgas contrahitur numerus festorum de praecepto simulque praescribitur, ut jejunium vigiliae praecedentis, quando servandum est, servetur Sabbato ante dominicam, in qua festum illud exterius apud populum agitur, hoc incommodi non raro patitur, ut quum nihil fuerit quoad liturgiam immutatum consuetumque Horarum canonicarum ordinem eodem die, quo in choro solemniter celebratur festum et officium SS. ap. Petri et Pauli, eorumdem sit servanda vigilia. Quum itaque jejunium minus solemnitati convenire censeatur, propterea SS. DD. N. *Gregorio* PP. XVI. enixe supplicavit Emus. Card. Archiep. Mechl. nomine etiam caeterorum Belgii Episcoporum, quatenus iis omnibus dioecesibus aliud concedere dignaretur indultum, ut nimirum jejunium pervigilii festi eorumdem apostolorum in posterum servari valeat IV. Cal. Jul., eadem scilicet die, qua antea servabatur.

S. S. de speciali gratia annuit solummodo juxta preces, quando Natalis ss. ap. Petri et Pauli incidit in Sabbatum. Caeteris vero annis servetur solitum juxta praecedens indultum. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 22. Sept. 1838.

Vd.: *Vigilia festor. jejun.* (praecipue decr. n. 3375.)

JESU TIBI SIT GLORIA etc.

Cum in Rubrica Breviarii tit. 20. de Hymnis num. 4 mandetur, ut in conclusionibus Hymnorum infra Octavas ibi notatas dicatur: *Jesu, tibi sit gloria etc.* etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur, nec aliud praeterea excipiatur; quaeritur: Utrum in Vesperis Sabbati et in Officio Dominicae infra eas Octavas sit dicendum: *Jesu tibi sit gloria etc.*, an vero conclusio assignata Hymnis Sabbati et Dominicae?

S. eadem R. C., ad relatioem Emi. et Rmi. D. Card. Rubini censuit respondendum:

„Affirmative, dummodo Hymni sint ejusdem metri".

Et ita declaravit. n. 3704 ad 4 die 23. Augusti 1704.

In Officio s. Hyacynthi c., Regni Poloniae principal. Patroni, quod celebratur ritu dupl. 1. cl. dominica infra octav. Assumpt. B. V. M. hymni ad Horas terminari debent: *Jesu tibi sit gloria etc.* n. 4259 ad 2 die 29. Movemb. 1755.

JESUS CHRISTUS.

Non permitti debet Fratribus Dominicanis, ut in salutatione angelica post verbum *Jesus* addant *Christus* sed omnino prohibendum esse. n. 1182 die 19. Novb. 1639.

In versiculo consueto de B. V. M. „Benedicta tu in etc." non licet addere „*Jesus*". n. 1708 ad 2 die 20. Junii 1654.

Vd.: *Indulg.* (terram s. visitant. etc.); *Lytaniae de ss. Nom. Jesu; Rosarium. Confraternitas ss. Nomin. Jesu approb.* vd.: Bullam Clem. PP. VIII. die 30. Jun. 1603. (Bull. r. t. III. p. 161); *Indulg.* (Regul. VI.); *SS. Nomen Jesu.*

S. IGNATIUS C.

a) Festi ritus.

Off. s. Ignatii c. sub ritu dupl. recitandum est ex decr. Clem. IX. die 11. Oct. 1667. (Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 251.)

De ejus Canonisat. et institutione festivitatis die 31. Julii

Vd.: Bullam Urbani VIII. de die 6. Aug. 1623. (Ibid. t. IV. p. 12.)

b) Indulgentia in ejus festo.

In festo s. Ignatii omnes et singuli utriusque sexus Christifideles vere poenitentes et confessi ac s. communione refecti, *qui aliquam ex ecclesiis Societ. Jesu ubique existentibus* in s. Ignatii festo a I. vesp. usque ad occasum solis festivi diei singulis annis devote visitaverint et ad intent. S. S. oraverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem lucrari possunt. *Breve Gregorii XV.* de die 8. Jun. 1622; *Breve Alexd. VII.* de die 18. Jul. 1663. (Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 197 ed. Luxenb. 1727.)

Vd.: *Indulg.* (Monaster.)

S. ILDELPHONSUS.

Ad dubium: An Festum s. Ildelphonsi celebrari debeat a Congregatione Cassinensi sub ritu dupl. II. cl., prout celebratur a Congreg. Hispaniarum Vallisoletana mediante facultate S. C. de 22. Sept. 1674, extensa toti Congregationi Cassinensi de 24. Febr. 1680?

S. C. resp.: Off. s. Ildel. esse recitandum sub ritu dupl. dumtaxat juxta concessionem factam Congregationi Vallisol. n. 3561 ad 1 die 22. Maji 1700.

ILLEGITIMUS.

Vd.: *Spurius.*

IMAGO.

1) Beatae Mariae V.

a) Expositio

Vd.: *Imago Titul.* (in altari.)

Clericis regularibus, qui cum licentia Ordinarii in propria Ecclesia retro Altare majus exposuerunt Imaginem B. V. M. sub invocatione, ut vulgo dicitur, *della Madonna del buon successo*, esse permittendum nomen et locum et quoad habitum servandam esse constitutionem Urbani VIII. „*Sa-*

crosancta". n. 1526 die 11. Febr. 1645. Vd.: *Imago* (expos.)

Permitti posse, ut Statua B. V. M. *velo nigro* circumdata in nocte fer. V. in coena Dom. cum Jesu filio mortuo in gremium deposito in Ecclesia exponatur, ut sequenti fer. VI. in mane processionaliter cum pluvialibus nigris deferatur. n. 4153 ad 6 die 21. Mart. 1744.

Ad dubium: Stante antiqua consuetudine potestne permitti, ut Statua Virginis Dolorum possit exponi in Altari Feria Sexta post Dominicam Passionis et deferatur cum Christo mortuo in Processione, quae fieri solet Feria Sexta in Parasceve?

S. C. resp.: „Juxta Decretum in Bergomen diei 21. Martii 1744 permitti potest". n. 4669 ad 58 die 12. Novbr. 1831.

b) Processio.

Vd.: *Imago* (expos.)

c) Thurificatio.

Cum in insula Canariensi occasione alicujus publicae calamitatis Imago quaedam B. V. M. ad Cathedralem supplicationis causa transferri soleat, Episcopus supplicavit definiri: utrum Imago in iis circumstantiis thurificanda sit tripl. vel dupl. ductu? S. C. resp.: duplici ductu. n. 4437 die 28. Julii 1789.

2) Beati.

(Expositio.)

Vd.: *Indulg. Imag. SS.*; *Imago* (expositio.)

Imagines *Beatorum* publice non possunt exponi in Ecclesiis, Oratoriis aliisque publicis locis nec supra nec extra altare. n. 1935 ad 1 die 28. Sept. 1658.

Cf.: *Beati.*

Ad dubium: An possit exponi cum *luminibus et tabellis* Imago *Beati non canonizati* in Ecclesiis aliisque publicis locis, in quibus hoc fieri ex apostolicae Sedis speciali indulto minime indultum patet? S. C. resp.: Episcopos teneri amovere et prohibere, ut impleantur decreta S. C. Inquisitionis et SS. Rituum, quorum executio iisdem injuncta est. Ibidem ad 2.

3) Benedictio.

Vd.: *Reliquiae* (superimpon. tabernaculo, decr. n. 4578 nota.)

4) Crucifixi Domini in s. Hostia.

Vd.: *Hostia s.* (Imago)

5) Crucifixi.

1) Quomodo vertenda?

a) Ante Archiepiscopum.

Vd.: *Episcopus* (access. Ordo incedendi; decr. n. 4597 *nota*).

b) Ante Clerum.

Vd.: *Crux Cleri saec.* (quomodo defer.)

2) Super Altare.

Vd.: *Crux.*

Benedictus PP. XIV.

Accepimus praestantium Virorum testimoniis jampridem in quibusdam Pontificiae Ditionis Civitatibus inductam esse consuetudinem, quae licet pietatem ac religionem praeseferat, Ecclesiae tamen institutis ac disciplinae plurimum adversatur. Idem Nos ipsi deprehendimus in aliquibus Ecclesiis hujus nostrae Romanae Urbis et aliis pariter, quae Episcopis Suburbicariis subjiciuntur. Quapropter muneri Nostro deesse magnopere videremur, nisi de hac re monerentur illi, qui pro spirituali hujus Civitatis regimine Ministri a Nobis constituti sunt,

et alii, qui Suburbicarios Episcopatus vel alterius Civitatis in Ditione Pontificia sedem obtinentes curam gerunt animarum.

In Altaribus, quae per Ecclesias erecta sunt et in quibus Sacrum fieri consuevit, praeter majorem Tabulam, quae vel depictam vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen et memoriam Altare consecratum est, adjungi coepit alia minor Tabula, in qua vel coloribus exprimitur vel aere, ligno aut marmore inciditur effigies alterius Sancti, ita ut Crux auferatur, quae juxta Rubricas inter Candelabra collocari debet: cum verò neminem lateat, rem Divinam confici non posse, nisi Crux cum Imagine Sanctissimi Crucifixi super Altari constituatur, hinc minori Tabellae superadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facilè occurrat, neque ab ullo alio distingui fermè possit, nisi hic diligenter perscrutetur, utrum super Altari revera Crucifixi Imago proposita fuerit.

Equidem non improbamus, quod idem Altare in plurium Sanctorum nomen ac memoriam dedicetur, quodve in majori Tabula aut unus tantum aut plures etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alia minor Tabula collocetur inferior aut alio quocunque modo, ubi unus vel plures Sancti Fidelium venerationi proponantur. *Illud permittere nullatenus possumus, quod Missae Sacrificium in his Altaribus celebretur, quae careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius Sacerdotis et Populi assistentis oculos penè effugiat:* id enim alienum est a Legibus et Institutis Ecclesiae, quae in Rubricis aliisque ecclesiasticis Sanctionibus continentur: id etiam maximè contrarium est Sacrae antiquitati et Ecclesiarum etiam Orientalium consuetudini; ita ut certissimum sit violari Leges Ecclesiae, si exigua solùm Imago Crucifixi praefigatur minori Tabulae vel Statuae Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur.

In Rubricis Missalis *tit. de praeparatione Altaris et ornamentorum ejusdem*, haec leguntur: *Super Altare collocetur Crux in medio et Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere.* In Romano Pontificali *tit. de Consecratione electi in Episcopum*, cum sermo est de Altari, ubi consecrandus Episcopus Sacrum operatur usque ad Offertorium, quo peracto Missae Sacrificium prosequitur in alio Altari, ubi Episcopus consecrans rem Divinam facit; in eo, inquam, Pontificali haec habentur: *In Capella verò minore pro Electo, quae a majore debet esse distincta, addatur Altare cum Cruce et duobus Candelabris.* Caeremoniale autem Episcoporum postquam *lib. 1. cap. 12.* commemoravit Candelabra et Candelas, haec addit: *In quorum medio collocabitur Crux ex eodem metallo et opere, praealta, ita ut per Crucis aequet altitudinem vicinorum Candelabrorum et Crux ipsa tota Candelabris superemineat cum Imagine Sanctissimi Crucifixi versa ad anteriorem Altaris faciem.*

Nos ipsi verba fecimus de hoc veteri ritu collocandae Crucis in Altari, cum Sacrum peragitur, in nostris Commentariis *De Sacrificio Missae*, quae Italico sermone a Nobis confecta fuerunt *par. 4. sect. 1. num. 17. ac sequentibus.* Plura deinde addidimus *sect. 1. §. 18. et 19* cum ipsa latine reddita lucem iterum publicam adspexerunt. His etiam adjungimus ob vetustatem praesertim hujusce Ritus, tantam venerationem cultumque semper exhibitum fuisse Cruci, quae in medio Altari collocatur, cum Missae

Sacrificium conficitur, ut Novatores ipsi magis infensi, illam de medio auferre pertimuerint, cum suam Coenam instituunt; haec testatur *Gretserus in suo Tractatu de Cruce cap. 23. tom. 1.* ejus editionis, quae postremò typis vulgata fuit. Si verò disciplinam Orientalium inspiciamus, Graecis in more positum est, ut ad Portam Regiam Sanctuarii utroque latere Imagines Christi Domini ac B. Virginis et super Altari Crucem unà cum Libro Sanctorum Evangeliorum constituant: In Liturgia verò Copto-Arabica, quae desumpta ex manuscriptis Codicibus Vaticanis impressa fuit anno 1736 in Collegio Urbano de Propaganda Fide, pag. 33 indicitur Sacerdoti celebranti, ut Benedictionem cum Cruce Populo impertiat, eam deinde osculetur ac Diacono tradat, qui ipsam super Altari collocat: postremò Ritus Syracus Maronitarum eadem prorsus decernit, quae in Rubricis Romani Missalis praescribi superius indicavimus. Nam Patriarcha Stephanus *lib. 3. tract. 2. sect. 4.* ita scriptum reliquit: *Mos iste in omnibus Ecclesiis inolevit, ut super Altaris gradum salutiferae Crucis vexillum collocetur.* In Synodo etiam Nationali, quae coacta fuit anno 1736 in Monte Libano, quam Literis Apostolicis Nos ipsi confirmavimus, *par. 2. cap. 3. de Sacrosanctae Missae Sacrificio can. 8.* ita sancitum est: *Super Altare collocetur Crux in medio et Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere.*

Scriptores, qui sacros ritus explicarunt, nonnullas disputationes instituunt; ac primò: *utrum satis sit nudam Crucem in Altari statuere, an Imago Crucifixi addenda simul videatur?* Equidem Rubricae Missalis solam Crucem commemorant. Cùm tamen Caeremoniale Episcoporum *Crucem una et Crucifixum nominet, idque communi Ecclesiae consuetudini consentaneum sit, hanc ideò sententiam probandam nemo sapiens dubitabit.* Ita sentiunt Gavantus, Claudius la Croix, qui *lib. 6. par. 2. de Sacrificio Missae num. 318* fatetur, ob veterem communemque usum sine Imagine Crucifixi, quae pendeat è Cruce, rem Divinam fieri non posse, nisi necessitas intervenerit: et profecto initio Ecclesiae, cum Fideles concitare ad furorem Gentiles magnopere timerent, si Christum Crucifixum publicè adorandum proponerent; Crucem tamen plurimis modis exornatam palam exponebant, atque incisum vel depictum Cruci apponebant Agnum, qui Typus amantissimi Salvatoris semper habitus est, ut eo saltem modo Crucifixi Imaginem exhiberent: Id conspicitur adhuc in nonnullis hujus Civitatis Ecclesiis, et testimonio etiam Magrii comprobatur in *ejus Hierolexico, in vocabulo: Crux.*

Secundo loco inquiritur: *utrum Crucifixus pendens a Cruce debeat in Altari constitui, etiamsi Salvator noster Crucifixus in majori Tabula Altaris depictus aut caelatus appareat?* Gavantus id quidem probat; alii verò necessarium id minimè arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori Tabula vel pictus vel caelatus primum locum obtineat prae caeteris omnibus, quae in eadem Tabula exprimuntur. Ita censent Pasqualigus de *Sacrificio Missae quaest. 716.:* Quartus ad *Rubricas Missalis part. 1. tit. 20. dub. 10.:* et Giribaldus de *Sacramentis in tract. 5. de Sacrificio Missae cap. 9. dub. 2. num. 20.*: huic pariter sententiae se conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti constat ex responsione, quam ipsa promulgavit *anno 1663* *) et quam Meratus recenset *tom. 1.*

*) Vd.: *Crux altaris.*

par. 1. tit. 20. de praeparatione Altaris num. 6. et in Indice Decretorum *eodem tom. par. 2. num. 400.*

Tertio loco quaeritur: *utrum Crucifixus in Altari collocari debeat, cum Sacrificium Missae in eo conficitur Altari, ubi positum est Tabernaculum, in quo Pyxis cum Sacris Particulis continetur, cum praesertim eidem Tabernaculo parva Crux cum Imagine Salvatoris Crucifixi semper praefigatur?* Equidem in Caeremoniali Episcoporum haec habentur: *Non incongruum sed maximè decens est, ut in Altari, ubi SS. Sacramentum est, Missae non celebrentur, quod antiquitus observatum esse credimus:* in veteri Caeremoniali, cum Clemens VIII. Pontificatum gereret, ita legebatur: *quod antiquitus observatum esse videmus.* Attamen id prorsus difficile nonnullis videtur, ob eam causam, quod, ut ipsi argumentantur, cum unicum Altare in veteribus Templis extrui soleret, aut Divina Eucharistia in eis conservata non fuisset, aut nullum Missae Sacrificium in eis esset institutum: aliter verò sentiunt ii, quibus cognitum perspectumque est, eum morem fuisse antiquitus, ut Sacra Eucharistia in Ecclesiae Sacrario servaretur vel in decenti Armario, quod parieti configebatur, uti nunc etiam perspicimus in Basilica Sanctae Crucis in Jerusalem: Idem perpendit Mabillon in *Musaeo Italico tom. 1. pag. 89., ac tom. 2. pag. 139.* At quod in praesenti ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propositae controversiae liberum facit, illud est, quod juxtà vigentem disciplinam Sacra Eucharistia conservatur in Tabernaculo, quod est positum super uno ex Altaribus Ecclesiae et quod in eo passim Missa celebratur; cùm, sedulò perpenso Caeremonialis textu, deprehensum sit, eum praedictae celebrationi absolutè non obstare; uti Christianus Lupus expendit *tom. 11.* recentioris editionis in Dissertatione de *Sacris Processionibus pag. 356.* Hanc itaque controversiam quum aliàs Nos ipsi expenderemus in supracitatis Commentariis *de Sacrificio Missae par. 4. sect. 1. num. 18., illorum sententiam probavimus, qui existimant Crucifixum inter Candelabra statui debere, neque parvam Crucem, quae Tabernaculo praefigitur satis esse, ne Rubrica violetur,* quemadmodum inferius explicabimus. Idemque censuit S. R. C. anno 1663, uti perspicitur ex Indice Decretorum, quam Meratus exhibuit, *par. 2. tom. 1. num. 400* ubi haec leguntur verba: *Crux parva cum Imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in qua asservatur inclusum SS. Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum.*

Quarto loco disputatur: *utrum Crucifixus inter Candelabra collocandus videatur, cum Sarum peragitur in eo Altari,* ubi *Divina Eucharistia non includitur Tabernaculo, sed publicae Fidelium venerationi exponitur* *) Id necessarium esse putavit S. R. C. die 14. Maji anno 1707. Hoc enim petitum fuerat: *An super Altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat?* Sic autem responsum est: *Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi appositâ collocationem.* Porrò quum Nos ipsi tunc in Minoribus constituti Coadjutorem Promotoris Fidei gerentes, ipsius loco eidem Congregationi praesentes adfuerimus, adhuc memoriâ retinemus in illa sententiâ ferendâ varia fuisse ac discrepantia suffragia, cautumque deinde fuisse, ne ipsa sententia in lucem ederetur. Itaque res

*) Vd.: Crux altaris cor. exp. SSmo.

iterum deducta est in examen initio Pontificatus Nostri die 2. Septembris anno 1741 in eadem S. R. C., quae postquam omnia diligenter accuratèque perpendit, decrevit, ut qualibet Ecclesia morem et institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret. Et quidem pro Cruce ab Altari removenda, dum Missa in eo celebratur et super eo publicae venerationi Eucharistia exposita est, parùm urget, quod nonnulli asserunt, indecens esse, ut Christi Imago in eo loco sit, in quo Christus ipse sub specie panis realiter praesens est et ab omnibus sub eadem specie panis videtur: id quippe prorsus contingit, quoties Sacerdos in quolibet Altari rem Divinam faciens materiam Eucharistiae consecravit; nec enim Ecclesia unquam decernendum putavit, ut, peracta Consecratione, Crux ab Altari removeatur. Quemadmodum nec asserentibus Crucem necessariò esse debere in Altari, in quo expositum est Sacramentum publicae venerationi, si in eo Missa celebretur, quidquam prodesse potest, quod in publica Eucharistiae expositione significetur triumphus et gloria Salvatoris, in Missae autem Sacrificio ejusdem mors repraesentetur; cum Ecclesia tam in actione Missae, in qua Eucharistia consecratur, quam in conclusione precum, quae coram eâdem jam consecratâ et Fidelium venerationi palam expositâ recitantur, unâ eâdemque Collecta aeque utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirum: *Deus qui Nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut redemptionis tuae* (hoc est passionis ac mortis) *fructum in nobis jugiter sentiamus.* Quae cum ita se habeant Rituumque Interpretes et Scriptores, ob ea, quae mox relata sunt, in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea, quae prudenter sapienterque decreta fuerunt a praedicta S. R. C. nempe: *ut quaelibet Ecclesia vel Dioecesis suam retineat consuetudinem,* ita ut nihil immutetur in ea Dioecesi, ubi Crux in Altari constitui soleat, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice prostet: nempe nova disciplina excitetur in ea Dioecesi, ubi contraria hujusce rei consuetudo jampridem invaluerit. Haec omnia diligenter exposuimus, non quidem ut hac de re plenum justumque tractatum adornaremus, sed ut ex eis cognitum esset atque perspectum, quàm alienum sit a Sacris Ritibus id, quod plures temerè et inconsultò peregerunt, nempe ut Sacrum facerent ad Altaria, in quibus Crux haud promineat inter Candelabra sed exiguus tantùm Crucifixus praefigatur Tabulae alicujus Sancti, qui vel depictus aut caelatus majori Tabulae Altaris adjungi consuevit.

Si etenim juxta Rubricas Missalis Crux inter Candelabra statuenda est; si juxta Caeremoniale Episcoporum Crux ipsa cum Imagine Crucifixi Candelabris supereminere debet; si juxta sensum Congregationis Sacrorum Rituum non satis esse judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus, cum Missa celebratur ad Altare, ubi Pyxis cum sacris Particulis in Tabernaculo includitur; si in praesenti non agitur de Altari, in cujus Tabula Imago Salvatoris Crucifixi primo loco Fidelibus exhibeatur, nec minus de Altari, in quo Sacra Eucharistia publicè adoranda exposita sit, *nemo est, qui non videat praxim, de qua agitur, recenter inductam proprioque marte a privatis personis usurpatam, ex supradictis dicendam esse omnino improbatam;* eoque magis, cum ex exiguo Crucifixo, qui praefigitur Tabulae ejus Sancti, qui Altari superadditur, ea

profectò utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum Crucem inter Candelabra collocandam decernit. De hac re praeclarissimus Vir Cardinalis Bona ita scriptum reliquit *Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 25. num. 8.: Ab aspectu siquidem Crucis Sacerdoti celebranti Passio Christi in memoriam revocatur, cujus Passionis vira imago et realis repraesentatio hoc Sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens tamquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur:* his postremis verbis indicatur orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit *sess. 22. de Sacrificio Missae cap. 2.*

Itaque Vos omnes Venerabiles Fratres, ad quos haec Apostolica scripta dirigimus, curam magnopere impendite, ne vestras in Dioeceses irrepat consuetudo, quam superius explicavimus; quod si jam ipsa invaluerit, humanitatem prius ac deinde severitatem si opus fuerit adhibentes; illam penitus convellite. De Sacrificio Missae res agitur, adeoque nemo vestrum ignorat, a Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Episcopis et Ordinariis Locorum, ut etiam tanquam Sedis Apostolicae Delegati corrigere valeant pravas consuetudines, quae Ritu Missae celebrandae adversantur; ita clarè desumitur *ex sess. 22.* in Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae.* Neque Vos latet, nullum esse privilegium aut immunitatem, quae delinquentibus in hac re suffragari possit, ut vestra ab auctoritate poenisque per Vos irrogatis vindicentur. Idem saepius confirmavit S. C. Tridentini Concilii interpres, Decreto inhaerens ejusdem Synodi, quod paulo ante memoravimus: id Fagnanus testatur ad *Cap. Grave num. 46. de Officio Ordinarii:* his verbis: *Et generaliter hoc Decretum* (de quo superius dictum est) *censuit S. C. comprehendere etiam Regulares, quantumvis exemptos, eosque ea omnia, quae ab Ordinariis Locorum circa observanda et evitanda in Missarum celebratione statuta fuerint, omnino servare teneri, ad idque etiam poenis et censuris Ecclesiasticis ab iisdem Ordinariis cogi et compelli posse.* Nos quidem his Literis eandem auctoritatem, quâ jam praediti estis, iterum Vobis confirmamus. Illud monendum superest, eam Nobis mentem haud esse, ut Imagines Sanctorum, quae majori Tabulae Altaris superadditae sunt, de medio auferatis, cum fortasse defuturi non essent invidi, qui, ut pietati vestrae maculam inurerent, in vulgus disseminarent, Vos nullà duci religione in eum Sanctum, cujus Imaginem Fidelium venerationi subducitis. Illud Vobis praecipimus, ut nullo modo patiamini rem Divinam fieri ad hujusmodi Altaria, nisi Crucifixus inter Candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans ac Populus Sacrificio assistens eumdem Crucifixum facilè et commodè intueri possint; quod evenire nequit, si exigua solùm Crux minori Tabulae defixa Fidelibus exhibeatur. Si ejusmodi corruptela in Dioecesim non valde propagata est, facilè extingui poterit, si privatim Regulares aut Saeculares Ecclesiarum Superiores de hac re moneantur; sin autem latè per Dioecesim invaluerit, tunc a Vobis Edictum necessariò promulgandum erit, quod his nostris Literis conformetur. Plura scribere Vobis praetermittimus, quos prudentiae ac doctrinae laude satis praestantes existimamus Auctoritatem nostram, ut rem perficiatis et quoties opus fuerit, Vobis petentibus nunquam defuturam pro certo habeatis. Interim Fraternitatibus Vestris et Populo curae vestrae commendatis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XVI. Julii 1746. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

(Bull. r. t. XVII. p 77).

6) Deferentes.

Licere deferri S. Imaginem (B. V. M. incoronatae Ripanae) per Confratres sacco indutos. n. 4164 ad 3 die 22. Aug. 1744.

7) Discooperitio.

Sacras imagines Sabbato s. ad *Gloria*, si commode fieri poterit vel post Officium ejusdem diei, discooperiendas esse. n. 2194 die 20. Novb. 1662.

Ad dubium: Quum ex Rubricis Sabbato *Sitientes* velentur S. Imagines Altarium, quaeritur: an liceat eas detegere Fer. VI. in Parasceve et non ad Hymnum Angelicum in Sabb. S., uti Rubricae ipsae praescribunt?

S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Velatas manere debere usque ad Hymnum Angelicum Sabbati S. juxta alias Decreta".

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5127 ad 3.

Die 22. Julii 1848.

Vd.: *Imago* (Velatio.)

8) Expositio, Habitus etc.

Urbanus PP. Octavus.

SSmus. D. N. solicite animadvertens abusus, qui irrepserunt et quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis aut Martyrii fama vel opinione defunctis, qui et sine Canonisationis et Beatificationis honore insigniti sint ab ap. Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis atque Ecclesiis aliisque locis publicis ac etiam privatis cum laureolis aut radiis seu splendoribus proponuntur, miracula et revelationis aliaque beneficia a Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur et ad illorum sepulchra tabellae, imagines et res aliae ad beneficia accepta testificanda, et lampades et alia lumina apponuntur.

§. 1. Volensque proinde hujusmodi abusibus pro debito Officii pastoralis occurrere, re etiam mature desiderata ac discussa declaravit, statuit et decrevit, ne quorumvis hominum cum sanctitatis seu martyrii fama (quandocunque illa sit) defunctorum imagines aliaque praedicta et quodcunque aliud venerationem et cultum praeseferens et indicans, in Oratoriis aut locis publicis seu privatis vel Ecclesiis tam saecularibus quam reg. cujuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis aut Societatis apponantur, antequam ab ap. sede canonizentur aut Beati declarentur et (si quae appositae sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

§. 2. Ac pariter imprimi de caetero inhibuit *libros* eorumdem hominum, qui sanctitatis aut martyrii fama celebres e vita migraverint, gesta, miracula vel revelationes seu quaecunque beneficia tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes sine recognitione atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis theologos atque pios ac dictos viros in Consilium adhibeat et ne deinceps fraus aut error aut aliquid novum aut inordinatum in re tam gravi comittatur, negotium instructum ad Sedem ap. transmittat ejusque responsum expectet. ***Revelationes*** vero et miracula aliaque beneficia supradicta, quae in libris horum hominum vitam et gesta continentibus hactenus sine recognitione atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult mandatque Sua Sanctitas.

§. 3. Ad horum hominum *Sepul-*

chra vetuit etiam ac inhibuit tabellas atque *imagines* ex cera aut argento seu ex alia quacunque materia tam pictas quam fictas atque exculptas appendi aut affigi et lampades sive alia quaecunque *lumina* accendi sine recognitione ab Ordinario omnino prout supra facienda Sedique ap. referenda ac probanda.

§. 4. Declarans, quod per subscripta *praejudicare in aliquo non vult neque intendit iis*, qui aut per communem Ecclesiae consensum vel immemorabilem temporis cursum aut per Patrum Virorumque ss. scripta vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis ap. vel Ordinarii coluntur.

§. 5. Ut autem praemissa diligentius observentur, universis ac singulis tam Ordinariis quam haereticae pravitatis Inquisitoribus districte praecipit, ut in sua quisque dioecesi vel Provincia sedulo pervigilent, *ne sine approbationibus praedictis Imagines cum memoratis signis exponantur aut miracula, revelationes ac beneficia praedicta publicentur* aliave contra superius disposita fiant.

§. 6. *Transgressores* vero, si *Regulares fuerint*, privationis officiorum suorum ac vocis activae et passivae necnon et suspensionis a Divinis; *si vero Clerici saec.* et privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a Divinis et ab administ. Sacramentorum executioneque suorum Ordinum resp. aliisque arbitrio praedictorum Ordinariorum seu Inquisitorum pro modo culpae infligendis poenis plectendo.

§. 7. *Qui autem libros impresserint aut imagines pinxerint*, sculpserint seu quomodo affinxerint vel formaverint, caeterique artifices circa praemissa qualitercunque delinquentes, praedicta omnia omittant et insuper pecuniariis aliisque etiam corporalibus poenis juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum seu Inquisitorum arbitrio officiantur.

§. 8. Quibuscunque contrariis non obstantibus. Publ. et affixum ad valvas Basilicae ss. ap. Petri et Pauli de Urbe die 13. Mart. 1625.

Idem decr. confirm. est ab eod. PP. Urbano VIII. sub die 5. Julii 1634. (Bull. mag. rom. tom. V. p. 85 et 260 ed. Luxemb. 1727). *Subsequ. Constit. ejusdem PP. Urbani VIII. de forma et habitu Imaginum continetur etiam in eod. Bullario tom. V. p. 365 et est de die 15. Mart. 1642.*

De Veneratione, Forma et Habitu SS. Imaginum Urbani VIII. Constitutio.

S. Antonius (imago); *Processio Corp. Chr.* (quae res circumferri debeant?); *Reliquiae* (expositio, decr. n. 3864); *Imago Beati* (expos.); *De conditionibus Imaginem exponendi* vd.: *Reliquiae* (superimpon. etc. decr. n. 4578 *nota*); *Imago Titul. ponenda in alt. maj.*

Urbanus Papa VIII. Sacrosancta Tridentina Synodus optime agnoscens non leve scandalum afferri posse, si quid inordinatum aut praepostere accommodatum vel profanum in Ecclesiis appareat, statuit, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam Imaginem ponere vel ponendam curare, nisi ab Episcopo adprobata fuerit.

§. 1. Cum autem, sicut accepimus, ex praedicti Decreti inobservantia varii abusus irrepserint; idcirco Nos abusus hujusmodi tollere pro debito pastoralis Officii nostri volentes re etiam cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus praepositis communicata et mature considerata et discussa inhaerendo dictae dispositioni Sacrosanctae Tridentinae Synodi, motu proprio et ex certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ne quis cujuscunque gradus, qualitatis, ordinis, status vel conditionis ac dignitatis et prae-

eminentiae etiam Ecclesiasticae, etiam individua et speciali expressione dignae existat, Imagines D. N. J. C. et Deiparae Virginis Mariae ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum aliorumque Sanctorum et Sanctarum quorumcumque sculpere aut pingere vel sculpi aut pingi facere, aut antehac sculptas, pictas et alias quomodolibet effictas tenere seu publico aspectui exponere aut vestire cum alio habitu et forma, quam in Catholica et Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, tenore praesentium prohibemus ac, ut Imagines aliter pictae vel sculptae ab Ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveantur et deleantur, vel reducantur et reformentur ad habitum et formam in Ecclesia Catholica et Apostolica ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio et cultus sic dictis Imaginibus augeatur et quae oculis Fidelium subjiciuntur, non inordinata nec insolita appareant, sed devotionem pariant et pietatem; et ne exponantur in Ecclesiis quibuslibet et quomodolibet qualificatis, ac earum frontispiciis et atriis imagines profanae vel alias indecentiam et inhonestatem praeseferentes, cum Domum Dei deceat sanctitudo, praecipimus.

Quocirca quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis ac Nostris et Apostolicae Sedis Nunciis, Legatis, etiam de latere, sub obtestatione divini judicii mandamus, ut praedicta inviolabiliter et exacte observent.

Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum etiam Cathedralium et majorum, Universitatibus etiam studiorum, Monasteriis ac Collegiis et personis quibuscumque etiam Ecclesiasticis Saecularibus et Regularibus cujuscumque Ordinis etiam Cistercien. Instituti, Congregationis et Societatis etiam Jesu, etiam Militaribus, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani aliorumque Militarium, caeterisque quibuscumque, quomodolibet qualificatis, ac eadem individua expressione et speciali nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularibus gubernio subjectis, ac etiam Sedi Apostolicae immediate suppositis, ut in eorum Ecclesiis et locis omnia et singula praemissa observent et observari faciant.

§. 2. Quatenus vero ipsi, praesertim Regulares ac Moniales praesentibus literis ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint et debeant Episcopi et locorum Ordinarii et Metropolitani, Primates et Patriarchae, Nuncii et Legati Apostolici de Latere missi, tanquam in hoc a Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes et singulos praedictos et quoscumque alios quomodolibet inobedientes et transgressores procedere, et quacumque appellatione, recursu, reclamatione aliisque juris et facti remediis ordinariis et extra ordinariis penitus, et omnino remotis, ad omnimodam observantiam illos, praevia unica monitione, censuris Ecclesiasticis et aliis eorum arbitrio, et praesertim quoad loci Superiores, etiam privationis officii et vocis activae et passivae poenis compellere.

§. 3. Praesentes quoque literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, vel quocumque alio, etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari vel redargui posse, sed illas semper validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios effectus sortiri et obtinere et ab omnibus, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§. 4. Sicque et non aliter in prae-

missis per quoscumque Judices, Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos nunc et pro tempore existentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi seu interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri et interpretari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, et Concilii generalis de duabus dictis aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis in favorem etiam personarum atque Ordinum quorumcumque etiam Cisterciens. ac tam Mendicantium quam non mendicantium Militarium, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum Societatum etiam Jesu, ac cujusvis alterius Instituti, etiam necessario et individue exprimen. Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum et aliorum quorumcumque tam Saecularium quam Regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica et alia quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa et titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis etiam, Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, Conservatorum deputationibus, eorumque atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi et alii Ordinarii et Superiores praedicti deferre minime teneantur et quibusvis aliis, sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo praetendi, volumus et Apostolica auctoritate decernimus, ut praesentes Literae seu illarum exemplum ad valvas Basilicae Principis Apostolorum Urbis ac in acie Campi Florae affixae, omnes perinde arctent atque afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

§. 7. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis ac sigillo alicujus personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 15. Martii 1642. Pontificatus nostri XIX.; n. 1433 die 21. Febr 1643.

(Bull. mag. tom. IV. part. 3. pag. 311. §. 15.)

Urbanus PP. Octavas.

Referente Emo. et Rmo. D. Card. Verospio petitionem Procuratoris gen. PP. Eremit. Ord. s. Augustini S. R. C. censuit, imagines S. Augustini, s.

Nicolae de Tolentino et aliorum SSrum. ejusd. Ord. s. Augustini impressas aut depictas a FFr. discalceatis ejusdem Ord. cum habitu, quo ipsi Discalceati utuntur, suspendas et abolendas esse injungendumque dictis FFr. discalceatis, ne sub poenis arbitrio hujus S. R. C. infligendis talia amplius audeant peragere. Et ita omnino servari mandavit.

(S. R. C. die 19. Decb. 1637,)

Dat. Romae ap. s. Petrum sub annulo Pisc. die 23. Jan. 1638 Pontif. Nostri anno XV.

9) Processio.

Cf.: *Processio Corp. Chr.* (quae res circumferri etc.); *Reliquiae*; *Baldachinum Imaginis*; *Imago* (Deferentes).

Ad dubium: An et quomodo in processionibus B. M. V., quae fiunt interveniente capitulo Ecclesiae matricis Balneacabolli Laici tertii Ordinis s. Francisci et confratres s. Annae teneantur incedere? S. C. resp.: Licere confratribus s. Annae gestare s. imaginem alternatim cum aliis quatuor ad eorum latera adstantibus absque cereis; licere vero tam confratribus quam tertiariis cum cereis accensis adesse juxta solitum in Ecclesia PP. Convent. tantum, post reditum processionis ad eandem ecclesiam. n. 4461 die 23. Aug. 1794.

10) Remotio.

Sine speciali Indulto nequit removeri Imago illius Sancti ab altari, cujus Nomini dedicatum fuit. S. R. C. 27. Aug. 1836; 11. Martii 1837.

11) Sancti.

a) Ponenda, in cujus honorem altare est consecratum.

Vd.: *Imago non Titularis* (decr. n. 4793).

b) Cum reliquiis impositis.

Non esse de necessitate in sculptis SSrum. imaginibus in altare dispositis s. includere reliquias ad hoc, ut incensata cruce, valeant illae a Celebrante thurificari. n. 4153 ad 4 die 21. Mart. 1744.

12) Spiritus S.

Imagines Spir. s. sub humana specie e. g. speciosi juvenis prohibentur, sed licite pinguntur sub specie columbae et in figura linquarum ignis super apostolos descendentium. *Constitut. Bened. XIV.* die 1. Oct. 1743. (Bull. r. t. XVI. p. 319 etc.)

Vd.: *Imago SS. Trinit.*

13) Super Tabernaculum ponenda.

Vd.: *Reliquiae* (superimp. tabern.)

14) Thurificatio.

Exposito SSmo. non licet post thurificatum ad Magnificat altare, thurificare etiam altare s. Francisci ac ipsius statuam ab altari disjunctam in civitate Parmen. n. 3790 ad 2 die 4. Aug. 1708.

Vd.: *Altare* (incensatio); *Imago Sancti* (cum Reliquiis etc.) *Imago B. V. M.*

15) Titularis Ecclesiae.

(Ponenda in altari maj.)

Vd.: *Reliquiae* (superimponendae etc. decr. n. 4578 *nota*) *Imago* (expositio).

Presbyteri Congregationis Missionis Provinciae Neapolitanae petierunt: Ut, quoniam in Ecclesiae Ara principe nulla extat Icon, collocari ibidem valeat illa B. M. V. Conceptionis titulo, sed illa forma effigiata, quam refert numisma Parisiis Anno 1830 cusum.

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Negative et apponatur Imago S. Nicolai Titularis".

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 27. Aug. 1836. n. 4793 ad 3.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Sacrosancta Trid. Syn. ad varios tollendos abusus, qui circa Sanctorum Imagines irrepserant sive quoad habitum sive quoad formam, quae pictae aut sculptae in Ecclesiis aliisque locis ponebantur multa censuit decernere. Inter haec non modo sunt, quae prohibent imagines aliquid profani eoque magis inhonesti oculis Fidelium exhibentes, sed eas quoque, quae novitatem redolent et quae diverso modo pictae videntur ab eo, quae antiquo tempore, pingi aut sculpi et sic exponi in Ecclesia consueverant: „Postremo (verba sunt Sacrosanctae Trid. Syn. de SS. Imaginibus) tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat Sanctitudo. Haec ut fidelius observentur, statuit S. Synodus nemini licere ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet *exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.* Sanctorum quidem imagines juxta S. Synodum *oculis Fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant excitenturque ad adorandum et diligendum Deum, et ad pietatem colendam*".

Item Summus Pontifex Urbanus VIII. peculiari edito Decreto ad eosdem abusus eliminandos, qui, ut Ipse ait, ex Decreti ejusdem S. Synodi inobedientia pariter irrepserant, eadem quasi verba referendo eadem renovat et pariter iterum praecipit ut Imagines aliter pictae vel sculptae ab Ecclesiis aliisque locis quibuslibet amoveantur et deleantur vel reducantur et reformentur quoad habitum et formam *in Catholica Ecclesia et Apostolica ab antiquo tempore consuetam et quae oculis Fidelium subjiciuntur, non inordinata et insolita appareant.* Jam Imago Bmae. V. M. sub titulo Conceptionis, quam Orator postulat collocari in Ara principe Ecclesiae, non ea sane est, quae inter eas possit adnumerari, quae aliquid profani aut aliud hujusmodi Fidelibus repraesentet, quin immo habet quid quod eos revocet ad quamdam visionem licet non satis probatam, adeoque per hoc S. R. C. respondit *non expedire*, sed quia imago haec eo, quo picta est modo, et eo, quo repraesentatur in numismate Parisiis cuso, differt quamplurimum ab ea Imagine, quae a vetustissimis temporibus Bmae. V. Conceptio pingui consuevit, atque hinc cum hujusmodi Imago nova et insolita sit in Ecclesia, ut talis adnumerari inter eas debet, de quibus et S. Trid. Syn. Patres et Urbanus VIII. decreverunt, non licere ullo in loco vel in Ecclesia ponere, nisi putandum sit per ea verba *nova et insolita* voluisse praecaveri, ne pictores destrena quadam libertate in pinguendis imaginibus uterentur contra usitatum Ecclesiae morem. At S. C. omnimodam varietatem hoc Decreto rejicit.

Dicet fortasse aliquis Romae Imaginem hanc et modo supradicto repraesentatam alicubi positam esse in Altari, e. g. in Ecclesia S. Andreae de Fractis et alibi. Nemo certo hoc inficiabitur, sed nihil ab hoc desumi poterit pro licitudine.

Nova enim et insolita semper erit habenda. Insuper de hac Imagine dici potest eam ibi positam fuisse ad memoriam quamdam servandam assertae apparitionis in hac Ecclesia sub tali

repraesentatione non multis abhinc annis habitae ab Israelita Ratisbon, ex qua factum est ut eo ipso momento ex acerimo Christianae Religionis hoste huic ipsi nomen dederit: potest etiam dari ut haec imago tali modo picta in alia aliqua Ecclesia sit collocata de Ordinarii licentia per ea verba quae in Trid. Conc. et Urbani VIII. Decretis leguntur *nisi ab Episcopo approbata fuerit*, quae similibus in casibus Ordinariorum consensum et approbationem exposcunt: at nihilominus Imago, de qua hic est sermo, nova semper est et insolita; et diverso modo repraesentata ab eo, quo Imago Conceptionis Bmae. V. M. *ab antiquo tempore repraesentari consueverat*, sed quae a S. R. C. numquam approbata fuit et numquam facultas data est illam exponendi: hinc ne haec S. C. secum ipsa pugnaret, nulla interveniente ratione pro facultate hac in re concedenda, *non expedire* merito respondere censuit.

Quid vero de hujusmodi Imaginis appositione in Ara Maxima Ecclesiae dicendum? Ex dictis sponte descendit negativa responsio, quae enim Imago non approbatur, ea nec exponi potest. Sed alia etiam ratio est eaque magni momenti. Sane S. Nicolaus Tolentinas erat Ecclesiae Titularis. Jam semel ac Ecclesia Deo in honorem Sancti alicujus in Consecratione dicata est, Sanctus hic est Ecclesiae Titularis. Hic autem, ut observat Guiettus, est relate ad Ecclesiam, quod est in homine baptizato nomen quod imponitur, ita ut a Sancti titulo, quo nuncupatur, Ecclesia illa ab aliis Ecclesiis veluti proprio nomine dignoscatur. Juxta eumdem Guiettum si Ecclesia Deo in alicujus Sancti honorem dicata est, mutari nequit Ecclesiae titulus, nisi accedente nova Ecclesiae dedicatione et hoc in casu aequum est ut non alio sub titulo ea dedicetur nisi eo quo prius erat dedicata, et ab eodem nomine nuncupetur. Jam juxta hoc principium cum, ut exponitur, nulla extet Imago in Ara principe, Ecclesia autem in ipsa consecratione fuerit Deo in honorem S. Nicolai Tolentinatis dicata, et hic proinde sit antiquus Ecclesiae ejusdem Titularis, ratio postulat, ut non alia Imago in Ara praedicta, quam S. Nicolae apponatur, quemadmodum S. R. C. apponi jussit.

Congregationis Missionis.

VI. Kal. Sept. superioris Anni 1836 S. R. C. Decreto injunctum fuit Alumnis Cong. Missionis Civitatis Neapolitanae in Ara majori Ecclesiae adnexae Domus Novitiatus ipsius Cong. apponere Imaginem S. Nicolai Tolentinatis Titularis, quod difficile factu iteratis precibus hodiernus Visitator exposuit, siquidem S. idem Nicolaus veneratur et colitur in apposita Aedicula, ac propterea supplicavit enixe, ut in ipso majori Altari apponi possit Imago Conceptionis Deiparae. Emi itaque ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunati, audita Secretarii relatione, rescripserunt: Relinquatur Imago S. Nicolai propria in Aedicula, sed in Ara majori ponatur Icon illius Sancti, in cujus honorem est consecrata.

In reliquis servetur Decretum die 27. Aug. 1836. n. 4804 die 11. Mart. 1837.

16) Non Titularis.

(Ponenda in altari collater.)

Praeter Aram maximam Ecclesiae Congreg. Missionis Neapol. aliud Altare Icone destituitur, petitur, ut hoc in Altari collocari valeat Icon S. Vincentii a Paulo Fundatoris.

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Affirmative juxta modum; nimirum, ut quoniam in collocatione Iconis S. Nicolai in Ara principe duo remanent Altaria collateralia vacua, in his poni valeat Imago S. Vincentii ex una et Conceptionis B. M. V. ex altera parte, sed juxta veterem morem expressa, nusquam vero ad instar supradicti Numismatis; dummodo tamen iisdem in Altaribus collocetur in ovali figura super gradus Candelabrorum etiam Imago illius Sancti, sub cujus titulo constat Altare fuisse consecratum juxta Decretum s. m. Alexandri Papae VII."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 27. Aug. 1836. n. 4793 ad 6.

Cf.: *Imago Titularis.*

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Aequum est ut Religiosa Familia, quaecumque ea sit, cui Ecclesia aliqua uti propria concessa est et cujus curae est concredita, Imagines illius Sancti in Altari apponat, qui Religiosam familiam instituit: hinc est quod S. R. C. Oratoris precibus annuit per affirmativam responsionem. In hac tamen responsione aliquid eodem tempore addidit, per quod Oratori non reliquit libertatem apponendi quamcumque Imaginem, coarctavit enim illius voluntatem per ea verba: *juxta modum.* Quis autem esse deberet modus, postea praescripsit. Permittit quidem S. C., ut tam Imago Conceptionis B. M. V. apponatur tam Imago S. Vincentii a Paulo in Altaribus lateralibus, (nec enim censuit S. C. precibus abnuere cum agatur de Beatissima Virgine et de Fundatore) hac tamen lege ut Imago Beatissimae Virginis Conceptionis eo repraesentetur modo, quo juxta vetustissimam morem solet repraesentari. Conditio haec necessario erat ponenda, semel ac in responsione eam Imaginem rationibus super adductis excluserat, ea forma repraesentatam, quam refert numisma Parisiis cusum.

Concessit quoque S. C., ut aequam appositionem in Altari altero laterali Imaginis S. Vincentii a Paulo uti fundatoris Congregationis Missionis cum praecepto tamen ponendi etiam Imaginem Sancti, cui Altare dicatum est et optime quidem et apposite; cum enim Altare hoc alteri Sancto fuerit jam dicatum, ratio postulat, ut et hujus Imago ponatur, ne illius memoria penitus depereat, a quo tamquam peculiari titulo nuncupabatur. Jam sublata picta tabula, in qua ipse repraesentabatur, non eidem pariter sublatum fuit jus, quod in Altaris consecratione super eo accepit, quo non amisso debet et illius Imago iterum in Altari apponi; dici et hic potest, quod de Ecclesiarum nova consecratione dictum est et cum aequum sit, ut in nova Ecclesiae consecratione non sub alio titulo ea consecretur et non ab alio nomen accipiat, nisi a veteri, a quo appellabatur, ita et Altare a Sancto nuncupetur, cui olim fuit dicatum. Hoc sane in responsione non praecepit S. R. C. eo stricto modo, ut major picta tabula, quae muro adhaeret, Imaginem exhibeat Sancti illius, cui olim Altare dicatum erat; liquet id ex ipsa expressione, quam addidit: *juxta modum* et hujus enunciationis explicatione: concessit enim S. C., ut in uno ex Altaribus majori collateralibus poneretur Imago Conceptionis B. M. V., veteri modo repraesentatae, in altero S. Vincentii a Paulo; at optime noscens S. C. Sanctum illum, cui olim Altare dicatum erat, jus adhuc habere, ut aliqua de eo memoria in eo extet, ad sartum tectumque illius jus servandum imaginem illius in picta tabula ovalis figurae super gradus candelab-

rorum, ut Sanctorum Imagines apponi solent, apponendam esse praecepit. Responsio itaque S. C. et additio juxta modum consona quammaxime esse rationi, praxi, Liturgicorum sententiis et auctoritatibus, a quibus discedere non licet.

17) SS. Trinitatis.

Licitum est SS. Trinitatem pingere, non tamen in qualibet forma, non in utero B. V. M., non sub figura hominis triplici facie instructi, non in effigie trium hominum similium. Pingitur imago SS. Tr., P., F. et Sp. s., repraesentando vel Patrem juxta Fidelium, vel Filium in sinu Patris simulque cum iis Spir. s. in columbae forma. *Pingitur et Pater solus* seorsim ab aliis Personis, quoniam vocem Domini in paradiso audivit Adam*), Moysi quoque miro modo conspiciendum se praebuit**), tum etiam Isaiae tamquam rex in solio sedens***), et Danieli veluti senex albo vestimento amictus †). *Pingitur etiam aeternus filius seorsim a Patre et Sp. s.*, quoniam homo factus est, cum hominibus conversatus est et non semel apostolis aliisque apparuit. Repraesentatur idem cruci affixus. Pingi quoque consuevit in forma agni juxta testimonium S. J. Bapt., Prophetiam Isaiae, Apocalypsim s. Joann. ap. et epistolam I. s. Petri, quapropter eandem Salvatoris nostri Imaginem approbat Hadrianus PP. in Epistola ad Tarasium et vetustissima occurrunt hujusmodi picturarum exempla in s. Coemeteriis et in Basilicis Urbis.

Pingitur denique Sp. s. vel tamquam de coelo descendens die Pentec. in figura linquarum ignis vel alias in columbae specie, seorsim pariter ab aliis divinis personis, quia sub his figuris factae sunt ejusdem apparitiones, quarum s. scriptura meminit. Nusquam vero invenire est in s. literis tertiam personam absque aliarum consortio in similitudinem Viri aut Juvenis apparuisse.

Constit. Bened. XIV. die 1. Oct. 1743. (Bull. r. t. XVI. p. 318 etc.)

18) Velatio temp. Passionis.

Imagines et Cruces velari debent Sabbato Passionis, etiamsi occurrat eo die festum S. Titularis vel Patroni Ecclesiae. n. 1613 ad 2 die 16. Novb. 1649.

Esse includendas non modo cruces et imagines D. N. J. Chr. sed etiam imagines B. V. M. et SS. resp. S. R. C. die 7. Sept. 1850 in Veronen ad 11. Nec discooperiri ullatenus posse occasione spiritualium exercitiorum. Ead. ad 10.

Non debent illae detegi, quando in hebdomada Passionis occurrit festum s. Titularis vel Dedicatio Ecclesiae. n. 1613 ad 3 die 16. Novb. 1649.

Ad dubium: An consuetudo servanda videatur, qua inductum reperitur, ut Imagines diverso tempore a rubricis praescripto cooperiantur? S. C. resp.: Ad Ordinarium literas dirigi, quibus eidem injungatur observatio rubricarum, nisi grave scandalum paritura putetur et desuper scandali hujusmodi motivis instrui ab eodem Ordinario. n. 2049 die 17. Apr. 1660.

Cruces et Imagines *Sanctorum*, quae *in iconibus altarium* reperiuntur, debent in I. vesp. dom. Passionis tegi. n. 2241 ad 2 die 4. Aug. 1663.

Ad dubium: In Cathedralibus, Collegiatis et Parochialibus Ecclesiis Crux Altaris, in quo Missa Conventualis vel Parochialis celebratur, tegine debet

*) Genes. c. III.
**) Ex. XXXIII. 23.
***) Is. VI. 1.
†) Dan. VII. 9.

ipsa Dominica Passionis post Evangelium, an Sabbato praecedenti? Dicitur enim in Capella Pontificia post Evangelium in Dominica Passionis tegi. S. C. resp.: „Serventur Rubricae, nimirum: tegendas esse Cruces et Imagines in primis Vesperis". n. 4669 ad 36 die 12. Novb. 1831.

Vd.: *Parasceve* (missa; decr. Clementis PP.) *Imago* (discoop.)

19) Velatio temp. expositi SS. Sacramenti.

Vd.: *Instructio Clem.* §. 3. n. 3—9; §. IV. n. 6. 7.; §. XXIV. n. 21. etc.

Ad dubium: 1. An velari debeat Simulacrum s. Joannis Bapt. vel potius supracentenaria consuetudo servanda sit, exponendo nimirum SSmum. cum Simulacri detectione, quando ob ingruentem publicam calamitatem collectis et elargitis eleemosynis hanc expositionem votum populi expostulat?

2) Quando natalitia Solemnitas hujus Sancti Titularis Ecclesiae et Oppidi principalis Patroni occurrit aliqua die infra octavam SS. Corp. Chr.?

3. Quando quotannis mense Novbr. Oratio 40 hh. peragitur. S. C. resp.: In casu, de quo agitur, servandam esse consuetudinem, excepto tempore expositionis 40 hh. n. 4639 die 27. Sept. 1828.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Dum primum haec Causa proposita fuit in S. R. C. Ordinaria coacta *die 22. Mart. 1828* placuit Emis P. rem differre et ampliare judicium. En quae fuit ratio. Quaestio agebatur, an velandum aut discoopertum relinquendum esset Simulacrum S. Joannis B., quod magna in veneratione est apud Populum Paroch. Eccl. Castriveterani, Dioec. Mazarien., dum publicae adorationi patet in Throno SSmum. Eucharistiae Sacramentum? Hac data occasione excitatum fuit Dubium: num expediret extendere praeceptum tegendi Tabulas Altarium, ut fit ex praescripto Instructionis Clementinae Romae in Oratione 40 Horarum, ad alias omnes expositiones, quae per annum fiunt vel pro adimplendis piis Legatis ex Fidelium fundationibus vel in Novemdialibus et Triduanis precibus, quae frequenter occurrunt, praesertim vero ante Festivitates B. M. V. vel alia quacumque de causa? Ideo, suspenso judicio, responsum fuit: *ad D. Secretarium cum SSmo. juxta mentem.* Mens erat, ut fieret relatio SSmo. D. N. Leoni XII. P. M., cui tamen placuit suam mentem non aperire, sed *mandavit, ut iterum proponeretur in proxima* (scilicet *Congregatione*). Coacto igitur altero Ordinario Emrum. P. S. ritibus tuendis praepositorum Coetu, re maturius in utramque partem discussa libratisque argumentis, quae afferri poterant, unanimiter fuerunt in sensu, quod magis expediret nihil innovare nulloque positivum Decretum interponere; quapropter tribus propositis Dubiis *collective* responsum fuit: *In casu de quo agitur servandam esse consuetudinem excepto tempore expositionis 40 Horarum.* Et S. S. hujusmodi responsum adprobavit et confirmavit. Supradicta autem brevior Rescripti formula aequivalet alteri relativae ad singula Dubia videlicet:

Ad I. Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam.

Ad II. Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam.

Ad III. Negative.

Quod igitur attinet ad decisionem primi et secundi Dubii ea prudentia usa est S. C., quam servare aequum est, quando in quaestionibus, quae ad extrinsecam disciplinam pertinent, declarari oportet, quid magis deceat vel magis expediat. Etenim in casu, iis omnibus, quae hinc inde afferri pos-

sunt, aequa lance libratis, inclinari pondus videtur pro consuetudine servanda quam pro novo praecepto indicando; unde rem serio meditanti nihil observetur, quod obstaculum Religioni contrarium interponat. Secus vero periculum immineret offensionis et scandali, ubi mos viget, si nova lex diceretur de vetandis Imaginibus in omnibus expositionibus, ubi viget consuetudo contraria. Equidem Bauldrius in Manuali s. caerem. part. *3.* c. 17. n. 2. et *Bissus* verbo *Expositio SSmi. Sacramenti* n. 232. §. 5. nec non *Thiersius de expositione SSmi. Sacramenti* c. 4. n. 12., quos sequitur s. m. *Benedictus XIV.* institut. eccl. quae est 30. editionis lat., sunt in sensu, quod: *Non liceat, Sacramento exposito, apertas teneri Imagines B. M. V. et Sanctorum, quia praesente Domino cessare debet honor, qui Servo adhibetur, et praesente Sole omnia Astra splendorem amittunt.* Verum equidem id est: congrua tamen congruis sunt referenda; atque ita praefatae auctoritates intelligendae, quod confundi non debent Cultus diversae species, *Latriae* scilicet, qui soli Deo O. M. debetur, *Hyperduliae,* qua veneramur Deiparam Virginem, et *Duliae*, quem obtinent ceteri Sancti. Has distinctiones omnino tenendas servandasque esse ipsa suadet Religio, quia nullo pacto licet diversas Cultus species simul confundere et Coelicolis dare id, quod convenit et debetur uni Deo; vel quod ob suam excellentiam supra ceteras creaturas Deiparam colimus; nihilominus cessat omnis dubitandi ratio, quia simul cessat omnis confusio Cultus, si unicuique tribuatur quod ei debetur. Dum enim ad Deum confugimus, ut unicum Creatorem et Datorem bonorum omnium, preces ad eum dirigendo Cultu *Latriae*, nonne possumus mediatricem Deiparam adhibere apud Eum et Coelicolas intercessores? Imo et fieri ita debet, quia reipsa nullatenus *Hyperduliae* et *Duliae* Cultus confunditur cum Cultu *Latriae* uni Deo debito, prout habent *S. Thomas* part. 3. quaest. 25. articul. 5. et *S. Bonaventura* in 3. dist. 9. n. 2. Conveniens imo est, ut deprecatores adhibeamus Coelicolas et ex Ecclesiae instituto faciendum ita est, ut quod nostris precibus non valemus, intercessione, ope ac patrocinio B. M. V. et Sanctorum consequamur. Secus enim, si in sensu rigoroso suprarelatae auctoritates essent accipiendae, nequaquam liceret Sacramenti expositionem conjungere cum respectivo Cultu B. M. V. et Sanctis debito et abrogandae forent Novemdiales et Triduanae preces, quae fiunt ad honorem Deiparae et Coelicolarum cum Sacramento exposito, imo etiam abrogandae forent Litaniae Lauretanae, quae ad implorandum B. M. V. praesidium fere semper ante Hymnum *Tantum ergo* recitantur. Carpenda praetera esset ipsa Clementina Instructio, quae jubet ut, dum Sacramentum exponitur pro Oratione quadraginta Horarum et priusquam Populus dimittatur cum ejusdem Benedictione, recitentur Litaniae Sanctorum cum precibus. Quis autem est qui non videat, quod si praefatae auctoritates accipiendae essent strictissime nullaque facta distinctione et discrimine, censura impeteret institutum probatosque Ecclesiae mores, quod vel simpliciter cogitare piaculum est? Nam Litaniae Sanctorum, Lauretanae nec non aliae preces recitari solitae et ab Ecclesia adprobatae, permissae et quandoque in publicis praesertim necessitatibus etiam praescriptae, nihil detrahunt Cultui *Latriae* SS. Eucharistiae debito, quia Cultus omnis refertur ad Deum, ut ad principium et finem ultimum; Deiparae vero et Sanctorum invocatio fit, veluti supra

jam dixi, tamquam medium, ut, adhibitis intercessoribus, facilius a Deo obtinere possimus, quod petimus et fragilitas nostra non praesumit. Recte igitur sapienter prudenterque S. C., dimisso consilio extendendi ad omnes expositiones praescriptum velandi Imagines et Simulacra Sanctorum, magis expedire censuit, nullam super hoc innovationem facere, respondens ad prima duo Dubia: *consuetudinem esse servandam*, seseque conformavit responsioni alias datae in Ordinario Conventu diei 26. Jan. 1793. Consuetudo erat, ut singulis Annis solemnis expositio fieret in Sacello Paulino Basilicae Liberianae, patente vetustissima Imagine B. M. V., quae ibi magna est in veneratione: verum, nova extructa machina cum in altum nimis assurgens, impedimentum afferet detectioni praefatae S. Imaginis, orta quaestio inter Capitulum et Ecclesiae Patronum ad saepedictam S. C. delata fuit propositoque Dubio: An SSmum. Sacramentum publicae venerationi sit exponendum in Altari Deiparae Virginis, hujus Imagine detecta vel potius tecta? responsum fuit: *In casu, de quo agitur, servandam esse antiquam consuetudinem.* Ne autem sit, qui existimet ad alios casus extendendum non esse Decretum, quod non est generale, sed relativum ad speciem propositam; nam si in quibuslibet expositionibus cooperiendae essent Imagines Deiparae et Sanctorum, quia, ut ajunt Auctores supra laudati: *Praesente Domino omnium summo cessare debet Cultus Servorum:* neque consuetudo, etsi immemorabilis, neque conventio neque lex fundationis neque alia quaelibet gravissima cogitanda ratio posset cohonestare detectionem Imaginum, dum Sacramentum est publice expositum. Itaque illud tenendum est, quod supra dixi, nempe relata verba in sensu congruo sunt accipienda et dummodo Cultus non confundantur, neque Deiparae et Sanctis honorem illum tribuamus, qui soli Deo debetur.

Si ita est, sciscitandi fit locus, curnam tegendae omnino sunt Imagines in Oratione quadraginta Horarum, non vero in aliis vel minus solemnibus vel etiam solemnissimis, quae non raro per anni circulum fiunt? Praesentissima se offert ratio discriminis. Pro diversitate functionum diversoque earumdem fine aliquid decet et licet in una, quod in altera, quamvis idem sit utriusque subjectum, non expedit Porro Oratio quadraginta Horarum ideo instituta fuit, ut *diu noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione incensum in conspectu Domini dirigatur*, ut legitur in Constitutione Clementis VIII. *Graves et diuturnae* data 25. Nov. 1592. Instituti itaque praecipuus et unicus est finis: ergo, durante Oratione, quae numquam intercipitur, omnis Cultus soli Deo exhibendus est, idcirco expedit velari Altarium Tabulas aliaque ita disponere, ut Populus sine distractione totus sit in adoranda Eucharistia intentus.

Pertinent haec ad duo prima Dubia: sequitur responsio ad tertium, qua excipitur *tempus expositionis quadraginta Horarum.* Atque hic quaeri posse videtur: quomodo intelligenda et accipienda sit hujusmodi exceptio, nempe, num habeat vim generalis Decreti an potius unam respiciat Ecclesiam, pro qua Dubium propositum fuerat? Mihi quidem videtur peculiaris, non generalis, quia dum aliqua dispositio in S. C. fit, qua generalis regula detur ubique servanda, id clare disponitur. Hoc factum non est et fieri debuisset, quatenus S. C. regulam generalem dicere voluisset. Praeterea quia aliud habemus Decretum latum sub *die 12. Jul. 1749* quoad Dubium:

An Constitutio pro Oratione quadraginta Horarum Romae jussu Clementis XI. edita, etiam extra Urbem servari possit ac debeat? responsum fuit: *praedictam Instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis Locorum statuatur.* Dicam ulterius, si introspiciatur mens S. C. latens sub verbis illis: *excepto tempore expositionis quadraginta Horarum*, ea esse videtur, ut maxime convenire credat et exoptet, quod ubique praescriptum Clementinae Instructionis, saltem quoad Imagines velo tegendas tempore Orationis 40 hh. servetur, omnem, quae dirimit controversiam, est formula responsionis, quae incipit: *In casu, de quo agitur*: quae dictio initio Orationis evincit, decretum coarctari ad unam speciem propositam, nec ultro progredi, quamobrem minime adversatur alteri supra relato Anni 1749.

Imago animae in purgatorio non debet apponi cor. SSmo. expos. Vd.: *Instr. Clem.* §. IV. n. 6.

20) Veneratio.

Vd.: *Imago* (expositio); *Reliquiae* (superimpon. tabern. n. 4578 nota); *Imago Titularis.*

IMMACULATA.

(In Lytan. B. M. V.)

Vd.: *Lytaniae B. V. M.* (add. licita; decr. n. 4339.)

IMMACULATA CONCEPTIO B. V. M.*)

1) Dies fest. privilegiatus.

Urbanus PP. Octavus

Cum Administratores *Ecclesiae et Hospitalis s. Jacobi Nationis Hispaniorum de Urbe* cupiant festum immac. Concept. B. V. M., quod quandoque in 2. dom. Adv. incidit, sub ritu dupl. I. cl. celebrare posse, Nos, piis dictorum Administr. votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque eccles. sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequ. harum serie absolventis et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eis-

---

*) Vd.: *Breve Pii V. die 30. Novb. 1570* de prohibitione disputandi in publ. praedicationibus de Concept. B. M. V. aut de ea vulgari sermone scribendi vel dictandi. (Bull. rom. tom. II. p. 343 ed. Luxenb. 1727.)

Breve Pauli V. die 6. Jul. 1616. (Ibid. t. III. p. 391), *et 12. Sept. 1617* (ibid. p. 400); *Breve Gregorii XV. die 24. Jun. et 28. Jul. 1622* (ibid. p. 477).

Breve Alexd. VII. de die 8. Decemb. 1661 in Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 152, quod continet innovationem constitutionum et decretorum de hac re editorum.

Presbyteri Societ. Jesu jam ex indulto die 17. Sept. 1667 (Clem. IX.) off. et missam Concep. imm. B. V. M. cum oct. de praecepto celebrarunt.

Anno 1667, 21. Octbr. promulgata est Constitutio Clem. IX., ut off. et missa Concept. immac. B. V. M. cum oct. *in Urbe ac universa S. R. E. temporali ditione de praecepto* recitetur. (Bull. mag. tom. VI. p. 254). Idem Indultum concedit Clem. IX. *Fratribus Ord. Eremitarum s. Augustini* die 31. Oct. 1667. (*Ibidem* p. 356). *Constitut. Innoc. XII.* die 15. Maji 1693, *ut Off. de imm. Concep. B. V. M. ubique terr. cum octava recitetur* ab omnib. Christif. tam saec. quam regul. utriusque sexus. (Ibid. t. VII. p. 219); *Constitut. Clem. XI.* die 6. Decb. 1708, ut immac. Conc. B. V. M. *de praecepto ubique* observetur (Ibid. t. VIII. p. 59).

dem Administr. nunc et pro tempore existentibus, quod de caetero in dicta Ecclesia festum immac. Conc. B. V. M. *etiam ipsa 2. dom. Adv., cum in illam inciderit, sub ritu dupl. I. cl.* juxta rubr. Miss. et Brev. rom. celebrare libere et licite valeant, cum hoc tamen, quod in missis tam priv. quam sol. et in utrisque vesp. fiat comm. de fer. curr. et cum in dom. inciderit, de ipsa dom., cujus etiam Evang. legatur in fine, ap. auctoritate tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur.

Non obstantibus constitut. et ordinat. ap. ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione ap. vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romae ap. s. Mar. Maj. sub Annulo Pisc. die 26. Novemb. 1631 Pontif. Nostro Anno IX.

Vd.: *Immac. Conc. B. V. M.* (Transl.)

De Celebratione festi Concept. B. V. M. per Capellam pontificiam in Basilica s. Mariae Majoris, vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 26. Novb. (3. Decb.) 1742. (Bull. r. t. XVI. p. 283.)

2) Hymnus.

Ad dubium Benedict. Einsidl: an infra octavam immac. Concept. B. V. M. in dominica 2. vel 3. Adventus etiam in hymnis dominicae: *Conditor alme etc.* sit dicenda clausula: Gloria tibi etc. vel: *Laus, honor etc.*? S. C. resp.: Omnes hymni terminentur: *Gloria tibi Dom., qui natus etc.* n. 4044 *(Alia dubia)* dub. 12. die 5. Maji 1736.

3) Officium.

Ad dubium: 1. An Magister Gen. Ord. Praedicatorum potuerit absque consensu Capituli Gen. et Superiorum inferiorum Ord. ejusdem legitime obtinere a S. S. et acceptare pro toto Ord. Octavam solemnem in Festo Concept. B. M. V. et additionem particulae: *Et Te in Conceptione Immaculata* apponendam Praefationi Missae Conceptionis, non obstante quod in aliquo Capitulo Gen. Ord. antedicti (ut asseritur) praescribatur nullum novum Officium posse acceptari in Ordine, nisi a Capitulo Gen.? Et quatenus possit,

2. An ea facultas obtinendi et acceptandi, de qua supra, ita conveniat Superiori Gen., ut non indigeat consensu Capituli gen., etiamsi aliquamdiu decretum fuerit a S. Sede (uti aliqui volunt) acceptari non debere nova Officia, nisi a Capitulo generali quum Magister Gen. juxta Constitutiones Apost. et Ordinis Praedicatorum possit solus facere id, quod ipse agere potest cum Definitoribus Capituli Gen.?

3. An stante acceptatione solius Magistri Gen., sit in facultate sibi succedentium Superiorum Gen., vel Capituli Gen., vel Superiorum inferiorum acceptare vel non praefatam Octavam solemnem et particulam: *Et Te in Conceptione Immaculata*, eo quod in Decretis concessionis datis die 10. Decb. 1843 nullum imponitur debitum, sed tantum dicitur „S. S. . . . de speciali gratia benigne annuit juxta petita?“ Et in casu negativo,

4. An omnes Fratres et Moniales Ord. Praedicatorum adigentur celebrare Festum Conceptionis B. M. V. cum Oct. solemni: et omnes Sacerdotes ejusdem Ord. ex praecepto pariter teneantur addere Praefationi Missae verbum: *Immaculata*, et dicere: *Et Te in Conceptione Immaculata:* ac idem servandnm sit in omnibus utriusque sexus Ordinis Ecclesiis? Et si affirmative,

5. An hoc ipso praecepto adstringantur etiam ii omnes, qui sentiunt B. V. conceptam fuisse in culpa ori-

ginali et illi, qui jurejurando adiguntur ad sectandam doctrinam S. Thomae Aquinatis, supposito quod Angelicus Docto tenuerit B. V. incurrisse in anima culpam originalem?

6. In casu affirmativae responsionis ad IV. etV. Dub., quaeritur: an censendi sint agere ex contemptu ii omnes, qui propriae sententiae inhaerentes, vel praetextu insectandi doctrinam Angelici Praeceptoris, renuunt se submittere responsis S. S. ad praesentia, etiamsi tantum omittant in Praefatione Missae verbum *Immaculata?*

7. An Decreta a S. C. emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis Dubiis scripto formiter editae, eamdem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pont. promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatis Sanctitati Suae?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

Ad 1. „Posse juxta Decreta diei 14. Junii 1845 et allatam Rubricam".

Ad 2. „Non indigere, ut ad proximum".

Ad 3. „Non esse amplius in facultate".

Ad 4. „Affirmative in casu proposito".

Ad 5. „Affirmative et quatenus opus sit consulendum SSmo. pro absolutione".

Ad 6. „Ex praecedentis Dubii solutione consulant conscientiae suae".

Ad 7. „Affirmative".

Atque ita rescripsit die 23. Maji 1846. . . . S. S. rescripta a S. C. in omnibus et singulis adprobavit. . . . n. 5051 die 17. Julii 1846.

Occurrente fer. 4. tempor., 14. vel 15. Decb., 7. scilicet infra octavam et die 8. Concept. in 2. n. Officii octavae legantur LL. de parabolis Salomonis: *Ego Sapientia habito etc.*, quae ponuntur in I. n. festi s. Mariae ad Nives et 9. l. de homilia 4 tempor., de eaque fiat commemor., in reliquis serventur rubricae. n. 2428 ad 4 die 19. Novb. 1667.

Vd.: *Officium B. V. M. in Sabb.*

4) Ritus.

Festum immacul. Concept. B. V. M. celebrandum est sub ritu dupl. 2. cl. n. 2428 ad 1 die 19. Novb. 1667.

5) Translatio.

Vd.: *Officium immacul. Conc. B. V. in Sabb.*; *Dedicat. Eccles.* (Off. etc. sub n. 3474); *Fest. Nom. B. V. M.* (decr. n. 5009); *Immac. Concept. B. V. M.* (dies festi.)

Datur specialis Rubrica pro Translatione Festorum Purificationis et Annunciationis B. M. V. quando occurrunt in Dominica privilegiata. Petitur: an etiam exstet aliquod privilegium aut Decretum pro Festo Concept. B. M. V., quando occurrunt in Dom. II. Adv., et celebratur sub ritu dupl. II. cl. tantum, vel an tunc sit transferendum in primam diem non impeditam, si IX. Dec. non sit libera?

Et Emus. ac Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen . . . rescribi mandavit:

„Nullum datur, sed petentibus conceditur ob peculiares circumstantias".

Atque ita rescribi ac servari mandavit. n. 4921 die 22. Maji 1841.

Decretum Urbis et Orbis.

(Promulg. Romae 9. Aug. 1860.)

Postquam S. D. N. Pius IX. anno 1854 Dogma de Immaculata B. M. V. Conceptione, universo plaudente Orbe Catholico solemniter proclamavit, vetus Christi-Fidelium pietas erga splendidissimum istud Deiparae privilegium, nova velut addita flamma, adeo exarsit, ut si hoc festum nequeat VI. Idus Decembris, quae propria est ipsius dies, ob occursum Dominicae II. Ad-

ventus celebrari, vehementer doleant diu quandoque protrahi debere. Communibus itaque Cleri populique fidelis votis Sanctitas Sua satisfacere cupiens quod de duobus aliis Beatissimae Dei Genitricis festis, Purificatione et Annunciatione, a S. R. C. cautum est Decreto Urbis et Orbis diei 20. Julii anni 1748., ad Festum quoque Conceptionis extendere dignata est ac proinde jussit, ut quibus annis praedictum festum occurrerit in Dominica II. Adventus, transferendum sit in feriam II. immediate sequentem, quocumque festo etiam aequalis non tamen altioris ritus in eam incidente. Hoc autem decretum promulgari atque in generalibus Calendarii Romani Rubricis adjici voluit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Vd.: *Translatio festi 2. cl. in dom. privil. cadentis,* decr. n. 4175.

6) Vesperae.

Ad dubium: An occurrente festo s. Luciae die dominica et deinde translato ad diem Lunae 14. Decb., vesperae debeant esse integrae de Concept. cum comm. s. Luciae? S. C. resp.: Integras vesperas recitandas esse de octava Concept. cum comm. s. Luciae et feriae. n. 2428 ad 2 die 19. Novb. 1667.

Ad dubium: An dies octava Concept. B. V. M. concurrens cum quocunque dupl. min. habeat integras primas et secundas vesperas? S. C. resp.: Affirmative. n. 3244 ad 1 die 11. Aug. 1691.

7) Vigiliae.

Ad dubium: An in pervigilio Immac. Conceptionis B. M. V. celebrare liceat post Nonam sine cantu Missam Vigiliae ejusdem pro Nostratibus approbatam? S. C. resp.: „Affirmative, sed conveniret melius cum cantu".

Ad dubium: Quum pro Missa hujus Vigiliae Conceptionis Orationes sint desumendae ex Missa in pervigilio Assumptionis Deiparae, licetne Orationem sic dictam Secretam immutare seu praescriptae substituere aliam, cujus initium *Tua Domine propitiatione*, ex Missa votiva, quae aptior existimatur? S. C. resp.: „Negative, sed utendum Indulto".

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad VIII. et IX. die 16. Aprilis 1853.

IMPERATOR.

De associatione in ejus Ingressu in Ecclesiam, vd.: *Laici.*

De Thurificatione, vd.: *Incensat. Laicorum. De Pace deferenda*, vd.: *Pax Laicorum. De oratione pro Imperatore in Parasceve*, vd.: *Oratio pro Imperatore.*

IMPOSITIO.

1) Manus Sacerd. infra miss.

Vd.: *Hanc igitur.*

2) Manus in Ordinatione Presbyter.

Vd.: *Ordinatio ad Presbyteratum.*

3) SS. Sacramenti.

De orationibus ad impositionem SSmi., vd.: *Oratio post benediction. cum SSmo.; Missa pro expos. et impos. SSmi.*

INCARNATUS EST.

1) Genuflexio ad altare.

Vd.: *Verbum caro factum est*; *Genuflex. chori infra Missam et Officium.*

Quando festum Annunciat. B. V. M. transferendum est, Sacerdos et Ministri ad „*Incarnatus est*" in die translationis genuflectere debent. n. 2228

die 16. Junii 1663; n. 3590 ad 3 die 11. Junii 1701; n. 3754 ad 17 die 25. Sept. 1706.

Sacerdos genuflectere debet in missis priv. ad: *Incarnatus est etc.* unico genu. n. 4549 ad X. die 25. Aug. 1818.

Nota Gard. ad hoc Decret.

Etsi Rubrica Missalis simpliciter jubeat: *Cum dixit* (scilicet Celebrans): et Incarnatus est, *usque ad:* et Homo factus est, *inclusive, genuflectit.* Nec tamen declarat, num utroque genu vel unico faciendum id sit, nihilominus universalis Ecclesiae consuetudo ea est, ut unico genu hoc fiat; et ratio est, ut Celebrans sit ad surgendum expeditior. Ad hunc Rubricae locum Meratus inquit: *Genuflectit unico genu extendendo hinc inde digitos junctos et utramque manum usque ad pulsus extra Corporale super Altare ad facilius surgendum.* Quin imo etiam in die *Natalis Domini et in Festo Annunciationis B. M. V.* genuflectendum esse unico genu in Missis lectis Scriptores de re Liturgica docent et praxis Ecclesiae probat; quamvis in Missa solemni ad illius versiculi cantum tam Sacerdos quam Ministri omnesque de Clero genuflectant utroque genu ac in genuflexione perseverent usque ad finem versus. Ita etiam Hagerer. in Ritu exacto servando in tit. 6. §. *in hoc Symbolo:* ubi agens de genuflexione ad verba: *Et incarnatus* etc. haec habet, *quod in Missis privatis etiam in Festo Annunciationis B. M. V. et in tribus Missis de Nativitate Domini non utroque sed unico genu solummodo genuflectendum esse etc.*

Ad dubium: In Missa Solemni, dum Chorus cantat *Credo,* an, quoties ad verba: Et incarnatus est, usque ad ea: *et homo factus est,* Celebrans et S. Ministri genuflectunt ante Altare, debeant simul caput inclinare, vel sufficiat sola genuflexio sine ulla capitis inclinatione?

Et S. eadem C. respondendum censuit:

„Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 8 die 23. Maji 1846.

2) Genuflexio Caeremon.

Ad dubium: Utrum Caeremoniarius, quum ipse stet, Celebrantem monendi gratia de inclinatione facienda, in his verbis: — Et incarnatus est — genuflectere debeat? S. C. resp.: „Affirmative juxta Rubricam".

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque Dubia declarare. n. 5208 ad 3 die 12. Aug. 1854.

3) Genufl. Cantorum.

Ad dubium: Utrum Chorales, dum in Missa solemni bini et bini recitant *Credo*, debeant genuflectere in iis verbis: — *Et incarnatus est* — quum ipse Celebrans et Ministri genuflectant?

S. C. resp.: „Affirmative juxta Rubricam".

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque Dubia declarare. n. 5208 ad 2 die 12. Aug. 1854.

Vd.: *Genuflexio chori infra missam et Off.*

4) Genufl. in choro.

Ad „*incarnatus est*" omnes, nec excepto Episcopo, teneri genuflectere, quandocunque *stantes* incidant in verba: *et incarnatus est*; tum si ab ipsis ore proferantur, tum si a cantoribus canantur, vel etiam si sedeant, *in ipsa Nativitatis die nec non Annunciationis B. V. M. festo.* Caeteris vero diebus

indiscriminatim *sedentes* omnes nemine excepto teneri caput detectum inclinare. Nec eo casu locum habere dispositionem Caeremonialis, quod caput inclinantibus Canonicis inferiores genuflectant. n. 1966 ad 2 die 15. Febr. 1659; n. 2817 ad 2 die 13. Febr. 1677.

Omnes de choro *stantes*, dum canuntur verba: *Et incarnatus etc.* genuflectere debent; *sedentes* vero genuflectere non debent praeterquam in Nativ. Dom. et in Annunciat. B. V. M., quibus diebus etiam sedentes genuflectere debent. n. 2637 ad 1—5 die 17. Junii 1673.

Ad dubium: Qui ad „*Incarnatus est etc.*" genuflectere debeant et utrum etiam Sacerdos genufl. debeat, qui tunc temporis processit e Sacristia ad celebrandam missam aut ea finita redit ad Sacristiam? S. C. resp.: Ii tantum de choro, qui stant, tenentur ad genuflexionem, non alii extra chorum; diebus tamen Nativ. D. et Annunciat. B. V. M. omnes de choro, etiam Celebrans et Ministri. n. 2542 ad 4 die 13. Junii 1671.

Ad dubium: In Caeremoniali Ep. art. de Missa Pont. legitur, quod Canonici sedere debeant ad verba: *Et incarnatus est.* Quaeritur: an hujusmodi praescriptio comprehendat omnes Canonicos etiam simplici habitu chorali indutos, aut eos tantum, qui s. Paramentis induti sunt?

Et S. eadem C. . . . rescripsit:

„Ab omnibus, qui sunt in Choro, sedendum, praeterquam in diebus Nat. D. et Annunciationis B. M. V., in quibus ab omnibus est genuflectendum".

Atque ita rescripsit declaravitque. n. 5121 ad 2 die 22. Jul. 1848.

Quum S. R. C. Anno 1848 sequens Dubium pro opportuna declaratione proposuerit Rmus. Adiacen. Episcopus: „In Caeremoniali Episcoporum articulo de Missa Pontificali legitur, quod Canonici sedere debeant ad verba: „*Et Incarnatus est*": Quaeritur: an hujusmodi praescriptio comprehendat omnes Canonicos etiam simplici habitu chorali indutos, aut eos tantum, qui S. Paramentis induti sunt?.

Et S. eadem C. rescripsit eodem Anno die 22. Julii: Ab omnibus, qui sunt in Choro, sedendum praeterquam in diebus Nativitatis D. et Annunciationis B. M. V., in quibus ab omnibus est genuflectendum?" Rmus. Rhedonen. Episcopus super hoc ipso Dubio duplicem postulationem proposuit ac declarari ab eadem S. C. postulavit:

1. An hujusmodi responsio sit anthentica?

2. Utrum in casu ab omnibus qui sunt in Choro sedendum, etiam si non sint Canonici, sed simplices Sacerdotes Superpelliceo et Cotta induti?

Et S. eadem C. . . . respondit:

Ad 1. „Affirmative".

Ad 2. „Ab iis, qui non sunt Canonici, Negative, nisi adsit contraria consuetudo".

Atque ita rescripsit propositisque Dubiis respondere censuit. n. 5218 Die 21. Julii 1855.

Ad dubium: In Cathedralibus Ecclesiis, in quibus Chorus extat post Altare, quando canitur Missa non ideo Pontificalis, vel coram Episcopo, Canonici, qui propter Cantorum defectum cum reliquis cantant et ideo inter se alternatim bini et bini submissa voce dicunt Symbolum Apostolorum, sed omissa quacumque genuflexione immediate sedent; Quaeritur: an eis sedere liceat etiam ad illa verba: *Et incarnatus est*, ut legitur in Caeremoniali Episcoporum?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Genuflectere debere dum Celebrans recitans Symbolum genuflectit et canendo adstare legili".

Et ita rescripsit. n. 5177 ad 1 die 25. Sept. 1852.

Vd.: *Venite adoremus* (genufl. decr. n. 4072.)

5) Genufl. Laicorum.

Ad dubium: An Magistratus saecularis sive Jurati Maioricen. assistentes missis pontif. in Cathedrali ad „*Incarnatus*“ debeant genuflectere? S. C. resp.: Stantes genuflectere debent; Sedentes vero inclinare caput. n. 2789 ad 2 die 13. Junii 1676.

INCENSATIO.

1) Altaris.

Vd.: *Altare* (incensatio); *Incensum* (quando non adhibet).

Ad dubium: An exposito publicae venerationi SSmo. liceat post thurificatum altare ad Magnificat, thurificare etiam altare S. Francisci ac ipsius statuam ab altari disjunctam?

S. C. resp.: Negative. Die 4. Aug. 1708 ad 2. *In Parmen.*

2) Celebrantis cor. SSmo.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 12 etc.; *Lavabo coram SSmo.* (decr. n. 4669.)

Celebrans semper triplici ductu thurificare debet, vd.: *Incensatio Cleri* (ductus; decr. n. 2912 et decr. de die 9. Maji 1606.

3) Cleri.

Vd.: *Canonici Cath. et Colleg.*; *Episcopus*; *Assist.*; *Diaconi assist.*; *Paroch.*; *Suffraganeus.*

a) Debetne fieri?

Ad dubium: An in missa sol., quando chorus existit in loco superiori et ab altari remoto, debeat incensari a thuriferario, postquam Diaconus Subdiaconum thurificavit? S. C. resp.: Si chorus existat intra ambitum et aream Ecclesiae, affirmative; si autem in loco, ad quem accedere nequeant, nisi exeundo ab Ecclesia, negative. n. 4305 ad 22 die 18. Decb. 1779.

Ad dubium: Quando contingit celebrari Missam Solemnem in Altari laterali, estne tunc Chorus existens post Altare majus incensandus?

„Affirmative, quia Chorus interveniendo Sacerdoti respondet et idcirco etiam ad osculum pacis est admittendus“.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 28 die 16. Apr. 1853.

Quando missa canitur sine ministris non potest thurificari altare et chorus, ut alias fit, quando ministri adsunt. n. 1627 ad 3 die 19. Aug. 1651; die 22. Jan. 1701 ad 12.

Vd.: *Incensum* (quando non adhib.)

b) Capite nudo.

Omnes, qui incensantur, non excepto Gubernatore, stare debere nudo capite. n. 3092 ad 2 die 28. Julii 1685.

Non licere Canonicis Ecclesiae Cathedr. Fani. recipere thurificationem capite cooperto pileolo; ideo abusum in contrarium removeri jussit S. R. C. Die 21. Nov. 1665.

Vd.: *Pileolum* (in thurificatione); *Canonici Cath.* (incensatio.)

c) Cor. exp. SSmo.

Thurificationem Cleri tum exposito super altari SS. Sacramento per octavam corp. domini consueto more peragendam. n. 2194 die 20. Novb. 1662.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. 17.

d) Ductus.

Ad dubium: An in missis et vesperis solemnioribus, quae celebrantur

in Ecclesiis parochialibus, in incensatione Celebrantis Ministrorum et Parochorum, qui intersunt, *Celebranti triplex ductus*, *Diacono et Subdiacono et Parochis duplex ductus debeatur?* S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2912 ad 3 die 24. Febr. 1680.

Solus Celebrans thurificari debet *triplici* ductu, caeteri omnes, etiamsi sint Archipresbyteri, Archidiaconi aut Canonici, duplici tantum ductu thuribuli. Et S. R. C. sententiam et opinionem praedictam Magistrorum Caeremoniarum SS. D. N. Papae approbavit et exequi mandavit.

Die 9. Maji 1606. *In Patavina.*

In Ecclesiis Cathedr. Indiarum, ubi Praebendae non distinguuntur in diaconales et subd. neque adest notabilis numerus Canonicorum, Capellani de choro Pluvialibus indui et in omnibus missis sol., quotiescunque Pluviali sunt induti, duplici ductu thurificari debent. n. 3551 ad 20 die 13. Mart. 1700.

Archipresbyteri aliique de Clero Ecclesiarum parochial. (civitatis s. Silverii) intervenientes in Cathedrali dupl. ductu thurificandi sunt. n. 4262 ad 4 die 18. Decb. 1756.

Clericos Parochialium Ecclesiarum unico tantum ictu thuribuli thurificandos esse. n. 468 die 19. Jan. 1613.

Canonici dupl. ductu, caeteri vero de Clero unico ductu thurificandi sunt. n. 479 die 11. Decb. 1613; n. 518 die 30. Jan. 1616.

Presbyteri participantes Cathedralis Trivent., qui habentur tamquam veri Capitulares et sunt de corpore Capituli et aequiparantur in omnibus et sunt aequales Canonicis, non debent duplici ictu thurificari sicut Dignitates et Canonici. n. 2248 ad 5 die 4. Aug. 1663.

Episcopum triplici ductu esse thurificandum, Syndicos vero et alios Episcopo inferiores esse dupl. ductu thurificandos. n. 256 ad 2 die 11. Decb. 1604.

e) Ordo.

Thurificationem incipiendam esse a parte digniore, ea vero ordine successivo absoluta continuandam esse ab altera parte, facto initio a digniore illius partis. n. 1477 die 26. Sept. 1643; n. 2377 die 26. Junii 1666.

Thurificationem in Ecclesiis, in quibus servatur alternativa Chori respectu Canonicorum, ab ea parte inchoandam, in qua Chori Tabella appensa reperitur. n. 1737 die 14. Novb. 1654.

Extra chorum existentium neminem thurificari debere. n. 1797 die 8. Apr. 1656.

Thurificato Vicario in choro assistente debent thurificari Canonici sedentes in eadem parte post Vicarium. n. 1921 die 7. Sept. 1658.

Secundam Dignitatem vel immediate post primam in eadem chori parte sedere debere, si vult immediate thurificari, vel, si alias eligat digniorem sedem in parte sinistra, post Canonicos existentes in dextera se thurificari sinat. n. 2028 die 24. Jan. 1660.

Absente Episcopo a choro thurificationem incipi . . . debere a digniori stante in parte digniori a choro, non autem a parte throni Episcopi, si non adsit dignior. n. 2447 die 15. Sept. 1668.

Ad dubium: Absente a Choro in aliqua ex s. Functionibus prima Capituli Dignitate, thurificatio debet necne incipere a parte, in qua Dignitas ipsa sedere solet, vel potius praeferendus semper sit Canonicus dignior inter Choro praesentes, nullo habito respectu ad locum, in quo ipse sedet?

Et S. eadem C. . . . rescripsit:

„Thurificationem esse semper incipiendam a parte, in qua sedet Hebdomadarius“.

Atque ita rescripsit declaravitque. n. 5121 ad 1 die 22. (?) 1848.

f) Series.

Ad dubium: An in Choro Ecclesiae Cathedralis post thurificationem Capellanorum, qui extant in una parte, thurificandi sint etiam Clerici ejusdem partis et postea Capellani reliqui stantes in parte opposita, et tandem reliqui Clerici ejusdem oppositae partis? Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Ante Clericos thurificandos singulos Capellanos".

Et ita rescripsit. n. 5177 ad 3 die 25. Sept. 1852.

Vd.: *Incensatio Clericor. Seminarii.*

g) Parati ante non paratum.

Ad dubium: Supplicantibus humiliter parochis civitatis Aequilae: an ipsis, non Diaconis et Subd. fer. s. majoris hebd. cum habitibus s. interessentibus Oleorum consecrationi debeatur et ante quos thurificatio? S. C. resp.: Ante non indutos s. vestibus omnes indutos thurificandos fore. n. 3512 die 4. Apr. 1699.

Officium vesperarum uno Beneficiato faciente cum assistentia duorum Clericorum, pluvialibus similiter indutorum, thurificandi sunt iidem Clerici ratione paramentorum ante Beneficiatos non paratos in choro sedentes. n. 148 die 10. Junii 1602.

h) A quo facienda?

Cf.: *Diaconus Episcopi.*

Ad relationem Collegiatae Altamurae S. C. resp.: Thurificato Celebrante thurificandas esse prius a *Diacono* Dignitates et Canonicos stantes in Stallo, postea Dignitatem, quae fungitur Officio presbyteri assist., duos Diaconos assistentes et Subdiaconum et demum ipsum Diaconum a Thuriferario, qui reliquos de choro incensabit. n. 2944 ad 2 die 1. Mart. 1681.

i) Stando vel genuflectendo?

Canonicos debere stare durante eorum incensatione; caeteros vero a principio incensationis usque ad finem. n. 2082 ad 8 die 20. Novb. 1660; n. 2083 ad 8 die 18. Decb. 1660.

4) Clericorum Seminarii.

Vd.: *Incensatio Cleri* (Series; decr. n. 5177).

Seminarii Episcopalis Alumnos choro assistentes cotta indutos thurificandos esse per modum unius. n. 4857 ad 4 die 3. Aug. 1839.

Seminarium thurificandum esse immediate post Beneficiatos tamquam de Clero. n. 2059 die 12. Junii 1660.

5) Episcopi.

Vd.: *Episcopus*, (incens.); *Aspersorii porrectio*; *Episcopus ass. missae sol.*

6) Gubernatoris.

Gubernatorem Protonotarium in habitu ecclesiastico cum rocchetto et mantelleto incedentem et Divinis assistentem immediate post Episcopum et ante Canonicos thurificandum esse. n. 201 die 5. Julii 1603.

Gubernatorem (civitatis Alban.) absente Episcopo thurificare debere duobus ictibus immediate post Vicarium generalem ante Dignitates Canonicos. n. 1296 die 2. Mart. 1641.

Gubernatorem *praesente* Episcopo immediate post ipsum Episcopum et Canonicos ejusdem assistentes et ante alios Canonicos non assistentes thurificandum, eique pacis osculum deferendum; *absente* vero Episcopo immediate post Vicarium generalem ejus-

dem Ecclesiae. n. 314 die 9. Maji 1606.

Gubernatori Normien. non competere thurificationem triplici ductu sed tantum dupl. n. 2591 die 16. Julii 1672.

Idem decretum contra Gubernatorem Aquipendien. sub n. 3099 et 3100 die 26. Jan. 1686.

Gubernator thurificetur immediate post Episcopum maxime si sit dignissimus et perpetuus. n. 374 ad 4 die 15. Mart. 1608.

Gubernatorem seu Praetorem vel alio quolibet vocabulo nuncupetur, thurificandum esse dupl. ductu et post Vicarium generalem. n. 2712 die 5. Sept. 1674.

Non esse thurificandum Gubernatorem Praelatum Laureti nisi dupl. ductu, quando Episcopus Card. assistit sive celebrat in Cathedrali Laureti. n. 2815 die 13. Febr. 1677.

Cf.: *Incensatio Laicorum.* (decr. n. 2528; 2799; 3682).

Gubernator terrae Proxeudi thurificandus est a Diacono parato dupl. ductu post Canonicos diebus tantum solemnioribus, quibus nimirum missa celebratur cum ministris paratis, et habitu laicali aulico vel clericali talari indutus esse debet. n. 4376 ad 1 die 9. Decb. 1775.

Ad dubium: An Gubernator Civitatis thurificari debeat triplici ductu, quum Dignitates, Canonici et reliqui de Magistratu duplici tantum ductu cohonestentur?

S. C. respondendum esse censuit:

„Negative, sed duplici ductu tantum“.

Atque ita rescripsit ac in omnibus servari mandavit die 27. Aug. 1836. n. 4794 ad 7.

Vd.: *Praeses* (cap. V.)

7) Laicorum.

a) Cor. exp. SSmo.

Exposito SSmo. in vesperis non licet thurificare Confratres Confraternitatis *del Cordone di s. Francesco* Civitatis Parmen. n. 3790 ad 1 die 4. Aug. 1708.

b) Ductus et Ordo.

Cf.: *Mulier*; *Magistratus.*

Permitti posse Marchioni Villalvern. thurificationem duobus ictibus post rectorem Ecclesiae etiam simplicis parochialis per Capellanum cotta indutum, non tamen per Ministros Sacrificii sacris amictos. n. 2552 die 13. Junii 1671; n. 3286 die 2. August. 1692.

Praeses regius Provinciae Aprutinae assistens missae sol. cantatae dupl. ductu thurif. est, sed non una cum Episcopo et quoad Canonicos servetur Caerem. (lib. 1. c. 23 in fine) n. 3401 ad 1 et 2 die 6. Oct. 1696.

Dominum loci (loquitur de Ecclesia *parochiali*, in qua non sunt Canonici) thurificandum esse duplici ductu ab eodem Ministro, qui caeteros thurificat, immediate post Celebrantem et duos Ministros altaris paratos, idest Diaconum et Subdiaconum et Archipresbyterum ante omnes alios Presbyteros seu Clericos. n. 394 die 27. Sept. 1608; n. 881 die 28. Sept. 1630; n. 1399 die 28. Jun. 1642; n. 3101 die 26. Jan. 1686.

Prius thurificentur Dignitates et Canonici tam Ecclesiae Cathedr. quam Colleg., deinde Gubernator et Officiales Laici. n. 450 die 28. Januar. 1612.

Domino loci Ferrantis Covenago permitti posse thurificationem duobus ictibus post rectorem Ecclesiae etiam simplicis parochialis, per capellanum cotta indutum, non tamen per mini-

stros Sacrificii sacris amictos. n. 2092 die 15. Jan. 1661.

Non licere comiti Jacobo Durino et fratribus thurificationem tribus ductibus per Diaconum. n. 2884 die 6. Maji 1679.

Consules et Gubernatorem Terrae Plebis esse thurificandos post omnes presbyteros chori per eundem Diaconum. n. 2528 die 28. Febr. 1671.

Dux Segobriae et Cardonae, priusquam Canonici et Dignitates, thurificetur *tribus* ductibus et hoc tam praesente quam absente Episcopo. n. 849 die 16 Febr. 1630.

Dux Segobriae ad Offertorium tribus ductibus thurificetur immediate post Episcopum, ante Dignitates et Canonicos et eodem modo in Vesperis et Matutinis ad *Benedictus*. n. 2582 ad 2 die 26. Mart. 1672.

Magistratum et Officiales thurificari debere post Dignitates et Canonicos juxta Caeremon. Lib. I. c. XXIII. circa finem. n. 856 die 20. Apr. 1630.

Magistratum thurificari debere post Dignitates et Canonicos juxta Caeremoniale. n. 864 die 22. Juni 1630.

Non convenire, thurificari *Barones* loci immediate post Episcopum ante Dignitates et Canonicos, quia obstat Caeremoniale, tollens contrariam consuetudinem, *nisi probetur immemorabilis*. n. 897 die 8. Febr. 1631.

Deberi Baroni de Casalibus thurificationem post omnes Canonicos per ministrum cotta indutum. n. 3907 die 2. Apr. 1718.

Non licere thurificationem Oeconomis seu Electis loci, quando in Ecclesia sunt in se disjuncti et uti singuli, sed sufficere in hoc casu thurificationem, quae fit populo per Acolythum post thurificatos omnes de choro n. 1284 die 12. Jan. 1641.

Decuriones Civitatis Alexandrinae non post Canonicos sed post Clerum tantum thurificari debere. n. 1798 die 10. Junii 1656.

Absente Episcopo Gubernator et Gonfalonerii et Magistratus Aquipendien thurificentur duplici ictu. n. 2799 die 14. Novb. 1676.

Consules Avenionens. juxta Caeremon. esse thurificandos immediate post Canonicos. n. 2960 die 9. Aug. 1681.

Dux Cassamassimae Dioecesis Baren. non esse thurificandum triplici ductu. n. 3129 die 22. Febr. 1687.

Ad dubium: An Duci Ostunens. debeatur thurificatio tripl. ductu per aliquem Magistrum Caeremon. sive alium presbyterum cotta indutum? S. C. resp.: Dupl. ductu per alium Capellanum sive Acolythum cotta indutum; sed id non debetur ejusdem Fratribus. n. 3668 ad 3 et 4 die 24. Novemb. 1703; n. 3699 ad 2 die 12. Julii 1704.

Electi civitatis et Gubernator Aversanae expleta Canonicorum thurificatione thurificandi sunt. n. 3682 ad 9 die 26. Apr. 1704.

Iidem in Ecclesiis Regularium vel quomodolibet et qualitercunque exemptis etiam non praesente Episcopo duplici ductu thurificari debent. Ibid. ad 10 et 11. Baroni Calimerae non licere thurificari triplici ductu. n. 3684 ad 5 die 26. Apr. 1704.

c) Quis incensat?

Vd.: *Incensatio populi*; *Incensatio Laicorum* (ductus et Ordo).

Ad relationem, quod Jurati Carini.. divinis Officiis interessentes ab Acolytho thurificari hactenus consuevissent, nuper autem abusus fuisset Mazzarien. inductus, nempe quod a secundo Subdiacono, qui tempore thurificationis dictis paramentis induitur, iisdem Juratis thus administretur. S. C. resp.: Ordinarius novitates non permittat et quatenus sunt introductae,

curet suaviter illas ut abusivas omnino abrogare. n. 2155 die 4. Mart. 1662.

Non competit Comiti Domino terrae de Isnello thurificatio per presbyterum pluvialem gestantem. n. 797 die 10. Febr. 1629.

Gubernator et Electi civitatis Isern. thurificentur ab Hebdomadario, cotta induto, non autem a Diacono. (Caer. Ep. lib. I. c. XXIII.) n. 995 die 17. Decb. 1633; n. 1091 die 24. Sept. 1638; n. 2092 die 15. Jan. 1661.

Dux Segobriae . . . priusquam Canonici et Dignitates, thurificetur . . . per Diaconum in Missa, in Vesperis vero per primum presbyterum assistentem, seu alias per eundem, a quo thurificatur Episcopus . . . n. 849 die 16. Febr. 1630.

Duci Segobriae thurificatio ministretur non per Dignitates aut Canonicos, per quos thurificatur Episcopus, sed per presbyterum insignitum et indutum iis Insignibus . . . quae post Canonicalia in Ecclesia Cathedrali honorabiliora habentur. Et tam Dignitates quam Canonici thurificationem per se ipsos ministrare nullo unquam tempore tenentur. n. 2582 ad 2 die 26. Mart. 1672.

Non spectat ad exercentem Officium Presbyteri assistentis apud Episcopum celebrantem vel solemniter assistentem thurificare Praelatum Gubernatorem. n. 3107 ad 1 die 23. Mart. 1686.

Expositum fuit, quod in Ecclesia Cathedrali Civitatis Neapolis prima Dominica Maji cujuslibet anni celebrari solet translatio Sacrarum Reliquiarum Corporis et Sanguinis S. Januarii Patroni ejusdem Civitatis et Regni; et in primis Vesperis generalis cum interventu Cleri Saecularis et Regularis, cum delatione Reliquiae Sanguinis dicti Sancti ab uno ex Canonicis praedictae Cathedralis, ad effectum se uniendi cum Capite ejusdem Sancti, quod asportatur processionaliter de mane ab uno ex sex segibus, ad quem spectat per turnum, ubi se contulit Exmus. Dominus Vice-Rex, Archiepiscopus autem, quando intervenit, accedit pontificaliter et thurificatur post dictas Reliquias a Sacerdote cum Pluviali induto ex illis Ecclesiis, per quas transit dicta Processio. Occurrit in praesenti anno, quod D. Vice-Rex associavit dictam Processionem, et in reditu ad Ecclesiam S. Pauli Ordinis Patrum Theatinorum, collatis dictis Reliquiis in Altari juxta solitum erecto, unus ex dictis Patribus Pluviali amictis thurificavit dictas Sacras Reliquias, et postea cum iisdem indumentis sacris thurificavit D. Vice-Regem. Verum, quia cum talibus indumentis ecclesiassticis non videatur licitum incensare personam saecularem seu laicalem, ideo supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An id licitum fuerit?

Et eadem S. C. respondit:

„Non licuisse; et ad mentem cum Patre Procuratore Generali Ordinis". n. 3086 die 2. Junii 1685.

Ad dubium: An Electi et Gubernator Aversanae possint thurificari a Diacono parato vel ab alio? S. C. resp.: Ad mentem, quae est pro tolerantia. n. 3682 ad 12 die 12. Apr. 1704.

Pro parte Syndaci et Magistratus Civitatis Materanen. exposito, a tempore immemorabili in Missis solemnibus a Diacono, qui alios de Choro thurificat, ipsos thurificari consuevisse, S. R. C. demisse supplicatum fuit, quatenus Archiepiscopo circa thurificationem praedictam, observantiam antiquae consuetudinis benigne demandare dignaretur?

Et S. eadem R. C., Archiepiscopo Materanensi audito, posse permitti respondendum censuit. n. 3683 die 26. Aprilis 1704.

Ad dubium: An sit attendenda,

quatenus adsit, consuetudo etiam longissima, quod per Diaconum paratum inservientem missae solemni et etiam Episcopo celebranti, thurificentur post Magistratum etiam alii ex omni genere personarum sedentes in scamnis inferioribus vel prope vel e conspectu Magistratus? S. C. resp.: *Negative.* n. 3757 die 11. Decs. 1706.

Baroni de Casalibus deberi thurificationem . . . per ministrum cotta indutum. n. 3907 die 2. Apr. 1718.

Nullo modo convenire, ut nec ipse dominus loci nec alius quispiam a Presbytero celebrante thurificetur. n. 495 die 5. Junii 1614.

d) In missa de Requ.

Non convenire sed omnino prohibendum, quod in Missa solemni def. thurificetur Magistratus. n. 1186 die 19. Novb. 1639.

8) Modus.

Vd.: *Aspersio aquae bened.* (modus; decr. n. 4669.)

9) Populi cor. exp. SSmo.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 17. *Incensatio Laicorum.*

10) Reverentia.

Ad dubium: An Beneficiatis prout Canonicis ante et post incensationem sit a thurificante facienda capitis inclinatio? S. C. resp.: *Servari Caeremon. rom.* n. 2082 ad 9 die 20. Novb. 1660; n. 2083 ad 8 die 18. Decb. 1660.

Vd.: *Inclinatio capit. in incens. SSmi.*

11) SS. Sacramenti.

a) Ad Benedictionen.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 23.; *Incensatio SSmi. in process. et elevat.*

Quum non una sit Auctorum sententia nec eadem Ecclesiae praxis quoad incensationem SSmi. Sacramenti, dum Populo cum ipso impertitur benedictio, R. P. Fr. Paschalis a Platea Branculi Sacerdos Ord. Min. de Observantia in Ferrariensi Coenobio Caerem. Magister S. R. C. sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. Num utraque Auctorum sententia, videlicet eorum, qui affirmant, et eorum, qui denegant talem thurificationem adhibendam, tuto teneri possit?

2. Num, quatenus respondeatur in sensu eorum, qui affirmant, incensatio isthaec fieri possit per simplicem Clericum vel per Laicum veste talari et superpelliceo indutum vel absque memoratis indumentis?

3. Quatenus respondeatur in casu denegantium, an usus sive consuetudo incensandi, ubi viget, sit a medio tollendus?

Et S. eadem C. quin quidquam directe propositis Dubiis responderet, rescribendum censuit:

„Servetur Rituale Romanum“. n. 5105 die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: Utrum conveniens sit, quod Caeremoniarius vel Thuriferarius incenset SSmum. Eucharistiae Sacramentum, quum Populo benedictio impertitur, uti fit in Elevatione SSmi. Sacramenti in Missa solemni?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Non praescribi.“.

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5111 ad 9 die 11. Sept. 1847.

b) Capite detecto.

Canonici non possunt SS. Sacra-

mentum cooperto capite thurificare. n. 1596 ad 2 die 20. Junii 1648; n. 1602 ad 1 die 23. Jan. 1649.

Cf.: *Pileolum.*

c) In Elevatione.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 13. 20.; §. XXXI. n. 23.; *Incensatio SSmi. ad benedictionem.*

d) In Expositione.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 11. 19. 20-21.; *Rosarium B. V. M.* (ritus; decr. n. 5112.)

e) Infra Missam.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 8 etc.; §. XXXI. n. 23.

f) In Processione.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 13. 20.; §. XXXI. n. 23; *Incensatio SSmi. ad benediction. cum SSmo.*

g) Processione finita.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XXIV. n. 1—17.

h) In pyxide expositi.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XXXVI. n. 25 etc. *Pyxis* (Expositio); *Rosarium B. V. M.* (ritus; decr. n. 5112.).

Servari debet caeremonia thurificandi SS. Sacramentum inclusum in pyxide, cum defertur pro Viatico infirmis et cum ipso benedicitur populus. S. R. C. 21. Jun. 1738.

i) In Vesperis.

SS. Sacramentum, quod inter Vesperarum Divina peculiari custoditur Sacello, thurificandum est. n. 1597 ad 3 die 5. Sept. 1648.

Vd.: *Altare* (incensatio in Missa).

INCENSUM.

1) Benedictio ad quinque Absolutiones.

Ad dubium: An accedente Episcopo alienae Dioecesis finita missa cum quatuor Dignitatibus seu Canonicis ad castrum doloris pro faciendis absolutionibus incensum pro omnibus absolutionibus sit ab ipso Episcopo tantum benedicendum? S. C. resp.: *Negative,* praeterquam pro ultima, quae spectat ad ipsum Episcopum. n. 3614 ad 6 die 11. Febr. 1702.

2) Benedictio.

a) Modus et Verba.

Ad dubium: An in bened. incensi ad Offertorium, ubi dicitur: per intercessionem b. Michaelis etc., pro *Michaele* reponendum sit *„Gabrielis“*, qui apparuit Zachariae stans ad dexteris altaris incensi? S. C. resp.: *Nihil innovandum* n. 3754 ad 22 die 25. Sept. 1706.

Vd.: *Exaltatio crucis* (conclusio etc. decr. n. 4566.)

Ad dubium: An in impositione thuris debeant proferri verba: *Ab illa benedicaris etc.,* quando imponitur incensum in thuribulo, ut videtur insinuari in rubrica generali, vel dum efformatur signum crucis, ut exequitur in rubrica particulari, in qua crucis effigies invenitur inserta in Verbo: *Benedicaris,* ubi etiam similiter fit in aliis benedictionibus, ubi crux manu describitur illo in verbo, ubi crucis schema extat depictum? S. C. resp.; Serventur rubricae Missalis rom. c. *4. de Introitu n. 4.* et Caer. Ep. l. I. c. 23. §. 1 et 2. Die 18. Decb. 1779 ad 23.

En Verba Caer. Ep.: *Episcopus vero, accepto cochleari, sumit cum eo ter ex navicula thus illudque etiam ter in thuribulum mittit dicens interim: Ab illo bened., in cu-*

jus hon. cremaberis. Quo facto *ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum et illud osculatur, ipse Episcopus format manu dextera signum crucis super thus in thuribulo.*

b) Coram SSmo.

Vd.: *Bened. Incensi cor. SSmo.*; *Episcop. assist.* (bened. SSmi., decr. n. 5221.)

3) Impositio.

a) Episcopi.

Vd.: *Episcopus assist. missae sol.* (incens.); *Episcopus assist. Benedictioni SSmi.; Episcop.* (thuris impos.) *Expos. SSmi. cor. Episcopo.*

b) Modus imponendi cum Ministris.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 17.

c) Thuribulo non fumigante.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XX. n. 13.; §. XXXI. n. 23.

d) Ubi.

Vd.: *Reverendus*; *Episcopus* (non impon. thus etc.)

Consuetudinem, ut Canonici celebrantes vel alias officium peragentes penes sedem et non apud altare thus in thuribulo imponant, ab Ecclesiae Cusentinae praxi revocandam fore. n. 1992 die 19. Julii 1659.

e) Osculum.

Vd.: *Diaconus*; *Episcop. assist.*; *Expositio SSmi. coram Episcopo*; *Osculum.*

Canonici, Praepositus etc. in benedictione incensi manum Episcopi deosculari debent. n. 1602 ad 2 die 23. Jan. 1649.

4) Ad ingress. Episcopi in Ecclesiam.

Cf.: *Aspersorium.*

Jus deferendi naviculam et incensum Episcopo Castelli in actu visitationis et in ingressu Ecclesiarum parochialium et Monialium spectare ad Parochos et Confessarios et non ad Canonicos Convisitatores Cathedralis. n. 2809 die 16. Jan. 1677.

In primo ingressu Januae Terrae Arpini per modernum Episcopum Soranum faciendo spectare ad digniorem eidem incensum dare in ingressu primae Ecclesiae. n. 2948 die 19. Apr. 1681.

5) Quando non adhibetur?

Ad dubium: An in missa conv. absque Diaconis cantata, assistentibus tantum thuriferario et ceroferariis et praesente clero seu communitate, adhiberi possit thus tam in principio missae quam in Evangelio et Offertorio? S. C. resp.: Negative. Die 18. Decb. 1779 ad 21.

Ad dubium: An, quando missa canitur sine ministris, thurificari possit tam altare quam chorus, ut alias fit, quando ministri adsunt? S. C. resp.: Negative. Die 19. August. 1651. *In Urbis.*

Vd.: *Altare* (incens.)

6) Quis porrigit Episcopo assist.?

Cf.: *Assistens Episcopi*; *Diaconus* (ministr. incensum); *Episcopus assist. missae sol.* (Assistentes); *Expositio SSmi. coram Episcopo.*

Ad dubium: An ministrare Naviculam Episcopo ponenti thus in thuribulo in collegiata Ecclesia, in Processionibus, in quibus intervenit Capitulum Cathedralis et Episcopus non assistit in Pontificalibus, spectet ad Digniorem ex Capitulo Cathedralis vel ad Priorem aliumque digniorem ex Capitulo Collegiatae?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:

„Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam".

Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 3877 ad 6 die 11. Maji 1715.

INCLINATIO CAPITIS.

1) Ad incensationem SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 13.; *Incensatio* (reverentia).

2) Infra missam.

Vd.: *S. Joannes B.* (ejus nominat. *in Canone*; decr. n. 4602.); *Reverentia*; *Humiliate capita vestra.*

Debet Sacerdos pronuncians in canone missae nomen alicujus Sancti, de quo factum est Officium vel saltem commemoratio, facere inclinationem capitis. n. 4526 ad 34 die 7. Sept. 1816.

Vd.: *Infra decr. n. 4594 ad XIII.*

Quaeritur: utrum fieri debeat inclinatio capitis in fine psalmi *Lavabo* in missa, idemque fieri in Officio divino sicut praescribitur in principio missae? S. C. resp.: Congruere, ut fert praxis universalis praesertim Urbis. n. 4526 ad 38 die 7. Septemb. 1816.

Idem responsum ad dubium: An fieri debeat inclinatio capitis, cum pronunciatur nomen SS. Trinitatis, sicut fit cum profertur nomen Jesus?

Ibid. ad 40.

Pari forma sequendas esse tum rubricas generales tum particulares Missalis rom. ad caeremonias in inclinationibus et manuum junctione rite peragendas. n. 4153 ad 5 die 21. Mart. 1744.

Ad dubium: An inclinandum sit caput, quando nominantur in Canone Sancti, qui nominantur in Canone, si sint ritus semid. et missa dicitur *de Requ.*, num inclinandum sit caput, quando in canone nominantur dicti Sancti? S. C. resp.: In missis *de Req.* negative. n. 4594 ad XIII. die 12. Apr. 1823.

Nota Gardellini: Missa defunctorum sive ut dicitur *de Req.* nihil habet commune cum Officio diei; ideo si celebretur, dum licet infra octavam alicujus Sancti, qui in Canone habet locum, non est a Sacerdote caput inclinandum, dum ejusdem nomen in Canone occurrit.

Ad dubium: An Sacerdos seipsum signans cum Hostia et Calice consecratis ante sumptionem SSmi. Sacramenti ad verba – Jesu Christi – debeat caput inclinare?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Affirmative juxta Rubricas".

Atque ita rescripsit die 24. Sept. 1842. n. 4950 ad 1.

Ad dubium: Aliqui Rubricistae volunt, quotiescumque Nomen Jesu nominatur in Missa vel dicitur *Gloria Patri* vel acceditur ad medium Altaris vel ab ipso receditur, caput Cruci esse inclinandum: alii sentiunt hujusmodi inclinationes tunc tantum faciendas, quum a Rubrica praescribuntur. Quaeritur: quando hujusmodi inclinatio sit facienda? S. C. resp.: „Serventur Rubricae. n. 4669 ad 28 die 12. Novb. 1831.

3) Ad Nomen B. V. M.

Vd.: *Assumptio B. V. M.* (missa; decr. n. 4985.)

4) Ad nomen SS. Papae.

Ad dubium: An omnes Sacerdotes celebrantes, dum in *Canone* Missae Papam nominant, debeant caput inclinare, prout Rubrica faciendum praescribit, quum in Oratione nominatur?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Affirmative juxta Rubricam".

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 6 die 23. Maji 1846.

5) Ad „Oremus".

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 22.

INDIARUM RITUS.

Vd.: *Ritus* (Ind. Orient.)

INDULGENTIA.

1) Altaris privilegiati.

a) Altare, num fixum vel portat. esse debet?

Vd.: *Indulg. alt.* (Altari conced. etc.)

b) Altari, non lapidi, conceditur.

Exponit humiliter Eminentiae Vestrae Vicarius apostolicus Limburgensis in Neerlandia in suo Vicariatu et in omnibus locis vicinis altaria in Ecclesiis plerumque ita construi, ut fixa et immobilia alicui Sancto dicata, in eodem loco vel in eadem capella remaneant; sed in mensa altaris cavitatem quadratam habeant, in qua lapis consecratus collocatus est, qui, quamvis natura sua portatilis, tamen semper eidem altari fixo impositus permanet.

Stante hac altaris constructione agitatur a Clero quaestio, an, quando cuidam altari determinato Sancto dicato Indultum *altaris privilegiati* ad tempus vel in Perpetuum conceditur, privilegium concessum censeatur *lapidi consecrato*, qui, licet altari fixo destinatus et impositus, tamen, cum sit natura sua portatilis, ad aliud altare fixum transferri eique imponi potest. an vero privilegium censeatur concessum altari immobili in loco determinato constructo et alicui Sancto specialiter dicato, ita ut, si lapis consecratus propter legitimum motivum ab altari fixo amoveatur eique alius lapis consecratus substituatur, tamen *altare fixum privilegiatum* remaneat?

S. C. resp.: *Privilegium altari conceditur, non lapidi, qui unus alteri pro necessitate et opportunitate suffici poterit.*

J. Ph. Card. Fransonius,
Praef. S. C. de Prop. Fide.
Die 15. Decb. 1841.

Attentis his Praemissis interrogatum fuit:

1. An in resolutione de 15. Decb. 1841 per verba: *Altare fixum seu locale* S. C. intellexit altare *fixum*, prout a Scriptoribus de rebus liturgicis definitum est?

2. An Vox: *altare portatile* in eadem resolutione habeat eandem significationem dictorum Scriptorum?

S. C. I. resp.:

Ad 1.: S. Congregationem intellexisse *altare fixum* quidem, quod a loco dimoveri non possit, non tamen cujus superior pars sive mensa sit ex integro lapide vel adeo calce conjuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit; secus enim diruto altari, quod privilegiatum concessum erat ob alicujus Sancti imaginem, post novam constructionem novo indigeret privilegio.

Ad 2.: Intellexisse altare, ut dicitur *viaticum*, quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena, saltem quoad majorem partem, capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur. Die 20. Mart. 1846.

c) Altaris in Ecclesia noviter erecta vel renovata.

Vd.: *Indulg. Eccles.*

d) Altaris a SS. Pontifice consecrati.

Benedictus PP. XIV.

Dilectus filius Emanuel Pereyra Sampajus Militiae Ordinis Jesu-Christi Commendator negotiis Majestatis Tuae (Regis Portug.) apud S. Sedem praepositus saepissimè Nobis declaravit Regale prorsus consilium ac pietatis plenum, excitandi magnificum Sacellum in Ecclesiâ, quae in Civitate istâ Lisbonae Sancto Roccho nuncupata est: Primam totius rei formam cartâ exaratam ac delineatam nostris subjecit oculis, nempe opera sive ex marmore sive ex aere ducenda, aptissimas et elegantes gemmarum conjunctiones, ac tabulas effingendas ex opere concinnè tessellato, quibus omnibus perficiendis peritissimi hujus Urbis Artifices sedulam modò impendunt industriam, et quae Nos ipsi (cum absoluta penitus fuerint) invisuros promisimus, antequam Lisbonam transvehantur. Postremò idem Commendator Sampajus Nobis exposuit, gratissimum fore Majestati Tuae, si, perfecto jam lapide Altaris erigendi in Sacello, quod superiùs innuimus, ad ipsum consecrandum Nos ipsi deveniremus. Itaque cum jucundissimum Nobis sit morem gerere voluntati Majestatis Tuae, quae Dei cultum augere semper expetit et simul nostri Apostolici muneris partibus satisfacere; hinc absque ullâ haesitatione Nos paratissimos ostendimus, ut hujusmodi Consecrationem susciperemus in Ecclesia S. Antonii, quae ad Lusitanos pertinet, die decima quintâ mensis Decembris anni proxime elapsi quo in Templo octiduum B. Mariae Virginis Immaculatae celebrabatur. Quapropter Venerabilem Fratrem Nostrum Vincentium Episcopum Sabinensem S. R. E. Cardinalem Bichium nuncupatum, olim Apostolicae Sedis Nuntium apud Majestatem Tuam designavimus, qui praecedenti vesperà sacras Reliquias exponeret; et re integre peractâ, juxta leges, quae à sacris Ritualibus praescribuntur, Nos posterà die solemni indicto comitatu ad eamdem Ecclesiam S. Antonii venimus eamque splendidè magnificèque ornatam deprehendimus. Cardinales octo nobis advenientibus in Ecclesiae limitibus adfuerunt. *Post haec initium fecimus Consecrationi totius lapidis*, qui in parte ejusdem Templi aptissimè collocatus ante fuerat. Postquam, Deo juvante, finem Consecrationi imposuimus, licèt plurium horarum spatium requireret, eam facultatem Nobis haudquaquam tribuimus, quae à Pontificali conceditur Episcopo consecranti, si debilitatus longo temporis incommodo fuerit, nempe ut alium suo loco substituat, qui sacrum faciat *sed Nos ipsi super consecrato lapide Missae Sacrificium celebravimus.* Ritus ejusmodi pietatem incredibilem ac religionem praesetulit, ad quem, praeter Cardinales, quos jam memoravimus, omnes quoque Principum exterorum Oratores, Praesules et Optimates magnâ frequentiâ convenerunt. Res universa decenter ordinatèque peracta fuit, ob eximiam operam, studium summamque diligentiam, quâ idem Sampajus Majestatis Tuae negotiis apud Sanctam Sedem praepositus maximè praecellit.

§. 1. *Equidem cum Nos ipsi sacraverimus hoc Altare et super ipso Deo operati Sacrum fuerimus, ob hanc causam Pontificium Altare appellandum est, nec ulli licet Sacerdoti ad ipsum accedere, ut Missae Sacrificium peragat, nisi antea facultas nostra intercesserit,* juxta morem et institutum S. R. E., quae Mater et Magistra caeterarum Ecclesiarum habenda est. Id apertè demonstratur exemplo Altarium, quae sunt in Ecclesiis Lateranensi, Vaticanâ aliisque Patriarchalibus hujus Urbis, *in quibus*

Aris solus Romanus Pontifex Sacrum facere potest aut etiam Cardinalis aliquis certis temporibus, factâ tamen priùs à Pontifice potestate, quae per Apostolicum diploma declaratur. Anno 1588 Sixtus V. Decessor noster Sanctum Didacum solemni ritu inter Coelites adnumeravit, ac deinde Philippo Catholico Regi dono missit Altare, ad quod sacrum fecerat, cum ritum ejusmodi Canonizationis perageret; Pontificium illud Altare pronunciavit permisitque Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus Tiarâ insignitis et illis, qui primam Dignitatem in Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus obtinerent, demum Generali Ministro Ordinis Minorum S. Francisci ac Priori in Monasterio S. Laurentii, Sacrificium Missae super eodem Altari conficere diebus Festis Domini, B. V. M, Feria quintâ in Coena Domini, in celebritate Sanctorum omnium ac S. Didaci, uti constat ex ejus Diplomate, quod die 20. Augusti promulgatum fuit eodem anno, quem paulo ante indicavimus.

§. 2. Nos quidem instituta Decessorum nostrorum retinere perpetuo volumus; sed quibusdam gravibus causis adducti paululum declinabimus ab eâ viâ ac ratione, quam illi pro hujus rei exequutione tenuerunt. *Ipsorum sententiae constanter adhaeremus, nemini licere ad Pontificias Aras Sacrum celebrare, nisi priùs Apostolicam facultatem pro re gerendâ consequutus fuerit*; tamen pro eâdem facultate tribuendâ diversum consilium a Decessoribus nostris suscipiemus; *etenim cum Romae diploma Pontificis toties necessariò requiratur, quoties ad Aras hujusmodi Romae existentes Missae Sacrificium indicendum est et eadem facultas solis Cardinalibus conferatur*, nempe cum dies quidam festi peculiares celebrantur, et cum Sixtus dies etiam illos designaverit, quibus liceret sacrum facere super Altari, quod ad Catholicum Hispaniarum Regem Matritum transvehi jusserat; Nos pietate singulari Majestatis Tuae permoti et sperantes etiam ob singularem Dei bonitatem fore, ut reliqui omnes Lusitaniae Reges eâdem pietatis laude commendentur, absque ulla dierum aut Sacerdotum limitatione Majestatem Tuam et Reges Lusitaniae pro tempore futuros constituimus, ut nostro nomine et S. hujus Sedis facultatem impertiant sacrum faciendi ad Altare, quod a Nobis consecratum Lisbonam devehetur; pro certo habentes idipsum negotium tam cautè ac prudenter a Majestate Tuâ pertractandum esse, ut nihil unquam futurum sit, quod rationi parum consentaneum videatur. *Insuper ipsum Altare perpetuò privilegiatum declaramus, quamvis in Ecclesiâ S. Rocchi aliud Altare praeditum simili jam privilegio existat*: Regi autem Lusitaniae pro tempore, item Reginis caeterisque eorum Consanguineis et Affinibus usque ad tertium gradum inclusivè, plenariam Indulgentiam et omnium delictorum remissionem elargimur, quoties Poenitentiae Sacramento expiati et Sacrâ Synaxi refecti ante ipsum Altare preces ad Deum effundent, ut haereses extinguat, Christianos Principes ad concordiam deducat et Sanctam Ecclesiam in altiorem gloriae et dignitatis locum efferat.

Datum Romae die 15. Jan. 1745. (Bull. r. t. XVI. p. 275.)

Benedictus PP. XIV.

V. Fr. Cardinali Antonio Xaverio.

Magnitudo Tuae devotionis ad Nos facit, ut ea, quae ad ipsius Tuae devotionis augmentum cedere possunt, concedamus. Ut igitur Tu in die festo S. Hieronymi c. et e. d., postquam nos in Liberiana Basilica a S.

Sixto PP. III. Praed. N. dedicata Altare Papale olim in ea a S. Paschale PP. I. erectum et consecratum et successive a Clem. PP. III. novo superposito lapide denuo pariter consecratum, nuper vero penitus dirutum et a Nobis restitutum et consecratum, in praefato Papali altari tanquam a Nobis delegatus Missam celebrare possis, Fraternitati tuae *pro hac vice dumtaxat* ipsa die missam ibidem etiam in praesentia Nostra celebrandi tenore praesentium de gratia speciali licentiam concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae die 30. Sept. 1750. (Bull. r. t. XVIII. p. 176).

c) Color Param. in miss. pro lucr. Indulg.

Vd.: *Color Param.* (in miss. de requ.)

Ad dubium: 1) Utrum, qui Privileg. habet personale pro quatuor missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare diebus non impeditis, uti possit indulgentiam plen. pro animabus def. lucrari?

2) Utrum, qui celebrat in altari privileg. pro singulis diebus, debeat semper uti paramentis nigris diebus non impeditis, ut indulgentiam Privilegii consequatur? S. C. J. resp.

Ad 1: Affirmative.
Ad 2: Affirm.
Die 11. Apr. 1840; 10. Sept. 1845.

Ad dubium: Utrum color niger sensu exclusivo debeat intelligi, ita ut indulgentiam altaris privil. non consequatur, qui v. g. ad ministrandam Eucharistiam per modum Sacramenti cum paramentis violaceis missam de Requiem celebrat? S. C. J. resp.: Ut fruatur altari privilegiato sacerdos diebus non impeditis celebrare debet missam def. et uti paramentis nigris vel ex rationabili causa violaceis. Die 16. Febr. 1852.

Ad dubium: an tolleranda consuetudo celebrandi missas def. in paramentis violaceis ad hoc ut possit praeberi .s. communio cum particulis praeconsecratis? S. C. R. resp. Serventur Rubricae. Die 23. Sept. 1837.

Bellicen.

Altare majus Sacelli juris Julii e Baronibus de Serphanion in Castro vulgo de Epirre intra fines Dioec. Bellicen. s. m. Gregorii Papae XVI. quotidiano gaudet Privilegio. Quum autem supponeret ipse Baro quod ad lucrandam Indulgentiam Altaris privilegiati omnino requiratur, ut quilibet Sacerdos in eo celebrans in s. Paramentis adhibere debeat colorem nigrum, uti exigunt Decreta S. R. C., id grave admodum experiri fatetur; ac proinde SSmum. D. N. Pium IX. P. M. enixis precibus rogavit, ut Apost. elargiri dignaretur Indultum, cujus vigore cuicumque Sacerdoti in memorato Altari celebranti liceat uti Vestibus s. coloris Officio diei respondentis, et Plenariam quotidie Indulgentiam lucrari. Hujusmodi preces quum Secretarius infrascriptus retulerit in Ordinariis Comitiis ejusdem S. R. C. ad Quirinale hodierna die habitis, S. ipsa C. respondendum censuit: „Enunciata Decreta intelligenda esse de Missa Defunctorum seu de *Requie*, quae omnino in casu dicenda est, quando a Rubrica permittitur; nam juxta Constitutiones Summorum Pont. Alexandri VII., Clementis IX. et Innocentii IX. Indulgentia Altaris privilegiati in Duplicibus lucratur per celebrationem Missae Officio diei respondentis, et cum colore Paramentorum conveniente cum applicatione Sacrificii.“ Atque ita rescripsit declaravitque. n. 5123 die 22. Julii 1848.

Ad dubium: Utrum Indulgentia pro Defunctis, iis applicari possit in Missis in Altari privilegiato celebratis, quando ex statuto de die aut festo celebratur iis diebus, in quibus habetur Missa de Festo etiam simplici, aut propria de Feria et in Feriis Adventus? Et S. eadem C.... rescribendum censuit: Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum:

„Negative."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4780 ad 5 die 27. Aug. 1836.

Nota Gardellini ac hoc Decretum:

Exponit Illmus. ac Rmus. Episcopus Rhedonensis Praedecessorem suum Barreau de Girac anno 1785, cum novam Missalis editionem in usum Rhedonensis Dioecesis typis mandavit, hanc de Missis Votivis defunctorum privatim celebratis apposuisse clausulam: *In diebus, quibus Missa repetenda foret de Dominica infra hebdomadam, Missa votiva, aut pro Defunctis dici potest; quod tamen passim non fiat, nec sine rationabili causa, quae gravior esse debet, aliis diebus, in quibus habetur Missa de Festo etiam simplici aut propria de Feria et in Feriis Adventus: tunc enim rectius dicitur Missa occurrens, nisi aliter exigat fundationis alicujus tenor expressus.* Haec igitur clausula superiori Dubio facilis admodum solutionis occasionem praebuit; quod propterea paucis solutum videtur.

Praetermitto hic super praedicta clausula aliquid adnotare, quod adnotari certe posset. Dici enim posset, communibus Indultorum de Altaribus sive localiter sive personaliter privilegiatis legibus et conditionibus adversari, per se enim hoc patebit, quin aliquid singulariter adnotem, mitto etiam rationes in clausula ipsa adductas ad examen vocare, cum in ea dicatur graviorem rationem requiri celebrandi Missas et votivas et pro defunctis diebus, quibus occurrit Missa de Dominica repetenda, quam diebus in quibus habetur Missa de Festo simplici aut propria de Feria in Feriis Adventus: haec ratio sponte omnino corruit. At etsi adducta valeat ratio, in oppositum valet, tunc enim major est Missae cum Officio concordatio; quod quidem attendendum est, quodque in altero casu ut plurimum occurrit.

Mitto haec omnia, et directius respondeo. Missae in Altari privilegiato celebrandae ex ipsis conditionibus appositis in concessione debent esse *de Requie,* nisi cum aliud Festum duplex vel Dominicus dies occurrant, tunc enim acquiritur indulgentia etiamsi Missa de Festo celebretur. Perinde est autem sive Altare illud privilegium habeat perpetuum sive ad septennium sive certis tantummodo infra hebdomadam diebus, sive privilegium sit personale... Si igitur Testator vel eleemosynam pro altari privilegiato Fidelis praebens jusserit celebrari Missas certis statutisque hebdomadae diebus ad altare privilegiatum, et in dies istos incidat aliquod Festum etiam duplex, satisfiet Testatoris et Fidelis eleemosynam offerentis voluntati Missam de Festo celebrando. Idem dicendum de diebus, in quibus duplex non occurrit, sed Missae pro Defunctis dici nequeunt, ut in Octiduis Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes. Licet autem in octiduis Corporis Christi, ac Natalis Domini de Festo duplici celebritas agatur; S. tamen R. C. annis 1670 et 1700 vetuit, ne solemnia pro defunctis eo tempore indicerentur. Idem omnino praecipitur, cum Sacrosancta Mysteria palam exposita adorantur. Haec omnia ex Decretis variorum Summorum Pontificum liquent,

quorum postremus est Innocentius XI., qui Decretum super hac re edidit, quod et confirmavit Clemens XI., et haec apud Benedictum XIV. indicata reperiuntur Institutionum 34 §. 26, 27, in quorum primo ait Pontifex: *Juxta Missalis Rubricas Missae privatae pro defunctis quocunque die dici possunt praeterquam in Festis duplicibus et Dominicis diebus, item quibus diebus de Festo duplici nullum Officium institui potest:* et jure, nam si dies excludunt Officium duplex, eo magis excludunt *Missas Votivas* et *de Requie.*

Itaque Missae Altaris privilegiati debent esse *de Requie,* nisi hae nequeant celebrari vel ratione Festi duplicis vel quia vetantur. Ex his omnibus inferendum est, Missas ad lucrandam Indulgentiam pro Defunctis in Altari privilegiato sive *locali* sive *personali* non solum posse sed etiam debere esse *de Requie,* nec ullam causam requiri, ut celebrentur diebus non vetitis sive occurrat de Sancto simplici sive de Feriis Adventus. Dixi *debere,* et de jure; nam eo ipso, quo quis diebus istis non celebret *de Requie,* privilegio vel locali vel personali facto renunciat cum ex lege, ex conditionibus memoratis hisce diebus, ut privilegio gaudeat, Missam *de Requie* celebrare tenetur. Quare clare evincitur diebus in Dubio memoratis et a clausula Episcopi Rhedonensis, hodierni Episcopi praedecessoris exclusis, non modo posse sed et debere Missam *de Requie* celebrari, ne frustraneum Altaris privilegium reddatur.

Quid plura? (et hoc ad omnem removendam praecavendamque dubitationem aliis adductis adjungam) Episcopus Rhedonensis rationem inquirens clausulae a suo Praedecessore Missali adjectae pro celebratione Missarum (quod quidem nescio qui fieri posset) advertit, ideo fortasse fuisse adjectam, quia dari poterat Sacerdotes raro de feria aut de Sancto celebrare, quia in Dioecesi Rhedonensi multo plures dicuntur Missae pro Defunctis, quam pro quacumque alia causa, *ita ut ex centum stipendiis*, nonaginta, *ad minus,* dentur in gratiam defunctorum. Si ita est, jam ratio celebrandi memoratis diebus etiam iis, quos clausula praedicta exclusos vellet, majorem vim accipit. Est igitur ratio potior, cur defunctorum animae suffragio peculiari non priventur, et est potior et gravior ratio, ob quam, cum possit, debeat in altari privilegiato vel personali vel locali celebrari Missa *de Requie.* Et si lex generalis Rubricarum, quas Gallia recepit (recepit autem et eas servandas ostendit, nam et Pontificum et S. R. C. super Rubricis edita appellat) si, inquam, lex generalis talis est, ut memoratis diebus, in quos vel Festum de simplici vel feriale Officium vel Adventus cadit, non solum permittit celebrationem Missae *de Requie,* sed et ad eam obligat, statim ac nullus privilegio gaudet nisi hujusmodi Missas celebret iis diebus; cum insuper particularis cujusdam Episcopi dispositio huic universali praescriptioni opponatur, non illi sed huic standum est, atque idcirco his diebus Missa *de Requie* dicenda est, ut et lex servetur, et ne purgantium animae peculiari piaculo priventur, neve ex hac particulari Episcopi Rhedonensis dispositione et clausula patiantur detrimentum. Si haec non sufficiant, addam et alia, ut hodierno Illmo. Episcopo satis fiat illiusque animus acquiescat. Ecclesia animarum suffragio consuluit et fidelium viventium voluntati. Ne enim illae suffragiis privarentur, voluit, quod, si ex benefactorum praescripto Missae *de Requie* celebrandae incidant in Festum duplex, tunc minime trans-

ferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem benefactorum. Patet id ex Decreto generali *sub die 5. August 1662* in authentica Collectione Decretorum. Idem confirmavit S. R. C. in Elboren; in quo servandum esse hoc generale Decretum statutum fuit. Idem sancitum reperitur sub *Alexandro VII. die 20. Julii 1669.* Idem denique *in Tirasonen die 15. Sept. 1714.* Quare non video cur de hoc possit dubitari. Sive igitur dies inspiciamus, de quibus in Dubio, cui hi dies sint feriales, vel eos, in quos incidit Festum de simplici, tales sunt ut in his non solum possit sed debeat celebrari Missa *de Requie*, sive S. R. C., decreta investigemus, quae permittunt, ut in duplicibus etiam de Festo occurrenti Missa celebretur cum applicatione Sacrificii, juxta benefactorum mentem et in utroque casu provisum sit animarum suffragiis: in primo, servando regulas statutas quoad privilegium Altaris vel locale vel personale et celebrando Missam *de Requie*, in secundo autem permittendo Missam de festo cum applicatione Sacrificii; si, inquam, haec omnia consideremus, clausula praedicta nihil officit. Quare patet, *non comprehendi in citato Decreto diei 15. Sept. 1714, dies vel feriales vel de Festo simplici, itemque opus non esse nova concessione pro applicatione aliis diebus, et dari posse Decretum generale jam datum, quod nuper relatum est.*

f) Estne communicabilis?

Vd.: *Privileg.* (Communic.)

Ad dubium: An privileg. altaris sit communicabile? S. C. I. resp.: Negative. Die 5. Febr. 1748.

g) Confirmatio.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

h) Non derogatur per Jubilaeum neque alias Ecclesiae concessas indulgentias.

Cum Cameracensis Archiep. quaesivisset, quae vis et sententia clausulae: „*Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam ecclesiam qualibet anni die visitantibus alia indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit praesentes litterae nullae sint*"? S. C. Indul. resp.: *Ea minime contineri altaria privil. pro def.*, neque indulgentias aut certo genere personarum concessas aut Confraternitati, Regularibus et Capitulo aut certum pium opus in ipsa ecclesia peragentibus, ut Litanias aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis qui Christiana doctrina erudiuntur vel alios audiunt et qui SSmi. expositioni cum Oratione 40 hh. intersunt, neque Stationem Urbis et 7 altarium Basilicae Vat. concessas, neque demum, quae pro unica vice conceduntur. Caeterum si alia indulg. sive plenaria sive non plen. in perpet. vel ad tempus, tum ab eodem tum ab alio rom. Pontifice generatim Christifidelibus ecclesiam vel aliquod ejus altare seu capellam visitantibus eodem anni die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris ap. mentio, has litteras ad adjectam clausulam esse prorsus irritas ac nullas. Die 23. Junii 1676, approb. SS. D. N. 18. Mart. 1677 et Clem. XI. die 11. Sept. 1716. (Bull. r. t. VIII. p. 445.)

Vd.: *Indulg. infra Jubil.* (Quae non cessat?)

i) In Die Commem. Omn. fid. Def.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

Innocentius PP. XI.

Ut omnes et singulae missae, quae die Commemorationis Omn. fid. def. per quoscunque sacerdotes tam saec. quam reg. cujusvis Ord., Congreg. vel Instituti in *Hispaniarum regnis* ad quaecunque altaria celebrarentur, animabus fid. def., pro quibus celebratae fuissent, perinde suffragarentur, ac si ad altaria privil. pro animabus def. celebratae fuissent, auctoritate ap. indulsimus et alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 15. Martii proxime praeteriti expeditis literis, *quas ad decennium tantum valere voluimus.*

Has gratias precibus humiliter porrectis ipsasque literas cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis ad *reliqua omnia et singula regna status, ditionis et dominio Caroli Regis*, servata tamen in reliquis earundem literarum forma et dispositione, auctoritate praedicta tenore praesentium extendimus et ampliamus ipsasque literas sic extensas perpetuis futuris temporibus valere declaramus.

Non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae 20. Sept. 1679.

(Bull. r. t. XI. p. 270. Ed. Luxbg.)

k) In diebus non imped. est missa de requie necess. ad eam lucrandam.

Vd.: *Indulg. alt.* (Color Param.); *Missa de Requ.* (privata in dupl. ad libit.); *Missa de Requ. privata in dupl.* (vd. *in fine Constitut. PP. Alexandri etc.*)

Missa def. *omnino* dicenda est, quando a rubrica permittitur. S. R. C. 22. Jul 1848.

Ad dubium: An videatur magis consonum dicere missam de festo *singulis diebus* in altari privil., cum in ecclesia Monialium Ord. Cisterc. Monasterii loci Columberio quotidie fieri soleat s. communio, quae in paramentis nigris dari nequit? S. R. C. resp.: Negative. Die 15. Jul. 1769.

l) Dies et octavae, in quibus per missam de festo Indulg. lucrari potest.

Vd.: *Missa de Requ. priv. in duplicib.*, (vd. in fine *Constitutiones PP.*); *Altare privileg.*; *Missa* (in altari etc. praescripto, — decr. Innoc. XII.)

In altari pro certis diebus privilegiato non potest dici missa de Requ. festo dupl. de praecepto. Die 24. Apr. 1627.

Ad dubium: An in octavis solemnioribus et in dupl. possit in altari privil. celebrari missa de requ. pro anima particularis defuncti? S. C. R. resp.: Servandas esse rubricas. Die 24. Maji 1653.

Cum alias S. Mem. Alexander VII. de consilio S. R. C. sub Brevi de dato 22. Jan. 1667 declaraverit, ut in diebus impeditis a festo duplici, quibus missae de Requ. celebrari non possunt, celebrando missas de festo currenti in altaribus privil. quotidianis perpetuis, eadem indulgentia lucretur, ac si missa de Requiem secundum Privilegiorum formam celebraretur: et deinde cum eadem declaratio praecedendo etiam votum ejusd. S. C. a S. M. Clem. IX. alio sub Brevi sub die 23. Sept. 1669 extensa fuerit omnibus altaribus privileg. non perpetuis nec quotidianis, ita ut favendo privilegio suffragetur celebratio missae in illis de festo currenti: Nunc ortum dubium: an supradictae declarationes Alex. VII. et Clem. IX. intelligantur etiam in diebus dominicis et infra octavas Pasch., Pentec. et Corp. Christi? S. R. C. resp.: Supradictas declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas non potest dici missa de requ. Die 3. Apr. 1688.

Ad dubium: An Privilegiatus legendo *de Requiem* in altari privil. die privilegiata, quae occurrit in festo dupl. aut infra octavam festum dupl. excludentem, lucretur indulgentias altari privil. concessas? S. R. C. resp.:

Quoad altaria seu in perpetuum seu ad septennium seu ad aliud brevius vel longius tempus sive pro omnibus sive pro aliquo vel aliquibus hebdomadae diebus privilegiata, in quibus ex obligatione vel ex sola fidelium devotione etiam in dupl. celebrandae sint missae de Requ., per celebrationem missarum de festo currenti cum applicatione sacrificii juxta mentem benefactorum satisfieri dictis obligationibus et suffragari cum iisdem indulgentiis, perinde ac si essent celebratae missae de Requ. ad formam privil. juxta declarationes super his alias editas et approbatas a S. M. Alex. VII. et Clem. IX. Die 24. Julii 1683.

Juxta Constitutiones SS. PP. Alexandri VII., Clem. IX. et Innoc. XI. indulgentia altaris privil. in duplicibus lucratur per celebrationem missae officio diei respondentis et cum colore paramentorum conveniente cum applicatione Sacrificii. S. R. C. 22. Julii 1848.

Limburgen.

Instante Rmo. D. Petro Jos. Blum Episcopo Limburg. S. R. C. die 9. Maji 1857 respondit: attenta inveterata tam ejusdem Dioecesis quam plurium aliarum Germaniae regionum consuetudine rata haberi posse ac etiam in posterum admitti pia quaedam missarum legata ex fundatorum lege coram SS. Sacramento sol. exposito celebrandarum in suffragium unius vel plurium Fidelium def., quamvis ejusmodi missae salva tantum ipsarum applicatione, quae semper fit juxta mentem fundatorum, nunquam ob dictam SSmi. expositionem celebrari possint de Requie, nec iis diebus, quibus aliunde per rubricas liceret. Hoc responso accepto, quum Episcopus Orator incertus haeserit: *An hujusmodi missae pro defunctis applicandae beneficio altaris privil. quoad Indulgentiam plenariam pro Defunctis lucrandam gaudeant?* — pastoralis sui muneris esse duxit opportunam hac de re declarationem a S. R. C. humillimis precibus implorare. S. porro C. in forma Brevis SS. PP. Alex. VII. diei 24. Jan. 1667; Clem. IX. diei 23. Sept. 1669 et Innoc. XI. diei 4. Maji 1688 rescribendum censuit:

Affirmative, dummodo altaria, ubi missae ejusmodi celebrantur, gaudeant privil. ap. pro animabus fidel. def.

Die 14. Aug. 1858.

Relata postmodum quum fuerit per subscriptum Secretarium D. N. Pio PP. IX. S. C. sententia, illam S. S. ratam habere et confirmare dignata est. Die 9. ejusd. mensis et anni.

Missa de semidupl. vel voto vel de feria celebrata in altari privileg., in quo est expos. SS. Sacramentum sive in Ostensorio sive in Ciborio, suffragatur Defunctis ac si de Requiem diceretur. S. C. I. 20. Julii 1751.

m) Ecclesiae Cathedralis, Metrop. et Patriarch.

Benedictus Papa XIII.

Omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium def. animae D. N. J. Chr. ejusque Sanctorum Suffragia meritorum consequi et illis adjutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur *omnes et singulas Patriarch., Metrop. et Cathedr. totius Orbis catholici ecclesias, in quibus*

altare privilegiatum quotid. perpetuum forsan non reperitur concessum, et in eis altare per Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos respective locorum gratiam et communionem Sedis apost. habentes, semel tantum designandum speciali hoc dono illustrare authoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis dei misericordia et B. Petri et Pauli apost., ejus authoritate, ut quandocunque sacerdos aliquis saec. vel reg. missam def. pro anima cujuscunque Christifidelis, quae deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum Suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem D. N. J. Chr. ac B. V. M. Sanctorumque meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 20. Julii 1724.

(Bull. r. t. X. p. 235. Ed. Luxbg.)

n) Ecclesiar. parochial. et aliarum.

Urbis et Orbis.

SS. D. N. Clemens Papa XIII. praevio voto S. C. Indulgentiis et S. Reliqu. praepositae, revocatis omnibus hujusmodi privilegiatis altaribus praecedenter *intuitu paroeciae*, sive in perpetuum sive ad tempus jam concessis, indulsit 19. Maji 1759 *omnibus Ecclesiis paroch. Orbis christ. absque ullo onere Missarum altare privileg. quotidianum ad Septennium*, ea tamen adjecta lege, ut quilibet Episcopus pro sua resp. dioecesi de hujusmodi gratia supplicet. Expleto vero Septennio Sanctitas Sua praecipit omnibus Episcopis, Abbatibus et sede vacante Vicariis Capitularibus sive in Spiritualibus Abbatiarum Administratoribus, ut pro unaquaque suarum dioecesium paroecia supplicent pro confirmatione ejusdem privilegii ad aliud Septennium. Idque fieri jubet sub unico tantum Brevi atque vult hoc unicum Breve suffragari omnibus uniuscujusque Dioecesis Ecclesiis paroch. Ne autem parochi expensis graventur, vetat omnibus tum Episcoporum quam Abbatum Officialibus sub poena nullitatis praefati privilegii, ne quidquam penitus exigant a parochis sive pro ipsis certiorandis sive in expediendis litteris pro designatione altaris privil. in eorum paroeciis. Praeterea ne hujusmodi privilegio fraudentur aliae Ecclesiae pollentes speciali praerogativa, veluti Colleg. et Abbatiales nullius et parochiales a se dependentes, S. S. pari benevolentia, modo supra indicato, hoc idem privilegium mox enunciatis Ecclesiis communicatum voluit.

Cum ex veteri more et laudabili Ecclesiae Instituto **die 2. Novbr. Omn. Def. memoria** recoli eorumque animae ab universis Christifidelibus orationibus, eleemosynis aliisque piis operibus et ecclesiae suffragiis, potissimum vero acceptabili SS. missae Sacrificio juvari soleant, SS. D. N. Clem. P. XIII. ex paterna sua charitate erga omnes fideles tam vivos quam defunctos, animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia et charitate Dei, nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis, decesserunt, de inexhausto cath. ecclesiae thesauro abundantius suffragari quam maxime cupiens, ut celerius a Purgatorii poenis liberatae ad aeter. gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio VV. S. R. E. Card. Indulgentiis et s. Reliquiis praepositorum universali hoc decreto perpetuis futuris temporibus valituro benigne concedit, *ut Missa die praedicta Commem. fid. def. a quocunque sacerdote saec. vel reg. cujuslibet Ord. et **Instituti** celebranda gaudeat privilegio, ac si esset in al-*

tari privileg. celebrata, decernendo tamen, ut nonnisi consuetam eleemosynam unusquisque Sacerdos pro dicta missa licet privilegiata accipiat et in ea tantum quantitate, quae a synod. constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit. Quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae 19. Maji 1761.

Vd.: *Indulg. alt.* (initium).

o) Effectus.

Ad dub. Episcopi S. Flori in Gallia: Utrum per indulgentiam altari privil. annexam intelligenda sit indulg. plenaria animam statim liberans ab omnibus purgatorii poenis, an vero tantum Indulgentiae quaedam secundum divinae misericordiae beneplacitum applicandae? S. C. J. resp.: Per Indulg. altari priv. annexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet. Die 28. Jul. 1840.

p) Episcopus concedens indulg. alt. priv.

Vd.: *Indulg. alt. priv.* (Ad Septennium); *Indulg. alt.* (Eccles. paroch.; initium); *Indulg.* (initium.)

q) In Expos. SSmi. Orat. 40 hh. et in aliis Expositionibus a Dom. Quinquag. usque ad fer. III.

Vd.: *Instr. Clem.* §, XXXIII. n. 9 etc.

r) Initium.

Vd.: *Indulg.* (initium); *Indulg. alt.* (ad Septenn.)

Dum Episcopis conceditur per apost. Breve facultas semel designandi in qualibet ex paroch. atque subsidiariis seu filialibus ecclesiis, in quibus ad populi commodum parochialia munera exercentur, unum dumtaxat altare ad septennium proximum tantum privilegio ap. decoratum pro animabus Christifidelium a purgatorii poenis liberandis, dubitatur: an haece facultas ita intelligenda est, ut Episcopi ea utentes designare valeant altare decoratum Indulgentia non pro toto Septennio, sed pro tempore imputando a die concessionis Episcopis factae, ex. gr. ad quinquennium, triennium, biennium? Sunt et alii, qui putant, Episcopos in hoc casu gaudere facultate designandi altare ad Septennium semel, ita ut Episcopis facta sit potestas ditare altare Indulgentia ad Septennium completum proximum a die designationis Episcopi computandum, modo unica vice hacce facultate utantur vi ejusdem Brevis. S. C. J. resp.: Episcopus Orator facultatem obtinuit semel per se ipsum in qualibet ex paroch. et Colleg. Ecclesiis suae Dioecesis unum dumtaxat altare ad septennium proximum privilegio ap. decoratum declarare, ita ut haec facultas, *quoad Episcopum Oratorem* perduraverit, usque dum in unaquaque ex praefatis Ecclesiis unum altare tali privilegio ditatum designaverit; *quoad vero altare*, simili indulto decoratum, erit per Septennium proximum incipiendum a die respectivae designationis uniuscujusque altaris ac proinde absoluto septennio, pro altaribus designatis, etiamsi in caeteris ecclesiis nondum ea declaraverit, recurrendum erit ad S. ap. Sedem pro talium facultatum prorogatione. Die 30. August 1847.

Clemens PP. XI.

Ad dubium: An attentis verbis, quae in Brevibus indulgentiarum apponi solent *„praesentibus ad Septen.*

tantum valituris" Septennii initium a die publicationis Brevis desumendum sit? S. C. resp.: Non a Die publicationis sed a die datae Brevis Septennii tempus incipere. Die 18. Maji 1711. (Bull. r. t. VIII. p. 442.)

s) Infra Jubilaeum non cedit.

In omnibus indulgentiis tam plenariis quam particularibus ad Septennium concessis debet computari et continuari Septennium a die dati Brevis apost., etiamsi infra dictum Septennium annus sanctus occurrat, in quo omnes indulgentiae *pro vivis* suspenduntur. *Bened. XIII. die 9. Februar 1725.*

Cf.: *Ind. alt.* (non derog. etc.); *Indulg.* (Infra Jubilaeum etc.)

t) Perpetua.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. Cath. etc.)

u) Personale Privileg.

I. In die Commem. Omn. fid. Def.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par.)

II. Quoties et quomodo utendum?

Sacerdos, qui gaudet privil. altaris personalis, si sit aggregatus alicui Congregationi, quae etiam dicto privilegio gaudet, potest adhuc frui alio privilegio, licet aliunde jam habeat per tres aut quatuor vices in hebdomada tale privilegium, dummodo in Indultis aliter expresse non disponatur. S. C. J. die 27. Maji 1839.

Cajus Sacerdos habens privileg. personale altaris privilegiati bis aut ter in hebdomada, accepto Stipendio pro missa celebrando in altari privilegiato, ex praetextu personalis privilegii ejusdem altaris privilegiati celebrat in altari non privilegiato. Quaeritur: an bene se gerat et utrum oneri suscepto satisfaciat? S. C. J. resp.: Affirmative. Die 15. Mart. 1852.

Vd.: *Indulg. altar.* (Color param.)

Benedictus PP. XIV.

Canonicis Capituli Ecclesiae Veronensis, in perpetuum indulgemus, ut SS. missae Sacrificium, quod ad quodcunque altare bis in hebdomada quilibet eorum pro animabus Christifidel., quae Deo in charitate conjunctae ex vita migraverint, celebraverit, perinde iisdem suffragetur, ac si ad altare fuisset celebratum.

Datum Romae die 19. Jan. 1748. (Bull. r. t. XVIII. p. 315 §. 4.)

v) Quando perit?

Vd.: *Indulg. alt.* (quando reviviscat?, initium); *Indulg. Orat.*

w) Quando reviviscit?

Vd.: *Indulg. Altaris* (Quando perit); *Indulg. Eccles.* (Renov.; decr. de 13. Sept. 1723); *Indulg. Orat.*

Ad dubium: 1. Utrum diruto altari privil. privilegium non pereat, sed, reaedificato altari sub eodem titulo, reviscat?

2. Quid si praefatum altare non eodem sed in diverso Ecclesiae loco denuo erigatur, licet sub eodem titulo? S. C. Indulg. resp.:

Ad 1.: Affirmative, ut in die 24. Apr. 1842;

Ad 2.: Affirmative, ut in die 9. Aug. 1842.

Romae 30. Aug. 1847.

Ad dubium: 1. Utrum privileg. reviviscat, si *Ecclesia* funditus destructa sit et deinceps in *eodem* loco reaedificata altare olim privil. sub eodem titulo denuo erigatur?

2. Quid tandem, si Ecclesia *non in eodem loco*, sed *alibi* reaedificatur?

S. C. J. resp.:

Ad 1.: Affirmative (ut in die 9. Aug. 1842).

Ad 2.: Negative, ut in die 9. Aug. 1842.

Die 30. Aug. 1847.

Episcopus exponit, quod altare majus Ecclesiae paroch. B. privilegiatum in perpetuum declaratum fuit; cum vero idem altare marmoreum hodie constructum sit, supponitur quod privilegium peremptum sit: supplicatur hinc pro opportuna declaratione. S. C. J. resp.: Dummodo altare sit iterum sub eodem titulo constructum, non omisisse privilegium ab ap. Sede concessum. Die 21. Apr. 1843.

A Paulo V. privilegiata declarantur per Breve altaria SS. Andreae et Silveriae. Cum vero Ecclesia renovata, destructa fuerint altaria et nova facta, petitur confirmatio Privilegii Pauli V. S. C. J. resp.: Confirmatione non indigere. Die 13. Sept. 1723.

In Cathedrali Murana erat altare privilegiatum perpetuum concessum a Gregorio XIII; verum anno 1694 ea per terrae motum passa fuerit, altare fuit *alibi in eadem ecclesia et sub eodem titulo* B. V. M. noviter exstructum. Quaeritur: An nihilominus gaudeat privilegio? S. C. J. resp.: Affirmative. Die 13. Sept. 1713.

x) Quotidiana.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. Cathedr. etc.); *Ind. alt.* (Eccles. paroch.)

y) Ad Septennium.

Episcopus T. acceperat Breve pro Facultate erigendi seu declarandi ad septennium proximum unum altare privileg. in qualibet Ecclesia suae Dioecesis. S. C. J.: interrogata de interpretatione hujus Brevis respondit: Haec facultas quoad *Episcopum oratorem* perduraverit, usquedum in unaquaque ex praef. Ecclesiis unum altare tali privilegio ditatum designaverit; quoad vero *altare* simili indulto decoratum, erit per septennium proximum, incipiendum a die respectivae designationis uniuscujusque altaris. Die 23. Sept. 1741.

Vd.: *Indulg. alt.* (Ecclesiae paroch.); *Indulg.* (initium); *Ind. alt.* (initium).

z) Taxa.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

aa) Titulus.

Vd.: *Altare* (titul.); *Indulg. alt.* (quando reviv.)

2) Authentica.

Ut Indulgentia aliqua possit haberi pro authentica, sufficit etiam copia authentica, quam ex originali sumptam ésse constat. S. C. Ind. die 23. Febr. 1711.

3) Communio et Confessio.

Vd.: *Communio* (pro Indulg. lucr.)

4) Concionatoris.

Ad dubium: Quando sermo post Evangel. sit habendus, legitur in Caerem. lib. I. c. 27. n. 3.: Concionatori indulgentias petenti, Episcopus concedit Indulgentias consuetas. Quibus verbis eas concedere debet?

S. C. resp.: Satis est, ut dicat numerum dierum. n. 4669 ad 13 die 12. Novb. 1831.

5) Confraternitatis.

Vd.: *Indulg. Oratorii*; *Indulg. Ecclesiae* (nov. erectae); *Confratern.* (erectio et confirm.; *decr. Urbis et Orbis*); *Indulg.* (Ad Sepulturam etc); *Ind. Papae.*

6) Pro Defunctis.

Vd.: *Indulg.* (in die Commem. etc.) *Haec indulg. non derogatur per Jubilaeum*, vd.: *Indulg. infra Jubil.* (Quae non cessat?)

7) Derogatio.

Vd.: *Indulg. alt.* (Non derogatur etc.)

8) In Die Commem. Omn. fid. def.

Innocentius PP. XI.

Nos precibus humiliter porrectis omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus in *Regnis Hispaniarum* degentibus vere poenitentibus et confessis ac s. Commun. refectis qui *paroch. suam ecclesiam* die Commem. fid. def. a I. Vesp. usque ad occasum solis ejusdem diei inclusive annis singulis devote visitassent et ibi pro Christ. principum concordia, haeresum extirpatione et s. matris Ecclesiae exaltatione preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam animabus fidelium def., quae deo in charitate conjunctae ab hac luce migrassent, per modum suffragii applicare possent, in Domino concedimus *ad decennium* tantum.

Noviter autem porrectis precibus has gratias ad decennium concessas ipsasque literas cum omnibus et singulis in eis contentis ad *reliqua omnia et singula regna, status, ditiones et dominia Caroli Regis,* servata tamen in reliquis earumdem literarum forma, dispositione et auctoritate praedicta tenore praesentium extendimus ipsasque literas sic extensas perpetuis futuris temporibus valere declaramus.

Datum Romae 20. Sept. 1679.

(Bull. r. t. XI. p. 270.)

9) Ecclesiae.

a) Noviter erectae.

Vd.: *Indulg. Oratorii*; *Ind. alt.* (quando reviviscat?) *Indulg.* (in visit. Eccle.)

Ad dubium: 1. An cesset indulg. ss. Rosarii vel aliae indulgentiae, si nova Ecclesia aedificetur fere in loco, ubi vetus existebat?

2. An cesset indulg., si Ecclesia nova aedificetur in coemeterio, non in loco veteris ecclesiae?

3. An cesset indulg., si nova Ecclesia aedificetur in alio loco et non in coemeterio veteris ecclesiae? S. C. I. resp.:

Ad 1.: Negative, dummodo sub eodem titulo aedificetur.

Ad 2.: Affirmative.

Ad 3.: Affirmative. Die 9. August. 1843.

Ad dubium: An privil. reviviscat, si Ecclesia funditus destructa sit et deinceps ea in *eodem* loco reaedificata, altare olim privilegiatum *sub eodem titulo* denuo erigatur? S. C. I. resp.: Affirmative. Die 9. Aug. 1842.

Quid tantem, si ecclesia *non in eodem loco* sed alibi reaedificetur? S. C. I. resp.: Negative. Die 30. Aug. 1847.

b) Renovatae.

1. Clemens IX. 3. Julii 1668 per Breve concessit Romae *Ecclesiae* S. Andreae Camald. indulg. plenariam in festo s. Andreae et s. Gregorii et in Dedicatione et per octavam def. in perpetuum, applicandam pro defunctis.

2. Concessum est a Clem. VIII. privileg. perpetuum ad *altare* per Card. Solviati constructum.

3. A Paulo V. pro privileg. declarantur per Breve *altaria* s. Andreae et s. Silveriae.

Cum vero, Ecclesia *renovata,* destructa fuerint altaria et nova facta, petitur:

1. Confirmatio indulgentiae concessae a Clem. IX.,

2. Confirmatio privilegii concessi a Clem. VIII.,

3. Confirmatio privil. conc. a Paulo V.

S. C. I. resp. ad 1—3 incl.: Non indigere confirmatione. Die 13. Sept. 1723.

10) Episcopi.

(Publicatio.)

Vd.: *Assistens Episcopi*; *Ind. Papae.*

Quando Episcopus missae sol. *assistit*, sedet, dum vel per Sermocinatorem vel Celebrantem Indulgentia publicatur. n. 2707 ad 3 die 4. Aug. 1674.

Dignitas coram Episcopo *celebrans* tenetur publicare Indulgentias. (Caer. Lib. I. c. XXV.) n. 650 ad 2 die 18. Julii 1626.

Episcopus tantum in sede assistens missae sol. populo benedicit et Indulgentiam publicare facit. n. 5004 ad 2. 6. die 7. Decb. 1844.

Si Episcopus solemniter *celebrat*, *stare* debet cum mitra, dum per Assistentem publicatur Indulgentia (Caer. Lib. I. c. XXV.); si vero *assistit* missae sol., *sedere* debet cum mitra, dum per Sermocinatorem vel Celebrantem in fine Missae publicatur Indulgentia. n. 2707 ad 3 die 4. Aug. 1674. *Ind. inf. Jub.* (quae non cessat?)

11) Episcopi Administr.

Episcopus Administrator amovibilis Ecclesiae vacantis concedere non potest indulgentiam 40 dierum sine speciali facultate apostolica. n. 3952 ad 3 die 22. Aug. 1722. Vd.: *Indulg. Papae* (decr. de 1659.)

12) Pro Exercitantibus.

Alexander PP. VII.

Nos, qui probe scimus, quantopere conducant exercitia hujusmodi dirigendis in viam Dom. et confirmandis in illa christifidelium mentibus devotionem eorum, qui operi adeo pio et salutari vacaverint, coelestium ecclesiae thesaurorum elargitione magis incitare volentes de misericordia dei omnibus et singulis Christifidelibus *tam Societatis Jesu aut cujuscunque alterius Ord. et Congreg. Regularibus quam aliis quibuslibet ecclesiasticis et laicis,* qui in *domibus Societatis Jesu* exercitia per Octiduum juxta laudabilem ejusdem Societatis consuetudinem quandocunque peregerint et interea temporis vere poenitentes et confessi SS. Sacram. sumserint, quoties id egerint, plenariam omn. peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in domino concedimus.

Praesentibus in perpetuum valituris. Datum in Arce Gandulphi Alban. dioec. die 12. Oct. 1657.

Eadem conçessio indulgentiae plenar. facta est ab eodem Alexdr. VII. FF. Regularis Observantiae s. Francisci ac Reformationis Cismontanae familiae exercitiis spiritualibus per octiduum vacantibus.

Romae 11. Jun. 1659.

Innocentius PP. XI.

Nos singulis tam fratribus quam Monialibus *Ord. Praedicatorum,* qui per *quadraginta dies* piis exercitiis semel quotannis dederint, qua vice id gerint, easdem Indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quas fel. rec. Paulus PP. V. Praedec. noster fratr. et monialibus praedictis et aliorum ordinum, qui per decem dies spirit. exercitiis incumbunt, concessit, tenore praesentium in Domino concedimus.

Datum Romae 16. Jun. 1689.

Vd.: *Indulg.* (Regularium n. VIII.) *Habitus Clericor.* (epist. Bened. XIV.)

13) In Expos. SSmi. 40 hh.

Vd.: *Instructio Clem.* §. X. n. 2.; §. XXXIII. n. 5 etc.

Si Expositio SS. Sacramenti non sit continua die ac nocte, admoneri debet populus, non lucrifieri indulgentias pro Oratione 40 hh. concessas. S. C. Ep. 5. Apr. 1647.

Non derogatur per Indulg. Ecclesiae alias concessas. Vd.: *Indulg. alt.* (Non derog.); *neque per Jubilaeum derogatur,* Vd : *Indulg. infra Jubil.* (quae non cess.) — Vd.: *Bull. r. t.* XV. p. 116.; *Indulg.* (in visit. eccles.)

14) In aliis expositionibus SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 10 etc., §. XXXIII. n. 9.

15) Falsae.

Indulgentias annorum mille et ultra tamquam apocryphas et falsas esse rejiciendas (Bened. XIV. de syn. dioec. lib. XIII. c. 18. n. 18.) S. C. C. 7. Mart. 1678.

16) Pro feriis sextis in orat. ad pulsand. campanas in memor. Agonis Christi.

Vd.: *Campanae pulsandae in fer. sextis etc.*

Benedictus PP. XIV.

Ad Passionis et Agoniae Redemptoris N. memoriam in omnium Christifidel. animis excitandam atque fovendam coelestibus ecclesiae thesauris omnibus et singulis Christifid., qui singulis feriis 6. totius anni hora tertia post meridiem ad sonum Campanae Ecclesiarum Metrop., Cath. et Paroch. *flexis genibus* quinquies orationem dominic. et toties Salutat. angel. devote recitaverint et oraverint ac pro christ. principum concordia etc. . . . nec non salutari perditorum hominum emendatione preces effuderint, *centum dies* de debitis poenitentiis relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae die 23. Decb. 1740. (Bull. r. t. XVI. p. 17. Ed. Luxbg.)

17) Festo annexa et Translatio.

Translato festo, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia. n. 2903 ad 7 die 30. Sept. 1679; 30. Decb. 1639.

Cf.: *Fest. S. Nominis B. V. M. Vd. Infra Decret. Urbis et Orbis de die 9. Aug. 1852*; *S. Franciscus Xav.* (Indulg.)

Si festum s. Benedicti transferatur post Pascha, Indulgentiae concessae non transferuntur. n. 3222 ad 3 die 10. Junii 1690; n. 3637 ad 3 die 9. Decb. 1702.

In Constitut. Innocentii XI. permittitur, ut translato festo s. Benedicti *transferatur etiam indulg. plenaria* eo die concessa visitantibus aliquam sui Ord. ecclesiam. Die 26. Septemb. 1679. (Bull. r. t. XI. p. 271.)

Ad dubium: An translato festo Annunciationis B. V. M. intelligatur etiam translata Indulgentia Ecclesiis B. V. M. Annunciatae dicatis pro die festo concessa? S. C. resp: Supplicandum SSmo. pro declaratione vel pro concessione translationis Indulgentiae. n. 3590 ad 1 die 11. Junii 1701.

Ad dubium: Si transferendum sit Officium Patrocinii B. M. V., quaeritur: Utrum simul transferatur plenaria Indulgentia concessa Fidelibus, qui Missae conventuali Festi Patrocinii intersunt: an vero eam lucrari possint, qui intersunt in ipsa Dominica secunda Missae conventuali S. Severi?

S eadem C. respondit:

„Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam“.

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4442 ad 6 die 11. Septemb. 1790.

Cum quoddam Breve ap. festivitates SS. Patronorum cujusque loci in dominicas cum Officio et missa transferri praecipiat, in iisque fixam eorum sedem assignet; quaeritur: utrum in-

telligi debeat de translatione eorum etiam cum Indulg. ante aliquot solum annos a Sede ap. ad decennium pro die cadenti obtentis, an vero nova Indulgentiarum indulta procuranda sint? S. C. resp.: Affirm. ad primam part.; negat. ad secundam. Die 11. Sept. 1790 in Gnesnen. ad 12.

Ad dubium: An simul cum festo Patroni principal. in diem dominicam translato transferantur simul omnes solemnitates, concessiones, privilegia, indulta, indulgentiae, prohibitiones missarum in Oratoriis privatis eidem festo adnexae? S. C. Affirmative, quia dominica, in qua festum erit perpetuo fixum, perinde habenda est ac si esset dies propria. n. 4553 ad 5 die 18. Octob. 1818.

Cf.: *S. Antonius de Pad.* decr. n. 4554

In Constitut. Clem. XI. die 31. Julii 1717 conceditur transl. Indulgentiae pl. perp. in festo s. Scholasticae in diem translati festi pro Congr. Monachorum Bursfeldensium in Germania. (Bull. r. t. XII. p. 578.)

Rubricae particul. novi Brev. Seraphici n. 109 vi decreti de 30. Sept. 1679 praescribunt, quod, translato festo, pro quo concessa est Indulgentia, minime transferatur ipsa Indulgentia: quaeritur propterea: an haec dispositio valeat etiam pro festis perpetuo translatis, num vero pro iis festis tantum, quae in uno vel altero anno contingunt transferri?

S. C. resp.: Quoad perpetuitatem translationis negative sine speciali concessione; quoad Indulgentias non transferri translato Officio sed exorandus SSmus. pro concessione. n. 3787 ad 2 die 16. Junii 1708.

Ad dubium: Festis ss. Francisci Solani, Didaci C., Rosae Viterb. in Panormit. Dioecesi concessa est Indulgentia; an attenta eorum perpetua translatione transferri etiam possit Indulgentia? ut multi praetendunt virtute Const. Leonis X. *Exposuit* sub 23. Julii 1518, in qua prope finem habentur haec verba: „Ac volumus, ut quoties dictar. festivitatum et octavarum earundem celebrationes qualibet ex causa etiam extra tempus transferantur, etiam Indulgentiae dictas Ecclesias in festivitatibus hujusmodi et per earum octavas visitantibus pro tempore concessae ad tempus celebrationis hujusmodi sint et censeantur translatae.“ S. C. resp. Translato festo unice quoad Officium non transfertur Indulgentia tali festo concessa. n. 4122 ad 2 die 16. Sept. 1741.

Quum aliquoties occurrat in hac Dioec. Cadicen. translatio Officii Patrocinii B. M. V., quaeritur: utrum simul transferatur Indulgentia Plenaria concessa Fidelibus, qui Missae Convent. Festi Patrocinii intersunt: an vero eam lucrari possint, qui intersunt in ipsa Dom. II. Nov. Missae Convent. diei Octav. Festi omn. SS., vel etiam lucrari possint si celebretur alia Missa solemnis de Festo Patrocinii B. M. V. post decantatam Missam Convent. illius diei?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Supplicandum in casu pro translatione Indulgentiae“. n. 5013 ad 1 die 14. Junii 1845.

Decretum Urbis et Orbis ex Audientia Sanctissimi.

Die 9. Aug. 1852.

Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit in fidelium utilitatem atque earum usum christiano populo maxime salutarem esse affirmet S. Trid. Synodus (Sess. 26. decr. de indulg.), congruum omnino videtur omne studium impendere, ut indulgentias, quae occasione dierum festorum vel concessae jam sunt vel concedentur, fideles facilius lucrari possint, eoque magis cum in-

gens populi christiani concursus ad ea festa celebranda conveniat. Jam vero cum, hac nostra praesertim aetate, maxime ob eccleśt. Conventiones ab ap. Sede cum exteris nationibus initas, festorum legitimae translationes occurrant et generatim cum per hujusmodi translationes ex justis causis, debitis tamen cum facultatibus factas, (licet etiam pro sola externi cultus celebratione quin et una simul Officium cum Missa transferatur) fidelium devotio excitetur ad laudandum Dominum in Sanctis ejus, hinc fidelium pietati fovendae atque animarum saluti quam maxime interest, ut etiam indulgentiae his festis adnexae transferantur.

Quamvis autem alias tum a S. R. C. Indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita quaesitum fuerit: utrum in translat. festorum etiam translatae intelligantur adnexae indulgentiae, et vel negativa intercesserit responsio vel in singulis casibus recurrendum esse ad hanc S. C. sancitum esset, nec unquam generali decreto publice evulgato usquedum huic translationi indulgentiarum provisum fuerit; attamen EE. PP. in general. comitiis hujus S. C., attentis actualibus temporum hujusmodi et peculiaribus locorum et ecclesiarum fidelium circumstantiis, atque etiam die 16. Febr. currentis anni, pro concessione generali translationis indulgentiarum occasione translationis festorum, supplicandum SSmo. unanimiter censuerunt. SSmus. itaque D. N. Pius PP. IX., audita de his omnibus relatione per me infrascriptum Secretariae ejusdem S. C. Substitutum in Audientia diei 9. Aug. 1852 facta, benigne mandavit, *ut omnes indulgentiae, quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt ac in posterum concedentur vel quae pro iisdem festis aliquibus Ecclesiis et publicis Oratoriis pariter concessae fuerunt et in posterum concedentur vel etiam, si libuerit, de consensu Ordinarii, illac concessae in s. supplicationibus aut in Novendialibus vel Septenariis sive Triduanis precibus, ante vel post festum vel ejus Octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die, quo festa hujusmodi vel quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem (non tamen quoad Off. et Missam) in aliquibus locis vel ecclesiis publicisque Oratoriis sive in perpetuum sive aliqua occasione, sive ad tempus eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum Officium cum missa, non autem Solemnitas et exterior celebratio festi indulgentiarum, nullam fieri translationem decrevit.*

Hanc autem apost. benignitatis Concessionem Eadem S. S., quibuscunque in contrarium non obstantibus ac perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione valituram, per hoc S. C. decretum typis impressum publicari voluit, dummodo caeterae omnes aliae conditiones in particularibus vel generalibus concessionibus praedictarum indulgentiarum pro iis adipiscendis praescriptae omnino serventur.

Datum Romae Ex Secret. S. C. Indulgentiar.

F. Card. Asquinius, Praef.

Alois. Archiep. Prinzivalli, Subst.

Vd.: *Ind. Orator.*

18) In festo et per Octavam ss. Corp. Chr.

Urbanus PP. IV.

Nos Christifidelibus ad colendum tantum festum ss. Corp. Chr. et celebrandum omnibus vere poenitentibus et confessis, qui *matutinali* officio festi ejusdem in Ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, *centum;* qui vero *missae*, *totidem*; qui autem *in I. resp.* interfuerint, similiter *centum*,

qui vero *in II., totidem*; qui *Primae, Tertiae, Sextae, Nonae* ac *Completorio* interfuerint, pro *qualibet horarum quadraginta*; qui vero *per octavas matutinalibus, vespertinis, Missae ac praedictarum horarum officiis* interfuerint, *centum dies, singulis octavarum ipsarum diebus* de injunctis sibi poenitentiis relaxamus.

Datum Romae anno 1262.

(Bull. r. t. I. p. 121.)

Martinus PP. V.

Nos singulis vere poenitentibus et confessis, *qui et quoties* in ipsius SS. Sacramenti professo *jejunium* vel loco illius *aliud pium opus* juxta consilia confessorum fecerint, *centum,* et qui praemissa in ecclesiis, quibus illa celebrari non contigerit, officiis interfuerint, necnon Episcopis et aliis Praelatis superioribus, qui dictis officiis libenter interessent, sed quominus eis in ipsis ecclesiis interesse possint pro conservandis suarum dignitatum juribus et alias legitime impeditis, pro *matutinali, ducentos*, et pro *missae officiis, totidem*, ac pro *qualibet vesperarum etiam ducentos*, reliquarum vero, videlicet: *Primae, Tert., Sext., Non. et Completorio, octuaginta.* Rursus autem in *quibuslibet octavarum diebus pro singulis matutinarum missarum et vesperarum*, similiter *centum*, necnon *reliquarum hh., quadraginta.* Illi praeterea, qui *processiones*, in quibus ipsum vivicum SSmum *dicto festo* defertur, *continuo* secuti fuerint, a *quibuslibet* in *festo et octavarum diebus* hujusmodi pro pace et tranquillitate ecclesiae *missas devote celebrantibus pro singulis ipsarum*, necnon aliis in *eodem festo SSmum. devote sumentibus, etiam centum singulis annis* de injunctis eis poenitentiis relaxamus.

Datum Romae die 26. Maji 1429.

(Bull. r. t. I. p. 308.)

Vd.: *Constitutio Eugenii IV. die 26. Maji 1433* in Bull. rom. t. I. p. 323; *Constitutio Pauli III. die 30. Novb. 1539* (*ibid.* p. 733.)

19) Pro fidelibus singulis hebdom. communicantibus.

Fideles, qui sing. hebdomad. confiteri solent, lucrari possunt omnes (excepto Jubilaeo) indulgentias inter praedictum tempus occurrentes, neque oportet, ut absolutio sacramentalis detur cum intentione ad indulgentiarum dona lucrandi.

S. C. I. 15. Decb. 1841.

Vd.: *Commun.* (pro Indulg. lucrandis, decr. die 30. Aug. 1847.)

20) Imaginis.

Ad dubium: In aliquibus multisque Altaribus Deo, Beatae Virgini Mariae aut alicui Sancto dicatis apponi solent vel stabiliter vel occasione festorum Imagines alterius Sancti. Quaeritur 1: an Visitantes hujusmodi Altaria lucrari possint Indulgentias concessas visitantibus Altaria postremi hujus Sancti? Quaeritur 2: an ratione harum Imaginum in eorum Festis addi possit *Credo* in Missa? Quaeritur 3: an in eorum Festis celebrari queat Missa de his Sanctis, etiamsi in Calendario Dioecesano non sint descripti, sed considerentur ut Simplices? S. C. resp.: „Circa quaestionem primam: si Altaria sint consecrata, negative; secus affirmative, dummodo fiat de licentia Ordinarii. Circa quaestionem secundam, negative, Circa quaestionem tertiam, negative.“. n. 4669 ad 56 die 12. Novb. 1851.

Indulg. Imaginum cessant temp. Jubilaei, vd.: *Indulgent.* (infra Jubil. (quae cessat? decr. Innocent. X.)

Indulgentias non esse concedendas in posterum nisi imaginibus Sanc-

torum descriptorum in Martyrologio et Canonizatis. n. 2704 die 16. Junii 1674.

21) Infirmor. habitualiter.

(Quomodo ab iis lucranda?)

Urbis et Orbis.

Est hoc in more positum, quod ab animarum pastoribus SS. Sacramentum in aliquibus tantum infra annum praecipuis festivitatibus *ad fideles habitualiter infirmos,* chronicos, ob physicum permanens aliquod impedimentum et domo egredi impotentes sol. deferatur, proindeque hujusmodi fideles tot plenariis indulgentiis privantur, quas consequerentur si conditionibus injunctis adimpletis ad SS. eucharisticam mensem frequentius possent accedere. Itaque quamplures animarum Curatores aliique permulti ecclesiastici Viri humillimas preces porrexerunt SS. D. N. Pio IX. PP., ut de ap. benignitate super hoc providere dignaretur; factaque per me infrascriptum Secr. S. C. I. Substitutum Eidem SSmo. de his omnibus fideli ratione in audientia habita 18. Sept. 1862, S. S. spirituali gregis sibi crediti utilitati prospiciens clementer indulsit, ut praefati Christifideles, exceptis tamen illis, qui in communitate morantur, acquirere possent omnes et singulas indulg. plen. jam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit s. Communio et visitatio alicujus ecclesiae vel oratorii publici in locis iisdem, dummodo vere poenitentes confessi ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae injunctae fuerint, loco s. communionis et visitationis alia pia opera a resp. Confessario injungenda fideliter adimpleant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obst. in contr. facientibus quibuscunque.

Dat. Romae ex Secr. S. C. I. et Rel. die 18. Sept. 1862.

F. Card. Asquinius *Praef.*; A. Prinzivalli *Substitutus.*

22) Initium.

Vd.: *Indulg. altaris* (Ad Septenn.) *Ind. alt.* (initium).

Ad dubium: An attentis verbis, quae in Brevibus indulg. apponi solent: „praesentibus ad septennium tantum valituris“ Septennii initium a die publicationis Brevis desumendum sit? S. C. I. resp.: Non a die publicationis sed a die datae Brevis Septennii tempus incipere. Die 18. Maji 1711.

Tempus non a die datae Brevis sed a die praesentationis Brevis Ordinariis esse computandum in regionibus remotis tantum. S. C. I. 4. Febr. 1736.

23) Infra Jubilaeum.

a) Quae cessat?

Vd.: *Indulg. alt.* (infra Jubil.); *Ind.* (pro fidel. sing.)

Urbanus Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ob sacri Jubilaei celebrationem a vigilia Nativ. D. N. anni proxime venturi inchoandam et usque ad finem ejusdem anni duraturam omnes et singulas Indulgentias etiam perpetuas et peccatorum remissiones quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus et locis aliis piis saecularibus et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet concessas de ap. potestatis plenitudine suspendimus et suspensas esse declaramus easque eodem anno durante nulli prodesse aut suffragari debere decrevimus, prout in nostris ut plumbo desuper expe-

ditis literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Dat. Romae apud s. Mariam Maj. sub annulo Pisc. die 21. Jul. 1624 Pontif. Nostri Anno primo.

Innocentius PP. X.

(Suspensio quarunque Indulg. durante anno universalis Jubilaei 1650.)

Omnes et singulas indulgentias etiam perpetuas et peccatorum remissiones ac facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Sedi ap. reservatis, etiam in literis Coena Dom. legi solitis contentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam s. Joann. Hierosol., domibus, militiis, Ordinibus etiam Mendicantium, congregat., confraternitatibus, etiam laicorum, universitatibus et piis locis illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus tam saecul. quam quorumvis etiam mendicantium ord. regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus et numismatibus ex metallo seu quacunque alia materia confectis, tam singulariter quam universaliter per quoscunque rom. PP. ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum et aliorum Principum aut ipsis etiam Imperatori, Regibus . . . vel aliis quacunque alia mundana vel eccles. Dignitate etiam speciali nota digna fulgentibus, etiam ad instar Jubilaei aut alias quomodocunque et ex quibusvis causis et occasionibus sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio et ex certa scientia ac alias quomodolibet concessas, quorum omnium tenores, formas, derogationes et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus ap. auctoritate de ap. potestatis plenitudine suspendimus et suspensas esse declaramus easque et ea, eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere. Irritum quoque ac inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca per praesentes auctoritate ap. praecipimus et mandamus, ne interim aliae quam indictae a Nobis praedicti Jubilaei indulgentiae sive publice sive privatim quovis praetextu, ubivis locorum et gentium sub excommunicationis eo ipso incurrendae aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis poenis publicentur vel nuncientur aut in usum demandentur.

Datum Romae ap. s. Mariam Maj. pridie Nonas Maji 1649.

Suspensionem Indulgentiarum ejusdem tenoris *tempore Jubilaei 1600 peracti,* vd.: Bullam Clem. VIII. de die 21. Maji 1599. (Bull. r. t. III. p. 82). *Eandem Suspens. pro Jubilaeo 1625 peracto,* vd.: Bullam Urbani VIII. die 2. Maji 1624 (Ibid. tom. IV. p. 48); *Pro Jubilaeo 1675 peracto,* vd.: Bull. Clem. X. III. Non. Maji 1674. (Ibid. t. XI. p. 95). *Pro Jubilaeo 1725* vd.: *Bullam Bened. XIII.* die 6. Juli 1724 (Ibid. t. XIII. p. 107.). Vd.: *Indulg. de Portiunc.* (temp. Jubilaei.)

Eandem suspensionem cum appendice: . . . „*tam plenarias quam non plenarias indulg. . . . et indultum relaxandi censuras, commutandi vota aut dispensandi super irregularitatibus et impedimentis suspensas declaramus*“ — vd.: *in Edicto Bened. XIV.* pro Jubilaeo 1750 die 17. Maji 1749 edito (Bull. r. t. XVIII. p. 77). Easdem Indulg., quas Bened. XIV., *etiam Leo XII.* suspensas declarat per Breve de die 30. Jun. 1824 (Collectio General. Archid. Monaco — Fris. I. 112).

b) Quae non cessat?

Benedictus PP. XIII.

Nos nuper sub generali suspensione Indulgentiarum (pro Jubilaeo 1725)

nec Indulgentias altarium privil. pro fid. def., nec alias quascunque eodem modo pro solis ipsis Defunctis concessas venire, sed *quas Vivi* sibi lucrari possunt cum facultate illas per modum suffragii animabus eorumdem fidel def. in purgatorio existentibus applicandi *suspensas esse, minusque indulgentias concessas in articulo mortis* in facultate illas aliis communicandi cessare, *neque a S. R. E. Cardinalium de Latere Legatis et ap. Sedis Nunciis ac Episcopis in Usu seu Exercitio Pontificalium aut in impertienda Benedictione aliave forma consueta concedi solitas, sicuti etiam perdurare facultates Tribunalis Officii Inquisitionis adversus haeret. pravitatem, auctoritate ap. instituti, ejusque Officialium Missionariorum quoque et Ministrorum, qui ab eodem tribunali seu Congreg. S. R. E. CC. negotiis propagandae fidei proposita vel alias a Sede praedicta ad id deputati fuerint et praesertim facultates absolvendi ab haeresi illos,* qui abjuratis eorum erroribus capaces ejusmodi absolutionibus redduntur; *insuper indulgentias ab Innoc. XI. et XII. concessas fidelibus, qui SSmum. ad Infirmos devote comitati fuissent aut legitimo impedimento detenti personaliter comitari nequissent, sed tamen lumen seu facem per alios ea occasione deferrendum misissent,* prout etiam a Nobis 14. Sept. 1724 *) per literas emanatas *mane aut meridie seu vespere ad pulsum Campanae flexis genibus Salut. angel. recitantibus concessas* — sub praefata suspensione indulgentiarum **) minime comprehendi auctoritate ap. declaramus.

Praeterea omnibus et singulis Christifidelibus *ubicunque extra Urbem degentibus confessis ac s. communione refectis, vel saltem vere contritis et cum firmo proposito confitendi, qui in Ecclesiis, ubi Oratio 40 hh. durante praesenti anno (1725) Jubilaei indicta fuerit, devote eo temporis spatio, quod illis commodum fuerit, oraverint,* toties, quoties id egerint, *7 annos et totidem quadragenas* de injunctis eis poenitentiis relaxamus, prout eidem Orationi 40 hh. in Ecclesiis Urbis institutae interessentibus concessimus.

Non obstantibus suspensione hujusmodi caeteriisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae 2. Mart. 1725.

(Bull. r. t. XIII. p. 143.)

*) Vd. *Indulg.* (Salutat. angel.)

**) Vd. *Indulg. infr. Jubil.* (Quae cessat?) Bull. r. t. XIII. p. 107.

Benedictus PP. XIII.

Nunc animarum defunctorum refrigerio per amplius consulere cupientes ac declarationem diei 2. Mart. 1725 a Nobis editam extendentes, *omnibus et singulis Christifidelibus, quod quascunque Indulgentias et peccatorum remissiones, ut praefertur, suspensas (injuncta tamen in illarum concessionibus pietatis opera peragendo, ac firma remanente pro vivis earum suspensione) ad effectum illas animabus fidel. def.,* quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, *per modum suffragii hoc anno (1725) Jubilaei durante directe applicandi, etiamsi eas sic applicandi facultas in concessionibus praedictis concessa non fuerit, consequi libere et licite possint et valeant,* in omnibus et per omnia perinde ac si suspensio non emanasset, tenore praesentium concedimus. Non obstantibus . . .

Datum Romae 28. Apr. 1725.

(Bull. r. t. XIII. p. 156.)

Indulgentiae, quae in dictis duobus decretis Bened. XIII. a suspens. indulg. tempor. dicti Jubilaei excipie-

bantur, etiam tempore Jubilaei 1750 per Benedictum XIV. omnes excipiebantur in Bulla de die 17. Maji 1749. (Ibid. t. XVIII. p. 77.)

Easdem Indulgentias non suspensas declarat Leo PP. XII. pro Jubilaeo 1825 Die duodecimo Cal. Jul. 1824. (Collectio Gener. Archid. Monaco-Frising. I. 112.)

Vd.: *Indulg. alt.* (non derog.)

24) Monasteriorum Ecclesiarum.

Indulgentiae ecclesiis *respectu Monasteriorum nunc extinctorum* concessae una cum Monasteriis interierunt. S. C. I. die 10. Febr. 1818.

25) Monialium.

Vd.: *Moniales* (Indulg.)

26) Pro Orationem mentalem docentibus et addiscentibus.

Vd.: *Oratio mentalis.*

27) Oratorii.

Vd.: *Indulg. alt.* (quando reviviscat?); *Indulg. Eccles.* (novit. erectae.)

Tuderti destructo Oratorio Sodalitatis S. Mariae Gratiarum, illud in alio loco reaedificatum est. Quaeritur:

1) An indulgentiae perseverent in nova Ecclesia?

2) An et quae de novo concedendae?

S. C. I. resp. ad 1. et 2.: Gratia translationis indulgentiarum pro confratribus tantum. Die 16. Febr. 1732.

Extabat in Ecclesia loci dicti Hermignies, Dioecesis Tornacensis, Confraternitas sub invocatione S. Ghisleni erecta, quae a S. M. Clem. XII. variis Indulgentiis et privileg. ornata fuit. Cum vero dicta ecclesia funditus demolita in alio loco reaedificata fuerit, pro parte devotorum Confratrum humiliter supplicatur, quatenus S. S. indulgentias et privilegia sibi impriori Ecclesia concessa, in nova nunc Ecclesia impertiri dignetur.

In S. Congr. J. habita in palatio apost. Quirinali, die 16. Febr. 1739 proposito dubio: An translata sodalitate intelligantur etiam translatae indulgentiae?

S. C. resp.: Affirmative. Die 8. Mart. 1845.

28) Papae.

(Publicatio.)

Ad dubium: An Fratres Minor. in in suis Ecclesiis et Fratres et Sorores saeculares 3. Ord. s. Francisci in suis Capellis promereri possint Indulgentias a Summo Pontifice non pro ipsis tantum sed pro omnibus generatim et indistincte concessas et quibusdam diebus in istis Ecclesiis vel Capellis assignatas, *licet non visae sint ab Episcopo?* Et si hoc daretur, an in istis casibus titulus harum Indulgentiarum possit iis diebus, quibus assignatae sunt, exponi publice, non extra sed intra has Ecclesias vel Capellas? S. C. resp.: Negative, sed Indulgentias esse legitime publicandas ad formam Concilii. n. 3751 ad 10 die 18. Sept. 1706.

Tempus dimetiendum est a die dati non vero publicati Brevis. S. C. I. 23. Aug. 1711.

Indulgentias impertiri vel publicare non debent praelati inferiores absque expresso S. Sedis Indulto. S. R. C. 27. Septemb. 1659 in decr. gen. cor. Alex. VII. ad 12.

29) Plenaria pro Moribundis.

Vd.: *Bened. cum Indulgent. plenaria pro Morib.*

a) Facultas.

Benedictus PP. XIV.

Pia Mater Catholica Ecclesia, de aeterna Filiorum suorum salute in

primis sollicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam praetermisit omnibus eos subsidiis pro hujusmodi temporis necessitate opportunis juvare atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad aeterna praecavenda supplicia, quam quae apta et salubria forent ad evitandas poenas temporibus definitivas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpae aeternaeque poenae reatu, in Purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licèt ex veteri simul et recenti Ecclesiae disciplina graviorum quorumdam criminum absolutio Romano dumtaxat Pontifici in universo Christiano Orbe, aliorum autem singulis Ecclesiarum Praesulibus in eorum Dioecesibus reservata fuerit; attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die omnes hujusmodi absolutionum reservationes cessare et cuilibet Sacerdoti liberam et plenam facultatem esse, quemcumque poenitentem a quibuscumque peccatis et criminibus necnon Ecclesiasticis sententiis atque censuris absolvendi, providè declaratum fuit. Praeterea quum in Ecclesia immensus et inaestimabilis existat Thesaurus spiritualis ex infinitis constans satisfactionibus Passionis et mortis Domini Nostri Jesu Christi, ac praeterea ex meritis et satisfactionibus gloriosae Virginis Genitricis Dei Mariae omniumque Sanctorum et Electorum, cujus Thesauri dispensationem Salvator Noster Beato Petro Apostolorum Principi ejusque in perpetuum Successoribus tradidit; hoc semper summo studio curarunt Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos Fideles largè diffunderent et maxima omnium amplitudine, quae Indulgentia Plenaria nuncupatur, cujusque impertiendae jus in Apostolica Sede unicè residet, ipsis potissimum applicarent: quam quidem in rem Episcopis per Ecclesias constitutis vices suas cum opportunis facultatibus delegarunt, ne ullus in Orbe Terrarum angulus esset, ubi Catholicae Religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia deesset pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur. Hactenus hujusmodi facultas Episcopis concedi consuevit Pontificis nomine et auctoritate per privatas Epistolas ipsius Secretarii Brevium secretorum, qui expositâ Pontifici petitione pro parte cujusque Episcopi et pro spirituali utilitate ipsius Subditorum ad se delatâ rescribere solebat, petitam facultatem ab ipso Pontifice eidem indulgeri *ad Triennium proximum, hac tamen lege, ut ipse eâ uteretur, nimirum Benedictionem impertiret ut Indulgentiam Plenariam aegrotis in mortis articulo constitutis largiretur per se ipsum immediatè vel, quatenùs Episcopum suffraganeum haberet, per Dominum Suffraganeum suum, nec, nisi necessitate cogente et quidem nocturno tempore, alium Sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset; ubi verò praecisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat, idem permittit, ut alicui Sacerdoti pio, per Dominationem Vestram qualibet vice eligendo etc. communicare valeat.* Quo verò ad Moniales, Ordinarii earum Confessarii operâ in eum finem uterentur. Hanc porrò facultatem, prout in hujusmodi Literis concedebatur, Ecclesiarum Pastores jamdudum judicarunt angustis nimium limitibus circumscriptam; non solùm ob breve Triennii spatium ipsi praefinitum; verùm etiam, quia propter relatas leges circa illius usum praescriptas, ab hujusmodi Indulgentiae Plenariae beneficio excludi videbant plerosque fideles sibi subjectos, prae-

sertim verò eos, quos extra ipsorum Residentiae locum et in remotis Dioecesum regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt instantiae Vicariorum Capitularium et Vicariorum Apostolicorum sicut etiam Praelatorum inferiorum Territorium separatum habentium cum activa in Clerum et Populum jurisdictione, qui eandem facultatem Episcopis concedi solitam sibi quoque tribui postularunt: Quibus de rebus actum fuit die XXII. Novembris MDCCX. in Congregatione S. R. E. Cardinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositâ, cujus Consultoris Officium in minoribus tunc constituti obtinebamus; sed nihil tunc temporis est innovatum resque in priori statu relicta fuit.

Cum verò deinceps alterum quoque munus Secretarii Congregationis Decretorum Concilii Tridentini interpretis Nobis in minoribus pariter degentibus demandatum fuisset, instante Episcopo Mazariae tunc existente duo Dubia eidem Congregationi definienda proposuimus, unum videlicet: *an stante dispositione praemissarum Epistolarum Secretarii Brevium, ut scilicet Episcopus pro impertienda Monialibus Benedictione et Indulgentia Plenaria eisdem in articulo mortis applicanda earum Confessarii operâ uteretur, licitum sit Episcopo Monasterii Claustra ingredi, ut hujusmodi pium opus per se ipsum adimpleat?* alterum vero: *quatenùs id Episcopo permittatur, an et a quibus comitatus Monasterium ingredi debeat?* Super quibus, perpenso folio a Nobis pro hujusmodi quaestionum elucidatione de more exarato, die X. Maji anni MDCCXXVII., *responsum fuit ad primum:* Licere Episcopo, quoties voluerit, ad impertiendam Benedictionem Moniali in mortis articulo constitutae Monasterium intrare. *Ad secundum:* Episcopo ad hunc effectum intra Monasterii septa se conferenti comites esse debere Confessarium ordinarium ipsius Monasterii aliumque Sacerdotem ipsius Episcopi arbitrio eligendum. Rescripto autem additum fuit: Et ad Dominum Secretarium cum Eminentissimo Secretario Brevium; quibus nimirum verbis Nobis demandatum fuit, ut cum bonae memoriae Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium secretorum Praedecessoris Nostri Benedicti Papae XIII. Secretario, ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis Epistolis contentarum, quarum formulam a Nobis in Folio tunc eidem Congregationi, ut praefertur, exhibito, integrè insertam, ipsa Congregatio paulò arctioribus conclusam limitibus judicavit.

Neque porrò omisimus injunctum Nobis onus agendi cum praefato Cardinali Brevium Secretario quamprimum implere; verùm quum paulò post ab eodem Benedicto Praedecessore in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptati ad regendam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam Nos contulerimus, ex quà biennio post ad Metropolitanam Bononiensem translati fuimus, non licuit Nobis negotium istud ad optatum finem perducere. Interim verò quum non minùs pro Anconitano quàm pro Bononiensi Populo hujusmodi facultam Indulgentiae Plenariae moribundis Fidelibus impertiendae ab Apostolica Sede, ut par erat, expetitam, juxta consuetam formam ac superiùs enunciatis limitibus circumscriptam obtinuissemus, ipso statim usu et propria experientia in eas incidimus difficultates, quae et anno MDCCX., ut praefertur, in Congregatione Sacris Reliquiis et Indulgentiis praeposita a Nobis tanquam Consultore praepositae fuerant; quaeque deinceps anno MDCCXXVII. alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a Nobis etiam, pro Secretarii

munere, expositae causam dederunt memoratae consultationi cum Secretario Brevium introducendae. Etenim tum in Anconitanae tum verò in amplioris Bononiensis Ecclesiae regimine animadvertimus, ob interdictam Nobis hujusmodi facultatis subdelegationem omnes plerumque Dioecesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio summis suis temporibus orbatos manere et quidem cum irrepparabili damno, deficientibus per Dioecesim Collegiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus a felicis recordationis Praedecessore Nostro Alexandro Papa VII. per Literas die XV. Januarii anni MDCLVI. datas et perpetuò valituras indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis Benedictionem cum Indulgentia Plenaria impertiri valeant, nec aliis extantibus Coenobiis Regularium, quibus, pro Confratribus piarum quarumdam Societatum ab eorum Ordinibus institutarum, similia Indulta et Privilegia ab Apostolica Sede concessa fuerunt. Quod verò spectat ad Incolas ipsius Civitatis, si quidem haec, ut Bononia est, frequenti Populo sit referta, quum facultas substituendi non aliter in praef.ta Epistola tribuatur, quàm in casu praecisae necessitatis cum nocturno tempore conjuncta, cum magno animi Nostri dolore experti sumus Paternae hujusmodi charitatis actus erga dilectos in Christo Filios nostros non eâ assiduitate, qua cupiebamus, per Nos ipsos praestari posse. Nam praeterquamquod necesse habebamus nonnullis per annum mensibus a Civitate abesse, ut juxta praescriptum Sacrae Tridentin. Synodi, si non totam saltem aliquam illius amplae Dioecesis partem singulis annis coram invisendo, corrigendo, docendo et Sacramentum Confirmationis visitatis plebibus ministrando lustraremus; jam in ipsa Civitate degentes nullam ferè diurni temporis horam vel a Divinis rebus vel a Pastoralis Officii occupationibus vacuam habebamus, dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium postulationibus, nunc Ministrorum relationibus, nunc Congregationum consultationibus operam dare oportebat; recurrentibus autem Ordinationum temporibus vel evenientibus Ecclesiarum Parochialium vacationibus aut cessantibus Confessariorum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnisi temporibus definitas, iisdem concedere consuevimus, Examina atque Concursus sine Nobis haberi non permittebamus. Et sanè, si quis Episcopalis vitae conditiones, ut verè se habent, considerare velit, facilè agnoscet, majorum Civitatum Episcopos ferè redactos esse ad hujusmodi Benedictionis et Indulgentiae beneficium aliquibus dumtaxat Personis, vel genere vel aliis qualitatibus conspicuis, et quidem instantibus et postulantibus, exhibendum; pauperibus autem et humilioribus, ob praeclusam sibi extra necessitatis et noctis tempora, subdelegandi facultatem vix unquam succurrere posse.

Quod si satis momenti et auctoritatis haberet sententia a nonnemine proposita, Plenariam scilicet Indulgentiam in mortis articulo concedendam non esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam merita extitissent; eâ nimirum de causa, quod quum pro hujusmodi Indulgentiae consequutione vel nullum omninò opus injungi vel nonnisi morientis statui et viribus accommodatum imponi possit, praeterita dumtaxat in Ecclesiam merita, cum extrema praesenti necessitate conjuncta locum supplere possint aliorum operum, quae caeteroquin ad Plenariam Indulgentiam adipiscendam praescribi solent; nihil profectò esset, cur aliquid nunc a Nobis innovando statueretur. Verùm Praedecessorum nostro-

rum hac in re agendi ratio relatae opinioni contraria dignoscitur. Ut enim multas praetereamus concessiones Indulgentiae Plenariae morientibus fidelibus indistinctè applicandae, quaenam porrò et quam magna in Ecclesiam promerita fuisse dicemus eorum, qui quatuor ab hinc saeculis pestifera lue per Angliam grassante ex hac vita decedebant? quibus tamen omnibus, dummodo sacramentaliter confessi et sacra Communione refecti fuissent, Praedecessores Nostri Clemens Papa VI. et Gregorius Papa XI. Benedictionem cum Indulgentia Plenariâ per Legatos suos impertiri non recusarunt. Sed et ipsa Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita jam usque ab anno MDCLXXV. die XIII. Aprilis re diligenter perpensâ censuit, Indulgentiae Plenariae largitionem in eos etiam, qui singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excellerent, recte et utiliter conferri atque diffundi.

Quapropter Apostolicae charitatis nostrae viscera dilatantes et tam veteribus quam recentioribus Ecclesiasticae benignitatis exemplis inhaerentes, siquidem extat illustre monumentum tertii Ecclesiae saeculi in Epistola S. Cypriani, quae in novis Editionibus impressa est numero XII.; quâ scilicet in eorum gratiam, qui Libellos Martyrum obtinuerant et in mortis periculo versabantur; quum ipse aestivis ardoribus praepediretur, quòminus, ut optaverat, ad eos reconciliandos sese conferre posset, permittit ut id, vice sua, a quocumque Presbytero aut etiam Diacono, praestari queat. Novissimis verò temporibus ex secunda Mediolanensi Provinciali Synodo constat, a felicis recordationis Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII. omnibus Episcopis illius Provinciae concessum fuisse, non solùm ut ipsi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria moribundis Fidelibus impertiri, sed etiam, ut aliis hujusmodi facultatem liberè subdelegare possent. His igitur aliisque exemplis nec non rationibus superiùs relatis permoti hac Nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione novas in hac materia regulas praefinire, quodque olim, ut praemisimus, de alterius sententia deliberandum Nobis fuerat, nunc demum de concessa Nobis Apostolicae potestatis plenitudine absolvere ac perficere constituimus.

Itaque primùm volumus atque decernimus, ut quae facultates impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis, VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis nunc existentibus a Nobis vel a Praedecessoribus Nostris ad hunc diem concessae reperiuntur, licet illae in consuetis Epistolis Secretarii Brevium ad Triennium dumtaxat vel alias ad definitum tempus indultae fuerint, nihilominus praesentis nostrae Constitutionis vigore eò usque in suo robore maneant, quoad iidem Antistites earum Ecclesiarum atque Dioecesum regimen obtinebunt, quarum favore et intuitu easdem facultates a Nobis et ab Apostolica Sede impetrarunt. *Nos enim eas ad omne tempus hujusmodi* motu proprio et auctoritate praefata atque earumdem praesentium Literarum serie *extendimus et prorogamus.*

Utque praeterea unusquisque ex Antistibus praefatis unum aut plures pios Sacerdotes sives Saeculares sive Regulares, prout necessarium fore judicabunt, *in eorum Civitatibus subdelegare valeant, qui,* dum ipse Antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis hujusmodi impedimentum diurno tempore occurat, *eorum vice Benedictionem hujusmodi cum Indulgentiae Plenariae applicatione Christifidelibus in praefato*

articulo constitutis impertiantur; aliosque similiter per Dioecesim Saeculares aut Regulares Sacerdotes, quotquot pro numero animarum in Dioecesibus existentium necessarios judicaverint, *ad praedictum effectum deputare et subdelegare possint;* nec non eosdem a se delegatos et subdelegatos removere aliosque in eorum locum pro suo arbitrio et prudentia subrogare valeant, iisdem motu, potestate et tenore concedimus et indulgemus.

Si verò aliquem ex Antistibus nunc per Ecclesias constitutis et praefatâ facultate gaudentibus ad aliarum Ecclesiarum regimen Apostolica auctoritate transferri contingat; sive aliquis eorum sit, quorum favore consuetae Literae Secretarii Brevium ad hunc diem expeditae non fuerint, ac denique quum novi Episcopi Catholicis Gregibus in posterum praeficientur, volumus atque statuimus, *ut singulis eorum hujusmodi facultatem a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice postulantibus Apostolicae Literae in forma Brevis gratis per omnia expediantur*, quibus praedicta facultas ipsis *concedatur non ad Triennium, sed omne tempus*, quo adeptum semel Ecclesiae regimen obtinebunt; *adjecta etiam facultate subdelegandi tam pro Civitate quam pro Dioecesi*, non quidem in casu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore conjuncti *sed in omnibus et per omnia ad normam eorum,* quae pro Episcopis nunc existentibus et Indultu hujusmodi actu gaudentibus supra statuimus.

Insuper pro Praelatis Inferioribus Territorium separatum habentibus, cum vera qualitate Nullius et activâ in Clerum et Populum jurisdictione, quamvis Praedecessores Nostri hanc de praeterito consuetudinem non habuerint, nihilominus de Apostolica liberalitate ac simili motu et tenore *concedimus et indulgemus, ut, si ab ipsis hujusmodi facultas petita* fuerit, similes Literae in forma Brevis in posterum *singulis eorum expediantur,* juxta eandem formam mutatis mutandis quàm pro Episcopis constituimus; *ne exceptâ quidem facultate subdelegandi,* ut suprâ; *dummodo ipsi Praelati hanc gratiam postulantes* Apostolicis Literis nostris Anno Incarnationis Dominicae MDCCXL. nono Kalend. Decembris datis, quarum initium est: *Quod sancta*, impressis in Bullario *nostro Tom. I. n.* 7., obtemperaverint, *nimirum sacra Apostolorum Limina praescriptis temporibus visitaverint et relationem status Ecclesiarum sibi subjectarum Apostolicae Sedi exhibuerint; vel quatenus Praelationis honorem de novo accipiant, debitum juramentum in memorata Constitutione praescriptum antea praestiterint.*

Dum autem hujusmodi facultatem Episcopis eam actu obtinentibus prorogavimus et ampliavimus, ut praefertur, caeteris verò tam Episcopis quàm Praelatis Inferioribus in posterum eam petentibus supradicta formâ et amplitudine concedendam fore decrevimus; *sequitur, ut hujusmodi Indulta nequaquam morte concedentis expirent*; quum jurisdictio delegata in iis, quae non justitiam sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat. Quoniam verò iisdem Episcopis et Praelatis permittimus, ut hujusmodi facultatem pro Incolarum Civitatum, Locorum atque Dioecesum opportunitate et necessitate uni vel pluribus Sacerdotibus in posterum subdelegare valeant, statuimus atque decernimus, *hujusmodi subdelegationes per subdelegantis cessum aut decessum similiter non expirare, sed potestatem ipsis tributam perseverare usque ad superventum novi Praesulis, cujus arbitrio relinquimus, eosdem in*

hujusmodi officio confirmare vel ab eo removere. Atque ita quicumque Antistes memoratam facultatem à Romano Pontifice semel obtinuerit, *eo decedente opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicae Cathedrae Successorem recurrere. Sicque etiam cedente vel decedente Episcopo seu Praelato,* a quo eadem facultas in sua Dioecesi aut Territorio subdelegata fuerat, *nova concessione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium aut Apostolicorum regimine*; quum Subdelegatorum auctoritas supermanere debeat, *quamdiu vel Episcopus ipse aut Praelatus vel illius Successor eandem ipsis non ademerit.*

Hac igitur ratione animarum saluti consulentes, quantum Nobis in Domino licuit, piam consuetudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indulgentiam Ecclesiae Filiis in mortis articulo constitutis ampliare et faciliorem reddere curavimus. Permissâque Venerabilibus Fratribus ac Dilectis Filiis, Ecclesiarum Episcopis et Praesulibus, facultate alios Sacerdotes ad hunc effectum tam in Civitatibus quàm in Dioecesibus subdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus et sollicitudinibus per Nos allatum esse putamus. Verumtamen ipsis declaratum volumus, non id propositum Nobis fuisse, ut eos prorsùs eximeremus ab hoc paternae charitatis officio, per se ipsos adeundi miseros aegrotos Plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos; sed ut eorum pietatem opportunè juvaremus, ne, dum ipsi aliis Pastoralibus curis detinentur, dolere debeant, commissos sibi Fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare. Qui verò pium hujusmodi opus per semetipsos exercere gaudent (quod sanè omnes, quoties legitimè impediti non fuerint, facturos esse confidimus) meminerint, non id dumtaxat erga nobiliores et potentes hujus saeculi, sed erga pauperes quoque et abjectae sortis homines praestandum esse. Qua de re utiliter legi poterit Praedecessoris Nostri S. Gregorii Magni Homilia XXVIII. in *Evangelia ad Cap. IV. Joannis: Erat quidam Regulus, cujus Filius infirmabatur Capharnaum*, in qua mirabilem atque coelestem observat amantissimi Redemptoris Nostri Jesu Christi agendi rationem, qui ad invisendum aegrotantem Reguli filium invitatus ire abnuit, ad Centurionis Servum nec invitatus iturum se profitetur: *Quid est quod Regulus rogat, ut ad ejus filium veniat et tamen venire recusat, ad Servum verò Centurionis non invitatur et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem praesentiam non dignaretur adesse, Centurionis Servo non dedignatur occurrere.*

Ut autem Indulgentiae fructus a Fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc sedulò agendum erit, ut Populus in Sacris Concionibus et Catechesibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiae Dei, quam in Baptismo acceperunt, ingrati, per actualia peccata Spiritum Sanctum contristaverunt et Templum Dei violare non sunt veriti, quantumvis aeterna supplicia in Poenitentiae Sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque poena Divinae justitiae exsolvenda superest, cujus remissio obtinenda est non solùm per satisfactiones a Sacerdote Confessario in ipso Poenitentiae Sacramento pro mensura delicti impositas, aut per Christianam tolerantiam earum adversitatum, a quibus mortalium vita immunis esse nequit; verùm etiam per jejunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitae exercitia; alioquin verendum esset, ne salutis remedia ab Ecclesiae be-

nignitate Fidelibus suppeditata, paulatim in pravae libertatis et licentiae fomentum traherentur, compluribus sibi temerè blandientibus de remissione tum sempiternae poenae per Sacramentalem absolutionem tum temporalis per Indulgentiae Pontificiae applicationem in exitu vitae impetranda; neque cogtantibus quam incertum sit omnibus non solùm quâ horâ et quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit, sed etiam, an Indulgentiam, licèt externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percepturi. Praepostera aequè ac periculosa antiquis Ecclesiae temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptismum nomina obtulerant, ad finem usque vitae ipsius Sacramenti perceptionem prorogarent, quò scilicet interim ingenio liberè indulgerent ac demum, quum è vita discessuri essent, per salutare lavacrum ab omni culpa et tam ab aeterna quàm a temporali poena soluti ad coeleste Regnum rectâ transferrentur; contra quos extant gravissimae objurgationes S. Gregorii Nazianzeni in Oratione XL. et S. Joannis Chrysostomi in Homilia I. super Acta: sed et Ecclesia Catholica pravam hujusmodi confidentiam improbare se declaravit, dum eos, qui in mortis periculo Baptismum susceperant, si convaluissent, a Sacris Ordinibus et ab Officiis Ecclesiasticis arcendos ac perpetuò irregulares fore decrevit.

Et quoniam Sacerdotibus, qui Fideles in extremo agone laborantes piè adjuvant vel Ecclesiae Sacramenta ipsis ministrant, Rituale Romanum injungit, ut si aegrotus Indulgentiam Plenariam legitima auctoritate concessam consequi valeat, eam illi in mentem reducant proponantque, quid ad eam consequendam agere debeant; ex his autem, qui ad hujusmodi statum redacti sunt, alii quidem cum plenâ cognitione integrum loquelae usum retinent, alii verò loquendi facultatem amiserunt, licèt antea sincerae contritionis indicia dederint, eaque adhuc ratione utentes, identidem dare non desinant; ideò, quo certius praedicti omnes Indulgentiae fructum consequi valeant, praefatis *Sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos Fideles excitare ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos concipiendosque ferventissimae in Deum charitatis affectus, praesertim verò ad ipsam mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim praecipuè opus in hujusmodi articulo constitutis imponimus et injungimus, quo se ad Plenariae Indulgentiae fructum consequendum praeparent atque disponant.* Qua in re auctor Nobis est S. Doctor Augustinus, qui in *Libro XIII. de Civitate Dei cap. 6.* postquam horridam mortis speciem eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non semel docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis poenam, ibi quoque asseruit et confirmavit; haec ad rem nostram appositè subdit: *Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, piè fideliterque tolerando, auget meritum patientiae, non aufert vocabulum poenae. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors poena nascentis; tamen, si proprietate justitiaque pendatur, fit gloria renascentis; et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

Pro impertiendâ verò Benedictione Fidelibus in mortis articulo constitutis applicandaque ipsis Plenariâ Indulgentiâ, quum nulla certa formula olim praescripta foret, sanctae memoriae Praedecessor Noster Benedictus Papa XIII. anno Domini 1726 pias

quasdam Preces et Orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exemplo in his, quae opportuna judicavimus, inhaerentes, aliam de novo formulam, cum his, quae in hac nostra Constitutione praescripta sunt, magis congruentem confecimus et instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari praecipimus, mandantes, hoc ipsum inculcari et injungi in Apostolicis Literis, quae deinceps pro concessione praedictae facultatis Indulgentiae Plenariae moribundis impertiendae, ut praemisimus, expediendae erunt.

Formula igitur, quam pro impertienda Benedictione et Plenaria Indulgentia moribundis Fidelibus applicanda, ut praefertur, in posterum adhibendam esse praescripsimus, talis est:

Modus
a SS. D. N. Benedicto Papa XIV. approbatus

pro opportunitate temporis servandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis constitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.

Benedictio in Articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu similiter petiissent vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae caeterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis verò, impoenitentibus et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet Infirmus, dicat: *Pax huic Domui* etc., ac deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Asperges* etc. Quod si Aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si Confessionem non petat, *excitet illum ad eliciendum actum contritionis et de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda et dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat Deoque sese paratum offerat ad ultrò acceptandum quidquid ei placuerit et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur in spem erigens fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Coelum et Terram.

Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta Famuli tui (vel Ancillae tuae) neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (vel Ancillam tuam, et sic deinceps).

℟. Deus meus sperantem in Te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius Famulum tuum N., quam tibi vera Fides et spes christiana

commendant. Visita eum in salutari tuo et per Unigeniti Tui Passionem et Mortem omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui Te Judicem propitiatum inveniat et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor etc. *Sacerdos dicat*: Misereatur etc. *deinde:*

Dominus Noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti. Et Ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris etc.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat Te omnipotens Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero Infirmus sit adeò morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

Datum Bomae die 5. Apr. 1747.
D. Card. Passioneus.
J. Datarius.
(Bull. r. t. XVII. p. 161. Ed. Luxbg.)

b) Habitus.

Accedenti ad Infirmos pro danda benedictione in articulo mortis licet deferre superpelliceum et stolam sine Licentia parochi in actu benedictionis. S. C. C. 3. Decb. 1718; 7. Decemb. 1720.

30) De Portiuncula.

I. Ecclesia.

Urbanus PP. Octavus.

Paulus V. et Gregorius XV. RR. PP. Praedecessores nostri omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac s. communione refectis, qui FF. Minorum s. Francisci *de Observantia* ecclesias die 2. Aug. a I. vesp. usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis de•ote visitassent et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad deum preces effudissent, plenariam Indulg. et remissionem peccatorum perpetuo duraturam misericorditer in Domino concesserunt.

Nos autem, ut omnes et singuli utriusque sexus Christifideles vere poenit. et confessi a s. commun. refecti, *qui Ecclesias FF. Tertiariorum* ubilibet existentes dicta 2. die Aug. a I. vesp. usque ad occasum solis ejus diei visitaverint et ibi oraverint, pariformiter et absque ulla differentia eandem plen. Indulgentiam consequantur, ac si praemissa in ecclesiis FF. Minor. de Observantia peragerent, ap. auctoritate tenore praesentium declaramus, concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud s. Petrum die 13. Jan. 1643.

II. Tempore Jubilaei lucranda.

Innocentius PP. X.

Nos cupientes, ut *Ecclesia s. Mariae Angelorum* domus Ord. FF. Min. s. Francisci de Observantia *prope et extra muros civitatis Assisiensis* congruis frequentetur honoribus, ad eam-

que Christifideles eo lubentius accedant, quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint tenore praesentium declaramus: *mentis et intentionis nostrae minime fuisse nec esse sub Indulgentiarum suspensione* (tempore Jubilaei) *Indulgentiam dictam ecclesiam de 2. die Aug. a I. vesp. usque ad occasum solis diei hujusmodi visitantibus ac requisita pro eadem indulgentia consequenda peragentibus concessam comprehendere prout minime comprehendimus nec comprehensam esse* in verbo rom. Pontificis attestamur.

Romae ap. s. Mariam Maj. die 5. Jul. 1650.

Similem declarationem peregit Urbanus VIII. Constit. 15: *Cum nuper etc.* in anno s. 1625.

Innocentius PP. XII.

Nos omnibus utriusque sexus Christifidelibus ad ecclesiam *s. Mariae Ang. dom. Ord. FF. s. Fr. de Obs. prope et extra muros civitatis Assisiensis* confluentibus, qui illam vere poenitentes et confessi ac s. communione refecti in *quocunque anni die* devote visitaverint et ibi pro christ. principum concordia haeresum extirpatione ac s. r. ecclesiae exaltatione pias preces ad deum effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem peccatorum concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 18. Aug. 1695.
(Bull. r. t. VII. 262. Ed. Luxbg.)

III. Tempus et modus lucrandi.

Cum Octava s. Annae Tituli Ecclesiae PP. Capuccin. Novellarae Dioec. Rhegien. incidat in diem 2. Aug., in qua celebratur *in tota Religione Minoritana* sub ritu dupl. maj. festum Dedicat. s. Mariae Angel. cum Indulg. de Portiuncula et quia minime transferri valeat, petitur, ut in posterum in praefata Ecclesia die 2. Aug. peragi possit in Officio et missa dictae Dedicationis commem. octavae s. Annae. S. C. resp: Petitam gratiam ratione indulgentiarum et populi concursus concedendam esse. n. 4048 die 23. Jun. 1736.

Quoad Indulgentiam plen. de Portiuncula dictam et *ad dominicam I. Aug. ex Indulto ap. translatam, defunctis etiam applicabilem,* notandum est, *quod confessio et communio in aliis quidem ecclesiis fieri possit (S. C. I. 8. Julii 1850) ad lucrandam autem indulgentiam requiratur, ut visitetur Ecclesia Ord. s. Francisci, ubi extat, aut juxta specialem privileg.* (Pius P. VI. pro Bavaria 17. Febr. 1785) *ecclesia paroch., exceptis illis ecclesiis, quae ultra horam ab ecclesia aliqua Ord. Seraph. non abfuerint, etiamsi sint ecclesiae Cathedrales.* S. C. I. 16. Novb. 1711 in Eystett.

Indulgentiam autem *toties, quoties Ecclesia hujusmodi privilegiata a primis Vesperis usque ad occasum solis diei festi visitatur et ibidem* juxta intentionem SS D. N. oratur, poterit lucrari. S. C. I. 8. Julii 1850.

Reliquae Indulgentiae non possunt obtineri toties quoties eadem die Ecclesia aliqua visitatur. S. C. I. 27 Sept. 1717.

Innocentius PP. XI.

Alias fel. rec. Gregorius XV. omnibus Christifidelibus, qui die 2. Aug. aliquam ex Ecclesiis *FFr. Ord. Min. s. Francisci Capuccinorum* visitaverint et oraverint plenam indulgentiam concessit.

(Vd. supra: *Indulg. de Port.* Ecclesia.) —

Nos autem indulgentiam plenariam et remissionem peccatorum Christi-

fidelibus dictas ecclesias visitantibus concessam, etiam *Christifidelium animabus, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per Modum Suffragii applicari posse etiam perpetuo concedimus et indulgemus.*

Datum Romae die 10. Maji 1689. (Bull. r. t. XI. p. 602.)

Alexd. VIII. constitutione diei 20. Jan. 1690 concessit, ut Indulg. plen. in *Ecclesiis Minorum Conventualium* die 2. Aug. applicari possit animabus Defunctorum. (Ibid. t. XII. p. 8.)

31) Preces ad intent. SS. D. N. recitandae.

Vd.: *Preces* (pro indulg. lucrandis); *Ind.* (visit. Eccles.)

32) Publicatio.

Vd.: *Indulg.* (Papae. Episcopi)

De prohibitione ad quaestum publicandi Indulg. et confessionalia, vd.: *Constitut. Pii V. diei 2. Jan. 1570* in Bull. rom. tom. II. 323 ed. Luxenb.; *Constitutio ejusd. PP. Pii V. 4. Non. Jan. 1570* (Ibid. t. X. p. 154.)

33) Quae non derogatur per alias Ecclesiae concessas Indulgentias vel Jubil.?

Vd.: *Indulg. alt.* (Non derog); *Jubil.*

34) Quoties lucrandae?

Vd.: *Indulg. de Port.* (Tempus etc.); *Communio* (pro indulg. etc. decr. de 30. Aug. 1847.)

35) In recitatione Officii def., parvi B. V. M. et ps. poenit. et gradual.

Vd.: *Off. def.*; *Altare privil.*; *Off. parv. B. V. M.* (oblig. decr. n 4631 *nota*); *Off. p. B. V. M.* (Approb.); *Psalmi grad.* (non est oblig.)

36) Regularium.

Paulus PP. V.

I. Cum Cardinales privilegia, concessiones et gratias Religionibus et Ordinibus concessas diligenter inspexerint et examinaverint, ac eorumdem Ordinum Superiores et Officiales pluries audiverint, ac circa easdem Indulgentias varia dubia et incertitudines et confusiones adesse compererint, et ex judicio eorumdem etiam Regularium vel aliquorum ex illis nobis proposuerint valde expedire, pro eorum majori securitate et beneficio, ut indulgentias ipsis Religionibus et Ordinibus ad instar, vel per communicationem aut alio modo hactenus concessas annullaremus et revocaremus, ac alias particulares illis concederemus,

II. Nos matura super hoc consultatione praehabita, cupientes personis Regularibus quibuscumque quorumvis Ordinum tam Monasticorum quam Mendicantium spirituale solatium et juvamen afferre, infrascriptas Indulgentias et gratias, quas personis Regularibus intra claustra aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentibus tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus:

III. Omnibus igitur Christifidelibus, qui canonice et juxta ordines cujuslibet Religionis et Constitutiones Apostolicas habitum regularem a legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, *die primo eorum ingressus* in ipsam Religionem, si verè poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam.

IV. *Ac cuilibet Novitio*, qui poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, post *completum probationis annum* professionem emiserit, etiam Plenariam.

V. Nec non *cuilibet Religioso* inter claustra sui Monasterii viventi, qui in *festo principali sui Ordinis* confessus et sacra Communione refectus fuerit, aut missam recitans pro Christianorum

Principum concordia, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam.

VI. In *cujuslibet vero mortis Articulo*, si pariter vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem corde, devote invocaverit, etiam Plenariam.

VII. Qui vero ad *Presbyteratus Ordinem* canonice promotus et confessus *primam Missam* celebrabit, nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi ac sacra Communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam Plenariam.

VIII. Iis vero, qui de suorum Superiorum licentia a negotiis per decem dies alieni in Cella commorabuntur aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei Catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor Novissimorum, Passionis D. N. Jesu Christi et aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem aut annualem vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint aut Missam celebraverint, quoties pro *quolibet praedictorum exercitiorum*, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

IX. Praeterea iidem Religiosi *intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devote visitaverint*, et, ut praefertur, oraverint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.

X. Omnibus item Religiosis intra claustra ut supra viventibus, qui *quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam* ante Altare *eorum* Ecclesiae in quolibet die oraverint, quinque Annos et totidem quadragenas.

XI. Iis vero, qui de suorum Superiorum licentia in *itinere existentes aut extra claustra degentes* tanquam Praedicatores et Lectores *quinquies eamdem Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam* ante *quodlibet* Altare similiter dixerint, etiam quinque Annos et totidem quadragenas.

XII. Necnon etiam ejusdem Religiosis, qui *per mensem integrum singulis diebus* spatio mediae horae orationem mentalem fecerint, ac confessi et sacra communione *ultima Dominica mensis* hujusmodi refecti fuerint, sexaginta annos et totidem quadragenas.

XIII. Qui vero contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones *in Capitulis Culparum accusabunt et spiritualiter communicabunt et exercitium virtutum facient*, tres Annos et totidem quadragenas.

XIV. Quoties cumque autem de licentia Summi Pontificis aut suorum Superiorum *in ditiones et terras Infidelium aut haereticorum ad concionandum aut Catholicos docendum* vel infideles et haereticos ipsos ad fidem Catholicam convertendum et Ecclesiae gremio reducendum missi fuerint, si poenitentes et confessi ac Sanctissima Communione refecti fuerint vel Missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese praeparare valeant, *pro duabus vicibus*, videlicet quando itineri se accingent, et quando in Provinciam, ubi praedicta opera eis

exercenda erunt, ingressi fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus et elargimur.

XV. Et insuper cum *Superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono* visitationis progressu instituere voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio *duarum horarum* in *diverso* tempore interfuerint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione necnon disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, si confessi et sacra Communione refecti fuerint aut Missam celebraverint, Plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam et remissionem, ut praefertur, concedimus.

XVI. Volumus autem ut omnes supradictae Indulgentiae et gratiae Religiosis regularibus cujusvis Ordinis tam Monastici quam Mendicantis dumtaxat, ut praefertur, concessae, etiam omnibus Monialibus cujusvis regulae approbatae et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus et perpetuam clausuram servantibus tam Ordinariis locorum quam etiam regularibus cujuscumque Ordinis, regulae et Instituti subjectis suffragentur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

XVII. Caeterum, *omnes et singulas Indulgentias* quibuscumque Ordinibus et Institutis regularibus hujusmodi, etiam Mendicantibus et quibuslibet personis regularibus tam vigore privilegiorum et literarum Apostolicarum, quam vivae vocis oraculo aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac nos et Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas et innovatas, auctoritate et tenore praedictis *perpetuo revocamus, cassamus, annullamus**) *et abrogamus*, et ad praesentium nostrarum literarum praescriptum reducimus et moderamur.

XVIII. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Maji 1606.

(Bull. r. t. III. p. 229.)

Vd.: *Indulg.* (Infirm.; Terram s.)

37) Rosarii.

Vd.: *Rosarium* (indulg.)

38) SSmum. ad Infirmos Comitantium.

Martinus PP. V.

Profecto vice qualibet eis, qui, dum Corpus Dominicum communicandis defertur infirmis, illud cum *incenso luminari* praecedendo vel sequendo venerentur, *centum*, et qui tunc illud alias devote fuerint secuti, *quinquaginta dies* de injunctis eis poenitentiis relaxamus.

Datum Romae 26. Maji 1429.

(Bull. r. t. I. p. 308.)

Innocentius PP. XII.

Innocentius XI. Praedecessor Noster omnibus Christifidel. utriusque sexus, qui SSmum., cum ad Infirmos pro Viatico deferretur, devote comitati fuerint ac pro christian. principum concordia, haeresum extirpatione ac s. r. Ecclesiae exaltatione preces effudissent, quacunque vice id egissent, si *cum lumine, septem annos et toti-*

*) Personas substantialia Religionis vota non emittentes non comprehendi in hac indulgentiarum revocatione, vd.: *Constit. Innoc. XI.* die 10. Oct. 1686 (Bull. r. t. XI. p. 503.)

dem quadragenas, si vero *sine lumine* illud comitati fuissent, *quinque annos et quinque quadragenas* de injunctis eis poenitentiis in Domino relaxavit.
(Bull. r. t. XI. p. 235).

Nos autem hanc concessionem approbantes et innovantes omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus ubicunque existentibus, *qui legitimo aliquo impedimento detenti*, SSmum., cum ad infirmos deferri contigerit, *personaliter comitari nequiverint, sed tamen lumen seu facem per alios deferendam miserint, et, ut praefertur, oraverint, quacunque vice id egerint, tres annos et totidem quadragenas* de injunctis poenitentiis relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.
Datum Romae 5. Jan. 1695.
(Bull. r. t. VII. p. 252)

Innocentius PP. XII.

Habendo Noi per ispecial Comandamento di Nostro Signore Papa Innocenzo XII. stabilite alcune Regole particolari, da pratticarsi nell' uscire del Santissimo Viatico per gl' Infermi indrizzate à musvere i Fedeli à prestare cogl' atti interni del cuore il più divoto ossequio al Venerabilissimo Sagramento dell' Altare, le hà la Santità Sua approvate, e comandatane l'osservanza. In essecutione dunque degli Ordini di Sua Beatitudine, le habbiamo fatte stampare in un Libretto à parte, affinche servano, non meno d'Istruzzione, e norma a' Parochi, che a' Fratelli delle Compagnie a' Deputati delle Parocchie, ed ad ogni altro, à cui toccherà d'osservarle. Esortiamo però tutti, cosi Ecclesiastici, come Laici, che in esecuzione di questo Camandamento di Nostro Signore, vogliano osservare le cose prescritte, quanto più puntualmente sia possibile, e con pronta volontà, ed affetto divoto verso il Divino Sagramento concorrere colla presenza, colle limosine, e con tutta l' applicazione a promovere un' Opera di tanta Gloria di Dio Benedetto e di tanto merito per ciascuno; Tanto più, che la Paterna Benignità della Santità Sua hà voluto, per l'aumento d'azzione si profittevole, aprire i tesori Ecclesiastici delle quali, insieme colle altre di già concedute da' suoi Predecessori, se ne portano in fine delle dette Regole per intiero le Bolle col nuovo Breve di Nostro Signore, et in piè di questo Editto i Sommarii. Speriamo nella Divina Bontà, che sia per muovere colla Sua Santissima Grazia i Cuori di tutt' i Fedeli, a' procorare efficacemente, e con santa emulazione, gli avanzamenti del Culto di Sagro Viatico; Affinche l'ottimo esempio di quest' Alma Città, habbia ancora à servire di stimulo all' altre, per crescere sempre più nell' Amore, e nella Venerazione di così Adorando Mistero. Comandiamo dunque, che il presente Editto si affiga ne' luoghi soliti: e che s'habbia da tener' Esposto in tutte le Chiese Parocchiali, negli Oratorii delle lor Compagnie, e nelle Cappelle degli Spedali. Dato nel nostro Palazzo li 2. Febraro 1695.
G. Card. Vicario.
Alessandro Abb. Bonaventura Segr.

Sommario dell' Indulgenze, che guadagnano li Fedeli dell' uno, e l'altro sesso nell' Accompagnamento del Santissimo Viatico.

Chi accompagna il S. Viatico à gl' Infermi con lume acceso, guadagna Anni sette d'Indulgenza, ed altrettante Quarantene.

Chi accompagna senza lume, Anni cinque, ed altrettante Quarantene.

Chi legitimamente impedito, manda la Torcia, ò Candela per altri, ò la consegna in Parocchia, perche sia da

altri portata, Anni tre ed altrettante Quarantene.

Chi similmente impedito, reciterà un Pater Noster et un' Ave Maria, giorni cento d'Indulgenza.

La medesima è conceduta alle Donne, che senza uscire di Caso, dicono similmente un Pater Noster, et un' Ave Maria, pregando il Signore per la Persona Inferma, che si communica.

Haec indulg. non derogatur per Jubilaeum, vd.: *Indulg. infra Jubil.* (Quae non cessat?); *Jubil.*

39) Salutationem Angel. Recitantium.

Benedictus PP. XIII.

Nos omnibus et singulis Christifidelibus vere poenitentibus et confessis a s. communione refectis, qui mane aut meridie seu vespere ad pulsum Campanae: *Angelus Domini — de Spir. s.: Ecce Ancilla-verbum tuum: Et verbum — in nobis —: cum tribus Ave Maria flexis genibus* devote recitaverint et pro Christ. principum concordia, haeresum extirpatione et s. matris Ecclesiae exaltatione preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet mensis dumtaxat, per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concedimus.

In reliquis vero anni diebus Christifidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae die 14. Sept. 1724.

(Bull. r. t. X. p. 236; t. XIII. . 130.)

Haec indulg. non derogatur per Jubilaeum, vd.: *Indulg. infra Jubil.* (Quae non cessat?); *Jubil.*

Clemens PP. XII.

Nos omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui sub horam noctis ad pulsum campanae ps. *De profundis* vel semel orationem Dominicam et salutationem ang. cum V.: *Requiem aet.* etc. in suffragium animarum Christifidel. def. flexis genibus devote recitaverint, quo die egerint, *centum dies* de debitis poenitentiis relaxamus.

Insuper eisdem Christifidelibus *vere poenit. et confessis ac s. communione refectis*, qui per annum praemissa peregerint ac pro christ. principum concordia etc. preces effuderint, *plenariam in uno die cujuslibet anni* dumtaxat per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam indulg. peccatorum suorum et remissionem concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 14. Aug. 1736.

(Bull. r. t. XV. p. 104.)

40) Ad Sepulturam defunctos Comitantium.

Clemens PP. X.

Nos quarumvis Confraternitatum Confratribus et Consororibus sub *Titulo SS. Corp. Chr.* erectarum et in futurum ubicunque locorum canonice erigendarum ex vi Decreti S. C. I. 16. Febr. 1608 emanati, qui et quae cadavera def. Christifidelium, dum ad Sepulturam deferuntur, devote comitati fuerint, quoties id egerint, toties centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 14. Jan. 1673.

(Bull. r. t. XI. p. 56.)

41) A Surdis mutis lucranda.

Surdi, qui et muti sunt, satisfaciunt pro praescriptis precibus *publicis*, si

aliis fidelibus in ecclesiis conjuncti interne mentem ad deum elevare conantur; preces vero *privatim praescriptae* a confessariis eorumdem in aliqua pia opera commutari possunt.

S. C. I. die 15. Maji 1852.

42) Terram s. visitantium et ibi habitantium FFr.

Clemens PP. X.

Omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, gratias spirit. et temporales s. locis et *illa visitantibus* necnon d. Ord. Quardiano et fratribus ibi degentibus in genere vel in specie concessa, quatenus sint in usu et non sint revocata, sacrisque Canonibus et Constitutionibus ap. ac Concilii Trid. decretis non adversantur tenore praesentium confirmamus et approbamus. Necnon insuper omnibus et singulis eorumdem FFr. interpretibus nunc Hierosolymis, Bethlehem et Nazar. existentibus et viventibus in mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac s. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen *Jesu* ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem in Domino concedimus et elargimur.

Romae die 11. Jun. 1670.

(Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 298 ed. Luxenb. 1727.)

Vd.: *Constit. Innoc. XI.* die 22. Jun. 1684. (Ibid. t. XI. p. 419.)

43) Viae Crucis.

Vd.: *Via Crucis.*

Stationes quatuordecim viae Crucis erigi possunt a PP. Ord. s. Francisci in omnibus Ecclesiis, et etiam extra ecclesiam in locis publicis et ad id aptis. Requiritur autem praeter consensum parochi, etiam Episcopi licentia in scriptis data. (Bened. XIV. Breve dd. 10. Maji 1742) S. C. J. 30. Julii 1748; 16. Novb. 1828.

Si tabulae ad tempus aut omnes aut nonnullae tollantur pro murorum dealbatione, pro iisdem picturis exornandis, pro meliore dispositione aliave de causa: tunc non amittunt indulgentias, quae non cessant, nisi pereunte materia. S. C. I. 7. Maji 1836.

Numerus indulgentiarum ad singulas Stationes inscribi non debet. S. C. I. 3. Apr. 1731.

Vd: *Constit. Innoc. XII.* die 5. Decb. 1696.

(Bull. r. t. XII. p. 280. Ed. Luxbg.)

44) Visitatio Ecclesiae.

(Quando non est expos. SSmum.)

V. Fr. Episcopo Wormiensi.

Accepimus in civitate vestra frequenter exponi publice divina Mysteria et imperitam multitudinem in eo errore versari, ut arbitretur non lucrari Indulgentias, quae conceduntur Christifidelibus ad Ecclesiam accedentibus, nisi publicae venerationi in iisdem s. aedibus divina Eucharistia proponatur. Tam falsa opinio dissimulari non debet, cum indulgentias assequantur illi, qui omni peccati labe expiati satisfaciunt universis operibus, quae praescribuntur ab eo, qui s. indulgentias elargitus est; quamobrem, si minime praecipiatur fidelibus, ut s. mysteria publice exposita venerentur, apertissime constat in errorem maximum adduci eos, qui asserunt indulgentias, quae tribuuntur fidelibus Ecclesiam visitantibus, haud comparari nisi s. Eucharistia in ipsa adorationi publicae exhibeatur.

Porro id necessario requiritur ad sequendas *eas Indulgentias, quae fidelibus conferuntur, qui deum precantur*

in iis ecclesiis, ubi SSmum. spatio continuo 40 hh. expositum publice est; etenim id omnino praecipitur in hac Indulgentia concedenda, quae a 40 horis continuis nomen accepit.

Constit. Bened. XIV. die 16. Apr. 1746.

(Bull. r. t. XVII. p. 17.)

Vd.: *Indulg.* (Infirm.)

INDULGENTIAM.

Ad dubium: Utrum hebdomadarius signari debeat, cum in Off. divino dicit: *Indulg.* etc., sicut etiam praescribitur in principio missae? S. C. resp.: Congruere, ut fert praxis universalis praesertim Urbis. Die 7. Sept. 1816. *In Tad.* ad 39.

INDULTUM.

a) Explicatio et extensio.

Verba Indulti intelligi, prout jacent, nec ab alio quam a Sede ap. explicari possunt nec quispiam nisi eadem Sedes facultatem habet extendendi Officium concessum de loco ad locum ut ex decr. Urbani VIII. S. R. C. die 15. Sept. 1668.

b) Revocatio variorum Indult.

Clemens PP. VII.

Romanus Pontifex more seduli Pastoris jugiter advigilans, nonnulla, quae a Praedecessoribus suis concessa noscuntur, justis interdum suadentibus causis moderatur, revocat et immutat, sicut conspicit in Domino salubriter expedire.

Itaque omnia et singula infrascripta indulta, facultates et gratias tenore praesentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus et annullamus viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus: ac revocata, cassata, sublata, abrogata, irrita et annullata viribusque et effectu vacua esse ac perpetuo fore, neque de caetero cuiquam suffragari posse vel debere decernimus et declaramus.

Indulta autem, Facultates et Gratiae hujusmodi sunt, quae sequuntur, videlicet:

I. Excipiendi Confessiones sive Saecularium sive Regularium etiam Monialium aut aliarum quarumvis personarum in Conventibus, Monasteriis seu Conservatoriis degentium absque expressa Ordinariorum ac Superiorum illorum, ad quos pertinet, facultate; necnon eligendi sibi Confessarium ab iis respective non approbatum.

II. Absolvendi quoscumque sive Saeculares sive Regulares utriusque sexus a peccatis, poenis et censuris, in literis die Coenae Domini quotannis legi et publicari consuetis vel alias Sedi Apostolicae Locorumve Ordinariis aut Superioribus Regularibus quoquomodo reservatis: prout quoque eligendi Confessarium etiam ex legitime ad audiendas Confessiones approbatis, qui a peccatis, poenis ac censuris sic reservatis absolvat.

III. Eximendi seu absolvendi quemlibet ab obligatione denuntiandi in casibus, quibus denunciatio juxta praescriptum Constitutionum Apostolicarum seu alias fieri debet.

IV. Utendi quibuscumque facultatibus, etiam generaliter concessis, quoad alitercumque dictae Sedi vel etiam ipsi Romano Pontifici reservata: sive per eos Majori vel minoribus Poenitentiariis attributis, durante Jubilaeo vel Missionum, Exercitiorum Spiritualium, Quadragesimae, Adventus aut alio quovis anni tempore; siculi etiam utendi facultatibus, quae ab Officio Poenitentiariae Apostolicae aliquando impertiri solent.

V. Relaxandi juramenta quaelibet, etiamsi de nullo cujusquam agatur damno seu praejudicio.

VI. Dispensandi seu commutandi Vota quaecumque, licet simplicia dumtaxat, ac juramento minime confirmata.

VII. Dispensandi cum quibusvis personis Saecularibus pariter vel Regularibus super qualibet irregularitate et inhabilitate quomodocumque ex delicto vel defectu, etiam prorsus occultis, proveniente, tam pro exercendis susceptis, quam pro suscipiendis quibusvis Ordinibus, ac retinendis et assequendis quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis.

VIII. Dispensandi super quocumque impedimento, quantumvis occulto, Matrimonium dirimente, sive agatur de Matrimonio contrahendo, sive de convalidando jam contracto.

IX. Convalidandi titulos Beneficiorum Ecclesiasticorum simoniace vel ex alio quovis capite invalide obtentorum: ac condonandi fructus qualitercumque indebite perceptos: aut componendi super iisdem fructibus.

X. Celebrandi Missam itineris aliave occasione in quocumque loco super Altari portatili sive extra tempus ab Ecclesia definitum: vel non servandi omnia et singula ab ipsa Ecclesia praecepta et ordinata circa celebrationem Missae et administrationem SS. Eucharistiae Sacramenti.

XI. Officium divinum absque legitima causa non recitandi illudve commutandi in alias preces vel pia opera sive recitandi unum Officium pro alio aut extra tempus ab Ecclesia statutum: vel super praemissis cum aliis dispensandi.

XII. Indulta quaecumque, a Regularibus utriusque itidem sexus obtenta, votum paupertatis quomodolibet laedentia aut Regulari observantiae, Apostolicis Constitutionibus propriique Ordinis seu Instituti Statutis contraria vel adversantia.

XIII. Facultas Regularibus alloquendi Moniales, etiam consanguineas aliasque personas intra clausuram degentes absque peculiari Superiorum, ad quos quomodocumque spectat, licentia.

XIV. Indulta, Facultates et Gratias mox relata eorumve aliqua in toto vel in parte indefinite vel ad tempus et in casu particulari, seu alio quovis modo aliis communicandi.

Quae quidem omnia et singula, etiamsi sub quibuslibet aliis quantumvis amplis verborum formis et tenoribus concessa et impetrata fuerint, quoad utrumque forum, ac generaliter sive res sit de casu occulto sive de publico, revocata et abrogata esse ac intelligi et censeri debere statuimus.

Districte propterea prohibemus, ne quisquam deinceps indultis, facultatibus et gratiis sic per Nos revocatis et abrogatis ullatenus uti audeat seu praesumat, *sub poena excommunicationis ac privationis Officiorum, Dignitatum et quorumvis Beneficiorum obtentorum, vocis activae et passivae, necnon inhabilitatis ad audiendas confessiones et ad Officia, Dignitates et Beneficia hujusmodi in futurum obtinenda ipso facto* absque ulla alia declaratione per transgressores respective incurrenda; a qua nonnisi a Nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam quoad excommunicationem praefatam in mortis articulo constituti, absolutionis, dispensationis seu rehabilitationis beneficium valeant obtinere.

Noverint insuper Poenitentes et alii Fideles, absolutiones, dispensationes, relaxationes, commutationes, convalidationes, compositiones et alia ejusmodi, si quae inposterum contra hanc nostram prohibitionem obtinuerint, nulla fore nulliusque roboris ac momenti.

Caeterum *per praesentes non intendimus revocare* supradicta indulta, facultates, gratias, quae per quasvis literas Apostolicas, etiam in simili

forma Brevi expeditas vel rescriptas, a S. R. E. praefatae Cardinalium aut Romanae Curiae Praelatorum aliisve Almae Urbis Congregationibus edita et ab eisdem Praedecessoribus approbata, necnon per dictum Officium Poenitentiariae Apostolicae quandocumque concessa fuerint, seu emanaverint: *quae salva ac firma remanere volumus.*

Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta etiam ex eo, quod praedicti, et alii quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in controversiam vocari aut adversus illas quodcumque juris, gratiae vel facti remedium intentari vel impetrari nullatenus posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictaeque Sedis Nuncios et alios quoslibet quavis praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis ac quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis.

Datum Romae die 12. Febr. 1733. (Bull. r. t. XIV. p. 177.)

INFIRMI.

Vd.: *SS. Viaticum*; *Professio fidei*; *Commendatio animae*; *Indulg.* (SSmum. ad inf. etc.); *Indulg.* (Infirm.)

INGRESSUS

(In Ecclesiam.)

Vd.: *Sepultura* (ingressus); *Laici* (quomodo se gerant etc.)

INITIUM SCRIPTURAE S.

Ad dubium: Quando in mense Novembr. sunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum, an sit dicenda tantum unica lectio? Et an possint poni plura tribus initiis Prophetarum unica die? S. R. C. 5. Julii 1698 resp.: Affirm. ad I. negat ad II. partem.

Ubi sunt plura Officia habentia primas ll. proprias, possunt omitti aliqua ex dictis initiis Prophetarum, occurrente legitima causa. S. R. C. 5. Julii 1698.

Quando in festo aliquo ll. assignantur legendae sive propriae sive de communi, omittitur initium Scripturae, quod reponendum est infra hebdomadam in officio ritus inferioris, minoris dignitatis et solemnitatis, etiamsi tale festum habeat ll. proprias aut sint de scriptura. S. R. C. 5. Maji 1736.

Quaesitum fuit: an si per dedicationem Ecclesiae vel aliud festum cadens in dominica impediatur init. Script. talis dominicae et per octavam non sit locus pro ea, eo quod omnes dies sint dies infra octavam praeter unam forte, quae tamen habeat lectiones de communi assignatas, tunc tale initium sit omittendum vel potius reponendum in illo festo, omissis ll. assignatis et quid si illud sit dupl. majus? S. R. C. resp.: Initium Scripturae aut transferendum est ad diem liberam, etiamsi post octavam hoc eveniat, aut anticipate legendum, sed in Officio, pro

quo assignatae sunt ll. de communi, illae sunt legendae. Quod faciendum est etiam in dupl. maj. juxta rubr. Brev. rom. S. R. C. 5. Maji 1736 *in Einsidl.*

SS INNOCENTES MM.

1) Commemoratio

PISTORIEN.

Quum pridie Nonas Jan. Anniversarium occurrat dedicationis Parochialis Eccl. Deo in hon. S. Andreae Ap. Pistorien. in Civitate dicata, Sacerdos Aloysius Petrocchi S. R. C. humillime rogavit, ut declarare dignaretur: num ratione solemnitatis, qua istud dedicationis Festum instituitur, in utrisque Vesp., Laudibus et Missa omitti possit comm. diei oct. S. Innocentium Mart.?

Et S. eadem C. . . respondendum censuit:

„Juxta Rubricas et alia Decreta faciendam esse expressam Commemorationem".

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5089 die 27. Febr. 1847.

2) Missa et Color.

Ad relationem Magistri Caerem. Neapol., novos ritus introduci in celebrando festo ss. Innocentium et utendo tali die colore rubeo et canendo *Gloria*, S. C. resp.: „Servari rubricas". n. 2205 die 17. Mart. 1663.

De colore in festo ss. Innocent. cadente in dominica, vd.: *Instruct. Clem.* §. XII. n. 10. *Utrum pueri ante usum rationis in odium Christi occisi sint canonizandi cultusque sit publicus iis praestandus?* Vd.: *Constit. Bened. XIV.* de die 22. Febr. 1755. (Bull. r. t. XIX. p. 120.)

3) Translatio.

Ad dubium: Quadam parochiali in Ecclesia occurrit Annivers. Dedicationis die festo SS. Innocent. Quo die erit reponendum horum mm. Officium? S. C. resp.: Supplicandum pro commutatione aniversarii. n. 4859 ad 8 die 3. Aug. 1839.

IN PARADISUM etc.

(In Sepultura).

Vd.: *Sepultura* (ritus).

INSIGNIA.

a) Canonicorum.

Vd.: *Canonici Cathedr. et Colleg.* (Insignia); *Usus Pontif.* (decr. Bened. XIV. *pro Urbinat.* §. 1.)

b) Cardinalium.

Vd.: *Constitut. Innocent. X. in Bullar. mag. rom. tom. V. p. 410* (ed. Luxenburg. 1727.)

INSTALLATIO NOVI CANONICI.

Delegatus Sedis apostolicae seu Episcopi occasione tradendi possessionem novo Canonico seu Dignitati incedere debet in habitu talari vel Insignibus propriae dignitati convenientibus et non potest post assignatum locum in choro seu in Capitulo intervenire in choro ad gratiarum actionem fieri solitam cum cantu „*Te Deum*". n. 4274 die 25. Febr. 1758.

COMMENTARIA

AD INSTRUCTIONEM

PP. CLEMENTIS XI.

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM.

OPERIS RATIO.

1. Plurima sane occurrunt in hac nostra collectione *Decreta,* quae circa Venerabilis Sacramenti expositionem versantur. Haec inter nonnulla sunt, quae ad solemnem illam fieri solitam pro Oratione perenni quadraginta horarum proprie pertinent, alia vero, quae ad caeteras magis minusque solemnes, publicas vel privatas extenduntur; omnia tamen in unum confluunt eumdemque finem, qui est, ut Sacri serventur Ritus ex Ecclesiae Instituto augustissimae illi actioni convenientes; et, si qui irrepsere alicubi abusus, omnino tollantur. Quoniam vero quae sparsim in iisdem habentur, stricte simul collegit et aliis adjectis in quasdam veluti regulas distribuit *Instructio,* quam *Clementinam* dicimus, praecipue servandas in Urbe, occasione Orationis quadraginta horarum, cum qua solemnis Sanctissimi Sacramenti expositio conjungitur; eamdem, si appendicis loco collectioni adderemus, non ingratum fore existimavimus. Hanc enim Sac. Rit. Congregationis responsa mirifice illustrant, veluti ex commentariolis, quae singulis ejusdem Instructionis partibus subjicere operae pretium duximus, facile patebit. Plurimum certe proderunt cum Instructio tum Decreta ad rite servandas caeremonias, quae vel ex lege scripta vel ex constanti Ecclesiae disciplina ad cultum exhibendum Sacrae Eucharistiae quacumque ex causa Fidelium adorationi expositae sunt ordinatae.

2. Ne sit qui existimet, me velle in antecessum dissertationem conficere de primo Orationis quadraginta horarum Auctore, de ratione, qua potissimum is motus fuit, ac de aliis similibus quaestionibus, quae fieri possent, sed nos forte nimis a nostro proposito et fine abstraherent. Vel hujus Instituti Auctor fuerit pius quidam vir, nomine *Bonus Cremonensis,* cui se adjunxisse fertur Ven. S. D. Antonius Maria Zaccaria Fundator Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, ut ex ejus causae actis et ex *Ughellio Ital. Sacr. tom. 4. pag. 27. Littera D.,* vel *P. Joseph a Mediolano ex Ordine Capuccinorum,* ut tenet *Thiersius lib. 4. cap. 17.,* quem sequitur *Benedictus XIV. Instit. Ecclesiastic. 30.* editionis latinae, id parum interest. Certum tamen est,

pium hoc exercitium initia habuisse Mediolani circa *Annum 1534. sub Alphonso II. Duce*, ut *Ughelius* refert *loc. cit.*, neque ita multo post ad aliquas Urbis Ecclesias fuisse propagatum. Nam *Pius IV.* in sua Constitutione, quae incipit *Divina disponente Clementia etc.* decimo quinto Calendas Decembris 1560 probavit confirmavitque Sodalitatem *Orationis* seu *Mortis*, quae in singulis mensibus, statis diebus, per horas quadraginta Christum imitata, qui ad quadraginta dies jejunium in deserto protraxit (id Mediolani fiebat ad recolendum tempus, quo Christi Corpus latuit in Sepulcro) orationi vacabat, Dominicum Corpus decenti pompa circumferendo. Unde conjicere possumus, non tamen certo adfirmare, quod Sacra Eucharistia ab initio usque ad finem Orationis exponi etiam consueverit, quemadmodum Mediolani in more jam pridem fuerat. Quamquam multo ante pium hoc Institutum in Urbe obtinuisse dicendum est opera *S. Philippi Nerii*, qui prima fundamenta jecit *Confraternitatis SSmae. Trinitatis Peregrinorum*, quod accidit Anno 1548. Ita *Baccius* in ejus vita *lib.* 1 *cap.* 8: „Ogni prima Domenica del mese, e di piu ogni anno per la Settimana Santa esponeano il SSmo. Sagramento per l'Orazione delle quarant' ore"; hinc jure credimus a Sodalitate *SSmae. Trinitatis*, ad alteram postea, quae dicitur *Mortis*, pium hunc morem, tam Orationis quam simultaneae SSmi. Sacramenti expositionis fuisse propagatum.

3. Sed id privatorum erat, qui simul statis temporibus in Sodalitii Ecclesiam conveniebant ad pia Religionis opera exercenda, et quamdam veluti Communitatem efformabant, dum conventus fiebant; nulla tamen lege tenebantur, et poterant pro lubitu adesse vel abesse, et etiam, deficientibus Sodalibus, Societatem dissolvere. Perennis praeterea non erat Oratio, ut numquam per Anni circulum in una alterave Ecclesia cessaret, quamvis per quadraginta illas horas non intermissa, quibus decurrentibus utraque Sodalitas eidem coram Sacramento, ad invicem succedentibus Fratribus, vacabat. Num ab initio *Mediolani* perpetua fuerit, certo adfirmare non possumus: talis procul dubio erat aevo *S. Caroli Borromaei*, quo Ecclesiam illam regente scimus per turnum distributas fuisse Ecclesias, in quibus, solemniter exposito Sacro Vase cum Eucharistia super Altari, juxta illius temporis et regionis morem, sine intermissione diu noctuque Oratio fieret, ut colligimus *ex Instructione*, qua Sanctus Antistes et cohibuit abusus, qui forte irrepserant, et certam praescripsit formam, et quasdam dedit regulas ea in Oratione omnino servandas. Hujusmodi *Instructio* legi potest in *Actis Ecclesiae Mediolanensis tom. 2 pag. 681 et sequent. editionis Patavinae.* Insuper ex vita Juvenalis Ancina Salutiarum Episcopi, super Sanctissimam Eucharistiam in tali occasione exponi consuetam non leve aliud eruitur argumentum, dum Doliani apud Lagienses populos instituta ab eo asseritur Oratio quadraginta horarum, ad quam processionaliter diu noctuque occurit populi multitudo plurima SSmum. Sacramentum veneratura. Ita *Cavalerius tom. 4 cap. 10 adnotat. praeliminar.* Nec tamen ex hoc consequitur, *Doliani* Orationem fuisse perpetuam, scilicet ad integrum annum distributis per turnum Ecclesiis protractam. licet ubi erat in more, fieret cum Sacramento post solemnem supplicationem adorationi exposito. ad quod colendum frequens populus confluebat.

4. Forte etiam Romae aliae erant Ecclesiae, quae exemplo excitatae

Sodalitatum Sanctissimae Trinitatis et *Mortis*, pium hoc Institutum sequutae sunt. Verumtamen, etiamsi non in aliquibus tantum, sed in bene multis laudabile hoc et maxime religiosum cultus pietatisque exercitium obtinuisset, de quo tamen certa nobis non occurrunt documenta, nec tantum est otii, ut in iis quaeritandis, si quae sunt, immoremur; deerant nihilominus ea, quae Institutum hoc (quoad Urbem) praecipue distinguunt, videlicet *perennitas Orationis*; quae in una incipit Ecclesia, prius quam in alia absolvatur, ita ut per integrum anni circulum numquam deficiat; et *publica Auctoritas*, quae nedum eamdem lege praecipiat, verum etiam ordinem ac methodum praescribat omnino servandam.

5. *Clemens VIII.* ille fuit, qui sub finem Saeculi XVI. utrumque praestitit. Siquidem commotus calamitatibus et angustiis, quae Christianam Rempublicam undique praemebant, nescens „Orationem bonorum omnium esse conciliatricem, quae ex corde humili et animo contrito Coelos penetrat, iram Dei mitigat, plagas et flagella avertit et Divinae Misericordiae impetrat abundantiam . . . et quidem tanto facilius . . . quanto major fidelium et piorum multitudo in uno Charitatis spiritu copulata continuatas adhibet preces . . ., statuit ad placandum Deum . . . perpetuam sine intermissione Orationem publice in hac alma Urbe sic instituere . . . ut die noctuque quavis hora toto vertente anno sine intermissione Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur." Ita in ejus Constitut. *Graves et diuturnae*, data *25. Novembr. 1592**) Certum est itaque *a Clemente VIII.* petenda esse initia Orationis perpetuae in Urbe per singulas

*) *Constitutio Clem. VIII. haec est*: Clemens Episcopus. Graves et diuturnae Christianae Reipublicae calamitates, quae peccatis promerentibus quotidie magis ingravescunt, pastoralem solicitudinem nostram, quam universae Ecclesiae debemus, assidue commovent, magno sane cum doloris sensu, praesentium malorum, et impendentium periculorum metu, sed praecipue cor nostrum et paterna viscera nostra transfligit luctuosus status nobilissimi et olim florentissimi Galliae Regni, quod tot jam annos summa rerum perturbatione et omnium malorum acerbitate conflictatur, serpunt in dies latius haeresum incendia, jamque pari furore inflammati sanctae Ecclesiae inimici hinc haeretici, inde Turcae cervicibus nostris proprius imminent, plane, ut manifeste omnibus appareat, ad tam multa incommoda repellenda inanem esse omnem operam hominum, inanes labores et imbecilles vires, nisi coelestis gratiae auxilio roboremur, quod ut consequi possimus, confugiamus necesse est ad illam desideriorum nostrorum fidelem internuntiam atque interpretem, et bonorum omnium conciliatricem Orationem, quae ex corde humili et animo contrito emissa, coelos penetrat, iram Dei mitigat, plagas et flagella avertit et divinae misericordiae impetrat abundantiam; est enim, ut sancti Patres illam vocant, clavis coeli, et cum ascendit Oratio, descendit Dei miseratio et quidem tanto facilius et uberius descendit, quanto major fidelium ac piorum multitudo in uno charitatis spiritu copulata continuatas adhibet preces.

§. 1. Quare memores verbi Domini, quod est apud sanctum Prophetam: Invoca, inquit, me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me, statuimus ad placandum Deum, ut avertatur ira ejus a populo suo, et ad ejus opem his difficillimis temporibus impetrandam, perpetuam sine intermissione Orationem publice in hac alma Urbe sic instituere, ut in Ecclesiis Patriarchalibus et insignibus Collegiatis, nec non S. R. E. Cardinalium titulis et diaconiis et Regularium atque etiam Confraternitatum Ecclesiis, quae seorsim descriptae erunt, certis praefinitis diebus, pia et salutaris Quadraginta horarum Oratio celebretur, ea servata Ecclesiarum et temporis distributione, ut die noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione orationis incensum in conspectu Domini dirigatur.

designatas Ecclesias, incipiendo a Palatii Apostolici Sacello, quodam servato ordine a Dominica prima Adventus usque ad integram ultimam hebdomadam post Pentecosten distributas. Sed non aeque certum est perpetuae Orationi expositionem quoque SSmi. Sacramenti ex lege dicta a Pontifice ab initio conjungi coepisse. Constitutio de sola loquitur *Oratione*, de Expositione non item: nisi quis subobscure eam indicatam velit postremis illis verbis: *Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur;* quae tamen verba non secus intelligenda sunt, quam de publicis precibus, quae semper vel exposito vel latente Sacramento, dum fiunt, coram Domino fiunt. Quamobrem ex Clementina Constitutione consequitur *Orationem perpetuam dumtaxat* in praecepto fuisse, *Expositionem* vero Sacramenti in facultate et arbitrio. Fortasse tamen non ita multo post, si non fuit ab initio, obtinuit consuetudo exponendi Augustissimam Eucharistiam in singulis Ecclesiis **) per integras quadraginta horas praescriptae Orationis, veluti fiebat iampridem nedum Mediolani, verum etiam Romae in Ecclesiis So-

---

§. 2. Quamobrem vos omnes, quos uti peculiares filios praecipuos complectimur affectu, vehementer in Domino hortamur, ut in hoc saluberrimo et pernecessario orandi studio, vos ipsos piè et diligenter exerceatis. Pauperes omnes sumus et Dei gratia indigemus, bonorum omnium auctor et largitor est Deus, nihil boni adipisci, nihil mali evitare sine eo possumus, petite ergo et accipietis, pulsate et aperietur vobis. Orate pro Ecclesia Sancta Catholica, ut dissipatis erroribus unius fidei veritas toto orbe terrarum propagetur. Orate ut peccatores redeant ad cor, et ne scelerum fluctibus absorbeantur, sed per Poenitentiae tabulam salventur. Orate pro Regum et Christianorum pace et unitate. Orate pro afflicto Regno Galliae, ut qui dominatur cunctis regnis, et cujus voluntati nihil resistit, Regno Christianissimo et optime de Christiana religione merito, veterem pietatem et pristinam tranquillitatem restituat. Orate, ut fidei hostes, teterrimi Turcae, qui furore et audacia incensi, Christianis omnibus servitutem et vastitatem minitari non cessant, ipsius Dei Omnipotentis dextera conterantur. Orate denique pro nobis ipsis, ut Deus infirmitatem nostram sublevet, ne tanto oneri succumbamus, sed det nobis in populo suo verbo et exemplo proficere, et opus ministerii nostri adimplere, ut una cum grege nobis, licet immeritis, credito, ad vitam sempiternam perveniamus, per aspersionem sanguinis Agni immaculati, quem in Altari offerimus et Deo Patri repraesentamus, ut respiciat in faciem Christi sui, et parcat nobis peccatoribus, intercedente etiam advocata nostra sanctissima Virgine Dei genitrice Maria, Sanctisque omnibus cum Christo Domino regnantibus.

§. 3. Hanc autem piam orationem nos ipsi primum in nostro Apostolico Palatio prima Dominica sacri Adventus post missarum solemnia inchoabimus cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus et qui in Urbe adsunt Episcopis et Praelatis, ut deinceps suo ordine in caeteris Urbis Ecclesiis ad praescriptam formam celebretur, et salutaris consuetudo sine intermissione orandi rite ac devote inducatur.

§. 4. Caeterum, ut eo propensius in hoc pio instituto perseveretis, de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis ac sanctissimo Eucharistiae Sacramento refecti, qui in quacumque Ecclesia, ubi oratio ejusmodi indicta fuerit, devote orando unam saltem horam perseveraveriut, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concedimus et elargimur, iis vero, qui inibi pias ad Deum preces brevioris temporis spatio effuderint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis sibi aut alias debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die vigesima quinta Novembris 1592

**) *De initio et distributione Orationis 40 hh. in civitate Ulyxbonensi*, vd.: Constitutio Clem. XI. die 11. Julii 1717 (Bull. r. t. VIII. p. '85.)

dalitatum *Peregrinorum* et *Mortis*. Haec autem consuetudo universalis, diuturna, non intercepta eam habet vim, quae scriptis legibus inest, neque ab ea recedere amplius licet. Id colligimus ex Clementinae Instructionis, de qua nos agimus, exordio, ubi designatur tempus non Institutionis, sed ,,Dell' introduzione dell' Esposizione del SSmo. Sagramento per l' Orazione continua delle quarant' ore"; quae sane verba ita intelligenda videntur, ut Oratio perennis primum fuerit indicta, postea vero sensim accesserit maxime commendabilis usus exponendi simul Sanctissimum Sacramentum, quod forte initio fiebat aperto tabernaculo cum Pyxide velata.

6. Verum non contemnenda argumenta occurrunt, quae plane evincunt, Expositionem SSmi. Sacramenti, etsi non praescriptam a *Clemente VIII.*, hujus tamen aetate ac proinde institutioni Orationis perpetuae esse coëvam. Si eidem normam praebuit cum Mediolanensis Ecclesiae tum Sodalitatum *SSmae. Trinitatis* et *Mortis* mos iamdiu invectus, plane consequitur, solemnem Sacrae Eucharistiae expositionem ab exordio conjungi coepisse Orationi perrenni quadraginta horarum. Praeterea nedum conjecturae et praesumptiones, sed documenta prostant, quae rem conficiunt. *Caeremoniale Episcoporum* appello, quod publici juris factum est sub eodem Clemente VIII. anno 1600 octennio post antedictam Constitutionem: *Graves et diuturnae.* Nam *part.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. regula servanda traditur: ,,Si aliquando contingeret coram Episcopo vel per ipsum Episcopum celebrari existente SSmo. Sacramento super Altari . . . vel cum exponitur Oratio quadraginta horarum". Anno igitur 1600 Orationi conjungebatur Sacramenti expositio. Neque existimes ex *Caeremonialis Rubrica* haud probari Romanum morem, eo quia idem Liber, cum sit ordinatus pro Ecclesiis universi Orbis, hac in parte non jubet, quid faciendum sit, sed praescribit modum tenendum, si alicubi fiat. Etenim cum necessarium visum sit eam Regulam *Caeremoniali* inserere eamque extendere ad Orationem quadraginta horarum, non immerito arguimus, expositionem hujusmodi fere ubique iam fieri coepisse. Adstipulatur Decretum Sac. Rit. Congregationis in *Ilerden.* 28. *Aprilis* 1607., quod jubet ,,Ne Concionatores caput tegant ante Sacramentum expositum infra Octavam Corporis Christi et quando per annum Oratio continua quadraginta horarum indicitur". Neque censendum in Ecclesiis Urbis non id fieri coeptum, quod per plures Dioeceses jam fuerat propagatum: imo potius putandum est Romanum morem illis exemplo fuisse. *Benedict. XIV.* in laudat. *Instit. Ecclesiastic.* 30., quamvis fateatur a *Clem. VIII.* expositionem SSmi. Sacramenti non fuisse lege praeceptam, ejus tamen Constitutioni coëvam merito existimat: ,,Licet de exponenda publice Eucharistia nullum Pontifex verbum faciat, conjici tamen facile potest, tunc primum morem inductum fuisse, vel paulo ante (*non dicit* paulo post, *sed* paulo ante) ut Sacra Eucharistia exponeretur, cum quadraginta horarum Oratio indicebatur".

7. Praeterire modo juvat alia Sac. Rit. Congregationis Decreta suis apte locis infra referenda, quae licet posteriora sint, morem tamen hunc longe ante inductum fuisse supponunt. At nequeo praeterire *Bartholomaeum Gavantum*, qui suas ad Rubricas Missalis Romani lucubrationes, primum praelo datas Mediolani *Anno* 1627 *ad tit.* 14. *part.* 2. de hoc more loquitur tamquam universaliter recepto, inquiens: ,,Inprimis igitur illud est no-

tandum, quod pro exponendo SSmo. Sacramento in Altari pro initio quadraginta horarum vel spiritualium exercitationum cantari debet Missa Votiva de SSmo. Sacramento etc." Nemini dubium, quod cl. Auctor agat non de usu Ecclesiae Mediolanensis, sed de Romano; quippe Mediolani expositio et repositio Sacramenti fiebat sine Missa. Porro *Gavantus* ab eod. *Clemente VIII.* Sac. Rit. Congregationi, ut alter e Consulatoribus adscriptus, postea ab *Urbano VIII.* in Romani Breviarii correctione fuit laudabiliter adhibitus, nomen idcirco sibi auctoritatem conciliat. Si meum, qualiscumque sit, sensum promere licet, puto Orationi coëvam fuisse expositionem Sacramenti, hanc vero a *Clemente VIII.* non praeceptam, forte quia praecipiendum non id necessarium duxit, quod jam erat in more positum apud illas Ecclesias, in quibus vel ex Instituto vel ex devotione perennis quadraginta horarum Oratio statis temporibus peragebatur. Atque ita existimasse doctissimum Pontificem *Benedictum XIV.* supra relata verba plane suadent.

8. Quamquam vel ipsi institutioni coëva sit, vel etiam ante aut non ita multo post inducta fuerit simultanea SSmi. Sacramenti expositio; certum est tamen, eumdem morem antiquissimum esse, qui, etsi ab initio in arbitrio fuerit, vim postea legis obtinuit nec amplius licet Orationem quadraginta horarum indicere sine simultanea SSmi. Sacramenti expositione. Quoniam vero, ut saepenumero accidit, etiam in religiosis et ad Divinum Cultum pertinentibus institutis nonnulli abusus intromitti in aliquibus Ecclesiis coeperant; ad hos penitus eliminandos non defuit Praesidum vigilantia, qua simul privatorum licentia cohibita et sacrae actionis decori fuit consultum, quemadmodum constat ex edictis diversis temporibus, prout circumstantiae exigebant, editis a Cardinalibus Urbis Vicariis, quae in Tabulario Secretariae Vicariatus asservantur. Verum *Clemens XI.* quae sparsim statuta fuerant simul colligi jussit certasque regulas omnino servandas praescripsit, ut omnes scirent quid in Oratione, Processione, Expositione, Repositione cum ab Ecclesiasticis tum a Laicis agendum esset, quid vitandum, adjecta comminatione poenarum adversus illos, qui secus facerent. Hinc prodiit publicique juris facta fuit Instructio illa, de qua nos agere proposuimus.

9. Itaque a *Clemente XI.* primo ejus Auctore hujusmodi Instructio *Clementina* dicitur, et in vulgum prodiit *die* 21. *Januarii* 1705.*), dein vero ab ejusdem Successoribus *Innocentio XIII.*, *Benedicto XIII. et Clemente XII.* fuit confirmata ac post integri saeculi fugam in viridi est observantia. Eadem certam quamdam praescribit methodum dilucidis regulis dispartitam, ad quam tuendam servandamque omnes indistinctim tenentur Urbis Ecclesiae, quin liceat ab ea declinare, nisi tales concurrant circumstantiae, propter quas, qui praesunt, legem aliqua in parte emoliri opportunum existiment. Quaedam ea continet, quae cum sint generalia et ad essentiam pertineant Cultus Sacrae Eucharistiae debiti, nedum Romae in sola Oratione quadraginta horarum, sed etiam alibi et in aliis omnibus Expositionibus, quae per annum fiunt, servanda omnino sunt. Quod quidem procedit non ex praescripto Instructionis, quae unam respicit Orationem quadraginta horarum pro Ecclesiis Urbis, verum ex Ecclesiae instituto ac disciplina et ex Sacrar. Congregationum decisionibus.

---

*) Hanc instructionem Clem. XI. de die 20. (21) Jan. 1705 vd. etiam in *Bull. r. t. VIII. p. 248. Ed. Luxbg.*

Caetera vim legis habent quoad Urbem, sed ad alias Ecclesias non extenduntur, licet laudabile multum sit, ut ubique serventur, quemadmodum respondit Sac. Rit. Congregatio in *Patavina die* 12. *Junii* 1749 (habetur hac in nostra Collectione *num.* 4054.). Et revera cum instructio data sit peculiariter pro Ecclesiis Urbis, hoc satis est, ne quoad alias obligationem inducat. Verbo dicam, *eamdem quoad Urbem vim praeceptivam habere, quoad alias Ecclesias dumtaxat directivam.* Quae sane distinctio obtinet etiam in Urbis Ecclesiis relate ad Expositiones alias, quae per annum frequenter fieri solent, nisi tamen aliqua ex Instructionis Regulis etiam ad has expresse extendatur.

10. Volunt nihilominus *Cavalerius Oper. tom.* 4. *cap.* 8. *ad* §. 24. *Instructionis,* et *Tetamus in Appendic. ad* §. 5 *ejusdem,* volunt, inquam, Instructionem vim legis ubique habere. Cum enim ambo notassent aliqua in eadem contineri, quae a Caeremoniali Episcoporum, et Rituali Romano discordare ipsis visa sunt „Haec autem, *ajunt,* novissime Romae petita sunt declarari“ et responsum prodiisse affirmant *die* 26. *Martii* 1746 hisce conceptum verbis: „Servandam esse Instructionem, quia consonat praxi Cappellae Pontificiae et Urbis Romae quae totius Orbis Magistra est. Prosequitur *Cavalerius loc. cit.*: „Petitio autem processit de expositione qualibet etiam extra Romam. Unde quae methodus ab ea (scilicet Instructione) praescribitur, ubique gentium patet esse servandam, etsi contrarium habeat Caeremoniale Episcoporum vel Rituale Romanum.“. Non quaeram modo, num revera aliquod intercedat discrimen Instructionem inter, et Caeremoniale ac Rituale; alibi opportunior erit de hoc disserendi locus. Id, quod nunc interest, ad ipsum quod laudatur Decretum refertur. Me redarguat nemo si de ejusdem authenticitate dubitavero. Scito enim illud in Sac. Rit. Congregationis Regestis minime reperiri, et penitus ignoramus, num revera a qua Congregatione et cujus auctoritate datum sit. Uterque Auctor silet et nimis generica utitur expressione: „Novissime Romae petita sunt declarari: – Declaratum fuit Romae“. Quamobrem jure existimo non aliud illud esse, nisi privatum responsum alicujus rerum liturgicarum Periti rogati, ut suo judicio enodaret quaesitum sibi ad decidendum traditum.

11. Dato autem, quod non privati hominis judicium sed Sac. Rit. Congregationis declarationem praebeat laudatum responsum: quid tamen inde? Habebit solummodo vim directivam non praeceptivam: siquidem posterius Sac. Congregationis Decretum quaestionem solvit. Interrogata: „An Instructio pro Oratione quadraginta horarum Romae jussu Clementis XI. edita etiam extra Urbem servari possit ac debeat?“ sub die 12. Julii 1749 respondit: „Praedictam Instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statuatur“. Igitur juxta novissimum hoc Decretum fas erit servare tam modum ab Instructione traditum quam alterum a Caeremoniali praescriptum, licet primus ad sensum ejusdem Decreti magis congruere videatur; praesertim quia, si qua est apparens repugnantia inter Instructionem et Caeremoniale, ac Rituale, essentialia ne minimum quidem laedit, sed circa modum solummodo versatur, ut infra loco magis opportuno videbimus.

12. Laudabile igitur, si Instructioni omnes se conforment Ecclesiae, licet coactive non teneantur. Idcirco sapienter subdit Decretum ac limitationem ponit: „Nisi aliud ab Ordina-

riis locorum statuatur". Hinc si Episcopi quoad aliquam ex praescriptis Regulis ab Instructione recedere satius ducant vel aliquid moderandum censeant, ut locorum et Ecclesiarum qualitati provideant, laudabilibus et rationabilibus consuetudinibus, quae nec per Caeremoniale Episcoporum abrogantur, se conforment, variisque consulant circumstantiis, quae non ubique eaedem sunt, hoc erit servandum. Id tamen dumtaxat intelligendum de iis, quae, salva ritus substantia, vel circa modum versantur vel quamdam congruentiam important nullamque praeferunt difformitatem, si diversimode fiant, aut etiam omittantur. Secus vero de iis est, quae cultus substantiam spectant, et Sacrae Actioni sunt essentialia, quae propterea ubique locorum servanda sunt, non in vim Instructionis, quae ad universum Orbem non extenditur, sed ex Ecclesiae praescripto, Rubricis ac Sacrarum Congregationum generalibus Decretis, quae ubique vim legis habent.

13. Quoniam vero, ut patet ex huc usque dictis, *Clementina Instructio, vim praescriptivam habet in Urbe**) *directivam dumtaxat quoad alias Ecclesias per universum Catholicum Orbem, et ut ubique servetur, multum laudabile est:* operae pretium ducimus exemplum sequi *Cavalerii* et *Tetami*, qui eamdem doctis quibusdam adnotationibus illustrarunt. Opportune distinguenda erunt, quae ubique servanda sunt, ea secernendo ab aliis, quae pro locorum, temporum ac peculiarium circumstantiarum ratione possunt vel praeteriri omnino, vel saltem moderari. Varii etiam pro regularum applicatione distinguendi sunt casus, etsi de Ecclesiis Urbis agatur. Publicae namque expositiones, praeter illas Orationis quadraginta horarum, solemnes pariter sunt, vel quia ob gravem causam publicumque Ecclesiae bonum fiunt, vel quia ex Instituto vel alia urgenti ratione, aliqua cum celebritate populique frequentia peraguntur, vel quia, licet non sint praeceptae pro Oratione quadraginta horarum, formam tamen pro eadem praescriptam tenent. Sunt etiam et aliae vel longe minus solemnes vel privatae, quemadmodum suis apte locis videbimus. Hinc modi regularumque diversitas. Nam quae publicam expositionem respiciunt, nequeunt in omnibus aeque aptari privatis: rursus, quae in solemnissimis tenendae sunt, non item necesse est, ut obtineant in minus solemnibus, quae ad breve tempus ex venia, non ex praecepto fiunt, vel statis diebus vel occasione novemdialium, quae praemitti solent Festivitatibus B. M. V. et Sanctorum, vel aliis de causis. Ut autem opus hoc nostrum utile sit, non sistam dumtaxat in iis, quae ad Orationem quadraginta horarum proprie pertinent, sed et alia insuper persequar, quae diversimode obligant in aliis quibuslibet expositionibus vel publicis vel privatis vel magis minusque solemnibus.

14. Mirabitur forte quis, quod in me hoc negotium susceperim, postquam spartam hanc *Cavalerius* atque *Tetamus* ita illustrarunt doctis adnotationibus, ut nihil iisdem addi posse videatur. Curnam id fecerim percontabitur. Verum percontandi locum is non esse fatebitur desinetque admirari, si rationes, quibus motus fui, ut eorum opus recuderem, attente consideret. Cum enim Decretorum Sac. Rit. Congregat. collectioni Instructionem Clementinam adjicere Appendicis

*) Vd.: *Instr. Clem.* §. XXIII.; §. XXXVII. 1. Instructionem Clement. extra urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit. n. 4203 die 12. Julii 1749.

loco statuissem, opportunum visum est mihi sub qualibet sanctione notare Decreta, si quae sunt relativa ad eamdem. Mens praeterea erat, ut quilibet uno veluti obtutu singula agnosceret, quae ad unam alteramve regulam pertinent; quod fecisse praefatos Auctores non diffiteor, sed accidit saepenumero, ut ad alia eorumdem operum loca Lectorem amandent, quod perincommodum multum est. Forte etiam aliquam praetereunt quaestionem vel saltem vix attingunt, sed non satis illustrant: quamobrem supplendus erat defectus. His accedit, quod non in omnibus ego eorum sententiis assentior, sed quandoque, ut ab iis dissentirem, non omnino contemnendae rationes me impulerunt, utrum bene, aliorum erit judicium. Ac tandem recentiora addenda erant Decreta, quae nondum prodierant, dum *Cavalerius* suum opus absolvit, a quo *Tetamus*, quidquid in hanc rem scripsit, est mutuatus. Hoc fuit Instituti mei consilium, haec ratio. Utile opus pergratumque futurum arbitror, saltem quia in unum collecta sunt omnia, quae circa Sacrae Eucharistiae expositionem, quocumque modo ea fiat, versantur. Aliqua etiam incidenter habentur, quae inservire poterunt pro norma Processionum, in quibus SSmum. Sacramentum vel pro Oratione quadraginta horarum vel in solemnitate et Octava SSmi. Corporis Christi vel alia quacumque ex causa magna cum pompa circumfertur. Ne censeas me cuncta persequi velle, quae ad hasce Processiones pertinent, nimis ab instituto diverterem, si id vellem; de iis tantummodo ero sollicitus, cum se obtulerit occasio, quae Ecclesiasticae leges, ut earumdem decori consulant, vel facienda vel vitanda esse jubent.

ISTRUZIONE, ET ORDINI

Da osservarsi nell' Orazione continua di quarant' ore coll' esposizione del Santissimo Sagramento per li bisogni di S. Chiesa, secondo la pia mente de' Sommi Pontefici confermata, e pubblicata di nuovo per ordine di nostro Signore Papa Clemente XII.

„Prospero del Titolo di S. Silvestro in Capite della S. R. C. Cardinal. della Santità di Nostro Signore Vicario Generale".

§. I.

»Essendo state fatte sin dal tempo »dell' Introduzione dell' Esposizione »dell' SSmo. Sagramento per l' Ora»zione continua di quarant' ore diverse »provisioni spettanti al decoro di detta »funzione, acciò le medesime vengano »esattamente osservate, e si rimuova »ogni abuso introdotto in alcune Chiese; »d' ordine espresso della Santità di »Nostro Signore datoci coll' oracolo »della sua viva voce, ordiniamo, e »comandiamo, che in tutte le Chiese »di questa Città tanto Patriarcali, »quanto Collegiate, e Parochiali, ed in »ogn' altra Chiesa sì de' Secolari, che »de' Regolari in qualsivoglia modo »privilegiata, e degna di special men»zione, in cui si farà la sudetta Ora»zione di quarant' ore, s' osservi in-

»violabilmente quanto si prescrive nella »presente novissima Istruzione sotto »le pene infrascritte.

§. II.

»Si metterà sopra la porta della »Chiesa, dove sara l' esposizione un »segno del SSmo. Sagramento ornato »di festoni, come pure a capo della »strada vicina, perchè sia noto a chi »passa, esservi l' esposizione dell' »SSmo. Sagramento.

Optimo jure praescripta haec sunt, ut Fideles ante Ecclesiam et per vicinia transeuntes hisce signis admoniti confluant Sacramentum veneraturi. Eadem signa plurimum conferunt ad compescendam plebis licentiam, ne clamoribus et turbis devotionem distrahant illorum, qui in Ecclesia sunt Orationi intenti. In aliis vero expositionibus, quae persaepe fiunt, satis erit, quod prope principem januam Ecclesiae apponatur signum, quemadmodum in Urbe fit.

§. III.

»Il SSmo. Sagramento dovrà es»porsi nell' Altar Maggiore (eccettuate »le Basiliche Patriarcali, nelle quali »si suole esporre sopra altro Altare), »e si coprirà l' Immagine, o Statua, »che vi sia; come anche le pareti »della Tribuna, e le vicine all' Altare, »se non vi sono ornamenti fissi, si »copriranno con drappi, avvertendosi »che gli apparati non contenghino »Istorie, nè cose profane.

1. Prima pars hujus Sanctionis tanto cum rigore servanda est, ut occasione expositionis pro Oratione quadraginta horarum numquam liceat ab ea declinare, nisi urgeat necessitas exponendi Sacramentum in aliquo satis amplo laterali Sacello, Ara maxima ob novam constructionem aut necessariam reparationem, aut aliam indeclinabilem causam impedita. Hoc tamen in casu licentia Cardinalis Urbis Vicarii omnino erit necessaria. Ipse namque agnoscere debet, num exposito Sacramento extra Aram maximam satis consultum sit decentiae et religioni, an magis expediat expositionem ea in Ecclesia differre, donec impedimentum sublatum sit et interim aliam ei substituere. Exceptio, quae fit favore *Patriarchalium*, firmat in oppositum regulam quoad alias omnes Ecclesias. (Ideo enim *Patriarchales* in lege non compreheduntur, quia expositio commode fieri potest in Sacello, in quo toto anni tempore asservatur Eucharistia, vel etiam in alio, quod magis opportunum videatur. Hujusmodi quippe Sacella angustis non sunt circumscripta limitibus, sed tam late undique patent ut horum quodlibet velut altera separata Ecclesia censeri possit; quamobrem frequenti licet confluente populo nihil timendum est, quod religionem, cultum, decentiam laedat.) Neque antiqua consuetudo deerat, dum prodiit Instructio, quae eamdem ut laudabilem et rationabilem (legem limitando) probavit firmavitque. Non eadem ratio militat quoad alias Ecclesias, licet elegantia et amplitudine insignes, quae proinde regulae generali subjiciuntur.

2. Ea tamen lex ultra expositiones Orationis quadraginta horarum non extenditur. Si de aliis sermo sit magis minusque solemnibus, quamvis maxime deceat, ut in Ara majori hae fiant, regula non est tanto cum rigore accipienda, ut non liceat devotionis vel etiam commoditatis ergo vel ad satisfaciendum piis Fundatorum dispositionibus vel alia rationabili de causa, Sacramentum exponere in aliquo ex lateralibus Sacellis, dummodo quodlibet absit irreverentiae periculum: quemadmodum probat *Cavalerius tom. 4. cap. 7. Decret. 27.* et affert responsum *Sac. Congr. Concilii* in causa *Meliten. sub die 4. Februarii* 1719 videlicet: „Expositio SSmi. Sa-

cramenti fieri debet qualibet prima Dominica mensis in Altari Confraternitatis et non potius in Altari Majori Ecclesiae S. Pauli et Episcopus provideat, ne oriantur inconvenientia". Ex quo Decreto discimus, nedum posse verum etiam quandoque fieri debere expositiones minus solemnes in aliquo ex lateralibus Sacellis. Cavendum tamen ne inde oriatur periculum aliquo modo laedendi religiosum cultum, quae convenit Sacramento. Illud avertere Episcoporum solicitudinis et vigilantiae est. Hinc in Capellis, quae sunt prope januam Ecclesiae, vel expositiones nullimode fiant vel janua claudatur et populus ingrediatur per aliam, ad declinandum irreverentiae periculum. Romae quidem persaepe accidit, ut occasione novemdialium vel indictarum precum in publicis necessitatibus, vel satisfaciendi causa piis fundationibus et fidelium votis, passim Eucharistia exponatur in aliquo laterali Sacello. Imo id convenire magisque congruere videtur, si fiat ex privata causa, ceu innuit haec nostra *Instructio*, quae §. 36. expresse jubet, quod expositiones praeter illam quadraginta horarum facere nemini liceat sine Apostolico Indulto vel Cardinalis Vicarii ejusve Vicesgerentis licentia, qua obtenta ,,Si esporrà il Venerabile in un' Altare, o Capella con un velo avanti".

3. Altera sanctionis pars, quae est de velandis Imaginibus, pariter obtinet in sola expositione *quadraginta* horarum nec est necessario trahenda ad alias nedum minus solemnes, sed etiam solemnissimas, quae non ex praecepto, sed ex pia institutione, laudabili consuetudine et devotione interdum fiunt. In his fateor variam esse Ecclesiarum consuetudinem; ut plurimum tamen longeque frequentius nullo velo tegitur Tabula Altaris, praesertim si ea exhibeat B. M. V. Imaginem, quae in magna est veneratione; neque fieri quandoque posset, ubi frequenter et ad breve tempus Sacramentum cum minori solemnitate exponitur et Altarium tabulae permagnae tegi nequeunt, nisi oblongis latisque velis, ope scalarum periti manu aptandis. In hac ipsa Urbe usuvenit, ut detegantur quaedam Deiparae Imagines miraculis et devotione populi celeberrimae, quin Ecclesiastici Praesides hujusmodi morem reprobaverint aut interdixerint Longaeva consuetudo abrumpi nequiret sine offensione et scandalo.

4. Non me latet *Sa. Mem. Benedictum XIV.* Pontificem sapientissimum et in sacrorum rituum scientia nemini secundum, cum Bononiae esset Episcopus, quadam sua *Institutione*, quae *in editione latina est* 30., morem hunc improbasse, quemadmodum et alterum exponendi scilicet Sacramentum in Festis Sanctorum. Postquam enim dixerat, hasce expositiones fieri non debere sine Ordinarii licentia, subdit *num.* 14. et *sequen.* ,,Notum tamen esse volumus, eamdem facultatem nos minime concessuros, si in ipsis Ecclesiis statis iisdem anni diebus Effigies B. M. V. exponatur vel Festum alicujus Sancti celebretur, licet vetusta hujus rei consuetudo nobis producatur. Id enim sacrorum rituum periti summopere damnant". Auctoritatem affert *Bauldry in Manual. Sacr. caeremon. part.* 3. *cap.* 17. *num.* 2., *Bissi verb. Expositio Sanctissimi Sacramenti num.* 232. §. 5. *Thiersii de expositione Sanctissimi Sacramenti cap.* 4. *num.* 12. Haud tamen haec me commovent. Non enim spectandum est quod ipse docuit Bononiae Episcopus, verum quod Pontifex Maximus Romae fecit. Nam quod Bononiae docuit ut privatus doctor, in Petri Cathedra postea sedens repudiasse saltem tacite, si non expresse, censendus est. Pontificatum ipse tenuit ad annos duodeviginti et interea scimus,

eumdem perquam frequenter, cum ob distantiam Ecclesiarum, in quibus erat Oratio quadraginta horarum, ad eas accedere, hyemali praesertim tempore, nimis erat incommodum, ad alias pergere consuevisse, in quibus statis Hebdomadae diebus minus solemnis fit expositio et suismet oculis detectas interea vidisse Deiparae Imagines. Singulis praeterea annis Basilicam Liberianam petebat triduo Quinquagesimae, ut Sacramentum adoraret in Capella Paulina solemniter expositum, nullo velo obducta sed omnibus patente vetustissima Imagine B. M. V., quae ibi magna in veneratione est. Ipse autem, qui innumeros reformavit abusus, numquam tamen jussit, ut eadem tegeretur Imago et aliae etiam cooperirentur, quas cum Sacramento exposito apertas ipse viderat. Id satis superque est, ut morem hunc utpote Ecclesiasticis legibus non repugnantem, a sapientissimo Pontifice, qui secus ut privatus doctor existimaverat, fuisse probatum dicamus.

5. Pro coronide juvat addere, quod cum nova magnificentissima Machina pro solemni expositione peragenda in praefata Capella Paulina Basilicae Liberianae fuisset exstructa, eo tamen modo ordinata et disposita, ut in altum nimis assurgens impedimentum afferret detectioni Imaginis B. M. V: orta quaestio inter Capitulum et Sacelli Patronum, causa ad Sacr. Rit. Congregationem relata propositoque Dubio: „An SSmum. Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi sit exponendum in Altari Deiparae Virginis, hujus Imagine detecta vel potius tecta?“ Responsum fuit: „In casu de quo agitur, servandam esse antiquam consuetudinem“ quae erat, ut expositio fieret detecta Imagine; *die* 26. *Januarii* 1793. Ne autem sit qui existimet ad alios casus extendendum non esse Decretum, utpote quod non est generale, sed relativum ad speciem propositam: nam si in quibuslibet expositionibus cooperiendae essent Imagines Deiparae et Sanctorum, quia ut ajunt *Bauldry* et *Bissi loc. sup. cit.* „Praesente Domino omnium summo cessare debet cultus servorum“ neque consuetudo, etsi immemorabilis, neque conventio, neque lex fundationis, neque alia quaelibet gravissima excogitanda ratio posset honestare detectionem Imaginum, dum Sacramentum est publice expositum. Itaque supra relata Auctorum verba in sensu congruo sunt accipienda. Cultus utique non sunt confundendi, neque Deiparae et Sanctis ille tribuendus est honor, qui uni debetur Deo: nihil tamen prohibet, quominus, dum preces ad Deum dirigimus, Deiparam et Caelicolas, quorum intuemur Imagines, apud Eum deprecatores adhibeamus: imo ex Ecclesiae instituto ita est faciendum, ut quod nostris precibus non valemus, intercessorum ope et patrocinio consequamur.

6. Sciscitandi hic videtur locus: curnam tegendae omnino sint Imagines in Oratione quadraginta horarum, non item vero in aliis vel minus solemnibus vel etiam solemnissimis, quae non raro per anni circulum fiunt, expositionibus? Posset quis quaestionem solvere, quia lex unam respicit expositionem quadraginta horarum et alias non complectitur, ideoque ad has nequit extendi. Sed ratio hujusmodi, ut mihi videtur, nodum non solvit: alia quaerenda est, quam ab intrinseco dicimus. Pro diversitate functionum diversoque earumdem fine aliquid decet et licet in una, quod in altera, quamvis idem sit utriusque subjectum, non expedit. Porro Oratio quadraginta horarum ideo instituta fuit, *ut diu noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione incensum in conspectu Domini dirigatur.*

Ita in laudata Constitutione *Clementis VIII. anni* 1592. Instituti itaque praecipuus et unicus hic est finis: ergo durante Oratione, quae numquam intercipitur, nisi in triduo Passionis, quando cessat Hostia et Sacrificium, omnis cultus soli Deo exhibendus est; idcirco expedit velari Altarium Imagines, ut populus sine distractione totus sit in adoranda Eucharistia unice intentus. Hac de causa jubet Instructio nedum tegi Altaris Iconem, verum etiam hemiciclum muralem seu parietes tribunae telis sericis aut peristromatibus vestiri, conditione adjecta quod in his non contineantur historiae aut res profanae; „Ego vero, notat hic Cavalerius, adderem: neque sacras, quia ut profanae valde dedecent rei sacrae, quae exponitur; ita sacrae aptae sunt circumstantium attentionem a Sacramento distrahere et ad se convertere.“ Festivus igitur esse debet ornatus omnis, qui apponitur ratione Sacramenti expositi, tam quoad Altare quam relate ad integrum Sacelli ambitum: nihil tamen in eo occurrat oportet, quod minus conveniat Sacramento vel distractionibus praebeat occasionem.

7. Quae cum ita sint, facile assequimur, Instructionem non ideo solicitam esse de Imaginum operitione, quas illicitum censeat easdem detectas haberi tempore expositionis Eucharistiae, sed ne earum aspectus quid minimum detrahat fini intento in institutione Orationis quadraginta horarum, in aliis autem expositionibus, licet primus honor, ut semper Deo sit tribuendus; quia tamen vel ex instituto piisque fundationibus vel ex fidelium devotione simul Deiparae et Caelicolarum, qui preces nostras Deo offerant, imploratur auxilium, minime dedecet, neque Ecclesiae disciplinae repugnat, aliquam Imaginem oculis intuentium objicere. *Ita enim Virginem Mariam et Sanctos colimus, ut omnis honor ad Deum referatur.* Ut habent S. Thomas *part.* 3. *quaest.* 25. *artic.* 5. *ad* 2., S. Bonaventura *in* 3. *dist.* 9. *art.* 1. *quaest.* 3. De hac tamen re alias redibit sermo.

8. Quoniam vero alteri quaestioni occasionem praebet idem *Pontifex Benedictus XIV.*, qui auctoritatem sequens *Bauldry, Bissi* et *Thiersii* improbare videtur morem publicae venerationi exponendi Sacram Eucharistiam in Sanctorum festis: eam paucis expendere liceat. Haud enim convenire arbitrantur praefati Auctores hujusmodi expositiones. „Quia diversus est cultus exhibendus Sacrae Eucharistiae a cultu exhibendo Sanctis et praesente Domino omnium summo debet cessare cultus Sanctorum.“ Porro in sensu tam rigoroso accipienda non est horum opinio, ut nequaquam liceat conjungere expositionem SSmi. Sacramenti cum Festis Sanctorum. Secus enim interdicendae prorsusque abrogandae essent novemdiales et triduanae preces, quae persaepe instituuntur ad honorem Deiparae et Caelicolarum, exposito interim Augustissimo Sacramento; imo etiam Litaniae Lauretanae, quae ad implorandum B. M. V. praesidium coram eo a frequenti populo fere semper ante Hymnum *Tantum ergo etc.* recitantur. Carpenda praeterea esset haec eadem *Instructio*, quae §§. 24. et 30. jubet, ut, dum Sacramentum exponitur et priusquam populus cum ejusdem benedictione dimittatur, recitentur *Litaniae Sanctorum cum suis precibus.* Censura haec impeteret Institutum, probatosque Ecclesiae mores, quod vel simpliciter excogitare piaculum est. Nam *Litaniae Lauretanae* et *Sanctorum* necnon preces aliae recitari solitae et ab Ecclesia adprobatae et permissae nihil detrahunt cultui debito sacrae Eucharistiae, quia, ut supra dictum est,

cultus omnis refertur ad Deum ut ad finem ultimum, et Deiparae ac Sanctorum invocatio fit tamquam medium, quo adhibitis intercessoribus facilius a Deo obtineamus, quod petimus.

9. Discrimine igitur opus est. Nam si tali ac tanta cum solemnitate et strepitu celebretur festum, ut populi confluentis curiositatem potius excitet quam foveat devotionem; ac periculum propterea subsit irreverentiae ac distractionis: ex. gr. si exquisitus musicorum concentus ac multiplicium instrumentorum clamorosus sonitus adstantium attentionem attraheret et demulciret aures cum maximo detrimento venerationis Sacramento exhibendae, neminem fore arbitror, qui hoc in casu non existimet, satius esse a simultanea Sacramenti expositione abstinere. Atque haec ratio potius, quam auctoritas *Bauldry, Bissi, Thiersii* movit *Benedictum XIV.*, dum Cardinalis Bononiensem Ecclesiam moderabatur, ut facultatem se concessurum negaret exponendi Sacram Eucharistiam in festis Sanctorum. Id ipse aperte declarat, inquiens *loc. sup. cit.*: „Illud enim praeterire non possumus, quod maxime ad hanc sententiam confert, plurima contra Eucharistiae sanctitatem committi, cum festis Sanctorum diebus publice exponitur. Maxima enim frequentia Populi in Templum confluit, ubi post preces vanis colloquiis detinetur, utque animum musicorum concentibus intendant, Divinissimo Sacramento terga vertere non erubescit". Patet hinc, Sapientissimum Antistitem more commotum Bononiae vigente celebrandi festa Sanctorum exquisito apparatu instrumentorum ac musicorum clamore valido, cum Sacrae Eucharistiae solemni expositione, ad avertenda mala, quae inde oriebantur in religionem, noluisse ut utrumque simultanee fieret.

10. Contra vero si festi celebritas undique casta et religiosa nihil prorsus adjunctum habeat, quod sit per se aptum ad distrahendum fidelium animos a veneratione et cultu erga patens in Throno Sanctissimum Sacramentum, si omnia ad Ecclesiasticas leges ita sint composita, ut adstantium affectus ad devotionem excitent foveantque pietatem, non video, cur in festis Sanctorum publice exponere Sacramentum indecorum sit. Neque puto inconveniens esse, etiamsi sub Ecclesiasticae functiones finem, priusquam Sacerdos impertiatur populo benedictionem cum Sacramento, musicalis devotus concentus modulatis vocibus fiat. Posset etiam expositio differri ad solemnitatis finem, quando nihil est amplius, quod sit per se aptum ad populum distrahendum.

11. Audiendus Cavalerius, qui sub hac distinctione praefatorum Scriptorum opinionem amplectendam vel rejiciendam esse scite adnotat et utramque sententiam conciliat *Tom.* 4. *cap.* 7. *decret.* 28. *num.* 2. *et* 3. „Dum in tali occasione non exponitur Sacramentum (locum designat ex Benedicto XIV. supra relatum) vindicatur ab irreverentiis plurimis, in quas populus frequens labitur, cum experientia compertum sit, eumdem non semel occupari in vanis obloquutionibus, attendere musico cantui et instrumentorum sono et quandoque humeris etiam ad Sacramentum versis. Quod si expositionem in tali circumstantia a praedictis absurdis et irreverentiis alicubi immunem praxis comprobet, absit, quod ea putetur inhibita, licet satius sit, eam fieri circa finem functionis sacrae ad hymnum videlicet vel ad *Magnificat*: sic enim populo tempus suppetit se exercendi in recensitis operibus et pro modico illo tempore plebs facile se colligit Sacramentum veneratura, atque admodum laudabiliter dimittitur cum

pretiosa Sanctissimi Sacramenti benedictione".

12. Quod si juxta cl. Auctoris sensum modo praedicto haud dedecet publice Sacramentum exponere, etiamsi Vesperae solemniter cum musicali concentu et multiplici instrumentorum strepitu decantatae fuerint: multo magis licebit, ubi Vesperae vel nullo modo vel sine instrumentis devote alternantibus choris et cantu ad Ecclesiae leges composito persolvuntur. Et revera sub oculis summi Pontificis, imo cum venia ejusdem Vicarii aliquibus in Urbis Ecclesiis Titularum festa concluduntur cum SSmi. Sacramenti expositione. Et quamvis frequens conveniat populus, nihil tamen notatur, quod sit minus decens; quia nihil est, quod perturbationis et distractionis occasionem praebeat; nihil quod scandalum et offensionem pariat; nihil demum, quod ad devotionem conciliandam et venerationem fovendam non sit dispositum. Ideo idem Sapientissimus Pontifex *Benedictus XIV.*, qui protestatus fuerat non concessurum facultatem exponendi SSmum. Sacramentum in Ecclesiis Civitatis et Dioecesis Bononiensis occasione festivitatum Deiparae atque Sanctorum: satis diuturno decem et octo annorum, quibus in Petri Cathedra sedit, spatio nihil omnino quoad Ecclesias Urbis innovandum censuit: quia in expositionibus, quae Romae fiunt in Natalitiis Caelitum vel B. M. V. festivitatibus, bene norat, eam esse extrinsecam celebritatem, ut nihil secumferat, quod populum a debito erga Eucharistiae obsequio averteret aut saltem distraheret.

13. Obiter haec dicta sint. Etenim praefata distinctio nequit habere locum in Oratione quadraginta horarum eo, quia juxta mentem *Clementis VIII.*, qui omnium primus eam per integrum anni circulum fieri jussit in Urbe, ita omnia debent esse composita, ut cuncti, qui conveniunt adorationi Venerabilis Sacramenti sint unice intenti et in oratione sine ulla perturbatione spiritus, quantum fert humana fragilitas, consistant.

Non alii propterea concentus audiri debent nisi graves et devoti tantummodo in Missis solemnibus, quae servata Instructionis regula cantari debent. Verumtamen in aliquibus Ecclesiis vespertinis horis, dum populus est frequentissimus, inductus est mos modulandi cum vario instrumentorum sonitu suavi voce versiculos, qui tantum abest, ut fidelium mentes ad recolendum Divini amoris sublime mysterium pertrahant, ut potius avertant, sin minus distrahant. Estne hujusmodi mos solidae veraeque pietati affinis, ac si per eumdem major honor Sacramento deferatur, ut illi blaterant, qui suam tueri conantur inscitiam? Imo dicam abusum esse minime ferendum ac radicitus evellendum. Nisi enim opportune cohibeatur, facile est, ut producatur ultro licentia et sensim sine sensu illi inducantur modi, qui ut sunt pruriendis auribus apprime idonei, ita adstantium corda demulcent et mentes a fine in sacra illa actione intento longissime avertunt. Utinam vero id tantummodo esset timendum! vere tamen non sine gravi animi maerore et vidimus et audivimus in Domo Dei, in loco Orationis coram Augustissimo Sacramento publicae exposito venerationi eas repeti symphonias, quae plaudente hominum otiosorum turba, scaenis inservierant.

14. Si, ut verbis utar *S. Pii V.* Constitut. *Quam primum etc. dat.* 1. *Aprilis* 1566, *oportet ut ad Ecclesias sit humilis et devotus ingressus, quieta conversatio*, si *Innocentius XII.*, ut refert *Benedictus XIV. in Epistola ad Episcopos Ecclesiasticae ditionis*

19. *Januarii* 1749*) ob enatos abusus moderatis Decessorum suorum constitutionibus *generatim quarumcumque cantilenarum seu motetorum cantum prohibuit* ac regulam dedit de iis, quae cantari permissum est in solemnibus Missis ac Vesperis necnon in Supplicationibus instituendis in octiduo festivitatis Corporis Christi: peculiari quodam jure suo exigere videtur Oratio quadraginta horarum, ut humilis et quieta sit conversatio et qui eam turbare possunt cantus ac instrumentorum sonitus, penitus ab Ecclesia arceantur. *S. Carolus Borromaeus,* qui post Tridentinam Synodum merito appellari potest ecclesiasticae disciplinae Instaurator et restitutor, praecepit, ut nec Sacra fierent in Ecclesiis durante Oratione quadraginta horarum, et si qua essent implenda in illis onera, iisdem satisfieret in altera ex proximioribus, solummodo unum alterumque Sacrificium in Monialium templis permisit, dum minor esset populi frequentia, divinamque psalmodiam in Collegiatis, longius tamen ab Altari expositionis. Quae autem sanctionis ratio? Ne populo unice intento adorationi Venerabilis Sacramenti ulla daretur perturbationis occasio neve adstantium divideretur attentio. Quo exarsisset zelo Sanctus Antistes, si quis ausus fuisset coram SSmo. Sacramento publicae venerationi patente sub specie religionis et cultus suaves cantiunculas alternante instrumentorum varietate miscere, quae, quo magis alliciunt et pruriunt aures, eo etiam magis alienant spiritum ab oratione.

15. Equidem Clementina instructio haud expresse prohibet hujusmodi cantiunculas vulgari appellatione *mottetti,* nec musicam sive instrumentalem sive vocalem arcet a templis durante Oratione quadraginta horarum. Quid ex hoc? Integer attendendus est contextus, simul conciliandae diversae orationis partes: clare patebit mens Institutoris licet apertis verbis non expressa. Omnia in unum eumdemque diriguntur finem, nempe ut cogitationes affectusque omnes non ad alia distrahantur objecta. Hinc ne ulla in Altari vel prope illud detecta adsit Imago expresse jubet §. 3.; mandat insuper §. 6. obscurari fenestras *ad effetto di raccogliere la mente de' fedeli all' orazione;* ut submissa voce preces fundant, si qui sunt Sodalitatum confratres *per non causare distrazione negli altri,* omnino praecipit §. 9.; utque in Missis privatis *neppur si suoni il campanello all' elevazione* §. 13.; arcet procul a foribus Ecclesiae pauperes quaestuantes *ad effetto d'evitare la distrazione de' fedeli, che orano* §. 28.; eadem de causa prohibet §. 32. conciones tempore expositionis et vix permittit, data a Praesidibus venia, brevia colloquia *per eccitare i fedeli alla devozione verso il SSmo. Sagramento.* Si ex his aliisque sanctionibus plane ad veritatem patet cum ratio instituti tum Pontificis mens, quisnam erit, qui ex Instructionis silentio facultatem relictam existimet, miscendi cantiunculas ad certas leges compositas? Si omnia arcenda sunt objecta etiam sacra et religiosa, quibus ad varia confluentis populi dividatur attentio, quis umquam sibi suadere poterit, noluisse legislatorem interdicere cantilenas, quae, quo magis delectant, eo etiam magis quamdam mentis alienationem inducunt ab Eo, quod unice adorandum proponitur?

16. Sustineri posse inductum morem, qui illum tuentur, existimant, quia hujusmodi versiculi desumpti ex psalmis, canticis aliisque Bibliorum locis ad Sacram Eucharistiam pertinent vel mysticam habent significationem, ni-

*) Vd.: *Musica* (alteratio etc.)

hilque est, quod non sit Ecclesiae probatum, aut profani quid redoleat. Oh quam facile decipimur sub specie boni! Nonne satis est, quod musica tam vocalis quam instrumentalis, licet in aliis sacris functionibus admissa, in hac tamen institutioni, fini, objecto, menti Legislatoris lataeque legi repugnet? Nonne Oratio quadraginta horarum jure quodam suo silentium postulat, ut cogitationes omnes et affectus in unum simul dirigantur objectum et finem? Sancta sint carmina, graves modi atque devoti, nihil prorsus occurrat cum in vocibus tum in instrumentis, quod religionem non foveat et ad venerationem excitandam erga Sacramentum non sit apprime aptum. Quid tum postea? Non omnia, quae sancta sunt, semper et qualibet occasione expedit fieri, neque in privatorum hominum arbitrio est ea agere, quae licet pietati videantur accomodata, justis tamen de causis a Praesulibus in sacris quibusdam actionibus tacite vel expresse interdicuntur, etsi permittantur in aliis. Praeterea, experientia, heu nimis! discimus, quosdam inductos mores in se spectatos sanctos multaque commendatione dignos, prudentibus tamen Ecclesiasticae disciplinae institutis non satis probatos, sensim sine sensu in damnandos abusus converti? Quod praecipue accidit in Musica tam vocali quam instrumentali. Quoties eo processit licentia, ut in Ecclesiis ea repeti audita fuerint, quae profanis spectaculis inservierant, quum ad satisfaciendum otiosae plebis curiositati, factum nil aliud sit, nisi ad sacros versus transferre modos, qui in profanis cantiunculis adhibiti majorem plausum reportarunt? Atque hanc fuisse rationem arbitror, propter quam, ut refert *Benedictus XIV.* in praefata Encyclica ad Episcopos, *Innocentius XII.* generatim quemcumque cantilenarum seu motetorum cantum eliminavit ab Ecclesiis, atque hac lege revocavit, quod jam pridem sub certis quibusdam regulis et conditionibus indulserant *Alexander VII.**) et *Innocentius XI.*, exclusis videlicet modulis illis, *qui choreas et profanam potius melodiam quam Ecclesiasticam imitantur*. Videtur igitur moderamen hujusmodi non fuisse servatum. Quamobrem *Innocentius XII.* coactus fuit, *offusis variarum interpretationum tenebris discussis*, cöercere licentiam interdicendo cantum motetorum ac limitando musicam ad Missas solemnes et vesperas, iis enumeratis, quae modulari tantummodo possent.

17. Verumtamen, *Innocentii* Constitutione non obstante, in aliquibus solemnioribus expositionibus, quae per annum fiunt, praesertim vero baccanalium tempore scientibus et silentibus Praesulibus cantum motetorum et variorum instrumentorum sonitum saepius et quotannis permissum et novimus et nostris auribus audivimus. Quid igitur? Cur quod fit in aliis, si fiat in Expositionibus quadraginta horarum, piaculum erit? Meum non est, rationes scrutari, quibus moti summi Praesides tacite vel expresee id sinunt in aliis expositionibus, quod fieri posse nego in Oratione quadraginta horarum. Grande intercedit inter utrumque discrimen. Illarum quippe, quae solemniter fiunt, dum populus lubricis spectaculis est totus intentus, duplex est finis. Alter versatur circa honorem Deo tribuendum, ut aliquo modo compensatio ei retribuatur pro injuriis, quae irrogantur ab illis, qui, ut sequantur vana mundi deliria, vitiis laxare habenas non erubescunt; alter vero, ut homines ab jocis et scurilitatibus retrahantur. Quamobrem si in his admittatur musica cum vocalis tum instrumentalis gravis, devota, ad

*) Vd.: *Musica* (alterat. etc.)

Ecclesiae leges composita, nihil habens vel in modis vel in expressionibus, quod locum orationis dedeceat et profanum sit; id ferendum esse non inficior. Etiam in aliquibus Ecclesiis Urbis antiqua est consuetudo a Praesidibus tolerata canendi versiculos, pulsatis organis et instrumentis hebdomadis Sexagesimae et Quinquagesimae, dum luxuries magis agitat profanam plebem. Sed longe diversa ratio est, quae militat in Oratione quadraginta horarum. Unicus est ejusdem finis, unicum objectum, scilicet perennis adoratio Augustissimi Sacramenti nec intercepta nec districta. Idcirco in Ecclesiis, ea durante, ut supra notatum est, tale sit silentium oportet, ut nihil prorsus occurrat, quod adstantium mentes valeat perturbare. Satis haec sunt ut quisqne agnoscat jure merito damnandum ac omnino eliminandum esse ab Ecclesiis inductum morem canendi versiculos et ad certum modum pulsandi instrumenta, dum oratio perennis, patente in sublimi Throno Sacramento, id omne respuit, quod instituto repugnat.

§. IV.

»Sopra l' Altare non vi si ponghino Reliquie de Santi, o Statue de' medesimi (non escludendosi però quelle degli Angeli, che faccino gura di candelieri) e molto meno vi si ponghino figure dell' anime del Purgatorio di qualsisia materia; il che si proibisce anche in tutte l' esposizioni particolari, ed in quelle, che talvolta si fanno per suffragio di quelle anime«.

1. Haec sanctio, quae jubet, ne super Altare, in quo Sacramentum exponitur, apponantur *Reliquiae* aut *Simulacra Sanctorum*, nedum obtinet in Oratione quadraginta horarum, verum etiam in aliis quibuscumque expositionibus, quae minus magisque solemniter per annum fiunt, collocato Sacramento in Throno. Id declaratum video per modum regulae generalis a *Sac. Rit. Congregatione in Aquen. die* 2. *Septembris* 1741. Siquidem ad *tertium quaesitum Dubii* 5. hisce conceptum verbis: *Suntne salutandae Reliquiae expositae in Altari, in quo et ipsum Sacramentum expositum est?* responsum fuit: *Sanctorum Reliquiae non sunt collocandae super Altare, in quo reipsa SSmum. Sacramentum est expositum.* Scite Sacra Congregatio directe non respondit ad Dubium sed sustulit errorem, qui Dubium creabat, declarando illicitam Sacrarum Reliquiarum retentionem in Altari, simul ac in eo patet expositum SSmum. Sacramentum. Erroneae huic opinioni causam fortasse praebuerat *Gavantus*, qui minus accurata usus expressione, haud reprobasse visus est hujusmodi Reliquiarum retentionem, dummodo non collocentur altiori in loco. Postquam enim dixerat *part.* 1. *ad Missalis Rubricas tit.* 20. *litt. d.* agens *de praeparatione et ornamentis Altaris: Vasa quoque Reliquiarum exponi solent hinc inde vel inter candelabra*, notat: *qua in re cavendum illud erit, ne umquam supra locum Sacramenti, praesertim si exponatur populo pro oratione publica, Reliquiarum vasa collocentur: decet enim sedere Dominum in altiori supra servos suos.*

2. Verumtamen heic loci cl. Auctor loquitur stricte de ornatu Altaris et carpit illorum morem, qui vasa cum Sanctorum Reliquiis collocare non dubitabant in medio supra tabernaculum, in quo recondita asservatur Sanctissima Eucharistia. Summopere dedecet, ut tabernaculum destinatum pro Sacramenti custodia simul inserviat pro basi, ubi exponantur Reliquiae, quod multo magis indecorum notat in ejusdem Sacramenti expositione, cujus non ex professo sed obiter et acci-

dentaliter meminit. Neque ex hoc certo consequitur *Gavantum* non reprobasse collocationem Reliquiarum inter candelabra, dummodo id fiat in humiliori loco. Quidquid tamen sit de Scriptoris mente, quam nec *Meratus* attigit, quaestio omnis cessat, dum *Instructio* et *laudatum S. R. C. Decretum,* ne ullo modo Reliquiae apponantur, definiunt ac jubent. Dixi: Instructio et laudatum Decretum, quia una per alterum declaratur. Forte enim quis opinari posset extensionem legis figuras tantummodo animarum purgantium respicere, quia sanctio postremo eam ponit relate potissimum ad expositiones, quae fiunt in earumdem suffragium: verum Decretum, quod longe posterius ea est, quamlibet dubitandi rationem eliminat, generaliter arcens Reliquias ab Altari, *in quo reipsa SSmum. Sacramentum est expositum.*

3. Juvat hic addere quod notat *Cavalerius ibidem cap.* 7. *Decret.* 28. *num.* 1. „Nobis nec arridet usus illarum Ecclesiarum, quae in Altari expositionum solemnium mediis fuguris, licet ex Sacra Scriptura depromptis, apponunt symbola Sanctissimae Eucharistiae; etsi enim ipsa sacra sint et in aliis circumstantiis fortasse probanda, in praesenti nos collaudare non possumus, quia, dum ad se convertunt intuentium oculos, fideles distrahunt ab attentione erga SSmum. Sacramentum et ab ejusdem veneratione". Haec tamen opinio, si placet generaliter sumpta rigida nimis nonnullis videbitur ac propterea non sine aliqua distinctione amplectenda. Si *Clementina instructio* excipit a regula tantummodo pro ornatu Altaris in solemni expositione quadraginta horarum Angelorum simulacra, *che faccino figura di candelieri,* certum est sub regula comprehendi etiam medias figuras, licet ex Sacra Scriptura depromptas; censerem etiam eamdem regulam servandam esse in aliis expositionibus, quae more consueto fiunt: tam rigidus non essem quoad aliquas extraordinarias, licet solemnes, quae disponuntur ad instar Proscaenii. In his tolerari posse videntur symbola quaedam Eucharistiae, dummodo intersit Praesidum approbatio. Cavendum tamen, ne quid collocetur, quod vel ratione subjecti repraesentati vel rationi expressionis vel alia de causa convenire haud posse videatur.

4. Et revera in solemnissima illa expositione, quae fit baccanalium tempore ad revocandum populum a profana spectaculorum licentia in *Oratorio S. Mariae Pietatis,* quod a Fundatore *P. Caravita* dicitur, magnifica extrui solet Machina, in cujus summitate residet Sacramentum tamquam in gloria inter Angelorum Choros, in inferiori vero parte aliqua repraesentatur historia vel ex Sacris Literis vel ex Ecclesiae fastis vel ex actis Sanctorum tanti mysterii symbolica. Id nedum permiserunt Pontifices Summi, sed et praesentia probarunt, cum consueverint illuc ad Sacramentum adorandum accedere. Certum est enim hujusmodi morem vere religiosum et pium plurimum conferre, ea praesertim occasione, ad populum alliciendum devotionemque excitandam.

5. Heic vero loci sciscitari quis posset: num semper, ubicumque et qualibet data occasione removendae sint Reliquiae Sanctorum ab Altari, dum venerationi exponitur SSmum. Sacramentum? Diximus supra regulam essse generalem; eam tamen intelligi oportere existimo de omnibus expositionibus publicis, licet ex causa privata, sive hae ad longum sive ad breve tempus fiant. *Publicam tamen lato modo dicimus quamcumque expositionem, dum e Tabernaculo extracta Sacra Hostia in Ostensorio*

detecto aut velato, omnium adstantium oculis in throno patet. Quod etiam obtinet, si alicubi in more sit, loco Ostensorii Sacram Pyxidem velatam sub umbella collocare (quod tamen, ut ex infra dicendis patebit, a receptis adprobatisque ritibus et Romanae Ecclesiae consuetudine alienum longe est). *Secus* vero dicendum de expositionibus *omnino privatis*, quae pro re nata, improviso quandoque fiunt, dum aperto Tabernaculi Ostiolo sacra Pyxis clausa, suoque velamine obtecta adstantium oculis subjicitur, quin extrahatur ad populum cum benedictione dimittendum. Hoc enim in casu inopportunum esset removere ex Altari Vasa cum Sanctorum Reliquiis, dummodo tamen nullum supra Tabernaculum situm sit; quemadmodum paulo ante ex *Gavanto* notavimus. Quamquam magis congrueret solis candelabris et floribus instruere Altare, in quo Venerabile Sacramentum perpetuo asservatur.

6. Subdit Instructio, ne apponantur omnino in Altari *Imagines animarum purgantium*, vel hae sculptae sint vel depictae vel qualibet ex materia elaboratae. Haec regula praeceptiva est, et ad omnes expositiones extenditur, ne illis quidem exceptis, quae quandoque solemniter fiunt in earumdem suffragium, quinimo hae verbis expressis regulae subjiciuntur.

7. Nedum vero hujusmodi imagines, simulacra, symbola ab Altari, verum *etiam a capella* abesse debent, quemadmodum et vela nigri, aut violacei coloris et aulaea funebria. Haud enim decet haberi lugubria in loco, ubi micat Christus gloriosus. Si *Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 11.* jubet, ne in Missa Pontificali pro defunctis, imaginibus mortuorum et albis crucibus distinguantur paramenta tam Altaris quam Celebrantis et Ministrorum, nec Libri et Faldistorium: multo magis funebria arcenda sunt ab Altari et Sacello, in quibus Augustissimum Sacramentum exponitur. Aequum enim est, ut ornamenta quaelibet, quae apponuntur, respondeant aliquo modo majestati Summi omnium Domini, qui sub specie panis latens adoratur in throno expositus; etiamsi finis in hujusmodi expositione intentus sit precatio ad animabus purgantibus juvandum

8. Hinc Sac. Rit. Congregatio in Antuerpien. 10. Februarii 1685 ad quaesita. „Num liceat Confraternitati etc. exponere SSmum. Eucharistiae Sacramentum cum apparatis nigris et in Processione illud deferre cum vexillis nigri coloris? An eidem Confraternitati liceat similem expositionem facere in Missa et Officio defunctorum cum apparatu pariter nigri coloris?“ respondit absolute: *Non licere.* Ut enim Sacramento solemniter exposito, quacumque ex causa id fiat, Pallium Altaris, Baldachinum aliaeque Supellectiles aut ornatus debent esse coloris, qui convenit Sacramento, ita etiam apparatus Sacelli debet esse festivus: quemadmodum *Feria V. in Coena Domini* expleta Missa et *feria VI. in Parasceve*, Templis omni distitutis ornatu, dum luctus atque tristitia occupat omnia, ob recolendam Passionis Dominicae memoriam; nihilominus ex Ecclesiae instituto et Rubricarum lege festive ornatur Sacellum, in quo Sacra Hostia asservatur. His accedit, quod Sac. Rit. Congregatio, orta quaestione: „An Cathedra pro concione habenda piis quibusdam in exercitationibus cum Sacramenti expositione operienda esset pannis violaceis, qui color magis convenire videbatur functioni, an coloris albi ratione Sacramenti?“ respondit: *Utendum colore albo quoad exedron in Sanctissimi Sacramenti expositione.* Ita nuperrime *in Hispalen die* 9. *Aprilis* 1808.

9. Quamvis vero haec universim obtineant ex praescripto Ecclesiae quoad Altare et Sacellum, lex tamen tanto cum rigore non est accipienda, ut nihil prorsus, occasione expositionis pro defunctis, funebris apparatus sit extra Sacelli cancellos in Ecclesia. Audiendus Cavalerius, qui ad hunc locum inquit: „Quod tu extende (regulam scilicet pro Altari ab Instructione latam) ad totum Presbyterium, in quo Sacramentum extat expositum, non vero ad caeteram Ecclesiam, in qua praeterea panni nigri supra parietes poterunt extendi et apponi mortuorum figurae, quoties Sacramentum exponitur ad suffragandas defunctorum animas“. In hac ipsa alma Urbe invaluit consuetudo, quod pluribus in Ecclesiis solemniter celebratur octiduum post festum omnium Sanctorum pro defunctis cum SSmi. Sacramenti expositione festive adornato Sacello, in quo fit expositio, tota vero Ecclesia nigris pannis vestita et imaginibus mortuorum; quem morem ad quamplurimas alias Catholici Orbis Ecclesias extensum vigilantissimi probarunt Antistites.

10. Hac super re recentissimum habemus Sac. Rit. Congregationis Decretum, quod est per se idoneum ad quaslibet amputandas quaestiones. Canonici insignis Collegiatae Regiae Ecclesiae S. Laurentii Florentiae, justis persolutis nuper defuncto totius *Etruriae Regi Ludovico*, cum adhuc Ecclesia funebri esset vestita ornatu, in ulterius devoti animi argumentum publicas preces instituerant coram Sacramento Fidelium venerationi solemniter exposito, amotis lugubri feretro, palliis nigri coloris nedum ex Ara principe sed etiam ex minoribus Altaribus detractisque pariter velis nigris alba Cruce signatis contegentibus Imagines Sanctorum supra easdem minores Aras collocatas; integro tamen ambitu Sacelli, in quo expositum erat Sacramentum, ornatu festivo contecto. Quaestio orta est inter aliquos: num id licuisset; contendentibus nonnullis contra Ecclesiae leges fuisse peccatum et quidquid lugubre supererat ab Ecclesia removendum existimantibus. Religiosissimum Capitulum, etsi de recte facto non dubitaret, nihilominus ad os obstruendum adversus vociferantes, ad Sacram Congregationem recursum habuit, ut haec definiret, num recte an perperam se gessisset et insuper ut certam haberet regulam in similibus servandam. Sacra autem Congregatio re mature discussa respondit: „Cum praecipua pars Capellae, in qua manebat SSmum. Sacramentum, festivis velis ornata fuerit, nihil in hujusmodi facto esse reprehendendum; imo neque necessariam fuisse remotionem palliorum nigri coloris a minoribus Aris“. Id pertinet ad probationem facti; quoad modum vero servandum in similibus addidit: „Non improbare, quod eodem modo justa persolvantur ad plures etiam dies vel pro omnibus fidelibus defunctis vel pro defunctis alicujus Congregationis tam Ecclesiasticorum quam Laicorum“. Reprobavit solummodo morem alicubi invectum exponendi SSmum. Eucharistiae Sacramentum in privatis exequiis. Sed id ad rem nostram non attinet.

11. Quum igitur Sacrae Liturgiae Peritorum auctoritas, Ecclesiarum Urbis constans consuetudo et quod magis est, Sac. Rit. Congregationis Decreta simul conveniant, quod non deceat funebris apparatus in Ecclesia, dum preces indicuntur pro expiatione animarum purgantium, dummodo Sacellum, in quo publicae venerationi expositum est Augustissimum Sacramentum, festive sine ullo luctus inditio adornetur: jam patet, quomodo intelligenda sit postrema pars *sectionis* 4. *Clementinae Instructionis* conjun-

genda cum sectione praecedenti, quae circa ornatum Sacelli versatur. Sed de hoc satis; progrediamur ad alia.

§. V.

»Sopra detto Altare in sito emi-»nente vi sia un Tabernacolo, o Trono »con baldacchino proporzionato di »color bianco, e sopra la base di esso »vi sia un Corporale per collocarvi »l' Ostensorio, o Custodia, il di cui »giro sarà attorniato di raggi, e non »vi sarà davanti alcun ornamento, che »impedisca la vista del SSmo.«

1. Si festivus esse debet ornatus omnis cum Sacelli tum Altaris, in quo publice exponitur SSmum. Sacramentum, ut supra jam vidimus, multo magis decet ut festiva sint omnia, quae immediate inserviunt Sacramento. Jubet propterea Instructio, ut Tabernaculum seu Thronus cum superimposito Baldachino, in quo Ostensorium collocandum est, in eminentiori Altaris parte assurgat velisque sit instructus albi coloris: „Un Tabernacolo, o Trono con Baldacchino proporzionato di color bianco.“ Ne tamen censeas album colorem ita praescribi, ut non liceat alio ornatu Tabernaculum seu Thronum vestiri: ornamenta excluduntur, quae nullatenus conveniunt Sacramento; caeterum si Thronus sit coelaturis cum superinducto auro aut argento affabre elaboratus, pendentibus e corona laciniis auro pariter et argento intextis et in intima parte tela acu picta coopertus vel alio non absimili modo constructus; etiamsi color albus vix, ac ne vix quidem conspiciatur, dummodo nil sit, quod non conveniat Sacramento, tuto poterit adhiberi.

2. Scite distinguit Instructio *Tabernaculum* seu *Thronum* pro diversitate Altarium, in quo debet collocari. Illud enim ex quatuor lateribus apertum adhibendum praecipue est in Altaribus ad Orientem positis, ut undique conspici possit Sacramentum; Thronus vero in aliis Altaribus, quae unicam habent faciem versus populum. Quamquam nec *Thronus* nec *Tabernaculum* apponi debent in Altaribus, quibus magnificum imminet baldachinum vel sustentatum columnis, ut in Urbis Basilicis vel ex laqueari pendens, ut in Ecclesiis *S. Andreae de Valle*, *S. Mariae ad Martyres*, *S. Mariae supra Minervam* et in aliis. Quantum vero ab Altaris superficie *Tabernaculum* seu *Thronus* eminere debeat, certo nequit determinari, quum id potissimum dependeat ab Altaris Sacellique structura, a Machinae elevatione, a majore minorique apparatu, a quantitate et dispositione luminum et aliis id genus circumstantiis.

3. Sicuti autem Sanctio determinat *Tabernaculi* vel *Throni* cum superimposito *baldachino* ornatum, qui Sacramento conveniat, ut non liceat iis coloribus in ornamentis uti, quae licet festiva sint, ex Ecclesiae tamen instituto et disciplina adhiberi non debent in iis, quae proxime inserviunt Sacramento; ita etiam et alii ornatus sint oportet, quibus Altare, in quo exponitur Sacramentum, instruendum est ad differentiam illorum, quibus vel solemnitatis causa vel ex legis praescripto in Oratione quadraginta horarum vestiuntur Sacelli parietes. Quoad has certa non determinantur tegumenta, ut supra vidimus et aptari possunt vel serica damascena vel aulaea attalica vel depictae telae. Verum licet hujusmodi ornatus ad apponentium placitum adhiberi possint, tales nihilominus, ut supra innuimus, esse debent, vel color spectetur vel alia adjuncta, quales Sacramento conveniunt. Idcirco hic nostra Instructio expresse vult *baldachino di color bianco,* quod intelligendum est juxta modum supra declaratum; ejusdemque coloris esse debent Altaris pallium,

velum humerale, baldachinum portatile ut in §. 18.: quoad parietes vero et Imaginum vela, unam dumtaxat conditionem apponit, ne tegumenta aut ornatus historias vel quid profanum exhibeant.

4. Mandat praeterea Instructio, ut *Sacrum Corporale* extendatur supra Tabernaculi aut Throni basim. Id tamen non est in sensu tam rigido accipiendum, ut non liceat quandoque *Pallam* promiscue adhiberi: imo quum basis ut plurimum sit nimis angusta, ideo nequit in ea explicari *Corporale* et nisi apponatur *Palla*, non secus erit, quam plicatum aptandum. Quamquam omnis cessat dubitandi ratio, quia etiam *Pallam* venit sub nomine *Corporalis*, tamquam hujus pars; ita *Macri* allatis documentis in suo Hierolexicon: *Palla pars Corporalis, sive parvum Corporale, quo Calix cooperitur* et antiquitus *Corporale* appellabatur etiam *Palla*, ut ex *Ordinibus Romanis Sacramentariis* et *antiquis Ritualibus* probant idem *Macri* et *Ducangius ad V.: Corporale. Foeminis Deo devotis vetitum est sacra vasa et sacratas Pallas* (hoc est Corporalia) *attingere. Cap. Sacratas. Dist.* 23. *Corporale* autem erat adeo amplum, ut et Altaris mensam occuparet totam et ejus pars anterior revoluta ad Calicem cooperiendum inserviret. Quamobrem cum unum et idem censeri debeant *Corporale* et *Palla*, pro hac non habemus peculiarem benedictionem, sed una simul cum *Corporale* benedicitur. Tametsi postmodum *Palla* fuerit invecta et a *Corporali* separata ad quodlibet avertendum periculum, quod certe imminebat, dum Calix operiebatur cum revoluta anteriore parte *Corporalis*, adhuc tamen censetur et est pars *Corporalis*. Vide opus de *Sacris utensilibus Fabii* de *Albertis*, *qui cap.* 2. *num.* 37. *et cap.* 5. *num.* 33. censet, *Pallam* divisam a *Corporali* fuisse *Saeculo XII. vel XIII.* Vide etiam *Gavantum ad Rubricas Missalis part.* 2. *tit.* 1. *de Praeparatione Sacerdotis etc.* §.: *parva pars linea etc.*, *Baruffaldum* et *Catalanum ad Rituale Romanum*, tit. de *Benedict. Corporalium* et ut innumeros alios praeteream, *Cardinalem Bona de Rebus Liturgicis lib.* 1. *cap.* 25. et *Benedictum XIV. de Sacrificio Missae lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 6.

5. Idcirco, quin ulla inferatur violentia Instructionis verbis, quibus *Corporale* notatur, substerni poterit *Palla Ostensorio*, cum *Corporale* et *Palla* promiscua sint nomina; quare *Innocentius III. de Mysteriis Missae cap.* 56., inquit: ,,Duplex est Palla, quae dicitur Corporale, una, quam Diaconus super Altare totam extendit, altera, quam supra Calicem plicatam imponit;" Ait *plicatam*; unde colligimus aevo *Innocentii III.* morem recessisse saltem apud Italos unam adhibendi Pallam, cujus pars anterior Calicem operiebat; nondum tamen alterum obtinuisse efformandi *Pallam* eo modo, quo ab aliquibus retro saeculis eadem in usu est, sed adhuc consuevisse latam habere extensionem, ut licet ad unum solummodo effectum tegendi Calicem destinata, nonnisi *plicata* adhiberi posset. Satis haec sunt, ut quisque agnoscat, aut *Corporale plicatum* aut *Pallam Ostensorio* posse substerni.

6. Subdit Instructio, *Ostensorii*, quod etiam *custodiam* appellat, orbem radiis circumdatum esse ad instar stellae in signum gloriae: demandat insuper *ne quid ad ornatum collocetur ante* Ostensorium, per quod Sacramenti impediatur aspectus. Id intelligendum etiam de *candelabris* et luminibus, quae hinc inde lateraliter debent disponi, ut aliqua saltem prope sint Sacramentum; nullum tamen vel minimum impedimentum apponant Sacram

Hostiam intuentibus. Non inde consequitur, haud posse vasa cum floribus collocari vel supra Altaris mensam vel etiam inter candelabra, dummodo in humiliori loco sint et Augustissimi Sacramenti non impediant aspectum. Et revera si ante ostiolum Tabernaculi, in quo Sacra asservatur Eucharistia, non est retinendum vas florum vel quid simile, sed potest collocari in humiliori decenti loco, ne abscondatur Imago D. N. J. C. vel depicta vel sculpta, quemadmodum *Sac. Rit. Congregatio* respondit in *una Congregationis Montis Coronae die* 22. *Januarii* 1701 relat. in hac nostra Collectione *num.* 3426 *ad* 10; multo magis vetitum id est ante Sacramentum, quod in Throno expositum omnium intuentium oculis patere debet.

7. Memorat Instructio *Ostensorium* seu *Custodiam:* et quoniam particula illa *seu* nonnumquam tamquam disjunctiva accipitur, idcirco nonnullis res inter se diversas, licet ad unum eumdemque finem ordinatas, significare voluisse visa est. His adnumeratur *Cavalerius*, qui ad hunc locum adnotat: „Ostensorio vel Custodiae ad ejusdem Instructionis textum, qui consulto posuit *l'Ostensorio, o Custodia*, ut inde detur intelligi. Sacramentum non necessario exponendum esse in Ostensorio, quod licet ad rem forsan sit instrumentum aptius, modernae tamen est inventionis; sed integrum adhuc esse illud exponere mediis instrumentis illis significatis ampliori Custodiae nomine, quibus illud idem exponere et per Processionem gestare solebat antiquitas". *Et tom.* 4. *cap.* 11. *Decret.* 1. *num.* 11. „Custodiae itaque nomine .... veniunt etiam instrumenta illa, quibus olim SSmum. Sacramentum exponi et processionaliter deferri solebat." Verum, pace tanti viri, concedam *Custodiae* nomen antiquitus usurpatum fuisse ad capsulam seu vas significandum, in quo recondebatur Eucharistia vel exponenda vel suppliciter circumferenda: nego tamen quod in sensu *Instructionis* verba illa *Ostensorio, o Custodia*, disjunctive accipienda sint: sub diversa vocum expressione per eadem verba, ut synonima, una eademque res intelligitur. Idem quippe Instrumentum *Ostensorium* est, quatenus mediis cristallis sacram intuentibus exhibet Hostiam; *Custodia* vero, quatenus Sacramentum includit, ut videri quidem possit, non item tangi. Certe *Clemens XI.*, qui primus ineunte *anno* 1705 *Instructionem* disponi et evulgari jussit, aevi sui laudabilem et rationabilem consuetudinem prosequutus est; neque id intendisse dicendus, quod anteactis saeculis obtinuerat, sed jam erat antiquitate obsoletum vel alicubi tantum, non autem in Urbe et Italia fere tota, adhuc servabatur.

8. Suam sententiam tuetur *Cavalerius* auctoritate *Gregorii Thuronensis lib.* 1. *de Gloria Martyrum*, qui Custodiae meminit ad turris similitudinem elaboratae: „Acceptaque Turre Diaconus, in qua Mysterium Dominici Corporis habebatur, ferre coepit ad ostium, ingressusque Templum, ut eam Altari superimponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aera: et exemplo instrumenti illius, quo insigniri solet „Imago S. Clarae Assisiensis, quae Saracenis Monasterium invadere conantibus, ad ejus portam afferri voluit SSmum. Sacramentum". Haec tamen quid prosunt? Turris, Columbae, Capsulae argenteae, eburneae aliave cujusvis formae et materiae vasa sub *Custodiae* nomine veniunt, non item *Ostensorii*, nisi hoc vocabulum lato modo accipiatur pro *ostensione* Instrumenti seu Capsulae, in quo recondebatur Sacrum Christi Corpus oculis intuentium minime patens. Non enim Sacramentum tunc exponi consuevit,

ut modo fit et aliquibus retro saeculis fieri coepit: si morem hunc longe prius obtinuisse quis velit, haud ullum documentum reperiet, quo evincat Sacram Hostiam, ut modo est ope Ostensorii, quaecumque eis forma sit, visibilem fuisse.

9. *Christianus Lupus* in aureo Tractatu *de Processionibus*, agens de Sanctissimi Sacramenti publica expositione, *Oper. tom. VI. pag.* 362., quandonam inceperit in Ecclesia Latina detectam exponi Sacram Eucharistiam se ignorare fatetur; putat tamen, hunc morem multo esse antiquiorem aevo *Urbani IV.*, qui Pontifex fuit renunciatus *anno* 1261. Vide tamen qua ratione motus ita opinetur. ,,Quia, *inquit*, S. Clara ipsum (scilicet Sacramentum) nequaquam asportari jussisset ad Monasterii portam, nisi consuevisset exponi in Ecclesia et forsan extra ipsam etiam deportari.“ Sed haec argumentandi ratio, praeterquamquod a simplici conjectura petitur, ac propterea certitudinis gradum nequit obtineri, non valet ad finem, quem intendimus. Esto quidem vas illud, in quo tamquam in custodia asservabatur Sacramentum, extrahi quandoque e Tabernaculo consuevisse et publicae exponi venerationi et etiam si vis in Processionibus circumferri, non propterea consequitur, Sacram Hostiam conspici potuisse; imo certum est solam patuisse *custodiam*. *Lupum* refellit *Benedictus XIV.*, neque exemplum *S. Clarae* prodesse demonstrat. ,,Cum tamen, *inquit Instit.* 30. *num.* 4., in actis S. Clarae habeatur, quod Divinam Eucharistiam praeferri voluit“ argentea capsa intus ebur inclusa, ,,hinc non sequitur eam disciplinam tunc fuisse, ut palam populo proponeretur, uti recte expendit Thiersius *lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 133“. Patet hinc licentia Pictoribus permissa, hos fuisse usos, qui cum alius non suppeteret, ut aliquo sensibili modo ostenderent ad Monasterii januam Sacramentum fuisse delatum, loco argenteae capsulae licitum sibi esse duxerunt substituere cilindricum vas undique per girum columellis intersectum ac cristallis munitum, quorum ope Sacra Hostia conspici posset. Numquid vero a placito Pictorum ad aliquid certo firmandum, argumenta petenda sunt, si quod ex quadam necessitate eis licuisse putandum est, facto repugnet?

10. Et revera idem *Lupus* conjecturam illam suam multi pendendam non esse plane ostendit, concludens ,,Quidquid sit post Urbani IV. Decretum pietas coepit esse frequentior et brevi tempori fuit admissa (publica Sacramenti expositio) apud omnes Ecclesias .... eodem tempore (circa Urbani aetatem) quidam coepisse putant monstratoria Sacramenti vasa in variis formis“. Quod si *monstratoria* seu *monstrantia vasa* circa *Urbani IV.* tempora invecta sunt, concludimus anteactis saeculis in usu non fuisse et Sacramentum in undique clausis custodiis asservatum, licet ea vasa, in quibus recondebatur Sacra Hostia, quandoque educerentur vel in Altari exponenda vel in processione circumferenda.

11. Quod adeo verum est, ut *Thiersius* in suo tractatu *de expositione SSmi. Sacramenti lib.* 2. *cap.* 4., an statim ab initio patenter delata fuerit Eucharistia, vehementer dubitet et in eam propendet sententiam, “quae sustinet Sacramentum in Calice, seu vase alio absconditum deportatum fuisse“ Bene idcirco hujusmodi vas *Custodia* potius, quam *Ostensorium* dicebatur. *Martene de antiquis Ecclesiae ritibus lib.* 4. *cap.* 29. *num.* 5. dubiam rem esse vult et plurima affert documenta, quae utrique sententiae favere videntur. Forte enim, ut saepe accidit, dum aliquid ad variabilem

disciplinam pertinens novam induit formam, paulatim coepit in aliqua Ecclesia detectum exponi Sacramentum, retinentibus aliis antiquum morem, donec et etiam ipsae novum ritum ut religioni et pietati consonum sensim sine sensu adoptarunt.

12. Parum tamen id interest. Vel enim aevo *Urbani IV.* invecta fuerint *vasa monstrantia*, quorum ope Sacramentum publice exponeretur vel multo post (vetustiora certe non sunt) parum hoc ad hodiernam disciplinam, quam unice spectare debemus, confert. Aevo *S. Caroli Borromaei* antiquioris disciplinae aliqua adhuc vestigia supererant. Exponebatur quidem Sacra Hostia mediis cristallis conspicienda, licet vasis forma longe diversa esset ab ea, quae modo in usu est et turrim seu cilindricum Instrumentum in piramidis formam desinens, repraesentaret, ad illius modum instructum, qui parum differt ab eo, quem exhibent Pictores in *S. Clarae* Imaginibus. Vide *Acta Ecclesiae Mediolanensis part.* 1. *pag.* 116. *part.* 4. *pag.* 543 *editionis Patavinae.* Ne tamen visibiliter omnino pateret Hostia, ob reverentiam Sacramenti, vas illud, quod parvum Tabernaculum dicitur, ad differentiam majoris, in quo asservabatur, oblongo velo cooperiebatur. Ita in iisdem Actis *part.* 4. *pag.* 681. „Per questa Orazione (scilicet quadraginta horarum) il Santissimo Sagramento si collochi sopra l'Altare maggiore, e fuori del Tabernacolo maggiore, con un velo di seta, che cuopra il Tabernacolo piccolo, che ha dentro il Santissimo Sagramento, e sia tanto lungo, che faccia due ali dalle parti, cioè sino alli due corni dell' Altare, l' uno dell' Evangelo, l' altro dell' Epistola". Quae sane Sancti Antistitis regula plene demonstrat, nondum invectum fuisse Thronum, in quo Sacramentum exponeretur, sed cum sacrum vas illud continens in Altaris mensa extra tabernaculum majus collocandum esset loco Throni et Baldachini imponebatur velum, quod forte aliquo modo tegens Sacram Hostiam, majorem ei venerationem conciliabat.

13. Temporis successu *Ostensorium* exponi coepit sub *baldachino* sive *umbella* in expositionibus publicis et antiquus mos retentus in aliis minus solemnibus et ex causa privata: forma vero Ostensorii in aliam longe diversam, quae modo in usu est, mutationem subiit: et quae prius *vasa monstrantia* dicebantur, instructa postmodum ad formam sphaericam, ex utraque parte complanatam, appellari coeperunt *Ostensoria*; et cum antiquitus non essent in usu, ideo nec *Macri,* nec *Du-Cangius* in respectivis *glossariis* eamdem commemorarunt. *Baruffaldus ad Ritual. Roman. titul.* 80. §. 2., ubi legitur: „Hostiam in solemni Processione deferendam in Tabernaculum ita reponendam, ut per vitrum seu cristallum, quo ipsum Tabernaculum circumseptum esse debet, exterius adorantibus appareat", notat: „Tabernaculum, de quo hic Rubrica loquitur, idest ac Ostensorium, quod aliter appellatur Monstrantia, Sphaera et Turris. Antiquitus ad modum cilindricum construebatur eo pacto, quo hodie Moniales S. Clarae utuntur .... recenter vero ad instar Sphaerae solet efformari, cum suis radiis ad similitudinem Solis seu Stellae". Vide etiam *Catalanum* ad hunc Ritualis locum.

14. Quamobrem concludimus in *Clementina Instructione* vocabulum *Custodiae* fuisse usurpatum tamquam *Ostensorii* synonimum ob duplicem significatum, quem *Ostensorium* habet, non autem ut instrumentum et vas ab Ostensorio diversum vel hoc sit in forma sphaerica radiata vel circumseptum cristallis ad modum Cilindri, Piramidis aut Turris; quod tamen jure

censeo aevo *Clementis XI.* non amplius fuisse in usu et solam radiatam Sphaeram adhiberi consuevisse. Quaecumque enim sit ejusdem forma, idem tamen est usus, scilicet patefaciendi Sacram Hostiam oculis intuentium, idcirco ab ostendendo *Ostensorium* debet appellari; longe secus ac Turris erat, de qua *Gregorius Thuronensis* et *argentea capsula*, quam *Assisiensis Clara* ad Monasterii januam deferri jussit. Haec dicta sint, ne perperam recessisse videar a sententia *Cavalerii* qui arbitratur *Ostensorium et Custodiam* in sensu Instructionis instrumenta esse diversa. Forte enim Auctor, ceteroqui clarissimus, significare voluit, non dedecere, si, quod *Ostensorium* dicimus, non ad modum radiantis Sphaerae, sed juxta veterem morem construatur, ut in S. Clarae Imaginibus pingi solet et ab aliquibus ejus Instituti Monialibus, ut *Baruffaldus* notat, adhuc retinetur. Sed contra ipsum est eadem Instructio, quae praecipit: „Ostensorio, o Custodia, il di cui giro sarà attorniato da raggi". Quid clarius ad designandum, distinguendum Ostensorium orbicularis figurae, quod Sphaeram dicimus? Praeterea Vas, quod exhibent Clarae Imagines, quum, ut vidimus, longe distet ab illo, quod ea jubente ad Monasterii ostium delatum fuit et patentem Sacram Hostiam exhibeat, potest Ostensorii nomine donari.

§. VI.

»Ardino sopra l' Altare almeno venti »lumi continuamente, cioè sei candele »d'una libra, tre per parte dalli lati »della Croce, ed otto candele dalla »parte superiore, con altre quattro »dalli lati dell' Ostensorio, nella cui »parte opposta non vi si ponga on»ninamente lume alcuno, e sieno final»mente due Torcieri con le fiaccole »almeno di tre libbre l'una. L'istesso »numero di lumi vi sia anche di notte, »dopo serrata la Chiesa; nella sera si »mettano lumi sufficienti per evitare »la confusione, quali stiano accesi »finchè si chiudino le porte di essa. »Potranno anche di giorno oscurarsi »le fenestre vicino all' Altare dell' »Esposizione, ad effetto di raccogliere »la mente de' Fedeli all' orazione.«

1. De Luminibus, quae ardere continuo debent, dum Sacramentum publice exponitur pro Oratione quadraginta horarum, agit praesens Instructionis sanctio. In ea praecipitur, ut saltem viginti nunquam desint, quorum duo de viginti luceant in Altari, duo vero in magnis candelabris hinc inde in plano Presbyterii circa gradus Altari appositis; eorumdem pondus, qualitatem, distributionem designat, ne quid fieri contingat ad Rectorum et Sacristarum placitum, quod aut non deceat aut minus Sacramenti majestati functionisque solemnitati conveniat. Hujusmodi autem sanctio, ni fallor, partim praeceptiva partim directiva videtur. Praeceptivam puto quoad cereorum numerum et dictio illa *almeno* scite adhibetur, ne cuiquam liceat minorem cereorum numerum apponere, quamvis in Ecclesiarum Praesidum potestate sit quantitatem addere multo majorem. Quod si luminaria copia abundent, non est necesse, ut omnia continuo ardeant; poterunt identidem alia extingui, alia sufficì extinctis, omnia iterum accendi, dum frequentior est populi concursus et solemnia celebrantur Mysteria, dummodo numquam deficiat numerus a lege praescriptus, quo minor non sit oportet etiam in expositionibus, quae ex privata causa fiunt, veluti notat *Instructio* §. 36.

2. Quoniam vero per horas quadraginta diu noctuque nunquam cessare debet Oratio, ideo jubet insuper haec sanctio, ut etiam nocturno tempore, licet clausis Ecclesiae januis, totidem, ac in die collucesant lumina: aliquid

tamen de rigore remittens, Ecclesiarum consulit paupertati: quamobrem permittit, ut interea adhiberi possint lumina ex alia viliori materia, puta ex oleo aut adipe, dummodo saltem decem ex cera sint, quorum pondus non determinatur. quum solum qualitas et numerus sint in praecepto.

3. Quod vero attinet ad cereorum *pondus*, qui ardere debent de die, ab Instructione praescriptum dubitarem, num hac in parte sanctio praeceptiva an directiva sit. Non omnes namque Ecclesiae opibus abundant, ut sustinere valeant onus viribus impar. Nam si unius librae esse debent candelae apponendae in inferiori gradu, majoris certe, aut saltem aequalis ponderis esse deberent octo illae apponendae *nella parte superiore*, licet quoad istas nihil de pondere Instructio determinet. Idem dicas de cereis apponendis in plano Presbyterii. Ne igitur pauperes Ecclesiae nimis graventur, directionem potius, quam positivum praeceptum Sanctio importare videtur.

4. Cum igitur Instructionis regula non in omni parte praeceptiva sit, non dubito directivam eam esse quoad luminum *distributionem*; quamobrem si ab ea, rationabili ex causa, tantillum recedatur, nullum certe erit piaculum. Id enim in more positum est. Machina magnificentius construi solet, candelabrorum forma, copia, distributione variata; non eadem semper collucent luminaria, sed alia modo extinguuntur, ut alia eorumdem loco accendantur et sic omnia consumptione aeque decrescant et omnis arceatur, quae visum offendit, difformitas. Hoc in casu non video, cur non liceat accensa luminaria diversimode distribuere, dummodo tamen quatuor saltem ad Throni latera prope Ostensorium et duo fanalia ardeant in plano Presbyterii prope gradus Altaris. Secus enim opus foret, ut quae extinguuntur et quae accenduntur ejusdem semper essent ponderis, quod difficile est et simetricus ordo plerumque non patitur. Illud vero vim habet praecepti, quamvis non verbis expressum, quod non liceat luminaria e conspectu Ostensorii collocare, per quae ejusdem visio impediatur: Nam in *superiori* §. notatum jam fuerat „Non vi sarà davanti alcun ornamento, che impedisca la vista del Sagramento“: quod de luminaribus etiam intelligendum est, cum eadem militet ratio.

5. Et quamvis praeceptivum sit alterum, videlicet: „Nella di cui parte opposta non vi si ponga onninamente lume alcuno,“ discrimine est opus, ne generice nimis pro omni casu id accipiatur. Sensus Instructionis videtur, ne sub Throni umbella a parte postica, ut magis splendescat Sphaera cum radiis continens Sacramentum, lateat aliquod lumen, quod illam artificio illustret. Si diversa ei appingatur significatio, obtinebit solummodo quoad Altaria, quae unam habent faciem e conspectu populi, qui convenit in Ecclesiam. Nam quoad Altaria, quae ad orientem sita sunt ac duplicem habent faciem e conspectu populi et Cleri, ut in Patriarchalibus, Basilicis et aliis Urbis Ecclesiis, lex locum non habet, quum ex utraque parte ardere debeant luminaria, praesertim vero, quae in Throno sunt, ita ut lateraliter quatuor e conspectu Chori nunquam desint.

6. Haec pertinent ad expositiones solemnes quadraginta horarum. Translato vero sermone ad alias, quae per annum fiunt sive ex publica sive ex causa privata, vel ex praecepto vel ex arbitrio, cum Sacramento detecto aut velato, sed publice in Throno patente, eumdem cereorum numerum accendi debere supra innuimus ex regula ejusdem *Instructionis* §. 36. Quae tamen sanctio praeceptiva est

pro Ecclesiis Urbis tantummodo, nec eadem regula necessario servanda est ubique locorum extra Urbem, quamvis laudabile sit, ut omnes se ei conforment. Ideo si in aliqua Dioecesi mos obtineat exponendi SSmum. Sacramentum pro Oratione quadraginta horarum, congruit, ut viginti cerei ardeant de die, noctu vero idem non deficiat numerus, licet non omnia lumina ex cera sint, sed aliqua ex viliori materia. Sed quoniam non semper, non ubique fieri potest quod magis congruit, dummodo fiat quod saltem decet, ideo si alicubi diversa sit ratio vel ex Synodorum praescripto vel ex probata consuetudine; quandoquidem debitae venerationi consultum sit, non videtur reprobanda. Quamquam enim nulla lex habeatur, ubique tamen locorum prostant aut Synodalia Decreta, aut Episcoporum Edicta, aut laudabiles et rationabiles Consuetudines, quae pro respectivis Dioecesibus vim saltem directivae legis habent. Nedum enim habenda ratio est ad Sacramentum, cui per quamcumque ingentem luminum copiam numquam satis honoris deferri potest, sed etiam ad Ecclesiarum et locorum angustias, ne ob egestatem absterreantur ab expositione cum non levi pietatis detrimento; vel onere graventur, cui ferendo impares experiuntur vires.

7. Hanc autem fuisse rationem non dubito, qua motus *S. Carolus Borromaeus* Antistes Mediolani, ubi longe ante jam invaluerat laudabilis usus Orationis quadraginta horarum cum simultanea SSmi. Sacramenti expositione, praescripsit „Le candele, o cerei al più siano dieci, almeno sei d'onesta grossezza, e vi siano anche lampadi, che non siano però più di dodici, o tredici: „licet solemnissima esset hujusmodi expositio, ut colligitur ex aliis regulis, quas servandas tradit. *Act. Eccles. Mediolanen. Tom.* 2. *edition. Patavinae pag.* 681. *et sequen.* Solertissimus Antistes hoc pacto consuluit pauperibus Ecclesiis, quae nimis non erant gravandae. Forte etiam providere voluit, ne inter Ecclesiarum Rectores quaedam orietur aemulatio, quae non semper unam habet originem a religione et pietate, sed verecundiam affert illis, qui nequeunt tot sumptus facere et nonnumquam causa est dissidii: necessaria ea regula erat, *quia*, ut ait *Lucius Ferraris Verb.* Eucharistia *Artic.* 1. *num.* 6. hyperbolica tamen usus expressione, „tanto studio facere aggressi sunt Mediolanenses, ut nisi luminum et apparatuum sumptus coerciti fuissent, cera et olei inopia laborandum perpetuo fuisset."

8. Sed recentiora quaeramus. *Benedictus XIV.*, dum erat Bononiae Episcopus, modum praescribens in Oratione quadraginta horarum per Dioecesim servandum, jussit: „Si per noctem Sacra Eucharistia super Altari posita sit, ardeant duodecim faces". *Instit.* 30. *num.* 24. Quot de die lucere debeant, hic non dicit; eumdem tamen ad minus voluisse numerum certum est: quia pro aliis expositionibus fieri solitis Bononiae quotidie per turnum quasdam praescribit regulas, quarum altera est, „ut duodecim saltem cerei circum ardeant". *Ibidem. num.* 17. Equidem si quid magis congruat quaeratur, ut venerationi simul et decentiae consulatur in expositionibus, quae per turnum fiunt extra tamen Urbem, non ad modum quadraginta horarum singulis hebdomadae diebus, recedendum non esse crederem a methodo pro Ecclesiis civitatis Bononiae a *Benedicto XIV.* praescripta, scilicet ut saltem cerei duodecim continuo ardeant. Dixi *saltem*, quia in facultate erit majori copia lumina apponere, si id exposcat fidelium pietas vel Ecclesiae majus

onus subire valeant; minorem haud convenire crederem ob decentiam, qua sacra illa actio est peragenda. Quod certe servandum est, quoties Ostensorium collocatur in Throno vel detectum aut velatum. Etenim vel ex causa publica id fiat vel ex privata, semper tamen aliquam habet solemnitatem; idcirco nostra Instructio in Urbe exposcit eumdem ardentium cereorum numerum tam pro expositione quadraginta horarum, quam in qualibet alia, licet velatum sit Ostensorium, ut supra vidimus.

9. Quod si ex causa *privata fiat expositio*, aperto scilicet Tabernaculi Ostiolo, quin sacra Pyxis extrahatur, non aliter fieri debet, quam sex saltem ardentibus cereis, quemadmodum jubet *Sacra Congregatio negotiis Episcoporum et regularium praeposita sub die 9. Decembris 1602.* Quatenus vero alicubi in more sit, obtenta ab Ordinario loci facultate, extrahere e Tabernaculo Pyxidem ad populum cum benedictione dimittendum (quod tamen infra videbimus, vix concedi debet, ubi consuetudo secus disponi sine aliqua populi offensione non patitur) curari debet, ut omnia diligenter fiant ita, "ut duo saltem Clerici superpelliceo induti cereos vel intortitia manu praeferant ardeantque reliqui cerei, qui super Altare et in candelabris statuuntur". *Ita laud. Pontifex d. Instit. 30. num. 23.* Quid si Clerici et intortitia desint? Satis erit si accendantur cerei, qui prope Altaris gradus in magnis candelabris siti sunt. Si et hi etiam non habeantur, ut in ruralibus pauperrimis Ecclesiis saepenumero contingit? Hoc in casu nullimode concedenda erit a locorum Ordinariis licentia extrahendi Sacram Pyxidem e Tabernaculo, non obstante quacumque consuetudine in contrarium: expedit namque ne fiat, quod decenter fieri non potest.

10. Quid si Sacra *Pyxis velata in Throno exponatur?* Reprobat hunc usum *laudatus Pontifex ibidem num. 16.* „Penitus interdicitur Sacram Pyxidem ob privatam causam extra Tabernaculum afferri ac velatam sub umbella collocari, cum nullus hujusce ritus vestigium apud Scriptores nullaque Sedis Apostolicae consuetudo deprehendatur, quam sequi omnino debemus". Nihilominus, si alicubi obtinuerit usus ab Ordinariis locorum expresse permissus vel saltem tacite toleratus, quem abolere sine scandalo et offensione difficile sit, eumdem cereorum numerum servandum esse censerem adhiberi solitum in expositione de causa privata cum Ostensorio velato, scilicet duodecim, ut sancivit *laudatus Pontifex ibidem:* „Si vero privata de causa Sacrosancta Hostia inclusa solita sphaera et velo cooperta sub umbella ponatur, tunc praecipimus, ut saltem cerei bis sex accendantur". Nec tamen illicitum crederem, si aliquis Episcopus attenta tam Ecclesiarum quam Incolarum paupertate hoc modo Sacramentum exponi cum decem cereis continuo ardentibus permitteret.

11. Alia quaestio fieri posset de numero et copia luminum, quae lucere debent *in iis expositionibus, quae fieri quandoque solent,* magnifica extructa Machina ad instar Proscaenii, ut quotannis Romae fit in Oratorio *S. Mariae Pietatis* triduo post Dominicam Sexagesimae. Eam dirimit *Sac. Rit. Congregatio*, quae in una *Narnien 15. Martii 1698 ad Dubium:* „Quot lumina sint adhibenda in expositione SSmi. Sacramenti, quae fit ad instar Proscaenii et an in tali expositione etiam lumina spectabilia et quot requirantur?" respondit: „Luminum quantitatem pietati facientis expositionem remittendam" (quae responsio relativa est ad primam dubii partem de lumini-

bus ex oleo latentibus) „et in Altari super candelabris ad minus sex candelas accensas esse retinendas" (quae decisio spectat alteram dubii partem de patentibus luminibus ex cera) Decretum hoc,*) mutilum refert *Cavalerius*, ut ex prima ejusdem parte statuat, nullo generali Decreto esse definitam certam luminum quantitatem, si ea remittitur pietati facientis expositionem, sed silentio praeterit casum, qui est de expositione ad instar Proscaenii *tom. 4. cap. 7. decret. 10.* Siquidem spectandum est integrum non divisim a proposita specie. Duo namque distinguit, lumina scilicet ex oleo vel adipe, quae telis illustrandis latenter inserviunt lucemque per totam Machinam diffundunt, et alia ex cera, quae patenter ardent in Altari. Illorum numerus nequit certo determinari, dependet potissimum a Machinae extensione, structura, magnificentia, quae ut decenter collucescat, majorem minoremque luminum latentium quantitatem exquirunt; idcirco Sac. Congregatio pietati facientis expositionem id remittit. Quoad vero illa, quae ex cera ardere debent in Altari, omnino jubet, ut sex ad minus sint. Modicus certe numerus, qui tamen eo in casu satis esse creditur, quia multo plura sunt alia ex oleo vel adipe, quae continuo latenter ardent totamque machinam illustrant. Hoc autem Decretum trahi nequit ad alias expositiones magis minusque solemnes, in quibus cerei dumtaxat lucere debent.

12. Ad *Instructionem* modo redeamus. Ut supra vidimus, in luminum *distributione* praecipit inter alia, quod apponantur „tre per parte dai lati della Croce". Ne tamen sit, qui inde argumentum depromi posse existimet, ut concludat, Crucem apponendam esse in altari, in quo expositum est Sacramentum. Non hic est Sanctionis sensus, quae non aliud significare voluit, nisi quod sex cerei ardere debent in eo Altaris gradu, in quo juxta morem apponi solent Candelabra cum Cruce in medio. *Caeterum Crux nullo modo est continuo retinenda.* Num vero apponenda sit tempore Sacrificii? est alia quaestio, quam infra loco magis opportuno examinabimus.

13. Pergit Instructio „per la Chiesa nella sera si metteranno lumi sufficienti per evitare la confusione, quali stiano accesi finchè si chiudino le porte di essa". Notat hic Cavalerius: „Insinuatur apprime laudabilis agendi ratio in simili quacumque occasione ubique servanda; alias quippe sequerentur absurda plurima . . . occasione autem expositionis SSmi. Sacramenti poterit differri occlusio portarum Ecclesiae ad congruum usque tempus, quo populus ad Ecclesiam confluit Sacram Eucharistiam veneraturus, sed foeminae omnino prohibendae sunt ab ingressu Ecclesiae; harum namque interventu plurimum compertum est infici sanctiora quaeque". Verum cl. Auctor nimis Sanctionem extendit, ac si per eam generatim et ubique interdictus esset foeminis in Ecclesiam noctu ingressus occasione Orationis quadraginta horarum. Id lex non vetat, sed modum praescribit, ne oriatur confusio aut veniant scandala. Et revera hac nostra in Urbe, ubi per anni circulum Oratio quadraginta horarum perennis est, viri aeque ac mulieres in Ecclesias, donec apertae sunt, noctu conveniunt, in quibus ea Oratio fit, licet foeminis iisdem vetitum sit aliis piis interesse exercitiis, quae noctu in aliquibus Ecclesiis seu Oratoriis peragi solent. Praesides tamen solliciti sint, ne juxta legem deficiant lumina, quae ita sint disposita, cunctaque bene ordinata, ut nihil inconve-

*) Vd.: *Expos. SSmi.* (Lumin. Num.)

niens evenire possit. Secus namque occludendae essent Ecclesiae fores ad solis occasum ingruentibus tenebris.

14. Neque tamen reprobandus est mos, ubi obtinet non admittendi ea occasione foeminas in Ecclesiis. Non ubique eadem militat ratio, nec ubique ea comparari possunt media, quae ad evertenda scandala, removendas offensionis occasiones sunt ordinata. In id Episcopi incumbere debent, quorum est, quae ad Dei cultum pertinent, diligenter curare et providere, ne quid fiat, quod illum laedat. *S. Carolus Borromaeus* consuluit, ut foeminae assisterent separatim a viris „Proveggasi ad ogni modo, che le donne vi facciano orazione separate dagl' uomini con tele o altri drappi, finchè si pongano l' asse". Equidem expresse non jussit, ne ad Ecclesias, in quibus erat per turnum Oratio, noctu accederent, forte quia ad eas arcendas satis esse putavit altera, quam dixit, regula, scilicet, ut in Parochialibus fieret distributio horarum per familias, „non assegnandosi però in tempo di notte a donne" et altera „ancora che la notte si faccia orazione, la Chiesa però non stia aperta, ma ciascuno picchi, e se gli apra.

15. *Benedictus XIV.*, ne in Ecclesiis Dioecesis Bononiensis foeminae cum viris simul convenirent, ut per integram noctem consueverat, ad solis occasum fores claudi praecepit. „Quoniam vero ad nos pervenit in quibusdam locis per quadraginta horas Sacramentum exponi, atque Ecclesiae fores per integram noctem patere, eoque viros simul et mulieres confluere, omnino praecipimus, ut post horam vigesimam tertiam cum dimidio Templum claudatur"; *laud. Instit. 30. num. 24.* Consuetudines igitur locorum servandae sunt, quin certa universalis regula dari possit. Si in aliqua Dioecesi consuetudo sit, ut pateant Ecclesiae fores, ut Romae fit, primis nocturnis horis, nec foeminis denegetur ingressus, non ea erit continuo interdicenda, dummodo tamen satis provisum sit, ne oriantur scandala, utque opportuna parentur remedia, si forte aliquod exoriri posse timeatur.

16. Ac tandem non praeceptive, sed directive consulit haec Sanctio, ut pannis obscurentur fenestrae *prope Altare*, ut mens adstantium orationi intenta, ne minimam quidem habeat distractionis causam et omnes cogitationes colligat ac affectus in id solummodo dirigat, quod adorandum proponitur. Haec regula altera ex illis est, quas *S. Carolus Borromaeus* servandas praescribit in Ecclesiis Mediolanensibus, ubi primum invaluit tam pium Institutum Orationis perennis. Cum autem hujus regulae ratio communis sit aliis etiam expositionibus, quae aliquandiu durant, decet ut in his etiam fenestrae occludantur. Advertas tamen, ne tanta sit obscuritas, ut tenebrosum fiat Templum; nam ea oriri posset confusio, ad quam vitandam noctu per Ecclesiae ambitum apponenda sunt luminaria. Quamobrem scite *Instructio* non generaliter consulit occludi Ecclesiae fenestras, sed regulam limitat ad illas, quae sunt prope Altare; arbitrio relinquit, ut idipsum fiat quoad alias, quae nimiam forte possent lucem afferre, nisi telis vel alio modo tegerentur.

§. VII.

»Niun Secolare, benchè vestito di »sacco di qualsivoglia Compagnia, ar»disca di andare intorno all' Altare »per aggiustare i lumi o far altro, »che occorra, ma dovrà essere un »Sacerdote, o almeno un Chierico con »Cotta, con la quale sopra il proprio »abito doveranno comparirvi anche li »Regolari di qualsivoglia Religione: »avvertendosi di più, che ogni per»sona di qualsivoglia condizione, ed

»ordine per Decreto della Sacra Congr. »de' Riti *Urbis 19. Augusti 1651* »avanti al SSmo. Sacramento esposto, »accostandosi o partendosi da esso, »deve fare riverenza con ambe le »ginocchia piegate. In ordine poi alla »persona del Sacerdote, quale celebra »la Messa privata, s' insinua esserci »Decreto della medesima Sacra Con»gregazione *Urbis 7. Septembr. 1638,* »che mentre passa avanti all' Altare, »in cui sta esposto il SSmo. Sacra»mento, dopo fatta l' adorazione colle »ginocchia piegate scoperto il capo, »alzandosi lo ricopra.«

1. Si Ecclesiae leges jubent, ne laici homines locum habere queant in Presbyterio, tempore praesertim celebrationis Missae et Divinorum Officiorum, multo magis arcendi sunt extra cancellos, dum Sacramentum est publice expositum vel pro Oratione quadraginta horarum vel pro alia qualibet causa. *Sac. Rit. Congregationis Decreta*, quae districte praecipiunt, ne laici intersint in loco sancto pro solis Sanctuarii Ministris destinato, sunt pene innumera. Duo praecipue legenda sunt in nostra hac collectione *sub num. 3007 et 3063*, quae generalem legem dicunt ubique servandam. *Benedictus XIII.* his innixus et juxta sacrorum statuta canonum, *in Concilio Romano tit. 28. cap. 4.*, nedum expresse prohibet: „intra Presbyterium et Altarium septa, dum Missae ibi celebrantur aliave Divina Officia persolvuntur, saecularium personarum cujuscumque conditionis et sexus assistentiam" verum etiam contra inobedientes „interdicti poenam, ipso facto incurrendam et Romano Pontifici reservatam, comminatur". Sed de hoc iterum redibit sermo *ad* §. *XXVII. hujus Instructionis*. Interim satis est adnotare, quod si laici cujuscumque conditionis consistere debent extra Presbyterii cancellos, dum publicae venerationi patet expositum SSmum. Sacramentum „nelle Capelle o luogo, ove sarà esposto il SSmo. Sacramento, non entreranno entro i cancelli i laici, „ut habet *S. Carolus Borromaeus in saepe citat. Instructione Act. Eccles. Mediolan. pag. 681*, jam quisque videt, nec sub ullo praetextu licere iisdem „di andare intorno all' Altare per aggiustare i lumi, e fare altro, che occorre". Quod autem ex Ecclesiae legibus est illicitum, cohonestari ne aliquo modo posse quis putet, si ad hoc munus non vulgari veste, sed alicujus Sodalitatis laici homines utantur habitu: nam hoc casu praeviso, nostra Instructio expressis verbis id prohibet: et hujusmodi officium Clericis tantummodo in defectum Sacerdotum attribuit.

2. Verum vel Sacerdos sit vel Clericus, qui vigil adsit, ut accendat, extinguat, purget, disponat lumina aliaque peragat, quae circa Altare necessaria aut opportuna videbuntur, *superpelliceum* induere omnino debet. Hoc exigit Loci religio, Sacramenti Majestas, functionis solemnitas. Non enim debet circa tam sublime Mysterium in habitu vulgari etiam nigri coloris ad talos usque protracto ministrare sed solum licet in habitu ex Ecclesiae praescripto in similibus functionibus adhiberi solito. Quapropter lex ad Regulares omnes extenditur, cujuscumque Instituti hi sint. Cum autem isthaec Sanctio fundamentum debeat in Apostolicis Constitutionibus, nedum Romae obtinet, sed ubique locorum, saltem quoad Clerum saecularem servanda omnino est.

3. Quaeri hic posset: num Laici Conversive regulares a lege prohibitiva excipiantur? *Cavalerius ad hunc locum* inclinat in sententiam affirmativam, praesertim si agatur de expositionibus extra Urbem: „quae tamen (scilicet sanctio) saltem extra Urbem

limitationem fortasse patitur quoad Laicos, seu Conversos regulares, qui, dummodo in superpelliceo appareant, intra Presbyterium admitti posse videntur ad concinnanda lumina, ad quorum aptationem aliaque similia praestanda munia ex saecularibus etiam Clerici admittuntur.“ Liceat mihi addere, quod idipsum, quin violetur Instructio, etiam in Urbe non dedecet. Laici enim, Conversive regulares, pluribus fruuntur privilegiis et in pluribus aequiparantur Clericis: praeterea ex his nonnulli sunt, qui magis quam sacerdotes et Clerici idoneitatem habent ad ea munia, quae aptitudinem aliquam usu acquisitam requirunt; praesertim ubi luminaria magna sunt in copia et ad illa aptanda atque purganda per plures gradus cum aliqua difficultate ascendere oportet. Numquam tamen in Altare accedant sine superpelliceo, quemadmodum lex jubet nedum quoad Sacerdotes et Clericos saeculares, verum etiam quoad omnes Regulares cujuscumque Instituti.

4. Haec ad primam Sanctionis partem; altera succedit de *genuflexionibus*, quae ad primam aliquam habet relationem sed magis late patet, ac omnes complectitur, qui in Ecclesiam devotionis ergo conveniunt vel Altari inserviunt vel aliquo funguntur officio, utpote illi praesertim sunt, qui luminibus aptandis et purgandis invigilant, ac propterea de uno ad aliud Altaris latus transeuntes, persaepe necessario debeant ante Sacramentum transire, nisi talis sit Machinae structura, ut hujusmodi munus per graduum intervalla aut a parte postica implere possint et debeant. Siquidem Decretum *Urbis 16. Augusti 1651*, quod ab Instructione laudatur, expresse ac generatim jubet „quando SSmum. Eucharistiae Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntus, cujusvis conditionis et ordinis sint, seu ad illud accedentes vel ab eodem recedentes semper utrumque genuflectere debent“*). Cum vero Decretum enunciet Sacramentum publice discoopertum, dubitare quis posset: num idem genuflexionis obsequium vel unius tantum genu ad terram inflexio debeatur Sacramento in Throno quidem exposito sed velato, vel patente Pyxide aperto Tabernaculi ostiolo? Verum quod ambiguum fortasse est in laudato Decreto, declaratur per alterum ejusdem S. R. C. responsum *in Varsavien. 7. Maji 1746*, ubi *ad Dubii 9. quaesitum 3.:* scilicet „Transeundo circa SSmum. Sacramentum in Pyxide an utroque genu ante illud genuflectendum sit?“ affirmativa prodiit resolutio: „Quoad genuflexiones vero utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante illud, etiamsi fuerit in Pyxide patenter expositum“ Quocumque modo sit expositum Sacramentum, venerationem exigit, non substantialiter sed modo externoque signo diversam ab ea, quae ex Ecclesiae instituto ei debetur, dum latet clausum in Tabernaculo. Si latenti convenit adoratio unius flexione genu, in uberioris venerationis argumentum utroque genu flectendum erit, dum publice est expositum etiam velato Ostensorio vel patente Pyxide.

5. Verum haec regula, etsi generalis, suas tamen patitur limitationes quoad *Sacerdotes*, qui Sacrum solemne faciunt in Altari, in quo expositum est Sacramentum, quae limitatio etiam comprehendit *Ministros*. Hi omnes cum primum veniunt ad Altare et postremo ab eo recedunt, utrumque genu flectere debent, quemadmodum etiam dum sacra Hostia publice patens thure est adolenda. Sed dum ibi permanent, si loco moveantur, ut aliquid

*) Vd.: *Genufl. cor. SS. Sacram.*

agant et circa Sacramentum vel Altare operentur, sufficit, ut transeuntes ante illud unico genu Sacramentum salutent: non enim de novo accedunt ad Altare, nec ab eo, non reversuri, recedunt, ut comprehensi intelligi debeant sub regula *Clementinae Instructionis et laudati Decreti Sac. Rit. Congregationis.* Neque unica haec ratio est; nam et alia potissima succedit; quippe cum frequentes in solemni Missa sint transitus Sacerdotis aut Ministrorum ante Sacramentum, flexio utriusque genu multi foret incommodi, surrectio difficilior fieret, administratio minus expedita, atque actio sacra plus aequo protraheretur. Communior haec est saniorque liturgicorum Auctorum sententia, quam firmat constans principalium Ecclesiarum usus. Idipsum servandum a Sacerdote et Ministro, si quandoque contingat celebrari ante Sacramentum expositum Missam privatam, veluti monent inter alios *Gavantus ad Rubricas Missalis part. 2. tit. 14. Ibique Meratus.*

6. Neque hic praetereundem, quod eadem regula servanda est quoad genuflexiones utroque vel unico genu a Sacerdote et Ministris etiamsi expositio sit privata in Ostensorio velato vel in Pyxide. Id declaratum fuit a Sac. Rit. Congregatione *sub die* 22. *Decembris 1753 in Vilnen.* Dubium erat: „quando absolvitur Missa lecta coram SSmo. Sacramento *in Monstrantia exposito, sed velato, item coram Sanctissimo Sacramento* in Pyxide exposito, an debeant omnes genuflexiones observari in tali Missa, quae alias observantur, SSmo. Sacramento publice exposito et non velato, conformiter ad Rubricam Missalis Feriae V. in Coena Domini vel non?“ cui S. C. respondit „Affirmative“. Nam si, ut supra vidimus ex altero ejusdem S. C. Decreto, Sacramentum velatum vel patens Sacra Pyxis exigit genuflexionis ab omnibus, ac si esset detectum, potiori jure haec servanda est regula a Celebrantibus coram eo Missam solemnem vel privatam.

7. Tertia succedit Sanctionis pars, quae modum praescribit a Sacerdote servandum, *dum is ad aliquod ex Altaribus pergens Missam lectam celebraturus vel expleta Missa, ab eo recedens transit ante expositum Sacramentum.* Servandum esse jubet Decretum S. R. C. in *una Urbis 7. Septembris 1638.* Dubium erat: „An (Sacerdos), post factam genuflexionem detecto capite surgens, debeat caput tegere donec ad Altare perveniret, an vero detecto capite iter prosequi ob reverentiam tanti Sacramenti sic publice expositi, cum Rubrica Missalis Romani non videatur loqui de hac praecisa adoratione in casu, de quo agitur?“ cui responsum fuit: „servandas esse Rubricas Missalis Romani, quae videntur innuere, quod post factam adorationem flexis genibus, detecto capite surgens, caput operiat“. Recte dicitur „videtur innuere“ non enim id exprimit *Rubrica*, quae est „si vero contigerit eum transire . . . ante locum Sacramenti, genuflectat: si ante Altare, ubi celebratur Missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat et detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale“ *part.* 2 *tit. 2 de ingressu Sacerdotis ad Altare.* Hanc quidem rubricam juxta sensum laudati Decreti servandam esse in transitu ante Altare, in quo patet expositum Sanctissimum Sacramentum, sed non in genuflexione immorandum, docent *Gavantus et Quarti ad hunc titulum, Cavalerius tom. 4 cap. 10 Decret. 5. Tetamus in Append. tit. 3 cap. 4.*

8. Quemadmodum vero, *dum elevatur Hostia et Sacramentum fidelibus*

administratur, utrumque genuflectendum est, ita etiam servari debet a Sacerdote pertranseunte ante expositum Sacramentum. Non diffiteor *Bauldrium par. 3. tit. 2. de ingressu Sacerdotis ad Altare num. 1. in nota num. 3. et Bissi tom. 1. litt. G. num. 24.* §. 2. existimasse, Sacerdotem Missam celebraturum in transitu ante Altare, in quo expositum est Sacramentum, unicum poplitem flectere debere; quia regula generalis ad faciendam genuflexionem utroque genu est, quando fit aliqua pausa; hic autem nulla facienda est pausa; ideo concludunt pro unius tantum poplitis ad terram usque flexione. Haec opinio nullam prorsus vim habet post editum *S. R. C. Decretum*, quod pro regula habendum esse jubet *Instructio*, et legis generalis locum obtinet. Quamquam praecise ab Instructione et Decreto, ex vi praeceptivae *Rubricae* utrumque genu flectendum esse plane consequitur. Haec duo distinguit casus, transitum scilicet Sacerdotis ante Tabernaculum, in quo reconditum est Sacramentum, et transitum ante Altare, dum Sacra elevatur Hostia; in primo simplicem jubet genuflexionem, quae unico fit genu, capite operto; in secundo adorationem utroque poplite ad terram inflexo et detecto capite. At secundus casus alterum includit de transitu ante Altare, in quo expositum est Sacramentum, ut per *laudatum Decretum* declaratum fuit, quum par sit ratio. Unus ab altero in eo tantum discrepat, quod, dum Sacra elevatur Hostia, Sacerdos pertransiens non ante surgere debet, quam Celebrans deposuerit Calicem super corporale: in expositione vero Sacramenti nulla est nectenda mora in genuflexione, qua facta absolutaque adoratione cum capitis inclinatione, statim surgendum est.

9. Notat *Meratus* in ulterioris *Rubricae* illustrationem „juxta communem usum Romae receptum, Sacerdos in dicto casu genuflectere debet utroque genu et postea deponere biretum et caput profunde inclinare.“ Sed hae actiones, etsi ad invicem sibi simultanee succedant, aliquod, licet brevissimum, temporis spatium requirunt, et fit proinde aliqua pausa, etsi momentanea. Idcirco, quamvis non sit in mora cunctandum, satis haec est brevis morula, ut nihili pendi debeat praefatorum scriptorum opinio: quod si ratio valeret per eosdem allata, genuflectendum utroque genu tantummodo esset, dum aliquali tempore est in Oratione perseverandum, numquam vero, nisi unico genu in simplici transitu, accesu et recessu, secus ac jubet *Instructio.* Imo nec Sacerdos et Ministri accedentes ad Altare pro Missa solemni genuflectere deberent utroque genu, quia illico surgunt et nulla fit pausa.

10. Licet vero jubeat *Instructio* Sacerdotem, facta genuflexione et adoratione, dum surgit, caput operire debere, quod etiam firmat *Decretum* supra relatum, apud benemultos tamen usus invaluit illud *non operiendi,* nisi, dum extra sunt aspectum Altaris, in quo expositum est Sacramentum. Mos iste estne retinendus vel potius censura notandus? Eumdem utpote contrarium legi, quae non sine rationabili causa mandat capiti imponi, facta genuflexione, biretum, communiter reprobant Rubricistae. Audiendus *Meratus*, qui, regulae inhaerens, deponendum biretum monet a Sacerdote non prius, „sed postquam genuflexerat; facta autem profunda capitis inclinatione, antequam surgat, iterum imponendum, eumdemque absque alia reverentia suum debere prosequi incessum cum bireto in capite.“ Quapropter non laudandi sed potius redarguendi sunt illi, qui ad majorem

reverentiam, ut ipsi dicunt, capite aperto abeunt, donec sint extra conspectum Altaris, tum quia operantur contra Rubricam et Decreta, tum quia incurrunt periculum, ut aliquid de Calice decidat.

11. Advertendum praeterea est, perperam agere Sacerdotes illos, qui, dum genuflexi profundam Sacramento inclinationem faciunt, biretum collocant supra Calicem: *haud enim decet et prorsus indignum Calici imponere capitis tegumentum*; quamobrem vel est porrigendum ministro, vel ab ipso Sacerdote ita tenendum, ut vola manus dexterae cum parte aperta bireti sit versus ipsum Sacerdotem, et pars inversa ejusdem manus ponatur supra Calicem. Ita *Meratus loc. cit.*, *Cavalerius tom. 4. cap. 10. Decr. 52. Tetamus in Append. cap. 3. art. 4. num. 17.*

12. De Missa *privata* solummodo agit Instructio, quia Sacerdos ad hanc celebrandam pergens vel rediens ad Sacrarium Calicem manu defert, quamobrem regula danda erat, quae simul consuleret religioni et decentiae. Secus vero dicendum est de Sacerdote Missam *solemnem* celebraturo, vel de eo, qui privatam dicturus sit, Calice tamen in antecessum ad Altare jam praeparato. Nam utroque in casu, cum Sacerdos impedimentum Calicis non habeat, antequam genuflectat, simulac detegit expositum Sacramentum, caput debet, amoto bireto, aperire, quod et faciant Ministri sacri Missae solemnis; postquam vero surrexit, non statim biretum capiti imponat, sed postquam e conspectu Sacramenti se subtraxerit.

13. Aliae plures quaestiones pro casuum diversitate a Rubricistis fiunt, quas prosequi nostrum non est, cum circa venerationem debitam Sacramento publice exposito non versentur. Unam vel alteram tantummodo attingam, quae aliquo modo ad rem, de qua agimus, referri possunt. Quaeritur: *quomodo se gerere debeat Sacerdos ad Altare pergens vel ab illo recedens, si per Ecclesiam obviam ei fiat deferens Sacramentum vel in Ostensorio patens vel latens in Pyxide?* Difficile est, ut hujusmodi casus non praevisus accidat in accessu Sacerdotis ad Altare. Nam si fiat per Ecclesiam Processio vel deferendum sit Sacramentum de uno ad aliud Altare, aut per modum Viatici ad Infirmos, Sacerdos Missam lectam celebraturus cunctare tantisper debet in Sacristia, donec absoluta sit Processio vel reconditum sit Sacramentum, ubi asservandum est, vel Sacerdos Viaticum deferens Ecclesiae januam praetergressus fuerit vel in reditu populum cum benedictione dimiserit. Non ita dicendum de Sacerdotis regressu, expleta Missa, ad Sacristiam, quia licet, quoad Processiones attinet, casus vitari possit, curando, ut Missae omnes ad Altaria absolutae sint, dum devota supplicatio instituitur; alter tamen casus delationis Viatici praevideri non semper potest et quandoque pro re nata improviso et festinanter deferendum est. Verum quomodocumque et quandocumque id accidat vel in accessu vel in recessu, docent Rubricistae, genuflectendum esse donec transeat et quidem utroque genu, si immorandum sit; unico vero genu, si in transitu et absque mora genuflectendum est. Ita *Quarti ad Rubric. Missal. part. 2. tit. 2. num. 1. Tonell. l. 2. tit. 2. rubr. 1. in notis num. 6.* §. Hujusmodi. *Merati loc. cit.*

14. Haec tamen distinctio non omnibus forte amplectenda videbitur. Nam si Rubrica jubet, ut, dum elevatur Sacramentum vel dum Fidelibus ministratur, Sacerdos in transitu debeat utroque genu ad terram posito, detecto capite, illud adorare: non video, cur idem modus servandus non sit in

transitu prope Sacerdotem deferentem Sacram Hostiam vel in Ostensorio vel in Pyxide, etiamsi non sit in genuflexione immorandum. Si *Rubrica* extendi debet, ut Liturgici omnes notant, ad transitum ante Sacramentum expositum, et licet Sacerdos immorari genuflexus non debeat, nihilominus utroque poplite inflexo tenetur illud adorare, quod, ut vidimus, praecipiunt etiam *S. R. C. Decreta et Instructio.* Curnam eadem regula servanda non erat in occursu Sacerdotis deferentis Sacramentum? Hinc forte non fallor, si existimem etiam in proposito casu utrumque genu in momentanea adoratione esse flectendum, ut fit in transitu ante Altare, ubi expositum est Sacramentum vel Sacra ministratur Eucharistia.

15. Quaeri item potest: ,,*An in Processionibus, quae occasione quadraginta horarum fiunt per Ecclesias, debeant processionaliter incedentes ante Sacramentum in occursu et transitu a latere ejusdem genuflexionem facere?*“ Haec quaestio totidem fere verbis proposita fuit *Sac. Rit. Congregationi in una Canonicorum Regularium Lateranensium die 1. Martii 1681* et eadem *Congregatio* respondit: ,,Affirmative, dummodo in transitu videatur.“ Verum haec regula non est ubique in viridi observantia. Eruntne igitur redarguendi, qui secus faciunt? Non is sum, qui audeam definire; haud tamen crederem eos in legem peccare. Siquidem ut genuflexio, ita etiam est actus religionis et cultus incessus supplex ante Sacramentum cum alternatione hymnorum laudis, qui solemniter decantantur. Et haec ratio est, ob quam *Bissus litt. G. num. 19. §. 2., et Meratus part. 4. tit. 12. num. 14.* genuflectere debere negant interessentes Processioni SSmi. Sacramenti, etiamsi transeant ante Altare actu, quo Sacra Hostia elevatur vel Calix ,,quia sunt in actuali illius adoratione.“ Praeterea aliquid inesset incommodi, si, quotquot lateraliter transeunt e conspectu deferentis Sacramentum, genuflectere deberent. Quod si omnino standum esset *Decreto*, nec contraria consuetudo, ubi viget, servanda, unico tantum genu Sacramentum foret adorandum: nam si utrumque genu flectendum esset, nimis retardaretur supplicatio et mora in ipsum veluti redundaret Sacramentum, ut notat *Cavalerius tom. 4. cap. 10. Decr. 7. num. 4.*

§. VIII.

»Si tenga, durante l'Esposizione, »alla porta della Chiesa per la parte »di dentro, o di fuori, come tornerà »più comodo, un tapeto, che faccia »forma di bussola, con spazio adequato »alli lati per comodità del popolo, e »sia talmente posto, che non possa »mai dalla strada vedersi il SSmo. »Sagramento.

1. Si ad Ecclesiarum januas decet, ut semper, praesertim vero tempore Sacrificii retineatur velum, quod *Velotyron* seu *Amphityron* Graeci dicunt, Itali *Portiera*, ut *Macri* veterum monumentorum investigator egregius tradit in suo *Hierolexicon verbo: Velum,* multo magis apponi oportet aptius munimentum, dum Sacra Eucharistia exposita publicae patet venerationi. Subtrahi debet quaelibet iis, qui in Ecclesia morantur, distractionis occasio, et quantum licet curari, ut minus sensibilis sit strepitus, qui quandoque per viam fit. Illud vero est maximum, ne Sacramentum semitam transeuntibus visibile sit. Secus enim si fieret, cum non levi detrimento cultus et religionis fieret, imo pluribus irreverentiis praeberetur causa. Quamobrem severe injungitur, ut hujusmodi munimentum e crassiori panno ita aptetur, ut impediat internum Ecclesiae aspectum iis, qui extra sunt, nullum

vero objiciat obstaculum ingredientibus Templum. Spissum atque compactum sit oportet, „che faccia forma di Bussola con spazio adequato ai lati per comodità del popolo, e sia talmente posto, che non possa mai dalla strada vedersi il Sacramento.“ Potest apponi vel ab intra vel ab extra prope januam, prout magis opportunum videtur, et Ecclesiae proximaeque semitae major vel minor est latitudo aut angustia.

2. Id tamen non indiscriminatim positivum praeceptum importat; sed tale est quoad illas tantum Ecclesias, in quibus alio modo effici nequit, ne Sacramenti conspectus obnoxius sit per viam ante Ecclesiae januam transeuntibus, ac proinde actibus irreligionis. Quod si alio decenti modo provisum sit, ut in Ecclesiis accidit, quae storeis crassioribus munitae sunt vel in affabre elaboratum ligneum septum introducunt, per quod lateraliter in Ecclesiam pateat ingressus; regula sanctionis cessat, cum utroque modo religioni et dibitae Sacramento venerationi provisum sit. Tempore enim, quo primum prodiit Instructio, nondum communiter mos invaluerat, duplicibus portis septo intervallo disjunctis, Ecclesias munire, cum ad religioni consulendum, tum ad easdem ab externi aeris impressionibus custodiendas, ut modo fit nedum in Basilicis, verum etiam in aliis fere omnibus etsi minoribus et angustioribus Ecclesiis. Idcirco Instructio eum praescripsit modum, quo cum minori dispendio provideri posset, ut Sacramenti aspectus iis solis pateret, qui adsunt in Ecclesia, veluti etiam nunc servatur in illis, quae recens inventum munimentum non habent.

3. Sed opportunum maxime quamvis non levem secumferat difficultatem, alteram distractionis causam impedire, quae, ut *Cavalerius* ad hunc locum adnotat, occasionem habet a canibus introeuntibus, qui latratibus sacras functiones perturbant, multum incommodi devotae adstantium attentioni afferunt et Ecclesias spurcitiis et immunditiis polluunt. Plurimum idcirco expediret, ut ad Ecclesiarum januas aliquis continuo abstaret, qui canes ab ingressu prohiberet. Qui igitur ad Ecclesiam veniunt Sacramentum adoraturi vel canes domi relinquant vel quatenus secus ducant, alicujus custodiae consignent, priusquam Ecclesiam ingrediantur. Quod dictum volumus nedum relate ad tempus expositionis quadraginta horarum, verum etiam quoad alias quascumque expositiones. Optandum sane, ut nunquam canes reperirent aditum ad Ecclesias, sed, quod generatim impossibile est vel multum difficile: curandum tamen ab iis, qui Ecclesiis praesunt, ut saltem aliquo modo impediantur, tum occasione festivitatum et solemnium functionum, quae magna cum populi confluentis frequentia fiunt.

§. IX.

»Siano di continuo uno, o due Sa»cerdoti, o almeno in altro ordine »sacro costituiti, se si potrà, vestiti di »cotta (benchè siano Regolari) genu»flessi avanti di un banco ricoperto »con tappeto, o panno rosso, o d'altro »colore, e qualità decente vicino »all'infimo grado dell' Altare, e mai »sopra genuflessorii, orando tanto di »giorno, quanto di notte a vicenda. »Dove sarà qualche Confraternita, vi »assistino due confratelli almeno, avanti »un banco coperto di panno verde, o »d'altro colore decente, parimente a »vicenda, ma fuori del Presbiterio, e »distanti dagli Ecclesiastici suddetti, »ed oreranno con tutta divozione per »edificazione degli astanti, e con voce »sommessa per non causare distrazione »negl' altri.

1. Uberiorem dicendi copiam prae-

bet haec Sanctio. De *adoratione* Augustissimo debita Sacramento sermo est. Tametsi nunquam desint cujuscumque sexus et conditionis homines, usque dum patent januae Ecclesiarum, in quibus fit expositio quadraginta horarum, qui in Sacramenti adoratione devoti persistunt; nihilominus omnino convenit, ut aliqui e Clero proxime ad Aram continuo adsint et sibi ad invicem succedant, qui Sacrae Eucharistiae tributum laudis persolvant et populo convenienti in Ecclesiam exemplo sint. Quotquot de sacris ritibus scripserunt, id innuunt et *S. M. Benedictus XIV.*, dum Bononiensem Ecclesiam regebat, praecepit „ut in Ecclesiis tam Saecularium quam Regularium, in quibus esset Sacra Eucharistia publicae exposita venerationi, unus vel duo Sacerdotes vel duo saltem in Sacris Ordinibus constituti, superpelliceo induti flexisque genubus intersint etc.“; *laud. Instit. 30. num. 20.* Nostra autem *Instructio* idipsum vult ac praeterea jubet, ut etiam Regulares, cujusvis Ordinis et Instituti sint, ad scamnum ad id paratum non accedant, nisi induti superpelliceo. Quod autem de Oratione quadraginta horarum statutum est, idipsum servandum erit in aliis quibuscumque expositionibus vel hae ad breve vel ad longum tempus perdurent: nam curandum est, ne unquam alicujus de Clero desideretur assistentia.

2. Neque regulam coercendam putes ad expositiones publicas atque solemnes: habet enim locum etiam in privatis, quae fiunt, aperto Tabernaculi ostiolo, ut pateat velata Pyxis. Ita decretum video a Sacra Congregatione negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, quae permitti posse censuit hujusmodi privatam expositionem „cum numero sufficienti luminum et assistentia Sacerdotum.“ Ita sub die *1. Septembris 1598* et *9. Decembris 1602* „cum assistentia alicujus Sacerdotis stola et superpelliceo induti.“ Id autem intelligi debet quemadmodum de aliis expositionibus, quae ad breve tempus fiunt, si inter expositionem et preces, quae ante repositionem recitantur, aliquod, etsi modicum intervallum excurrat: nunquam enim Sacramentum relinquendum est sine aliquo ex Clero, qui illud intus Presbyterium adoret. Quod si ab Altare non recedant Sacerdos et Clerici exposito Sacramento et immediate precibus una cum populo vacent; non est, cur aliquis distinctae orationi incumbat, quia omnes simul praestant hujusmodi religionis obsequium.

3. Regula igitur etsi obliget Ecclesias Urbis et circa unam tantum expositionem quadraginta horarum versetur, nihilominus haberi perinde debet, ac si generalis esset, non ut praeceptiva sed ut directiva. Id enim in genere praescribit, quod exigit Divina Majestas humanitati conjuncta latens sub specie panis: „Si Angelorum Chori illi assistunt,“ ut habent *S. Joannes Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio et Homilia 65. ad populum Antiochenum*, *S. Ambrosius cap. 1. in Lucam et Magnus Gregorius Dialog. lib. 4. cap. 58.*, aequum est, ut Ministri Altaris ab ejus adoratione nunquam desistant, dum Sacramentum publicae venerationi expositum est. Lex tamen aliquam modificationem admittit quoad *numerum* et gradum Clericorum, qui huic adorationi vacare debent. *Instructio* equidem exigit unum vel duo Sacerdotes aut saltem Clericos in Sacro Ordine constitutos: adjicit tamen conditionem, quatenus haberi nequeant, substitui poterunt Clerici ad Minores gradus promoti vel etiam Regularium Ordinum Laici et qui inter Monachos Con-

versi dicuntur. Sensus ergo Instructionis est, quod hujusmodi officium praecipue Sacerdotibus et alios in Sacro Ordine constitutis convenit; Clerici in minoribus deinde succedunt, postremo in horum quoque defectu, in Ecclesiis Regularium respectivorum Ordinum Laici professi, qui Clericorum privilegiis gaudent. Quoad *numerum* vero nihil certi praefinire vult, sed disjunctiva utitur, jubens unius vel duorum assistentiam, quia non omnes Ecclesiae aeque abundant copia Sacerdotum et Clericorum: imo quamplurimae sunt, quae cum nullum habeant Saecularium vel Regularium Collegium, adscititiis Clericis compelluntur ea omnia perficere, quae ad sacram illam pertinent actionem. Idcirco, relate ad istas, satis erit, si unus Sacerdos vel unus Clericus continuo Sacramentum adoret, nec ab Altari dtscedat, nisi venerit alter, qui ejus occupet locum. In Ecclesiis vero Patriarchalibus, Collegiatis, Conventualibus, in quibus vel saecularis vel regularis copiosus est Clerus, congruum videtur ac decens, ut duo saltem sibi in adoratione succedant.

4. Et quoniam, ut supra notatum est, eadem regula in aliis etiam expositionibus servanda est, quaeri hic poterit: *num quoque tenenda sit extra Urbem?* Respondendum videtur, quod obtinet *ex decentia non ex necessitate:* sed Episcopi in id sedulo debent incumbere, ne aliqui ex Clero desint, qui Sacramentum expositum, praesertim in Oratione quadraginta horarum, continenter adorent. Haec est mens *Sac. Rit. Congregationis*, quae interrogata *in Cortonen. 10. Decembris 1701.* „An tempore quadraginta horarum in Cathedralibus vel Collegiatis debeat semper assistere aliquis Sacerdos vel Clericus cum superpelliceo?“ Scite cauteque respondit: „Hoc maxime decere juxta edictum Emi. Vicarii pro Urbe et Episcopus in hoc quammaxime incumbat.“ Patet igitur ex hoc rescribendi modo, quale sit Sac. Rit. Congr. hac de re judicium. Bene notat *Edictum Cardinalis Urbis Vicarii* (nondum prodierat *Clementina Instructio*, quae primum evulgata est quinquennio post, scilicet *anno 1705*) extra Romam ejusque districtum non extendi et circa rem versari, quae decet, ut ubique fiat, sed non est ex generali aliqua lege necessario ubique facienda, si debitae adorationi aliter provideatur. Idcirco ad Dubium non respondit absolute jubendo, sed maxime decere dixit, ut circa hujusmodi obsequium Venerabili Sacramento praestandum modus ille obtineret, qui erat pro Ecclesiis Urbis praescriptus. Sed quoniam „quaecumque in Dioecesi ad Dei cultum spectant ab Ordinariis diligenter curari atque iis, ubi oportet, provideri aequum est“ *(Conc. Trident. Sess. 21. cap. 28 de reformat.)* propterea addens „Et Episcopus in hoc quammaxime incumbat“, plene ostendit quid vellet, non absolute jubendo, sed insinuando, ut Episcopus suo fungens munere modis omnibus curet, ut, quod Religioni congruit, non omittatur.

5. Certa regula tamen dari nequit pro omnibus indistinctim locis, et servanda sunt particularium Synodorum Decreta et Ordinariorum mandata, dummodo horum ope satis consultum sit religioni et decentiae. *Cavalerius* et *Tetamus* ad hunc *Instructionis* locum pro diversa qualitate et solemnitate expositionis, modo unum, modo duo Sacerdotes aut Clericos debere authumant in oratione persistere. In expositione solemni et publica, quae diu protrahitur et praesertim si adhuc de nocte, duo Sacerdotes vel unum saltem semper assistere debere volunt aut duo ex Clericis Sacrorum Ordinum,

sin minus, alios ex Clericis in minoribus constitutis: si vero diu non perduret expositio, nunquam deesse volunt duorum assistentiam Sacerdotum vel in Sacris Ordinibus constitutorum, si fieri possit; secus saltem unius Sacrorum Ordinum et alterius inferiorum: quem modum servandum esse etiam existimant in expositionibus, quae diu durant, saltem de die et dum major est populi frequentia. Liceat mihi hanc opinionem emollire: si Instructio praenoscens difficultatem habendi tot Presbyteros aut Clericos in Ecclesiis praesertim, quae Clerum non habent, non expresse jubet, quod duo semper assistant, sed vult, ut unus nunquam desit, etsi expositio quadraginta horarum omnium sit solemnissima; curnam onus imponendum duobus quoad expositiones minus solemnes et brevis durationis, quae fiunt in novemdialibus et triduanis precibus vel statis diebus in piarum fundationum implementum? Rursus Instructio tempus et horas non distinguit, sed vult, ut tam de die quam de nocte unius vel duorum assistentia continua sit: hinc per modum regulae exigi nequit, ut in expositionibus, quae brevi durant, semper, et in aliis, quae longius protrahuntur, saltem de die et dum major est populi frequentia, duo nunquam ab oratione deficiant. Puto tamen praefatos Auctores ita esse intelligendos, ut consulant quod magis decet, quin certam servandam regulam tradant. Laudandi igitur erunt, qui habentes Sacerdotum et Clericorum copiam curabunt, ut major sit in utroque casu perseverantium in oratione numerus, praesertim quia *Instructio* vult, ut duo assistant, sed saltem unus nunquam desit; verum modum pietati et religioni non imponit et in arbitrio est numerum augere. Haec dicta sint, ne Scriptorum ceteroqui clarissimorum auctoritas in sensum fortasse ab eorum mente alienum detorqueatur.

6. Quod, si Sacerdotum vel Clericorum assistentia praestanda est quando Sacramentum est publice expositum? quomodo consulendum erit, si unus tantum Sacerdos sit, qui regit populum et Clerici vel omnino desint vel sint paucissimi, ut frequentissime accidit in Ecclesiis ruralibus? Hoc dubium sibi proponunt *Cavalerius* et *Tetamus*, qui existimant „non ideo omittendam esse expositionem Sacramenti: ob impotentiam enim et necessitatem ablegandae non sunt laudabiles consuetudines et potissimae causae pietatis, cujusmodi est Expositio Sacramenti, dummodo tamen, si non adsit Clericorum, non desit Laicorum aliorumque fidelium adoratorum copia", secus enim infelices illi populi, qui longe nimis a cultis Civitatibus in parvis angustisque Oppidulis vel dispersi in arvis commorantur, perpetuo carerent spirituali hoc solatio. Nec illud praetereundum est, quod, ut jam vidimus, assistentia Sacerdotum et Clericorum est ex decentia non autem ex omnimoda necessitate; et obtinet, quin omitti debeat in locis, in quibus adsunt vel sine gravi difficultate accersiri possunt Ecclesiastici viri. Verumtamen advertendum est, quod si desunt Clerici, caetera saltem concurrant, quae sacra illa exigit actio; nam si deessent sacrae Supellectiles, vel cerei vel quid aliud ad tantum opus necessarium, nec decet nec licet Sacramentum publice exponere. Satius est sacram illam functionem omittere, quam sine debita reverentia peragere.

7. Quaerimus modo *de habitu*, quo Sacerdotes et Clerici in adoratione perseverantes distingui debent. Jubet Instructio tam Saeculares quam Regulares ad scamnum ad id paratum in plano Presbyterii nonnisi super-

pelliceo indutos debere accedere; quam vestem induere debent etiam regularium Ordinum Laici; neque his licet assistentiam praestare solo religioso habitu contectis, si in Clericorum defectum assumantur. Haec regula ad quascumque expositiones publicas vel privatas extenditur, neque excogitari potest casus, in quo, ut secus fiat, permissum sit, nisi superpellicea desint, quod vix eveniet in aliqua pauperrima rurali Ecclesia. Nimis enim dedecet ordinariis vestibus amictos Presbyterium ingredi et stare supplices ante conspectum Regis. Si induti esse debent superpelliceo, qui ministrant et in servili opere circa Aram occupantur, ut vidimus *ad* §. *VII*, multo magis hujusmodi amictu distinguantur oportet, qui Deo offerunt incensum laudis. Idcirco nequeo assentiri *Cavalerio*, qui ad hunc locum *num.* 7. existimat, extra Romam permitti posse, quod Regulares in suo religioso assistant habitu, ita tamen, ut Sacerdotes Stolam a collo pendentem teneant. Meminisse oportebat *Decreti Congregationis Episcoporum et Regularium editi die 9. Decembris 1602*, quod assistentiam indistincte jubet Sacerdotis Stola et Superpelliceo induti, etiam in expositionibus privatis, quae fiunt aperto Tabernaculi ostiolo, quin sacra Pyxis extrahatur. Hoc autem Decretum Regulares praecipue et directe respicit, quamvis commune etiam sit Saecularibus, ut ex postremis verbis colligimus: „Quod item in Ecclesiis Saecularium servari mandamus.“ Igitur si ex Decreti lege in privatissima Expositione adorationi incumbentes Regulares Superpelliceo uti debent, poteruntne in publica et solemni ante Aram adstare solo religioso sui Ordinis habitu amicti?

8. Sed en altera quaestio, de *Stola* scilicet adhibenda, vel non, a Sacerdotibus ante expositum Sacramentum orantibus. Lex silet, quae unum tantum Superpelliceum seu cottam commemorat. Et quoniam Lex pro Romana Urbe dicta est, ideo censent *Cavalerius* et *Tetamus* ubique terrarum stolam Superpelliceo hac in actione imponendam; in Ecclesiis tamen Urbis Sacerdotes solo Superpelliceo debere esse contentos, quin Stola utantur ob reverentiam debitam Pontifici, qui Stola utitur extra Sacramenta. Verum res contra accidit et parcendum Scriptoribus morum Urbis non satis instructis. Siquidem Romae constans consuetudo est superimponendi Superpelliceo Stolam, quam solummodo deponunt Sacerdotes coram Sacramento orantes et ad Altaris latus secedunt, si veneraturus Sacram Hostiam Summus Pontifex accedat. In solis Patriarchalibus Stola non adhibetur, tum quia Ecclesiae sunt, (ut ipsum fert nomen) propriae Pontificis, tum quia assistentia fit in habitu chorali.

9. Usus etiam Stolae non ita accipi semper debet extra Sacramenta, ut sit signum jurisdictionis, superioritatis et officii; sed, praecise ab actuali exercitio, ut vestis sacerdotalis, seu ut distinctivum Sacerdotii consideratur. *Cap. Ecclesiastica 9. dist. 23.*, imo, ut eruitur ex Concilio *Bracharensi 3. cap. 3. et Toletano 4. cap. 39. est veluti forma totius ornatus sacerdotis.* Id tam verum est, ut antiquitus Episcopi aeque ac Sacerdotes Stolam extra Mysteria semper deferrent. Legitur de S. Thoma Cantauriensi, quod Stolam jugum Christi suave circa collum diebus, ac noctibus habebat, apud *Mabillonium in Praefat. ad Saeculum 1. Benedictinum. CVIII.* De Presbyteris vero habemus canonem 28 *Concilii Moguntini anni 813* scilicet „Presbyteri sine intermissione utantur Orario propter differentiam Sacerdotii dignitatis.“ Huc respiciunt *cap. 169. lib. 6.* Capitularium et Can. 26.

Concilii Triburiensis apud Burcardum Wormatiensem lib. 6. *cap. 10*: „Presbyteri non vadant sine Stola vel Orario induti.“ Plura videri hac de re possunt collecta *a Fabio de Albertis de Sacris utensilibus cap. 8.*

10. Quod si Stola habenda semper esset extra Sacramenta ut jurisdictionis distinctivum, Sacerdotes nunquam eadem uti possent nisi Sacra operantes. In publicis Processionibus, quae Romae fiunt, Parochi omnes, licet non sint in actuali muneris exercitio, a caeteris de Clero distinguuntur Stola e collo pendente, etiam praesente non moraliter sed physice Summo Pontifice, qui in solemnissima Festivitate SSmi. Corporis Christi Sacramentum deferens supplicationem claudit. Nemo autem dixerit Parochos ea occasione Stolam deferre in signo jurisdictionis, bene vero ut distinctivum officii; aut per delationem Stolae laedi reverentiam Summo Ecclesiae Pastori. Si ita esset, neque iis privilegium deferendi Stolam indulsisset *S. M. Benedictus XIV*, neque umquam liceret Sacerdotibus per universum Orbem dispersis uti Stola extra Sacramenta, quia ab omnibus aeque reverentia debetur Pontifici. Is namque, ut habetur in *Caeremoniali S. R. E. Augustini Patritii* „numquam debet exire in publicum sine Stola“ sed eam continuo defert, non ut Urbis Episcopus, sed in signum supremi Sacerdotii, tamquam Christiani universi Orbis Pastor et Rector: et quod olim erat commune Episcopis et Presbyteris, modo ob supremam dignitatem Romano Pontifici reservatum est. Patet hinc, quod si Sacerdotes, dum in Urbis Ecclesiis supplices in Sacramenti adoratione consistunt, e collo deferant pendentem Stolam, nihil committunt, quod reverentiae debitae Summo Pontifici tantillum deroget Quod adeo verum est, ut *Catalanus* ad hunc *Caeremonialis S. R. E.* locum, fretus privilegio *a Benedicto XIV.* Parochis indulto, fateatur se rationem non invenire „cur et ipsi sacri Oratores, cum verbum Dei Romae praedicant, sacram Stolam e collo pendentem adhibere nequeant.“

11. Satis haec sunt, nihilominus si quis adhuc dubitet, ad evellendas ex animo dubietates, validum praebet argumentum eadem haec nostra Instructio. Dum res est *de Concionibus habendis §. XXXII.*, ne fiant tempore expositionis per modum regulae generalis jubet; permittit nihilominus, ut quandoque habeantur brevia colloquia, si Praesidum intercedat auctoritas, sub ea tamen expressa lege, ne Stola ea in actione adhibeatur „Sermoneggerà colla cotta, benchè sia Regolare, ma senza Stola“ ubi vero agit de oratione a Sacerdotibus et Clericis facienda coram Sacramento, mandat tantummodo, quod omnes assistentiam praestent *vestiti di cotta, benchè siano Regolari;* nec tamen vetat Sacerdotibus delationem Stolae. Consequitur ergo, quod ubi lex voluit negativam hanc conditionem, eam claris verbis expressit, haud voluisse censenda est, et libertatem reliquisse Sacerdotibus utendi Stola, ut a Clericis, qui plerumque in eodem scamno adorationi incumbunt, distinguantur. Consuetudo autem universalis, immemorialis, non intercepta, non impugnata, quae optima est legis interpres, id comprobat; cum in concionibus habendis nunquam, in assistentia vero coram Sacramento, videntibus et non reclamantibus Praesidibus, semper et in omnibus Urbis Ecclesiis (solis exceptis Patriarchalibus) Stola adhibeatur, *Concludendum videtur*, *cum Romae tum alibi aeque posse Stolam adhiberi a Sacerdotibus coram Sacramento orantibus.* Neque puto ejusdem usum esse interdictum *Diaconis*, dummodo Stola non e collo ante pectus

defluat, sed transversim ab humero ad latus descendat. Quamquam vero, si una spectetur *Instructio* liberum sit in religiosa illa actione solo uti Superpelliceo vel etiam addere Stolam, si meus, qualiscumque sit, sensus, exquiratur, censerem, ejusdem usum non esse omittendum: decet enim in actione, quae Deum immediate respicit, ut Sacerdos coram eo assistat ea indutus veste, *quae est veluti forma totius ornatus Sacerdotalis.*

12. Neque Sacerdotes et Clerici possunt ab hoc religionis officio se eximere sub obtentu, quod ex laicalibus Sodalitatibus aliqui continuo sint, qui sibi vicissim in Oratione succedunt. Nam utrumque jubet *Instructio* districte mandans, quod ubi adsunt laicorum Sodalitates, duo saltem Confratres continuo, extra Presbyterium *distanti dagli Ecclesiastici*, adorationi incumbant. Dixi *extra Presbyterium;* non enim licet laicis hominibus, in ea praesertim actione, Presbyterium ingredi, quapropter nec eis permissum est servilia praestare circa Aram, ut supra notavimus *ad* §. *VII.*, quamvis non vulgari veste, sed Societatis propria induti sint. Lex tamen non comprehendit *Laicos regulares:* nam hi, deficientibus Sacerdotibus et Clericis, ad horum supplendas vices admittuntur et cum ex privilegio in Clero computentur, induantque Superpelliceum, licite possunt Presbyterium ingredi et orare ad Scamnum pro Ecclesiasticis assignatum. Simul ergo toto expositionis tempore perseverare debent in Oratione in suis ab Instructione assignatis locis tam Ecclesiastici quam Sodalitatum confratres, ita ut ex utraque hominum classe iis qui recedunt alii immediate succedant. Hoc in Urbe omnino fieri debet; alibi optandum, ut fiat, sed non est omnino exigendum.

13. Quemadmodum vero diversus sit oportet locus pro sodalibus Confraternitatum, ita etiam scamni ornatus. Id apte distinguit *Instructio* jubens, quod scamnum paratum intra Presbyterium pro Ecclesiasticis nobiliori panno cooperiatur, „Tappeto o panno rosso, o d' altro colore, e qualità decente.“ Illud vero pro Confraternitate extra Presbyterium „di panno verde, o d' altro colore“, utrisque vero commune est, quod ante scamnum, non in genuflexorio, orare debent. Quae regula in Urbe servanda omnino est: in aliis vero Dioecesium Ecclesiis censet *Cavalerius* parari posse genuflexorium pro Clero. Verumtamen, etsi posse non inficiar, nihilominus ex decentia ab eo parando abstinendum puto, et scamnum potius decenti ornatum tapete adhibendum, ad differentiam Episcopi, qui, si veniat ad Sacramentum venerandum, utitur genuflexorio.

14. Ut autem scamnum pro Laicis extra Presbyterium paratur, ita illud pro Ecclesiasticis locandum est „vicino all' infimo grado dell' Altare“ hoc est in plano Presbyterii; quamobrem contra legem illi faciunt, qui illud apponunt in Altaris gradibus, nisi tanta esset Presbyterii angustia, ut secus fieri nequiret.

15. Cum nunquam Oratio intercipienda sit, percontandi locus videtur: num, ut Ecclesiastici, ita etiam laicarum Confraternitatum sodales noctu debeant in Oratione persistere? Certum est pro Ecclesiasticis dictam legem esse, *orando tanto di giorno, quanto di notte a vicenda,* eam legem ad Laicos extendi non credam, quamvis commendabile sit, ut quemadmodum de die, ita etiam nocturnis horis vicissim adsint. Siquidem *Instructio* hujus praecepti meminit in prima Sanctionis parte, quae est de Ecclesiasticis, non item in secunda, quae respicit Confraternitatum sodales.

16. Quod autem Instructio disponit quoad Ecclesias, in quibus aliqua laicalis Sodalitas habetur erecta, extendi potest ad illas Monialium aliarumque foeminarum aut virorum, qui collegialiter vivunt in communi domo, ita ut duo ex iisdem distributis horis debeant continuo assistere in Ecclesia extra Presbyterium quoad viros, in Choro interno quoad Moniales aliarumque foeminarum Collegia. Dixi *continuo*, quod tamen accipiendum civiliter est, pro horis scilicet et temporibus competentibus, non autem pro integro tempore, quo Expositio durat; „Officiorum enim tempore," inquit Cavalerius ad hunc locum, „Clerum, Moniales aliosque, qui sunt de Choro, in Chorum omnes convenire posse credimus ad decantanda Divina Officia, quorum cantui dum incumbunt, insimul orantes SSmo. Sacramento assistunt." Bene quidem; sed quoniam hic *Cavalerius* Clerum simul confundit cum Monialibus aliisque Collegiis, quibus onus Chori incumbit, ne censeas in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Conventualibus posse Sacerdotes et Clericos eximi ab assistentia, quam praecipit *Clementina Instructio* coram Sacramento tempore, quo in Choro Divina Officia persolvuntur. Etenim, dummodo in Choro non desint, qui ad psallendum aliaque sacra munera peragenda conveniant, duo commode, juxta turnum in tabella notatum, adorationi coram Sacramento vacare possunt, ac interim haberi, ac si praesentes essent in Choro. Quod si Clerus modicus numero vix pro Chori servitio sufficiat, non est propterea omittenda praescripta assistentia sub obtentu, quod psalmodiae incumbentes in Choro, insimul orantes, SSmo. Sacramento assistunt, sed debitae assistentiae consulendum est per alios Sacerdotes vel Clericos, qui de Choro non sint.

17. Concludit Cavalerius, „quod extra Urbem, dum assistunt Clerici, non videntur ad simultaneam assistentiam adstricti Confratres aliive de Congregatione aut Collegio et per assistentiam Confratrum, Monialium aliorumque de Collegio, suppleri saltem poterit assistentia Clericorum, quando haec sine gravi et notabili incommodo haberi non potest, aut talis est consuetudo Ecclesiae, cui plurimum hac in re deferri posse credimus." Scite, ait, *sine gravi et notabili incommodo:* non enim quodcumque incommodum Sacerdos et Clericos excusare posset, quia praecipuum eorum officium est in hac assistentia immorari et Ecclesiasticae leges ad eos diriguntur. Quamobrem per assistentiam Monialium aliorumque de Collegio suppleri posse Clericorum defectum puto, si hi pauci sint numero et aliis muneribus pro Ecclesiae servitio ita distracti, ut difficillime possint haec simul implere et assistentiam praestare; vel si hos inter aliqui essent senio et aegritudinibus impediti et pauci bene valentes superessent pro implendis oneribus, quibus propterea grave nimis foret praefatae assistentiae vacare. Sed et est alius casus. Si Moniales aliquae haberent pro Instituto Orationem perennem coram Sacramento exposito per integrum anni circulum saltem de die: difficile nimis et onerosum esset Sacerdotes aut Clericos haberi, qui distributis horis Orationi vacarent, quo in casu satis esse censerem assistentiam Monialium. Nequeo tamen *Cavalerio* assentiri, qui consuetudinem habet pro idonea excusatione: nam si Ecclesiastici non desint in sufficienti numero, consuetudo non valet, quae abusus potius nomen promeretur.

§. X.

»Nella Sagrestia vi sia l' orologio »almeno a polvere per sapere il tempo »della vicenda, di cui se ne darà il

»segno ad ogni ora colla campana »maggiore tanto di giorno, che di »notte.«

1. *Horologium* ad horas indicandas in Sacrario Ecclesiae, in qua fit expositio quadraginta horarum, retinendum est, quod vel hasta tempus metiatur et campanae sonitu, vel saltem subtili decidente pulvere ab una in aliam ex vitreis pyramidibus mutuo se inversis cuspidibus contingentibus, certa temporis intervalla distinguat. Hujus ope designatur spatium, quod quisque debet in oratione insumere. Non enim iidem semper perseverare in actuali illa assistentia debent, nec forte possent, si vellent. Id non patitur humana infirmitas. Hinc more receptum est, ut, qui ex Sacerdotibus et Clericis ad hoc religionis et obsequii officium praestandum veniunt, vel quia Ecclesiae servitio sunt addicti, vel quia in Sacramentum devotione excitati sponte accedunt, ita vicissim distribuantur, ut singuli ad horae spatium in Oratione continuo perseverent. Hoc enim pacto omnes debitum cultum praestant Sacramento, Saecularibus exemplo sunt, et qui vel aetate graves vel corporis habitu imbecilles diu nequeunt genuflexi consistere, nimis non defaticantur. Quamobrem ea regula tenenda est, ubi pauci numero sunt Sacerdotes vel Clerici, ut potius, datis intervallis horam Orationis repetant, quam quod diutius in assistentia morentur. Danda est quies corpori, ut spiritus alacrius ad Orationem redeat. Ubi vero Clerus abundat, decet, ut quilibet suam praestet assistentiam per horae spatium, quin teneatur pluries eamdem repetere, nisi pro sua devotione quis id facere velit.

2. Recte *Cavalerius* ad hunc locum ait „Quisquis, etsi Canonicus, Dignitas aut Ecclesiae Superior, facile hinc ediscat, ab hujusmodi assistentia se dispensare non posse, sed magis prae caeteris teneri promptitudine sua aliis in exemplum praeservire . . . . Affigetur itaque in Sacrario tabella, in qua erunt descripta nomina eorum et horarum, qui et in quibus debent assistere, per horologium metiatur tempus vicissitudinum et hujus signum paulo ante dabitur levi et intercisa pulsatione campanae majoris, ut praesto esse valeant, qui in assistentia debeant succedere, et ne, qui jam assistentiae incumbunt, cogantur diutius immorari. Signa autem per campanam majorem data id ultra habent commodi, ut etiam a longe extra Ecclesiam existentes de expositione moneantur et itentidem ad actus virtutum excitentur.“ Hactenus *Cavalerius*. Addam ego, campanae sonitum multum etiam prodesse, ut convenientes in Ecclesiam coram Sacramento per integram horam perseverent ad lucrandas indulgentias, de singularum initio et termino edoceantur. Siquidem *Clem. VIII.* omnibus Christifidelibus plenariam elargitur Indulgentiam, si vere poenitentes, confessi et Sacra Communione refecti *devote orando unam saltem horam perseveraverint.* Neque clausis Ecclesiae januis noctu cessare debet ad singulas horas campanae sonitus; quia, cum expositio continua sit, etiam noctu Sacerdotes et Clerici vicissim debent orationi incumbere; ac praeterea eo signo etiam, qui vigilant aut a somno excutiuntur, ad promendos erga Sacramentum devotionis affectus excitantur.

§. XI.

»La sera avanti il giorno dell' esposizione, dopo il segno dell' Ave »Maria, si suonino le campane solennemente per avviso del popolo, come »anche la mattina nel far del giorno, »e dopo tutti gli altri segni dell' Ave »Maria, durante l' esposizione, come

»parimente le solite tre volte avanti »le Messe solemni.«

1. Festivus campanarum sonitus Ecclesiasticas solemnitates praenuntiat populumque invitat ad ea praestanda cultus et Religionis obsequia, quae exigit Festi ac Solemnitatis qualitas. Nemini dubium, quod festiva sit multumque solemnis expositio SSmi. Sacramenti pro Oratione quadraginta horarum, quae in Urbe perpetuo per turnum fit: recte idcirco praecipit *Instructio,* quod „la sera avanti il giorno dell' esposizione, dopo il segno dell' Ave Maria, si suonino le campane solennemente per avviso al popolo;“ quod fieri debet etiam, cum statis horis ad auroram, meridiem et post Solis occasum per triduum expositionis in signum jubili atque laetitiae; tum etiam iteratis vicibus, ut assolet, paulo antequam Missae solemnes celebrentur. Qua in parte adamussim est servanda *Instructio*, nec liberum esse puto Ecclesiarum Rectoribus et Sacristis frequentius praecipere campanarum pulsationem. Non enim decet per frequentem nimis et non necessarium campanarum strepitum orantes ante Sacramentum distrahi ac perturbari. Quum autem haec sanctio unice versetur circa expositionem quadraginta horarum pro Ecclesiis Urbis, nihil adnotandum occurrit quoad alias expositiones minus solemnes et non praeceptas vel quoad illas, quae alibi per Dioeceses fiunt. In his quippe laudabiles et rationabiles locorum consuetudines servandae sunt.

§. XII.

»Nell' Altare, dove sta esposto il »SSmo. Sagramento non si celebri »altra Messa, che le solenni per l'Es»posizione, e Reposizione, nei quali »due giorni, oltre la Conventuale (nelle »Chiese, ove è obligazione di can»tarla) si celebrerà dopo Nona la »Messa del SSmo. Sagramento votiva »pro re gravi, eccettuate però tutte »quelle Domeniche, che sono di prima, »o seconda classe, e tutti li giorni, »ne' quali per ragione del Calendario »tanto universale, quanto particolare »di quella Chiesa, in cui si fa Offizio »parimente di prima, o seconda classe, »come anche eccettuata la feria quarta »delle Ceneri, e le ferie, seconda, »terza, e quarta della Settimana Santa, »tutti li giorni dell' Ottava di Pasqua, »e di Pentecoste, le Vigilie del Santo »Natale, e della Pentecoste, e l'Ottava »dell' Epifania, nelle quali Domeniche »ed altri giorni, e ferie eccettuate si »canterà la Messa conventuale con »l'Orazione aggiunta del Sagramento »*sub unica conclusione,* e tuttociò si »osserverà inviolabilmente in tutte le »Chiese tanto dei Secolari, che dei »Regolari.«

1. Clara est prima pars hujus sanctionis, quae jubet, ne Altare, in quo expositum est Sacramentum pro Oratione quadraginta horarum celebrentur Missae, exceptis solemnibus pro expositione et repositione. Cur autem hoc? Facilis et expedita ratio est; *ut scilicet populus unice sit adorationi intentus.* Id adeo verum est, ut *S. Carolus Borromaeus* Ecclesiasticae disciplinae cultor eximius jusserit, ne in Ecclesiis Mediolani per integrum expositionis tempus ullae celebrarentur Missae aut alia Divina Officia persolverentur; translatis interea ad proximiorem Ecclesiam oneribus, si quae implenda fuissent: a lege exceptas declaravit tantummodo Ecclesias *Collegiatas et Conventuales,* in quibus permisit, ut recitari possent horae canonicae et solemnes Missae cantari: necnon Monialium, quibus indulsit unam aut duas Missas lectas, dummodo id fieret, dum minor esset populi frequentia. En ejus verba: „*Nelle* Chiese dove sarà l' Orazione per quel

spazio di tempo, che si fa, non si celebri Messa, o altri Divini Offizi, ma si soddisfaccia agli obblighi, che vi fossero nelle Chiese vicine. Siano però eccettuate le Collegiate secolari, e regolari dove si potranno dire le solite ore Canoniche, e Messa Cantata, ma in luogo della Chiesa più lontana, che si possa, dall' Altar Maggiore, e le Chiese di Monache, nelle quali si potrà dire una, o due Messe basse per le Monache Il che si faccia in ora di minor frequenza di popolo". *Act. Eccl. Mediol. pag. 682.* Quinimmo juxta Mediolanensem ritum nec pro expositione aut repositione Missa celebrabatur: quadraginta horae non moraliter sed physice numerabantur, quibus in una Ecclesia absolutis, statim Oratio in alia incipiebat; hinc regula, quae in S. Caroli Instructione legitur: ,,Comincisi l' orazione nella Chiesa seguente un' ora prima, che finisca nella precedente, e duri in ciascun luogo il tempo preciso solo delle quarantore, e non più oltre, ancorchè vi fosse bisogno levarla, o metterla di notte". Sed quae pro Dioecesi Mediolanensi a Sancto Antistite statuta sunt, equidem ejus zelum demonstrant, ut per quadraginta horas Orationis cuncta in unum eumdemque collinearent finem, cultum videlicet Sacramento debitum, ac simul studium servandi mores et ritus Ecclesiae Ambrosianae; nec tamen inde licet regulas desumere in similibus servandas. Ambrosiana Ecclesia suos habet particulares usus: aliae etiam sunt Ecclesiae vel Regularium Instituta, quae adhuc in sacris peragendis functionibus quosdam habent ritus peculiares et proprios. Haud expedit hos ad alias Ecclesias et Instituta transferri, licet laudabiles et rationabiles sint neque ulla prorsus censura notandi; eo quia circa modum dumtaxat versantur, salva Ecclesiasticarum legum disciplinaeque substantia. Itaque de regulis illis, quas S. Carolus dixit pro Ecclesia Mediolanensi, quin simus solliciti, illas tenere debemus, quae Romae vigent, ubi moraliter et non physice numerantur horae et expositio, sicut et repositio semper fit circa meridiem: nec prohibentur Missae privatae sed interdicuntur solum Missae cum privatae tum solemnes ad Altare expositionis praeter illas, quae cantantur pro exponendo et reponendo Sacramento.

2. Lex autem, quae vetat celebrari alias Missas praeter duas recensitas in Altari Expositionis, nedum obtinet in Oratione quadraginta horarum, *verum etiam extenditur ad alias omnes, quae per annum fiunt.* Declaratum id jam fuerat a S. R. C. *in Bononien 9. Aug. 1670,* quae proposito Dubio respondit: ,,Non licere celebrare Missas in Altari Capellae Majoris Ecclesiae Confratrum Societatis boni Jesu Bononiae, exposito in eodem SSmo. Sacramento, stante praesertim quod adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit" *et in Angelopolitana die 13. Junii 1671* cum quaesitum fuerit sub sequenti formula: ,,dubitatur, quando ob aliquam causam expositum est SSmum. Sacramentum in Altari, dum cantatur Missa solemnis, postquam mox recedendum est sine Processione, an debeat populus cum eo benedici, an non?" S. Rit. Congregatio, priusquam responderet Dubio, quod unice versabatur circa Benedictionem elargiendam cum Sacramento expleta Missa, voluit certam generaliter firmare regulam, quod non licet celebrari in Altari, in quo expositum est Sacramentum, *nisi aliter necessitas jubeat, qua urgente* respondens ad dubium, quid faciendum sit, declaravit. Ideo primum per modum regulae generalis edixit ,,*Non debere cantari nec celebrari Missam in Altari, in quo expositum est SSmae.*

Eucharistiae Sacramentum, nisi pro eo reponendo", mox *limitando regulam et excipiendo casum necessitatis, ut proposito Dubio satisfaceret, addidit: „at si ex necessitate fieri opus esset, populus est benedicendus more consueto et non cum Sacramento*".

3. In hoc autem secundo Decreto illud notandum est, quod a Cavalerio refertur *tom. 4. cap. 7. num. 31.;* erronea tamen lectione ibi legitur: „nisi pro eo exponendo" cum legendum sit: „nisi pro eo reponendo". Agit Decretum de Missa cantanda in Altari, ubi est Sacramentum *expositum, non autem ubi est exponendum.* Non enim in hoc vetitum est Missam solemnem celebrari, si consecranda sit Hostia in Ostensorio collocanda et processionaliter circumferenda vel sub Umbella fidelium adorationi exponenda: sed non licet, si jam Sacramentum sit expositum, quod proposita quaestio supponit, nisi Missa solemniter sit pro eo reponendo cantanda, ut Sacra Congregatio respondit. Sibi certe non cohaereret Decretum, si legendum esset, licere tantummodo celebrari Missam *pro exponendo Sacramento* in Altari, in quo *expositum est.* Erroneus certe sensus, si pro *reponendo* retinenda esset dictio *exponendo,* quemadmodum legit *Cavalerius*, usus fortasse non Authographo ex regestis Sac. Congregationis, sed collectione *Spiridionis Talù.*

4. Obiter tamen id dictum volo, ne auctoritate quis innixus laudati Auctoris erroneam lectionem sequatur. Caeterum, quod nostra interest, certa est regula, quae generaliter prohibet Missas in Altari, in quo expositum est Sacramentum. Siquidem duo supra laudata Decreta aut generalia habenda sunt, quamvis prodierint in casibus particularibus; non enim decidendi ratio petenda erat a peculiaribus facti circumstantiis, verum a jure principalique subjecto, videlicet Sacramento publicae exposito venerationi, quod praesertim patet de postremo, in quo primum firmata fuit regula generalis, postea vero quaestioni responsum. Quamobrem Sacra Congregatio unicam rationem, quam necessitas praebet, pro legis rigore moderando idoneam agnoscit. In primo namque Decreto absolute ponit, non licere Missas celebrari in Altari, ubi Sacramentum expositum est, *praesertim* quia alia adsunt Altaria. Notat Cavalerius: „dictio illa *praesertim,* qua ipsum Decretum utitur. ut minimum quaslibet alias expellit Missas; designat namque majorem quidem esse rationem in casu, in quo adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit, sed nihilominus eamdem esse juris dispositionem in casu contrario, in quo nempe in Ecclesia Altare expositionis dumtaxat habeatur". Quamquam dictio illa *praesertim* accipi potest ad sensum alterius Decreti et per hoc si quid ambiguum est declaratur. Nam Sacra Congregatio significare voluisse videtur, quod deerat rationabilis causa celebrandi eo in Altari, dum alia habebantur, in quibus celebrari posset; quod tolerandum forte in casu, quod unicum esset Altare et celebrandi urgeret necessitas.

5. Quae tamen necessitas erit, qua urgente aequum sit a regula declinare? Non est hic tantum otii nostrumque institutum non patitur, ut possibiles omnes casus et exquiramus et persequamur, qui hujusmodi necessitatem forte inducere possunt. Unus est magis obvius, qui oritur a positivo praecepto audiendi Sacrum in diebus festivis, ubi una est Ecclesia, unum Altare, vel si alia non longe sit Ecclesia, ubi celebrari possit, verendum tamen ne populus ad illam confluat et vacua sine adoratoribus fiat Ecclesia,

in qua expositum est Sacramentum. Id facile accidit in locis ruralibus, in quibus vix una vel altera habetur Missa et incolae pauci sunt numero. Quod si unica sit Missa et alia adsint Altaria, foret timendum ut omnes se ad illud convertant, in quo Sacrum fit, qui vero in adorando exposito Sacramento persistant nulli sint reliqui. Quid hisce in casibus vetat celebrari Missam in Altari Expositionis? „Quod incommodum", addit Cavalerius, „si in diebus etiam ferialibus timeatur evenire, posse in Ecclesiis praedictis unam item vel alteram Missam celebrari ad satisfaciendum devotioni et votis populi et ad consulendum honori Sacramenti.

6. *S*ed et aliam fortasse rationabilem causam afferre potest longaeva consuetudo, quae difficillime abrumpi posset sine populorum offensione et scandalo. Hanc autem fuisse arbitror, ob quam Sac. Rit. Congregatio in *Wersavien sub die 3. Septembr. 1746* propositis dubiis: „Cum in insigni Ecclesia Regia Wersaviensi quotidie cantetur in Capella Crucifixi Missa votiva de SSma. Trinitate cum expositione SSmi. in Pyxide et in aliis etiam Ecclesiis contingat saepius cantare seu legere Missas votivas, seu de die etiam ante SSmum. expositum in Pyxide: utrum in his Missis debeat fieri commemoratio de SSmo.? Cum in Polonia frequenter fiant expositiones SSmi. publice in Majori Altari et praeter Missam solemnem dicantur etiam Missae privatae ad idem Altare majus et ad alia Altaria minora, durante expositione SSmi., debeat fieri commemoratio de eodem SSmo. Sacramento?" — ea rescribendi formula usa est, qua satis superque ostendit, se nolle quidquam definire de Missis celebrandis ad Altare, in quo Sacramentum patebat expositum, sed stricte ad quaesita, praescindendo a causa, respondit ad primum: „Commemoratio de SSmo. Sacramento in Missis privatis poterit fieri, quando expositio fiat ex publica causa"; ad alterum vero: „Poterit fieri commemoratio de SSmo. Sacramento, durante expositione". Cum enim mos obtineret nedum in aliquibus Ecclesiis sed per universum Poloniae Regnum, vehementer timeri poterat, ne turbae excitarentur, non sine scandalo et offensione populorum, si eadem Sacra Congregatio respondisset: non licuisse nec licere Missas privatas celebrari in Altari, in quo expositum est Sacramentum et Missam votivam haud posse celebrari quotidie, sed tantum diebus a rubrica permissis. In iis enim, quae ad disciplinam pertinent, multam vim habet locorum consuetudo et satius quandoque est, aliquid tolerare, quod ab aliarum Ecclesiarum consuetudine dissentire videtur, quam ciere turbas, quae non sine magno Religionis detrimento quandoque etiam ex bona causa excitantur.

7. Quidquid tamen de hoc sit, regulae standum est, non limitationibus, quae nonnisi locum habent, quam concurrentibus circumstantiis ab eadem regula praevisis, quae a quadam dimanant necessitate urgente vel positivo praecepto audiendi Sacrum vel ex religione, ne Sacramentum sine adoratoribus relinquatur, vel ex longaeva consuetudine late diffusa difficillime sine offensione abrumpenda. Horum forte casuum rationem habuit Gavantus ad Rubricas Missalis *part. 2. tit. 14. num. 17.* inquiens: „in Missa privata (quae tamen quamparcissime celebranda erit in Altari, in quo Sacra Eucharistia est exposita) ea observari debent, quae supra diximus de Missa solemni, demptis iis, quae sunt propria solemnis Missae". *Si quamparcissime*, ergo nonnisi ex rationabili

causa, quae vel esse potest altera ex supra relatis vel etiam defectus Ministrorum, unde loco Missae solemnis una tantum privata celebrari queat. Siquidem idem clarissimus Auctor paulo ante jam notaverat: „optime monemur ex antiquorum documentis, ut abstineamus a Missa celebranda coram Sacramento, etiam in suo Tabernaculo incluso. Quod si ferat necessitas vel suadeat alia justa causa .... genuflexiones omnes et actus reverentiales debiti diligenter sunt observandi". Sed de hac re jam satis.

8. Romae equidem, ut ad Instructionem redeamus, in expositione pro Oratione quadraginta horarum rigide servatur regula et duae Missae solemnes tantummodo celebrantur, altera pro expositione, altera pro repositione. *Quae tamen Missa erit celebranda? Quave hora?* Duae quaestiones sunt, quae facile solvuntur. Ad primam quod attinet, lex est non ambigua, quae exigit votivam pro re gravi de SSmo. Sacramento: hanc vero celebrandam post Nonam jubens solvit quaestionem alteram. Neque tamen indiscriminatim votiva esse debet, sed talis erit in iis dumtaxat diebus, in quibus ex rubricarum ejusdemque Instructionis praescripto id licet. Dies excipiuntur festivi solemnes, Dominicae privilegiatae ac Feriae majores. Cum primum prodiit Instructio *sub Clemente XI.*, exceptio respiciebat tantummodo *dies Dominicos primae et secundae classis et Festa SSrum. ejusdem ritus*. Postmodum addita sunt *Feria IV. Cinerum*, *Feria secunda, tertia et quarta Majoris Hebdomadae, dies omnes infra octavas Epiphaniae, Paschatis et Pentecosten,* nec non *Vigiliae Nativitatis* et *Pentecosten.* In his votiva non est dicenda, sed alia solemniter celebranda de die cum Oratione de SSmo. Sacramento sub unica conclusione. Siquidem Missae votivae, quae pro re gravi decantantur solemniter, unicam Orationem admittunt juxta Rubricam *9. num. 14.*, quae licet agat de solis Missis votivis, idipsum tamen implicite faciendum esse satis indicat, si eadem de causa cantetur Missa occurrens et haec in locum Missae votivae ob impedimentum subrogetur, ut evenit in casu nostro, in quo cantatur Missa diei, loco votivae de Sacramento pro re gravi indicta. Dixi, diebus exceptis integram Octavam Epiphaniae adnumerari, ut illae sunt Paschatis et Pentecosten. Id tamen videtur nostrae adversari Instructioni, quae primum excipit dies omnes infra Octavas Paschatis et Pentecosten, paucisque interpositis, quoad Epiphaniam, unam dumtaxat diem octavam eximit a regula generali „come anche eccettuati .... tutti i giorni dell' Ottava di Pasqua, e di Pentecoste le Vigilie del Santo Natale e della Pentecoste e l'Ottava dell' Epifania. At non ita se res habet; hac in parte Instructio satis clara non est, sed quod obscurum et ambiguum forte est, satis superque declaratur in monitis, quae subjiciuntur tabellae jussu Emi. Dni. Cardinalis Urbis Vicarii bis in anno evulgatae. In hac excipiuntur Octavae integrae Paschatis, Pentecosten et Epiphaniae „eccettuando .... le intiere Ottave di Pasqua, dell' Epifania, di Pentecoste". Et merito quidem. Nam licet Octava Epiphaniae secundi ordinis sit, nihilominus rejicit quaecumque duplicia, nisi sint ritus primae classis occurrentia. Quoniam vero Instructio a regula excipit duplicia secundae classis, plane consequitur excipiendos esse etiam dies infra Octavam, quae rejicit Festa, quae non sint primae classis; patet igitur sensus Instructionis, qui per tabellae monitum declaratur.

9. Dubium hic occurrit quoad Missam de Festo occurrenti celebrandam

in die Dominico loco votivae. In hac, cum commemoratio fieri debeat etiam de Dominica, quaeritur: num huic conjungenda sit Oratio de SSmo. Sacramento, an potius illi de Festo? dubium hoc solvisse videtur S R. C. in Aquen *die 3. Martii 1761* sequenti responso: „Quando Missa cantatur coram SSmo. Sacramento in Festis primae classis occurrentibus in Dominica Commemoratio SSmi. Sacramenti conjungenda est Commemorationi Dominicae". *Verumtamen hujusmodi Decretum trahi nequit ad speciem nostram. Cum enim versetur circa expositiones in genere et relationem habeat ad alia ejusdem S. C. Decreta, quae agunt de commemoratione Sacramenti in Missis cantatis de die et Festo occurrente in Altari, ubi est Sacra Eucharistia exposita, non autem pro Oratione quadraginta horarum*, jure existimo, ejusdem dispositionem ad istam non extendi, saltem quoad Ecclesias Urbis, repugnante Instructionis littera, quae non distinguit, non limitat, non excipit, non declarat, sed absolute jubet fieri commemorationem sub unica conclusione, idest conjungendam esse cum Oratione de Festo occurrente, cui ob qualitatem ritus locum cedit Missa votiva, etiamsi facienda sit commemoratio de Dominica, quae non impediret votivam positam in praecepto, nisi occurrisset Festum dup. primae vel secundae classis.

10. Sed et altera oriri posset quaestio quoad *Hymnum Angelicum et Symbolum*, si dicenda sit Missa de occurrente pro expositione et repositione Sacramenti, quatenus haec alterutro vel utroque careat. Festum *Nativitatis S. Joannis Baptistae* dup. primae classis, alia *S. Joseph. Sp. B. M. V.* et *S. Laurentii Mart.* dupl. secundae classis, necnon *Vigilia Pentecosten.*, non habent Symbolum. Missae *Dominicarum in Adventu et a Septuagesima ad integram Quadragesimam,* et illa *SS. Innocentum,* nisi occurrat in Dominica, habent Symbolum, sed Hymno Angelico privantur. *Feriae privilegiatae Cinerum et majóris Hebdomadae*, ut etiam *Vigilia Nativitatis* utroque carent. Igitur si in altero ex his diebus fieri debeat expositio vel repositio cum Missa de occurrente, addine poterunt ratione Sacramenti *Gloria* et *Credo*, quemadmodum additur commemoratio? Non secus ac negative respondendum puto. Non enim circumstantia solemnitatis valet ad immutandum ritum a Rubricis praescriptum sine speciali privilegio, de quo in Instructione ne vola quidem aut vestigium occurrit. Equidem talis Missa succedit loco Missae votivae solemnis pro re gravi, quae exigit tam *Gloria* quam *Credo:* sed non ideo consequitur, quod idem servandus sit ritus in Missa de die, si hujus qualitas impedimento est, ne votiva dicatur; quae tamen, cum ex indulto sit et extra ordinem, nil commune habet cum Officio diei, nec proinde potest ritum Missae respondentis Officio alterare. Solius Dominicae privilegium est et Octavarum, ut nunquam amittant Symbolum, licet de iisdem sola fiat commemoratio in Missis de Festo occurrente, quae Symbolo non fruuntur. Imo Dominica nec fraudatur Hymno Angelico in unico casu, quod *Festum Innocentum* incidat in Dominicam, de qua tamen ut vacante nec fit commemoratio. Sed hujusmodi privilegium trahi nulla ratione potest ad Missas pro expositione et repositione quadraginta horarum, in quibus (si de occurrente fiat) tantummodo praecipit Instructio fieri commemorationem loco Missae votivae, quae alias dicenda foret. His adde, quod Hymnus Angelicus nunquam dici de-

bet in paramentis violaceis; et ideo violaceus color mutatur in rubrum, dum Festum *SS. Innocentum* occurrit in Dominica. Hinc est, quod necessario debuisset Instructio regulam servandam tradere in Dominicis et Feriis privilegiatis, si nunquam ratione Sacramenti omitti deberet *Gloria* et *Credo*. Atqui nude et simpliciter excipit hos dies et de una tantum loquitur commemoratione, „si canterà la Messa conventuale coll' Orazione aggiunta del Santissimo Sacramento sub unica conclusione"; liquido patet, in reliquis nihil esse immutandum, nihil addendum et Missam celebrandam prout ejus ritus et qualitas exigunt.

11. Quaeri item poterit: num, si fieri debeat expositio vel repositio SSmi. Sacramenti *in aliqua Ecclesia infra octavam Festi Titularis aut Fundatoris*, quae gaudeat speciali indulto et privilegiatis adnumeretur, dici debeat Missa de infra octavam vel de die octava, an votiva potius de Sacramento? Ad hanc enodandam quaestionem discrimine est opus et attendendi sunt termini concessionis. Quatenus privilegium tam late pateat, ut excludat duplicia secundae classis nedum translata sed etiam occurrentia ad instar octavae Epiphaniae; attento hujusmodi privilegio, non alia erit cantanda Missa praeter illam de octava vel de die infra octavam cum commemoratione Sacramenti. Nam si Instructio inter exceptos ponit integram octavam Epiphaniae, ob parietatem rationis excipi etiam debet octava, quae simili privilegio decoratur, quo illa gaudet. Audiendus *Cavalerius*, qui ad hunc Instructionis locum *num*. 2., postquam dixerat: diebus omnibus, praeterquam in exceptis, Missam votivam de SSmo. Sacramento esse solemniter celebrandam, generalem postea regulam declarat: „nisi fortasse apud aliquam *(Ecclesiam)* concessum haberetur Officium, quod, licet inferioris ritus ipsum sit, ex privilegio tamen excludit duplicia 1. et 2. classis, quo in casu facienda item foret Missa de die cum commemoratione Sacramenti". Eum sequitur *Tetamus in Appendice cap. 3. num. 83.* et merito quidem; nam si privilegium excludit duplicia primae vel secundae classis occurrentia, quae ex Ecclesiae instituto cadunt sub praecepto, potiori jure excludere debet Missam votivam, quae, licet dicenda sit de Superiorum mandato et pro publica causa, nihilominus ex Instructionis praescripto iisdem duplicibus locum cedit.

12. Secus vero dicendum si indultum sit ad instar privilegii, quo distinguitur Octava SSmi. Corporis Christi, quae admittit duplicia occurrentia sed non translata, nisi sint altioris ritus scilicet primae vel secundae classis; et in die octava excludit etiam dupl. sec. classis ac solummodo cedit Festo occurrenti primae classis, ut in propria rubrica declaravit S. R. C. in Ulyssiponen *13. Maji 1699* ad *dub. 2. et 3.* Indultum hisce circumscriptum limitibus nequit ampliari: ideo si expositio vel repositio incidat *in diem infra octavam, Missa erit votiva de Sacramento; si vero occurrat in ipsa octava, erit de die octava cum commemoratione SSmi. Sacramenti sub unica conclusione.* Neque objicias, quod privilegium hisce terminis concessum eliminat ab octava Missas votivas et de requiem. Id verum est de Missis votivis privatis, non autem de Missis votivis solemnibus pro re gravi, praesertim si dicendae sint de Superioris mandato, ut illa est pro expositione et repositione quadraginta horarum. Attendantur igitur verba Indulti: et regula generalis sit, quod omitti debeat Missa votiva de Sacramento: et illa solemniter dici de octava vel de

die infra octavam cum commemoratione ejusdem sub unica conclusione, quoties privilegium omnino rejicit duplicia primae vel secundae classis occurrentia. Quod si Indultum admittat occurrentia, quamvis rejiciat translata, dummodo non sint primae vel secundae classis, impedimentum non erit, quominus solemniter celebretur Missa solemnis de SSmo. Sacramento. Atque ita intelligenda est Instructionis Regula, quamvis explicite de hoc casu non loquatur, sed implicite eum comprehendit ob indentitatem rationis. Id adeo verum est, ut si contingat expositio vel repositio SSmi. Sacramenti infra octavam SSmi. Corporis Christi, Missa tamen dicitur *ad instar votivae solemnis* cum unica oratione, licet in reliquis retineat ritum solomnitatis: et in die media celebratur Missa de Pace in paramentis violaceis, nisi sit dies octava, quae cum respuat duplicia secundae classis, non admittit votivam ad formam Instructionis.

13. Hujusmodi autem Missa, quae pro expositione et repositione Sacramenti solemniter est celebranda, *post Nonam* esse dicendam jure censeo vel sit Votiva vel de Sancto vel de Octava privilegiata vel de Dominica vel de Feria. Nequeo assentiri *Cavalerio*, qui ad hunc locum haec habet: „Quid vero faciendum sit, quoties Missa votiva fieri non valet sed dicenda, ut supra, est Missa de die, superest perscrutari, et nos discedendum non esse credimus ab hora, postquam Rubricae talem Missam praescribunt esse dicendam; sed tunc praestabit, quod tardius recitetur hora competens, ut frequentior habeatur populi concursus, quam quod Missa ver. gr. Festi cantetur post Nonam"; siquidem Instructio expresse jubet Missam cantari debere *post Nonam*. Neque dicas regulam esse pro iis diebus, in quibus dicenda est Missa votiva de Sacramento: nam de hora nil amplius dicit, nec ullam aut limitationem aut declarationem ponit, ut fuisset opus, si varianda esset, dum celebranda est Missa de die. Et revera congruit potius *hora Nona* quam *Tertia* vel *Sexta* solemnissimae illi functioni, quae adnexam habet Processionem cum magna populi frequentia, tam dum exponendum quam dum reponendum est Sacramentum. Praesertim quia in repositione plerumque cunctandum est, sacerque ritus cum Sacramenti benedictione non absolvitur, nisi post meridiem, ne, si citius fiat, contingat cessare in una Ecclesia, priusquam in altera initium habeat, quum ex Instituto nunquam sit intercipienda.

14. Solemnitas Festi et sacrae actionis, populi etiam frequentia habentur plerumque ut causa sufficiens ad effectum limitandi regulam. Exemplum afferro, quod multam habet ad nostram speciem analogiam. In Ecclesia Guadicensi usus invaluerat celebrandi Missam solemnem in Festivitate Corporis Christi *post Nonam*, dein vero solemnis indicebatur supplicatio. Quaesitum fuit: „An juxta Rubricas Missa Conventualis post Tertiam queat celebrari et post Nonam Processio fieri? *Et Sac. Congregatio* benigne indulsit, ut in Festo SSmi. Corporis Christi Missarum Solemnia post Nonam peragantur". Contra vero, etsi eadem vigeret consuetudo quoad horam Missae et successivam Processionem per integram Octavam, eadem Sac. Congregatio respondit: „Infra Octavam SSmi. Corporis Christi et diebus duplicibus infra eam occurrentibus Missam post Tertiam celebrandam esse". Quae discriminis ratio? Actionis solemnitas in Festivitate Corporis Christi eam exigebat indulgentiam, praesertim quia magna populi frequentia, ut

solemni illa die ubique fit, Processionem comitabatur. Infra vero Octavam, etsi Processio fieret, forte non extra Ecclesiae ambitum, populus, qui conveniebat, longe minor erat; ideo ratio cessabat protrahendi Missam usque *ad horam Nonam.* At neque indulgentia neque discrimen habuissent locum, si semper et indistincte ratio quoad horam celebrandi Missam conventualem petenda esset a qualitate Missae, non autem quandoque a celebritate functionis, quae cum Missa conjungenda est, et simul a populi frequentia. Certum porro est, quod Romae, quaecumque sit Missa, in Patriarchalibus, Collegiatis, Conventualibus Ecclesiis pro expositione et repositione Sacramenti, semper celebratur *post Nonam* et haec regula, utpote conformis Instructioni et praxi, ubique servanda videtur, quandoquidem circa meridiem, ut Romae fit, exponendum et reponendum est Sacramentum.

15. Diximus, *in diebus ab Instructione non exceptis* cantandam solemniter esse Missam votivam pro re gravi de SSmo. Sacramento, in qua, cum simul concurrant solemnitas et causae gravitas, dici debent tam *Hymnus Angelicus* quam *Symbolum.* Nec tamen cantanda est Missa, quae solemnitati Sanctissimi Corporis Christi assignatur; *sed altera*, *quae habetur in fine Missalis inter Missas votivas, sine tamen Sequentia.* Verum, excipe integram Octavam ejusdem solemnitatis, in qua, ubi contingat exponi vel reponi SSmum. Sacramentum (pro Oratione tantum quadraginta horarum, in aliis namque, si per illud Octiduum fiant, Missa dicenda est de currenti cum commemoratione Octavae, si de hac non fit Officium) solemnis Missa erit *de Octava.* Ita docet *Gavantus part. 2. tit. 14. num. 2.*, qui extendit regulam ad expositiones pro initio spiritualium exercitationum: „In primis igitur illud est notandum, quod pro exponendo Sacramento in Altari pro initio quadraginta horarum vel spiritualium exercitationum, cantari debet Missa votiva de Sacramento, quae habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi (nisi infra Octavam ejusdem Festi casus accideret) et tempore Paschali addendum erit *Alleluja*, ut fit in aliis votivis Missis.“ Hanc autem doctrinam admisisse Sac. Congregatio videtur, cum habeatur inter *notanda quaedam generalia*, quae eadem Sac. C. indulsit ut adderentur *Rubricis peculiaribus Missalis Fratrum Minorum.*

16. Lex tamen, quae pro Ecclesiis Urbis dicta est et positivum praeceptum importat, *quoad alias Ecclesias non eamdem vim habet*, *sed directionis loco haberi potest,* ita ut diebus illis, quibus vetitum a Rubricis non est solemniter celebrari Missas votivas pro re gravi, liceat votivam de SSmo. Sacramento pro expositione et repositione cantari, si expositio fiat ut Romae, praecedente Missa, in qua consecratur alia Hostia, praeter illam Sacrificii, pro solemni expositione. Neutrum tamen necessario; sed, quin ulla laedatur lex, poterit Sacra Hostia in Tabernaculo asservata sine ulla praecedente Missa exponi. Si haec vero celebranda sit, haud opus erit, ut de Sacramento dicatur, sed aeque poterit alia cantari de die cum commemoratione Sacramenti sub unica conclusione, quamvis magis congruit, ut votiva dicatur, dum licet. Hinc patet, votivam de SSmo. Sacramento etiam extra Urbem non ex peculiari Instructionis praescripto, sed ex generali Rubricarum lege haud posse singulis indiscriminatim diebus solemniter cantari sed excipi debent dies omnes in Instructione enumerati, quibus et accensenda etiam sunt Festa solemnioris ritus, quae juxta parti-

cularia Calendaria celebrantur in Ecclesiis, in quibus fit expositio quadraginta horarum.

17. Quatenus vero extra Urbem pro expositione et repositione Sacramenti celebretur tantummodo Missa votiva de eo et non alia conventualis de die, quod intelligendum etiam est de illis Urbis Ecclesiis, in quibus non est onus Missae conventualis; quaeri potest: num addenda sit commemoratio de currenti? Audiendus hac de re *Meratus ad Rubric. Missalis part. 1. tit. 4. num. 44.* Observat *Bissus* (litt. O. num 7. §. 7. *cum Guyeto* lib. 4. cap. 21. quaest. 12.): „quod in Missis solemnibus pro re gravi aut pro publica Ecclesiae causa a Rubrica non praecipitur Oratio de Officio diei, quia supponitur hanc Missam esse cantandam praeter Missam conventualem, quae cantanda est de Officio diei. Caeterum si sola Missa pro re gravi cantaretur, satis probabiliter idem Guyetus Caeremoniali Monastico inhaerens *lib. 4. cap. 13. num.. 8.* ait, „quod in dicta Missa votiva pro re gravi in dicto casu facienda esset commemoratio diei currentis et aliae commemorationes, quae fierent in Festo solemni, nempe de Dominica, de Octava privilegiata, de Feria majori occurrenti.“ Sequitur etiam ex hoc, ut observat *Bissus*, „quod in Missa votiva, quae cantatur pro expositione et repositione SSmi. Sacramenti in Oratione quadraginta horarum, si cantetur sola Missa de eodem, tunc, praeter Orationem votivam de Sacramento addenda esset Oratio de Officio illius diei currentis.“ *Hujusmodi autem sententia plusquam vim privatae opinionis modo habet*, postquam S. R. C., instante ejusdem Sac. Congregationis Secretario, ad illius normam conformanda esse Rescripta jussit, dum conceduntur Missae votivae solemnes pro iis Ecclesiis, quae non habent onus Missa conventualis.

18. Ne quis tamen sit, qui existimet posse privilegium celebrandi Missam votivam de Sacramento extendi etiam ad Dominicas et Festa secundae classis, innixus Decreto S. R. C. in una *Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum S. Francisci die 27. Martii 1779*; siquidem proposito dubio: „An Missae votivae solemnes pro re gravi vel publica Ecclesiae causa cantari possint in Dominicis 1. et 2. classis et in Festis duplicibus 1. vel 2. classis necnon in Feriis, Vigiliis et aliis diebus privilegiatis Officia primae vel secundae classis excludentibus?“ — respondit: „Negative in duplicibus 1. class., Dominicis 1. class. Feriis Cinerum et Majoris Hebdomadae, Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini, in reliquis Affirmative,“ ut etiam alteri, quod praecise est de Missa solemni pro expositione quadraginta horarum, et habetur inter *notanda quaedam generalia ad Missale Fratrum Minorum:* „si vero accidit *(expositio)* in Festo primae vel secundae classis, tunc in Collegiatis vel duae cantentur Missae, una de Festo seu Dominica post Tertiam, altera votiva de Sacramento post Nonam, vel una cantetur de die cum commemoratione SSmi. Sacramenti“ 13. Febr. 1666. Quod postremum Decretum si obtineret, posset haec Missa votiva solemnis cantari etiam in duplicibus et Dominicis 1. vel 2 class. *Neutrum tamen prodest.*

19. Ad Decretum illud *anni 1779* quod attinet, notandum est, quaestionem eam esse, quam certa Rubricarum littera non dirimit, quaeque potius ab usu, circumstantiis et auctorum sententiis non ubique necessario servandam regulam nanciscitur: nil proinde mirum, si Sacra Congregatio generali quaesito de Missis votivis

solemniter pro re gravi et publico Ecclesiae bono celebrandis, generali responso diebus omnibus posse edixit, exceptis tantummodo Festis et Dominicis primae classis, Feriis Cinerum et Majoris Hebdomadae, necnon Vigiliis Nativitatis et Pentecostes. Urgent enim quandoque gravissimae causae, votum, puta, a communitate emittendum vel persolvendum, Processiones ab Episcopo indictae, universo conveniente Clero cum Magistratu et Populo ad divinum praestolandum auxilium in maximis calamitatibus et angustiis, quae communitatem premunt, preces pro salute Principis aut totius Reipublicae, gratiarum actiones pro acceptis beneficiis et similes, quae non ita frequentes sunt et, dum occurrunt, ut plurimum nequeunt differri. Ad has respexisse Decretum videtur, quia, ut alias Sac. Congregatio responderat: „res gravis est, si propter pluviam petendam, pro serenitate, pro quacumque necessitate; pro Principe infirmo et similibus ab Episcopo et universo Clero et Civitate Missa votiva solemniter celebratur cum interventu Magistratus et Populi.“ *In Placentina 19. Maji 1607 ad Dub. 14.* Concordant Liturgici Scriptores. *Gavantus part. 1. tit. 4. num. 3. litt. O*: „Pro re gravi ..... poterunt cantari Missae votivae etiam in Festis non majoribus“, *et Meratus ibi* §. *XI. num. 54*: „Praedictae Missae votivae solemnes pro re gravi vel publica causa dici possunt in omnibus Festis etiam duplicibus, dummodo non sint primae classis.“ Ita etiam *Guyetus, qui lib. 4. cap. 21. quaest. 6.* §. *quinto,* vix excipit Festivitates solemnissimas.

20. Longe autem secus respondisset Sacra Congregatio quaesito non universali sed speciali et relativo *ad Missam pro expositione et repositione Sacramenti celebrandam; cum positiva lex sit, quae eam prohibet celebrari in duplicibus secundae classis.* Nec quaerenda est discriminis ratio, dum lex urget, quae positivam in praecepto limitationem ponit. Id adeo verum est, ut idem *Guyetus,* qui *loc.* supra *citat.* quoad alias Missas solemnes votivas pro re gravi et publica Ecclesiae necessitate vix excipit solemnissima Festa, motus exemplo Missae ferialis, quae celebratur in *Festo S. Marci et diebus Rogationis,* etiamsi solemniores ritus Festa occurrant, uno tantum excepto *die Sancto Paschae;* agendo postea de Missa votiva celebranda *in expositione SSmi. Sacramenti* excipit duplicia 1 et 2. classis: „Quod si occurrat Festum vel Dominica 1. vel 2. classis, Missa solemnis erit de die cum commemoratione SSmi. Sacramenti.“ Et revera hac in occasione Missa votiva celebratur non ex Rubricarum praescripto, quod si attendendum foret, eadem locum non haberet in duplicibus et Feriis quibuscumque privilegiatis, sed ex positivo peculiari praecepto, quod explicat eam Missam esse pro re gravi: quamobrem limitationibus in praeceptiva lege contentis standum omnino est. Ex his consequitur, *quod neque extra Urbem licet Missam votivam celebrare pro Sacramento exponendo vel reponendo in duplicibus 1. et 2. classis aliisque diebus, in quibus vetitum est fieri de duplici vel semiduplici.* Non enim putandum est longe majori privilegio uti debere Ecclesias extra Urbem eo, quod competit Ecclesiis Urbis pro solemnissima expositione quadraginta horarum.

21. Quid de altero Decreto *anni 1666* dicam? Nullam prorsus vim habet post legem latam a *Clemente XI.,* quae jubet in duplicibus et Dominicis 1. et 2. classis, ubi est onus Missae conventualis, unicam celebrandam esse Missam de currenti cum commemoratione Sacramenti. Illi Decreto occa-

sionem dederat doctrina *Gavanti*, qui *ad Rubricas Missalis part. 2. tit. 14.* totidem fere verbis hanc suam exposuerat sententiam: nec ambigo, tunc potuisse pro lubitu vel duas Missas celebrari, scilicet alteram de die alteram votivam vel unam tantum de die cum commemoratione Sacramenti: modo vero non amplius licet et suggillandus *Meratus*, qui, cum sua in *Gavantum* commentaria scripserit, multo post editam *Instructionem Clementinam*, quam et ipse per extensum producit, nihilominus haud notat, ut fieri opus erat, Decretum illud et *Gavanti* Doctrinam attendendam non esse post novam regulam in Instructione contentam. Quod vero magis est, ipse *Decretum anni 1666* producit et, ac si esset in viridi observantia, magis etiam extendit, de suo haec verba adjiciens: „Et haec regula observanda etiam est pro diebus, in quibus prohibetur fieri de Officio duplici vel semiduplici.“ Unde sequeretur, posse votivam Missam de Sacramento celebrari feria 4. Cinerum, Feriis Majoris Hebdomadae, Vigiliis Nativitatis et Pentecosten, quod est omnino falsum. Quamquam longe, antequam prodiret *Decretum anni 1666*, dum *Gavantus* suas ad Rubricas adnotationes exarabat, „in Capella Pontificia et majoribus Urbis Ecclesiis in Dominicis et duplicibus 1. et 2. classis unica celebrabatur Missa de die cum commemoratione Sacramenti“; *loc. cit.* At etiam magis miror, *Meratum* ampliasse cum Decretum Sac. Congregationis tum *Gavanti* doctrinam, licet non ignoraret *Clementinam Instructionem* tanti a recentioribus fieri, ut eamdem hac in parte ceu legem generalem habeant. En ejus verba *part. 1. tit. 4. num. 14.* circa finem: „Ex dispositione contenta in praefata Instructione inferunt communiter recentiores, non posse celebrari Missam solemnem votivam pro re gravi in diebus 1. et 2. classis.“

22. Concludendum igitur iis, quibus incumbit onus Missae conventualis in Ecclesiis Urbis, liberum non esse, occurrentibus Dominicis et festis 1. et 2. classis, duas cantare Missas de die scilicet et de Sacramento, *sed eosdem teneri ad unam solummodo de die cum commemoratione Sacramenti, quae regula servari debet etiam extra Urbem*, ne, ut supra notatum est, quod ex vi legis vetitum in Urbe est, licitum extra Urbem, ampliando privilegium, censeatur. Diebus vero ab Instructione non exceptis in Ecclesiis Collegiatis ac aliis, quibus onus incumbit Missae conventualis, cantandae sunt duae Missae, scilicet de Dominica, Festo, Vigilia aut Feria occurrente et altera votiva. Quod si ex Rubricarum praescripto eadem die plures occurrant Missae conventuales, puta de Festo et Feria, de Festo et Vigilia, omnes horis competentibus celebrandae sunt, et votiva de Sacramento, quae nihil habet commune cum Officio, postremo loco amandanda. Quatenus vero Missa de die celebranda sit *post Nonam*, putat *Cavalerius* hanc dici posse *post Sextam* et votivam *post Nonam.* Non videtur tamen repugnans, quod servetur regula et utraque Missa *post Nonam* celebretur, dummodo ultimo loco sit illa de SSmo. Sacramento. Imo ita fieri oportere dixit *S. R. C. in una Urbis 22. Maji 1700.* Quaerebatur: qua hora celebrandae essent Missae de Feria et de Vigilia conventuales, dum, occasione expositionis quadraginta horarum, celebranda etiam erat post Nonam Missa votiva contra paganos. Et S. R. C. respondit: „ambas post Nonam esse celebrandas, ita tamen, ut Missa votiva contra paganos ultimo loco celebretur.“ Eadem ratio militat quoad Missam votivam de Sacramento in diebus expositionis et repositionis.

23. Pertinent haec ad Ecclesias, quae

habent onus Missae conventualis: *in aliis satis est, ut una cantetur Missa vel de die vel votiva de Sacramento* juxta regulam in *Instructione* traditam, quae ad omnes indiscriminatim dirigitur et comprehendit Ecclesias tam Saecularium quam Regularium: „e tutto ciò si osserverà inviolabilmente in tutte le Chiese tanto de' secolari, che de' Regolari."

24. Quaeri hic potest: num eadem servanda sit regula *in aliis solemnibus expositionibus*, quae per annum fiunt, si contingat Missam celebrari pro expositione vel repositione? Petenda videtur decidendi ratio a causa, ob quam, jubente vel permittente loci Ordinario, fit expositio. Nam si *pro publico Ecclesiae bono* gravique causa vel ad implorandum divinum auxilium in urgenti aliqua necessitate solemniter id fiat, eadem concurrit ratio, quae obtinet in Oratione quadraginta horarum. Quamobrem non dubitarem posse Missam solemnem de Sacramento celebrari, servatis tamen forma, exceptionibus et limitationibus *Clementinae Instructionis. Quatenus vero fiat expositio vel ex devotione* vel ex Instituto vel ex pia aliqua fundatione vel ex aliqua quavis privata causa, locum non habere Missam votivam puto. Et revera delata ad Sac. Rit. Congregationem quaestione: „num occasione Processionis, quae qualibet Dominica tertia cujuslibet mensis fieri consueverat cum SSmo. Sacramento, Missa votiva de eodem celebranda esset, an potius de die cum commemoratione Sacramenti?" responsum fuit: „Missam in dicto casu celebrandam esse de Dominica seu de Festo duplici, si illa die occurrat, cum commemoratione SSmi. Sacramenti ad formam Rubricarum" *6. Decembris 1653.* Haud absimile est alterum *in una Galliarum ad dub. 12. sub die 20. Decembris 1692* ac tandem novissime in *Bracharen. sub die 10. Septembris 1796* proposito dubio: „An in Dominica infra octavam Corporis Christi aut alia designata per annum, in quibus recitatur Officium ritus duplicis et solet fieri Processio SSmi. Sacramenti per diversas Parochias et Ecclesias Civitatis, ut in Festo Corporis Christi, et certum ac designatum diem habet, cum concursu populi ejusdem Parochiae, debeat Missa celebrari pro re gravi de SSmo. Sacramento post Nonam vel dici de Dominica aut Festo cum commemoratione SSmi. Sacramenti?" S. C. respondit: „Missa dici debet de Dominica aut Festo occurrente cum commemoratione SSmi. Sacramenti."

25. Hanc distinctionem communiter amplectuntur Rubricistae et hoc pacto conciliantur Decreta, quae specietenus inter se pugnantia videntur aut *Clementinae Instructioni* minus conformia. Siquidem ex laudatis Decretis ac aliis, quae jubent, in Missa solemni coram Sacramento exposito faciendam esse commemorationem de eodem post omnes alias commemorationes de praecepto, ut suo apte loco videbimus, generalis exurgit regula, *quod expositio Sacramenti ex se non est causa sufficiens cantandi Missam votivam in duplicibus* aliisque diebus per Rubricas inhibitis aut omittendi in Missa solemni de die commemorationes occurrentes et a Rubricis praescriptas, nisi expositioni adjuncta sit causa gravis vel publicum Ecclesiae bonum. Decreta igitur, quae cum *Instructione Clementina* haud convenire videntur, non disponunt de Sacramento exposito pro Oratione quadraginta horarum aut pro re gravi et causa publica, sed agunt de communibus Eucharistiae expositionibus, in quibus deest potissima illa ratio, quae petenda est a re gravi et causa publica. Quamobrem in his, quamvis Missae tam privatae

quam solemnes admittant commemorationem de SSmo. Sacramento post alias de praecepto, nec una tamen solemnis votiva de eodem dici licite poterit, nisi in iis diebus, in quibus Rubrica eamdem celebrari permittit. *Cavalerius tom. 4. cap. 7. Decret. 37 et 38. Tetamus in Appendic. cap. 2. artic. 5. num. 22.*

26. Quoniam vero *Guyetus lib. 4. cap. 21. quaest. 2.* causam privatam et particularem ad praedictas Missas votivas celebrandas validam putat, sed longe melius alii exposcunt rem gravem, quae saltem Communitatem tangat aut majorem ejus partem; hinc *Cavalerius* licet, ut supra vidimus, conveniat, quod non in omnibus expositionibus fas sit Missas cantari votivas SSmi. Sacramenti, sed in illis tantummodo, in quibus simul causa gravis concurrit, regulam postea ampliat et innixus Decreto *anni 1666* alias relato, quod approbat hujusmodi Missam votivam, quoties Sacramentum exponitur pro initio spiritualium exercitationum, quibus non universus populus vacare debet aut major ejusdem pars, sed convenit plerumque aut aliqua tantum Congregatio aut Collegium, ideoque Communitatis et populi pars minima: censet tanto cum rigore causam gravem non esse accipiendam; „Idcirco, *concludit*, ubi circumstantiae expositionis unitur gravis causa aliqua — quae non particularem personam praecise tangat, sed plures aut Congregationem vel Collegium, scrupulis insistendum nimis non est in admittendis, ut supra, Missis votivis solemnibus SSmi. Sacramenti"; *tom. 4. cap. 7. dec. 33. num. 5.* Dubitarem ego: num haec opinio ultro sit amplectenda; ea siquidem admissa, quae causam gravem in omnibus casibus agnoscit, praeterquam si expositio fiat pro particulari persona, facile evenire posset, ut quisque pro lubitu eamdem extenderet ad casus omnes, iis non exceptis, in quibus nulla causa gravis occurrit vel illa tantum non desit, quae particularis est, non unius Congregationis aut Collegii, sed aliquarum personarum, puta unius familiae, quae expositionem exposcat pro privata ejusdem familiae necessitate, quod certe vitandum est. Hinc Episcopi liberales nimis esse non debent, nec toties quoties publicas Sacramenti expositiones permittunt, fas sibi censeant indulgere simul Missam votivam de Sacramento: sed eam tantummodo celebrari concedant, si causa gravis saltem alicujus Communitatis illam efflagitet.

27. Priusquam finem imponam, quoniam pluries facta mentio est *Decreti diei 13. Februarii 1666*, ut quisque intelligat, tantam non esse auctoritatem ei concedendam, quantam obtinent *Sac. Rit. Congregationis Decisiones;* opportunum est hic adnotare, illud potius, quam regulam, monitum exhibere additum peculiaribus Rubricis Fratrum Minorum, Rubricis tamen a Sacra Congregatione adprobatis non insertum. Unde jure colligimus, noluisse S. R. C., quae extra Rubricas sunt absolute adprobare, sed, ut adderentur, permisisse, non aliam iisdem auctoritatem concedendo, praeter illam, quam obtinent fontes, ex quibus eadem sumpta sunt. Porro Decretum illud, quod *Meratus* legit *in Indiculo Decretorum ad Missale Romanum sub num. 426. et Cavalerius tom. 4. cap. 7. Decret. 33.* ex tribus articulis ejusdem moniti compactum est. Hi vero desumpti sunt ex *Titulo XIV*, quem *Gavantus* componit, addendum *parti secundae Rubricarum Missalis Romani*, ut regulas quasdam proponat servandas in Missa, quae celebratur coram Sacramento exposito. Articuli autem sunt, qui sequuntur: „7. Quando exponitur Sacramentum in Altari pro

initio quadraginta horarum et spiritualium exercitationum, cantari debet Missa unica de Sacramento, quae habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi (nisi intra octavam ejusdem Festi casus accideret) et tempore Paschali addendum Alleluja, ut fit in aliis Missis votivis; 8. dicitur una tantum Oratio cum Gloria, Credo et Praefatione de Nativitate, quia solet esse publica causa, non autem privatis Missis haec conveniunt; 9. si vero accidit in Festo 1. vel 2. classis vel in Dominica privilegiata 1. vel 2. classis, tunc in Collegiatis vel duae cantentur Missae, una de Festo seu Dominica post Tertiam, altera votiva de Sacramento post Nonam, vel una cantetur de die cum commemoratione SSmi. Sacramenti. Exscripta in eo monito sunt haec eadem *Gavanti* verba et recitentur solummodo quae sequuntur ad postremum articulum: „quod Romae fit (scilicet una cantatur Missa de die cum commemoratione Sacramenti) in Capella Papae in prima Dominica Adventus et in aliis Festis solemnibus in aliis Ecclesiis majoribus Urbis"; *loc. cit.* Adnotanda haec erant, ut quisque videat planeque intelligat, Decretum a *Merato* et *Cavalerio* relatum seu potius ex tribus articulis *Gavanti* compactum et ab aliis Rubricistis admissum et laudatum, genuinae lectioni esse restituendum, neque eidem plus auctoritatis esse tribuendum, quam obtinet simplex monitum desumptum a sententia Auctoris ceteroqui clarissimi sed privati, quod S. R. C. addi permisit Rubricis ab eadem S. C. adprobatis, sed extra easdem.

§. XIII.

»Nel giorno medio, oltre la Messa »Conventuale, si dovrà cantare dopo »Nona la Messa votiva pro pace, o »altra, che verrà commandata da Nostro »Signore; secondochè sarà espresso »nella lista delle quarant' ore con la »medesima eccezione dei giorni sud»detti, e con la medesima regola circa »l' Orazione.«

1. Quae traditae sunt regulae pro missa votiva SSmi. Sacramenti celebranda in die expositionis, locum sibi vindicant etiam in alia, quam Instructio jubet cantari intermedio die vel pro pace vel pro alia necessitate causaque publica, ut a Praesidibus notatum fuerit in tabella, quae bis in anno publici juris fit, scilicet die Sancto Pentecosten et Dominica 1. Adventus, quaeque ex ordine exhibet Ecclesias, in quibus per turnum solemnis expositio fieri debet. Haec, ut illae, celebranda est ad instar votivae solemnis iis diebus, in quibus licet, non item in aliis, quae juxta praecedentem sanctionem excipiuntur. Nec propterea, si fas non sit votivam dicere, prorsus est omittenda ejusdem commemoratio, sed addenda Missae de currenti. Cum enim *Instructio* hanc velit „colla medesima eccezione de' giorni suddetti, e colla medesima regola circa l'Orazione" simul praecipit, quod si occurrat Festum aut Dominica 1. vel 2. classis sive alia dies ex supra recensitis, dicenda non erit Missa votiva pro pace vel alia, quae, praecipiente Pontifice, fuerit indicta, sed Missa ejus loco celebretur de die cum additione Orationis pro pace aut pro altera Ecclesiae necessitate sub unica conclusione. Diximus, pro pace aut altera necessitate, quia, quaecumque sit praecepta, semper in casu impedimenti commemoratio illa adjicienda erit, quae supplet vices Missae votivae, quae dici deberet, nisi ritus diei obstaret. Sicuti ergo in diebus expositionis et repositionis, si celebretur in diebus exceptis, Missae de currenti additur Oratio de Sacramento, ita a pari Oratio de pace vel pro alia necessitate addenda erit Missae de die, si Missa

votiva praecepta in exceptis nequeat celebrari, quae tamen, nisi obstaret exceptionis impedimentum, celebrari deberet. Haec autem sanctio respicit Ecclesias, *quibus onus incumbit Missae conventualis:* idcirco votivam praecipit „*post Nonam* oltre la Messa conventuale.“ *In aliis vero haec tantum* in praecepto est vel alia de currenti in diebus exceptis cum ejusdem commemoratione.

2. Bene autem Instructio jubet „la Messa votiva pro pace, o altra, che verrà commandata da Nostro Signore“; non enim eadem perpetuo celebranda est Missa votiva, quae ad Pontificis placitum, juxta ingruentes necessitates et temporum vicissitudines, in aliam commutari solet. Olim dicebatur *contra Paganos*, ut colligimus ex Decreto supra relato, cui suffecta fuit altera *pro pace*, quam modo dicimus. Si magis urgeat alia necessitas, alia dicenda erit, ut Pontifex jusserit, quae magis congruat necessitati, ex illis propriis, quae in fine Missalis habentur, sin minus, illa, quae inscribitur *pro quacumque necessitate.*

3. *Haec quoad Urbem. In aliis vero Ecclesiis diversarum Dioecesium* lex non obligat, etiamsi in iisdem fiat Oratio quadraginta horarum, ideo non erit necessario intermedia die solemniter celebranda Missa votiva pro quacumque necessitate vel pro aliqua in specie, quae magis urget, dummodo habeat Missam propriam inter illas, quas habemus ad calcem Missalis. Id autem non erit in facultate et arbitrio Rectorum Ecclesiarum, sed, quemadmodum Romae Summus Pontifex, ita Episcopi in propriis Dioecesibus poterunt unam alteramve praecipere vel saltem, ut celebretur, concedere. Quod si haec in Collegiatis aliisque Ecclesiis, quae habent onus Missae conventualis, celebretur, non ideo omittenda est Missa de die, imo et plures etiam dicendae sunt, si cum Officio diei concurrat Feria aut Vigilia, obligatione petita non ex *Instructionis Clementinae* regula, sed ex lege Rubricarum, quae indifferenter afficit omnes Ecclesias.

4. Quaestionem sibi proponit *Cavalerius cap. 7. Decr. 33. num. 3:* An, si fiat tantum Missa de die, addenda sit Collecta de SSmo. Sacramento? et postquam eam, sequendo Instructionis regulam, „Affirmative“ resolvit relate ad Missas expositionis et repositionis, quoad hanc de ingruente necessitate haec habet: „In die autem medio, si dicatur Missa de die cum Collecta de ingruenti necessitate, haud convenit addi alteram de Sacramento, quia Missae hujusmodi unam tantum poscunt Orationem et minus decens est, Collectas plurimas uni Orationi jungere in Missis solemnibus. Quod si in die medio cantetur Missa de necessitate sive de re gravi, ob quam fit expositio, utique addenda erit Oratio de Sacramento, cum de hoc in tali casu non cantetur Missa altera et commemoratio SSmi. Sacramenti facienda sit in Missis omnibus, quae dicuntur occasione expositionis.“ Quum autem Scriptor hic agat de Ecclesiis extra Urbem, in quibus *Clementina Instructio* vim directivam habet, non coactivam, optassem, ut melius declarasset hanc suam doctrinam. Nam si loquitur de Missa de die celebranda in diebus exceptis loco votivae, bene stat, quod unica tantum Oratio addatur pro ingruenti necessitate, quae alias foret celebranda. Si vero sit de Missa currenti in aliis diebus, in quibus non prohibentur votivae, quid vetat, quaeso, ut simul Oratio addatur de Sacramento et Collecta de ingruenti necessitate? Romae vero haec distinctio aut declaratio locum non habet, quia Missa pro pace dicenda est ex praecepto, nisi occurrant dies excepti:

quamobrem, si ea dicatur, addenda erit Oratio de Sacramento sub unica conclusione.

5. Haec autem Missa pro pace vel alia necessitate, cum celebretur in paramentis violaceis, licet solemnis sit et pro publica Ecclesiae causa, caret *Hymno Angelico et Symbolo*, ceu disponit *Rubrica Missalis*, quae praemittitur *Missis votivis*. Quod si dicenda sit in die Dominico, habet tantummodo *Symbolum*.“ In ipsis (scilicet Missis votivis) non dicitur Gloria in Excelsis nec Credo, nisi pro publica Ecclesiae causa et tunc, etiamsi dicantur in paramentis violaceis, dicitur Credo, si sit Dominica, non autem Gloria in excelsis“; et Tit. 11. de Symbolo: „Item dicitur Credo in Missis votivis, quae solemniter pro re gravi vel publica Ecclesiae causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica.“ Vide etiam Decretum Sac. Rit. Congr. in *Placentina 19. Maji 1607 ad dub. 14.* Eadem idcirco regula servanda de omittendo Symbolo in Missa pro expositione et repositione, si cantetur Missa in paramentis violaceis in Feriis et Vigiliis privilegiatis.

§. XIV.

»Nelle Chiese non Collegiate, e dove »non è obligazione di cantare la Messa »conventuale, dovrà in detto giorno »medio cantarsi solamente la votiva »suddeta con l’ eccezione, e regola »prescritta di sopra nella Messa del »Sacramento: questa però dovrà can»tarsi ad un’ Altare, che non sia quello »dell’ esposizione, nè quello dove sta »il Tabernacolo col Sacramento in»cluso; ed in quelle Chiese, che hanno »l’ obbligo di cantare la Messa con»ventuale, questa pure si canterà ad »altro Altare, come si è detto.«

1. Quatenus autem expositio fiat in Ecclesiis, quibus non incumbit onus Missae conventualis, una tantum Missa votiva dicenda erit vel de Officio currenti cum ejusdem Missae votiva demandatae commemoratione, si occurrant dies, ut supra, ab Instructione excepti. Estne igitur vetitum celebrari etiam Missam conventualem de die, dum *Instructio* taxative praecipit: „dovrà in detto giorno cantarsi solamente la votiva suddetta?“ Sensus *Instructionis* est, quod gravandae non sint onere Missae conventualis Ecclesiae, quae ad hanc non tenentur; jubet votivam pro publica Ecclesiae causa, non prohibet, sed in libertate relinquit, aliam Missam solemnem de currenti. Prospicit *Instructio* praesertim Ecclesiarum egestati, quibus grave nimis esset, tot accire Sacros Ministros et Clericos, quorum ope possent plures Missae decantari. In his igitur satis erit, si in diebus expositionis et repositionis una Missa cum cantu et Ministris paratis solemniter celebretur vel votiva vel de die, juxta regulam superius traditam; et intermedia die Missa praescripta de ingruenti necessitate, nisi alia dicenda sit de Officio currenti cum ejusdem commemoratione. Futilis ea ratio est, quam *Cavalerius* excogitat, ob quam solum ad praefatas Missas tenentur Ecclesiae, quae non habent onus Missae conventualis „ne scilicet per cantum interturbetur attentio orantium ante Sacramentum.“ Si quid haec ratio valeret, nec cum cantu celebrandae essent Missae conventuales de die, praeter votivam in Ecclesiis Collegiatis, quod et ipse *Cavalerius* agnoscit, idcirco prosequitur: „verum absit nos proscribi putemus laudabile Institutum cantandi Missam Officio conformem, quod quique Auctores commendant admodum et Rubricae ipsae atque Instructio in praecepto constituunt apud Collegiatas Ecclesias, quibus valde laudabiliter se conformare caeteras nos alibi diximus, unde praefatam dictionem *solamente*

explicari malumus per exclusionem obligationis, non autem arbitrii."

2. Attamen vel una tantum Missa votiva juxta praescriptum celebretur vel etiam conventualis, vel res sit de Ecclesiis Collegiatis vel de aliis, quae ad solam votivam tenentur; illud commune omnibus est, quod celebrari nequeant in Altari, in quo expositum est SSmum. Sacramentum, *prout nec in altero, in quo asservatur pro Communione Fidelium.* Jam provisum fuerat quoad Altare expositionis §. 12, ubi legitur: „nell' Altare, ove sta esposto il SSmo. Sacramento, non si celebrino altre Messe, che le solenni per l' esposizione e reposizione", *praesens vero sanctio regulam extendit etiam ad Altare, ubi clausum custoditur in Tabernaculo,* quam tamen limitat ad Missas *solemnes:* et optimo quidem jure, ut, qui interea Sacra Synaxi refici postulant, voti compotes fieri possint.

3. Laudabile multum esset, si in eo Altari nec Missa *privatae* celebrarentur, ut innuit *Caeremoniale Episcoporum* et monet *Gavantus part. 1. tit. 20. lit. n:* „Praemitto cum Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 12. maxime decere, ut ibi Missae non celebrentur, quod antiquitus servatum esse testatur et loquitur ibi etiam de Missis planis." Id apud nonnullas Romae Ecclesias adhuc in more est, et forsan etiam alibi. Nec tamen contrarius usus, qui communior est et obtinet fere ubique, notandus venit: non enim a *Caeremoniali Episcoporum* prohibetur sed *Rubrica* a simplici decentia rationem desumit, ne eo in Altari Sacrum fiat *lib. 1. cap. 12. num. 9.,* quinimo Missalis Rubricae *part. 2. tit. 4. num. 6.,* quod consuetum sit Missas eo in Altari celebrari, supponunt, quamobrem ritum a Sacerdote servandum in genuflexionibus praescribunt. Utraque ideo consuetudo est laudabilis et rationabilis, quamvis altera fortasse magis deceat. In iis enim, quae spectant in ritibus exteriorem disciplinam et substantiam minime laedunt, non semper fieri potest, quod magis decet, dummodo fiat quod licet, et quandoque in agendis, licitum praevalere debet majori decentiae. Et revera relate ad plures Ecclesias servari nequit quod Caeremoniale Episcoporum insinuat, ut magis decens. Etenim cum Tabernaculum Sacramenti, praesertim in Parochialibus, regulariter asservetur in Altari majori tamquam digniori; expedit, ut in eo celebretur etiam Missa ad populi confluentis commoditatem. Imo nec aliter fieri posset in Ecclesiis ruralibus, in quibus plerumque unicum habetur Altare. Obiter haec dicta sint.

§. XV.

»Si ordina espressamente, che nelli »giorni dell' esposizione, medio, e »della reposizione, la Messe si deb»bono cantare con li Ministri parati, »e non altrimenti, anche nelle Chiese »de' Regolari, non ostante qualsivoglia »loro uso, o pretesa consuetudine in »contrario.«

1. Solemnitas sacrae actionis jure suo postulat, ut omnia, quae ad eam ordinantur, eo modo fiant, qui tantae celebritati conveniat atque respondeat. Si Missa votiva sit pro re gravi aut publica Ecclesiae causa, solemniter est celebranda ex praescripto Rubricae *part. 1. tit. 9. num. 14.* Secus enim privilegiis non gaudet, quae eidem competunt. In illis autem, quae celebrari jussit Instructio, nedum concurrunt votivae qualitas, publicum bonum, gravis Ecclesiae causa, verum etiam sacrae functionis solemnitas; quamobrem jure sunt solemniter cantandae cum Ministris paratis. Porro quoad Urbis Ecclesias tam saecularium, quam regularium adeo lex urget, ut nefas

sit opponere aut longaevam contrariam consuetudinem aut aliam quamcumque rationem, quae posset ad eam eludendam excogitari. Pontifex enim, in quo residet summa potestas, generali hac lege tam consuetudinibus quam aliis forte afferendis rationibus derogat.

2. Nec valet effugium ex eo petendum, quod iis, qui ex Instituto usum non habent cantandi Missam cum Ministris paratis, desint ad hoc opus paramenta; nam facile est eadem commodata habere ab aliis Ecclesiis. Ratio vero desumpta ex Instituto non valet contra legem, quae consulit Festi aut functionis solemnitati. Idcirco *Sac. Rit. Congregatio* respondit: „In Processione SSmi. Corporis Christi omnino adhibendum esse Pluviale etiam ab iis, qui ejusdem usum non habent.“ Ita in una *Congregationis Montis Coronae 22. Januarii 1701 dub. 5.* et in altera *Ordinis Minorum excalceatorum S. Francisci Provinciae S. Didaci Hispalen. 15. Martii 1756.* Eadem, imo major urget ratio in casu nostro ex praeceptiva *Instructionis* regula.

3. Haec autem regula certe comprehendit Missas votivas de Sacramento et pro ingruente necessitate, prout etiam alias de currenti Officio, si hae in diebus exceptis earumdem vice celebrentur. An vero eadem extendenda sit ad conventuales Missas, quae ultra praedictas in Collegiatis celebrandae sunt, adfirmare non audeo. Id videtur exposcere temporis circumstantia atque solemnitas: sed cum sanctio Missas commemoret celebrandas „nelli giorni dell' esposizione, medio, e della reposizione“ nec taxative coarctet regulam ad solas Missas votivas; non deerunt, qui existiment sub eadem comprehendi etiam alias conventuales. Mihi tamen videtur limitanda ad illas, quas expresse jubet, praesertim quia praeceptive extenditur ad Regulares illos, qui vel ex Instituto vel ex consuetudine nunquam Missas cantare solent cum Ministris paratis. Idcirco non renuo assentiri *Cavalerio*, qui licet multum congruere credat, quod et conventuales quoque cum Ministris paratis celebrentur, hoc tamen onus imponendum non esse censet Ecclesiis illis, quae usum non habent. „Praedictae enim Missae, *inquit*, non sunt pro re gravi aut publica Ecclesiae causa et ad occurrentem solemnitatem spectant dumtaxat materialiter, non formaliter, unde, siculi propterea nullis privilegiis perfrui credidimus, sed celebrandas esse perinde ac si in tali temporis circumstantia minime celebrarentur, ita putamus Sacrorum Ministrorum assistentiam nequaquam exquirere.“

4. Restat modo, ut inquiramus: num eadem methodus servanda sit extra Urbem. Ut pluries notavimus legem, quae pro Urbe tantum dicta est, alibi non obligare, etsi optandum sit, ut, ubi fieri potest, eadem servetur. Verumtamen si celebrari velint Missae votivae de Sacramento vel pro ingruente necessitate, diebus expositionis, repositionis ac medio, cum hae sint pro re gravi et publica Ecclesiae causa, non aliter celebrari poterunt, nisi solemniter et cum Ministris paratis, quia privatim et sine Ministris sacris haud fieri posse videtur, nisi diebus illis, quae Missas votivas universim non respuunt.

5. Subdit *Cavalerius tom. 4. cap. 7. decret. 33. num. 2.* limitando regulam: „Fortasse tamen id potest fallere, ubi ex defectu Ministrorum solemniter fieri non potest.“ Limitatio haec tamen videtur absolute et generaliter sine ulla modificatione accipienda. Cum enim Rubrica Missas votivas pro re gravi solemnes dicat, sed non declaret, qualis et quanta ista debeat esse

solemnitas et moneat solummodo quod una tantum dicatur Oratio, (Tit. 9. num. 14) solemnitatem illam satis esse existimo, quae juxta locorum et personarum circumstantias adhiberi potest; aliquam tamen solemnitatem, quae actionem distinguat a simplici et privata, necessariam esse jure censeo. Hinc ubi Ecclesiae egestate premuntur (extra Romam), paramenta desunt et sacri Ministri; quid, quaeso, prohibet, si unus Sacerdos eo, quo potest modo, cum uno vel duobus Clericis Missam votivam pro re gravi vel publico Ecclesiae bono cum cantu celebret? Isthaec Missa non absolute solemnis est, talis tamen relative ad locum, personas, tempus et alias, quae concurrunt, circumstantias, quaeque, ut aliter fiat, non permittunt. Missam vero simpliciter lectam cum privilegiis solemnis ex defectu Ministrorum celebrari haud posse crederem. Sub hac distinctione doctrina *Cavalerii* admitti posse videtur, non autem, quod liceat pro re gravi celebrari Missam privatam loco solemnis in iis diebus, in quibus Missae votivae prohibentur.

§. XVI.

»Nelle Messe private, che si cele-»breranno durante l' esposizione, non »si suoni il campanello all' elevazione, »ma solo uscendo i Celebranti dalla »Sagrestia, si dia un piccolo segno »colla solita campanella.«

Clara est haec sanctio, neque ulla indiget illustratione. Sed quoniam aliqua adnotat ad eam *Cavalerius*, juvat hic iisdem, quibus is usus est, verbis, ejus commentarium adjicere, ut sequitur.

1. „Ex Rubricarum praescripto Minister intra Missam *bis campanulam* pulsat; primo nempe ad Sanctus, ad excitandos adstantium animos ad proxima Mysteria, et secundo ad elevationem SSmi. Sacramenti, ut fideles commonefiant ad illud adorandum. Quoties Sacramentum est in Altari patenter expositum ejusmodi signa ad elevationem (a fortiori utique etiam ad Sanctus, etsi hujus Instructio minime meminerit) dari interdicuntur. Cum enim tunc in actuali Sacramenti veneratione et profunda Mysteriorum meditatione maxime supponatur populus commorari, haud indiget per pulsationem campanulae excitari ad venerationem Sacramenti, quod in Missa elevatur, quasi idem Sacramentum non foret, quod publice adorat expositum. *Nelle Messe private* habet sanctio et de his specialis ulterius militat ratio, quia cum extra Altare expositionis supponantur haberi, cogerentur alias fideles hinc inde ad diversas sese convertere Altaria cum maximo utique incommodo, praesertim ubi plurimae celebrantur Missae.

2. „*At quid de solemnibus atque cantatis?* Quatenus ex nudis sanctionis verbis quaestio decidenda foret, exceptio, quam fecit de Missis privatis, in contrarium firmat regulam pro cantatis atque solemnibus; sed quoniam integra ejusdem ratio, quae est anima legis, eaque militat etiam de Missis solemnibus atque cantatis, extra Altare expositionis habentur, ideo ad has quoque nos non ambigimus legem extendere, solumque de iis superest difficultas, quae fierent *ad Altare expositionis.* Disputant Auctores, num in Feria sexta Parasceves praedicta signa dari debeant et quia tali die prae caeteris ante elevationem Sacramentum jam est in Altari, in cujus adoratione populus supponitur versari, concordes quaestionem negative definiunt: unus est Clericatus, qui de Sacrificio Missae decis. 42. num. 6. unum vel alterum signum dari posse asserit, ad excitandam circumstantium attentionem.

Clericati sententia ex eo abs re non esse dignoscitur, quod, etsi populus fortasse sit conscius, Sacramentum adesse in Altari, ibi tamen non est ob oculos populi, ob quos consequenter non ponitur specialiter adorandus, aequum est, etiam populus specialiter moneatur, ut illud specialiter valeat venerari; in nostro autem casu, dum Sacramentum est patenter expositum, est itidem ob omnium oculos, ut specialiter honoretur, unde fideles non indigent per campanulam excitari ad ejusdem specialem adorationem."

3. „Quoniam vero pulsatio campanulae ad elevationem in Missa, quae dicitur ad Altare expositionis, immunis est Fidelium incommodo hinc inde se convertendi ad Altaria, in quibus Sacramentum elevatur, cum quasi virtuali contemptu Sacramenti publice expositi, cujus adorationem veluti deserit, ut transeat ad venerationem illius, quod elevatur, quasi idem Sacramentum non foret, sed utriusque Sacramenti, quod fide divina probe noscit esse unum et idem, adorationem conjungens, tantummodo simul recolendam objicit elevationem in Cruce et mactationem. *Idcirco in Missis, quae celebrantur in Altari expositionis, haud ego refragarer admodum, si ad elevationem praedicta campanula pulsaretur.* Dixi ad *elevationem*, quia ad Sanctus tanta non puto Mysteria objicit, ob quae populus in adoratione et meditatione, quibus incumbit, debeat perturbari."

4. „In veteri Testamento ingressus Pontificis ad Altare per tintinnabula populo innotescebat, *hinc in Ecclesiam, dum Sacerdos e Sacristia ad Altare celebraturus incedit,* invectus mos extitit annuntiandi per ministrum populo prope stanti media pulsatione campanulae accessum ejusdem Sacerdotis ad Sacrum faciendum, Sacramento adhuc publice exposito, signum hujusmodi dari minime interdicitur, sed ita res moderatur, ut parvulum quidem signum detur cum solita campanula, ut fideles admoniti insimul Sacrificio assistere valeant, et ne per signum productius caeteri perturbentur in veneratione Sacramenti. In hoc igitur casu *semel aut bis* per campanulam consuetam fiat *tin tin*, quo ex sono campanulae ipsi tintinnabuli nomen obvenit. Opus autem non est coner ostendere, quod haec omnia communia esse debent expositioni cuilibet etiam privatae et extra Romam.

5. Hactenus *Cavalerius*. Plura ego non adjiciam; solummodo recedendum esse puto ab ejus opinione, quia existimat congruere sonitum campanulae in solemni Missa, quae celebratur ad Altare expositionis. Etenim non erat, cur *Instructio* etiam Missas solemnes commemoraret, pro quibus Rubrica non jubet, ut in privatis, eadem pulsari ad finem Praefationis et ad elevationem Sacramenti. Romae saltem in majoribus Ecclesiis obtinet mos eam non pulsandi, praeterquam in Missis solemnibus pro defunctis; gravis Organorum sonitus supplet vices tintinnabuli et populi adstantis excitat attentionem. Si alius sit apud Regulares aliquos usus, hunc non moror, quia diversorum Ordinum Instituta suos habent peculiares ritus, quin tamen omittant vel immutent quod essentiale est. Quod si aliqua in Saecularium Ecclesia consuetudo sit pulsandi campanulam, non ideo pulsatur, ut populi excitetur attentio, ad quem finem cuncta ordinantur, quae in Missa solemniter cantata fiunt; verum, ut detur signum ad sonitum majorum Ecclesiae nolarum, quemadmodum per campanulam datur signum, dum est ab Organi pulsatione cessandum. *Gavantus part. 1. tit. 6. litt. h. num. 11:* „*ad Sanctus Campanas majores pulsare convenit*, sicut in

Missa privata campanulam parvam, quam pulsant aliqui etiam in Missa solemni, et placet per alterum ex Acolythis, ut moneantur ii, qui majores debent pulsare Campanas et tempus ignorant eas pulsandi, quia longius absunt.“ Nec igitur in Missa solemni campanula pulsanda est, exposito Sacramento, nisi necessitas urgeat eos monendi, quorum est majores nolas in signum solemnitatis festive pulsari. Et revera sibi cohaerere non videtur *Cavalerius*, quia eadem ratio Theologica, quam ipse affert, ob quam interdicitur sonitus campanulae in Missis privatis, militat etiam quoad solemnes.

§. XVII.

»Non si celebrino Messe di requie »nel tempo, che durerà l' Orazione »delle quarant' ore; e le Messe del »SSmo., che si celebreranno nei giorni »permessi dalla Rubrica, saranno me»ramente votive senza *Gloria,* e *Credo.* »Nelle altre Messe private correnti si »aggiungerà dopo le prescritte della »Rubrica l' Orazione del Sagramento, »così comandando la Santità di Nostro »Signore.«

1. Plura continet haec sanctio, quae examine indigent et illustratione, ideo tantisper est in ea immorandum. Absolute lex est, quae jubet „che non si celebrino Messe di requie nel tempo, che durerà l' esposizione di quarant' ore.“ Dedecet enim, quod cum lugubri apparatu celebrentur defunctorum Missae, ubi Sacramentum est triumphaliter expositum, praesertim quia in his haud adjici potest commemoratio Sacramenti, quam in Missis privatis omnibus, si per Rubricas liceat, eadem Instructio demandat.

2. Priusquam prodiret *Clementina Instructio* Sac. Rit. Congregatio id jam edixerat. Nam *in una Canonicorum Regularium Lateranensium sub die 12. Decembris 1684 ad Dub. 5:* „An durante expositione SSmi. Sacramenti occasione quadraginta horarum, in tali Ecclesia celebrari possit Missa privata de requiem, quando alias dies ipsa eas admittit pro adimplenda mente Testatoris, sive Anniversario satisfaciendo?“ respondit: „Regulariter Negative; et in Eugubina 27. Aprilis 1697“ ad dubium: „An liceat in Ecclesiis, in quibus occasione quadraginta horarum expositum detinetur SSmum. Sacramentum, celebrare Missas defunctorum; et quid si ex praescripto Testatorum essent celebrandae? respondit: „Congruentius abstinendum.“ Ex illis tamen dictionibus, quibus usa est Sacra Congregatio, scilicet: *regulariter congruentius:* putat *Cavalerius tom. 4. cap. 7. decret. 43. et Tetamus in Appendice cap. 3. art. 5. num. 26.* non absolute et simpliciter Missas defunctorum prohiberi in solemni expositione quadraginta horarum, quamvis satius sit eas non celebrari.

3. Horum tamen sententia et forte etiam aliorum, qui sic opinantur, tanti facienda non est, ut ab ea recedendum non sit. Esto quidem Sacram Congregationem fuisse in sensu, quod non omnino repudiandae ea occasione fuissent Missae de requiem, quamquam maxime *congruat,* ne *regulariter* dicantur; notandum tamen ea prodiisse Decreta *annis 1684 et 1697* multo antequam jussu *S. M. Clementis XI.* emanaret *Instructio*, quae primum facta est publici juris *anno 1705.* Haec vero cum iis utatur verbis, quae clara sunt et absoluta, *non si celebrino Messe di requie*, nullam patitur limitationem, positivum praeceptum importat, corrigit proinde et coarctat vetustiora Decreta, saltem quoad Ecclesias Urbis, pro quibus dicta lex est. Quamvis enim quae laudavimus Decreta circa Orationem quadraginta horarum versentur, nulla-

tenus tamen ad Ecclesias Urbis pertinent, sed alias Dioecesium spectant, ad quas extendi nequibat *Instructio*, etiamsi dum ea prodierunt evulgata fuisset.

4. Et revera Sacra eadem Congregatio a prima illa sententia recessisse videtur post editam Instructionem, nam, cum in *Wersavien die 7. Maji 1746* quaesitum fuisset: „Item in dicta Capella SSmi. Crucifixi, *durante expositione SSmi. in Pyxide*, an permittente Rubrica possint in Ecclesia vel aliis Capellis celebrari Missae de requiem?" respondit: „Missae de requiem extra Altare, ubi est expositum SSmum. Sacramentum (subintellige *in Pyxide* relative ad dubium) poterunt celebrari, *dummodo tamen Oratio coram Sacramento non sit ex publica causa.*" Itaque si absolute et absque ulla limitatione aut declaratione excipitur etiam simplex expositio cum Pyxide, dum publica causa concurrit, ita ut, hac accedente, nequeant in aliis Altaribus et Capellis Missae de requiem celebrari, quia, publica concurrente causa, expositio, quocumque modo fiat, semper aliquam solemnitatem habet: potiore jure, juxta Sac. Congregationis sensum, tales Missae erunt interdicendae, dum solemnissima est expositio pro Oratione quadraginta horarum. Ex hoc autem postremo Decreto *tria* consequuntur. *Primum*, quod per istud corrigi aut saltem declarari videntur supralaudata antiquiora Decreta *annorum 1684 et 1697*. *Secundum*, quod decidendi ratio sumpta est non ab antiquis S. C. responsis, sed a novissima lege *Clementinae Instructionis*. *Tertium* denique, quod eadem Sac. Congregatio hocce Decreto regulam de non celebrandis Missis *de requiem extendit nedum ad expositionem quadraginta horarum, sed ad omnes expositiones, quae fiunt ex gravi causa et publico Ecclesiae bono, vel fiant in Ostensorio sub umbella vel in Pyxide velata.*

5. Verumtamen *Cavalerius*, licet fateatur *Instructionem Clementinam* rigidius procedere absolute jubendo „Non si celebrino Messe di requie nel tempo, che durerà l' Orazione delle quarant' ore;" licet admittat postremum Decretum *in Wersavien* contraire praecedentibus et declarationem illam: *dummodo tamen*, haud posse componi cum dictionibus: *regulariter, congruentius:* nihilominus, ut aliquo pacto antiqua Decreta tueatur suamque sententiam sustineat, vult ita accipi debere dictiones illas, ut intelligendae sint de Missis privatis et Anniversariis, non autem de illis, quae ad Rubricarum legem conventuales sunt, vel ex praecepto dici debent. Sic, inquit: „Laudata Decreta reapse sistunt in inhibendis Missis privatis, etsi etiam ad cantatas transeunt, non de cantatis universim, sed ad adimplendam Testatorum mentem, aut pro Anniversario satisfaciendo disponunt. Ut hinc inhibitas minime censeas cantatas conventuales Missas illas, quae de Rubricarum mandato quandoque occurrunt, ut prima die Mensis non impedita et in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum" *tom. 4. cap. 7. decr. 43. num. 2.* Mihi tamen haec non arridet opinio et potius aliam amplectendam esse arbitror, quae magis conformis est *Clementinae Instructioni* et quascumque defunctorum Missas indiscriminatim vetat.

6. Dicam primum de Missa illa conventuali, quam Rubrica pro defunctis cantari praecipit die prima mensis non impedita. Haud inficior Rubricam *part. 1. tit. 5. num. 1.* esse praeceptivam, sed non inde sequitur, quod vult *Cavalerius* scilicet, ejusdem praeceptum non solvi, non moderari *ab Instru-*

ctione Romana, sed magis illud confirmari, ita ut omitti non liceat tempore expositionis, per haec verba „oltre la conventuale si celebrera dopo Nona la Messa del SSmo. Sagramento". Fallit omnino hujusmodi interpretatio et a sensu *Instructionis* omnino recedit. Omitto, quod, siquid ambiguum in ea sanctione fingi potest, declaratur per aliam „non si celebrino Messe di requie durante il tempo delle quarant' ore". Verum si animo minime praeoccupato omnia pensentur: nihil est obscurum, nihil ambiguum. Quid enim sibi vult *Instructio* per illa verba „oltre la conventuale etc.?" Non aliud certe, nisi quod per Missam votivam de Sacramento vel pro ingruente necessitate, non solvuntur Collegiatae ab onere Missae conventualis currentis: nec tamen ex hoc consequitur eamdem simul demandasse Missam conventualem pro defunctis, si contingat dies prima mensis non impedita, imo et hanc etiam eliminare voluisse videtur, si in hac sanctione sine ullo discrimine Missas omnes de requiem prohibet occasione Orationis 40 horarum.

7. Sed quomodo salvatur Rubrica? Facilis est responsio. Pro hoc particulari casu ei derogat *Instructio*; et qui potestatem habet condendi legem, quot vult limitationes, exceptiones et conditiones apponere potest. Cum expositio quadraginta horarum relate ad Ecclesiam, in qua fit, solemnissima sit; si in ea cadat dies prima mensis, in qua celebranda foret Missa conventualis pro defunctis, attenta functionis et loci solemnitate censenda est impedita et eadem Missa conventualis amandanda ad aliam diem non impeditam post Sacramenti repositionem. Rubrica, quae excipit Quadragesimam, Tempus Paschale, censendane erit praeceptiva quoad Ecclesias illas, in quibus peragitur functio omnium solemnissima expositionis Ven. Sacramenti cum perenni Oratione? In Collegiatis igitur aliisque Ecclesiis, quae onus habent Missae conventualis, si ea dies occurrat, durante expositione, ni alia ad Rubricarum normam celebranda sit, reassumenda erit Missa Dominicae, ut fit in aliis Feriis per annum.

8. Si qui casus esset, unde licita censeri posset et sub lege minime comprehensa Missa solemnis de requiem, ille certe foret, si humandus esset cadaver. Rituale Romanum de Exequiis jubet „Quod antiquissimi est Instituti, illud, quantum fieri potest, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur." Ne hic lectorem detineam in afferendis monumentis, quibus comprobatur, quae quantaque fuerit omni aevo Ecclesiae solicitudo, ne sepulturae traderentur cadavera, quin prius Sacrificium pro eorum expiatione oblatum fuisset, ut abunde habetur *in Breviculo etc.* B. Cardinalis Josephi Thomasi tom. 7. Operum, opusculo 1. et penes Catalanum ac Barruffaldum ad laudatum Ritualis locum: „sat mihi est praesens Ecclesiae disciplina, quae permittit celebrationem unius Missae, praesente cadavere, etiam in Dominicis et diebus festivis de praecepto, dummodo non sint ex solemnioribus primae classis. Hujusmodi tamen indulgentia locum non habet in Ecclesiis, in quibus quadraginta horae Orationis peraguntur. Id ipse *Cavalerius* fatetur *tom. 2. decret. 15. cap. 5. num. 8.* „de Ecclesiis, in quibus expositum patet SSmum. Sacramentum, quaestio superest, quam ita resolvimus, ut in eis nonnisi Sacramento reposito cadavera debeant inferri et quoties etiam per noctem et in sequenti die expositum ibi manere debeat, exequiae vel anticipentur vel differantur etc." et etiam

clarius *tom. 4. cap. 7. decret. 43. num. 5.* „Quantum autem attinet ad Missas diei obitus, alibi jam diximus, quod expositionis tempore cadavera inferenda non sunt in Ecclesia et quando necessitas ea inferri cogeret, quod tumulari debent privatim et absque solemnitate ulla, adeoque et sine Missa.“ Itaque si nec Missa celebranda est pro cadavere humando, licet ex Ecclesiae instituto defuncti sine Missa non sint sepulturae tradendi, proindeque tot privilegiis eadem gaudet; quis sibi persuadere poterit, conventualem de requiem celebrandam esse, si contingat dies prima mensis non impedita, quamvis non eadem urgeat ratio, quae pro cadavere humando? Si functionis solemnitas, si apparatus festivus, si finis ab Ecclesia intentus in expositione quadraginta horarum, si gravis causa et publicum Ecclesiae bonum id non sinunt, quod magis urget, nec certe permittere censenda sunt, quae minus.

9. Altera quaestio est de die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum. Eritne haec dies celebranda solemniter cum omnibus Missis privatis de requiem, etiamsi pateat expositum SSmum. Sacramentum pro Oratione perenni? Affirmativam tenent sententiam *Cavalerius ad idem Decretum 43. cap. 7. num. 3. et Tetamus in Appendic. cap. 3. artic. 5. num. 26.* Inquit enim primus: „Pro Missis de requiem ex Roma novissime rescripsit quidam in sacris ritibus peritissimus et praecipue nititur, tum quia sic in Urbe servatur apud Ecclesiam S. Ignatii; tum quia Missae eo die currentes sunt defunctorum et quidem adeo, ut de requiem dicendae sint, etsi duplex occurrat Festum. Reapse urgent rationes istae et huc fortasse spectat dictio *regulariter*, qua primum Decretum utitur (scilicet illud *anni* 1684 supra relatum), dum praescribit Missas de requiem. Nos autem urget admodum exemplum Ecclesiae S. Ignatii, quae dum in faciem Sacrarum Congregationum, nullis reclamantibus, ea die incumbit defunctorum Missis, non leve inditium est, praedictam diem in exceptis esse positam, nec ex comprehensis in Instructione Romana.“ Horum tamen auctoritas minimum me commovet, quominus in oppositam sententiam inclinem. Quamquam, si attente consideretur *Cavalerii* contextus, facile colligitur, extrinsecis potius argumentis innixum suam illam opinionem ipsum tueri, quam intima persuasione victum; et fortasse secus existimasset, nisi ei occurrisset exemplum moris, qui obtinere ferebatur in Ecclesia S. Ignatii. Illud, quod me prohibet, ne libere proferam quid sentio, est novissimum S. R. C. Decretum, quod quaestionem dirimere, et nodum solvere videtur.

10. Etenim sub *die 15. Septembris 1801* Praeses Ecclesiae S. Ignatii anceps: num liceret Missas de requiem celebrari in die solemnis Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, exposito in ea Augustissimo Sacramento pro Oratione quadraginta horarum, tria Dubia proposuit, videlicet „1: An in Ecclesiis, in quibus expositum manet Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Fidelium adorationi in turno perpetuae Orationis, quae dicitur quadraginta horarum, occurrente die omnium Fidelium defunctorum, liceat recitare Officium defunctorum et celebrare Missam solemnem et etiam Missas privatas itidem defunctorum? 2: Et quatenus Affirmative: an adhiberi debeant paramenta coloris violacei potius, quam coloris nigri? 3: An in eodem casu excipiendum sit Altare, in quo habetur expositum SSmum. Sacramentum? Et Sac. Congregatio respondit ad 1: Affirmative, ad 2: Arbitrio Superioris localis, ad 3: Affir-

mative". Consequenter in monitis, quae apponi solent in Tabella Ecclesiarum, in quibus per urbem fieri debet expositio, additum legitur: ,,Dove cade il giorno della Commemorazione de' Fedeli defonti si celebrino le Messe basse di requie coll' apparato di color paonazzo." Hoc Decretum potestatem praeripit secus opinandi, ac in eo statutum est.

11. Nihilominus fas sit mihi aliquid promere, quin videar minimum quid detractum velle auctoritati, quae debetur Sac. Congregationis decisionibus. Si bene sentio, Rescriptum illud *Affirmative* ad primum dubium permissivum est, non coactivum et relative ad quaesitum: *an liceat;* facultatem tribuit, non legem imponit: quamobrem illud *Affirmative,* idem sonat, ac *posse, licere, permitti,* quae et similes dictiones non id praescribunt, quod faciendum est, sed declarant non esse damnandum, si fiat. Hinc redarguet me nemo, si salvo semper Sac. Congregationis responso aeque licitum existimem, quod ea die omittatur in Ecclesia praedicta solemnis Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, tamquam celebritate functionis impedita et transferatur infra octavam, ceu fit dum dies 2. Novembris cadit in Dominicam, quia tunc praefatae commemorationi assignatur dies 3. ejusdem mensis. Male enim componuntur simul in eadem Ecclesia lugubria et Sacramentum festivo apparatu triumphaliter expositum frequenti confluenti populo ad illud adorandum. Quod si celebrentur Missae de die nihil deperit animabus defunctorum, quia *ex Rescripto Sanctissimi dat. sub die 12. Maji 1807* omnia Altaria Ecclesiarum, in quibus fit expositio, hac durante, declarantur privilegiata.

12. Praeterea si stricte attendenda est sanctio *Clementinae Instructionis,* quae absoluta et simplex est, nullum ponit discrimen, nullam limitationem; saltem videtur, quod magis deceat solemnitatem pro defunctis transferre, quam eam celebrare cum Missis de requiem, ubi Sacramentum publice est solemniter expositum. Illud certum est quod Sac. Congregatio funebrem pompam cum Festi solemnitate conjungendam non esse agnovit et declaravit. Idcirco cum per Dioecesim Viterbien *die 3. Novembris* celebretur *Festum Sanctorum Martyrum Valentini et Hilarii sub ritu duplici minori* et dubitatum fuerit: num transferendum esset praefatum Officium vel potius Commemoratio defunctorum eo die celebranda, ob impedimentum Dominicae praecedentis, S. R. C. rogata respondit: ,,Transferendum esse Officium Sanctorum Martyrum, dummodo Festum non sit de praecepto. Neque aliter edixit in *Brixinen* pro Ecclesia Patrum Societatis Jesu OEniponti, ubi *die 3. Novembris sub ritu dupl. min.* celebrabatur *Festum S. Pirminii* cum aliqua solemnitate, ratione Reliquiae ibi asservatae. Siquidem, proposito dubio: ,,An occurrente Festo S. Pirminii Episcopi eadem die commemorationis omnium defunctorum, possint ipsi aut etiam debeant transferre Festum S. Pirminii ad aliam diem non impeditam currentis octavae, an vero, non obstante Officio commemorationis defunctorum, si faciendum Officium de S. Pirminio, an saltem Missa solemnis dicti Sancti celebrari possit" responsum fuit *sub die 11. Julii 1716: Transferendum esse Officium S. Pirminii.*

13. Cur autem in utroque casu translationem jussit et non potius declaravit posse fieri Officium de currenti, quod erat *ritus dupl. min.*, cum Missis privatis de requiem, prout pluries jam decreverat fieri debere,

etiamsi ageretur de duplicibus translatis, quorum in eam diem repositio permittitur? Non alia certe afferri ratio potest, nisi ea, quae desumitur a solemnitate, quae hujusmodi Festa, quamvis *rit. dup. min.*, comitabatur. Haud enim decebat, ut simul conjungeretur festiva solemnitas cum funebri apparatu, castro doloris et Missis de requiem. Et revera Decretum *in Brixinen.* ancipitem fecit *P. Merati*, qui ut aliquo modo illud conciliaret cum aliis Decretis, quae in similibus jubent ut Officium fiat de currenti, Missas vero de requiem, censet eo in casu secus edixisse, recedendo a regula, Sacram Congregationem, quia insignes Reliquiae in ea asservabantur. *Part. 1. tit. 5. num. 10. et in indiculo Decretorum num. 631.* Sed ratio haec haud satis erat, ut Sac. Congregatio a regula recederet. Longe validior est altera a Festi celebritate petita, de qua testatur *Pittoni* in Opusculo *de commemoratione omnium Fidelium defunctorum* §. 2. *n. 12.* „Ego enim, *inquit*, qui semel atque iterum fui OEniponti, rationem translationis esse puto, quia S. Pirminius est in magna veneratione apud populum illum et in ejus Festo, ut ibi audivi, est copiosus concursus et adornatur Ecclesia pulcherrimo apparatu. Ad quid ergo pompae cum luctu? ad quid luctus cum pompis?“

14. Idem dicendum de Sanctis Martyribus Dioecesis Viterbiensis, quorum Festum, quamvis sub ritu duplici minori, magna tamen cum solemnitate celebrari solet, ut innuit ipsum Decretum jubens translationem, sub conditione tamen „dummodo Festum non sit de praecepto“. Si dubitatum fuit, quod Festum esset de praecepto, nonnisi a Solemnitate ratio dubitandi oriri poterat. Hinc limitatio conditionalis erat necessaria, quia, si revera Festum fuisset de praecepto, locum non habuisset translatio et potius transferenda fuisset commemoratio defunctorum, veluti fit, quando haec occurrit in Dominica. At quae major solemnitas Oratione perenni quadraginta horarum quoad illam Ecclesiam, in qua per turnum peragitur? Verum haec transferri nequit, ut fit de Sanctorum Festis; magis hinc congruere videtur, si transferatur defunctorum commemoratio ad primam diem non impeditam infra Octavam, ne simul festiva et funebria misceantur. Haec dixi, ut minus sapiens, ad effectum ostendendi, quod nullum venit detrimentum auctoritati Sacrae Congregationis, si, non obstante *Decreto anni 1801* in Ecclesia, in qua pro Oratione quadraginta horarum SSmum. Sacramentum solemniter est expositum, occurrente omnium defunctorum commemoratione, celebrentur Missae de Octava omnium Sanctorum, translata commemoratione defunctorum ad aliam diem.

15. Alia est quaestio: num celebrari queant Missae de requiem in expositionibus illis, quae fiunt praesertim per octiduum post Festum omnium Sanctorum in suffragium animarum purgantium? *Affirmative* eam *Cavalerius* resolvit ibidem *decr. 44. num. 3.* ubi ait: „Hanc igitur collaudarem methodum, ut in expositionibus generaliter parcus admodum usus sit Missarum de requiem, ne perimatur Oratio SSmi. Sacramenti: liberaliter vero esse possit in expositionibus illis, quae instituuntur in suffragium animarum Purgatorii, pro quibus etiam fieri posse crederem ipsam solemnem Missam, cum Decreti dispositio (*in Wersavien 7. Maji 1746* supra laudato) restricta non sit ad Missas privatas, adjecta solummodo conditione, ut non fiant ad Altare, ubi expositum est SSmum. Sacramentum“. Ego vero dubitarem, num haec sententia ultro sit admittenda. Hujus-

modi expositiones solemniter fiunt pro gravi causa et publico Ecclesiae bono; scilicet pro Ecclesia purgante et expiatione animarum fidelium, quae in tenebricoso carcere poenas luunt: unde locum habere posse videtur supra laudatum Decretum in *Wersavien*, quod vetat Missas de requiem, Sacramento exposito, etiam in Pyxide, si sit ex publica causa.

16. Recte idcirco in quamplurimis Urbis Ecclesiis per illud Octiduum haec servatur methodus, ut solemnis expositio fiat solummodo horis vespertinis: liberum hinc est de mane, si per Rubricas et S. R. C. Decreta liceat nedum Missas privatas, verum etiam solemnem celebrare pro defunctis. Verumtamen si alicubi in more sit Sacramentum exponere etiam de mane, facile utrumque conciliari posset, anticipando primis horis Missas tam solemnem quam privatas de requiem et ab his abstinendo statim ac Sacra exponitur Eucharistia. Nec valet ratio, quod expositio fit pro defunctis. Bene stat, quod pro eorumdem suffragio preces ad Deum dirigantur, offerantur etiam Sacrificia: nec propterea consequitur, quod Sacramento solemniter exposito fas sit, alternantibus horis, Officium defunctorum canere, ac Missas de requiem celebrare. Hinc Sac. Rit. Congregatio nuperrime *die 27. Martii 1779 in Nucerina Paganorum* consuetudinem celebrandi qualibet Feria prima mensis Anniversarium pro defunctis fratribus cum Officio defunctorum solemniter cantato, castro doloris, funebri campanarum sonitu ante expositum Sacramentum, omnino damnavit tamquam Rubricis et Ecclesiae legibus contrariam, ac insuper mandavit Episcopo, ut eamdem omnino aboleri curaret. Merito *Guyetus in Heortologia lib. 4. cap. 22.* haec habet: „Si addenda sit precatio aliqua pro defunctis, ea non fiat, nisi post reconditum Sacramentum. Id habet praxis communis et colligitur a pari ex eo, quod non debet manere ipsummet Sacramentum expositum, dum celebratur Missa pro defunctis: ex Caeremoniali Monastico“ *lib. 3. cap. 13. num. 14.* Ei adhaeret Cavalerius tom. 4. cap. 9. decret. 4. num. 3: „Haud tamen cum ipso denegaverim precationem nullam collectamve pro defunctis tunc temporis esse habendam, nisi post reconditum Sacramentum; quo exposito, jam vidimus, Missam de requiem fieri non posse et procul abesse debere lugubria quaeque“. Quod intelligendum est de precationibus publicis non autem de privatis.

17. Hactenus de Missis defunctorum; *agendum modo est de Missis votivis*, aut aliis conformibus Officio currenti, quae celebrantur tempore expositionis. De solemnibus dictum est jam satis: praesens sanctio nostra vocat studia ad Missas lectas, quas usitato vocabulo planas et privatas dicimus. Si quae celebrentur Missae votivae de SSmo. Sacramento in iis diebus, in quibus, per Rubricas licet, nullo prorsus gaudent privilegio et celebrandae eo modo sunt, quo fieret, si circumstantia expositionis deesset, idcirco ad leges exigi debent pro votivis praescriptas, quin ob solemnitatem sacrae illius functionis obtinere valeant *Hymnum Angelicum et Symbolum.* Id aperte declarat *Instructio* verbis illis: „Sarano meramente votive senza Gloria, e Credo.“

18. Hic autem quaeri posset: num haec sanctio praeceptiva sit, ita ut, non repugnante Rubrica, Missae votivae de Sacramento dici omnino debeant, an potius facultativa et in arbitrio sit Celebrantis votivam dicere vel potius aliam, quae respondet Officio currenti? Dum integrum sanctionis contextum considero, haud agnosco praeceptum, simplicem video permis-

sionem, simplex consilium. Non enim dicit „Nei giorni dalle Rubriche permessi si celebreranno le Messe meramente votive“, quae dicendi formula secum ferret praeceptum; verum alia utitur, nempe „le Messe del SSmo. che si celebreranno nei giorni permessi dalla Rubrica, saranno etc.,“ quod idem sonat, ac si diceretur: „li Sacerdoti che nei giorni permessi dalla Rubrica vorranno celebrare la Messa votiva del Sagramento etc.,“ unde ponitur in facultate et arbitrio: et si quis velit ea occasione magis congruere, dum licet, Missam votivam, quod tamen non facile admitterem, cum maxime conveniat, ut Missam cum Officio concordet; attendi etiam debet quod sequitur: „Nelle altre Messe private correnti si aggiungerà l' Orazione del Sagramento“ quae sane generalis expressio sine ulla limitatione aut declaratione comprehendit etiam Missas, qnae concordant cum Officio, celebratas in diebus, in quibus per Rubricas etiam Missae votivae permittuntur. Secus enim Instructio pugnaret cum Rubrica, quae licet *Part. 1. tit. 4. num. 3.* permittat Missas votivas „pro arbitrio Sacerdotis, quocumque die officium non est duplex,“ monet tamen „Id passim non fiat sine rationabili causa: et quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat.“ Utique rationabilis causa intercedit, dum Oratio quadraginta horarum peragitur; *propterea tamen non inducitur obligatio et adhuc liberum est Sacerdotibus, Missas celebrare juxta Rubricae monitum, quae cum Officio concordant.*

19. Audiendus *Cavalerius, qui tom. 4. cap. 7. decret. 41. num. 2.* ad ea verba Instructionis. „Nei giorni permessi dalla Rubrica,“ haec habet: „Hinc edocemur, quod ob expositionem SSmi. Sacramenti licet pro re gravi factam nulla fit Rubricarum relaxatio super Missis privatis votivis; sed adhuc tantummodo dici valent iisdem diebus, quibus a Rubrica minime interdicuntur. Haud tamen denegaverim, expositionem esse satis rationabilem causam, quam Rubrica 4. *num.* 3. expostulat, ut Missa SSmi. Sacramenti in tali circumstantia passim fieri valeat, etsi cum Officio minime conveniat. Quod saltem dictum sit pro iis diebus, quibus fit Officium de Feria et non est reassumenda Missa Dominicae, quae fuerit impedita: in aliis enim diebus, in quibus Missa propria recurrit, consultius erit incumbere ut plurimum Missae diei, quae, quoad fieri potest, debet cum Officio convenire, ob connexionem plurimam, quae juxta ordinem ab Ecclesia sapienter praescriptum Missam inter et Officium apparet constituta.“ Quamobrem in nostram is venit sententiam quoad Missas votivas, quae, licet rationabilis causa non desit, in facultate sunt non in praecepto.

20. Possunt ergo in iis diebus, in quibus Officium non est duplex aeque celebrari Missae votivae ac aliae Officio diei convenientes; quae tamen potestas non fit, dum Officium occurrit duplex aut de Dominica, quemadmodum etiam si incidant Octavae privilegiatae, Feriae et Vigiliae, in quibus Rubrica vetat Missas votivas et de requie celebrari. Solemnitas expositionis, causa gravis, publicum Ecclesiae bonum legem non solvunt; ideo Missae privatae celebrandae omnino sunt de Officio currenti cum commemoratione tamen Sacramenti, si hanc ritus admittat: lex tamen de commemoratione hujusmodi praeceptiva est pro Ecclesiis Urbis. Quamobrem *duo* adhuc quaerenda supersunt. *Primum* respicit qualitatem Missae, quae eam patitur; *Secundum*

ordinem quoad locum, quem eadem sibi vindicat.

21. Ad primum quod attinet, lex simplex est et absoluta, nullum ponit discrimen, nullam limitationem: „Nelle altre Messe private correnti si aggiungerà l' Orazione del Sagramento.“ Verum non ideo sequitur quod indistincte hujusmodi Missae possint commemorationem admittere, sed subintelligitur conditio, quamvis non verbis expressa, dummodo ritus et Officii qualitas id permittant. Etenim *Festa duplicia 1. et 2. classis* hujusmodi commemorationes addi non sinunt, ut jam declaraverat S. R. Congregatio „in una Canonicorum Regularium Lateranensium 2. Decembris 1684, quippe ad Dubium: „An in Missa privata de Sancto duplici vel semiduplici, de quo tali die fit Officium, facienda sit commemoratio de SSmo. Sacramento exposito occasione quadraginta horarum“, respondit: „Posse, sed omittendam in Festis 1. et 2. classis.“ *A praesenti decreto*, ait *Cavalerius* tom. 4. cap. 7. decret. 35. num. 1.: „dispositio Instructionis limitationem recipit pro Festis 1. et 2. classis.“ Verumtamen quoad alios dies non impeditos post editam Instructionem non est amplius in arbitrio Sacerdotum illam addere vel omittere, ut significat dictio *posse*, qua utitur Decretum, sed pro Ecclesiis Urbis est in praecepto, nam positivum mandatum secumfert diversa dictio Instructionis, nempe, *si aggiungerà.* Alibi tamen, quoniam, ut alias notatum est, pro aliis Ecclesiis *Instructio* praeceptiva non est, sed directiva, juxta diversum Ecclesiarum morem, eadem commemoratio fieri poterit vel omitti, salva semper limitatione quoad duplicia primae vel secundae classis, quatenus obtineat.

22. Limitatio hujusmodi jampridem regulae exceptionem portabat ex Decreto S. R. C. 7. *Augusti 1627.* Siquidem proposito Dubio: „*An Oratio: Deus refugium nostrum* etc., quando Sanctissimus eam pro re gravi dicendam jubet, dicenda sit etiam in Festis primae classis?“ responsum fuit: „non esse dicendam“; et quamvis Decretum loquatur tantum de duplicibus 1. classis, quia de his solummodo Sacra Congregatio rogabatur, ex more tamen insignium Ecclesiarum Urbis debet extendi ad duplicia 2. classis, veluti notat et probat Gavantus part. 1. tit. 9. num. 16. litt. I ad Rubr. Missal. Sac. Rit. Congregatio die 28. (verius 7.) Augusti omitti decrevit regulariter (dictio haec *regulariter*, non habetur nec in Dubio nec in Rescripto, forte eam adhibuit Cl. Auctor, quia juxta regulam omitti debet, nisi adeo urgeat necessitas, ut eam Superior praescribat sine ulla limitatione) praedictam Orationem in Festis 1. classis, in aliis vero 2. classis communior usus insignium Ecclesiarum urbis est, ut neque dicatur in Missis privatis nedum in solemni, a qua sola excluditur commemoratio de Festo simplici, quae consuetudo mihi placet.“ Equidem praefatum Decretum agit de una Oratione *Deus refugium nostrum etc.*, verum intelligi debet de quacumque Oratione a Superiore praecepta pro re gravi, cur par sit pro singulis ratio, nisi in aliquo casu expresse Superior jubeat, ut etiam duplicia solemniora amplectatur. Quamquam non amplius est dubitandi locus, postquam, ut supra vidimus, Decretum *anni 1684*, quod circa unam de Sacramento commemorationem versatur, hanc etiam omitti debere in duplicibus 1. et 2. classis declarat. Et adhuc nuperrime *die 16. Septembris 1742 in Aquen.* idipsum confirmatum fuit sequenti responso: „Commemorationem de SSmo. Sacramento posse fieri in Missa de Festo duplici, non tamen primae vel

secundae classis declaravit jamdudum Sacra haec Congregatio.“

23. Numquid autem omnia duplicia primae et secundae classis excipiuntur a regula? Attende Decretorum verba. Non enim in his occurrit dictio tantum *duplicia*, verum alia, *Festa duplicia:* Idcirco limitatur exceptio ad Festa Sanctorum, quae celebrantur sub ritu duplici 1. vel 2. classis: non autem extendenda est ad Dominicas 1. vel 2. classis, quae plures Orationes admittunt, aut ad alia quaecumque Officia privilegiata, quae, licet ferialia sint, excludunt tamen etiam duplicia 1. classis. Siquidem horum privilegium in eo residet, ut non sint omittenda, etiamsi incidant cum Festis 1. vel 2. classis, quae propterea sunt transferenda: caeterum quoad ritum illis cedunt et multo inferiori peraguntur: quare sicuti eorumdem Missa plures Orationes et Commemorationes admittit, nec respuit Collectas ex Superiorum mandato addititias, ita etiam non rejicit illam de SSmo. Sacramento, ubi est Oratio quadraginta horarum.

24. Id verum est; nihilominus addit *Cavalerius loc. cit. num. 3:* „Ab hac tamen lege lubentes excipimus Dominicam Palmarum atque Vigiliam Pentecostes, non ob privilegium contra Festa quaecumque, sed quia earum Missa per Rubricas adeo donata est privilegio unicae Orationis, ut etiam occurrentium simplicium commemorationem expellat, non leve utique argumentum pro exclusione commemorationum aliarum omnium arbitrarium et de mandato, ac per consequens etiam illius de SSmo. Sacramento.“ Auctoris sententia fines privatae opinionis non excedit, etiamsi valida innitatur ratione: modo tamen robur acquirit et certa evadit, postquam Sac. Rit. Congregatio omnem quaestionem solvit. Etenim *in Aquen. 3. Martii 1761* proposito Dubio: „In Missa Vigiliae Nativitatis haec verba, quae post collectam leguntur“, et dicitur haec Oratio tantum „excluduntne Orationes a Superiore praeceptas, v. g. pro pace, pro aeris serenitate etc.?“ et Sac. Congregatio respondit: „In Missae Vigiliae Nativitatis debent omitti Orationes a Superiore praeceptae, v. g. pro pace, pro aeris serenitate; ob paritatem rationis Decretum comprehendit etiam Dominicam Palmarum ac Vigiliam Pentecosten, in quibus proinde, ut in Vigilia Nativitatis, commemoratio SSmi. Sacramenti omitti debet. *Excipiuntur tamen Missae solemnes expositionis et repositionis ex altera Instructionis regula*, ut supra vidimus.

25. Ad alteram quaestionem quod attinet *de ordine et loco,* quem praecepta commemoratio SSmi. Sacramenti sibi vindicat, clara est sanctionis regula, quae jubet eam addi: „dopo le prescritte dalle Rubriche“ Sac. Rit. Congregatio in „Camerin. die 23. Martii 1709 *interrogata*: An collecta SSmi. Sacramenti in expositione quadraginta horarum vel quando dicitur in omnibus tertiis Dominicis mensis, dici debeat primo loco post Orationem Missae currentis vel ultimo loco post Orationes?“ probe distinguens inter Missam solemnem et privatas, servandam esse Instructionem Clementinam edixit; ac propterea quoad privatas ordinem a Rubrica *titul. de commemorationibus* §. 5. praescriptum, ubi dicitur, quod *Orationes assignatae dicantur ante Orationes votivas,* ut enim ait *Gavantus* ad hunc Rubricae locum: „Praecedunt quaecumque Orationes, quae ab Ecclesia certum habent locum.“ Quod autem disponit Rubrica de Orationibus votivis, idipsum obtinet quoad Orationes de mandato Superiorum addendas, quae nihil commune habent

cum Officio et Missa diei. Quae tamen ratio non valet in nostro casu quoad Missas solemnes, tum quia Pontifex ob publicam Ecclesiae causam aliter jubet, regulae derogando, tum quia Missa solemnis de die succedit loco votivae, quae celebranda foret, nisi qualitas Officii currentis obstaret.

26. Quamobrem in Missis privatis prius legendae erunt nedum commemorationes Dominicae, Octavarum, Vigiliarum, Simplicium, si quae occurunt, sed etiam, quae juxta temporum contingentiam a Rubricis demandantur, licet in arbitrio sit Sacerdotis unam potius, quam aliam ex praescriptis seligere: deinde vero ultimo loco illa de SSmo. Sacramento. Siquidem commemorationes sive taxative sive ad Sacerdotis libitum, ut supra, praescriptae, pertinent ad Missam diei, hinc primum ac nobiliorem locum assequi debent relate ad commemorationem Sacramenti, quae est addititia, et quamquam ex mandato non omittenda, non pertinet ad Officium diei nec subrogari potest alteri a Rubrica praescriptae et ne tertiae quidem, quae quandoque ad libitum assignatur. S. R. Congregatio aperte declaravit *sub die 17. Augusti 1709* per modum praecepti et obligationis loco tertiae Orationis ad libitum, substitui non posse Orationem de Superiorum mandato et hanc legendam esse post illam.

27. Sciscitatur *Cavalerius:* curnam Collecta a Superiore praescripta nequeat dici loco alterius ad libitum? et dubium solvit, rationem afferens, quia „tam demandata, quam, quae juxta Rubricas est ad libitum, sunt in praecepto: unde neutra omitti potest. Quae enim ad libitum dicitur, non ita ad libitum est, ut pro placito recitari aut omitti queat, sed solum quia unam potius, quam aliam ad arbitrium Sacerdos potest dicere: arbitrium quidem ferri potest in Orationem quamlibet, unde absolute etiam in Orationem, quae demandari contigerit. Sed hoc ipso, quod demandata est, in eamdem amplius ferri nequit, quia statim haec intelligitur in praecepto; et est demandata ultra praescriptas per Rubricam, quas inter enumeratur etiam tertia ad libitum“; tom. 2. cap. 11. decret. 2. num. 9.

28. Ne tamen nimis hanc regulam extendas, amandans commemorationem Sacramenti post Orationes omnes ad libitum: non enim omnes Orationes ad libitum sunt in praecepto. Ait Rubrica *part. 1. tit. 9. §. 12:* „in Festis simplicibus et Feriis per annum, nisi aliter in locis propriis notetur, dicuntur tres, ut in semiduplicibus aut quinque; possunt etiam septem ad libitum.“ Siquidem haec Rubrica partim praeceptiva est, partim facultativa; praeceptum imponit quoad tres Orationes, in arbitrio et facultate Sacerdotis relinquit alias addere usque ad septem Cum autem Instructio ponat commemorationem Sacramenti *dopo le prescritte dalla Rubrica,* non aliter intelligenda est, quam de iis, quae sunt in praecepto, quamvis Sacerdos pro tertia possit quam mavult seligere. Quod si is pro sua devotione velit et alias addere, haud poterit postremo illam dicere de Sacramento, quae ponenda erit immediate post tertiam et prima erit inter illas, quae sunt ad libitum Sacerdotis et proinde dici possunt vel omitti. Quod si e Superiorum mandato alia sit addenda Oratio, illa de Sacramento antecellit: primumque occupare locum debet post praescriptas a Rubrica, quemadmodum jubet Instructio verbis illis *dopo le prescritte dalla Rubrica.*

29. Numquid vero eaedem servandae sunt regulae in *Missis solemnibus?* Discrimine est opus. Locum habere nequeunt in Ecclesiis Urbis, pro quibus in praecepto est Missa votiva de

Sacramento in diebus expositionis: et quamvis alia in ejus locum succedat in diebus exceptis, ejusdem commemoratio fieri praecipitur sub unica conclusione, ut supra notatum est *ad* §. *12*. Quod si sermo transferatur ad alias Ecclesias extra Urbem, pariter distinguendum est. Aut agitur de Ecclesiis, in quibus fit expositio pro Oratione quadraginta horarum et hae regulas servant ab Instructione praescriptas, et per has satis provisum est: aut tam in eadem, quam in aliis solemnibus expositionibus diversam tenent rationem quoad Missas solemnes, celebrando coram Sacramento semper Missam de die cum ejusdem commemoratione; et hoc in casu eadem methodus servanda est in Missis privatis; solummodo in hoc diversificat, quod in duplicibus 1. et 2. classis commemoratio Sacramenti omittitur quoad Missas privatas, quoad solemnes vero dicitur sub unica conclusione.

30. Decidendi rationem praebent duo Sac. Rit. Congregationis Decreta. Unum est in *Brugen. diei 11. Augusti 1736*, alterum in *Mechlinien. diei 6. Aprilis 1737*. Dubium erat tam pro parte Episcopi et Capituli Ecclesiae Brugen. quam pro parte Cardinalis de Alsatia Archiepiscopi Mechlinien: „An, dum Missa cantatur coram Venerabili Sacramento in Altari exposito, debeat fieri commemoratio de Venerabili ante omnes alias commemorationes; an post omnes Orationes de praecepto dicendas? Item, an eadem commemoratio possit vel fieri debeat in Festis 1. vel 2. classis?" Et utrique responsum fuit: „Esse faciendum commemorationem de Sacramento post alias omnes orationes de praecepto et in Missis solemnibus celebrandis in Festis 1. et 2. classis esse eamdem commemorationem faciendam sub unica conclusione." Corrigendus est *Cavalerius*, qui *tom. 4. cap. 7. decret. 37 et 38.* refert haec duo Decreta, ac si essent dispositione diversa, cum revera iisdem identificis verbis constent.

31. Quaerit *Cavalerius,* curnam haec duo Decreta commemorationem SSmi. Sacramenti ad ultimum locum amandent et in solis duplicibus 1. et 2. classis eam collocent post Orationem diei sub unica conclusione, quandoquidem *Clementina Instructio* nedum in Festis 1. et 2. classis, sed etiam in Dominicis et Feriis privilegiatis jubeat eamdem conjungi cum Oratione diei? Recte habet, quia *Clementina Instructio agit de expositione quadraginta horarum pro publico Ecclesiae bono in Urbe peragenda:* hinc jubet, Missam votivam pro re gravi, quae si dici nequeat, repugnante Rubrica aut ejusdem Instructionis regula, vult saltem, ut non depereat commemoratio, quae ad salvandam unitatem conjungenda est Orationi diei. Et haec est causa, ob quam nedum in Festis 1. et 2. classis, sed in diebus omnibus etiam ferialibus, quae Missam votivam de Sacramento non admittunt, ejusdem commemoratio sub eadem conclusione cum Oratione diei terminanda decernitur. Haud proinde dubitarem, quod, non obstantibus praefatis Decretis, eadem servanda esset regula etiam extra Urbem quoad Ecclesias, quae methodum servant ab Instructione praescriptam et in aliis solemnibus expositionibus, dummodo vere concurrant causa gravis et publicum Ecclesiae bonum, juxta ea, quae alibi dicta sunt.

32. Verum duo illa Decreta supra relata non disponunt de Sacramento exposito aut pro Oratione quadraginta horarum aut pro re gravi, supponunt insuper Missam semper esse de die; quamobrem cum commemoratio Sacramenti non succedat loco Missae votivae pro re gravi, bene stat, ut

postremum locum obtineat tamquam additilia post Orationes de praecepto, etiam in Dominicis et Feriis privilegiatis, quae plures Orationes admittunt. In Festis vero duplicibus 1. et 2. classis ideo decernitur, ut eadem commemoratio conjungatur Orationi diei, quia hujusmodi Festa unicam tantum habere debent Orationem, saltem in Missa solemni, quae, etiamsi sit dupl. 2. classis, respuit tamen commemorationem simplicis, quae tantum fit in Missis privatis. Quod si Festum 1. vel 2. classis cadat in Dominica, de qua omittenda nunquam est commemoratio, Oratio de Sacramento erit conjungenda cum Oratione Dominicae, salva tamen regula Instructionis quoad Ecclesias Urbis, ut supra notatum est *ad* §. 12.

33. Tandem, ut ad privatas Missas redeamus, duo adhuc quaerenda sunt. *Primum:* num haec admittere debeant commemorationem SSmi. Sacramenti publice expositi, sed non pro Oratione quadraginta horarum? *Posse fieri* respondit S. R. C., sed non in Festis 1. vel 2. classis, ut supra notatum est: unde patet id relinqui in arbitrio Celebrantis, cum dictio *posse* facultativa sit, non praeceptiva. Imo et facultas extenditur etiam *ad expositiones cum Pyxide velata, si hae fiant pro gravi causa et publico Ecclesiae bono,* ut S. R. Congr. respondit in *Wersavien. 3. Septembris 1747 ad Dub. 9 et 10.* Quamobrem si expositio Sacramenti in Pyxide fiat ob causam privatam, puta ob infirmitatem aut tribulationem alicujus privatae personae, facienda non erit commemoratio, bene vero, si expositio fiat pro publica causa. Addam ego: nec faciendam esse, etiamsi Sacramentum exponatur cum Ostensorio, sed velato sub umbella ex causa privata. Eadem quippe occurrit ratio, si ad faciendam commemorationem intercedat oportet causa publica.

34. Alterum est, quod etiamsi celebretur Missa de die sub ritu duplici, non est adjiciendum *Symbolum* ratione solemnis expositionis quadraginta horarum. De Missis votivis clara est Instructionis regula, quae jubet, ut celebrentur *sine Gloria et sine Credo:* quoad alias Missas currentes urget Decretum in una *Canonicorum Regularium Lateranensium diei 2. Decembris 1684.* Dubium erat: „Praescribit Rubrica Missalis dicendum *Credo* in Missis votivis, quae pro re gravi aut publica Ecclesiae causa celebrantur: propterea quaeritur: an dicendum sit in Missis privatis tam de Sacramento, quam de sancto duplici (cui aliter non competit), quae celebrantur in Ecclesiis, ubi adest SSmum. Sacramentum expositum occasione quadraginta horarum?“ absolute responsum fuit *Negative.* Nam si ob solemnitatem expositionis ob gravem causam et publicum Ecclesiae bonum haud licet adjicere *Hymnum Angelicum et Symbolum* Missis votivis privatis de Sacramento, multo itaque minus id poterit in Missis propriis Officio respondentibus, quae propterea dicenda erunt eodem prorsus ritu et modo, ac si non esset expositum Sacramentum, solummodo addita commemoratione de eodem.

§. XVIII.

»Il Celebrante, dovendo portare il »Sanctissimo in Processione, sarà ve»stito con piviale bianco, quando non »abbia celebrato con paramenti di altro »colore; che in tal caso continuerà il »colore della Messa; il velo umerale »però sarà di color bianco in qualsi»voglia caso, che debba portarsi il »Sagramento, anche nel Venerdì Santo; »e li paramenti dei Ministri sacri sa»ranno del colore del Celebrante, come »sopra. Parimenti il Pallio dell' Altare, »dove sta l' Esposizione, sarà sempre

»di color bianco, benchè la Messa so»lenne ivi si celebri in altro colore; »come pure il baldacchino per la Pro»cessione deve essere del medesimo »color bianco.«

1. Ex quatuor coloribus (nam ater, qui est quintus, cum violaceo confunditur) quibus, ex Ecclesiae instituto, utimur in Sacramentis administrandis, in sacris celebrandis Mysteriis, in aliis ecclesiasticis functionibus peragendis, albus ille est, qui proprie convenit Eucharistiae. Idcirco jubet Instructio, quod, *Il celebrante, dovendo portare il SSmo. in processione, sarà vestito con piviale bianco.* Hujusmodi enim color, ut verbis utar *Gavanti ad Rubricas Missalis part. 1. tit. 18.*, *significat gloriam, gaudium et innocentiam . . . . . adde vestem coenatoriam Christi fuisse albi coloris.* Ideo maxime decet, ut adhibeatur in expositione SSmi. Sacramenti et dum supplicatio instituitur ad illud solemniter circumferendum, quoad ea praesertim, quae eidem immediate et unice inserviunt.

2. Haec tamen regula suas patitur limitationes. Obtinet quidem, si in Altari expositionis celebrata sit Missa votiva de SSmo. Sacramento vel alia de die, quae requirat colorem album. Nam si in Missa, prout Officii qualitas exigit, adhibita fuerint paramenta coloris rubei vel etiam violacei, haec non erunt varianda, sed pluviale ejusdem coloris erit assumendum. *Servandum id est in aliis etiam expositionibus vel repositionibus, quae per annum fiunt praecedente Missa. Item si instituenda sit Processio post Vesperas*, non sunt assumenda paramenta alterius coloris, sed sacra actio continuari debet cum paramentis respondentibus Vesperis, nisi tamen interrupta sit actio, ut infra magis idoneo loco videbimus. Non semel evenit, ut eadem Ecclesiastica functio alium ab initio, alium in fine colorem exigat; et cum conveniens non sit, certe vero valde incommodum, functionem ipsam interrumpere vel retardare ad effectum mutandi colorem, Ecclesia in usum habet, eum colorem seligere et per totam functionem adhibere, qui congruit ei Festivitati, quae principalem sibi vindicat considerationem. Sic quando dividuntur Vesperae cum sequenti Officio, quod diversum colorem exigit, hujus colorem etiam adhibet in Vesperarum initio, etsi non congruat Sancto, de quo illae dicuntur, et in Feria sexta in Parasceve Processionem ipsam Sacramenti continuat in colore Missae, etsi niger sit minus conveniens SS. Eucharistiae, quae per processionem defertur. Quidni igitur casu nostro continuari debebit color Missae aut Vesperarum, cum quibus consequens Processio, tamquam quid accessorium, non minus functionem integrat? Hanc itidem sequuntur regulam paramenta Ministrorum, quae iis Celebrantis conformia omnis exposcit ratio. Ita *Cavalerius* ad hunc locum *num. 1.*

3. Sciscitari hic posse videtur: num exceptio illa „quando non abbia celebrato con paramenti di altro colore, che in tal caso continuerà il colore della Messa“ praeceptiva sit vel tantum directiva? Si meum expromere sensum licet, eam directivam dicerem. Ideo enim hunc casum excipit Instructio, non quia id velint Rubricarum leges aut Sacrae Congregationis Decreta, sive quia ullam deformitatem secumferat mutatio paramentorum; sed potius ut avertat incommodum et ne sacra interrumpatur aut retardetur actio. Verum haec extrinseca sunt, neque ad ritum essentialiter pertinent. Quamobrem, licet existimem satius esse obtemperare Instructioni, haud tamen eos damnare auderem, qui secus agerent. Me recreat S. R. Con-

gregatio, quae idem mecum sentire videtur. Equidem in una *Ordinis Carmelitarum excalceatorum Provinciae Poloniae 29. Januarii 1752* quoad Missam celebrandam convenit cum Instructione respondens *dubio 3*: „In Altari, ubi est publice expositum SSmum. Sacramentum, si celebratur Missa diei, celebrari debet cum paramentis Festo seu Officio convenientibus", quoad Processionem vero, quae immediate sequitur, utitur verbo facultativo *Posse.* Ita in *Taggen. 29. Novembris 1678* ad sequens dubium: „An in tertia Dominica Mensis, in qua juxta statuta et consuetudinem Societatis Corporis Christi fit Processio, cantata Missa solemni de Dominica cum commemoratione SSmi. Sacramenti, Celebrans et Ministri debeant uti paramentis coloris dictae Missae convenientis, non obstante, quod sit violacei, ut in Quadragesima et Adventu, et solum uti velo super humeros albo; an vero post Missam exui violaceo et albi coloris Sacramento convenientis indui et ita in albis Processionem facere? *respondit:* Quando in proposito casu cantatur Missa de Dominica cum commemoratione Sacramenti, Celebrantem et Ministros uti debere paramentis dictae Missae coloris convenientis et etiam posse in Processione, sed albo utendum super humeros velo." Juxta hoc Decretum in Processione illico facienda post Missam possunt quidem, sed non omnino debent adhiberi paramenta coloris Missae convenientis; at procul dubio deberent, si id sacrae illi actioni esset essentiale. Idcirco, ut mihi videtur, si fieri possit paramentorum mutatio sine incommodo, sine populi offensione, id non erit illicitum: fit namque in solemni Festo Purificationis B. M. V., quippe, expleta Processione post Candelarum benedictionem, tantisper Celebrans et Ministri secedunt et, depositis indumentis violaceis, induunt paramenta coloris albi, quae Missae diei conveniunt.

4. Quod si id non esse videtur illicitum, etiamsi Celebrans et Ministri non recedant ab Altari, sed ad abacum paramenta deponant, ut albis induantur, faciendum omnino esse videtur, si Processionem ad Sacramentum exponendum instituat non Celebrans, sed eo dignior aliquis, videlicet Cardinalis aut Episcopus. Hoc enim in casu secedere debent Celebrans et Ministri, illucque accedere Cardinalis aut Episcopus: *et cum una ab altera actione tamquam separata censenda sit, facile patet, varianda esse indumenta et in Processione ac expositione vel repositione adhibenda coloris, quae sacrae illi actioni magis conveniunt,* non quae Missae ab alio celebratae sunt propria. Quod item fieri debet, si celebrentur Vesperae, dum in Altari expositum est Sacramentum cum paramentis respondentibus Officio currenti, ut in Ecclesiis insignioribus accidit per Octavam SSmi. Corporis Christi, et recedente Celebrante. Is iterum revertatur, expleto Completorio, ut benedictionem cum Sacramento populo impertiatur. Etenim cum duae sint actiones distinctae, pluviale pro benedictione erit coloris albi, quamvis in Vesperis paramenta fuerint alterius coloris, prout exigebat Officii qualitas.

5. Ad quaestionem omnem dirimendam satis superque esset laudabilis et rationabilis consuetudo Ecclesiarum Urbis; verum accedit novissimus S. R. C. Decretum *diei 20. Septembris 1806.* Casus propositus sequens erat. In Ecclesia Clericorum Regularium Minorum Matriti a die Ascensionis ad Pentecosten solemne decemdium celebrabatur cum Vesperis et Concione coram Sacramento exposito, mox, recitatis precibus, adstantibus Religiosis viris superpelliceo indutis et cum candelis accensis, fiebat SSmi. Sacramenti re-

servatio (idem est ac repositio, quia juxta regionis morem in Hispaniarum Regnis fit sine benedictione): orta est controversia de colore adhibendo in paramentis sacris pro hujusmodi reservatione, aliis opinantibus pro colore albo, aliis pro colore Officio diei respondente, aliis insistentibus pro colore petito a Festo Pentecosten, in cujus praeparationem celebrabatur decemdium. Hanc controversiam S. R. C. sequenti rescripto composuit: „*Quatenus Sacerdos, qui Vesperas paratus celebravit, non recedat ab Altari* et assistat cum concioni tum precibus, reservationem faciendam esse cum paramentis coloris respondentis Officio diei et velo humerali coloris albi, si illud adhibeatur: *Quatenus vero recedat* et Reservatio habeatur tamquam functio omnino separata et distincta ab Officio Vesperarum utendum esse *paramentis coloris albi.*" Itaque concludam, quod si reparentur actiones, albus color adhibendus erit; si Missae immediate succedat Processio, quin Sacerdos cum Ministris ab Altari recedat, aequum est, ut servetur Instructionis regula. Quod si secus fiat et tantisper recedant omnes, ut alba paramenta sumant, eos damnare non auderem. Neque obstat, quod *Feria VI. in Parasceve* nigra Casula utatur Celebrans in Processione; nam ita praescribit Rubrica, exigit luctuosa memoria Passionis et mortis Redemptoris; ac praeterea, quod magis est, Processio intersecat Officium diei nec ullo modo ab eo dividi potest et tamquam actio distincta haberi. Quae rationes non concurrunt in expositione et repositione facienda, expleta Missa; haec et Processio tamquam actiones distinctae haberi possunt, ideoque non dedecet, quod Processionem instruat alter ab eo diversus, qui Missam celebravit.

6. Quatenus vero adhibeantur paramenta coloris convenientis Officio et non albi, ut monet *Instructio*, color tamen veli humeralis indiscriminatim erit albus, quia nihil habet commune cum Missa et unice Sacramento inservit; qua potissimum de causa *Feria VI. in Parasceve*, licet omnia, quae ad Officium illius diei pertinent, luctuosa et lugubria sint, velo tamen albi coloris Sacerdos, qui Sacramentum defert, uti debet. Idem dicendum, quia eadem militat ratio de baldachino hastato in Processione adhibendo, veluti praesens sanctio jubet.

7. Quamquam Officium diei (vel celebretur Missa coram Sacramento vel peragantur Vesperae, ut in omnibus fere Patriarchalibus, Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis in more est per octiduum Festivitatis SSmi. Corporis Christi) requirat colorem ab albo diversum, pallium tamen Altaris, in quo expositum est Sacramentum, semper esse debet coloris albi, qui magis eidem convenit. Quod cum certum sit ex Instructionis praecepto, quoad expositionem quadraginta horarum, ex aequitate et identitate rationis ad expositiones omnes, etsi minus solemnes, trahi debet. Excitat tamen dubium *Cavalerius* de pallio adhibendo in Missa, quae solemniter celebratur, non coram Sacramento jam exposito, sed pro eo exponendo, si celebranda sit Missa de die, quae diversi coloris exigat paramenta. In hac enim Missa Sacramentum non est publice expositum, quinimo ante Consecrationem nec est in Altari et post Consecrationem latet super Altaris mensa: perinde quasi ac lateat Sacramentum ipsum, quod in Missa consumitur aut populo distribuitur vel absque ulla expositione intra Tabernaculum recluditur; et quoniam *Instructio* utitur dictione, *dove sta l' esposiz.*, legem dixisse censet de pallio Altaris, in quo expositum est, non autem in quo exponendum est Sacramentum; suggillat proinde

Pittonium, quem in *decisionibus pro sacris ritibus num. 1578* perperam latine vertisse putat ea verba: *ubi fit expositio*, cum vertenda essent: *ubi est expositio*. Mihi autem inanis haec videtur quaestio et querela indebita; quippe *Pittonius* sensum et mentem Instructionis potius attendit, quam materialiter verba. In ea enim sanctione de Processione praesertim agit pro Sacramento exponendo, nam de altera pro repositione tractat inferius §. 30, ubi in pluribus se refert ad ea, quae supra notata fuerant de prima *dopo la Messa dell' esposizione:* hinc patet verba illa *dove sta l' esposizione*, non materialiter accipienda esse et divisim a contextu, sed ad sensum et juxta relationes, quas inter se habent diversae Instructionis partes, ita ut reddant: *Pallium Altaris destinati pro expositione debere esse album*, *ubi fieri debet expositio*, non autem, ut vult *Cavalerius*, *ubi est expositio*.

8. Et revera idem *Cavalerius* fatetur, quod, „etsi *Pittoni* verba non rite fortasse stent ad latinitatis leges, legitimum tamen sortiri valent sensum et est, quod Altare, in quo facienda est expositio, paratum esse debet pallio coloris albi." Nihilominus, ne suam sententiam omnino deserere videatur, arbitrariam distinctionem proponit: „Distinguendum itaque nos esse credimus: et quatenus expositio fiat immediate post Missam, etiam sub praecedenti Missa pallium erit album, quale esse debet in Altari, in quo expositum est vel exponitur Sacramentum: valde enim dedecet, quod, Sacramento existente in Altari, removeatur pallium Missae, ut subrogetur album pro expositione facienda. Si vero immediate post Missam facienda non sit expositio, sed Processio intermediari debeat, ad Missam forsan pallium esse poterit, quale exquirit ejusdem Missae qualitas, sed indubie amovendum erit dum fit Processio cum appositione albi, ut in Processionis reditu Altare apte paratum sit pro expositione SSmi. Sacramenti in eo facienda, moris instar, qui servatur die 2. Februarii, in qua ad benedictionem Candelarum in usu est pallium violaceum, quod tamen amovetur, dum fit Processio, ut appareat album pro Missa.

9. Sed quoniam nequit non agnoscere, quod haec sua distinctio aperte pugnet cum *Instructione*, eam omnino non deserit, verum vel invitus cogitur ad eam sententiam reverti, quam in *Pittonio* reprobaverat. Hinc concludit: „Dixi forsitan, quia si Instructionis verba excogitentur serio, etiam sub praecedenti Missa exposcunt pallium album; agunt enim de Missa, ad quam non sequitur expositio Sacramenti, nisi Processione media et adhuc sine distinctione ulla, quam ceteroqui faciunt de paramentis aliis, assignant pallium album. Haec autem potest esse ratio, quod immediate post Missam nihilominus expositio incipit: (Melius forte ante Missae finem, dum post Sumptionem Diaconus collocat Ostensorium in medio Altaris) „dum statim super Altare Sacramentum solemniter exponitur detectum, licet nonnisi Processione intermedia exponatur in throno, ex quo apparet ratio discriminis ad id, quod dicebatur de die 2. Februarii." Sed non una ratio est, quam ipse dubitantis more proponit, verum etiam et altera; quia, licet Missa non sit votiva de Sacramento, sed respondeat Officio diei, nihilominus est aliquo modo connexa cum expositione facienda, si in ea consecrari debet Hostia in Ostensorio collocanda. Praeterea nec dici potest, quod expositio incipiat post Missam; nam actus necessario praeparatorius ad ipsam actionem pertinet et collocatio Ostensorii in medio Altaris, quae fit immediate ante ablutionem, censeri potest tam-

quam inchoata expositio, quamquam sequatur Processio, priusquam in throno collocetur.

10. Pertinent haec ad Altare majus, in quo expositio fieri debet, sed *Instructionis* regula trahi nequit ad alia Altaria minora. In his enim adhibenda sunt pallia, quae respondent colori convenienti Officio diei, non Missae ab eo diversae, quae forsan celebratur, dum licet. Forte enim Officium viridem, purpureum, violaceum exigit colorem, sed talis est ejusdem ritus, ut non impediat celebrationem Missae votivae cum paramentis albis: hinc, quamvis Sacerdos ratione Missae votivae utatur stola, manipulo, casula albi coloris, pallium tamen Altaris erit coloris convenientis Officio diei. Quae tamen regula fallit in Missis conventualibus et solemnibus, quae extra Altare expositionis cantantur. His enim de congruo Auctores omnes assignant Pallium conforme colori paramentorum Missae, non Officii.

11. Quae hactenus dicta sunt locum obtinent non solum in expositione quadraginta horarum, *verum etiam in aliis quibuscumque expositionibus:* imo *Cavalerius* ad hunc locum *num. 4* existimat, *extendi etiam rite posse ad expositionem privatam, scilicet cum Ostensorio velato.* At ego crederem nedum posse, sed omnino debere, quoties Sacramentum in throno aut detectum aut velatum collocatur et solummodo regulam non urgere, si Pyxis velata patefiat, aperto Tabernaculi Ostiolo.

§. XIX.

»Terminata la Messa solenne per »l' esposizione il Celebrante e li Mi»nistri, fatte le dovute riverenze al »Sagramento, si ritireranno fuori del »corno dell' Epistola, dove il cele»brante, come pure li Ministri, de»porrà il manipolo, e levata la Pia»neta, prenderà il Piviale, ponerà ivi »l' Incenso in due Turiboli, senza »benedirlo, e dopo con li Ministri »genuflessi nel mezzo incenserà tre »volte il SSmo.: sul fine della Pro»cessione (quale si principierà antici»patamente, fatta l' elevazione del »SSmo., o prima, secondo che sarà »più, o meno numerosa) il Diacono »in tempo congruo, fatta la genufles»sione sopra la predella, prenderà il »Sagramento, e stando in piedi, lo »consegnerà al Celebrante genuflesso: »genuflettendo immediatamente esso »Diacono, lo prenderà il Celebrante, »ricoperte le mani dall' estremità del »velo umerale, e si alzerà. Princi»piandosi poi da' Cantori l' Inno *Pange »lingua etc.* s' incamminerà sotto il »baldachino recitando con voce som»messa Salmi, ed Inni insieme con li »Ministri, quali eleveranno le fimbrie »del Piviale.«

1. Plura sunt, quae in hac sanctionis parte indigent illustratione. Quaedam etiam supplenda sunt, quae utpote a generalibus Rubricis ordinata, nostra Instructio praeterit; sed quia nobis proposuimus cuncta in unum colligere, quae ad rem pertinent et haec etiam breviter hic adnotare visum est opportunum. Itaque Missa solemnis, quae cantatur pro SSmi. Sacramenti expositione, quamvis exigenda sit ad normam Rubricarum et usque ad Consecrationem, nihil proprium habeat, per quod differat ab aliis Missis aeque solemnibus (si excipias commemorationem Sacramenti, dum non licet votivam de eo celebrari): a Consecratione tamen usque ad finem, aliqua sunt eidem peculiaria et propria, quarum heic loci habenda ratio est.

2. Itaque duo offerri et consecrari debent Hostiae a Celebrante, quarum altera tantum elevatur pro consum-

mando Sacrificio, ut moris est, altera relinquatur super Corporale lateraliter, a sinistra scilicet Celebrantis pro expositione facienda. Cetera usque ad Sacri Sanguinis sumptionem juxta solitum servari debent. Hausto Christi Sanguine, dum Celebrans pausillum meditantis more consistit ad Altare defertur Ostensorium parvo velo obductum vel a Caeremoniario, quod magis convenit, vel a Subdiacono per gradus laterales epistolae, facta debita genuflexione tam in recessu, quam in accessu, unico tamen genu: locatur Ostensorium a cornu Epistolae prope quidem, sed extra Corporale, et, quo erat coopertum, movetur velum. Deinde, facta iterum genuflexione, accedet Subdiaconus ad librum, ubi iterum genuflectat, cedens in transitu gradum superiorem Diacono, qui tum accedens ad dextram Celebrantis, genuflectit pariter in accessu et recessu; moxque Diaconus ponit Calicem palla coopertum ad laevam, sed non extra Corporale, in medio vero collocat Ostensorium ea in parte apertum, ubi lunula cum Sacra Hostia est collocanda: statimque Celebrans, facta cum Sacris Ministris genuflexione, adaptat propria manu Sacram Hostiam in lunula, ac in medio collocat radiantis Spherae adjuvante eodem Diacono, qui Ostensorium claudit ac spinula firmat, ne aperiri possit. Ostensorio a Diacono in medio Corporalis reverenter posito, Celebrans ac Ministri genuflectunt, deinde Sacerdos sumit purificationem et Missam prosequitur more solito, iis tamen caeremoniis servatis, quae sunt a Rubricis praescriptae in Missa celebrata coram Sacramento, ut luculentius advertendum erit, ubi de Missa pro Sacramenti repositione agemus.

3. Dum Sacerdos cum Ministris pergit ad Altare Missam solemnem celebraturus, satis est, ut sex ardeant candelae; nondum enim ibi adest Sacramentum publicae venerationi expositum. Alia accenduntur postea luminaria, quod opportune fit immediate post elevationem, ut omnia accensa sint, dum collocatur Sacramentum in Ostensorio et spectandum ponitur super Corporale in medio Altaris. *Cavalerius ad §. 20 hujus Instructionis num. 1.* varium Ecclesiarum morem dicit: „proxime post elevationem nonnullae id praestant Ecclesiae, aliae ante finem Missae“ et postremum hunc morem ipse probat, „quia sufficit et exigitur, priusquam ab Ostensorio, finita Missa, per Diaconum auferatur velum, omnes habeantur ardentes.“ Ei adhaeret *Tetamus ad hunc locum.* Ambo in hanc veniunt sententiam, quia arbitrantur tegendum esse velo Ostensorium, a Diacono solummodo removendo, expleta Missa, dum tempus instat illud in Processione circumferendi. Sed quoniam non mihi videtur velandum esse Sacramentum, sed inchoatam expositionem arbitror, simul ac Ostensorium cum Sacra Hostia in medio Altaris collocatur; hinc magis congruere existimo, quod post elevationem Acolythi incipiant candelas accendere, et etiam ante, si opus fuerit, ita ut circa sumptionem aeque omnes ardeant.

4. Verba afferenda sunt *Cavalerii,* unde rationes patent, quibus ille suam de Sacramento velando opinionem tuetur. Ait enim *ad hunc locum num. 3:* „Dum perficitur Missa, an Ostensorium sit velandum, novissime Romae consultus extitit quidem in sacris ritibus peritissimus, qui non esse velandum ex eo censuit, quod de hoc velo ne minimum quidem habetur verbum in praedicta Instructione. Pusilla nobis apparet ratio hujusmodi, ut ex eadem nos magis eruamus oppositum; quae enim Instructio particulariter non notat, Rubricarum dispositioni relicta

censentur; quare cum Rituale Romanum tit. *de Processione in Festo SSmi. Corporis Christi*, in casu omnino simili de Ostensorio habeat: Veloque operiatur, donec auferatur ab Altari, „velandum nos esse credimus cum Baruffaldo, qui rationem affert, ne, dum reliqua Missae peraguntur, Sacramentum indebite appareat collocatum extra baldachinum." Verum, si recte omnia pensentur, apparebit Romanum in sacris ritibus peritissimum bene respondisse quaesito; *Cavalerium* autem nimis propriae opinionis fuisse tenacem et perperam petiisse decidendi rationem a Rituali Romano, quod vix ac ne vix quidem locum habet in Processione Corporis Christi.

5. Equidem non inficior, claram ejusdem Ritualis Rubricam praecipientem velo cooperiri Ostensorium, donec auferatur ab Altari. Cohaerenter ad eam idem docent *Bauldri in Manuali sacrarum caeremoniarum part. 4. cap. 16. art. 3. num. 1. et 2. Catalanus ad dictum Ritualis titulum* §. 2. *num. 5.*, ac, ut caeteros praeteream, *Baruffaldus a Cavalerio laudatus*. Sed Rubrica haec loquitur de solemni Missa celebranda in die festo SSmi. Corporis Christi, in qua consecratur Hostia collocanda in Ostensorio pro instruenda Processione et ad hanc digitum intendunt Scriptores omnes, qui de hac re pertractarunt. Verum iidem ne memorant quidem expositionem quadraginta horarum, neque erat ibi locus de ea agendi: quod si fecissent, longe secus existimassent. Et revera *P. Meratus* opportune distinguit. Nam pertractans *part. 4. tit. 12.* §. *VI. num. 12.* de Processione SSmi. Corporis Christi ait: „quod Celebrans posita Sacra Hostia in Ostensorio, istud adjuvante Diacono statim claudit et in medio Corporalis reverenter collocat veloque suo cooperit; expleta Missa assumptoque pluviali loco Capsulae revertitur cum Ministris ad Altare ac genuflectit, dum a Diacono aufertur velum album ab Ostensorio." Alibi vero scilicet *part. 2. tit. 14. num. 3.* agens de caeremoniis servandis in Missa pro expositione quadraginta horarum, easdem caeremonias totidem fere verbis enumerat, nec tamen operitionem et detectionem Ostensorii commemorat; diversas hinc adhibet formulas videlicet: „adaptat . . . . . Sacram Hostiam in lunula, quae est in medio praedicti Ostensorii, adjuvante eodem Diacono, qui illud statim claudit et in medio Corporalis postea collocat, statim a Celebrans indutus erit pluviali, medius inter praefatos Ministros accedet ad planum Presbyterii . . . . ascendet ad secundum gradum et in ora suppedanei genuflexus cum Diacono a dexteris et Subdiacono a sinistris tantisper orabit etc." Cur autem et unde discrimen? Quia sacrae actiones, etsi ad idem tendant objectum, sunt tamen diversae: idcirco quod in una jubet Rubrica, in altera non exigit particularis Instructio.

6. Porro in Missa, quae celebratur in Festo SSmi. Corporis Christi, Sacra consecratur Hostia ad finem tantummodo eam processionaliter circumferendi, quae functio cum benedictione finem habet, expositio vero, si post Processionem alicubi fiat, est accessoria: contra vero finis principalis pro Oratione quadraginta horarum est expositio, quae per triduum diu noctuque perenniter durat, et Processio instruitur non ad necessitatem sed ad celebritatem, ideoque est accessoria. Quamobrem si aliqua est discriminis ratio, haec sola attendi posse videtur: *cur in Festo SSmi. Corporis Christi Sacrum Ostensorium velo coopertum solummodo detegatur*, dum ab Altari est removendum et triumphaliter circumferendum: secus vero fiat in altero casu: nam in hoc quodammodo

inchoatur expositio, quando Diaconus erigit Ostensorium in medio Altaris, cunctis spectantibus.

7. Nec quidquam officit ratio a *Cavalerio* ex *Baruffaldo* adducta, scilicet velandi Ostensorium: „ne appareat indebite Sacramentum collocatum extra baldachinum et cum Calice vicino, adeo ut nondum primum locum habere possit, quemadmodum habere debet in Processione:" Nollem talia a calamo excidisse hominum ceteroqui doctissimorum! Quî enim dici potest, primum locum non occupare Ostensorium in medio, nobiliore scilicet parte Altaris collocatum, dum Calix ad laevam positus, facta ablutione, illico removetur? Equidem extra baldachinum est; quid tamen inde? Post reditum etiam Processionis in Festo Sanctissimi Corporis Christi, si mox non fiat solemnis expositio, in medio Altaris deponitur Sacramentum, non sub umbella, ibique satis diu manet, dum cantatur Hymnus *Tantum ergo* cum sequenti Oratione. Patet id ex universali Ecclesiarum praxi, sed multo magis *ex Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 33. num. 24.*, ubi sequens habetur Rubrica: „Postquam Episcopus pervenerit ad supremum Altaris gradum, Diaconus . . . . accipiet . . . . Sanctissimum Sacramentum et illud super Altare collocabit, in medio scilicet Corporalis super Altare extensi", ut notat *Catalanus.* Hinc alia succedit *Rubrica num. 27:* „qua finita *(scilicet Oratione)* accedat ad Altare et accepto Tabernaculo seu Ostensorio cum Sanctissimo Sacramento etc." Et quod etiam plus est, idipsum *Rituale* jubet: „Peracta Processione et SSmo. Sacramento ad Ecclesiam reportato et super Altare deposito etc.", ad quae verba *Baruffaldus* ait: „Tunc Diaconus Altare ascendens ipsum in medio super Altare collocabit, strato ibi Corporali." Et in casu nostro in die repositionis, expleta Processione, super Altare Ostensorium collocatur et interim cantatur *Hymnus* et Celebrans legit *Orationes* omnes pro sacra illa actione praescriptas. At si ratio illa valeret, quam supra *Baruffaldus* adduxerat et tuentur alii, qui eum sequuti sunt, dicendum foret, sequendam non esse *Caeremonialis*, imo nec ejusdem *Ritualis* dispositionem, nec non universalem majorum praesertim Ecclesiarum praxim, quam proinde reformare oporteret. Sequeretur insuper, quod vel detectum vel velatum, nec momento temporis in Altari extra baldachinum permanere deberet, quoniam, etsi velatum, in privatis expositionibus Ostensorium semper est in throno collocandum.

8. Quatenus vero non esset omnino posthabenda ea pars *Rubricae Ritualis*, etiam quoad Missam pro expositione quadraginta horarum, vix ei concedenda foret vis directiva, quae nullum infert praejudicium consuetudinibus laudabilibus et rationabilibus contrariis. Id fortasse agnovit *Baruffaldus*, quamobrem ad supra laudatam rationem confugit, ut eamdem *Rubricam* laudabilem esse et in praxi congruentius sequendam demonstraret. Certum tamen est, quod *Caeremoniale Episcoporum loc. cit.*, licet caeremonias omnes enumeret in sacra illa actione servandas, ne verbum quidem habet de velo, quo tegatur Ostensorium, priusquam de Altari removeatur: imo ex iis, quae paulo ante notavi, facile consequitur, jure id praetermissum. Magis propterea patet, *Rubricam Ritualis* utpote directivam contraria consuetudine penitus obsolevisse, doctrinam vero *Baruffaldi* et *Cavalerii* nihili pendendam esse.

9. Nec mirum est, si *Rituale Romanum* eam posuerit *Rubricam.* De tempore enim, quo fuit ordinatum, forte plures Ecclesiae erant, quae

eum servabant ritum velandi Ostensorium, donec tempus instaret deferendi Sacramentum in solemni Processione. Forte etiam nondum universalis mos invaluerat illud exponendi in throno sub baldachino. Nam sub finem saeculi decimi sexti et sequentis initium, quando dispositi fuere *rituales Libri*, adhuc reliquiae supererant antiqui moris. Paulo ante prodierat *Instructio S. Caroli Borromaei* pro Oratione quadraginta horarum, quae datam habet 27. *Junii 1577*, et inter alias servandas regulas hanc habet: „Per far questa Orazione il Santissimo Sagramento si collochi sopra l' Altare maggiore, e fuori del Tabernacolo maggiore con un velo di seta, che cuopra il Tabernacolo piccolo, che ha dentro il Santissimo Sagramento, e sia tanto lungo, che faccia due ali dalle parti fino alli due corni dell' Altare, l' uno dall' Evangelo, e l' altro dall' Epistola." Eo igitur aevo disciplinam Ecclesiarum fuisse, haec regula ostendit, collocandi Sacramentum in publicis expositionibus non in eminentiori loco sub umbella, sed in medio Altaris extra Tabernaculum majus: aequum igitur erat, ut velum ad illud tegendum adhiberetur loco umbellae. *Ritualis Romani* extensor praefatam regulam prae oculis habens eam sequi opportunum duxit, ratus, non decere vel ad breve tempus permanere Sacramentum in Altari sine velo. Quamquam ex varietate, quae inter *Caeremoniale Episcoporum et Rituale Romanum* intercedit, argumentum sumimus, quo statui posse videtur sub saeculi decimi sexti finem et sequentis initium, antiquum morem immutari coepisse, sed non universaliter. Quamobrem *caeremonialis Liber*, qui majoribus Ecclesiis inservire debet, velum, quo tegatur Ostensorium, non memorat, quia in Cathedralibus et Collegiatis alia jam consuetudo inducta fuerat: *Rituale* vero pro Parochialibus aliisque minoribus Ecclesiis adornatum secus habet, quia hae adhuc vestigium aliquod retinebant antiqui moris. Atque haec expeditior via mihi videtur conciliandi simul *Caeremoniale* cum *Rituale*, quamquam in utroque non de expositionibus res sit, sed de Processione in solemni Festo Sanctissimi Corporis Christi. Temporis tamen successu universalis evasit praxis *Caeremoniali* conformis et modo nunquam Sacramentum velo tegitur, nisi in expositionibus illis, quae fiunt ex causa privata, scilicet pro Infirmo vel particulari aliqua necessitate. De hoc tamen inferius.

10. Quaecumque tamen sit *Rubricae Ritualis* vis, ea limitatur ad unum Festum Sanctissimi Corporis Christi, *neque extendi decet ad solemnem expositionem faciendam pro Oratione quadraginta horarum aut alias*, quae fiunt, praecedente Missa, qua consecratur Hostia in Ostensorio collocanda. In his tenenda est *Clementina Instructio*, quae concordat cum *Caeremoniali Episcoporum*, nec ullum relinquit dubitandi locum, dummodo integer contextus consideretur et omnia simul conferantur. Nam si Celebrans ab Altari secedens Pluviale assumit, incensum imponit in duobus Thuribulis statimque ad Altare revertitur, ubi genuflexus cum Ministris, sine mora thurificat Sacramentum, hoc certe detectum esse debet. At quando et a quo remotum fuit velum? *Instructio* equidem indicasset cum tempus tum Ministrum, a quo tegendum foret, si juxta *Ritualis Rubricam* velo tegi debuisset Ostensorium, dum a Diacono in medio Altaris fuit collocatum. Atqui *Instructio* silet et ne memorat quidem *Ritualis Rubricam:* liberum mihi est contra *Cavalerii* opinionem existimare, quod standum sit Instructionis dispositioni, quin servari debeat

regula *Ritualis* de Festo Corporis, quam eadem *Instructio* non praescribit. Quod si aliquis sit, qui adhuc dubitet, optimam legum interpretem consuetudinem consulat et prae oculis habeat. Porro haec conformis est *Caeremoniali Episcoporum* et *Instructioni*, non autem *Ritualis Rubricae.* Siquidem in omnibus Patriarchalibus aliisque majoribus Urbis Ecclesiis nullo velo tegitur Ostensorium, sed posteaquam a Diacono in medio Altaris fuit collocatum, apertum ibi manet usque ad finem Missae, in qua propterea servatur ritus conveniens Sacramento exposito.

11. Sed de hac quaestione jam satis. Caeterae hujus sanctionis partes explanandae modo sunt. Itaque, expleta Missa, Sacerdos pergit ad Altaris medium et una cum Ministris genuflectit unico genu sine capitis inclinatione, et omnes descendunt per *gradus laterales Epistolae* in planum et progrediuntur *usque ad abaçum, ubi Celebrans deponit Casulam et Manipulum et assumit Pluviale ejusdem coloris, qui fuerat in Missa adhibitus; sacri Ministri pariter deponunt Manipulum*, sed retinent Dalmaticam et Tunicellam vel Planetas plicatas, si his pro ratione Officii currentis utendum fuerat. Accedunt illuc Acolythi cum *duobus Thuribulis* et ibi adhuc permanens Celebrans cum Ministris, *priusquam ad Altare redeat* thus imponat *absque benedictione*, Diacono ministrante naviculum *sine osculis* et Subdiacono elevante fimbriam dexteram Pluvialis. Duo adhibentur Thuribula ratione Processionis; secus namque in aliis sacris functionibus et in hac etiam, si ex Superiorum permissu Processio non fiat, unius tantummodo probatur usus. Imposito thure, Celebrans, junctis manibus, demissis oculis, aperto capite, medius inter Sacros Ministros *elevantes hinc inde fimbrias Pluvialis* revertitur per planum Presbyterii ad Altare et ante infimum gradum, omnes genuflectunt utroque genu cum profunda capitis inclinatione, mox surgunt iterumque genuflectunt non in plano, sed in infimo gradu Altaris.

12. Dixi, *in infimo gradu Altaris;* sed in hoc assignando non omnes conveniunt Auctores. Juxta sententiam *Bauldry de Feria V. in Coena Domini lib. 4. cap. 9. art. 3. et cap. 16. de Festo Corporis Christi art. 3. et Caeremoniale Monastic. cap. 14. §. 2. num. 12.* tam Sacerdos quam Ministri ascendere debent ad secundum gradum et in ora suppedanei genuflectere ac tantisper orare: *Castaldus lib. 2. sect. 10. cap. 2. num. 5.* existimat, Celebrantem in infimo gradu Altaris genuflectere debere, Ministros vero in plano Presbyterii; videtur in hanc venisse opinionem *P. Meratus part. 2. tit. 14. num. 3.*, qui ad eam tuendam affert exemplum Basilicarum Urbis: in hoc tamen errat, quemadmodum etiam immediate post, inquiens, secus ac Instructio jubet: „Celebrans erectus et stans ante praedictos gradus Altaris imponit incensum in duo Thuribula.“ Porro ea sententia, quae magis convenit et praxi Basilicarum Urbis comprobatur, illorum est, qui volunt, Celebrantem aeque ac Ministros genuflectere et tantisper orare debere in infimo gradu Altaris, quod et conforme est *Instructioni*, quae, licet hic sileat, agens postea de Missa pro repositione, notat §. 20: „Il Celebrante prenderà il Piviale, e genufletterà colli Ministri avanti il Santissimo Sagramento sull' infimo grado dell' Altare.“ Hujusmodi usus magis arridet, quod si alius aliqua in Ecclesia servetur, juxta diversas praefatorum Auctorum sententias, cum non omnino reprobandum censerem, dum nulla expressa lex est, quae unum potius,

quam alterum modum praescribat, neque in hac re varietas ritus essentiam tangit, quae salva est vel in infimo vel in altero Altaris gradu Celebrans genuflectat.

13. Quicumque igitur servetur modus, brevissima facta Oratione vel in infimo vel in altero gradu Altaris, non est iterum ponendum incensum in Thuribulis, secus ac praeter *Meratum*, alii etiam Rubricistae perperam praescribunt, cum jam impositum fuerit priusquam Celebrans cum Ministris ad Altare rediret; sed Diaconus tradet sine osculis Thuribulum Celebranti, qui ter incensabit Sacramentum cum profunda capitis inclinatione ante et post, quod etiam praestabunt Ministri, qui *interim elevabunt anteriores partes Pluvialis.* Peracta incensatione Diaconus acceptum sine osculis a Celebrante Thuribulum tradet Thuriferario, qui et alter ejus socius remanebunt genuflexi in plano Presbyterii, *abstinentes ab incensatione Sacramenti, quod in Processione tantum thurificabunt.* Haec regula conformis est *Rubricae Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 33. num. 19.*, ubi legitur: „Interim accedent ad Episcopum duo Acolythi cum *duobus Thuribulis*, et, *ministrante naviculam Presbytero assistente,* imponet thus in praedictis duobus Thuribulis, quo facto, accedet ad Altare, ubi . . . . accepto a manibus praedicti Presbyteri assistentis uno ex duobus Thuribulis, thurificabit triplici ductu SSmum. Sacramentum.“ Ex quo patet, non esse iterum ponendum thus in Thuribulum, postquam ab Episcopo impositum fuit in sua sede, a celebrante Sacerdote prope abacum.

14. Deinde Subdiaconus, ut plerique volunt, vel Diaconus, ut *Rubrica Ritualis* habet *titul. de Processione in Festo Corporis Christi*, oblongum ac *decens velum* circumponit scapulis Celebrantis, et super brachia et manus ejusdem expandit et, si opus est, ad pectus adnectat, vel spinulis retro vel sericis funiculis ante, ne decidat. Mox Celebrans erigit se cum Ministris et usque ad superiorem gradum Altaris ascendit et in suppedaneo remanet genuflexus cum Subdiacono; *Diaconus* vero procedit usque ad Altare, ubi, facta genuflexione, *accipit Ostensorium* ambabus manibus et vertens se illud tenens, Imagine Crucifixi, quae est in Hostia, ad se versa, *illud tradet Celebranti* eodem modo, ita ut in tota Processione praedicta Imago non respiciat Celebrantem, sed populum, qui adest in Ecclesia ac in via, per quam est incedendum. Tradit autem illud Diaconus stans et Celebrans recipit genuflexus manibus velo coopertis, statimque surgit et Diaconus in eodem, in quo est, loco genuflectit, Sacramentum momento adorans, ac sine mora se erigens, accedit ad dexteram Celebrantis, qui, eodem Diacono et Subdiacono elevantibus Pluvialis fimbrias, ascendit ad planum suppedanei, ubi cum iisdem Ministris vertit se ad populum, Ministri vero se simul vertendo teneant proprium locum, ita ut a dexteris Diaconus, a sinistris Sudiaconus elevant Pluvialis fimbrias.

15. *Simulac Celebrans,* accepto e manibus Diaconi Sacramento, surgit et se ad populum convertit, *Cantores incipient* canere hymnum *Pange lingua etc.* Instructio concordat adamussim cum *Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 83. num. 20.*, ubi legitur: „Tunc Cantores incipient hymnum *Pange lingua gloriosi etc.* et Episcopus cum SSmo. Sacramento surget et Diaconi assistentes hinc inde fimbrias anteriores Pluvialis elevabunt etc.“ Aliquantulum discordare videtur *Rituale Romanum loc. cit.*, ubi haec habetur Rubrica: „dum vero Sacerdos

discedit ab Altari, Clerus vel Sacerdos cantare incipit sequentem hymnum *Pange lingua etc.;* revera tamen non discordat, sed suggerit modum, qui teneri et variari potest juxta locorum et personarum diversas circumstantias. Cum enim *Liber ritualis* nedum regulas tradat pro Ecclesiis majoribus, quibus satis consultum est *per Caeremoniale Episcoporum*, verum et praecipue pro Ecclesiis minoribus, quae plerumque Clero non abundant, bene stat, quod methodum praescribat in istis servandam. Non enim ita est intelligenda *Rubrica illa*, quasi indiscriminatim liberum sit primum Hymni versum a Clero vel Sacerdote celebrante intonari; verum cum distinctione, ita ut in Ecclesiis, quae Clero abundant, intonatio fiat a Clero, id est a Cantoribus, Clero respondente; secus enim, si universus Clerus, qui interest, hymnum intonaret, id tumultuarie fieret et magna cum vocum dissonantia, quod in sacris actionibus maxime dedecet et est omnino vitandum. In hoc *Rituale Caeremoniali* concordat. Sed quoniam consulendum est aliis etiam Ecclesiis, idcirco *Rubrica* ea utitur disjunctiva: *vel Sacerdos.* Siquidem ibi agitur de solemni Processione in Festo Corporis Christi, quae fit meliori, quo potest modo in parvis etiam oppidulis et Ecclesiasticis ruralibus, in quibus Clerus vel omnino deficit vel est sane modicus, qui vix sufficit pro ministerio Altaris. In his maxime congruit, *ut Hymni intonatio fiat per Celebrantem*, qui etiam per Processionis tractum, adjuvantibus Ministris, cantare poterit. Non desunt namque loca, in quibus vel nullus vel pauci admodum sunt, qui Gregorianum cantum vel tonos hymnorum calleant, atque vix quod audiunt repetunt; unde si Sacerdos sileret, aliquando vel nemo caneret vel inordinate et extra tonum boatus omnes ederent. Ita *Cavalerius loc. cit. num. 9.* Forte etiam hisce in locis satius esset hymnos et psalmos voce tantillum elata recitare, quam canere. Extra hujusmodi Ecclesias et ubi sufficiens adest Clerus, Sacerdos nec intonabit hymnum nec in Processione cantabit, sed submissa voce, ut *Caeremoniale Episcoporum et Instructio* mandant, una cum Ministris Psalmos et Hymnos recitabit. Erunt autem Hymni ex Officio SSmi. Sacramenti, Psalmi vero, qui memoria retinentur, sed praecipue qui nos erigunt ad effundendum laudes et gratiarum actiones. Verumtamen *cum Rubrica tam Caeremonialis quam Ritualis*, necnon praesens *Instructio* hac in parte directionem potius praebeant, quam praeceptum; haud reprobandum censerem, si in aliqua etiam ex majoribus Ecclesiis consuetudo vigeret intonandi per Celebrantem Hymnum *Pange lingua etc.*, prosequentibus Cantoribus et Clero.

16. Recte *Cavalerius* ad hunc locum *num. 8.* verbis illis insistens: „Principiandosi poi dai Cantori l'inno *Pange lingua etc.*, s'incamminerà sotto il baldachino etc.“ carpit usum nonnullarum Ecclesiarum, in quibus Celebrans stat in suppedaneo Altaris per totam primam stropham praedicti Hymni et nonnisi eadem terminata descendit, supponens se baldachino. Recte, inquam; advertas tamen quandoque haud posse aliter fieri. Puta, si cunctandum sit, donec incesserint omnes, qui Processionem componunt, quod praesertim accidit in Basilicis, ubi Clerus sistit in stallis, donec Celebrans se vertit ad Populum cum Sacramento; tunc primum ex ordine Clerus ex stallis discedens genuflectit, et supplex instruit agmen, quod claudit Sacerdos Sacramentum deferens, qui interim necessario debet in suppedaneo Altaris permanere, etsi Cantores

prosequantur primam hymni stropham. Quamquam et posset, ut alicubi fit, differri intonationem, donec Sacerdos, ab Altari descendens, pergat ad paratum baldachinum. Sed cum id ad actionis essentiam non pertineat; servandas esse censeo particulares Ecclesiarum consuetudines.

17. Itaque Celebrans supplicatione instructa, praecedentibus Acolythis cum Thuribulis fumigantibus, descendit ab Altare comitatus a sacris Ministris fimbrias Pluvialis sustinentibus, tectus *umbella coloris albi*, et pergit ad baldachinum, sub quo iter prosequitur. Equidem *umbellae* non meminit nostra *Instructio* nec etiam *Caeremoniale Episcoporum*, ubi baldachini tantum fit mentio; *sed Rituale Romanum umbellam* memorat, *non baldachinum: inde descendit sub umbella* Verum *baldachinum et umbella* promiscua sunt nomina. *Macri in suo Hierolexico litt. B. Baldachinum: conopaeum seu umbella, quae ad tegendum Tabernaculum et Altare et ejusdem Sacramentum per viam una cum Sacerdote illud ferente inservit; Du-Cangius in suo Glossario: baldachinus sumitur crebro pro umbraculo seu umbella; et Caeremoniale Romanum lib. 1. tit. 2.: Portant umbraculum hastilibus octo sustendatum, quod hodie baldachinum appellant.* Modo tamen *baldachinum et umbella* duas res distinctas significant, quamvis pro diversitate locorum et circumstantiarum eidem usui inserviant. Hinc facile componuntur *Caeremoniale, Rituale* et nostra *Instructio.* Certum est, quod Sacramentum in Processione *sub baldachino* deferri debet *et sub umbella* in subsidium, ut cum festinanter defertur ad infirmos, aut asportari debet per vias angustas. In nostro autem casu *umbella*, cujus meminit *Rituale,* non deservit pro Processione, sed pro descensu Sacerdotis ab Altari usque ad *Baldachinum*, unde textus: *inde descendit sub umbella.* Cum enim *baldachinum* nonnisi cum maxima difficultate et incommodo ad Altare usque inferri valeat et exporrigi, ideo *Rituale,* quod est pro Ecclesiis majoribus et minoribus, vel satis amplae hae sint vel nimis angustae, et subsidium vocant *umbellam,* ne per spatium, quod intercedit ab Altari ad *baldachinum,* Sacramentum absque tegminis honore deferatur. *Caeremoniale* vero, cui adhaeret *Instructio*, *baldachinum* memorat, non *umbellam,* forte quia minus incommodi et difficultatis habet ejusdem delatio proxime ad Altare in Cathedralibus et majoribus Ecclesiis, quibus praecipue praefatum *Caeremoniale* inservire debet. Quod si talis sit harum structura, ut nequeat deferri intra Presbyterium, *umbella* erit adhibenda. Notat hic *Cavalerius*, quod, attento *Caeremonialis et Instructionis* silentio, excusari fortasse valent Ecclesiae, quae per breve illud spatium *umbellam* non adhibent. Fortasse id accidit extra Urbem; Romae quippe, vel res sit de Expositionibus vel de Processionibus in solemnitate SSmi. Corporis Christi, semper et ubique praeter *baldachinum,* proxime ad Sacramentum in promptu est *umbella*, quae ad tegendum Sacramentum adhibetur, si prae loci angustia deserendum est *baldachinum.*

18. Quae notata sunt, fieri debent, ut monet *Instructio*, *sul fine della Processione*, id est postquam Processio fuerit ordinata, claudenda a Celebrante Sacramentum deferente. Processio autem, ne ejus dispositio moram injiciat, *si principierà anticipatamente*, *fatta l' elevazione del Santissimo, o prima, secondo che sarà più, o meno numerosa. Decet, ut instruatur Processio, priusquam Celebrans*, *accepto e manibus Diaconi Sacramento, se ad populum convertat ad supplicationem*

claudendam processurus, ne cogatur diu in Altaris suppedaneo immorari. Verum non video, curnam vix Consecratione peracta vel etiam antea instrui Processio debeat. Id fit expedite, etsi cum Clero saeculari vel regulari aliqua conveniat laicorum Sodalitas. Sed quoniam omnibus casibus prospiciendum erat, recte idcirco Instructio indefinite jubet, ut ordinetur Processio vel peracta Consecratione vel etiam antea, si opus fuerit, idque postulet interessentium frequentia. Dum pro Oratione quadraginta horarum exponendum est Sacramentum in Basilica Lateranensi, Instructionis monitum est necessarium, quia Processioni interesse debent, praeter Clerum et Sodalitatem Laicorum, etiam Ordines Regularium. Ni autem propere instrueretur Processio, in qua omnes suum ordinem quoad locum servare debent, magna orietur confusio. Ita etiam aliis in Ecclesiis, in quibus, praeter Sodalitatem et Clerum, famuli plures et familiares Cardinalium et Procerum conveniunt cum intortitiis, qui ex ordine sunt disponendi, ne oriantur jurgia et contentiones, prout hos inter, ni provide consultum sit, saepenumero accidit. In his bene est, ut cito instruatur Processio, in aliis Ecclesiis, ubi pauci eam componunt, satis est, ut fiat prope Missae finem vel etiam ea expleta. Nostra autem *Instructio* regulam desumpsit *ex Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 33. num. 16.*, ubi legitur: „Elevato Sanctissimo Sacramento vel etiam ante, si opus erit, junior Magister caeremoniarum curabit, ut Processio secundum ordinem . . . . dirigatur et procedat." Quae tamen Caeremonialis regula pro solemnissima supplicatione in Festo Sanctissimi Corporis Christi necessaria omnino est, in qua magna est diversorum Ordinum interessentium copia.

19. Pertinent haec ad ritum servandum, si post Missam, priusquam Sacramentum exponatur solemniter in throno, *processionaliter circumferendum sit*, ut jubet *Instructio. Eaedem porro regulae tenendae sunt in aliis expositionibus, quae fiunt cum Romae tum alibi immediate post Missam cum Processione. Quatenus vero extra Romam, fiat expositio quadraginta horarum cum praecedenti Missa, sed sine Processione;* et ita etiam Romae quandoque Praesides, validis concurrentibus circumstantiis, fieri permittant; nihil variandum est usque ad finem Missae, sed eadem servanda est methodus, quam supra exposuimus. Diversus tamen in reliquis erit modus. Siquidem depositis Manipulis et Pluviale per Celebrantem assumpto, non erit ad abacum imponendum incensum in duobus thuribulis: nam cessante Processionis motivo, cessat etiam eorumdem usus; unum tantum erit opportuno tempore adhibendum. Sacerdos cum Ministris accedet ad Altare ac praemissa genuflexione in plano, erectus postea in infimo gradu permanebit vel in secundo, si ita exigat Ecclesiae consuetudo, ut supra dictum est. Surget interim Diaconus, factisque debitis genuflexionibus, Sacramentum sumet, quod in medio Altaris situm est et in throno ad id parato reverenter collocabit, mox descendet, et facta genuflexione in suppedaneo unico genu, redibit ad dexteram Celebrantis. Caetera servabuntur, quae *ad* §. 24. explicabimus.

20. Dubium tamen hic occurrit: num hoc in casu thurificandum sit Sacramentum, dum cantatur Hymni stropha: *Genitori, genitoque etc.*, vel etiam priusquam removeatur ab Altari et collocetur in throno? Nemo est, quod sciam, qui dubium hoc sibi proponat et solvat; si meum, qualiscum-

que sit, sensum promere liceat, censerem imponendum esse incensum in thuribulum, postquam Celebrans ad Altare reversus fuerit et momento genuflexus in infimo gradu Sacramentum adoraverit, sine benedictione et sine osculis, et adolendum triplici ductu Sacramentum adhuc in medio Altaris positum, quo sub umbella fidelium venerationi a Diacono exposito, cantabitur Hymnus *Pange lingua etc.* et ad versum *Genitori genitoque etc.* imposito iterum thure, denuo Celebrans illud thurificabit, *quo facto Cantores intonabunt Litanias*, veluti praescribit *Instructio.* Ita faciendum arbitror in hujusmodi casu saltem Romae, ut, etiamsi non fiat Processio, meliori tamen, quo poterit, modo servetur forma *Instructionis.* Forte etiam poterit thurificari Sacramentum unica vice, postquam fuit in throno collocatum.

21. Quatenus vero post Missam fiat expositio non pro Oratione quadraginta horarum, sed ob aliam causam, quin canendae sint litaniae cum precibus aut hymnis, tunc Sacramentum thurificandum erit more consueto a Celebrante jam sub umbella positum. Imo hoc in casu nec opus esse videtur, ut Sacerdos exuat casulam et induat pluviale, cum satis sit, ut, deposito manipulo, Sacramentum thurificet.

§. XX.

»La Processione sarà composta di »tutto il Clero della Chiesa, ed il Cro»cifero in questa funzione non sarà »parato con abito subdiaconale, ma »vestito con cotta. Vi interverranno »onninamente otto Sacerdoti vestiti »con cotte e con le torcie accese in »mano, li quali precederanno dalli lati »avanti il baldacchino: e dopo di essi »seguiranno due Acoliti con turiboli, »quali per la strada incenseranno con»tinuamente il Santissimo, e durante la »Processione, si suoneranno le cam»pane solennemente.«

1. Tam *in hoc* quam *in sequentibus* §§. agitur de Processione et ordine in ea incedendi. Clerus primum et nobiliorem locum occupare debet. *Praeibit Subdiaconus vel saltem Clericus mundo superpelliceo indutus, qui deferat Crucem hastatam. Instructio* utitur vocabulo *Crocifero,* quamobrem non exigit Clericum Sacro Subdiaconatus Ordine insignitum, eoque magis, quia expresse monet: „il Crocifero in questa funzione non sarà parato con abito subdiaconale“, Crucifer autem inter duos Acolythos candelabra cum cereis accensis deferentes praeire quidem debet, sed immediate ante Clerum, neutiquam vero ante laicorum Sodalitatem, si qua intersit, aut saeculares homines, qui cum intortitiis vel a proceribus missi vel devotionis ergo sponte accedunt. Idem dicendum si Ordines Regulares sacram functionem comitentur, ut accidit in Basilica Lateranensi; nam hi sub respectivis vexillis incedere debent ante Crucem Cleri regularis.

2. *Omnis Ecclesiae Clerus ad interessentiam tenetur;* nam clara est lex: „la Processione sarà composta di tutto il Clero della Chiesa.“ Ubi vero Clerus deficit, octo saltem Sacerdotes Instructio exposcit, qui superpelliceis induti (sine tamen stola) cum intortitiis proxime incedant ante Sacramentum. Et cum absoluta et praeceptiva sit dictio *onninamente,* non desint oportet octo illi, qui intortitia deferant prope Sacramentum, etiamsi majori sint numero Clerici, qui supplicationem componunt et minoris moduli candelas deferant.

3. Notat ad hunc locum *Cavalerius num. 1: Et sunt* (octo illi Sacerdotes) „qui in Missa inservierunt, ad cujus usque finem permanent tenentes In-

torticia, cum Sacramentum etiam post Sacerdotis Communionem in Altari permaneat." Unde autem ipse accepit hujusmodi doctrinam? Dices: *e Caeremoniali Episcoporum part. 2. cap. 33. num. 7,* ubi dicitur relate ad Processionem in festo Corporis Christi: ,,a lateribus hinc inde ibunt octo Capellani cum cottis, qui in Missa inservierunt, quatuor pro qualibet parte, portantes eadem funalia accensa, quae pro Missa servierunt. Haec tamen *Rubrica* trahi nequit ad casum omnino diversum, ut noster est, et violentia fieret *Instructioni,* si hujusmodi sensus ei tribueretur.

4. Quod si adnotatio illa *Cavalerii* vim aliquam haberet, dicendum etiam esset, octo Sacerdotes ad initium Canonis post Praefationem accedere debere ad Altare cum intortitiis, quod nec *Instructio* nec ulla *Ritualia* praescribunt. ,,In Missa Pontificali solemnissima, quatuor, sex aut ad summum octo Ministro cottis induti afferant totidem funalia cerae albae accensa." Ita *Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 8. num. 69.* In aliis Missis solemnibus sed non Pontificalibus *Rubrica Missalis part. 2. tit. 8. num. 8.* duo ad minus praescribit: ,,In Missa solemni ad finem Praefationis accenduntur duo saltem intortitia ab Acolythis." In hisce Rubricis *duo* adverte. *Primum,* quod per verba illa Caeremonialis *ad summum octo*, datur intelligi, quod ex iudulgentia potius hujusmodi intortitiorum numerus permittitur, cum ex regula quatuor vel sex tantum esse debeant; et verba Rubricae Missalis *duo saltem* juxta obvium sensum ita accipienda sunt, *ut in Missis solemnibus non Pontificalibus optandum sit, quod alia duo superaddantur. Et hic est communis principalium Ecclesiarum usus. Secundum* vero, quod *hoc munus proprium sit Ministrorum* et Acolythorum, neutiquam Sacerdotum, qui possunt equidem ad hujusmodi officia adhiberi, et decens est si fiat, sed nulla lege tenentur.

5. Neque objicias, in citata *Caeremonialis Rubrica* Capellanos appellari: nam ibi agitur de functione peragenda ab Episcopo in propria Dioecesi, et dignum est, ut proprii *Capellani* eidem inserviant. Accedit, quod *Capellani* nomen non ita convenit Sacerdotibus, ut nequeat aliis Ecclesiasticis personis aptari pro diversitate munerum, quae ipsis data sunt, ut videre est *apud Du-Cangium in Glossario Verb. Capellanus*, unde nomen est potius officii quam dignitatis. Ex his colligi facile potest perperam et arbitrarie *Cavalerium* praefatam adnotationem addidisse. Satis igitur erit, si ad Canonem quatuor Intortitia a Clericis deferantur, et quatenus Missa sit Pontificalis, sex vel ad summum octo, qui non discedant ab Altari post elevationem, ut in aliis Missis solemnibus fieri solet, *sed ob reverentiam Sacramenti ibi permaneant etiam post Communionem.*

6. Standum igitur est *Instructioni,* quae verbis illis: ,,v'interverranno onninamente otto Sacerdoti vestiti di cotta, e colle torcie accese in mano," loquitur stricte de comitatu Processionis, neutiquam vero de intortitiis deferendis ad Canonem et per eosdem Ministros adhibendis in Processione. Dum vero Instructio octo designat, cum utatur dictione *onninamente*, quae significat: *saltem: ad minus*, satis demonstrat, consulere voluisse decori sacrae actionis quoad Ecclesias minores et pauperiores, quae Clero non abundant et adscititios Sacerdotes et Clericos tenentur adhibere. Caeterum, quo major est numerus, magis etiam prospicitur venerationi tanto debitae Sacramento. Porro haec regula in Urbis Ecclesiis tamquam lex

est omnino servanda. Decet namque ut id munus Sacramentorum maximo praestetur Sacerdotibus tamquam dignioribus ministris.

7. Forte tamen eadem regula tanto non est cum rigore accipienda, ut positivum praeceptum in omni sui parte necessario importet. *Praeceptiva* equidem est quoad *numerum funalium,* quae prope Sacramentum deferri debent; *directiva* vero quoad *qualitatem eorumdem et personas*, a quibus gestanda sunt lumina. Cupit, ut octo ardeant intortitia, at crederem non laedi regulam, si servata cereorum quantitate, minor sit intortitiorum numerus in pauperioribus Ecclesiis, quae nimis non sunt gravandae. Ad qualitatem personarum quod attinet, Sacerdotes scilicet, a quibus juxta Instructionem intortitia gestanda sunt, advertendum est, quod, si excipias Patriarchales, Collegiatas et Regularium Ecclesias, vix aliqua ex reliquis est, quae idoneum ad ea praestanda officia Clerum habeat. Extraneos hinc opus est accersire, nec semper ea in copia, quae necessaria est, haberi Sacerdotes possunt; hinc supplere necesse est ope Clericorum in iis, quae certum non requirunt ordinem. Propterea existimarem non laedi regulam, si servata forma et numero quatuor saltem Sacerdotes et totidem Clerici cum cottis mundis faces accensas gestantes proxime ante baldachinum incederent. Idem potiori jure dicendum de aliis Ecclesiis extra Urbem, ad quas Instructio non extenditur. Locorum consuetudines, dummodo laudabiles et rationabiles sint, servandae sunt; maxime vero, ubi Sacerdotes pauci sunt numero et qui adsunt vel Altari debent inservire vel aliis praeripiuntur officiis, quae nequeunt a Laicis praestari: quo in casu non ambigerem a Clericis cotta indutis vel in horum defectu a Laicis decenti habitu amictis, veluti est proprius alicujus Sodalitatis, posse faces deferri immediate ante Sacramentum.

8. Minime assentior *Cavalerio,* qui hanc limitationem nimis extendit, inquiens: „Idem esto judicium, quoties intortitia magni ponderis in majorem Sacramenti honorem deferuntur: haud enim convenit gravia onera subire Sacerdotes, qui et per canonicas sanctiones a laboriosis prohibentur operibus.“ Hujusmodi limitationis extensio generatim sumpta alicui videri fortasse poterit, tamquam exceptio regulae etiam quoad Urbis Ecclesias. Verum vel has simul comprehendat vel alias extra Urbem solummodo respiciat, certe locum habere nequit. Si adhibeantur magni ponderis intortitia, deferantur utique a laicis et si vis etiam a bajulis, sed hi suo loco incedant, digniorem Sacerdotibus vel Clericis minoris ponderis faces gestantibus relinquant et solum propius ad Sacramentum accedant, si tam Sacerdotes quam Clerici desint. Quamobrem unica ratio, qua iisdem liceat prope apud baldachinum incedere, est Ecclesiasticorum deficentia et non alia. Si *Cavalerii* opinio obtineret, graves et non ferendi orientur abusus: facile accideret, ut ad occupandum digniorem et nobiliorem locum supra Clerum, Sodalitatum Priores magni ponderis faces sibi compararent et in his gestandis incommodum superaret ambitio.

9. Sed et alia est quaestio de ordine et loco incedendi. Mirum profecto est, quod hujusmodi excitentur dubia, dum *Instructio* tam clara est, ut disputandi locum haud relinquere videatur. Perspicua sunt verba: *procederanno dalli lati avanti il baldacchino,* nihilominus, quia *in Caeremoniali Episcoporum* legitur: *in lateribus hinc inde ibunt octo Capellani etc.*, non defuere qui nuda verba aucupantes et negligentes contextum,

arbitrati sunt octo illos Sacerdotes non ante, sed hinc inde a lateribus baldachini incedere debere. Verumtamen *Instructio* aperte dicit: *avanti*, *et Caeremoniale Episcoporum*, etsi eamdem non adhibeat dictionem et solummodo formula utatur: *a lateribus hinc inde ibunt*, sequentibus tamen verbis declarat id, quod non satis erat expressum; immediate siquidem subdit: *et post eos* (Capellanos scilicet funalia deferentes) „duo Acolythi cum duobus thuribulis continuo Sanctissimum Sacramentum per viam thurificantes.“ Quî enim fieri potest, ut Acolythi Sacramentum continuo incensent, si locum occupare debent post deferentes intortitia hinc inde a lateribus baldachini? Sed quoniam necesse est, ut Acolythi incedant ante ipsum Sacramentum plane ad veritatem consequitur, Sacerdotes vel Clericos cum intortitiis, non hinc inde a lateribus Baldachini, sed hinc inde ante Acolythos agmen sequi debere: „non tamen propterea, *subdit Cavalerius ad hunc locum*, ego crederem Sacramentum post Baldachinum luminibus esse deserendum, sed quatenus uberior eorum numerus haberi non posset, duo ex praedictis octo post baldachinum magis laudarem distribui.“ Sed hujusmodi opinio arbitraria est et adversatur praxi ubique receptae, etiam in majoribus Ecclesiis, quae minoribus exemplo sunt. Nam post baldachinum magnis tantummodo Principibus et Praelatis conceditur intortitia deferre; nullibi vero aliis e Clero. Nec tanta est distantia deferentium intortitia, ut, quemadmodum putat *Cavalerius*, Sacramentum luminibus desertum censeatur.

10. Attamen, si huic incommodo consulendum sit, quod opus esse non censeo, remedium facile occurrit. *Sac. Rit. Congregatio*, quae cohaerenter *ad Rubricas* aliasque Ecclesiasticas leges et ubique receptas consuetudines, mandat, ne laici mixti incedant cum Clero, cui nobilior in Processionibus cedendus est locus, arcet Officiales Sodalitatum ab incessu ante baldachinum post Clerum, sed eis locum assignat a lateribus baldachini. Ita in *Nepesina 10. Maji 1608*, in *Nicien. 30. Januarii 1616* et novissime in *Senogallien. 5. Maji 1736* ad Dubium: „An liceat confratribus Ven. Societatis Sanctissimi Sacramenti Terrae Montis Novi incedere cum intortitiis post Clerum hinc inde et ante baldachinum in solemnitate Sanctissimi Corporis Christi, sive potius teneantur incedere a latere ejusdem baldachini?“ responsum fuit: *Negative ad primam partem, Affirmative quoad secundam.* Hinc ad scrupulum amovendum, ne prope Sacramentum luminaria desint, poterunt, si aliqua adsit Confraternitas, hinc inde cum intortitiis incedere ejusdem digniores Officiales; sin minus, non est ab Instructionis regula declinandum.

11. Quamquam, si ab Ecclesia discedendum sit et Sacramentum per plateam aut proximas vias circumferendum, nonnunquam periculum subest, ut exsufflante aere aut decidente imbre, lumina extinguantur: ne autem propterea debitus luminum honor Sacramento deficiat, provisum fuit *a S. M. Benedicto XIII. in Concilio Romano anni 1725 tit. 15. cap. 7*, ubi mandatur: „Ut quatuor saltem cum suis hastis lanternae . . . . . comparentur, et suis semper cum intus accensis candelis hinc inde circa Celebrantem, qui Sacramentum gestat, in posterum deferantur.“ Si hujusmodi adhibentur lanternae, quae necessitas, ut alii ad baldachini latera incedant cum accensis facibus? Dixi, si extra Ecclesiam circumferatur Sacramentum; nam si intra Ecclesiae ambitum Processio fiat, cessat ratio adhibendi lan-

ternas, cum nullum periculum immineat ventorum aut pluviae, unde lumina extinguantur.

12. Non hic immorabor in refellenda illorum opinione, qui censent octo illos Sacerdotes aut Clericos, utpote Sacramento proximiores, deferre debere intortitia manu intima scilicet versus Sacramentum, ita ut qui a dexteris sunt, illud gestent manu sinistra, qui vero a sinistris dextera deferant. Universalis contraria praxis satis est ad eam prorsus eliminandam. Etiamsi agatur de Viatico ad aegrotantes deferendo, faces gestandae sunt manu extima. Ita mandat Instructio jussu *Innocentii XII.* primum edita et iterum a *Clemente XIII.* confirmata *num. 28*, ubi legitur: „chi va a destra, porterà colla mano destra la torcia, chi a sinistra colla sinistra.“ Inani igitur hac praetermissa quaestione, illud potius non omittendum arbitror, quod in hac Processione sicut et in aliis, in quibus SSmum. Sacramentum defertur, omnes debent incedere detecto capite. *Rituale Romanum titul. de Processione in Festo Corporis Christi* §. *4.* claris verbis id jubet: *Omnes procedant nudo capite*, et S. R. Congregatio *in Castellanaten. 2. Aprilis 1667*: „*In Processione Corporis Christi* nulli *ex Clero licere procedere capite cooperto*“, edixit. Per hoc tamen non interdicitur Clericis delatio bireti, sed prohibetur usus: possunt quidem hi manu facula non impedita biretum gestare, imo debent, sed nequeunt capiti imponere. Nec licet usus Pileoli. *S. R. Congregatio in Aesina 23. Januarii 1700* ad Dubium: „An Canonici *parati* vel cum Cappa in Processionibus Sacratissimi Corporis Christi incedentes immediate ante baldachinum possint gestare pileolum?“ Respondit: *Negative*, quod extenditur ad omnes, etiamsi longius distent; non enim a propinquitate petenda ratio est, sed a cultu, qui Sacramento debetur, ad quod honorandum Supplicatio instituitur. Nec valet ratio per eos adducenda, qui ad tuendam valetudinem facultatem habent utendi pileolo, etiam in Sacro faciendo; nam hujusmodi privilegia expressam habent conditionem, quod nequeat adhiberi ab initio Canonis usque ad peractam Communionem. Quae conditio cum apponatar ob reverentiam Sacramenti, sponte consequitur, eamdem ob identitatem rationis sibi vindicare locum in hujusmodi Processionibus, tum palam exposito Sacramento, quia, vel in Missa vel in Processione vel patente Sacramento in throno, ei debetur idem, qui semper, latriae Cultus, sed externis significationibus distinctus.

13. Aliqua adhuc supersunt in hac sanctione notanda. *Primum* respicit Acolythus, *quali per la strada incenseranno continuamente il Santissimo. Alterum* circa nolarum sonitum versatur. Itaque, de primo ut loquar, Acolythi, ut supra notatum est, incedere *debent immediate ante et prope baldachinum et per viam incedentes, continuo incensare Sacramentum: quoties autem thuribula, deficiente alimento, non amplius fumigant, eorumdem Acolythorum erit novum thus in illa imponere. Sed qui erit thurificandi modus?* „Duobus modis, *inquit* Gavantus part. 4. tit. 8. num. 9. litt. *q*, fieri potest, primum, si Acolythi alternatim incensent, ut fit in incensatione personarum. Secundo, si hinc inde procedant, moventibus manibus dexteris thuribula de iisdem pendere et fumigantia . . . . quasi sternendo viam cum odore incensi. Verum primus modus in praxi non obtinet, nisi apud Regulares quosdam et signanter Clericos regulares, quos Theatinos dicimus, plurimum namque habet incommodi, multum periculi et forte etiam

minus decens videtur, tum quia recta incedere nequirent Thuriferarji, si facie ad Sacramentum conversa, illud incensare tenerentur; tum etiam quia hoc modo non incensatur Sacramentum, nisi a Sacerdotibus genuflexis, si excipias incensationem ad elevationem Missae solemnis, quae fit a genuflexo Thuriferario, quia Sacri Ministri aliis muneribus sunt impediti, veluti *ibidem* notat *Gavantus;* adstipulantur *Cavalerius ad hunc locum, Baruffaldus loc. cit. num. 40.* aliique. Secundus modus ille est, quem universalis comprobat Ecclesiarum usus. Sed in hoc errat *Gavantus*, dum dicit utrumque Acolythum dextera manu agitare debere thuribula. Cum enim hinc inde incedant et versus Sacramentum tractis longioribus ea movere teneantur, decet non solum, sed omnino oportet, ut qui est a latere dextero, manu sinistra, et qui est a sinistra, dextera manu thuribulorum tractus producant.

14. Hinc patet inanem esse quaestionem illam, quam promovet *Quarti de Processionibus sect. 3. num. 13. in sextam circumstantiam:* an scilicet Thuriferarii debeant incensare vel suffumigare pavimentum, sternendo viam in hac Processione? Et post allatas hinc inde rationes, relinquit resolutionem arbitrio dirigentis Processionem; ipse tamen propensus videtur in modum sternendi viam cum thuribulis effumantibus, ratione viarum, quae, cum profanae sint, indigent expiatione. Inanem quaestionem hanc jure dixi, quia thuribula adhibentur in honorem Sacramenti et si Processio fiat tantummodo in Ecclesia, profanae viae non sunt calcandae; in praxi vero utrumque necessario fit: „Dum enim, *ut notat Baruffaldus loc. cit.*, Thuriferarius vibrat Eucharistiae incensationem, si thuribulum retrahere vult, necesse est, ut alia vibratione incensetur via.“ Ac tandem omne aufert dubium nostra Instructio jubens: *due Acoliti . . . . incenseranno continuamente il Santissimo:* non dicit *viam*, sed *Sacramentum.*

15. Breviter de altero. Jubet Instructio: *e durante la Processione si suoneranno le Campane solennemente. Si festivus campanarum sonitus praecedere debet expositionem SSmi. Sacramenti proximae celebritatis praenuntium, multo magis id fieri oportet, dum, supplici devoto agmine instructo, solemniter circumfertur.* Hujusmodi autem festiva pulsatio nedum vergit in honorem Sacramenti, sed etiam admonet Fideles, ut se prosternant ad illud adorandum et ad alios actus Religionis et Cultus promendum. Neque una tantum Ecclesia, in qua fit Processio, ad id tenetur; sed etiam aliae, prope quas devota progeditur Supplicatio, quatenus ab Ecclesia exeundum sit. Et quamvis hoc non praecipiat Instructio, quae, ut *in sequenti* §. videbimus, Processionem limitat ad Ecclesiam vel proximae plateae ambitum, ita tamen fieri oportere, dum Sacramentum circumfertur, si prope sint Ecclesiae vel Monasteria, recenti Decreto declaratum fuit in *una Urbis 10. Martii 1787.* Proposito namque Dubio: „An in Festis solemnioribus anni aut occasione particularis Jubilaei et Indulgentiae, quibus temporibus a Parochis maximo apparatu et pompa defertur SSmum. Eucharistiae Sacramentum Infirmis, omnes Ecclesiae sive Saecularium sive Regularium sive Monialium, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, teneantur ac debeant pulsare campanas, dum praefatum SSmum. Sacramentum tam in eundo quam in redeundo transit non solum ante portas majores et laterales earumdem Ecclesiarum, *verum etiam quando transit*

ante januam Domus, Conventus, Monasterii, Aedis Parochialis et Capitularis, quae respectivis Ecclesiis sit adnexa?" Responsum fuit: *Affirmative, et Decretum typis imprimatur*, cum par sit ratio quoad Processiones, de quibus est sermo, et alias quascumque, dum Sacramentum circumfertur, in his etiam servanda est praefati Decreti dispositio.

16. Ne quid praeteriisse videamur, breviter notandum est, quod isthaec Processio ita est ordinanda, ut regulariter incipiat a parte Evangelii et progrediatur ad latus Epistolae, si intra Ecclesiam fiat: si per atrium proximamque plateam recta procedat usque ad januam, pergat inde ad dexteram et per sinistram ad januam revertatur. Errat *Meratus*, qui ad *Rubr. Missal. part. 2. tit. 14. num. 4.* primum incedere facit deferentem Crucem cum Ceroferariis, deinde Confratres, mox Clerum. Nam, ut supra monuimus, primum incedere debent Laici vel habitu ordinario vel proprio alicujus Sodalitatis amicti, quos sequitur Crucifer cum Acolythis candelabra gestantibus et universus Clerus, ne ullo modo Laici cum Clericis misceantur, ut saepius *Sac. Rit. Congregatio* declaravit.

17. Quae in hac sanctione *et sequentibus* §§. *de Processione* praecipiuntur diffusius illustrare nobis proposuimus, quia de ritibus agitur nedum in Urbe et in una tantum Processione instruenda pro Oratione quadraginta horarum servandis, verum etiam in aliis quibuscumque catholici Orbis Ecclesiis et in omnibus Processionibus, quae fiunt cum SSmo. Sacramento, etsi solemnissimis, quae instrui solent et etiam debent in majoribus Ecclesiis recurrente quotannis Festivitate SSmi. Corporis Christi et sequenti Octiduo. Quamobrem, quae hic collecta sunt, prodesse poterunt Ecclesiarum Rectoribus et caeremoniarum Magistris, ut caeremonia et ritus, qui in hisce Processionibus tenendi sunt, uno veluti intuitu colligant et, quae vitanda sunt, facile agnoscant.

§. XXI.

»La Processione si farà dentro la »Chiesa, o al più per la piazza, quando »l' angustia della Chiesa ne porti la »necessità, e quando esca di Chiesa, »si farà ben pulire la strada della »piazza, dove, se vi sarà qualche bot»tega, dovrà tenersi chiusa durante la »Processione.«

1. Si verba hujus sanctionis attente considerentur, patebit, quae fuerit ejusdem auctoris mens. *Regula est, quod Processio per Ecclesiae ambitum fiat,* et sola necessitas limitationi dat causam, si Ecclesiae angustia talis sit, ut quodammodo cogat ampliare viam, per quam circumferatur Sacramentum extra januae limites. Quamobrem, si late pateat Ecclesiae ambitus, ut sine confusione et tumultu possit Processio per eam circumduci et populus, etsi frequentissimus, eam sequi commode valeat, haud fas erit, sine legis laesione extra Ecclesiam eam ducere. Religiose id servatur in Patriarchalibus et nonnullis majoribus Urbis Ecclesiis. Hujusmodi namque Processio, cum solummodo fiat ad reportandum SSmum. Sacramentum ad Altare ejusdem Ecclesiae, in quo vel exponi debet vel, impertita benedictione, reponi, haud opus est, eamdem per vias extendi, sed satis est, si per Ecclesiae ambitum peragatur ad formam illius Processionis, quae fit *Feria V. in Coena Domini et Feria VI. in Parasceve*, quae, non absimili ex causa, extra Ecclesiam protrahi non debet. Verumtamen hanc, de qua agimus, extendi etiam posse credimus

ad atrium, quo plerumque non carent Basilicae, quamvis sola Ecclesia sit capax continendi populum confluentem.

2. Verum si Ecclesia sit nimis angusta, nec proinde *possit sine confusione per eam Processio circumduci, licet ultra progredi eamque peragere extra per plateam.* Addit *Cavalerius* ad hunc locum: „Idipsum erit, si Ecclesia sit quidem ampla, sed intervenientium admodum frequens numerus.“ Nec ego dissentiam; finis namque Instructionis, quae limitat legem, est, ne confusio fiat et tumultus, qui semper sed maxime in sacris actionibus est vitandus. Sed id accideret in Ecclesiis etsi amplis, si nimia esset frequentia confluentis populi, ad quem dirigendum et ordinandum longe major extensio necessaria foret. Quoniam vero non ante omnes Ecclesias late undique extenditur platea, per cujus ambitum circumducatur Processio, non absonum videtur, imo consonum fini intento ab Instructione apparet, si ad proximas extendatur vias circum Ecclesias, quantum sufficit ad confusionem et tumultum vitandum. Honestas vero et reverentia debita Sacramento exigit jure suo, ut, quatenus Processio ultra Ecclesiae fores extendatur, nihil profanum, nihil indecens occurrat, nihil omnino, quod confluenti populo distractionis occasionem praebeat, quocirca merito jubet Instructio, ut, si quae sunt Officinae et Artificum diversoria, quae usitato vocabulo *Apothecas* dicimus, in transitu Processionis claudantur.

3. Alterum praeterea mandat, ut viae mundentur, *quando esca dalla Chiesa, si farà ben pulire la strada della piazza.* Nec tamen necesse est domorum parietes aulaeis, sericis pannis, pictisve telis vestiri; satis erit, si virentibus arborum foliis sternatur semita, per quam incedendum est. Mundities requiritur, non extraordinarius ornatus. Non enim ad hanc Processionem, quae est quid accessorium in praeparationem solemnis expositionis, trahi debet dispositio Caeremonialis Episcoporum *lib. 2. cap. 33. num. 2,* nempe: „ut viae, per quas Processio transire debebit, mundentur et ornentur aulaeis, pannis, picturis, floribus frondibusque virentibus, secundum posse et qualitatem loci.“ Haec autem (praeter id, quod spectat viarum munditiem et commune est omnibus Processionibus) reservantur Processioni omnium solemnissimae, quae fit in Festivitate SSmi. Corporis Christi et per sequens Octiduum.

4. Satis quoad hanc Instructionis sanctionem. Sed quoniam nostri Instituti est nedum persequi ea, quae ad expositiones pertinent quadraginta horarum sacrasque actiones, quae ad eam referuntur, verum etiam ea simul attingere, quae, licet ad eas non sint ordinata, aliquam tamen relationem habent, ut hoc opus nostrum inservire valeat pro aliis Expositionibus et Processionibus, quae cum Sacramento fiunt, operae pretium esse ducimus, aliqua subnectere S. R. C. Decreta, quae praecipue versantur circa ea, quae vitanda sunt in solemnibus Processionibus cum Sacramento, quae plurimam relationem habent ad *Caeremoniale Episcoporum.*

5. Opportune notat *Catalanus* ad supra laudatum *Caeremonialis* locum, ut si quae ad ornatum apponantur per viarum tractum picturae, *hae nonnisi Sacra et religiosa exhibeant, profanum nihil, ac praeterea omnia honesta, casta et munda sint, ita ut per integrum viarum ambitum nihil prorsus sordidi, profani, ludrici, indecorique appareat.* „Cavendum maxime, *inquit*, ne in hac Processione actus scaenici vel ludrici et indecori admisceantur.“ Propterea S. R. Congregatio *in Hispalen. sub die 12. Fe-*

bruarii 1690 proposito Dubio: „An possit et debeat Archiepiscopus prohibere, ne in Festivitate et Octava Corporis Christi fiant in Ecclesia Cathedrali saltus seu danzae a mulieribus et viris personatis pileis coopertis ante Sanctissimum Sacramentum, non obstante consuetudine introducta", respondit: *Posse* et *debere*. Quae enim Religionem laedunt, nulla ratione, praetextu aut longaeva immemoriali consuetudine praescribi possunt.

6. Sed eadem Sacra Congregatio morem omnino absolendum jussit introductum: „associandi Processiones, quae fiunt in Urbe infra hebdomadam SS. Corporis Christi per pueros utriusque sexus repraesentantes Sanctorum Martyria et Mysteria: die 5. Martii 1667 et in Mediolanen die 5. Novembris ejusdem anni 1667 *ad Dubium:* „An in Processionibus SSmi. Sacramenti in die solemnitatis SSmi. Corporis Christi ejusque Octava, tum aliarum Confraternitatum etc. permittendum sit, ut Pueri Puellaeque nedum septennio minores, sed Virgines ultra vigesimum annum magno cum scandalo Sanctos Sanctasque eorumque vitas, miracula et mortes repraesentantes cum insigniis eorumdem Sanctorum induant et incedant", eadem S. C. respondit: *Prohiberi.* Potiori jure haec et similia ab hujusmodi Processionibus arcenda sunt; quandoquidem eadem S. C. nec permittendum censuit, *quod deferantur in iisdem instrumenta Passionis.* Hinc in *Veneta 17. Junii 1684* proposito Dubio: „An in solemni Processione SSmi. Sacramenti Eucharistiae tam in die SSmi. Corporis Christi, quam in majori hebdomada deferre liceat instrumenta SSmae. Passionis Salvatoris Nostri Jesu Christi, scilicet fragmentum SSmae. Crucis et Spinas etc.", respondit: *Negative.*

7. *Abusus est non ferendus,* quod in solemnitate SSmi. Corporis Christi Sacerdos Sacramentum processionaliter deferens *non utatur pluviali,* etiamsi agatur de aliquo Regulari Instituto, quod profitentes eo nequeunt uti; nam hi etiam in eadem solemnitate et per Octiduum debent in Processione pluviale adhibere, ideo in una *Congregationis Montis Coronae* ad Dubium: „An liceat non habentibus usum pluvialis in die et infra Octavam Corporis Christi peragere Processionem cum SSmo. Sacramento et illud sine pluviali exponere?" S. C. sub die 22. *Januarii 1701* respondit: „Negative quoad primam partem et quoad secundam non posse cogi, id est in expositione SSmi. Sacramenti. *Excitatum idem dubium* in una Ordinis Minorum excalceatorum S. Francisci Provinciae S. Didaci Hispalen. *Sac. eadem Congregatio respondit:* Dandum et servandum esse Decretum emanatum pro Congregatione Montis Coronae die *15. Maji 1756.*" Quod autem non licet iis, qui ex Instituto pluvialis usum non habent, multo minus licebit Clericis Saecularibus, prout declaravit eadem Sac. Congregatio *in una Salutiarum die 18. Decembris 1784.*

8. Nedum vero in hac Processione a Celebrante assumendum est pluviale, *sed laudabile etiam, quod Ecclesiastici interessentes, sacris vestibus amicti, supplex agmen instruant.* Quoad Dignitates et Canonicos Cathedralium id servandum omnino est, attenta *Caeremonialis Rubrica lib. 2. cap. 33. num. 5,* a qua recedere nec licet, etiam vacante sede aut absente Episcopo; veluti declaratum fuit a S. R. C. *in Cajetana 27. Martii 1628 et in Asculana 15. Julii 1634.* Nulla lex est quoad alias Ecclesias, sed non reprobanda, imo potius commendanda est consuetudo, ubi haec fit Processio, ut Ecclesiastici viri casulas et dalmaticas, Ordini, quo insigniti sunt, convenientes assumant, quod probatum

video ab eadem S. R. C. *die 20. Maji 1741 in Nucerina Paganorum.* In his autem Processionibus non ferendus abusus irrepsit (utinam vero etiam in aliqua Cathedrali irrepsisset!) ut seligantur pro Ecclesiasticorum comitatu paramenta, quae magis praetiosa sunt, nulla habita ratione coloris solemnitati convenientis. Saepe quippe vidimus in tanta celebritate Mysterii casulas et dalmaticas adhiberi rubei coloris, quia auro plurimo argentoque contextas et paramenta coloris albi non habebantur aeque pretiosa. Id est prorsus indignum et, si Ecclesiasticarum Legum spretum non secumfert, crassam tamen ignorantiam demonstrat. Caeremoniale Episcoporum *loc. cit.* Sacras Vestes exigit albi coloris; sed, etiamsi haec deesset Rubrica, legem dat qualitas solemnitatis, cui unus convenit color albus. Alba igitur sint talia indumenta, dummodo munda et decentia, licet nec auro argentoque contexta aut phrygio opere elaborata.

9. Sed et alium *abusum* damnavit eadem *S. R. Congregatio in Hispalen. sub die 21. Januarii 1690 deferendi in Processione SSmi. Corporis Christi sellas seu scabella, in quibus assideant Celebrans et Ministri Sacri,* dum religiosum agmen consistit. Dubium hoc erat: „An celebrante Archiepiscopo seu solum assistente vel etiam ipso absente, liceat Subdiacono associanti Crucem Capituli nec non Sacerdoti celebranti ac Diacono et Subdiacono ipsi assistentibus in Processione SSmi. Corporis Christi adducere facere post se scabella seu sedes ornatas brachiis, quas imperiales vocant, in quibus, quando Processio detinetur, solent assidere. Et responsum fuit: *Negative* etiamsi deferantur ad ornatum tantum.“ Reproposita causa *die 22. Januarii 1695* Sacra Congregatio stetit in *decisis* et addidit: „Insinuandum etiam Archiepiscopo, ut ob reverentiam ipse quoque abstineat.“

10. In omnibus vero Processionibus cum Venerabili Sacramento, non aliter licet istud deferre, *nisi manibus Sacerdotis*, non obstante qualibet consuetudine in contrarium. Ita in *Syracusana Modicae sub die 2. Junii 1618* Sacra Congregatio edixit proposito Dubio respondens: „Servandam esse dispositionem Libri caeremonialis, ut scilicet SSmum. Sacramentum a Celebrante propriis manibus deferatur, non obstante quavis contraria consuetudine, quam abusum declaravit“, et etiam expressius *sub die 24. Julii 1638.* Nam rogata Sac. Congregatio super intelligentia Decreti, proposito Dubio: „An praedictum SSmum. Sacramentum sit deferendum manibus tantum unius, an vero plurium Sacerdotum in Terra Miniae, in qua viget etiam hodie consuetudo, quod deferatur humeris quatuor Sacerdotum? *respondit:* SSmum. Eucharistiae Sacramentum non Sacerdotum humeris, sed manibus dumtaxat illius, qui solemniter celebravit in dicta solemnitate deferendum esse.“ Nec aliter responderat *sub die 2. Augusti 1631* declarando consuetudinem illam *abusum omnino tollendum.* Videri etiam potest novissimum Decretum *in Brugnaten. die 14. Martii 1803.* Porro Celebrans, etsi Episcopus, pedibus incedens deferre Sacramentum decet, *et notorium est nunquam licuisse nec licere ei uti sede portatili,* ut respondit eadem Sac. Congregatio *in Meliten. 18. Januarii 1653.* Quod si non licet humeris Sacerdotum circumferre Sacramentum in quadam machina collocatum, multo minus ferendum est, quod *Feria VI. in Parasceve* deferatur vel in quadam bara per quatuor Sacerdotes vel ab uno in quadam capsula ad modum tumuli formata. Idcirco utrumque omnino vetuit, ut abusum intolerabilem eadem

Sacra Congregatio *in Novarien. die 16. Februarii 1630, in Corcyren. 16. Martii 1632 et in Brixien. die 4. Februarii 1640.*

11. Altera se offert quaestio, videlicet: Num Dignitates et Canonici, qui ex privilegio habent usum Pontificalium, *in solemni Processione Corporis Christi possint Mitra caput operire* vel potius teneantur manu eamdem gestare? Quid juris sit inquirere non est opus, postquam S. R. C., aperto capite incedendum esse semel et iterum decrevit contrariamque consuetudinem etsi immemorabilem, tamquam abusum non ferendum et omnino eliminandum declaravit. Canonici Anysciensis Ecclesiae, qui ab immemorabili in hac Processione Mitram in capite deferre consueverant, dubitantes postea, num talis consuetudo retinenda tuto esset, Dubium exposuerunt Sacr. Congregationi, Eam rogantes, ut *id eis licere benigne declarare dignaretur;* et eadem S. Congregatio, nulla habita ratione immemorabili, absolute respondit: *Non posse,* ac insuper addidit: *et abusum esse tollendum.* Ita *die 13. 1682* et in *Urbanaten. sub die 29. Januarii 1752* ad Dubium: „An dictae Dignitates et Canonici (Pontificalium privilegio ditati) in Processionibus SSmi. Corporis Christi incedere possint, capite Mitra cooperto?“ responsum fuit: *Negative et amplius.* Patet igitur a Dignitatibus et Canonicis Pontificalium usum habentibus Mitram manu esse gestandam, ut ab aliis fit quoad biretum. Cum autem praefata Decreta satis sint clara, nec dubitandi aut interpretandi locum relinquant, otiosum esset scrutari, num Mitra semper haberi debeat tamquam sacrum Pontificale indumentum et non potius quandoque ut distinctivum et honorificum capitis ornamentum? Esto, quod Mitra sacris vestibus adnumeretur quoad Episcopos et alios, qui a jure habent Pontificalium usum; quamobrem peculiaris habetur benedictio Mitrae in Pontificali Romano et peculiaris item monitio, dum capiti imponitur: quoad Canonicos tamen et Dignitates, quibus ex privilegio datus est Mitrae usus loco bireti, haud haec videtur Pontificalibus vestibus adnumeranda, cum nulla adhibeatur vel sit pro eadem in libris ritualibus peculiaris benedictio; sed potius habenda tamquam simplex nudumque honorificum ornamentum ad operiendum caput, dum licet, vice bireti. Atqui interessentes Processioni Corporis Christi nequeunt biretum capiti imponere; ita etiam nec Mitram, qui ex privilegio habent ejusdem usum. Pluribus id possem demonstrare, si mei instituti ratio id pateretur. De Mitra si quis plura velit, consulere poterit: „Card. Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 24. §. 14. et Robertum Sala *ad hunc locum* Catalanum in Proleg. ad Pontifical. c. XIX., Dominicum Giorgi de Liturgia Romani Pontificis lib. 1. c. 26., Macri in Hierolexico et Du-Cangium in Glossario verbo *Mitra.*“

12. Quaeri modo posset: num in solemnissima Processione SSmi. Corporis Christi liceat pausare per viam, in aliquo *erecto Altari Sacramentum deponere et toties quoties Altaria occurrunt* et pausatio fit, priusquam reassumatur Processio, *benedictionem populo impertiri?* Quod in aliqua Ecclesia vel Altari in via erecto possit tantisper Sacramentum deponi, nemini dubium, *dummodo tamen non saepe fiat.* Ita disponit *Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 33. num. 22:* „Si longior fuerit *Processio,* poterit Episcopus in aliqua Ecclesia et super illius Altare deponere SSmum. Sacramentum et aliquantulum quiescere, et ibidem, antequam discedat, thurificare SSmum. Sacramentum et orationem de Sacramento cantare; quod tamen non passim in singulis Ecclesiis vel ad

singula Altaria, quae forsitan per viam constructa et ornata reperiantur, faciendum est, sed semel tantum vel iterum arbitrio Episcopi," quod pariter fieri potest, si Sacramentum deferatur a simplici Sacerdote. Nam Sac. Rit. Congregatio rogata *in Albinganen. sub die 10. Julii 1677:* „An in die solemnitatis et octava Corporis Christi possint Parochi saeculares et regulares deferentes SSmi. Sacramentum processionaliter deponere idem Sacramentum in aliqua Ecclesia, seu super Altare fieri solitum per vias ad instar Episcoporum?" respondit: *Posse.*

13. At in eo residet difficultas: num, priusquam reassumatur Processio, impertiri debeat benedictio populo? *Negative* respondendum esse suadet praefata *Caeremonialis* regula, quae deponi permittens Sacramentum in aliquo Altari, ut tantisper quiescat viresque reassumat Episcopus vel Sacerdos; nil prorsus habet de benedictione. Non inficior, argumentum hoc negativum esse, verum positivum evadit, postquam Sac Rit. Congregatio regulam declaravit. Siquidem, exorto Dubio: „An in Processionibus, in quibus per ipsas (Dignitates Cathedralis) defertur SS. Sacramentum, dum contingit illud poni super Altaribus, quae eriguntur per viam, spectet dare populo benedictionem ante eadem Altaria Parochis vel Regularibus ea erigentibus, an potius ipsismet Dignitatibus?" Respondit non directe ad dubium, sed declaravit: „In hoc servanda esse Caeremonialis praescripta et semel tantum elargiendam esse populo benedictionem in fine Processionis." Ita in *Monopolitana die 11. Maji 1652.* Quamquam vero haec regula sit, paulatim tamen contrarius mos invaluit, qui universalis evasit et modo si occurrunt Altaria per viam vel pausatio fiat in aliqua Ecclesia, priusquam reassumatur Processio, Celebrans benedictionem cum Sacramento impertiri solet. Absit, ut morem hunc a Praesidibus non improbatum sugillem; *duo* tamen advertenda esse reor. *Primum:* ut saltem servetur regula Caeremonialis, quod non quoties Ecclesiae vel Altaria occurrant, pausatio fiat, sed tantum semel et iterum. *Secundum:* quod si per viam extruantur Altaria, ea sint decenter ornata et maxime opportunum foret, ut aliquis probus caeremoniarum peritus in id auctoritate Praesidum invigilaret.

14. Et revera ipsa Sac. Rit. Congregatio inductum morem approbasse videtur, si in *Imolen. die 16. Maji 1744* ad dubium: „An liceat eisdem Patribus (Carmelitis in Processione Corporis Christi) ingredi Ecclesiam Monialium S. Stephani et ibidem benedictionem impertiri eisdem Monialibus et deinde populo? *Respondit:* Licere Patribus Carmelitis ingredi Ecclesiam Monialium, accedente consensu Episcopi, ibique impertiendam esse unicam benedictionem Monialibus." Atque obiter notandum, Sacram Congregationem hujusmodi responso damnasse abusum in aliquibus Monialium Ecclesiis inductum, elargiendi duplicem benedictionem, primum versus Moniales, dein versus populum, quod tamen expressius fecit generali. Decreto in una *Urbis et Orbis die 18. Decembris 1774* sed de hoc infra.

15. Ex quibus aliisque Decretis, quae loco magis opportuno indicabimus, patet, removenda ab hujusmodi Processionibus, tum quae sacris ritibus, Ecclesiae regulis receptisque moribus adversantur, tum quae curiositatem potius excitant, quam devotionem foveant, tum ea potissimum, quae sacrae illius actionis sunt prorsus indigna. Optandum sane, ut Processiones omnes, in quibus defertur Sacramentum, ac praesertim illa solemnissima, in qua recolitur memoria

passionis ejus, qui pridie quam pateretur tantum Sacramentum instituens magnum sui amoris pignus nobis reliquit, ita peragerentur, ut omnes concordi religionis affectu ad illud speciali cultu adorandum convenientes nullam in externae pompae apparatu occasionem distractionis invenirent, nihil, quod ad Ecclesiae leges non sit compositum! Obtineri id poterit, si cuncta ad probatos receptosque ritus conformentur et Ecclesiastici Praesules soliciti sint, ne inducantur abusus et si qui irrepserunt, continuo removeantur.

§. XXII.

»Se vi saranno istituite Confrater»nite di Secolari, o siano vestiti di »sacco, o nò, tanto li Guardiani, ed »Officiali di esse, quanto li Confrati »anderanno unitamente in corpo avanti »il Clero secolare, o regolare, che »vi sarà, al quale dovranno sempre »cedere il luogo più degno: di più »espressamente si comanda, che li »Guardiani, o altri Officiali di essa non »ardiscano, sotto qualsivoglia pretesto »di consuetudine, o altro, di andare »dopo il baldacchino sotto la pena di »venticinque scudi a ciaschedun Fra»tello, Guardiano, o Officiale della »Confraternita, il quale contravenisse »alla presente disposizione, in confor»mità dell' editto pubblicato l' anno »1689, qual pena di scudi venticinque »si dovrà applicare alla medesima »Confraternita, se sarà povera, o al »Monte del SSmo. Viatico a nostro ar»bitrio. Monsig. Primicerio però dovrà »andare dopo il baldacchino vestito »senza sacco coll' abito suo prelatizio, »e col rocchetto, che n' avrà l' uso. »Possono bensì li detti Officiali portar »l' aste del baldacchino, officio molto »decoroso, per il quale dice il Cere»moniale de' Vescovi lib. 2. cap. 33. »Deputentur noblies Viri, Barones etc.«

1. Nedum Clerus Ecclesiae, in qua fit expositio, adscriptus vel adscititius Processioni debet interesse, *verum etiam, si quae in eadem vel infra ejus limites erectae sunt laicorum Sodalitates*, quod praesertim de iis est, quae sub Sacramenti titulo militant et ideo sunt institutae, ut Parochiis in delatione SSmi. Sacramenti ad infirmos et publicis Processionibus inserviant. Hoc autem intercedit discrimen, quod Clerus omnino tenetur in eo saltem numero, quem Instructio praescribit: Sodalitates vero non aeque omnes ad hanc interessentiam coguntur, ut patet ex diversis dicendi formulis, quibus utitur Instructio. Non enim omnes eodem modo servitium praestare debent Parochiis et Ecclesiis majoribus, sed et nonnullae sunt, quae salvis juribus parochialibus, praeeminentiis et subjectionibus, quae enumerantur in *generali Decreto anni 1703*, in reliquis sunt prorsus independentes. Idcirco ita intelligendam Instructionem puto, ut eas Sodalitates respiciat, quae vel in eadem Ecclesia erectae sunt, vel etsi habeant Oratorium separatum, eidem sunt peculiariter adscriptae ejusdemque servitio addictae; et has crederem eximi non posse ab interventu; quoad alias vero in facultate relinqui. Hanc distinctionem comprobat praxis universaliter recepta. Notandum tamen quoad Sodalitates non subjectas, quod si interesse cupiant, non aliter poterunt, nisi obtento consensu ab Ecclesiarum Praesidibus et sub iis legibus, quas iidem Praesides imponere necessarium aut aequum duxerint.

2. Quatenus vero aliqua intersit Sodalitas, *haec ante Clerum saecularem incedere debebit* et huic digniorem ac nobiliorem locum relinquere: ejusdem sodales non confuse procedant, sed ordinate, *unitamente in corpo*. De ordine in Processionibus servando inter Confraternitates, Re-

gulares et Clerum saecularem, clara est lex *Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 33. num. 3. et 5.* et S. R. C. *in Massanen. 7. Augusti 1621* edixit: Servandam esse dispositionem Caeremonialis Episcoporum, ut nempe in Processionibus ante Regulares incedant Confraternitates Laicorum, quos sequantur iidem Regulares, postremo digniorem locum obtineat Clerus saecularis. Absit, quod Officiales, quos Guardianos et Priores vocant, *indebitum sibi usurpent locum post baldachinum vel immediate ante post Clerum.* Id eis omnino interdicitur, non obstante quacumque consuetudine, quae abusus est et corruptela omnino abolenda: possunt tamen ad baldachini latera cum intortitiis hinc inde incedere, quemadmodum supra opportune notatum est. Soli Primicerio datum est, sacram actionem sequi post baldachinum, dummodo tamen habitu Praelatitio indutus sit. Haec exceptio favore Primicerii conformis est dispositioni *Caeremonialis Episcoporum laud. cap. 33.* ubi eos inter, qui locum habere possunt post baldachinum adnumerantur Praelati, qui (nisi aliqua dignitate fulgeant vel Episcopo superiores sint, quibus convenit usus Cappae) in habitu Praelatitio ordinario debent incedere. Verumtamen si Primicerius, etsi Praelatus non praelatitia veste indutus, sed propria Sodalitatis, quem Saccum dicunt, interesse velit, privilegium amittit et digniorem locum inter sodales, quibus praeest, occupabit. Clara est enim tam Caeremonialis dispositio, quam Instructionis regula, quae habitum Praelatitium requirunt.

3. Id autem peculiare habet sanctio isthaec, quod ad hanc Processionem admittit tam Sodalitates illas, quae proprium habent habitum, quo ab aliis distinguuntur, unumque corpus componunt, quam alias, quibus sodales intersunt ordinario decenti habitu induti. Ita dum solemnis expositio quadraginta horarum fit triduo Quinquagesimae in Templo Farnesiano ab Augustissimo nominis Jesu titulo nuncupato, pia Nobilium Societas ibi erecta, quae sumptus facit, Processionem instruit, quin tamen habitu distinguatur, sed Ecclesiastici talarem induunt vestem, Laici vero in proprio ac decenti, qui eis convenit, habitu incedunt, omnesque simul unum corpus unitim constituunt, proprium in Processione occupant locum, nec cum aliis de populo confunduntur. Quamquam vero haec regula quoad Urbem servanda sit, eamdem etiam ad alias Ecclesias extendi posse jure existimo, tum quia laudabile est, quod Instructio ubique vim saltem directivam obtineat, tum quia dignum est, ut major sit illorum copia, qui ad honorandum Sacramentum conveniunt. Cavendum tamen est, ut, si alicubi aliqua adsit Sodalitas, quae peculiari veste non distinguatur, omnes Confratres, juxta locorum et personarum conditionem, decenti habitu induti intersint, ne, dum actum religionis et cultus exercent, aliis praebeant occasionem distractionis et risus.

4. Advertendum praeterea est, quod, ubi plures Sodalitates conveniunt, circa praecedentiam servari debet *Constitutio S. M. Gregorii XIII.*, quae praediligit illos, qui prius vestes, quas Saccos dicunt, adoptarunt. Quaedam tamen privilegia supra alias in omnibus Processionibus, quae fiunt cum Sacramento, conceduntur Sodalitatibus illis, quae sub eo titulo sunt institutae. Quod si aliqua intersit Societas sine saccis, sed in habitu ordinario, haec nec Crucem deferre potest, nec ullam praecedentiam habere supra alias, veluti eadem Sac. Congregatio declaravit *in Bononien. die 9. Decembris 1617.* In Processione, de qua agimus, difficile est, ut plures Sodalitates con-

veniant; verum frequenter accidit in solemnissimis, quae fiunt in Festo SSmi. Corporis Christi et per Octavam; idcirco bene est, ut ad quaestiones, quae non raro insurgunt, amputandas, in promptu sint quae indicavimus Decreta.

5. Equidem *P. Merati part. 4. tit. 12. n. 13.* ad Rubricas *Missalis* Sodalitatibus, quae proprium non habent habitum, quae distinguantur, nec locum assignat, sed cum populo confundit: „Primo procedant Confraternitates Laicorum, si adsint, et si utantur proprio et particulari habitu Confraternitatis, alias enim nullum habere debent locum particularem.“ Ibi *Meratus* loquitur de solemni Processione, quae fit in Festo SSmi. Corporis Christi. Celebritas Solemnitatis et magna pompa, qua circumducitur Supplicatio, in causa forte sunt, cur ipse opinaret non alios locum distinctum sibi vindicare praeter illos, qui nedum unum corpus efficiunt, sed etiam uniformi poenitentiae habitu a caeteris discriminantur. Haec tamen regula, quatenus generatim admittenda foret, trahi nequit ad Processiones minus solemnes et signanter ad eam, de qua agimus, dum nostra Instructio, secus disponendo, unitim Confratres incedere jubet vel peculiari utantur habitu vel ordinario. Quamquam si meum, quicumque sit, sensum promere libet, crederem posse regulam Instructionis extendi etiam ad solemnes Processiones Corporis Christi, dummodo tamen, qui ordinario habitu utuntur, locum cedant Confraternitatibus, quae peculiarem habent et proprium, devote ac decenter incedant, et non utantur Vexillo seu Cruce cum vel sine velo appenso, ut Sac. Rit. Congregatio edixit *in Decreto supralaudato.* Equidem pia Nobilium Sodalitas, quae in Farnesiano Templo erecta est, tametsi peculiari habitu non distinguatur, nihilominus erigit Crucem. Verum aut privilegio id est referendum vel longaevae consuetudini, quae, dum laudabilis et rationabilis est, vim legis obtinet, sed contra regulam nequit in exemplum afferri.

6. Jubet Instructio, ut supra vidimus, ne Sodalitatum Guardiani ac digniores Officiales locum sibi usurpent post baldachinum, neque audeant Sodales incedere prope Sacramentum post Clerum. Sed praetereundum non est hic Decretum *Sac. Rit. Congregationis*, quae alium damnavit abusum. Nam in *Sutrina sub die 17. Junii 1621* reprobavit ac aboleri mandavit consuetudinem ibi vigentem, quod in Processionibus Sanctissimi Sacramenti post Clerum unus vel duo ex Confratribus incederent immediate ante SSmum. Sacramentum cum campanulis. Hoc Decretum inservire potest pro regula in aliis casibus, in quibus Sodalitates Laicorum sub uno aliove praetextu se cum Clero miscere vel indebitum locum occupare tentarent.

7. Quamquam vero eadem Instructio comminatione poenarum illorum coerceat licentiam, qui secus fecerint, Guardianis tamen et aliis dignioribus Officialibus *concedit perhonorificum munus deferendi hastas baldachini*, ad quod juxta *Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 33. num. 13. in Processione SSmi. Corporis Christi* deputantur *Nobiles viri* seu *Barones.* Ne autem oriantur jurgia et dissidia circa ordinem, quem tradit idem *Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 14. num. 2.* Hic est, ut dignior ferat primam hastam, quae prima est ante Celebrantis dexteram, secundum alteram, quae prima est ante Celebrantis sinistram; tertius aliam, quae sub prima est a parte dextera, quartus aliam, quae succedit primae a parte sinistra: quintus tertiam hastam a parte dextera, sextus tertiam a parte sinistra;

et sic deinceps, ita ut minus digni habeant postremas hastas post tergum Celebrantis.

8. Pauca quaedam hic addere juvat, quae opportuna videntur, licet de his Instructio expresse non agat. Hisce Processionibus quandoque sponte intersunt nonnulli pii viri, plurimi etiam mittuntur a Cardinalibus et Proceribus ex eorum domesticorum numero cum intortitiis. Facile postremos inter hos contentiones excitantur de praecedentia: ad has penitus obtruncandas plurimum expediret, si ad omnes indistinctim Processiones et praesertim ad illas pro expositione et repositione Sacramenti in Oratione quadraginta horarum quaedam extenderentur ex illis regulis, quas servandas jussit *Innocentius XII.* et iterum confirmavit ac evulgari mandavit *Clemens XIII.* anno ejus Pontificatus primo, dum solemniter defertur Viaticum ad infirmos. Opportunum ducimus hic illam exscribere, quae ad hanc rem proprius pertinet. ,,Ita §. 28. Appresso allo stendardino cominceranno a venire i Laici di cappa corta con in mano le torcie accese; chi và a destra, porterà colla mano destra la torcia, chi a sinistra colla sinistra. Questi Laici però anderanno alla rinfusa, cioè senza precedenza veruna fra loro, ancorchè essi fossero di qualsivoglia grado, o condizione: e quantunque fossero Servitori, Gentiluomini, ed Ufficiali di qualsivoglia gran personaggio: intendendo espressamente anche ciò, se fossero i medesimi familiari, non che i Servitori, Parafrenieri di nostro servizio. Anderanno dunque i Laici sudetti di cappa corta a due, come si trovano a caso, e come disporrà di essi chi ha il peso d' ordinare la Processione. Non riproviamo però, che i Servitori del medesimo Padrone vadano insieme, senza mescolarsi coi Servitori d' altri: ma si proibisce bensì che i Servitori di un Padrone, qualunque sia, volessero la precedenza sopra li Servitori d' altri per qualsivoglia pretesto. Comandando Nostro Signore espressamente, che in queste Processioni del SSmo. Viatico, si abbia da intervenire per pura divozione, e senza pretensione veruna di luogo etc.“

9. Sed aliud, utinam non frequenter! accidit incommodum, ut inter varias Sodalitates, praecipue in solemnibus Processionibus, oriantur aemulationes, non tantum circa praecedentiam, cui satis provisum est per Constitutionem *Gregorii XIII.*, *Caeremoniale Episcoporum et Sac. Rit. Congregationis Decreta*, sed circa extrinsecum apparatum, luminum copiam, Musicorum concentus et similia, quae tantum abest, ut devotionem concilient, ut imo saepe saepius perniciosa sunt semina dissidiorum. Ad hujusmodi avertenda mala, quae ut plurimum non leve afferunt animabus detrimentum cum religionis et cultus dispendio, excitanda foret Pastorum solicitudo, ut certam praescriberent methodum Sodalitatibus quoad sumptus, luminum copiam, musicales concentus et similia; comminatis poenis contra transgressores, ita ut cuncta sint ordinata ad devotionem, non ad curiositatem fovendam; ad cultum et religionis actus excitandos, non ad aemulationes et contentiones gignendas. Quae dicta sint praesertim relate ad solemnissimas Processiones, quae fiunt in Octiduo solemnitatis Corporis Christi, nam quoad eas, de quibus ex Instituto agimus, difficile est, ut occurrant hujusmodi aemulationes.

§. XXIII.

»Di più ordiniamo alli suddetti Cleri »secolare, e regolare, che nelle pro»prie Chiese non permettino, che si »prattichi in contrario sotto le pene

»contenute nel suddetto editto, cioè »di scudi venticinque alli Superiori e »Rettori delle Chiese secolari, e di »privazione di voce attiva e passiva »alli Superiori regolari con altre a »nostro arbitrio. Quando poi vi fosse »alcuno che tanto ardisse, si notifica, »che oltre le suddette pene imposte »di sopra, resterà ipso jure privo dell' »officio, e cassato dalla Confraternita »respettivamente il Guardiano, o Guar- »diani ed Officiali, i quali contravver- »ranno a questo nostro ordine: resterà »la Confraternita e Chiesa privata di »far più tale santa esposizione, finchè »da noi non sarà reintegrata: si di- »chiara anche, che all' accusatore di »tal contravvenzione si darà la terza »parte della suddetta pena, coll' esser »tenuto segreto, e la suddetta dispo- »sizione vogliamo, che si osservi in »tutte e singole Processioni ed espo- »sizioni particolari.«

1. Nihil in hac sanctione est speciali adnotatione dignum, nisi quod ex comminatione poenarum nedum contra transgressores, verum etiam contra Ecclesiarum Praesides, qui vel negligunt praescriptam regularum observantiam vel non sunt satis vigiles, ut eaedem ab aliis serventur; colligitur, qualis fuerit solicitudo Summorum Pontificum, ut quae pertinent ad cultum praestandum Augustissimo Sacramento, adamussim religiose impleantur. Ex integro vero contextu et ex iis, quae in praecedenti sanctione statuta sunt, satis apparet, poenalem hanc legem dictam potissimum esse ad coercendam Officialium Confraternitatum licentiam, qui prae caeteris, ut sibi, quod eis non competit, usurpent vel introductos abusus tueantur atque sustineant, non verentur a legibus declinare et hac de causa nonnunquam turbas ciere. Ideo *Instructio* hujusmodi poenalem legem non limitat ad Processionem et expositionem, de quibus agimus; sed extendit ad alias omnes et singulas etiam particulares, quas per annum fieri contingat. Intelligendum tamen id est cum quadam moderatione et relate ad eas tantummodo regulas, quae generales sunt. Non enim praescribit *Instructio*, quod expositiones omnes particulares ad ejus normam quoad omnes praescriptas conditiones fiant, vult tamen, ut quatenus ita fieri velint, eadem servetur methodus; in id praesertim urget, ut quoque modo fiant, Ecclesiasticae Leges serventur, non inducantur abusus et, si qui sunt, eradicentur.

2. Praeterea isthaec poenalis lex vim coactivam non habet extra Urbem, ultra quam *Instructio* non extenditur. Episcoporum est, quibus incumbit diligenter curare, quae ad Dei cultum pertinent, solicite invigilare, ut pro locorum et personarum conditione, pro circumstantiarum et functionum varietate, quae in hac *Instructione* continentur in eorum Dioecesibus ad praxim deducantur, etiam quoad comminationem poenarum, quae tamen variari, moderari et, quatenus opus sit, etiam augeri poterunt, prout eis in Domino magis expedire videbitur. Ubi enim effectu carere monitiones noscuntur, ad impediendos et removendos abusus et actus irreligionis eliminandos, plurimum prodesse comminationes poenarum, experientia nos edocet.

§. XXIV.

»Ritornata la Processione in Chiesa, »e giunto il Celebrante al grado in- »fimo dell' Altare Maggiore, il Diacono »genuflesso riceverà il Santissimo da »esso celebrante (quale immediata- »mente genufletterà deponendo il velo »umerale) e lo collocherà nella base »del Trono, andando poi, fatte le »dovute riverenze, al suo luogo. Li

»cantori divotamente, e con pausa »canteranno il ℣. *Tantum ergo etc.* »ed al versetto: *Genitori, genitoque* »*etc.* il Celebrante, alzatosi con li Mi»nistri, porrà ivi nel mezzo l' incenso »nel turibolo senza benedizione, e »genuflesso incenserà tre volte il Sa»gramento: terminato l' Inno, senza »dirsi il ℣. *Panem de coelo etc.* si »canteranno dalli suddetti Cantori le »litanie contenute nel libro stampato »per l' Orazione delle quarant' ore »(qual libro puramente senza alcuna »mutazione dovrà usarsi in qualunque »altra esposizione del Santissimo, che »si faccia particolare). Dopo che averà »detto le preci, il Celebrante alzatosi »(a cui li ministri sosterranno il libro) »senza fare nuova genuflessione, can»terà a mani giunte il ℣. *Dominus* »*vobiscum etc.* con le Orazioni, quali »terminate, genuflessi faranno breve »Orazione; ed indi partiranno a capo »scoperto sino ad una ragionevol di»stanza dal Sagramento, dandosi così »il principio all' Orazione delle qua»rant' ore.«

1. Ad eam *Instructionis* partem devenimus, in qua, ut notat *Cavalerius*, nonnulla occurrunt, quae vel pugnant vel non omnino concordare videntur cum *Caeremoniali Episcoporum et Rituali Romano.* De his suis apte loco agemus, explanando ritum, de quo loquitur praesens sanctio, *quae est de reditu Celebrantis ad Altare*, caeterisque sacris actionibus pro solemnitate expositionis faciendae necessariis. Itaque Celebrans in Processionis reditu juxta eamdem sanctionem se sistit ante infimum Altaris gradum in plano ibique stans tradit Ostensorium Diacono genuflexo utroque genu e conspectu Celebrantis, sed tantillum lateraliter a cornu epistolae. Ubi Diaconus de manu Sacerdotis Sacramentum recepit, illico erectus brevi cunctatur morula in medio Altaris, donec Celebrans, qui statim genuflectit, illud una cum Subdiacono profunda capitis inclinatione adoret; interim a Celebrantis humeris per aliquem ministrum removetur velum humerale; Diaconus vero Sacramentum statim in throno collocat, adhibito scabello, quatenus opus sit. Exposito autem Sacramento in suo throno Diaconus descendit sine ulla praevia capitis inclinatione et in suppedaneo genuflectit unico genu absque pariter capitis inclinatione et continuo surgens lateraliter descendit suumque occupat locum ad dexteram Celebrantis ibique manet genuflexus.

2. Atque hic notat *Cavalerius,* quod Instructio jubens, Celebrantem et Ministros ad infimum Altaris gradum consistere debere, corrigit dispositionem „*Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 33. num. 44*“, ubi legitur: „Postquam Episcopus pervenerit ad supremum Altaris gradum . . . . Diaconus accipiet de manu ipsius Episcopi stantis Sanctissimum Sacramentum etc.“ Supremus quippe gradus infimo certe non respondet. Advertendum tamen primum est *Instructionem* hac in parte directivam esse, non praeceptivam; et cum agatur potius de modo servando, quam de ritu exercendo, qui semper idem est, quicumque sit modus, haud existimo per eamdem antiquari penitusque aboleri dispositionem *Caeremonialis.* Ut supra jam vidimus inter Scriptores liturgicos magna est dissensio circa rem hanc diversaque proinde est Ecclesiarum consuetudo: quamobrem mos, qui in aliquibus Urbis Ecclesiis servatur, forte occasionem dedit extensori Instructionis ea utendi formula, ut Sacerdos in infimum Altaris gradum consistat, nec tamen per eam contrarius usus *Caeremoniali Episcoporum* conformis est reprobandus.

3. Notandum secundo, tantam non

esse discordiam inter *Caeremoniale et Instructionem*, ut illud per hanc correctum et emendatum censendum sit. *Duae* enim actiones sunt distinguendae. *Altera* versatur circa locum, ubi Celebrans tradit Sacramentum in throno collocandum, *altera* vero locum respicit, in quo genuflexus consistere debet et Sacramentum in throno jam collocatum incensare. Allata *Caeremonialis* dispositio primam partem spectat et quoad hanc convenire non videtur cum *Instructione:* verum non praeterit alteram, subdens num. 26: „Episcopus vero, deposito velo", (scilicet adorato Sacramento in supremo Altaris gradu, stante Diacono in medio suppedanei) „genuflectet in pulvino in infimo gradu Altaris", et in hoc convenit cum *Instructione.* Hanc autem postremam Rubricam, cohaerenter ad alteram, quae dat causam quaestioni, ita declarat *Catalanus:* „Adorato tantisper Sacramento (e loco scilicet, in quo illud Diacono tradiderat) Episcopus, deposito velo, genuflectet super pulvino in infimo gradu Altaris, id est, descendet e supremo gradu ad infimum ejus gradum et remoto ab eo humerali per Caeremoniarium genuflectet super pulvino in infimo gradu Altaris."

4. „*Ritualis Romani Rubrica* tam clara non est ac illa *Caeremonialis,* eumdem tamen sensum habet. „*Nam titul. de Processione in Festo SSmi. Corporis Christi* §. *3.*" dicitur, quod ad inchoandum Processionem „Sacerdos Ostensorium seu Tabernaculum a Diacono sibi porrectum reverenter suscipit in supremo altaris gradu": mox §. 5 nihil in specie notatur de loco, quem tenere debet post reditum, dum tradit Diacono Sacramentum: ex hoc tamen silentio deducit *Baruffaldus,* Celebrantem repetere debere locum, unde discesserat, ibique tradere Ostensorium Diacono et, adorato Sacramento, descendere ad infimum gradum et genuflectere. *Catalanus* adhaerens *Bauldryo* ad eumdem *Ritualis* locum ait: „Celebrans cum ascenderit ad secundum gradum Altaris, deponit SSmum. Sacramentum stans in manus Diaconi genuflexi in plano suppedanei." At secundus gradus respondet supremo, quia ut plurimum Altaria habent duos gradus praeter suppedaneum; nam si longe plures essent gradus, multum incommodum foret, ac etiam indecens, quod Diaconus genuflexus in suppedaneo Sacramentum reciperet e manibus Sacerdotis per duos tresve gradus longe distantis. „*P. Merati part. 4. tit. 12. num. 27.*" eadem fere verba *Caeremonialis* usurpat: „Celebrans, adorato SSmo. Sacramento, ut supra, descendit ad infimum Altaris gradum cum Subdiacono et remoto ab eo velo humerali per Caeremoniarium genuflectit in eodem infimo gradu." Tametsi vero infra adnotet dissentire inter se Auctores in designando loco, in quo genuflexus Sacerdos incensare debet Sacramentum, nullum tamen dubium movet de supremo Altaris gradu, in quo a Celebrante tradendum est Ostensorium Diacono genuflexo in suppedaneo.

5. Hic certe modus a *Caeremoniali* praescriptus et ab omnibus fere Scriptoribus de re liturgica admissus magis congruere videtur, quia, si Celebrans in infimo gradu Altaris traderet Ostensorium Diacono, hic sistere paulisper deberet in secundo, secus ac Auctores notant, qui eum ponunt in suppedaneo et longe decentius id est et minus habet incommodi. At ubi per plures gradus ad Altare ascenditur, stare nequiret Diaconus in suppedaneo, si Celebrans ultra ultimum, hoc est infimum gradum, non progrederetur. Unde patet, perperam a *Cavalerio* ad hanc sanctionem *num. 6.*

adfirmavit, „quod traditio Ostensorii a Sacerdote stante ante infimum gradum Altaris commodior est et facilior manibus Diaconi genuflexi in suppedaneo, quam si fiat a Sacerdote stante in supremo gradu.“ Quin ego demonstrem contrarium, ubi Altare habet plures gradus, facile, re ipsa inspecta, colligere quisque potest; sed etiam magis errat idem Auctor, inquiens ibidem, quod „Caeremoniale Episcoporum nedum Episcopum in supremo gradu ponit, dum ipse tradit Diacono Sacramentum, sed insuper facit eumdem Episcopum in supremo gradu genuflexum Sacrosanctam Eucharistiam incensare.“ Nam longe secus *Caeremoniale* disponit et Episcopum collocat genuflexum super pulvino in infimo gradu, dum is Sacramentum thurificat. En verba: „Episcopus vero, deposito velo, genuflectet super infimo gradu Alaris, mox surget et imponet incensum . . . . et iterum genuflexus . . . . thurificabit.“ Hinc et in nostra etiam specie crederem, quod Sacerdos, facta adoratione in supremo gradu, statim descendat ad infimum brevissimo eo temporis intervallo, quod impendit Diaconus, ut se ad Altare convertat, Sacramentum deponat et interim genuflectat, priusquam, admoto scabello, surgens illud in throno collocet et iterata genuflexione ad dexteram Celebrantis revertatur.

6. Ad *Instructionem* revertor, quae, si sensum potius attendamus, quam materialiter verba, forte *a Caeremonialis Rubrica* non dissentit; saltem eam non corrigit, secus ac vult *Cavalerius.* Siquidem haud distinguit duas diversas actiones, veluti *in libro Caeremoniali* fit, sed utramque simul componit et ne a praxi forsan in Urbe vigente dissentire videretur, eum exhibuit modum, qui eidem responderet Praxi et quamquam ab altero nonnihil diversus, ritus tamen essentiae minime repugnans, quia vel in infimo vel in supremo gradu Celebrans Ostensorium Diacono tradat, eaedem omnino caeremoniae servandae sunt. Nec tamen nostra *Instructio* finem habuit reformandi *Caeremonialis* dispositionem, nec potuisset sanctione, quae extra Urbem vim legis non habet. Ne te fugiat, quod, licet *Instructio* vel praeceptiva sit vel tantum directiva, aliquas regulas servandas edicit, haud tamen adamussim omnes caeremonias et ritus ordinatim enumerat; neque id ejus ferebat institutum, quum ordo caeremoniarum et rituum in praxi tenendus habeatur in libris ritualibus. Sed non omnia, quae in his praescripta sunt, eodem servato modo et ordine ubique fiunt. Locorum consuetudo, salva rituum substantia, suam vim habet. Concludam idcirco, posse utrumque modum servari, juxta diversum Ecclesiarum morem. Absit vero, ut dicamus per *Instructionem* et regulam municipalem correctam fuisse dispositionem *Caeremonialis*, cui legis universalis vis tribuitur.

7. Sed et alia se offert quaestio. Jubet *Instructio*, jubent *rituales Libri* hymnum *Tantum ergo etc. esse cantandum simulac expositum fuerit Sacramentum sub baldachino et Diaconus ad latus Celebrantis redierit. Duo* igitur disputationis occasionem praebent. *Primum* versatur circa personas, *a quibus intonari debet; alterum* respicit praecise tempus, quo id fiat. *Ad primum* quod attinet, id munus Cantoribus tribuit *Instructio:* „li Cantori divotamente, e con pausa canteranno il verso *Tantum ergo etc.*“; adhaeret Caeremoniali Episcoporum jubenti loc. cit. *num. 25:* „Interim Cantores in cantu pausato et devoto cantabunt versiculum *Tantum ergo etc.* Rituale Romanum ad omnem Clerum extendit: „Omnes Ecclesiastici, qui adsunt, sequentem hymni partem con-

cinant.“ Nec propterea „Rituale a Caeremoniali et Instructione“ dissentit; nam praeterquamquod, ut alibi notatum est, *Rituale* consulere praesertim debet minoribus Ecclesiis, in quibus plura nequeunt ex iis, quae in majoribus fiunt, aliud est intonare, quod per Cantores fit, aliud cantum prosequi, quod per circumstantem populum, praesertim vero per Ecclesiasticos fit. Verumtamen „vel Caeremonialis et Ritualis Rubrica“ spectetur, „vel Instructionis“ dispositio, nullibi intonatio Celebranti committitur et vix, ut notavi supra, agens Rubrica Ritualis de intonatione Hymni *Pange lingua etc.* in supplicationis initio, ut prospiciat minoribus Ecclesiis, quae Clerum non habent, disjunctiva utitur *Clerus aut Sacerdos cantare incipit* etc. Quid igitur? Numquam ergo erit per Celebrantem intonandus? *Caeremoniale et Rituale* agunt de solemnissima Processione in Festo Corporis Christi et per ejus Octavam; *Instructio* vero de expositione pariter solemni quadraginta horarum. In his praesumptio est, quod adsit copiosus Clerus et Cantores non desint; ideo his intonatio committitur et non Celebranti.. In aliis vero expositionibus minus solemnibus, quae frequenter per annum fiunt, quibus nec Clerus adsistit, nec Cantores adsunt, bene stat, si per Celebrantem hymno intonato, illum populus prosequatur. Atque ita est universalis fere praxis, imo et ita etiam fieri posse non dubito in solemnibus illis, si, ut in parvis oppidis et pauperioribus Ecclesiis accidit, Cantores desint et Clerus sit sane modicus. Recole quae dicta sunt ad §. 19.

8. Potior est difficultas *quoad tempus*, quo praedictus hymnus cantari debet. Siquidem *Caeremoniale Episcoporum* sic ordinem disponit, ut videatur innuere, quod intonandus hymnus sit, dum Diaconus collocat Sacramentum in medio Altaris et Episcopus e supremo gradu descendit ad infimum, *loc. cit. num. 24. 25. 26.; Rituale Romanum* hymnum concinendum vult, dum Sacerdos de more incensat Sacramentum; nostra vero *Instructio* cantandum jubet, postquam Diaconus rediit ad locum suum, hoc est ad Celebrantis dexteram; convenire igitur aliquo modo videtur cum *Rituali*, discordare vero a *Caeremoniali.* Hinc *Cavalerius* adnotat: „Instructioni autem, quae, cum modernior sit, quatenus opus sit, antiquis Caeremonialibus derogat, standum esse profecto circumstantiae postulant, nimirum profunda inclinatio, quae ad praedictum versum *Tantum ergo* usque ad *cernui*, ab omnibus Sacramento fieri debet. Talis enim inclinatio profecto expostulat Sacramentum, cui inclinari debet super thronum in omnibus conspicuum, et non in manibus Diaconi, qui alias eadem verba neque posset sua inclinatione comitari et non semel ipsius Sacramenti visionem fidelibus impediret.“ Bene quidem. Nequeo tamen ipsi assentiri, dum ait, Instructionem derogare *Caeremoniali*, non derogat, sed explicat et declarat, quod forte ambiguum et obscurum cum in *Caeremoniali* tum in *Rituali* alicui videri poterat. Non ita enim intelligendum est *Caeremoniale*, ut Cantores intonare debeant ℣. *Tantum ergo etc.* actu, quo Episcopus descendit ad infimum gradum Altaris; verum postquam ad illum jam devenerit ibique genuflexus manet; neque ita accipienda *Ritualis* dispositio, ut intonari debeat Hymnus, dum Sacerdos actu de more incensat Sacramentum; nam ibi non intonationem, sed cantus prosecutionem denotat.

9. Igitur juxta *Instructionis* praescriptum et juxta sensum tam *Caeremonialis* quam *Ritualis*, *postquam Diaconus rediit ad locum suum, hoc est ad dexteram Celebrantis, tunc in-*

tonandus est hymnus: Tantum ergo etc. et omnes debent profunde inclinari usque ad secundum versum inclusive, nam in verbo *cernui* completur dictionis sensus, qui inclinationem postulat. An autem usque ad verbum *cernui* perseverandum sit in inclinatione profunda, quoties per musicos cantatur Hymnus cum maxima versuum repetitione? dubitare quis posset. Praxis communis est et Auctores conveniunt, quod ab inclinatione cessandum sit, statim ac prima vice absolutus est secundus versus, quemadmodum in aliis hymnis et precibus, quae vel genuflexionem exigunt vel capitis inclinationem, dum modulatis vocibus saepe versiculi repetuntur.

10. Aliam heic loci promovet quaestionem *Cavalerius*, quae etiamsi primo intuitu a nostro Instituto fortasse videatur extranea, praetereunda tamen non est, quia revera in idem objectum tendit eumdemque habet finem. Quaerit igitur: *num genuflectendum sit ad integram stropham Tantum ergo etc., dum vel exposito vel in Tabernaculo incluso SSmo. Sacramento, solemnes Vesperae de eodem persolvuntur,* veluti praesertim accidit in Festo et per octavam Solemnitatis SSmi. Corporis Christi? Licet Auctores cohaerenter *ad Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 28. num. 6.* conveniant omnes, quod ad eam partem Hymni, quotquot sunt in Choro, genuflectere debent; discordant tamen quoad tempus permanendi in genuflexione. *Nam*, ut ait, *Cavalerius* ad hunc Instructionis locum, „aliqui non designant numerum versuum Hymni, quibus genuflexio perdurare debeat, alii ad totam primam rhapsodiam seu stropham genuflexionem extendunt, alii ad quatuor primos dumtaxat versus; *nec desunt qui ad duo* solummodo primos versus, scilicet ad *cernui.* Equidem hi duo primi versus ex verbis, quibus constant, peculiarem prae caeteris considerationem exquirunt; sed quoniam communior sententia, nedum in praesenti casu, sed in hymnis omnibus, quorum versus aliquis genuflexionem exposcit, ad totam ejusdem stropham in genuflexione persistendum esse authumat; ab eadem discedendum non esse credimus et majorem considerationem, quam duo primi versus exquirunt, sitam esse putamus in profunda inclinatione, quam ultra genuflexionem iisdem versus exposcunt, ut verbis consonet corporis gestus. Tam ergo in Officio divino quam in precibus omnibus coram SSmo. Sacramento, dum praedictus ℣. *Tantum ergo etc.* dicitur, ab omnibus omnino persistendum erit in inclinatione usque ad *cernui*, in quo verbo cum compleatur dictionis sensus, quae inclinationem postulat, inclinatio cessabit et ad reliquos versus sola perdurabit genuflexio. Atque haec est praxis, quae obtinet in majoribus Urbis Basilicis. Adeundus *Merati ad Gavantum in Rubr. Breviarii sect. 10. cap. 2. num. 8,* ubi enumerat Ritualia et Auctores, qui de hac re diversimode agunt.

11. *Standum igitur videtur universali praxi, quae genuflexionem protrahit ad integram stropham.* Licet vero quaestio isthaec, ut aiebam, videatur alicui a nostro Instituto extranea, non parum tamen prodest ad constabiliendam rationem, ob quam jubet nostra Instructio, ut Sacerdos surgat ad initium sequentis strophae *Genitori genitoque etc.*, imponat incensum in alterum ex thuribulis et iterum genuflexus triplici ductu Sacramentum thurificat. Nam si Ecclesiarum praesertim principalium Urbis universalis est praxis, ut in horis canonicis ad unum alterumve hymnorum versus, qui genuflexionem requirunt, veluti praeter *Tantum ergo etc.* sunt: *O Salutaris Hostia, O Crux ave spes*

unica, Veni Creator Spiritus, Ave Maris Stella etc., omnes genuflexi persistant usque ad finem strophae, licet ad omnes aeque versus, ut primi, distinctam illam actionem exigant; multo magis congruit, ut eadem regula servetur tam in casu nostro quam in aliis expositionibus et Sacerdos non surgat, nisi expleta prima stropha. Quid ergo dictione „*congruit*" usus sum? Alteram „*debet*" sufficere oportet: quum declaratum id videam a S. R. C. *in Bituntina die 14. Novembris 1676.*

12. Haec autem regula limitationem pati posse videtur eidem *Cavalerio,* ubi praedicta stropha cantatur cum repetitione verborum. Tunc enim ipse existimat posse Sacerdotem surgere ad imponendum incensum, etsi Cantores adhuc in verborum repetitione immorentur. Idipsum consequenter erit, si unam inter alteramque stropham interponatur sonitus organi et instrumentorum. Cum enim Sacerdos in utroque casu per integram stropham genuflexus permanserit, nil vetat, quin surgat ad imponendum incensum vel dum postrema repetuntur verba vel dum organa aliave instrumenta, silentibus vocibus, prima absoluta stropha, pulsantur.

13. Quae traditae sunt regulae circa genuflexionem et capitis inclinationem causam praebuerunt, ob quam jubet Instructio: „al Versetto *Genitori Genitoque etc.* il Celebrante alzatosi colli Ministri, porrà ivi nel mezzo l' incenso nel turibolo . . . . e genuflesso incenserà etc.", ne, si secus fiat, surgere cogatur, nondum absoluto cantu primae strophae. Haeic autem loci Instructio aliquantulum dissentire videtur *a Caeremoniali, Rituali et Rubricarum expositoribus.* Etenim *Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 33.* agens de benedictione populo impertienda post solemnem supplicationem in Festo SSmi. Corporis Christi, surgere facit Episcopum, ut imponat incensum, dum cantatur Hymnus *Tantum ergo.* In Rituali legitur: „Ecclesiastici, qui adsunt . . . dum Sacerdos de more incensat, sequentem Hymni partem concinunt *Tantum ergo etc. Ad hunc* Ritualis locum *Baruffaldus notat:* Intonandum esse Hymnum, dum Sacerdos primo ductu incensat vel paulo ante; *Gavantus* ad Rubricas Missalis *part. 4. tit. 12. num. 7:* „Fit incensatio trina de more, cantante interim Clero . . . . ultimos duodecim versus Hymni *Pange lingua etc.*" *Corsettus tract. 1. part. 2. cap. 10. num. 18:* „Interim dum cantatur *Tantum ergo Sacramentum*, et reliqua usque ad finem Hymni praedicti Celebrans Sacramentum incensat." Haud tamen notant, ad quem praecise Hymni versum id fieri debet. *Bauldryus in Manuale etc. part. 4. cap. 16. art. 3. num. 31:* „Interim Cantores, statim ac Celebrans incipit suam incensationem, et non prius, incipiunt versum *Tantum ergo ete. . . . .* Celebrans vero ita metiri debet suam trinam incensationem, ut ipsa duret quamdiu hi duo versiculi cantantur: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.*" Quo posito imponendum esset thus ante Hymni inchoationem, ut Celebrans expeditus posset ad primum illum versum thurificare Sacramentum. *Catalanus* ad laudatum *Ritualis* locum adversari ait doctrinae *Bauldry Caeremoniale Episcoporum* mandans, *Episcopum* (idem de Sacerdote Celebrante): „dum Cantores cantant versiculum *Tantum ergo Sacramentum,* surgere a genuflexione in infimo gradu Altaris et ponere incensum, utique post cantatum ipsum versiculum *Tantum ergo etc.*" Sed ipse dum alium carpit, potiori jure notandus est, utpote qui Celebrantem surgere facit post primum versiculum, ideoque stantem ponit ad secundum

Veneremur cernui, qui exigit cum genuflexionem tum capitis inclinationem. Satius est enim ante incensum imponere, et ad intonationem surgat, decantato primo dumtaxat Hymni versiculo.

14. Verumtamen, si bene sentio, *Rubrica* tam *Caeremonialis* quam *Ritualis* non est materialiter accipienda, sed juxta congruum sensum. Secus namque non levia sequerentur incommoda in Religionem et Cultum debitum Sacramento; juxta *Rituale* thurificatio fit, dum Clerus cantat partem Hymni *Tantum ergo etc.*, id est postremos duodecim versus; sed Rubrica non declarat, ad quem praecise versum imponendum est thus et thurificandum Sacramentum. *Caeremoniale* vero vel certum non designat tempus, quo Episcopus aut Sacerdos surgere et incensum imponere debet, vel si designat, id praestandum vult post duos primos versus. Attendatur orationis ordo. *Primum* dicit §. 24: „Postquam Episcopus pervenerit ad supremum Altaris gradum, Diaconus accipiet de manu ipsius Sacramentum et illud super Altare collocabit"; *deinde* §. 25 prosequitur: „Interim Cantores cantabunt versiculum *Tantum ergo etc.*", ac tandem: „Episcopus vero, deposito velo, genuflectat super pulvino in infimo gradu Altaris; mox surget et ponet incensum etc." Igitur, hoc servato ordine, Episcopus non surget, nisi jam intonato per Cantores Hymno. Quod si materialiter et non juxta congruum sensum quis verba illa Caeremonialis acciperet: *interim Cantores etc.*, non levis inferenda esset noxa reverentiae debitae Sacramento; nam Cantores primos versus, qui capitis exigunt inclinationem, canerent, dum Episcopus vel Sacerdos actu descendit ad infimum Altaris gradum et Diaconus collocat Sacramentum super Altaris mensa vel in throno. Sed non est hic sensus *Caeremonialis,* bene vero alius longe diversus, scilicet, ut Cantores incipiant eam Hymni partem, postquam Celebrans in infimum Altaris gradum descenderit et Diaconus suo functus munere ad ejus latus redierit. Quis enim persuadere sibi poterit a *Caeremoniali* praescriptum, ut vel Celebrans actu descendat in infimum Altaris gradum vel surgat ad versiculum illum, qui, dum cantatur, omnes, capite profunde inclinato, Sacramentum adorant? Merito hinc dixi per *Caeremoniale* vel certum non designari tempus vel illud, quod sequitur post primos duos versiculos.

15. Quamquam vero juxta *Bauldry* sententiam, quam et alii sequuntur Rubricistae, et aliquarum Ecclesiarum consuetudinem ante inchoationem Hymni imponendum sit thus, ut thurificatio fiat ad ejusdem Hymni intonationem; magis tamen expedire videtur, ut Celebrans genuflexus maneat ad primos duos versiculos et interim cum populo circumstante profunde inclinatus, specialem cultum Sacramento exhibeat; dixi magis expedire, quia non omnino reprobandus est alter modus a *Bauldryo* traditus et nonnullarum Ecclesiarum praxi probatus, „ut tunc quidem Celebrans suam incipiat incensationem, dum Cantores inchoant illum versiculum: *Tantum ergo etc.*" Siquidem Sacerdos genuflexus jam manet ipsaque thurificatio, quae impedimentum ponit capitis inclinationi, est actus specialis cultus, licet diversus ab eo, qui praestatur a populo circumstante, eoque magis, quia et ipse caput profunde inclinat ante et post thurificationem, licet ad integros duos illos versus nequeat in inclinatione persistere. Nullo tamen modo ferenda est illorum opinio, qui putant juxta *Caeremoniale Episcoporum* surgere Celebrantem debere ad imponendum thus, dum Cantores incipiunt primos Hymni versus, qui

exigunt specialem venerationem, nec proinde convenit, ut Celebrans surgat.

16. Itaque *Instructio* praecipiens, ut thurificatio fiat ad versiculum *Genitori Genitoque,* occurrit incommodis illis, quae, si aliter fiat, etsi ritus substantiam non laedunt, aliquam tamen difformitatem secumferre videntur: simulque declarat, quod forte in *Caeremoniali et Rituali* non satis expressum, occasio erat, cur diversi diversa sentirent et varia invalesceret Ecclesiarum consuetudo. Verum, potius *Instructionis regula,* perconctandi fit locus: Estne tam rigide ea servanda, ut reprobanda sit aliquarum Ecclesiarum praxis, in quibus Sacerdos surgit ad tertium versum primae strophae, ac thus imponit, ut ad primum versum secundae Sacramentum thurificet? Eadem laudabilis et rationabilis est aeque ac altera, de qua praesens sanctio. Cum enim ad secundae strophae initium laus detur Augustissimae Trinitati, congruit maxime, si ad ejusdem initium genuflexus Sacerdos Eucharistiae tribuat honorem incensi. Si quaeras, qualis ex duobus modis sit seligendus? fatebor me ancipitem esse: haud tamen ab eo discederem, quem *Instructio* praescribit. Quamquam non contemnenda foret sequens distinctio. Vel enim, intonato a Cantoribus Hymno, cantum prosequuntur Clerici circumstantes et populus, vel eumdem Musici cantant cum versuum repetitione. In prima specie crederem litteraliter servandam esse Instructionem, ita ut Sacerdos ad integram primam stropham in genuflexione persistat, in altera vero specie, tuto servari posse alterum modum, videlicet, quod Celebrans surgat, dum iterantur duo ultimi versus primae strophae ad imponendum thus, et iterum genuflexus Sacramentum thurificet ad ℣. *Genitori Genitoque.*

17. Quilibet autem ex hisce modis in more sit, *ritus tamen idem semper esse debet, ut sequitur.* Surgit Sacerdos et cum eo surgunt dumtaxat Ministri, qui suam ei operam praestare debent. Sunt autem Thuriferarius, qui thuribulum porrigat, Diaconus, qui naviculam ministret, Subdiaconus, qui elevet fimbriam pluvialis dexteram sibi a Diacono traditam, ut Sacerdos sit expeditus, dum imponit incensum. Postquam se omnes erexerunt, nullam genuflexionem faciunt, quia a loco non discedunt, sed Sacerdos, ministrante Diacono naviculam et Subdiacono elevante dexteram pluvialis fimbriam, imponit ter sine bendictione incensum, mox genuflectit cum Ministris Sacris in infimo gradu Altaris (Acolythus vero in plano prope Diaconum) et accepto thuribulo de manu Diaconi triplici ductu incensat Sacramentum praemissa ab omnibus profunda eidem reverentia, quae, absoluta incensatione, repetenda est, Diacono et Subdiacono elevantibus interim pluvialis fimbrias. Incensatione et reverentia peractis, Diaconus sine osculis recipit de manu Sacerdotis thuribulum et Thuriferario tradit. Haeic tamen loci notandum est, quod si Sacerdos surgit ad ℣. *Genitori Genitoque,* impositio incensi, traditio thuribuli, thurificatio erunt actus continuati sine ulla mora unum inter alterum. Si vero ad tertium versum primae strophae, post impositionem incensi, tradendum non est illico Sacerdoti thuribulum, sed cunctandum, donec per Cantores moduletur initium secundae strophae *Genitori Genitoque etc.* et ita pariter fieri oportet, si imponatur incensum vel dum Ministri repetunt ultimos versus primae strophae vel dum inter unam alteramque stropham organa et instrumenta ponunt intervallum, etsi interea commode posset thurificatio peragi, nam in utroque immorandum

tantisper est, ut thuris honor Sacramento deferatur, quando simul secundae strophae concentu laus datur SSmae. Trinitati.

18. Notat Instructio, *non esse dicendum* ℣. *Panem de coelo etc.* hymno absoluto. Curnam omittendus? non semper solet Orationi post hymnum praemitti? Ita est: bene tamen hoc solo in casu praesens sanctio jubet, ne dicatur. Valida occurrit ratio, quia non statim subsequitur Oratio de Sacramento, sed post hymnum immediate sunt intonandae Litaniae Sanctorum, cum precibus, postea vero a Sacerdote dicuntur Orationes et Collectae in Libro ad hunc effectum typis edito praescriptae. Id adeo verum est, ut in Sacramenti repositione, cum ea ratio cesset, quia Litaniae cum precibus praemittuntur, postremo cantatur Hymnus et immediate leguntur Orationes, quarum prima est de Sacramento; eadem *Instructio* jubet, quod dicatur ℣. *Panem de coelo etc.*, qui omittitur in expositione, ut infra §. 31. Num autem extra Urbem, pro qua dicta non est lex, vel etiam in Urbe, dum, praeter Orationem quadraginta horarum, publica fit SSmi. Sacramenti expositio, idem versiculus erit quandoque omittendus? Discrimine est opus; vel enim post Hymnum dicuntur Litaniae aut aliae preces, quibus (et non immediate Hymno) Orationes succedunt, et hoc in casu, cum eadem sit ratio, eadem etiam servanda erit Instructionis regula: vel sine Litaniis et precibus, aut si haec dicantur, ultimo loco cantatur Hymnus et illico sequuntur Orationes, *et cum ea ratio cesset, ab universali more non erit recedendum, quo semper Orationi praemitti solet* ac debet ℣. *Panem de coelo.*

19. In Urbe autem ea regula omnino servanda est, quia ex praescripto *Instructionis* dicendae sunt Litaniae et Preces, prout in Libro edito prostant, nec eas variare in arbitrio est, si temporum circumstantiae aliquam exigant variationem, id praecipere. Addit *Instructio:* ,,qual libro puramente, senza alcuna immutazione dovrà usasi in qualunque altra esposizione del Santissimo, che si faccia particolare.“ At ampliatio hujusmodi ad omnes expositiones non ita accipienda est, ut liceat aut easdem Litanias et Preces penitus omittere aut iisdem substituere Litanias Lauretanas, aliasve Preces ex adprobatis, sed ita est intelligenda, ut si fieri velit expositio ad instar Orationis quadraginta horarum, licet eadem ad longe brevius tempus perduret, vel si in aliqua expositione particulari praemittendae sint Litaniae Sanctorum cum suis precibus, hae recitentur prout jacent in Libro, ita ut nemini liceat aliquid addere vel omittere. Et haec cohaerenter ad S. R. C. Decreta, quae Litanias Sanctorum et Lauretanas recitandas jubent sine ulla additione vel mutatione. Potest etiam intelligi de iis, quae notantur in Libro et omnibus expositionibus magis minusque solemnibus ex causa publica vel privata communia sunt. Alius certe esse nequit eorumdem verborum sensus. Nam etsi Romae frequens admodum sit expositio SSmi. Sacramenti vel ex piis fundationibus, vel ut novemdiales et triduanae preces praemittantur Sanctorum Festis, vel ut Deo in iisdem Sanctorum Festivitatibus specialis cultus tribuatur; raro tamen recitantur Litaniae Sanctorum, sed, scientibus et probantibus Praesulibus Ecclesiasticis vel Litaniae Lauretanae vel pro Agonizantibus vel aliae preces ex adprobatis dici solent. Ita fieri haud liceret, si vim legis pro Urbe haberet et in sensu rigoroso accipienda esset ea nostrae *Instructionis* ampliatio ad omnes Sacramenti expositiones.

20. Extra Urbem vero tam pro expositione quadraginta horarum, quam

in aliis quibuscumqne licitum erit alias preces praemittere et recitare, *dummodo tamen ex approbatis sint*, *et ne aliter pro arbitrio fiat*, Pastorum solicitudo vigilare debet. *Benedictus XIV*. Constitutione: *Inter omnigenas 2. Februarii 1744* praecipit: „Orationes praeter eas, quae in Ecclesia receptae sunt, non admittantur; et Alexander VII." in Constitutione *Piae solicitudinis etc. dat. 23. Aprilis 1657* *) jam pridem pro Ecclesiis Urbis edixerat: Omnibus et singulis utriusque Cleri Superioribus almae Urbis prohibetur, ne in eorum Ecclesiis, dum Officia Divina celebrantur vel SSmum. Eucharistiae Sacramentum manet expositum, quidquam cantari permittant praeter ea verba, quae a Breviario vel Missali Romano . . . praescribuntur vel quae saltem a Sacra Scriptura, aut Sanctis Patribus desumpta sint, quae tamen prius a Sacra Rituum Congregatione specialiter approbentur, exclusis modulis illis, qui choreas et profanam potius, quam Ecclesiasticam melodiam imitantur." Non agit hic Pontifex *Alexander* de precibus recitandis coram Sanctissimo Sacramento vel in expositione, vel antequam Sacerdos cum eo benedictionem populo impertiatur: verum de versiculis vulgo *Mottetti*, qui in solemnibus quibusdam expositionibus cum instrumentorum sonitu cantari a Musicis solent: sed eadem potiori jure extendi ratio debet ad preces coram Sacramento recitandas, quae nedum Romae, verum etiam ubique aliae esse non debent, praeter eas, quas Ecclesia praescribit vel longaeva consuetudo rationabilis atque laudabilis tacite vel expresse, consentientibus locorum Ordinariis, probavit. Vide, quae hac de re supra notata sunt *ad* §. *3. num. 13. 14. 15. 16. et 17.*

---

*) Vd.: *Musica* (Alteratio etc.)

21. Ex hac sanctionis regula, quae praecipit Litanias Sanctorum tam in expositione, quam in repositione coram Sacramento, comprobatur, quod alias diximus, videlicet non implicare si Sacramento exposito non omnes preces ad eum dirigantur. Id certe innuit invocatio Sanctorum, quae fit in praefatis Litaniis. Cur autem, si id verum est, in solemni expositione quadraginta horarum velari Imagines praescriptum est: et tam in ista, quam in omnibus aliis expositionibus, ne in Altari exponantur Reliquiae, tam Instructio quam Decreta jubent? At longe dispar ratio est. *Ideo enim in Altari non sunt exponendae Sanctorum Reliquiae, quia ad praesentiam Domini haud decet Servos proponere venerandos: Imagines vero velantur in Oratione quadraginta horarum, ut quaelibet removeatur occasio distrahendi mentem ab unico objecto, quod proponitur adorandum: in aliis vero expositionibus haec regula quoad Imagines non est tam rigide servanda:* imo congruit quandoque exhibere detectas, ut eas intuentes facilius excitentur ad Deiparae vel alicujus Sancti apud Deum intercessionem implorandam, ceu alias vidimus. Ast nulla est lex, quae vetet preces ad Sanctos et Deiparam dirigi, imo ex Ecclesiae instituto ita fieri debet, ut Deipara et Sancti preces nostras tamquam mediatores porrigant Christo Domino, qui nobis opituletur, vel Aeterno Patri exhibeant, ut per merita Christi nos exaudiat. Quamobrem a Sanctorum invocatione ad praesentiam Christi tantum abest vel minimum periculum injuriae, quinimo summus bonor obvenit praesenti Christo supremo pro omnibus hominibus apud Patrem Mediatori, per cujus merita dumtaxat utiles nobis sunt intercessiones Deiparae et Sanctorum.

22. Sed eo revertendum, unde di-

gressi sumus. Absolutis Litaniis cum Psalmo, Sacerdos adhuc genuflexus recitat adjunctas preces, populo respondente. Cum ad earumdem finem pervenerit dicturus ℣. *Dominus vobiscum* et Orationes, surgit, nec tamen novam genuflexionem facere debet. Ita nostra monet Instructio „senza fare nuova genuflessione". Ita etiam S. R. C. decernit in una *Urbis die 2. Augusti 1698* et in *Ravennaten 6. Septembris ejusdem anni.* Quoties enim surgit vel pro imponendo thure, vel pro recitandis Orationibus, nec loco movetur, nunquam ab eo repetenda est genuflexio, quia imposito thure et recitatis Orationibus, denuo genuflectere debet; Ministri autem sustinere quidem ante eum debent librum, non autem cum ipso surgere: dum junctis manibus dicit *Dominus vobiscum etc.* non se convertit ad populum et quin manus extendat, iterumque jungat palmam ad palmam, prosequitur Orationes. Ut enim notat Gavantus *part. 2. tit. 13. litt. O. ad Rubricas Missalis: extra Missam dicuntur semper Orationes manibus junctis:* sed ad verbum *Oremus* inclinatur caput versus Sacramentum. Orationibus absolutis, iterum genuflectit, brevi cum Ministris in Oratione moratur: mox omnes surgunt et in plano Presbyterii utroque genu cum profunda capitis inclinatione genuflectunt; et illico se erigentes accipiunt bireta, quin capiti imponant, sed recedentes nudo capite e Presbyterio, illud operient, dum e conspectu Sacramenti recesserint et in Sacrarium pergunt; „dandosi così principio all' Orazione delle quarant' ore:" ut monet praesens sanctio iu fine. Scite notat Cavalerius: „Hic autem ritus communis etiam erit Ecclesiis extra Romam pro eodem et simili casu."

23. Priusquam huic capiti finem imponamus, quaedam sunt enucleandae quaestiones, quae versantur circa *conclusionem Orationis.* Brevisne an longior haec esse debet? Opinantur nonnulli brevem adhibendam esse, immo id certum ponunt. Hos inter *Cavalerius* ad hunc locum et *Tetamus* in Appendic. *ad Diarium Civil. et Ecclesiast. cap. 3. num. 47.* Inde autem potissima, ut ipsi arbitrantur, ratio, quia tantummodo in Missa et horis canonicis longior est adhibenda; in aliis tamen functionibus semper brevis. Atqui in *Rituali Romano* innumerae sunt Orationes, quae licet extra Officium et Missam, longiorem conclusionem habent, immo in eadem actione aliquae brevi aliaeque longiori concluduntur. In Canone vero Missae omnium Orationum brevis est conclusio. Propterea regula, quam ipsi ponunt, omnino fallit; et quatenus tenenda sit, universaliter certe non obtinet suasque patitur limitationes. Si ea valeret, et sine ulla exceptione ultro foret amplectenda, corrigendae essent Orationes, quae in Rituali persaepe occurrunt, quia omnes sunt extra Officium et Missam et protrahenda conclusio illarum, quae recitantur in Canone, ac proinde pertinent ad Missam.

24. Arridet magis illorum sententia, qui, ut notat *Bissus* in Hierurgia *litt. C. verb. Conclusio, num. 410. §. 8.* existimant: abbreviandam esse conclusionem, quotiescumque antecedenter non dicitur *Dominus vobiscum*; *eam* non satis firmam censet idem *Bissus*, quia aliquando contrarium evenit, quod videlicet, etiam praemisso *Dominus vobiscum,* Oratio habet conclusionem brevem; et casus datur in absolutione defunctorum, in qua Oratio brevi conclusione terminatur. Unica exceptio, quam ipse profert ad regulam infirmandam, satis non est: quamquam et aliae addi possent, illaque praesertim petenda a tribus Ora-

tionibus, quae dicuntur a Sacerdote, priusquam sumat Sacrum Christi Corpus. Siquidem in prima conclusio brevis est, in aliis protrahitur. Neque hic est percunctandi locus: curnam diversa sit conclusionis ratio in hisce Orationibus ad invicem in eadem actione connexis et curnam Orationes omnes juxta *Rituale* longiori conclusione terminandae sint, quibus praemittitur ℣. *Dominus vobiscum*, non item quae in absolutione defunctorum dicuntur? Id nostrum Institutum non patitur. Satis nobis est adnotare, quod discretiva petenda a ℣. *Dominus vobiscum*, ad effectum corripiendi vel protrahendi Orationis conclusionem, locum habere nequit in casu nostro, quia tam in expositione quam in repositione Sacramenti praecipitur longior conclusio, licet in expositione praemittatur Orationibus ℣. *Dominus vobiscum*, non item in repositione, ut ex Libro typis edito, qui modum exhibet ea in actione servandum. Dicam potius cum Bisso neglectis quaestiunculis: „In hoc erit attendendus modus loquendi Missalis et Breviarii in propriis locis et praecipue Ritualis Romani, in quo haec varietas saepe contingere solet.“ Hac posita regula, quae non fallit, neque est opinionibus obnoxia, recta consequitur, in expositione et repositione Sacramenti pro Oratione quadraginta horarum longiori conclusione Orationes sese absolvendas.

25. Non eadem tamen regula ita est interpretanda, ut in omnibus expositionibus indiscriminatim adhibenda sit longior conclusio, quia talis est in Libello edito pro Oratione quadraginta horarum. Diversi namque distinguendi sunt casus; vel res est de Oratione recitanda post Processionem et ante Benedictionem in Festo SSmi. Corporis Christi, necnon occasione aliarum expositionum, quae per annum fiunt, vel de conclusione adhibenda in Oratione quadraginta horarum, erit in illis brevis, longior in ista. Unde petendum discrimen, cum eadem sit actio, idem objectum? Quaestionem hanc dirimunt Rituales Libri, nec deest discriminis ratio. Eam affert *Bauldryus lib. 4. cap. 16. art. 3. num. 42.* Postquam is regulam generalem posuerat de servanda brevi conclusione in Festo Corporis Christi et quoties populo impertienda est benedictio cum Sacramento, excipit Orationem quadraginta horarum, quae longiorem exposcit; quia in sacra hujusmodi actione praecedunt Litaniae Sanctorum, Psalmus et Preces, quibus adduntur Orationes, prout in Breviario Romano. Ita laud. Auctor *art. 12. num. 6:* „Et nunc dicit majorem conclusionem, ut in fine Litaniarum; et *num. 12.* dicit etc. Psalmum *Deus in adjutorium etc.*, versus et Orationes, ut supra cum conclusione longiore, ut in fine Litaniarum.“ Porro *in Breviario Romano* conclusio adnexa Orationibus post Litanias et Preces longior est. Adstipulatur *Rituale Romanum,* quod longiorem conclusionem ponit post Litanias et Preces dicendas in Processionibus Rogationum aliisque ad petendam pluviam, serenitatem, ad arcendas tempestates etc. Ita pariter, ut vidimus, disponitur in Libello Summorum Pontificum jussu edito, quo in sacra illa actione uti omnino debemus. Quamobrem, „si modus loquendi ritualium Librorum“ attendi debet, composita res est, neque ullus superest dubitandi locus aut ullum auctoribus, qui secus opinantur, effugium.

26. Igitur etiam in hypothesi generalis regulae, *quod extra Missam et horas canonicas Orationum conclusio sit abbrevianda,* prout fere omnes de sacris ritibus Scriptores tenent; conditionem tamen adjiciendam esse dicimus: „nisi aliter in Missali, Breviario, Rituali aut peculiari aliqua lege“ sit dispositum. Hinc patet, quomodo

satifiat alteri questioni forsitan excitandae: num videlicet occasione tantummodo Orationis quadraginta horarum longiori conclusione terminari Orationes debeant: an etiam in quibusdam aliis expositionibus, quamvis quoad has ratio sumenda esse videatur ex eo, quod *Rituale Romanum* praescribit in Festo Sanctissimi Corporis Christi, in quo conclusio brevis est? Juxta praemissa facilis et expedita est solutio. Vel enim Litaniae cum precibus praemittuntur, prout in Libello vulgato pro Oratione quadraginta horarum: „qual libro puramente senza alcuna mutazione dovrà usarsi in qualunque altra esposizione del Santissimo, che si faccia particolare", veluti notat *Instructio* (quae tamen expressio intelligenda est juxta modum alibi declaratum) et hoc in casu longior adhibenda erit conclusio: vel minime praemittuntur, sed post Hymnum vel sola dicitur Oratio de Sacramento vel aliae adduntur a Superioribus praeceptae vel pro opportunitate; et brevis erit conclusio, uti in Festo Corporis Christi, quia cessat ratio, propter quam longior est retinenda.

27. Ubi autem brevis servanda est conclusio et una tantum dicitur Oratio de Sacramento, eritne retinenda formula Ritualis: *Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum*, vel potius alia: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum?* Varia est Ecclesiarum consuetudo, sed multo sunt plures, quae postremam retinent, quaeque proinde est usitatior. Si meum, qualiscumque sit, sensum promere licet, aeque alterutram adhiberi posse crederem; cum utriusque formulae idem omnino sit sensus. Nec diversa videtur S. R. C. sententia, quae in *Saryanen. sub die 14. Julii 1687* respondit: *Ut servetur Rituale Romanum circa conclusionem Orationis:* „Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum, *vel:* Qui vivis et regnas in saecula saeculorum, *in repositione SSmi. Sacramenti.* Novissime vero in *Catanien.*, cum expositum fuerit, inolevisse abusum recitandi post finem ultimae Orationis loco: *Qui vivis et regnas etc.*, longiorem formulam, sub die *10. Septembris 1718* respondit: *Orationem praedictam his verbis:* Qui vivis et regnas in saecula etc. *concludi debere.* Ne sit, qui secum reputet, Sacram Congregationem posteriori hoc Decreto unam tantummodo formulam adprobasse, altera repudiata, quam exhibet *Rituale Romanum.* Non enim quaestio erat de dictione in brevi conclusione adhibenda, verum de abusu longiorem recitandi, idcirco Sacra Congregatio de abusu eliminando solicita, brevi conclusione jussit esse utendum, illam proponens, quae usitatior est, quin aliam rejiceret, quam habet *Rituale Romanum.* Quid si censeas unam potius quam aliam adamasse, non ero multum difficilis. Forte etiam explicare voluit, si quid erat ambiguum in praecedenti Decreto, quo servandum esse *Rituale Romanum* edixerat. Quid autem ex his consequitur? Illud certe, quod utraque formula juxta Ecclesiarum consuetudinem adhiberi potest, sed illa magis, quam longaevus usus, praesertim in Urbe vigens, probavit, quamvis in aliqua non substantiali dictione discrepet ab illa Ritualis Romani.

§. XXV.

»Il Celebrante non dovra usare la »sede camerale, secondo il Decreto »della Sacra Congregazione de Riti, »ma un banco (che neppure abbia le »braccia) con il postergale ornato di »panno rosso, o d' altro colore de»cente, in cui sederà insieme colli »Ministri Sacri. Molto meno dovranno »mai usare le sedie camerali nelle

»Chiese, li Guardiani, Deputati ed »Officiali delle Confraternite, Com»pagnie e Congregazioni laicali, ma »sederanno sopra un banco con po»stergale senza bracci a lati e senza »alcun' uso de cuscini, come pure »senza gradini, e senza genuflessorii »d' avanti; qual banco dovrà cuoprirsi »di panno e non di seta, e sarà on»ninamente situato fuori del Presbi»terio, in quei casi, che assisteranno »alle Messe e Vesperi solenni; o che »nel Presbiterio si celebri dal Clero »alcuna funzione sacra, secondo li re»plicati Decreti della Sacra Congre»gazione de' Riti, particolarmente pel »Decreto generale emanato sotto li »13. Marzo 1688, sotto le pene es»presse di sopra e comminate nei §§. »Se vi saranno etc. E di più ordi»niamo etc. (che sono li XXII. XXIII.) »Monsignor Primicerio però sederà »dentro il Presbiterio al lato dell' Evan»gelo in un banco coperto di panno »nel suo abito prelatizio, come s' è »detto al numero XXII.«

1. Jubet *Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 12. num. 23:* „Scamnum oblongum coopertum aliquo tapete aut panno aptari a latere Epistolae, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono", cohaerenter ad hanc *Caeremonialis* regulam *S. R. Congregatio die 15. Januarii 1611 in Perusina* edixit: „Sacerdotem, Diaconum et Subdiaconum solemniter celebrantes posse et debere sedere in banco dum cantatur *Gloria et Credo,* etiamsi sint Beneficiati vel Capellani, prout sedent Canonici, et servatur in omnibus Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis. non obstante qualibet consuetudine." Unde juxta hoc Decretum *Catalanus* ad hunc *Caeremonialis* locum et *Merati ad Gavantum in Rubrica Missalis part. 2. tit. 2. num. 21.* notant: „Numquam concedenda est sedes brachiata Celebranti neque alia sedes Ministris, et haec praxis omnium Basilicarum Urbis et omnium fere Cathedralium, ita ut Canonici Missam celebrantes, non solum coram Episcopo, nulla utantur sede, sed semper aliquo scamno oblongo tapete vel panno cooperto, imo et etiam absente Episcopo in eodem scamno sedeant et quidem semper latere Epistolae." Idcirco carpunt *Hippolytum a Portu, qui cap. 1. de Missa solemni num. 4. §. ultra scamnum* solummodo adhibendum esse contendit oblongum scamnum ad formam *Caeremonialis*, si coram aliquo Cardinali vel proprio Episcopo solemnis celebretur Missa: secus vero censet parari posse tres sedes nobiliores, dummodo sedes Celebrantis sit distincta et illae Ministrorum non sint brachiatae. Respuunt etiam opinionem *Bissi,* qui *tom. 2. litt. S. §. 2.* putat, quoad scamnum vel sedem variam Ecclesiarum esse servandam.

2. Nostra autem *Instructio* adhaerens *Caeremoniali Episcoporum et laudato S. R. C. Decreto,* expresse jubet: „il Celebrante non dovrà usare la sede camerale secondo il Decreto della Sagra Congregazione de' Riti, ma un banco, che neppure abbia braccia con il postergale di panno rosso, o d' altro colore decente." Quamquam haec lex, si una spectetur *Instructio,* sit ordinata tantummodo pro Ecclesiis Urbis occasione Orationis quadraginta horarum, universalis tamen censenda est, quia *a Caeremoniali Episcoporum* indicta et a successivis *S. R. C. Decretis* confirmata. Praeter illud, quod jam protulimus, alia prostant, quae rem magis declarant. Excitato dubio: „Num in Cathedrali Turritana Canonicis celebrantibus permittenda sit sedes cum postergali, qua utebantur priusquam acceptarent Librum caeremonialem vel potius eodem utendum esset scamno a latere Epistolae?" Sacra Congregatio respondit: „Formam Libri

caeremonialis introducti et acceptati in dicta Ecclesia Turritana servandam esse.“ *Die 19. Maji 1614.* Similiter *in Reginaten. in Calabria die 31. Julii 1665* eadem S. Congregatio declaravit: „Tam Celebrantem quam Assistentes in festivitatibus Sanctorum Titularium in Vesperis et Missa solemni sedere debere in scamno et non in sede coriacea.“ Et alia ut praetereain, *sub die 22. Novembris 1653 in Cajetana,* instante Episcopo, quaesitum fuit: „An Canonicus Hebdomadarius, Fratres Ordinis Praedicatorum et Ordinis Minorum de observantia S. Francisci celebrantes, uti possent sede, an vero scamno cooperto aliquo tapete aut panno juxta praescriptum Caeremonialis?“ Sacra eadem Congregatio respondit: „In hoc servandam esse dispositionem Caeremonialis.“ Atque haec est regula tanto cum rigore servanda, ut ad eam relaxandam nec prodest consuetudo, etiamsi invaluisset ante acceptationem Caeremonialis, ut in *Turritana* decretum vidimus. Vix ab eadem declinandum tantisper censuit eadem Sacra Congregatio favore Canonicorum et Dignitatum Cathedralis extra eam, et Abbatum tam in propria quam in aliena Ecclesia solemniter celebrantium ultra tres dies, in quibus Pontificalia agere indultum est, dummodo tamen usus sedendi in sedibus cameralibus sit legitime praescriptus. Ita Sacra eadem Congregatio in *Caesenaten. 19. Martii 1659.*

3. Quae cum ita sint, consequitur, nedum in solemnibus Missis pro Oratione quadraginta horarum sedes camerales vetitas esse, verum etiam in aliis omnibus expositionibus et nunquam adhibendas vel in Missis vel in Vesperis et Matutinis horis, quae in celebrioribus festivitatibus solemniter cantantur, cum festivo apparatu a Sacerdote cum Ministris pluvialibus indutis. Nam *Instructio* hac in parte sequitur legem universalem. Coercenda hinc esset Praesidum auctoritate illorum licentia, qui in aliquibus Ecclesiis adhibere praesumunt sedem cameralem pro Celebrante cum scabellis pro Ministris. Scamno utendum omnino est cum postergali cooperto panno rubei vel alterius decentis coloris. Hujusmodi vero tegumentum potest esse sericum et differre debet ab altero pro laicis posito extra Presbyterium, tegendo panno serico, sed vilioris materiae.

4. Ex ea autem Instructionis sanctione circa scamnum praeterea colligimus *Celebrantes juxta solitum sedere posse ad Hymnum Angelicum et Symbolum, etiam Sacramento exposito.* Oriri posset dubitandi ratio, quia *Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 12. num. 9.* notat, quod celebrante vel assistente Episcopo, dum existit SSmum. Sacramentum in Altari, debet Episcopus: *numquam sedere, sed stare sine Mitra;* idem ergo potiori jure de aliis Episcopo inferioribus dicendum videtur. Verumtamen non ibi sermo est de integra Missa celebrata coram Sacramento exposito, sed de Sacramento adhuc existente in Altari *Feria V. in Coena Domini, Feria VI. in Parasceve* in Missa, quae celebratur ante Processionem *in Festo Corporis Christi,* et cum expositio fieri debet pro initio Orationis quadraginta horarum. In his namque non adest Sacramentum in Altari *ad Gloria et Credo,* quando Celebrantes sedere debent, quamobrem haec *Rubrica* nullatenus trahi potest ad illud firmandum, de quo est quaestio, quia *Instructio* nedum consulit modo servando in prima hac Missa pro expositione, verum et illam quoque comprehendit, quae celebratur pro repositione.

5. Ad rem potius facit altera *Caeremonialis Rubrica lib. 2. cap. 33. num. 33,* ubi legitur: *conveniens esset,*

ut ob reverentiam tanti Sacramenti (scilicet in octiduo Sanctissimi Corporis Christi, ubi, eodem in throno patente, persolvuntur horae canonicae) „tam Episcopus quam Canonici et omnes praesentes et in Choro assistentes durante Officio starent capite detecto et nunquam sederent." Ubi tamen advertendum est, non a jure, sed a convenientia regulae rationem peti et merito quidem; nam ad extrinsecam disciplinam, quae non ubique eadem semper est, et variari nonnunquam potest, attentis locorum, temporum, personarum ac aliis id genus circumstantiis, non autem ad ritus cultusque substantiam pertinent, quas habemus, regulae quoad standum, sedendum, genuflectendum in Divina Psalmodia, Sacra Liturgia, publicis precibus, et ideo declarando et regulam moderando, subdit Caeremoniale: „Quodsi ob longitudinem Officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae, detecto capite, existente Sanctissimo Sacramento super Altari, Divinis Officiis assistere." Ubi *duo* distinguuntur, scilicet *primum*, quod maxime decet stando divinas laudes coram eo persolvere; *secundum*, quod saltem neque bireto neque pileolo caput tegatur. *Primum* limitationem et moderationem admittit, ne qui assistunt nimis defaticentur; non item *alterum.* Praxis Patriarchalium et aliarum principalium Ecclesiarum Urbis declarat et firmat regulam *Caeremonialis.* Siquidem per Octiduum Festi Corporis Christi tam Matutinae quam Vespertinae horae persolvuntur, nec non Missa Conventualis celebratur solemniter coram exposito Sacramento et in stando ac in sedendo consuetus ordo servatur, omnes tamen detecto capite assistunt et in Missa aeque ac Vesperis caeremoniae illae adimplentur, quas exigit Sacramenti praesentia.

6. Agunt specialiter Rubricistae de Missa solemni celebrata coram SSmo. Sacramento in Altari exposito, enumerant caeremonias, quae servandae in ea sunt ad differentiam aliarum solemnium Missarum, praecipue vero quoad genuflexiones et thurificationes; *haud tamen adnotant, quod Celebrans et Ministri Sacri stare debeant,* et non potius sedere, dum cantatur *Hymnus Angelicus et Symbolum.* Ita *Meratus ad Gavantus part. 2. tit. 14. num. 6. et sequen. de Ritu Missae solemnis coram Sacramento. Bauldryus part. 4. cap. 16. art. 6. num. 1.* de Vesperis agens persolvendis in Sacello, ubi Sacramentum est expositum, postquam cohaerenter ad *Caeremoniale Episcoporum* notaverat: „convenit, ut omnes tunc stent nudo capite et non sedeant, quod si . . . . sedere Clerici cogantur, nunquam tamen caput tegant, *subdit:* Idem faciendum est ad omnes horas, etiam ad Missam, non sedere debent ad Hymnum Angelicum, Graduale, Alleluja, Sequentiam, Symbolum, Offertorium, Communionem et alia hujusmodi etc." Forte alicui videri poterit saltem ex decentia nedum in Choro adstantes, verum etiam et Celebrantem et Sacros Ministros stare debere et non sedere. *Ego tamen puto de solis in Choro adstantibus cl. Auctorem fuisse loquutum;* nam, ubi tractat de Missa solemni coram SSmo. Sacramento exposito, nihil prorsus quoad hanc rem adnotat. Caeterum privati Auctoris doctrina nequit coarctare dispositionem *Caeremonialis Episcoporum.*

7. Parum tamen id interest, si illa regula, quae non praetergreditur limites aliqualis decentiae et majoris convenientiae, sit limitata ad Assistentes in Choro vel etiam extensa ad Celebrantem et Ministros. Utrisque communem esse non ambigimus, quae enim potior ratio, ut sedere possint ex quadam indulgentia et aequitate,

qui Chori occupant subsellia, et Celebrantes nequeant? Universalis certe praxis utrosque complectitur, et in more est ubique recepto, quod, exposito Sacramento, tam Psallentes, quam Celebrantes sedeant statutis a Rubrica temporibus, nunquam tamen sub ulla consuetudine aut praetextu caput tegant. Praxi cohaeret *Instructio*, quae, dum vetat sedem cameralem et oblongum scamnum adhiberi jubet, juxta S. R. C. Decreta, tapete ornatum cum postergali, et adhaeret limitationi seu indulgentiae admissae a *Caeremoniali*, aperte innuit standum esse potius praxi, limitationi et indulgentiae, quam eidem regulae. Neque arbitreris dispositionem *Instructionis* locum sibi vindicare solummodo in Missa, quae solemniter cantatur prima die pro Sacramenti expositione; nam, ut supra notavi, ea est per modum regulae, quam servari oportet quoad omnes Missas, quae eo triduo solemniter celebrantur, proindeque extenditur ad omnes, quae coram Sacramento celebrari contingat. Si alia fuisset mens, exceptionem haberemus expressam.

8. Quod si non licet Celebranti et Ministris Sacris uti sede coriacea et camerali, *multo minus licebit eam adhiberi a laicis hominibus, ut sunt Guardiani, Officiales, Deputati Sodalitatum et Congregationum saecularium, quibus conceditur usus tantum scamni cum postergali* sine pulvinis et sine genuflexorio, decenti, sed laneo, non serico panno contecti *extra Presbyterium.* Isthaec autem regula generalis est et ad omnes extenditur Ecclesias cum saecularium tum regularium. Quamquam vero in nostra *Instructione* tantummodo agatur de iis, qui praesunt Confraternitatibus et Congregationibus laicorum, uno excepto Primicerio Praelato (dummodo incedat in habitu Praelatitio, ut supra notavimus et infra etiam videbimus), lex tamen latissime patet et comprehendit Magistratus, Gubernatores, Praesides locorum, imo etiam Barones et Dominos, saltem quoad locum extra Presbyterium et quasdam honorificentias, quae solis competunt Ecclesiasticis, juxta diversos eorum gradus. Praeter generale Decretum S. R. C. *13. Martii 1688* ab *Instructione* laudatum, innumera sunt alia relata. Ex his consequitur legem universalem esse et ad omnes Christiani Orbis Ecclesias extendi, non vigore *Instructionis*, quae pro solis Ecclesiis Urbis dicta est, sed vi Decretorum S. R. C. ac praesertim generalium *13. Martii 1688* et *22. Aprilis 1690*, quibus accessit auctoritas *S. M. Alexandri VIII.*

9. Notatu digna esse, ait *Cavalerius*, ea *Instructionis* verba: „in quei casi che assisteranno alle Messe e Vesperi solenni, o che nel Presbyterio si celebri dal Clero alcuna funzione Ecclesiastica", quae, juxta ejus opinionem, „restricticnem quamdam invehunt, quae inhibitionem ad casum non sacrae functionis non sinit extendi", non video autem, curnam haec fingenda sit restrictio, quasi aliquis sit casus, in quo Guardiani et Officiales laicalium Sodalitatum queant locum occupare in Presbyterio ibique sedibus cameralibus uti. Ibi namque *Instructio* respicit circumstantias omnes, in quibus Sodalitates et laicales Congregationes, quibus juxta praelaudata Decreta addi possunt laici Praesides, locorum Domini, etc. Barones Ecclesiasticis functionibus interesse solent. Numquid in Ecclesiis ac signanter in Presbyterio aliquid profanum agitur, ut sedere liceat intra cancellos, sedibus cameralibus adhibitis, illos, quibus alias utrumque omnino est interdictum?

10. *Usus pulvini denegatur Officialibus Sodalitatum, Celebranti vero concedi potest*, ut ex *Caeremoniali*

lib. 2. *cap*. 3. docemur. Tandem Instructio locum assignat intus Presbyterium Sodalitatum Primiceriis a cornu Evangelii, quibus tamen non cameralis sedes, sed conceditur „un banco coperto di panno“, dummodo in habitu praelatitio intersint: secus, ut alias diximus, si vestem peculiarem et propriam Sodalitatis induant, sedere debent cum aliis extra Presbyterium et considerari ut laici, veluti etiam ut tales habentur, si qui ex Ecclesiasticorum ordine Officiales, Guardiani, Deputati sint, et accedant non in proprio ipsis convenienti habitu, sed in in illo proprio Sodalitatis seu Congregationis. Ideo enim requiritur habitus praelatitius, ut sedere possit Primicerius in Presbyterio, quia per hunc a laicis distinguitur et Ecclesiasticis adnumeratur.

§. XXVI.

»Se però la struttura della Chiesa »non permetterà luogo congruo fuori »del Presbiterio; in tal caso di ne»cessità si ricorrerà a Noi, che col »consiglio dei Signori Maestri di ce»remonie Pontificie se gli concederà, »che possa collocarsi il banco, come, »sopra dei Guardiani dirimpetto in »uno de' lati fuori del termine del »Presbiterio.«

1. Isthaec sanctio est quaedam veluti declaratio praecedentis. Statutum in ea fuit, *ut extra Presbyterium collocari debeat scamnum pro Guardianis, Officialibus, Deputatis Sodalitatum et Congregationum laicalium, quae lex tanto est cum rigore servanda,* ut nec relaxari aut moderari queat, etiamsi tanta sit Ecclesiae angustia, talis structura, ut congruus locus pro eo collocando non reperiatur. Quid igitur hoc in casu agendum? Num ab interventu abstinendum vel iis, quibus convenit, scamnum non apponendum, si intersint? Neutrum plane. Provida Instructio idoneum parat remedium. Alius ab eo, qui conveniret, diversus seligendus est locus: nec tamen in arbitrio est, quod maxime inopportunum esset et latam aperiret abusibus viam. Si ea urgeat necessitas, deferenda est ad Emum. Urbis Vicarium, qui adhibito consilio ecclesiasticis caeremoniis Praepositorum, quid pro varietate circumstantiarum facto opus sit, agnoscens, eidem providebit. Opportunior erit locus „dirimpetto in uno delli lati fuori del termine del Presbiterio.“ Quae verba perperam explicat *Cavalerius: In uno ex Presbyterii lateribus extra tamen Presbyterium ipsum.* Implicat namque *in uno ex Presbyterii lateribus.* Et: *extra Presbyterium;* latera quippe Presbyterii juxta genuinum verborum significatum non extra, sed intra Presbyterium sunt. Sensus igitur est, quod si nequeat lateraliter, ut moris est, apponi scamnum, permittitur, ut apponatur e conspectu Presbyterii vel prope illud vel a cornu Epistolae vel a cornu Evangelii, sed extra septa, quibus clauditur, vel extra ejus limites, si septa lignea vel lapidea desint. Ex qua sanctione magis magisque confirmatur, quod nullus est casus, ob quem liceat intus Presbyterium locari scamnum pro laicis.

§. XXVII.

»Si proibisce espressamente agli »Uomini, ed alle Donne di qualsi»voglia stato, e condizione (eccetuate »le Persone Regie, quando vi si tro»vino) l' entrare sotto qualsivoglia »pretesto ad orare nel Presbiterio, o »sia recinto dell' Altare, dove sta »esposto il Venerabile, dovendo quel »luogo esser' occupato solamente dagli »Ecclesiastici destinati al Ministero Di»vino, o all' assistenza dell' Orazione; il »che si osserverà non solo nelle Chiese, »dove ricorre l' esposizione ordinaria,

»ma anche in tutte le altre, dove per »indulto Apostolico, o per altra legit»tima facoltà, occorre farsi l' esposi»zione, benchè per breve tempo, al »che provvederanno li Superiori, o »Sagrestani, col riparo delli banchi an»cora bisognando. Inoltre ordiniamo, »e comandiamo ai Rettori e Superiori »tanto Secolari, che Regolari di qualsi»voglia Chiesa, che, durante la detta »esposizione, non ardischino di far »portare respettivamente qualsivoglia »sorte di sedie nelle Chiese a qual»unque persona d' ogni sesso, grado, »e condizione, sotta la pena di dieci »scudi alli Rettori secolari da appli»carsi ad usi pii, riservata la terza »parte per l' accusatore; ed a Re»golari della privazione della voce »attiva e passiva, ed altre a nostro »arbitrio.«

1. Hujusmodi etiam sanctio tamquam corollarium a praecedentibus consequitur. Jam supra notatum fuerat, interdictum esse laicis, etiam habitu alicujus Sodalitatis distinctis, ingredi septa Presbyterii et ad Altare accedere, ad effectum accendendi, extinguendi, aptandi, purgandi luminaria aut quidquam aliud agendi, quod necessitas exigit vel opportunitas: vidimus *extra Presbyterium locandum esse scamnum pro iis Sodalibus*, *qui coram Sacramento genuflexi orationi vacare debent:* animadvertimus tandem nec Guardianis, Officialibus, Deputatis laicalium Sodalitatum, *ultra eadem septa progredi esse permissum, etiamsi Ecclesiae structura non patiatur collocari pro eis scamnum in loco congruo. Multo ergo minus licebit laicis*, cujusque gradus, conditionis, dignitatis sint aut sexus, ad Presbyterium accedere ibique immorari ad orandum. Quod si ex *Concilii Romani statuto et S. R. C. Decretis*, ut supra diximus *ad* §. 7, nec quoad Altaria id licet, dum ibi aut Sacrificium offertur aut Divina Officia persolvuntur, sub gravissima Interdicti poena: essetne sine indignatione ferendum, quod laici et praesertim faeminae circumstarent intra septa Arae maximae, ubi solemniter est expositum Sanctissimum Sacramentum? Locus ille Sanctus est et solis Ecclesiae ministris patere debet vel ad orandum vel ad Sacra Mysteria peragenda

2. Equidem antiquae disciplinae rigor nonnihil emollitus est. Non enim Ecclesiae partes, ut olim erant, ita sunt distinctae atque expositae, ut diversis hominum classibus separatim inserviant. Non sola tunc erat sexus distinctio, sed et diversa conditio, diversus status Consistentium, Poenitentium, Fidelium, Cathecumenorum etc. ad veteris rigidae disciplinae formam locum cuique ordini competentem exigebant. Aliquod tamen adhuc superest ejusdem disciplinae vestigium quoad Presbyterium, quia hoc a reliqua Ecclesia quodammodo dividitur et circumseptum cancellis, tamquam locus distinctus et separatus habetur, ita ut, praeter eos, qui Altaris ministerio sunt addicti, aliis, scilicet cujusque gradus, sexus et conditionis laicis praeclusus sit aditus, eo praesertim tempore, quo Sacra peraguntur. Verumtamen aliquae, licet non ita frequentes, sunt Ecclesiae, in quibus vel propter angustiam vel propter structuram Arae maximae Presbyterium caret cancellis et quamvis limitibus aliquo modo circumscriptum, apertum tamen est. Provida *Instructio* huic incommodo occurrit, Rectoribus Ecclesiarum jubens, ut circum munimentum apponant oblongis scamnis, quorum ope Laicis impediatur ingressus. Et hoc in casu, si adsint alicujus Confraternitatis sodales, pro quibus parandum sit scamnum, dum ad orandum veniunt coram Sacramento exposito, hoc

apponendum erit citra provisorium mobile munimentum, ut servetur *Instructionis* praescriptum, de quo agimus *ad* §. *9*.

3. Regula autem isthaec praeceptiva est et omnino servanda, quin pro ejusdem fractione ullam valeat effugium aut praetextus. Nec ad solas expositiones solemnes pro Oratione quadraginta horarum *et alias*, *quae cum aliqua celebritate fiunt et ad plures horas protrahuntur, coercetur; sed extenditur generatim ad omnes et quascumque, licet harum brevis duratio sit.* Idcirco in legem peccant Rectores Ecclesiarum et Sacrariis Praefecti, si scamnis negligant claudere Presbyterii ambitum, ubi lapidea vel lignea septa desunt, sub obtentu, quod brevi durat expositio. Quod tamen intelligendum est de expositionibus publicis, pro quibus vel Sacramentum exponatur detectum vel velatum in Ostensorio sub baldachino; Apostolicum indultum seu legitima facultas intercedat, oportet. Forte enim ad praefatas, quae fiunt, dum aperto Tabernaculi Ostiolo, patet velata Pyxis, quin tamen extrahatur, tanto cum rigore extendenda non est regula de apponendis scamnis, loco stabilis munimenti; quamvis commendabile multum sit, si ita fiat: cavendum nihilominus est, ne Laici proxime ad Aram accedant, et limites Presbyterii licet aperti praetergrediantur. *Lex autem*, quae a Presbyterio arcet laicos, cujuscumque sexus, status, conditionis, gradus, dignitatis sint, *excipit solummodo Regias Personas*, *quibus*, *si adsint*, *permittit*, *ut possint ingredi Presbyterium* ibique immorari ad orandum. Hujusmodi exceptio satis superque demonstrat, nulla indulgentia utendum esse quoad reliquos. Cur autem Regiis Personis indultum id est, quod aliis, etsi sublimi dignitate fulgentibus, denegatur? Non una ratio est; sed nostrum institutum non fert, ut de hoc diatribam instituamus, unum innuisse satis est, quod eaedem ut Sacrae reputantur. Caeterum spartam hanc de arcendis laicis a Presbyterio illustrat *Cl. Catalanus ad Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 13. num. 13*, ubi magna cum eruditione demonstrat, quae fuerit antiqua Ecclesiae disciplina, quae sit ea, qua modo vivimus, quaeve esse debeat vigilantia Pastorum, ut removeantur, si qui irrepserunt abusus, neve novi introducantur. Cuncta ut colligamus, quae sparsim hac de re in *Instructione* habentur *sub* §§. *7*, *9*, *25*, *26 et 27*, summa horum haec est, quod nulla omnino potest esse causa, ob quam Laicis cujuslibet sexus et ordinis liceat, praesertim expositionis tempore, Presbyterium ingredi ibique immorari ad orandum.

4. Ecclesia locus est Orationis, et, dum preces fundimus coram Domino Dominantium, renunciandum foret commoditati, actu supplici, genubus ad terram positis, Deum adorare et abstinere a sedendo opus esset; sed quia humanae infirmitati consulendum est, *tolerantur* scamna et sedes in Ecclesia, et utinam iisdem illi soli uterentur, qui sunt aut senio confecti aut infirmitatibus attriti aut habitu corporis imbecilles, nec proinde diu valent vel pedibus stare vel flexis genubus permanere! *Haec autem indulgentia locum habere nequit*, dum publice atque solemniter expositum est adorationi Fidelium SSmum. Sacramentum. Ideo Instructio postremo jubet: „che durante la detta esposizione non ardischino di far portare respettivamente qualsivoglia sorte di sedie nelle Chiese a qualunque persona d' ogni grado, sesso, e condizione.“ Conveniens quippe non est, ut assistentes sedeant ob reverentiam tanto debitam Sacramento. Cur igitur

Clericis psalentibus in Choro vel coram Sacramento Sacris Mysteriis adstantibus sedere permittitur et Laicis denegatur? Patet discriminis ratio; etenim in persolvendis Officiis sacrisque conficiendis Mysteriis diversus modus, juxta diversas actiones et preces, ordo sedendi, standi, genuflectendi ad Ecclesiasticum ritum pertinet, Clerici necessario haec munia debent obire, quae quandoque longius protrahuntur, nec omnes aeque ea corporis firmitate valent, ut diu possint erecti consistere et simul psalmos, hymnos aliasque ecclesiasticas preces canere, his consulendum erat; sed quia incongruum est, ut in Choro in eadem actione aliqui sedeant, dum alii stant, ideo, agendo de Divina Psalmodia coram Sacramento exposito, ad omnes extenditur indulgentia; dummodo tamen, ut vidimus, omnes: „non omittant saltem in signum reverentiae, detecto capite, existente SSmo. Sacramento super Altari, Divinis Officiis assistere.“ Hae tamen rationes non militant quoad populum confluentem. Quisque enim experiri debet suas vires et cuique liberum est, si diutius nequeat genuflexus permanere, ab Ecclesia discedere. Sedere namque, relate ad populum non ad ritum pertinent, sed ad commoditatem.

5. Adeo urget haec sanctio, ut legem poenalem adjunctam habeat, ne quis sibi det eamdem infringere et quamvis ultra Romanos limites non extendatur, ratio tamen, cui innititur, generalis est et reverentiam Sacrae Eucharistiae debitam respicit. Reverentiam dico, quae eadem semper est, dum Sacramentum est expositum, *quocumque in loco talis fiat expositio.* Igitur si non *Instructio*, eadem tamen ratio plane evincit prohibitionem ad omnes et singulas Christiani Orbis Ecclesias esse extendendam.

§. XXVIII.

»Non si terranno nelle Chiese dell' »esposizioni anche particolari bacili »per l' elemosine, ne v' assisteranno »Religiosi, o altri Ecclesiastici, nemmeno persone laicali per riceverle, »come nemmeno anderanno Chierici, »Confratri, Mandatari, o altre persone »questuando per la Chiesa. Molto »meno dovranno far ciò li poveri, »quali saranno per lo spazio di canne »dieci lontani dalla porta della Chiesa, »sotto le pene contenute nell' Editto »stampato a parte. Che perciò sarà »parimenti cura dei Superiori, e Sa»grestani, e degli esecutori, che v' as»sistano, il procurare, che non entrino »in Chiesa, ad effetto d' evitare la di»strazione dei fedeli, che orano, po»tendo li benefattori caritativi far le »limosine fuori delle Chiese, siccome »ordinò la San. Mem. di Clemente XI. »con special' editto, in cui si proibisce »ad ogni fedele dar nelle Chiese li»mosine ai poveri.«

1. Ad hanc sanctionem pauca adnotat *Cavalerius*, quae opportunum videtur hic iisdem verbis referre: „Ad evitandam fidelium distractionem, quam causat facile intus Ecclesiam tempore cujusvis expositionis, *interdicitur eleemosynarum collectio sive mediis lancibus vel personis stantibus aut Ecclesiam percurrentibus.* Lex est rigidior pro pauperibus, quibus ingressus in Ecclesias causa quaestus pro quocumque ita prohibetur tempore, ut ad repellendam pertinacem illorum oportunitatem, quae vix legibus coerceri potest, speciali edicto cautum sit, ne fideles intra Ecclesiam iisdem eleemosynas elargiantur, extra Ecclesias vero per spatium decem cannarum ab Ecclesiae porta distantes stare praecipiuntur, ne clamoribus et strepitibus Ecclesiam impleant et intus orantes fideles distrahant atque perturbent.“

2. „Quae cum de Ecclesiae collectoribus statuta minime sint, haud ambigo inferre *primo*, quod *extra occasionem expositionis* adhuc intra Ecclesiam juxta priscum Ecclesiae usum, ipsique coevum *fieri valet eleemosynarum collectio* in favorem Ecclesiae, pauperum, animarum Purgatorii aliorumque, juxta temporum circumstantias et circumstantiarum exigentias, dummodo sine strepitu et cum modo fiat. *Secundo:* exposito autem ipso Sacramento fieri posse credimus et consueto modo commendari intra concionem, quae tunc temporis haberetur, hac tamen lege, ut mute fiat et non extendatur ultra concionis tempus. *Tertio:* addere nobis liceat, quod expositionis tempore non removeri mandantur eleemosynarum capsulae, si quae intus Ecclesiam permanenter habeantur, quinimo quod et apponi possunt ad ingressum Ecclesiae vel in alio congruo loco, dummodo nemo assistat, nec apponatur lances aliave vasa ex projectione denariorum apta fragorem edere. Mens enim sanctionis non est tunc temporis elargitionem eleemosynarum universim prohibere, sed solum eam, quae quomodocumque apta est interturbare fidelium preces, et hinc *quarto* subdimus, quod collectores hujusmodi nihil vetat haberi juxta Ecclesiae portam, licet non in distantia, pro pauperibus praescripta, dummodo ita se gerant tacite, ut inde nullus rumor vel perturbatio obveniat orantibus intra Ecclesiam.“ Hactenus *Cavalerius.*

3. Tametsi limitationes hujusmodi suam habeant vim, non sunt tamen ita ampliandae, ut sine casuum distinctione ubique et semper ad placitum locum sibi vindicare possint. Legem eludere non licet, et ubi non urgeat necessitas, servanda est regula. Concedam tamen aliquid de juris rigore esse laxandum favore illarum Ecclesiarum, quarum opes impares sunt ad digne ac decenter illam solemnem functionem peragendam, quam propterea nequirent perficere, nisi identidem, urgentibus locorum ac temporum circumstantiis, aliquod sibi compararent subsidium a fidelium pietate. Verumtamen magna cum cautela id fieri oportet, cum ne distrahantur ab oratione fideles, tum ne aliquibus eleemosynarum collectio offensioni et scandalo sit. Idcirco ab ea quaeritanda intra Ecclesiae ambitum abstinendum et satius est id fieri silenter ad Ecclesiae januam, etiam in expositionibus minus solemnibus et particularibus, ad quas etiam extenditur *Instructio.* Nam hujus finis praecipuus est, quod nulla praebeatur occasio fidelibus avertendi mentem et animam ab oratione. Eumdem quoque modum tenendum esse reor, si conciones habeantur in hisce particularibus expositionibus (nam in Oratione quadraginta horarum, si Praesidum permissu brevia habeantur colloquia, nullo modo eleemosynae quaeritandae sunt). Possunt equidem concionatores excitare Fidelium pietatem ad elargitionem eleemosynae erogandae in Cultum Divinum, sed maxime expedit, ut simul adstantes moneant, *quod collectio fit ad Ecclesiae januam.* Nam si intra Ecclesiam fiat, vix ac ne vix quidem obtineri poterit, ut mute et sine aliquali strepitu fiat, quemadmodum vellet *Cavalerius.*

4. Quid de pauperibus dicam? Horum egestati succurrere magnum opus misericordiae est et meriti plenum: aliquorum tamen nimia refraenanda licentia est et multum incommoda petulantia, dum Ecclesiae religionem non veriti *per Templorum ambitum nec ullum dent debitae reverentiae loco sancto inditium, sed undique discurrunt, distrahentes et perturbantes ab oratione fideles. Provide idcirco Pontifices Summi, ut huic malo occur-*

rerent, *jusserunt ne egenis liceret petere eleemosynam in Ecclesiis. S. Pius V.* Constitutione *Cum primum dat. 1. Aprilis 1556* §. *5* Ecclesiarum Rectoribus praecipit: „Pauperes quoque mendicantes seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, Praedicationum aliorumque Divinorum Officiorum ire non sinant, sed eos *ad valvas Ecclesiarum stare* faciant sub poena etc.", et Clemens XI. prius injunxit *anno 1703* Concionatoribus, ut populo in Quadragesima annuntiarent majoris esse meriti sibique gratius non dare iisdem eleemosynam in Ecclesiis, sed in earumdem januis vel alibi. Deinde vero intelligens continuare nihilominus talem abusum, *sub die 11. Julii ejusdem anni* promulgare fecit, et in locis solitis Urbis et ad valvas omnium Ecclesiarum tam saecularium quam regularium sequens edictum: „Riconoscendosi, che tuttociò non sia stato bastante ad impedire le sudette questuazioni, la Santità di Nostro Signore etc. espressamente proibisce a tutti i fedeli dell' uno e dell' altro sesso di qualsivoglia stato, grado, condizione il dare limosina di qualsivoglia somma, benchè tenuissima a mendicanti in qualunque tempo dentro le Chiese, avvertendo, che quelli, che in esse faranno a poveri la limosina, non solamente per cagione delle sopraespresse circostanze non faranno atto meritorio, ma saranno positivamente colpevoli per avere, benchè indirettamente, cooperato alla irriverenza della Chiesa e ai disturbi e distrazioni delle preghiere, ed orazione de' devoti, ed anche per aver trasgredito li premurosi commandamenti di Sua Santità, che hanno per unico oggetto la riverenza, il decoro e la qiete, che per divino precetto sono dovuti ai sagri Tempi." Hujusmodi edictum pluries fuit confirmatum, praesertim vero *a Cardinali Caracciolo, Pro-Vicario, die 13. Augusti 1716, et a Cardinali Paracciano, Vicario, die 23. Septembris 1718*, a quo ampliatum multipliciter fuit, ut radicitus evelleretur abusus.

5. Porro haec nostra Instructio ad observantiam revocat legem edictalem San. Mem. *Clementis XI.* de eleemosynarum elargitione in Ecclesiis vitanda: „potendo li Benefattori caritativi far le limosine fuori delle Chiese, siccome ordinò la San. Mem. di Clemente XI. con speciale editto, in cui si proibisce ad ogni fedele dar nelle Chiese limosine a poveri." Quod si generaliter id est interdictum, ne religioni inferatur detrimentum, multo magis esse debet, dum in throno patet Augustissimum Sacramentum, in cujus adoratione omnes circumstantes unice debent esse intenti. Quamobrem, ut vidimus, et alia etiam jubet *Instructio,* quae eumdem finem habent, removendo scilicet quamlibet distractionis et perturbationis occasionem. Quoniam vero nedum turbari possunt fideles a pauperibus stipem intus Ecclesiam quaerentibus, verum etiam ab eorum vocibus et clamoribus, si prope adstarent, consulto hos arcet Instructio „per lo spazio di dieci canne lontani dalla porta della Chiesa." Forte non semper, non ubique haec servari poterit distantia (optandum tamen et curandum, ut servetur), studeant saltem Ecclesiarum Rectores, quod eo in loco pauperes sint, unde eorum voces usque ad Ecclesiam non perveniant.

§. XXIX.

»Si avverte, che non termini l' Ora»zione in una Chiesa, se non che dopo »che sarà principiata nell' altra, e ciò »si osserverà da qualunque Chiesa »benchè Basilica e Collegiata, o in »qualsivoglia modo privilegiata.«

Nihil in hac sanctione occurrit notatu dignum. Per eam consultum est

perennitati Orationis. Nam si cito nimis in una Ecclesia repositione Sacramenti cessaret Oratio, in alia vero longe tardius expositione inciperet: fieret contra institutum, quod exigit, ut per integrum anni circulum, ne ad minimum quidem temporis spatium debeat intermitti. Quamvis vero Romae ita sit omnino servandum et ubi alibi idem fiat, lex non urgeat, ipsa tamen instituti ratio jure quodam suo postulat, ut si alicubi more romano in usu sit Oratio quadraginta horarum, non in una alterave Ecclesia tantum, disjunctis intervallo temporibus, sed in quamplurimis per turnum distinctis, ad integrum anni spatium complendum, eadem regula obtineat, ne ulla sit hora in ea Civitate vel loco, in qua SSmum. Sacramentum publice et patenter non sit expositum. Atque eadem ratio est, ob quam lex dirigitur ad omnes omnino Ecclesias, vel hae sint Basilicae, Collegiatae vel quibuscumque auctae privilegiis. Nam si hae exemptae a legis praescripto censerentur, facile evenire posset, ut saltem ad breve tempus Oratio, quae perennis esse debet, interruptione cessaret. Ut supra vidimus ad §. *XII. num. 1. S. Carolus Borromeus*, ne Oratio intercipi contingeret, jussit: „comincisi l' orazione nella Chiesa seguente un' ora prima che finisca nella precedente“, quamvis juxta illius Ecclesiae morem oratio: „duri in ciascun luogo il tempo preciso solo delle quarant' ore, e non più oltre.“

§. XXX.

»Terminata la Messa della repo»sizione, il Celebrante prenderà il »Piviale (osservando il rito respetti»vamente sopra descritto dopo la Messa »dell' esposizione), e genufletterà con »i Ministri avanti il Santissimo Sacra»mento nel mezzo sull' infimo grado »dell' Altare. Immediatamente i Can»tori principieranno le litanie, e si »continuerà sino al ℣. *Domine exaudi »orationem meam* inclusive. Dopo al»zatosi il Celebrante con i Ministri, »porerà ivi nel mezzo l'incenso senza »benedizione, e genuflesso incenserà »tre volte il SSmo. Sacramento, e »prenderà il velo umerale. Fatta l'in»censazione, il Diacono, con le do»vute riverenze leverà il Sacramento »dal Trono, ed immediatamente stando »in piedi lo consegnerà al Celebrante »genuflesso, genuflettendo anche esso »Diacono subito, che averà consegnato »il Sacramento; pratticandosi poi re»spettivamente ciò, che nell' esposizione »si è detto circa le ceremonie, e rito »della Processione etc.«

1. Dum ad illustrandam hanc sanctionem accedo, operae pretium esse arbitror ritus et caeremonias exponere, quas communiter Auctores liturgici tradunt omnino servandas in solemni Missa ad Aram, in qua expositum est Sacramentum, celebranda. Ea omittam, quae cuicumque Missae solemni communia sunt, persequar tantummodo ea, quae peculiaria sunt pro hac Missa. Itaque pro repositione SSmi. Sacramenti solemnis Missa praemitti debet, uti etiam celebrari solet coram exposito in solemni Octiduo SSmi. Corporis Christi; et licet alias, ut vidimus, a celebrando coram eo abstinendum sit, nihilominus alicubi, nescio an ex privilegio an ex consuetudine, nonnunquam extra praefatos casus solemne Sacrum peragitur.

2. Sed en statim se offert dilucidanda quaestio: *num in hac, quemadmodum in omnibus aliis Missis vel cantatis vel lectis, celebratis coram Sacramento exposito collocanda sit Crux in Altari?* Equidem apponenda non est, ut ibi conspiciatur per integrum spatium, quo durat expositio; controversia limitatur ad tempus Sacrificii. *Rubrica missalis* sine ullo

discrimine jubet *part. 1. tit. 20:* „quod super Altare collocetur Crux in medio.“ Hac attenta *Rubrica* magnum fuit olim inter liturgicos Scriptores dissidium. Negabant alii Crucem apponendam esse in Altari, dum expositum patet Sacramentum, ea potissimum ratione innixi, quod, ubi adest in throno figuratum, non est, cur simul apponatur ejusdem figura. *Gavantus,* qui *part. 1. tit. 20. litt. u.* docet, „in Altari, *in quo asservatur Sacramentum clausum in Tabernaculo, collocandam esse Crucifixi imaginem, si in eo celebranda sit Missa*“, agens alibi, scilicet *part. 2. tit. 14. num. 6.* de Missa coram Sacramento exposito ac praecise de genuflexionibus et thurificatione, ait: „Pro Cruce, quae adesse non debet, incensetur Sacramentum.“ In eadem sententia sunt *Bauldryus, Bissi* aliique plurimi. Contrariam vero tuentur *Pasqualyus de Sacrific. novae legis qnaest. 715. num. 2, Hannao tom. 2. de Sacrificio Missae disput. 25. sect. 5. num. 9, Oliverius Bonartius de Missae Sacrificio lib. 1. cap. 19. num. 3, Caeremoniale Exalceatorum SS. Trinitatis et Ordinis de Mercede,* ac tandem, ut de aliis sileam, novissime horum sententiae accessit *Meratus part. 1. tit. 20. num. 7. et tit. 14. num. 7,* qui a doctrina *Gavanti* recedens, existimat parvam Crucem esse apponendam et hoc conforme esse *Rubricae,* quae, cum indefinite expostulet Crucem in Altari, in quo est celebrandum, nullam exceptionem videtur admittere.

3. Explodunt hi contrariam sententiam, quia figuratum, id est, reale Christi Corpus praesens est sub speciebus Eucharisticis ob oculos fidei et mentis, non vero ob oculos corporis. Sed *Rubrica* praescribit praesentiam figurae, quae sit ob oculos Celebrantis, ut facilius actu sibi revocet in memoriam passionem Christi ejusque cruentum Sacrificium, quae quidem memoria, attenta infirmitate nostrarum distractionum, magis ex Crucis sensibili aspectu, quam ex ipsa Hostia in nobis excitatur; sicuti fatetur et ipse *Gavantus loc. cit.,* ut firmet regulam, quod apponenda est Crux in Altari, in quo asservatur Sacramentum reconditum in Tabernaculo. Sed facile refelli possent rationes istae, si nostri instituti esset quaestionem hanc solida argumentatione discutere et liberum alteram tueri sententiam, quod arbitror non licere, postquam Apostolica Sedes sua interposita auctoritate declaravit variam Ecclesiarum sonsuetudinem servandam esse, ut mox videbimus.

4. Huic declarationi praelusisse videtur *Paulus Maria Quarti,* qui *ad Rubricas Missalis part. 1. tit. 20. quaest. 10.* censet, Crucem necessariam non esse, quia Sacramentum palam expositum ex se aptum est deservire ad fines, ob quos Crux apponitur. Verum non arbitratur inconveniens, si nihilominus apponatur, quia inconveniens non est, quod, ubi est Persona Principis, sint etiam ejus Insignia et Imago; alias quippe cum, peracta Consecratione, Christus constituatur illico realiter praesens, necesse foret Crucem statim ab Altari removere. Axioma igitur illud: „ubi est figuratum, debet cessare figura“, intelligendum apparet de Sacrificiis veteris legis, quae erant figura Sacrificii, Crucis et Christi Crucifixi, non vero de Imagine Crucis et Crucifixi, qua repraesentatur ipsa realis Crucifixio jam consummata et ponitur ob oculos corporis, quod SSma. Eucharistia minime praestat, unde et usus obtinuit, quod in ipsa Hostia consecrata habeatur nihilosecius impressa Imago Crucifixi.

5. Haec autem sententia est, quae ex declaratione *Congregationis Sacro-*

rum Rituum et successiva *Constitutione San. mem. Benedicti XIV.* modo obtinet. Equidem *Sac. Congregatio sub die 14. Maji 1707* in una *Senarum*, proposito Dubio: „An super Altare, in quo SSmum. Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat?" non sine magna suffragiorum discrepantia, ut testatur laudatus Pontifex in dicta Constitutione, responderat: „Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi apposita collocationem"; re tamen maturius discussa *in Acquen. 2. Septembris 1741* quamlibet Ecclesiam in sua consuetudine esse edixit. En verba Decreti: „Etsi Decretum hujus Sacrae Congregationis de anno 1707 praecipiat, quod in Altari, ubi est publice expositum SSmum. Sacramentum tempore Sacrificii, Crux de more collocetur, non est tamen in viridi observantia et Patriarchales Ecclesiae Urbis oppositum servant. Supervacaneum enim adjudicant Imaginis exhibitionem, ubi Prototypus adoratur. Et hacce de causa Instructio pro Oratione quadraginta horarum Clementis XI., Benedicti XIII. et Clementis XII. Summorum Pontificum jussu edita sub silentio praeterit: an locanda removendave sit hujusmodi Crux, linquens quemlibet in sua praxi." Et haec est sententia, quam commendat, tenet servandamque proponit *Benedictus XIV.* in sua Constitutione *Accepimus**) *etc. die 16. Julii 1746,* ubi, variis sententiis expositis ac relato S. R. C. Decreto, concludit: „Quae cum ita se habeant Rituumque interpretes et Scriptores ob ea, quae mox relata sunt, in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea, quae prudenter sapienterque decreta fuerunt a praedicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quaelibet Ecclesia vel Dioecesis suam retineat consuetudinem, ita ut nihil immutetur in ea Dioecesi, ubi Crux in Altari constitui solet, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice prostet. Neque nova disciplina excitetur in ea Dioecesi, ubi contraria hujus rei consuetudo jampridem invaluerit."

6. Quaelibet igitur Ecclesia suam servet praxim. Quod si mos obtineat collocandi Crucem, *duo* notanda sunt. *Primum*, quod apponenda erit tempore dumtaxat Sacrificii. Hoc expleto, cessat ratio, propter quam apponitur. *Secundum*, quod thurificato Sacramento, non est incensanda, sed Crucis incensatione omissa, illico est procedendum ad thurificationem Altaris. Ita sancitum est a S. R. C. *in Carthagenen. 19. Novembris 1738,* quae proposito dubio: „An, dum incensatur Altare, in quo est expositum publicae adorationi Venerabile, utrum post illud incensatum, debeat quoque Crux incensari?" absolute respondit: „Negative." Hac super re videri possunt *Cavalerius tom. 4. cap. 7. Decret. 32. num. 3. et cap. 18. Decret. 5. num. 5. ac Tetamus in Append. cap. 3. art. 2. num. 7.*

7. Praemittendum id erat: ad explanandum ea, quae peculiaria sunt Missae coram Sacramento celebratae, modo progredior. ***Isthaec Missa, cum sit revera solemnis, non secus ac cum Ministris paratis celebrari debet,*** quemadmodum jubet *Instructio* de omnibus Missis, quae per expositionis triduum cantandae sunt. Hinc Celebrans et Ministri e Sacrario exeuntes, vix e conspectu sunt Sacramenti, etiam priusquam Capellam ingrediantur, in qua est expositum, omnes caput denudare debent et bireta tradere Caeremoniario aut assistentibus Clericis. Cum vero ad Altare pervenerint in plano Presbyterii ante infimum gradum omnes flectunt utrumque genu et simul caput profunde inclinant, quod solum fit cum primum ad Altare

*) Vd.: *Imago Crucifixi super altare.*

accedunt et finita Missa, ab eo non reversuri, recedunt; nam in Missae prosecutione, dum accedendum vel recedendum est aut ab uno ad alterum Altaris latus transeundum, dexterum dumtaxat genu flectendum est, ut alias vidimus et communiter notant *Gavantus part. 2. tit. 14. num. 5. ibique Merati* cum aliis pluribus ab eodem laudatis. Id fit, ut facilius et commodius surgant et nimis cunctandum non sit in sacris muneribus ex rubricarum praescripto peragendis. Advertendum praeterea est, quod faciendo genuflexionem unico genu, non debet caput inclinari, ut a multis perperam fieri notat *P. Meratus ibidem.* Sed et aliud insuper animadvertendum, ne Sacri Ministri prope Altare vel accedentes vel recedentes, dum genuflectunt, manum extremitatem ad Altaris oram admoveant; nam id soli Celebranti permittitur, dum manus impeditas non habet.

8. Facta confessione absque ulla genuflexione accedunt ad Altare, ubi deinceps unico genuflectunt et Celebrans dicit: *Oramus te Domine etc.* juxta solitum; mox imponit incensum in thuribulum, non in medio Altaris, sed tantillum conversis humeris ad cornu Evangelii, facie vero ad cornu Epistolae, quod semper servandum est, dum imponitur thus ad Altare, in quo expositum est Venerabile. Diaconus aliquantulum inclinatus ministrabit naviculam, Thuriferario stante vel genuflexo ob Celebrantis commoditatem sustentante thuribulum juxta morem; a Celebrante benedicendum est thus, quia, praeter Sacramentum, adolendum est etiam Altare ac dein ipse Sacerdos. *Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 23. num. 19., Gavantus et Merati loc. cit., Bauldryus part. 2. cap. 9. art. 3. num. 3.* Diaconus autem ob Sacramenti reverentiam abstinere debet ab osculis, dum et naviculam et thuribulum porrigit Celebranti. Imposito et benedicto thure, recedente Thuriferario ad locum suum cum debita genuflexione, Celebrans cum Ministris Sacris descendit ad secundum gradum Altaris aliquantulum oblique conversus, ita ut in descensu terga non vertat Sacramento; genuflectit in *suppedaneo* medius inter Sacros Ministros ibi pariter genuflexos; thuribulum accipit a Diacono sine osculis statimque, praemissa cum Ministris profunda inclinatione, incensat Sacramentum triplici ductu, motu gravi, interposita brevissima morula unum inter alterum ductum, et eo tempore Ministri Sacri aliquantulum elevant posteriorem partem Planetae, interim omnibus circumstantibus manentibus genuflexis.

9. Fatetur *Meratus* praxim Basilicarum Urbis, quae omnium Ecclesiarum Mater est et Magistra, eam esse, quam supra posuimus, videlicet, quod in suppedaneo genuflexus Sacramentum incensat, atque ita faciendum esse communiter Auctores Liturgici docent, quos inter *Gavantus*, qui ait: „Incensatur Sacramentum a Celebrante *super altiorem Altaris gradum*"; nihilominus subdit, praefatum ritum contrarium videri *Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 33. num. 26*, unde notat aliquos in ea versari sententia, quod Celebrans debeat in infimum gradum descendere ibique thure adolere Sacramentum. Hi tamen casus omnino diversos mire confundunt. *Caeremoniale loc. cit.* agit de thurificatione Sacramenti in solemnitate SSmi. Corporis Christi *post Processionem*, et tunc bene est, quod Celebrans, qui unice incensare debet Sacramentum, illud e loco incenset, in quo genuflexus jam reperitur. At diversa ratio est quoad Missam, in qua Celebrans loco moveri debet, ut Sacramentum genuflexus incenset, quo incensato,

procedendum est ad thurificationem Altaris. Consultus super hac quaestione eruditissimus Episcopus *Pompejus Sarnelli, lettere Ecclesiastiche tom. 8. lett. 26.* adhaeret communi sententiae, casusque opportune distinguit, docens, quod quando incensatio fit extra Missam, tunc procul dubio debeat haec fieri a Sacerdote genuflexo super infimo Altaris gradu; sed quando occurrit incensare Sacramentum intra Missam solemnem celebratam coram eodem Sacramento exposito, tunc, inhaerendo sententiae *Gavanti part. 2. tit. 14. num. 6. et num. 12.*, tenet cum ipso, Sacramentum incensari debere a Celebrante super altiorem Altaris gradum una cum Ministris genuflexo, ut sit magis expeditus idem Celebrans ad caeteras functiones ejusdem Missae peragendas.

10. Atque hic *Cavalerius* quaestionem movet: An Sacerdos, dum se, ut supra, retrahit ab Altari pro impositione incensi et iterum se constituit ad Altaris medium descensurus illico ad incensationem Sacramenti, debeat genuflectere? Suggillat *Meratum,* inquiens: *Negat Meratus part. 2. tit. 14. num. 7,* „qui tamen sibi discors num. 12. genuflexionem demandat, nec aliter exposcit generalis regula, quam ipse cum universitate Doctorum firmat, genuflectendi scilicet in accessu quolibet et recessu ab Altaris medio aut transitu per ipsum." Ego autem hanc non agnosco discordiam, imo si quis carpendus est, potius *Cavalerius*, qui diversos casus diversasque actiones non distinguit, quam *Meratus* videtur. Is namque de hac incensatione agens ait utique: „sine ulla genuflexione descendit ad secundum gradum Altaris", et jure quidem, quia, imposito thure, statim incensandum est Sacramentum et cum genuflectendum sit in suppedaneo, non video, cur genuflectere debeat, antequam descendat. Diversus est casus in secunda thurificatione, quia, antequam incensetur Sacramentum, incensanda sunt Oblata, utpote quae pertinent in praeparatione et purificatione materiae ad essentiam Sacrificii, et in hac circumstantia docet clariss. Auctor: „antequam Celebrans se retrahat aliquantulum ad cornu Evangelii ad imponendum incensum, genuflectere debet, sicut etiam postquam imposuit incensum et convertit se ad Altare thurificaturus Oblata": sibi tamen constans genuflexionem fieri negat, priusquam descendat ad thurificandum Sacramentum: *iis incensatis* (scilicet Oblatis) sine genuflexione Celebrans et Diaconus descendunt ad secundum gradum Altaris, ut genuflectant super suppedaneum: actiones sunt diversae, diversus etiam est modus. Ubi ergo discordia?

11. Caeterum non desunt, qui docent nec genuflectendum priusquam incensetur Oblata. Ita *Gavantus part. 2. tit. 14. num. 12:* „In oblatione Oblatorum benedicit incensum et sine genuflexione incensit Oblata; tum genuflexus super altiorem gradum incensat Sacramentum." *Bauldry part. 3. cap. 17. num. 11:* „Incensaturus Oblata, statim benedictione facta thuris, eadem incensat, non prius genuflectens", quod magis confirmat *part. 2. cap. 8. art. 3,* ubi expresse agit de thurificatione SSmi. Sacramenti expositi in Altari, praecipue *num. 3. et 6. Corsetti part. 1. tract. 1. cap. 17. num. 9:* „In incensatione Oblatorum benedicitur incensum de more et sine genuflexione Celebrans incensat Oblata." Horum sententiae adhaerendum videtur, quia revera Celebrans impositurus thus, non discedit ab Altaris medio, sed tantillum se retrahit, conversis humeris ad latus Evangelii, ministrante Diacono e cornu Epistolae, ita ut thuribulum in medio sit, quia igitur cessat ratio accessus

et recessus vel transitus, jam patet, jure omittendas esse genuflexiones.

12. Incensato Sacramento, Celebrans et Sacri Ministri, praemissa profunda inclinatione, surgunt et ad Altare accedunt, ubi omnes genuflectunt unico genu; mox Celebrans incensat Altare more solito et quoties transit ante Altaris medium una cum Ministris semper unicum flectit genu. Advertendum hic est, quod illis in Ecclesiis, in quibus mos obtinet apponendi Crucem cum imagine Crucifixi, ut supra jam monui, Crux non est thurificanda, siquidem, incensato Originali, non est, cur incensatur ejusdem figura. Solum in *Feria VI. majoris Hebdomadae* post incensatum Sacramentum, incensatur etiam Crux, quia tali die speciali cultu Crucem Christi Domini veneramur, et ideo, nemine excepto, omnes ante eam transeuntes genuflectunt. Completa autem Altaris incensatione Celebrans a parte laterali Epistolae descendit in planum, ubi se convertit ad populum, advertens, ne terga vertat Sacramento, idcirco, dum descendit, respiciat cornu Evangelii. Ibi in plano incensatur triplici ductu a Diacono stante contra ipsum, scilicet conversis humeris ad populum, qui Diaconus ante et post incensationem se profunde inclinat Celebranti; Subdiaconus vero interim se collocabit a sinistris Diaconi, vertendo pariter terga populo. Caeremoniarius et Thuriferarius consistant in locis consuetis. Ita erit servandum etiam in alia incensatione ad Offertorium, et in eodem loco pariter Celebrans manus lavabit. Unum solum discrimen erit, quod tunc Subdiaconus non accedat ad sinistram Diaconi thurificantis, sed manebit in plano, ubi reperitur tectam velo Patenam sustinens.

13. Quoties Celebrans ad populum se debet convertere dicturus *Dominus vobiscum etc.* prius osculatur Altare, quando est faciendum, deinde, facta genuflexione in medio, se tantillum retrahit ad cornu Evangelii et ita se vertit oblique ad populum, humeris conversis potius ad cornu Evangelii, quam ad Altare et ad medium se restituens iterum genuflectet. Idem praestandum est ad *Orate Fratres.* Notandum tamen, quod circulum non debet perficere, sed ad Altaris medium reverti, ut fit ad ℣. *Dominus vobiscum.* Haec autem tenenda est methodus in Altari osculando, ut quoties Celebrans jam est in medio Altaris, prius illud osculari debeat et postea genuflectere; quando vero non est in medio, sed venit ab aliquo Altaris latere, prius genuflectat et postea osculabitur Altare. *(Vd. n. 18.)*

14. Quamvis vero, exposito Sacramento, ut saepe dictum est, omitti debeant oscula manus et rerum, quae Celebranti porriguntur, nihilominus Subdiaconus, dicta Epistola, osculabitur manus Celebrantis more solito et ab ipso benedicetur: Diaconus vero recipiet benedictionem ante Evangelium de more et manum Celebrantis osculabitur, sicut ipse Celebrans osculari debet librum Evangelii a Subdiacono ipsi delatum. Rursus Diaconus ad Oblationem osculabitur Patenam, Calicem et manum Celebrantis, tum in fine Orationis Dominicae easdem Patenam et manum similiter osculabitur. Unde patet, quod illa tantum omitti debeant oscula, quando faciendum aliquid est, quod specialiter Sacramentum expositum dumtaxat respiciat, non illa, quae ad ritum Missae solemnis proprie pertinent. Percontabitur fortasse quis: Cur ergo Diaconus abstinet ab osculis cochlearis et manus, quando Celebrans impositurus est incensum in thuribulum? Licet Scriptores velint a Celebrante benedici debere thus, quia praeter Sacramentum

etiam Altare thurificandum est ac insuper etiam Sacerdos. Objectum, ut verum fatear, aliquam habet vim; facilis tamen est solutio. Si standum esset, sine casuum distinctione, *Caeremoniali Episcoporum*, nedum ab osculis verum etiam ab ipsa benedictione foret abstinendum. Ita *lib. 2. cap. 33. num. 19.* „absque osculo cochlearis et manus Episcopus cum Mitra sine benedictione thus imponet etc. et num. 36. imponet incensum sine benedictione et osculo:" notandum tamen, quod ibi res est de thurificando Sacramento extra Missam. Diversa ratio est intra Missam, in qua eadem actio duplex habet objectum, scilicet thurificationem Sacramenti nec non Altaris et Celebrantis, ac etiam Oblatorum post Offertorium. Ideo autem indicitur benedictio, quia thure adolenda sunt Altare, Oblata et Celebrans; imo Oblata, ut ad essentiam Sacrificii pertinentia, ante Sacramentum: unde consequitur non ratione Sacramenti, sed ratione Altaris, Oblatorum ac ipsius Celebrantis thus benedici. Oscula vero omittuntur, quia sunt actus mere reverentiales, qui locum habere nequeunt exposito Sacramento. At actus mere reverentiales non sunt oscula manus Celebrantis post Evangelium et Epistolam, Calicis, Patenae etc. sed potius mixti, qui, cum ad ritum pertineant, omitti non debent. Si haec non arridet ratio, quae mihi non levis videtur ponderis, quisque quam mavult sententiam teneat, dummodo validiora afferat argumenta, quae allatas rationes evertant.

15. Post Offertorium Celebrans imponit incensum in thuribulum, ut supra dictum est, et ad altare conversus de more incensat Oblata, quibus incensatis, Sacerdos et Diaconus descendunt, et genuflexus Celebrans in suppedaneo, Diacono a dexteris pariter genuflexo ministrante thuribulum, incensat SSmum. Sacramentum. Hic iterum *Cavalerius* carpit *Meratum*, qui Diaconum genuflexum collocat ad dexteram Celebrantis in suppedaneo; sed paulo post, quasi poenitens, eum ponit in gradu inferiori. Immerito tamen: nam Cl. Auctor ait tantummodo: „*Interim Diaconus* aliquantulum retro … *Casulam elevatam tenebit:*" ac refert opinionem *Cerracchini*, qui eum collocat in gradu inferiori. Sed illud *aliquantulum retro* non aliud significat, nisi quod Diaconus genuflexus in suppedaneo, dum elevat casulam, non teneat eamdem physice lineam. Nec arridet ratio a *Cavalerio* allata, ut eum a suppedaneo dejiciat, „sic exigente dignitate Sacerdotali, quae non videtur valde convenienter pati, Diaconum a dexteris in eodem gradu, sed magis in inferiori, in quo aeque commode ministrare valet: „Nam si Diaconus eum locum tenet, non ideo tenet, ut sibi indebitum honorem usurpet supra Celebrantem, verum ut necessitati inserviat et ad ministrandum sit paratus et promptus: at non esset, si inferiorem teneret gradum. Quod et ipse *Cavalerius* cum dissimulare nequeat, fateri cogitur immediate subdens: „Quoniam tamen etiam a dexteris positus in eodem gradu assistit, ut ministrans, probabile valde est etiam, in eodem gradu se collocare posse."

16. Id autem speciale habet hujusmodi thurificatio, quod licet in aliis solemnibus Missis, dum incensatur Crux, Calix e medio Corporalis amoveri debeat et ad latus collocari, non idem faciendum sit in Sacramenti incensatione, tametsi haec stet loco incensationis Crucis. Et ratio est, quia, dum incensatur Crux, ideo seponitur Calix, quia periculum est, ut thuribuli ductu Calix concutiatur et decidat vel saltem vinum pro Consecratione jam oblatum effundat. Hoc autem non im-

minet periculum in thurificatione Sacramenti, quae non fit prope Altare, sed longe ab eo, scilicet in suppedaneo.

17. Postea Celebrans cum Diacono surgit et cum eodem ascendit ad Altare, ubi ab utroque facta genuflexione unico genu, illud incensat more solito dicens: *Dirigatur Domine etc.* Diacono elevante partem posteriorem Planetae Celebrantis, ut in aliis solemnibus Missis. Incensato Altari Celebrans reddit thuribulum Diacono in cornu Epistolae, deinde descendit per gradus laterales ejusdem partis in planum, ubi conversus ad populum incensatur a Diacono et quin loco moveatur, ibidem lavat manus, Ministro non osculante ampullas, easque astergit: et mox iterum ad Altare ascendit, ubi facta genuflexione, Missam prosequitur usque ad Communionem juxta solitum, si excipias, quod ad *Orate fratres* non perficit circulum, ut notatum est supra. *Diaconus vero, incensato Celebrante, procedit ad thurificandum de more Chorum* et redit ad Altare cum debitis genuflexionibus, ubi a parte Epistolae incensat Subdiaconum et inde, facta genuflexione, pergit ad locum suum, ubi, repetita genuflexione, pergit ad locum suum, ubi repetita genuflexione, incensatur a Ministro et postea cum genuflexione loco movetur, ut pergat ad ministrandum Celebranti. *Minister vero ultimo loco*, facta genuflexione in medio Presbyterii, procedit ad ingressum ejusdem et quasi stans a latere Evangelii, non in medio, ne terga vertat Sacramento, *more solito populum incensat.*

18. Sumpta Purificatione, Celebrans ponit Calicem in cornu Epistolae extra Corporale, postea genuflectit Sacramento, tum accedit ad cornu Epistolae, ubi accipit Calicem, abluit et astergit digitos, posito Calice prope Corporale: deinde accedit ad medium Altaris, ubi iterum genuflectit et mox Calicem dextera accipit et ablutionem sumit, qua sumpta Calicem astergit Subdiaconus, de more accommodat, aufert ab Altari, ad credentiam defert, cum debitis genuflexionibus: Celebrans vero genuflectit et redit ad librum, ubi versiculum legit, qui *Communio* dicitur, inde reversus ad medium Altaris, illud osculatur et genuflectit, (Vd. n. 13.) conversusque ad populum dicit *Dominus vobiscum,* quo dicto, convertitur ad Altare, genuflectit et osculatur; Ministri Sacri, qui eum sequuntur pariter genuflectunt: regressus ad librum canit orationem aut orationes, si plures dicendae sunt, quibus absolutis, accedit ad medium Altaris, illud osculatur et post genuflexionem versus populum dicit *Dominus vobiscum;* Diaconus vero dicturus *Ite Missa est*, prius genuflectit, vertit se versus populum, ita tamen, ut oblique illum respiciat et terga non vertat Sacramento et cantat *Ite Missa est,* Subdiacono de suo loco non se movente.

19. Dicto *Ite Missa est* et responso a Choro *Deo gratias*, Celebrans et Diaconus iterum se vertunt ad Altare et ab utroque facta genuflexione, Celebrans dicit: *Placeat tibi Sancta Trinitas etc.* et interim Diaconus et Subdiaconus facta genuflexione recedunt a medio Altaris et ille a cornu Epistolae, iste a cornu Evangelii utroque poplite genuflectunt in suppedaneo expectantes Celebrantis benedictionem: *Celebrans vero dicit: Benedicat vos Omnipotens Deus; tum genuflectit,* convertitur ad populum et tantisper secedens ad cornu Evangelii, ut alias notatum est, impertitur populo benedictionem more solito; qua data, non perficit circulum, nec redit ad medium pro facienda genuflexione, sed procedens versus Altare recedit ad legen-

dum *Evangelium S. Joannis*, ad cujus initium non signat Altare, sed tabellam Evangelii et se ipsum et ad: *Verbum caro factum est etc.* non genuflectit versus cornu Evangelii, *sed aliquantulum versus Sacramentum*, unico tamen genu, *sine capitis inclinatione.* Finito Evangelio cum Sacris Ministris pergit ad medium Altaris, ubi omnes genuflectunt.

20. Haec ad Missam pertinent, nunc ad *Instructionem,* quae regulas tradit quoad ea, quae agenda sunt post Missam. Itaque, cum statim fieri debeat Processio pro Sacramenti repositione, Celebrans una cum Ministris, facta genuflexione unico genu in medio suppedanei sine capitis inclinatione, praecedente Subdiacono, sequente Diacono descendit per gradus laterales a cornu Epistolae in planum et ad credentiam, sive ad locum paratum retro Altare, exuit Planetam et deponit Manipulum, prout etiam deponunt Ministri Sacri, et induit pluviale ejusdem coloris, qui Missae convenerat: mox junctis manibus, nudo capite, medius inter Sacros Ministros elevantes hic inde pluvialis fimbrias, pergit per planum Presbyterii et e conspectu Altaris tam ipse quam Sacri Ministri utroque poplite cum profunda reverentia genuflectunt, mox surgunt et sine capitis inclinatione genuflectunt in infimo gradu Altaris, ibique permanent, donec absolvantur preces.

21. Ut jam diximus supra, cantandae sunt Litaniae Sanctorum et adjunctae preces, prout notantur in libro, nisi pro temporum circumstantiis ad Superiorum placitum variandae sint. Hoc autem intercedit discrimen quod pro Sacramenti expositione prius per Processionis tractum cantatur hymnus *Pange lingua etc.*, et in reditu ad Altare stropha *Tantum ergo* cum sequenti; deinde Litaniae cum precibus et orationibus: in repositione vero Litaniae et preces cantandae sunt ante; postea intonatur Hymnus, fit interea Processio, qua expleta et collocato Sacramento in Altari, cantatur *Tantum ergo* cum versiculis et orationibus. Hinc praecipit sanctio: „Li Cantori principieranno le littanie, e si continuera sino al: Domine exaudi Orationem meam etc.“ Post hunc versiculum surgit Sacerdos cum Ministris, imponit incensum in thuribulum sine benedictione et osculis, ministrante Diacono naviculam, *et Subdiacono elevante dexteram Pluvialis fimbriam;* et deinde genuflexus in eodem infimo gradu ter incensat Sacramentum, facta ante et post profunda inclinatione, prout etiam faciendum est a Ministris interim elevantibus Pluvialis fimbrias. Deinde ei imponitur velum humerale etc. In reliquis idem servandus est modus, de quo supra *ad* §. *XIX.*, hoc tantum intercedente discrimine, quod ante Processionem pro expositione Diaconus sumit Ostensorium de Altari, ut Celebranti tradat; pro repositione vero illud tollit de Throno. Non persequar ea, quae ad Processionem pertinent, quia nihil addendum est iis, quae diximus relate ad aliam, quae fit pro expositione; siquidem praescriptae regulae utrique communes sunt.

22. Accidit quandoque, ut non Celebrans sed alter vel Cardinalis, vel Episcopus functionem peragat repositionis; et forte etiam accidere potest quoad alias expositiones, quae non sunt pro Oratione quadraginta horarum, ut non statim post Missam Sacramenti repositio fiat; quod praecipue obtinet in octiduo Corporis Christi, dum coram eo Missa conventualis cantatur post Tertiam et benedictio impertiri solet post Nonam. Utroque in casu sequens tenendus est modus a Celebrante et Ministris. Finito Evan-

gelio Celebrans revertitur ad medium Altaris, ibique habens Diaconum a dexteris, Subdiaconum a sinistris, facta genuflexione unico genu sine capitis inclinatione, statim cum iisdem descendit in planum, ea tamen cum cauthela, ut omnes in descensu oblique incedant, ne Sacramento terga vertant; ad planum perventi ante infimum Altaris gradum utrumque genu singuli flectunt cum profunda capitis inclinatione, ut fecerunt in primo accessu ad Altare. Tunc omnes pariter surgunt, discedunt aperto capite, nec bireta accipiunt, quibus caput tegant, nisi postquam erunt extra conspectum Sacramenti.

23. Ex iis autem, quae dicta sunt, colligi poterit, quae ratio tenenda sit, si quis Cardinalis vel Episcopus post solemnem Missam ab alio cantatam sacrae functioni finem velit imponere. Jam notata, ubi res erat de expositione, repetere hic vanum est. Iterum tamen adnotabo, quod hoc in casu cum Missa et quae ad repositionem pertinent, habenda sint tanquam actiones distinctae et separatae, color albus in Processione et repositione adhibendus videtur, etiamsi pro qualitate officii et ritus, coloris diversi paramenta inservierint pro Missa, veluti diximus *supra ad* §. *XVIII. num. 3. et seq.*

24. Ne quid praeteriise videar, pauca addere juvat de ritibus servandis, si quandoque Missa privata celebretur coram Sacramento exposito. Id certe in Urbe non accidit quoad expositionem quadraginta horarum, cum duo tantum sint solemnes Missae, quae coram Sacramento cum Ministris paratis cantantur; sed facile evenire potest extra Urbem, imo et forte etiam in ea quoad alias expositiones minus solemnes; quamvis maxime deceat, ad Rubricarum sensum, ab hac celebratione abstinere. Sed quoniam difficillimum est abrumpere consuetudinem, quae benemultis laudabilis videtur, colligam ex Rubricistis, quae in hanc rem notata sunt, ut pro casuum diversitate quisque sub oculis methodum servandam habeat, quin alios scriptores cogatur consulere.

25. Igitur Sacerdos *Missam privatam celebraturus coram Sacramento exposito,* statim ac Capellam ingreditur, aliquantulum consistens caput detegit, porrigens biretum Ministro, et caveat ab illorum sequendo exemplum, qui perperam vel supra Calicis bursam, vel supra Missale biretum deponunt. Cum pervenerit ad Altare ante illius infimum gradum in plano flectit utrumque genu et genuflexus caput profunde inclinat, quod et Minister facit. Mox surgunt Sacerdos et Minister, ille juxta morem ascendit ad Altare et Calice collocato ad partem Evangelii, antequam capiat bursam ad extrahendum Corporale, genuflectit unico tamen genu et sine capitis inclinatione, et sic fieri debent omnes aliae genuflexiones, ultima excepta, quae fit, dum, finita Missa, ab Altari est discedendum. Inde surgens extrahit Corporale, quod de more extendit et superimponit Calicem; facta genuflexione sine capitis inclinatione, accedit ad cornu Epistolae, ut librum aperiat et signet Missam, quae dicenda est.

26. Statim redit ad medium Altaris, genuflectit, ut supra, nullaque interposita mora retrahens se aliquantulum ad cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolae, ne vertat dorsum SSmo. Sacramento, descendit ad planum Altaris, humeris versis ad cornu Evangelii. Postquam descenderit pro incipienda Missa, genuflectit in infimo gradu sine capitis inclinatione; mox surgens facit confessionem, Minister vero, facta genuflexione utroque genu in primo accessu ad Altare, accedens de more ad cornu Epistolae, ibi deponit Missale, unde discedens et per-

gens ante medium flectit utrumque genu, quod semper facit transiens per medium; quamobrem magis sollicitus esse debet, quam in aliis Missis in recedendo a suo loco, ubi est, ut tempore consueto ministrare possit.

27. Celebrans, finita confessione, ascendit ad Altare sine genuflexione, quam aliqui gratis faciunt; sed ut ad illud pervenerit, priusquam incipiat: *Oramus te Domine etc.*, genuflectit; finita Oratione et osculato Altari iterum genuflectit et surgens procedit ad cornu Epistolae dicturus *Introitum*, quo dicto, ad medium Altaris revertitur, iterum genuflectit, deinde dicit *Kyrie* et *Hymnum Angelicum*, quatenus dicendus sit; mox osculatur Altare, genuflectit sine capitis inclinatione, vertit se ad populum paulo versus cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum*, iterum genuflectit in medio Altaris et pergit ad cornu Epistolae, ubi dicit *Orationes*, *Epistolam*, *Graduale* aut *Alleluja* aut *Tractum*, juxta temporis et Missae exigentiam. Deinde accedit ad medium Altaris, ubi, elevatis ad Sacramentum oculis statimque demissis, genuflectit, dicit *Munda cor meum etc.*, iterum genuflectit et postea pergit ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium more solito et osculatur librum; revertitur ad medium Altaris, genuflectit et dicit *Symbolum*, quatenus dici debeat; quo dicto, osculatur Altare, iterum genuflectit, et vertens se ad populum versus cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum*, et postea, iterando genuflexionem in medio, dicit *Oremus* cum capitis inclinatione, dein *Offertorium;* si dicendum non sit *Symbolum*, accedens ad medium genuflectit et postea osculatur Altare, et quin iterum genuflectat, vertit se ad populum etc., ut jam dictum est.

28. Dicto *Offertorio* caetera facit, ut moris est. Postquam vero dixerit *Suscipe etc.*, genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, accipit Calicem, infundit vinum cum aqua, ministro non osculante ampullas, et reversus in medium genuflectit, accipit Calicem jam praecedenter positum super Corporale et dicit *Offerimus etc.* Dicto *Veni Sanctificator* et benedictis Oblatis non jungit manus, nec inclinat caput, sed manibus super Altare positis genuflectit, recta incedit versus cornu Epistolae, descendit in planum, ubi se vertit ad populum, lavat et extergit manus, redit ad medium Altaris, genuflectit, dicit *Suscipe Sancta Trinitas etc.*, osculatur Altare, genuflectit et, obversis humeris versus cornu Evangelii, dicit *Orate Fratres*, non perficit circulum, sed reversus ad Altare iterum genuflectit et postea usque ad communionem alia omnia peragit juxta solitum. Ad *Sanctus* et ad *Elevationem* non pulsatur campanula.

29. Purificatione sumpta, Sacerdos ponit Calicem extra Corporale a cornu Epistolae, genuflectit in medio Altaris unico genu et vadit ad cornu Epistolae, ubi est Calix, quem accipit et facta in eo digitorum ablutione et abstersione, eumdem ponit prope Corporale, tum revertitur ad medium Altaris, genuflectit, accipit Calicem, sumit ablutionem ac deinde juxta morem extergit os et Calicem. Hoc autem, ut fieri debet, suo velo tecto et in medio mensae collocato, genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, dicit *Communio*, ad medium redit, genuflectit, osculatur Altare, convertitur ad populum, humeris tantillum conversis ad cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum*, iterum genuflectit, revertitur ad cornu Epistolae, legit Orationem vel Orationes, si dicendae sunt plures; quibus expletis, vadit ad medium Altaris, genuflectit, osculatur, vertit se ad populum eo modo, quo dictum est,

dicit *Dominus vobiscum* et *Ite Missa est*, et postea, rediens ad medium Altaris, genuflectit et surgens dicit: *Placeat tibi Sancta Trinitas etc.* Si Missae qualitas exigat *Benedicamus Domino*, Sacerdos, dicto *Dominus vobiscum*, revertitur ad medium Altaris, genuflectit et stans dicit *Benedicamus Domino*, et postea more consueto dicit Orationem *Placeat*.

30. Deinde Sacerdos osculatur Altare, dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus* sine capitis inclinatione, mox genuflectit, vertit se ad populum modo, ut supra, benedictionem more solito impartitur, non perficit circulum, non accedit ad medium Altaris, non genuflectit, sed ad Altare conversus, progreditur ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium, ad cujus initium numquam signat Altare, sed vel librum vel tabellam et se ipsum solum, et ad *Verbum caro factum est* non genuflectit versus Altare, sed versus Sacramentum sine capitis inclinatione; terminato Evangelio, accedit ad medium Altaris, genuflectit, accipit Calicem et humeris aliquantulum versis ad cornu Evangelii, descendit in planum, ubi utroque poplite genuflectit cum profunda capitis inclinatione et surgens discedit sine alia reverentia, detecto tamen capite, quod bireto non tegit, nisi postquam non est amplius ante conspectum Sacramenti. Quae omnia servanda sunt, etiamsi Sacramentum sit expositum in Ostensorio velato vel patente intus Tabernaculum Pyxide.

§. XXXI.

»Ritornato dopo la Processione il »Celebrante all' infimo grado dell' Al»tare, il Diacono genuflesso riceverà »da esso, che starà in piedi, il San»tissimo, verso cui il Celebrante genu»fletterà immediatamente e deporrà il »velo umerale. Il Diacono lo collo»cherà sopra il Corporale in mezzo »dell' Altare, e ritornerà al suo luogo. »Il Celebrante al ℣. *Genitori genito»que etc.* alzatosi coi Ministri, porrà, »come sopra, l' incenso senza bene»dirlo, ed incensato il Sagramento, li »Cantori diranno ℣. *Panem de coelo »etc.* (a cui s' aggiungerà l' Alleluia »nel tempo Pasquale solamente, ed in »tutta l' ottava della Festività del Cor»pus Domini in qualsivoglia esposi»zione, che si faccia). Il Celebrante »alzatosi, senza far nuova genufles»sione, sostenendo li Ministri il libro »(senza dire ℣. *Dominus vobiscum*, »come per Decreto della Sacra Con»gregatione de' Riti) canterà le Ora»zioni a mani giunte, quali terminate, »genuflesso prenderà il velo umerale, »ed ascendendo solo all' Altare, fatte »le devute riverenze, prenderà nelle »mani ricoperte, come si disse, con »l' estremità del velo umerale l' Osten»sorio, e darà con esso la benedizione »al popolo; e riposto il Sagramento »sopra il Corporale, discenderà e starà »genuflesso al suo luogo. Il Diacono »immediatamente, o un Sacerdote con »Stola, fatte le dovute riverenze, chiu»derà il Sagramento nel Tabernacolo, »quale per tale effetto dovrà ritenersi »nell' Altare dell' esposizione, e l' Ostia »consegrata si dovrà consumare nella »Messa; o in quella mattina o nella se»guente, dopo di che partiranno e ter»minera l' Orazione di quarant' ore.«

1. De methodo in Processione tenenda diximus jam satis multa, quin aliquid addendum sit. In regressu ad Altare unicum, quod intercedit discrimen, illud est, quod Diaconus, dum de manibus Celebrantis recipit Sacramentum, illud non collocat in throno, ut fit in expositione, sed deponit super Corporale in medio Mensae Altaris, eo quia finis est Orationis, nihilque superest, nisi populum cum benedictione dimittere. Neque repetam ea, quae

supra disserui de loco, in quo Diaconus recipere debet Sacramentum de manibus Celebrantis et de concilianda dispositione Instructionis cum Caeremoniali Episcoporum. Recolenda sunt quae diximus ad §. *24. num. 1. et seq.* In reliquis adeo clara haec est sanctio, ut nihil addendum ad eam videatur; nihilominus ad quaestiunculas, quae forte excitari possent, enodandas, abs re non erit aliqua etiam magis illustrare, quae saltem proderunt, ne quoad alias expositiones oriantur dubia, et ne a praescriptis receptisque moribus longe alieni inducantur abusus.

2. Vidimus jam supra *ad* §. *24. num. 15*, ob quam rationem post hymnum *Tantum ergo etc.* in expositione non dicatur versiculus: *Panem de coelo etc.*, *omittendus vero non sit in repositione.* Notandum solummodo est, quod huic versiculo *non semper, sed juxta temporum exigentiam* addi debet *Alleluja*, videlicet *tempore Paschali et per totam octavam Sanctissimi Corporis Christi.* Non enim solemnitas actionis, sed laetitiae tempus, celebritatis qualitas et praescriptus ab Ecclesia ritus exigunt *Alleluja.* Rituale Romanum, ut notat *Baruffaldus tit. 24. num. 14.* addendum esse jubet *Alleluja* ad Antiphonam *O Sacrum convivium etc.* post administratam Communionem tempore Paschali, et quamquam agens *tit. 80.* §. *6.* de Festo Corporis Christi, non item id memorat, nihilominus ex communi Ecclesiarum praxi additur *Alleluja* in eadem solemnitate et octiduo, quae certe praxis in legem transivit, multo magis postquam Clementina Instructio eam adoptavit.

3. Praeterire hic loci nolo aliqua Sac. Rit. Congregationis Decreta quoad rem hanc, quae specietenus pugnantia inter se videntur; revera tamen non sunt, quatenus diversitatem casuum consideremus. *In Collen. die 5. Julii 1698* proposito dubio: „An in expositione et depositione SSmi. Sacramenti, etiam causa devotionis sit addendum *Alleluja* ℣. *Panem de coelo etc.?*" Responsum fuit: *Negative.* Verum *in Fanen. 23. Januarii 1700* alteri dubio: „An in expositione SSmi. Sacramenti per annum occasione quadraginta horarum vel alia quavis de causa seu necessitate versiculis *Panem de coelo etc.* sit addendum *Alleluja?*" S. R. Congregatio respondit: „Affirmative, exceptis tamen Quadragesimae, Adventus et Vigiliarum temporibus." Cur autem non idem utrique dubio responsum? Ni fallor, ea ratio est, quia, cum versiculus *Panem de coelo* occasione expositionis dicendus, non pertineat ad officium, circa quod versantur Rubricae, dum praescribunt *Alleluja*, quum praeterea nondum lata esset certa regula, quae additionem illam laetitiae extra Officium quibusdam tantum temporibus assignaret, ac proinde diversa esset Ecclesiarum consuetudo: S. R. Congregatio, juxta varias casuum circumstantias respondit. Idcirco *in Collen.* generali quaesito negavit addendum esse *Alleluja*, exposito Sacramento etiam devotionis causa; non enim simplex et nuda devotio causa sufficiens est, ob quam in publicis precibus addatur *Alleluja.* In altero vero casu, in quo agebatur praesertim de expositione solemni quadraginta horarum vel alia pro gravi causa et publica necessitate, forte quia noverat morem invaluisse semper et indistincte addendi *Alleluja* ad versiculum *Panem de coelo*, et agnosceret difficile esse abrumpere consuetudinem, ei se accomodavit, sed limitationem adjecit, ne luctus et tristitiae tempore adderetur vocabulum, quod ad gaudium et laetitiam significandam usurpamus. Porro Decreta illa *Clementina Instructione*

antiquiora sunt. Quod si postquam haec prodiit, simile dubium delatum fuisset, non aliter certe ac in ea praescriptum est, eadem Sacra Congregatio respondisset.

4. *Jubet Instructio, ne Celebrans praemittat Orationibus* ℣.: *Dominus vobiscum.* Et hoc opportunum erat, ne quis praemitti oportere crederet, quia in antiquis *Ritualis Romani* editionibus ita notandum est, et *Gavantus part. 4. tit. 12. num. 7.* cohaerenter ad *Rituale* docet, a Celebrante dicendum ℣.: *Dominus vobiscum* cum Oratione: *Deus, qui nobis etc.*, contra namque stat *Caeremonialis Episcoporum* silentium, quod praevalere debet dispositioni *Ritualis Romani.* Si quis dubitet sub specie, quod silentium *Caeremonialis* argumentum praebet mere negativum, animadvertat, quod argumentum hujusmodi suam habet vim, quia de re agitur, quam notare debuisset *Caeremonialis Rubrica*, quae nihil omittit eorum, quae in sacris functionibus servanda sunt. Sed quia apponi posset negativi argumenti robur infringi e conspectu positivi, quod habemus in *Rubrica Ritualis*, omnem dirimit quaestionem S. R. Congregatio, quae *in Granaten. die 16. Junii 1663* edixit: „Servanda est dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 33. de Festo SSmi. Corporis Christi, ubi nulla fit mentio de versu *Dominus vobiscum*, sed jubetur tantum post ℣. *Panem de coelo* et ℟. *Omne delectamentum etc.* cantari Orationem etc.; et sic servat in Urbe Sanctissimus Dominus Noster et observatur ab omnibus, quidquid alii in contrarium asserant; et *in Salernitana 28. Septembris 1675*" respondit: „Servandum esse Caeremoniale, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiscum etc.*" Hisce innititur Decretis *Instructio* et modo composita res est, nec amplius *Rituale a Caeremoniali* discordat, cum in recentioribus ejusdem *Ritualis* editionibus (illa excepta, quae jussu *Benedicti XIV.* prodiit *anno 1752*, de qua infra) *Rubrica* illa sit reformata.

5. Cur autem omittendus sit ℣. *Dominus vobiscum?* quaerere quis posset. *Baruffaldus* hoc sibi dubium proponit et postquam *tit. 8. num. 73.* dixerat: „Quo vero ad versiculum *Dominus vobiscum*, qui in primis Ritualibus adnotabatur, per multos annos in usu fuit, sed S. R. Congregatio in eadem Instructione allegata *num. 31.* contrarium censuit", inde aliquas hujus rei rationes invenire studens, dubitantis more prosequitur: „Fortasse eo, quia frustra dicitur, quod Dominus sit cum adstantibus, si de facto adest in Sanctissimo Sacramento coram illis. De facto in Missa, dum Sacramentum patet oculis Sacerdotis, numquam dicitur *Dominus vobiscum*", eum tamen merito carpit *Meratus part. 4. tit. 12. num. 19*, omisso enim, quod in Missa, etiam praesente Sacramento, imo dum Sacerdos nedum prae oculis habet, sed manu tangit et supra Calicem frangit Hostiam, dicit *Dominus sit semper vobiscum*, si ratio valeret per ipsum allata, in Missa, quae celebratur coram Sacramento semper omittendus foret ℣. *Dominus vobiscum*, prout etiam in horis canonicis, quae in Octava Sanctissimi Corporis Christi coram Sacramento recitari solent: imo et corrigenda esset Instructio, quae §. 24. ante Orationes, jam exposito SSmo. Sacramento sub baldachino, jubet dici ℣. *Dominus vobiscum.*

6. Alia igitur ratio quaerenda est, quae justum ac rationabile, non emendicatum et erroneum discrimen ponat. Hanc producit *Merati*, quem sequitur *Cavalerius tom. 4. cap. 9. Decr. 3. num. 3.* Ideo enim in repositione et in aliis omnibus expositionibus non praemittitur Orationi de Sacramento

℣. *Dominus vobiscum,* quia immediate post cum Sacramento populo adstanti impertienda est benedictio, quae est realis et validior deprecatio, quod Dominus sit cum adstantibus, quam ea, quae per vocem exprimitur. Quod si preces aliquae in expositione recitentur cum Oratione Sacramenti et discedendum postea sit ab Altari, ita ut aliquod spatium intercedat inter expositionem et repositionem, idem versus Orationi praemittendus erit, quia cessat ratio, ob quam omittitur. Ideo *Instructio* in expositione Sacramenti, ad quam non sequitur ipsa realis benedictio, praefatum versum dicendum assignat; secus vero in repositione, ad quam immediate sequitur benedictio. Regula igitur generalis esse debet, quod vocalis deprecatio *Dominus vobiscum* sit omittenda ante Orationem de SSmo. Sacramento, ad quem sequitur illico ipsa realis deprecatio media benedictione ejusdem Sacramenti. Secus vero si immediate non subsequatur. Quamobrem omitti nullatenus debet in Missa, horis canonicis ac aliis precibus, quae coram SSmo. Sacramento exponendo vel jam exposito recitantur. Verum et alia occurrit ratio. In expositione, absolutis Litaniis et precibus statim dicuntur Orationes; in repositione intercedit hymnus de Sacramento, ideo in prima dici, in altera omitti debet ℣. *Dominus vobiscum etc.*

7. Contra tamen hanc regulam objicies. *Ex Rituali Romano* dicitur ℣. *Dominus vobiscum*, cum defertur Viaticum ad Infirmum, ante Orationem *Domine Sancte etc.* adhuc praesente Sacramento, cum quo, priusquam Parochus recedat, benedicit Infirmum, et post reditum ad Ecclesiam praemittendus est idem versiculus Orationi de Sacramento et immediate post cum ejusdem benedictione populus dimittendus. Objectum hujusmodi nihili faciendum est, utpote ab eodem *Rituali* desumptum, cujus regula per posteriora Decreta et *Clementinam Instructionem* fuit emendata. Et quamquam etiam in recentioribus editionibus ea legantur, habenda ea regula perinde est, ac si non esset, saltem relate ad Orationem dicendam in Ecclesia ante benedictionem. In hac eamdem instructionis regulam ob identitatem rationis servandam esse, non immerito existimo. *Baruffaldus ad titulum de Communione infirmorum* §. *XXIII. num. 198.* notat: ,,Dominus vobiscum, licet a Rubrica assignetur, tamen in nova Instructione ab Urbe missa ad functiones Eucharisticas sub Clemente XI. Pontifice, sublata fuit haec dictio de mandato Sac. Rit. Congregationis.“ Equidem cl. Auctor silet ad alteram Rubricam *num. XXVI.*, quae ait praemittendum esse ℣. *Dominus vobiscum* Orationi, *Domine Sancte Pater etc.*, licet, si supersit aliqua particula in Pyxide, Infirmus sit benedicendus. Et merito quidem; magna quippe est discriminis ratio. *Primo*, quia non subsequitur Oratio de Sacramento. *Secundo,* quia benedictio non est publica et solemnis. *Tertio* tandem, quia (et haec est ratio potissima) Oratio illa dicenda est, etiamsi nulla supersit particula; est enim deprecatio pro infirmo. Omittendum etiam versum *Dominus vobiscum* putat *Baruffaldus*, si Sacerdos, post Communionem fidelium rediens ad Altare, dicat Antiphonam: *O Sacrum convivium etc.* cum ℣. *Panem de coelo et Oratione tit. 24. de Communione Fidelium num. 70.* Verum ad hanc rubricam reformandam haud trahi posse videntur S. R. C. Decreta et *Clementina Instructio,* quia populus non benedicitur cum Sacramento, sed ab ipsomet Sacerdote formula deprecatoria.

8. Verumtamen *Catalanus* in suis *ad Rituale Romanum* commentariis

repudiat *Baruffaldi* sententiam, nec adhaerendum censet *Instructioni Clementinae* et *Decretis S. R. C.* de omittendo ℣. *Dominus vobiscum* ante Orationem de SSmo. Sacramento, dum immediate sequitur benedictio. „Licet enim *(inquit ipse* ad titulum de Processione in Festo Corporis Christi §. V. num. 3) in recitato Caeremonialis Episcoporum loco et ex S. R. C. Decreto, cujus meminit *Baruffaldus* ad hunc locum *num. 73,* ad Orationem praetermitti debeat salutatio illa *Dominus vobiscum;* dicendam tamen eam censeo, quia scilicet ita praescribit hic noster §. in Rituali Romano, quod nos explicamus, novissime SSmi. Domini Nostri Benedicti Papae XIV. jussu edito et aucto.“ At hic claris. Auctor errat quammaxime et pugnat cum lege et cum universali praxi. Bene igitur Typographus e re sua duxit hanc adnotationem subjicere: „In recentissimis tamen hujus Ritualis Romani editionibus deest praescriptio haec, et quod caput est, in ipsa Urbe Roma ab ipso Pontifice Romano salutatio illa *Dominus vobiscum* hodie quoque praetermittitur.“ Non inficior, *in Rituali Romae anno 1752 Benedicti XIV.* jussu edito, legi, prout etiam legitur in Sacerdotali ad consuetudinem Romanae Ecclesiae, in Rituali Cardinalis S. Severinae et in vetustis editionibus Romanis: Deinde Sacerdos stans dicit *Dominus vobiscum etc.“;* non ideo tamen id habendum pro lege, qua abrogentur Decreta S. R. C., dispositio Instructionis et universaliter ab omnibus Ecclesiis recepta praxis. Non immerito existimo particulam illam irrepsisse oscitantia et incuria editoris, qui fuit *P. Emmanuel de Azevedo Lusitanus* vel impressoris, qui recensuerunt hanc novam editionem ad formam antiquarum, non advertentes deesse eam particulam in recentioribus, post emanata praefata S. R. C. Decreta et *Clementinam Instructionem,* quibus omnis quaestio dirimitur. Absit, ut id quis tribuat Pontifici editionem jubenti, quasi is expresse mandaverit, ut antiqua restitueretur lectio et praxim ad hujus normam reformandam voluerit. Si id voluisset, demandasset etiam ad disputationum semina evellenda, ut lectio *Caeremonialis Episcoporum,* quod pariter ejus jussu editum fuit, lectioni *Ritualis* redderetur conformis.

9. Nequeo hinc *Catalano* assentiri; nec possem, si vellem. Relinquantur Decreta, quae vetustiora sunt editione Ritualis *anni 1752*, habemus aliud recentissimum illa posterius. *In Aquen. sub die 3. Augusti 1761* propositum fuit Dubium super hac re et dubitandi ratio oriebatur: „quia Rituale nuper a Benedicto XIV. editum id praescribit in Festivitate Corporis Christi post reditum Processionis.“ Et Sacra Congregatio, nulla habita ratione praedicti Ritualis respondit: „In Benedictione SSmi. Sacramenti ante Orationem non debet dici *Dominus vobiscum,* juxta Decretum S. R. C. in *Granaten.* et in *Salernitana* etc.“ Post hoc Decretum quis adhuc dubitare poterit?

10. A Decretis igitur et Instructione recedendum non est, quando in expositionibus vel solemnissimis vel minus solemnibus, publicis aut privatis, post Hymnum et Orationem vel Orationes immediate danda est benedictio et tenenda est praxis omnium Ecclesiarum Urbis, quae eadem ubique est, post solemnem Processionem in Festo SSmi. Corporis Christi, et servatur etiam ab ipso Summo Pontifice in Basilica Vaticana. Quod vero attinet ad benedictionem impertiri solitam infirmis, si aliqua supersit particula post Viaticum eis administratum et populo post reditum in Ecclesiam, crederem diversam Ecclesiarum con-

suetudinem posse servari, quamvis ob rationem supra allatam magis congruat versum illum omittere, saltem ante Orationem de Sacramento dicendam in Ecclesia, quia relate ad Orationem *Domine Sancte* dicendam prope lectum Infirmi ante benedictionem, longe diversa est ratio, ut supra notavi.

11. Ne quid desideretur, addere hic juvat, non deesse qui alteram quaestionem movent; num scilicet, cum surgit Sacerdos, ut Orationes dicat, iterum genuflectere unico genu debeat, antequam illam recitet. Hanc quaestionem dirimit Sac. Congregatio, quae in una *Urbis 2. Augusti 1698* et *Ravennaten. die 6. Septembris ejusdem anni*, respondit: *Genuflexionem non esse iterandam* Sed et eam dirimit quoque *Instructio*, quae tam in hoc §. 31, quam supra §. 24 expresse ait: „il Celebrante alzatosi senza far nuova genuflessione etc. canterà etc.“ Scite apteque ad haec *Cavalerius loc. cit. Decret. 4* inquit: „Generalis hinc firmatur regula, ut, quoties quis jam genuflexus surgit aliquid facturus, sed in eodem loco consistens, non debet iterum genuflectere, sed sine ulla genuflexione suum respective munus exequi, tametsi id praestet coram Sacramento.“

12. Pergit Instructio ac breviter adnotat, *quae ad benedictionem populo elargiendam cum Sacramento pertinent.* Itaque Celebrans pedibus stans ac manibus junctis, *cantatis Orationibus, statim genuflectit, eique imponitur velum humerale,* mox surgit et ascendit illico ad Altare, ibi, facta genuflexione, accipit, manibus coopertis veli extremitatibus, Ostensorium, et convertens se ad populum, benedictionem impertitur. Quando autem Sacerdos ascendit ad Altare, cum eo ascendunt etiam Sacri Ministri, sed hi genuflectere debent in ore suppedanei, ubi inclinati elevant pluvialis fimbrias, dum Sacerdos benedicit populum. In expositionibus vero minus solemnibus, in quibus non adhibentur Ministri Sacri, hoc munus implent Sacerdotes alii vel Clerici superpelliceis induti. Dum benedictio populo datur, ipse Sacerdos nihil dicere debet, neque licet aliquid interim canere; *possunt* tamen organa pulsari suavi ac gravi sonitu, qui sit aptus ad devotionem conciliandam, sicuti fit ad elevationem Sanctissimi Sacramenti in Missa.

13. Celebrans, data benedictione, ita collocat super Corporale Sacramentum, ut Crucifixi imago populum respiciat, et deinde, facta prius genuflexione, descendit cum Subdiacono ad infimum Altaris gradum, ubi genuflexi ambo manent, amoto interim velo a Celebrantis humeris a Subdiacono vel, ut alii malunt, a Caeremoniario. Interea Diaconus remanens in suppedaneo Altaris, reponit Sacramentum in Tabernaculo, factis ante et post debitis genuflexionibus; propterea Instructio jubet, quod Tabernaculum „per tale effetto dovrà ritenersi nell' Altare dell' Esposizione.“ Quamvis vero deceat et congruat, hoc munus per Diaconum expleri, non est tamen necessario per eum implendum, potest alter Sacerdos cum superpelliceo et stola hoc fungi munere, idcirco Instructio ait: „il Diacono o un Sacerdote con stola“, quemadmodum fieri debet in aliis expositionibus, in quibus non parantur Ministri Sacri.

14. Quaedam modo elucidanda sunt, ut et quae in his servanda sit methodus, patefiat, et, si qui alicubi irrepsere abusus, corrigantur, neve aditus pateat ad novos inducendos tam in hac solemnissima actione quam in aliis expositionibus, quae in una alterave Ecclesia per anni circulum persaepe fiunt. Primum quaeritur: *qui tenendus*

sit modus in danda benedictione, cum in eo designando Auctores a Caeremoniali Episcoporum aliquantulum dissentire videantur? Quaestio haec delata fuit ad Sac. Rit. Congregationem *in Collen. 21. Mart. 1676* sub hoc Dubio: „An in benedicendo populum cum SSmo. Sacramento sit servandus modus infrascriptus: *Cum Sacerdos stat ante populum, Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illum decenti mora non supra caput, sed tantum usque ad oculos et eodem modo illud dimittit infra pectus, mox iterum recta illud attollit usque ad pectus et deinde ad sinistrum humerum ducit et reducit ad dexterum et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes Mundi partes Cruce, eam etiam venerandam omnibus praebet, tunc gyrum perficiens, collocat Ostensorium super Altare,*“ *Michael Bauldry etc.*, et ab eadem Sacra Congregatione responsum fuit: „*Si placet*, potest observari supradictus modus, quem tradit *Bauldry: sin minus servandus est modus dispositus in Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 33, ubi requiritur tantummodo, ut cum eodem SSmo. Sacramento Celebrans producat Crucis signum super populum.*“ *Uterque igitur modus in arbitrio est, juxta ac fert varia Ecclesiarum praxis.* Utique commune est, quod signum Crucis super populum producatur, quamvis actio Sacerdotis in eo producendo non sit uniformis. *Cavalerius* hoc Decretum refert *tom. 4. cap. 9. Decret. 6*, quod tamen, non ut in regestis legitur, sed nonnihil variatum suae accommodat sententiae ac ita componit, ut videatur Sac. Congregatio nude, simpliciter et absolute probasse modum a *Bauldryo* traditum, alterum vero *Caeremonialis*, ut servari posset, tantummodo indulsisse. Siquidem, restituto Decreto genuinae lectioni, longe diversus ejusdem est sensus. Nam, quoad *Bauldry* modum utitur dictione, *si placet, potest,* quae permissiva est, quoad secundum, *servandus est*, quae dictio praeceptiva est, ita ut mentem Sac. Congregationis eam fuisse credimus, quod regula Caeremonialis principem locum habeat, quin tamen reformanda sit altera a *Bauldryo* tradita, si haec alicubi in more sit.

15. Quamobrem ego, dum utrumque modum simul confero, vix levissimum discrimen invenio. Quid enim *Caeremoniale* praescribit? Non aliud, nisi: „Vertit se ad populum, cum illo signum Crucis super populum facit, nihil dicens.“ Igitur signum Crucis jubet, non modum servandum in eo producendo exponit. Quod *Caeremoniale* silet (idem de *Rituali* dicito), id Auctores explicant et praxis, quae servatur in Ecclesiis Urbis, declarat. Siquidem, ut ait *Meratus loc. cit. num. 1:* „Communis usus Ecclesiarum Urbis est, ut postquam Sacerdos reduxit Ostensorium ad latus dexterum, non debet rursus ante pectus reducere, sed statim ad cornu Evangelii se convertere et ita perficere circulum, sicut cum dicit *Orate fratres.*“ Numquid non omnes in eo conveniunt, ut signum Crucis sit producendum? Numquid modus diversificat a regula, quae semper eadem est? Ubi igitur discrepantia?

16. Dum autem Episcopus vel Sacerdos benedictionem cum Sacramento populo impertitur, nihil dicere debet. Ita *Caeremoniale Episcoporum, ita Rituale Romanum, ita Instructio, ita Auctores omnes*, qui de re hac scripsere. Si vis hujus silentii rationem, ea in promptu est. Non enim Sacerdos est, qui benedicit populum, sed Sacramentum; et Sacerdos hoc in casu non est nisi simplex minister nudumque instrumentum; idcirco, antequam

benedicat, deprecatoriam Orationem recitat, dum vero benedicit, omnino silet. Verum, ne populi attentio ad alia distrahatur objecta, utque unice in id feratur, quod maxime interest, obsequium scilicet erga Sacramentum, quod ineffabili dignatione manibus Sacerdotis nos benedicit, nec Musici canere nec Clerici et circumstantes debent. Praeter Scriptorum placita *Sac. Rit. Congregationis* decisionem habemus. Mos invaluerat in quodam oppido Dioecesis *Caputaquen.* (communis etiam aliis Regni Neapolitani Ecclesiis, ut testatur *Catalanus ad hunc locum Ritualis Romani*, qui tamen eum fortasse tolerabilem dicit, cum opus suum scripserit, priusquam S. R. C. praesenti Decreto eum reprobaret), ut in actu benedicendi populum cum SSmo. Sacramento, populus vel ministri Altaris canerent versiculum Psalmi: *Benedicat nos Deus, Deus noster etc.;* cum hujusmodi mos Ecclesiae regulis contrarius videretur, rogata fuit *Sac. Rit. Congregatio*, quae *sub die 9. Februarii 1762* respondit: „In benedicendo populum cum SSmo. Sacramento Celebrans nihil dicere, Cantores et Musici nihil quoque canere interim debent, ad praescriptum Ritualis Romani et Caeremonialis Episcoporum, non obstante quacumque contraria consuetudine"; si, ut supra vidimus, nec ℣. *Dominus vobiscum* a Sacerdote praemittendus est Orationi, dum statim sequitur benedictio; potiori jure omittenda est precatio illa vel alia quaecumque in ipso actu benedictionis, quando universale silentium devotionem conciliat et excitat affectus erga Sacramentum.

17. Neque sit aliquis, qui censeat unum alterumve cantari posse versiculum, dummodo verba excerpta sint ex Missali et Breviario aut saltem ex Sacris Scripturis aut ex Sanctis Patribus, ut declaravit *Pontifex Alexander VIII. in Constitutione supra laudata.* Praeterquamquod qui ita opinatur adversus habet praelaudatum Decretum; certum est insuper *Alexandrinam Constitutionem* nihil habere commune cum specie nostra. Ibi enim res est de tempore, quo Divina persolvuntur Officia vel SSmum. Sacramentum expositum manet; neque indulgentia illa extendenda est ad tempus et actum benedictionis, pro qua *ex Caeremoniali, Rituali, Instructione et Decretis* longe diversa est regula, quae omnino servanda ubique locorum est.

18. Atque hic nolo praeterire aliquas S. R. Congregationis decisiones, quae omnino ab Ecclesia eliminant cantiunculas, etsi non profanas, sed sacras vulgari sermone in festivitate Corporis Christi aliisque Ecclesiasticis functionibus. In *Abulen. die 21. Martii 1609* ad Dubium: „An conveniat cantare aliquos cantiones vulgari sermone, non tamen profanas in festivitate SSmi. Corporis Christi?" responsum fuit: „Non convenire." In *Novarien. die 7. Augusti 1628* quaerenti Episcopo: „An sibi liceat prohibere Regularibus suae Dioecesis, ne in ipsorum Ecclesiis canant laudes idiomate vulgari compositas?" S. R. Congregatio respondit: „Episcopum posse auctoritate hujus S. Congreg. dictas laudes prohibere etiam Regularibus", ac tandem, ut alia praeteream, in *Ternana die 24. Martii 1657* proposito Dubio: „Num tolerabilis videretur abusus cantandi carmina vel alia quaecumque verba italo idiomate, in Ecclesiis, in quibus reperiatur expositum Sanctissimum Sacramentum?" responsum fuit: „Minime tolerandum abusum hujusmodi, sed, vel adsit expositum Santissimum Sacramentum vel non, omnino Episcopus idem prohibet in Ecclesiis cantiones vel quorumvis verborum cantum materno idiomate."

19. Eruntne igitur omnino proscribendae breves quaedam cantiunculae, quae apud quosdam Missionarios in more sunt, et forte aliae, quae in una alterave Ecclesia cantari solent eodem actu, quo a Sacerdote cum Sacramento benedicitur populus, veluti sunt: „Lodato ogni momento sia il Santissimo Sagramento, sia lodato ogni momento Gesù figliuol di Dio e di Maria nel Sagramento, vi adoro ogni momento o vivo Pan del Ciel gran Sagramento, Gesù, Giuseppe, Maria vi dono col mio cuor l' anima mia", et aliae hujusmodi? Si spectemus Decreta ac Ritualium Rubricas, etsi tales similesque cantilenae vere piae et laudabiles sint et dignae etiam adprobatione; haud tamen essent ea occasione modulandae, quia, ut supra notavi, in ea actione ad recolligendos dirigendosque pios animi affectus, plurimum confert devotum universale silentium. Nec propterea credas, meum esse sensum, quod omnino eliminentur. Usus invaluit, eum tolerant Ecclesiastici Praesules, forte sine populi offensione nequiret intercipi. Equidem ei non assistit antiqua et universalis praxis, quae juris dispositioni innititur; absolute tamen dici nequit, quod probatae non sint; nam, si non expresse, quadam tamen acquiescentia et tolerantia cantari hujusmodi cantiunculae permittuntur. Quid igitur dicam? Facilem arbitror modum simul conciliandi inductum morem, ubi nequeat abrumpi, cum dispositione juris. Eum praebet *Instructio Innocentii XII.* confirmata *a Clemente XII.* servanda in delatione SSmi. Viatici ad infirmos. Siquidem alia ex praescriptis regulis ea est §. 52, quod in reditu ad Ecclesiam Parochus benedicat populum cum Sacramento nihil dicens; reposita vero Sacra Pyxide intus Tabernaculum, „prima di chiudere il finestrino, dirà a voce alta e divota e profondamente inchinato queste parole: *Sia lodato e ringraziato ogni momento*, e tutti gli altri risponderanno, *il Santissimo e Divinissimo Sagramento.*" Ita fieri posset quoad versiculos et cantilenas, quae immediate ad Eucharistiam referuntur. Nam, si quae sunt aliae, in quibus Deipara et Sancti invocentur, magis expediret eas canere, clauso jam Tabernaculi ostiolo, antequam populus discedat.

20. *Cavalerius*, qui *tom. 4. cap. 9. Decret. 8.* nullo modo admittendas censet praefatas cantiunculas seu cantilenas, haud tamen reprobare videtur, quod preces aliquae decantentur „ex speciosis et approbatis in Breviario et Missali ac Rituali, quinimo in circumstantia repositionis (quod tamen nullatenus praestandum est benedictionis tempore, sed magis cum Sacramentum post benedictionem includitur in Tabernaculo) ad rem est valde apposita stropha: *O salutaris Hostia*, quae a Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 23. in cantu pio et devoto in quasi simili circumstantia cantari laudatur." Ibi *num. 12.* Hac autem auctoritate magis confirmatur modus supra indicatus servandus in cantiunculis concinendis, quatenus, ne offensio et scandalum veniat, mos easdem cantandi nequeat impediri.

21. Sed et alia corruptela est profliganda et nimis crassus error corrigendus. Ait *Catalanus* auctor certe non antiquus, sed recentissimus, qui sua ad Rituale Romanum commentaria *Benedicto XIV.* nuncupavit: „In quibusdam Ecclesiis, cum cantatur ℣. *Genitori genitoque*, Celebrans accipit Sanctissimum Sacramentum et cum dicitur *sit et Benedictio*, populum benedicit semel. Sed hoc videtur, ut *Bauldryus* notat, nimis rusticum et est expresse contra Rituale Romanum, ita mos iste non videtur permittendus. Hunc ab-

usum, quem alias servatum vidi in quadam insigni Urbis Ecclesia a Presbyteris, qui se doctos jactant et sacrorum rituum servatores, jam merito improbarunt praeter *Bauldryum, Sarnellus* tom. 7. Epist. Ecclesiastic., et *Macrus* in Hierolex. verb. Benedictio." Miror autem adhuc erroneum illum obtinuisse morem in insigni aliqua Urbis Ecclesia, dum *Catalanus* scribebat, postquam S. R. C. *in Sabinen. die 5. Februarii 1639* ad Dubium: „Quando sit danda benedictio cum SSmo. Sacramento, an in fine hymni *Pange lingua*, an quando pervenit ad versiculum", sit et benedictio? responderat: *In fine hymni;* cave tamen ne materialiter accipias verba Decreti et in alterum incurras errorem, ut credas, absoluto hymno immediate dandam esse benedictionem. Sensus namque est, ut servetur praescriptum *Caeremonialis et Ritualis* de benedictione elargienda expletis *Hymno, versiculis et Oratione.* Dixi, nimis crassum errorem ac omnino damnandum; nam, ut verbis utar *Macri loc. cit.*, *„notantur imprudentiae* (cur non etiam crassae et supinae ignorantiae?) Sacerdotes, qui ad benedicendum populum cum Eucharistiae Sacramento, expectant id agere, quando nempe Chorus cantat verba hymni: *sit et benedictio*, nam sensus illius verbi *benedictio* non refertur ad nos seu populum, sed ad SSmam. Triadem, ubi benedictio laudem proprie sonat et sic ridicule populus loco Trinitatis sub illis verbis benedicitur."

22. Alter invaluerat abusus (et utinam ita esset sublatus, ut in aliqua adhuc Ecclesia non vigeret!) impertiendi duplicem benedictionem in Monialium Ecclesiis; alteram nempe versus Chorum seu Ecclesiam interiorem Monialium, alteram versus populum. Praeterquamquod hujusmodi mos adversatur: „Ritualis Romani dispositioni, per quam Sacerdoti unicam benedictionem impartiri conceditur, cujusdam diffidentiae signum demonstrat, ac si benedictio eadem, qua populus in exteriori Ecclesia degens benedicitur, non se extendat ad aliam partem internam ejusdem Ecclesiae et manus Dei sit abbreviata." Ita *Baruffaldus ad Rituale Romanum tit. 80. num. 77.* videndus etiam *Cavalerius tom. 4. cap. 9. Decret. 7.* Quamobrem S. R. C. *sub die 16. Maji 1744 in Imolen.* ad dubium: „An liceat Patribus Carmelitis ingredi Ecclesiam Monialium . . . . , et ibidem benedictionem impartiri eisdem Monialibus et deinde populo?" respondit: „Licere Patribus Carmelitis ingredi Ecclesiam Monialium, accedente consensu Episcopi ibique impertiendam esse unicam benedictionem Monialibus." Sed quoniam abusus nihilominus gliscebat in dies multosque reperiebat fautores, qui illum totis viribus tueri et sustinere nitebantur, eadem S. R. Congr. generali Decreto a san. mem. *Pio VI.* confirmato: „Ad hanc reprehensibilem et a sacris ritibus et Ecclesiae praxi deviam consuetudinem radicitus convellendam, praesenti generali Decreto districte prohibet, illam in posterum observari, etiamsi diuturno et immemorabili tempore ac usu convaluerit, ac praecipit, ut Sacerdos sacram illam exercens functionem in quibusvis Ecclesiis Monialium, ubique locorum erectis cujusvis sint Ordinis et Instituti (omissa speciali et separata Monialium benedictione), unicam tantum cum eodem SSmo. Sacramento benedictionem interessenti populo elargiatur" *(die 11. Decembris 1773).* Huic Decreto quis est, qui adquiescere non debeat?

23. Heic loci altera se offert discutienda quaestio: *num scilicet Thuriferarius, dum Sacerdos benedicit populum, debeat incensare Sacramentum?* Silentium, quod tenent *Caeremoniale,*

Rituale, *Instructio Clementina* et Auctores fere omnes, qui ceteroqui nihil omiserunt de iis, quae in sacra hac actione servanda sunt, plane suadet hanc incensationem esse omittendam, nihilominus *Cavalerius ibidem Decr. 7. num. 7.* et *Tetamus*, qui eum sequitur, *in Appendic. cap. 3. art. 6. num. 45. et 48. in fin.* innixi quodam Decreto, quod dicunt *Romae datum 16. Martii 1746, et Rubrica Missalis titul. 13,* existimant faciendam esse vel saltem in arbitrio relinqui. Videtur tamen magis congruere contrariam sententiam consectaneam silentio *Caeremonialis, Ritualis et Instructionis.* Cur enim in his, licet enumerentur ritus et caeremoniae omnes servandae, de hac una ne verbum quidem fit? Non alia est ratio, nisi quia locum habere nequit. Si quaeris: cur? Dicam: quia dignior, id est Sacerdos, jam Sacramentum thurificavit, nec inferior debet postea thurificationem iterare. Dum benedicitur populus, supplet vices incensi bonus adorationis odor. Nec me commovent assertum Decretum et Missalis Rubrica. Nam ad illud quod attinet, jam supra notavi decretum illud non reperiri in Regestis Sacr. Rit. Congreg. ac penitus ignorari, a qua Congregatione vel cujus auctoritate datum fuerit, et forte nil aliud est, nisi privatum responsum ad consultationem factam alicui Rubricarum perito, qui potius variam Ecclesiarum consuetudinem attendens, quam rationum vim, respondit: „Servari posse alterutrum." Quod vero spectat *Rubricam Missalis*, longe diversa militat ratio. Ideo enim Rubrica praescribit in Missa solemni: „Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolae ter incensat Hostiam, cum elevatur, et similiter Calicem, posito incenso in thuribulo absque benedictione", tum quia unica haec est incensatio, quae ad Sacramentum adolendum fit in Missa solemni, tum quia alius non est Thuriferario dignior, qui eo fungatur munere; nam Sacerdos celebrat, Diaconus ei assistit, Subdiaconus impeditus est Patena, Caeremoniarius invigilat, ut quisque suo fungatur officio. Id adeo verum est, ut in Missa defunctorum, cum dignior Thuriferario Subdiaconus non sit expeditus, Sacramentum incensat, jubente *Rubrica:* Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem, sed tempore elevationis Sacramenti in cornu Epistolae illud incensat"; contra vero dum benedicendus est populus cum Sacramento, curnam iteranda erit thurificatio per Acolythum, si jam ab omnium in ea actione ministrantium dignissimo, Celebrante scilicet, peracta fuerat? Si has rationes parvi fieri oportere existimas, haud contemnendum censeas Librorum ritualium silentium, qui certe hanc thurificationem demandassent, quemadmodum jusserunt fieri ad Hymni cantum ante Orationem. Haec dixi, ne, quid magis congruum mihi videtur, praeterirem; caeterum absit, ut velim turbas movere ac damnare consuetudinem, quae, licet minus conveniat, ritus tamen substantiam non laedit. Cum autem eadem consuetudo in bene multis Ecclesiis obtineat, difficilimum esset eamdem penitus eliminare.

24. Tandem praecipit Instructio: „L' Ostia consegrata si dovrà consumare nella Messa, o in quella mattina, o nella seguente; et per hoc (notat *Cavalerius* ad hunc locum) docemur, *eam neque integram, neque in partes sectam fidelibus posse distribui*, et per hoc confirmationem recipit Decretum aliud, quod a nobis alibi exponitur (scilicet *tom. 4. cap. 4. Decret. 2.*); absumi denique praecipitur: „o in quella mattina, o nella seguente", ad praecavendum periculum corruptionis, quod si absit, nil vetat

diutius custodiri, dummodo brevi altera expositio facienda sit. Verumtamen non hae tantummodo rationes sunt, propter quas, juxta sanctionis praescriptum, consumi debet Hostia vel in Missa celebranda immediate post repositionem vel saltem in altera ex Missis postera die legendis; sed et alia est, cum enim expositio fiat quandoque in Ecclesiis Confraternitatum aut in aliis, in quibus vetitum est retineri Augustissimum Sacramentum; expediens erat, ut hanc regulam poneret *Instructio*, ne, sub praetextu expositionis vel demandatae vel permissae, indebitum jus Ecclesiae illae sibi assererent et usurparent. Ideo *Sac. Rit. Congregatio* Confraternitati S. Sebastiani Terrae Curtii, quae consuevit exponere SSmum. Sacramentum occasione quadraginta horarum, indulsit *ejus retentionem usque ad sequentem diem*. Propterea eadem Sac. Congreg. respondit *in Nicien. 7. Septembris 1658*, in Oratorio Confraternitatis posse Sacramentum exponi: „requisita tamen licentia Episcopi quoad expositionem; Tabernaculum vero in eorum Altari retineri non licere.“ Quod intelligendum est de Tabernaculo stabili, non autem de provisorio et mobili. Nam si indultum sit expositionem fieri; retineatur necesse est Tabernaculum, in quo, data benedictione, reponatur Sacramentum, donec Missa celebretur, in qua a Sacerdote consumi debet.

§. XXXII.

»Nel tempo, che durerà l' Orazione »medesima, si proibisce espressamente »il predicare, ma volendo fare dopo »li Vesperi qualche breve sermone »per eccitare li fedeli alla devozione »verso il SSmo. Sagramento, si dovrà »prendere la licenza e benedizione da »Noi, o da Monsignor nostro Vice»gerente, anche nelle Chiese de' Re»golari, ed in qualunque modo pri»vilegiate, e non solo nell' esposizione »di quarant' ore, ma in qualsivoglia »altra esposizione, quale licenza si »darà in scriptis. Quello poi dovrà »sermoneggiare, sarà almeno costituito »nell' Ordine Diaconale, e sermoneg»gerà con la Cotta, benchè sia Rego»lare, ma senza la stola, ed a capo »scoperto vicino all' Altare, dove sta »esposto il Santissimo, ed in un sito, »che non obblighi li circostanti a fare »atti d' irriverenza con voltare le spalle »al SSmo. Sagramento.«

1. Paucis verbis plura circa eamdem rem haec sanctio jubet. Declarat principio per modum regulae, quod non licet in solemni exposizione quadraginta horarum *conciones* ad populum haberi; permittit nihilominus breve aliquod colloquium, non de mane, sed vespertinis horis absolutis, excitandi causa adstantes ad devotionem erga tantum Charitatis Mysterium. Id tamen non in arbitrio relinquitur, sed additur necessaria conditio de obtinenda prius licentia vel ab Emo. Vicario vel ab ejus Vicesgerente, quae quidem licentia non valet oretenus data, sed scripto tradenda est, ne piis fraudibus locus relinquatur, utque Ecclesiarum Praesides de facultate concessa non aequivocum habeant documentum. Quae sane conditio communis respective est Ecclesiis extra Urbem, cum non liceat concionari, nisi prius obtenta ab Episcopo venia. Hinc locorum Ordinarii, non ratione Instructionis, sed sacrorum canonum vi, animadvertere debent, num conveniat hujusmodi licentiam impartiri et quatenus concedant, simul praescribant modum, ne quid obsequium Sacramento debitum depereat. Stricte loquor de expositione quadraginta horarum, cujus institutum cum sit adoratio perpetua, haec non patitur, ut concionibus populus ad alia distrahatur. Ideo

brevia illa solummodo permittuntur colloquia, quae in eumdem finem diriguntur et idem servant objectum. Equidem Romae regula adamussim servatur, nec, quod sciam, ulla est Ecclesia, in qua tempore expositionis hujusmodi colloquia habeantur. Optandum, ut in simili circumstantia idem ubique servetur.

2. Praescriptum extenditur ad Ecclesias quoque Regularium aut quocumque modo privilegiatas, quarum specialibus exemptionibus et indultis hac in parte lex derogat, quae tamen lex in hac specie ad Urbis Ecclesias tantummodo limitatur. Quid ergo extra Romam? Succedunt Ordinarii locorum, sed stant integra privilegia, si quae Apostolica auctoritate alicui reperiantur concessa. Quoad Regulares vero servanda sunt Tridentini Concilii Sess. 5. cap. 2. Decreta, ita ut, si extra Ecclesias suorum Ordinum conciones ad populum habere debeant, non aliter hoc fungi munere poterunt, nisi obtenta licentia ab Episcopo; quatenus vero id in ipsorum Ecclesiis praestandum sit, sola indigent benedictione. Patet hinc, quod si locorum Ordinarii opportunum ducant, ne in Ecclesiis pleno jure sibi subjectis et non exemptis conciones habeantur tempore expositionis, possunt denegare licentiam etiam Regularibus; sed etiam possunt quoad ipsas Regularium Ecclesias saltem indirecte. Quum enim publica SSmi. Sacramenti expositio nec a Regularibus in propriis Ecclesiis fieri queat sine licentia Episcopi, is potest, dum licentiam impartitur, etiam praescribere modum et quasdam servandas regulas; idcirco et praecipere, ne, durante expositione, conciones habeantur.

3. Quoad Urbem vero lex non limitatur ad solas expositiones quadraginta horarum, sed generatim comprehendit quascumque alias, ita ut nemini liceat in his concionari ad populum, nisi habita prius ab Emo. Vicario vel ejus vicesgerente licentia et alterutrius benedictione. Erit forte quis, qui, cum legat in Instructione: „Volendo fare dopo li Vesperi qualche breve sermone per eccitare i fedeli alla devozione verso il SSmo. Sagramento", ita accipiendam regulam hanc existimet, ut et etiam in his minus solemnibus expositionibus non liceat matutinis horis conciones haberi et harum subjectum versandum semper fore circa Sacramentum. Non hic est sensus Instructionis, quae in prima sanctionis parte disponit solummodo de concionibus ex Superiorum venia quandoque permissis in expositione quadraginta horarum, quae habendae sunt post Vesperas et versari circa subjectum, quod magis congruit tempori et circumstantiae, quam circa quidquam aliud, siquidem in ea non tam attendi debet sola Sacramenti expositio, quam institutum ejusdem, causa et finis. Ad alias expositiones quod attinet, diversa est ratio: haud *Instructio* jubet, ne conciones haberi possint matutinis horis, nec praescribit, quod esse debeat concionum subjectum, sed solummodo praecipit, ne habeantur, nisi obtenta licentia et benedictione.

4. Et revera in Urbis Ecclesiis perquam frequentes hujusmodi expositiones sunt, nullaque est dies, quae iisdem careat. In his plerumque habentur conciones, quae tamen ad Sacramentum non pertinent, sed versantur circa alia objecta, quae circumstantiis magis convenire videntur. In festivitatibus Deiparae et Sanctorum, in praeparatione ad easdem, novemdialibus vel triduanis precibus institutis, nonne haberi poterunt sermones de eorum laudibus, unde ad virtutes imitandas excitemur? Si expositio fiat ad postulandum divinum auxilium in Christianae Reipublicae necessitatibus, ad

avertenda flagella, quibus propter peccata merito affligimur, si ad gratiarum actiones Deo reddendas pro acceptis beneficiis, si ad suffragandas defunctorum animas: nonne maxime convenit, ut, si quae permittantur conciones, fiant juxta exigentiam casuum, rerum et circumstantiarum, respondeantque fini, propter quam sacra illa functio peragitur?

5. Si qui vero ad hujusmodi habenda colloquia ex Praesidum venia assumantur, eos *vel Sacerdotes vel saltem Diaconatus* Ordine insignitos esse jubet Instructio, ac insuper in hoc obeundo munere *superpelliceo* uti debere, etiamsi ex Regularibus Ordinibus sint tam in propriis quam in alienis Ecclesiis: *Stolam vero adhibere aeque omnibus vetitum est.* Non est, cur quaeram heic loci causam, quare Instructio saltem Diaconatus Ordinem in iis requirat, qui, ut hoc fungantur officio, selinguntur; aut alteram quaestionem discutiendam mihi proponam: num Clericis in minoribus constitutis quandoque liceat praedicare, praesertim si ad aliquod ex Regularibus Institutis, quae pluribus gaudent privilegiis, pertinerent? Si de his dissererem, extra chorum canerem. Quidquid sit de jure, de regulis generalibus, de Episcoporum facultatibus, de privilegiis Ordinum regularium, de limitationibus etc., in nostro rerum themate lex peculiaris attendenda est, quae municipalis est quoad Urbem et secumfert obligationem relate tantummodo ad conciones habendas occasione Orationis quadraginta horarum. Ad hanc igitur omnes utriusque Cleri tenentur. Eamdem vim habent aliae duae conditiones appositae de superpelliceo adhibendo sine stola e collo pendente.

6. Quamquam vero in *Urbe* relate ad alias expositiones aliasque Ecclesiasticas functiones, in quibus Ecclesiae institutum, Missalis et Ritualis Rubricae stolam adhiberi non jubent, ejus usus sit interdictus, ob eas, quas supra attulimus, rationes: alibi tamen extra Urbem scilicet, ubi eam adhibendi in concionibus invaluit usus, etiamsi conciones habeantur coram Sacramento aut patente aut velo obducto, poterunt concionatores ab hujusmodi more non declinare, tum quia lex municipalis est, tum quia in hac Instructionis sanctione ejusdem usus non interdicitur ratione Sacramenti expositi, sed ob longe diversum motivum, qui, peculiaris cum sit pro Urbe tantum, omnes alias conciones universim complectitur. Quoad vero superpelliceum lex Instructionis religiose servanda est etiam a Regularibus, si quandoque iisdem, durante oratione quadraginta horarum, concionari permittatur. Quod si sermo sit de aliis concionibus, quae frequenter in una alterave Urbis Ecclesia habentur, Sacramento exposito, eadem lex non obligat Regulares, qui in proprio sui Ordinis habitu eo funguntur munere: propterea extra Urbem ita poterunt etiam in Oratione quadraginta horarum. Siquidem proprium est Regularium, ut distinguantur a Clero saeculari (extra Sacramenta et alias ecclesiasticas functiones, in quibus Rituale superpelliceum omnino exigit) eum non adhibere: ideo in Processionibus proprio ordinario habitu induti incedunt. Quod vero magis est Caeremoniale Episcoporum, agens de Regulari sermocinante ante Episcopum *lib. 1. cap. 22.* hanc ponit regulam: „Si autem fuerit Regularis, erit in habitu ab ipso deferri solito in concionando", qui est proprius et ordinarius Instituti. Perperam autem et nescio quo jure, *Cavalerius tom. IV. cap. 7. decr. 29. num. 5.* loco verborum, quae de Caeremoniali sunt recitata, sequenti utitur lectione: „Si autem fuerit Clericus regularis, erit in habitu suae Religionis." Perperam dixi

nam plures diversasque Caeremonialis editiones consului, neque in ulla ea verba legi, cum Caeremonialis Rubrica agat de Religiosis ex Ordinibus monasticis aut mendicantibus, non autem de Clericis Regularibus, qui, cum habitu non distinguantur a Clericis saecularibus, possunt, imo debent, in concionibus habendis uti superpelliceo, ideo *Catalanus* ad eum locum apte notat: „Sacerdos simplex ex Clericis tam saecularibus quam regularibus.... superpelliceo et stola utatur . . . . si autem sermonem habiturus Regularis fuerit, id est ex Ordine monastico vel mendicantium habitu suae religionis tunc utetur deferri solito in concionando." Longe clarior est Rubrica Caeremonialis Romani Augustini Patritii, nomine Marcelli Corcyrensis evulgati, quae, agens *de habitu sermonem habituri lib. 3. cap. 8. tit. 3,* hanc ponit regulam: „Ille, qui orat... in Capella si est Episcopus vel Abbas, cum pluviali orat . . . si est inferioris Ordinis, et in Capella portat Cappam vel Rochettum cum illis orat; si non portat Rochettum, tunc oraturus assumit Cappam tantum sine Rochetto... Mendicantes et alii Religiosi orant in suo habitu, et *tit. 4. cap. 5:* Religiosi non Praelati orant in suo habitu", nec alia est regula, quae habetur in Caeremoniali Paridis Crassi *lib. 1. cap. 40:* „et si illum (sermonem scilicet coram Episcopo) facturus sit Clericus saecularis, tunc indutus cotta, si autem Religiosus, in suo habitu quotidiano." Ex his igitur patet, Monachos et Religiosos mendicantes superpelliceo uti debere dumtaxat, si Romae concionaturi sint coram Sacramento exposito pro Oratione quadraginta horarum ex peculiari lege Clementinae Instructionis.

7. Prosequitur Instructio: „sermoneggerà a *capo scoperto.*" Id autem non unam respicit Orationem quadraginta horarum, *neque ad solas Urbis Ecclesias tantummodo fertur, sed commune est omnibus expositionibus Sacramenti et ubique servandum;* non enim fieri debet, quia peculiaris haec jubet Instructio, sed omnino oportet, quia ita exigit functionis et Mysterii sanctitatis. Si contrarius alicubi invaluerit abusus, Praesulum studio eliminandus est, quin ad eum tuendum et honestandum valeant consuetudo et immemorialis temporis lapsus. Idcirco S. R. C. *in Ilerden. die 28. Aprilis 1607* edixit: „Nullo modo convenire, ut caput tegant Concionatores, quando praedicant vel sermonem habent in Ecclesia, ubi super Altare SSmum. Sacramentum in Tabernaculo crystallino publice, ut a Christifidelibus veneretur, exponitur, prout fieri solet infra octavam solemnitatis SSmi. Corporis Christi et quando per annum Oratio continua quadraginta horarum indicitur, sed eos semper capite detecto, dum concionem habent coram Sacramento, stare debere", et *in Giennen. 9. Decembris 1628:* „Indecens omnino esse ante Sacramentum publice expositum concionem vel sermonem habere, capite cooperto, consuetudinemque contrariam non esse consuetudinem, sed abusum tollendum et eliminandum, prout omnino tolli et prohiberi mandavit: „ac tandem *in Belgica die 16. Februarii 1630* generale edidit Decretum, cujus tenor est: „Ad tollendam indecentiam aliquibus in locis jamdiu introductam concionandi vel sermonem habendi ante SSmum. Eucharistiae Sacramentum publice expositum capite cooperto, prohibuit in posterum et vetuit, neminem concionari vel sermonem habere ante Augustissimum Eucharistiae Sacramentum publice expositum, nisi capite detecto, non obstante quacumque consuetudine, quam abusum esse declaravit. Et ita ab omnibus, etiam speciali nota dignis,

ubique terrarum servari mandavit." Convenit Rubrica Caeremonialis Episcoporum, quae *lib. 2. cap. 23*, decens esse, ait, ut, qui horas canonicas persolvunt, nec sedeant nec caput operiant, verum humanae infirmitatis rationem habens, permittit, ut sedeant, ne diu stantes nimis defaticentur; praecipit tamen, ut saltem non omittant, in signum reverentiae, detecto capite assistere. Unde colligimus, quandoque permissum esse coram Sacramento exposito sedere, nunquam vero cooperto capite assistere. Quod si ab omnibus est religiose servandum, multo magis erit ab illis, qui coram Sacramento vel conciones habent vel devota colloquia.

8. Numquid autem hujusmodi lex nullam unquam limitationem aut moderationem admittit? discrimine est opus. Vel enim conciones habentur coram Sacramento *publice exposito et detecto;* et lex universalis est et ubique servanda, vel agitur de Sacramento utique publicae venerationi exposito, sed *aliquo modo operto*, et rursus est distinguendum. Aut *subtile velum* impositum Ostensorio non omnino Sacram Hostiam abscondit, ut plerumque accidit, dum expositio fit pro aliquo Infirmo aut *velum ex crassiori panno* apponitur ante thronum, ita ut nec Ostensorium adstantibus pateat. In primo casu haud licet bireto caput operire, quia revera Sacramentum, etsi velatum, non omnino absconditur, in altera vero specie aut dedecere videtur cum Concionatori, tum aliis, si qui adstant de Clero, pileolo aut bireto uti ad operiendum caput. Etenim in expositionibus, quae non ex praecepto, sed ex voluntate fiunt, aut ratione Instituti aut devotionis ergo, saepenumero conciones habentur et mos invaluit, ut interea ante thronum apponatur velum, quo Sacramentum tegatur. Id cum fit, est quodammodo reconditum ac propterea nonnulla admitti ac tollerari possunt, quae non licent vel saltem dedecent, dum patet discoopertum. Dixi *nonnulla*, quia, cum reapse Sacramentum in throno resideat expositum, licet velatum, ejusdem solemnis praesentia exigit, ut non consideretur plane reconditum; unde abstinendum saltem ab iis, quae cum debita reverentia non componuntur; cujusmodi sunt, eidem directe terga vertere aut pileis et galeris caput tegere (ubi mos viget operiendi caput tempore concionum) et id genus alia. Licitum tamen est sedere, nec dedecet adhiberi biretum ad operiendum caput tam a Concionatore quam ab adstante Clero; quamvis majoris obsequii argumentum esset, caput nullo modo tegere. Hinc autem nulla notanda censura est consuetudo habendi conciones, quae magis congruunt circumstantiis, Sacramento velamine tecto ac sedente populo, sed nullatenus sedere populo permittendum esset, si conciones haberentur coram Sacramento nullo velamine tecto. Atque en alia ratio, propter quam in Oratione quadraginta horarum vel nullae omnino habendae sunt conciones vel quambrevissimae, quibus excitetur circumstantium devotio ad Sacramenti venerationem. Non enim, ea durante, licet ante thronum velum apponere, quo Sacramenti abscondatur aspectus, et vetitum est populo scamnis aut sedibus uti, quum omnes ante conspectum Domini genuflexi manere debeant. Quamobrem, si hujusmodi permittantur colloquia, haec respondere debent cum reali Eucharistiae praesentiae, tum religioni adstantium adorationi etiam corporis compositione incumbentium; sed etiam consulendum est aliquorum infirmitati, ne prolixa nimis Concionatorum oratione diu permanere genuflexi cogantur.

9. Sed illud, unde tantisper disces-

simus, repetendum est. Licere diximus tam Concionatori quam Clero caput operire bireto, si appositum velum sacrum Ostensorium abscondat, et jure diximus, nedum quia ita fert non reprobanda universalis consuetudo, verum etiam, quia ita nuperrime decretum fuit a S. R. C. *in Bracharen. sub die 10. Septembris 1796.* Nam proposito Dubio: „An Chorus, dum recitat horas canonicas ante SSmum. Sacramentum velo tectum in loco eminenti, sedere et tegere caput cum bireto valeat vel stare debeat nudo capite, quasi esset sine velo?" respondit: „Poterit Clerus sedere, tecto etiam capite cum bireto, sed laudandus esset, si sederet, detecto capite." Igitur si Clerus laudandus est, si sedeat sine bireto ob reverentiam debitam Sacramento, licet in Ostensorio velato, in legem non peccabunt Concionatores et Clerus, si pileolo vel bireto caput tegant, quamvis minus laudabiliter se gerant. Talis est Decreti sensus, quo majoris decentiae consulitur, non praeceptum imponitur; imo licere dicitur, quod etsi minus deceat, haud tamen indecens et improbandum est. Audiendus hac de re *Cavalerius tom. 4. cap. 7. Decret. 29. num. 9:* „opportunus admodum est nonnullarum Ecclesiarum usus, quae, ut irreverentias quaslibet amoveant concionis tempore, velum quoddam apponunt ante Sacramentum, unde nonnulla admitti, seu tolerari possunt, quae minus licent, dum patet discoopertum . . . . Iisdem igitur licitum erit sedere et tam Concionator et Clerus Sacerdotali bireto uti poterit aut parvo pileolo." Verum tamen haec indulgentia nimis ab eodem extendi videtur, quum prosequatur: „et ita dictum sit etiam pro expositionibus, in quibus exponitur Pyxis aut Sacramentum ab initio velatum." Siquidem dum Pyxis Sacramentum continens aperto Tabernaculi ostiolo, patet et Ostensorium non omnino absconditur, non esse a regula declinandum supra notatum est, quia in utroque casu Sacramentum circumstantium oculis nullimode vel non omnino conspici possit. Contra vero, dum crassioris panni velamen, quod Ostensorium undique tegat, ante thronum apponitur, haberi perinde debet, ac si Sacramentum clausum lateret in Tabernaculo.

10. Cavendum praeterea est, ne, dum brevia illa colloquia habentur coram Sacramento patenter exposito, populo indirecte praebeatur occasio declinandi ab obsequio Sacrae debito Eucharistiae. Idcirco vult sanctio, ut, si *brevis* aliqua concio permittatur tempore Orationis quadraginta horarum aut in aliis expositionibus, juxta morem fiat, locus pro Concionatore sit: „vicino all' Altare, dove sta esposto il Santissimo, ed in un sito, che non obblighi gli ascoltanti a fare atti d' irriverenza con voltare le spalle al Sagramento." Hoc enim pacto vindicatur Sacramentum ab actibus, qui forte committi possent contra religionem et cultum ei debitum, si locus pro Concionatore paratus procul ab Altari distaret. Quamquam in hoc dari certa regula nequit; diversa Ecclesiarum structura, varia Presbyterii forma, amplitudo, angustia non eumdem exigunt modum; illud autem firmum manet, quod ille seligatur locus, qui sit magis aptus ad finem, qui est, ut irreverentiae actus evitentur.

11. Vult *Cavalerius*, quod si alius desit idoneus locus: „Concio *satius fiat ex latere Altaris expositionis*, ubi concionandum esset a Celebrante, quando intra Missam praedicari debet, docet *Gavantus part. 2. tit. 14. num. 11*, ubi et ritum declarat: si concionandum sit a Celebrante, quando intra Missam praedicare debet, fiat ab eo stante a cornu Evangelii et, aperto

capite, Ministri ad dexteram stabunt a cornu Evangelii.“ Ego vero non video casum habendi concionem per Celebrantem in Altare, in quo expositum est Sacramentum. Forte *Gavantus* rationem habuit expositionis faciendae initio spiritualium exercitationum. Quae tamen necessitas praedicandi ad Altare et infra Missam et non potius, hac expleta, ad latus quidem Presbyterii et prope Altare, sed non ad ipsum Altare? Mihi certe praefatus modus insinuatus *a Cavalerius* innixo doctrinae *Gavanti* inopportunus et minus decens videtur, quippe quia, si Concionator a cornu Evangelii stans in suppedaneo ad populum sermonem habeat, facile est, ut corporis gesticulatione et motu, terga quandoque vertat Sacramento, quod vitandum omnino est. Si breve aliquod soliloquium fieri velit ad excitandam populi devotionem erga Sacramentum, quod in Oratione quadraginta horarum Instructio non omnino reprobat, dummodo Praesidum intercedat facultas, expediret maxime, ut id fieret a Sacerdote vel Diacono genuflexo in altero ex Altaris gradibus a cornu Evangelii, quod certe non multum afferret incommodi, quum hujusmodi soliloquia brevi expediantur, eo magis, quia, si adstantes sedere nequeunt et indecens est, ut stent pedibus, convenit etiam, ut Concionator genuflexus iisdem exemplo sit. Verumtamen vel prope Altare concio habeatur vel in alia Ecclesiae parte, semper cavendum est, ne detur occasio actibus a debito obsequio et reverentia alienis vel sit Sacramentum expositum pro Oratione quadraginta horarum vel pro alia qualibet occasione et causa, vel sit Ostensorium detectum vel velatum aut in throno emineat aut pateat velata Pyxis, aperto Tabernaculi ostiolo.

§. XXXIII.

»Le Chiese, ove sarà l' Orazione di »quarant' ore, dovranno la sera stare »aperte, fintanto che vi sarà popolo »per orare, ma perchè non può darsi »in ciò un ora determinata sì per la »situazione di esse, come per la mu»tazione delle stagioni; perciò potranno »chiudersi circa le tre ore l' estate, e »l' inverno ad ore cinque; s' avverte »però, che anche a porte chiuse dovrà »continuare l' Orazione; come s' è detto »al numero IX., non dovendo mai es»sere interpolata l' Orazione di quarant' »ore, come per Decreto della Sacra »Congregazione de' Riti.«

1. Dum *Clemens PP. VIII.* Orationem quadraginta horarum primum instituit, expresse declaravit, eam velle perpetuam, quapropter quasdam jussit designari Ecclesias, in quibus: „Certis praefinitis diebus pia et salutaris quadraginta horarum Oratio celebretur, ea servata Ecclesiarum et temporum distributione, ut diu noctuque quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione, Orationis incensum Domino dirigatur.“ Cohaerenter ad haec jubet *Instructio,* ut aperte pateant Ecclesiae januae quousque populus veneraturus SSmum. Sacramentum ad eam confluit. Neque tamen per integram noctem patere debent, claudendae sunt, dum populus deficit. Qua demum hora? Nequit certo determinari. Variae anni tempestates, major minorque populi frequentia, Ecclesiarum distantia aliaeque similes circumstantiae prudentibus Ecclesiarum Rectoribus aliquam regulam praebere poterunt. Hinc praesens sanctio non jubendo sed potius insinuando, quid pro temporum varietate magis expedire videtur, inquit: „si potranno chiudere l' estate circa le tre ore, e l' inverno ad ore cinque.“ Etsi vero dum cessat aut multum imminutus est populi concursus, *Ecclesiae*

januae claudendae sint, non ideo tamen arcendi sunt illi, qui devotionis fervore moti adhuc in Oratione perseverare cupiunt vel hac de causa petunt ingressum in aliqua ex nocturnis horis. Id autem cauto fiat et nonnisi illi admittantur, quorum explorata est religio ac pietas. Foeminis nullo modo, nulla ratione nulloque praetextu permittatur, sed tantummodo viris, qui, ut jam innui, non alio motivo, nisi religionis, permanere ibi aut ad orandum ingredi cupiunt, et hi ingredi et exire poterunt per aliquod internum ostium pro opportunitate claudendum vel reserandum. Id conforme est regulis *S. Caroli Borromaei*, quarum altera est: „Anchoré la notte si faccia Orazione, la Chiesa però non stia aperta, ma ciascuno picchi, e se gli apra e potranno andare ad orare non solo quei, che saranno del compartito fatto, ma altri ancora.“ Quoniam vero, ut vidimus *ad* §§. *IX. et X.*, singulis horis tam diurnis quam nocturnis dari signum debet majoris campanae sonitu, haud falli puto, si existimo, nedum id fieri oportere, ut Ecclesiastici sibi in Oratione vicissim succedant, verum etiam ut et laici moneantur, si qui sunt, qui velint ad Ecclesiam accedere, ut ibi ad horam in Oratione persistant; quamobrem non eis est denegandus ingressus.

2. Tametsi in hac etiam parte Romae omnino servanda sit *Instructio*, ita ut pateant Ecclesiae fores viris aeque ac foeminis per aliquot primae noctis horas; non extenditur regula ad alias Ecclesias extra Urbem. Ordinarii locorum decernere debent, quod magis expedit, juxta locorum, temporum, personarum mores et circumstantias. Quod in magnis Urbibus licet, in quibus facile comparari possunt media, ne oriantur scandala et ne quid fiat cum offensione et perturbatione fidelium, haud fieri et permitti convenit in parvis Oppidis, in quibus talia media nequeunt adhiberi. Hinc in his magis congruit, ut, etiamsi Oratio sit perpetua, ingruentibus tamen tenebris, Ecclesiae januae claudantur. Ita jussit *Benedictus XIV.*, dum erat Bononiae Episcopus, non quoad Civitatem, sed quoad loca quaedam Dioecesis, nam intelligens, in quibusdam suae Dioecesis locis per quadraginta horas SSmum. Sacramentum exponi, atque Ecclesiae fores per integram noctem patere, eoque viros simul et mulieres confluere, omnino praecepit, ut post horam vigesimam tertiam cum dimidio claudantur. *Laud. Institut. 30. num. 24.*

3. Clausis Ecclesiae januis, non est propterea ab Oratione cessandum, nec Sacramentum intus Tabernaculum recludendum. Id non patitur *Instructio*, quae Orationem vult esse perennem et *Sac. Rit. Congregatio* definivit, ut opportune monet praesens sanctio. Ita *in Fossanen. die 7. Septembris 1658* edixit: „Non licere in Oratione quadraginta horarum reponere Augustissimum Sacramentum tempore noctis et contrariam consuetudinem esse abolendam.“ Tanto cum rigore perpetuitas Orationis servanda est, ut non defuerint aliquando, qui existimarent nec esse interpolandam triduo Passionis. Ideo „Sacerdos deputatus a Vicario ad conficiendum turnum Orationis quadraginta horarum in Urbe petiit: An Feria VI. in Parasceve sit prosequenda hujusmodi Oratio cum expositione Sacramenti, an vero abstinendum? et *Sac. Congregatio* mandavit omnino cessandum a mane Feriae V. usque ad mane Sabbati Sancti“, *die 12. Martii 1661.* Et bene quidem. Haud enim congruit triumphalis Sacrae Eucharistiae expositio iis diebus, in quibus, deficientibus Hostia et Sacrificio, Ecclesia versatur in tristitia, amaritudine et luctu. Quae ratio est, propter quam solemnitas Institutionis Sacramenti,

quae celebranda esset *Feria V. in Coena Domini*, transferatur ad Feriam V. post Festum SSmae. Trinitatis.

4. Quod si alicubi fiat hujusmodi expositio ad formam quidem Orationis quadraginta horarum, ita ut ad tertium usque diem protrahatur, nocte tamen recondatur Sacramentum, non amplius locum habebunt sanctionis regulae, quae tantummodo obligant Ecclesias per turnum designatas pro Oratione quadraginta horarum. Improprie namque dicitur ad formam quadraginta horarum, cum desit id, quod praecipuum est Instituti, perpetuitas scilicet Orationis per quadraginta successivas horas nunquam interruptas, licet per tres dies fiat.

5. Et revera cum pio huic Instituto adnexa sit Indulgentia vel partialis vel plenaria, certum est, quod illam de juris rigore consequi haud possunt Fideles, nisi servata forma Institutionis. Idcirco *Sac. Congregatio Episcoporum et Regularium negotiis praeposita die 5. Aprilis 1657* declaravit: „Si expositio SSmi. Sacramenti continua non sit die noctuque, admoneri debet populus, non lucrifieri Indulgentias pro Oratione quadraginta horarum concessas.“ Vide *Cavalerium tom. 4. cap. 7. decret. 50. num. 1, Lucium Ferrari verb. Eucharistia num. 67, Tetamum in append. cap. 3. art. 7. sect. 3. num. 62. et 63.*, ubi ait: „Constitutio Clementis VIII. anni 1562 singulis poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, qui in qualibet Urbis Ecclesia, ubi Oratio expositionis SSmi. Sacramenti quadraginta horarum continua et non interrupta fuerit indicta, devote orando unam saltem horam perseveraverint, Indulgentiam plenariam concedit; iis vero, qui inibi pias ad Deum preces effuderint breviori tempore, septem annos et totidem quadragenas de injunctis aut alias debitis poenitentiis relaxat.“ Notandum, quod cl. Auctor de suo addidit: *Oratio expositionis SSmi. Sacramenti etc.;* nam revera in laudata Constitutione verbum quidem fit expositionis Eucharistiae, sed dispositio sistit in institutione Orationis perennis, cui, an ab initio, ut adderetur expositio Sacramenti, injunctum fuerit, incertum est; quamvis haec vel sit institutioni coaeva vel paulo post introducta, est generaliter admissa. Quamobrem juxta litteram praefatae Constitutionis unica conditio ea est, quod Oratio sit perennis ad effectum lucrandi indulgentias: modo vero addita est altera, quod Oratio fiat coram Sacramento publicae adorationi exposito, non ratione institutionis, sed consuetudinis, quae in legem transivit.

6. *Paulum V.* ampliasse praefatam plenariam Indulgentiam pro tempore, per quod orare cuilibet fuerit commodum, *litteris brevibus datis 10. Maji 1606*, testantur Auctores supralaudati. Verumtamen, quia quandoque ita comparatae sunt circumstantiae ac tales tantique momenti possunt concurrere causae, ut opportunum maxime et fortasse etiam necessarium videatur Praesulibus, de nocte Sacramentum recondi ac perennem Orationem intercipi, ne propterea populus spirituali illo bono privetur, *Benedictus XIV.* in sua Constitutione *Accepimus* *) *etc. tom. 2. Bullarii num. V.* eamdem plenariam Indulgentiam lucrari posse declaravit, etiamsi noctu interrumpatur Oratio. En verba: „Porro id necessario requiritur ad consequendas eas Indulgentias, quae fidelibus conferuntur, qui, dum precantur in illis Ecclesiis, ubi Divina Mysteria spatio continuo quadraginta horarum exposita publice sunt. Etenim id omnino praecipitur in hac Indulgentia concedenda, quae a quadraginta horis continuis

*) Vd. *Indulg.* (Visitat. Eccles.)

nomen accepit. Equidem, veteris disciplinae severitate remissa, nunc eadem Indulgentia concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum Eucharistiae per horas quadraginta continuas gravissimis de causis minime prostet, modo tamen horis diurnis semper expositum relinquatur."

7. An autem hujusmodi Indulgentiae plenariae ampliatio comprehendat etiam Ecclesias Urbis, dubium excitare quis posset. Etenim Epistola data est *ad Episcopum Wormatiensem* et ejus postulatis Pontifex respondet; quamobrem videtur limitatum indultum ad Ecclesias tantummodo ejusdem Dioecesis. Sed dubium hoc facile exploditur, plura quippe sunt, quae fere ad evidentiam evincunt ampliationem illam universalem esse et extendi etiam ad Ecclesias Urbis, si detur casus, quod gravissimis de causis nocte recondatur Sacramentum. Praeterquamquod Epistola illa *in Bullarium* inserta est, hanc generalem fert epigraphen: *Christi fideles Indulgentiam visitantibus Ecclesias concessam etiam SSma. Eucharistia non exposita lucrantur.* Hoc erat postulatum Episcopi, cui *sapientissimus Pontifex* satisfecit, falsam esse illorum opinionem demonstrans, qui arbitrabantur, non lucrari Indulgentias concessas visitantibus Ecclesias, nisi SSmum. Eucharistiae Sacramentum in iisdem publicae venerationi expositum exhibeatur, necessario id requiri dicit, si in ipsa concessione tamquam conditio fuerit injunctum; exemplum affert expositionis et Orationis quadraginta horarum, declarat tandem quid de antiquo rigore fuisse remissum et lucrari Indulgentiam, etiamsi gravi interveniente causa de nocte interrumpatur Oratio. Ex his colligimus Pontificem de hac re incidenter fuisse loquutum, quae a postulatu erat extranea, licet multum conferret ad solutionem dubii. Praeterea non ipse tunc primum relaxavit legis aut disciplinae rigorem aut quid indulgere voluit *Wormatiensi Dioecesi*, quod Episcopus non petebat, nec erat objectum postulati, sed tantummodo id per modum narrationis retulit, quod in more jam erat, ac propterea non utitur dictionibus: *concedimus, indulgemus, declaramus, extendimus etc.*, bene vero alia longe diversa: *nunc eadem Indulgentia concedi intelligitur,* quae dicendi formula significat, *jam concessum, jam declaratum, jam in more positum.* Quod magis patet, quia immediate verbis supra relatis addit: *de hac re plura tradita sunt in libro P. Theodori a Spiritu Sancto,* unde facile arguimus aliquod Decretum indultivum et declarativum emanasse a Sac. Congregatione Indulgentiarum vel sapientissimum Pontificem praefati Auctoris probasse sententiam. Quae dixi, ni fallor, satis sunt, ut firmetur regula, quod Indulgentiae non depereant etiam quoad Ecclesias Urbis, si urgentissimis de causis contingat alicubi, jubentibus vel permittentibus Praesulibus, de nocte recondito Sacramento, Orationem intercipi, dummodo diurnis horis expositum semper pateat.

8. Neque heic loci tegenda silentio est pia quaedam multaque commendatione digna Institutio novissima, quae in id unice tendit, ne debitum obsequium erga Sacram Eucharistiam vel elangueat vel deficiat nocturno tempore, dum non amplius populo ad Ecclesiam liber datur accessus; prospicitque perpetuitati adorationis a Summis Pontificibus commendatae. Clemens VIII., S. R. C. Decreta, Instructio, quam illustrandam suscepimus, ut diu noctuque per quadraginta horas indeficiens perseveret Oratio, omnino jubent. Verumtamen facile contingere poterat tam sanctae legis violatio in

Ecclesiis praesertim pauperibus Clero destitutis, in quibus unus tantum aut alter mercede conductus erat, qui vigilias ageret et Orationi incumberet. Id animo recogitantes pii quidam viri, zelo honoris Dei commoti, omnes direxerunt curas, ut huic malo occurrerent. Eidem opportune consultum existimarunt ope Societatis, cui, qui nomen daturi essent, per vices ante Sacram Eucharistiam palam expositam, recedente populo, clausisque januis, noctu preces effunderent. Nec multum nec diu adlaborandum fuit, brevi namque tot ex Ecclesiasticorum laicorumque hominum ordinibus pro meditato opere exequendo simul convenerunt, ut mense Novembris 1810 praeconcepta Societas ortum et firmitatem habuerit. Qui eam componunt *Adoratori di Gesù Sagramentato* nuncupantur. Collatis interea consiliis, ut facilior redderetur operis exequutio, neve conceptus fervor temporis progressu, subortis difficultatibus, tepesceret, Moderatores quasdam leges perpetuo servandas edixerunt, quae ab universo coetu probatae sunt. Meum non est eas recensere. Harum duplex est finis. Primus, ne unquam deficiat Oratio; alter, qui in primum recidit, ne Sodales nimio graventur labore. Etenim bene norant Instituta, quantumvis sancta multisque celebranda nominibus, quae certam non inducunt obligationem, sed sunt libera, paullatim languescere et quandoque etiam resolvi, nisi prudenter suaviterque dirigantur. Omnes, qui societatem componunt, in tres classes distribuuntur. Aliqui sunt, qui uni tantum praecipuoque nocturnae adorationis oneri satisfaciunt, alii (quibus etiam piae quaedam foeminae adnumerantur), cum nequeant vel ratione sexus vel aetate vel salutis incommodis vel occupationibus impediti nocturnas vigilias agere, eo, quo possunt, modo pium fovent institutum aes ad expensas necessarium elargiuntur, alii demum, qui simul adorationi incumbunt et aes ministrant. In singulis diebus octo Consodalium nomina extrahuntur ex urna; horum quatuor in Ecclesiam conveniunt incipiuntque vigilias statim ac fores clauduntur; his alii succedunt, qui ab Oratione cessant, simulac, reseratis januis, liber confluenti populo patet ingressus. Hac servata discreta methodo, facilior redditur pii operis exequutio et nimio labore non premuntur Sodales et adorationi opportune consultum est. Equidem Ecclesiarum distantia, temporum intemperies ac alia quandoque non praevisa, quae obversantur incommoda, afferre possunt impedimenta, interponere difficultates. Hisce etiam provisum est, comparatis praescriptisque mediis, quae juxta circumstantiarum varietates, ad finem magis idonea visa sunt. Sodalibus, qui adorationi incumbunt, unus semper praeest Sacerdos, qui Directoris nomen habet. Is est, qui tempora partitur, partim vocalibus precibus, partim meditationi, partim divinae psalmodiae assignando, veluti in Rituali ad hoc disposito praescriptum est. Satis de pia hac novissima Institutione dixi; utinam quod coeptum Romae est, ad omnes Civitates et loca propagetur, in quibus Oratio quadraginta horarum ad formam Constitutionis *Clementis VIII.* peragitur!

9. Ne quid praeteream, *Pius VII.*, quem Deus sospitet, *speciali rescripto dato 12. Maji 1807* benigne concessit, ut Indulgentia plenaria*) primum

*) Haec Indulg. plenar. non derogatur per alias Ecclesiae concessas indulgentias, vd.: *Indulg. alt.* (non derog.); neque derog. per Jubilaeum, vd.: *Indulg. infra Jubil.* (quae non cessat?); *Jubilaeum* (tempore etc.) *Indulg.* (Visitat. eccles.).

a Clemente VIII. in exordio Institutionis elargita, postmodum vero ab ejus Successoribus confirmata et ampliata, applicari in posterum possit per modum Suffragii animabus fidelium defunctorum, ac insuper declaravit omnia altaria illius Ecclesiae, in qua per turnum fit expositio, privilegiata *), durante tempore expositionis.

10. Pauca hic addere pro coronide juvat de plenaria Indulgentia indulta orantibus ante Sacramentum, licet non expositum in turno quadraginta horarum, sed ex alia gravi causa et communi bono vel per triduum vel per unam diem tantum. Pluribus in Ecclesiis piam invaluisse consuetudinem jam a saeculo decimo sexto exponendi SSmum. Eucharistiae Sacramentum ad instar Orationis quadraginta horarum *per tres dies a Quinquagesimae Dominica usque ad Feriam tertiam*, ut Fideles hoc pacto, neglectis mundi illecebris, ad sancta opera incenderentur Deumque bacchanalium criminibus ad iracundiam gravius provocatum mitigarent, testatur *Benedictus XIV. Institut. 14. num. 8.* Consuetudo isthaec magnum habuit temporum successu incrementum, et modo frequentes sunt Ecclesiae, in quibus etiam per aliquot hebdomadae cum Septuagesimae et Sexagesimae dies, tum per triduum Quinquagesimae aut SSmum. Eucharistiae Sacramentum solemniter exponitur aut aliae piae exercitationes peraguntur. Idem *Benedictus XIV.* ad fovendam et excitandam fidelium religionem eosque avocandos a perniciosis bacchanalium ludis, datis litteris ad Episcopos Status Ecclesiastici *die 1. Jan. 1748* relatis in ejus Bullar. *tom. 2. pag. 382. edit. Romanae* Indulgentiam plenariam indulsit visitantibus alteram ex iis Ecclesiis, in quibus ea de causa Sacram Eucharistiam exponendi mos est.

11. Ita Pontifex in hos Episcopos alloquitur: „curandum praeterea vobis est, ut in una aut pluribus Ecclesiis SSmum. Eucharistiae Sacramentum per triduum publico cultui exponatur et

---

Clemens PP. XIII.

Ad augendam Fidelium Religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, *qui Orationi quadraginta horarum continuatarum*, non autem nisi noctis tempore interpolatarum de licentia Ordinariorum locorum in Ecclesiis, in quibus per dilectos filios Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum tempore Quadragesimali Verbum Dei praedicari et Sermones fieri contigerit in Palmarum vel alia Dominica ad hoc magis opportune instituendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exultatione pias ad Deum preces effunderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Illis vero, qui Sacra Communione refecti non fuerint, sed vere poenitentes et firmum propositum confitendi habentes Orationi hujusmodi, ut supra faciendae, interfuerint et ut supra oraverint, decem annos et totidem Quadragenas de junctis eis, seu aliis quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecelesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut alia similis indulgentia Christifidelibus praemissa in dictis Ecclesiis peragentibus concessa et ad tempus nondum elapsum duratura, revocata sit, prout per praesentes auctoritate Apostolica revocamus; utque si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 16. Decembris 1761.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 218. Ed. Rom. 1835.)

*) *Non derogantur per alias indulg. vel per Jubilaeum*, vd.: *Indulg. alt.* (non derog.).

quotidie populo ad Vesperas benedicatur in Septuagesimae aut Sexagesimae aut Quinquagesimae hebdomadis aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus hac nostra Epistola circulari plenariam Indulgentiam concedimus, quae a vobis solitis formulis promulgabitur, quaeque cum *ad opus pium* directa sit, non impeditur alia plenaria Indulgentia, quam Ecclesia, ubi Eucharistia exponitur, aliis de causis habere possit; plenam, inquam, culparum veniam impertimur quibuslibet Christifidelibus, qui poenitentia et Sacra Synaxi rite muniti, singulis diebus Augustissimum Christi Corpus visitaverint, Deum orantes juxta Ecclesiae mentem, quam desuper exposuimus: *mens autem Ecclesiae est.* Ne, huic morum perversitati *(de ludis bacchanalibus loquitur)* Ecclesia, ut potuit, non opportune consuluit et semper precibus operibusque piis enixe Dei praesidium imploravit, ut poenas impiis debitas differret et omnipotenti auxilio suo huic malo remedia praeberet.

12. Deinde ejus Successor *Clemens XIII.* praefatam Indulgentiam pro Statu Ecclesiastico concessam extendit ad omnes Catholici Orbis Ecclesias et lucrari insuper posse indulsit nedum in triduo Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, verum etiam in sola Feria V. infra hebdomadam Sexagesimae. Juvat hic integrum referre Decretum datum per organum *Congregationis Indulgentiarum sub die 23. Julii 1765:* ,,Cum alias *Benedictus XIV.* ad frequentes Episcoporum Pontificiae dictionis querelas gravioribus abusibus, qui bacchanalium tempore irrepserunt, opportuno remedio, opportune occurrere concupierit perspexeritque in aliquibus Ecclesiis salutari consilio institutam esse SSmi. Eucharistiae Sacramenti expositionem per tres dies, sive in hebdomada Septuagesimae, sive in altera Sexagesimae aut Quinquagesimae ante diem cinerum, ad hoc praecipue, ne fideles tempore tentationis a via Domini recederent et in praedictis Ecclesiis pie orantes, divina impetrarent auxilia; universis utriusque sexus Christifidelibus confessis et Sacra Communione refectis, qui easdem Ecclesias, in quibus Venerabilis expositio sive in uno sive in singulis ex praedictis triduis devote visitarent, Indulgentiam plenariam misericorditer concessit et indulsit. Hinc Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XIII. sedulo recogitans, praefatam Augustissimi Sacramenti expositionem plurimum hisce diebus profuisse ac deinceps fore profuturam, eamdem plenariam Indulgentiam ad quascumque catholici Orbis Ecclesias, ubicumque locorum existentes, *ubi Venerabilis expositio sive in hebdomada Septuagesimae sive Sexagesimae vel Quinquagesimae*, *sive in singulis praedictis hebdomadis per tres dies*, atque etiamsi tantummodo in Feria V. infra hebdomadam Sexagesimae peragatur, ex uberi Pontificiae charitatis fonte benignissime extendit.

§. XXXIV.

»In ogni Chiesa di Roma si terrà »affisso in luogo patente la lista delle »quarant' ore per informazione dei »fedeli devoti.«

§. XXXV.

»Parimenti in ogni Chiesa, ove è »determinata l' esposizione si dovrà »tenere affissa continuamente nella »Sagrestia la presente Istruzione, ac»ciocchè niuno possa allegare l' igno»ranza delle regole e precetti, che vi »si contengono.«

Nihil esse videtur in hisce sanctionibus speciali adnotatione dignum, quamobrem progredior ad

§. XXXVI.

»Non ardirà alcun Rettore, Curato »o Sagrestano, fuori dell' ordine asse- »gnato nella lista delle quarant' ore, »d' esporre il SSmo. Sagramento sotto »qualsivoglia pretesto o consuetudine, »per peruna causa grave, nè per in- »fermi senza Breve speciale di Sua »Santità, o almeno licenza segnata da »Noi, o da Monsignor Nostro Vice- »gerente, e sottoscritta dal Deputato »delle quarant' ore, quale ottenuta, »s' esporrà il Venerabile in un' Altare »o Capella con un velo avanti e col »suddetto numero di venti lumi, e si »osserverà puntualmente il tempo, che »dovrà durare l' esposizione assegnato »nella suddetta licenza, sotto le pene »infrascritte e privazione d' offizio.«

1. Hactenus *Instructio* de expositione pro Oratione quadraginta horarum. *In postrema hac sanctione methodum pro aliis expositionibus praescribit:* jubet per modum regulae generalis, ne fiant ulla ex causa, non obstante quaecumque consuetudine aut praetextu sine Pontificio indulto aut licentia Emi. Vicarii vel ejus Vicesgerentis, quae firmata subscriptione sit ab illo, qui ad conficiendum tabellam Ecclesiarum pro Oratione quadraginta horarum specialiter est deputatus. Hujusmodi autem lex municipalis est, nec praetergreditur Urbem ejusdemque confinia, sed quoniam respicit Sacrae actionis decus debitumque cultum Sacrae Eucharistiae palam expositae exhibendum, ubique esset religiose servanda, et praecipuum onus Episcoporum est invigilare, ne in respectivis eorum Dioecesibus publica ulla fiat expositio, nisi petita et obtenta ipsorum licentia, ut Sacra Rit. Congregatio pluries edixit, ceu mox videbimus.

2. Etenim, juxta disciplinam, quae modo viget, saepenumero fit SSmi. Sacramenti expositio, quod praesertim accidit in cultis Civitatibus, in quibus elegantia, nitore, amplitudine Ecclesiarum, vasorum et suppellectilium, quae necessaria sunt, copia, populorum religione decenter debitoque cultu praestantissima haec functio exequi potest. Verum non omnes expositiones aeque sunt solemnes, sed aliae plus, aliae minus celebritatis habent. *Solemnissima* est illa, de qua huc usque egimus; tales sunt etiam, quae tam Romae quam alibi fiunt in octava Corporis Christi vel tempore bacchanalium vel in octiduo defunctorum. His adnumerari possunt expositiones quaedam extraordinariae, quae praecipiuntur in gravi aliqua Christianae Reipublicae necessitate, in publicis calamitatibus et periculis vel in gratiarum actione pro acceptis a Deo beneficiis. *Aliae sunt minus solemnes* et ad breve tempus vel statis diebus fiunt in implementum piarum fundationum vel in Sanctorum natalitiis diebus vel in novemdialibus et triduanis precibus peragendis vel etiam pro aliquo infirmo aut alia privatae personae seu familiae necessitate. Et hae omnes, cum exponatur Sacramentum palam in throno, *sive ex publica sive ex causa privata fiant, publicae dicuntur.* Aliae demum sunt *privatae* et in his non collocatur Ostensorium sub umbella, sed aperto Tabernaculi ostiolo, Sacra Pyxis, suo operta velo, populo patefit.

3. Ut *primum de expositione publica* loquar vel haec solemnissima sit vel minus solemnis, dummodo extrahatur Sacramentum e Tabernaculo et pallam collocetur in throno sub umbella, fieri nequit privata auctoritate, sed Ordinarii licentia omnino est necessaria. Innumera sunt S. R. C. Decreta, quae id declarant. Aliqua ex iisdem indicare sat erit: *In Thelesina 8. Februarii 1631* petentibus Canonicis

Cathedralis: *an possent exponere pro eorum arbitrio Orationem quadraginta horarum?* Sac. Congregatio respondit: *quoad Orationem quadraginta horarum posse de licentia Episcopi. In Cracovien. 28. Aprilis 1640* declaravit: „nullo modo convenire, nec posse per Regulares neque Saeculares publice exponi (Sacramentum) sine expressa licentia Ordinarii, et ideo omnino prohibendos contrafacientes"; in quo Decreto notandum est, quod petitio solos respiciebat Regulares, sed Sacra Congregatio opportunum duxit declarare, quod etiam Saeculares lege; tenentur ac tandem *in Toletana die 18. Decembris 1647:* S. R. Congreg. inhaerendo Decretis saepius per orbem terrarum promulgatis, Dioecesis et Civitatis Toletanae Clero tam Saeculari quam Regulari, Monialibus atque Confratribus SSmum. Eucharistiae Sacramentum publice exponere, nisi cum speciali Ordinarii licentia, non licere, et inobientes poenis et censuris coercendos esse declaravit." Neque, ut supra jam dixi, ad expositionem publicam, pro qua necessaria est licentia Ordinarii, requiritur magna celebritas ex causa gravi ac publico Ecclesiae bono; satis est, quod Sacramentum e Tabernaculo extractam collocetur in throno, etiamsi fiat cum Ostensorio velato. Ne alia quaeramus argumenta, una sufficit Instructio, quae rem declarat, prohibendo: „d' esporre il SSmo. Sagramento sotto qualsivoglia pretesto, o consuetudine per veruna causa grave, nè per infermi, senza breve etc. o almeno licenza etc." Quod si liberum cuique foret sub praetextu consuetudinis aut causae privatae, quae magnam non exigit solemnitatem, Sacramentum publice exponere, innumeri orientur abusus et forte exposisiones fierent sine decenti apparatu, frequenter nimis et cum maximo cultus et Religionis detrimento. Quamobrem non ita faciles esse debent Episcopi in elargiendo licentiam cuique petenti, ad ipsorum solicitudinem pertinet in id potissimum incumbere, ut et rationabilis interveniat causa et debito consulatur obsequio, ne expositio inopportune fiat vel necessaria desideretur decentia.

4. Esset hic percontandi locus: *num expositionis SSmi. Sacramenti frequentia magis congruat, quam si raro fiat.* Quaestio haec est, quae adhuc pendet indecisa. *Christianus Lupus de Sac. Processionibus cap. 12 inter ejus opera tom. 11* frequentiam laudat, quod populum abstrahat a spectaculis, otio et confabulationibus, ad virtutum actus excitet, ad Ecclesiam convocet et templis ipsis, veluti dum in aula Rex sub throno palam conspicitur, majorem conciliet venerationem. Contra vero *Thiersius lib. 2. cap. 2.* magis convenire existimat, quod raro fiat, quia ex frequentiori Sacrosancta Mysteria vilescunt et imminuitur christianae plebis devotio; hinc tria constituit scilicet: *Primum* haud permittendum unicuique, ut Eucharistiae Sacramentum, cum lubet, exponat, sed Pontificis et Episcoporum in hac re sententiam servandam. *Secundo* juxta Ecclesiae instituta et sapientum virorum opinionem id concedi rarius debere. *Tertio* idipsum per octavam Corporis Christi perfici solum fas esse vel cum gravissima causa Religionis aut Reipublicae id postulet, quae ab Episcopo dijudicanda est. *Theophilus Rainaudus Heter. tom. 15* Ecclesiae judicio rem esse relinquendam censet, quamquam in *Thiersii* sententiam propendat. „Timendum est, *inquit*, ne majestas Mysterii Fidei tam crebra vel etiam assidua ejus vulgatione deteratur, nec adeo facile percellat contuentium oculos, quam si infrequentius et quod fere consequens est, majori cum apparatu et

accuratione proponeretur et viderint ii, ad quos attinet, quid magis in hac re sit e Dei gloria et bono animarum, nam hic meum judicium interponere consultum non foret.“ *Benedictus XIV.*, adhuc tamen Cardinalis et Bononiae Episcopus, relatis horum Auctorum sententiis, a suo abstinet promendo sensu, inquiens: „Nos sane hoc negotio implicare nolumus, quo pars utraque nihil aliud contendit, nisi ut cultus Eucharistiae debitus augeatur.“ *Instit. 30. num. 5, 6, 7 et 8;* neque voluit hanc dirimere quaestionem ad Petri Cathedram evectus, ut patet ex Constitutione *Accepimus in Civitate etc.*, data 16. Aprilis 1746, Bullar. tom. 2. pag. 31, Editionis Romanae; videtur tamen potius adhaerere sententiae, quae frequentiam non improbat, dummodo cum debita reverentia decenter fiat, quod curare Episcoporum est.

5. Quis autem ego sum, qui velim in hac me ingerere controversia? Si id facerem, temeritatis notam non effugerem. Quamobrem, quidquid de ea sit, vel raro vel frequenter fiat expositio SSmi. Sacramenti, *duo* tamen certa sunt. *Primum*, quod fieri nullo modo debet, nisi permittente Ordinario; *secundum*, quod non licet, nisi decentiae satis consultum sit. Unum includit alterum; nam Ordinarii locorum licentiam non debent impertiri, nisi aut certi sint, quod debita cum reverentia sacra illa functio peragatur, aut praescribant modum, quo peragenda sit, quin ab eo liceat declinare. Haec duo fortasse in ratione habebat *B. Joseph Maria Cardinalis Thomasius*, dum consultus: utrum singulis Dominicis in templo recens excitato sacram exponendi Eucharistiam morem probaret? respondit: „Utrum sacra Mysteria per singulos Dominicos dies palam exponenda sint, serio perpendi debet, antequam deliberetur. Id enim non semper Deo gloriam affert populoque utilitatem. *Nam, ut verbis utar* Antonii Albergati Sedis Apostolicae Nuntii in Belgio, multo melius est, ut non ita frequenter exponatur et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio et reverentiae significatione id fiat; apud *Benedictum XIV.* ibidem.“

6. Dummodo tamen omne absit irreventiae periculum, et Ordinarii locorum sedulo invigilent nec permittant Sacramentum publicae venerationi exponi, nisi id fiat cum debito obsequio et reverentiae significatione; praesens Ecclesiae disciplina non videtur aliena a frequenti expositione indulgenda. Sacra Congregatio, quae de Ecclesiasticis Ritibus jus dicit, cum ab Episcopo Pisauri rescivisset, ea in civitate invaluisse morem: „exponendi in quolibet die festivo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in omnibus tam Saecularium quam Regularium Ecclesiis, eo dumtaxat temporis spatio, quo fidelibus benedictio impertiatur, unde fit, ut nec ipsis ad commodum tanti Sacramenti venerationem exponatur et ex tam multiplici et perfunctorio benedictionum numero oriatur facile confusio et devotio tepescat“, *sub die 2. Aug. 1692*, non absolute inhibuit frequentiam, sed modum abususque damnavit; ideo statuit: „Esse committtendum *(eidem Episcopo)*, ut talem in posterum pro sua prudentia in expositione SSmi. Sacramenti praescribat formam, ut omnibus praedictis abusibus prospiciatur“, et unum solummodo praeceptum dedit: *dummodo praedictas benedictiones de nocte fieri expresse prohibeat*, quae adjecta exclusiva conditio magis demonstrat, quinam esset Sacrae Congregationis sensus circa frequentiam.

7. Nostra autem Instructio nihil prorsus habet de frequentia. *Duas* tamen praefatas conditiones omnino requirit, ut liceat Sacramentum ex-

poni: *auctoritatem* scilicet *et decentiam*, quae duae conditiones sunt, quas, quotquot hac de re scripserunt, licet in contrarias sententias quoad frequentiam incedentes, necessarias omnino esse docuerunt, quod et ipsa religio actionis plane suadet. Quoad *primam*, e medio tollit *qualsivoglia pretesto o consuetudine*, et expressam exigit scripto licentiam; quoad *secundam*, certum praescribit luminum numerum, jubet velari Ostensorium et, ne ultra concessum temporis spatium expositio protrahatur, omnino vetat.

8. Quoad autem hasce expositiones extra Urbem optandum esset, *ut omnes Episcopi illam semper sequerentur methodum, quam tenuit Benedictus XIV., dum Bononiae erat Episcopus, et exposuit in laudata Institutione 30.* nunquam satis commendanda. Inhaerens primum juris dispositioni, quae arbitrarias expositiones vetat, inquit *num. 13:* „cum Sacra Eucharistia absque facultate nostra et publica causa exponi nequeat et cum Ecclesiae leges populique cultum erga Divinum Eucharistiae Sacramentum integre tueri maxime optemus; ideo summopere commendamus ac probamus, quod in hac Civitate singulis diebus Eucharistia publice in aliquo templo colenda exhibeatur . . . . idque satis esse ad nostram facultatem declaramus, quod Ecclesiarum nomina, in quibus exponitur Sacra Eucharistia, nostra auctoritate in lucem proferantur", et *num. 14:* „quod si Regulares aut Saeculares iis diebus Sacram Eucharistiam exponere velint, qui in eadem tabella minime designantur, pro re gerenda facultatem a nobis expostulent causamque declarent." Haec ad facultatem pertinent, ad decentiam vero *num. 70* conditiones enumerat omnino servandas, ut Sacra Eucharistia, quo par est, honore ac religione publice coram populo exponatur, *juxta ea, quae Romani Pontifices et Clemens etiam XII. praescripserunt.* Et revera conditiones istae conformes sunt regulis nostrae Instructionis, si pauca quaedam excipias, quae essentialia non sunt, nec ubique servari aeque possunt. Non ego sum, qui existimem ab enumeratis *per Benedictum XIV.* conditionibus nullibi recedendum esse; scio non ubique id fieri posse, quod fit in cultis Civitatibus, quae populo abundant et opibus, ratio habenda est locorum, temporum et personarum. Propterea si quaedam desit solemnitas, satis erit, quod decentia non deficiat, quemadmodum, data opportunitate, monui in commentariis ad aliquas ex praecedentibus sanctionibus.

9. Satis dixi de expositionibus publicis. Verum priusquam ad alia progrediar, adhuc unum *in Instructione* est, quod illustrandum videtur. Percontabitur fortasse quis, curnam caeteras inter conditiones, quae decentiam spectant, illam ponit Instructio, quod Sacramentum exponatur *con un velo avanti?* non enim distinguit inter casum et casum, sed omnes simul expositiones comprehendit, *fuori dell' ordine assegnato nella lista delle quarant' ore.* Ut verum fatear, nulla mihi se offert idonea ratio, quae quamlibet eliminet dubitationem, dicat tamen, vestigium fortasse hoc esse veteris disciplinae. Ante *Urbani IV.* tempora, ut alias notatum fuit, nondum in usu erant vasa monstrantia, et aevo *S. Caroli Borromaei* sacra Hostia in eleganti pretioso Tabernaculo ad modum cilindri elaborato et in pyramidis formam desinente includebatur; *Ostensorium*, quo nunc utimur, ad recentiora tempora pertinet. Docemur insuper ex ejusdem Sancti Antistitis Instructione etiam in expositione solemnissima quadraginta horarum sacrum illud Tabernaculum non

in throno sub umbella, sed in Altaris mensa collocari consuevisse, sed desuper velo, quod obumbraret, sed non omnino tolleret aspectum Sacramenti, imposito. Ita factum arbitror ob reverentiam Sacramenti et ad devotionem adstantium conciliandam. Temporis vero successu, invento Ostensorio ad modum radiantis sphaerae moreque inducto illud collocandi in eminentiori Altaris parte tamquam in throno sub baldachino, in desuetudinem abiit antiquus usus illud tegendi oblongo velo in expositionibus publicis, quae fiebant de Superiorum mandato et forte etiam in solemnissimis per octiduum Festi Corporis Christi; sed adhuc eumdem usum continuasse in aliis expositionibus publicis, sed non de praecepto existimo. Ab hac distinctione rationem petiisse videtur *Instructio*, dum jussit velari Ostensorium in omnibus expositionibus, praeterquam in illa pro Oratione quadraginta horarum. Verum id quoque paulatim ac sensim sine sensu immutatum est et modo ea viget consuetudo, quod non tegatur velo Ostensorium, nisi in casu, quod expositum sit pro privata aliqua necessitate, et quod initio fuit reverentiae argumentum, modo adhibetur in signum tamquam non dubium, quod expositio fit non ex Praesidum mandato et publica causa, sed pro aliquo infirmo aut alia privata necessitate permittitur. Nemo namque est, qui non sciat, facile esse mutationibus obnoxia, quae ad extrinsecam disciplinam pertinent et rituum substantiam non laedunt. Si quis aliam rationem hac validiorem inveniat, opinionem hanc meam libenter repudiabo.

10. Aliquid modo addendum superest *de expositionibus privatis.* Tales sunt, quae fiunt, aperto Tabernaculi ostiolo, patente velata Pyxide. *Benedictus XIV. in saepe laudata Instructione* his adnumerat etiam expositiones, quae fiunt cum Ostensorio velato sub umbella. Agens enim de exponenda privatim Eucharistia, „cum nullis Ecclesiae legibus, publica causa et Episcopi facultas necessario requirantur, rem totam ad Praefectum illius Ecclesiae rejicit, ubi vel pro alicujus aegritudine levanda vel pro necessitate ac desiderio alicujus religiosi viri, Sacra Eucharistia debet exponi; normam *observandam praescribit, videlicet*, ut Eucharistiae Tabernaculum solum aperiatur et Sacra Pyxis clausa suoque velamine obtecta, populi oculis subjiciatur, vel si Eucharistia e Tabernaculo proferenda sit, Sphaera inter Chrystallum inclusa sub umbella statuatur . . . . Sphaera tamen velo adoperta ita sit, ut Sacrae Hostiae aspectus impediatur.“ Videtur tamen juxta *Instructionis* sensum secus de hoc secundo modo sentiendum et ad publicas expositiones pertinere illam, quae fit, velato Ostensorio, ex causa privata, quandoquidem praesens Sanctio opportunam Praesidum licentiam exigit, vetans sine ea, *d' esporre il SSmo. Sagramento sotto qualsivoglia pretesto o consuetudine per veruna causa grave, nè per infermi.* Verumtamen parum interest hic determinare: an publica dicenda sit expositio, quia palam in throno Sacramentum exponitur adorandum, vel privata, quia ex causa privata fit. Lis est de nomine, nobis sufficit, quod Romae servanda est regula Instructionis; quamquam forte etiam *Benedictus XIV.* cum ea convenit, licet generalem facultatem Ecclesiarum Praesidibus elargiatur; tum quia ad Romanum morem se refert: *altera vero Romae Urbis consuetudine probatur*, tum etiam quia eamdam permittit, apposita conditione, *quod caetera omnia circum apponantur, de quibus sermonem inferius instituemus.* Ubi se habet relative ad

regulas, quas inferius enumerat in expositionibus publicis omnino servandas. Et revere expositio cum Ostensorio velato vix differt ab altera, quae fit cum Ostensorio detecto, si excipias causam, quam dat privata necessitas, et majorem minoremque solemnitatem.

11. Redacto igitur sermone ad expositiones vere *privatas*, *quae fieri possunt sine Ordinarii licentia*, certum est in his non licere Pyxidem ex aperto Tabernaculo extrahere et benedictionem populo cum ea impertiri. Sacrae Congregationes Episcoporum et Regularium, Concilii Tridentini interpretum et Sacrorum Rituum, conformi sententia expresse jubent, ne Pyxis e Tabernaculo extrahatur, sed velata pateat, recluso ostiolo. „Si quandocumque privata ex causa Sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a Tabernaculo nunquam extrahatur, sed in Pyxide velata, in aperto ejusdem Tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicujus Sacerdotis stola et superpelliceo induti et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. *Ita* Congregatio Episcoporum et Regularium *9. Decembris 1602* et Sacra Congregatio Concilii *sub die 17. Aug. 1630.* Non licet Regularibus, etiam in propriis Ecclesiis, SSmum. Eucharistiae Sacramentum publice venerandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata possunt, dummodo Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur et sit velatum ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit.“ Consonant alia ejusdem Congregationis Decreta *die 28. Februarii 1654 et 14. Aprilis 1674 ex lib. 19. Decretorum pag. 319. et lib. 28. pag. 72. et Sac. Rit. Congregatio in Savonen. die 31. Martii 1642;* servari Decreta aliqua super hoc edita mandavit, scilicet: Non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, SSmum. Eucharistiae Sacramentum palam adorandum exponere nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; ex causa vero privata, licere, dummodo non extrahatur e Tabernaculo et maneat velatum, ita ut Hostia videri non possit.“ Quae duae conditiones expressae necessario secumferunt aliam, etsi non declaratam verbis, quod videlicet nequeat populus cum Sacramenti sic private expositi benedictione dimitti.

12. Ne quis sit, qui secum reputet Decreti hujusmodi vel solos Regulares afficere vel contraria consuetudine obsolevisse. Controversiam hanc dirimit sapientissimus Pontifex *Benedictus XIV. in Epistola data ad Cardinalem Urbis Vicarium die 27. Julii 1755*, occasione, qua prius quidam Sacerdos, ad compescendum incendium in viciniis excitatum, convocato ad Ecclesiam populo aeris campani gravi sonitu, Sacra Pyxide e Tabernaculo extracta, benedictionem cum illa super populum e conspectu incendii fuit impertitus. Siquidem §. 13 haec habet: „Adjecit et illud Ecclesia, quod si privata tantum et non publica causa subsit, Sacramentum exponatur, ita tamen, ut reserato Tabernaculo, inde Sacrum Christi Corpus minime educatur, sed vel Sacra Pyxide sit inclusum aut velo obtectum, ita ut videri non possit, quemadmodum deprehenditur ex iteratis conformibus Decretis editis a Congregationibus Urbis et per Summos Pontifices probatis, quos omnes collegimus ipsi, cum Bononiae essemus in una ex nostris Institutionibus“ (quae est 30. saepe laudata). Itaque si Pontifex Summus ad Ecclesiae Institutum se refert, si casus, qui dederat scribenti occasionem, acciderat non in aliqua Regularium Ecclesia, verum in Saeculari et Collegiata, scilicet *S. Nicolai*

in carcere Tulliano; recta consequitur, legem de non extrahenda Pyxide non limitari ad solos Regulares, sed ad quoscumque etiam Saeculares extendi. Igitur si ex Ecclesiae instituto, ex Decretorum praescripto, in expositione privata, pro qua non requiritur specialis Ordinarii facultas, Pyxis e Tabernaculo educenda non est, quisque videt planeque intelligit, vetitum esse in his privatis expositionibus populum cum Sacramento benedicere. Ita propterea concludit laudatus Pontifex: ,,Si autem Sacramentum non debet a Tabernaculo educi; facile intelligitur in designatis casibus non esse illud efferendum . . . . et cum eodem benedictionem impertiendam: Integra legenda est praefata Epistola, in qua spartam hanc Pontifex sapientissimus mirifice illustrat.

13. Verumtamen *Cavalerius* licitam esse arbitratur expositionem etiam privatam cum Pyxide velata in throno ac proinde eamdem posse e Tabernaculo educi. Innititur ipse Decreto Congregationis Episcoporum et Regularium *anni 1598,* quo permittitur hujusmodi privata expositio, dummodo Sacramentum ,,non exponatur detectum, sed ostiolo Tabernaculi aperto aut ad summum in Pyxide velata. Sic enim (ait *tom. 4. cap. 7. Decret. 8. num. 3.)* expositio privata, si modo laudata Decreta attendantur (scilicet *ann. 1602, 1630)* ita debet fieri, ut numquam Sacramentum extrahendum sit e Tabernaculo, sed media Pyxide in ostiolo Tabernaculi aperto; praesens tamen sanctio reapse indulget, eamdem etiam fieri in throno cum Pyxide velata; cum enim statuat, expositionem privatam faciendam esse cum Sacramento velato in ostiolo Tabernaculi aperto, et mox subdat: *aut ad summum in Pyxide velata;* profecto novam ponit dispositionem, per quam cavetur e Tabernaculo Sacram Eucharistiam extrahi item posse et super throno collocari in Pyxide tamen solummodo velata.“ Adhaeret *Tetamus in Append. ad Diar. Civil. et Ecclesiastic. cap. 3. art. 1. num. 2.* Oppido tamen uterque fallitur. Forte neuter advertit Decreta, quae secus disponunt, illo *anni 1598* esse posteriora. Esto enim a Sacra Congregatione Episcoporum et regularium *anni 1598* vel modum utrumque fuisse permissum vel satis clare non fuisse dispositum; certe tamen iterum iterumque ad examen revocata quaestione *annis 1602 et 1630* id declaratum fuit, quod forte erat ambiguum et alter tantummodo ex praefatis modis probatus sub conditione expressa, *dummodo Sacramentum non extrahatur e Tabernaculo, nunquam extrahatur.* Quibus adstipulatur recentius Decretum supralaudatae Sac. Rit. Congregationis, quod *Cavalerius* dissimulat. Porro explorati juris est, posteriora Decreta prioribus derogare. Qua igitur veritate asserere poterant cl. Scriptores per Decretum *anni 1598* poni novam dispositionem; cum potius dicere debuissent per dispositionem posteriorum *ann. 1602, 1630, 1642 etc.*, id fuisse emendatum, quod minus recte vel non satis clare in Decreto *anni 1598* habebatur expressum?

14. Quoniam vero in altero ex praefatis Decretis legitur: *a Tabernaculo nunquam extrahatur*, dictio illa *nunquam* angit *Cavalerium ibidem Decret. 9*, qui propterea fateri cogitur, eamdem seorsim spectatam ita esse accipiendam, ut absolutam negativam importet et nullo tempore, nulla ex causa, nulla occasione modum alterum teneri posse significet, ne tamen ab opinione sua recedere videatur simulque conciliet disjunctivam, quam exhibet Decretum *anni 1598*, late magis interpretandum vult

dictionem illam pro *non*, ita ut viam alicui limitationi non praecludat. Quae autem sit vis arbitrariae hujus interpretationis, inquirere non est opus. Si Grammaticos appellare vellem, inveniretur forte nemo, qui ei plauderet ac mecum non conveniret, quod in hoc casu dictio *nunquam* in suo proprio et genuino sensu accepta et a contextu non divulsa, nil aliud significare potest, nisi: *nullo casu*, *nullo tempore, nulla occasione*, *nullius arbitrio*. Quid tamen prodest in hac inani quaestione de unius verbi significatione immorari, dum certum est posteriora Decreta, quae Ecclesiae Instituto et universali majorem praecipue Ecclesiarum praxi sunt conformia, prioribus derogare? Quamobrem improbanda videtur illorum licentia, qui sibi jus arrogant, qualibet ex privata causa vel etiam uno devotionis motivo, extrahendi a Tabernaculo velatam Pyxidem, ut cum ea benedictionem populo impertiantur. Abusus certe intolerabilis et omnino eliminandus. Si hoc fieri nequeat, ne pusillis detur offensionis occasio, certis tamen legibus cohibendus erit et intra quosdam confines continendus; quia, si id in arbitrio relinquatur, multa venient incommoda cum levi religionis et cultus detrimento.

15. Quatenus vero non omnino recedendum esse quis vellet a Decreto *anni 1598*, quo juxta *Cavalerii* opinionem permitti videtur Sacrae velatae Pyxidis extractio et extra Tabernaculum expositio, esset eadem collocanda in throno sub umbella, quemadmodum fit, dum Sacramentum exponitur in Ostensorio velato. Hoc tamen vetitum omnino est, utpote admissis ritibus et Romanae Ecclesiae consuetudinibus repugnans. Audiendus *Benedictus XIV.* in laudata *Instructione 30*, *num. 16:* „Penitus interdicitur, Sacram Pyxidem ob privatam causam extra Tabernaculum efferri ac velatam sub umbella collocari, cum nullum hujus ritus vestigium apud Scriptores nullaque Sedis Apostolicae consuetudo deprehendatur, quam sequi omnino debemus.“ Igitur si Sacra Pyxis in throno non est collocanda, nec erit extra Tabernaculum exponenda. Quamobrem firmum immotumque stat, quod ex causa privata non licet e Tabernaculo educere Sacram Pyxidem ac proinde nec cum eadem benedictionem populo impertiri.

16. Haec est regula, haec Apostolicae Sedis consuetudo pluribus Sacrarum Congregationum decisionibus roborata. Attamen objicies, non deesse pios quosdam, nec omnino indoctos viros, qui mordicus sustinent, etiam in expositione privata populum cum Sacramento Pyxide incluso esse benedicendum; imo et facto comprobare hi notuntur, quod perperam opinantur. Quas afferunt ipsi rationes, sunt: 1. Quia Rituale Romanum jubet benedici infirmum et populum in delatione Viatici, si supersit in Pyxide aliqua particula et idcirco ad Ecclesiam regressus fiat. 2. Quia in quamplurimis Urbis Ecclesiis ea invaluit consuetudo. 3. Quia eadem nonnihil confert ad pietatem fovendam. 4. Quia *Benedictus XIV.*, licet hanc consuetudinem sacris ritibus et ab Ecclesiae moribus alienam dicat, excipit nihilominus casum, quod forte aliquis maximae dignitatis vir, quemadmodum Rex aut Regina, pietatis causa, eam benedictionem expeterent. 5. Demum, quia idem Pontifex, cum adhuc Episcopus et Cardinalis esset, facto suo ab ea, quam firmaverat, sententia recessit, indulgendo, quod semel in die posset populus cum Sacramento in Pyxide velata benedici, non indiscriminatim in omnibus; verum in aliquibus Ecclesiis, quibus longaeva fa-

vebat consuetudo. Si bene sentio, hae similesque rationes ad tuendam eorum sententiam minime prosunt, ut mox ostendam.

17. Non valet prima ex *Rubrica Ritualis* desumpta. Hoc unum ad ponendum discrimen satis esse videtur, quod si deferendum sit Viaticum ad infirmos, Sacra Pyxis e Tabernaculo necessario educenda est. Decet proinde ac maxime convenit, ut Sacerdos, priusquam recedat ab infirmi cubiculo, cum Sacramento eum benedicat, quod et faciat erga populum in Ecclesia, priusquam Sacramentum in Tabernaculo recondat. Sed non eadem est ratio in simplici expositione privata, in qua, juxta laudata Decreta, nequit Sacra Pyxis e Tabernaculo educi, neque ulla urget necessitas, ut educatur. Verum qui ea se ratione tueri posse arbitrantur, res inter se omnino diversas mire confundunt. Non enim hic quaestio est: num liceat populum benedicere cum velata Pyxide, quod nemo negat, dummodo id fiat vel ex legis praescripto vel permittente Ordinario; sed alia longe diversa, scilicet: num sit in privatorum arbitrio vel ex causa devotionis et pietatis vel pro infirmo aut pro alia particulari necessitate, nedum exponere intus apertum Tabernaculum velatam Pyxidem, verum etiam hanc educere ad populum cum benedictione dimittendum. Haec quaestio est, quam ipsa lex dirimit. Eadem actio, quae in aliqua circumstantia nedum permittitur, sed est etiam in praecepto, in alia prorsus diversa circumstantia ex eodem jure interdicitur. Sit equidem in se spectata nedum licita, sed multa etiam digna commendatione; non erit amplius in arbitrio, si in quibusdam circumstantiis eam lex vetet. Itaque laudabile multum et rationabile est benedicere populum cum Sacramento. Si haec una spectetur actio, eam licitam esse quis inficiabitur? Sed non omnia, quae in se bona et sancta sunt, ut pro lubitu semper fiant, quia aliquando lex fieri jubet, laudabile et rationabile est. Ecclesiae regulae servandae sunt, quibus certus ordo opportune traditur in sacris functionibus obeundis omnino tenendus. Si quis ab hisce regulis suo arbitratu, devotionis et pietatis praetextu declinat, reus violatae legis efficitur. Sed nimis fortasse immoratus sum in re, quae probatione non indiget.

18. Hinc, ut ad secundum progrediar, si mos in aliquibus Urbis Ecclesiis inductus privato hominum studio, quin publica accesserit auctoritas, obtinuisse fertur; quis non illum illicitum, irrationabile minimeque laudandum dixerit? Quae quidem censurae non in ipsam feruntur actionem, quae sancta est; verum in agentes, adversus quos leges urgent, dum vetant ac expresse nolunt, ut fiat, jubendo, ne Sacra Pyxis e Tabernaculo extrahatur: „cum novi ritus, inconsulta Sede Apostolica, permitti nequeant, licet pietatis aliqua causa adducatur“, ut ad rem ait laudat. Pontifex *d. Inst. 30. num. 23.* Ideo enim Rituales Libri editi sunt, „ut ea, quae ex antiquis Catholicae Ecclesiae institutis . . . . . ritibus ac caeremoniis praescribuntur, ea, qua par est, diligentia ac religione custodiantur et ubique fideliter serventur“, ut legitur *in Rituali Romano tit. 1.* et novissime *Benedictus XIII. in Concilio Romano tit. 15. cap. 1.* expresse jubet, ut: „non pro libito inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti et approbati Catholicae Ecclesiae ritus, qui, in minimis etiam sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districte praecipimus, ut contraria omnia, quae . . . . irrepsisse compererint, destabiles tam-

quam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant amovere . . . . . cum non quod fit, sed quod fieri debet, sit attendendum, et regula est non cantari, nisi quod legitur esse cantandum.

19. Quamquam hujusmodi mos quoad Urbem antiquus certe non est et ad recentissima tempora referendus. Testem appello, quo nemo praestantior. Is est *Benedictus XIV.*, qui *in laud. Institutione ibidem* damnans morem, quem obtinuisse deprehendit Bononiae, ubi pluries eadem die benedictio cum Sacra Pyxide populo impertiri solebat, ita prosequitur: „Nullum de hoc ritu documentum deprehendimus . . . ne Romae quidem, quae sacrorum rituum Magistra merito appellatur, id fieri consuevit, nisi forte maximae dignitatis vir, quemadmodum Rex aut Regina, pietatis causa, eam benedictionem expeterent. Quamquam nos plusquam viginti annis Sacrae Rituum Congregationi adfuimus, tamen a praecipuo ejusdem Ministro consilium super hac re poscere non praetermisimus, qui hanc consuetudinem omnino interdicendam respondit etc.“ Nondum igitur ea tunc consuetudo invaluerat; sed nec inducta est postea, tempore scilicet, quo ipse in Petri Cathedra sedit, ut plane consequitur *ex laudata ejus Epistola*, quae data fuit *anno 1755*, praesertim vero ex verbis, quae recitavimus supra *num. 12.* Secus enim, si ad ejus aures pervenisset, quod in aliquibus Urbis Ecclesiis id fieret, quod per Decreta Sacrarum Congregationum, a Summis Pontificibus probata, erat omnino vetitum, coerceri Rectorum licentiam demandasset. Ipse enim est, qui fretus *Concilii Tridentini Canone 13. sess. 7. de Sacrament. in genere* dixerat *ibidem* §. *12:* „Neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate vel ex verae etiam devotionis, zelique affectu novum ritum inducere . . . . et quoties aliquem ritum ejusmodi induci continget, etsi nihil continentem pietati et religioni appositum, Apostolica Sedes eumdem ipsum interdicere non dubitavit ex quibusdam extrinsecis circumstantiis nullatenus praevisis vel neglectis ab eo, qui ritum invexit.“ Et ideo ipse reprobavit factum Sacerdotis, qui zelo ac pietate motus non se continuit intra Ecclesiasticarum legum confines, sed Sacram Pyxidem e Tabernaculo extraxit et ex conspectu incendii benedictionem populo fuit impertitus, in eum non animadvertendum jussit, excusando intentionem, ne tamen exemplum ad similia viam panderet, mandavit Cardinali Urbis Vicario, ut peculiari edicto provideret, ne quid simile in posterum fieret: „cum haud justum et aequum sit, ut, quae sunt minus recte gesta, conniventia invalescant iteratisque actibus quamdam veluti legitimae spectabilisque consuetudinis speciem obtineat.“ *Ibidem* §. *27.*

20. Si qua igitur consuetudo in quibusdam Urbis Ecclesiis inducta est, ea certe posterior est aevo *Benedicti XIV.* et ad finem saeculi decimi octavi amandanda. Quod si velis eamdem initium jam ante habuisse in una alterave Ecclesia, fateberis etiam privatorum arbitratu et studio, insciis Praesidibus, clanculum in aliqua ex minoribus Ecclesiis incepisse, et postea, ut saepenumero accidit in rebus, quae sub pietatis specie populum alliciunt, sensim sine sensu ad alias propagatum fuisse. Quamobrem, seclusa lege, quae eam prohibet, nec obtinere posset, vim illam, quam immemorabilibus, dummodo quaedam conditiones concurrant, jura concedunt. Abusus est, qui facile induci potuit simul ac aliqui ex eorum numero, qui pietatem

consulunt, non legem, sibi persuaserint, se honorem Deo reddituros. Quum enim, ut notatum jam fuit, pro expositione privata Ecclesiastici Praesulis licentia necessaria non sit, facile est, ut paulatim transvectis terminis liberae facultatis, ad ea transitus fiat, quae a lege non permittuntur, quin ad aures Superioris id perveniat. Non valet argumentum, non obstante lege vetante in Urbe fit; ergo licet et fieri potest. Probandum primum est, quod legitime fiat; quod non privata auctoritate fiat; aut saltem, quod consuetudo eas habeat conditiones, ut legi scriptae valeat derogare. At legitimum illud non est, quod, licet esset ceteroquin laudabile, arbitrarie tamen a privatis contra legem fit; nec proinde eam inducere potest consuetudinem, quae nullo infecta vitio vere rationabilis sit et tuto sine formidine retinenda; nam, ut habet Textus *in Cap.: Erit autem, dist. 4: consuetudo, deficiente ratione, est omnino extirpanda.*

21. Nec valet effugium, quod hujusmodi consuetudo nonnihil confert ad fovendam pietatem. Ita sit. Quid tum postea? erit ne ergo hac de causa in privatorum arbitrio a prudentissimis illis sanctissimisque legibus recedere, quas Ecclesia mature constituit pro sacris functionibus rite decenterque obeundis? Absit, ut quis ita secum reputet: nam, ut verbis utar *Bissi litt. R. num. 90.* §. 2: „major devotio apparet in observandis iis, quae praecipiuntur, quam privata auctoritate pervertere ordinem sanctissime traditum.“ Veruntamen longe a veritate aberant, qui censent istiusmodi morem multum conferre ad pietatem fovendam. Tantum hoc distat a vero, ut imo potius timendum sit, quod, deficiente extrinseco illo apparatu ad decentiam composito, qui ad conciliandam reverentiam sacris functionibus est apprime necessarius, pietas decrescat et non supersit, nisi quaedam pietatis umbra. Certum quippe est, quod si privatorum arbitrio daretur in Ecclesiae functionibus novas actiones novosque inducere ritus, propterea quod novae actiones novique ritus idonei videntur ad fovendam pietatem devotionemque excitandam; innumera venirent incommoda cum maximo Religionis et Cultus detrimento. Finge, quod Ecclesiarum Moderatoribus et Sacristis, ut licet private exponere Sacram Pyxidem, aperto Tabernaculo, liceat etiam populum cum eadem benedicere, quoties libuerit; quis non videt abusus, qui sensim sine sensu orientur? Sola frequentia in privatorum arbitrio posita, nulla coercita lege, abusus est, quem proinde *Benedictus XIV.* adhuc Cardinalis ab Ecclesiis suae Dioecesis eliminandum duxit. Ex hoc tamen sequerentur alii multo graviores. Facile esset adinvenire nonnullos forte pios, sed in Sacrorum Rituum scientia minime versatos, qui qualibet ex causa, qualibet occasione, ad cujuslibet instantiam, fas sibi crederent Tabernaculum aperire et vix lecta oratione, Pyxidem extrahere et populum benedicere, sine Ministris, sine sufficienti luminum copia, sine thure, verbo dicam, sine ulla decentia. Id autem evenire posset quinquies, septies, decies et amplius etiam in die. Id si fieret, dignum forte videretur plebeculae, foemellis ac iis omnibus, qui non sapiunt, verum hominibus vera pietate praeditis et sacris scientiis excultis offensionem afferret et scandalum; imo incredulis et religionis osoribus Sacra nostrae Fidei Mysteria irridendi occasionem praeberet. Ne talia acciderent et consultum decentiae foret, jure merito Ecclesiasticae leges statuerunt, ut quamvis in Ecclesiarum moderatorum arbitrio sit

expositio privata, hoc tamen arbitrium quibusdam est circumscriptum limitibus, nec, sub pietatis praetextu, negligi possunt appositae conditiones, quae sunt, ut sex saltem luceant faces et aliquis Sacerdos superpelliceo et Stola indutus continuo Orationi incumbat.

22. Equidem *Benedictus XIV.* excipit casum, quod forte magnae dignitatis vir, ut Rex aut Regina, eam benedictionem expeteret. Hac posita exceptione, quis arbitrabatur (ut ego non semel audivi) per eamdem confirmari et licitum haberi ritum benedicendi cum Sacra Pyxide in expositione privata, quia si hujusmodi ritus tanti Sacramenti majestati non conveniret aut ab Ecclesiasticis legibus penitus esset interdictus, nec, summis Principibus poscentibus, permitteretur? Ita ne vero? Si hujusmodi argumentandi ratio valeret, quaeque pro lubitu possent ad actum deduci, quia in se spectata bona et licita sunt, etsi in quibusdam circumstantiis legibus interdicta, quo nil fingi potest rectae rationi magis repugnans. Posset hinc (ne ab eo, quod nostri instituti est, discedamus) publice etiam Sacramentum exponi, non petita Praesidum venia, quia SSmi. Sacramenti expositio in se spectata bona et licita est, pietatem fovet et excitat Fidelium mentes ad maximum Religionis et Charitatis Mysterium recolendum; nec tamen haec ratio prodest, quia lex jubet, ne fiat, nisi cum Ecclesiastici Praesulis licentia.

23. Hinc praeterquamquod axioma juris est, quod exceptio firmat regulam in contrarium; praeterquamquod etiam erronea est ratio in hac facti specie ab exceptione petita; id profecto fingitur, quod in quaestione non est, ut illud firmetur, quod Ecclesiasticis legibus repugnat. Non enim illicitum dicimus benedicere populum cum Sacra Pyxide, si actio ipsa seorsim a lege in se spectetur; secus enim corrigenda esset rubrica Ritualis de communione infirmorum; non licere contendimus in expositione privata, quia lex est, ne fiat. Nonne liberum Ecclesiae est, admissos probatosque usus ad praecavenda mala et impediendos abusus in quibusdam circumstantiis interdicere, quos et permittit et etiam jubet in aliis, in quibus non eadem observantur incommoda? Licet propterea magno Principi postulanti benedictionem cum Pyxide satisfacere, quia Ecclesia id indulget, non licet in expositionibus, quae pro causa privata moderatorum Ecclesiarum arbitrio fieri permittuntur, quia eadem Ecclesia id prohibet; etsi in utroque casu actio in se spectata licita et sancta sit. Siquidem in primo casu, qui rarissime evenire potest, nihil est timendum, quod religionem et necessariam decentiam laedat; non ita in altero, quia in privatorum arbitrio non est relinquenda actio ceteroquî sanctissima, ne exinde oriantur mala, abusus, incommoda, quae supra commemoravimus. *Omnia mihi licet, sed non omnia expediunt,* aiebat *Apostolus.* Dicam ego: licet equidem populo benedictionem impertiri cum SSmo. Sacramento, sed non expedit, ut semper, qualibet data occasione, quacumque de causa, indiscriminatim fiat. Modus servandus est, tenendus est ordo, nec discedendum ab iis regulis est, quas tanta cum maturitate et sapientia conditas Ecclesia praescribit. Nam si in publicis sacris actionibus valeret argumentum: *licitum est et sanctum, ergo privatorum etiam arbitrio fieri potest;* inutiles evaderent rituales libri, Sacrarum Congregationum Decreta deleri possent et, Ecclesiae auctoritate pessumdata, omnia sacra susdeque verterentur. Id igitur firmum immotumque stat, quod,

attenta regula generali, expositio ex causa privata fieri potest sine speciali Ordinarii licentia; sed non licet Pyxidem ex Tabernaculo extrahere et cum ea benedicere populum, quia unum Ecclesiasticae leges permittunt, alterum prohibent.

24. Demum ad id venio, quod postremo objicitur de facto *Benedicti XIV.*, qui, etsi ritum benedicendi cum Pyxide alienum esse ab Romanae Ecclesiae consuetudine docuisset, nihilominus, ut semel in die aliquibus in Bononiae Ecclesiis fieri posset, indulsit. Porro quid ex hoc consequi poterit? Non aliud, nisi quod Ordinariis adempta non est facultas relaxandi legis rigorem, si id ipsis, attentis circumstantiis, magis videatur expediens; non autem consequitur, quod ex hoc facto in arbitrio privatorum quandoque sit id facere, quod est lege vetitum, quinimo sapientissimi Antistitis factum ostendit planeque evincit, quod huc usque demonstrare adnisi sumus, videlicet, morem illum, illicitum evadere, quia legibus vetitum, hinc in privatorum arbitrio non esse relinquendum, posse tamen ad actum deduci, si loci Ordinarios opportunam facultatem concedat. Ita enim Bononiae se gessit laudatus in sacrorum rituum scientia nemini secundus Antistes doctissimus Lambertinus, qui, cum agnovisset, morem inductum benedicendi populum cum Pyxide omnino tolli haud posse sine fidelium offensione et scandalo, licentiam privatorum coercendum duxit, sed simul potestatem fecit, ut in Ecclesiis, quibus antiqua consuetudo favebat, fieri posset semel tantum in die. Verumtamen ut religioni et decentiae consuleret, modum praescripsit in sacra illa actione omnino servandum poenasque comminatus fuit adversus illos, qui secus facereut: „Verum, *en ejus verba*, ne eadem pietas imminuenda sit etiam ob eam rationem, quod idem crebro repetatur (agnoscebat pietatem potius imminui, quam foveri ex eo more, ut nos supra innuimus) decernimus, ut benedictio solum in illis Ecclesiis populo impertiatur, quae veterem hujus rei consuetudinem tenent (nota, quod relate ad alias non interdicit expositionem privatam, sed vetat solummodo morem benedicendi) caveantque, ut semel tantum in eumdem diem id perficiant; delinquentes nostro arbitrio plectemus. Curent quoque omnia diligenter fieri, ita ut duo saltem Clerici superpelliceo induti cereos vel intortitia manu praeferant ardeantque reliqui cerei, qui super Altari in Candelabris statuuntur: *d. Instit. 30. num. 23.*" Itaque sapientissimus Antistes, interdicto primum more, quem privatorum studio in suae Dioecesis Ecclesiis inductum repererat, concessa postmodum, sub quibusdam conditionibus, aliquibus tantummodo Ecclesiis facultate benedicendi populum cum Pyxide, facto ostendit, ad hoc opus Ordinarii licentiam esse necessariam. Atque hoc illud est, quod nos tuemur.

25. Quaerendum superest, num in expositione privata Sacramentum in Pyxide velata absconditum thure sit adolendum? Adfirmat *Cavalerius loc. cit. Decr. 9. num 6.* inquiens: „Expositio et repositio hujusmodi, quamvis Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, fiet ritu ordinario, nempe cum incensatione, genuflexionibus aliisque etc. et post Orationem consuetam SSmi. Sacramenti, addi poterit collecta pro ingruenti necessitate." Cl. Scriptoris sententiae libenter adhaereo. Nam quocumque modo fiat expositio, eidem semper est honor, qui reddi Sacramento debet.

26. Ex his autem, quae huc usque sunt disputata, breviter colligimus,

quae sequuntur. *Primum*, firmatur regula generalis, quod in expositione privata non licet Sacram Pyxidem e Tabernaculo extrahere et cum ea benedictionem populo impertiri. *Secundum*, si privata auctoritate secus fiat, actio per se licita, illicita evadit, non ex natura sui, quae semper eadem et sancta est, sed ex Ecclesiae legibus, quae potissimis de causis in quibusdam circumstantiis eam interdicunt. *Tertium, si in aliqua Ecclesia vigeat contraria consuetudo, haec probanda est ab Ordinario, qui, si agnoscat eam abrumpi non posse sine populi offensione et pietatis detrimento*, poterit ipse opportunam facultatem concedere. *Quartum*, quo in casu, non est relinquenda in arbitrio id agendi facultas, toties quoties videbitur, qualibet data occasione, in eadem die; sed indulgendum, ut solummodo fieri possit semel in die vel etiam rarius prout Ordinarius, attentis circumstantiis, magis expedire judicaverit. *Quintum*, praescribendus est modus, ut religioni et decentiae satis consultum sit. *Sextum*, nunquam permittendum, ut Pyxis loco Ostensorii in Throno collocetur, quia id Sanctae Romanae Ecclesiae consuetudinibus adversatur. *Septimum*, indicenda sanctio poenalis adversus inobedientes. Itaque si Ordinarii locorum, ob longaevam consuetudinem vel ob aliam laudabilem ac rationabilem causam, opportunum ducant, licentiam impertiri benedicendi populum cum Pyxide in expositione privata, nimis liberales non sint, parce hac facultate utantur, prius circumstantias omnes expendant, quid magis conferat ad cultus splendorem et augmentum, considerent, decentiae et religioni providis legibus consulant et provideant, ne quid fiat ultra limites concessionis neve invalescant abusus.

§. XXXVII.

»Finalmente si comanda expressamente, che tutti e singoli i sopradetti ordini si debbano inviolabilmente osservare, e che si obbedisca esattamente, per quello potesse occorrere di più, al nostro Deputato sopra le quarant' ore, sotto la pena agli Maestri di ceremonie, che assisteranno alle funzioni, se non saranno adempite esattamente tutte le ceremonie, ed i riti prescritti; quali Maestri di ceremonie, devono essere almeno in Sacris tanto in questa, che in ogni altra funzione solenne, secondo il Ceremoniale de' Vescovi lib. 1. cap. 5: ed agli trasgressori respettivamente de' suddetti ordini di scudi dieci d' oro da applicarsi a luoghi pii, ed alli Regolari della privazione di voce attiva e passiva, di carcere e di altre pene maggiori riservate a nostro arbitrio; dichiarandosi, che in difetto dell' osservanza, si procederà più rigorosamente contro li Superiori e Sagrestani delle Chiese, alli quali appartiene, piò che ad ogn' altro, la buona regola e cura di esse.«

»Dato dalla nostra residenza questo dì 1. Settembre 1736.

»P. Cardinal Vicario.

»Carlo Guazzuglia Deputato.

»Nicolò Antonio Canonico Cuggiò »Segretario.

1. Explicit Instructio et nos etiam hisce nostris commentariolis finem imponimus. Nihil enim occurrit in postrema hac Instructionis parte, quod ulteriora studia requirat. Generalis hic lex poenalis indicitur, quae omnes complectitur regulas *in superioribus* §§. enumeratas, unde colligimus, propositum Pontificis jubentis fuisse, quod tradita methodus tanto cum rigore in posterum servanda foret, ut nemini liceret ab ea tantillum declinare.

Haec tamen poenalis lex, ut de aliis in Instructione contentis notavimus, ultra Romanae Urbis fines non extenditur, normam tamen praebere potest Episcopis, qui, ut ad eamdem se *discrete* conforment, laudabile est. Dixi *discrete,* quia non ubique possibile est in omnibus eamdem rationem adamussim sequi. Quamobrem Ordinarii locorum, servatis regulis, quae communes omnibus sunt, in reliquis eas possunt et debent apponere conditiones, quas magis profuturas esse cognoverint, juxta locorum, temporum ac personarum circumstantias, ut simul decentiae debitaeque venerationi consultum sit ac opportune provisum, ne inducantur abusus.

2. Isthaec autem poenalis lex, etsi adversus omnes inobedientes indicta sit, afficit primo Ecclesiarum Moderatores et Sacrariis Praefectos, quibus praesertim incumbit onus invigilandi, ut cuncta ad formam legis exigantur; nec praeterit caeremoniarum Magistros, quorum praecipuum munus est curare, ut in sacris functionibus praescripti receptique ritus serventur. Vult autem Instructio, ut hi saltem sint in Sacris constituti, veluti praecipit *Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 5,* ubi sic Rubrica disponit: „Duo eligantur caeremoniarum Magistri, quorum alter Sacerdos sit . . . . . alter vero junior Subdiaconatus saltem Ordine insignitus.“ Equidem lex dicta est pro Cathedralibus, nihilominus extenditur, aliqua cum moderatione, etiam ad alias Ecclesias pro functionum diversitate, ita ut Clericus in Sacris constitutus praeesse debeat Ecclesiasticis ceremoniis in solemnioribus functionibus, praesertim vero in expositione et repositione SSmi. Sacramenti pro Oratione quadraginta horarum, in Solemnitate SSmi. Corporis Christi et similibus, quin vetitum sit, quod Clericus in minoribus assistat aliis functionibus, quae minus habent celebritatis. Non obscure id innuit Instructio sacrum Ordinem requirens: *tanto in questa, che in ogni altra funzione solenne.* Difficile etiam esset in minoribus Ecclesiis, dum sacrae peraguntur functiones, pro his digendis semper habere aliquem Sacerdotem vel Clericum Subdiaconatus saltem Ordine decoratum. Parum tamen interest de hac re plura loqui, cujus obiter meminit Instructio.

INSTRUMENTUM.

1) Musicale.

Vd. *Musica* (Alteratio — decr. Bened. XIV.).

2) Pacis.

a) Osculum.

Presbyterum assistentem osculari debere Instrumentum pacis, non autem Episcopum juxta Caeremon. L. I. c. XXIV. n. 879 ad 2 die 28. Sept. 1630.

b) Usus.

Cf. Pax Laicorum; *Magistratus* (pax).

Permitti posse Marchioni Villalvern. pacem cum Instrumento. n. 2552 die 13. Junii 1671.

Nullo modo licere in defectum Instrumenti pacis Principi etc. manipulum osculandum tradi. n. 1978 ad 2 die 29. Mart. 1659.

Ad dubium: an osculum pacis intelligatur prohibitum Magistratui etiam cum Instrumento argenti et quid accedente consuetudine? S. C. resp.: Negative servata forma Caerem. L. I. cap. 24 n. 6; n. 3211 ad 1 die 22. Apr. 1690.

Si aderunt Laici, ut Magistratus et Barones ac Nobiles, detur illis pax cum Instrumento, quod prius presbyter assistens osculatur. *Caer. Ep.* L. I. c. XXIV. n. 6.

Ad dubium: an Duci Ostunens. debeatur pax cum Instrumento per aliquem Magistrum Caer. seu alium presbyterum cotta indutum? S. C. resp.: Affirmative et idem debetur etiam ejusdem Fratribus. n. 3668 ad 5 et 6 die 24. Nov. 1703.

Baroni de Casalibus deberi osculum pacis cum Instrumento post omnes Canonicos per Ministrum cotta indutum. n. 3907 die 2. Apr. 1718.

Danda est pax Gubernatori et duobus Consulibus . . . . a Mansionario cum Instrumento. n. 3992 ad 5 die 9. Decb. 1730.

Pacem dandam esse Magistratui cum Instrumento ab eodem ministro, qui illam per osculum defert Dignitatibus et Canonicis caeterisque choro interessentibus. n. 4139 ad 1 die 23. Mart. 1743.

INTERDICTUM.

(Festa infra illud celebranda.)

Festivitas SS. Corp. Chr. sicut et Natalis Dom., Paschae, Pentecostes et Assumptionis B. V. M. celebrari possunt tempore interdicti. *Martin. V. Bonif. VIII.* (Petra tom. IV. p. 251.)

Martinus PP. V.

Quod in festo et diebus octavarum *festi SS. Corp. Chr.* etiam in terris et locis ecclesiastico quavis auctoritate suppositis interdicto, pulsatis campanis, januis apertis, et alta voce, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis, ut citius reconciliari studeant, admissis et illis, qui causam vel occasionem hujusmodi interdicti dederint, altari tunc nullatenus appropinquantibus, missae et officia licite celebrari possint, auctoritate ap. concedimus per praesentes, aliis, quae circa observationem interdictorum a nostris sunt instituta praedecessoribus in suo robore duraturis.

Datum Romae 26. Maji 1492.

INTERSTITIUM.

Vd.: *Ordinatio Graecor.* (n. XVI. XVIII.); *Ordinatio* (tempus).

Clemens PP. XIII.

Dilecto Filio Joachim S. R. E. Diacono Cardinali de Bernis.

Posteriores literae Tuae renunciarunt Nobis, Te secundum Canonicas regulas post Diaconii Ordinem jam

susceptum, interstitia ita servare jam statuisse, antequam ad Sacerdotium promovearis: qua de re iterum commendamus captum a Te consilium, nihil enim praestantius, quam tam sublimi ac prope Divino Ministerio, diuturna sacrarum rerum contemplatione multisque ascensionibus cordis in Deum sese comparare, nihil Clero minori utilius quam Ecclesiasticos Viros aspicere primis in Dignitatibus constitos sacrorum Conciliorum sanctionibus sese lubenter submittere.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 8. Jan. 1760.

(Bull. r. Continuatio t. I. p. 272. Ed. Rom. 1835).

INTORTITIA.

1) Ad elevationem SSmi.

a) In missa Dignitarii.

In missa solemniter cantata in elevatione prima Dignitas Cathedr. Spol. non potest uti sex intortitiis. n. 2967 ad 2 die 20. Sept. 1681.

Celebrante Praeposito pro Episcopo an debeant sex vel quatuor funalia cerea in elevatione SSmi. in missa accendi? S. C. resp.: Servandum esse solitum. n. 1707 ad 1 die 20. Junii 1654.

Ad dubium: an idem funalium seu intortitiorum numerus in elevatione Venerabilis adhibitus pro Dignitatibus, adhibendus sit pro Canonicis sol. celebraturis? Et quid servari debeat in hymno: *Te Deum*, et in cantico: *Benedictus?* S. C. resp.: Affirmative, habita tamen ratione festorum et non personarum. n. 4064 ad 3 die 31. Aug. 1737.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XX. n. 3 — 5. 7. 8.

b) In missa Episcopi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XX. n. 3 — 7.

Dicto *Sanctus* vel incaepto Canone, quatuor, sex aut ad summum octo ministri cottis induti afferant totidem funalia cerae albae accensa et factis debitis reverentiis collocant se genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi tenentis patenam, vel, si magis commodum, ad latera altaris.
Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 68.

Elevato Sacramento Ministri funalia habentes surgunt et factis debitis reverentiis discedunt ac funalia extra presbyterium extinguunt, nisi facienda sit communio, quia tunc remanent genuflexi cum funalibus accensis usque ad finitam communionem.
Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 71.

Dum dicitur *Sanctus etc. in missa de Requ.*, quatuor Capellani cum quatuor intortitiis ex cera communi accensis pro elev. SSmi. accedunt et genuflectunt, sic permanentes cum intortitiis usque post communionem.
Caer. Ep. l. II. c. XI. n. 7.

c) In missa sol. cor. exp. SSmo.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XX. n. 5.

2) Ferentes in Processione.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XX. n. 7. 9.

3) Ad Te Deum et Benedictus.

Vd.: *Intortitia ad elevationem etc.*; decr. n. 4064.

4) Pondus.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XX. n. 8.

De Intortitiis cf. *Candela; Processio in festo SS. Corp. Chr.; Oblationes.*

INTORTITIUM.

1) Abbatis.

Non decere Abbati, sibi in processionibus facere anteferri intortitium per unum ex conversis Ordinis. n. 1376 ad 2 die 10. Maji 1642.

2) Canonicorum.

Ad dubium: An Canonici in processione SS. Corp. Chr. teneantur intortitia deferre, quamvis Archiepiscopus per seipsum non deferat? S. C. resp.: Canonicos teneri funalia seu intortitia deferre. n. 1519 ad 2 die 2. Julii 1644.

Vd.: *Candela; Processio SS. Corp. Chr.* (candela).

3) Episcopi.

Quando Episcopus in sua Ecclesia intervenit cum cappa processioni SS. Corp. Chr. debet intortitium sibi per Ministrum deferri facere. n. 1519 ad 1 die 2. Julii 1644.

INTROITUS.

A Cantoribus in choro incipi non potest Introitus missae, priusquam Sacerdos eamdem missam celebraturus ad altare pervenerit. n. 4233 ad 7 die 14. Apr. 1752.

Vd.: *Cantus* (abbreviatio).

INVENTIO SS. CRUCIS.

1) Officium.

Abbatissa Monasterii S. Petri (Remensis civitatis) Ord. S. Bened. exposuit dubium circa modum recitandi Officium Inventionis S. Crucis, quando occurrente aliquo festo non translato 9 ll., non potest celebrari nisi post Pentecosten. S. C. resp.: In Officio omittitur *Alleluja*, nisi ubi reperitur in festo Exaltationis.

In hymno: *Vexilla* dicitur: *In hac triumphi gloria.*

In Matutino Antiphonae, ut in festo Exaltationis, exceptis prima primi et prima secundi n., quae dicuntur ut in festo Inventionis.

In 2. vesp. Antiph. ad Magnificat: *Crucem, Sanctae etc.*

In missa Introitus et Communio sine *Allel.* et Graduale, ut in missa Exaltationis. n. 4241 die 16. Febr. 1754.

2) Praefatio.

Occurrente hoc festo infra octavam Ascensionis dicitur Praefatio propria, *Communicantes* vero de Ascensione D., quamquam non fit commem. octavae. n. 707 ad 2 die 7. Aug. 1627.

3) Translatio.

Ad dubium: an secundum communem modum transferri debeat festum Inventionis S. Crucis cadens in dominicam, in qua celebratur festum dedicationis Ecclesiae; an tunc hoc festum S. Crucis, utpote 2. cl., debeat expectare usque ad diem aliquam non impeditam vel posset statim sequenti die fieri licet festo dupl. impedita? S. C. resp.: Transferatur Officium S. Crucis et licet sit 2. cl., reponi debet prima die festo dupl. vel semidupl. non impedita. n. 4044 *(alia dub.)* ad 8 die 23. Julii 1736.

Inventio SS. Crucis occurrens cum Officio SS. Redemptoris et Patrocinii S. Joseph, vd.: *SS. Redemptor* (transl. decr. n. 4859).

INVENTIO S. STEPHANI.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidlen: an in festo Inventionis S. Stephani in 3. n. sit dicenda Antiphona: *Jerusalem*, quamvis nullum Breviarium de hoc mentionem faciat praeter Constansiense? S. C. resp.: Negative.

n. 4044 ad titul. XXI. dub. 5. die 5. Maji 1736.

INVITATORIUM.

1) In Annivers. def. et in die Obitus.

Vd.: *Officium def.* (quid in eo omittendum etc.)

Ad dubium: An, dum tantum dicitur primum defunctorum Nocturnum, pro quibus debeat, vel saltem possit cantari Missa de Requiem in Festo dupl. maj., aut saltem min. non festivo, omitti debeat Invitatorium?

S. eadem R. C., rescribendum censuit:

„Affirmative".

Et ita declaravit. n. 4474 ad 15 die 2. Maji 1801.

Ad dubium: In Monasterio s. Laurentii Toletanae ex dispositione Regum Testatorum celebrantur plura *Anniversaria* pro def. Regibus et Nocturnum diei, sed ex immemorabili consuetudine semper omittitur psalmus *Lauda anima mea etc.* et ad Nocturnum non dicitur *Invitatorium.* Quaeritur: an haec consuetudo retinenda sit? S. C. resp.: Affirmative quoad *Invitatorium* et psalmum *Venite*, negative quoad psalmum *Lauda etc.* n. 4505 ad 4 die 20. Sept. 1806.

In quadam Cathedrali in Anniversario Pontificis SS. dicitur Invitatorium, unum Nocturnum, ut in 2. feriis tempore Adventus et Quadragesimae; quaeritur: an in casu dicendi sint tres Noct. et Antiphonae sint duplicandae? S. C. resp.: Servari posse consuetudinem recitandi unum dumtaxat Nocturnum sed sine Invitatorio. n. 4536 ad 13 die 4. Junii 1817.

Nota Gard. ad hoc Decretum:

Quamvis Anniversarium aliquid habeat solemnitatis et in eodem, si mortuorum Officium persolvatur, ut tres integri Nocturni cum Invitatorio et duplicatis Antiphonis recitentur, in communi sit more, juxta disposita in Rituali Romano, nihilominus improbanda non est consuetudo, si viget alicubi, unum tantum recitandi Nocturnum, nisi obstet Fundatorum voluntas de integro persolvendo Officio vel etiam immemorabilis consuetudo. Non idem tamen dicendum de Invitatorio, quod cum Psalmo *Venite* etc. legi dumtaxat debet ex rubricarum Breviarii praescripto, dum Officium integrum est. Non omnia Anniversaria vel ex consuetudine vel ex Testatorum dispositione adnexum habent Officium, et plura sunt, quae unica tantum Missa solemniter cantata cum absolutione circa castrum doloris persolvuntur: hinc fit, quod necesse non est Officium addere, vel, si addatur, non semper oportet illud integrum persolvi; at, si unum tantum Nocturnum recitetur, servanda est regula de non recitando Invitatorio. Equidem non ignoro Ritualis rubricam titulo de Exequiis, quae praecipit, quod si ob temporis angustiam . . . Officium mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non potest... dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, maxime ubi ejusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio *Regem, cui omnia vivunt, Venite* etc. Sed haec rubrica taxative disponit de Officio recitando in depositione defuncti, si rationabilis causa interveniat, ne integrum Officium peragatur. Quod tamen pro uno casu, moderando regulam generalem, statutum est, ne defuncti corpus sine Officio terrae tradatur, trahi nequit ad alios casus longe diversos, veluti est Anniversarium, in quo proinde, si Invitatorium dici velit aut debeat ex voluntate Testatorum vel petentium, omnes tres Nocturni cum duplicatis Antiphonis erunt recitandi. Sed quoniam, ut supra dictum

est, in Anniversario ut plurimum solemni, Missae non adjungitur Officium, nisi excepto casu injunctae obligationis, aut consuetudinis, si spontanea et libera sit, vel ex more inducta recitatio unius dumtaxat Nocturni, huic praemittendum non erit Invitatorium, repugnante Breviarii rubrica, videlicet: Hoc Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, et in die depositionis defuncti, quibus diebus dicuntur tres Nocturni infrascripti et Antiphonae duplicantur. Aliis temporibus dicitur tantum unum Nocturnum cum Laudibus. Quae Breviarii Rubrica ad duos tantum casus limitata, concordi Scriptorum sententia et omnium Ecclesiarum usu, extenditur ad casus omnes, in quibus tres Nocturni recitantur. Aliquos non deesse fateor inter Rubricistas, qui limitationem Ritualis appositam pro depositione defuncti extendunt ad diem tertiam, septimam, trigesimam et Anniversarium, inter quos adnumerantur Gavantus et Baruffaldus, quibus alii Rubricarum expositores adhaerent. Sed praeter quam quod verba Gavanti satis clara non sunt et in alium longe diversum sensum intelligi possunt, magis arridet Bissi sententia, qui in sua Hierurgià verbo Invitatorium §. 5., posita limitatione Ritualis, quaerit: an autem etiam sit dicendum (invitatorium cum uno dumtaxat Nocturno) in die tertio, septimo et trigesimo depositionis? Affirmative respondit Gavantus. Ex rubrica quidem Breviarii citata contrarium colligi videtur, in qua habetur, quod Invitatorium dicitur tantum in die etc. et utique ly tantum restringit ad duos casus; nihilominus Gavantum non refello, si dicantur tres Nocturni; in eo namque casu semper esse dicendum Invitatorium, videtur sensum esse rubricae, et ita in praxi fuit explicatum, nec dissentit Guyetus lib. 4. cap. 23. quaest. 17.

In illis Ecclesiis, ubi ex viregulae seu ob adimplendas pias defunctorum voluntates *totum* Officium def. ritu dupl. cantatur, nunquam omittendum est Invitatorium. n. 4085 ad 2 die 9. Maji 1739.

In Ecclesia conv. Pisar. plura celebrantur Anniversaria def. et semper ex antiqua consuetudine cantatum est 1. n. def. cum Invitat. et ps. *Venite exultemus etc.* Quaeritur: an servanda sit haec consuetudo? S. C. resp.: *Serventur rubricae.* n. 4887 die 11. Apr. 1840.

2) In Breviar. recitandum.

Ad dubium: An Invitatorium: *Hodie si corda vestra etc.* tempore Passionis in Quadragesima debeat cantari sicuti alia Invitatoria extra temp. Passionis, scilicet sexies integre et ter imperfecte hoc modo post versum: *Quadraginta etc. Hodie si — corda vestra,* et iterum repetatur integre: *Hodie si - corda vestra.* (Gav. Comm. in rubr. Breviarii sect. 5. c. 5.) S. C. resp.: Omissis *Gloria Patri etc.* et *nolite - vestra* repeti debere integre Invitatorium etc. *Hodie* . . . n. 3029 ad 1 die 24. Julii 1683.

Tempore Passionis, omisso *Gloria Patri etc.* omittendam etiam repetitionem imperfectam Invitatorii et tantum integrum invitatorium, partim scilicet a Chorista et partim a choro repetendum esse, nempe: *Chor:* „Hodie . . . corda vestra"; *Chorista:* „Hodie si vocem D. audieritis"; *Chor:* „Nolite obd. corda vestra". n. 3347 die 18. Decb. 1694.

S. JOACHIM.

1) Festi dies.

Cum enixe ac saepius S. Caesarea Majestas institerit, ut festum S. Joa-

chim perinde ac s. Annae conjungis, esset in Ecclesia universali de praecepto, S. R. C. re mature nec semel discussa ita denique censuit annuendum, ut ne festa de praecepto multiplicentur, debitus tamen honor Genitori Matris Dei non denegetur, festum ejusdem s. Joachim a die 20. Mart. ad dominicam post Assumptionem B. V. M., ejus Filiae, transferatur, in eaque sub ritu dupl. maj. ut et festum s. Annae conjugis sub eodem ritu deinceps celebretur. Die 20. Sept. 1738 *in una Urbis et Orbis.*

2) Hymnus.

Ad dubium: In festo s. Joachim nonne dicendum est in hymno: *Meruit Supremos?* S. C. resp.: Quae mutatio servanda modo est in festo s. Joachim Dominica infra octavam Assumptionis celebrando. n. 4119 ad 8 die 2. Sept. 1741.

3) Translatio.

Officium s. Joachim transferatur in primam diem non impeditam, quando cadit in dominica, in qua celebretur dies octava Assumptionis. n. 4175 ad 5 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium Ord. Capucinorum Provinciae Florentinae: an festum s. Joachim Patris B. V. M. in concurrentia festi alterius Sancti aequalis ritus considerari possit ut Patriarchae an simplicis Confessoris? S. C. resp.: Quum festum s. Joachim pertineat simpliciter ad illa Confessorum in aequali ritu observari debere rubricam de concurrentia festorum. n. 4651 ad 4 die 19. Decb. 1829.

S. JOANNES.

a) Baptista.

1) Antiphona.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidlen: Qualis antiphona sit dicenda loco ultimo in 2. n. s. Joann. B.? S. C. resp.: Ipse praeibit ante illum in spiritu et virtute Eliae parare Domino plebem perfectam. n. 4044 ad titul. XXI. dub. 3. die 5. Maji 1736.

2) Festum.

Si hoc festum cadit in Dedicatione Ecclesiae, vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (Translatio).

Primaria festa s. Joann. B. et ss. ap. Petri et Pauli attentis rationibus per P. Merati allatis, innixis decreto in Aquileien 21. Aug. 1688 excludunt omnia alia festa in ipsis occurrentia, excepta solemnit. Corp. Chr. n. 4143 ad 5 die 11. Maji 1743.

De dicendo *Credo*, vd.: *Credo in missa Patroni princip.* (decr. n. 4143.)

3) Homilia.

In die octavae s. Joann. B. legi potest homilia assignata pro die 25. et 27. Junii, cum propter occupationem illorum dierum amissa fuerit. n. 4526 ad 5 die 7. Sept. 1816.

4) Lectiones.

Ad dubium: An in Octava S. Jo. B. repetendae sint Lectiones III. Noct. ex die festi, ut Rubrica Breviarii observat, etiam quando non recitatae fuerint Lectiones, quae in Breviario habentur II. et IV. die infra Octavam?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Servetur peculiaris Rubrica."

Atque ita rescribere ac proposita Dubia declarare existimavit. n. 5064 ad 3 die 27. Febr. 1847.

Vd.: *Dedicat. Ecclesiae* (Lectiones decr. n. 4787.)

Ad dubium: Quum diversa opinentur circa designationem lectionum 3. n. in octava Nativit. S. Joa. B. et in die pariter octava Dedicat. Eccles., siquidem alii dicant, sumendas esse de secunda die, alii de 4. die infra oct., quaeritur: quae certa indubiaque regula servari debeat? S. C. resp.: Servetur rubrica peculiaris Brev. rom. adeo ut quando nullae lectiones intra octavam sint lectae, in die octava legantur ut in 2 die: quando vero omnes fuerint lectae, in octava erunt ut in festo. Die 27. Aug. 1836 n. 4787 ad 5.

5) Nominat. in Canone.

Vd.: *Inclinatio capit. infra missam.*

In Canone missae infra actionem nominatur s. Joannes ap. et ev.; in oratione „*Nobis quoque peccatoribus*" dicitur „*cum Joanne*", nascitur exinde dubium: Si missa dicitur vel fit commemoratio dicti Sancti, qui nominatur in Canone; quandonam caput est inclinandum? quando nominatur aut commemoratio fit de s. Joanne B. vel quando missa dicitur, vel commemoratio fit de s. Joanne ap. et ev.? S. C. resp.: Dilata et videatur particulariter ex officio. n. 4594 ad XIV. die 12. Apr. 1823.

Nota Gardell. ad hoc Decret.:

Jure merito de hoc dubio rogati EE. PP. Sacris Ritibus tuendis praepositi satius duxerunt ampliare judicium, ut de re difficillimae solutionis deliberarent. Nam expedite definire haud posse videtur, quinam ille sit *Joannes*, qui nominatur in Canone post: *Nobis quoque peccatoribus*. Scriptores in diversas abeunt sententias; alii putant esse *Joannem Baptistam*, alii *Evangelistam* volunt, nec desunt, qui arbitrantur *S. Marcum* intelligi, qui et *Joannes* est appellatus. Si meum, qualiscumque sit, liceat expromere sensum, crederem illis potius numero et auctoritate potioribus adhaerendum, qui non alium intelligendum esse existimant, praeter *Joannem Baptistam*. Pro hac sententia longe plures validae congruentiae concurrunt et argumenta cum positiva tum negativa: imo haec forte potiora sunt, utpote quae plane suadent, intelligi haud posse vel *Joannem Evangelistam* vel *Joannem Marcum*. Non primum, quia jam locum habuit cum Apostolis, et Benedictus XIV. de *Missae Sacrificio, lib. 2. cap. 18. num. 5.* rejicit sententiam illorum, qui, ob mysticas rationes, eum bis in Canone nominari opinantur, scilicet in *prima Oratione propter Apostolatus dignitatem, in altera propter Virginitatis privilegium.* Non alterum, quia communis est Scriptorum sententia, quod in Canone ratio dumtaxat Martyrum habeatur; et nomina *Marci et Lucae Evangelistarum* ideo deesse, quia non constat sanguinem fudisse pro Christro. *Quare,* inquit Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib. 2. cap. 12. num. 3., Nonnulli haud temere existimarunt Lucam et Marcum Evangelistas non esse in Canone, quia dubium est, an fuerint Martyres:* et etiam clarius Robertus Sala *in not. ad hunc loc.: Quare cum tantum pro Christo dictos Sanctos Evangelistas multa perpessos constet, uti ex veterum monumentis tradit Martyrologium Romanum, eosdemque, an in ipso occubuerint Martyrio, incertum sit; ac proinde etiam dubium, an dici possit reapse de eorum singulo: hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit etc. Ea propter sapientissime Ecclesia eos Sanctis Martyribus pro Christo passis accenset quidem, at in Canone iis, qui sanguinem suum fuderunt pro*

Domino et ipso occubuere Martyrio, sociare et exprimere non censuit. Cum itaque nec *Evangelista* intelligendus sit, nec *Joannes Marcus*: alius certe *Joannes*, qui in hac parte Canonis nominatur, esse nequit praeter *Baptistam*, qui revera Martyr fuit et ante Christi mortem passus est.

Hinc idem Cardinalis Bona ibidem §. 5. et ejusdem commentator Robertus Sala non alium memorari arbitrantur praeter *Joannem Baptistam, juxta probabiliorem Walafridi Strabonis sententiam, quam fere omnes nostri temporis Scriptores liturgici amplectuntur.* Idem tenent *Gavantus ad Rubricas Missalis part. 2. num. 9.* et, ut de aliis sileam, Benedictus XIV. *de Missae Sacrificio lib. 2. cap. 18 num. 5.*, ubi, explosa contraria sententia, illis adhaeret, qui tenent *nominari Baptistam, quod observat Menardus in notis ad lib. Sacramentor. S. Gregorii pag. 21. Hic videtur intelligendus S. Joannes Baptista, cujus etiam mentio fit in Liturgiis Basilii et Chrysostomi post Consecrationem.* Verumtamen, etsi caetera argumenta deessent, solus ordo, quem tenent Martyres in hac Oratione, plane evincit *Baptistam* esse illum, qui primum habet locum, utpote qui ante alios Martyrio coronatus fuit, et id tam certum est, quam quod maxime. Quaerit Robertus Sala loc. supra cit.: cur Stephanus ante Mathiam nominetur et rationem ponit: *quia ante ipsum post Passionem Domini ille primus omnium Martyrum triumphavit. Ecclesia quippe in hac Oratione non ad dignitatem, sed ad Martyrii ordinem spectat.* Et Benedictus XIV. loc. cit. inquit: *Idcirco autem prior nominatur Stephanus, Mathias posterior, quod Ecclesia non ad dignitatis, sed ad Martyrii ordinem respicit. Joannes quidem Baptista Stephano fuit Martyrii palma prior, quemadmodum Mathiam Stephanus praecessit.* Atque en ratio altera, quae excludit *Joannem Evangelistam* et *Joannem Marcum:* nam primus, quamvis post *Stephani* mortem in ferventis olei dolium sub Domitiano missus fuerit, unde illaesus exivit, in bona tamen senectute Ephesi quievit in pace. Alter vero post *Stephanum*, qui primus a Christi morte Martyribus adnumeratur et Protomartyris appellatione distinguitur, defunctus est*;* idcirco etiam dato, quod Martyr occubuisset, haud praestare potuisset in Canone *Stephanum* ob allatam superius rationem, quod ibi servatur ordo Martyrii, non dignitatis. Si ita est, quaero ergo, quinam *Joannes* coronatus Martyrio fuit ante *Stephanum*, si non est *Baptista*? Aliam addunt mysticam convenientiae rationem Cavalerius *tom. 5., cap. 21. num. 3.* et Tetamus *ad diem 24. Junii sect. 3., num. 91.*, et merito Joanni Baptistae locum post consecrationem designari volunt, quando nimirum jam praesens est Agnus Dei, cujus fuit ipse Praecursor et demonstratur, dicens *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*: *Joan. cap. 1. vers. 29.* Omnia igitur argumenta tam negativa, quam positiva et mystica in idem confluunt et veriorem esse illorum sententiam evincunt, qui putant *Baptistam esse Joannem*, qui ea in Canonis Oratione primum nominatur. Quod, etsi mihi perspectum sit, a S. tamen Congregatione decisionem expecto.

Ad dubium: Si missa dicitur vel fit commemor. s. Joannis, qui nominatur in Canone, quandonam caput est inclinandum? quando nominatur aut commemoratio fit de S. Joanne B.; vel quando missa dicitur vel commemoratio fit de s. Joanne Ap. et Evang.? S. C resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. n. 4602 ad II. die 27. Mart. 1824.

6) Translatio.

(Ut festum.)

In celebratione translationis Cinerum S. J. Bapt. rubrum colorem adhibendum esse. n. 1738 die 14. Novb. 1654.

7) Translatio festi.

Vd.: *Translatio festi in dom. sequ.* (decr. n. 5049 ad 3.)

Si festum ss. ap. Petri et Pauli occurrat vel in Sabb. vel in Dominica vel in fer. II. post festum s. Joann. B., eo casu tantum in iis locis, ubi s. Joann. B. *est princip. Patronus* Civitatis, Oppidi vel Pagi, ejus festum transferendum esse cum Officio et Missa ad dominicam praecedentem cum Vigilia in Sabbato etiam praecedenti. n. 4444 ad 1 die 11. Sept. 1790.

Ad dubium: In locis, ubi Patronus princip. est s. J. Bapt., solemnitas ejus interdum coincidit cum solemnitate ss. Ap. Petri et Pauli. Quaeritur: de quo faciendum et quod transferendum? S. C. resp.: Transferatur missa SS. Apost. Die 7. Decb. 1844 ad dub. 3.

Vd.: *Patron. Dioec.* (oblig. Cleri saec. decr. de die 12. Sept. 1840.)

Ex Decreto S. R, C. 23. Junii 1736 *) in Einsidlensi statuitur, quod cum Festum S. Joannis Baptistae venerit in die Corporis Christi, tunc Officium S. Joannis singulari privilegio transferatur in proximum sequentem diem, a quocumque alio Officio licet impeditum. Sed cum jam in *Hispania* Octava Corporis Christi sit privilegiata ad instar Octavarum Resurrectionis et Pentecostes, adeo ut excludat Festa S. Joannis, S. Petri et Pauli, ac omnia quaecumque in ea occurrentia, ex Brevi Apostolico SS. Domini Nostri Pii VI. 5. Martii 1776 ad instantiam Serenissimi Regis Catholici, cujus Indulti exemplar authenticum exhibetur; ideo quaeritur: An quando Festum S. Joannis incidat in solemnitate Corporis Christi, seu alia die infra ejus Octavam, ideoque post eam transferendum, juxta dispositionem memorati indulti, debeatur S. Joanni in repositione singulare privilegium, quod illi concedit praedictum Decretum, ita ut in perpetuo in tali occurrentia debeat transferri in Hispania ad primam diem post Octavam Corporis, hoc est ad feriam VI. ante Dominicam tertiam post Pentecosten, licet sit occupata alio quocumque Officio vel potius, omisso praecedentiae jure et privilegio non suffragante, reponi debeat in prima die non impedita, juxta Rubricam de Translatione?

S. eadem C. respondit:

Officium S. Joannis Baptistae reponendum esse in prima die post Octavam SSmi. Corporis Christi, dummodo non sit impedita festo aequalis ritus".

Atque ita declaravit ac servari mandavit. n. 4448 ad 1 die 26. Jan. 1793. *)

Si festum s. Joannis B. sive aliud ex solemnioribus venerit in die Corp. Chr., transfertur singulari privilegio in sequentem diem a quocunque Officio 9 (12) ll. etiam impeditam cum com-

*) Vd.: *Infra decr. n. 4044.*

*) Supradict. decr. revocatum est per aliud: *Placuit SS. mandare, ut declararetur festivitates s. J. Bapt. et ss. ap. Petri et Pauli in omni ditione Regis catholici non esse transferendas, quoties incidant in octavam Corp. Chr. et decr. S. R. C. sive resolutionem 1. dubii in Santander emissam 26. Jan. 1793 locum amplius non habere.*

Romae 16. Decbr. 1796 et 14. Maji 1803.

memor. octavae; sed in 2. vesp. Corp. Chr. fit commemor. tantum s. Joannis. Caetera vero festa solemniora occurrentia in dicta die Corp. Chr. transferuntur infra octavam in primam diem non impeditam. n. 4044 (2do.) ad 9 die 23. Julii 1736.

Festum s. Joannis B. concurrens cum festo *ss. Cordis Jesu*, vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. decr. n. 4579 ad 1); *Festum ss. Cord. Jesu* (ut festum privileg. decr. n. 4579 ad 5.)

Primaria festa s. J. Bapt. et ss. Apost. Petri et Pauli, attentis rationibus per Merati allatis, inixis decreto S. C. in Aquileien 21. Aug. 1688; *excludunt alia festa omnia in ipsis occurrentia, excepta solemnitate Corp. Chr.* Die 11. Maji 1743 ad 5.

Cum in Ord. Carmelit. Excalceat. celebratur fest. SS. Corp. Chr. cum octava ad instar octavae Epiph., quaeritur: Utrum occurrente Nativitate s. Joan. B. *cum die octava* SS. Corp. Chr. fieri debeat de s. Joanne cum comm. oct., an vero de octava, translato festo s. Joann.? S. C. resp.: Affirmative quoad prim. partem, negat. quoad secundam. Die 14. Maji 1830 ad 2.

8) Vigilia.

In Vigilia s. Joannis Bapt. incidente in diem Solemnitatis Corp. Chr. non esse jejunandum neque abstinendum a carnibus eadem die, sed anticipandum jejunium fer. IV., prout jejunaretur in ipsa Vigilia. n. 1090 die 15. Oct. 1638; die 24. Sept. 1638.

Urbanus PP. VIII.

Nos attendentes diem festum SS. Corp. Chr., quo tanti Sacramenti institutio summa totius populi christiani laetitia recolitur, e principalibus festis existere, propterea perpetuis futuris temporibus, quoties Vigilia s. J. B. in diem SS. Corp. Chr. incidat, non esse jejunandum neque a carnibus abstinendum in dicto festo die sed antecedenti feria IV.

Romae apud S. Mar. Maj. 13. Oct. 1638.

Occurrente festo Corp. Chr. cum Vigil. s. Joannis nihil fieri debere hac die de Vigilia nec in Missa nec in Officio. n. 1310 die 23. Mart. 1641.

Urbis et Orbis.

Ad dubium: An occurrente vigilia Nativit. s. J. Bapt. in die festo SS. Corp. Chr., anticipato jejunio Vigiliae praedictae in diem 22. Junii, debeat in Officio diei 22. Junii praedictae ejusdem Evangelii 9. l. recitari et in Officio et missa de eadem fieri commemoratio? S. C. resp.: Nihil de Vigilio in Officio et Missa peragendum. n. 3753 die 18. Sept. 1706.

Vd.: Etiam Bull. r. t. VIII. p. 434. (Ed. Luxbg.)

b) Cantius.

(Hymnus.)

Ad dubium: Si Sanctus Joannes Cantius non habeat secundas Vesperas integras, an Hymnus harum Vesperarum anticipandus est in Laudibus? S C. resp.: „Affirmative.“
Die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 8

c) A Capistrano.

De ejus Canonis. Vd.: Bullam Bened. XIII. die 4. Junii 1724.
(Bull. r. t. XIII. p. 84.)

d) Chrysostomus.

De Lectionibus, vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044 ad tit. XXV.
De ejus Cognomine „Chrysostomus“

vd.: *Cognomina Sanctorum dicenda* (decr. n. 4610.)

e) De Cruce.

Vd. *S. Felix de Valois. De ejus Canonis.* vd.: Bullam Bened. XIII. VI. Cal. Jan. 1726.
(Bull. r. t. X. p. 275.)

f) De Deo.

1) Missa.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidlen: an in festo s. Joannis de Deo Missa: *Os justi*, an: *Justus ut palma* cum Evangelio proprio dicenda sit? S. C. resp.: Missa erit *Os justi* cum Evangelio proprio, quod legatur integraliter. n. 4044 ad titul. XXI. dub. 2. die 5. Maji 1736.

Vd.: *De ejus vita, morte et canonis.* vd. *Constitutio Innocent. XII. die 13. Julii 1691.*
(Bull. r. t. VII. p. 124.)

2) Officium.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidlen: an in festo s. Joann. de Deo 8. Martii dicenda sit Antiph. propria ad Magnif.: *Joannes de Deo; et ad Bened.: Joannis Patris Pauperum?* S. C. resp.: *Negative.* n. 4044 ad titul. XXI. dub. 2 die 5. Maji 1736.

Vd.: *Confiteor* (add. licita; decr. n. 4711.)

g) Evangelista.

De ejus nominatione in Canone, vd.: *S. Joann. Bapt.* (nomin. in Canone.)

h) A Facundo.

De ejus Vita, Beatif. et Canonis. vd.: Constitutio Innocent. XII. die 15. Julii 1691.
(Bull. r. t. VII. p. 129; t. XII. p. 71.)

i) De Matha.

Officium s. Joannis de Matha esse ad libitum. n. 3005 ad 2 die 28. Decb. 1682.

De Lectionibus vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044.)

k) Nepomucenus.

1) Dies festi.

Vd.: *Calendarium Congreg. SS. Redempt.* (decr. n. 4842) *De ejus Canonis.* vd.: Bull. Bened. XIII.; XIV. Cal. Apr. 1728. (Bull. r. t. X. p. 334) et die 16. Febr. 1729 (Ibid. t. XIII. p. 383.)

Pius PP. VI.

Cum sicut venerabilis frater modernus Episcopus Angelopolitanus, nec non dilecti filii, Capitulum et Canonici dictae Cathedralis ecclesiae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga sanctum Joannem Nepomucenum gerunt devotionis, affectu, ritum officii ejusdem sancti per Nos elevare summopere cupiant, Nobis praeterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, ut imposterum ab universo clero saeculari et regulari dictae Angelopolitanae civitatis et dioecesis officium sancti Joannis Nepomuceni praedicti sub ritu duplici secundae classis recitari possit ac valeat, ad quem effectum, ritum officii hujusmodi a duplici minori ad duplicem secundae classis utroque clero praedicto elevamus, ap. auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 4. Jan. 1793.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 275 Ed Rom. 1845.)

Pius PP. VI.

Quum, sicut venerabilis frater Episcopus et dilecti filii Decanus et Capitulum Cathedralis Ecclesiae de Popejan in Indiis nuper Nobis exponi fecerunt pro eo, quo ipsi studio flagrant ac pietate in sanctum Joannem Nepomucenum fertissimum Christi martyrem, valde cupiant illius cultum apud se radices agere lateque diffundi, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut desuper opportune providere dignaremur.

Nos igitur praefatos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati et quotannis die XVI. mensis Maji a clero saeculari ejus civitatis et dioecesis, nec non a religiosis et monialibus, calendario dioecesano utentibus recitari officium possit cum missa jam adprobata sancti Joannis Nepomuceni *ritu dupl. min.* servatis quidem diligenter rubricis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 26. Julii 1794.
(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 394.)

2) Lectiones.

Ad relationem Benedictinor. Einsidl.: In 3. n. pro festo s. Joann. Nep. allegant homiliam in Evangel.: *Nihil est opertum etc.* Potiores autem de communi tam intra quam extra tempus pasch. Quaeritur: Cui adhaerendum? S. C. resp.: Semper dicatur Evangelium: *Nihil est opertum* cum sua Homilia. n. 4044 (dubia circa Lect.) dub. 1 die 5. Maji 1736.

3) Oblig. ad Officium.

Ad dubium: An Monachi Cisterciens. Provinciae romanae recitare debeant Officium s. Joann. Nep., quod ab omnibus Monachis recitatur die 17. Maji, quamvis adhuc ipsi numquam recitaverint? S. C. resp.: Affirmative assignata prima die non impedita Officio s. Joann. Nep. n. 4471 ad 5 die 10. Sept. 1796.

4) Oratio.

S. C. resp. PP. Bened. Einsidl.: In festo s. Joannis Nep. 16. Maji dicenda est or.: *Deus, qui ob invictum etc.* n. 4044 ad titul. *De Orat.* Die 5. Maji 1736.

5) Translatio perpetua festi et Indulg.

Cf.: *Indulg.* (Festo annexa etc.)

Clemens PP. XIV.

Dudum sane clar. mem. Maria Francorum regina christianissima ea qua pollebat insigni pietate et singulari erga s. Joannem Nep. veneratione, unam in ejus honorem Christifidelium feminei sexus confraternitatem in ecclesia FFr. Ord. Min. s. Francisci de Obs. Recollectorum nuncupatorum in Villa Versaliarum Parisiensis Dioecesis canonice institui curavit. Praeterea vero ipsa Maria regina vivens nomen eidem Confraternitati primum dedit, moriendo autem delectiss. filiabus regiis Galliarum principissis natis suis id unum praecipue quam maxime commendavit suumque desiderium illis enixe patefecit, ut non solum in earum specialem protectorem dictum s. Joann. Nep. sibi eligere vellent sed etiam quotannis die illius festo in ecclesia praedicta sol. divinisque officiis interesse deberent.

Piis itaque maternis votis obsequi volentes et simul considerantes, quod non quidem in eadem Villa Versaliarum sed alibi una cum regia aula mense Majo cujuslibet anni ipsae eaque de causa ad dictam ecclesiam se conferre ibique divinis solemnibusque

officiis interesse minime possunt, Nobis propterea supplicari fecerunt, ut celebrationem ejusdem festivitatis s. Joannis Nep. quoad dictam confraternitatem una cum plen. Indulg. a die 16. Maji ad diem 16. Septbr., quo regia aula in villa praedicta morari solet, transferre dignaremur.

Nos igitur votis hujusmodi libenti animo annuere volentes celebrationem festivitatis s. Joannis Nep. quoad confraternitatem praedictam una cum plen. Indulg. ad 16. Sept., quo in eadem ecclesia missa et off. eodem ritu, quo prius 16. Maji celebrabatur, celebrari possint et valeant, tenore praesentium perpetuo transferimus.

Romae die 2. Jan. 1770.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 125. Ed. Rom. 1841.)

l) Qualbertus.

De ejus cognomine, vd.: *Cognomina Sanctorum* (dicenda n. 4985; non dicenda n. 5157; 4746) De ejus Canonisatione, vd.: *Constitutio Coelestini III. die 6. Oct. 1193* in Bull. rom. tom. I. p. 50.)

S. JOSEPH C.

a) Commemoratio.

Vd.: *Despons. B. V. M.*; *A cunctis.*

Consulendum SSmo. pro additione permissiva nominis s. Joseph Sponsi B. V. M. in collecta: *A cunctis.* Et facta relatione S. S. benigne annuit. S. R. C. 17. Sept. 1815 *in una Urbis et Orbis.*

Pius PP. VI.

Emanavit nuper ad supplicationem dilectorum filiorum moderni decani nuncupati Cathedralis Ecclesiae Popayanensis in Indiis ac cleri ejusdem civitatis et dioecesis a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

Popayanen in Indiis occidentalibus.

Supplicationibus SSmo. Dno. Nostro Pio PP. VI. hodierno decano ecclesiae cathedralis Popayanensis in Indiis occidentalibus et clero ejusdem civitatis et dioecesis ob peculiarem devotionem, quam erga sanctum Josephum beatae Mariae virginis sponsum profitentur, pro facultate peragendi in praefata civitate et dioecesi commemorationem praedicti sancti Josephi in officio et missa desponsationis ejusdem beatae Mariae virginis, Sanctitas Sua ad mei infrascripti secretarii relationem hujusmodi instantiis benigne annuendo, gratiam juxta petita oratoribus benigne concessit. Die 15. Novembris 1787.

M. Card. Marefuscus praefectus.

Cum autem, sicut pro parte eorumdem decani et cleri Nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, apostolica confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderant, Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obstantibus Quibuscunque.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 470. Ed. Rom. 1847.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus sanctae Crucis della Sierra in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse pro peculiari sua suique

populi erga sanctum Josephum devotione, in officio et missa Desponsationis beatae Mariae virginis commemorationem ejusdem Sancti Josephi ejus sponsi ab utroque clero suae civitatis et dioecesis praedictae fieri posse summopere cupiat, Nos dictum modernum Episcopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum ab utroque clero civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis commemoratio sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis in officio et missa Desponsationis ejusdem beatae Mariae virginis peragi libere et licite possit ac valeat, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 30. Septembris 1785.

(Bull. r. Continuat. t. VII. p. 447 Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Nuper pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis fratrum ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum in nova Hispania expositum fuit, quod ad magis magisque augendam erga beatam virginem Mariam et sanctum Josephum sponsum, praecipuos dicti ordinis patronos, devotionem, praesertim in Mexicana ejusdem ordinis provincia summopere conduceret, ut ab omnibus utriusque sexus religiosis provinciae hujusmodi tam in officio et missa festivitatis sancti Josephi, quam in alia Desponsationis beatae Mariae virginis fieret reciproca eorum commemoratio, quoties officium de iis recitari contingeret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum ab omnibus utriusque sexus religiosis ordinis beatae Mariae virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum provinciae Mexicanae tam in officio et missa festivitatis sancti Josephi quam in alia Desponsationis beatae Mariae virginis fiat reciproca eorum commemoratio, quoties de iis officium recitari contingat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 9. Febr. 1787.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 693. Ed. Rom. 1843.)

b) Dies festus, Ritus et Translat.

Vd.: *Patrocinium s. Joseph.*; Annunciat. B. V. M.; *S. Benedictus*; *Lytaniae Sanctor. Omn.* (add licita).

Diem festum s. Josephi, Sponsi B. M. V. deinceps perpetuis futuris temporibus sub observantia et praecepto comprehendi, cunctosque Christifideles ubique terrarum ab omni opere servili eo die abstinere et cessare debere. n. 598 die 8. Maji 1621.

Officium s. Joseph Sponsi B. V. M. cum novis antiph., versibus, lectionibus I. n., respons. et capitulis approbavit et ab omnibus Christifidelibus tam saecul. quam regul., qui ad horas canonicas tenentur, die 19. Mart. in festo s. Josephi in posterum recitari et in Breviario apponi mandavit S. R. C. 3. Febr. 1714 annuente Clem. XI. die 4. ejusd. mens. et anni.

(Bull. r. t. VIII. p. 437.)

Occurrente festo s. Josephi, quod est dupl. 2. class., in fer. 6. post dom. Passionis (fest. 7 dolor. B. V. M. quod est dupl. majus) faciendum est Officium de s. Josepho ut dignius. n. 2883 ad 2 die 6. Maji 1679.

Vd.: *Septem dolor. B. V. M.*

Ad petitionem Episcopi Civitatis Angelorum in Indiis facultatem recitandi Officium transitus *(obitus)* s. Joseph die *20. Julii*, S. C. resp.: Nihil videri concedendum. Siquidem irrepsit, ut credatur plerisque tali die obiisse s. Joseph sponsum B. V. M. et proinde celebretur transitus illius, cujus obitum Ecclesia celebrat die 19. Mart. Die autem 20. Julii non Joseph Sponsus B. V. sed *Joseph Justus*, qui missus est in sortem cum Mathia, spiritum reddidisse fertur et quia tum Joseph Sponsus Mariae nominatur justus in Evangelio, ideo error inde manavit. n. 2073 die 11. Septembr. 1660.

Festum transitus s. Joseph, Sponsi B. V. M. die 20. Julii, cum in Urbe prohibendum, tum extra Urbem omnino ne inducatur vel alio quovis pacto celebretur praecavendum esse et Breve Indulgentiarum R. P. D. Ugolinus repetat et laceret. n. 2081 die 20. Novb. 1660.

Ad dubium: An in anno, quo festum s. Josephi cadit fer. 2. 3. vel 4. hebdom. maj., possint cantari duae missae, altera de fer., altera de festo, ubi est concursus Confraternitatis et totius populi, vel saltem possit fieri ab illis processio, aut etiam sit transferenda vel omittenda illo anno; et si non possunt cantari duae missae, an possit dici missa privata de s. Josepho, faciendo postea processionem? S. C. resp.: In hebdom. majori utraque omittenda. n. 2250 ad 1 die 4. Aug. 1663.

Quando contingit transferri festum s. Joseph et Annunciationis B. V. M. debet prius reponi festum, quod prius in Calendario celebrandum erat. n. 2988 ad 5 die 13. Junii 1682.

Ad idem dubium ut supra n. 2988: Quando contingit transferri s. Joseph et Annunciationis B. V. M. festa ambo 2. cl. quaeritur: An recitari debeat prius Officium de Annuntiatione, non obstante decreto in contrarium, si tamen sit emanatum, ut affirmant Nonnulli, ad hoc, ut fiat Officium altioris ordinis, saltem ratione personae, quamvis in ritu sint aequalia? S. C. resp.: *Prius recitandum Officium translatum de Annunciatione.* n. 3005 ad 6 die 28. Decb. 1682.; 28. Novb. 1682 in Favent.; 30. Junii 1689.

Decretum generale.

Ad dubium: an occurrente festo s. Josephi *in fer. V. maj. hebd.* una cum Officio ipsius transferri debeat etiam obligatio audiendi missam ac vacandi ab operibus servilibus? S. C. resp.: Officium transferendum esse ad aliam diem juxta rubricas; praeceptum audiendi missam et vacandi ab operibus servilibus non esse transferendum, sed servandum esse in praedicta fer. V., adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum ut eo die aliquae quidem missae privatae ante celebrationem solitae missae conv. celebrandae pro praecepti implemento non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in missa solemni ejus diei, quo Ecclesia ss. Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur . . n. 3289 die 13. Sept. 1692; n. 3294 ad 1 die 13. Sept. 1692. (Vd. etiam Bull. r. t. VII. p. 307.) 10. Jan. 1693 ad 13. *In Galliar.*

Hae missae dici debent cum *Gloria et Credo.* n. 4526 ad 15 die 7. Sept. 1816.

Missa in praedicto casu dici non potest de s. Joseph, etiam ubi est Titularis. *Ibidem ad 16. Festum s. Josephi concurrens cum festo s. Benedicti*, vd.: *S. Benedictus decr. n. 3702.*

Cum in Civitate et Dioecesi Lucana

contra praescriptum Decreti Generalis die 13. Septembris 1692 occasione Festivitatis S. Josephi Feria V. in Coena Dom. occurrentis emanati, quo permissum fuit pro satisfaciendo praecepto dicta die plures Missas celebrari ante Missam conventualem, irrepserit abusus celebrandi in omnibus Ecclesiis tam Regularium quam Confraternitatum, januis semiapertis, plures Missas ante conventualem; propterea Episcopus Lucanus pro declaratione: An liceat a quibusvis Sacerdotibus in quacumque Ecclesia, seu Oratorio, etiam januis clausis, praeter Missam conventualem dictas Missas celebrari? humiliter supplicavit.

Et S. eadem C.:

Dictas Missas nedum non celebrandas, verum etiam prohibendas esse decrevit et declaravit; firmo tamen remanente Decreto Generali sub praedicta die emanato. n. 3922 die 28. Januarii 1719.

Supplicatum fuit pro elevatione festi s. Joseph a ritu dupl. 2. cl. ad ritum 1. cl. pro civitate et Dioecesi Hispalen. S. C. resp.: Dilata et ad mentem. n. 4039 ad 1 die 26. Novembris 1735.

Precibus Archiepiscopi Hispalen. pro elevatione Officii s. Joseph ad ritum dupl. 1. cl. S. C. rescripsit: Pro gratia elevationis absque octava. n. 4041 die 21. Apr. 1736.

Pius PP. VII.

Quum V. Fr. modernus Archiepiscopus Valentinus ac dilecti filii Capitulum et Canonici Cathedralis ejus ecclesiae Nuper nobis fecerint supplicari ut ob rationes et causas in eorum precibus enarratas dominicam secundam post pascha festo s. Joseph sponsi beatae Mariae virginis cum officio et missa, loco diei proprii 19. Martii, assignare in perpetuum pro civitate et dioecesi Valentina benigne dignaremur, Nos praenominatos Archiepiscopum Capitulumque et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum perpetuis futuris temporibus *in Valentina civitate et dioecesi universa* festum s. Joseph sponsi B. M. V. cum officio et missa loco diei proprii 19. Martii, libere ac licite celebrari possit et valeat in dominica secunda post Pascha, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus et ad hunc effectum festum hujusmodi transferimus praedictamque dominicam pro illo assignamus.

Datum Romae die 12. Decembris 1806.

(Bull. r. Continuat. t. XIII. p. 73.)

Pius PP. VII.

Quum, sicut Nobis exponi nuper fecerunt venerabilis frater Archiepiscopus et dilecti filii Capitulum ecclesiae cathedralis *Valentinae*, Nos alias ritum festi s. Joseph beatae Mariae virginis sponsi peculiariter in civitate et dioecesi ista servandum transtulerimus in perpetuum a die decima nona Martii ad dominicam secundam post pascha; quumque iidem Archiepiscopus atque Capitulum cupiant nunc humiliterque deposcant super eodem ritu aliud a Nobis provideri opportune ac ut infra indulgeri, Nos ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium ritum ejusdem sancti praedicti a duplici secundae classis ad *duplicem primae classis* cum octava pro *eadem civitate et dioecesi* elevamus, atque ibidem in posterum diem ipsum XIX. Martii inter feriales fore ac esse recensendum et tam praeceptum missam eo die audiendi

quam cessandi a laboribus neminem amplius teneri declaramus atque decernimus.

Datum Romae die 15. Septembris 1807.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 227.)

c) Officium et Missa votiva.

Pius PP. VI.

Cum sicut venerabilis frater modernus Episcopus sanctae Crucis della Sierra in Jndiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ob maximam devotionem, qua uterque clerus et populus civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra praedictae erga sanctum Joseph beatae Mariae virginis sponsum (ut asserit) fervet in dies, officium et missam propriam ejusdem sancti Joseph semel in mense recitari et respective celebrari summopere cupiat, Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum ab utroque clero civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis officium et missia propria dicti sancti Josephi semel in mense die non impedita sub ritu semiduplici (exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum vigiliarum sive cum jejunio sive absque jejunio, nec non feria secunda rogationum atque illis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium dominicae aut de festo duplici vel semiduplici translato) recitari et celebrari libere et licite valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 13. Septembris 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 438 Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Cum sicut dilectus filius modernus procurator generalis fratrum ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum nomine superiorum et fratrum provinciae Mexicanae dicti ordinis Nobis nuper exponi fecit, provincia praedicta ad suae devotionis augumentum, missam propriam sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis cum commemoratione desponsationis ejusdem, die decima nona cujuslibet mensis cum cantu celebrare posse summopere cupiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum a fratribus memorati ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo excalceatorum provinciae Mexicanae die decima nona cujuslibet mensis celebrari possit cum cantu missa propria sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis cum commemoratione desponsationis ejusdem cum sancto Josepho, exceptis duplicibus primae et secundae classis, non omissa tamen missa conventuali de festo occurrente, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 16. Junii 1786.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 648. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Emanavit dudum a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

QUITEN.

Ad magis promovendam devotionem, quae apud clerum et populum civitatis

et dioecis Quitensis in regno Peruano erga patriarcham s. Josephum beatae Mariae virginis sponsum maxime viget, reverendissimus hodiernus Episcopus una cum clero saeculari et regulari ejusdem civitatis et dioecesis pro indulto recitandi semel in mense die non impedita officium votivum cum missa praefati sancti patriarchae SS. D. N. Clementi PP. XIV. humillime supplicarunt et Sanctitas sua ex speciali gratia petitum officium cum missa a Clero saeculari et regulari praedictae civitatis et dioecesis sub ritu semiduplici semel in mense die non impedita recitari et respective celebrari possint benigne concessit, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum et vigiliarum sive cum jejunio sive absque jejunio, nec non feria secunda rogationum, atque illis feriis, in quibus juxta rubricas sit reponendum officium dominicae, aut de festo duplici vel semiduplici translato. Die 8. Julii 1769.

H. Card. Chisius praefectus
V. Macedonius S. R. C. sec.

Cum autem, sicut venerabilis frater modernus Episcopus de Quito in Indiis nec non clerus et populus ejusdem civitatis et dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 12. Septembris 1786.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 661 Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres confraternitatis sancti Josephi et animarum purgantium coemeterii hospitalis Bethlehem nuncupati civitatis SS. Trinitatis de Buenos Ayres in Indiis, quod ipsi pro eo, quod erga eumdem sanctum Josephum gerunt devotionis, affectu, in septenario, quod in ejus honorem quotannis celebrare consueverunt seu intendunt, unam missam votivam solemnem propriam, ut in die ejus festo, celebrari facere posse summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus persequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem ac pro tempore existentibus confraternitatis praedictae confratribus, ut in posterum in eorum ecclesia per septem dies, in quibus quotannis peragetur dictum septenarium in honorem ejusdem sancti Josephi, una missa votiva solemnis propria, ut in die ejus festo, ad instar votivae, quotidie, dummodo non occurat festum duplex primae et secundae classis vel dominica aut feria privilegiata, celebrari libere et licite possit et valeat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 12. Jun. 1793.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 318.)

Pius PP. VI.

Quum sicut dilecti filii sodales titulo sancti Josephi et animarum defunctorum coemeterii hospitalis Bethlehem in ecclesia constituti civitatis de Buenos Ayres in Indiis exponi Nobis nuper fecerunt, pro eo ipsi, quo sunt incensi in patronum suum principem, studio ac pietate ejus cultum invalescere in dies proferrique latius exoptent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praefatos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in praedicta ecclesia posthac die decima nona cujusque mensis vel ea impedita, dominica sequenti celebrari una missa votiva propria valeat, ut in festo sancti Josephi sponsi Beatae Mariae Virginis, cum cantu, duplicibus tamen primae et secundae classis exceptis rubricisque diligenter servatis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 1. Apr. 1794.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 364.)

Pius PP. VII.

Cum, sicut dilecti filii clerus et populus civitatis et dioecesis *Cusanae* Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in s. Josephum beatae Mariae virginis sponsum afficiuntur devotionis affectu, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum quotannis *die decimonono unius cujusque mensis* non impedito tamen officio novem lectionum ab *utroque clero ejusdem civitatis et dioecesis* recitari possit ritu semiduplici officium cum missa in honorem ejusdem sancti Josephi, ut in die proprio ejus festi, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum et vigiliarum sive cum jejunio sive absque jejunio, feria secunda rogationum ac iis in feriis, in quibus ex rubricarum dispositione sit reponendum officium de dominica sive de festo translato, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 13. Septembris 1805.

(Bull. r. Continuatio t. XII. p. 371.)

Leo PP. XII.

Quum, sicut venerabilis frater Raphael Lazo de-la-Vega Episcopus Emeritensis Nobis exponi curavit, Christifideles illius dioecesis divum Joseph beatae Mariae virginis sponsum praedictae Emeritensis civitatis patronum singulari et ferventi prosequantur devotione cupiantque deinde quorumcumque anni mensium die decima nona ejusdem sancti missam votivam cum officio in universa praedicta dioecesi in posterum celebrari posse, praedictus Episcopus iteratis precibus a Nobis expostulavit, ut suae suorumque dioecesanorum devotioni Nostrae apostolicae indulgentiae caliar addamus: Nos igitur hujusmodi votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus atque permittimus, ut perpetuis futuris temporibus in universa *Emeritensi dioecesi die decima nona cujuscumque mensis, tempore tamen adventus et quadragesimae ac omnibus et singulis feriis, vigiliis et octavis privilegiatis exceptis*, ac dummodo in die praedicta

festum ritus majoris non occurrat, missa votiva cum officio divi Josephi sponsi beatae Mariae virginis sub ritu semiduplici a clero tum saeculari tum regulari et a cujuscumque ordinis monialibus servata in reliquis generali rubrica celebrari libere et licite possit et valeat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die decima octava Aprilis 1828.
(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 354.)

S. IRENAEUS.

1. Omnibus foederatae Americae Septemtrion. Dioecesibus concessum est Officium S. Irenaei Ep. Mart. nulla assignata die, qua recitari debeat. Quum autem hoc Festum in Martyrologio pronuncietur die XXVIII. Jun., quaeritur, an de eo fieri debeat hac ipsa die 28. Junii, festo. . . . S. Leonis ad diem VII. Julii fixe iranslato?

2. In Indulto Apostolico exprimitur: Officium S. Irenaei simpliciter et sine addito. Porro ea fuit mens Patrum Concilii Baltimorae prout hoc Officium Lugduni in Gallia celebratur: at ex quibusdam Rom. Breviarii editionibus videtur quod id Festum Lugduni celebretur de S. Mart. Irenaeo Ep. et Sociis ejus. Quaeritur itaque: utrum in hisce Foederatae Americae Dioecesibus faciendum sit de S. Irenaeo tantum vel de SS. Martyribus Episcopo et Sociis ejus?

3. Si Officium sit de S. Irenaeo tantum, undenam desumendae sunt Lectiones II. et III. Noct. ac Missa?

4. Si fiat de S. Irenaeo et Sociis ejus, possuntne tamquam adprobatae haberi illae Lectiones in Gallia recitatae ab illis, qui Rom. Breviario utuntur?

5. In Seminario et Collegio S. Mariae Baltimorensis die XXVIII. Junii fit de die octava S. Aloysii. Posito igitur quod de S. Irenaeo vel de S. Irenaeo et Sociis ejus hac die fieri debeat in Provincia Baltimor., quaeritur: utrum in praedicto Seminario et Collegio Festum S. Irenaei vel S. Irenaei et Soc. ejus transferri possit ad diem III. Julii et S. Leonis Festum ad diem VII. Julii?

Emus. itaque ac Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. . . rescribi mandavit:

Ad 1.: „Servetur dies Martyrologii Rom.“

Ad 2. et 3.: „De S. Irenaeo tantum cum Lectionibus II. Noct. adprobatis die 21. Apr. 1784.“

Ad 4.: „Jam provisum.“

Ad 5.: „In primam diem non impeditam.“ n. 4928 sine Dato (Videtur esse 22. Maji 1841.)

IRREGULARITAS.

(Dispensatio.)

Vd.: *Indult.* (revoc. VII.)

ISTE CONFESSOR.

Vd.: *Meruit beatas etc.*

ITE MISSA EST.

Ad dubium: An Sacerdos dicere debeat in missa sol.: *Ite missa etc. Benedicamus etc. et Requiescant etc.* vel dicantur tantum a Diacono? S. C. resp.: Quoad *Ite missa est* negative; quoad *Bened.* et *Requiescant etc.* affirmative. n. 4526 ad 36 die 7. Sept. 1816.

Vd.: *Organum* (ad: Ite missa est.)

JUBE DOMINE (DOMNE.)

1) Ad cant. Evangelium.

Diaconus (cantans Evang. in lotione pedum Fer. V. Coena D.) petit benedictionem dicens: *Jube Domne etc.*

cui Episcopus resp.: *Dominus sit etc.* *Caer. Ep.* l. II. c. XXIV. n. 5.

Episcopus antequam dicit Evang. (in missa sol.) junctis manibus dicit *Munda etc.*, *Jube Domine etc.*, *Ibid.* l. II. c. VIII. n. 41.

Diaconus petit inclinatus*) benedictionem dicens intelligibili voce: *Jube Domne bened.* Ibid. l. II. c. VIII. n. 44.

2) Ad cant. Lectionem.

Prima Dignitas, absente Episcopo cantatura nonam lectionem, petendo benedictionem tenetur dicere: *Jube Domne.* n. 1863 die 26. Jan. 1658.

Canonicus stans apud Legile inclinat profunde se versus Episcopum et petit benedictionem dicens: *Jube, Domne benedicere* (non *Domine*). *Episcopus*, si non aderit in choro major se, stans dicit versus altare: *Jube, Domine benedicere* (non *Domne*), cui absolute respondetur per chorum: *Amen.*

Caer. Ep. l. II. c. V. n. 5. 9.

Vd.: *Lectio nona Episcopi.*

JUBILAEUM.

1) Qui a S. R. E. communione ecclesiastica separati reperiuntur, non sunt participes Indulg. anni Jubilaei aliarumque spirit. Gratiarum.

Vd.: *Constitut. Bened. XIII.* die 8. Mart. 1729.

(Bull. r. t. XIII. p. 390. Ed. Lbg.)

2) Processio.

Regulares tenentur ad processiones, quae fiunt ob publicam causam (Jubilaeum). n. 2437 die 9. Junii 1668.

*) Si Diaconus non est Canonicus, *genuflexus* petit benedictionem.

Cf.: *Processio* (obligatio)*; Processio Regul.; Processio general.; Porta sancta.*

3) Quomodo lucrandum a pueris, qui communicari necdum possunt?

Vd.: *Benedictio cum Indulg. plenaria pro Moribundis etc.* (nota).

4) Quomodo lucrandum a Surdis, qui et muti sunt

Vd.: *Indulg.* (a surdis mutis etc.)

5) Quomodo lucrand. ab aliis Christifidel?

Vd.: *Communio* (pro indulg. lucrandis; pro Jubilaeo lucrando); *Confessio* (pro indulg. lucr.; pro Jubilaeo lucr.)

6) Tempore Jubilaei quae Indulgentiae cessant et quae non cessant?

Vd.: *Indulg. infra Jubil.; Indulg. de Portiuncula.*

Clemens PP. XIV.

Cum Nos nuper sancti jubilaei celebrationem in alma urbe a vigilia nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futura inchoandam et usque ad finem sequentis anni duraturam universo populo christiano de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu indixerimus ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum nec non sancti Joannis Lateranensis et sanctae Mariae majoris de urbe basilicas certis vicibus visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam concesserimus, prout in Nostris desuper confectis literis plenius continetur: cupientes, ut christianae nationes ex omnibus terrarum orbis locis in hac urbe Nostra in fidei ac religionis unitate congregatae, eodem pietatis

ac devotionis spiritu basilicas praedictas, quo maxime fieri poterit concursu, durante eodem jubilaeo visitantes et frequentantes, tanti et tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant, multorum romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum exemplo adducti indulgentias et facultates ab apostolicae Sedis liberalitate alias emanatas pro hoc anno suspendere et nihilominus tum spiritualibus fidelium per universum orbem degentium necessitatibus paterna charitate consulere tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quaedam religionis et pietatis opera in christianorum animis conservare et fovere, tum demum suffragia in fidelium defunctorum levamen atque subsidium erogari solita, neutiquam imminuere, eorumdem praedecessorum vestigiis insistentes decrevimus et constituimus.

Itaque praeservatis et firmis remanentibus indulgentiis concessis in articulo mortis ac facultatibus seu indultis illam impertiendi seu communicandi tam VV. fratribus Episcopis ac dilectis filiis praelatis locorum ordinariis, in vim seu ad formam literarum fel. recor. Benedicti PP. XIV. praedecessoris Nostri, nonis aprilis, anni 1747 editarum, quam aliis quibuscumque communiter aut personaliter seu pro certo personarum genere, gradu aut numero, concessis; iisque pariter, quas fel. record. praedecessor etiam Noster Benedictus PP. XIII. cunctis fidelibus salutationem angelicam seu alia preces de tempore mane aut meridie, seu vespere ad campanae pulsum de genu vel juxta dierum et temporum rationem stando recitantibus; item indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum, quam ipse Benedictus praedecessor secundo dictus anno jubilaei MDCCXXV. durante omnibus Christifidelibus tam in urbe quam extra eam ubicumque degentibus, qui sacramentaliter confessi et sacra communione refecti vel saltem contriti et cum firmo proposito confitendi ecclesias, in quibus augustissimum Eucharistiae sacramentum pro oratione quadraginta horarum eo anno durante, expositum esset, devote visitassent, ibique juxta Sanctae Matris Ecclesiae mentem orassent, toties quoties id egissent, benigne concessit: quamque Nos etiam, illius exemplo, pro proxime ineunte jubilaei anno et tam pro urbe quam pro aliis ubique locis praesentium tenore libenter concedimus et elargimur; atque illis etiam, quas similis memoriae Innocentius XI. et Innocentius XII. romani pontifices praedecessores Nostri, fidelibus sanctissimum Eucharistiae sacramentum, cum ad infirmos defertur, devote comitantibus vel lumen aut facem per alios ea occasione deferendum, seu deferendam mittentibus similiter concesserunt; ita quoque, exemplo aliquorum romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum inhaerendo, indulgentia alias concessa ecclesiae s. Mariae Angelorum ordinis fratrum Minorum s. Francisci, extra moenia civitatis Nostrae Assisiensis, die secunda mensis augusti a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem dici visitantibus: tum etiam indulgentiis a Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus de latere legatis et apostolicae Sedis nunciis ac Episcopis in usu seu exercitio pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma consueta concedi solitis: *item salvis et firmis remanentibus indulgentiis altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis aliisque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessis; atque etiam aliis quibuscumque indulgentiis et peccatorum remissionibus alias pro vivis concessis, ad effectum dumtaxat ut Christifideles illas animabus fidelium*

defunctorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii directe applicare valeant. Quas omnes et singulas, licet pro eo quod respicit vivorum favorem, hoc jubilaei anno durante generaliter, ut infra, suspensas ad praedictum tamen effectum ipsius anni decursu, etiam si in eorum concessionibus hujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse concedimus et indulgemus.

Praeservatis etiam et firmis remanentibus facultatibus tribunalis officii Inquisitionis adversum haereticam pravitatem auctoritate apostolica instituti ejusque officialium, missionariorum quoque et ministrorum, qui ab eodem tribunali seu a congregatione VV. fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praeposita vel alias a Sede praedicta ad id deputati fuerint et praesertim facultate absolvendi ab haeresi illos, qui abjuratis eorum erroribus capaces ejusdem absolutionis redduntur, aliisque facultatibus, quae ab officio Poenitentiariae Nostrae apostolicae missionariis in locis missionum earumque occasione ab ipsis exercendae concessae fuerint. Item salvis et illaesis remanentibus facultatibus tam VV. fratrum Episcoporum aliorumque superiorum antistitum in suis respective dioecesibus, circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis etiam Sedi apostolicae reservatis, prout ipsis a sacra Tridentina Synodo seu alias, etiam in publicis a jure communi ecclesiastico et ab eadem apostolica Sede pro certis personis et casibus indultae permissaeque dignoscuntur; quam etiam superiorum ordinum regularium quaecumque ipsis in regulares pariter sibi subjectos a Sede apostolica praedicta tributae fuerunt.

Caeteras omnes et singulas indulgentias tam plenarias quam non plenarias etiam perpetuas et peccatorum remissiones ac facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Sedi apostolicae reservatis, seu relaxandi censuras, commutandi vota aut dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus etiam sancti Joannis Hierosolymitani, domibus, militiis, ordinibus etiam mendicantium, congregationibus, confraternitatibus etiam laicorum, universitatibus et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus et tam saecularibus quam quorumvis etiam mendicantium ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus et numismatibus ex metallo seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter quam universaliter per quoscumque romanos pontifices praedecessores Nostros ac etiam Nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, regibus, ducibus et principibus vel aliis quacumque alia mundana vel ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam ad instar jubilaei aut alias quomodocumque et ex quibusvis causis et occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio et ex certa scientia ac alias quomodolibet concessas et concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus, apostolica auctoritate, de eorumdem fratrum consilio et consensu ac potestatis Nostrae plenitudine suspendimus ac suspensas et suspensa esse declaramus easque et ea eodem anno durante nulli prodesse ac suffragari debere. Irritum quoque et

inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca per praesentes auctoritate apostolica praecipimus et mandamus ne interim praeter superius expressas aliae, quam indictae a Nobis praedicti Jubilaei indulgentiae, sive publice sive privatim quovis praetextu ubivis locorum et gentium sub excommunicationis eo ipso incurrendae aliisque arbitrio ordinariorum infligendis poenis publicentur vel nuncientur aut in usum demandentur.

Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ecclesiarum monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum et locorum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus: privilegiis quoque, exemptionibus ac indultis apostolicis, illis eorumque superioribus et personis ac aliis quibuscumque per eosdem romanos pontifices praedecessores Nostros, ac Nos et dictam Sedem, ejusque legatos sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis et ex quibusvis causis concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris ad effectum praemissum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 712. Ed. Rom. 1841.)

Leo PP. XII.

Cum Nos nuper sancti Jubilaei celebrationem in hac alma urbe a vigilia Nativitatis D. N. Jesu Christi proxime futura inchoandam et usque ad finem sequentis anni duraturam universo populo Christiano de VV. FFr. N. S. R. E. Cardinalium assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum nec non sancti Joannis Lateranensis et sanctae Mariae Majoris de urbe basilicas certis vicibus visitaverint plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam concesserimus, prout in Nostris desuper confectis literis plenius continetur; cupientes ut christianae nationes ex omnibus terrarum orbis locis in hac urbe Nostra in fidei ac religionis unitate congregatae eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas praedictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilaeo, visitantes et frequentantes tanti et tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant multorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum exemplo adducti indulgentias et facultates ab apostolicae Sedis liberalitate alias emanatas pro hoc anno suspendere et nihilominus tum spiritualibus fidelium per universum orbem degentium necessitatibus paterna charitate consulere tum pium devotionis favorem erga laudabilia quaedam religionis et pietatis opera in christianorum animis conservare et fovere tum demum suffragia in fidelium defunctorum levamen atque subsidium erogari solita neutiquam imminuere, eorumdem praedecessorum vestigiis insistentes decrevimus et constituimus.

Itaque, praeservatis et firmis remanentibus indulgentiis **concessis in articulo mortis** *ac facultatibus seu indultis illas impertiendi seu communicandi tam venerabilibus fratribus Episcopis ac dilectis filiis praelatis locorum*

ordinariis in vim seu ad formam literarum apostolicarum felicis recordationis Benedicti Papae XIV. praedecessoris Nostri sub datum Nonis Aprilis anni 1747 *) *editarum, quam aliis quibuscumque communiter aut personaliter seu pro certo personarum genere gradu aut numero concessis; itemque iis, quas felicis pariter recordationis praedecessor item Noster Benedictus PP. XIII. cunctis fidelibus* **salutationem angelicam** *seu alias preces de tempore mane aut meridie seu vespere ad campanae pulsum, de genu vel juxta dierum et temporum rationem stando recitantibus; similiter indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum, quam secundo dictus Benedictus Jubilaei anno durante omnibus christifidelibus tam in urbe, quam extra eam ubicunque degentibus, qui sacramentaliter confessi et sacra communione refecti vel saltem vere contriti et cum firmo proposito confitendi ecclesias, in quibus augustissimum Eucharistiae sacramentum* **pro oratione quadraginta horarum** *eo anno durante expositum esset, devote visitassent, ibique juxta Sanctae Matris Ecclesiae mentem orassent, toties quoties id egissent, per apostolicas literas in forma brevis die secunda Maji 1725 datas benigne concessit, quamque Nos etiam, illius exemplo pro proxime ineunte Jubilaei anno et tam pro urbe quam pro aliis ubique locis praesentium tenore libenter concedimus et elargimur; atque illis etiam quam similis memoriae Innocentius XI. et Innocentius XII. Romani pontifices praedecessores Nostri fidelibus* **sanctissimum Eucharistiae sacramentum, cum ad infirmos defertur,** *devote comitantibus vel lumen aut facem per alios ea occasione deferendum seu deferendam mittentibus similiter concesserunt, tum etiam indulgentiis a Sacra Romana Ecclesia Cardinalibus de latere legatis et apostolicae Sedis nunciis,* **ac Episcopis in usu seu exercitio pontificalium aut impertienda benedictione** *aliave forma consueta concedi solitis; item salvis et firmis remanentibus* **indulgentiis altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessis,** *atque etiam aliis quibuscumque indulgentiis et peccatorum remissionibus alias pro vivis concessis ad effectum dumtaxat,* **ut christifideles illas animabus fidelium defunctorum,** *quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint,* **per modum suffragii directe applicare valeant,** *quas omnes et singulas, licet pro eo quod respicit vivorum favorem, hoc Jubilaei anno durante generaliter, ut infra, suspensas ad praedictum tamen effectum ipsius anni decursu, etiamsi in earum concessionibus hujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui injuncto in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse concedimus et indulgemus.*

Praeservatis etiam et firmis remanentibus facultatibus tribunalis officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolica instituti, ejusque officialium, missionariorum quoque et ministrorum, qui ab eodem tribunali, seu a congregatione VV. FFr. N. S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praeposita vel alias a Sede praedicta ad id deputati fuerint et praesertim facultate absolvendi ab haeresi illos, qui abjuratis eorum erroribus capaces ejusmodi absolutionis redduntur; aliisque facultatibus, quae ab officio Poenitentiariae Nostrae apostolicae missionariis in locis missionum earumque occasione ab ipsis exercendae con-

*) Vd. *Indulg. plenar. pro Morib.* (Facultat.)

cessae fuerint. Item salvis et illaesis remanentibus facultatibus tam VV. FFr. N. Episcoporum aliorumque superiorum antistitum in suis respective dioecesibus circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis etiam Sedi apostolicae reservatis, prout ipsis a sacra Tridentina synodo, seu alias etiam in publicis a jure communi ecclesiastico et ab eadem apostolica Sede pro certis personis et casibus indultae permissaeque dignoscuntur, quam etiam superiorum ordinum regularium quaecumque ipsis in regulares pariter sibi subjectos a Sede apostolica praedicta tributae fuerant.

Caeteras omnes et singulas indulgentias tam plenarias quam non plenarias etiam perpetuas et peccatorum remissiones et facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Sedi apostolicae quomodolibet reservatis, seu relaxandi censuras, commutandi vota aut dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus etiam sancti Joannis Hierosolymitani, domibus, militiis, ordinibus etiam mendicantium, congregationibus, confraternitatibus etiam laicorum, universitatibus et piis locis illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus et tam saecularium, quam quorumvis etiam mendicantium ordinum regularibus personis coronisque, granis, imaginibus et numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis tam singulariter, quam universaliter per quoscumque Romanos pontifices praedecessores Nostros ac per Nos etiam ad instantiam catholicorum principum, aut ipsis vel aliis quacumque alia mundana vel ecclesiastica dignitate fulgentibus etiam ad instar Jubilaei aut alias quomodocumque et ex quibusvis causis et occasionibus sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio et ex certa scientia ac alias quomodolibet omnium tenores et formas, derogationes et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus apostolica auctoritate de eorumdem fratrum consilio et assensu ac potestatis Nostrae plenitudine **suspendimus et suspensa esse declaramus easque et ea eodem anno durante nulli prodesse ac suffragari debere;** irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca per praesentes auctoritate apostolica *praecipimus et mandamus, ne interim praeter superius expressas aliae quam indictae a Nobis praedicti Jubilaei indulgentiae sive publice sive privatim quovis praetextu ubivis locorum et gentium sub excommunicationis eo ipso incurrendae aliisque arbitrio ordinariorum infligendis poenis publicentur vel nuncientur aut in usum demandentur.* Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum et locorum aliorumque praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis apostolicis illis eorumque superioribus et personis ac aliis quibuscumque per eosdem Romanos pontifices praedecessores Nostros ac Nos et dictam Sedem ejusque legatos sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis et ex quibusvis causis concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus

nequaquam comprehendantur nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae die 20. Junii 1824. (Bull. r. Contin. t. XVI. p. 75.)

7) Quomodo lucrandum a Monialibus, Anachoretis, Erem., Carceratis et Infirmis?

Vd.: *Bullam Innoc. X.* in Bull. r. t. V. p. 476 (ed. Luxenbg. 1727) de die 12. Febr. 1650; *Bull. Urbani VIII.* die 2. Maji 1624 (*Ibid.* t. IV. p. 51); *Bull. Clem. X.* die 6. Febr. 1675 (*Ibid.* t. XI. p. 118); *Bull. Bened. XIII.* die 12. Jan. 1725 (*Ibid.* t. XIII. p. 140); *Bull. Bened. XIV.* die 17. Decemb. 1749 (*Ibid.* t. XVIII. p. 149); *Bull. Leonis XII.* die 1. Jan. 1826 (Collectio General. Archid. Monaco. Fris. I. 169); *Bull. Pii VI.* die 26. Febr. 1775 (Bull. r. Continuatio t. V. p. 6. Ed. Rom. 1842.)

Leo PP. XII.

Studium paternae charitatis, qua universas Domini gregis oves complectitur, Nos adigit, ut ad ea salubriter procuranda, quibus majora ipsis commoda in animarum bonum praesto sint, impense contendamus. Cum itaque ingentem eorum numerum mente concipiamus, qui legitima causa praepediti nequeunt ad beatorum apostolorum limina pro indicto a Nobis anni sancti jubilaeo, uti iisdem in votis esset, convolare, exemplo praedecessorum Nostrorum decrevimus ipsis etiam consulere, ne coelestium thesaurorum, quos hic reseramus, communicatione sese orbatos derelinqui lamententur.

Constitutioni proinde felicis recordationis Benedicti XIV. quae incipit: *Paterna charitas*, plane inhaerentes, praesentium literarum tenore opportunas rationes praescribendas censuimus, per quas tam viri, quam mulieres in eremis, monasteriis et religiosis domibus assidue vitam degentes seu in custodiis et carceribus detenti aut morbis et infirmitatibus procul ab urbe impediti, etiam ad ipsam urbem non accedentes, neque sacras apostolorum memorias et patriarchales ejusdem Urbis basilicas respective visitantes, permissarum absolutionum concessique a Nobis plenarii jubilaei participes effici valeant.

Ut autem nemini dubium oriri possit, quaenam personae sub harum literarum providentia comprehendantur, *in primis moniales omnes*, quaecumque solemnia religionis vota emiserunt et in monasteriis sub perpetuae clausurae legibus sive locorum ordinariis sive regularibus superioribus, sive apostolicae Sedi immediate subjectae vivunt; earum quoque novitias aliasque virgines seu mulieres saeculares, educationis aut alia de causa, cum opportunis licentiis in eisdem monasteriis habitantes; item monasteriorum hujusmodi moniales, quae aliquando ad eleemosynas colligendas ex eorumdem clausura egrediuntur; nec non oblatas in communitatibus viventes, quarum institutum ab hac apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter novitiis, educandis aliisque cum ipsis conviventibus, licet rigorosae clausurae legibus adstrictae non sint; tertiarias quoque sub uno eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum novitiis, educandis aliisque saecularibus personis in earum societate viventibus, quamvis rigorosam clausuram non observent earumque institutum nec unquam ad hunc diem ab apostolica Sede approbatum aut confirmatum extiterit, neque pro approbato, praesentis concessionis vigore, in posterum haberi debeat; ac denique puellas, atque mulieres in conservatoriis degentes, quamvis nec monialium nec oblatarum, nec tertiariarum numero habeantur neque clausurae legibus subjectae sint, tam in

urbe quam extra eam ubique locorum et gentium existentes, praesentis concessionis favoribus uti, frui et gaudere posse volumus et declaramus.

Item anachoretas et eremitas, non quidem eos, qui nullis clausurae legibus adstricti sive collegialiter et in societate sive etiam solitarii sub ordinariorum etiam regimine certisque legibus aut regulis obtemperantes vivunt, sed eos, qui in continua licet omnimode perpetua clausura et solitudine contemplativae vitae exercitiis dediti alter ab altero seorsim degunt, etiamsi monastici aut regularis ordinis et instituti professores existant, uti Cisterciensis aliquot et Chartusienses monachi et eremitae s. Romualdi in more habent, sub hujus concessionis amplitudine volumus comprehensos.

Ad eos etiam utriusque sexus Christifideles, qui in *captivitate apud hostes* quoquo modo existunt, nec non ad eos, qui ubique locorum ex civilibus aut criminalibus causis *in carceribus* tam Episcoporum aliorumque ecclesiasticorum Superiorum et tribunalium quam saecularium principum et magistratuum et ad regulares, qui in carceribus claustralibus detinentur, vel quia nondum eorum causae expeditae sint vel quia tempus poenae eisdem impositae non adhuc sit elapsum; quive, ex Superiorum quorumcumque praecepto aliquem locum aut civitatem carceris et custodiae seu exilii et deportationis loco habent; ac demum ad eos, qui in triremibus seu alibi ad opus damnati eique addicti reperiuntur: ejusdem praesentis concessionis gratiam misericorditer extendimus. Pro iis tamen, *qui carceribus tribunalis sanctae Inquisitionis* inclusi ubicumque detinentur, ea quae paternae providentiae Nostrae opportuna videbuntur, per organum ipsius Inquisitionis officii praescribere non omittemus.

Denique *ad infirmos* pariter utriusque sexus tam laicos quam ecclesiasticos, sive saeculares sive cujuslibet ordinis, congregationis et instituti regulares, qui nempe extra urbem actu aliqua laborant corporis infirmitate, a qua juxta medici judicium non ita tempestive liberari poterunt, ut intra ipsum jubilaei annum ad urbem conferre se valeant, vel qui, licet de hujusmodi infirmitate convaluerint, non tamen sine gravi incommodo et recidivae periculo, Romanum iter conficere possent, quive etiam habitualiter infirma valetudine utuntur, adeo ut iter hujusmodi suscipientes in actualem facile morbum aliudve grave corporis incommodum incidere possent, ac demum ad senes septuagenario majores; quaecunque inferius praesentibus literis respective statuentur, spectare et pertinere volumus et pertinere volumus pariter et declaramus.

Hos itaque omnes et singulos monemus, hortamur et obsecramus in Domino, ut peccata sua in amaritudine animae recolentes totoque cordis affectu detestantes salutari poenitentiae sacramento et congruis satisfactionis operibus conscientias suas expiare curent, tum ad vivificum divinae mensae convivium, innocentiae et charitatis stola ornati, reverenter accedant, Deumque optimum maximum, per unigenitum filium ejus ac per merita beatissimae virginis Mariae et sanctorum apostolorum Petri et Pauli omniumque Sanctorum juxta Nostram Ecclesiaeque mentem enixis precibus orent, pro ejusdem Sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum principum concordia et totius christiani populi tranquillitate et salute, in eumque finem alia tum voluntaria, tum sibi in locum visitationis quatuor basilicarum Urbis ab ecclesiasticis superioribus, ut infra, injungenda religionis, pietatis aut charitatis opera devote peragant et exequantur.

Nos enim venerabilibus fratribus Episcopis aliisque locorum Ordinariis per praesentes committimus et demandamus, ut monialibus, oblatis, tertiariis aliisque superius expressis puellis sive mulieribus, tam sibi quam Nobis et Sedi apostolicae immediate subjectis, in eorum civitatibus, dioecesibus et territoriis existentibus anachoretis quoque et eremitis, carceratis et morbo seniove affectis, eorum jurisdictioni respective subjectis atque etiam ab illa exemptis, quatenus saeculares personae aut extra claustra forsan cum debitis licentiis regulares existant, regularibus autem praelatis et superioribus, ut subditis sibi monialibus et si quae sint oblatae aut tertiariae ipsorum regimini subjectae et ab ordinariorum jurisdictione exemptae earumque novitiis aliisque in earumdem monasteriis et communitatibus, ut supra, degentibus extra urbem, nec non religiosis anachoretis sive eremitis aliisque religiosis in carceribus claustralibus detentis sive infirmis et senibus septuagenario majoribus, congrue religionis, pietatis aut charitatis opera aequabili disciplinae et indulgentiae moderatione servata, sive per se ipsos sive per prudentes confessarios designare et praescribere non omittant, quae illi et illae, loco visitationum quatuor basilicarum et ecclesiarum intra et extra Urbis muros, a Nobis pro consequendo hujus anni sancti jubilaeo, praescriptarum, juxta singulorum statum, conditionum et valetudinem ac loci et temporis rationes, respective exequi et implere possint ac debeant et quorum implementum Nos in earundem visitationum locum ad effectum ipsius jubilaei consequendi auctoritate apostolica commutando subrogamus.

Pro monialibus autem, oblatis et tertiariis quibuscunque hujus almae Urbis earumque novitiis nec non puellis atque mulieribus tam in praedictarum monasteriis et communitatibus quam in conservatoriis ipsius Urbis degentibus et pro carceratis in ejusdem Urbis carceribus volumus, ut ad dilectum filium Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Nostrum in ipsa urbe ejusque districtu Vicarium in spiritualibus generalem ejusve vices gerentem dumtaxat, hujusmodi operum designationem, sive per se ipsos sive per prudentes confessarios facere, omnino spectet atque pertineat.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia et praedictorum beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi ex concessa Nobis, licet immerentibus, suprema ligandi atque solvendi potestate, omnibus et singulis praefatis monialibus, oblatis, tertiariis aliisque puellis, sive mulieribus in monasteriis ac religiosis piisve communitatibus viventibus, anachoretis, eremitis nec non utriusque sexus captivis et in carcere sive in custodia detentis atque infirmis et senibus vere poenitentibus et intra praesentem Jubilaei annum rite confessis ac sacra communione refectis Deumque optimum maximum, ut supra dictum est, orantibus aliaque sibi in locum visitationis praedictae injungenda opera, in locis, in quibus extiterint, devote adimplentibus, atque etiamsi, eorumdem operum executione suscepta, ipsos ante integrum eorum implementum ex hac vita migrare contigerit, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, veniam et remissionem etiam duabus vicibus intra ipsius anni sancti decursum, si omnia praemissa opera injuncta iteraverint, per eorum singulos consequendam, non secus ac ipsi et eorum quilibet, praemissa in hac alma Urbe exequentes et quatuor basilicas ejusdem urbis, pro quibus visitandis jubilaeum ipsum et indul-

gentia per Nos concessa fuit, eodem jubilaei anno, diebus ad id statutis, personaliter visitantes, consequerentur et consequi possent tenore praesentium ac de apostolicae liberalitatis amplitudine concedimus et elargimur.

Eisdemque monialibus earumque novitiis, ut, ad effectum praesentium et pro prima vice dumtaxat, confessarios presbyteros saeculares vel cujusvis ordinis regulares, a locorum respective ordinariis ad audiendas monialium confessiones actu approbatos quoscunque, caeteris autem supradictis anachoretis, eremitis nec non oblatis, tertiariis aliisque puellis et mulieribus, in monasteriis et religiosis ac piis communicationibus seu conservatoriis conviventibus et Christifidelibus captivitate, carceratione aut custodia, infirmitate aut senectute impeditis, tam laicis quam ecclesiasticis saecularibus et cujusvis ordinis, congregationis et instituti, etiam specialiter nominandi regularibus ut ad effectum hujusmodi et pro prima pariter vice dumtaxat, confessarios presbyteros saeculares sive cujusvis etiam diversi ordinis regulares, ab ordinariis similiter, in quorum civitatibus, dioecesibus et territoriis confessiones hujusmodi excipiendae erunt, ad personarum saecularium confessiones audiendas actu approbatos quoscunque eligere valeant.

Utque confessarii sic delecti, illorum confessionibus diligenter auditis, eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam apostolicae Sedi reservatis, etiam in bulla die Coenae Domini legi solita contentis, absolvere; injuncta ipsis poenitentia salutari aliisque juxta canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas injungendis ac praesertim, quoad illos in carceribus detentos, quorum criminales causae nondum conclusae sunt, iisdem serio admonitis de obligatione, qua tenentur, judicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus veritatem aperire; quodque hoc animi proposito carentes, absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum suarum damno susciperent; si autem cum hujusmodi veritatis fatendae proposito aliisque debitis dispositionibus, peccata sua rite confiteantur, absolutio, quam a confessario obtinuerint, ipsis in foro interno utilis sane et salutaris existet, nullatenus vero in foro externo ad temporales promeritas poenas evitandas prodesse poterit.

Utque praeterea confessarii, a monialibus, oblatis, tertiariis aliisque puellis et mulieribus supradictis ad praemissum effectum electi, iisdem monialibus, intra monasteria clausurae legibus subjecta solemniter professis, vota quaecumque post professionem emissa et cum eorum observantia regulari compatibilia, dispensando commutare; oblatis vero, tertiariis et tam istarum, quam praedictorum monasteriorum novitiis caeterisque puellis sive mulieribus saecularibus in eisdem monasteriis et oblatarum aut tertiarum domibus et communitatibus, nec non in conservatoriis quibuslibet, educationis, convictus aliave causa et ratione, cum debitis licentiis, commorantibus, omnia et quaecunque vota, exceptis illis, quae Nobis et apostolicae Sedi reservata sunt, etiam dispensando commutare easque omnes et singulas, facta commutatione hujusmodi ab emissorum votorum, etiam juratorum observantia, absolvere possint et valeant, dicta auctoritate apostolica et earundem tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus et indulgemus.

Non obstantibus Nostris super indictione jubilaei praesentis anni in hac alma Urbe et super suspensione in-

dulgentiarum et facultatum eodem jubilaei anno vertente, nec non praedecessorum Nostrorum de indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque apostolicis et in universalibus provincialibus et synodalibus conciliis editis constitutionibus, ordinationibus et reservationibus etiam in eadem bulla Coenae contentis, nec non quorumcumque etiam mendicantium et militariorum ordinum, congregationum, societatum et institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem concessis, praesertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus ordinis, congregationis, societatis et instituti hujusmodi professores extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua mentio facienda vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis et formas pro exactissime servatis habentes: pro hac vice et ad praemissorum effectum dumtaxat plenissime derogamus caeterisque contrariis quibuscunque.

Caeterum venerabiles fratres Episcopos aliosque locorum ordinarios hortamur, ut Nostrae apostolicae Sedis benignitatis exemplo permoti, confessariis per praedictos omnes ad earundem praesentium effectum respective eligendis, facultatem absolvendi eosdem a casibus sibi respective reservatis impertiri non recusent.

Datum Romae die 18. Decb. 1824. (Bull. r. Contin. t. XVI. p. 290.

8) Quomodo lucr. a militib. per Romam transeuntibus?

Leo PP. XII.

Aeterna animarum salus, ob quam Christus Jesus tantos passus est cruciatus, haud patitur de illis praecipue Nos parum esse sollicitos, qui tum ad reipublicae incolumitatem procurandam tum ad legitimorum principum jura tuenda stipendia merentes non solum diros diu noctuque perferunt labores sed et ipsam vitam in discrimen offerre non renuunt. In hac cura defixi, quum dilectus filius Baro de Frimont summus copiarum carissimi in Christo filii Nostri Francisci Austriae imperatoris et Hungariae regis illustris, quae in regno utriusque Siciliae versantur, dux Nobis exponi curaverit per dilectum filium equitem de Gennotte ejusdem serenissimi imperatoris apud Nos negotia gerentem, earum agmen quod Austriam repetere jussum quamprimum per hanc almam Urbem iter esse facturum militesque illud constituentes vehementissime exoptare hac temporis et loci opportunitate indulgentias sacri huius anni consequi posse, postulationibus ac votis ejusmodi libenter atque alacriter annuimus.

Nos igitur summa cum animi Nostri laetitia eorum exercituum pietatem intuentes, qui iterum iterumque hic atque alibi non indubia praetulere specimina erga catholicam Ecclesiam et hanc apostolicam Sedem religionis et observantiae, quique eximia virtute ac militari disciplina semper inclaruere, coelestes Ecclesiae thesauros, quos fidei Nostrae potissimum credidit Altissimus, hoc anno praesertim plena manu effundentes, ut Christi assectae, quantum in Nobis est, facilius aeternam beatitudinem assequi possint, omnipotentis Dei in suos filios misericordia freti et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi om-

nibus et singulis militibus aliisque ad copias illas pertinentibus, qui hoc piaculari anno per hanc Nostram Urbem transierint, quique dolenter confessi peccata sua et sacrosancta Eucharistia refecti basilicam Principis Apostolorum junctim adierint ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fuderint, concedimus et indulgemus, ut eis pia opera hujusmodi instar sint quindenae aditionis ad quatuor Urbis delectas basilicas pro advenis designatae et ita omnes indulgentias, peccatorum remissiones ac poenarum, quas commeriti pro illis sunt, relaxationes consequantur, quas datum esset eis consequi, si cetera imperata facientes, unamquamque e praescriptis quatuor basilicis quindecies illi hoc anno sacro adiissent.

Id concessum et indultum volumus non obstantibus Nostra et cancelariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die prima Julii 1825.

(Bull. r. Contin. t. XVI p. 331.)

9) Terminatio.

Orta contentione circa terminationem Jubilaei proxime indicti per SS.: an quindecim dies appositi in Brevi et publicati in I. Dominica mensis, finiant in III. Dom. inclus. vel exclusive? S. C. resp.: Inclus. n. 773 die 20. Novb. 1628.

JUDAEI.

1) Baptismus.

Vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 28. Febr. 1747. (Bull. r. t. XVII. p. 110—137.); *Constit. Bened. XIV.* die 15. Decb. 1751. (Ibid. t. XVIII. p. 247 260.)

2) Matrimonium.

De abusu libelli repudii Conversorum a Judaismo ad fidem cath., vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 16. Sept. 1747.

(Bull. r. t. XVII. p. 186.)

De matrimonii validitate inter virum Judaeum et mulierem haereticam, vd.: *Constitut. Bened. XIV.* die 9. Febr. 1749. (Ibid. t. XVIII. p. 3.)

S. JULIANA FALCONIERI.

(Hymnus.)

Vd.: *S. Venantius* (hymnus; decr. n. 4746)

De ejus Canonis. vd.: *Bull. Clement. XII.* die 16. Jun. 1737.

(Bull. r. t. XV. p. 141.)

JURAMENTUM.

De innovatione Constitut. Nicol. III. et aliarum sanctionum contra jurantes vel jurare Facientes illicita, impossibilia, damnosa et ecclesiasticae libertati ac decretis Concilii Trid. adversantia, vd.: *Constitut. Greg. XIII. 5. Sept. 1584* in Bull. rom. tom. II. p. 513.

S. JULIANUS EP.

Vd.: *Festum ss. Nominis Jesu* (transl. decr. n. 4442 et 4581).

JURISDICTIO.

1) Super cadaver.

Vd.: *Cadaver* (Jurisd.)

2) Stola, num Jurisdictionis signum est?

Vd.: *Stola* (Num Jurisd. etc.)

Typis E. Stahl.

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

ET

INSTRUCTIO CLEMENTINA

EX

ACTIS EJUSDEM COLLECTA

AB

ALOISIO GARDELLINI,

IN USUM CLERI COMMODIOREM ORDINE ALPHABETICO

CONCINNATA

OPERA ET STUDIO

WOLFGANGI MÜHLBAUER

CAEREMONIARII ETC. ECCLESIAE METROP. MONACENSIS.

TOMUS SECUNDUS.

L — Q.

MONACHII MDCCCLXV.

SUMPTIBUS LIBRARIAE J. J. LENTNERIANAE.

(E. STAHL.)

Index Verborum Tomi secundi.

L.

M.

Missale Romanum.

Missiones

Mitra.

N.

O.

P.

Q.

Decreta authentica.

L.

LAICI.

1) Associatio Cleri ad ingress. in Eccles.

Cf. Aspersorium Laicorum.

Duci Segobriae et Cardonae ad Ecclesiam accedenti obviam ire debeant usque ad valvas Cathedralis cum habitu canonicali tertia pars Canonicorum tunc adstantium in Choro, Sacristia ac toto ambitu Cathedralis, dummodo non sint pauciores duobus Canonicis, inter quos esse debeat semper una Dignitas, eundemque Ducem associare ad sedem praeparatam atque in discessu reassociare ad valvas Ecclesiae. n. 849 die 16. Febr. 1630. Baronem (Rociae) in capienda possessione sui Castri associare Clericos non teneri neque compelli posse. n. 2247 die 4. Aug. 1663.

Dux unius Terrae nullo pacto ab Episcopo suscipiendus; a Canonicis vero juxta solitum. n. 2300 ad 2 die 22. Novb. 1664.

Capitulum, Dignitates et Canonici Segobriae sive eorum aliquis sive aliqui *Duci* Segobriae et ejus successoribus ingredientibus in Ecclesiam Cathedralem non teneantur occurrere nec associare eos usque ad eorum sedem seu alium quemlibet locum ... imo a praedictae associationis occursus obligatione perpetuis futuris temporibus liberi atque exempti omnino sint. n. 2582 ad 1 die 26. Mart. 1672.

Ad dubium: an Episcopus Suessanae possit tolerare, ut Agens Ducalis Status Suessae, praetextu capiendae possessionis Agentiae, excipiatur in Ecclesia a Superiore ejusdem cum pluviali et aspersorio et cum genuflexorio stratu et pulvinaribus sub et supra et cum: *Te Deum etc.?* S. C. resp.: Negative quoad omnes Ecclesias etiam regulares. n. 4081 ad 6 die 29. Novb. 1738.

Marchioni Patrono Balneoli non licere associationem a Canonicis cum habitu canonicali. n. 2610 die 3. Decb. 1672.

Neque Duci Ostunens. neque ejusdem Fratribus accedentibus ad Ecclesiam Cathedr. debet obiam ire Procurator Capituli sive alius Canonicus ejusdem nomine habitu canonicali indutus et porrigere aspersorium. n. 3668 ad 7 et 8 die 24. Novb. 1703; n 4204 ad 1 die 20. Sept. 1749.

Dux Ferrentilli esse excipiendum pro *prima vice* tantum a tertia parte capituli et ab Archipresbytero, qui aquam benedictam illi porrigat in janua Ecclesiae. n. 4119 ad 1 die 4. Julii 1733.

Ad dubium: An Gubernator et Magistratus Civitatis, dum Vestibus Consularibus induti consuetis diebus ad Cathedralem accedunt, excipi debeant ab alterutro ex Canonicis vel Capitularibus Cappa induto, qui Aspergillo ipsis Aquam benedictam porrigat?

S. C. . . respondendum esse censuit: „Affirmative."

Atque ita rescripsit ac in omnibus servari mandavit die 27. Aug. 1836. n. 4794 ad 1.

2) Ante Clerum procedunt.

Vd.: *Confraternitates.* (locus in process.)

Clericos cotta indutos seu alio ecclesiastico indumento praeferendos esse privatis personis. n. 2085 die 20. Novb. 1660.

Ad dubium: an in Congressibus coram Gubernatore dumtaxat civitatis Castelli in ejus cubiculo privato pro negotiis publicis habendis Clero competat praecedentia? S. C. resp.: praecedentiam supra deputatos laicales ecclesiasticis deputatis competere. n

3518 die 9. Maji 1699. Vd.: *Instr. Clem.* §. XX. n. 16.

3) Distribut. cinerum, palmarum, candelarum et ss. Sacramenti etc.

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (ordo et modus accipiendi etc.); *Communio Laicorum in coena Dom.*

4) Non deferunt paramenta eccles.

Cf. *Magistratus; Processio Corpor. Chr.* (Laici etc.); *Thuriferarius* (Laicus.) *Instr. Cl.* §. XX. n. 7.

Non licet Laicis regularibus delaturis in processionibus crucem et candelas usus albae, dalmaticae, Pluvialis ac similium. n. 1972 ad 6 die 29. Mart. 1659.

5) Intortitia defer. prope SSmum.

Vd.: *Instr. Cl.* §. XX. n. 7—9. *Process.* (Cand. Laicor.)

6) Suntne in missae Sacrificio et Processione tecto vel detecto capite?

Vd.: *Pileum*; *Caput.*; *Processio* (capite etc.); *Instr. Cl.* §. XX. n. 12.

7) A Presbyterio prohibendi sunt.

Vd.: *Presbyterium* (aditus vet.)

8) Quomodo se gerant in Ecclesiis? Pius PP. V.

Ut Deo O. M., gloriosae Virgini et Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii X praedecessoris N. constitutionem innovantes ac statuta in Tridentino Concilio observari volentes statuimus et ordinamus, ut ad Ecclesias sit humilis et devotus ingressus, quieta conversatio, devotis orationibus insistant et omnes genibus flexis SSmum adorent, ad nomen *Jesu* cum exhibitione reverentiae caput inclinent, nullus in Ecclesiis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat impetumve committat, cessent vana, foeda et profana colloquia, risus immoderati et strepitus omnes judiciorum et alia quaecunquae, quae divinum off. perturbare possunt. *Nullus intra ecclesias deambulare audeat, dum celebrantur s. mysteria et divina officia* . . . . *Pauperes quoque mendicantes* seu eleemosynas petenter per Ecclesias tempore missarum, praedicationum aliorumque divinorum officiorum ire non sinant Ecclesiarum Rectores *sed eos ad valvas Ecclesiarum stare* faciant . . . . Datum Romae 1. Apr. 1566.

(Bull. mag. rom. tom. II. p. 193. ed. Luxenb.)

Vd.: *Instruct. Clem.* §. VI. 13; *Mulier* (Separatio.)

9) Thurificatio.

Vd.: *Incens. Laicorum; Mulier* (Pax etc.); *Magistratus.*

Princeps magnus Dominus loci non recognoscens superiorem, thurificatur immediate post Episcopum. Imperator tamen et Reges indistincte ante Episcopum sunt thurificandi. Proreges vero et Gubernatores Regnorum ac Provinciarum immediate post Episcopum; Magistratus civitatum thurificantur post Dignitates et Canonicos, nisi sint de majoribus et perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos, nisi rursus Canonici sint parati, quia tunc et ipsi thurificantur post Canonicos paratos. Barones et Domicelli sine titulo post Magistratus omnes. Hi omnes ab iis thurificantur, ad quos ex consuetudine id munus pertinet. *Caer. Ep.* l. I. c. XXXIII. n. 30.

LAMENTATIONES.

(Quis cantat?)

Si Cantores, qui lamentationes cantent, haberi non possunt, tam lamen-

tationes quam lectiones cantandas esse a Canonicis, incipiendo a junioribus. n. 582 die 4. Apr. 1620.

Exponente Episcopo Bituntino abusum in ejus Cathedrali introductum in Matutinis Tenebrarum cantari solitis tribus ultimis diebus hebdomadae s., nempe ut primae duae Lamentationes cantentur per Dignitates, tertia vero per Episcopum, S. C. resp.: servandum esse Caerem., quacunque praetensa consuetudine in contrarium non obstante. n. 2497 die 31. Maji 1670.

Ad dubium: an Dignitates (Cathedr. Bitunt.), quae in Officio majoris hebdom. intonant antiphonas, teneantur etiam canere Lamentationes? S. C. resp.: Servetur Caerem. rom. n. 4075 ad 26 die 19. Julii 1738.

Finito *Pater noster etc.* Cantores accedunt cum debitis reverentiis altari et Episcopo ad Legile praeparatum in medio chori seu ad locum consuetum secundum consuetudines ecclesiarum, et ibi cantant Lamentationes . . *Caer. Ep.* l. II. c. XXII. n. 9.

Vd.: *Lectiones.* (Cantor.)

LAMPAS.

1) Ante Imagines SS.

Vd.: *Lamp. ante SSmum.*

Ad dubium: an permitti possit, ut ante Imagines in medio Altari positas apponantur lumina ex oleo, quae immineant Mensae, et ardeant etiam tempore Sacrosancti Missae Sacrificii? Et S. eadem R. C . . . respondendum censuit ut infra, videlicet:

„Negative in omnibus, nec lumina, nisi cerea, vel supra Mensam Altaris, vel eidem quomodocumque imminentia adhibeantur."

Et facta de praemissis omnibus SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione, S. S. S. C. Responsa adprobavit confirmavitque, atque, ut cunctis pateant, Decretum generale desuper expediri typisque evulgari mandavit. n. 4578 ad 7 die 3. Apr. 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Haud decet, ut in Altari, ad offerendum Deo immaculatam Hostiam erecto, in quo cuncta munda sint oportet, lumina ardeant ex oleo, cujus decidentibus guttis, tobaleae supra Mensam extensae sordidis persaepe maculis inficiuntur. Idcirco si lampades accendi velint in honorem alicujus Sancti, cujus Imago in medio Altaris sita est, vel lateraliter extra Mensam ponendae sunt, vel pensiles e conspectu Altaris.

Clemens PP. XIV.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joan. Pereira frater expresse professus Ord. SS. Trinit. Redempt. Captivorum . . civitatis Lisbonensis, quod carissima in Christo filia Nostra Maria Anna Victoria Portugalliae . . . Regina pro sua eximia et singulari erga coelorum reginam devotione summam 3 millium ducatorum aureorum contulerit, ut ex eorum redditibus annuis comparato oleo lampades diu noctuque ante ipsius Deiparae imaginem semper accensae retineri debeant; hinc dictus exponens ut piissima voluntas Mariae Annae perpetuum suum assequatur effectum, quamcunque consumptionem et distributionem dictae Summae seu fundi in alios usus per Nos prohibitum declarari plurimum desiderat.

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis personis quacunque auctoritate vel superioritate fungentibus et functuris, ne ullo unquam tempore dictam Summam seu fundum in alios usus distribuere atque consumere vel ut distribuatur seu consumetur permittere aut consentire sub quovis quaesito colore, praetextu vel causa audeat seu prae-

sumat sub excommun. latae sententiae et quoad Regulares etiam ejusdem conventus ministros privationis officii ac vocis activae et passivae poenis per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis, a qua Nemo nisi a Nobis seu rom. Pontifice praeterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium valeat obtinere tenore praesentium interdicimus. Non obstantibus Quibuscunque etc. Romae die 30. Junii 1772.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 444. Ed. Rom. 1841.)

2) Ante SS. Reliquias.

Vd.: *Reliquiae* (expositio; lumen), *Lamp. ante SSmum.*

3) Ante SS. Sacramentum.

Lampades ardentes numero impari in Ecclesiis adsint tum ad cultum et ornatum tum ad mysticum sensum. Hae vero inprimis adhibendae sunt ante altare vel locum, ubi asservatur SSmum et ante altare majus, quibus in locis *lampadarios pensiles* esse decet plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante altare majus erit, tres ad minus, qui ante Sacramentum, saltem quinque lucernas habeat. *Ante vero reliqua singula altaria* singulae possunt lampades appendi, quae quidem in praecipuis festis, saltem dum vesperae et missa sol. decantantur, continue ardeant.

Ante SS. Sacramentum, si non omnes, ad minus tres accensae tota die adsint; sed et ante locum et fenestellam *confessionis*, ubi consuetudo est lampades ardere, servanda est. Possunt etiam in altari majori vel aliis, quae habent *ciboria*, circumcirca lampades appendi. *Caer. Ep. l. I. c. XII. n. 17.*

Ex speciali privilegio posse concedi, ut in Ecclesia, etiam quod non sit... parochialis sed simplex, in locis ubi non adest parochialis, *possit asservari SS. Sacramentum*, de consensu Ordinarii et absque Parochi, intra cujus parochiae fines existit, praejudicio, dummodo Ecclesia sit decens et solita conferri in titulum et nunc habeat Beneficiatum perpetuum, qui ejus curam gerat et Sacramentum possit caute custodiri et ibi *lampas perpetuo accensa habeatur.* n. 51. 23. Mart. 1593.

Omnino lampadem esse retinendam intra et ante altare SSmi, ut continuo ardeat. n. 3525. die 22. Aug. 1699.

Legato de lampade ardente ante SS. Sacram. satisfaciunt haeredes per subministrationem olei, apud ecclesiae rectorem remanente cura ut continuo ardeat. S. C. Ep. 25. Apr. 1599.

Vd.: *Missa in Coena Dom.; S. Sepulchrum;* SS. Sacram. (asservat.) *Orat. priv.* (Bull. Pii VIII. die 29. Jan. 1830 et alias.)

LANX.

Vd.: *Parasceve* (ador.); *Oblatio* (in Parascev.)

Caeremoniarius debet prope ipsum pulvinum ponere lancem ad dexteram adorantis, ubi pecuniae, quae cruci offeruntur, ponantur. Caer. Ep. l. II. c. XXV. n. 24. c. XXVI. n. 10.

Prius (ante osculum crucis) tamen offert Episcopus seu offerre facit in lancem pecunias ad libitum. *Ibid.* c. XXV. n. 25.

Episcopus assistens crucem osculatur, offerens tamen prius cruci pecunias, quas volet offerre. *Ibid.* c. XXVI. n. 11.

LATERAN. ECCLESIA AD S. JOANNEM.

(Ejus praeeminentia etc. supra omnes Urbis et Orbis Ecclesias ac Basilicam s. Petri.)

Vd.: *Constit. Pii V.* die 12. Decb. 1569. (Bull. r. t. II. p. 315 ed. Luxbg.) *Constit. Honorii III.* die 25. Apr. 1221 *(Ibid.* t. I. p. 65); *Constit. Gregorii XI.* die 23. Jan. 1372. (Ibid. t. I. p. 262.); *Basilica.*

LATERNA

(In processione SSmi.)

Vd.: *Instructio Clem. §. XX.* n. 11.

In sol. SS. Sacramenti Processionibus praeter consueta lumina quatuor saltem semper laternae cum intus accensis candelis circa celebrantem deferantur. *Conc. Rom. sub Bened. XIII. 1725. tit. 15. c. 7.*

LAUDA ANIMA MEA.

Vd.: *Officium def.* (Omissio.)

LAUDES.

1) Cantus.

Vd.: *Nativit. D. N. (Off. Cantus.* decr. n. 4582 etc.; *Chorus* (cantus.)

Ad dubium: An ob immemorabilem consuetudinem tolerari debeat usus post solemne Matutinum Laudes sine cantu recitandi in solemnioribus Anni Festis? S. C. resp.:

„Affirmative, illis diebus exceptis, in quibus Archiepiscopus, postquam Matutinum solemniter peregit, Laudes quoque solemniter celebrare voluerit." n. 4672 ad 3 die 12. Novbr. 1831.

Ad dubium: Et quatenus affirmative, utrum idem usus sit ferendus in Festo triennali Sancti Raynerii Pisani Confessoris et Dioecesis Patroni principalis? S. C. resp.:

„Negative." n. 4672 ad 4 die 12. Novbr. 1831.

2) Dignit. celebrans.

Absente vel impedito Episcopo tenetur prima Dignitas celebrare solemniter Laudes. n. 1044. die 21. Junii 1636.

3) Recitatio in choro non omittatur.

Ad dubium: An ratione immemorab. consuetudinis in Festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis ferri queat, quod recitatio Laudum omittatur, et privatim tantummodo a paucis Capellanis tempore nonae Lectionis, et Hymni *Te Deum* eae persolvantur? S. C. resp.:

„Assertam consuetudinem non esse ferendam, et Laudes in Choro alternatim, solemni Matutino absoluto, recitandas esse." n. 4672 ad 5 die 12. Novb. 1831.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Consuetudinem hanc S. R. Congregatio non ferendam decrevit, utpote contrariam Rubricae legibus, novam prorsus et idcirco improbandam. Siquidem omnes sive Canonici, sive Beneficiati, aliive hujus generis Ecclesiastici, qui Chorali gaudent munere, tenentur *omnibus Canonicis Horis praesentes adesse non solum, sed et in Choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare*, ut Concilium Lateranense *Tom. 2 part. 4 Sess.* 2 §. 59. et seq. silentium nonnullorum psallendi tempore improbans, et Concilium Tridentinum *Sess. 24 c. 12 de Reformatione* loquuntur. Jam si teneantur *omnibus* Horis *Canonicis* adesse, et adesse ad psallendum, nec sola praesentia sufficit ut hoc adimpleant munus, eo etiam debent modo atque ordine psallere, qui ab Ecclesia statutus est; et sicut qui adest sola praesentia, quin psallat, quique comparari potest mutis simulacris, ut inquit *Benedictus XIV. in sua 107. Institutione*, et fructus non percipit, ita, ut sponte fluit, tenentur omnes et singulas Horas cantare vel recitare, prout cujusque Ecclesiae Constitutiones, tempora, dies, solemnitates vel praecipiunt, vel exposcunt; atque hinc patet nullam ab illis omitti Horam canonicam posse, nec anteverti, nec confundi; secus dici deberet, aut dua-

bus obligationibus, quae ex lege successivae sunt in Choro, uno eodemque tempore posse satisfieri, si, dum ab aliis *Nona Lectio et hymnus Te Deum* decantantur, ab aliis Laudes submissa voce dicuntur; aut Canonicos satisfacere obligationi recitandi Laudes, si, dum ab ipsis cantatur praedictus hymnus soli Capellani harum recitatione ab illis penitus omissa, hae, praedicto tempore, a paucis tantummodo, ut in dubio, recitarentur. At falsum utrumque est, et neutrum probatione indiget, ut quisque facili negotio intelligit. Quisque enim, sive privatim sive publice tenetur, et per se tenetur divinum recitare Officium et leges servare, quae recitationem sive publicam sive privatam respiciunt, nec obligationi putet satisfacere, si quid omittat; vera autem omissio est ea, de qua in dubio est sermo; Capellani enim in casu nostro pro Canonicis et Beneficiatis Laudes recitarent, quas ipsi omittunt: hoc autem admitti nequit: ex Concilii enim Tridentini verbis supra allatis consequitur Canonicum sive alium quemque muneri suo deesse, si quosdam alios solum psallere permittat, is autem omittat, aut pro se eum supplere sinat, qui pariter tenetur psallere, quique idcirco supplere nequit.

Quid vero dicendum nostro in casu, si integra omittatur Hora a Canonicis, aliis pro se supplentibus alterius Horae canonicae tempore? Onus autem singulorum est, singulas Officii partes, et eo ordine, quo sunt dispositae, recitare. Quid autem Officii nomine intelligatur, ad cujus recitationem singulis diebus tenentur, qui sacris Ordinibus initiati sunt vel clerici. Beneficio praediti, satis percipitur ex *cap. Presbyter* de celebratione Missarum, ubi haec habentur: *Si Matutini* (id Laudes etiam complectitur) *Primae*, *Tertiae*, *Sextae*, *Nonae*, *Vesperae*, *Completorii tempore*, *nostrae servitutis officia persolvamus*:

Totum itaque Officium his diversis Horis constituitur. Canonici, ut et alii omnes, idem facere tenentur, hoc solum interposito discrimine, quod alii Clerici, quocumque in loco persolvere Divinum Officium possint, Canonici vero, ceterique omnes, qui alicui addicti sunt Ecclesiae, ad eam convenire, et ibi idem Officium recitare aut canere omnino debeant. Dubitandum autem non est, quin haec lex Cathedrales et Collegiatas Ecclesias comprehendat, et colligitur ex *Clementina Prima de celebratione Missarum*, in qua haec sunt: In *Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis.*

Dixi singulas Horas recitari vel cani, prout tempus exposcit, in Choro debere, et ita, ut una ab alia distincta sit, quemadmodum Ecclesia illas distinctas voluit, et ita etiam, ut earum non invertatur ordo, nec una cum altera confundatur, nec pariter una eo tempore recitetur, quod alteri est praescriptum. Confunditur autem, si unius Horae recitationis tempore altera, ut in casu, recitatur, quod intentioni, fini et statutis Ecclesiae adversatur. Ecclesia autem, ut Horas, sic et tempus eas recitandi assignavit, a quo, ut videtur, et nomen unaquaeque Officii pars desumpsit suum. Quid si primae Ecclesiae Fidelium morem inspiciamus?

Olim Christiani, scribit Cardinalis Bona, *tribus primis vigiliis tres Nocturnos divisim*, *quarta vigilia Laudes recitabant. Tantus erat ardor charitatis*, *ut quater in nocte surgerent ad orationem*, *prima vigilia ad primum Nocturnum*, *secunda ad secundum*, *tertia ad tertium*, *quarta ad Laudes persolvendas*, *vel omnes simul*, *vel divisi in cohortes.* Haec disciplina sive vetus mos generice obsolevit, licet quaedam Monasticae familiae et Re-

ligiosae aliquod de hac veteri consuetudine retineant vestigium. Nunc in praesenti disciplina, loquor de Clero saeculari praesertim, statutae sunt quidem Horae pro recitandis divinis laudibus seu psalmodia; sed quamvis diversa ab antiquioribus sint assignata tempora, tamen tempus unicuique Horae debetur, licet hoc non accuratissime, ut Horarum nomen indicat, servetur, sed juxta praesentem disciplinam utcumque servatur. Ecclesia insuper, per Rubricarum dispositiones et statuta, tempus ad Sacrum celebrandum constituit modo post Tertiam, modo post Sextam vel Nonam, ratione habita vel ad tempus vel ad mysteria, quae aut recolit aut ad quae nos praeparat et vocat, vel ad moestitiam aut gaudium, vel ad Missae qualitatem, quae omnia ex Rubricis ipsis desumuntur, quae quidem probant ita eam voluisse Horas Officii Divini etiam tempore distinctas, ut ad servandam hanc distinctionem et veterem recitandi morem, Sacrum Divinum esse peragendum inter unam alteramque Horam jusserit. His omnibus positis quid dicendum foret de hoc in dubio asserta allataque consuetudine, et a S. R. Congregatione improbata, si ea cum veteri Ecclesiae disciplina aut praesenti etiam conferatur? Nihil profecto aliud nisi quod directe intentioni, fini et statutis Ecclesiae adversetur. Tandem, quod hic decretum est a S. Congregatione cum alio Decreto concordat, quod edidit in *Casalen, die 3. Aprilis 1751*. In hoc enim Decreto proposito dubio respondit: *Canonicos non satisfacere obligationi Chori recitando modo praedicto Completorium, tempore, quo a Musicis Vesperae decantantur:* Modus autem hic erat, ut ex immemorabili asserta consuetudine Canonici Ecclesiae Cathedralis, diebus Dominicis aliisque Festis infra Annum occurrentibus, quando a Musicis Vesperae decantabantur, consueverant eo tempore bini et bini Completorium persolvere. Modus hic a S. R. C. reprobatus nihil omnino differt a modo, de quo est sermo in praesenti dubio, nempe recitandi Laudes tempore hymni *Te Deum*, quinimmo aliquid magis contrarium praebet: nam in dubio *Casalen.* omnes recitabant Completorium. In hoc autem a Canonicis Laudes prorsus omittebantur, quod certe majorem defectum consideranti offert. Ac propterea haec S. Congregatio Ritibus omnibus sua in integritate ac puritate servandis protuendisque instituta, consuetudinem hanc suo Decreto non ferendam declaravit. Illa enim aeque ac ista asserta consuetudo statutam singularem Horarum divisionem ac distinctionem tollit, earumque permixtionem et confusionem inducit, quae, iterum dicam, intentioni, fini, statutis Ecclesiae quam maxime adversatur, ac proinde abusus debet appellari, et omni prorsus ratione eliminandus, quemadmodum hoc suo Decreto S. R. Congregatio jure meritoque sancivit.

4) Tempus recitandi.

Vd.: *Laudes* (cantus); *Matut. et Laud. conjunctim recitant.*; *Laud.* (recit. in choro etc.)

S. LAURENTIUS.

De ejus vigilia anticip.

Vd.: *Vigilia jejun.* (decr. n. 2605.)

In die s. Laurentii Titularis alicujus Ecclesiae Cathedralis vel Matricis nullius Dioecesis non est recitandum Symbolum in aliis Ecclesiis ejusdem Loci, sed tantum in Ecclesia propria. S. R. C. 23. Mart. 1709.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

Decretum Urbis et Orbis.

Ab omnibus fidelibus utriusque sexus,

qui ad horas canonicas tenentur, in posterum die 5. Sept. sub ritu semid. *de praecepto* s. Laurentii Just. Officium et missa recitari et celebrari debet. n. 4282 die 12. Sept. 1759.

(Vd. Bull. r. Contin. t. I. p. 224. Edit. Rom. 1835.)

Juxta Rescriptum S. R. C. 22. Jan. 1752 approbatum fuit Officium Proprium S. Laurentii Justiniani pro Clero Civitatis ac Dioecesis Venetiarum, quod deinceps concessum fuit aliis Dioecesibus. Quum itaque omnes Antiphonae praedicti Officii constent verbis ex respectivo Psalmo desumptis, et quinta Antiphona ad primas Vesperas hisce verbis constet: *Nomen Domini laudavit semper, ita confirmatae sunt super eum misericordiae ejus:* desumpta ex infrascripto Psalmo — *Laudate Dominum omnes gentes:* et alias in secundis Vesperis legantur haec verba: — Omnia ut in primis — quaeritur: an ultimus psalmus in secundis Vesperis debeat esse ut in primis correspondens Antiphonae vel, — *Memento Domine David:* jam a Rubricis generalibus pro Confessore Pontifice praescriptus?

Emi. et Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

Dicendum Psalmum: *Memento Domine David.*

Atque ita rescripserunt propositaque Dubia declaraverunt. n. 5196 ad 6 die 17. Sept. 1853.

LAURETANA DOMUS.

Vd.: *Lytaniae B. V. M.; Velum B. V. M.* (statuae etc.)

LAVABO.

1) Dignitarii.

Non licet primae Dignitati Cathedr. Spolet. in Capella, ubi celebrat, ante et post Sacrificium abluere manus. n. 2967 ad 4 die 20. Sept. 1681.

Peracta communione (in Parasc.) Praelatus accepta mitra in cornu Epistolae lavat manus. *Caer. Ep.* l. II. c. XXVI. n. 21.

2) Episcopi.

Vd.: *Ablutio. Mantile.*

a) Modus et Minister.

Cum Episcopus celebrat, familiares vel nobiles, qui ei ad lotionem manuum ministrant, genuflexi officium suum peragunt, nisi adesset legatus Cardinalis vel suus Metropolitanus, quo casu ob reverentiam illorum non genuflexi sed inclinati ministrant. Et pari modo, si aliquis Suffraganeus vel alius Episcopus celebraret praesente proprio Episcopo.

Caer. Ep. l. I. c. XVIII. n. 15.

Extractis annulis Episcopus lavat manus, et tunc Laici tantum et Clerici omnes praeter Canonicos et Praelatos debent genuflectere, nisi adesset Legatus aut alter dignior Episcopo, quo casu non debet permittere, ut genuflectant.

Cum sumitur aqua ex abaco pro lotione manuum Episcopi ab aliquo nobili viro, poterit fieri praegustatio illius a ministris vel scutiferis illam suggerentibus; sed si ipsi portantes aquam non sint ex nobilibus civitatis sed ex scutiferis seu familiaribus Episcopi, non utique ex forma portabunt, prout dicti nobiles, sed dextera manu urceum cum aqua, sinistra vero lancem, et cum fuerint ante Episcopum, genuflexi infundant paululum aquae super labio ipsius lancis eamque praesente Episcopo degustant, tum aquam supposita lance super manus Episcopi infundunt; *Presbyter autem assistens* porriget Episcopo mantile ad tergendum manus; quibus tersis reponuntur ei annuli ab eodem Presb. assistente. Haec forma lotionis manuum servatur semper, quando Episcopus intra Mis-

sarum Solemnia et in aliis quibusdam actis s. publice lavat manus. Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 10. 11.

Cum Episcopus celebrabit missam *privatam* paramenta ex ipso altari accipiat, postquam aliquo ejus familiari ministrante laverit manus. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIX. n. 1.

Vd.: *Lavabo Ep.* (Quoties.)

Si Celebrans esset S. R. C. Cardinalis vel Archiepiscopus aut Episcopus valde insignis, possent ad hujusmodi ministerium ablutionis manuum ipsius celebrantis invitari aliqui ex Magistratu vel Proceribus et nobilibus viris illius civitatis, qui velo serico, circum spatulam extenso, duas argenteas lances seu fontes, si commodum erit, quos bacilia vocant, cum aqua odorifera, extremitate ejusdem veli coopertos suo tempore ministrent, praesente clavigero seu maccerio cum clava argentea, si est Cardinalis, quo casu convenit etiam praegustationem dictae aquae fieri apud abacum a ministris vel scutiferis illam ipsi nobili exhibentibus, omnesque praedicti, sive ex familiaribus Episcopi sive ex nobilibus civitatis sint, eundo et redeundo genuflectunt usque ad terram ante altare, ante Legatum, si adsit, et ante Episcopum; sed praesente Legato Cardinali non Legato vel Metropolitano non ita profunde ante Episcopum genuflectant. Eorum locus, si fuerint ex familiaribus Episcopi, erit apud abacum, ubi stabunt inter mensam et murum capite semper detecto et versa facie ad Episcopum; si ex Magistratu vel ex nobilioribus civitatis, sedebunt in loco pro ipsis deputato, extra Presbyterium, unde suo tempore per Caeremoniarium vocabuntur et associabuntur euntes et redeuntes. Iidem ministri adhibentur, si Episcopus celebrans non sit proprius illius civitatis, perinde, ac si in propria Ecclesia celebraret, *excepto Acolytho de baculo pastorali.* Dicti omnes ministri necessarii sunt etiam in Missis non per Episcopum celebratis, in Ecclesiis Collegiatis, praeter illos, qui ministrant mitram, baculum pastoralem et gremiale, quae sunt Episcopalis dignitatis propria: familiares autem minime sunt necessarii, cum nec abacus aut mensa erigatur, sed ad ablutionem manuum celebrantis post Offertorium serviet Acolythus. Caer. Ep. l. I. c. XI. n. 12.

b) Quoties?

Quater Episcopus in Missa lavat manus: 1) antequam capiat paramenta. 2) statim post lectum Offertorium; 3) post incensationem oblatorum (et altaris); 4) post Communionem. *Caer. Ep.* l. I. c. XI. n. 11; l. II. c. VIII. n. 76; l. II. c. XI. n. 2. 6; l. II. c. XXV. n. 34. 35.

Episcopus bis lavat manus in missa *privata:* 1) post Offertorium et post Communionem, et semper in lotione familiaris aliquis ministrat aquam et pelvim, Capellani vero mantile. *Ibid.* l. I. c. XXIX. n. 10.

3) Coram SS. Sacramento.

Ad dubium: an sacerdos celebrans in altari in quo expositum est SSmum. debeat descendere ex supremo gradu aliquantulum extra altare in cornu Epistolae ad lavandas manus, prout Missale praescribit in fer. VI. Parasc.? S. C. resp.: Serventur rubricae missalis. n. 2992 die 22. Aug. 1682.

Ad dubium: Quum Celebrans coram Sanctissimo Sacramento exposito debeat thurificari et lavare manus extra Altare, debetne stare in plano Presbyterii, an in supremo gradu Altaris? S. C. resp.: „Servetur consuetudo: dummodo caveat, ne terga vertat Sacramento." n. 4669 ad 52 die 12. Novbr. 1831.

Vd.: *Instr. Cl.* §. XXX. n. 17. 28.

Postea *(incensato altare in Parasc.)* Episcopus aliquantulum extra altare in cornu Epistolae lavat manus nihil dicens. *Caer. Ep.* l. II. c. XXV. n. 34.

Celebrans extra cornu Epistolae stans versus populum sine mitra lavat manus *(in Parasc.) Ibid.* c. XXVI. n. 19.

Finita communione (in Coena Dom.) . . . Episcopus retrahit se extra cornu Epistolae versa facie ad populum, ubi lavat manus sine mitra. *Ibid.* c. XXIII n. 7.

LECTIO NONA.

1) Canonici hebdomadarii.

Ad nonam lectionem, quae per celebrantem Canonicum vel hebdomatarium in stallis canonicalibus vel prope altare tum etiam pluviali indutum cantetur, Canonici et reliqui de Clero *stare non tenentur.* n. 1966 ad 1 die 15. Febr. 1659.

Vd.: *Benedictio in Matut.; Lectiones* (modus cantandi).

Circa finem 3. n. Canonicus faciens Officium accipit Pluviale coloris tempori congruentis et duo Cantores similiter vel plures, si consuetudo sit, induunt pluvialia. Cum cantatur 8. Resp., duo Acolythi sumunt candelabra, quae cum candelis accensis deferunt ante Canonicum paratum et ea tenent, donec legerit totam lectionem et incoeperit: *Te Deum etc. Caer. Ep.* l. II. c. VI. n. 15.

2) Episcopi.

Ad Episcopum pertinet cantare nonam et ultimam lectionem, quando Matutinum solemniter celebrat. n. 532 die 18. Mart. 1617.

Episcopo nonam lectionem cantante Canonici et reliqui de Clero stare tenentur. n. 1966 ad 1 die 15. Febr. 1659.

Nona et ultima lectio dicetur ab ipsomet Episcopo. *Caer. Ep.* l. II. c. V. n. 4.

Vd.: *Jube Domne.; Lectiones* (Cantor.)

Nonam lectionem cantat ipse Episcopus stans in sua sede Pontificali cum cappa detecto capite conversa facie ad altare, ad quem tunc et non prius accedunt duo Diaconi assistentes et ministri de candela et libro. Episcopus autem, si non aderit in choro major se, stans dicit cantando versus altare: *Jube Domine* (non *Domne*) cui absolute respondetur per chorum: *Amen.* Si vero adesset Legatus aut aliquis Praelatus major se, Episcopus versus ad illum peteret benedictionem; ille vero stans in loco suo responderet: Ad *societatem etc.* vel: *Per evang. dicta etc.*, factis tamen prius mutuis reverentiis inter Episcopum et Legatum seu alium Superiorem majorem. Et dum Episcopus cantat suam lectionem, omnes pro ejus reverentia stant detecto capite. Qua finita Episcopus profunde caput versus altare inclinans dicit: *Tu autem Dom. etc.* et resp. per chorum: Deo gratias. *Caer. Ep.* l. II. c. V. n. 9.

Cantata nona lectione per Episcopum (in Matutino Nativit. Dam.), ad quem iterum duo Assistentes Diaconi in habitu chorali debent accedere, intonat *Te Deum etc. Ibid.* c. XIV. n. 9.

3) De homilia Dominicae.

Vd.: *Lectio nona de Simpl.* (decr. n. 4746; 4767.)

4) De Sanctis.

Cf.: *Lectiones de Sanctis; Octava Corp. Chr.* (Off infra etc.); *Officium* (transf. in sequ. annum, decr. n. 4039; 4810.)

Infra octavam SS. Corp. Christi recitari debere nonam lectionem de Sancto simplici, de quo in Laudibus facienda est commemoratio, ex quo ejusdem so-

lemnitatis sint Ascensionis et Corp. Chr., ut utraeque admittant commemorationem simplicium, nec dispar ratio possit assignari, quod in una sit peragendum, in alia ommittendum videatur. n. 2013 ad 1 die 22. Nov. 1659.

Occurrente festo duplici infra octavam SS. Corp. Chr. ac etiam festo Sancti simplicis nonam lectionem habentis, de hoc Sancto recitari debet nona lectio tam apud Saeculares quam Regulares, qui ad horas canonicas tenentur. n. 2872 die 21. Jan. 1679.

Ad dubium: an infra octavam SS. Corporis Chr., quando contingat in Officio fieri debere commemor. festi simplicis, sit pariter de eodem festo recitanda 9. Lectio? S. C. resp.: *Negative.* n. 2483 die 8. Junii 1669.

Ad dubium: Quum decisum fuerit, non debere legi 9. l. de festo simplici, quando occurrit de eo fieri commem. infra octavam SS. Corp. Chr., supplicatur: an debeat legi si dictum festum simplex concurrat cum duplici infra eandem octavam? S. C. resp.: Est dicenda 9. l. n. 2561 ad 1 die 12. Sept. 1671.

Ad dubium: Dum occurrit festum dupl. in octava Corp. Chr. cum simplici, utrum 9. l. de simplici legenda? S. C. resp.: Legendam esse 9. l. de simplici in Officio de Sancto dupl. infra oct. Corp. Chr. n. 3301 ad 9 die 10. Jan. 1693.

Ad dubium: an infra octavam Corp. Chr. occurrente festo 9 ll. vel trium, intelligatur eo die militare rubrica Breviarii ante dictum festum posita atque decretum 8. Junii 1699 de non recitanda 9. l. festi simplicis occurrentis infra dictam octavam, an potius eo die legi illa debeat? S. C. resp.: In Officio tantum de octava omittendam 9. l. festi simplicis. n. 3718 ad 7 die 4 Apr. 1705.

Ad dubium: an Dominica infra octavam Corp. Chr. in iis locis, in quibus dicta octava respuit omnia festa praeter illa 1. cl., gaudeat privilegio octavae excludendi scilicet 9. l. de festo simplici in ea occurrente? S. C. resp.: Affirmative. n. 4475 die 16. Sept. 1801.

Ad dubium: an de semid. et dupl min. (pro quorum transl. non superest locus in toto anno) legenda sit 9. l. ad Matut., composita ex omnibus eorum lectionibus ppr. 2. n. ad modum unius in omnibus dupl. 1. cl., exceptis illis trium ll., festo et octava Corp. Chr. et quoties legenda occurrat 9. l. de homilia super Evang.? S. C. resp.: affirmative exceptis illis trium ll. etc. n. 4378 ad 5 die 15. Juni 1776.

Ad dubium: Occurrente in Solemnitate Ascensionis D. aliquo Officio ritus dupl. vel semidupl., quod ad anni exitum reponi nequeat, an de hoc Officio praeter commemorationem in utrisque Vesp. „Laudibus et Missa, apponi etiam debeat IX. Lectio historica ex duabus vel tribus una? Et S. eadem C . . . rescribendum censuit: Affirmative juxta alias decreta.“ Atque ita servari mandavit. n. 5084 ad 2 die 17. Febr. 1847.

Ad dubium: 1. An Dominica infra Octavam SSmi. Corp. Chr. adnumerari debeat diebus infra Octavam, ita ut excludat IX. Lectionem de Simplici, vel e contra?

2. An id valeat etiam in Kalendario Veronen. ubi ex Decreto s. m. Pii Papae VII. diei 16. Nov. 1819 ab universo Clero Civitatis ac Dioecesis Solemnitas Corporis Christi agitur cum Octava adeo privilegiata, ut intra ipsam locum tantum habeant duplicia I. et II. Cl.?

Et S. eadem C . . . respondendum censuit:

„Affirmative ad utrumque.“

n. 5206 die 12. Aug. 1854.

Ad dubium: Quando substituenda est homilia dominicae, vigiliae etc. aut

lectio simplicis nonae lectioni festi, quod habet 9 ll., an quandoque praecipitur aut convenit 9. l. festi jungi octavae, puta cum 9. l. continet laudem propriam Sancti vel Sanctorum, de quibus fit Officium, ut in Officiis s. Joseph, 7 Fratr., SS. MM. Nerei, Achillei etc. et in similibus? S. C. resp.: *Debere* jungi si sint historicae, secus convenientius *posse*. Die 23. Mai 1835 in Namurcen. ad 6.

Ad dubium: Post Decretum diei 12. Apr. 1823 in una Panormitana, per quod S. R. C. concedit commemorationem fieri posse cum historica IX. Lectione de Duplicibus simplificatis in omnibus Festis, exceptis dumtaxat Triduo majoris Hebdomadae, Pascha Resurrectionis et Pentecostes cum duabus sequentibus Feriis: an dari poterit IX. Lectio in Dominicis Quadragesimae et Adventus, licet Rubricae generales id prohibeant? Et similiter infra Corporis Christi Octavam, non exclusis ejus Festo et die octava, poterit apponi IX. Lectio, quam Rubricae peculiares a s. m. Pio Papa VI. approbatae sub Numero 177 omnino inhibent?

Emi. et Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

„Negative ad utramque partem."

Atque ita S. C. rescripsit et servari mandavit. n. 5224 ad 1 die 14. Maji 1856.

5) De Simplici.

Habetur Decretum in Parmen. diei 16. Sept. 1801, juxta quod IX. Lectio de Festo simplici occurrente in Dom. infra Oct. Corp. Chr. omittenda est iis in locis, in quibus dicta Octava respuit omnia festa, praeter primae Classis. Quaeritur: utrum etiam in aliis locis, ubi Octava SSmi. Corp. Chr. tali privilegio non gaudet, omitti debeat IX. Lectio de simplici, quando fit Officium de Dom. infra Oct. ritu semidupl.?

S. vero C . . . rescribendum censuit:

„Servandam esse peculiarem Breviarii Rubricam Lectionem IX. Sancti ritus simplicis excludentem intra Oct. Corp. Chr."

Atque ita rescripsit et servari mandavit. n. 5151 ad 4 die 7. Sept. 1850.

Ad dubium: Quando substituenda est Homilia Dominicae, Vigiliae etc. aut lectio simplicis nonae Lectionis Festi, quod habet novem Lectiones, an quandoque praecipitur aut convenit nonam Lectionem Festi jungi octavae, puta quum nona Lectio continet laudem propriam Sancti vel Sanctorum, de quibus fit Officium, ut in Officio Sancti Joseph, Septem Fratrum, Sanctorum Martyrum Nerei, Achillei etc. et in similibus?

S. C. resp.: „*Debere* jungi si sint historicae, secus convenientius *posse*."

Die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 6.

Vd.: *Lectio nona de Sanctis.*

In Dom. in Albis potest legi 9. l. de simpl. festo occurrente, ut accidit anno 1735 de s. Aniceto. S. R. C. 5. Maji 1736.

Ad dubium: Utrum lectio festi simpl. adhibita pro 9. l. in off. divino debeat legi cum titulo, e. g . . *Nona lectio pro ss. Cosma et Damiano*? S. C. resp.: Sine titulo. Die 1. Mai 1698.

Ad dubium: Aliqui Sancti habent in III. Noct. Lectiones proprias, et in particularibus Rubricis nihil dicitur: an IX. Lectio conjungenda sit cum octava, occurrente Homilia Vigiliae, Feriae vel Dominicae, sive etiam Lectione Sancti simplicis; quaeritur: an hujusmodi unio semper fieri debeat?

Emi. itaque ac Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

„Detur Decretum in Namurcen. diei 23. Maji 1835 ad Dub. 6."

Atque ita rescripserunt ac servan-

dum mandarunt die 8. Aug. 1835. n. 4767 ad 2.

Vd.: *Hoc decr. supra inter alia: De Sanctis.*

6) Titulus.

Ad dubium: utrum lectio festi simplicis adhibita pro nona lectione in Officio divino debeat legi cum titulo, v. g.: Nona lectio pro SS. Cosma et Damiano? S. C. resp.: *Sine titulo.* n. 3459 ad 2 die 1. Mart. 1698.

7) Unio.

Vd.: *Lectio nona de Simplici* (decr. n. 4746; 4767.)

LECTIONES.

1) Non approbatae.

A S. C. R. concessum fuit Ordini Minorum de Obs., ut recitare possit sub ritu dupl. in suis resp. diebus de ss. Apollonia, Barbara, Margarita et Ursula cum sociis. Sed non recitare possunt ll. 2. n. proprias, quae circumferuntur impressae in quibusdam modernis Breviariis, quia non sunt approbatae, sed sumendas esse de communi. n. 3019 ad 9 die 20. Mart. 1683.

Cf.: *Missale* (approbatio.)

2) Beatorum Ordinis.

Lectiones I. Noct. in Officio Beatorum Ordinis, quod sub ritu dupl. maj. per annum celebratur, erunt de communi. n. 2284 ad 6 die 12. Julii 1664.

3) Cantores.

Cf.: *Candelar.; Jube Domine; Caeremon. ad lectiones; Nativitas D. N.* (Officium; Cantores); *Lectiones* (modus cantandi); *Lectio nona Episcopi; Lamentationes.*

Lectiones duas penultimas, quando Matutinae solemniter celebrantur ab Episcopo, cantandas esse *a duobus Canonicis, qui hinc inde assistunt* apud Episcopum, sive sint ex digniori-bus vel Dignitatibus, sive sint ex Canonicis etiam ultimis, dummodo assistant Episcopo, prout disponit Liber Caerem et prout etiam servatur in Capella Papali in Nocte Nativ. D. N. J. Chr., quando Papa solemniter Matutinum cantat. n. 532 die 18. Mart. 1617. Si Cantores, qui lamentationes cantent, haberi non possunt, tam lamentationes quam lectiones 2. et 3. Noct. esse cantandas a Canonicis, incipiendo a junioribus. n. 582 die 4. Apr. 1620.

In distributione Antiphonarum et reliquorum omnium, quae cantari debent a Canonicis, semper servandum esse ordinem antianitatis, non attenta majori habilitate et experientia modulandi. n. 1928 die 7. Sept. 1658.

Finitis psalmis I. n. Caeremoniarius ducit *juniorem* Canonicum, qui est cantaturus primam lectionem, ad legile. Idem facit secundus et tertius Canonicus ac successive alii in 2. et 3. n. lectiones cantaturi. *Caer. Ep.* l. II. c. V. n. 5. 7.

Primae sex lectiones a totidem Canonicis junioribus incipiendo a juniore competenti voce et tono recitabuntur apud legile in medio chori collocatum; *septimam et octavam cantabunt hi, qui futuri sunt assistentes a lateribus Episcopi in missa. Caer. Ep.* l. II. c. V. n. 4. 5; S. R. C. 7. Sept. 1861.

Lectiones 2. et 3. n. *(in matutinis tenebr.)* cantant vel ipsi Cantores (qui Lamentationes cantabant) vel Canonici pro more Ecclesiarum incipiendo a junioribus, singuli singulas. *Ibid.* c. XXII. n. 10.

Lectiones ipsae *(in Off. Def.)* cantantur per Cantores vel per Canonicos, juxta consuetudinem loci, in tono consueto lectionum. *Caer. Ep.* l. II. c. X. n. 6.

In Ecclesia Cathedr. Asculana est immemorabilis consuetudo, ut Archi-

diaconus seu senior Canonicus praesens in choro committere solet alicui ex Canonicis ad libitum Lectiones legendas; quaesitum fuit: an Canonicus, quem Episcopus Pro-Vicarium deputaverat, talem legendi provinciam sibi injunctam renuere possit? S. R. C. resp.: Quodsi interveniat in choro uti Canonicus, debeat obedire. n. 627 die 2. Maji 1626.

4) De Communi.

Vd.: *Lectiones de Script. occurr.* (decr. n. 4787.)

Ad dubium: An in omnibus festis, in quibus habentur Resp. ppr., semper in nocturno Lectiones sumi debeant de communi? S. C. resp.: Affirmative n. 4787 ad X. 27. Aug. 1836.

5) In Dedicat. Ecclesiae.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: an in octava Dedicationis ita omnia sint de die Dedicationis praeter ll. 2. et 3. n., ut etiam ll. 1. n. desumendae sint ex die Dedicationis, licet dies Octava occurrat in dominica habente initium scripturae? S. C. resp.: In die octava Dedicat. semper sunt repetendae ll. 1. n., quae jam lectae fuerunt in 1. n. Officii de ipsomet festo Dedicationis. n. 4044 (alia dubia) dub. 6 die 5. Maji 1736.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Lectiones.)

In die octava dedicationis Ecclesiae ll. 1. n. sunt de communi et non de Scriptura. S. R. C. 2. Sept. 1741.

6) Dominicarum.

a. Anticipandae.

Ad dubium Benedict. Einsidlen: an quando October tantum habet 4 dominicas, lectiones dominicae 5. Octob. in aliqua die hebdomadae praecedentis dominicae viciniori sint ponendae? S. C. resp.: Servetur dispositio Breviarii rom. et in fer. V. et VI. et Sabb. hebdomadae 4. Oct. legantur lectiones de dom. V. continentes historiam martyrii ss. Machabeorum. n. 4044 ad titul. XXV. dub. 4 die 5. Maji 1736.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: An, si per dedicationem Ecclesiae vel aliud festum cadens in Dominica impediatur Initium Scripturae talis dominicae et per octavam non sit locus pro eo, quod omnes dies sint de die infra octavam, praeter unam forte, quae tamen habet Lectiones de communi assignatas, tunc tale initium sit omittendum vel potius reponendum in illo festo, ommissis lectionibus assignatis? Et quod si illud festum sit dupl. majus? S. C. resp.: Initium Scripturae aut transferendum est ad diem liberam, etiamsi post octavam hoc eveniat, aut anticipate legendum; sed in Officio, pro quo assignatae sunt ll. de communi, illae sunt legendae, quod faciendum est etiam in dupl. maj. n. 4044 *(alia dubia)* ad 5 die 5. Maji 1736.

Quando fit anticipatio Officii Dominicae, semper lectiones leguntur de illa dominica anticipata et dicenda sunt plura initia, ut in hoc clara videtur rubrica Breviarii. n. 4175 ad 6 die 4. Sept. 1745.

Dum per solam commemor. anticipatur Officium alicujus dominicae post Epiphaniam in Sabb. ante Septuag., quo occurrit festum 9 l., non habens lectiones 1. n. ppr. vel de communi assignatas, legi debeant illae de Sabb. occurr., an vero, istis omissis vel praecedenter lectis, si sint de initio alicuju Espistolae, legendum sit Epistolae divi Pauli initium assignatum illae Dominicae, cujus Officium per commem. anticipatur? S. C. resp.: Legendas esse lectiones de dom. anticipata, dummodo in Sabb. antecedenti non occurrat initium alterius epistolae s. Pauli. n. 4378 ad 10 die 15. Junii 1776.

b) Ressumendae.

Lectiones 1. noct. de Exodo dominicae IV. Quadrag., quoties ista sit impedita aliquo festo 1. cl., ressumendas esse intra illam hebdomadam in festo occurrente lectionibus propriis 1. n. carente, quae desumerentur de Script. occurr., si festum illud extra Quadragesimam incidisset. n. 4039 ad 6 die 26. Novb. 1735.

Ad dubium: Juxta Rubr. Brev. tit. XXVI. n. 6 resumenda sunt initia librorum s. scripturae; an id intelligendum est etiam de secunda ad Corinth., de 2. s. Petri, de 2. et 3. s. Joannis? S. C. resp.: Affirmative. Die 23. Mai 1835 *in Namurcen.* ad 5.

7) Festi dupl. maj.

Duplicia majora habent lectiones 1. n. vel proprias vel de communi non autem de scriptura occurrente. n. 4119 ad 3 die 2. Sept. 1741.

Lectiones I. n. in Off. de festo dupl. maj. sumendae sunt ex ejus communi, si ex concessione non habentur propriae. S. R. C. 12. Julii 1664 *in una Ord. Min. Obs.*

8) Festi dupl. min.

Ad dubium: an servanda sit dispositio rubricarum, quae praescribunt in Officiis dupl. minoris lectiones 1. n. de Scriptura legendas, etiam dum in Breviario forsan per errorem in aliquibus Officiis dupl. minor. indicantur ll. propriae vel de communi? S. C. resp.: Semper de Scriptura. n. 4849 ad 1 die 23. Febr. 1839.

Vd.: *Lectiones de Script. occurr.* (decr. n. 4787.)

Ad dubium: An in omni Officio semid. et dupl. min. Lectiones I. Noct. desumendae sunt de Scriptura occurr. in Proprio de temp. secundum regulam gen. Breviarii, et ut plus per annum legatur de Scriptura, omissis Lectionibus, quae interdum assignantur de Communi, quin dicant specialem congruitatem cum Festo, vel quia extensum est Officium ad alias Eccl., ex his ubi gaudebunt elevatione ritu aut majori solemnitate?

Et S. eadem C . . . respondendum censuit: „Standum concessionis verbis.“ Atque ita rescribere ac proposita Dubia declarare existimavit. n. 5064 ad 2 die 27. Febr. 1847.

9) Festi semidupl.

Vd.: *Lectiones fest dupl. min.* (decr. n. 5064); *Lectiones de script. occ.* (decr. n. 4787.)

10) Hebdomadae quintae Novbr.

In pluribus locis hebdomada quinta Novbr. ob multitudinem Officiorum habentium lectiones 1. n. ppr. vel de communi, saepe non remanent dies pro recitandis omnibus initiis Prophetarum minorum, quamvis tria initia uno die recitentur; quaeritur: an in casu omittenda sint initia, quae locum habere non possunt, vel dicenda sint in Officio semid. et dupl. min. vel maj., licet habeant lectiones 1. n. ppr. vel de communi? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 4393 ad 13 die 27. Mart. 1779.

11) Quando jungendae sunt?

Vd.: *Lectio nona de Sanct.* (decr. de die 23. Mai 1835.)

12) Locus cantandi.

Vd.: *Legile.*

13) Modus cantandi

(quando standum vel sedendum est?)

Vd.: *Lectio nona Episcopi*; *Tu autem Domine*; et. *Chorus* (Modus recit.); *Lectiones* (Cantores.)

Ad dubium: Dum Hebdomadarius

in Choro pergit ad legendam Homiliam sive Lectiones III. Noct. Sancti, de quo fit Officium, ad Evangelium debetne tenere manus super Breviarium, vel potius junctas ante pectus?

Emi. itaque ac Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

„Ad libitum Hebdomadarii."

Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt die 8. Aug. 1835 n. 4767 ad 3.

Dum cantatur per Canonicum textus Evangelii pro septima lectione, Episcopus et reliqui omnes stant, donec dicatur: *Et reliqua*, et postea sedent. Ipse autem Canonicus non debet recitando textum Evangelii librum nec se ipsum signare nec manus junctas tenere sed super libro prout in aliis lectionibus. *Caer. Ep.* l. II. c. V. n. 8.

Dum cantatur Versiculus, Caeremoniarius accedit ad Canonicum juniorem, qui lecturus est lectionem, et facta ei reverentia, ipsum ducit ad legile, ubi lectiones legi solent, quod locari debet in medio chori versus altare; quo cum pervenerit, facit cum Caeremoniario debitas reverentias altari et Canonicis, primum a parte chori, ubi est Canonicus faciens officium, deinde ab altera parte, et mox propius accedit ad Legile; et cum tempus erit, petit benedictionem caput profunde versus celebrantem inclinans, cui ille stans benedicit, quod et in aliis benedictionibus servat, hoc est, ut stans semper detecto capite benedicat.

Lectiones leguntur, festis praesertim diebus, a Canonicis, incipiendo a junioribus ad seniores; et quando non adsunt tot Canonici, primas legunt alii clerici in choro existentes. Legant autem distincte et devote in tono consueto in Ecclesia rom. Factis debitis reverentiis discedit. *Caer. Ep.* l. II. c. VI. n. 12—14.

14) Ex Octavario romano.

Ad dubium: Quum aliqui Conventus Ord. Minor. Capuc. Hetruriae Titularem habeant S. Martyrem vel Confessorem vel Virginem cum Officio et Missa propria, et in die octava desiderentur Lectiones II. et III. Noct. propri e, quaeritur: an ipsa die octava omnia desumenda sint ab Officio diei Festi, vel potius Lectiones ipsae esse debeant de Communi?

Emi. itaque ac Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

„Lectiones II. et III. Noct. in casu desumantur ex Octavario Romano?"

Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt die 8. Aug. 1835. n. 4767 ad 1.

Vd.: *Lect. Octavar.*

15) Octavarum.

Lectiones in octava s. Joan. Bapt.; vd.: *J. Joannes Bapt.*
Lectiones in octava Dedicat.; vd.: *Dedicatio Ecclesiae* et: *Lect. in dedic. Eccles.*

Ad dubium 1: An quando fit Officium de infra Octavam vel de Octava SS. Titularium vel Patronorum sive Dioecesis sive alicujus Paroeciae sive Ecclesiae particularis aut Religionis aut Congregationis in Matutino possint Lectiones pro II. et III. Nocturno desumi ex Octavario Romano?

2. Et quatenus negative: Quaenam Lectiones pro II. et III. Nocturno in Kalendario Dioecesano assignari debeant tam infra Octavam, quam in die Octava, quando agitur de Festo non habente in Breviario Romano Lectiones pro diebus Octavae illius Festi?

Emi. et Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

Ad 1. Affirmative: dummodo ejusmodi Lectiones non designantur in Breviario Romano.

Ad 2.: „Provisum in primo."

Atque ita S. C. rescripsit propositaque ab Episcopo Septempedano Dubia declaravit. n. 5227 die 29. Nov. 1856.

16) Patroni principalis.

De Patronis principalibus tam Officium quam missa uti de dupl. I. cl.; et ideo Lectiones I. Noct., si non adsunt propriae, sumi debent de Communi, et non de Scriptura curr. n. 2302 ad 3 die 22. Novb. 1664.

17) De Sanctis.

Vd.: *S. Ludovicus*; *Lectio nona de Sanctis*; *Guilelmus* (lectiones); *Lectiones hebdomadae quintae Novbr.*; *Initium Script.*

Decreta de Lectionibus propriis Sanctorum.

S. R. C. circa Lectiones proprias Sanctorum posthac concedendas, seu approbandas infrascripta servari decrevit:

1. „Ut petitiones Regularium de Lectionibus propriis non admittantur, nisi fuerint specialiter decretae ab eorum Capitulo generali, et de hoc fides authentica exhibeatur."

2. „Et neque recipiantur petitiones Monialium viventium sub Ordinariorum jurisdictione, nisi eaedem petitiones conjunctim fiant ab ipsis Ordinariis locorum, et de hujusmodi petitionibus publicum exhibeatur instrumentum."

3. „Ut eadem servetur in petitionibus Communitatum, quae non admittantur, nisi cum instantiis Ordinariorum, ut supra."

4. „Ut posthac non examinentur Lectiones propriae Sanctorum ab Emo. Cardinali deputato, nisi S. C. petitionibus ut supra exhibitis et propositis decernat annuendum et D. Cardinali deputato revisionem committat, qui deinde Lectiones revisas referre debebit a S. C. approbandas."

Atque ita in posterum inviolabiliter servari mandavit, in contrarium non obstantibus quibuscumque. n. 2895. 17. Junii 1679.

Ad dubium: an lectiones ex Ven. Beda pro Januario in Officio cujuslibet mensis assignatae, quarum initium; quia b. Scholasticae commemorationem peragimus, (Benedictini Einsidl.) si eo mense hoc Officium impediatur, sint dicendae mense aliquo sequenti, quo primum fit Officium mensile de s. Scholastica? S. C. resp.: negative; lectiones unius mensis, licet non fuerint recitatae, non sunt legendae mense sequenti. n. 4044 (ad Titul. VIII.) die 5. Maji 1736.

Ad dubium Benedictin. Einsidlen. S. G. decrevit: in festo s. *Joannis Chrysost.* universaliter In 1. noct. extra Quadrages. dicantur Lectiones de scriptura occurr.; intra Quadrages. de comm. doct. Idem pro s. *Joanne de Matha* servandum, et in Quadrages. dicantur ll. de communi, scilicet: *Beatus vir*. In Officio s. *Anselmi* quocunque tempore ll. 1. n. dicantur de comm. doctor: *Sapientiam*. — *Ad dubium:* Quid autem, quando in festo aliquo assignantur Lectiones: *Sapientiam* de Doctoribus; vel.: *Beatus* aut *Justus* vel aliae de communi: an ita firmiter sint dicendae, ut tunc non possit eo die legi Scriptura occurrens, potissimum si sit initium cadens vel alias jam impeditum vel si alioquin in ea septimana initio Scripturae nullus esset locus, nisi omittantur tales Lectiones de communi assignatae? S. C. resp.: Quando lectiones assignantur legendae sive propriae sive de communi, omittantur etiam initium scripturae, quod reponendum est infra hebdomadam in Officio ritus inferioris, minoris dignitatis ac solemnitatis, etiamsi tale festum habeat lectiones proprias aut sint de Scriptura. *Ad eorumdem dubium:* Quid pro Lectionibus 1. n. in festo s. *Mar. Magd. de Pazz.*? le-

guntur enim in aliquibus Monasteriis ll.: *In lectulo meo etc.*; demum quid in Officio *s. Alexii*, in quo quaedam Brev. assignant pro ll. 1. n.: *Beatus vir.*? S. C. resp.: In utroque Officio nihil innovandum et servetur rubrica Brev. rom. dicendo lectiones de Script., nisi adsit concessio specialis pro recitatione aliarum lectionum. n. 4044 ad titul. XXV. dub. 2 die 5. Maji 1736.

Ad dubium: Juxta Rubricas Breviarii titulo XXVI. num. IX. Lectiones de Scriptura positae in Communi Sanctorum leguntur, quando aliquod Festum novem Lectionum occurrit in Quadragesima etc.; an (posito quod non assignentur in Proprio Sanctorum) semper sumendae sunt de Communi primo loco? et quatenus negative: an pro lubito sumantur in primo vel secundo loco? vel quandonam? signanter si Festum Sancti Raymundi de Pennafort transferatur in Quadragesimam, an Lectiones primi Nocturni dicendae sint: *Beatus vir*; an: *Justus si morte?* — S. C. resp.:

„Regula in casu desumatur ex Lectionibus III. Nocturni."

Die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 4.

Habetur in aliquibus Ecclesiis insignis reliquia Sancti alicujus, qui cum Socio est in corpore Breviarii et uterque habet festi simpl. ritum, veluti contingit in festo ss. Gerv. et Protasii, quorum duae lectiones vitam amborumque mortem enarrant. Dubitatur: An praedictae duae lectiones legendae sint in Officio dupl. illius, cujus reliquia habetur, vel sumendae sint de communi illius martyris, et de socio facienda tantum sit commem. absque 9. l., eo quod I. cl. non sit praecipuum officium, de quo loquitur regula tabulae occurrentiae, si occurrat eadem die? S. C. resp.: Si in hoc casu lectiones disjungi commode possunt, legenda est illa de Sancto, cujus fit Officium dupl. propt. reliquiam insignem in 2. n., et haec erit 4. l., 5. et 6. sumendae sunt de communi, altera vero lectio poni poterit pro 9. l. in 3. n. tamquam de Sancto simpl., de quo fieri debet etiam commem. ad laudes; si vero non possunt commode disjungi, utroque ponenda est in 2. n. pro 4. et 5. l. et 6. legenda est de comm. et in hoc casu l. 9. pro festo simpl. repetenda non est, fieri tamen debet de eo commemoratio. Die 16. Junii 1677. *in Hispal.* ad 2.

18) De Scriptura occurr.

Ad dubium: Juxta Rubricas Breviarii titulo XXVI. num. 6. resumenda sunt initia librorum Sacrae Scripturae, an id intelligendum est etiam de secunda ad Corinthios, de secunda Sancti Petri, de secunda et tertia Sancti Joannis? S. C. resp.:

„Affirmative."

Die 23. Maji 1835 n. 4746 ad 5.

Vd.: *S. Pulcheria; Dominica quinta Octobr.; Dominicae Quadrages.; Initium Script.*

In una Santanderiensi ad Dub. 20. die 26. Januarii 1793 decretum fuit: Lectiones I. Nocturni in duplicibus et semiduplicibus, nisi expresse constet de concessione aliarum, ex Scriptura sumi debere utpote cohaerens Rubricae de Lectionibus; cumque praeter laudata in ipso Dubio Festa, alia supersint, de quibus dubitatur, ut S. Agnetis, Agathae, Martini Ep. et Conf., Caeciliae, Clementis etc., quaeritur: utrum de his judicium deferendum sit, quod ipsi Rubricae conformius videtur?

Et S. eadem C. rescribendum censuit ut infra:

„Legendas esse Lectiones de Scriptura occurrente, praeterquam in Festis

Sanctorum, pro quibus propriae assignantur in Breviario Romano.
N. 4478 ad 3 die 19. Sept. 1801.

Ad dubium 1: Quum pro nonnullis Sanctis propriis Regni Hispaniarum, de quibus recitatur Officium ritu dupl. min., habeantur Lectiones I. Nocturni de Communi, pro aliis vero de Scriptura occurrente, quaeritur: quae certa regula sequi debeat quoad memoratas I. Nocturni Lectiones in Officiis duplicibus minoribus?

2. An quoad easdem Lectiones I. Nocturni in duplicibus minoribus standum sit dispositionibus Directorii vel Breviarii?

3. An licitum sit in duplicibus minoribus et etiam semiduplicibus Lectiones I. Nocturni pro lubitu desumere vel de Communi vel de Scriptura, quando diversitas extat inter dispositionem Directorii et Breviarii?

4. An illa Festa, quae prius concessa fuere aliquibus Ecclesiis vel Dioecesibus cum Lectionibus I. Nocturni propriis vel de Communi, et deinde concessa fuit extensio pro omnibus Hispaniarum Regnis vel toto Clero cum Lectionibus propriis, retinere debeant Lectiones I. Nocturni proprias vel de Communi?

Emi. itaque ac Rmi. P . . . respondendum censuerunt:

Ad 1: Lectiones I. Nocturni in casu esse de Scriptura, nisi diversae in Indulto expresse assignentur":

Ad 2: „Jam provisum in proximo."
Ad 3 et 4: „Ut ad proximum."

Atque ita rescripsere ac servandum omnino mandarunt. n. 4787 ad VI—IX. Die 27. Aug. 1836.

LEGATUS APOST.

De ejus Sede, vd.: *Sedes Episcopi* (forma etc.); *Praeses*.

LEGILE.

(*Lectorile.*)

1) Ad cantandas Lectiones et Prophetias.

Vd.: *Minister de libro*; *Bugia Canon. in choro*; *Pulpitum*; *Lectiones* (Cantor.); *Lectiones* (modus cantandi); *Lamentationes*.

Ad dubium: an in tribus ultimis diebus Off. hebdomadae s. ac in aliis Officiis infra annum, in quibus cantantur Prophetiae, debeant Dignitates et Canonici Lectiones et Prophetias in eodem loco canere, in quo canunt Capellani? S. C. resp.: De Legili. n. 3551 ad 22 die 13. Mart. 1700.

Caeremoniarius, quoties ducit aliquem Canonicum ante pulpitum seu legile nudum, ubi cantare debet lectionem, gerat manibus parvam candelam (in nocte Nat. D.) *Caer. Ep.* l. II. c. XIV. n. 6.

Canonici Colleg. s. Antonini Placent. tempore divinorum Officiorum in Choro non tenentur ab eorum stallis descendere et una cum Beneficiatis dictae Ecclesiae canere ad Lectorile magnum situm in medio Chori, quidquid ibi canendum occurrit. n. 3848 ad 1 die 2. Julii 1712 et 13. Febr. 1714.

Ad dubium: an Canonici Colleg. s. Antonini Placent. teneantur, permanendo in eorum stallis et absque accessu ad Lectorile positum in medio chori, canere una cum aliis Beneficiatis in Matut., Vesp. et Missis convent. ac sol. resp.: *Invitator.*, *Hymnos*, *Versiculos*, *Antiph.*, *Resp.*, *Introitus*, *Kyrie*, *Grad.*, *Credo*, *Offertorium*, et quidquid in Lectorile canendum occurrit vel solummodo teneantur Beneficiati et Mansionarii? S. C. resp.: Negative quoad primam partem; affirmative ad secundam. n. 3920 ad 1 die 10. Decb. 1718.

Caeremoniarius ducit juniorem Canonicum . . . ad Legile paulo ante cum libro lectionum praeparatum in

medio chori nudum, id est, sine aliquo panno vel coopertorio.

Caer. Ep. l. II. c. V. n. 4. 5.

Locatur *(in Sabb. s. ad cant. prophet.)* in medio chori vel presbyterii Legile nudum. *Ibid.* c. XXVII. n. 13. c. XXVIII. n. 5.

2) Ad cantandum Evangel. et Exultet.

Si in Ecclesia fuerint Legilia vel Ambones, in illis poterit cantari Evangel.; videlicet, si cantabitur in Legili, Subdiaconus stabit post illud, quod panno aureo vel serico coloris caeterorum paramentorum coopertum et ornatum esse debet, amplectens ipsum Legile et manibus hinc inde librum tangens; quod si cantabitur in ambone lapideo, ad quod per gradus ascenditur, tunc Subdiaconus assistet et ministrabit Diacono opportune, stans a latere ejus dextero, videlicet porrigens thuribulum et vertens folia libri Evangeliorum, si opus erit. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 45.

Ambones, ubi Epistolae et Evangelia decantari solent, consentaneum est, pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt caetera paramenta, exornari, ita tamen, ut locus Evangelii pulchrius ornetur. *Caer. Ep.* l. I. c. XII. n. 18.

Praeparetur pulpitum *(ad Mandatum in Coena Dom.)* seu Legile pallio serico seu auriphrigiato coopertum, super quo Liber Evangelii ponatur, cum illud cantandum erit a latere sinistro Episcopi. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIV. n. 4.

Apud Candelabrum pro cereo paschali destinatum et regulariter in cornu Evangelii collocandum vel alibi pro situ loci, locatur etiam Legile coopertum panno albo serico vel auriphrygiato *Ibid.* c. XXVII. n. 1. 10.

S. LEO P. C. ET E. D.

Benedictus PP. XIV.

Exempla sequentes aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, qui praeter summos illos Ecclesiae Doctores alios etiam Sanctissimos Viros, qui eximia doctrinae laude in Ecclesia floruerunt, proprio Doctorum titulo et cultu honorandos esse decreverunt, Motu proprio et certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine volumus, praecipimus et mandamus, ut in Officii Divini Breviario in Festo S. Leonis Papae et Confessoris Antiphona ad Magnificat in utrisque Vesperis ponatur ea, quae incipit: *O Doctor optime;* in Missa autem dicatur Introitus: *In medio Ecclesiae;* et post Collectam subsequatur Lectio Libri Sapientiae: *Justus cor suum tradet,* cum Graduali ut in Communi Doctorum: post Evangelium vero dicatur Credo. Reliqua, ut in consueta Missa propria de Sancto Leone. Atque ita per omnes Ecclesias et respective ab omnibus et singulis, qui ad Divini Officii recitationem tenentur, perpetuo servandum statuimus et decernimus: Non obstantibus contrariis Rubricis, usibus et consuetudinibus, etiam expresse per Sedem Apostolicam approbatis et confirmatis aliisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Breve Bened. XIV. die 25. Oct. 1754. (Bull. r. t. XIX. p. 116.)

LEVATE.

Diaconus post Episcopum (in Parasc.) dicit: *Flectamus genua,* et omnes genuflectunt, excepto Episcopo, *Subdiaconus* vero post Diaconum dicit: *Levate,* et omnes surgunt. *Caer. Ep.* l. II. c. XXV. n. 14. 21.

Verba: *Flectamus genua* cum per Diaconum dicuntur, Episcopus assistens et alii, excepto Celebrante, genuflectunt; surgunt, cum per Subdiaconum dicitur *Levate. Ibid.* c. XXVI. n. 3. 7.

Diaconus assistens Episcopi a dexteris dicit (in *bened. candel. post Sep-*

tuag.) alta voce: *Flectamus etc.* et omnes genuflectunt, alter a sinistris: *Levate*, et omnes surgunt. *Ibid.* c. XVI. n. 13.

LIBERA ME.

(In Absol. Def.)

Vd.: *Absolutio* (ritus, decr. n. 4907.)

Ad dub.: An in Exequiis ad tumulum liceat cantoribus incipere ℟.: *Libera me etc.*, antequam sacerdos celebrans compleat legere ultimum evangel. missae et priusquam idem celebrans se exuit planeta et manipulo, ut se induat Pluviali ac se sistat in castro doloris? S. C. resp.: ℟. *Libera me etc.* canendum non esse nisi finita missa et conveniens esse, ut illud cantores incipiant, quum sacerdos fuerit pluviali indutus et Subdiaconus cum cruce ad pedes tumuli pervenerit, etiamsi castrum doloris adsit in medio chori. Die 7. Sept. 1861.

LIBRI.

a) Ecclesiastici (Approbatio.)

Vd.: *Missale* (approbatio.)

Ad dubium: Utrum liber, cui titulus: *Collectio, sive apparatus Absolutionum, Benedictionum, Conjurationum etc.*, auctore Bernardo Sannig sit prohibitus vigore Decreti seu regulae generalis Indicis? Aliqui enim affirmant, alii negant, immo omnes fere Sacerdotes hic et alibi illum adhibent, quamvis omni prorsus approbatione careat?

Et quid de aliis libris Benedictionum habentibus quidem aliquam approbationem, ast non illam istius Sacrorum Rituum Congregationis?

S. C. resp.: „Illi soli libri adhibendi, et in illis tantum Benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes.“

N. 4681 ad 5 die 7. Apr. 1832.

Sanctorum Officia, concessiones, lectiones, orationes, antiph., respons., aliaque hujusmodi in posterum a Typographo Camerali dumtaxat imprimantur; et inhibetur omnibus Impressoribus seu Typographis tam in Urbe quam extra ubivis locorum, dicta Officia imprimere, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus haereticae pravitatis, si inibi fuerint, sin minus, a locorum Ordinariis, qui quidem facultatem hujusmodi non prius concedant, quam originale sumptum S. Congregationis vel exemplar Typographi Cameralis authenticum manu Secretarii ipsius S. C. et sigillo obsignatum ipsis exhibeatur, quod exemplar in nihilo prorsus immutatum nihilque in eo additum sive detractum in eo imprimi debeat. S. R. C. 11. Aug. 1691.

Novarien.

Eme. et Rme. Domine Observantissime. Sacrorum Rituum Congregationi supplex exhibitus fuit Libellus pro parte Sacerdotis Joseph De-Vecchi Caeremoniarii istius Cathedralis Novarien. et Rectoris Kalendarii Dioecesis, qui advertens ab Anno 1788 ad hanc usque diem Breviaria, Horas Diurnas, Missalia, Officia parva Beatae Mariae Virginis, Officia Hebdomadae majoris, quae denuo praelo mandantur, non continere Ordinariorum attestationes, queis declaretur, haec exemplaria concordare cum his, quae hic Romae sunt impressa ad tramites Bullarum Sancti Pii V., Clementis VIII., et Urbani VIII., quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur, postulabat declarari: utrum etiam nunc servari debeant recensitae Constitutiones Pontificiae, et an transgressores poenas inibi inflictas incurrant praesertim ex eo, quod in praesentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata Exemplaria prae oculis in custone habeantur, eo vel magis, quod maxime

torquerentur conscientiae tum eorum, qui lucrum ex venditione librorum liturgicorum percipiunt, tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce attestationibus muniti; propter eaque cupiebat demum concedi, ut sine ulla dubitatione, quis horum librorum usum sibi permittere valeret. Sacra vero Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum die inferius posita coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis accurateque consideratis, Eminentiae Vestrae scribendum esse censuit ac declarari: „Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tollerandum: „Haec ejusdem Sacrae Congregationis mandata, lubentissimo animo, dum exequor, Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor. Romae 7. Aprilis 1832. n. 4690.

Emo. et Rmo. D. Cardinali Episcopo Novarien.

Hodiernus Secretarius Reverendissimi Namurcen. Episcopi Sacrorum Rituum Congregationi sequens proposuit dubium pro opportuna solutione, nimirum: In variis regionibus, ac praesertim in Gallia, Missalia et Breviaria, ac etiam Libri Liturgici imprimuntur absque licentia seu Ordinarii adprobatione, quam, praeter Concilium Tridentinum omnino requirunt Constitutiones Clementis Papae VIII. atque Urbani Papae itidem VIII. Supponitur quod in Gallia aliisque hujusmodi regionibus Decretum Concilii Tridentini librorum approbationem requirens et praefatae Constitutiones Apostolicae usu non sint receptae, vel per usum contrarium vim obligationis amiserint. Hinc quaeritur: an hujusmodi Libros absque requisita Ordinarii licentia impressos liceat emere, penes se retinere iisque uti in Belgio aliisque Regionibus, ubi Decretum Concilii Tridentini et supramemoratae Constitutiones Apostolicae communiter servantur. Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes hodierna die coadunata ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: *Non licere, nisi servatis Constitutionibus Apostolicis.* Die 16. Mart. 1833. n. 4701.

Ad dubium: An formulae benedictionum, quae inveniuntur in Libris ab Ordinariis tantum locorum et non ab Apostolica Sede approbatis, retinendae sint, adeo ut in benedictionibus perficiendis iisdem uti valeant Sacerdotes Cotta et Stola induti? S. C. resp.:

„Detur Decretum in Ariminen. diei 7. Aprilis 1832 ad Dubium V., nec aliae adhibeantur, dummodo non constet ab hac Sacra Congregatione fuisse adprobatas.“

Die 23. Maji 1835. n. 4748 ad 9.

Ne imprimatur Breviar. Ord. Min. s. Franc. de Obs. sine facult. Generalis, vd.: Constit. Innoc. XII. die 21. Novb. 1696. (Bull. r. t. XII. p. 280.)

b) Prohibiti.

De approb. indicis libr. prohibitorum a Pio IV. confirmati, vd.: Constitutio Clem. VIII. die 17. Oct. 1595. (Bull. r. t. III. p. 56.) *Revocatio licentiarum legendi etc.*; vd.: *Constit. Gregorii XV.* die 30. Decbr. 1622. (Ibid. p. 493.)

Urbanus P. Octavus.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolatus Officium Nobis, nullo licet meritorum suffragio, divina providentia commissum postulat, ut ad ea vigilantiae nostrae parte propensius intendamus, per quae Religio cath., ubi divina gratia illaesa viget, conservetur, et ubi restitutione indiget, reparetur.

§. 1. Quapropter, cum librorum pro-

hibitorum lectio magno sincerae fidei cultoribus detrimento esse noscatur, et sicut accepimus, nimis excessiva sit, hujusmodi libros legendi licentiarum copia, Nos, ut huic malo mature occurratur et in posterum quam cautissime licentiae hujusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes: motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque ap. potestatis plenitudine, omnes et singulas licentias legendi et habendi libros quoscunque ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem seu per Constitutiones ap. etiam rationi astrologiae judiciariae vel alias quomodolibet prohibitos, quibuscunque personis laicis et eccles. tam saecularibus quam regul. cujuscunque Ordinis, Societatis et Instituti existentibus, a quacumque dignitate etiam ecclesiastica fulgentibus, cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis et praeeminentiae, etiam speciali nota et mentione dignis ac per literas ap. ad tempus seu ad vitam et aliter quomodolibet et ex quacunque causa tam in forma Brevis quam aliter quomodocunque a praedecessoribus nostris rom. Pontificibus seu a quibuscunque aliis a Nobis vel ab eis facultatem et auctoritatem habentibus, non tamen a Nobismet ipsis per literas ap., etiam in forma Brevis seu chirographum manu nostra signatum, concessas, eorum tenores praesentibus pro expressis et insertis habentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione revocamus, cassamus et annullamus ac pro revocatis, cassis et annullatis haberi nullique suffragari.

§. II. Quinimo libros per licentias hujusmodi permissos legentes aut habentes poenas in s. constitutionibus, Canonibus ap. et codicibus librorum prohib. contentas incurrere volumus et declaramus.

§. III. Decernentes, ut praesentes literae, postquam valvis Basilicarum s. Joan. Lat. ac Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae ap... affixae fuerint, infra duos, citra montes, ultra vero montes, infra quatuor menses extunc proximos omnes et singulos, ad quos spectat, arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent, quodque dictis duobus et resp. quatuor mensibus durantibus, ii, qui libros prohibitos hujusmodi habuerint, eos ad Episcopum seu Inquisitorem, qui illos quanto citius comburere debeant, deferre; quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de caetero similes licentiae, *nisi a Congreg. s. Officii*, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, *vel ab aliis per Nos etiam in eadem Congreg. specialiter deputandis concedantur.*

Dat. Romae ap. s. Petrum sub annulo Pisc. die 2. Apr. 1631. Pontif. Nostri anno VIII.

Vd.: *Breve Alexd. VII. de die 5. Mart. 1664* in Bullar. mag. rom. tom VI. p. 203 (ed. Luxenburg 1727.)

De facultate Congreg. Cardinal. tenendi etc. libros prohibitos etc. Vd.: *Breve Pii IV. diei 27. Aug. 1564* in Bull. mag. rom. tom. II. p. 119 (ed. Luxenb.); *Breve Sixti V. 1. Febr. 1587, ibidem* p. 669; *Breve Leonis X. die 4. Maji 1516* de prohib. imprimendi libros absque approb. Vicarii Papae et Episcopi. *Ibid.* t. I. 554.

Consultores Regul. inservientes indici libr. proh. debent manere in Urbe, vd.: Const. Bened. XIII. 21. Aug. 1727. (Bull. r. t. X. p. 291.) *Methodus examinis ac proscriptionis librorum a S. C. Indicis observanda*, vd.: *Constit. Bened. XIV.* de die 9. Jul. 1753. (Bull. r. t. XIX. p. 59.)

LIMINA SS. AP. PETRI ET PAULI.

Vd.: *Visitat. Liminum.*

LINQUA VULGARIS.

(Cf. Cantus.)

Episcopum posse auctoritate hujus S. C. prohibere etiam Regularibus, ut cantent Laudes idiomate vulgari compositas. n. 765 die 7. Aug. 1628.

Non convenire sed omnino prohibendum, quod Regulares inter Missarum solennia canent laudes idiomate sermone compositas. n. 1129 die 12. Mart. 1639.

Ad petitionem recitandi Lytanias B. V. M. hispanico idiomate, S. C. resp.: *Nihil.* n. 1900 die 8. Junii 1658.

Potest Archiepiscopus prohibere ne in Cathedr. aliquid in vernacula lingua cantetur, quod non fuerit prius ab ipso seu Vicario gen. approbatum. n. 3370 ad 6 die 3. Sept. 1695; n. 3443 ad 3 die 31. Aug. 1697.

Non licere Ordinarium Missae et alios ss. rituum ordines in linquam vernaculam traducere et sic traductum ad usum fidelium Typis mandare, item approbationem ejusmodi operis non posse ab Episcopo concedi. Ex decr. S. R. C. a SS. Pio IX. approbato. 6. Junii 1857.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 18. etc. *Vetitum est Missale gallico idiomate imprimi*, vd.: *Missale* (idioma.) *Lytan. div.* (decr. S. C. Indicis.)

LITERAE.

1) Commendatitiae.

Vd.: *Sacerdos simulans* (Constit. Bened. XIV. de die 2. Aug. 1757 prima.)

2) Testimoniales.

Archipresbyter concedere potest literas testimoniales super frequentatione Ecclesiae, nec non super exercitio functionum pro Ordinandis. n. 2869 ad 7 die 26. Novb. 1678.

LOTIO.

1) Manuum.

Vd.: Ablut. manuum Episcopi; *Gubern.* (praecem. decr. n. 2160); Lavabo.

2) Pedum in Coena Dom.

Vd.: *Mandatum.*

S. LUCAS EV.

Festum s. Lucae occurrens cum festo ss. Reliquiarum, vd.: *Festum ss. Reliquiar.* (transl. decr.; n. 4044.)

S. LUCIA.

1) Lectio nona.

In festo s. Luciae 13. Decbr. in Officio potest legi 9. l. ppr. de s. Judoco, de quo eo die in Dioecesi Brugen. fit commemoratio. n. 4049 ad 6 die 23. Junii 1736. n. 4056 ad 6 die 16. Febr. 1737.

2) Octava.

Petiit civitas Syracus., ut celebrare valeret octavam s. Luciae, patronae minus principalis, etiam superveniente die 17. Decbr., saltem facta commem. de antiphonis majoribus. S. C. resp.: Servari rubricas Breviarii, ubi hoc expresse prohibetur. Die 11. Novb. 1643.

3) Vesperae.

Cf.: *Immacul. Concept. B. V. M.* (vesp., decr. n. 2428.)

S. LUDOVICUS.

1) Lectiones.

Festum s. Ludovici indultum de praecepto in Gallia esse sub ritu dupl. minor. tantum editis decretis die 15. Mart. 1608 et 28. Novb. 1609; propterea non esse dubitandum, quia recitari debeant Lectiones, quae assig-

nantur de scriptura, approbatis ppr. 2. et 3. n. sub die 23. Febr. 1619. n. 3301 ad 10 die 10. Jan. 1693.

(De ejus Canonizatione vd.: *Bull. rom. tom. I. p. 175.*)

(De Canonizat. s. Ludovici, *Caroli Regis Siciliae filii, et Episcopi Tolosani* (19. Aug.) vd.: *Ibid.* p. 191.

2) Oratio.

Corrigenda est Conclusio orationis in festo s. Ludovici regis et ejus loco dicendum est: *Qui tecum vivit et regnat etc.* n. 2656 ad 5 die 16. Sept. 1673.

LUMEN CHRISTI.

1) Amotio.

Lumen Christi expleta Sabb. s. functione removendum est ab Ecclesia. n. 4986 ad 5 die 7. Decb. 1844.

Ad dubium: In Sabbato Sancto Arundo cum tribus candelis, vulgo dicta *Lumen Christi*, amoveri solet ab Altari statim post Prophetias, quum Archiepiscopus accedit ad Ecclesiam benedictionem Fontis Pontificali more facturus, quae consuetudo retineri posse praesumitur; quamvis enim generatim praedicta Arundo removeatur dumtaxat post Missam, id non videtur praeceptivum, quum Rubricae omnino sileant. S. C. resp.: „Servari poterit peculiaris consuetudo, sed consulendum Sanctissimo." n. 4672 ad 19 die 12. Novbr. 1831.

2) Diaconus defert.

Vd.: *Benedictio ignis* (Officiator; decr. n. 4672); *Triangulum.*

LUMINA.

1) In cruce ad pariet. Ecclesiae posita.

Accendenda sunt lumina ante cruces positas in parietibus ea die, ad quam transfertur celebratio Officii Dedicationis Ecclesiae. n. 2979 die 28. Febr. 1682.

2) Ad Evangel. cantand

Cf.: *Candelab.*

Non deferantur lumina ad Evang. in missa defunct. *Caer. Ep.* l. II. n. 6. Ad Evangelium non portantur Lumina in sabbato sancto. Caer. Ep. l. II. c. XXVII. n. 25.

3) In Exequiis per triduum.

Placentina.

Ex parte Magistri caeremoniarum Cath. Ecclesiae Placentinae S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii demisse supplicatum fuit:

An in Feria VI. Parasceve, expleta hujus diei officiatura, solemnes exequiae supra cadaver cujusdam Monialis expositum in Ecclesia interiori libere celebrari possint a Sacerdotibus in Ecclesia exteriori, ut moris est, decantantibus mortuale Officium cum intortitiis accensis?

Et S. eadem R. C. audita prius informatione Episcopi, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Zondadari respondendum censuit: „Negative per totum triduum, et Officium et Preces recitentur privatim."

Et ita declaravit. Die 11. Aug. 1736. n. 4050.

Ad dubium: Utrum in secundo triduo major. hebdom. in funere ducendo cerei sunt accendendi? S. C. resp.: Detur decretum in Placentina diei 11. Aug. 1736. n. 5219 ad 1 die 21. Julii 1855.

Haeres defuncti ad suum libitum accipere potest quantitatem cerae. S. C. Ep. 5. Maji 1617.

4) In expos. SS. Sacramenti.

Vd.: *Expos. SS. Sacram.*

5) Magna duo in plano Presbyterii.

Vd.: *Instr. Clem* §. VI. n. 1. 3. 4. 9; §. XX. n. 4.

6) In Missa.

Vd.: Missa cor. Laicis; *Missa priv. Episcopi,* Dignitarii; *Reliquiae*; *Candela*; *Ordinatio*; *Missa sine luminibus.* vd.: *Candela* (materia. decr. n. 5150.)

7) Ex Oleo.

Vd.: *Facula* (decr. n. 3597); *Lampas*; *Candela* (materia; decr. n. 5150); *Instr. Clem.* §. VI. n. 2. 11.

8) Coram Oleis sanctis.

Vd.: *Olea s.* (asservatio, decr. n. 4623 nota.)

LYTANIAE.

1) Approbatio.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 20 etc. *Lytan. B. V. M.* (add. illic. decr. n. 4570.) *Lytan. diversae.*

2) S. Annae.

Ad petitionem PP. Carmelitarum de Francavilla, ut recitare valeant: S. Mater Anna, ora etc.; S. Mater Mariae; S. Anna, Avia Christi, Sponsa Joachim, Socrus S. Joseph, Refugium peccatorum, Auxilium Christ., Consolatrix Affl., Auxilium omnium ad Te clamantium, Laetitia Angel., Gloria SSrum., S. Maria, Filia s. Matris Annae etc.: S. C. resp.: Non licere recitare suprascriptas Lytanias. n. 3043 die 5. Febr. 1684.

3) B. V. Mariae.

a) Additio illicita.

Vd.: *Rosarium* (recitatio.)

Nihil addendum in Lytaniis B. V. M. sed omnino recitari debere prout jacent impressae pro domo Lauretana. n. 932 die 2. Aug. 1631.

Non licere Franciscanis Tolosae novum Rosarium sub titulo Seraphici aut novem novendiarum aut alterius rationis inducere, praedicare et docere nec in Lytaniis B. V. M. aliquid innovare. n. 2270 die 15. Mart. 1664; n. 2301 die 22. Novb. 1664.

Decretum generale.

Ad dubium: An liceat titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum vel Lauretanis aliquem versiculum addere, vel novas Litanias, de quarum adprobatione Ordinario nullatenus constet, in Ecclesiis canere vel recitare?

Et S. eadem R. C. . . responderdum censuit, ut infra, videlicet:

„Negative, et serventur omnino Decreta S. C., curentque Ordinarii colligere et vetare formulas quascumque tam impressas, quam manuscriptas Lytaniarum, de quarum adprobatione non constat.

Et facta de praemissis omnibus SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione S. S. S. C. Responsa adprobavit confirmavitque, atque, ut cunctis pateant, Decretum Generale desuper expediri typisque evulgari mandavit." n. 4578 ad 8 die 3. Apr. 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Hac super re legi possunt Decreta in nostra Collectione relata. Non enim licet intuitu specialis devotionis alicujus Sancti nomen Lytaniis addere, nisi doceatur de Apostolico indultu. Vide etiam adnotationem ad §. 24. Clementinae Instructionis num. 19.

Ad dubium: an in Lytaniis Laurent. B. V. M. post: *Regina SS. Omnium* addi possit alius versus: *Maria advocata nostra,* vel alius? S. C. resp.: Negative. n. 4857 ad 3 die 3. Aug. 1839.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 19 etc.

b) Additio licita.

Vd.: *Rosarium* (ritus; decr. n. 2741.)

Urbis et Status Ecclesiastici.

Cum SS. D. N. Pius VII. P. M. validissimum B. M. V. auxilium expertus fuerit in multis tribulationibus, aerumnis, angustiis, quas in diutina quinque et ultra annorum captivitate passus est, Ejus intercessioni tribuens felicem suum reditum in Urbem Sanctam, a qua fuerat nefarie avulsus; accito Rmo. Card. Julio Maria de Somalia Episcopo Tusculano, suo in Urbe Vicario Generali, et S. R. C. Praefecto, mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae Virgini, quae insperato Sibi et populo fideli in auxilium venit, peculiare Festum in ejusdem honorem instituatur peragendum die 24. Maji in aevum memoranda, felici Ipsius ad Petri Sedem signata regressu; et aemulatus Decessorem Suum S. Pium hujus nominis V., qui ob insignem Victoriam anno MDLXXI. a Christiana Classe contra Turcas ad Echinadas insulas Dei Genitricis ope relatam, Lytaniis Lauretanis alterum elogium inseri jussit: *Auxilium Christianorum*, ita et ipse hoc titulo decorare novum hoc Festum constituit cum Officio et Missa ab eodem Rmo. Card. Praefecto, a R. P. Andrea Cavalli Promotore Fidei, et ab infrascripto S. R. C. Assessore revisis, cum in Urbe tum in toto Ecclesiastico Statu recitanda et respective celebranda sub ritu dupl. maj. ab omnibus tam Saecularibus quam Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur.

Et hoc Decretum in Acta C. S. R. reponi ac publici juris fieri mandavit die 16. Sept. 1815. n. 4514.

Piis precibus Regis Hispaniar. Clem. PP. XIII. porrectis, quibus supplicabat, ut facultas fieret in suis Regnis et Dominiis, in quibus B. V. M. sub immac. Conceptionis mysterio uti Patrona principalis peculiari devotione colitur, addendi in Lytaniis B. V. M. Lauretanis post V. *Mater intemerata*, alterum: *Mater immaculata* Sanctitas Sua benigne annuit: Pro gratia, dummodo tamen non addatur in iisdem tam privatim quam publice aliud, nisi speciali obtenta facultate a S. Sede, quibuscunque in contrarium disponentibus minime obstantibus ac praesertim decreto Clem. VIII. (6. Sept. 1601), quibus in hoc casu S. S. pro hac vice derogatum fuit. n. 4339 die 12. Sept. (Decb.) 1766.

Ad dubium: An possint Sanctimoniales Ord. s. Clarae addere Lytaniis Lauretanis aliud Deiparae Encomium *Regina sine labe originali Concepta?* Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„Absque Apostolico Indulto non licere.“

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 8 die 7. Sept. 1850.

c) Oratio.

Non licet Lytaniis B. V. M. Orationes non approbatas ab hac S. C. adjungi. n. 1361 die 7. Decb. 1641.

4) **Diversae.**

Vd.: *Lytaniae B. V. M.* (additio illicita; decr. n. 4578.)

Ad petitionem cantandi Lytanias de *SS. Sacramento* resp. S. R. C.: Non consuevit S. R. C. *approbare* alias Lytanias praeter consuetas impressas in Breviario et eas, quae recitantur de B. M. V. in Ecclesia Lauretana juxta decretum fel. rec. Clement. P. VIII. n. 374 ad 16 die 15. Mart. 1608.

Clemens PP. VIII.

Quoniam multi hoc tempore privati

etiam homines praetextu alienae devotionis novas quotidie Lytanias evulgant, ut jam prope innumerabiles formae Lytaniarum circumferantur et in nonnullis ineptae Sententiae, in aliis periculosae et errorem sapientes inveniantur, SS. D. N. Clem. PP. VIII. providere volens, ut animarum devotio Deique ac Sanctorum invocatio sine ullius detrimenti spiritualis periculo faveatur, praecipit ac mandat, ut retentis antiquissimis et communibus Lytaniis, quae in Breviaribus, Missalibus, Pontif. ac Ritualibus continentur, nec non Lytaniis B. V. M., quae in Aede Lauretana decantari solent, quicunque alias Lytanias edere vel jam editis in Ecclesiis sive Oratoriis sive Processionibus uti voluerint, eas ad C. S. R. recognoscendas et, si opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque sine licentia dictae Cong. eas in publicum edere aut publice recitare praesumant, sub poenis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarii et Inquisitoris infligendis.

Datum Romae octavo Id. Sept. 1601. (Bull. r. t. X. p. 172.

Canonici Collegiatae Cremon. Dioecesis approbari postulaverunt Lytanias Sanctorum, quorum Reliquiae asservantur in eorum Ecclesia, ad usum illius loci. S. R. C. resp.: „*Nihil.*“ n. 585 die 4. Apr. 1620.

S. C. non solere approbare alias Lytanias praeter impressas in Breviario Romano et eas, quae recitantur in domo Lauretana. n. 743 die 12. Junii 1628. Lytanias, ab Abbate Coelest. civitatis Florentinae in honorem SS. Crucifixi compositas et impressas, prohibendas esse. n. 751 die 12. Julii 1628.

Non posse *in Ecclesiis* recitari alias Lytanias, quam impressas in Breviario romano. n. 894 die 8. Febr. 1631.

Non licere alias Lytanias recitare, nisi jam approbatas a sede apostolica et impressas in Breviario romano. n. 1212 die 31. Mart. 1640.

Episcopus prohibeat recitationem Lytaniarum S. Antonii de Padua a fratribus Minorum de Observantia factam et transmittat formulas omnes et singulas tam manu conscriptas quam typis impressas ad S. C. n. 1775 die 29. Jan. 1656.

Ad petitionem recitandi Lytanias B. V. M. hispanico idiomate. S. C. resp.: *Nihil.* n. 1900 die 8. Junii 1658.

Decretum S. Congregationis Indicis. Feria II. die 23. Aprilis 1860.

Proposito in sacra Indicis Congregatione dubio:

Quid censendum de libris precum variarum, in quibus praeter Lytanias Majores et Lauretanas, ut vocant, aliae continentur vi decretorum generalium Apostolicae Sedis hactenus vetitae ac nihilominus diuturno jampridem usu in plerisque catholici orbis regionibus receptae?

Responsum fuit: „Provisum nuper decreto supremae Congregationis S. Officii Feria IV. die 18. Aprilis cujus haec sunt verba: „Lytaniae omnes praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus et Ritualibus continentur, et praeter Lytanias Beatae Virginis, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, non edantur sine revisione et adprobatione Ordinarii, nec publice in Ecclesiis, publicis Oratoriis et Processionibus recitentur absque licentia et adprobatione sacrorum Rituum Congregationis.“

Proposito deinde dubio secundo: An stante adprobatione Ordinarii permitti possit librorum usus, in quibus fovendae pietatis ac devotionis gratia continentur partes sacrae Liturgiae, Missalis scilicet, Breviarii, Pontificalis et Ritualis in vernaculam linguam versae

vel integra librorum id genus versio? Responsum fuit: „Non esse inquietandos.“

In quorum fidem

Fr. Angelus Modena,
Ord. Praedicat., s. Indicis Congreg. a Secretis.

5) Pro Electione Episcopi.

Vd.: *Preces pro elect. Episcopi.*

6) In expos. SSmi. 40 hh.

Quando incipiendae?

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 20; §. XXIV. n. 18. 19 etc.; §. XXX. 21.

7) Majores et Minores.

a) Abusus.

Non licet in processionibus canere Evangelia et similia loco Lytaniarum sed nonnisi Lytanias, prout jacent in Breviariis, esse canendas. n. 1041 die 28. Apr. 1636.

In processionibus in die s. Marci et Rogationum adesse consuetudinem visitandi Ecclesias civitatis Lauden. et in qualibet earum recitandi orationem propriam illius sancti, cui dicata est, per unum ex ipsis Canonicis Cathedr. incipiendo ab antiquioribus et gradatim descendendo et post eos per Praepositum et Canonicos Collegiatae. S. C. resp.: Affirmative. n. 1658 ad 1 die 18. Jan. 1653.

In Laudensi Cathedrali, quando ab Ep., quem comitatur Canonicorum Collegium, ritu Pontificali celebrantur Processiones Rogationum, dum visitantur, ut mos est, praecipiae Civitatis Ecclesiae, et in unaquaque earum dicuntur Orationes in hon. Sanctorum, a quibus Ecclesia titulum sumit, in illis dicendis hic modus servatur: in prima Eccl. Oratio dicitur ab Ep., in aliis vero dicuntur dictae Orationes per turnum a Canonicis. Quum autem in Conc. Prov. VI. a S. Carolo Borromeo edito, titulo: *quae ad divina Officia pertinent* hujusmodi reperiatur Decretum: „Ep. Divinorum Officiorum, quibus praesens in Ecclesia adest, initium statis precibus versibusque faciat, Orationes statas ipse dicat, binis accensis luminibus in ejus conspectum allatis.“ Quaeritur: an exposita consuetudo, non obstante illo Decreto, possit servari?

S. ipsa C. respondendum censuit: „Eliminandas consuetudines seu abusus.“ Et ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5156 ad 1 die 29. Mart. 1851.

b) Additio.

Cf.: *Lytaniae Sanctor.*

Ad dubium: Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Lytaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo flagello terraemotus, peste, fame et bello; quaeritur: utrum recitari debeant, et quo loco apponendae?

S. eadem C. R . . . respondendum censuit: „Affirmative, et ponendas esse post versum: *A fulgure et tempestate.*“ Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5111 ad 1 die 11. Sept. 1847.

c) Non anticip. aut transferendae.

Ad dubium: an ex sensu rubricae in festo s. Marci et in feriis Rogat. recte inferatur, quod Lytaniae SS. de praecepto recitandae in festo s. Marci et in triduo Rogat. anticipari possint atque recitari post Matutinum et Laud. die antecedenti ab iis, qui Processioni sequentis diei non interveniunt? S. C. resp.: Negative. n. 4378 ad 16 die 15. Junii 1776. Vd.: *Lyt. Maj.* (Oblig.)

d) Color.

In Rogationibus semper quocunque

tempore adhibendum esse colorem violaceum, etiam occurrente die s. Marci infra octavam Resurrectionis. n. 1810 die 3. Jan. 1657.

e) Commemoratio.

Vd.: *Missa vot. pro Spons.* (dies etc. decr. n. 4691); *Lytan. maj.* (missa; praecipue decr. de die 23. Maji 1846; decr. n. 5082; 4669; 5183); *Lytan. maj.* (Orationes.)

f) Credo.

In missa Rogationum in festo s. Marci, quod anno 1658 incidit in dominicam in Albis, dicendum non est Credo ratione Dominicae, quia est missa ferialis. n. 3170 die 25. Sept. 1688; n. 3754 ad 16 die 25. Sept. 1706. Occurrente festo s. Marci infra octavam Paschalis in missa rogationum dicendum non est Credo. n. 3477 ad 17 die 5. Julii 1698.

In missis Rogationum dici non debet *Credo*, dum incidunt in dominicam. n. 4526 ad 30 die 7. Sept. 1816. (Cf. *Missa vot. de Sancto* (gl. cr. decr. n. 4560 ad finem.)

g) Exitus.

Vd.: *Processio* (exitus.)

Regulares teneri in processionibus s. Marci accedere ad Ecclesiam, unde movetur processio, et non possunt processionibus jam coeptis se jungere per viam. n. 1688 die 22. Novb. 1653.

Omnes processiones publicae, puta: s. Marci, rogationum etc. incipere debeant ab ipsa matrice. n. 1047 ad 3 die 6. Sept. 1636.

Collegiata, noviter sine cura animarum erecta, in rogationibus convenire debet ad Ecclesiam paroch. matricem, ut ex illa leventur processiones. n. 2209 ad 4 die 17. Mart. 1663.

Archipresbyter Ecclesiae s. Pauli Terrae Massae Lombard. Dioeces. non potest inconsulto Episcopo dispensare Regulares propria auctoritate ab accessu ad dictam Ecclesiam archipresb, a qua Processio ducitur, occasione publicarum supplicationum. n. 4314 die 11. Decb. 1762.

Die s. Marci congregantur . . *totus* Clerus saecul. et regul. ac, ubi consuetudo est, confraternitates laicorum cum eorum insigniis ante fores Ecclesiae, unde processio discedere debet, seu etiam intra Ecclesiam, si sit capax. *Caer. Ep.* l. II. c. XXXII. n. 1.

h) Missa.

Vd.: *Lytaniae maj.* (temp.; decr. n. 4044); *Organum*; *Altare* (ornatus in rogat.) *Tertia*; *Lytan. maj.* (Oblig. decr. 4777); *Lytan. maj.* (orationes)

S. R. C. concessit ut in civitate Hispal. in die s. Marci, *ad cujus Ecclesiam hac die terminantur* processiones Lytaniarum majorum, ibi *Missa de s. Marco* celebranda sit et non de Rogationibus. n. 194 die 23. Maji 1603.

In die s. Marci post processionem cantanda est missa de praedicto Sancto, *quando processio terminatur ad Ecclesiam ejusdem.* (Caer. Ep. l. II. c. XXXII. n. 6.) n. 3301 ad 17 die 10. Jan. 1693.

Servandas esse rubricas missalis rom. circa celebrationem missarum in fer. 2. rogationum. n. 2417 ad 1 die 13. Aug. 1667.

Ad dubium: 1) an in Ecclesiis Regul., ubi *nulla* cantatur missa, et quae missa legi debeat tam in festo s. Marci quam in feriis Rogat., in quibus occurrunt Lytaniae? 2) An et quae missa in Ecclesiis, in quibus una solet cantari missa? 3) Occurrentibus Lytaniis maj. in fer. 3. Paschae quaeritur: quae missa legi debeat in Ecclesiis, in quibus non solet cantari nisi missa de festo? S. C. resp.:

Serventur rubricae. n. 4361 die 27. Mart. 1773.

Limburgen.

Quum praesenti anno 1847 Festum S. Marci occurrat Dom. III. post Pascha Resurrectionis, in qua reponi debet Festum S. Georgii M. Patroni integrae Limburg. Dioec., hodiernus Cathedr. illius Vicarius ac Kalendarii Director S. R. C. sequentia Dubia proposuit, ut in hujusmodi occurrentia certa praescribatur Regula pro celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii. Dubia autem sunt ut infra, nimirum:

1. Quaenam Missa, num de Rogationibus, num de S. Georgio, an de S. Marco hac Dom. celebranda sit in iis Eccl., in quibus unus vel duo tantum sunt Sacerdotes celebrantes?

2. Quaenam in iis Eccl., quorum Patronus S. Marcus existit?

3. Quomodo in utroque casu Missa quoad commemorationem ordinanda sit?

Et S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario, rescribendum censuit:

Ad 1: „Juxta alias Decreta Missa de Titulari, cum commemoratione Rogationum."

Ad 2: „Ut ad primum."

Ad 3: „Commemoratio de Rogationibus sit cum Oratione diei sub unica conclusione."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5082.

Die 27. Febr. 1847.

Ad dubium: In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus, quum Rubrica clare non loquatur, quaeritur: quae Missa legenda sit in Processione Sancti Marci ac Rogationum minorum, praesertim si occurrat Officium duplex? S. C. resp.:

„Si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum, secus de Festo cum commemoratione earumdem." n. 4669 ad 37 die 12. Novb. 1831.

Quaeritur: Si post processionem legatur missa Rogationum, debet in ea fieri commem. festi concurrentis, et fieri debent omnes aliae commemorationes, quae dicendae essent in Missa diei, vel, hic omnibus omissis, dicendae sunt 2. et 3. orationes, quae in missa Rogationum dicendae praescribuntur in missali? S. C. resp.: Faciendam esse commem. festi occurrentis cum sola tertia oratione, quae 2. loco praescribitur in missa Rogat. Die 23. Maji 1846 ad 2 *in Tuden.*

Ad dubium: An die s. Marci ac in feriis Rogat. teneantur Regulares cantare missam conv. de Rogat. seu potius de festo?

S. C. resp.: In dupl. 1. et 2. cl. canendas esse duas missas; in reliquis dilata. Die 16. Febr. 1781.

In una Ord. Carmel. Excal. Hispaniae 16. Febr. 1781 ad dub. 2. decr. fuit, in die s. Marci et Rogat. si occurrent festa 1. vel 2. cl., canendas esse duas missas; quaeritur: Num etiam nos, qui ad conv. cantandam non tenemur, huic decreto subjici teneamur, cum communiter in praxi non sit apud Regulares, etsi orator anno elapso apposuerit?

S. C. resp.: Servandum esse decr. die 16. Febr. 1781.

Die 19. Sept. 1801. *Ord. Erem. s. Aug. Prov. Valent. in Hispania.*

Ad Dubium: Si in Feria III. vel IV. Rogationum incidat Festum duplex I. Cl. e. g. Titularis propriae Ecclesiae vel Patroni Loci, potestne celebrari post Processionem Missa Rogationum, et in aliis Missis addi Commemoratio earumdem?

„Affirmative quoad Missam Rogationum cum cantu, quoad commemorationem in Missis lectis negative juxta Rubricas."

Atque ita declarandum et rescriben-

dum censuit. n. 5183 ad 12 die 16. Aprilis 1853.

Ad dubium: An liceat in die Sancti Marci cantare Missam de Rogationibus in Primatiali post Tertiam, quia in Lytaniis majoribus ipso die itur processionaliter ad Ecclesiam Sanctae Marthae, et ibi cantatur solemnis Missa de Sancto Marco, qui ejusdem Ecclesiae putatur *Contitularis*, eo quod populus Ecclesiae S. Marci jam adjunctus fuerit Paroeciae S. Marthae? Notandum tamen quod Eccl. S. Marci adhuc existit non Parochialis, ut olim, sed ut publicum Oratorium, et populus dumtaxat S. Marci aggregatus fuit Ecclesiae S. Marthae. S. C. resp.: „Detur Decretum in una Galliarum die 11. Januarii 1693 nimirum: Missam de Feria canendam esse post Processionem in die festo Sancti Marci, nisi Processio finem habeat in Ecclesia eidem Sancto dicata.“ Die 12. Novembris 1831. n. 4678 ad 2.

Ad dubium 1: Si in Feriis Rogationum fiat de Festo duplici vel semiduplici, et una tantum Missa celebretur, et quidem post Processionem, an debet esse de Festo occurrente, saltem si sit duplex? 2. An responsum affirmativum vel negativum applicandum erit Festo Sancti Marci Evangelistae? S. C. resp.: „In utroque casu de Feria Rogationum.“

Die 23. Maji 1835. n. 4746 ad 12.

i) Obligatio.

(De praecepto.)

Ad dubium: 1. An Lytaniae Sanctorum juxta praescripta Rubricarum pro Ord. Min. s. Francisci Reform. Prov. Tridentinae ex indulto Apostolico rite disposita, sint modo *de praecepto* recitandae in Festo S. Marci et in Rogationibus?

2. An in dictis Feriis Missa Rogationum sit de praecepto celebranda, quae in hac Provincia ex inveterata consuetudine non est in usu?

Emi. itaque ac Rmi. P . . . rescribendum censuerunt ad 1: „Affirmative.“

Ad 2: „Affirmative, si fiat Processio Rogationum?“

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 9 et 10. Die 12. Martii 1836.

Vd.: *Lytan. maj.* (non anticipandae etc.)

k) Officiator.

Pluvialis indumentum et precum decantationem in processione s. Marci absente Episcopo vel nolente hujusmodi officium peragere spectare ad illum, qui mox (in Cathedrali) missam solemnem celebraturus erit, quamvis processio terminetur in Collegiata. n. 2165 die 1. Apr. 1662. Vd.: *Pluviale; Missa conv. in Eccl. Cath.* (celebr. decr. n. 4262). *Tertia.*

Spectare ad Canonicum Pluviali indutum in processione accedentem recitare preces in processionibus publicis s. Marci et rogationum. n. 2039 die 11. Jan. 1681.

Ad dub.: An in prima Rogationum Processione, quae aeque ac secunda et tertia egreditur ab Ecclesia Matrice, et in qua ejus Archipresbyter stola amictus preces, egrediendo, praecinit, et agris deinde benedicit, debeant preces eaedem ab ipsomet Archipresbytero absolvi in Ecclesia Beneficiata S. Michaelis Archangeli, in qua dicta prior Processio confici solet, seu potius ab eodem Archipresbytero deponenda sit stola in actu ingressus ad Ecclesiam eamdem, ad hoc, ut Parochus S. Michaelis Archangeli ipsas absolvat preces, et sacrae huic functioni finem imponat in casu etc.?

„Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.“ n. 4483 ad 2 die 27. Martii 1802.

(NB. Iterum proposita causa S. C. *ad hoc non respondit* die 11. Sept. 1802, quamquam ad tertiam quaestionem: „an sit standum vel recedendum a decisis sub diebus 27. Mart. et 11. Sept. 1802? respondit: In 2. loco decisis. Die 22. Jan. 1803.)

Super celebrationem Missarum solemnium occasione Processionum generalium tribus diebus Rogationum in Ecclesiis Regularium Ordinum S. Augustini, Minorum Conventualium, et S. Dominici Oppidi Vasti, Dioecesis Theatinae, inter Capitulum insignis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Majoris ex una, et ipsos Regulares partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus. et Rmus. D. Card. Lercari infrascriptum Dubium declarandum proposuit:

An Missae cantari solitae in tribus diebus Rogationum, nempe Feria II. in Ecclesia P. S. Augustini, Feria III. in Ecclesia P. Min. Conventualium, Feria IV. in Ecclesia P. Dominicanorum Civitatis Vasti cantari debent a Canonicis S. Mariae Majoris, seu potius a Regularibus respective dictarum Ecclesiarum?

Et S. eadem R. C., partibus hinc inde informantibus auditis, die 19. Jan. 1732 rescribendum duxit: „Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.“ Verum ad instantiam dictorum Regularium, vigore novae audientiae ab ipsis obtentae, reproposita hujusmodi controversia super Dubio: „An sit standum vel recedendum a Decisis?“ S. eadem C., ad relationem ipsius Emi. Ponentis, sub die 13. Sept. dicti anni, ex juribus a dictis Regularibus noviter deductis, rescripsit: „Praevio recessu a Decisis, Missas cantandas esse a Regularibus: „Adversus istam resolutionem petita et obtenta etiam a Capitulo praefatae Collegiatae nova audientia, idem Emus Ponens sequens dubium declarandum proposuit: „An sit standum in primo vel in secundo loco decisis?“

Et S. eadem R. C., juribus hinc inde deductis mature examinatis, et utraque parte in scriptis et in voce audita, rescribendum censuit: „Standum esse in secundo loco decisis, et amplius.“

Et ita decrevit et servari mandavit. n. 4029 die 22. Jan. 1735.

l) Orationes.

1. Missae.

Vd.: *Lytan. maj.* (missa.)

In missa de rogationibus dicendas esse orationes a rubrica praescriptas, scilicet primam de rogat., 2. *Concede* de B. V. M., 3. *pro Papa* vel Ecclesia. n. 4401 ad 2 die 16. Febr. 1781.

Ad dubium: an fer. 3. Rogat. dicenda sit 2. oratio dominicae? S. C. resp.: Negative. n. 3754 ad 5 die 25. Sept. 1706.

Ad dubium: Sub die 12. Nov. 1831. S. R. C. decrevit: „In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari vel adest solus Parochus, in Festo S. Marci ac in Triduo Rogationum, etiamsi occurrat Festum dupl., si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum; secus legenda est de Festo cum commemoratione earumdem.“ Quaeritur ergo, si post Processionem legatur Missa Rogationum, debet in ea fieri com. Festi occurr., et fieri debent omnes aliae Commemorationes, quae dicendae essent in Missa diei vel his omnibus omissis dicendae sunt II. et III. Orationes, quae in Missa Rogationum dicendae praescribuntur in Missali?

Et S. eadem C . . . respondendum censuit:

„Faciendam esse com. Festi occur. cum sola III. Oratione, quae II. loco praescribitur in Missa Rogationum.

Atque ita rescripsit, declaravit, in-

dulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 2 die 23. Maji 1846.

2. In Ecclesia, si non celebr. Missa in ea.

Si Missa Rogat. in regressu Processionis (in Cathedrali) celebrari judicabitur, tunc in Ecclesia, ad quam processio pervenerit (et statim sine Missa regreditur) per Episcopum vel celebrantem cantata per cantores Antiphona de B. V. M. et de s. Titulari, subjungentur propriae Orationes. *Caer. Ep.* l. II. c. XXXII. n. 6.

m) Praefatio.

Juxta Decretum S. R. C. diei 23. Maji 1846 in Tuden. in Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, tam in Festo S. Marci quam in Triduo Rogationum, si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum, in qua fieri debet commemoratio Festi occurrentis cum sola tertia Oratione, quae secundo loco praescribitur in Missa Rogationum. Quaeritur: an in praedictis diebus semper legi debeat in Missa Praefatio Paschalis in Missis Rogationum etiam in casu occurrentiae alicujus Octavae Praefationem propriam habentis?

Emi. et Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

Legendam Praefationem Octavae, si ejusdem commemoratio locum habeat in Missa.

Atque ita rescripserunt propositaque Dubia declaraverunt. n. 5196 ad 5. Die 17. Sept. 1853.

n) Processio.

Regulares poenis arbitrariis cogi posse ab Episcopo ad interveniendum processionibus Rogationum, nisi docuerint apostolicis privilegiis contrarium disponentibus, quae sint s. Concilio Tridentino posteriora. n. 1393 die 31. Maji 1642.

Episcopo Aquipendentis S. C. facultatem concessit cogendi Regulares sub censuris et poenis in processionibus ad canendas Lytanias et alias preces a Clero Saeculari cantari solitas. n. 2288 die 30. Aug. 1664.

Vd.: *Pluviale.*

Omnes Patres, tam sacerdotes quam laicos (Ripanae Dioecesis) interesse debere processionibus s. Marci et Triduanis, nisi legitime sint impediti, usque ad earum finem. n. 1559 die 14. Junii 1646. Vd.: *Coadjutor Canon.*

Nondum teneri Regulares ad associationem Processionis Rogationum in reditu ad Ecclesiam Collegiatam, ad id vero praestandum cogi posse. n. 1827 die 9. Junii 1657.

Ad dubium: an Fratres Ord. s. Francisci Reform. interesse debeant processionibus s. Marci et Rogationum, quibus nunquam intervenere? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 3462 ad 3 die 15. Mart. 1698.

Ad dubium: An Clerus Ecclesiae paroch. s. Jacobi ap. ac caeterarum paroch. Barcinonen., qui in diebus s. Marci et Rogationum Processioni Lytaniarum Ecclesiae Cath. non intersunt, (quia dictis diebus non fit in ea civitate processio generalis sed particularis cum assistentia Cleri Cath. et Senatus) debeant facere processionem particularem an vero satisfaciant recitando Lytanias *publice in choro* immediate post Laudes Officii diei? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4442 ad 2 die 11. Sept. 1790.

Ad dubium: an liceat Praeposito (Cathedr. Anagninae) se eximere ab assistentia in processionibus s. Marci, Rogat. et aliis cum pluviali? S. C. resp.: Servetur Caeremoniale et amplius. n. 4040 ad 11 die 21. Apr. 1736.

Processiones pro Lytaniis majoribus

Rogationum inter generales censeri debent. n. 2286 ad 1 die 12. Julii 1664.

Vd.: *Lytan. maj.* (Exitus); *Processio* (Obligatio etc.)

o) Recitatio.

Ad dubium: An Lytaniae Sanctorum in Festo S. Marci et in Feriis Rogationum recitari debeant cum repetitione ab obligatis ad Officium Divinum, qui eas simul recitant vel in Choro vel extra Chorum?

Et S. eadem R. C . . . rescribendum censuit:

„In casu absque repetitione recitandas.“

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit. n. 5185 ad 2 die 7. Maji 1853.

p) Tempus.

Ad dubium PP. Benedictinor. Einsidl: an in festo s. Marci ac in feriis Rogationum, si in iis fiat de festo duodecim lectionum in iis locis, ubi una tantum missa cantatur pro populi commoditate, ut possit post processionem vacare laboribus, an oporteat potius cantari missam de festo quam de Rogationibus? S. C. resp.: Convenientius est processionem facere post Nonam, inde cantare missam de rogationibus. n. 4044 *(Alia dub.)* dub. 3 die 5. Maji 1736.

Ad relationem eorumdem Benedict. Einsidl.: Cum in festo s. Marci et in feriis Rogationum debeat et convenientius sit, post Nonam facere processionem, inde cantare missam rogationum, petitur facultas cantandi missam rogation. ante Officium diei, ut populus, qui frequentissimus adesse solet tempore Matutino in Ecclesiis, possit vacare laboribus? S. C. resp.: Pro gratia et poterit cantari missam rogationum ante Processionem pro populi commoditate. n. 4044 (2do) ad 24 die 23. Julii 1736.

q) Terminatio.

De modo excipiendi Episcopi in terminat. Lytaniarum, vd.: *Aspersorii porr. in eccl. Monach.; Lytan. maj.* (Orat. in Eccles.)

r) Translatio.

In casu, quod festum Paschatis Resurrectionis D. N. occurrat in die s. Marci, Lytanias et processionem fieri deberi in ultimo die festo Paschatis, videlicet in fer. III. proxime sequenti. n. 709 die 25. Sept. 1627.

Lytanias et Processiones s. Marci in futuro anno 1666, quo illius festum cadit in die Paschatis, esse transferendas ad fer. III., non autem secundam. n. 2340 die 19. Sept. 1665; n. 3754 ad 18 die 25. Sept. 1706.

Ad dubium: an in Dioecesibus, in quibus, festo s. Marci occurrente per octavam Paschae vel in dominica, Lytaniae transferuntur cum abstinentia post octavam vel post dominicam, debeant Capuccini Galliae haec observare? S. C. resp.: quoad Lytanias et Processiones servetur rubrica particularis missalis in festo s. Marci, quoad secundam partem servetur consuetudo loci. n. 3710 ad 5 die 14. Febr. 1705.

Juxta decr. 2. Concilii Provinc. Mechlin. a S. S. approbati tit. XIII. c. 6. habetur: „Si festum s. Marci transferendum est post Pascha, fit de eo cum Lytaniis et abstinentia a carnibus feria 4. p. dom. in albis. Quodsi in dictam fer. 4. incidit festum ss. Apost. Philippi et Jacobi vel SS. Crucis, processio et abstinentia transferentur in fer. 5. immediate sequentem.“

Hisce positis Episcopus Brugens. humillime declarari efflagitat: Si alicubi in praefata fer. V. occurrat festum

Patroni, an Off. s. Marci cum processione et abstinentia a carnibus transferri ulterius possit, nimirum ad sequentem feriam 6., quamvis in illa occurrat aliud officium inferioris ritus et dignitatis?

S. C. resp.: Affirmative, sed quoad Processionem et abstinentiam.

Die 11. Sept. 1847 ad 1. In *Brugen.*

s) Via.

Vd.: *Process. SS. Corp. Chr.* (via.)

Via, per quam procedit processio Lytan., prius de mandato Episcopi ab omnibus in ea habitantibus mundetur. *Caer. Ep.* l. II. c. XXII. n. 4.

8) SS. Nominis Jesu.

Missionarii supplicarunt pro approbatione Lytaniarum Nominis *Jesu*; S. C. vero antiquis decretis inhaerendo et praesertim decreto S. M. Clementis VIII. *abnuit*, cum Ecclesia non consueverit *approbare* alias Lytanias quam communes Sanctorum et S. M. Lauretanae. n. 1410 die 16. Aug. 1642.

Ad petitionem pro approbatione Lytaniarum Jesu ab antiquo tempore in Ecclesia Monialium s. Conceptionis asservatarum, S. C. resp.: Obstare decreta SS. Inquisitionis id expresse prohibentia. n. 2197 die 23. Dec. 1662.

Ad dubium: Quando Episcopus pro publicis supplicationibus injungit in sua Dioecesi recitare publice in templis Lytanias de ss. Nom. Jesu, utrum parochi, scientes easdem Lytanias esse prohibitas, debeant satisfacere huic edicto? S. C. resp.: Dilata et exhibeantur Lytaniae et Officium. n. 4237 ad 14 die 22. Sept. 1753.

Germaniae.

Hactenus ab immemorabili tempore in tota Germania multi Principes et Episcopi per literas demandantes et ad S. R. C. transmissas exposuerunt, quod frequentissimus usus et maxime devotio Populi fuit, ut tam in privatis orationibus domi quam in publicis Processionibus et conventibus, sive in plateis sive in Ecclesiis, praeter lytanias omnium Sanctorum et Lauretanas, etiam pie recitarentur infrascriptae lytaniae de S. Nomine Jesu, quae typis latine et germanice in omnium manibus versantur et jam ante 40 annos in fasciculo quarumdam Lytaniarum, ad instantiam Serenissimi Guilielmi Ducis Bavariae a Sede Apostolica approbatae fuerunt. Verum quia nonnulli Saeculares et etiam Regulares per Germaniam ediderunt, Romae has lytanias esse prohibitas, ac proinde incredibile scandalum oriatur, non modo apud Catholicos erga has lytanias summe affectos, sed multo magis apud haereticos, qui pessime hac de re loquuntur; ideo iidem Principes et Episcopi devovent et execrantur, ut huic tanto scandalo occurratur, supplicantes eidem S., ut has lytanias de nomine Jesu auctoritate Apostolica non solum confirmare, sed per publicum edictum toti Christianitati hoc calamitosissimo tempore singulariter commendare dignaretur.

Emi. P. S. R. Congreg. praepositi, re mature considerata, censuerunt: „Lytanias praedictas esse approbandas, si SS. placuerit.“ Die 14. Aprilis 1646. n. 1553. Lytaniae vero asservantur in Archivis Congregationis.

Ad dubium: Lytaniae ss. Nom. Jesu suntne approbatae indulgentiisque ditatae? S. C. resp.: Negative in omnibus. Die 7. Sept. 1850 ad 8. *In Ruppell.*

Monacen. et Frising.

Praeter Lytanias illas SS. Nominis Jesu, quas S. R. C. ad preces quorundam Episcoporum et Principum prae-

sertim Germaniae probari posse rescripsit die 14. Apr. 1646 (vd.: *supra decr. n. 1553*), quatenus SS. Pontifici placuisset, successu temporis in aliis Orbis plagis non parum diversae a primìs in lucem prodiere Lytaniae ejusd. ss. Nom. Jesu, earumque usus adeo diffusus et propagatus est, ut absque fidelium offensione et scandalo tolli nequeat, uti SS. D. N. Pio PP. IX. ingenue exposuerunt permulti exterarum gentium Rmi. Antistites, quorum aliqui Cardinalitia etiam dignitate spectabiles, occasione sol. Canonisationis Romae degentes. Et quoniam eosdem Antistites non latebat monumenta desiderari, ex quibus deduci possit SS. Rom. Pontifices aliquando approbasse Lytanias diversas a Lauretanis et ab illis Breviarii rom., nec recitantibus Lytanias SS. Nominis Jesu concessise nunquam Indulgentias, quae enunciantur; hinc ne Fideles in errore versentur, Eundem SS. Dominum supplices exoraverunt, ut super hoc satis gravi negotio de apost. benignitate opportune providere dignaretur, ac decernere inter varias Lytanias SS. Nominis Jesu, quae unice retineri possint, easque s. Indulgentiis ditare. Sanctitas porro Sua perpensis expositis rerum adjunctis ac instante inter alios Revdsmo. D. *Gregorio Scherr*, Archiep. Monac. et Frising. ad relationem infrascripti S. R. C. Secretarii indulsit, *ut Fideles utriusque sexus Dioeceseos Monac. et Frising.*, *qui infra adnotatas Lytanias de SS. Nom. Jesu et non alias quascunque ab eis diversas*, *quas suprema Auctoritate omnino abolevit*, *devote recitaverint*, *lucrari valeant Indulgentiam tercentorum dierum in forma Ecclesiae consueta. Contrariis non obstantibus quibuscunque.* Die 21. Aug. 1862.

C. Ep. Portuens. et S. Rufinae Card.
Patrizi, S. R. C. Praef.
D. Bartolini Secret.

LYTANIAE SS. NOMINIS JESU.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

(miserere nobis.)

Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus s. Deus,
S. Trinitas unus Deus,
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, Splendor Patris,
Jesu, Candor lucis aeternae,
Jesu, Rex gloriae,
Jesu, Sol justitiae,
Jesu, Fili Mariae Virginis,
Jesu, amabilis,
Jesu, admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futuri saeculi,
Jesu, magni consilii Angele,
Jesu, potentissime,
Jesu, patientissime,
Jesu, obedientissime,
Jesu, mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitae,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, thesaurus fidelium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia aeterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium angelorum,
Jesu, Rex Patriarcharum,
Jesu, Magister apostolorum,
Jesu, Doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,
Jesu, lumen confessorum,
Jesu, puritas Virginum,

Jesu, corona Sanctorum omnium, miserere nobis.
Propitius esto, parce nobis Jesu.
Propitius esto, exaudi nos Jesu.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
} libera nos, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui etc., exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui etc., miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis: quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Der Dom.

9) In Ordinationibus.

Vd.: *Ordinatio* (Lytaniae.)

10) In Sabb. sancto.

a) Depositio Paramentorum.

Ad dubium: In Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes post benedictionem Fontis Archiepiscopus (Pisanus) cum Ministris paratis in Ecclesiam reversus ad Lytanias procumbit super Fadistorio cum Pluviali et Mitra, Ministri vero ad ejus latera super cussinis procumbunt, quin se exuerint Pluviali respective et Planetis plicatis. Ratio hujus consuetudinis Rubricarum dispositioni resistentis ex eo desumitur, quia non videtur decere eosdem Ministros procumbere in solo Amictu super Rocchetto. Insuper Canonicus Missam celebraturus post Prophetias in Sacristia cum Diacono et Subdiacono Missae se recipit, neque ad Altare revertitur donec Lytaniae finem habeant, quibus, quum sint pars Officii et Missae hujus diei, ipse etiam interesse deberet. S. C. resp.: ,,Diaconus et Subdiaconus, ut praesto sint ad induendum Episcopum, quum dictum fuerit in Lytaniis: *Sancta Maria,* surgentes recedant ad Sacristiam, ubi depositis violaceis Planetis assumant Dalmaticam et Tunicellam albas, nec revertantur ad Altare, nisi quum, absolutis Lytaniis, solemnis inchoanda sit Missa.“ n. 4672 ad 20 die 12. Nov. 1837.

b) Recitatio.

Ad dubium: An non obstante Decreto diei 17. Aug. 1833 prohibente, ne in votiva aliqua Functione recitentur Lytaniae Sabbati S., possint Sanctimoniales Ord. s. Clarae retinere usum illas quotidie recitandi post Officium nocturnum cum tribus tantum Orationibus, *Deus cui proprium, Deus a quo sancta et*: *Omnipotens,* qui *vivorum* etc.?

Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: ,,Affirmative.“

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 7 die 7. Sept. 1850.

Ad dubium: 1) An extra occurrentiam Sabbati Sancti et Pentecostes possint in votiva aliqua Functione decantari Lytaniae, quae in praedictis Sabbatis canendae occurrunt? S. C. resp.: „Negative.“ n. 4714 ad 1 die 17. Aug. 1833.

Ad dubium: In Sabb. s. post benedictionem fontis baptism. in actu redeundi ad altare an liceat incipere lytanias Om. SS. cantandas ante altare? S. C. resp.: Episcopo non praesente servandum Missale. Die 7. Sept. 1861.

11) Sanctorum Omn.

a) Additio illicita.

Vd.: *S. Bernardus*; *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 19; *Lytaniae divers.* (decr. de die 23. Apr. 1860; *Lytan. B. V. M.* (add. illic. decr. 4578;) *Lytaniae major.*

In Lytaniis non posse apponi alios Sanctos praeter descriptos in ipsis Lytaniis. n. 906 die 8. Mart. 1631.

In Lytaniis, quae dicuntur in Ecclesiis Capucinorum post matutinum et post nonam, non licet addere Nomina Sanctorum ultra expressa in Lytaniis, quae habentur in Breviario rom., ex eo, quod sint Sancti ejusdem Ordinis vel Patroni Provinciarum vel etiam ex devotione. n. 1708 ad 1 die 20. Junii 1654.

Ad petitionem : in Lytaniis Sanctorum nomen s. Prosperi, olim Episcopi Civium Regien. in Longobard., invocare, S. C. resp.: Nihil indulgendum esse. n. 1782 die 29. Jan. 1656.

Lytaniis non licere addere Sanctos in eis non expressos. n. 1999 die 2. Aug. 1659.

Ad petitionem Capucinorum Lotharing : in Lytaniis, quas in suis Ecclesiis recitant, addere invocationes s. Josephi et s. Annae, intuitu singularis eorum ergo Sanctos praedictos devotionis, S. C. resp.: Lytanias non esse alterandas. n. 2181 die 5. Aug. 1662.

In Lytaniis non possunt neque debent addi nisi Sancti descripti in Martyrologio. n. 2345 ad 17 die 31. (Julii) 1665.

In Lytaniis nihil addendum, nisi doceatur de Privilegio seu licentia. S. R. C. n. 3025 ad 3 die 24. Julii 1683.

Ad dubium: An in Lytaniis Sanctorum, quae in Rogationibus praescribuntur vel ex devotione recitantur, non tamen in Sabbato S. et Vigilia Pentecosten, Sancte Pater Francisce, Sancta Mater Clara, Sancte Lazare, nomen Patroni loci addi possit? Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„Non licere.“

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 6 die 7. Sept. 1850.

Regulares absque speciali privilegio, sola communicatione privileg. aliarum Religionum, non possunt addere nomen s. Fundatoris in Lytaniis et Confiteor. S. R. C. 20. Mart. 1706 (Bull. r. t. VIII. p. 434.)

b) Additio licita.

In Lytaniis Sanctorum pro diversitate functionum et temporum assignatis et in illis pro commend. animarum post nomen s. J. Bapt. statim adjungi debet illud s. Joseph, dicendo: *S. Joann. B., ora pro nobis; S. Joseph, ora pro nobis; Omnes ss. Patriarchae etc. Decretum Urbis et Orbis Benedicti XIII.* 19. Decb. 1726.

Vd.: *Lytaniae B. V. M.* (addit. illicita, decr. n. 4578.)

Usum Patrum Congreg. Oratorrii s. Philippi Nerii Ulysbon. in Lytaniis Sanctorum addere nomen s. Philippi, eorum Patriarchae, posse tolerari. n. 2702 die 16. Junii 1674.

Ad dubium: Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Lytaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo

flagello terrae motus, peste, fame et bello; quaeritur: utrum recitari debeant et quo loco apponendae?

S. eadem C. R . . . respondendum censuit:

„Affirmative et ponendas esse post versus: *A fulgure et tempestate.*“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5111 ad 1.

Die 11. Sept. 1847.

c) Mutatio.

Ad dubium: An liceat in quodam Oratorio publico decantare Lytanias non integras sed abbreviatas et diminutas invocando aliquos ex Apost., nonnullos ex Martyribus et ita de Confessoribus et Virg. relinquendo prorsus alias preces, nempe: *Propitius esto etc.* cum sequentibus? S. C. resp.: Non licere. n. 2681 die 3. Mart. 1674.

M.

MAGISTER CAEREMONIARUM.

(Electio, Gestus, Habitus, Munus.)

Vd.: *Caeremoniarius.*

Curabit Episcopus, ut duo, si fieri possit, de gremio suae Ecclesiae, aspectu et statura corporis convenienti et multo magis scientia et bonis moribus praediti, experti et dociles assumantur, *quorum primus* vigesimum quintum saltem attingat annum, sitque in Presbyterali ordine constitutus, bonis artibus instructus, et si fieri posset. juris Canonici vel Theologiae intelligentiam habeat, divinorum officiorum ac rituum Ecclesiasticorum assiduus et diligens perscrutator. Is erit inprimis sollicitus circa personam Episcopi aliarumque personarum dignitate aut nobilitate praestantium, ut eis praesto sit, si quid petant aut si qua de re admonendi erunt; ac nihilominus omnia circumspiciat, singulorum munia perpendat. Quando autem erunt celebranda officia, quae non ita frequenter occurrunt, et quae solemniori ritu apparatuque peragi solent, praesertim quando ad ea accederent Magnates, ut Cardinales, Principes, Duces et similes, per diem aut plures dies antea praesens videat et intelligat, an omnia recte disposita et ordinata sint, quae ad celebrationem spectant, nempe an ecclesia, altare, abacus, sedes Pontificalis, Canonicorum Magistratuumque sedilia sint decenter apparata ornataque; an cetera ad ipsius celebrationis actum necessaria, ut sacrae vestes, Paramenta et vasa, candelabra, cerei, funalia aliaque utensilia sunt suo quaeque loco praeparata et congrue disposita juxta normam et regulas Caeremonialis Episcopalis, nec gravetur aliquando (cum viderit necessarium) etiam suis manibus adjuvare ministros ceterosque omnes, quorum opera uti oportebit; praemoneat atque instruat, quos opus fuerit, exhibitis etiam shedulis, si quid enim erroris accidat, aut incaute fiat, ipsi uni caeremoniario imputari solet. *Alter vero junior*, qui saltem in sacro ordine sit constitutus, praecipuam curam geret circa personam celebrantis ac ministrorum illius; cumque opus erit aliquos ducere aut reducere, faciat id modeste et discrete submissa voce ac solo nutu, si fieri possit, quaecunque agenda sint, demonstrans; non discurrat velociter, non caput volvat aut manus jactet indecenter; caveat demum, ne in suis actibus affectationis vitio

notetur, sed quidquid aget, cum gravitate et congruenti mora ac cum decoro corporis gestu ita peragere curabit, ut caeteris devotionem et reverentiam pareat ipseque ab omnibus commendari mereatur; unus tamen alterius defectum, cum opus erit, modestia ac silentio corrigere et supplere studeat; ambo simul conveniant, antequam in ipso rei gerendae actu sint; provideant, quae sint agenda, ac onera inter se partiantur, concordesque sint, ne reprehendi ab aliis jure possint, qui docere et instruere omnes debent. Satius est enim unum quam plures esse, nisi fuerint concordes. Eorum *habitus* sit honestus et clericalis ipsaque vestis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum Divina officia celebrantur, cottam mundam induent. Ad eorum quoque officium spectabit, praesertim ubi non adest particularis Magister chori, curare ut intra Chorum nulla fiant colloquia, nec sint, qui risu aliove incomposito seu minus modesto actu rem Divinam turbent, non qui cum caeterorum scandalo dormiant, litteras aut alias scripturas legant, sed nec libros aut ipsum Breviarium aut Diurnum in manibus habeant, ut ex illis privatim horas aut orationes recitent, sed illas alta voce una cum Choro dicant aut cantent, et ad id librum habere permittantur; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstret, ut, cum alii stant, aliquis sedeat vel genuflectat, vel e contra: sed detur opera, ut omnes uniformi ritu attente, devote et reverenter Divinis Mysteriis atque officiis assistere eaque toto cordis affectu admirari et contemplari videantur ac silentium diligenter servetur. Quae omnia ut sine contradictione quietius perficiantur, Episcopi cura erit, omnes tam Canonicos quam alios de choro praemonere, ut ipsis Caeremoniariis in his, quae ad cultum Divinum spectant, sine contradictione obediant; nec tantum eorum verbis aquiescant, sed ut oculos in ipsos convertentes observent; et illico illius nutu aut levi aliquo signo vel intuitu, quod agendum sit, significantibus statim pareant.

Alia vera nonnulla, quae ad ipsum Caeremonarii officium spectant, velut thuribulum deferre ad Episcopum et ad altare, ducere et reducere Diaconum et Subdiaconum aliosque omnes tam majores quam minores ministros, quorum opera in re sacra aut alibi requiritur, inferius suis quaeque locis in operis cursu exponentur.

Si ecclesia sit ampla et numero Clericorum ac beneficiatorum abundans, possent arbitrio Episcopi aut juxta consuetudines Ecclesiarum aliqui ex ejusdem Ecclesiae gremio subministri adhiberi, qui in aliquibus casibus, tam in choro, quam extra ipsos Caeremoniarios adjuvarent; velut indicendo silentium populo atque occurrendo, quoad valerent, tumultui et scandalis, quae forte in ipsa Ecclesia oriri possent; atque etiam circumspiciendo per totam Ecclesiam, ne quid indecenter fiat, neve extinguantur lampades et cerei, aut ne flamma ex Cereis ultra modum profluat vel quid indecorum super altaribus aut aliis in locis eveniat.

Item viros a mulieribus, cum commode fieri potest, distinguendo et separando, ordinem sessionum inter Laicos advertendo eosque admonendo, quando surgere, sedere vel genuflectere debeant, aliaque hujusmodi praevidendo et operando, prout opportunum erit: atque a dictis duobus Caeremonariis, cum opus erit, admonebuntur, quibus praeterea subditi et obedientes esse debeant, et ut ab omnibus cognoscantur eorumque officium commodius ac majori cum auctoritate exercere et exequi valeant, posset eis concedi usus aliquarum ferularum serico vel panno tectarum, cum aliquibus

ornamentis aut Insignibus Sancti Patroni vel Ecclesiae vel Episcopi componendarum, quas semper manibus gestarent. Ut autem ipsi Caeremoniarum magistri necessariis rebus pro victu et vestitu juxta eorum statum non indigeant animumque diversis curis et perturbationibus defatigare et distrahere non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti omni studio et diligentia ac toto pectore in commissam ipsis curam et munus suum facilius incumbere possint, providebit Episcopus ut ipsis constituatur aliquod certum et competens stipendium; et insuper, ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria; item aliquibus privilegiis et praerogativis decorentur, ut promptiori animo suo muneri satisfaciant ac libros necessarios sibi comparare possint videlicet: Pontificale et Caeremoniale Romanum; Caeremoniale Episcoporum; De Mysteriis Missae Inocentii Papae III., Rationale Divinorum Officiorum; Joan. Stephanum Durantum de Ritibus Ecclesiasticis diversosque alios Auctores de officiis Divinis, tam antiquos quam recentiores aliosque plures, quos sibi opportunos judicabunt, ut non solum actione et opere sint parati, sed etiam cum opus fuerit de his, quae fiunt, rationem reddere, quoad fieri possit, valeant. Caer. Ep. l. I. c. V.

MAGISTER CAPELLAE.

Vd.: *Musica*; *Cantores*.

Nullo modo convenire, ut Magister Capellae (quamquam sit Beneficiatus) incedat cum Beneficiatis; sed debere ire et incedere cum Cantoribus. n. 434 die 20. Novb. 1610.

Non esse a primo decreto recedendum, sed debere Magistrum Capellae *cum suis Cantoribus* incedere immediate *(ut Clerici)* post crucem *ante* ipsos Beneficiatos. n. 435 die 15. Jan. 1611.

Magistro Capellae Cathedralis Gerundensis jubilato concedenda est gratia fruendi iisdem insignibus et praeeminentiis in choro et aliis functionibus, quibus ante jubilationem fruebatur et gaudere potest eadem praecedentia et insignibus cum Beneficiatis ejusdem Cathedralis etiam in omnibus ecclesiasticis functionibus, quae fiunt in Ecclesia s. Lucae. n. 4033 die 14. Maji 1735.

MAGISTRATUS.

1) Accessus ad Ecclesiam.

Vd.: *Laici* (associatio); *Aspersorium Laicorum*; *Praeses* c. III. IV. X.

2) Accipiens candelas, cineres etc.

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (Modus accipiendi etc.)

3) Aquam Episcopo porrigens.

Vd.: *Lavabo*; *Ablutio manus Episcopi*.

4) Associatio in I. ingressu Episcopi.

Cf.: *Episcopus* (accessus primus etc.); *Episcop.* (associat. — 3 access. Ordo inced. decr. n. 4597 nota.)

Pro parte Archiepiscopi Arboren. supplicatum fuit, quatenus dignaretur demandare cum speciali decreto et censuris, quod renovando pro Archiepiscopo caeremonias sui I. ingressus in civitate Oristanae, servetur a Magistratu et aliis illius civitatis caeremonia solita associandi Archiepiscopum sub baldachino a janua civitatis usque ad Ecclesiam Cathedr., non obstante epistola Philippi II. Regis in contrarium disponente. S. C. mandavit: ut servetur Caer. Ep. et Rituale rom. c. 2. *de ingressu Episcoporum*. n. 3108 die 4. Maji 1686.

Magistratus et Officiales cum civibus et populo Episcopum in porta debent excipere. Episcopo induto paramentis Ordo procedendi erit. Equitabunt primo cives omnes, deinde familiares Episcopi, tum Magistratus et Officiales civitatis, Barones et Principes, si qui aderunt. *Caer. Ep.* l. I. c. II.

5) Pax.

Cf.: *Pax Laicorum*; *Instrument. pacis.*

Pacem Magistratui esse dandam cum Instrumento per aliquem ex Clericis, cotta indutis. n. 1032 die 24. Novb. 1635.

Magistratui Velitrarum dandam esse pacem cum Instrumento ab aliquo Ministro superpelliceo induto. n. 3915 ad 3 die 10. Sept. 1718; n. 4035 die 25. Junii 1735.

6) Praecedentia.

Cf.: *Processio* (tecto etc. capite); *Reliquiae* (Laici det. etc. cap.); *Baldachinum* (ingressus etc. decr. n. 4139): *Coena Dom.* (Communio Laicor.; decr. n. 5263); *Canonici* (praeced. super laicos); *Praeses* (c. III. IV.); *Magistr.* (Praesent.)

In processionibus, dum ponitur pro Episcopo genuflexorium et hinc inde a lateribus duo scamna, dignior locus Canonicis dandus est. n 647 die 18. Julii 1626.

Quando Canonici *Collegiatae* in funeribus et aliis actis publicis non interveniunt collegialiter, *nec cum habitu canonicali, sed ordinario et uti singuli,* praecedentiam deberi Magistratui. n. 741 die 12. Junii 1628.

Quandocunque in Ecclesiis et alibi Archidiaconum et Praepositum et Capitulum simul esse contigerit, debere eisdem praecedentiam supra Magistratum. Ubi vero sit Corpus Magistratus, Archidiaconus autem vel Praepositus aut Canonici uti singuli praecedentiam deberi Corpori Magistratus; et ubi personae Magistratus fuerint uti singulae, etiam in habitu et cum servis Magistratus, deberi praecedentiam Archidiacono, Praeposito et Canonicis pariter uti singulis stantibus vel incedentibus aut sedentibus. n. 1323 die 25. Apr. 1641; n. 1416 die 24. Sept. 1642.

Capitulo Metropol. Capuae debetur praecedentia super Magistratu saeculari in omnibus functionibus ecclesiasticis. n. 3545 ad 1 die 23. Jan. 1700.

Canonicos Sacris indutos Magistratui in omnibus praeferendos esse. n. 1911 die 13. Julii 1658.

Vicarius gener . . . . vel post Episcopum incedere debet in processionibus, nisi quando Magistratus sit in quasi possessione incedendi eodem loco immediate post Episcopum. n. 1923 die 7. Sept. 1658.

Priores Magistratus Oppidi s. Victoriae in actu visitationis Episcopi incedere debere ante crucem, ut praescribit Caeremoniale. n. 3084 die 24. Mart. 1685.

Ad dubium: An in solemni Supplicatione SSmi. Corp. Chr. Gubernator et Magistratus cum Intortitiis accensis incedere possint immediate post SSmum. Sacramentum ad instar Majorum Magistratuum? S. C. respondendum esse censuit:

„Negative ad tramites Caeremonialis lib. 2. cap. 33. §. 5."

Atque ita rescripsit ac in omnibus servari mandavit die 27. Aug. 1836. n. 4794 ad 5.

7) Praesentia et obsequia Episcopo praestanda.

Vd.: *Magistratus* (sedes decr. n. 3988); *Praeses.* (cap. III. IV.)

Magistratum teneri ad accedendum ad Ecclesiam Cathedr. in solemnibus festivitatibus. n. 1624 die 20. Maji 1651; n. 2244 die 4. Aug. 1663; n.

3410 die 19. Jan 1697; n. 4015 ad 2 die 9. Maji 1733.

Magistratum cogi non posse ad praestanda solita nisi diebus, quibus alia hujusmodi obsequia Episcopo praestare consueverit. n. 2201 sine dato.

Magistratum Faventinae debere in solemnioribus festivitatibus et aliis diebus solem. per annum ire ad Ecclesiam Cathedr. et Episcopo ad Ecclesiam accedenti debitum obsequium praestare .. et quatenus opus sit opportunis remediis cogendum esse. n. 2780 die 30. Maji 1676; n. 2796 die 13. Junii 1676; n. 3207 die 11. Mart. 1690; n. 3218 ad 2 die 10. Junii 1690; n. 3324 die 19. Decb. 1693 *cum appendice:* tam in accedendo ad Ecclesiam quam in redeundo ad Palatium. Idem decretum pro Magistratu civitatis Carpenctoraten. sub n. 3606 die 3. Decb. 1701. n. 3611 die 21. Jan. 1702.

Ad relationem, quod Magistratus Amerinae se abstineat in praestando obsequia sub praetextu, quia Episcopus renuat cedere eidem praecedentiam manus dexterae praetensam, quando accedit ad illum recipiendum a propria habitatione, quod duo Praedecessores fecissent, S. C. resp.: Non ticuisse neque licere Magistratui praetensam praecedentiam et servandum esse Caeremoniale et Magistratum posse ab Episcopo debitis remediis cogi, ut accedat. n. 3081 die 10. Febr. 1685.

In associatione Episcopi omnino servandum esse Caerem. Episcop. (Lib. I. c. XV.) nempe: Magistratum saecularem incedere debere *immediate ante Episcopum* . . . in contrarium non obstantibus quibuscunque. n. 3269 die 26. Apr. 1692.

Magistratus civit. Fulginat. ne discedat ab Ecclesia sed expectet benedictionem Episcopi, post absolutam missam pontif. n. 3336 ad 1 die 7. Aug. 1694.

Cum inter Episcopum, Canonicos Ecclesiae Cathedralis ex una, et Gubernatorem et Magistratum Camerinen. ex altera partibus, ortae sint nonnullae controversiae super praeeminentiis, Emi. et Rmi. Dom. Cardinales de Carpineo et Petruccius a S. R. C. specialiter deputati censuerunt, ut infrascripta Decreta alias emanata, et Caeremonialis constitutiones a partibus praedictis omnino servari debeant. Magistratus in solemnioribus Festivitatibus a Caeremoniali praescriptis, absente Gubernatore, habita hora a Magistro Caeremoniarum seu alio Ministro, usque ad portam cubiculi Episcopi, quod dicitur Anticamera, accedere debet, eumdem cappa indutum ad Ecclesiam comitabitur, et peractis functionibus ad portam majorem ejusdem palatii pariter comitabitur; et Episcopus monitus de adventu Magistratus ei obviam procedet et ad Ecclesiam perget.

Praesente vero Gubernatore, Magistratus et ipse Gubernator obviam procedent Episcopo egredienti usque ad portam Palatii ipsius Episcopi, et in accessu ad Ecclesiam Gubernator erit ad sinistram Episcopi, et idem in recessu servabitur.

E conspectu Altaris SSmi. Sacramenti, factis inter se debitis salutationibus, Episcopus ad genuflexorium stratis et pulvinis ornatum preces effundet, et hinc inde ad latera Canonici, Gubernator et Magistratus ad consueta eorum sedilia pergent, ibique genuflexi versus Altare SSmi. Sacramenti orabunt, et quando Episcopus ad Chorum perget, stantes ipsum Episcopum transeuntem salutabunt, et idem ordo servandus, etiam absente Gubernatore. Si vero Episcopus per parvam portam perget, Magistratus ad eamdem portam accedere et comitari debeat. Magistratus non debet genuflectere supra panniculum, quod omnino prohibuit S. R. C. die 9. Novembris 1686. Nulla Canonicorum assistentia debetur Episcopo,

quando ad Ecclesiam accedit et per eam incedit, dum est Cappa indutus; secus vero, quando est cum paramentis sacris, et tunc Gubernator et Magistratus erunt post Episcopum. Ita C. S. R. in una Interamnen. loquente de Gubernatore Praelato 29. Martii 1659.

Magistratus, prout in Caeremoniali tum absente tum praesente Gubernatore, Episcopo in lotione manuum servire debeat.

Quando Episcopus Conciones audit, nulla Canonicorum assistentia ei debetur, et tunc Gubernator sedere debeat prope Episcopum in Sede camerali consimili in eadem linea, extra tamen baldachinum, et dummodo neutra sedes sit coloris rubei.

Accedente Gubernatore in habitu ad Ecclesiam, aliquis Ecclesiae Minister cotta indutus porriget eidem aquam benedictam.

Et ita declararunt et censuerunt, ut haec omnia ab Episcopo, Gubernatore et Magistratu servari debeant. Quae quidem Decreta ab Emis. et Rmis. Dom. Cardinalibus de Carpineo et Petruccio, ut supra deputatis, edita, in S. R. C. relata, licet partes non acceptassent, S. eadem R. C. approbavit et per modum concordiae inter Episcopum, Gubernatorem et Magistratum Civitatis Camerini omnino servanda esse mandavit. 3468. Die 19. Aprilis 1698.

Ad dubia: 1. An Magistratus et Consul S. Severini, absente Dom. Gubernatore, accedere debeant in festivitatibus solemnibus ad januam cubiculi nuncupat. l' Anticamera Palatii Episcopalis et ibidem recipere nec non associare Episcopum cappa indutum accedentem ad Ecclesiam, ad effectum pontificaliter celebrandi vel solemniter assistendi, et eumdem recedentem associare ad januam majorem ejusdem Palatii?

2. An Magistratus et Consul teneantur accedere ad januam secretam Palatii adjacentem Choro Cathedralis et ibidem recipere Episcopum indutum cappa, Capitulo et Clero associante, ad effectum pontificaliter celebrandi vel solemniter assistendi?

3. An Magistratus et Consul existentes in Ecclesia teneantur usque ad januam ejusdem Ecclesiae obviam ire Episcopo habitu Episcopali Ecclesiam ingredienti et eumdem recedentem associare ad eamdem januam Ecclesiae?

Et S. eadem R. C. utraque parte tam in scriptis quam in voce informante audita respondendum censuit:

Ad 1: „Negative quoad primam partem, sed teneri usque ad scalam Palatii Episcopalis, juxta solitum: quo vero ad secundam partem Affirmative.“

Ad 2: „Affirmative.“

Ad 3: „Affirmative.“

Et ita decrevit et servari mandavit. n. 3878 die 11. Maji 1715.

Ad dubia Episcopi Melevitanae:

1) an liceat Magistratui et Capitaneo virgae se introducere et resp. permanere intus aulam seu cubiculum, in quo Episcopus recipit Capitulum, ut deinde cum illo se transferat ad Ecclesiam? Et quatenus negative;

2) usque ad quem locum praecise pervenire ac remanere debeant, donec Episcopus et Capitulum ex eadem aula et cubiculo egrediatur?

3) an iisdem, postquam associaverunt Episcopum usque ad altare SSmi., liceat transire per Presbyterium ad effectum prosequendi ejusdem associationem usque ad locum baldachini? S. C. resp.:

Ad 1: Affirmative; ad 2: Provisum in primo; ad 3: affirmative. n. 3975 ad 1—3 die 20. Mart. 1728.

Ingredienti Episcopo Cathedralem tenetur Magistratus obiam ire usque ad portam lateralem, per quam descendit Episcopus et sic, quando recedit, illum

debet comitari. n. 4015 ad 1 die 9. Maji 1733.

Magistratus cogi potest et compelli remediis a jure statutis ad praestandum Episcopo solitum obsequium, saltem dum consueta Pontificalia celebrat diebus selemnioribus. n. 4611 ad 5 die 5. Mart. 1825.

In dictis diebus solemnioribus Magistratus comitari debet Episcopum ad Templum majus, ab eo recipere aspersionem aquae bened. ac interesse Horae Tertiae in cantu. *Ibid. ad 6.*

Idem Magistratus interesse debet eodem ordine *saltem 2. vesp.*, quae cadunt semper in die festo et solemniori. *Ibid. ad 7.*

Praeibunt (in accesu Episcopi ex aula ad Ecclesiam) familiares Episcopi et, si aderit, Magistratus aut alii nobiles et illustres viri immediate ante Episcopum. Tunc ipse Episcopus. *Caer. Ep.* l. I. c. XV. n. 2. Vd.: *Praeses.* (c. IX. X.)

8) Praesentia in aliis Ecclesiis.

Vd.: *Processio* (oblig. Laicor.)

Magistratus tenentur accedere ad Ecclesias Confraternitatum s. Josephi et Charitatis Senogall. et Regularium festivitatibus, in quibus est solitus intervenire, solitasque oblationes in eis facere. n. 3861 ad 3 die 23. Sept. 1713.

9) Reverentia.

Vd.: *Missa sol. coram Laicis; Laici; Reverentia; Concionator* (reverent.)

Capitulum et Canonici celebrantes tam in Cathedrali quam extra, postquam ingressi sunt presbyterium pro missis vel vesperis celebrantes, induti pluvialibus, siculi quoties procedunt ad sedendum et redeunt ad altare, sese inclinant cruci, Episcopo et Canonicis existentibus in presbyterio, non debent sese vertere a Presbyterio ad extra et salutare Magistratum. n. 4093 ad 2 die 11. Julii 1739.

Ad dubium 1: An Canonici aliique Capitulares vel conjunctim vel seorsim ad chorum euntes vel redeuntes teneantur exhibere actum reverentialem Magistratui stanti in proprio Scamno?

2) In eodem casu affirmativo, an idipsum praestandum quoque sit a Celebrante et Ministris paramentis indutis? S. C. resp.: Ad 1: Affirmative, capite detecto ut in una Camerin. diei 26. Jan. 1664; ad 2: affirmative sed capite tecto. n. 4794 ad 3 et 4 die 27. Aug. 1836.

Si aliquis Praelatus aut nobilis laicus vel ex Magistratu aut Officialibus civitatis Officio vel Missa jam incoepta supervenerit, non prius ad suum locum ibit, quam fecerit genuflexus orationem versus altare deinde reverentiam altari et Episcopo, et Canonicos aliosque nobiles laicos aut Magistratum suosque aequales capitis nutu salutaverit. Et si forte aliquid fiat, ad quod chorus stat vel est inclinatus vel genuflectit per aliquam moram, exspectabit resp. stans vel genuflectens vel inclinatus prout ipse chorus, donec ea perficiuntur. Mox factis reverentiis et salutationibus a surgentibus Canonicis et Laicis resalutabitur. *Caer. Ep.* l. I. c. XVIII. n. 4. 5.

10) Sedes.

Vd.: *Presbyterium; Sessio Laicorum; Canonici* (praecedent. super Laicos); *Lavabo Episcopi* (Modus etc.)

Scamnum pro Magistratu, quando solemniter assistit Divinis, esse ponendum extra Presbyterium. n. 1165 die 2. Julii 1639; n. 3336 ad 2 die 7. Aug. 1694; n. 3915 ad 10 die 10. Sept. 1718. Habito ab Episcopo Narnien. recursu contra Magistratum illius civitatis exponendo quod idem, quam-

vis pluries hortatus ac sub poena pecuniaria adstrictus, eique conveniens locus *extra* presbyterium assignatus fuit, Episcopo in Cathedrali assistere semper recusavit, sub praetextu, quod idem in stallis choralibus assistere solebat. S. C. resp.: Magistratum per mulctam et censuras cogendum esse. n. 3988 die 14. Sept. 1729.

Magistratui in concione non licere occupare locum Capituli et Cleri, qui debet esse dignior immediate post Episcopum. n. 1301 ad 1 die 19. Julii 1642.

In Ecclesia *Cathedrali* Papien. implementum decreti die 9. Novb. 1657 quoad sedilia Abbatum et Decurionum perpetuo servetur. In reliquis vero Ecclesiis, in quibus Abbates et Decuriones Divinis interesse contigerit, aliqua interposita pariter stabili divisione extrinsecus collocentur. At si loci angustia id alicubi servari non patiatur, extra cancellulos Presbyterii decenti loco, sejunctim a populo, Abbatum et Decurionum sedilia constituantur, ejus videlicet altitudinis, ut vix Presbyterio aequentur; verum ad illa nullatenus anteriori parte patet ascensus, ne pluralitas graduum solii vel throni imaginem praeseferat. n. 2060 die 12. Junii 1660.

Non licere Magistratui Terrae Centi locum occupare in Presbyterio Collegiatae. n. 2578 die 26. Mart. 1672.

Magistratui civitatis Andrien. non competere sedem neque in presbyterio neque extra, nec etiam usum pulvinarium, ideoque non esse illi permittendum nisi sedile ligneum panno coopertum absque suppedaneo et extra presbyterium. n. 3240 die 11. Aug. 1691.

Non licet Confratribus Societatis s. Josephi Senogall. in eorum Ecclesia elevare Sedile Magistratus; nec licet in Ecclesiis tam aliarum Confraternitatum quam Regularium consimilem elevationem facere. n. 3861 ad 1 et 2 die 23. Sept. 1713.

Cum ex parte Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Oppidi S. R. C. expositum fuerit, quod, quamvis Magistratus illius Civitatis transactis temporibus, ex Episcoporum tolerantia, scamnum panno ordinario coopertum in Ecclesia Cathedrali retinuerit, illud panno holoserico viridi aureisque fasciis ornatum et duobus gradibus elevatum ante thronum ipsius Episcopi retinet: propterea ex parte ipsius Promotoris Fiscalis curiae praedictae, pro hujusmodi abusu penitus evellendo, apud S R. C. acriter institum fuit.

Et S. eadem R. C. rescribendum duxit: „Detur Decretum Episcopo pro executione emanatum in Causa Comen. 28. Aprilis 1668" tenoris etc., quem omittimus, quia habetur suo apte loco.

Et ita etiam in Civitate Oppidana servari mandavit. n. 3894 die 5. Decembris 1716.

Non licet Magistratui (Terrae Plebis Dioec. Bononien.) retinere scamnum aequaliter elevatum cum scamno Capituli e conspectu Concionatoris, illudque retinere a parte dextera Capituli. n. 3992 ad 2 die 9. Decb. 1730.

11) Thurificatio.

a) Ductus.

Vd.: *Incensatio Laicorum*; *Confessio*.

Magistratum Imolen. thurificari debere duplici ductu. n. 2731 ad 2 die 18. Maiji 1675. Episcopus mandet, Magistratum thurificari dupl. ductu tantum, quacunque consuetudine non obstante. n. 3207 die 11. Mart. 1690; n. 3211 ad 2 die 22. Apr. 1690; n. 3258 die 15. Decb. 1691; n. 3915 ad 2 die 10. Sept. 1718.

Ad dubium: an Magistratus Therami debeatur thurificari dupl. ductu? S. C. resp.: Servetur solitum. n. 3401 ad 6 die 6. Oct. 1696.

b) Ordo.

Magistratus ante Canonicos thurificetur, quando dicti Canonici *uti singuli* in aliqua Cathedrali assistunt. n. 997 die 6. Mart. 1634.

Magistratus in *Missa de Requ.* non debet thurificari. n. 1186 die 19. Novb. 1639.

Magistratum post Dignitates et Canonicos eodem modo, prout incensantur ipsae Dignitates (civitatis Alban.) et Canonici juxta Caerem. (L. I. c. XXIII.) thurificandum esse. n. 1296 die 2. Mart. 1641; n. 2020 die 20. Decb. 1659; n. 2244 die 4. Aug. 1663.

Magistratum thurificari immediate post Canonicos, modo quid relevans in contrarium non habuerit, quod Capitulum ad S. C. transmittat et interim, ut praefertur, servari jubeat. n. 1811 die 3. Jan. 1657.

Consules et Magistratus Plebis, Bononien. Dioeces., thurificandos esse post Canonicos et Mansionarios per eandem personam, quae thurificat Mansionarios. n. 2535 die 21. Mart. 1671.

In Ecclesia s. Petri Tusculanae Magistratum juxta Caerem. Lib. I. c. XXIII. esse thurificandum immediate post Dignitates et Canonicos et ante Beneficiatos, consuetudine in contrarium non obstante. n. 2436 die 21. Apr. 1668.

Magistratus civitatum thurificantur post Dignitates et Canonicos, nisi sint de majoribus et perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos, nisi rursus Canonici sint parati, quia tunc et ipsi thurificantur post Canonicos paratos. Barones et Domicelli sine titulo post Magistratus omnes. Hi omnes ab iis thurificantur, ad quos ex consuetudine id munus pertinet. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIII. n. 30.

Magistratus Tusculanae thurificandus est post Subdiaconum paratum. n. 2494 ad 1 die 31. Aug. 1669.

Priores seu Magistratus Cannarae thurificentur post omnes de choro. n. 2798 die 14. Nov. 1676.

Non licere Magistratui Terrae Centi in thurificatione aliisque functionibus Capitulum aut Sacerdotes praecedere. n. 2578 die 26. Mart. 1672.

c) A quo facienda.

Magistratum in *Vesperis* thurificari debere per aliquem ex Beneficiatis assistentibus pluviali indutis. n. 923 ad 2 die 5. Julii 1631.

Civitas et Magistratus Salernit. thurificentur ab Acolytho, et si habeant aliquid in contrarium, deducant in S. R. C. n. 2315 die 21. Mart. 1665; n. 3314 die 13. Junii 1693.

Ad dubium: a quo thurif. sit Magistratus Therami? S. C. resp.: Servetur Solitum. n. 3401 ad 6 die 6. Oct. 1696; n. 4068 die 7. Decb. 1737.

MAGNIFICAT.

Quando standum est?

Vd.: *Chorus.*

S. MALACHIAS.

Vd.: *Commemoratio Omn. fid. def.* (missa decr. n. 4530.)

MANDATUM.

1) Apostol. in Ordinatione.

Ad dubium: In Pontificali Romano legitur: „Antequam ad collationem Ordinum procedatur, legitur mandatum Apostolicum": quaeritur ergo: an quum conferuntur Ordines S. extra Tempora omnino legendum sit Breve Apostolicum facultatem hanc tribuens?

Et S. eadem C . . . respondendum censuit: „Affirmative juxta Pontificale Romanum."

Atque ita rescripsit die 23. Maji 1835. n. 4751 ad 5.

2) In Coena Domini.

a) Assistentia Canonicorum.

Lotio pedum facienda est hora congrua determinata ab Episcopo et in loco solito assistentibus omnibus Canonicis. n. 4235 ad 7 die 15. Sept. 1753.

b) Ecclesia.

Cf.: *Pulpitum* (ornatus, decr. n. 4395.)

Mandatum debet fieri in Ecclesia, in loco, in quo populus devote possit interesse, non autem in loco secreto et clauso. n. 13 ad 1 die 20. Mart. 1590.

Urbis. Archiconfraternitatis S. Stigmatum.

Rituale Archiconfraternitatis S. Stigmatum Urbis lib. 4. cap. 12 praecipit, ut Feria V. in Coena Domini expleta Ecclesiastica functione, Sacerdos una cum sodalitatis Moderatoribus Mandatum seu pedum lotionem faciat. Verum novissimis temporibus, cum nonnullis hic ritus visus fuerit discors ab eo, quem Rubricae Missalis Romani praescribunt, hinc Archiconfraternitatis Moderatores supplicem S. R. C. libellum porrexerunt efflagitantes, nihil in posterum esse innovandum circa ritum praefatum, tenoris, ut sequitur:

Emi. e Rmi. Sigg. etc. „Il Rituale dell' Archiconfraternita delle Sacre Stimmate di Roma al Cap. 12. lib. 4. prescrive, che nel Giovedì Santo la Lavanda dei dodici Apostoli si faccia dal Sacerdote, che ha celebrata la S. Messa unitamente ai Guardiani. Il detto Rituale approvato dalla legittima Autorità fin dall' anno 1711. è stato sempre osservato, avendo pacificamente li Guardiani assieme col Celebrante lavato ogni anno i piedi a dodici in figura di Apostoli.

Negli ultimi due anni però, cioè 1812. e 1813. il Maestro di Ceremonie, e qualche altro Sacerdote hanno proposto delle difficoltà sull' osservanza di tale funzione, appoggiandosi all' Istituzione della Lavanda fatta in origine dal solo Nostro Signore, ed alla Rubrica del Messale, la quale indica, che Praelatus seu Superiòr faccia la detta Lavanda. I Guardiani pertanto di detta Arciconfraternita ricorroni all EE. VV. RR. suplicandole a dichiarare, che la costumanza, di cui si tratta, derivante dal Rituale dell' Arciconfraternita, approvata dalla Sede Apostolica, deve mantenersi, e che perciò i Guardiani possino continuare nel possesso di fare la Lavanda assieme col Celebrante. Sono gli Oratori li Superiori tanto dell' Arciconfraternita, quanto della Chiesa, ond' è analogo alla Rubrica del Messale, che faccino questa funzione. Il farla poi assieme col Celebrante è un privilegio ad essi accordato, e che in materia di Riti dopo tanti anni, sembra, che non gli si possa più togliere. Che etc."

Et S. eadem R. C., auditis matureque perpensis rationum momentis ab Archiconfraternitatis Patronis allatis, referente Emo. et Rmo. D. Card. Julio Maria de Somalia S. eidem C. Praefecto et Ponente, censuit rescribendum:

„Consuetudinem, de qua in precibus, esse eliminandam servandamque in posterum Rubricam Missalis Romani ad faciendum Mandatum, firma semper manente prohibitione peragendi lotionem pedum in Ecclesia." n. 4529 die 22. Martii 1817.

c) Obligatio.

Absente vel impedito Archiepiscopo fer. V. in Coena Dom. lotionem pedum non esse omittendam. n. 1029 die 24. Novb. 1635.

d) In Oratoriis.

Ad petitionem: utrum Congregatio Saecularium in civitate in proprio Oratorio pedum ablutionis Caeremoniam, quae ab Episcopo in Cathedrali persolvitur, peragere possit? S. C. resp.: posse in Oratorio, dummodo diversa hora et post Episcopum. n. 2118 die 2. Julii 1661.

e) Persona.

Ad dubium: Pro faciendo mandato in Coena Dom. debet necne tolerari arbitrium lavandi pedes tredecim opulentis fratribus Sodalitatis SSmi. Cathedralis exclusis pauperibus?

S. C. resp.: In casu curandum, ut non obstante consuetudine lavandi pedes populentis fratribus sodalitatis SSmi. eligantur potius, si fieri poterit, tot pauperes, quod juxta Caerem. Ep. videtur magnam humilitatem et charitatem prae se ferre. Die 7. Sept. 1861.

Alicubi in usu est vestire sumptibus Episcopi vel Capituli tredecim pauperes eosdemque cibo et potu reficere et mox suo tempore eisdem pedes lavare et eleemosynam praebere; alibi Episcopi lavant pedes tredecim ex suis Canonicis; ideo relinquetur hoc faciendum juxta consuetudinem Ecclesiam vel arbitrio Episcopi, si maluerit pauperibus pedes lavare, etiam in locis, ubi sit consuetudo lavandi Canonicis; videtur enim eo pacto majorem humilitatem et charitatem prae se ferre, quam lavare pedes Canonicis. Caer. E. l. II. c. XXIV. n. 2.

MANICA.

Vd.: *Cotta* (decr. n. 3887.)

Cum in Hispaniarum Indiarumque Ecclesiis mos invaluerit, ut Sacerdotes utantur superpelliceis oblongas manicas habentibus, cumque in Ecclesia Quitensi, ex regula consueta, Canonicis praescriptum sit, ut in aliquibus peculiaribus casibus, in quibus majorem reverentis animi significationem praeseferre debent, manicas e scapulis deponant, et circa brachia obvolvant; Episcopus Quitensis electus nuper Quamagensis S. R. C. infrascripta Dubia demisse supplicavit declarare:

1. An easdem manicas depositas ac brachiis intortas habere debeant Canonici etiam intra Chorum, quando Venerabile Sacramentum publicae adorationi est expositum?

2. An idem servandum sit, cum Cantica tam Zachariae vulgo: *Benedictus*, tum B. Virginis, seu: *Magnificat*, tum Simeonis: *Nunc dimittis* recitantur et toto eo tempore, quod in ipsis modulandis insumitur, manicae depositae habendae sint?

3. Tandem: An, Episcopo ad Ecclesiam accedente et Canonicis honoris causa ad ipsum excipiendum obviam euntibus, idem mos deponendi a scapulis manicas servandus sit, easque sic depositas habeant usque dum Episcopus ad locum in Choro sibi destinatum perveniat?

Et eadem S. R. C. in omnibus respondendum censuit „Affirmative.“ n. 3799 die 2. Martii 1709.

MANIPULUM.

1) Celebrantis.

(Deponitur in exposit. SSmi. post missam.)

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 21.

2) Celebrantis et s. Ministror.

a) Deponitur in processione.

Vd.: *Processio SSmi. Regularium* (modus decr. n. 4130.) *Instr. Clem.* §. XIX. n. 11. 19. 21; §. XXX. n. 20; *Processio* (Clerus infer. parat. decr. n. 5136.)

b) Deponit. in fer. 6. Paras.

In adoratione Crucis fer. 6. debent Celebrans et Ministri deponere etiam manipulum. n. 4055 ad 4 die 15. Sept. 1736.

Finitis Orationibus (in Paras.) Episcopus deponit planetam. *Caer. Ep.* l. II. c. XXV. n. 22.

Completis Orationibus celebrans deponit casulam. *Ibid.* c. XXVI. n. 9.

c) Deponitur in Absolut. Def.

Ibidem (ad sedem) deposita planeta ac etiam manipulo, dalmatica et tunicella capiet Episcopus pluviale nigrum, Diacono et Subd. paratis remanentibus depositis tamen manipulis. *Caer. Ep.* l. II. c. XI. n. 9.

3) Diaconi et Subd. in missa Pont.

Induto Pontifice Diaconus et Subdiaconus recedunt et capiunt suos manipulos. *Caer. Ep.* l. II. e. VIII. n. 23; l. I. c. X. n. 2.

Vd.: *Manip. Episcopi; Planeta plic. Diac. et Subd.* (Quando induitur.)

Interim (dum Episcopus legit praeparationem ad missam) Subdiaconus *dempto manipulo* afferet ex Credentia super bacili Sandalia et Caligas. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 7.

Subdiaconus cantaturus Epistolam, paulo ante quam Episcopus in chorum veniat, capiet omnia paramenta praeter manipulum . . . quem capit postea. *Caer. Ep.* l. II. c. XIII. n. 3.

Deposito Pallio (in fine missae) comitatur Diaconus Archiepiscopum, donec; depositis manipulis per ipsum Diaconum et Subd., illum exuat s. paramentis. *Ibid.* l. I. c. IX. n. 8.

4) Episcopi.

Vd.: *Reverentia erga Episcop.* (decr. n. 3845.)

Episcopo parato Subdiaconus ipse accipiet Manipulum et procedente Episcopo ad altare immediate ibit post crucem, librum Evangel. clausum ante pectus portans, in quo inclusus erit manipulus Episcopi et faciente Episcopo confessionem deponit librum in manus Caeremoniarii et ad *Indulgentiam, absol.*, accipiet ex dicto libro manipulum illumque a latere osculatur, et Episcopo, ubi est signum crucis, osculandum porrigit a sinistris; mox illum imponit sinistro brachio Episcopi et manum Episcopi osculatur. *Caer. Ep.* l. I. c. X. n. 2.

Oratio ad induendum manipulum statim post alias dicenda erit (ab Episcopo), cum dici non possit eo tempore, quo accipit manipulum. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 9.

Cum Episcopus dixerit: *Indul., absol. etc.* Subdiaconus capit manipulum, qui fuerat inclusus in libro Evangeliorum et a latere manipuli osculatur, deinde porrigit Episcopo osculandum, ubi est signum crucis, mox applicat sinistro Episcopi brachio cum osculo manus, ipsumque stricte religat. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 32.

Episcopo defuncto imponitur manipulum. *Ibid.* c. 38. n. 10.

5) Materia.

Vd.: *Paramenta* (materia.)

MANSIONARII.

1) Chorus.

Vd.: *Genuflexio coram Episcopo* (decr. n. 4595) *Thuriferarius.*

Mansionarii, qui eliguntur ex numero Capellanorum de Massa per Capitulum, tenentur repetere antiphonas intelligibili voce, prout versiculos ad Benedictus et Magnificat, dum pulsatur organum. n. 2083 ad 6 (2do loco) die 18. Decb. 1660.

Ad dubium 1: Utrum Mansionarius,

qui Caeremoniarii Capitularis et Sacristae munere fungitur, in obeundis tum Caeremoniarii tum Sacristae muniis Palliolum seu Mozzettam gestare possit?

2. An idem Mansionarius, dum praefatis Officiis incumbit aliunde remuneratis, jus nihilominus ad distributiones Mansionariis debitas habere queat? S. eadem C. rescribendum censuit

Ad 1: „Chorali habitu (uti Mozzetta est) in Choro tantum uti posse, et in Processionibus, in quibus ceu Mansionarius incedit."

Ad 2: „Affirmative, si tamen choro intersit, et aliter non fuerit in institutione provisum vel in Constitutionibus." Atque ita rescribere rata est. n. 5201. Die 8. Aprilis 1854.

2) Diaconi et Subdiaconi.

Mansionarii non tenentur praestare servitium in qualitate Diaconi et Subd. Canonico ubique celebranti. n. 4458 ad 2 die 18. Febr. 1794.

Ad dubium: An et in quacunque benedictione Canonici celebrantis teneatur Diaconus Mansionarius dicere: *Benedicite Rme. Pater,* et non: *Rnde. Pater?* S. C. resp.: Negative et amplius. *Ibid. ad 4.*

3) Praecedentia.

Mansionarii Cathedr. praecedentiam habent non solum supra Curatos ipsius civitatis (Caer. Ep. lib. II. c. XXXIII.) sed etiam supra Curatos rurales. n. 1176 die 20. Aug. 1639. (Cf.: *Stola in funerib.* (decr. n. 4046. 4107.)

Praecedentia in publicis processionibus, quae fiunt sub unica Cathedralis cruce, etiam funeribus, debetur Mansionariis intervenientibus cum Capitulo et non parochis. n. 4270 ad 1 die 16. Julii 1757.

4) Thurificatio.

Mansionarii in missis et vesp. thurificandos esse unico ductu. n. 4458 ad 5 die 18. Febr. 1794.

MANTELLETTUM.

1) Episcopi.

In propria Dioecesi Episcopus seu Archiepiscopus non habet usum Mantelletti, nisi in quibusdam casibus in Caeremoniali expressis et ideo eo uti non debet neque extra neque intra chorum in tribus diebus Passionis. n. 2381 ad 5 et 6 die 18. Sept. 1666.

Episcopus Vigevan. ut Visitator Hospitalis s. Matthaei, non sub Ordinario Papiens. sed immed. sub Sede apost. existentis, non debet deferre mozzettam sed tantum Mantellettum, quod Episcopus Dioecesanus denegare non potest. n. 2495 ad 1 die 5. Oct. 1669.

Cum primum aliquis certior factus fuerit, se alicui Ecclesiae Cath. vel Metrop. praefectum, sive ille in Curia rom. degat sive ab ea absens sit, statim curabit, sibi amplam coronam in capite decenter formari. Tunc et non prius, super vestem inferiorem talarem, cum extra domum exibit, induet aliam vestem breviorem apertam, ita ut per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis *mantellettum* vocant. Vestes autem hujusmodi erunt vel ex lana vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericae. *Caer. Ep.* l. I. c. I. n. 1.

Si Episcopus obviam iret alicui Cardinali Legato vel non Legato ad ejus civitatem venienti usque ad portam vel extra eam, vel, si cum eisdem per urbem incederet, induet supra rocchettum mantellettum. Et si erit Cardinalis Legatus, abstinebit etiam ab usu mozzettae. Secus si alicui maximo Principi aut dignissimo Praelato vel Nuntio

ap. obviam iret, quo casu non mutat habitum. *Caer. Ep.* l. I. c. IV. n. 7.

Vd.: *Mozzetta*; *Rocchettum*; *Vestis Episcop.*

2) Episcopi Administr.

Ad dubium: An uti possit Mozzetta, vel potius supra Rocchettum Mantellettam tantum gestare debeat?

Et S. eadem C . . . respondendum censuit:

„Negative ad primam, affirmative ad secundam."

Atque ita rescribendum rata est ac ex alias etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 2 die 23. Sept. 1848.

3) Episcopi Suffrag.

Episcopus Suffrag. Veliternen. non potest per civitatem uti mantello oblongo coloris violacei cum signis rubeis supra vestem nigram interiorem vulgo Zimarra. n. 3490 ad 6 die 6. Sept. 1698.

Episcopus suffr., qui in civitate sui Metropolitani de ordine SSmi. commoratur, non valens in propria Dioecesi commorari, non potest extra domum per civitatem Metropolitani deferre il Mantellane cum Zimarra. n. 3824 ad 2 die 22. Mart. 1710.

4) Praesidis vel Gubernatoris.

Cf.: *Praeses.* (c. II. VI.)

Talari etiam veste, rocchetto et mantelletto amictus erit Praeses sive Gubernator vel Vicelegatus publice invisens Archiepiscopum seu Episcopum, et quando eum pro publica visitatione aliave de causa in publica forma advenientem excipere debet. *Caer. Ep.* l. III. c. II. n. 3. Si Praeses aut Gubernator vel Vicelegatus neutro charactere (id est nec Presbyteratus nec Diaconatus) insignitus, cunctorum primus pariter ad communicandum procedet, rocchetto et mantelletto tantummodo indutus. *Caer. Ep.* l. III. c. VI. n. 2.

5) Quibus vititum est?

Vd.: *Rocchettum* (quibus vet.)

MANTILE.

1) Ad Lavabo.

Dicto Offertorio Episcopus lavat manus praebente mantile Presbytero assistente. Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 57. Vd.: *Lavabo. Ablutio.*

Lavante Episcopo Manus porrigit ei Presbyter assistens mantile ad tergendum. Ibid. l. I. c. VII. n. 3.

Assistens, ubi primum mappam porrexit et recepit, (dicto Offertorio) portat librum ad Cornu Evangelii etc. *Ibid.*

Episcopus lavat manus (ad Offert.) ministrante mappulam pro illis tergendis Presbytero assistente. *Ibid.* n. 64.

Duo Capellani servient Episcopo in missa *priv.* in respondendo . . . in porrigendo mantile, cum manus lavat. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIX. n. 5.

Vd.: *Lavabo Ep.* (Quoties.)

2) Ad Communionem.

Duo Capellani seu Acolythi cottis induti mantile album genuflexi sustinent ante communicandos hinc inde ambabus manibus per quatuor angelos. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIX. n. 3.

MANUS.

1) Elevatio.

Episcopus cantat alta voce *Gloria etc.* disjunctis elevatisque manibus ad altitudinem humerorum, ita ut vola unius manus respiciat alteram, quod semper in hujusmodi manuum elevatione ob-

servatur, et cum dicit Deo, jungit manus et caput inclinat. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 38.

2) Junctio et Disjunctio.

Vd.: *Inclinatio capitis* (decr. n. 4153); *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 22 etc.

Ad dubium: Aliqui Rubricarum expositores dicunt, post signum Crucis, quod fit in fine *Gloria in excelsis*, *Credo et Sanctus*, manus esse jungendas, etiam si nihil hujusmodi praescribat Rubrica. Rectene? S. C. resp.: „Serventur Rubricae." n. 4669 ad 30 die 12. Novbr. 1831.

Elevatis et statim junctis manibus cantat Episcopus *Pax vobis;* deinde conversus ad altare extensis et statim junctis manibus: *Oremus* et iterum extensis manibus Orationem, et cum dicit: *Per Dom. N. etc.* denuo jungit manus, prout plenius circa junctionem et disjunctionem manuum in rubrica missalis declaratur. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 39.

Finito Symbolo Episcopus cantat: *Dom. vobiscum* et *Oremus* manibus prius parumper extensis et mox statim junctis. *Ibid.* n. 55.

Ante Evangelium dicit Episcopus (in missa sol.) junctis manibus: *Munda cor etc. Ibid.* n. 41.

Thurificato altari *(in vesp. sol.)* redit Episcopus ad sedem et ibi thurificatur. Deinde deposita mitra retento tamen baculo inter *manus junctas* stat usque ad finem hymni. *Caer. Ep.* l. II. c. I. n. 15.

Episcopus *accepto baculo* pastorali eodem modo signat se in fronte etc. (ut Diaconus Evangelium cantans), tum retinet baculum inter ambas manus junctas. Ibid. l. II. c. VIII. n. 46.

Diaconus junctis manibus ante pectus dicit *Dominus vobiscum etc. Ibid.* c. VIII. n. 46.

Cantato *Credo* Episcopus cantat versus populum *Dom. vob. et Oremus,* manibus prius parumper extensis et mox statim junctis. *Ibid.* n. 55.

Illud in primis observandum erit ab Episcopo, ut, cum sacris vestibus paratus ad Missam seu Vesperarum solemnia progreditur, nisi pastoralem baculum deferat, semper junctis manibus incedat, hoc est, palmas extensas ac simul junctas ante pectus habeat, pollice dextero super sinistro in Crucis modum posito; interdum tamen illas disjungit, ut populo manu dextera aperta benedicat, ac mox iterum jungit easque sic junctas semper tenet, dum genuflexus orat, dumque ab altari ad sedem vel a sede ad altare progreditur. Cum autem sederit sive in sede sua Episcopali sive in faldistorio, si est paratus planeta, palmas disjunctas apertas super gremiali hinc inde positas quasi illud retinens habebit: sed cum surgit dicturus *Gloria in excelsis Deo etc.*, *Pax vobis* seu *Dominus vobiscum*, vel *Credo in unum Deum*, et similia, easdem sic junctas tenens, cum ea verba incipit proferre, aliquantulum disjungit et mox, dum pronuntiat ultima verba ex praedictis, eas iterum ante oculos elevatas jungit et cum aliqua ex praedictis versus altare dicit, ut *Gloria etc.*, *Credo* et similia, caput aliquantum versus altaris Crucem inclinat. Idem facit, cum in Praefatione dicit: *Gratias agamus etc.* et cum ante orationes dicit: *Oremus.* Cum vero orationes cantat, manus ipsas elevatas ac rectas ad humerorum aequalitatem retinet, ita ut palma palmam respiciat usque ad conclusionem orationis, id est: *Per Dominum Nostrum etc.* Quod cum dicere incipit, illico manus jungit et cum profert nomen *Jesu*, caput inclinat. Quoties autem dextera oblata super altari vel alia signat, sinistram super altari tenet et dextera manu aperta benedicit. Si vero extra altare seipsum signat, sinistram extensam tenet infra pectus.

Quoties autem et quomodo post lectum Offertorium usque ad Communionem signare super Hostiam aut calicem tam ante quam post consecrationem debeat, ac quo pacto manus et digiti sint extendendi, habetur in Rubricis Missalis, ideo supervacuus labor esset illa hic repetere. *Caer. Ep.* l. I. c. XIX. n. 1—3.

3) Ministri sacri non admovent ad altare.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXX. n. 7.

4) Quo loco ponenda?

Manus sinistra poni debet super Missale ad Evangelium, cum dextera fit signum crucis super ipsum. n. 4526 ad 25 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium: an Sacerdos ponere debeat manus intra corporalia, dum dicit Orationem: *Supplices te etc.* et Orationes ante Communionem? S. C. resp.: Servandas esse rubricas, quae jubent manus ponendas esse super altare non intra Corporale. n. 4526 ad 35 die 7. Sept. 1816.

Sacerdos in missa de requiem ponere debet manum sinistram super altare, dum facit dextera signum crucis ad Introitum. n. 4526 ad 42 die 7. Sept. 1816.

MANUTERGIUM.

Non licet Sacerdotibus deferre manutergium supra calicem tam eundo quam redeundo ab altari. n. 3661 die 1. Sept. 1703.

MAPPA.

1) Abaci.

Fer. sexta in Parasceve in abaco mappa superponatur sed a nulla parte pendeat. *Caer. Ep.* l. II. c. XXV. n. 2.

2) Altaris in Parasceve.

Dum Episcopus ante altare procumbit, extenditur per Acolythos aut Caeremoniarios mappa super altari. *Caer. Ep.* l. II. c. XXV. n. 9.

Per Clericos et Ministros extenditur mappa super altari, quae parum hinc inde pendeat. *Ibid.* c. XXVI. n. 2.

3) Episcopi.

Extenditur super ejus (Episcopi) gremio mappa munda per duos Acolythos et imponit cineres eidem Canonico celebranti ante se inclinato... *Caer. Ep.* l. II. c. XVIII. n. 9.

Tradita Episcopo candela (in die Purif. B. V. M.) ponitur super ejus gremio per duos Capellanos mappa. *Caer. Ep.* l. II. XVI. n 9.

Tradita Episcopo palma ponitur mappa per Acolythos super gremio Episcopi, quam ipsi hinc inde genuflexi tenent usque ad finem distributionis palmarum. *Caer. Ep.* l. II. c. XXI. n. 6.

Tradita Capellano candela Episcopi imponitur super ejus gremio per duos Capellanos mappa. Ibid. c. XVI. n. 9.

Finita distributione Episcopus lavat manus et amovetur mappa. *Ibid.* n. 13.

4) Pro Lotione manuum.

Vd.: *Mantile.*

S. MARCUS EV.

De Lytaniis et processionibus in die S. Marci, vd.: *Lytaniae majores.*

De ejus Vigilia, vd.: *Vigiliae festorum etc.* decr. sub. n. 3375.

De ejus translatione, cf.: SS. *Philippus et Jacobus* (decr. n. 3748.)

De ejus vesperis, quando occurrit cum festo Annuntiat. B. V. M., vd.: *Annuntiatio* B. V. M. (Vesp.; decr. n. 4119.)

De ejus occurrentia cum Patrocinio s. Joseph. Vd.: Patroc. s. Jos. (decr. n. 4101. 4171. 4110, 4143); *cum Officio SS. Redempt. et Patroc. s. Joseph.* vd.: SS. *Redempt.* (transl. n. 4859.)

SS. MARCUS ET MARCELLIANUS.

Vd.: *Festum* (separ.)

In ecclesia s. Mariae in Porticu, ubi asservatur brachium s. Marcelliani tantum (occurr. 18. Jun.), faciendum est off. etiam de s. Marco sub ritu dupl. minori de comm. pl. mm. S. R. C. Aug. 1717 *in una Urbis*.

S. MARGARITA DE CORTONA.

Pius PP. VI.

Ad eximia pietatis in Deum aliaque multiplicia regiarum virtutum dona, cum singulari in Nos et apostolicam hanc sanctam Sedem fide et devotione conjuncta, quibus carissimam in Christo filiam Nostram Mariam Annam Victoriam Portugalliae et Algabiorum reginam fidelissimam ab omnium bonorum largitore Deo cumulate condecoratam esse gaudemus, paternae dirigentes considerationis intuitum merito adducimur ad concedenda ea, quae ad augendam in terris sanctarum in coelis cum Christo regnantium venerationem admodum conferunt, quaeque tam suae quam aliorum spirituali consolationi animarumque saluti speramus in Domino profutura. Itaque piis et enixis ejusdem Mariae Annae Victoriae reginae supplicationibus Nobis per dictum dilectum filium vicecomitem Franciscum de Almada et Mendoca super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, ut a clero tam saeculari quam regulari in iisdem regnis et dominiis ditioni carrissimi in Christo filii nostri Josephi Portugaliae et Algabiorum regis fidelissimi subjectis degentibus officium cum missa in memoriam sanctae Margaritae de Cortona cum lectionibus secundi nocturni et antiphonis ad Benedictus et ad Magnificat ac oratione propriis, jam pro universo ordine sancti Francisci approbatis atque a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum sub die V. Maji 1736 ad clerum saecularem et regularem totius Italiae extensum, in festo ejusdem sanctae sub ritu duplici minori recitari ac respective celebrari possint et valeant apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae die 28. Martii 1775.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 25. Ed. Rom. 1842.)

S. MARGARITA SCOTOR. REG.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl: an in festo s. Margar. Scotor. Reginae 10. Junii expungi debeant ultima verba lectionis: „*Cujus festum ab eodem Pontifice concessum, Innocentius XI. ad octavam Idus Julii transferri jussit?*“ S. C. resp.: Affirmative. n. 4044 ad titul. XXV. dub. 8 die 5. Maji 1736.

S. MARGARITA V. M.

Vd.: *Translatio* (festi perpetuo translati; decr. de die 12. Sept. 1840.)

S. MARIA B. V.

Vd.: *Officium*, *Festum*, *Lytaniae B. V. M.*; *Titularis Eccles. B. V. M.*

(Inclinatio capitis ad Nom. Mariae.)

Vd.: *Inclinatio capitis.*

Diaconus (cantans Evangel.) cum profert nomen *Jesu* vel *Mariae* inclinat se et profundius cum dicit: *Jesus*; quod et omnes faciunt. Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 46.

S. MARIA MAGD.

Vd.: *S. Bonaventura.*

Ad dubium: Quaeritur: quae sint Lectiones II. et III. Noct. in die octava S. Mariae Magd. in iis locis, ubi eadem Sancta veneratur ut Patrona vel Titularis?

Et S. eadem C . . . respondendum censuit:

„Lectiones in casu sumantur ex Octavario Rom. in Festo hujus Sanctae."

Atque ita rescripsit propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 1. Die 7. Sept. 1850.

S. MARIA MAGDAL. DE PAZZIS.

1) Lectiones.

Vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044.)

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: Cum plerumque Officium monasticum careat in 1. n. lectionibus s. scripturae, quaeritur: an in festo s. Mar. Magdal. de Pazz. legendae sint lectiones de comm. vel de canticis, ut in festo s. Mar. Magd. poenitentis? S. C. resp.: Dicantur omnino lectiones de communi. n. 4044 (2do) ad 20 die 23. Julii 1736.

2) Ritus.

Off. s. Mar. Magd. de Pazz. alias sub ritu semid. pro eccles. universali die 25. Maji recitari concessum, in posterum ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus in tota Italia et Insulis adjacentibus, qui ad horas canon. tenentur, sub ritu dupl. recitari posse et debere concessit Bened. XIII. S. R. C. 28. Jan. 1728.

De ejus Canonis. a Clem. IX. facta, vd.: Bullam Clem. X. die 11. Maji 1670 (Bull. r. t. XI. p. 6.)

3) Translatio.

Ad dubium: Cum festum s. Gregorii VII. ex mandato Bened. PP. XIII. sit celebrandum 25. Maji, quo die antea celebrabatur festum sem. s. Mariae Magd. de Pazz.; quaeritur: an hoc festum habeat fixum diem an vero sit transferendum in primam diem non impeditam? S. C. resp.: Esse assignandam primam diem non impeditam. n. 4049 ad 4 die 23. Junii 1736. n. 4056 ad 4 die 16. Febr. 1737.

S. MARTINA.

Vd.: *Hymnus proprius* (decr. n. 4669.)

MARTYR.

1) Antiphona.

Cf.: Vesp. (regul.); *Concurrentia festor.*

Si uno die occurrant plures martyres, Officium unum semid. et aliud simpl., utrum in vesp. pro commemoratione simpl. dicenda antiphona: *Gaudent in etc.* de 2. vesp., ut exemplum est 16. Sept. Utrum detur ibi regula vel exceptio regulae rubric. de commemoratione. n. 8? S. C. resp.: Servandam esse rubricam 9. de commemor. n. 16, nisi aliter assignetur in propriis locis, ut ibi docet eadem rubrica. n. 3301 ad 4 die 10. Jan. 1693.

2) Missa.

Ad dubium: an si transferantur ad tempus paschale festa ss. mm., in quorum missa Introitus sit: „*Gaudeamus omnes etc.*, debeat idem Introitus dici tempore quoque pasch. vel potius alter ejusdem temporis: *Protexisti?* S. C. resp.: Si Officium missae ss. mm. ultra Introitum: *Gaudeamus etc.* habet etiam proprium vel Evang. vel Epistolam, tunc debeat recitari idem

Introitus; secus si nihil aliud proprii haberet. n. 4080 ad 1 die 29. Novb. 1738.

Ad dubium: An si festum alicuj. s. mart. habens in missa proprium Evang., transfertur ad tempus pasch., dici debeat idem proprium Evang. vel potius unum ex assignatis pro tempore pasch.? S. C. resp.: affirmative quoad primam partem, negative ad secundam. n. 4080 ad 2 die 29. Novb. 1738.

Vd.: *Missa* (tempore Pasch.)

3) Officium.

Ad dubium: Si festum s. Martyris habens missam de comm. pasch. transferri contingat extra tempus pasch., quaenam regula servanda est pro determinatione missae et Evangelii et Lectionum? S. C. resp.: Officium sumatur de communi mm. extra temp. pasch., retentis lectionibus, oratione et si quid aliud habet in propriis, et regula sumenda est ex ipso Evangelio vel oratione, si sit de communi, quae indicat, utrum sumpta sint ex I. aut II. loco. Die 11. Sept. 1841.

Ad dubium: An in festis scilicet s. Canuti, s. Hermenegildi et s. Wenceslai dicenda sit homilia s. Hieronymi super Evang.: *Nolite arbitrari*, ut paucis abhinc annis notat. in Brev. rom. Matriti typis dato? Et quatenus negative: an saltem dicenda sit in festo un. m. non p., in quo dicitur missa: *In virtute tua*, et qui in nullo Brev. habet homiliam, sicut 40 abhinc annis indicatur in Hispaniae Breviario, vel potius: an dicenda sit homilia s. Hilarii ep., quam in casu praecipit Octavarium rom.? S. C. resp.: In casibus propositis et similibus servandam esse regulam a Gavanto traditam, nempe homiliam esse sumendam ex proprio SS., si habeatur respondens Evangelio, quod legitur in missa, vel ex octavario romano. Quod si in illo non reperiatur, istud vero desit, legendam in Off. homiliam Evangelii, quae habetur in communi; in missa vero idem Evangel., cujus homilia recitata est in officio. Die 2. Mai 1801.

Vd.: *Lectiones de Sanctis* (decr. de die 16. Junii 1677)

4) Reliquia.

De celebrando festo alicujus m., cujus adest *reliquia insignis,* vd.: *Reliquia insignis.*

5) Responsorium.

Responsorium: *Domine praevenisti etc.* dicendum esse in quocunque Officio Martyrum, qui perierunt, non effuso sanguine. n. 3301 ad 5 die 10. Jan. 1693.

MARTYRES PUERI.

Utrum pueri ante usum rationis in odium Christi occisi sunt canonizandi eisque cultus sit publicus praestandus? Vd.: *Constit. Bened. XIV.* de die 22. Febr. 1755. (Bull. r. t. XIX. p. 120.)

MARTYRES QUADRAG.

Ab eo tempore, quo Innocentius X. ad dupl. ritum erexit Off. s. Franciscae Rom. dubitari coepit, an festo quadrag. martyrum sit assignanda dies fixa, nempe dies 10. Mart. an vero idem festum tamquam translatum prima die non impedita sit celebrandum. S. R. C. resp.: Assignari debere certam sedem Officio 40 mart., diem scilicet 10. Mart. idemque in novis Martyrologiis servari mandavit die 29. Nov. 1659. Cf.: *Dies fixus.*

MARTYROLOGIUM.

1) Anuntiatio festorum.

Annuncianda sunt festa iisdem die-

bus et verbis in Martyrol. romano descriptis. Quodsi eorum transferantur Officia, pridie, quam celebrentur, potest nuntiari festum illius Sancti, de quo sequenti die agetur sol. memoria. n. 4044 *(alia dubia)* dub. 14 die 5. Maji 1736.

Festa perpetuo in aliam diem translata sunt praenuncianda in martyrologio eo ipso die, quo celebrantur, non eo die, quo notantur. n. 4119 ad 9 die 2. Sept. 1741.

Datur Decretum S. R. C. in Einsidlensi diei 5. Maji 1736, juxta quod Festa a die obitus translata, quae sortita sunt aliam diem fixam, annuncianda sint in iisdem diebus et verbis in Martyrol. Rom. descriptis. Quod si eorum transferantur Officia, pridie quam celebrentur, potest nuntiari Festum illius Sancti, de quo solemnis memoria agitur sequenti die. Quaeritur 1: quomodo legi possit Martyrologium, si hujusmodi Festa translata a die obitus celebranda sint perpetuo in aliqua Dioec. vel Eccl. non illa die, qua celebrantur in Eccl. universali et annuntiantur in Martyrol., sed alia die? Hoc locum habet v. g. in Festo S. Thomae a Villanova, cujus Elogium occurrit in Martyrol. VI. Id. Sept., additis his verbis: — cujus Festum X. Kal. Oct. celebratur; — dein X. Kal. Oct. rursum fit mentio ejusdem Festi, tamquam a die natali translati. Porro in Dioec. Mechlinien. Festum S. Thomae a Villanova perpetuo est translatum ad diem 25. Sept., quae est prima dies non impedita: an jam illud Festum annunciari debeat X. Kal. Oct., ut in Martyrol., vel an omissa ejus mentione illa die, annuntiari debeat VII. Kal. Oct., quae est dies fixa pro ejus celebratione?

2: S. Petrus Damianus migravit ad Christum VIII. Kal. Mart., ut legitur in ejus Officio Lect. VI.: quum autem ea die fiat Officium de Cathedra S Petri Antiochiae, Festum S. Petri Damiani celebratur die sequenti, sive VII. Kal. Mart. ex Decreto Urbis et Orbis diei 1. Oct. 1828. Quaeritur igitur: qua die ejus Elogium inseri debeat Martyrologio an 22. vel 23. Febr. vel an bis de S. Petro Damiani facienda sit mentio?

Et S. eadem C . . . respondendum censuit ad quaest. 1: Martyrolog. legendum esse, ut jacet; pridie autem uti ex consuetudine aliarum Ecclesiarum, annuntiari potest *Festum s. Thomae etc. de quo agitur;* ad quaest. 2: „Quum primo inserendum sit hoc Elogium ponendum esse die 23. Febr.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad X. die 7. Dec. 1844.

Ad dubium: 1. An in Lectione Martyrologii annuncianda sint Officia votiva persolvenda insequentibus diebus?

2. An item annuncianda sint Officia per accidens translata?

Emi. itaque ac Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

Ad 1: „Affirmative juxta Rubricas et alias decreta.“

Ad 2: „Ut ad proximum.“

Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt, die 8. Aug. 1835. n. 4767 ad 4 et 5.

Ad dubium: Utrum in pronuntiatione lectionis Martyrologii rom. elogium s. Cypriani oppidi Fontis Tiberii patroni princ. sit separandum ab elogio s. Cornelii, ex eo, quod Officium unius separatur ab alio? An S. Cyprianus nominandus sit in primo loco? S. C. resp.: Affirm. ad primam et secundam partem. Die 16. Febr. 1781 *in una Ord. Carm. Excalc.* ad 24 et 25.

2) Cantatio.

Ad dubium: an Parocho terrae s.

Joannis in Flore Cansentinae Dioeces. et suo Clero liceat in die Nativ. Dom. ob Officium divinum, quod cantari solet in choro in praedicta die et aliis festis D. N. J. Chr., ad Primam solemniter cantare Martyrologium ordinatum cantari in vigilia mutato colore et hoc ob majorem solemnitatem ipsius et sui Cleri? S. C. resp.: Non licere et serventur rubricae. n. 3759 die 22. Jan. 1707.

Sacerdos cantaturus Martyrologium in vigilia Nativ. Dom. indutus Stola et Pluviali accedere non debet ad Superiorem gestantem habitum quotidianum et naviculam ministrare et genuflexus ab eo benedictionem petere, sed ipse imponere debet incensum et annuntiare Nativitatem D. N. absque ulla petitione benedictionis. n. 4393 ad 11 die 27. Mart. 1779.

Ad dubium: In Vigilia Nativitatis Domini Martyrologium cantatur in Metrop. Pisana a Capellano in habitu chorali tantum sine luminaribus et incenso. Haec consuetudo omnino est contraria usui communi aliarum Ecclesiarum, ubi Martyrologium hoc cantari solet ab Hebdomadario cum Stola et Pluviali, thure et luminaribus, ideoque non est laude digna.

S. C. resp.: „Servari posse solitum, adamussim tamen servatis Rubricis novissimae Martyrologii editioni adjectis; dummodo Archiepiscopus noluerit solemniorem alium inducere ritum.“ n. 4672 ad 21 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: Utrum Pluviale pro canendo Martyrologio in Vigil. Nativ. D. debeat esse coloris albi vel potius violacei? S. C. resp.: Coloris violacei. Die 22. Mart. 1817.

3) Editio.

De nova Editione Martyr., vd.: *Constitut. Bened. XIV.* die 1. Jul. 1748 (Bull. r. t. XVII. p. 240.)

4) Sancti.

Vd.: *Calendar. rom.*; *Sancti; Beati*; *Prima*; *Pluviale ad Martyrol.*

In Martyrologio non esse inserendos, qui non sint vere canonizati; nec sufficere, quod declarati fuerint *Beati.* n. 738 die 27. Mart. 1628.

In Martyrologio rom. de novo imprimendo addendos esse illos Sanctos tantum, qui fuerunt canonizati, non autem, qui declarati fuerint Beati post ultimam impressionem dicti Martyrologii. n. 2927 die 31. Aug. 1680.

MATERIA.

1) Calicis.

Vd.: *Missa* (In altari etc. *Decr. Bened. XIV.* die 29. Mart. 1751. §. 3, et de die 29. Mart. 1751.)

2) Campanarum.

Limburgen.

Ab expositis huic S. Sedi ap. a Rdmo. D. Episcopo Limburg. apparet in illa etiam Dioecesi ad usum Ecclesiarum passim comparari campanas fusas ex chalybe, nimirum ex *puro ferro,* quod per fusionem et alias machinationes majorem duritiem et rigiditatem accipit. Quum autem Episcopus Orator haud certe sciat, num chalybs istiusmodi sit materia satis apta benedictioni, seu an aliquid obstet, quominus campanae ex chalybe fusae benedici possint juxta ritum in Pontif. rom. praescriptum, ab eadem S. Sede opportunam declarationem supplicibus votis imploravit. S. vero R. C. resp.: Nihil ostare. Die 16. Febr. 1858.

3) Paramentorum.

Vd.: *Paramenta.*

MATERNITAS B. V. M.

1) Officium.

Ne interpolatio Scripturae habeatur, quaeritur: an in Festo Maternitatis B. M. V. in Capitulo ad Vesperas et Laudes apponi possint in hac nova Breviarii Editione deficientia verba: *et in Israël haereditare?*

S. ipsa C... respondendum censuit: „Nihil addendum, sed legendum ut jacet.“

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit die 29. Mart. 1851. n. 5157 ad 6.

2) Translatio.

Vd.: *Festum B. V. M.*; *Officium B. V. M.*; *Rosarium* (transl. festi. decr. n. 5213); *Officium* (Dominicae assignat.)

In decreto Concessionis Officiorum SS. Redemptoris recitand. Dominica 3. Julii Maternitatis ac Puritatis B. V. M. pro Dominicis 2. et 3. Octobr. legitur: Quoties aliqua ex supracitatis Dominicis fuerit impedita Officio potioris juris et aequalis ritus, Officium eidem affixum transferri licite valeat in proximiorem diem non impeditam, servata rubricarum dispositione de transl. fest. Ideo: Si aliqua ex enunciatis dominicis fuerit impedita Officio aequalis ritus sed inferioris dignitatis, an transferendum vel faciendum sit Officium supraenunciatum concessionis? S. C. resp.: Attenta conditione apposita in concessione transferenda esse praefata Officia, quatenus in assignatis dominicis occurrant alia potioris juris vel aequalis ritus, servata dispositione rubr. in transl. n. 4594 ad XII. die 12. Apr. 1823.

Ad dubium: An Officia Maternitatis et Puritatis B. M. V. assignata ut plurimum Dominicis II. et III. Oct., occur. alio Officio potioris ritus vel majoris dignitatis, transferri possint ad primas insequentes dies liberas, quamvis haec facultas non appareat in concessionis Decreto hac tantum de causa, quia ampliationem cultus important Bmae. V.?

Et S. eadem C . . . rescribere rata est: „Juxta alias decreta negative in casu.“

Atque ita rescripsit servarique ubique mandavit. n. 5114 ad 11. Die 11. Sept. 1847.

S. MATHIAS AP.

1) Transl. in anno bisext.

Cf.: *Vigil. anticip. etc.* decr. sub. n. 3326

Pro festo s. Mathiae ap. decisus fuit in anno bisext. proprius dies 25. Febr., qui alias est 24., ita quod si habeatur assignata dicta dies 25. pro aliquo Sancto minoris ritus particularis ordinis, iste sit transferendus illo anno in proxime sequentem diem non impeditum. Quaeritur: An idem intelligi debeat de aliis Sanctis seu Officiis occurrentibus in tribus sequentibus diebus Februarii, ut habent Canonici Regul. Lateran., ritu dupl. in proprio Octavario, scilicet 25. s. Felicis P., 27. s. Leandri Episc., ita quod Officium s. Felicis in anno bisext. sit proprium pro die 26. etc.? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2943 ad 6 die 1. Mart. 1681.

Officium particulare alicujus Dioecesis vel Religionis, quod occurrit die 25. Febr., est transferendum in anno bisex. ad primam diem non impeditam officio 9 l. (nisi esset festum Tituli seu Patroni Ecclesiae) ut fiat Officium s. Mathiae ap. S. R. C. 7. Decb. 1680 *in una Can. Regul.*

2) Vigilia.

Occurrente Vigilia s. Mathiae ap. in

fer. III. post Dom. Quinquag. observandum est jejunium, quod non potest anticipari ratione carnis privii. S. R. C. 23. Jan. 1694. *In Primin.* (Bull. r. t. VII. p. 294.)

MATRIMONIUM.

Vd.: *Nuptiae; Missa vot. pro Sponsis.*

Sponsi; *De matr. presbyt. graeci*, vd.: *Ordinatio Graecor.* (n. XXVI—XXVIII.)

De Matrimonii Ministro, vd.: *Benedictio Annuli Nuptiar. secundar.* (decr. n. 4780 *nota.)*

De Matrimoniis secundis, vd.: *Ibidem.*

Capellani vel Vicarii parochiae temporanei, qui commissionem gener. ad omnium Sacramentorum administrationem in parochia a parocho habent, non indigent expressa licentia ad valide assistendum matrimoniis, nisi expresse parochus contradixerit. S. C. C. 22. Julii 1581.

Pluria matrimonia in ead. missa possunt benedici. S. C. Inq. 1. Sept. 1841.

De dissolutionibus matrim., vd.: *Admonitio Bened. XIV.* de die 11. Apr. 1741 ad Episcopos in Poloniae Regno, ut cautius procedent in admittendis conjugiorum dissolutionibus. (Bull. r. t. XVI. p. 26.)

De dispensandis impedim. matrimonii, vd.: *Indult.* (revoc. VIII.)

Causarum matrimonialium judicia coram quibus et quo ordine ac forma peragenda sint, vd.: *Bullam Benedict. XIV.* die 3. Nov. 1741 (Bull. r. t. XVI. p. 48.)

De matrimoniis in Hollandia et Belgia contrahendis et de matrimoniis occultis, vd.: *Brevia Bened. XIV.* de die 4. et 17. Nov. 1741 (Bull. r. t. XVI. p. 52—55.)

Dispensationem matrimon. causas veraciter exponendas et ab executoribus omnino verificandas esse statuitur in Constit. Bened. XIV. 25. Febr. 1742. (Ibid. p. 73.)

Damnantur et annullantur pacta inter Conjuges inita de non appellando a sententia lata pro matrimonii nullitate per Constitut. Bened. XIV. die 18. Maji 1743. (Bull. r. t. XVI. p. 160.)

De matrimonio post adulterium factum ineundo, vd.: *Bullam Bened. XIV.* 5. Dec. 1744. (Bull. r. t. XVI. p. 260.)

De Matrimonio Clericor. Cophtorum in Ordine *Subd. et Diaconatus constitutorum*, vd.: *Constitut.* Bened. XIV. die 4. Maji 1745. (Bull. r. t. XVI. p. 294 §. 17.)

Matrim. per professionem votorum sol. tantum dissolvi, vd.: *Votum Regul.* (decr. de die 25. Jan. 1861.)

De Matrimonii Validitate inter virum Judaeum et mulierem haereticam; vd.: *Consit. Bened. XIV.* die 9. Febr. 1749 (Bull. r. t. XVIII. p. 3.)

Benedictus PP. XIV.

(De Matrim. cor. civili Magistratu ineundis.)

Redditae sunt Nobis per Dilectum Filium eumdemque primarium administrum nostrum Silvium Cardinalem Valenti vestrae litterae, quibus subortam inter vos in re gravis sane momenti controversiam exponitis eamque judicio nostro subjicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare proprositum vestrum, quo Sedem Apostolicam consulendam censuistis ejusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini; quam si omnes, cum similes emergunt quaestiones, pari docilitate exquirerent et sequerentur, non tanta succresceret in dies inter Evangelicos Operarios opinionum varietas, nec doleremus aliquando ob eorumdem in tradenda morum doctrina diversas sententias, in partes distrahi Christianum populum eamque scindi mentium ani-

morumque discordiam, quam Christus Dominus Ecclesiae suae commendatam voluit usque adeo, ut ea praesertim, quasi tessera, discipulos suos cognoscendos praedixerit.

§. 1. Exposuistis itaque Nobis non raro istic contingere, ut Catholici Matrimonium inter se contracturi Civilem adeant Magistratum aut Haereticum Ministellum, quibus se sistere legibus Patriae coguntur et coram illis mutuum exprimant in Conjugium concensum, quem tamen postea renovare coram legitimo Ministro Catholico et duobus Testibus, uti Tridentinum praecipit, aut omnino negligunt aut in longum tempus differunt: interim verò, perindè ac si legitimi Conjuges jam forent, non dubitant omnem Conjugalem consuetudinem inter se habere. Quaesivistis deinde, quid de illo consensu sentiendum sit coram Civili Magistratu aut haeretico Ministello praestito: num scilicet satis fuerit ad perficiendum Matrimonium validum, saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur; etsi ad Sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quaestionem adducit; si enim res ita se haberet, uti primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram Parocho Catholico consensum, omni flagitio vacaret et suscepta inde proles absque ulla dubitatione esset legitima reputanda.

§. 2. Jam verò, ut postulatis vestris breviter simul et dilucidè respondeamus, unaque controversiam omnem judicio nostro praecidamus, sic habete: Ubicumque promulgatum et receptum sit Concilii Tridentini Decretum *Cap. 1. Ses. 24. de Reformat. Matrim.*, ibi nulla prorsus atque in omni ratione irrita esse conjugia aliter quam coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho aliove Sacerdote Parochi vices agente et duobus Testibus celebrata. Scimus profectò esse Theologos, qui in ipso Fidelium Matrimonio Contractum a Sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad Sacramenti excellentiam pertingat; sed quidquid sit de hac opinione, quam Nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certè, quod attinet ad rem praesentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentina lege obstringuntur: etenim qui praeter formam a se praescriptam Matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo sed Contractum ipsum irritum dissertè pronunciat, atque ut ejus verbis utamur: *Eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et hujusmodi contractus irritos esse decernit.* Quare, cum inter Catholicos in istis Provinciis degentes et promulgatum et receptum jam fuerit illud Tridentini Decretum, quod ambo fatemini perspicuum est, Matrimonium ab ipsis invicem initum coram Civili Magistratu aut Acatholico Ministello et non item coram proprio alterutrius contrahentium Parocho et duobus Testibus, neque in ratione Sacramentali neque in ratione Contractus sustineri aut ullo pacto validum reputari posse. Neque verò rationes, propter quas valida pronunciavimus Matrimonia, quae aut ab haereticis inter se aut a Catholicis cum haereticis in istis foederatis Provinciis contrahuntur non servata forma Tridentini, aptari queunt Conjugiis inter se initis a Catholicis, quorum quilibet Tridentini Decreto se obstrictum agnoscit ejusque se auctoritatem sequi profitetur.

§. 3. Sciant itaque Catholici vestrae curae concrediti, cum Civili Magistratui aut haeretico Ministello Matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se merè civilem se exercere, quo suum erga Leges et Instituta Principum obsequium ostendunt: Caeterum tunc

quidem nullum a se contrahi Matrimonium. Sciant, nisi coram Ministro Catholico et duobus Testibus nuptias celebraverint, numquam se neque coram Deo neque coram Ecclesia veros et legitimos Conjuges fore: nec, si interim conjugalem inter se consuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua ex hujusmodi conjunctione orietur soboles, eam utpote ex non legitima uxore natam in oculis Dei fore illegitimam et nisi conjuges consensum ex Ecclesiae praescripto renovaverint, illegitimam perpetuò futuram etiam in Ecclesiae foro.

§. 4. Erit porro officii vestri, haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam suaserint, circumspectione et cautela, singulis explicare prolixius simulque omnes commonere, ut siquidem Regionis consuetudini et terreni Principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed Religione salva, potioresque ducant sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium Matrimonia constringuntur. Illud praeterea vobis curandum est, ne, etiamsi duo Catholici civilem illam ac merè politicam coram haereticis caeremoniam peregerint, nimirum inter se familiariter agant aut sub eodem tecto in communi habitent nisi se prius veris et legitimis nuptiis ex norma Tridentini alligaverint; quamquam enim ea familiaritas esse possit sine flagitio, flagitii certè periculo et suspicione non vacat: utrumque autem probis et benè moratis Christifidelibus cavendum est. Ad ejusmodi porro evitanda pericula, cognoscimus, consultius utique fore, ut Catholici, nonnisi Matrimonio jam antea in facie Ecclesiae inter se legitimè celebrato, ad illam explendam civilem Caeremoniam, saecularem Magistratum, seu Haereticum Ministellum adirent; sed quoniam ex vestris litteris deprehendimus, id non sine periculo et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite, ut, postquam Reipublicae morem illi gesserunt, non diù differunt Ecclesiae legibus parere, et conjugale foedus juxta praescriptam a Tridentino normam ritè et sanctè inire; et si quid tum super hac re tum super aliis, quae istam Missionem respiciunt, Nobis suggerendum esse putetis, communicato inter vos consilio, operam nostram implorate, quam semper praesentem invenietis.

§. 5. Epistola haec nostra tibi, dilecte fili, Paule Simon a S. Joseph, inscripta est: eam tamen volumus a te communicari etiam dilecto filio Hadriano Augustino Won-Dueck Pastori Leidensi, cujus scriptum super ea, de qua nunc agitur, controversia, a supradicto Cardinali de Valentibus nobis oblatum libenter perlegimus.

§. 6. Postremo vos hortamur majorem in modum, ut istum Dominici Gregis non contemnendam portionem sedulo, sicuti laudabiliter hactenus fecistis excolere, atque ad omnem pietatem informare pergatis, Vobisque interim Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 17. Sept. 1746.

Pontificatus Nostri Anno Septimo. (Bull. r. t. XVIII. p. 313.)

MATUTINUM.

1) Celebrans absente etc. Episcopo.

Vd.: *Nativitas Dom.*; *Bened. in Mat.*; *Pluviale. Usus Pontifical.*

Absente Episcopo spectare Officium facere ad Matutinum ad Dignitatem celebrantem prout spectaret ad Episcopum, si praesens esset — non ad hebdomadarium. n 1015 die 3. Mart. 1635.

Absente vel impedito Episcopo prima Dignitas tenetur celebrare Matutinum. n. 1044 die 21. Juni 1636.

Ad dubium: An prima Dignitas celebratura pro Episcopo absente, etiam Officium faciat ad Matutinum? S. C. resp.: spectare in hoc casu ad celebraturum omne id, quod spectaret ad Episcopum, si praesens esset. n. 1015 die 3. Mart. 1635; n. 2710 die 4. Aug. 1674.

Jus dicendi orationem: *Respice quaesumus etc.* in functionibus fieri solitis in hebdom. maj. spectare absente Archiepiscopo ad primam Dignitatem, non ad Vicarium. n. 2391 die 15. Jan. 1667.

2) Matutinum et Laudes conjunct. recitantur.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Off. temp. decr. n. 4656 *nota.)*

3) Tempus.

Vd.: *Nativitas D. N.* (Officium).

Abbas quidam petiit, ut propter periculum furi invasionesque male viventium etc. in Monasterium facultas Matutinum sub noctem recitandi concedatur. S. C. resp.: Extruant Oratores Sacellum privatum commodum, ubi Matut. hora consueta celebrari possit; tempus vero ad id ab Ecclesia praescriptum non alteretur. n. 55 die 20. Julii 1593.

Ubi adest *consuetudo* recitandi Matut. media nocte, a *Clero saecul.* potest dimitti et mutari ut recitetur albescente die ex justa causa. S. R. C. 21. Julii 1607.

Abbas quidam propter multas causas petiit, ut liceat Matutinum recitari *post Completorium diei praecedentis.* S. R. C. resp.: *Nihil.* n. 102 die 10. Jan. 1597.

Capitulum Mirand. iterum supplicat, impertiri licentiam recitandi Matutinum post Completorium a die prima Nov. ad diem primam Maji, idque propter nimia ejus loci frigora. S. R. C. resp.: *Nihil.* n. 105 et 111 die 10. Jan. 1597.

Canonici Cathedr. Nucer. consueverunt ab immemorabili tempore paulo post ortum solis recitare in choro Matutinum et successive horas Canonicas et immediate post Nonam cantare missam convent. S. C. resp.: *Servari Solitum.* n. 814 die 11. Junii 1629.

Canonici Bav., ex ritu graeco ad latinum regressi, convenienter Matutinum *mane* recitent, prout faciunt Latini et non post Vesperas juxta ritum graecum. n. 182 die 14. Decb. 1602.

Non licet Canonicis Cathedr. Pennen. in Vigiliis dierum SS. Corp. Chr., Conceptionis B. V. M., s. Rogationum, ss. Maximi et Blasii etc. anticipare horam pro recitatione Matutini de sero post vesperas ac campanas ad hujusmodi effectum pulsare absque licentia Episcopi. n. 4246 ad 2 die 13. Julii 1754.

Ad dubium: an tempore Quadrag. liceat Capitulo Cathedr. Urbevetan. recitare Matutinum pro die sequenti de sero immediate post Completorium? S. C. resp.: Negative. n. 4062 ad 10 die 3. Aug. 1737.

Matut. dicend. ante celebr. missae, vd.: *Ordinatio Graecor.* (n. V.)

S. MAURUS. ABBAS.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: Si ob festum ss. Nominis Jesu contingat transferri festum s. Mauri abb., quod est 2. cl., quando celebrabitur hoc festum? S. C. resp.: Officium s. Mauri abb. fiat prima die non impedita. n. 4044 (2do.) ad 16 die 23. Julii 1736.

MAZZERIUS.

Si Mazzerius non est de gremio Beneficiatorum, non posse per Cano-

nicos concedi signum, quod deferunt Beneficiati ex indulto apostolico, sine expressa licentia Sedis apostolicae; idem dicendum de Confaloniero et Magistro Caeremoniarum. n. 923 ad 7 die 5. Julii 1631.

MEDICAMENTUM.

Prohibetur omnibus Regularibus exceptis Hospitalariis s. Joannis de Deo, exercitium artis Aromatariae pro saecularibus et venditio pharmacorum et medicamentorum in *Constit. Benedict. XIV.* die 14. Novb. 1740. (Bull. r. t. XVI. p. 8.)

MEDICUS.

Vd.: *Sacerdos* (Medicus.)

MEDITATIO.

(Mysterior. Rosarii.)

Vd.: *Rosarium* (Indulg.); *Oratio mentalis.*

S. MEINRADUS.

Ad dubium PP. Benedictinorum Einsidlen: an die 21. Januar., quia occurrit in multis locis festum s. Meinradi M. cum s. Agnete v. m., sit celebrandum Officium de s. Meinrado, Officio s. Agnetis stabiliter et fixe translato ad diem 28. Januar? S. C. resp.: Faciendum est Officium de s. Meinrado et transf. Officium s. Agnetis, cui assignari debet aliqua dies fixa, sed non dies 28. Jan., ne festum ss. Nominis Jesu, quod celebratur dominica secunda post Epiphaniam, aliquando occurrens in eadem dominica, quae sit dominica Septuages., impediatur. Ideoque ne illud festum celebretur intra Quadragesimam (quod non conveniret) erit relinquenda vacua dies 28. Jan., in quam id tunc erit transferendum. Quando autem augetur festum s. Agnetis 2do, fiet de eo commemor. tamquam de simpl., nullo habitu respectu, quod festum ejusdem solemne prius non fuerit celebratum. n. 4043 ad titul. X. dub. 1 die 5. Maji 1736.

MENDICANTES.

Vd.: *Regulares.*

MENDICUS.

Vd.: *Pauperes; Munditia Eccles*

MENSA.

(Altaris ex plurib. lapidib. consistens.)

Vd.: *Consecratio altaris* (mensa ex plurib. etc., decr. *n.* 4966.)

MERCATUS IN FESTIS DIEBUS.

Vd.: *Nundinae.*

MERUIT BEATAS VEL SUPREMOS (Mutatio.)

Cf.: *S. Joachim* (hymnus.)

Quando contingit transferri festum alicujus Sancti Confess. a die sui obitus in diem proxime sequentem, tum in vesp. tum in reliquo Officio continuandum versum: *Meruit Beatas etc.* n. 2988 ad 6 die 13. Juni 1682.

Ad dubium: an in Officio et Hymno *Iste Confessor* pro s. Confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, quae non est dies obitus, recitari debeat: *Meruit Beatas etc.*, eo quod revera Officium fiat de die Obitus? Et quatenus affirmative: an eadem regula servanda sit in Officiis Confess. translatis, dummodo Officium sit de die obitus? S. C. resp.: *Negative.* n. 3586 ad 5 die 11. Junii 1701.

Quoad mutationem faciendam in hymno: *Iste Confessor etc.*, servanda haec est ab iis tantum, quibus a Breviarii Rubrica injuncta est. Nec praedicta mutatio fiet, quando Officium fe-

stivum Sancti habentis octavam, non ultra octavam transfertur, quia tota octava nihil aliud est, quam extensio ipsius festi et ideo versus idem per reliquos octavae dies, qui forte supererunt, retinebitur. n. 4119 ad 8 die 2. Sept. 1741.

In hymno: *Iste confessor etc.* debetne (quando non est dies obitus) mutari tertius versus in iis Ecclesiis, in quibus hymni veteres solum sunt in usu? Sunt aliquae Breviarii editiones, in quibus hoc praescribitur, aliae, in quibus nihil notatur. Quid servandum? S. C. resp.: Servetur ritus Breviarii, de quo Officium recitatur et est in usu. Ex reformatione Breviarii facta dilucidatur hoc dubium. n. 4175 ad 4 die 4. Sept. 1745.

In Ecclesiis, ubi retenti sunt hymni veteres, dum fit Officium de Confessore translato, unaquaeque potest retineri suam antiquam consuetudinem mutandi vel non mutandi tertium versum hymni: *Iste Confessor.* n. 4299 ad 10 die 3. Mart. 1761.

METROPOLITANUS.

Vd.: *Crux* Metropol.; *Mozzetta* Metr.; *Capella Episcop.*; *Archiepiscopus. Praeses.*

S. MICHAEL ARCHANG.

1) Benedictio octava.

In Officio s. Michaelis arch. ad 8. Bened. dicendum: Quorum festum etc., quia est festum Omn. ss. Angel., ut clare patet ex ipsis lectionibus et in oratione omnium Angel. patrocinium imploramus. n. 3295 ad 5 die 13. Sept. 1692.

2) Dies.

Cum a P. Benedicto XIV. die 12. Junii 1747 Canonicis regular. s. Augustini Conimbricen. ad preces Visitatoris apost. concessum fuerit Officium s. Michaelis archang. in una dominica post Pascha usque ad Adventum, ipse vero Visitator nullam certam dominicam elegerit, quaesitum est: Utrum a S. C. R. aliqua determinata dominica eidem festo assignanda sit, an potius Canonici, retento ritu sibi concesso, debeant se conformare universo regno Lusitaniae in recitatione Officii praedicti die 18. Martii juxta concessionem factam a Benedicto XIV.? S. C. resp.: *Negative* ad primam partem, affirmative ad secundam juxta votum Magistri caeremoniarum. n. 4440 ad 1 die 29. Maji 1790.

MINISTER.

1) De Baculo Episcopi.

a) Modus et tempus tenendi, porrigendi et recipiendi.

Minister de baculo pluviali indutus, juxta locorum et Ecclesiarum consuetudinem, ipsius baculi custodiendi portandique ante Episcopum, quoties opus erit, curam habebit, quem manu dextera cottae extremitate cooperta tenebit, sed nudum nulloque panniculo appenso, illum Episcopo, cum opus erit, offeret. *Caer. Ep.* l. I. c. XI. n. 5.

Utitur Episcopus baculo past. in sua tantum civitate vel Dioecesi et etiam alibi ex permissione loci Ordinarii et ubi consecrationes aut ordinationes vel benedictiones personales facere ipsi ap. auctoritate conceditur. Item in Vesp. pont., dum procedit paratus de altari ad sedem vel e contra et dum dicitur *Magnif.* ac dum populo benedicit.

Item in missa pontif., dum procedit de secretario ad altare et cum ad eundem locum revertitur et quoties de altari ad sedem vel de sede ad altare procedit, dum Evangelium can-

tatur,*) cum in medio missae (post concionem) et in fine dat benedictionem sol., videlicet, dum incipit producere signum crucis et non prius et in omnibus actibus pontif., qui per ipsum Episcopum exercentur, ut in ordinat., bened., consecrat. et hujusmodi, quae in suis locis propriis habentur, dummodo Episcopus sit paratus pluviali et mitra, aut saltem mitra et stola; nam mitra et baculus in Episcopis sunt correlativa.

Excipiuntur tamen ab hac regula Officia et missae pro Def., in quibus usus baculi cessat.

Caer. Ep. l. I. c. XVII. n. 5. 7—9; l. II. c. XI. n. 2.

Quomodo tenet Episcopus baculum in Vesperis etc., vd.: *Manus* (Junctio etc.)

b) In Processione.

Vd.: *Baldachinum* (ingressum deferent. hastas.)

Ad dubium: Quem locum habere debet Canonicus, pluviali indutus, portans baculum in processione, quae fit a Sacrario ad altare, omnibus Canonicis paratis? S. C. resp.: Ea, quae consuetudine inducta reperiuntur, juxta consuetudinem retinenda sunt. Itaque deferrens baculum pluviali indutus loco, ut hactenus consuevit, incedere debet: at secundum ritum, ubi contraria consuetudo non viget, solus ante Episcopum immediate incedere debet. n. 2805 ad 2 die 14. Novb. 1676.

Ad dubium: an et ubi incedere debeat in processionibus Acolythus cum pluviali baculum deferens Episcopalem? S. C. resp.: Affirmative ad formam Caeremonialis. n. 4439 ad 13 die (28. Julii 1789.)

Ante Episcopum immediate ibit in Process. SS. Cor. Chr. minister de baculo serviens seu juxta loci consuetudinem, Dignitas vel Canonicus paratus pluviali, baculum a terra elevatum ambabus manibus portans. *Caer. Ep.* l. II. c. XXXIII. n. 6.

Episcopus utitur baculo in omnibus processionibus; quae si longioris viae fuerint, faciet illum ante se immediate deferri a ministro, qui de eo servit, pluviali induto, quem portat ambabus manibus a terra elevatum; si in aliqua Ecclesia sit consuetudo vel privilegium, ut aliquis de Capitulo dignitatem habens baculum ante Episcopum deferat, servari potest. Si vero Processionis via fuerit brevis, poterit ipsemet Episcopus sinistra manu illum deferre, quod intelligendum est, quando Episcopus erit paratus pluviali et mitra. *Ibid.* l. I. c. XVII. n. 6.

2) De Bugia.

Vd.: *Bugia*; *Minister de libro Episcopi* (Oblig.)

3) De libro Abb. et Dignit.

Vd.: *Usus Pontifical.*

Capitulo Ecclesiae Cathedr. accedente ad Ecclesias Collegiatas occasione processionum et similium non tenetur ultimus Canonicus Collegiatae inservire de libro primae Dignitati orationem ibidem recitanti. n. 1487 die 23. Jan. 1644.

Servandam esse consuetudinem (in Eccles. Cath. Andrien.), ut *missarum solemnia* peragentibus Dignitatibus tam praesente quam absente Episcopo per Clericum cotta indutum elevetur Missale, ita tamen ut pars illius inferior haereat altari. Dignitati pariter *Vesperarum seu Laudum* Officia persol-

---

*) *Excepta Purificatione B. V. M.*, in quo festo ad Evang. Episcopus candelam tenet et *excepta Dominica palmar.*, ad cujus passionem et Evang. Episcopus palmam tenet. Vd.: *Purif. B. V. M.* (candelae); *Palma*; *Passio.*

venti juxta Caerem. per Clericum cotta indutum Breviarium administrari et manibus elevare licere, quamvis frequentius Legile adhiberi soleat. n. 2127 die 3. Sept. 1661.

Ad *Ecce lignum crucis* tenet Assistens librum, si Celebrans est Praelatus, si non est Praelatus, Capellanus. *Caer. Ep.* l. II. c. XXVI. n. 9.

4) De libro Episcopi.

a) Modus librum tenendi.

Acolythus beneficiatus seu Clericus beneficiatus Basilicae Vaticanae sustinens librum Cardinali Archipresbytero, dum sedens legit Praeparationem ad missam sol., tenetur genuflectere, prout Cardinali celebranti placuerit ejusque commoditas postulaverit; ad idem tenetur in omnibus aliis s. functionibus, in quibus Card. Archipresbyter sedens legit aliquid vel cantat, vel quotiescunque Episcopus Canonicus ejusd. Basilicae vel quicunque alter Episcopus de mandato Cardinalis munia Pontif. in dicta Basilica exercens. n. 4311 ad 1—3 die 28. Aug. 1762.

Qui de libro serviet, genuflexus manebit, dum Episcopus legit sedens. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 7.

Ministri de libro officium erit, cum Episcopus celebrabit Vesperas aut missas solemniter, curare ut signacula in libro sint recte suo loco disposita, ne, cum dicendum aliquid erit, indecenter huc illuc folia vertere cogatur; librum ipsum custodiet et reponet in loco decenti, quem, cum opus erit illum Episcopo offerre, sustinebit ambabus manibus ab inferiori parte libri positis, altius vel demissius pro statura Celebrantis, nec se loco movebit nec unquam genuflectet, etiamsi ipsemet Celebrans et alii omnes genuflecterent, nisi cum fortasse ob commoditatem Episcopi legentis eum genuflectere magis expediret, uti cum librum tenebit pro psalmis a Pontifice legendis, antequam paramentis missalibus induatur. Locus autem ejus erit prope altare. Cum vero Presbyter assistens paratus librum sustinebit ante Episcopum in *cantu* legentem, ipse a sinistris Episcopi stans adjuvabit in sustentatione libri ipsum assistentem. *Caer. Ep.* l. II. c. XI. n. 3.

Ad *Gloria* librum sustinet supra caput presbyter assistens paratus pluviali, quem regulariter sustinere eo modo debet, quoties Episcopus aliquid alta voce *cantat*, quo casu minister, qui alias servit de libro, adjuvat ad sustinendum illud, secus quando Episcopus submissa voce legit. *Ibid.* l. II. c. VIII. n. 38.

Episcopus conversus ad altare incipit cantando ex libro per presbyterum assistentem aliis adjuvantibus sustentato *Credo etc.* Ibid. l. II. c. VIII. n. 52.

Episcopus legit Offertor. ex libro, quem tenet Capellanus de eo serviens. Ibid. n. 55.

Assistens vel statim postquam Episcopus legit Offertorium, praemittit ministrum de libro servientem, qui eum ferat ad altare, vel ipse ubi primum mappam porrexit et recepit, portat illum cum pulvino cum debitis reverentiis comitante Caeremoniario, illumque supposito pulvino reponit in cornu Evangelii apertum eo loco, in quo continentur ea, quae Celebrans est lecturus. *Ibid.* n. 57.

Presbyter assistens *(post sumpt. SS. Sanguinis)* transfert librum ex latere Evangelii ad latus Epistolae, nisi jam translatus fuit a Diacono. *Ibid.* n. 76.

In fine cantat Episcopus *Orationem pro Tertia*, Canonico Presb. assist. librum supra caput tenente. *Ibid.* l. II. c. XIII. n. 2.

Episcopus voce gravi cantat: *Ecce*

lignum etc. Presbytero ass. *librum tenente. Ibid.* c. XXV. n. 23.

Episcopus stans facit benedictionem candelarum (in *Purif.* B. V. M.) Capellano, qui de illo servit, librum sustinente manibus. *Ibid.* c. XVI. n. 7.

b) Obligatio.

Vd.: *Assistens*; *Episcop. ass. missae sol*· (*Assistentes*); *Bugia Episcopi*; *Ministri in Pontificalib.*; *Bugia Episcopi.*

Capellani Metropolitanae (Januen.) de Massa nuncupati tenentur Archiepiscopo actualiter celebranti tenere librum et bugiam. n. 3997 ad 4 die 3. Mart. 1731.

Cum Episcopus in missis sol. *praesens est*, quamvis ipsemet Officium minime faciat, *sive sit pluviali et mitra seu tantummodo cappa pontif. indutus*, tenendus est prope ipsum liber Missalis. quem aliquis ipsius Minister cotta indutus, custodiet et, cum opus erit, illud super caput apertum tenens offeret ante Episcopum, accedente cum eo regulariter ad dexteram altero ministro de bugia.

Episcopus ex libro legit: *Introitum, Epistolam, Graduale, Alleluja, Sequentiam sive Tractum et caetera usque ad Evangelium inclusive; Offertor., Postcommunio.*

Quod si forte interesset aliquis Cardinalis sive Legatus de latere, sive non, aut aliquis Praelatus ipso Episcopo superior, ut suus Metropolitanus aut Nuntius ap. habens in eo loco facultates Legati de latere, tunc ob eorum reverentiam Episcopus libro non utetur. *Caer. Ep.* l. I. c. XX. n. 1—3.

Episcopus incipiet benedictionem palmarum Capellano librum sustinente. *Ibid.* l. II. c. XXI. n. 4.

5) De libro Parochi.

Ad dubium: an celebrans parochus possit habere ante se legile vel aliquem, qui teneat librum? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2912 ad 5 die 24 Febr. 1680.

MINISTRANTES.

Vd.: *Missa priv. Dignitar. etc.* (minister); *Missale* (aperit.) *Calix* (tractatio); *Mulier.*

Pueris in missis privatis cum cottis inservientes *convenire* saltem primam tonsuram habere, dummodo per aetatem ejusdem tonsurae sunt capaces. n. 172 ad 7 die 23. Nov. 1602.

In missis priv. permitti non potest Ministro, si fuerit Sacerdos vel Diaconus sive Subdiaconus, ut praeparet calicem et ipsum extergat in fine post ablutionem sicut in missa solemni. n. 4526 ad 12 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium: In missa conv. potestne tolerari, ut assistens seu serviens de altari sit laicus et quatenus debeat esse clericus, hunc debet necne cotta indui?

S. C. resp.: Inservientem missae conv. esse debere clericum cum cotta. Die 7. Sept. 1861.

MINISTRI IN PONTIFICALIBUS.

Cf.: *Genuflexio Ministr.*; *Suffraganeus celebrans* (Ministri etc.); *Episcop. Administrator* (Ministri etc.); *Beneficiati* (Ministri etc.); *Thuriferar.* (quis); *Minister de libro Episcopi*; *Bugia Episcopi*; *Diaconus et Subd. Episcopi*; *Subcollectores*; *Diaconi ass. Episcopi in Cathedr.* (decr. n. 1042); *Genufl.* (ante Episcop. decr. n. 4168.)

Sacerdotes simplices de numero non participantes neque de gremio Capituli et nullis gaudentes emolumentis et distributionibus non posse cogi inservire Ecclesiae Episcopo pontificaliter celebrante. n. 2467 die 16. Febr. 1669; n. 2996 die 26. Sept. 1682.

Ad idem dubium S. C. sub n. 3003 die 28. Novb. 1682 ita resp.: *In casu, de quo agitur, cogendos esse et recedendum a decisis.*

Deservire debere Episcopo celebranti personas de Capitulo et nullo modo alios, qui non sunt de eodem Capitulo. n. 1019 die 26. Maji 1635.

MINORISTA.

1) Hebdomadarius.

Cf.: *Ordines minores.*

Ad dubium: utrum tolerari possit, ut in Collegiata, cum in choro adsunt Beneficiati Sacerdotes, unus in minoribus constitutus impleat onus suae hebdomadae in decantandis tantummodo horis canonicis vertendo *„Dom. vobiscum“* in *„Dom. exaudi etc.?“* S. C. resp.: *Negative.* n. 4421 ad 6 die 17. Sept. 1785.

Canonicus Dignitas in Minoribus constitutus non potest in fine Officii in choro intonare Antiphonam Titularis nec dicere orationem. n. 4844 ad 6 die 23. Febr. 1839.

2) Num Vestes s. induere potest?

Vd.: *Subdiaconus* (Minor.)

Aliqua ex Dignitatibus (Cathedr. Bitunt.) in s. Ordine Subdiaconat. non constituta in processionibus aliisque solemnitatibus s. vestes deferre atque Canonicis presbyteris praecedere debet. n. 4075 ad 21 die 19. Julii 1738.

3) Utrum praedicare valeat?

Vd.: *Praedicator.*

MIRACULA.

Ad Archiepiscopum Florentinum, in cujus Dioecesi Imago gloriosae V. M. inventa fuit, pertinere formationem Processuum et examinationem Testium super verificatione et approbatione Miraculorum, quae facta asseruntur a deo in dicto loco, meritis et intercessione B. V. M. et ejus miraculosae Imaginis. n. 524 die 3. Decb. 1616.

MISEREATUR.

(Mutatio.)

Vd.: *Confiteor* (Mutatio, decr. 4669.)

MISERERE.

1) In administrat. ss. Viatici.

Vd.: *Missa* (interrupta per administ. ss. Viatici.)

2) In sacro Triduo.

Miserere mei Deus etc. in Matut. tenebrarum modulata sed flebili voce canitur. *Caer. Ep.* l. II. c. XXII. n. 13.

MISSA.

1) Abbreviatio.

Sacerdos, qui celebrat missam conv., in qua chorus tenetur cantare Symbolum, non potest eam prosequi eo tempore, quo a choro cantatur Symbolum. S. R. C. 17. Decbr. 1695; 13. Sept. 1630.

Ad dubium: An tolerandus sit usus quod in missis cum cantu praetermittatur cantus introitus, offertorii, communionis et, quando post epistolam occurrit, etiam Sequentiae. Item quod in missis def. praetermittatur cantus saltem integrae sequentiae: *Dies irae etc.* et offertorii ac post easdem missas def., quae tamen ex nulla obligatione decantantur, an praetermitti possit cantus saltem alicujus partis absolutionis? S. C. resp.: Vel non celebrandas missas def. vel canenda esse omnia, quae precationem suffragii respiciunt. Die 11. Sept. 1847.

Vd.: *Credo* (inton.)

Ad dubium: An ferendus sit usus omittendi in choro partes illas tum divini Officii tum Missae, quas organi sonitus supplet? S. C. resp.: Submissa voce dicenda, quae omittuntur ob sonitum organi, quando non pulsatur,

integre esse cantanda. Die 22. Julii 1848.

2) Abusus ad Sortilegia.

Vd.: *Sortilegia.*

3) In altaribus Latini et Graeci Ritus.

Benedictus PP. XIV.

Cum in Paroch. Ecclesiis ipsorum *Italo-Graecorum* ex antiquissimo et hactenus servato ritu nonnisi *semel in die per unum Sacerdotem* celebrare liceat, permittitur quidem presbyteris graecis suum, si velint, morem hac in parte servare; interdicitur autem latinis sacerdotibus, ne missas et alia divina Off. in dictis Graecorum Ecclesiis et super eorum altaribus majoribus extra casum alicujus necessitatis et aliorum altarium ecclesiarumque defectus et *nisi ex parochi graeci licentia,* quam nullatenus hujusmodi in casibus negare possit, celebrent.

Quia tamen ipsi graeci et Albanenses Presbyteri Nobis humillime supplicarunt, ut sibi liceat pro Sacerdotum numero *plures in die in suis ecclesiis missas celebrare*, Nos per praesentes concedimus ac indulgemus, ut in suis paroch. vel aliis ecclesiis praeter altare majus alia etiam minora altaria seu capellas s. indumentis Graecorum seu Latinorum more ornata seu ornatas erigant, in quibus Latini vel Graeci Presbyteri respective suo quisque ritu celebrare valeant.

Constit. Bened. XIV. ad Italo-Graecos die 26. Maji 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 97. n. VIII. IX.)

Vd.: *Missae* (plures presbyt. graec.) *Missa* (Una Graecor.) *Orat. priv.* (Constit. Bened. XIV. §. 10); *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.)

Benedictus PP. XIV.

§. 1. Sane dudum Dilecti Filii Presbyteri Latini Ritus Apostolicas Missiones per Russiam Polonicam exercentes Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum exponi curarunt, quod quum in tota Russia ac potissimum in Montibus Pokuciae, in Podolia, in vastissimis Ukrainae Regionibus et in universa ferè Russia, Alba nuncupata, frequentes quidem sint Ruthenorum Unitorum Ecclesiae, rarissimae vero Latini Ritus; cumque ipsi pro Missarum celebratione lapideas sacratas Tabulas et Calices aureos vel argenteos per longa et difficilia itinera sine gravi incommodo et sine periculo confringendi easdem Tabulas et Calices secum deferre non valeant; idcirco, nisi facultas ipsis concedatur celebrandi Sacrosanctum Missae Sacrificium super dictorum Ruthenorum Antimensiis, ut vocant, et Calices eorumdem e stanno, ut moris apud illos est, confectos adhibendi, necesse ipsis erit ab ejusdem Sacrificii celebratione plerumque abstinere; multique praeterea Latini Ritus Fideles, qui ab Ecclesiis ejusdem Ritus longè degunt, Sacerdotis Latini praesentia, a quo Sacra Mysteria peragantur eisque distribuantur, omninò carebunt, prout reipsa saepe gravissimo cum animarum detrimento per plures annos carere dignoscuntur. Proindèque demissis precibus postularunt, ut sibi concederetur hujusmodi facultas Sacrosanctum nempè Missae Sacrificium etiam sine lapidea sacrata Tabula celebrandi super Antimensiis Ruthenorum Unitorum atque in Missarum celebratione eorumdem Ruthenorum stanneos Calices adhibendi.

§. 2. Cum autem hujusmodi Missionariorum preces a dicta Cardinalium Congregatione Propagandae Fidei negotiis praeposita alterius Congregationis Venerabilium quoque Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium ad-

versus Haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum examini et judicio de more remissae fuerint et consequenter de iis actum fuerit in Consessu coram Nobis habito die XXII. Januarii elapsi Anni 1750, Nos tunc, ut ad generale Rescriptum super his edendum maturè procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apostolica Sede decretum fuisset, in unum colligi jussimus, ac praeterea Venerabili Fratri Episcopo Zenopolitano, qui tunc opportunè in Curia praesens aderat, quique et antea diù in Polonici Regni Ditionibus atque in Ecclesiasticis Catholicorum Latinorum Graecorumque Unitorum negotiis, Apostolicae Sedi egregiam operam navando, versatus fuerat et deinde ad easdem Regiones et ad eosdem labores laudabiliter prosequendos non obstantibus itinerum difficultatibus expensisque, redire non dubitavit; mandavimus, ut Nos super expositorum veritate extructos redderet suamque Nobis sententiam super hujusmodi postulatis tam voce quam scripto aperiret. Nunc vero, exhibitis Nobis praecedentium Decretorum monumentis iisque per Nos accuratè perpensis, atque omnibus, quae in dictis precibus narrata fuerant, praefati Episcopi Zenopolitani testimonio comprobatis, quum is praeterea Nobis retulerit, complures esse in iis Regionibus Presbyteros Latini Ritus et quidem Deum timentes, qui in supradictis necessitatibus constituti, minimè dubitant super Antimensiis Graecorum Unitorum absque lapidea Tabula Missarum Sacra facere, ejusdemque consilium fuerit, quod sicuti Graecorum Unitorum Presbyteri, quoties id rerum opportunitas suadet, propriis Antimensiis relictis, Missarum Sacrificia offerunt super Lapideis Latinorum Tabulis, ita ad constitutam feliciter Unionem magis magisque stabiliendam non parum conduceret, Latinis Presbyteris liberam facultatem concedere, ut, ubi necessitas sic exigere dignoscatur, deficiente nimirum lapidea Altaris Tabula, Missas celebrare valeant super eorumdem Graecorum Unitorum Antimensiis; his omnibus attentè perpensis in hanc denique sententiam devenimus, ut praedictis Sacerdotibus Latini Ritus in Russia Polonica degentibus permitteremus in Ruthinorum Unitorum Ecclesiis deficientibus lapideis Tabulis de more consecratis et Calicibus aureis sive argenteis Missarum Sacrificia super eorundem Ruthenorum Antimensiis et cum Calicibus è stanno, qui apud illos in usu sunt, sine ullo conscientiae scrupulo celebrare.

§. 3. Porrò, *quod attinet ad Calices stanneos*, omissis iis, quae repeti possent ex priorum Ecclesiae saeculorum memoria, quum scilicet et lignei et vitrei Calices in Altaris ministerio adhibebantur, ut ostensum a Nobis est in tractatu *de Sacrificio Missae ses. 1. §. 26 et seq. Latinae Editionis Patavinae:* nullum generale Decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit hujusmodi Calicibus è stanno confectis in Missa uti, si Ecclesiarum vel Sacerdotum paupertas tanta sit, ut majoris pretii vasa comparari nequeant: *quin immò in Can.: Ut Calix, de Consecrat. distinct. 1.* haec expressa verba leguntur: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel staneum Calicem habeat.* Et quidem ad comprobandam asserendamque hujusmodi Ecclesiae Indulgentiam plura leguntur apud *S. Thomam 3. part. quaest. 83. art. 3 ad sextum* aliosque Scriptores de hoc disciplinae capite agentes: Quart. *ad Rubricas Missalis part. 2. tit. 1. sect. 1. dub. 1. §. Colligitur, Pasqualig. de Sacrificio Novae Legis tom. 2. quaest. 764 et 765, Biss. Hierurgia Sacra in verb. Calix. §. 2.*

§. 4. Quod verò spectat ad alteram optati Indulti partem, satis quidem

constat in Ecclesia Latina nequaquam celebrari posse Incruentum Missae Sacrificium nisi super Altari, quod vel totum ritè consecratum fuerit vel saltem superimpositum habeat consecratum Lapidem, qui *Tabula Altaris* nuncupatur; qua etiam de re egimus in dicto *Tractatu de Sacrificio Missae cit. sect. 1.* §. *2. et seq.* In Graeca autem Ecclesia hujusmodi sacrati Lapides minimè sunt in usu; sed ibi a pluribus jam saeculis in more positum est, ut, ubi Altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco lapideae hujusmodi Tabulae, super Altaris Mensa aptetur Linteum quoddam Episcopali benedictione consecratum, in cujus angulis Sanctorum Reliquiae reconditae sunt, quodque vocatur *Antimension* et super ipso Sacra Mysteria conficiantur; ut apud Auctores de Rebus Liturgicis tractantes videre licet, Goar. *in notis ad Euchology. Graecorum pag. 521* Venetae Editionis; Christianus Lupus *in Synodos General. et Provincial. in dissert. de S. Leonis IX. actis cap. 13 Bruxellen. Editionis part. 3.*, Renaudot in *Collectione Liturgiarum Oriental. tom. 1. pag. 182. Edit. Parisien.*, Magni in *notitia vocabulor. Ecclesiasticor. in verb. Antimensia*, Card. Bona *Rer. Liturgicar. Lib. 1. cap. 20.* §. 2. ejusque Commentator Robert Sala *tom. 2. pag. 70. numer. 4. Taurin. Editionis.*

§. 5. Quum verò nunquam Ecclesiae Latinae mens fuerit, ut Graecorum Ritus destrueret, quin potius eorum semper conservationi, quantum fas esset, nec non eorumdem apud Graecos Fideles observantiae prospexerit, nunquam proinde Missarum celebrationem, quae semper hujusmodi Antimensiis a Graecis Catholicis fit, improbavit, sed eam et quidem non in partibus Orientis dumtaxat verum etiam inter Italo-Graecos permitti expressè declaravit, ut videre licet tum in Institutione per fel. rec. Praedecessorem nostrum Clementem Papam VIII. edita, tum in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi Pastoralis.**)

§. 6. Quum verò in iis Regionibus, in quibus Italo-Graeci sunt, Latini quoque frequentes habitent atque ibidem tam unius quam alterius Ritus Ecclesiae adsint, ita ut absque ullo impedimento et sine gravi incommodo unusquisque Presbyter proprii Ritus Ecclesiam adire valeat, nulla sanè causa est, ob quam Latinis earum partium Presbyteris permitti debeat, contra constantem Ecclesiae Latinae disciplinam, sine sacrata Altaris lapidea Tabula Missas celebrare easque super Graecorum Antimensiis offerre; quod ipsis proinde in citata nostra Constitutione vetitum fuit.

§. 7. Sed aliter se res habent, ubi de Regionibus agitur, in quibus Latini Presbyteri ab Ecclesiis Latini Ritus longè degentes, quum sacratas lapideas Tabulas per longa itinera sine gravi incommodo et sine periculo eas confringendi secum deferre nequeant, vel Missae celebrationem penitùs omittere et sic Latinos Fideles sine Sacrificio proprii Ritus et sine Mysteriorum participatione relinquere, vel eam super Graecorum Antimensiis peragere compelluntur. In hujusmodi rerum circumstantiis Apostolicae Sedis provida indulgentia jamdudum enituit; quum scilicet anno 1602 ad supplicationem tunc existentis Episcopi Vilnensis praedictae Cardinalium Inquisitorum Generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipso etiam Praedecessore Nostro Clemente Papa VIII. approbante, rescriptum fuit: *Sacerdotes Rutheni non Schismatici in Ecclesiis Catholicorum Ritus Latini, Altaribus, Calicibus et Vestibus Sacris*

---

*) Hanc Constit. vide supra: *Cum in paroch.*

eorundem Catholicorum uti et Missam celebrare possint in casu necessitatis ac etiam solùm devotionis causa dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et è contra Sacerdotes Ritus Latini in Ecclesiis Ruthenorum non Schismaticorum Altaribus et Calicibus ac Vestibus Sacris uti et Missam celebrare valeant Ritu tamen Latino. Et praedicta serventur seclusi omni scandalo et de licentia Praelatorum et Rectorum ipsarum Ecclesiarum.

§. 8. Nos igitur praemissae necessitatis intuitu atque etiam hujusmodi Decreti consideratione adducti praesentium litterarum tenore atque ex certa scientia et Apostolicae auctoritatis plenitudine, salvis praefati Clementis VIII. nostrisque super Ritibus Italo-Graecorum editis Constitutionibus et Ordinationibus, non modo relatum superius Decretum approbamus et confirmamus, verùm etiam praefatis omnibus Missionariis aliisque Sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica nunc et pro tempore commorantibus, ut ipsi et eorum quilibet in Ecclesiis Ruthenorum Unitorum deficientibus lapideis Altarium Tabulis rité consecratis super Sacris eorundem Ruthenorum Antimensiis Missarum Sacrificia celebrare atque etiam in hujusmodi celebratione eorundem Calicibus stanneis uti liberé et licitè possint et valeant, concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis seu Generalium aut Provincialium vel Synodalium Conciliorum contrariis Constitutionibus et Ordinationibus sivè Locorum, Personarum aut Ordinum Statutis, Ritibus, Usibus et Consuetudinibus etiam immemorabilibus caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, sicut in praemisso Decreto expressè cautum reperitur, ut dicti Missionarii et Sacerdotes Latini, etiam quum eos vigore praesentis concessionis super Ruthenorum Unitorum Antimensiis Missam celebrare contigerit, Latino semper Ritu eandem celebrare teneantur; firma nimirum et in suo robore permanente Apostolica Constitutione a fel. rec. Praedecessore quoque Nostro S. Pio Papa V. edita, quae incipit: *Providentia Romani Pontificis, constitut. 12. tom. 2. Bullar. Rom. Edition. Luxemburg.*, per quam omnes facultates et Indulta tam Graecis, ut Missas et Divina Officia Latino ritu celebrare possent, quam etiam Latinis concessa, ut eadem Graeco Ritu peragere valerent, revocata atque perpetuò sublata fuerunt, quamque Nos etiam earundem praesentium tenore, quatenus opus sit, dictaque auctoritate confirmamus et innovamus.

§. 10. Volumus insuper, ut iidem praesenti Indulto celebrandi super Graecorum Antimensiis in praedictorum Ruthenorum Ecclesiis dumtaxat (quemadmodum etiam in praemisso Decreto legitur) uti et gaudere possint, si verò eosdem in aliqua Latina Ecclesia seu in domesticis Latinorum Oratoriis, quae forsan auctoritate Apostolica in hujusmodi Latinorum privatis Domibus cum licentia celebrari faciendi, quae adhuc vigeat, erecta fuerint, Sacrosanctum Sacrificium offerre contigerit, illud vel super Altari consecrato vel super lapidea pariter consecrata Tabula, quae etiam Altare portatile appellatur, non autem super Antimensiis hujusmodi celebrare omnino debeant.

Datum Romae die 29. Mart. 1751.
(Bull. r. t. XVIII. p. 205.)

4) **In Altarib. et Eccles. praescriptis.**

Cf.: *Missa* (transl. ab uno etc.)

Per Episcopum cogendos esse omnes, ad quos spectat, ut missas in altaribus vel capellis praescriptis et non in primo obviis et commodioribus celebrent. n. 1611 ad 1 die 25. Sept. 1649.

Missae celebrandae sunt in ecclesiis per testatorem designatis sub poenis arbitrio Ordinarii. S. C. C. 15. Maji 1728.

Innocentius PP. XII.

(Facultas pro DD. S. R. C. Cardinalibus in Adjutores Visitationis Ecclesiarum transferendi celebrationem missarum ab uno ad aliud altare.)

Ubi contigerit alicui altari etiam pro defunctis privilegiato seu capellae tam magnum missarum numerum ex variis legatis impositum esse, *ut singulis diebus praescriptis nequeat illis satisfieri, etiam per translationem partis missarum hujusmodi ad aliud altare, seu altaria etiam non privilegiata videritis* (Cardinales) expedire, re tamen diligenter perspecta, statuere et ordinare, ut in eisdem altaribus commodius ac plenius piae defunctorum voluntati satisfiat, *ita quod missae ad altaria alia hujusmodi, ad quae illarum celebrationem transtuleritis, celebratae, illis pro quibus celebrabuntur, perinde suffragentur ac si ad altaria privilegiata* seu alias juxta eorundem def. voluntates celebratae fuissent, caeteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiam talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere et exequi libere et licite possitis tenore praesentium plenam et amplam facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datum Romae 16. Jan. 1693.

(Bull. r. t. VII. p. 207.)

Vd.: *Indulg.* (pers. privil.); *Missa* (descriptio, praecipue decr. II.); *Missa* (oblig. celebr.); *Stipendium*; *Indulg. altaris* (Dies); *Altare privileg. Edictum Clem. XI. die 1. Oct. 1704.* (Bull. r. t. VIII. p. 451.)

5) In altari, ubi est tabernaculum.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XIV. n. 1. 2. etc.

6) In altari portat. post consecrat. ejusdem legenda.

Vd.: *Consecratio altarium plurium* (modus, decr. n. 4565 ad 6.)

7) SS. Angelorum.

Vd.: *Missa de Req. pro Infantib.*

8) De Apparitione B. V. M.

Vd.: *Missa vot. B. V. M. de Apparit.*

9) Applicatio a Paroch. non Canon

Vd.: *Missae* (duae non sunt leg. etc. — decr. Bened. XIV.); *Patron. loci* (Oblig. Cleri saec. decr. 22. Mart. 1817); *Stipend.*; *Tabella Missar.*; *Missa* (descriptio); *Applicatio missae*; *Missa conv.* (appl.); *Missa de Requ.* (appl.); *Col. param.* (in missa de Requ.)

Ad dubium: An Regul. expositi tamquam parochi pro populo applicare debent? Vd.: *Regul.* (Off.; decr. n. 5050.)

Ad dubium: 1. Parochus Heistermacen. in Keken hujus dioecesis propter necessitatem populi licentiam obtinuit diebus dominicis et festivis bis celebrandi in Ecclesia paroch. et pro hoc officio suscepto a parochianis, qui alias multo majoribus sumptibus, quod non possunt, sacellanum sustentare tenerentur, remunerationem quandam accipit. Quaeritur: num respectu hujus remunerationis obligetur etiam hanc missam secundam, de cujus applicatione nihil stipulatum est, pro populo sive parochianis remunerationem praebentibus applicare pro futuro, uti ipsam missam parochialem; numque pro praeterito propter omissam bona fide hanc applicationem aliquid restituere teneatur?

2. Deinde saepius in hacce dioecesi contingit propter latitudinem parochia-

rum, quod in iis sacella inveniantur, ubi dominicis et festivis diebus sive ex fundatione sive ex contractu parochi et parochianorum missa celebrari debeat pro incolarum ab ecclesia parochiali remotorum, inprimis seniorum et infirmorum necessitate vel commoditate. Viget consuetudo, quod si per fundationem vel contractum de applicando sacro ad certam intentionem nihil statutum est, in ejusmodi casibus celebrans pro alio stipendio applicet vel ad propriam intentionem. Quaeritur: num haec consuetudo, de cujus legalitate dubitatur, pro futuro permittenda et num pro praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis, qui bona fide ea usi sunt? S. C. resp.:

Ad I. Negative in casu.*)

Ad II. Posse permitti.

Die 14. Junii 1845. n. 5014.

Mechlinien. Missae pro Populo.

Cum aliquae controversiae super praecepto offerendi pro populo missae sacrificium inter plerosque Belgicae ditionis parochos excitatae fuissent, Marianus Verhaeven, SS. Canonum in universitate Lovaniensi Antecessor, canonicam lucubrationem typis edidit, qua suborta quaestionum capita dirimenda suscepit. Et quamvis apost. Constitutionum auctoritate et hujus S. C. declarationibus innixus propositum argumentum doctrina et eruditione summa demonstrasset, nihilominus haud levia dubitationum germina superfuerunt, quae casum, de quo agitur, peculiariter afficere visa sunt. Itaque egregius ille vir, ut in interpretandibus constitutionibus apost., quas post Conc. Trid. de gravissima hac re SS. PP. ediderunt, ne latum quidem unguem a mente S. Congregationis interpretum Concilii Trid. recedat, laudabili ductus obsequio sapientissimam Ordinis vestri Sententiam rogavit hisce, quae sequuntur, propositis dubiis:

I. An parochi debeant SS. Missae Sacrificium pro populo offere diebus dominicis et iis etiam festis diebus, qui per indultum apost. die 9. Apr. 1802 suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio ab Episcopo Dioecesano non fiat?

II. An consuetudo umquam legitima haberi possit, vi cujus parochi non applicant pro populo SS. Missae Sacrificium aut dominicis aut saltem praedictis festis diebus suppressis?

III. An parochi ipsi SS. Missae Sacrificium pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediantur, an vero per alium, ex. g. sacellanum aut presbyterum advenam huic officio satisfacere possint?

IV. Quid censeri debet de consuetudine, vi cujus parochus diebus dominicis et festis missam priv. pro pio aliquo benefactore applicat et nullo legitimo impedimento detentus, onus celebrandi missam pro populo in alium sacerdotem transfert?

S. C. EE. CC. Concilii Trid. interpretum censuit rescribendum:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirm. ad primam partem, negative ad secundam, excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica.

Ad IV. Consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam.

Die 25. Sept. 1847.

P. Card. Ostinius Praef. H. Archiep. Militenus Secr.

Ad dubium: I. An missa paroch. debeat pro populo applicari diebus festis per indultum anno 1802 translatis in dominicam sequentem?

II. An sit applicanda diebus festis, qui per Clem. XIV. retenti, anno 1802, auctoritate Pii VII., fuerunt abrogati?

*) Vd.: *Applic. missae* (parochi; decr. n. 5146.)

III. An sit nunc applicanda etiam diebus festis, qui ab anno 1771 fuerunt per Clem. XIV. suppressi, id est, omnibus festis in Catalogo Urbani VIII. recensitis?

Et quatenus affirmative, Episcopus Namurcensis petit humiliter:

I. Absolutionem pro praeterito supra missas in festis suppressis hactenus non applicatas per parochos aliosque Sacerdotes in sua dioecesi curam animarum gerentes.

II. Quoad futurum, attento quod festa per Clem. XIV. suppressa jam a 70 circiter annis celebrari missaque in iisdem applicari desierint, petit idem Episcopus, quatenus S. V. cum Clero dioecesis Namur. benigne dispensare dignetur, ita ut obligatio missam pro grege applicandi saltem non excedat dies festos per Clem. XIV. reservatos, quorum catalogus hic est? (scilicet praeter singulos dies dominicos): *Circumcisio, Epiphania, fer. 2. p. Resurr., Ascensio, fer. 2. p. Pentec., Corp. Chr., quinque dies dicati B. V. M., festa SS. ap. Petri et Pauli, S. Steph protom. et unius tantum principalioris patroni.*

Relatis SS. D. N. per Subsecretar. S. C. Concilii adjunctis precibus, datis nomine Amplitudinis Tuae, Eadem S. S. per praesentes ad eandem Amplitudinem Tuam dari jussit eidemque notificari, juxta resolutiones alias editas a S. C.: *Missam pro populo esse a parochis suae dioecesis applicandam omnibus diebus festis, etiam a S. M. Clem. XIV. retentis et deinceps a S. M. Pio VII. die 9. Apr. 1802 suppressis; attentis vero peculiaribus circumstantiis, Eadem S. S. facultates necessarias et opportunas eidem Amplitudini Tuae impertita est, absolvendi singulos parochos super omnibus omissionibus, injuncta unicuique celebratione unius missae, supplente in reliquiis ipsa S. S. de Thesauro Ecclesiae etc.*

P. Card. Polidorius Praef.
J. C. Alessi de Castellis Secr.

Romae, 27. Jan. 1842.

Ad dubium: I. An parochi Cathedr. et Colleg. Eccles., qui sunt primae dignitates vel membra earumdem, excusentur ab applicatione sacrificii diebus dominicis et festis per missam conv., quae in choro quotidie canitur; aut ultra praedictam conventual. parochi supradicti teneantur celebrare et applicare supradictis diebus pro parochianis?

II. An quando per turnum ad supradictos parochos spectat missam conv. canere diebus dominicis et festis, teneantur iidem celebrari facere pro parochianis aliam missam propriis sumptibus?

S. C. resp. Ad I: Negative quod primam, Affirm. quoad secund. partem.

Ad II: Affirmative.

Die 31. Maji 1708.

Ad dubium: An Dignitates et Canonici Colleg., quibus incumbit cura animarum, teneantur ad eandem applicationem (missae nempe conv.) dictis diebus festivis, quibus debent applicare pro populo, vel possint applicare simul pro populo et pro benefactoribus in casu?

S. C. resp.: Affirmat. ad primam partem, negat. quoad secundam et amplius. Die 11. Febr. 1731.

Ad dubium: An occurrente, quod archipresbyter parochus celebret missam conv. vel alias legitime absit, seu sit impeditus tam in dieb. festivis quam ferial. Quadragesimae, teneatur celebrari facere per alium missam paroch. pro populo?

S. C. resp.: Affirmat., sed cum applicatione diebus festis tantum. Die 11. Maji 1720.

R. P. a Secretis S. C. de Prop. Fide sacri hujus Ord. definitioni subjecit,

de mandato SSmi., facultatem a Vicario ap. Sylvaeducis indulgendi aliquoties parochis vicariatus, ut per sacellanos suos implere possint onus applicat. missae pro populo.

S. C. C. censuit rescribendum: *pro facultate indulgendi parochis vicariatus ut per sacellanos missam pro populo applicare possent in casibus verae necessitatis et dummodo ex canonica causa fiat*, facto verbo cum SSmo.

Factaque de praemissis per Subsecr. S. C. relatione SSmo. Eadem SS. resolutionem S. C. in omnibus benigne approbavit et confirmavit; proptereaque eadem S. C. supradictam facultatem superius descriptae resolutionis forma ac tenore in omnibus et per omnia impertita est.

P. Card. Polidorius Praef. S. C. Alessi de Castellis, Secr. Die 11. (13.) Mart. 1843.

Ad dubium: An Parochi teneantur omnibus diebus festis applicare Sacrificium pro populo? S. C. C. resp.: Dandas esse resolutiones alias hac de re editas et signanter in Nullius Nonantulan. Abbati 30. Aug. 1698 tenoris, ut infra: Cum praecepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offere, saepe alias S. C. C. censuit: Parochos teneri pro parochianis Sacrificium applicare et praecipue in dubio applicationis Sacrificii proposito et resp. soluto die 10. Maji 1692 his verbis concepto: *An parochus missam celebrare teneatur et Sacrif. applicare pro parochianis in diebus dominicis et festis sive habeant Congruam sive non?* S. C. censuit: Teneri, nec posse iisdem diebus aliam eleemosynam recipere; ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt PP. quoad Parochos Nonantulanae Dioecesis, addentes insuper, quod E. V. pro suo pastorali zelo detrectantes parochos compellere non gravetur. Die 13. Febr. 1699.

Hoc decret. confirmatum est per Constitut. Innoc. XII. die 24. Apr. 1699. (Bull. r. t. XII. p. 315.)

Benedictus PP. XIV.

§. I. Quum enim s. Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligunt ac deputent, ut videre est in *sess. 6. c. 2; sess. 7. c. 5. et 7; sess. 21. c. 6, sess. 25. c. 16;* non rarò autem eveniat, ut aliquâ Ecclesiâ Parochiali vacante, *Vicarius* pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiae onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *sess. 24. c. 18. de Reform.;* nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod habituali cura penes alium vel alios residente ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujusmodi curae sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a praedicta applicatione Missae pro Populo nunnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod *omnes et singuli qui actu Animarum curam exercent et non solum Parochi aut Vicarii Saeculares, verum etiam Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque, etiam specifica et individua mentione digni, aequè teneantur Missam Parochialem applicare pro Populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.*

§. II. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi Parochiae suae redditus non suppetere; aliique denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore praesentium decernimus et declaramus, *quod licet Parochi seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis praefinitis redditibus destituantur et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Dioecesibus seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*

§. III. Dum tamen diximus omnes animarum curam habentes Missae Sacrificium pro Populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere volumus, eosdem aut quotidie aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem *Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 23. c. 14.* praecipit Episcopis curare, *ut Sacerdotes diebus saltem Dominicis et Festis solemnibus Missarum sacra faciant, si autem curam habuerit animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent;* in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, *quando nimirum iidem pro Populo celebrare et applicare teneantur;* et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare et applicare debere, eum verò qui uberioribus redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri, quum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum: ad quam summam pertingere debeant Ecclesiae Parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint; quoniam pinques minime habendi sunt redditus, etiam copiòsi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelae adversus hujusmodi decretum, tamquam plus aequo rigidum, excitatae, Nobis innotescant; idcircò opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, *Nobis abundè satisfactum* fore, Vobisque proinde satis esse posse, *dum ii,* qui animarum curam exercent, *Sacrificium Missae pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus Festis de Praecepto*; quum praedicti Dominici aliique Festi dies *ii sint, in quibus juxta praeceptum Concilii Tridentini sess. 5. c. 2. et sess. 24. c. 4. quilibet animarum curae praepositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet,* docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem; *iidemque sint dies, de quibus eadem S. Synodus statuit, ut moneat Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei* et quibus Parochi Subditos suos in Doctrina Christiana audire debent, juxta id, quod a praedicto Concilio in citat. Cap. 4. Episcopis praecipitur, ut nempe *saltem Dominicis et aliis festivis diebus Pueros in singulis Parochiis Fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et Parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent*

§. IV. Et quia in nonnullis Dioecesibus numerus dierum Festorum de praecepto de Apostolica nostra auctoritate et consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus Festis Christifideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis verò Populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae Sacrificium; Nos, ut obortae jam dubitationes circa onus applicationis Missae Parochialis in hujusmodi diebus Festis, penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod *etiam iisdem festis diebus, quibus Populus Missae interesse debet et fidelibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro Populo celebrare et applicare teneantur.*

§. V. Quia verò propria nonnunquam experientia satis agnovimus, *aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis*, quas a Fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, *vivere cogantur; eos verò, qui Ecclesia Parochiali vacante ad animarum curam exercendam* sub Vicarii seu Oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis *adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, aegrè ad eorum vitae necessaria sufficiant; quod iis quoque non rarò evenire solet*, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, *actuali tantum exercitio sunt addicti*; proindeque cum istis severè nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missae recipere: idcirco Nos tam istorum quam illorum inopiam summopere miserantes eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes, quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli praedicti teneantur diebus festis Missam pro Populo celebrare et applicare; attamen, quod pertinet ad praedictos Parochos egentes, *unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi,* ad hoc, ut etiam diebus festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, liberè et licitè possint et valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, *ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.*

§. VI. Quod autem spectat ad *Vicarios sive Oeconomos Ecclesiarum vacantium*, quum a Sacro Tridentino Concilio citat. *ses. 24. c. 18.* cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione*, vestrum erit, Ven. Fratres cum iis agere, qui vacantis Ecclesiae fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquot augmentum praebeatur pro onere celebrandi et applicandi Missam pro Populo diebus Festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Camerae Nostrae Apostolicae exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quae is denunciare non praetermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi Ecclesiasticae Nostrae Ditionis caeterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

§. VII. Ac demum quoad illos, *qui tanquam Vicarii sive perpetui sive ad tempus constituti* Animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiae Parochialis, ipsorum Ecclesiis seu Monasteriis, Collegiis aut Locis Piis olim unitae, quamvis a recol. mem. Praedecessore Nostro S. Pio Papa V. praefinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quae incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris Anni 1567 distinctè statuitur; nihilominus ubi praescripta fructuum portio vel nullo modo vel non integre Vicariis praedictis assignata reperiatur vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi Missam pro Populo diebus festis de praecepto, utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 7., dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum atque injunctorum operum rationem, congruam praedictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

§. VIII. Haec igitur circa Missam Parochialem statuenda et Fraternitatibus Vestris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea *quae pertinent ad Missam Conventualem*; neminem Vestrum latere putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis tum Horae Canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur; quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes Apostolica auctoritate Nostra confirmamus et approbamus, eorum executionem Nobis enixè inculcantes: ut scilicet Missa Conventualis, quae singulis diebus canitur a Clero praedictarum Ecclesiarum, pro earumdem Benefactoribus in genere quotidiè applicetur, eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis, qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de praecepto applicari debere superius declaravimus.

§. IX. Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe, dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiae Benefactore vel grati animi ergo vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missae Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiae, cujus servitio addicti sunt quicunque in eadem sive Dignitates sive Canonicatus sive Mansionariatus sive Beneficia Choralia obtinent et Missam Conventualem suis respectivè vicibus celebrant.

§. X. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro Benefactoribus in genere aliquae

interdum preces fiunt vel anniversaria statis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quae a Lege Ecclesiatica multoties praescripta fuit; *nimirùm Missam conventualem singulis diebus pro Benefactoribus celebrando eandemque pro illis in genere applicando.*

§. XI. Profectò non solùm prioribus Ecclesiae saeculis verum etiam temporibus haud longè a nostra aetate remotis, (quod Vos ex Historia Ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur tum etiam Missae Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iisdem pii Benefactores in suis Donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quìdem ea de fecissent, sacrorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcircò desere fas est usum et disciplinam orandi pro iis et Sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

§. XII. Quemadmodum verò loquendo de Missa Parochiali superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus festis de praecepto; ita pariter usu venit quoad applicationem quotidianam Missae Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores providè è medio sublatae fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Nostra approbamus et confirmamus.

§. XIII. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis etiam immemorabilis in propria Ecclesia vigentis se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verùm jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

§. XIV. Alii a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent *ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii Canonicatus aut alterius Beneficii Ecclesiastici — quod insimul cum Canonicali praebenda obtinent, vel quia praeter munus Canonici seu Beneficiati aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali seu Collegiata, quum etiam in eadem vel in alia Ecclesia Parochialem curam exerceant,* dum Missam Conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro Populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eamdem pro Ecclesiae Benefactoribus specialiter offerre. *Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis praedictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiae Benefactoribus in genere applicent; pro aliis verò, pro quibus ipsi peculialiter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret applicetque.*

§. XV. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non

semper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, *sed aliquando etiam a Beneficiatis aut Mansionariis, quos minus aequum videtur pro Missae celebratione omni eleemosyna carere,* quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex Massa distributionum.

§. XVI. Alii denique obtenderunt *exiguitatem hujusmodi distributionum,* quae, ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum ferè redactae, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiae praestandi. Tridentina quidem Synodus *ses. 24. cap. 15.* opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Praebendarum inopiae valeat provideri. Si verò designatam a Concilio viam, ut ferè evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex Vestris relationibus rerum statu auctoritate Apostolica a Praedecessoribus Nostris eidem impartita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata quotidianam applicationem Missae Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

§. XVII. Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, *praescribetur, ut certis diebus non una sed binae atque etiam aliquando tres Missae Conventuales uno die celebrentur.* Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse; nunc expendendum superest, an earundem Ecclesiarum Capitula Jurisdictioni Vestrae respectivè subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere similiter applicent?

§. XVIII. Hujusmodi quaestio ab aliquibus ex Vobis Ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, *concedendam esse exemptionem ab onere applicandam secundam ac tertiam Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere attenta Canonicatuum et Beneficiorum tenuitate;* ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur.

§. XIX. Verum quum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probè noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio Nostro remittendam esse censuerit, Nos ita judicamus idque Vobis tenendum indicimus: *laudandos nempe et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant;* qui verò idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; *ubi verò id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque Missae Conventualis applicationem* celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro Defunctis Ecclesiae Benefactorum in genere non obliviscantur.

§. XX. Huic demum Epistolae nostrae finem imponentes Fraternitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis,

ut in Ecclesiarum Vestrarum Choris praeter devotam celebrationem debitamque applicationem Missae Conventualis Horae Canonicae non praepropere sed exactè, pausa nempè interposita et maxima, qua decet, reverentia ac religione canantur. *Constitut. Bened. XIV.* de die 19. Aug. 1744. (Bull. r. t. XVI. p. 214.)

Liparen.

Episcopus exponit, in sua Dioecesi unam adesse paroch. ecclesiam, quae Cathedralis est. Haec parochia plures circum habet insulas inter se multo distantes et unaquaeque insula plures continet pagos, in quorum singulis unum vel duo sunt sacella, pro quibus regendis saltem quadraginta inesse debent sacerdotes, dicti Capellani vel Capellani curati, quorum officium est, concionari in festis, Sacramenta Eucharistiae, Poenitentiae, extremae Unctionis administrare, mortuos benedicere et ad sepulturam comitari. Aliqui eorum etiam baptizant, sed libri baptizatorum sicut et confirmatorum et mortuorum resident penes magistrum Capellanum vel parochum in Cathedrali, qui praeest omnibus et ad quem illi referunt adnotationem baptizatorum et mortuorum. Congrua vero uniuscujusque vel nulla vel minima vel ad maximum quinque oboli in diem. Populus autem alicujus pagi non vivit pane, sed herbis terrae vescitur.

Quibus se ita habentibus censent plures suae Dioeceseos theologi, solum parochum Cathedralis teneri ad applicationem missae pro populo, illos vero Capellanos nullam exercere animarum curam, tantum ministros esse coadjutores parochi, ideoque non comprehendi in litteris encyclicis s. m. Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas*, et SS. D. N. incip.: *Amantissimi Redemptoris.* Et revera ab immemorabili minime missam pro populo applicant.

Nihilominus Episcopus ad suae conscientiae tranquillitatem sequentia dubia declarari supplex expostulat, nimirum:

1) Istiusmodi Capellani an curam animarum exerceant et num teneantur missam pro populo applicare?

2) Si affirmative: perpensa egestate Dioecesis Ordinarius maximam reperiret difficultatem imo impossibilitatem inveniendi sacerdotem, qui hoc onere Sacramenta administret; quin et periculum erit relinquendi aliquas ecclesias sine sacerdote curato, ideoque expostulat, ut inposterum numerus missarum pro populo applicandarum reducatur ad festum Nativ. D., Paschatis, Pentec. et SS. Corporis D. tantum.

3) Praeteritae omissiones, si fuerint, rogat, ut condonentur.

In posterioribus suis litteris addebat Episcopus ad clariorem rei intelligentiam:

1) Quod omnes et singulae praefatae insulae comprehenduntur sub paroecia Cathedralis, etenim in hac unus adest parochus sive magister Capellanorum, apud quem servatur liber baptizatorum, confirmatorum, matrimonialium et mortuorum atque unum constituunt territorium, unus est judex et gubernator civilis.

2. Quod parochus applicat pro populo. S. C. C. resp. *Ad 1*: Juxta exposita negative in omnibus; *ad 2 et 3:* Provisum in primo. Die 23. Mart. 1861.

10) A Parochis Canon. Cathedr. et Colleg.

(Conc. Tr. C. 1. Sess. 23; C. 5. S. 25. De Ref.)

Cf.: *Missa (Applicatio a Parochis non Canon* decr. diei 31. Maji 1708; 11. Febr. 1731; 11. Maji 1720; 23. Mart. 1861.)

Ad dubium: An Praepositus Collegiatae s. Columbani Terrae Blandrati sub poenis a statuto Ecclesiae comminatis teneatur per se vel per alium

omnibus diebus dominicis et tribus diebus in hebdomada celebrare, ita ut nullus dies festus remaneat sine missa parochiali vel in quibus diebus?

S. C. C. resp.: Tenetur sub poenis a jure praescriptis. Die 27. Maji 1713.

Ad dubium: An onus applicandi missam lectam paroch. pro populo spectet ad Abbatem Curatum Colleg. et Parochialis Ecclesiae Terrae Angri?

S. C. C. resp.: Spectare ad Abbatem. Die 1. et 15. Dec. 1708 ad VI.

Ad dubium: 1. An Canonici Colleg. et Paroch. s. Georgii Syracus. de tempore vacationis Praepositurae potuerint omittere celebrationem et applicationem missae paroch. pro populo? Et quatenus negative;

2. An et quomodo sint cogendi pro tempore omissionis eandem missam pro populo adimplere seu satisfacere quamprimum?

S. C. resp. *ad 1*: Negative;

ad 2: Prout de jure.

Die 15. Juni 1709.

Ad dubium: 1. An in Ecclesia Cathedr. et Paroch. Balneoregii ultra missam conv. sit celebranda et applicanda diebus festivis missa paroch. a Canonicis per turnum sive potius a Canonicis Curatis?

2. An occurrente, quod Canonici Curati vel alii Canonici celebrant missam conv. per turnum diebus dominicis et festivis de praecepto, tunc teneantur per alium celebrari facere missam paroch.?

3) An, quatenus missa paroch. sit celebranda in diebus festivis a Canonicis Curatis in Parochia Contradae Rhotae sufficiat celebratio et applicatio unius missae pro populo, seu potius ambo Canonici Curati ad applicationem supradictae missae teneantur?

4. An Canonicus Curatus Ecclesiae paroch. Contradae Civitae, ubi residere tenetur, exemptus a servitio chori teneatur per turnum cantare et applicare in Cathedr. missam convent. et celebrare aliam missam in aurora, quae celebratur per turnum in dicta Ecclesia ab omnibus Canonicis tam diebus festivis quam ferial.?

5. An occurrente, quod celebret per turnum missam conv. vel aliam in aurora diebus festivis de praecepto, tunc teneatur per alium celebrari facere missam paroch. in Ecclesia paroch. Civitae?

S. C. resp. *ad 1:* Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam;

ad 2: Affirmative;

ad 3: Sufficere unicam celebrationem et applicationem;

ad 4: Negative;

ad 5: Provisum in quarto.

Die 8. Juli et 19. Aug. 1713.

Priorem Ecclesiae Colleg. eundemque parochum applicare populo teneri solum diebus festis et diebus a Conc. Tr. statutis. S. C. C. die 26. Maji 1639. *Tolentina.*

Sutrina.

(Conc. Tr. C. 1. Sess. 23. De ref.)

Regebatur jamdiu ante Annum 1585 Ecclesia Parochialis S. Aegidii loci Tulphae per duos duntaxat Presbyteros Curatos, sed Communitas ejusdem loci cupiens eandem Ecclesiam in Collegiatam erigi, post eam redactam in formam elegantiorem ac eidem assignata quaedam praedia pro sex Canonicorum manutentione, mox d. anno, praevia auctoritate Ordinarii, exoptatam obtinuit erectionem. Inter caetera conventa in Instrumento erectionis, quod datur in Summario, illud est, quod Cura Animarum semper resideret ordine successivo penes duos Canonicos antiquiores, quodque tam ex bonis a Communitate assignatis quam ex aliis, quae jam possidebant praefati duo Concurati, una et communis massa

conflaretur, ex cujus redditibus una cum aliis emolumentis etiam incertis octo partes conficerentur, quarum quatuor, duobus Canonicis Curatis, duae nempè singulis adjicerentur, reliquae verò quatuor inter singulos alios quatuor Canonicos pro aequali dividerentur. Insequenti subindè tempore quinque alii Canonicatus eidem Collegiatae fuerunt adjuncti atque à Capitulo cum eisdem honoribus et oneribus acceptati. Cum autem modernus Episcopus in Visitatione Dioecesis peracta de Anno 1704 comperisset tam Curatos quam Canonicos dictae Collegiatae nunquam satisfecisse applicationi Missae Parochialis pro Populo, eandem decrevit ab omnibus Capitularibus celebrandam et applicandam cunctis diebus Dominicis et festivis, sed comperta pariter praedicti Decreti inobservantia in alia Visitatione Anni 1706, poenam suspensionis contra inobedientes inflixit. Ab hujusmodi Decreto gravati Canonici recurrerunt ad S. C. sub eo signanter motivo, quod onus Missam applicandi pro Populo insit duntaxat Canonicis Curatis, qui duplicem habent reddituum portionem.

Episcopus desuper requisitus informare supradicta confirmat, atque fundamentum sui Decreti devinciendi omnes Canonicos in eo situm esse asseverat, quod in erectione Collegiatae Praebendae sunt communes Curatis cum Canonicis, quorum singuli habent futuram successionem ad Curam animarum in defectum Canonici antiquioris. Sic igitur monito Procuratore Canonicorum, dignentur EE. VV. resolvere haec bina dubia concordata:

I. An onus Missae, quae singulis diebus festivis in Ecclesiis Parochialibus debet ex dispositione Juris pro Populo celebrari et applicari, integrè spectet respectu Ecclesiae Collegiatae S. Aegidii ad duos Curatos dictae Ecclesiae, sive potius proportionabiliter spectet ad d. Curatos, quam ad alios Canonicos dictae Collegiatae?

II. An et contra quos poena suspensionis ipso facto incurrenda comminata per Episcopum Sutrinum ob non celebrationem d. Missae Parochialis sustineatur in casu etc.?

S. C. C. resp. *ad 1:* Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam; *ad 2:* Sustineri quoad Canonicos Curatos deleta clausula: „ipso facto" et amplius. Die 15. Dec. 1708 et 12. Jan. 1709.

11) XV Auxiliat.

Vd.: *Missae prohibitae*; *Missae Gregorianae.*

Sub prohibitione missae XV Auxiliatorum comprehendatur etiam prohibitio Oratio ipsorum peculiaris in honorem dictorum Auxiliatorum quotidie recitari solita a Capuccinis civitatis Passav. n. 796 die 10. Febr. 1629.

12) De B. V. Mariae.

Vd.: *Missa vot. B. V. M.*; *Off. B. V. M. de Bethlehem.*

13) In bened. Monialium.

Vd.: *Benedictio Monial.* (missa.)

14) Cantata.

Ad dubium: an missa quotid. cantanda debuerit et debeat cantari cum assistentia Diaconi et Subd. vel solius Acolythi? S. C. C. resp.: Satisfieri voluntati Testatorum cantando missas etiam sine assistentia Diaconi et Subd. Die 29. Jan. 1684.

15) In Capella.

Vd.: *Capella.*

16) De Carmelo.

Vd.: *Festum B. M. de Monte Carmelo; Missa de Rosario.*

Missa Rosarii et de Carmelo non sunt vigore Decreti permissae omnibus Regularibus, sed Missa de Carmelo *Carmelitanis tantum* et non aliis fuit approbata vel permissa. n. 772 ad 12 die 28. Oct. 1628; n. 892 ad 1 die 13. Jan. 1631.

17) Celebrandi modus.

Vd.: *Missa: Celebrans utrum debeat sedere? Fistula; Ritus; Missa* (ritus); *De properantia celebrandi*, vd.: *Habitus clericor.* (§. 9.)

18) Celebrans.

a) Utrum debeat sedere?

EPISTOLA
Sanctissimi Domini Nostri
BENEDICTI PAPAE XIV.
ad Reverendissimum Dominum Ignatium Realem
Primum Pontificiarum Caeremoniarum
Magistrum
de
Celebratione Missae a Sedente.

Dilecto Filio Magistro Reali Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto. Benedictus Papa XIV.

Dilecte Fili Salutem et Apostolicam Benedictionem.

I. Aestas anni 1756 proxime praeteriti variis corporis afflictationibus Nos oppressit, quas aetas nostra gravis admodum atque non intermissi a prima juventute labores progignere videbantur. Morbi initium, prout fieri assolet, leviorem vim exserebat, hinc a Nobis ipsis Episcopatus Ordine insigniendum esse reputavimus Reverendissimum Dominum Carolum Camucium Justinopolis sive Aegidae Antistitem, cui rei perficiendae Tu utpote primus Caeremoniarum Magister opportuna quaeque disposuisti et de qua Nos die 20. Octobris 1756 epistolam dedimus ad Praesulem ordinandum, quam typis impressam quartus Bullarii nostri tomus propediem lucem publicam visurus numero LXIII. exhibebit.

II. Malum, quod in suo exortu levius videbatur, progressu suo exasperatum est haud mediocriter; insequentibus quippe mensibus bis morientium viatico muniti, bis extremum inuncti et bis pariter juxta Romanorum Pontificum probatum morem fidem sumus professi. E gravissimis hisce discriminibus erutos Domini benignitas in eam nos constituit corporis habitudinem, qualis nunc est, quaeque intelligentiae facultatem adeo Nobis non eripuit minuitve, ut Divino beneficio eam in ipso augescentis morbi furore conservaremus immotam: Exteris non minus, quam publicarum rerum curam gerentibus nos alloquendi facultatem concedimus, opportuna mandata singulis imponentes: Intersumus Confessui, quem Consistorium dicunt et S. Officii congregationi semel in hebdomade sub nostro obtutu haberi solitae: Scriptorum calamus pro exigentia et more quae occurrunt necessaria excipit; Basilicas quoque Romanae Urbis invisimus quandoque, nusquam tamen e sede gestatoria, qua sustinemur, descendentes.

III. Dies erat 28. Octobris Divis Simoni et Judae Apostolis sacra et Justinopolitani Antistitis consecratione celebrata, ex qua Sacris amplius operati non sumus, pedibus nulla ratione Nos sustinere valentibus; diebus vero, quibus alioqui Sacra facere consueveramus, sacram Eucharistiam recepimus sedentes aut sedentis in modum lecto incubantes, neque sub id temporis Missam a Nobis celebrari posse sperabamus, quod Medici spem Nobis fecissent mitigatae aestatis beneficio aëre omissa interea compensatum iri. Verum nihilo firmiores effecti temporis illa vicissitudine etiam annua, videbamur per reliquam vitam omnem

pedum juvamine et spe simul augusta mysteria celebrandi excidisse, jamque huic necessitati lubentes obtemperabamus. Id porro solum est reliquum, ut disquiramus, semperne Sacra Communione simus reficiendi *aut vero Missa sit celebranda sedentibus?*

IV. Lubentes Nos huic necessitati cessisse diximus; neque enim a Deo sive vitam sive infirmitatis ablationem petivimus, Sanctissimae ejus voluntati omni cordis plenitudine et sinceritate subjecti, certi, Ipsum et animae nostrae et Ecclesiae et Sedis Apostolicae curam habiturum, concesso etiam aliquo vitae spatio. Diximus praeterea tempus adesse, quo determinandum esset pergendumne in consueta hucusque Sacrae Eucharistiae sumptione, *an vero Missa esset celebranda sedentibus?* Cum vero Salomon *Prov. cap. 3. hortetur: ne innitaris prudentiae tuae*, quae eadem verba in Decretali *: ne innitaris, de Constitutionibus* laudata sic illustrat Jansenius in Proverbia: *vetat niti suae prudentiae, quod est sic illi fidere, quasi illa sufficiat ad directionem actuum nostrorum et provisionem rerum necessariarum.*

Similiter Salazar in eundem Proverbiorum locum num. 26. cum S. Joanne Chrysostomo observat, hac lege teneri etiam senes quantacunque rerum experientia praeditos et quocunque prudentiae baculo suffultos: *Baculus, inquit Chrysostomus, senectutis sustentatio est. Quapropter dixerim, eo spectasse Salomonem, ut his verbis suadeat, sapientiae vel prudentiae propriae non inniti. Nam, si qui possent certo propriis consiliis et prudentiae fidere, maxime senes et grandaevi, propter experimentum et canos. Ait ergo: ne prudentiae, quasi baculo, innitaris: id est, etiamsi ad senectam perveneris, cum opus est baculo, ne tunc quidem tua prudentia quasi baculo utaris.* Hinc est, quod Nos adductis in utramque partem argumentis sive pro sumenda ulterius Communione sive pro celebranda Missa sedendo militantibus, statuimus hanc nostram lucubrationem variorum pietate et doctrina conspicuorum virorum trutinationi committere, ut secundum illorum judicia, quae agenda sunt, constituamus. Aeneas Sylvius Piccolominus postea Pius II. in Pontificia dignitate dictus in epistola ad Martinum Mayer Moguntinensis Archiepiscopi Cancellarium data et in ipsius Commentariis Romae 1584 edita necessitatem exponit, qua Pontifex alios consulere tenetur: *Papa etsi doctus et sapiens est, non tamen tam verbo suo sapit, quam consilio assistentium et deciperetur forsitan aliquando, nisi astarent viri sapientes, qui multa noscant.* Magno Nobis documento, qui nec sapientia nec doctrina praecellimus, in negotio praesertim Nos ipsos concernente, in quo amor proprius Nos insigniter posset decipere absque aliorum prudenti consilio.

Commentatio.

Satiusne sit, Sacram Communionem recipere, more hactenus a Pontifice servato, an Missam celebrare sedendo?

V. Ut ordinatim procedamus, exponemus primo loco, quae recipiendam porro Communionem concernunt, omissa celebratione Missae a sedente perficienda, inde gradum facturi ad partem alteram, quae Communionis loco Missam a sedente celebrari permittit.

VI. Docet S. Thomas 2. 2. quaest. 93. art. 1. *Ad secundam*: justos ante legem interiori quopiam instinctu didicisse modum Deum colendi, quem alii quoque fuerint imitati: *ante Tempus Legis justi per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur.* Per

legem vero postmodum inducta fuisse praecepta externa, quibus ad ea perficienda et instruebantur et adstringebantur homines: *postmodum vero exterioribus praeceptis*, pergit Angelicus Doctor, *circa hoc homines sunt instructi, quae praeterire pestiferum est.*

VII. Abrogata postmodum per Christi adventum Mosaicae Legis observantia et Evangelio promulgato, non quidem omnes ritus ad Sacramentorum administrationem Missaeque celebrationem pertinentes ab Apostolis fuere instituti, sed eorum plerique ab Ecclesia praescripti; quod tamen minime evincit, quin omnes ad amussim sint observandi. Suarez Tom. 3. in 3. part. D. Thomae quaest. 83 art. 5. disp. 84. sect. 1. pro relata S. Pauli Apostoli verba 1. ad Cortnth. 14: *omnia secundum ordinem fiant in vobis*, inquit, adactam fuisse Ecclesiam ad constituendum ordinem stabilem circa res etiam minutissimas spectantes ad ritum administrandi Sacramenta et Missae celebrandae: *et ideo oportet in his omnibus etiam minutissimis certum ordinem ab Ecclesia constitui:* si namque cujusque arbitratui id fuisset relictum, *multa indecore et imprudenter fierent;* quid quod eadem apud omnes rituum ratio et Ecclesiae unitatem commendet et intentam Pastorum solicitudinem? *Haec uniformitas, quae in his omnibus servatur, ad splendorem Officii Ecclesiastici spectat et unitatem Ecclesiae commendat et Pastorum ejus curam ac solicitudinem:*

VIII. Jam vero ut ad materiae nobis propositae fundum mittamus bolidem, Generales regulae, quas rubricas dicunt, Romani Missalis Tit. 17. vetant sessionem in Missis privatis, quam tamen concedunt in solemnibus, dum *Kyrie, Gloria* et *Credo* a Choro decantatur. Tridentinum vero Concilium *Sess. 7. de Sacramentis in genere can. 13* omnem quantulamcunque mutationem rituum prohibet et S. Pii V. Bulla Missali praefixa rubricarum observationem exigit omnimodam. Ex quibus perspicuum videtur, quod, si quis alio modo quam sedendo celebrare Missam nequeat, Communione Laicorum more contentus a celebratione abstinere teneatur.

IX. Quid vero, si quis ad sedentariae Missae celebrationem dispensetur? Verum, cum Rubricae sessionem prohibeant, videtur illa irreverentiam continere, quae dispensationis remedio non tollitur. Theophilus Raynaudus in opere inscripto: *Sacrum Christianum Acathistum, seu sessionis expers*, Tom. 6. pag. 498. §. 4 et seq. dilucide illam irreverentiam docet. Extat quoque opusculum S. Petri Damiani numero 39 editionis anni 1743, in quo Episcopum Bisuntinum hortatur ad arcendum a sua Dioecesi opprobrium ignominiosae sessionis. In Decreto etiam Gratiani gemini hanc in rem Canones adducuntur, 57 videlicet et 68. de Consecrat. dist. 1.; primus ita habet: *Nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus ad Missarum solennia celebranda praesumat cum baculo introire.* Alter vero ita sonat: *Apostolica auctoritate mandamus, dum sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, ut Sacerdotes et caeteri omnes praesentes, non sedentes sed venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant et fideliter adorent.*

X. Neque sermo Nobis est de dispensatione ad celebrandam Missam a sedente, qui tamen Canonem stans absolvat, quod alias concessum scimus; sed agitur de integra Missa sedendo celebranda, cujus exemplum haud extare dicitur. Pasqualigus *de Sacrificio novae Legis* Tom. 1. quasst. 227. quaerit: *An Sacerdos, dum eelebrat, sedere possit?* atque negative resolvens propter obstantem irreverentiam,

ad Pontificiam dispensationom deflectens quaestionem, ait, illam non oportere concedi ad integram Missam; convenientius fore, si Sacerdos ob pedum debilitatem integram Missam absolvere nequeat, intermisso tantisper continuo ordine, sedendo vires resumat. *Satius esset, quod potius interrumperet Missam et sedens quiesceret ad recuperandas vires, quam sedendo celebraret.* Id quod fieri vidimus ab homine pio et docto Inquisitore Perusino, qui juxta tenorem obtentae dispensationis omne absolvendo Canoni tempus explere stando non poterat, pedibus officium suum denegantibus.

XI. Superflua forte videbuntur hactenus adducta contra Missam sedentariam, praesertim si de Canone pariter sermo instituatur, cum sessionis prohibitio non a Lege Naturae, aut Dei, sed positiva solummodo inducta sit; Pontifex autem Romanus omni positivo jure sit superior, facillime eidem derogando veniam facere poterit Missam omnem ipsumque adeo Canonem sedendo absolvendi.

XII. At vero meminisse oportet, esse casus nullo aut naturae aut Divino jure prohibitos, in quibus tamen Pontifex neutiquam dispensare consuevit, quamvis soli positivae Legi derogaturos.

XIII. Non convenit inter Theologos, an matrimonium inter fratrem et sororem, jure naturali, Divino vel humano prohibeatur: Certe S. Thomas, Gonzalez, Pontius, Parisius et Aversa solam juris positivi prohibitionem agnoscunt; neque tamen ullo probato testimonio evincitur, a quopiam Pontifice admissas fuisse preces fratris et sororis matrimonii vinculo invicem ligari petentium: quae enim a Sanctae Sedis hostibus proferuntur exempla, falsa sunt. Institit quidem Henricus VIII. Angliae Rex vehementer apud Clementem VII., ut spurio ipsius filio Duci Richemundensi ducere liceret Mariam e legitimo Henrici et Catharinae thoro prognatam, repulsam vero tulit illico; similiter dispensatio illa, cujus obtentu Dux Armeniacensis Sorori suae nupserat, subreptitia omnino erat, cum Calixtus III. constanter eam concedere recusaverit. Haec uberius relata et comprobata reperies apud Rigantium in Reg. 49. Cancellariae a num. 13 ad 17. Nosque viri hujus mentionem honorificam eo facimus libentius, quod nostram, dum *in minoribus* essemus constituti, amicitiam peculiarem singularibus animi dotibus et utilissimo illarum usu sibi vendicaverit.

XIV. Matrimonium in primo affinitatis gradu lineae rectae jure tantum positivo interdicitur, asseritque Silvius magni nominis Theologus, Pontificem dispensare posse cum vitrico et privigna; ad hunc vero diem Pontificum nullus extitit, qui ex causa etiam gravissima dispensaverit in primo affinitatis gradu lineae rectae, prout ostensum a Nobis est lib. 9 *de Synodo Dioecesana* cap. 13. num. 14 edit. noviss.

XV. Impedimentum *criminis* secuta etiam conjugis occisione a positivo jure est stabilitum, quod patet ex Hebraica Lege matrimonium post copulam et conjugis occisionem irritum non agnoscente: atque Ipsi probe meminimus, rejectam esse a Tribunali S. Officii, cui *in minoribus* a consiliis eramus, petitionem Judaei cujusdam criminis Impedimentum Hebraeorum matrimoniis opponere volentis, si post conjugis occisionem fuissent contracta. Sane nemo Davidis cum Bethsabea matrimonium irritum credidit, quanquam adulterium praecesserit et Uriae interfectio. Cum itaque matrimonium ejusmodi jure solum positivo prohibeatur, adeo difficulter dispensatio concedenda nec fuisset, nec esset, concurrente praesertim causa legitima, si generalis illa regula subsisteret, facile

dispensari in prohibitis jure tantum positivo: neque tamen exemplo ullo constat, Pontificem dispensasse in impedimento hujusmodi publico. Videantur, quae hanc in rem congessit Miglioruccius in *Institutionibus Canonicis* ad lib. 2. tit. 14. in explicationibus ad num. 9. et 10: *ubi conjugis occisio secuta sit*, *nunquam dispensatur, non quia Pontifex non possit:* si impedimentum sit occultum, Major Poenitentiarius dispensat in matrimoniis tum contractis tum contrahendis pro foro interno, commisso adulterio, sed *neutro machinante*; verum si impedimentum oriatur ex adulterio, *utroque vel altero machinante*, sitque occultum, habet quidem Major Poenitentiarius facultatem dispensandi, *raro tamen* et semper pro foro tantum interno, his quoque servatis, ut gravis concurrat necessitas, aut grave immineat periculum et casu in plena Congregatione aut Poenitentiariae signatura proposito. Videatur Constitutio nostra XCV. *Pastor bonus* Tom. I. nostri Bullarii §. 44.

XVI. Hactenus in medium allata abunde commonstrant non temere pro regula statuendum, quod prohibitis Lege solum positiva, non vero naturali vel Divina, derogandi plena et non circumscripta sit Pontifici Romano libertas: immo exemplis adductis illud adjungi potest de Missa sedentaria una cum Canone celebranda: namque Missae hujus oppugnator concessionis similis memoriam haud extare contendit.

XVII. Neque dictis obest, quod dispensationis ejusmodi denegatio impediat magnum bonum, aedificationem nimirum populi ex Episcopi celebratione, qualicunque demum valeret modo peracta, proventuram; namque aedificatio illa neutiquam obtinetur, cum dispensationes istae celebrandi sedendo, accepto tempore Canonis, clausulam contineant, ut Missa in privato Oratorio celebretur ad evitandam populi mirationem; atque cum bonum illud obtineri possit, praescindendo a motivo praemisso, non videtur illius consecutio quaerenda novitatis hujus in Ecclesiam intrusione; Episcopi siquidem pietas nutriri potest per Communionem *more Laicorum* sumptam, qui autem pro populo sacrificium offerat, substituere sibi potest Sacerdotem alium.

XVIII. Magnum beneficium est, si infirmo, quod petiit, Sacrum Viaticum a Sacerdote porrigatur; verum, si nequidem una habeatur candela, si vestes sacrae desint, si alio profectus esset Sacerdos casum haud praevidens, clavesque tabernaculi secum ferens; tum enimvero Viatici Sacri munimine carebit, quidem, docebitur tamen sufficere desiderium et Sacramenti perceptionem *in spe*, cum nequiverit percipere *in re.* Similiter et in Sacerdote sufficiet prompta ministrandi infirmo Viaticum voluntas, cum Missae celebratio absque luminibus aut sacris indumentis licita non sit, nequidem pro ministrando Viatico, juxta probabiorem opinionem, qua de actum est in Nostro Tractatu Ss. Missa Tom. 2. Sect. 2. cap. 1. §. 3. edit. Ital. Sect. 2. num. 52. edit. Latinae.

Commentatio.

De Celebratione Missae etiam sub Canone a sedente, quin obligetur Sacerdos stare non valens ad recipiendam semper Communionem more Laicorum.

XIX. Asserens bene concedi licentiam, ut Sacerdos debilitate pressus sedendo Missam ipsumque adeo Canonem absolvere possit, contendit, sessionem inter Divinas preces nec indecentem esse nec opprobrio plenam. In Actis Apostolorum cap. 2. legimus, Divinum Spiritum descendisse super Apostolos in coenaculo sedentes: *et*

replevit totam domum, ubi erant sedentes. Ideoque Cardinalis Cajetanus in Acta Apostolorum ita commentatur: *non horreo sessionem corporalem, cum nihil indecens inducat:* additque Navarrus in Manuali de Oratione cap. 4. num. 12. situm corporis sedentarium non esse incongruum orantibus. Admittit quidem sedentariae Missae Patronus, indecens esse Missam celebrari a sedente; attamen causa legitima concurrente, puta pedum debilitate, nequidem Canonem stando perficiendum permittente, sufficiens motivum haberi ad concedendam sessionem per totam Missam, non quidem singulis, sed spectabilioribus a Clero propter dignitatem suam Ecclesiasticam, multo magis Episcopis ad celebrationem ex munere suo adstrictis. S. Petrus Damianus aversabatur vehementer sessionem in precibus, sub finem tamen praelaudati opusculi cap. 4. pag. 336 haec addit: *Nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat.* Nec pacatior sessionis in orando osor Theophilus Raynaudus loco cit. pag. 503. col. 1. ita habet: *Quis sedere coram Deo audeat injussu ejus? at abest Dei nutus, vel jussum de sibi assidendo, si absit aegritudo corporis sessionem deposcens; ea enim corporis imbecillitas Divinae indulgentiae ad sedendum concessae tessera est ex natura rei.* Cumque in Canone 131. Concilii Aquisgranensis legamus: *Nec cum baculis in Choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum et psallendum est.* Eruditus Pater Haestenus in doctis suis disquisitionibus monasticis Lib. 7. disquis. 1. pag. 705. ita Canonem explicat: *Quod autem debilibus hic legimus baculum indulgeri, caeteris negari, id factum eo modo, quo de Zebina scribit Theodoretus in Philot. cap. 24., postquam autem non permittebat senectus, ut citra molestiam stare posset assidue, sustentaculum ei praestabat baculus, cui innixus Dominum et laudabat et orabat.*

XX. Et sane, si media omnia adhibentur, ut Sacerdos ad Missae celebrationem ineptus effectus dispensationis remedio ad eam celebrandam reddatur idoneus, si conatus omnis intenditur, ut auferantur impedimenta Laicos a Sacramentorum perceptione arcentia; mirari nemo debet, si non solum aliquibus pedum debilitate laborantibus concedatur facultas Missae sedentariae Canone excepto, sed si dignioribus Ecclesiae Ministris *Episcopis* praesertim eadem pedum infirmitate oppressis permittatur sessio sub ipso quoque Canone et Consecratione.

XXI. Si *Parochus aut Sacerdos* alius videndi facultate privatus non sit, licentia ei conceditur celebrandi in festis solemnioribus et duplicibus Missam votivam de Beatissima Virgine, diebus autem ferialibus Missam Defunctorum; multae vero clausulae huic concessioni adjiciuntur, illa praesertim, *ut non sit omnino caecus nec recitet memoriter;* injungiturque Episcopis, ut si omnino caecus reddatur, omni celebrandi facultate privetur. Atque si Sacerdos caecus efficiatus post susceptum Presbyteratus ordinem, hic illum defectus non ordine ipso sed ordinis executione privat, et quidem tandum quoad confectionem Eucharistiae, non item quoad alias functiones visum non exigentes, qualis esset confessionis auditio, praedicatio etc., prout optime observat. S. Thomas 3. part. quaest. 82. art. 10. ad. 3. Non vero desunt exempla concessae caecis Episcopis licentiae Missam celebrandi. Aimonius sane refert in Actis Concilii Tricassini anno 878. habiti apud Baronium et Natalem Alexandrum, Joannem VIII. in eodem Concilio ad instantiam Episcoporum Hincmaro Laudunensi caeco, nepoti Hincmari Rhemensis, facultatem Sacris operandi fuisse

elargitum. Soto quoque in 4. Sentent. dist. 9. quaest. 1. art. 2. testatur, visum a se in Concilio Tridentino Episcopum caecum ex Pontificis dispensatione quotidie celebrantem. Cum Nos *in minoribus* munere fungeremur Secretarii Congregationis Concilii, mature discussa materia excussisque Auctoribus allegatis a Nobis, in folio desuper confecto, et Tom. 4. Thesaur. Resolut. Congreg. pag. 101 et seq. edit. Urbanat. Parocho Florentino caeco omnino sed magnorum meritorum, intuitu circumstantiarum variarum in ejus favorem concurrentium licentia concessa est Missam celebrandi sub assistentia alterius Sacerdotis; causa haec proposita est 2. Augusti 1717 et ejusdem anni mensisque die terminata. Neque recentiora desunt exempla similium concessionum.

XXII. Non est celebranda Missa operto capite. Canones id prohibentes adducti a Nobis sunt *in Notificatione 14. Tom. 2. quaest. 34. est Latinae editionis* §. 4 idemque evincimus Tom. 1. *de Sacrificio Missae Sect. 1. cap. 4. §. 2. edit. Ital. Latinae vero Sect. 1. num. 53.* Inter alios vero Canones ad litteram id habet Can. *Nullus Episcopus de Consecrat. dist. 1*: *Nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus ad solennia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere.* Quidquid autem sit de eo, quod Vasquez Tom. 3. in 3. part. Disput. 232. cap. 4. refert, in Polonia Sacerdotes etiam Regulares in hyeme operto capite Missam dicere usque ad Consecrationem; consuevit dari licentia capite operto Missam legendi excepto Canone, si testentur Medici ex capitis nudatione sanitatis periculum imminere. Paulus V. concessisse legitur in aliquibus Orientis Ecclesiis Missas integras una cum Canone operto capite celebrari, cum iis in regionibus inurbana habeatur capitis denudatio. Raynandus cit. tom. 6. p. 499 col. 2. et Stenaus tom. 2. de Sacrif. disput 27. sect. 2. n. 10. admittunt, operto capite missam et Canonem dici posse, si alias timeatur saluti Sacerdotis, in regionibus praesertim frigidis. Ideoque Navarrus lib. 3. de celebrat. Missarum, Consil. *l.* num. 5. edit. Venet. 1621 haec affert: *Non desinunt Sacramenta Divina reverenter tractari, eo quod ex justa causa et necessitate vitandi frigoris vel doloris capitis, pileoque aliquo honesto caput tegatur.* Concordat Salmero Tom. 14. in ep. 1. ad Corinth. cap. 11. disput. 18. pag. 144. edit. Colon. 1614 et Henaus cit. sect. 2. num. 20. ita cum Arriaga concludit: *Non est censendum, Deum malle omitti Sacrificium, aut quod graviter Sacerdotes de salute periclitentur, quam quod habeant tecta capita; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus.* Praeterea Sacerdotibus vetitum est deferre fictitia capillitia, prout liquet ex documentis a Nobis congestis in Tractatu *de Synodo Dioecesana* edit. noviss. lib. 11. cap. 9. maximeque ea prohibitio se extendit ad celebrationem Missae, attamen perspeciem aliquam tolerantiae, ut Clericis concedatur etiam Missam celebrare sic coopertis, dummodo corona seu tonsura clericalis aperta semper maneat.

XXIII. Agendum jam est de modis excogitatis, quibus facilior redditur Laicos Sacramentorum perceptio, non obstantibus quibustam difficultatibus. Notum cuique est, celebratam olim in mari Missam, quae sicca dicebatur, quaeque prohibita est; nunc autem facultas conceditur Missae verae celebrandae, si tamen navis secura sit, remota a littore, mare tranquillum, et praeter Sacerdotem celebrantem adsit Presbyter aut Diaconus alius, qui exurgente forte quoppiam motu calicis

effusionem praevertat; singula videri possunt Tom. 2. de Sacrificio Missae Sect. 2. cap. 1. §. 3. pag. 256. edit. Ital. Latinae vero Sect. 2. num. 49. et seq.

Atque ne prolixior sit oratio, indicare sufficiet, modum quoque adinventum esse ministrandi Sacram Eucharistiam infirmo, consecratam particulam deglutire non valenti, nec minus peste laboranti, quin Sacerdos ministrans eam contrahendi periculum subeat; quoad primum videatur in Tract. de Sacrificio Missae Tom. 2. Sect. 2. cap. 6. §. 4. edit. Ital. et Sect. 2. num. 170. edit. Latinae. Secundum habetur in Tractatu de Synodo Dioecesana edit. noviss. lib. 13. cap. 19. num. 21. et seq. Ex quibus omnibus confirmantur superius dicta; nimirum si omni ratione prospectum est Sacerdotibus simplicibus celebrare non valentibus, ut possint nihilominus Sacris operari; si omni possibili modo Laicis Sacramenta ministrantur, non debent accumulari scrupuli et subtilitates ad arcendos Presbyteros in dignitatibus Ecclesiasticis constitutos et Episcopus praesertim a celebranda Missa sedentaria, si debilitate pedum laborent, cum praecipuum Episcoporum officium sit, offerre Deo sacrificium pro populo curae suae concredito et pro se ipso.

XXIV. Id sane disertis verbis docet S. Paulus Epist. ad Hebr. cap. 5. vers. 1. et seq.: *Omnes namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit, iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis:* et in ejusdem epist. cap. 8. vers. 3.: *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur.* Inde post prolixum sermonem in idem caput 5. concludit Joannes Gagneus: *Munus ergo assumpti Pontificis est orare et pro suis et pro populi delictis sacrificia offerre, et agnoscere se peccatorem, atque ita populi peccatis condolere.* Gagneo assentiuntur Guilelmus Estius, Salmero Cornelius a Lapide in Commentariis in citatum caput 5. Neque regerenda hic est superius allata objectio, cessare motivum aedificandi populum per celebrationem, cum haec perfici nequeat a sedente nisi in Capella aut Oratorio privato ad evitandam populi demirationem; neque enim populi aedificatio princeps causa celebrandi est, sed oblatio sacrificii pro populo, quae obtinetur aeque per celebrationem in Oratorio. Praeterea populus videns Episcopum suum celebrare, quo potest, modo, sciensque sedentem celebrare ex concessione Pontificia, tantum abest, ut offendatur, quin potius aedificetur.

XXV. Bene omnia haberent, inquis, si, prout exempla habentur concessae Episcopis licentiae sedendo Missam celebrandi, illa ad Canonem quoque, adeoque ad totam et integram Missam se extenderet; in hoc enim cardo rei vertitur. Antiquitatis sacrae monumenta evolventi occurrit S. Lucianus Martyr, qui in persecutione Maximiani fidelium eodem secum carcere detentorum desiderio Sacro Missae Sacrificio assistendi facturus satis, ipso Epiphaniae festo die in terram extensus et pectore tanquam ara usus Sacris est operatus, prout videre est in Actis apud Bollandistas Tom. 1. Januarii p. 361 num. 14. Theodoretus Cyri Episcopus in gratiam Sancti Eremicolae, qui Missae nunquam interfuerat, allatis in ipsius tugurium sacris vasis, manibus Diaconorum pro altari usus Sacrum confecit Eucharistiam, prout ipsemet refert in Philotheo cap. 20. Uranius in epistola de obitu Paulini apud Bollan-

distas Tom. 4. Junii pag. 198 num. 2. testatur, quod cum ad decumbentem S. Paulinum Nolanum Episcopum alii duo Praesules inviserent, aegrotus licet cum illis Missam celebraverit erecta prope lectum ara: *Et quasi profecturus ad Dominum, jubet, sibi ante lectulum suum sacra ministeria exhiberi; scilicet ut una cum Sanctis Episcopis oblato sacrificio, animam suam Domino commendaret:* quod et factum indicatur num. 3: *Et cum haec omnia Sanctus Episcopus laeto ac perfecto ordine celebrasset.*

Neque, quod aliqui contendunt, illa Uranii verba de perceptione Sacrae Eucharistiae, non item de celebratione Missae intelligenda sunt, huic enim suffragantur Tillemontius Tom. 14. in Actis S. Paulini art. 52. pag. 139 ed. Venet. doctissimusque Pater Magister Orsi, Magister Sacri Palatii Apostolici Tom. 12. Hist. Eccles. lib. 28. num. 76. pag. 375.

XXVI. Speciosa quidem sunt exempla superius allata praesentique casui apprime conveniunt; verum antiqua sunt, et praecedentia tempus illud, quo in modernos ritus fuit reducta Missae forma. At vero S. Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus mortuus est sub initium saeculi noni, Ignatius vero Episcopus Nicaenus, Tharasii discipulus et illius vitae scriptor videndus apud Baronium ad annum 806 et apud Bollandistas Tom. 3. Februarii p. 586 num. 47. hunc in modum describit celebrationem Missae a S. Patriarcha graviter decumbente peractam: *Ingruens morbus et valde gravem ei dolorem offerens, non persuasit, ut oblivisceretur perpetui et Divini Officii. Nam et morbo et senio laborans, nequaquam satiabatur sacrosancti Mysterii celebratione, sed intenso amore ad Deum ardens et morbi nullam ducens rationem, pectore innixus mensae ligneae, quae ponebatur ante aram Divinam, Sancta peragebat, infirmus videlicet:* quod est, ventre et pectore adniti tabulae, partemque corporis reliquam, pedibus sustentando. De S. Ivone Presbytero et Parocho Britanniae Armoricensis anno 1303 defuncto legitur, quod pedibus insistere non valens hoc Missam celebraverit modo: *Fuit adeo infirmus et debilis, quod se non poterat sustinere; immo interdum sustentabatur per aliquos assistentes, et sic Missam celebravit in Capella sua:* prout videre est tom. 4. Maii apud Bollandianos pag. 541 A. num. 17. atque testis *de visu* fatetur apud eosdem Bollandianos loc. cit. pag. 560 C. num. 65. Mauritius vero Gaufridus in prolixa descriptione vitae S. Ivonis in cit. tom. 4. Bollandistarum pag. 594 A. cap. 6. num. 59. rem omnem ita complectitur: *Erat autem adeo tunc infirmus, ut prae debilitate corporis nec induere nec exuere per se sufficeret sacras vestes, sed nec alia pro Missa necessaria praeparare, ad Altare se sustinere, aut ad elevandum Corpus Domini se juvare, nisi ab assistentibus Abbatibus Belliportus et de Begar et Archidiacono Trecorensi cum aliis praesentibus fulciretur.*

XXVII. Propius jam ad scopum accedimus; sed cum disciplina illius aevi, cujus exempla in medium attulimus, necessitatem dispensationis Apostolicae ad Missae sedentariae celebrationem necdum induxerit, quae tam sapienter admodum est invecta, ne quisque infirmitatem sibi fingens sedendo celebrare augusta Mysteria auderet; adferemus porro exempla concessarum a Romanis Pontificibus dispensationum pro celebratione Missae a sedentibus, excepto tempore Canonis, de quo haud est controversia, sed de integra Missa a sedentibus celebrata, de qua in praesentiarum potissimum quaestio agitatur.

XXVIII. Joannes Renna Venetus factus 3. Novembris 1534 Episcopus Al-

geriensis, indeque anno 1538 die 13. Maji ad Sedem Pampelonis Novae translatus varias a Paulo III. gratias petiit. Inter alia exposuit, se podagrae morbo omni propemodum membrorum usu esse privatum: *Diversis infirmitatibus podagrae detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es:* ideoque Missam stando celebrare non valens petiit facultatem Sacris operandi in sella eo confecta artificio, ut illi insidens stare videretur: *Ac tibi, qui propter infirmitatem praedictam Missam stando celebrare non vales, et zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo stare videris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri et alia, quae ad Episcopalem Ordinem pertinent, etiam sedendo exercere ... tenore praesentium de speciali gratia indulgemus: proviso quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, et scandalum non sequatur: et, si celebratione tua in artificio praedicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi non publice sed privatim facias.* Breve Cardinalis Hieronymi Ghinuccij manu subscriptum reperitur, ille enim scripta roborandi munere fungebatur; prout Ciacconius Tom. 3. pag. 569 refert, adjectum quoque est nomen Secretarii Apostolici breviori nota signatum. Ipsum vero Breve habetur in schedis autographis Brevium Pauli III. in Archivo secreto anni 1538. num. 466. integrumque exhibebitur ad calcem hujus epistolae, ut cujusque judicium convincatur. Nos quidem mechanicorum rerum ignari sedis hujus, in qua sedens stare videbatur, examen haud instituemus: Id exinde deduxisse sufficiet, Paulum III. Episcopo Pampelonensi facultatem fecisse per omnem Missam sedendi, ne Canonis quidem et Consecrationis tempore excepto.

XXIX. SS. Pontifex Pius V. primo Pontificatus sui anno Petro Francisco Ferrerio Cardinali tituli S. Agnetis ob podagrae molestias stando Sacris operari non valenti veniam fecit, ut in privata Capella sedens Sacram Liturgiam perageret: *Nos specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae, ut, quotiescunque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in Oratorio domus tuae seu Capella tua privata, coram familiaribus et domesticis tuis duntaxat, ita ut exinde nullus scandalum aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas, auctoritate Apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem.* Schediasma autographum firmatum manu Reverendissimi Caesaris Glorierii senioris Brevium Secretarii in Archivio secreto inter diagrammata archetypa S. Pii V. anni 1566 num. 572. asservatur.

Narratio

Factorum Romanum Pontificem attingentium, quorum notitia necessaria videtur praesentem quaestionem dijudicaturo.

XXX. Supervacanea videri poterunt, quae deinceps in medium erimus allaturi; si enim Summus Pontifex aliis impedimento laborantibus facultatem elargitur Missam celebrandi sedendo, mirarine subibit, si eadem ex causa eadem ipse utatur oeconomia? At vero universim loquendo non videtur Pontificiae dignitati convenire usus licentiae aliis concessae. Hinc ut dispiciatur, an indecens fit a Pontifice sedente Missam celebrari, disquirendum: fuerintne Pontifices, qui omnem Missae celebrationem sedentes perfecerint. Haud equidem magni Nobis moliminis haec

res est, cum concessuri bonae memoriae Cardinali de Rohan podagra impedito licentiam celebrandi Missam sedendo excepto Canone et Consecratione omnia ad id argumentum facientia solicite conquisierimus. Neque jam illa congerere valeremus, tum senii onere gravati et ab aegritudinis molestiis nondum plene liberi, tum vero maxime carentes libris Nobis longo usu notissimis, quos cum omni Nostra bibliotheca selecta Instituto Bononiensi dedimus; quanto vero et laboris et temporis, cujus penuria laboramus, impendis illa in libris, quibus necdum assuevimus, inquireremus?

XXXI. Honorius IV. anno 1285 in Pontificem electus Diaconus erat, utique Presbyterio et Episcopatu primum insigniendus. Historiographi infirmitatis habitu adfectum testantur: Martinus e Minorum coetu in *Floribus Temporum*, Joannes Vitoduranus, Andreas Ratisbonensis et Hermannus Cornerus in suis Chronicis apud Jo. Georg. Eccardum in corpore historico medii aevi tom. 1. pag. 1631, pag. 1758, pag. 2088 et tom. 2. pag. 936. Affirmant alii Honorium ea pedum debilitate laborasse, ut nequidem incedere potuerit. Riccobaldus Ferrariensis in Historia Romanorum Pontificum ad annum 1285 in tom. 9. Rerum Ital. Script. pag. 182. Ea chyragrae podagraeque vehementia affliclabatur, ut digitum digito jungere nequiret, teste Muratorio Annalium Italiae tom. 7. pag. 460. Missam sine instrumentorum quorundam adminiculo celebrare haud valebat. Ptolomaeus Lucensis lib. 24. Hist. Eccles. cap. 13. in tom. 11. Rer. Ital. Script. pag. 1191. Raynaldus ad annum 1285 num. 14. Fleuryus tom. 18. Hist. Eccles. pag. 371 et in vita ejusdem Pontificis Ciacconius tom. 2. pag. 246. Burius, Pagius tom. 3. pag. 455 num. 3. auctor vitae Pontificum Haga Comitum editae tom 3. pag. 289. Porro Instrumenta, quibus ad perficiendam celebrationem utebatur, describit P. Franciscus Pipinus ex Ordine Praedicatorum in Chronica lib. 4. cap. 22.

Pedibus erat ita aegrotus, ut nec ambulare nec stare posset: manus autem sic contractas habebat, ut digitos, exceptis pollicibus, unum ad alterum jungere non posset; immo etiam carne superexcrescente fere unus ab altero secerni non poterat. Et, cum celebraret, ponebatur Corpus Domini inter ipsos pollices, et quodam instrumento ligneo, quo insidebat, volvebatur ad populum: videri cuncta possunt cit. tom. 9. Rer. Ital. Script. p. 727.

XXXII. In Commentariis Pii II. anno 1458 ad Pontificatum evecti post prolixam narrationem institutae supplicationis in translatione Capitis S. Andreae Ap. ex Achaja eidem Pontifici dono missi haec adduntur: *Die Sabbathi, quae fuit Aprilis 17., celebrato grandi Officio, cum benediceret populo Pontifex Maximus, promisit in crastinum, ob reverentiam Resurrectionis, in Ecclesia Principis Apostolorum sese rem Divinam facturum portaturumque eo Sacrum Andreae Caput, ut iterum atque iterum videretur, quod ex altari Beati Petri abductum in Palatio clauserat. Res nova et insperata fuit. Nam propter aegritudines et absentiam Pontificis ante quatuor annos non viderant Romani suum Pontificem Divinam Hostiam offerentem. Cumque suis pedibus stare Pius Praesul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut quasi sedens celebraret.*

XXXIII. Pius III. in Pontificem anno 1503 electus nonnisi Diaconus erat, atque lethali ulcere impediebatur, ne pedibus posset insistere. Sedens itaque Sacerdotis est initiatus a Cardinali Tituli S. Petri in Vinculis 30. Septembris, 1. vero Octobris ejusdem anni Episcopus consecratus, octavo postea die

diademate Pontificio insignitus sedens Missam Pontificalem celebravit in Basilica Vaticana. Omne id habetur libro ultimo ephemeridum Joannis Burcardi Caeremoniarum Sacrarum Magistri pag. 56, 58 et 59, quem codicem Bibliotheca habebat Cardinalis Silvii Valentis nostri quondam Status Secretarii, jam vero tenet Reverendissimus Ludovicus Valenti ipsius Nepos.

Anno MDIII.

Dies Veneris 29. Septembris ordinavi sedem pro Papa, in qua sedens cruribus extensis ordinaretur et celebraret et mensam longam pro Altari, ut pedes subtus extendi possent.

Die Sabbathi ... Cardinalis S. Petri ad Vincula ordinavit Papam ... accessit in Planeta ad Papam in illa sede ordinata ad omnia sedentem etc.

Die Dominica 8. Octobris, SS. D. N. delatus in sede ad hoc ordinata, de qua per totum officium non descendit, sed in ea post introitum Ecclesiae ... accepit in ea Pallium et portatus in ea super solium, deinde in ea celebravit.

XXXIV. Dum Romanus Pontifex solenniter celebrat, peracta ad Altare consecratione, ad solium suum reversus, recipit Sacram Eucharistiam sub speciebus panis et vini stans; neque sedendo communicat prout per errorem scripserunt aliqui, viderique id potest Tom. 2. Tract. nostri de Sacrificio Missae sect. 1. cap. 20. §. 1. edit. Ital., Latinae vero sect. 1. num. 339. In caeremoniali autem libro Capellae Papalis liberum est Summo Pontifici porrigendi Sacram Communionem Cardinalibus Diaconis aliisque solio assistentibus sedendo; qua Nos libertate usi sumus nunquam, Augustissimum Sacramentum stando semper distribuentes. Electi Pontificis in Episcopum consecrandi scapulis a Cardinali consecrante Evangeliorum liber capitique manus imponuntur, inde caput manusque Sacro Chrismate inunguntur, Pontifice interea semper sedente. Similiter si electus Pontifex Subdiaconatu, Diaconatu aut Presbyteratu esset insigniendus, Episcopus Cardinalis Subdiaconatus Ordinem ei collaturus *Sedenti calicem vacuum cum patena, et urceolos cum vino et aqua, bucale et manutergium* librumque Epistolarum porrigit. In collatione Diaconatus Cardinalis ordinans stans Pontificis sedentis capiti manum imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum:* sedentique Pontifici aptat paramenta et porrigit librum Evangeliorum. Tandem in collatione Sacerdotii sedens Pontifex manuum impositionem, Olei sancti, quod Catechumenorum dicitur, unctionem, calicem cum vino et aqua atque patenam cum hostia recipit. Quae omnia luculenter ostendunt, haud inconveniens esse, sedere Pontificem in functionibus sacratissimis, atque eo ipso Missam totam a sedente posse celebrari, praesertim si pedibus debilitatis insistere non valeat.

XXXV. Atque haec sunt, quae in hac epistola exponenda duximus, eorumque disquisitioni proponenda, quorum consilia exspectamus, priusquam, quid agendum, decernamus. Et si quidem sedentes Missam celebrare statuamus, tuum erit, praeparare mensam Altaris cum consecrato lapide, imagine Salvatoris cruci affixi, luminaribus, aliisque ad Sacra peragenda necesariis, vacuumque subtus Altare spatium relinquetur extendendis pedibus idoneum. Confidentes singula dexteritate tua singulari perficienda Apostolicam tibi Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XI. Octobris MDCCLVII Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

b) Celebrans simulans.

Vd.: *Sacerdos simulans.*

19) In Coena Domini.

a) Non licita.

Cf.: *Missa in Coena D.* (priv. decr. n. 4378.)

In Ecclesiis, in quibus non asservatur SSmum, non licet celebrari Missam fer. V. in coena Dom. et in Sepulchro idem SSmum asservari. n. 1990 die 14. Junii 1659.

Ad dubium: an liceat capellano Confrat. SS. Sacramenti Montis Marciani canere missam fer. V. in Coena Dom. in Ecclesia Confraternitatis? S. C. resp.: Servetur decretum Episcopi (quod prohibuit.) n. 3457 ad 2 die 28. Jan. 1698.

Confratribus s. verae Crucis non licet celebrare seu celebrari facere missam solem. in Capella s. Joannis Oppidi de Keres de la Frontera fer. V. major. hebdomadae. n. 3297 ad 1 die 20. Decb. 1692; n. 3627 ad 1 die 6. Maii 1702.

De licentia celebr. in Cathedr., si Episcopus duarum Dioecesium in una tantum ex eis celebr. potest, vd.: *Missa* (duae non sunt leg. ab uno Sacerd. uno die etc. decr. Bened. XIV.).

b) Privata.

Vd.: *Credo in Missa in Coena Dom.*

Ad dubium: utrum in die Coenae D. missae privatae dici non possint de quacunque necessitate, praesertim, dum occurrrat *Annuntiatio B. V. M.?* S. C. resp.: Servandum esse decretum Generale pro festo s. Josepho die 13. Sept. 1692.

Vd.: *S. Joseph. decr. n. 3289 et seq.*

Indulti celebrare faciendi in Ecclesia parochiali s. Marg. Venetiarum fer. V. in coena D. plures missas lectas ante conventualem, S. C. resp.: Servetur ritus Ecclesiae universalis. n. 4309 die 20. Mart. 1762.

In fer. V. in Coena Dom. celebrari potest arbitrio Episcopi in Ecclesia una missa privata propter infirmos excepta sol. n. 4361 ad 9 die 27. Mart. 1773.

Ad dubium: an graviter peccet Sacerdos celebrans missam privat. in fer. V. in Coena Dom. sive etiam sol. in illa Ecclesia, ubi non reponitur nec asservatur SSmum in aliquo altari vel alio loco decenti, vulgo dicto il Sepolcro? S. C. resp.: Non licere et Sacerdos se abstineat. n. 4378 ad 17 die 15. Junii 1776.

Ad dubium: an in Ecclesiis, ubi Functiones maj. hebdom. fieri nequeunt, Fer. V. in Coena Dom. celebrari possit missa lecta? S. C. resp.: Negative. n. 4870 ad 1 die 31. Aug. 1839.

Vd.: *Sabb. s.* (missa priv. decr. de die 11. Febr. 1690 *nota.*)

Clemens PP. XIV.

V. Fr. Cajetanus Anton. Episcopus Civitatensis statim ac in ejusdem Ecclesiae pastorem praefectus fuit, vigilantia ac sollicitudine quidem pastorali primum Capitulum et Canonicos semel ac iterum monitos reddidit, postmodum vero suo gener. edicto die 4. Apr. 1770 in tota dioecesi Civitatensi publicato mandavit, ne missae priv. fer. 5. Coena D. celebr. essent, sed omnes de Clero SSmum de manu Sacerdotis celebrantis missam sub poena suspens. ipso facto incurrendae sumere tenerentur.

Nos igitur ipsius Episcopi pietatem ac in s. ritibus conservandis curam plurimum commendantes, omnibus et singulis Dignitatibus et Canonicis aliisque de Clero tam Cathedralis quam aliar. ecclesiarum civitatis et dioecesis Civitatensis virtute s. obedientiae sub indignationis Nostrae aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis tenore prae-

sentium praecipimus, ne ipsi privatas missas in fer. 5. Coena D. celebrare audeant seu praesumant, sed omnes juxta ritum SSmum de manu Sacerdotis celebrantis eadem die sumere omnino debeant ac teneantur.

Non obstantibus Quibuscunque ...

Romae die 30. Jan. 1771.

(Bull. etc. Continuatio t. IV. p. 263 Ed. Rom. 1841) Vd.: *Orator. privat.* (Bullam Pii VIII. de die 29. Januar. 1830.)

c) Secunda.

Cf.: *Officia hebd. maj. in parochiis.*

Non licet Monialibus s. Agathae Florent. fer. V. in coena Dom. in eadem Ecclesia ultra missam ordinariam alteram lectam celebrare. n. 1746 die 19. Decb. 1654.

Canonicis Capituli Cathedr. Camerinen. petentibus: an ipsis liceat plures missas celebrare fer. V. in Coena Dom., in qua cadit festum ss. Annunciationis? S. C. resp. „licere“ et jussit, ut a Cardinali Vicario singularum Ecclesiarum Urbis Rectoribus idem notificetur. n. 2040 die 20. Mart. 1660.

Ad petitionem Congreg. Missionis Provinciae Neapolitanae, ut Tyrocinii domus Neapol. sequenti Indulto ut ceterae gaudeat, nimirum:

Celebrandi Feria V. in Coena Domini januis clausis unicam Missam lectam ante solemnem, in qua ministretur S. Eucharistia Confratribus, ministeriis domus temporalibus addictis.

Et S. eadem C ... respondendum censuit:

„Pro gratia.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 27. Aug. 1836. N. 4793. Ad I. 3.

Confratribus s. Crucis non licet celebrare seu celebrari facere missam sol. in Capella s. Joannis fer. V. majoris hebd. n. 3297 ad 1 die 20. Decb. 1692.

Episcopus Gerund. exposuit, in dicta civitate et Dioecesi quotannis celebrari de praecepto ex voto 2. Apr. fest. s. Francisci de Paula, quod vero 1695 incidit in diem Sabbati s. S. C. resp.: Translationem Officii et obligationem audiendi missam in casu proposito ad primam diem non impeditam juxta rubricas arbitrio Episcopi remittendam. n. 3337 die 7. Aug. 1694.

Ad dubium: an celebratio missae sol. Fer. V. in Coena Dom. sit de juribus mere parochialibus? S. C. resp.: Negative, prout jacet, sed spectare ad Parochos. Die 10. Decbr. 1703 approb. Clem. XI. 12. Jan. 1704.

Vd.: *Missae* (duae ab uno Sacerd. uno die etc. decr. Bened. XIV.)

20) Missa „Cognovi.“

Dub. circa Epistol. Missae „Cognovi.“

In Missali Rom. pro nec Virgine nec Martyre habetur Missa communis *Cognovi* cum Epistola: *Mulierem fortem*, et in fine Missae assignatur Epistola: *Viduas honora*, sub Rubrica sequenti: *Item alia Epistola pro Vidua.* Quando autem in Proprio Sanctorum occurrit Festum S. Viduae, pro qua Missale assignat simpliciter Missam *Cognovi*, remittendo ad Commune et de Epistola silendo, quemadmodum fit die IX. Mart. pro S. Francisca Vid. Rom., an tunc legenda est Epistola *Mulierem fortem*, an e contra Epistola *Viduas honora?* an tandem utralibet pro Sacerdotis arbitrio eligi potest?

S. C ... rescribendum censuit: „juxta votum Magistri Caeremoniarum“ nimirum:

„Negative, nisi aliter ex concessione constet.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 4930 ad V. Die 11. Septbr. 1841.

21) Color paramentorum.

Vd.: *Color paramentor.*

22) In Commem. Omn. fid. Def. in Regnis et Dominiis Hispan. et Portug. tres possunt missae celebrari.

Vd.: *Commem. Omn. fid. def.*

Benedictus PP. XIV.

Quod expensis omnium rationum momentis et gravissimis suffragiis virorum dignitate, pietate ac sapientia insignium concurrentibus, alias a Nobis decretum est id, ut solennioribus Apostolicae auctoritatis Nostrae documentis confirmatum, quemadmodum est hoc in more positum laudabilique Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum instituto commendatum, majori cum observantia debitae executioni mandetur, novo Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communire exoptamus. Sane nuper edidimus Decretum tenoris sequentis: *Benedictus PP. XIV.* Cum Nobis Carissimus in Christo Filius noster Ferdinandus VI. Hispaniarum Rex Catholicus enixam piamque petitionem exhiberi fecisset, ut quae disciplina viget in suo Aragoniae Regno (cujus appellatione tum ipsa Aragonia tum etiam Valentiae, Cataloniae et Majoricae Ditiones comprehenduntur), ut scilicet in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos saecularis duas, regularis autem tres Missas celebrare possit; eadem ad caetera quoque Regna et Dominia eidem Ferdinando Regi subjecta auctoritate nostra extenderetur; cumque eodem fere tempore Carissimus quoque in Christo Filius noster Johannes V. Portugalliae et Algarbiorum Rex Illustris similem instantiam apud Nos promoveri fecisset, ut nempe in omnibus Regnis atque Dominiis sibi subjectis cuilibet Sacerdoti tam saeculari quam regulari facultas per Nos fieret tres Missas praefato die celebrandi; Nos quidem hujusmodi petitionum gravitatem pensantes ac memores similium postulationum, quae aliis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris parum felici exitu exhibitae fuerunt, necessarium omnino putavimus totam rei summam maturo examini subjicere: Quamvis minime hospites in ea Nos reputare possemus; siquidem olim ipsius momenta, pro Officio, quod tunc gerebamus, Secretarii Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini executioni et interpretationi praepositae, diligenter Nobis expendenda fuerunt; cumque etiam hac de re plura scripserimus in nostro Opere *de Festis Domini part. 1. pag. 247*, item in Tractatu *de Sacrificio Missae sect. 2. pag. 169,* juxta Editionem Patavinam, et in una ex Institutionibus Pastoralibus pro nostro Bononiensi Clero Populoque editis: *est XXXI. in Latina versione Romae impressa pag. 185 et 186*, ac demum in nostris literis ad Episcopum Oscensem datis die XVI. Martii anni MDCCXLVI; quae jam seorsim Typis vulgatae in Bullarii nostri Tomo II. propediem edendo locum habebunt*).

Sane quum Nos in minoribus constituti praefatae Congregationi Concilii, ut supra diximus, a Secretis essemus oblatusque esset supplex Libellus, in quo ex parte cl. mem. Philippi V. Hispaniarum Regis idipsum studiosissime petebatur, quod nunc a Ferdinando Rege ipsius filio iterum petitur, Officii nostri esse putavimus, instantiam hujusmodi majori cum apparatu, quemadmodum Catholici Regis dignitas postulabat, Congregationi repraesentare. Idcirco peculiaris Dissertatio a Nobis elucubrata fuit, quae inserta est in consueto folio Relationis Causarum, quod a Secretario confici et singulis Cardinalibus tradi consuevit. In qua primum Dissertatione

---

*) Vd.: *Missae* (duae non sunt leg. ab eod. Sacerd. uno die — decr. Bened. XIV. die 16. Mart. 1746.)

rem ipsam accuratissime pro viribus exposuimus neque omisimus originem investigare illius disciplinae, quam diximus in Aragoniae Regno vigere; deinde nonnullas in contrarium indicavimus resolutiones, quae alias ad hujusmodi postulata prodierant; tum aliam memoravimus petitionem, quae olim pro Portugalliae Regnis facta fuerat Praedecessori Nostro Clementi Papae IX., ut trinas liceret Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare, de qua tamen ob immaturam Pontificis mortem nihil decretum fuit. Quibus omnibus addidimus, quod, quum hoc idem ab Hispaniarum quodam Rege Philippo IV. pro omnibus tam Saecularibus quam Regularibus Regnorum suorum Sacerdotibus postulatum fuerit, vel saltem postulandum fuisse non ignoraretur, ideoque plura rationum factorumque monumenta, pro hujusmodi concessione impetranda, collecta tunc fuisse constant, Nobis datum non fuerat hujusmodi Collectiones ad causam maxime opportunas reperire: ut videre est in folio pro Congregatione diei 11. Maji anni MDCCXXII. a Nobis conscripto, quod nunc in Thesauro Resolutionum praefatae Congregationis Concilii *Tom. II. pag. 169* et seq. impressum reperitur. Quum autem bon. mem. Ludovicus Cardinalis Belluga Congregationi praedicta die habitae interfuisset, meminimus ipsum de nostra Dissertatione favorabiliter loquutum, in nostram quoque sententiam devenisse, ut necessarium putaret allegationes illas tempore Philippi IV. adornatas inspicere ipsumque in se recepisse, ut ipsas diligentissime conquiri curaret. Quapropter Rescriptum prodiit: Non proposita: eoque Rescriptum factum est, ut Instantia tunc quidem pro rerum circumstantiis minime admissa censeretur, non tamen omnino et perpetuo rejecta; quin potius relictus fuerit locus ulteriori rationum atque factorum examini, si quae aliquando ad ipsam petitionem magis juvandam deducerentur.

Quum itaque nunc ad Nos ipsos in Apostolica Sede inscrutabili Dei judicio collocatos praefatae petitiones jamdudum defertae, instantibus praefatis Carissimis in Christo filiis nostris delatae fuerint, omnia, quae ad plenam rei cognitionem quomodocumque pertinerent, colligi mandavimus, quaeque olim desiderata sunt, in lucem proferre. Ut autem nihil sine aliorum prudenti consilio statueremus, peculiarem delectorum Virorum Congregationem ad negotii hujus examen deputavimus. His omnibus et singulis exhiberi mandavimus quaecumque ad causam pertinebant, eaque potissimum, quae nuper reperta sunt, sed in praecedentibus propositionibus exhibita non fuerant; quae omnia justo volumine comprehensa typis edita sunt Romae hoc anno MDCCXLVIII., datoque aliquot Mensium spatio, quo res accuratè perpenderetur, jussimus, ut singuli sententiam suam scripto traditam ac sìgillo obsignatam ad Nos transmitterent: quae omnia diligentissime sunt peracta.

Denique Nos ipsi aliorum laboribus laborem nostrum privataque studia nostra eorum studiis adjunximus; et inspectis libratisque tum vocis documentis tum ipsorum Consultorum suffragiis (ex quibus, quum quatuordecim numero fuerint, duo dumtaxat petitionem rejiciendam esse, reliqui verò duodecim Indultum concedi posse censuerunt) omnibus rite ac mature pensatis invocato etiam Divini Luminis adjutorio piis ac religiosis precibus dictorum Carissimorum in Christo Filiorum Nostrorum Ferdinandi VI. Hispaniarum Catholici et Joannis V. Porturgalliae et Algarbiorum Regum Illustrium libenter annuentes *omnibus et singulis in eorum Regnis atque Dominiis actu commorantibus tam*

saecularibus quam regularibus Sacerdotibus nunc existentibus pro tempore futuris, quamdiu in praedictis Regnis atque Dominiis moram traxerint et non alias, facultatem pepetuis futuris temporibus duraturam concedimus et impertimur, ut singulis annis die secunda Novembris seu die sequenti juxta Rubricas Missalis Romani, qua nempe Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum ab Ecclesia Universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, contrariis quibuscumque Constitutionibus, litteris, regulis, ritibus et consuetudinibus minime obstantibus.

Novimus sane inter Scriptores rerum moralium non satis convenire: *an Sacerdotibus celebrantibus Missam pro Defunctis juxta praedictas Rubricas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum liceat hujusmodi Missae fructum medium, quem vocant, alicui peculiari defuncto applicare, an vero pro omnibus omnino defunctis Fidelibus illum applicare teneantur.* Utcumque autem se res habeat de hac controversia, Nos eos quidem, *quibus in Aragoniae Regno licitum erat ante hoc nostrum Indultum* duas vel tres respective Missas praedicta die celebrare, hortamur in Domino, ut *earum fructum medium omnibus in Christo quiescentibus* applicent; *his verò, qui in posterum hujus Indulti vi,* aut tertiam in eodem Regno Missam aut secundam et tertiam in aliis Regionibus, ad quas hoc idem Indultum extenditur, celebraturi sunt, districtè jubemus atque praecipimus, *ut eorum fructum medium, non quidem alicui peculiari defuncto sed in suffragium omnium fidelium Defunctorum omnino applicent*, expresse declarantes hanc esse nostram mentem et voluntatem, neque Nos aliàs, absque hujusmodi lege et conditione hoc ipsum Idultum unquam concessuros fuisse. Scimus etiam antiquis justisque titulis innixum esse usum, quo solent Presbyteri Eleemosynam accipere pro celebrandis sive pro applicandis Missis juxta offerentium mentem; qua de re latè disseruimus in nostra *Institutione Ecclesiastica LVI.*, fusiùs autem in opere nuperrimè vulgato de *Synodo Dioecesana Lib. V. Cap. 8. et 9.* An vero, quum retroactis temporibus in Regno Aragoniae duae Missae a Sacerdotibus, tres autem a Regularibus in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum celebrarentur, *duplex quoque ab illis seu respective triplex Eleemosyna acciperetur, id ignoramus;* sed facile credimus id usitatum fuisse, *quum ubique fere receptum sit, ut in solennitate Nativitatis Domini pro tribus Missis tria recipiantur charitativa stipendia.* Ideoque de *illis*, *qui ante hoc tempus in Aragoniae Regno duas vel tres respectivè Missas praedicta die celebrantes duas vel tres eleemosynas accipiebant, nihil innovandum censemus. Iis verò, qui imposterum in eodem Regno tertiam Missam vigore praesentis Indulti celebrabunt, justis de causis ac sub poenis inferius dicendis districtè prohibemus, ne pro ipsa Missa ullam Eleemosynam accipere praesumant, sicut etiam iis, qui in aliis locis hoc eodem Indulto comprehensis*, **secundam tertiamque** *Missam celebrant, simili ratione ac sub iisdem poenis praecipimus atque jubemus, ut nonnisi unam accipiant eleemosynam, videlicet pro prima Missa dumtaxat* et in ea tantum quantitate, quae a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit, decernentes nullam omnino causam nullumque praetextum aut obtentum ad declinandam hujus praecepti nostri observantiam suffragari posse, ne voluntariam quidem Fidelium oblationem, nam nec a sponte dantibus quidquam recipi posse statuimus, *nec*

alium quemcumque colorem, quod nempè eleemosyna detur pro celebratione non autem pro applicatione Missae; aut quod applicatio facienda sit pro omnibus Fidelibus Defunctis, sive quod offerentes cupiant ipso dumtaxat oblationis merito Defunctos juvare; hi enim poterunt per alia pia opera sive per alias eleemosynas in alios quoscumque quàm in Sacerdotem eique conjunctos erogandas Defunctorum Animabus suffragari, non item gravem indigentiam aut paupertatem Sacerdotis celebrantis aut Ecclesiae aut Coenobii, quibus nimirum aliis quibuscumque rationibus subveniendum erit; nec magnam copiam eleemosynarum, quae congestae fuerint pro Missis celebrandis ipsa die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibusque aliter satisfieri non possit; quum minimè liceat eleemosynas accipere pro Missis, quae celebrari nequeunt intra tempus ab offerentibus aut a legibus praefinitum; neque porro Missarum onera non adimpleta, pro quibus eleemosynae jam receptae aut attributi redditus jam percepti fuerint; Nos enim nolumus hujusmodi onera impleri per celebrationem Missarum, quae Indulto nostro permittuntur: neque demum legem fundationis jam factae aut in posterum faciendae cum augmento eleemosynae pro secunda et tertia Missa; quum Nos hujusmodi fundationes sive factas sive faciendas etiam ex nunc prout ex tunc et è contra hac in parte nullas et irritas esse et fore decernamus. *In summa volumus et statiumus, hujusmodi Missas de novo concessas omnibus in communi fidelium Defunctorum Animabus absque ulla prorsus eleemosynae* perceptione applicari; *contrafacientes autem poenam suspensionis a Divinis ipso facto incurrere decernimus ejusque relaxandae facultatem Nobis et Successoribus nostris Romanis Pontificibus expresse reservamus.* Hanc vero facultatem communicamus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis sive aliis Locorum Ordinariis, ut auctoritate nostra Apostolica et tamquam Apostolicae Sedis Delegati, ubi sic expedire prudenter in Domino judicaverint, eadem canonicè utantur erga quoscumque praecepti hujus nostri violatores, qui ad ipsos humiliter recursum habuerint, sive Saeculares sive Regulares sive alio quocumque modo ab eorum jurisdictione exemptos; *hac tamen apposita lege, ut incursam hujusmodi suspensionem nunquam relaxare valeant, nisi prius eleemosynas a delinquentibus ratione praedictarum Missarum perceptas ab ipsis reipsa receperint;* quas ipsi Ordinarii in alios pios usus (non tamen in subventionem eorundem Sacerdotum aut personarum ipsis vel sanguine vel necessitudine conjunctarum aut in eorumdem Coenobiorum. Domorum et Ecclesiarum utilitatem, quantumvis ipsi aut personae, Coenobia, Domus et Ecclesiae hujusmodi notoria paupertate laborarent) arbitrio suo erogare debebunt. Sciant tamen, quod facultas hujusmodi, quam ad relaxationem suspensionis eo modo incursae iisdem delegamus, *nequaquam extenditur ad dispensationem ab irregularitate, in quam inciderent, qui post suspensionem, ut praefertur, incursam, in Sacro Altari ministrare praesumerent;* hujus enim dispensationis concedendae facultatem Nobis et Successoribus nostris Romanis Pontificibus privativè et perpetuè reservamus.

Ad hunc igitur solum et unicum finem, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum multiplicatis Ecclesiae Militantis suffragiis piorum Animae in Purgatorio detentae subleventur, omnibus tam è Saeculari quàm è Regulari Clero Sacerdotibus in Regnis atque Dominiis duorum praedictorum Regum Ditioni subjectis nunc

et in posterum pro tempore existentibus concedimus et indulgemus, ut praedicta die tres Missas singuli celebrare possint et valeant. In quo sicuti praedictorum Consultorum concordibus fere sententiis consiliisque adhaesimus, ita a piae Matris Ecclesiae spiritu nequaquam discesisse Nos arbitramur. Siquidem animadvertimus minimè alienam fuisse Ecclesiam a permittenda Sacerdotibus Missarum iteratione in unico die, ubi de juvandis Defunctorum Animabus ageretur et quidem etiam postquam desierat vetus illa disciplina, de qua infra sermo erit, qua scilicet Sacerdotibus licebat pluries in die rem Divinam peragere, ac post latam legem de unica tantum Missa, praeterquam in die Natalis Domini ab unoquoque Sacerdote celebranda.

Nova haec disciplina a Praedecessoribus Nostris Innocentio III. et Honorio III. Romanis Pontificibus stabilita fuit, quorum hac de re leges extant in Libris Decretalium Titulo: *De celebratione Missarum;* Innocentii quidem in Cap. *Consuluisti;* Honorii verò in Cap. *Te referente.* Quum autem Innocentius in citato Capitulo haec verba posuisset: *Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat*, non solum Glossa Canonica eidem Capitulo apposita hujusmodi necessitatis causam tunc fore dicit, quum celebranda sit Missa pro aliquo recens defuncto, ibi: *sed quam dicit necessitatem?* Respondeo: *si celebravit de die et postea etiam moriatur aliquis:* verum etiam in Synodo Oxoniensi post ipsius Innocentii obitum sedente jam Honorio III. celebrata decretum videmus, ut si Defuncti corpus Ecclesiasticae Sepulturae mandandum existat, Sacerdos duas Missas eodem die celebret, unam de Officio diei, aliam pro Defunctis, ut videre est *in Collectione Conciliorum Angliae Londini edita anno MDCCXXXVII. Tom. I. pag. 586 numero 7.* Idque etiam distinctiùs in aliis Conciliis traditum invenitur, a quibus praescriptum est, ut Sacerdos in prima Missa Purificationem non sumat utque tunc solum secunda Missa pro Defunctis ab eodem Sacerdote celebretur, quando Cadaveris praesentia occurrat die Dominico seu alio die Festo, nec alius adsit Sacerdos, qui hujusmodi secundam Missam celebrare possit, quemadmodum habetur in *Constitutionibus Sodorensibus anno MCCXCI. conditis Cap. 36 in eadem Anglicana Collectione Tom. II. pag. 179*, iditemque in Concilio Rotomagensi habito anno MCCXXXI. num. 14. in *Collectione Harduini Tom. VII. pag. 186 et seq.* Qua de re Nos ipsi olim egimus in nostra Institutione Ecclesiastica XXXVI. pag. 186. Neque verò haec in praesenti à Nobis commemorantur, quasi nunc etiam, praesente Cadavere, duae Missae ab eodem Sacerdote celebrari possint; quum juxta hodiernam disciplinam liceat Presbytero relicta Missa de die Missam pro Defuncto, si praesens sit Corpus, cum cantu celebrare, nisi tanta fuerit diei solennitas, quae Missam pro Defunctis omnimode excludat. Sed ideo haec dicta sunt, ut appareat, quam propensa fuerit Ecclesia ad permittendam Missarum iterationem quantumvis generaliter interdictam, ubi de procurandis fidelium Defunctorum suffragiis ageretur. Quo nempe spiritu Nos etiam adducti, Missarum Sacrificia in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum a singulis praedictorum Regnorum atque Dictionum Sacerdotibus ter celebrari posse concessimus.

Sed duae aliae praeterea causae eaeque satis graves ad id concedendum Nos impulerunt. Prima est, quod quum antiquissima sit in Regno Aragoniae consuetudo, ut praedicta die tres Missae a Sacerdotibus Regularibus duaeque a Saecularibus celebrentur,

eaque non modo nunquam reprobata fuerit, sed etiam a Praedecessore nostro Julio III. aut Paulo III. vivae vocis oraculo confirmata asseratur utpotè quae nec Divino nec naturali juri contraria sed solum a jure communi Ecclesiastico vetita dignoscitur; cumque constet eamdem consuetudinem non solum in Regno Aragoniae proprie dicto utque in alio Valentiae et in Comitatu Cataloniae, sed etiam in Regno Majoricae longius dissito tamquam ipsius Aragoniae Regni Appendice viguisse et vigere; utique nec novam omnino rem nec in exemplum alibi trahendum Nos fecisse censemus, dum hujusmodi consuetudinem sive ritum auctoritate nostra extendimus ad alia Regna et Dominia Hispaniarum Regi subjecta atque insuper ad ea, quae alteri quidem Principi, nimirum Lusitaniae Regi parent, sed magna ex parte finitima et proxima sunt praedictis Hispanici Regis Ditionibus. Regula quippe canonica est, ut in Regionibus conterminis atque inter se proximis Rituum ac Disciplinae uniformitas statuatur atque servetur. Unde etiam Praedecessor noster S. Siricius Pontifex Maximus, quum ad Himerium Episcopum Tarraconensem scripsisset de variis Ecclesiasticae Disciplinae capitibus, de quibus ille S. Damasum ipsius Decessorem consuluerat, eidem mandavit, ut Apostolica rescripta non solum cum Provincialibus suis communicaret, sed ea etiam transmitteret ad *Carthaginienses, Lusitanos atque Gallaecos.*

Quamvis verò antehac in Regno Aragoniae Sacerdotibus Regularibus praedicta die tres Missas celebrantibus Saeculares Presbyteri duas tantum celebrarent, Nos tamen aequum judicavimus hos illis per omnia exaequare, ut esset inter ipsos Ritus uniformitas: quae res in causa fuit, ut in Ecclesia Catholica aliae quoque diversitates sublatae fuerint, quantumvis tolerabiliores videri possent. Ita quum in Gallias regnante Carolo Magno inductus fuisset una cum Ordine Romano Ritus celebrandi tres Missas in die Natali Domini nostri Jesu Christi, quum antea duae tantum celebrari solerent; novum hunc Ritum soli primum Episcopi adoptarunt ac sibi suaeque Dignitati proprium fecerunt, sed postea ad evitandam difformitatem hujusmodi facultas ad omnes inferioris quoque Ordinis Sacerdotes extensa fuit, quemadmodum a Nobis demonstratum est in Tractatu *de Festis Domini par. 1. pag. 248.*

Applicationem autem Missarum hoc nostro Indulto concessarum, *tertiae nimirum a Sacerdotibus Saecularibus* in Regno Aragoniae, *secundae verò ac tertiae ab omnibus existentibus in aliis Regionibus hoc Decreto comprehensis, jussimus fieri* non quidem pro aliquo peculiari Defuncto *sed pro omnibus Fidelibus Defunctis in genere,* tum quia id magis consentaneum visum est piae ac religiosae menti duorum Regum hujusmodi Indultum expetentium tum quia Ecclesiae spiritus id maxime postulabat; siquidem *constat generalem Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum* secundae diei Mensis Novembris affixam jam usque a saeculo nono ab Amalario Fortunato propositam, vertente autem saeculo undecimo a Beato Odilone Abbate pro omnibus Monasteriis sibi subjectis receptam atque ab his demum *Praedecessoris nostri Johannis Papae XIX. auctoritate ad universam Ecclesiam propagatam fuisse* ea potissimum de causa, ut post celebratam praecedenti die Festivitatem in honorem Sanctorum omnium cum Christo regnantium, omnium quoque Justorum Animae in Purgatorio detentae ac coelestis gloriae consortium expectantes generalibus Ecclesiae suffragiis adjuventur. De hac re latius disseruimus in Opere, quod scripsimus in Acta nonnullorum Sancto-

rum, quorum Officia celebrantur in nostra Bononiensi Civitate ac Dioecesi, in *Editione Patavina Cap. 22.* Unde satis patet, quam justa de causa praedictas Missas non aliquibus peculiaribus Defunctis sed omnibus in communi Fidelibus in Christo dormientibus applicandas esse voluerimus.

Quàm verò Nobis semper cordi fuerit, ut juxta Sacrorum Canonum praescriptum a celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii omnem avaritiae speciem omnemque sordidi captandi lucri praetextum lonigissimè arceremus, satis compertum esse putamus ex his, quae tum in Archiepiscopatus Bononiensi tum in Supremi Pontificatus administratione in hunc finem praestitimus. Etenim inter Pastorales Instituiones nostros praeter quinquasimam sextam, in qua plures hac de re Ecclesiasticae Disciplinae regulas demonstravimus et omnino observari praecepimus, adest etiam nonagesima secunda, in qua Sanctissimis Apostolicae hujus Sedis Decretis inhaerentes pravam quamdam damnavimus consuetudinem, qua contendebant nonnulli licitum esse Missas ita celebrare, ut earum fructum medium in antecessum applicarent pro iis, qui postea eleemosynam offerendo illius applicationem expeterent. Inter nostras verò Apostolicas Constitutiones extant vigesima secunda et vigesima tertia, quibus severissimè vetitum per Nos est, ne eleemosynae *) pro Missarum celebratione colligantur in iis locis, in quibus major est earum Taxa Synodalis, ut deinde Missae alibi celebrandae committantur, ubi hujusmodi Taxa in minori qualitate statuta est. In novissimo autem Tractatu Nostro *de Synodo Dioecesana lib. 5. cap. 8. num. 9 et 10* alia complura ad hanc rem pertinentia studiosè collegimus.

Ab hac itaque tramite neutiquam recedendum Nobis esse judicantes *decrevimus supra atque statuimus, ut pro celebratione aut applicatione Missarum hoc nostro Indulto concessarum nullum prorsus stipendium quocumque praetextu aut colore accipi valeat;* quod ut a Nobis in praesenti casu decerneretur, specialis quaedam et urgens ratio Nos impulit praeter generales hasce, quas paulò ante indicavimus. Perspectum est enim omnibus in Ecclesiastica Historia paulum modò versatis plures olim fuisse dies polyliturgicos, quibus nimirum singuli Sacerdotes plus quam semel Missarum sacrificia peragebant, ut erat praeter Natalem Domini *prima dies Mensis Januarii, Feria V. in Coena Domini. Vigilia Ascensionis, tres dies jejunii infra octavam Pentecostes aliique dies Festi nonnullorum Sanctorum memoriae dicati, ut Nativitas S. Joannis Baptistae et Natalitium SS. Apostolorum Petri et Pauli,* de quibus Nos ipsi monumenta protulimus in Opere de *Festis D. N. Jesu Christi part. 1. pag. 247.* Ut autem hujusmodi consuetudo generaliter tolleretur et *facultas celebrandi plures Missas uno die ad solum diem Natalis Domini coarctaretur, non alia de causa factum est, quam ut avaritiae et sordidis quaestibus adimeretur occasio* vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur; quae scilicet ex eleemosynis pro Missarum numero multiplicatis aut ortum habuerant aut oriri posse videbantur. Hunc esse proprium sensum Canonis: *Sufficit, de Consecr. dist. 1.* jam demonstratum per Nos est in literis ad Venerabilem Fratrem Episcopum Oscensem datis §. *Excepta et sequentibus.* Ideo autem scripta Nostra in hoc Decreto frequenter in medium protulimus, ne quae jam alibi a Nobis dicta sunt, hic denuò explicare et quae alibi demonstravimus, iterum rationibus comprobare cogeremur. Id verò,

*) Vd.: *Stipendium.*

quod supra posuimus, a duobus praeterea scriptoribus in Ecclesiasticis rebus apprime versatis asseritur, Eorum alter est *Thomassinus in Opere de veteri et nova Ecclesiae disciplina par. 3. lib. 1. cap. 74. num. 6*, ubi post allatam Constitutionem Odonis Episcopi Parisiensis, videlicet: *Nullus bis in die Missam audeat celebrare aut cum duplici Introitu, nisi in magna necessitate*, haec subdit: *Cum pecunia tunc ut plurimum ad Missam offerretur, hinc avaritiae species vel suspicio quaedam iterationi Missarum affricabatur.* Alter est *Vice-Comes in Tractatu de antiquis Missae Ritibus lib. 3. cap. 28.* circa fin., ubi postquam antiquam exposuit disciplinam, qua permittebatur Sacerdoti plures Missas in die celebrare, de ipsius disciplinae mutatione deinde sic ait: *Abrogationis autem causam, quantum equidem divinare possum, dedere nundinatores quidam, qui majoris pietatis materiam ad turpe lucrum detorquere non sunt veriti et fecerunt, ut libertas prisca saltem hisce Regionibus erepta sit ac desierit.*

Si igitur multiplicitas Missarum, quae Sacerdotibus olim pluribus per annum diebus permittebatur, ideo sublata fuit, ut avaritiae quaestibus aut obloquentium suspicionibus obviam iretur, jure ac merito Nos Indultum hoc Nostrum, quo Sacerdotibus in praefatis Regnis atque Dominiis commorantibus tres Missas in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum celebrare permissimus, hujusmodi expressa lege atque districta sanctione communire debuimus, ut ne quis eorum pro Missis de novo concessis ullum stipendii genus quacumque de causa et quolibet praetextu aut colore recipere posset.

His accedit, quod quum petitiones inspexerimus ab aliquibus peculiaribus Episcopis Apostolicae Sedi olim oblatas pro concessione celebrationis duarum aut trium Missarum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum simulque contraria expenderimus Rescripta tunc respectivè emanata, agnovimus praedictas petitiones huic potissimum rationi innixas fuisse, quod scilicet tanta esset eleemosynarum copia, quae ea die pro Missarum celebratione a piis Fidelibus offerebantur, ut aliter illis satisfieri non posse assererent, quam si facultas indulgeretur Sacerdotibus, ut plures Missas ea ipsa die celebrare possent: contra verò in rejiciendis iisdem petitionibus id maximè spectatum fuisse agnovimus, ne per hujusmodi concessiones Ordo Sacerdotalis apud detractores in aviditatis suspicionem et infamiam adduceretur. Qua etiam de causa Nos hanc concessionem nostram praedicta lege adjecta suspicionibus hujusmodi nullum locum praeberi posse voluimus.

Haec sunt, quae concedenda esse judicavimus, quaeque de praemissorum consilio et Apostolica auctoritate Nostra concessimus; atque haec sunt, quae in hujusmodi Indulti concessionibus prae oculis habuimus; quaeque omnia exponenda duximus praesenti Decreto, quod a Nobis conditum manu nostra subscripsimus hac die XXI. Augusti Anni 1746, decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere non obstantibus Quibuscumque (Bull. r. t. XVII. p. 276.).

23) De Communi.

(Quae legenda?)

Namurcen.

Debitum ordinem ex Rubricarum notitia descendentem pro Divinis Officiis rite recteque disponendis servare maximopere percupiens Editor Kalendarii Ecclesiae et Dioecesis Namurcensis,

accedente assensu et annuentia Rmi Ep. S. R. C. enodanda proposuit sequentia Dubia, nimirum:

Dubia circa Missas de communi variandas.

Gavantus de Rubricis Missarum Commun. Sanctorum num. 2. dicit: „Est liberum cuicumque recitare Missam quam maluerit ex eodem Communi, ubi sunt plures Missae et multo magis Epistolam et Evangelium ex ibidem assignatis, ut habetur in Rubricis ante Commune unius Mart. non Pont. et ante Missam de pluribus Mart. temp. Pasch."

Dubium I. Dubitatur 1: An haec facultas locum habeat in Festis Sanctorum in Kalendario Rom. descriptorum, pro quibus in proprio Missali assignatur aliqua Missa de Communi: an scilicet Sacerdos quilibet in tali Festo celebrans possit vel etiam Missam de eodem Communi legere vel saltem Epistolam et Evangelium sumere ex alia Missa? v. g. in Festo S. Mart. Eustachii et Soc. Celebrans possitne loco Missae *Sapientiam*, quae pro praedicto Festo in Missali die XX. Sept. assignatur, legere Missam ***Intret in conspectu*** de eodem Communi, vel saltem legere Missam assignatam ***Sapientiam*** sed cum Evangelio Missae ***Intret?***

Dubium. II. Dubitatur 2: Quatenus affirmative, poterit etiam, immo nonne debebit idem Sacerdos loco Homiliae pro tali Festo in proprio Breviario assignatae, legere aliam de eodem Communi Homiliam correspondentem Evangelio, quod lecturus est in Missa?

S. C.... rescribendum censuit: „juxta votum Magistri Caeremoniarum" nimirum:

Ad 1. et 2., „Negative."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4930. Die 11. Sept. 1841.

24) Concordans cum Officio.

Vd.: *Missa in aliena Eccles. etc.; Credo* (decr. n. 3754, 5195); *Missale; Color Parament.*; *Officium* (ad quod obligat., decr. n. 5145); *Instr. Clem.* (§. XVII. n. 18).

Missa et praecipue conventualis, quoad fieri potest, concordare debet cum Officio et licet rubricae aliquando admittant votivas pro conventuali, ut Tit. de miss. vot. n. 3 in missali rom., non tamen admitti debent Anniversaria ex obligatione, sed Canonici eo die tenentur ad duas missas, conventualem scilicet ex cap.: Creatura, de celebrat. miss., et Anniversarium ex obligatione stipendii. n. 2345 ad 5 die 31. (Julii?) 1665.

S. C. praecepit: Ut in festo de Sanctis dupl., etiam non de praecepto servandis, de quibus in Ecclesia Metrop. Montis Regalis recitatur Officium, in posterum tam Monachi et Presbyteri saeculares adscripti servitio dictae Ecclesiae quam alii Sacerdotes ad illam confluentes debeant celebrare missam de Sancto currenti, de quo in dicta Ecclesia fit Officium dupl., quatenus velint celebrare, et non alio modo, cum missali romano et juxta illius rubricas quoad sacerdotes, qui non debent neque tenentur uti missali monastico. Et ita servari mandavit quacunque consuetudine in contrarium non obstante, quam abusum esse. n. 3023 die 22. Maii 1683.

Ad dubium. Patres Congreg. ss. Redemptoris frequenter, praecipue diebus Dom., excurrunt ad Parochias in vicinia positas ad succurrendum Parochis tum in concionando aut Confessiones excipiendo, aut in Missa plerumque cantata celebranda. Praeterea extat Leobii in Styria Hospitium, in quo semper tres vel quatuor nostri Sacerdotes in cura Animarum occupantur, ast non habentes Ecclesiam propriam quotidie in Parochiali cele-

brant. Quaeritur: num juxta plura Decreta et declarationes S. R. C. se conformare teneantur in Missa? Causa dubii est, quia si praedicta conformatio locum haberet, nostri Patres imprimis posteriores in Hospitio morantes frequentissime et praecipue diebus Dom. deberent dicere Missas non concordantes cum Officiis nostris et devotissimis, ut sunt Festa D. N. J. Chr. et B. M. V. assignata ad Dominicas, festa, inquam, de quibus in Germania nec somniant?

Et S. eadem C. . . . . rescribendum censuit:

„In casu servanda esse Decreta."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit a Patribus Cong. SSmi Redemptoris extra Italiam et in Dominiis Austriacae Domus degentibus. N. 4842 ad 7. Die 1. Sept. 1838.

Ad dubium: Quae missa celebranda sit a Sacrum facientibus in aliena Ecclesia vel Oratorio privato? S. C. resp.: „Missam concordare debere cum Officio, quod quisque recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur. *In Oratorio autem privato semper concordare debet.* n. 4669 ad 31. die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: Quum S. R. C. sub die 16. Apr. de anno 1834 sapientissime decreverit, quod Sacerdos in Eccl., ubi color albus adhibetur, celebrare nequeat Missam de S. Martyre, cujus persolvit Officium, quaeritur: quomodo se gerere debeant Sacerdotes Societatis Mariae, qui extra propriam celebrant Eccl., ac praesertim Sacrum immolant in Eccl. vulgo a Fowriux, in qua pene semper color albus occurrit, dum ipsi de S. Martyre recitant? Poteritne hoc in casu quilibet Societatis Sacerdos celebrare Missam votivam, ut se conformet colori albo in Eccl. ipsa adhibito? S. R. C. . . . . rescribendum censuit:

„In casu tantum, quo ritus Ecclesiae id permittat."

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5116. ad 3.

Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: Licetne in Oratoriis privatis celebrare Missas de Beatis, de quibus a Celebrante recitatur Officium?

„Detur Decretum in una Marsorum diei 12. Nov. 1831, ubi praescribitur Celebrantem in Oratorio privato debere ita se gerere, ut Missa cum Officio concordet."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183 ad XIV. Die 16. Aprilis 1853.

25) Conventualis.

a) Applicatio.

Vd.: *Missa conv. de Requ.* (applicatio); *Missa conv.* (Celebr. in Cath. decr. 19. Aug. 1744); *Missa* (applicatio a Paroch. non Can. — Decret. *Bened. XIV. n. IX. XVII. etc.)*

Patriarchales, Metropolitanae, Cathedrales et Collegiatae Ecclesiae tenentur quotidie celebrare et applicare missam conv. pro benefactoribus suis in genere, non obstande quavis licet immemorabili consuetudine in contrarium. Bened. XIV. Const.: *Cum semper etc.* 19. Aug. 1744.

Rubricarum mandatis super duabus et quandoque tribus missis conv. Cathed. et Colleg. Ecclesiae districte parere tenentur, easque omnes, ubi id consuetudo obtinuit, applicare pro benefactoribus, et consuetudine minime stante applicatio primae erit Benefactorum Suffragio reservata, reliquarum libera, dummodo eorundem Benefactorum non obliviscantur in Commem. Def. Omnium. *Ibidem.*

Per missam cantatam in suffragium alicujus Benefactoris vel Benefactorum in genere, *quae foret imposita*, non satis fit oneri missae conv. *Ibidem.*

Si Canonicus Parochus, aut onere missarum alias gravatus, missam conv. celebret, hanc applicare tenetur pro Benefactoribus in genere et per alium supplere missas, quibus particulariter manet adstrictus. *Ibidem.*

Ad dubium: An et a quibus missa conv. sit applicanda pro benefactoribus?

S. C. C. resp.: Affirmative et ab omnibus celebrantibus.

Die 21. Apr. 1708 ad VII.

Ad dubium: 1. An Canonici Ecclessiae Cath. et Paroch. Bolneorgii teneantur applicare quotidie missam conv. pro fundat. et benefactoribus?

2. An singuli Canonici teneantur a die adepti Canonicatus satisfacere missas conv. usque adhuc non applicatas?

3. An Canonici teneantur celebrare et applicare tam missas de anniversario quam conventuales?

S. C. C. resp. ad 1., 2 et 3: Affirmative.

Die 8. Jul. et 19. Aug. 1713.

Ad dubium: An onus applicandi missam conv. pro fund. et benefactoribus spectet ad omnes Canonicos Colleg. Otriculi tam antiquae quam modernae erectionis per turnum vel solum ad Canonicos primae erectionis?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 14. Apr. 1714.

Ad dubium: 1. An sit Onus Capituli Cath. Burgi quotidiana applicatio missae conv?

2. An Dignitates in solemnioribus festivitatibus, Canonici in diebus festis et Vicarius perpetuus in feriis teneantur applicare missam conv. pro benefactoribus?

S. C. C. resp. ad utrumque: Affirmative.

Die 2. et 16. Maii 1716.

b) Assistentia.

Canonici Bertinor. tenentur canere dupl. missam in diebus Quadrages., Adv., Quatuor temp. et Rogationum, ubi in ipsis aliquod festum dupl. incidit et ad utramque missam assistere. n. 2963 die 20. Sept. 1681; n. 2990 die 22. Aug. 1682.

Ad dubium: an quando rubricae mandant, ut dicantur duo missae conventuales, de Officio post Tertiam et de feria post Nonam, Regulares, qui ad missam de fer. nontenentur, possint eandem celebrare privatim et sine assistentia Choristarum, seu necesse sit, ut Communitas religiosa assistat, ut missa conv. dici possit?

S. C. resp.: Laudandos interessentes sed non cogendos. n. 4393 ad 15 die 27. Mart. 1779.

c) Cantus.

Vd.: *Missa convent.* (tempus; decr. n. 4542, 4669, 4857; assistentia, decr. n. 4393); *Nativit. Dom.* (Missa, decr. n. 4603); *Missa* (abbreviatio).

Ad dubium: 1. an attentis circumstantiis toleranda sit asserta consuetudo (Cathedr. Conimbricen.) *cantandi* unicam missam aliamque legendi iis diebus, quibus a rubrica duae praecipiuntur missae?

2. an in missa convent. *cani* semper debeant *Gloria, Credo, totum Graduale, Offertorium, Praef. et Pater noster?* S. C. resp. ad 1: Negative, reservato jure probandi antiquam consuetudinem et amplius; 2: Affirmative juxta Caer. Ep. et amplius. n. 4233 die 14. Apr. 1753.

Ad dubium: an in Cathedr. Wilnen. propter insufficientiam temporis ratione multarum votivarum cantandarum ex fundatione possit una ex duabus missis convent. substitui lecta pro cantata? S. C. resp.: Non posse ommitti

alteram ex his duabus missis cantandis. n. 4237 ad 10 die 22. Decb. 1753.

Ad dubium: An per Indultum (quo singulis Sabbat. per annum exceptis privilegiatis ac festis dupl. I. et II. cl. impeditis, celebrari possit missa vot. de Concept. B. V. M. non omissa tamen missa conventuali cum cantu de festo et feria occurrente) inducta fuerit obligatio missam conv. canendi etiam in iis Ecclesiis, ubi obligatio non adest? S. C. resp.: Gratiam concessam nullam inducere obligationem canendi missam conv., ubi ea obligatio non sit nec esse debeat juxta Constit. apost. Die 19. Junii 1773 *Ord. M. S. Franc. de Observ.*

Quum in Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Vaticanum infra scripta die coadunatis a R. S. D. Secretario propositae fuerint etiam preces Capituli Colleg. Ecclesiae Monsampietrangeli Archidioecesis Firmanae hisce conceptae terminis:

Beatissimo Padre.

Il Capitulo della Collegiata della Terra di Monsanpietrangeli Diocesi die Fermo composto di dieci Canonici, cinque de' quali hanno il peso della cura delle anime, e di due Prebendati Chierici, umilmente espone, che dovendosi al presente dal predetto Capitolo, e Canonici nelle Vigilie, e nella Quaresima cantare due Messe Conventuali a forma della Rubrica, una cioè del Santo corrente, e l'altra delle Feria, gli manca il tempo necessario per ascoltare le Confessioni, istruire la Gioventù nella Dottrina Cristiana, e compire gli altri officii Parochiali, per cui supplicano la Santità Vostra onde si degni concedergli la grazia di poter celebrare senza canto, e meramente letta in altro Altare la Messa della Feria, o Vigilia, nell' atto che si canta nel Coro Collegialmente la Messa del Santo. Che ec.

S. eadem C. rescribendum censuit:

„Missa de Feria seu Vigiliae, Choro praesente, celebrari permittitur sine cantu ad Decennium.“ n. 4880. Die 11. Apr. 1840.

Ad preces Capituli Cath. Derth.: Ut quando plures decantandae sunt Missae, una tantum celebrari valeat cum cantu, reliquis lectis, attamen praesente Choro,

Emus. et Rmus. D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. ... rescribi mandavit:

„Pro gratia.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4924 ad 2 die 22. Maji 1841.

Ad dubium: An in Cathedr. Tusculana diebus feriatis sit celebranda missa conv. cum cantu vel sine?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 21. Apr. 1708.

d) Celebrans in Cathedr.

Vd.: *Coadjutor; Faldistor. Dignit.* (decr. n. 3976.)

Ad dubium Capituli Metrop. Neapolis: an Dominicis aliisque diebus anni, quibus juxta assignationem jam factam hebdomadarii tenentur celebrare missam conv., si eisdem diebus Archiepiscopus Divinis interesse contigerit, spectet (non obstante Archiepiscopi praesentia), ad ipsos Hebdomadarios vel ad Canonicos? S. C. resp.: Spectare ad Hebdomadarios in casu, de quo agitur. n. 3000 die 26. Sept. 1682.

Posse Canonicos diebus ferialibus substituere Mansionarios de gremio in cantu missae conventualis. n. 5004 ad 6 die 7. Decb. 1844.

Missa conv. est *ex jure* celebranda

a solis Canonicis. n. 5019 ad 1 die 14. Junii 1845.

Ubi a Beneficiatis vel Mansionariis celebratur missa conv., iisdem suppeditatur eleemosyna ex distributionum massa, quae si attenta earum tenuitate adeo minuuntur, ut negligantur, recursus haberi potest ad Congregat. Concilii, quae ad solos dies festos praedictae missae applicationem restringere poterit. *Bened. XIV. Const.: Cum Semper etc.* 19. Aug. 1744.

Mansionarii tenentur in diebus fer. celebrare seu canere missam conventualem. n. 4458 ad 1 (2do loco) die 18. Febr. 1794.

Ad dubium: an Dignitates et Canonici Colleg. Alonae in diebus minus colendis compelli possint canere missas per se ipsos an vero ad id supplere possint per hebdomadarios seu Beneficiatos? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 4189 ad 2 die 4. Mart. 1747.

Missae conventuales cum assistentia Cap. Cathedr. et totius Cleri occasione processionum Rogat. in Ecclesiis paroch. civitatis (S. Severi) celebrari debent a Dignitate seu Canonico hebdomadario Capituli cathedr. n. 4262 ad 2 die (13. Mart.) 18. Decb. 1756.

Vd.: *Lytaniae maj.* — Officiator.

Ad dubium: An in Ecclesia Cath. Tusculana Archipresbyter teneatur celebrare missam conv. juxta turnum vel potius sit exemptus?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam et amplius.

Die 21. Apr. 1708 et 13. Apr. 1709.

Ad dubium: An in Cathedr. Tusculana missa conv. diebus *feriatis* sit celebranda per turnum per Canonicos tantum vel per solos Beneficiatos vel per utiosque? S. C. C. resp.: Per utrosque.

Die 21. Apr. 1708.

Ad dubium: An onus celebrandi missam conv. spectet in Cath. Squillacen. ad solos Canonicos?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 24. Sept. 1712; 11. Mart. 1713.

Ad dubium: An Canonici Cathedr. Squillac. teneantur ad celebrandam missam conv. per se ipsos?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 3. et 17. Mart. 1714.

Ad dubium: An Canonicus Curatus Ecclesiae paroch. Contradae Civitae, ubi residere tenetur, exemptus a servitio chori Cathedralis Balneoregii, teneatur per turnum cantare et applicare missam conv. et celebrare aliam missam in aurora, quae celebratur per turnum in dicta Ecclesia ab omnibus Canonicis tam diebus festis quam ferialibus?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 8. Julii et 19. Aug. 1713.

e) Celebrans in Collegiata.

Cf.: *Missa conv.* (Celebrans in Ecclesiis Cath. praecipue decr. n. 4189.)

Canonicos Collegiatae de Sondrio in Valtelina celebrare teneri missam conventualem, nisi adsint Capellani, qui hoc munus explere consueverint. n. 1569 ad 1 die 17. Novb. 1646.

In Collegiata, in qua Canonici tenentur celebrare missam conventualem per turnum, Archipresbyter, qui est prima Dignitas, non potest semper et quotiescunque sibi placuerit, dictam missam celebrare, sed celebrandam esse per turnum. n. 1608 ad 1 die 24. Julii 1649.

Impedita prima Dignitas in diebus statutis celebrare missam conv. non potest hanc celebrationem alteri Dignitati, quae non sit de gremio Ecclesiae, vel alicui Sacerdoti sibi beneviso de-

legare, sed spectare ad secundam Dignitatem ordine successivo. n. 1608 ad 2 die 24. Julii 1649.

Si prima Dignitas in festivitatibus solemnibus noluerit vel nequiverit celebrare, antiquiorem Canonicum succedere debere et gradatim ordine successivo et non Canonicum, ad quem spectare ratione turni. n. 1608 ad 3 die 24. Julii 1649.

Collegiatas teneri etiam ad Missam conventualem de Vigilia et feriis quatuor temporum, Quadragesimae et Adventus juxta rubricas missalis romani. n. 1734 ad 4 die 19. Sept. 1654.

Ad dubium: An Canonici Colleg. Placent. praebendas sacerdotales obtinentes teneantur in eorum resp. hebdomadis celebrare et canere missam conv. etiam diebus ferial. per se ipsos et non per Substitutos?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 29. Mart. 1710.

Verulana.

Precibus Canonici Vespasiani Collegiatae Ecclesiae Frusinatis intra limites Dioecesis Verulanae exquirentis: an ipse, qui Canonicatum in ipsa Collegiata resignavit, retentis Insignibus et Stallo, possit celebrare Missam conventualem? S. C. R. in Ordinarii Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata ad relationem subsignati Secretarii rescribendum censuit: „Posse, consentientibus omnibus.“ n. 4755 die 23. Maji 1835.

f) Extra chorum.

Ad dubium: An die VI. Julii occurrente Dom. I., in qua juxta Decretum Generale diei 10. Aug. 1849 sub ritu dupl. II. Cl. recitandum est de Pretiosissimo Sanguine D. N. J. Chr., liceat adhuc juxta immemorabilem consuetudinem Missam conventualem legere extra Chorum, quia in Choro habetur Capella Cardinalitia, quae celebrat de Octava?

S. eadem C. rescribendum censuit ...

„Affirmative seu servandam consuetudinem.“

Atque ita S. C. rescribendum et declarandum censuit. n. 5176 ad 5 die 25. Sept. 1852.

g) Obligatio ad duas vel tres missas.

Vd.: *Missa convent.* (tempus; applicatio.) *Anniversar. sol. vot. ex fundat.*; *Nativit. Dom.* (Missa, decr. n. 4603); *Missa de SSmo* (in expos. etc.); *Lytan. maj.* (missa, decr. de die 19. Sept. 1801; 16. Febr. 1781); *Missa* (Applic. a Paroch. non Canon. — *Decr. Bened. XIV.* n. XVII.)

Ad dubium: an in Cathedrali Collen., quae habet privilegium recitandi Off. s. Crucis qualibet fer. VI. non impedita, possit cantari unica missa feriae cum commem. s. crucis, quando dicta fer. VI. occurrit feriae, quae habet missam propriam, ut fit quando Vigilia infra Octavam occurrit? S. C. resp.: *Negative.* n. 3477 ad 21 die 5. Julii 1698.

Si tempore Quadragesimae, quatuor temporum vel vigiliae incidat festum dupl. vel semid. vel dies octavae, ratione Capituli Burgen. non potest omitti missa de feria vel de vigilia. n. 631 ad 3 die 16. Maii 1626; n. 851 ad 2 die 16. Febr. 1630.

Nullo pacto esse omittendam missam de feria conventuali in Cathedral. et Collegiatis, quae est omnino dicenda ultra missam festi. n. 669 die 16. Jan. 1627.

Missam conv. de feria nunquam esse omittendam etiam quod occurrat festum dupl. vel semid., non obstante contraria consuetudine. n. 981 die 9. Apr. 1633.

Canonicos posse adstringi, ut in feriis Quadragesimae a Capellanis canere faciant missam conv. feriae cum Diacono et Subdiacono. n. 697 die 17. Julii 1627.

Canonici Castellaniae petierunt, ultra missam de festo excusari ab obligatione canendi missam de vigilia, quatuor temporibus, rogationibus, Quadrages. etc. ob *penuriam Canonicorum:* S. C. resp.: Cantata missa conv. de festo, altera missa recitetur *sine cantu* cum interventu tamen omnium Canonicorum. n. 919 die 5. Julii 1631.

Duas missas conv. esse celebrandas in diebus rogationum et pro altera ex ipsis non suffragari illam, quam Episcopus suffragan. celebrat in Ecclesia, a qua processio incipit, dum dirigitur ad eandem Ecclesiam Lateran. tamquam ad Cathedr. Urbis et sine conventu Canonicorum dictae Ecclesiae. n. 1515 die 4. Junii 1644.

Canonici Bergam. praescriptas missas convent., quas celebrare noluerunt, assignarunt ex massa communi distributionum certam portionem sacerdoti, qui dictas missas infra annum celebrat., sed is se gravatum sensit. S. C. resp.: Canonicos teneri per se ipsos ad celebrationem dictarum missarum et hujusmodi assignationem nullam esse. n. 1518 die 2. Julii 1644.

Propter tenuitatem praebendarum ac immemorabilem consuetudinem tamen celebrandam esse utramque missam conv. in Adventu, Quadrages. aliisque vigiliis in quibus festus dies alicujus sancti coincidat. n. 1612 die 16. Novb. 1649.

Canonici regular. tenentur, prout fit in Collegiatis, canere duas missas in feriis et vigiliis, in quibus jejunatur, quamvis non ex consuetudine neque ex fundatione aut lege sint obligati. n. 2189 die 20. Novb. 1662.

Ad dubium: An infra octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V. vel S. Benedicti et aliorum Sanctorum, occurrente aliqua Feria Missae debeant dici de Feria vel de die infra octavam, prout contigit 24. Martii 1736 et quatenus Missae dicantur de Feria, quaenam Orationes in Missis apponi debeant?

Item quaeritur: quae Praefatio dicenda sit?

R. „Quando occurrit Vigilia aut Feria quatuor Temporum infra octavam Conceptionis B. M. V. debet recitari Officium de die infra octavam Conceptionis. Missae autem sive una cantetur sive legantur, dicantur de Feria quatuor Temporum cum secunda Oratione de Octava, tertia vero de Spiritu S., quae semper dicitur infra Octavas Festorum B. M. V., juxta lit. 9 de Orationibus n. 7 et 9. Nam Oratio, quae ibi praescribitur dicenda secundo loco, ponitur in 3. loco. At si Feria quatuor Temporum occurrat in die octava Conceptionis, omnes Missae privatae dicantur de Octava Conceptionis cum commemoratione Feriae. Missa autem solemnis, quae dicitur post Tertiam, erit de ipsa die octava Conceptionis sine commemoratione Feriae, cum de ea cantari debeat alia Missa post Nonam sine commemoratione Conceptionis, de qua nulla hic est habenda ratio. — Dicendae autem sunt Orationes assignatae in ipsa Feria, nempe; *Deus, qui de B. M. V. utero;* et tertia *Ecclesiae* vel *pro Papa;* cum Praefatione communi, ut videre est in Rubrica Missalis Romani. Idem servandum est in Missa et Officiis S. Benedicti nec non aliorum Sanctorum ex speciali privilegio Octavam in Quadragesima habentibus; quod si Officium recitetur extra tempus Passionis, Missae omnes dici debent de Feria cum commemoratione Octavae et tertia Oratione *Concede,* non vero: *A cunctis.* Tempore autem Passionis, quando contingat fieri Officium de infra Octavam,

unica cantari debet Missa de Feria cum commemoratione diei infra Octavam et Praefatione de Octava, si habeatur propria, ut dictum est superius de Octava Conceptionis.“ n. 4044 (2do) ad 31 die 23. Julii 1736.

Ad dubium: An diebus quatuor tempor. et vigiliis, in quibus cantari debent duae missae conv., Canonici Cath. Burgi debeant canere aliam missam conv. ad formam rubricae ultra solitam? S. C. C. resp.: Affirmative.
Die 2. et 16. Maii 1716 ad VI.

h) Obligatio ad unam missam.

Cf.: *Missa* (concord. cum Officio); *Diaconus missae; Missa conv.* (celebr. in Cath. decr. 19. Aug. 1744.)

Teneri Canonicos omnino celebrare et cantare Missam conventualem de *Officio currenti* ad hoc, ut licite possint distributiones quotidianas lucrari nec ad satisfaciendum sufficere Missam in aurora. n. 441 die 25. Junii 1611.

Praesupposita *immemorabili consuetudine* quando Canonici cantant aliam *Missam votivam*, vel *ex dotatione* vel *pro defunctis*, non teneantur cantare Missam conventualem *de Officio currenti*, sed loco Missae conventualis sufficiat missa *lecta celebrata in aurora*, in qua matrimonia denunciantur etc., monitoria publicantur, declaravit. S.R.C., decretum factum sub die 25. Junii 1611 intelligendum esse illis diebus, in quibus omnino *duae* Missae conventuales cantandae sunt, ut in Quadragesima, quatuor temporibus, Rogationibus et similibus. In reliquis vero diebus, in quibus non exprimitur in rubricis Missalis, quod duae Missae cantentur, quando Canonici cantant missam aliquam votivam, vel ex dotatione vel pro defunctis, loco Missae conventualis de officio currenti, sufficere dictam missam lectam, quae celebratur in aurora, *quatenus vera sit* immemorabilis *Ecclesiae consuetudo.* n. 507 die 4. Julii 1615

Pro missa vot. et de Sancto non posse omitti Missam conventualem, ut pluries resolvit haec S. C. ... alias Canonici non lucrantur distributiones quotidianas, nec suffragari loco Missae convent. missam lectam, celebratam in aurora de Officio currenti ... nec posse a Canonicis applicari pro aliis. n. 3188 die 18. Junii 1689; n. 3199 ad 3 die 30. Julii 1689.

Ob missas votivas fundatas in Ecclesia Burgen. ad altare majus certis diebus hebdomadae II. post Pascha non potest ommitti missa conventualis. n. 631 ad 2 die 16. Maii 1626; n. 670 die 16. Jan. 1627.

Non potest ommitti missa conventualis ob anniversarium aliquod vel diem obitus. n. 671 ad 1 die 6. Jan. 1627.

Ad dubium: An possit celebrari missa convent. pro *Anniversario*? S. R. C. resp.: dicendas esse duas Missas, sed in die depositionis dicendam esse missam pro defunctis, non obstante contraria consuetudine. n. 750 die 12. Julii 1628.

Vd.: *Anniversarium* (dies anniv. ex dispos. decr. n. 3782).

Missam conventualem nullo pacto esse ommittendam, sed utramque Missam esse cantandam, alteram de die, *alteram de Requiem*, stante obligatione et onere faciendi diversa *anniversaria* statis diebus, etiam quod occurrat festum duplex, dummodo non sit de praecepto, ad hoc, ut Testatorum voluntates adimpleantur et licite eleemosyna lucrari possit. n. 775 die 20. Novb. 1628; n. 2856 ad 4 die 22. Jan. 1678; n. 4414 ad 1 die 20. Decb. 1783; n. 3477 ad 10 die 5. Julii 1698.

Canonici Cathedr. Terdon. possunt cantare Missam Mortuorum in altari priviligato qualibet fer. 6, non obstante quod eo die incidat festum duplex

(dummodo non sit festum de praecepto), *sed non ommittatur Missa conventualis* de die. n. 835 die 18. Aug. 1629.

Canonici Cathedralis Nucer. tenentur missam conventualem cantare juxta praescriptum in rubrica XV. Missalis romani. n. 851 ad 1 die 16. Febr. 1630.

Canonicis Cathedralis Faventinae ab immemorabili solitis, *unam tantum Missam* canere, sive ea sit votiva sive de feria, sive defunctorum. S. R. C. resp.: „Missam conventualem omnino esse cantandam ad hoc, ut licite distributiones percipi possunt, non obstante quavis contraria consuetudine, quam abusum esse. n. 889 die 13. Jan. 1631.

Capitulum Aquilegien. ommittit missam conventualem, quando celebrat Officium Def. cum missa solemni et in principio cujuslibet mensis canunt missam conventualem cum sola collecta pro Def., an continuari liceat?" S. C. resp.: *nihil.* n. 963 die 7 Julii 1632.

Omittendam nullatenus esse Missae conventualis solemnem celebrationem propter missam *votivam*, consuetudine quavis contraria non obstante. n. 1396 die 28. Junii 1642.

Conventionem, juxta quam Missae conventuales in diebus ferialibus celebrentur a Capellanis proprio stipendio conducendis, quas Missas ipsi Canonici absque Ministris hactenus celebrare consueverunt, non esse servandam. n. 1422 die 17. Decb. 1642.

Canonici Vercell. officiant et resident in duabus Ecclesiis Cathedr., in solemnioribus et statutis functionibus officiant in una tantum Ecclesia. Octo Canonici in S. Maria vero nunquam cantant duas Missas in praescriptis diebus propter minorem numerum Canonicorum, carentium etiam Beneficatis et Capellanis, tum etiam quod in s. Eusebio cantatur secunda Missa. S. C. resp.: satisfacere praecepto rubricae, quando Canonici insimul conveniunt; quando vero simul non conveniunt, teneri ad celebrandas duas Missas praescriptas in utraque Ecclesia; sed si *aliqui* ex Canonicis conveniunt, convenientibus suffragari unam ex dictis Missis in altera Ecclesia celebratam. n. 1441 die 14. Mart. 1643.

In feriis et Sabb. s. quatuor temporum, occasione currentis festi 9 ll. potest per Canonicos cantari altera missa de festo, per Episcopum facientem Ordinationem celebrari altera de feria in paramentis violaceis. n. 2828 ad 4 die 10. Julii 1677.

Occurrente festo duplici in dominica Capitulum non tenetur *duas* conventual. unam scilicet de festo et alteram de dominica cantare. n. 3290 ad 2 die 13. Sept. 1692.

Occurrente fer. 3. rogat. festo simplici in Cathedr. et Collegiatis non sunt cantandae duae missae. n. 3477 ad 3 die 5. Julii 1698.

In dominicis Adventus et Quadragesimae, in quibus fit de dupl. 1 cl., non sunt cantandae duae missae. n. 3477 ad 14 die 5. Julii 1698.

Per missam cantatam in suffragium alicujus Benefactoris vel Benefactorum in genere, quae foret imposita, non satis fit oneri missae conventualis. Bened. XIV. Const.: *Cum semper etc.* 19. Aug. 1744.

In dominicis infra octavas vel aliis a festo dupl. impeditis unicam tantummodo cantandam esse missam. In dominicis quidem infra octavas, de dominica cum comm. octavae, in aliis vero dominicis non privilegiatis et in quibus fit de occurrenti festo dupl. Missa de festo cum comm. dominicae, ejusdem Evangelio in fine. n. 4237 ad 12 die 22. Decb. 1753.

Ad dubium: An in Cathedr. Tusculana singulis diebus sit celebranda missa conv.?

S. C. C resp.: Affirmative.
Die 21. Apr. 1708.

Ad dubium: An missae de anniversario, quae cantantur in Cath. Balneoregii in quatuor mensibus anni diebus non impeditis, cedere debeant loco missae conv.?
S. C. C. resp.: Negative.
Die 8. Julii et 19. Aug. 1713.

i) Non est Obligatio.

Ad dubium: an per Indultum canendi singulis Sabb. exceptis privil. ac festis dupl. 1. et 2. cl. impeditis missam vot. de B. V. M., non omissa tamen missa conv. cum cantu de festo vel fer. occurrente — inducta fuerit obligatio missam conv. canendi etiam in iis Ecclesiis, ubi dicta obligatio non adest? S. C. resp.: Gratiam concessam nullam inducere obligationem canendi missam conv., ubi ea obligatio non sit nec esse debeat juxta apost. Constitutiones. n. 4364 die 19. Junii 1773.

Vd.: *Missa conv.* (Celebr. in Cathedr., decr. diei 8. Julii et 19. Aug. 1713.)

k) Quae est?

Ad dubium: an sub nomine missarum convent. veniant missae votivae et de Requie? S. C. resp.: Negative. n. 3599 ad 1 die 1. Oct. 1701; n. 3620 die 18. Mart. 1702.

Missa conventualis semper esse debet de Officio occurrente. n. 5049 ad 2 die 23. Maii 1846.

Cf.: *Transl. festi in dom. seq.*, decr. n. 5049.

l) Regularium.

In regulis (quae sunt generales) ad Missale Fratr. Minor. adjectis S. C. declaravit: Regulares non tenentur ad plures missas cantandas, quia non sunt Ecclessiae Collegiatae, sed appellantur proprie Conventuales ab *Innoc. IV. in Bulla ejusdem 7. Bullarii et in Clementina I. de celebr. miss. ex Conc. Viennensi* distinguuntur Ecclesiae Regulares a Cathedralibus et Collegiatis, quibus postremis dumtaxat imponitur onus de duabus missis istis (Gav. part. 3. tit. 11 n. 12) n. 2362 ad 6 die 13. Febr. 1666.

m) De Requiem.

1) Applicatio.

Ad dubium: An conventualis Missa, quae celebranda est pro def. Sacerdotibus, Benefactor. et aliis qualibet prima die vel fer. II. non impedita cujuslibet mensis, possit applicari particulariter pro def. Episcopis et Canonicis illius Eccl., in qua celebratur, pro satisfactione generalis Praebendae illius, qui Missam celebrat?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Negative, sed pro Benefactoribus in genere.“

Atque ita rescribere S. C. rata est et declarare. n. 5063 ad 2 die 27. Febr. 1847.

Vd.: *Missa conv.* (Applicatio.)

2) Obligatio.

Cf.: *Anniversarium* (alia missa etc.)

Ad dubium: An Missa conv. pro benefactorib. occurrens temporibus Adv., Quadrag. et Paschae a Rubricis exceptis sit remittenda?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Negative.“

Atque ita rescribere S. C. rata est et declarare. n. 5063 ad 4 die 27. Febr. 1847.

Vd.: *Missa conv.* (Obligatio ad duas; Applicatio.)

3) Estne praeceptiva?

Fer. II. post Dom. Passionis, quando recitatum est officium def., non dicitur missa conv. de Def. neque Oratio: *Fidelium;* quae etiam in aliis feriis secundis Quadrages. non dicitur juxta rubricas, sed solum oratio: *Omnip. sempit. Deus*, quae est pro vivis et def. et omittitur tempore Passionis. S. R. C. 11. Jul. 1643.

Ad dubium: An Missa, quae in Ecclesiis Cath. juxta gen. Rubricas celebranda est pro def. Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis qualibet prima die, vel feria II. non impedita cujuslibet mensis sit praeceptiva?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Affirmative.“

Atque ita rescribere S. C. rata est et declarare. n. 5063 ad 1 die 27. Febr. 1847.

4) Coram SSmo. exposito.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XVII. n. 7, 8.

5) Tempus.

Vd.: *Missa convent.* (tempus); Officium def. (orat. decr. n. 4687 *nota*).

6) Translatio.

Cf.: *Missa conv.* (Obligatio ad duas.)

Si prima dies mensis impedita duplici vel semid., cum ex praescripto rubricarum Off. def. et missa convent. de Requ. non sit celebranda, Officium et missa hujusmodi differenda est ad aliam diem non impeditam. n. 4167 die 27. Mart. 1745.

n) Coram SSmo exposito.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XII. n. 27; §. XIII. n. 1, 3; §. XIV. n. 1 etc.; §. XVII; *Missa de et coram SSmo expos.*; *SS. Sacrament.* (Expos. in Pontif.)

Tarentina.

Ex pio quodam Legato tenentur Moniales Ordinis Sanctae Clarae in Civitate Tarentina in propria Ecclesia ad Altare majus publicae Fidelium venerationi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum exponere tribus postremis diebus Carnis privii. Ne vero in Sacro audiendo ipsarum pietas fraudetur humillimas Sacrorum Rituum Congregationi preces porrexerunt pro facultate celebrandi Missam Conventualem sine cantu ad Altare, ubi Expositio, ut supra, peragitur dictis tribus diebus. Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, in ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis rescripsit: „Pro gratia, dummodo in Missa Sacra Eucharistia non distribuatur.“ Die 12. Novembris 1831 n. 4677.

Nota Gardellini ad hoc decret.

Missam vel celebrari vel decantari in Altari, in quo expositum est SSmum Eucharistiae Sacramentum, non semel vetuit S. R. C. appositis Decretis, sive illud pro Oratione Quadraginta Horarum sive alia occasione per Annum expositum sit: et jure quidem, nam populus adorationi intentus, aliis precibus et actionibus licet sacris, ab illo distrahi non debet, cui unice et principaliter est intentus. Cautum hoc fuit a fel. rec. Clemente XI. in sua Instructione de iis, quae servanda sunt pro Expositione SSmmi. Sacramenti in Oratione Quadraginta horarum, in qua edicitur §. XII. ut Missae omnes *sive privatae sive solemnes*, in eo Altari omnino prohibeantur, *duabus tantum exceptis, quae celebrandae pro exponendo et reponendo SSmmo. Sacramento.* Haec est regula adeo stricte accurateque servanda, ut nemini liceat ab ea declinare. Dari quidem possunt casus particulares, quibus fortasse in eo poterit celebrari, sicut urgens necessitas, defectus Altarium in eadem Ecclesia, vel vicinarum Ecclesiarum, praesertim ubi praeceptum urgeat audiendi Sacrum, consuetudo, quae vere

sit immemorabilis, quaeque tolli nequeat sine Populorum scandalo et offensione, aliaque hujusmodi, quae Ecclesia, vigente etiam contraria lege, toleranda esse censet. Sed casus particulares universalem legem et regulam non destruunt, neque omnibus aeque casus particulares possunt aptari, ut aeque omnes ad legem universalem stricte sequendam non teneantur. Plura his addere supervacanum esset, quum in memoratae Clementinae Instructionis illustrationibus pene omnia, quae in hac materia occurrunt, enodanda dubia reperiantur, ac clarissime declarentur, quae ambigua videri possunt; eas itaque adeat, qui plura desiderat.

A regula hac generali S. R. C. Moniales Ordinis S. Clarae in Civitate Tarentina censuit dispensandas facultatemque concessit, ut Missa Conventualis sine cantu in Altari Expositionis celebraretur, ne evagationibus detur locus, dum pietas non defraudatur. In unum enim collectae Moniales, nec ab Altari, ubi Missa celebratur et SSmum Sacramentum est expositum, plus aequo distantes, piis sane meditationibus assuetae, altera alteram potest ad devotionem vicissim aemulando excitare, eodemque tempore pro earumdem Christi Sponsarum conditione, praecipuo adorationis objecto omnes intentae esse possunt. Ut autem specialis gratia appareat et ad earum pietatem, uti petebant, fovendam Sacri auditione concessa, SS. Eucharistiae distributio in eadem Missa omnino prohibetur. Hoc enim esset omnes fines praetergredi: quum enim ex universali lege vetitum sit Missam sive solemnem sive privatam eo in Altari celebrari, omnia alia in hac particulari concessione ibidem Missam celebrandi excluduntur, quae stricte in singularis gratiae concessione non continentur et si fiant, universalibus legibus quovis modo opponuntur, quae eo quo possunt et debent modo servandae sunt. Jam si ex universali lege Missae quaecumque vetantur in Altari, ubi est SSmum. Sacramentum expositum, eo ipso SS. Eucharistiae eodem in Altari distributio vetita censenda est, nam in alio Altari SS. Eucharistiae asservari debet, ut Fidelibus possit distribui, atque ita universali lege servato Fidelium satisfit pietati ac devotioni, cui ipsa Clementina Instructio plenissime consuluit.

o) Tempus.

Vd.: ***Missa conv.*** (oblig. ad duas; decr. n. 4044); *Chorus* (tempus, decr. n. 4568); ***Nativitas Dom.*** (Missa, decr. n. 4603); *Missa contra paganos* (tempus); *Missa vot. sol.* (hora); *Officium. def.* (orat. decr. n. 4687 *nota*); *Titular.* (fest. celebr.; decr. n. 2362).

Missa conv. dicit debet post Tertiam in festis duplicibus et in diebus dominicis juxta rubricas Missalis, non post Sextam; quodsi propter frigiditatem populus tardius venit ad Ecclesiam, praestat differe tempus recitandi Tertiam, quam debitum ordinem intervertere. n. 15 ad 7 die 16. Mart. 1591.

S. C. benigne indulsit, ut in *festo* SS. Corp. Chr. Missarum solemnia post Nonam peragantur; *infra octavam* autem SS. Corp. Chr. et diebus duplicibus infra eam occurrentibus Missam post Tertiam celebrandam esse. n. 2856 ad 6 et 7 die 22. Jan. 1678.

In diebus Quadragessimae, Adventus, quat. tempor. ac vigiliarum, missa praedictarum feriarum ac vigiliar. juxta rubricas debet celebrari post Nonam, etiam, quando occasione 40 hh. ex praescripto celebratur missa vot. contra paganos. n. 3564 die 22. Maii 1700.

Ad dubium: an in Quadrages., Adventus et vigiliarum temporib. nec non in diebus Rogationum occurrente aliquo festo dupl. vel semid. liceat post Primam celebrare missam praedictarum feriarum? S. C. resp.: Servandas esse

rubricas. n. 3575 ad 1 die 22. Jan. 1701.

In die Commem. Omn. fid. Def. non potest celebrari missa sol. de Requ. post Primam sed servandae sunt rubricae, quae praescribunt post Nonam. S. R. C. 22. Jan. 1701.

Cum in Quadrag., Adventus et Vigiliarum temporib., in dieb. Rogat. occurrente aliquo festo dupl. vel semid. celebretur missa praedictarum feriarum post Nonam juxta rubricas et cum per nostras Constitutiones (Ord. Erem. Camaldul.) teneamur celebrare missam conv. post Nonam in Quadrag. et non sit consuetudo celebrandi post Nonam aliis temporibus, dubitatur: an praedicta missa fer. remitti possit ad aliud tempus, an potius relinquenda, cum non adsit aliqua obligatio apud nos eam celebrandi? S. C. resp.: Esse servandum decr. sub 22. Jan. 1701.

Quadragesimae, Adv., Vigiliarum temporibus nec non diebus Rogat. occurrente aliquo festo dupl. vel semid., non licet post Primam celebrare missam praedictarum feriar. sed servandae sunt rubricae, quae praescribunt post Nonam. n. 4136 ad 3 die 19. Jan. 1743.

Ex parte Fratrum strictioris observantiae Sancti Francisci Provinciae S. Didaci in Regno Mexicano humiliter supplicatum fuit a S. R. C. declarari:

An Quadragesimae, Adventus et Vigiliarum temporibus, quando recitatur Officium de aliquo Sancto et non de Feria seu de Vigilia, sit dicenda, praeter Missam de Sancto, etiam conventualis?

Et S. eadem R. C. resp.: „Affirmative, nempe de Sancto post Tertiam et post Nonam de feria seu de vigilia.“ Et ita declaravit. n. 3558 die 8. Maji 1700.

Diebus Feriarum Adventus et Quadragesimae, Vigiliarum et Rogationum Canonici Cathedralis Ecclesiae non privilegiatae, si dies sit festivus, celebrare solent Missam de Feria post Tertiam, de Sancto vero occurrente post Nonam; quia, ajunt, se vicem gerere Episcopi. Quaeritur: an haec consuetudo sit toleranda, vel potius tamquam abusus tollenda? Et S. eadem C. rescribendum censuit:

„Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.“ n. 4536 die 4. Junii 1817.

Nota Al. Gardellini ad hoc Decretum:

Dubium hoc vel non est satis clarum vel male expositum. Quod in aliqua Cathedrali intervertatur ordo Horarum a Rubricis praescriptus, pro celebratione Missarum solemnium, dum eadem die canendae duae sunt, altera scilicet de Festo occurrente, altera de Feria, novum non est: et utinam id genus abusus frequentes non essent! cum non desint multi, qui propriis student commodis potius, quam in sacris servandis ritibus legum ecclesiasticarum dispositioni obediant. Id vero novissimum est et hactenus inauditum, quod Canonici aliqui praefatum pervertentes ordinem se tueantur, ajentes, vicem gerere Episcopi. Novissimum jure dixi, nam onera Missarum propria sunt Canonicorum non autem Episcopi, cum is teneatur ad Missas Pontificales dumtaxat in solemnioribus festivitatibus, et, dum id agit, ipse etiam Regulae Libri caeremonialis parere debet, quin pro lubitu queat horam diversam a Caeremoniali vel Missali praescriptam indicere. Quamobrem data quoque falsa hypothesi, quod Canonici Cathedralis in Missarum solemniis vices gererent Episcopi, non ideo possent turbare ordinem, si neque Episcopo id licet. Nec prodest consuetudo, quae, ut abusus, nequit praescriptionem inducere, eamque etsi

immemorabilem S. C. nihili pendendam duxit in Venusina die 9. Aug. 1760 et omnino servandas esse Rubricas respondit in una Eremitarum Camaldulensium sub die 22. Jan. 1701 et 19. Jan. 1743, licet obstarent peculiares Constitutiones et consuetudo.

Nescio tandem, cur in dubium exponatur, quaestionem esse de Cathedrali non privilegiata, quasi in illis, quae pluribus auctae sunt privilegiis, fas esset ordinem a Rubricis praescriptum pro Missarum Solemniis invertere. Si insigniores, sint multis decoratae praerogativis: has inter non ulla erit, qua permittatur pro lubitu non statutis horis Missas canere, sed potius, secus ac Ecclesiasticae Leges jubent, illas inverso ordine celebrando, propriis commodis consulere.

Ad dubium: utrum tolerari possit consuetudo ignoti initii legendi missam conv. de feria vel vigilia, dum in choro dicitur Hora prima, an saltem sine cantu *legi* possit post Nonam, assistentibus iis, qui ad chori servitium sunt adstricti? S. C. resp.: Negative et serventur rubricae. n. 4542 ad 5 die 30. Sept. 1817.

Nota Gard. ad hoc Decretum:

Duas partes hoc dubium habet. Primum quaeritur: num servanda sit consuetudo legendi Missam Conventualem de Feria vel Vigilia, cum in Choro dicitur *Hora Prima:* deinde vero: num saltem sine cantu legi possit *post Nonam?* Nonnisi crassa Rubricarum ignorantia hisce quaestionibus causam praebere poterat. Quis enim est, qui nesciat, Missam de Feria aut de Vigilia, dum in Choro duae Conventuales cantandae sunt, matutinis omnibus Horis persolutis, ad *Nonam* usque inclusive canendam esse?

Servandus quippe est ordo a Rubrica praescriptus *tit. 15 num. 2.* Audiendus *Meratus* hoc loco addit ad *Gavantum num. 3. Observare libet cum Turrino part. 2. sect. 5. cap. 2., quod si cantandae sunt plures Missae ob occursum Feriae majoris, v. gr. cum Festo duplici, cantetur Missa de Feria post Nonam, de Sancto post Tertiam ... quia Rubrica generalis expresse praescribit Missam de Festo cantari post Tertiam, de Feria post Nonam.* Neque ordinem hunc invertere licet, veluti declaravit S. R. C.; praesertim in *Nucerina* 16. Febr. 1630, *ac in una Ordinis Eremitarum Camaldulensium* 22. Jan. 1701 et 19. Jan. 1743.

Id autem tanto cum rigore servandum, ut nec prodese valeat ad praescriptionem inducendam consuetudo, etsi immemorabilis, ut ex ejusdem S. C. Decretis *in Polana* 9. Maji 1639 *in Imolen.* 7. Julii 1759 et *in Venusiana* 9. Aug. 1760. At in proposito dubio duplex detegitur error nullo modo excusandus. Alter est ordinis inversi quoad horam celebrandi Missam de Feria: alter versatur circa modum persolvendi in Choro *horam Primam*, dum ad Aram fit feriale Sacrum, ita ut duae actiones distinctae et successivae confundantur et quodammodo, ut ita dicam, compenetrentur.

Praeceptiva sunt verba rubricae, quae jubent, quod Missa vel de Sancto vel ferialis, statutis horis in Choro persolutis, succedat: *Missa Conventualis sequenti ordine dici debet. In Festis dupl. etc., dicta Hora Tertia; in Festis simplicibus etc., dicta Hora Sexta. In Adventu etc. Missa de Tempore debet cantari post Nonam.* Qui sane Ordo tam stricte obligat, ut horam Missae de Tempore variari non liceat, *quamvis sint dies solemnes.* Quod si non licet, dum in Choro Horae Canonicae persolvuntur, in altera ejusdem Ecclesiae Capella aliam peragi functionem aliasve preces recitari: ut res-

pondit S. C. *in Neritonen. diei 15. Jan. 1659;* multo minus licebit in eodem Choro eodemque tempore Missam celebrari de Feria et Horam Primam recitari, ac duas actiones distinctas ac successivas simul confundere. Poteritne tamen ferialis Missa post Nonam, adstante Clero, legi sine cantu? Id quaeritur in secunda dubii parte. Regula servanda est, quae jubet Missas omnes conventuales, utpote solemnes, cantandas esse. S. R. C. sub die 3. Aug. 1737 *in Urbevetana super Dubiis* interrogata: *An quoties ex praescripto rubricae celebrandae et cantandae sunt in Ecclesia Cathedrali plures Missae, liceat aliquam ex illis planam celebrare?* absolute respondit: *Negative.*

Dignitates et Canonici Cathedr. Polonsis obtentu consuetudinis, terminatis omnibus horis canonicis etiam diebus festivis, in quibus nec horam tertiam umquam canunt, nisi Pontif. exercente Episcopo, recitatis anticipate hoc casu Sexta, Nona, missam conventualem decantant. Itemque missas pro def. a Testatoribus legatas ante Matutinum, quoties contingunt, cum cantu celebrant. Cumque hac consuetudines resistant rubricis necnon decreto 18. Junii 1689, quaeritur: An attenta consuetudine tolerari queant hujusmodi respectivae anticipationes et participationes Horarum et sol. missarum? S. C. resp.: Serventur omnino rubricae miss. rom. sub tit. 15 n. 4086 die 9. Maji 1739.

Quoad horam celebrandi missam conventualem de Sanctis et de Feria servandas esse rubricas missalis et amplius. n. 4277 die 7. Julii 1759; n. 4293 die 9. Aug. 1760.

Ad dubium: An tempore Adventus Missa conventualis de Sancto occurrente sub ritu dupl., vel semidupl. post Nonam semper sit celebranda?

Et Emmi. P. S. eidem C. praepositi ... respondendum censuerunt: Negative et Missam de Sancto sub ritu dupl. vel semidupl. in Feriis Adventus occurrente semper celebrandam esse post Tertiam, juxta Rubricas. Et ita S. C. respondit, statuit et ubique servari mandavit. n. 4586 ad 1 die 20. Apr. 1821.

Ad dubium: an in Cathedr. et Colleg. Ecclesiis missae convent. celebrandae cum cantu legi queant absque cantu, dum in choro horae minores recitantur? S. C. resp.: Missas conventuales canendas choro praesente et post horas canonicas. n. 4857 ad 1 die 3. Aug. 1839.

Ad dubium: Quum Episcopus diebus festivis applicare debeat pro ovibus suis, quaeritur: an Episcopo hisce diebus pontificaliter celebrante, Canonici debeant Missam Conventualem pro Benefactoribus cantare et quando? S. C. resp.:

„Hebdomadarius, vel is, cui onus inest Missae conventualis, illam celebret lectam vel ante vel post Missam Pontificalem.“ n. 4669 ad 20 die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: Ab immemorabili in quadam Cathedrali in Choro unica cantatur Missa tum in Feriis tum in Festis et haec post Nonam semper locum habet. Hujusmodi consuetudo potest necne tolerari?

Et eadem S. C.... rescripsit:

„Servandas esse Rubricas quoad numerum Missarum conventualium juxta diversitatem dierum et quoad horas illas celebrandi; nimirum de Festo post Tertiam, de Vigilia post Sextam, de Feria post Nonam.“

Atque ita rescripsit declaravitque. n. 5121 ad 4 die 22. Julii 1848.

Ad dubium: Utrum possit Episcopus tolerare quod Canonici Cathedralis Missam conventualem celebrent non post Tertiam sed post Nonam?

Emmi. et Rmmi. P. ... respondendum duxerunt:

„Negative et servandas esse Rubricas."
Atque ita S. R. C. rescribere rata est propositaque Dubia declarare. n. 5228 ad 1 die 29. Nov. 1856.

Ad dubium: In festis solemnibus, quae occurrunt in Feriis Quadragesimae, licetne continuare usum canendi Missam de Feria post Tertiam et Missam de Festo, cui assistit Episcopus, post Nonam circa meridiem, an aliter faciendum? S. C. resp.:
„Negative, sed Rubricae servandae quoad horam solemnis Missae in Choro." n. 4669 ad 27 die 12. Novb. 1831.

26) Coram s. Cruce exposita.

Vd.: *Reliquia* (veneratio etc.); *S. Crux* (reliquia).

Ad dubium: An Caeremoniae in Missa coram Sacrae Crucis Ligno palam exposito differant ab iis, quae in Missa coram Sanctissimo Sacramento adhibentur? S. C. resp.:
„Affirmative et solum est genuflectendum in accessu et recessu et quoties transit ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione."
Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt. Die 23. Maji 1835 n. 4743 ad 1.

27) Dedicationis Ecclesiae.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae.*

28) Defectus ex parte Sacerdotis.

Vd.: *Sacerdos inhabilis, caecutiens; Sumptio SS. Sanguinis cum fistula.*

29) Descriptio in libro.

Vd.: *Stipendium; Tabella missar.; Sacrista* (Electio etc.)

Attento decreto fel. mem. Alex. VII., quo jubetur describendas esse ab omnibus Sacerdotibus singulas missas sol. et priv. in libro ad hoc in Sacristia retinendo, dubitatur: an missas pont. celebratas teneatur in dicto libro describere Episcopus, an primus Diaconus assist. in celebratione missarum? S. C. resp.: Ex vi enunciati decreti non teneri nec per se nec per alium. n. 3587 die 11. Junii 1701.

Pro accurato perpetuorum onerum Missarum celebr. adimplemento Decreta varia.

Decretum Primum.

Ut missarum perpetuarum vel temporariarum vel manualium Onera, quae a provida fidelium def. cura, antequam ex hac vita in alteram transirent, aut ex pietate benefactorum constituta sunt assignata certa pecunia ad censum elocata vel quotidianis eleemosynis ad eadem celebranda destinatis, exacte ab iis impleantur, qui perceptis inde emolumentis ad id tenentur et ut miserae animae in flammis lustralibus detentae fruantur statuto tempore debitis suffragiis, Sanctitas D. N. S. P. Clem. XI. inhaerens decretis de celebratione missarum, editis aetate SS. PP. Urbani VIII*) et Innocent. XII.**) decessorum ejus et restaurans strictam eorum observantiam, sub iisdem poenis in dictis Constitutionibus contentis, expresso mandato voce nobis dato, injungit et praecipit omnibus Superioribus, Superintendentibus, Deputatis, aedituis, Capellanis et cuicunque alteri, qui quocunque titulo et Officio praesidet regimini et administrationi Ecclesiarum Patriar., Basil., Colleg., Paroch., Monasteriis et Conventibus regul. unius et alterius sexus, Conservatoriis, Congregationibus, Nosocomiis, Confraternitatibus laicalibus et cuicunque alteri Ecclesiae, Sacello et Oratorio romano, ut tam in recipiendis Missarum eleemosynis,

*) Vd.: Bull. rom. tom. IV. p. 90.
**) Bull. r. t. VIII. p. 307—314 et articulum: *Stipendium* (decr. Innoc. XII.).

quam in adimplendis in celebratione earum obligationibus, exacte, inviolabiliter et integre observetur atque usurpetur sequens Instructio sub poenis Suspensationis a *Divinis*, si Sacerdotes saeculares fuerit, et privationis vocis activae et passivae, officiorum et munerum, si sint Regulares, atque aliarum mulctarum pecuniarum et respective corporalium ad arbitrium Suae Sanctitatis, ineundis ab iis, qui eandem vel integre vel ex parte violaverint.

Instructio pro Missis Perpetuis.

Concinetur Catalogus, in quo distincte descripta sint onera Missarum cantatarum, privatarum, tam perpetuarum quam temporalium et unde descendant, an ex testamento, donatione vel sub alia forma, cum fundis, in dotem cujusque oneris relictis, atque altaria, in quibus celebrandae sunt ....

Servanda insuper erit dictorum onerum tabula, distincte notatorum, cum expressione Nominis, Benefactorum et indicatione Testamenti vel alterius Instrumenti, quodcunque extet, hoc est: quibus actis et quo tempore, divisim in suis columnis distinctis missarum cantatarum et quotidian., menstruarum, hebdomadalium et aliorum onerum temporaneorum, relictorum, ut celebrentur cum expressione altaris, in quo celebrandae erunt etc. Quae tabella recognosci, examinari et subscribi debebit a D. Secr. s. Visitationis apost. pro tempore et computista deputato et affigi in Sacristia loco patenti, ut disponunt Constitutiones apost., nec ulla pars in ea demi aut adjungi debet, quin iterum recognoscatur, et ab iisdem subscribatur et si contingant infra anni decursum novum Legatura constitui, tam Catalogus quam dicta tabella deferatur, ut illud notari possit.

Insuper servandi sunt duo Codices, alter pro oneribus perpetuis, pro Missis adventitiis alter, ut declarant eaedam Constit. apost....

Liber missarum perpetuarum confici debebit singulis annis et absolvi intra mensem Octobrem cujuslibet anni pro anno sequenti et mensibus Novbr. et Decbr. exhiberi computistae, ut ab eo recognoscatur, an recte constitutus sit eumque signet et subscribi curet a D. Secr. Visitationis apost. pro tempore; simili ratione etiam codices antiqui, in quibus notatae erunt Celebrationes anni praecedentis, eidem exhibebuntur mense Januario, finem anni antecedentis immediate sequente, ut cognoscatur, an omnia onera exacte impleta fuerint et si minus iis satisfactum fuerit, afferatur hujus defectus causa, ut media, quae magis expedire videbuntur, adhiberi possint.

Ulterius debet omnis Sacerdos tam sacellanus affixus celebrationi missae quotid., quam omnis alius, cui incumbet celebrandi onus infra hebdomadam, finita missa notare nomen suum e regione loci, ubi expressus est titulus, ob quam missam celebravit. E. g.: *NN. Celebravi.* Et hac ratione impletae erunt dispositiones juxta modum et formam, qua fuerunt relictae et dilucide apparebit impletio dispositionis facta per missas celebratas.

Ut obiam eatur cuipiam perturbationi, quae accidere possit in illis Ecclesiis, in quibus praescribitur major numerus missarum ex obligatione fixa legendarum, ubi contingere posset, ut plures sacerdotes eodem tempore egrediantur ad celebrandum et unus eorum primus in sacristiam ingrediens notet verbum: *celebravi* eodem loco, quo alius obligationem suam jam implevit, praecipitur, ut Sacerdos celebraturus sacristiam ingressus adeat librum et in eo inspiciat locum, ubi intentio Missae dicendae expressa est

et ponendum esset verbum: *celebravi*, inscribat suum nomen et cognomen et absoluto sacro, addat dicto nomini: *celebravi;* hac ratione quilibet superveniens locum illum, in quo intentio fundatoris scripta apparet, juxta quam legere oportet, vacuum nec signatum reperiet et sic tolletur omnis confusio.

Si vero contingat, ut illa die, qua satisfaciendum est debito, sacerdos casu impeditus sit, nec illa die praescripta missa legi possit, eam ad aliam diem transferat, notabit ille, qui eam celebrabit: *N. N. celebravi sub die tali etc.*, quia sine hac declaratione non corresponderet illi diei, qua addictum esset: *celebravi*, sicut aliis.

De Missis Adventitiis.

Conservabitur solitus liber, in quo signantur eleemosynae a Benefactoribus collatae et istae signate describendae erunt, an sint votivae vel pro Def. et exprimendus literis numerus extrahendusque erit per calculum, ut in hoc exemplo patebit:

Missae duae pro Def. ...	num.	2.
" tres ad altare s. Ant.	"	3.

Missae in dicto libro notatae referendae sunt in alium librum in sacristia servandum, in quo singulae missae *distincte* notandae sunt, ita ut sacerdos singulis apponere possit verbum: *celebravi*, modo supra indicato.

In Exemplum:

Missa una pro Def. ...	num.	1.
" " " "	"	1.
" " ad altare s. Anton.	"	1.
" " " " " "	"	1.

Missae illae, quae intra annum non absolventur, pro quibus acceptae fuerunt eleemosynae, transferendae erunt in annum sequentem et *notandae sunt in prima serie* juxta ordinem ut supra.

Satagat interim quilibet, ut promptae executioni detur, quantum expresso Suae Sanctitatis mandato disponitur, secus si fiat, expedientur in transgressores cum omni rigore poenae supra memoratae. Et ut nemo unquam possit praetexere ignorantiam eorum, quae in dicta Instruct. praescripta sunt, appensum erit loco patulo et visibili in qualibet sacristia exemplar praesentis Decreti sub poena in casu transgressionis pendendi a Sacristano, si fuerit presbyter saecularis, decem scutatos aureos et privationis officii et inhabilitatis ad quaevis alia, si Regularis.

Datum Romae 1. Oct. 1704*).

Jos. Dom. de Totis Secr. s. Visitationis apost.

Nicol. Pignatelli, Commiss. et Fiscalis s. V. ap.

Paul. Fatius Not. S. Congr.

Decretum Secundum.

Cum Sua Sanctitas D. N. P. Clem. XI. edicto Octobr. promulgato praescripserit normam et methodum, quae *universim* observanda sit in implemento onerum missarum; hinc inhaerendo cupiens suo sancto zelo procurare integrum implementum dictarum missarum, mandato et voce diserte nobis imposito vult et praecipit, ut omnes sacellani, sacerdotes, Canonici aliique cujuscumque status, gradus et conditionis, etiam privilegiatissimi, tam saeculares quam regulares cujuscunque Ordinis et Instituti etiam Societ. Jesu et alterius loci pii hujus almae Urbis Romae, qui obstringuntur onere missarum celebrand. in *certo et determinato altari, debeant in futurum celebrare in ipso et non in alio altari*, quamvis similiter vel etiam magis privilegiato; et ut constet de tali im-

*) Vd.: *Bull. r. t. VIII. p. 451. Ibid. p. 453* est aliud decretum amplum Clem. XI. de die 1. Febr. 1707 tractans de notitiis Missarum onera respicientibus.

plemento debeant supra nominati absoluta missa, eam propria manu notare in libro, qui in Sacristiis ad hunc finem conservatur, exprimendo ipsum altare; ut in exemplo, si missae celebrandae sint in altari s. Francisci, propria manu illud scribere debent in hac forma: *Ego N. N. celebravi ad altare S. Francisci*, vel si altare jam expressum sit in folio opposito, poterunt scribere sequenti modo: *Ego N.N. celebravi ad contrascriptum altare*, et hac forma utentur ad aliud altare, si obligatio incumbet celebrandi ad aliud; secus ipso facto incurrent mulctam decem scutatorum aureorum singulis transgressionis vicibus, cujus dimidium accusatori et alterum dimidium lociis piis ad arbitrium Suae Sanctitatis applicandum erit et tenebuntur iterum celebrare missas jam celebratas vel celebrari factas in altero altari vel non notatas forma supra dicta, ac si illis nullatenus satisfactum fuisset. Et si Regulares fuerint, illi, qui quocunque modo violaverint, quantum in praesenti edicto continetur, incurrant ipso facto poenam suspensionis Officii et privationis vocis activae et passivae, etiam tam contra supradictos saeculares quam regulares procedetur ad alias poenas adhuc serviores ad arbitrium Suae Sanctitatis.

Pari ratione ordinat et praecipit, ut missae perpetuae pia fidel. dispositione celebrandae *in certa et determinata Ecclesia, nullatenus celebrari possint vel celebrandas constitui in alia Ecclesia* et multo minus extra moenia Urbis, tametsi altera dependeret ab Ecclesia, in qua destinatae essent missae, vel ejusdem Religionis aut Instituti foret. Et qui quocunque modo haec mandata transgredientur, incurrent in poenas supra expressas.

Die 25. Jan. 1708.

Leon. Ant. Gezzi Secr. S. Visit. apost.*)

*) Vd.: *Bull. r. t. VIII. p. 454*; *ibidem p. 456* per edictum Clem. XI. de die 18. Sept. 1719 instaurantur praecedentes ordinationes.

Tenentur Rectores Ecclesiarum in Sacrario duos libros retinere ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem missas manuales et tam illorum quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte, diligenter adnotare et ad notandas seu adnotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et omnibus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere ac omnes et singulas rationes hujusmodi in praefatis resp. libris simili distinctione et diligentia, tam praefatis, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendae erunt describere seu adnotare sive describendas et resp. adnotandas curare. S. C. Conc. 23. Novb. 1697 (Bull. r. t. VIII. p. 312).

30) Distributio.

Missarum distributio spectat ad Archidiaconum ut primam Dignitatem post pontificalem et eo impedito vel absente ad sequentem et sic succesive Missas inter alias Ecclesiae Dignitates Canonicos et Sacerdotes distribuere. n. 110 ad 1 die 16. Jan. 1597.

Facere tabellas missarum et assignare presbyteros per turnum spectare ad Archipresbyterum. n. 2869 ad 3 die 26. Novb. 1678. — Tabellam, in qua describi debeat, per quos exercendae sint functiones ecclesiasticae per turnum, ab Archidiacono et Cantore subscribendam esse, si ambo adfuerint, sin minus, a praesente. n. 1622 ad 2 die 11. Mart. 1651. Cf. *Tabella*.

Servandum esse jus commune vel consuetudinem Ecclesiae, ut vel prima Dignitas vel Archipresbyter vel alius, ad quem de jure vel consuetudine spectat, Missas per annum ordinet et distribuat. n. 363 die 17. Novb. 1607.

Quoad distributionem Missarum et Vesperarum infra annum servandum esse consuetudinem Ecclesiae. n. 366 die 19. Jan. 1608.

Distributionem missarum conventualium (Collegiatae) esse faciendam a prima Dignitate et per turnum, quatenus ab alia Dignitate hujusmodi distributio fieri non consueverit. n. 1569 ad 3 die 17. Novb. 1646.

31) Duae.

a) Non sunt legendae ab uno Sacerd. eodem die.

Vd.: *Missa interrupta per mort. Sacerdotis*; *Parasceve* (missa; decr. n. 4609 nota ad finem). *Calix* (usus duorum). *Missa* (in Commem. Omn. fid. def. in Regnis etc.). *Dies, in quibus olim unus Sacerdos plures miss. persolvere potuit,* vd.: *Missa* (In Commem. etc.); *Nativit. Dom.* (Tres etc.)

Quum Rmus Ambianen. Ep. compererit, quod in sua Dioecesi ex usu fere generali Sacerdotes bis celebrent Missam diebus Dominicis ac Festis, qui quidem usus ex eo praesertim invaluit quod ordinaria per agros Ecclesia aliqua sit adnexa Ecclesiae Parochiali, in qua residet Parochus, ac proinde in ea iterum celebrat, ut Fideles ibi domicilium habentes faciliorem habeant aditum ad s. mysteria et inde latius extenditur usus praefatus, ut nonnullis in locis bis celebretur etiam super idem Altare aut super Altaria diversa, sed sine gravi necessitate. Ut ambiguitas omnis a medio tollatur, S. R. C. exquirit super frequentibus Dubiis:

1. Utrum liceat Parocho in agris constituto iterare Missam diebus Dominicis et Festis conservatis etiam super idem Altare?

2. An liceat Parocho in urbe constituto iterare Missam iisdem diebus super diversa quidem Altaria, sed tantummodo ad consulendum Parochianorum commoditati, v. g. ut celebretur Missa hora VIII., quando jam celebratur variis horis, videlicet hora VI., VII. et IX. et X.?

3. Utrum posito quod sint illicitae duae praefatae consuetudines teneatur iis obsistere Episcopus, an vero eas tolerare possit ut vitentur murmurationes tum Populi tum Cleri?

Et Emus ac Rmus D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius, ac S. R. C. Praefectus vigore facultatum sibi specialiter a SSmo D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit: „Sine speciali Apostolico Indulto non licere et teneri Episcopum consuetudinem seu abusum omnino eliminare.“ n. 4915 die 22. Maji 1841.

Namurcen.

Quum in Ordinariis S. R. Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunatis a me infrascripto Secretario inter cetera propositae fuerint etiam preces Rmi Ep. Namurcen. hisce conceptae terminis:

Beatissime Pater!

Episcopus Namurcen. ad Pedes S. V. provolutus humiliter exponit dies festos, in quibus obligatio audiendi Missam per Decretum Emi et Rmi D. Card. Caprara die 9. Apr. 1802 sublata fuit, communiter a Fidelibus suae Dioecesis servari, omnesque Regni Belgici Episcopos Anno 1834 Litteras Encyclicas ad Populos sibi commissos dedisse, in quibus eosdem hortantur, ut praedictis diebus Divinis Officiis sedulo interessent aliisque bonis operibus pro posse incumberent.

Quum autem in pluribus locis Dioecesis Namurcen. etiam majoribus ob Sacerdotum penuriam Missa solummodo diebus Dom. et Festis de praecepto celebretur, idem Ep. ad fovendam Fide-

lium devotionem piisque eorum votis satisfaciendum S. V. enixe supplicat pro facultate Presbyteris, quibus in hac Dioecesi diebus Dom. et Festis de praecepto bis celebrare ab Ordinario auctoritate Apostolica permittitur, eamdem licentiam concedendi pro Festis per supramemoratum Decretum abrogatis, prout in Dioecesibus Leodiensi et Tornacensi practicari noscitur. Et Deus etc.

Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum consuerunt: „Non expedire.“ n. 4932. Die 11. Sept. 1841.

Excepto die Nativitatis Domini, nisi necessitatis causa suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare et si bis celebret fit irregularis. S. C. C. 11. Jan. 1710.

Benedictus PP. XIV.

V. Fr. Antonio Episcopo Oscensi.

Declarasti Nobis in s. Visitatione deprehendisse nonnullos rectores ecclesiarum paroch., quibus alia quoque ecclesia a parochiali longe sejuncta commendata est, quam ob exiguos proventus alii sacerdoti committere nequeunt, qui Pro-Rectoris munus sustineat: hinc fieri, ut Rectores ipsi rem divinam in utraque eccles. festis diebus conficere non dubitent, ut populus uterque parere possit ecclesiae praecipienti fidelibus, ut festis diebus missae Sacrificio intersint. Nobis etiam exposuisti, decrevisse in tua Synodo id minime licere rectoribus ecclesiarum paroch., quoties alius sacerdos praesto sit, qui Sacrum facere possit in una ex iis Ecclesiis, quae Rectoribus subjiciuntur; id autem attulisse tam gravem rectoribus ipsis molestiam ut synodalis decreti exequutionem parumper differe censueris, donec sententiam nostram in hac re atque voluntatem intelligeres. Tuae Synodi decretum aequitati ac disciplinae ecclesiae maxime consentaneum esse respondemus, ita ut demandari executioni debeat nec vanis omnino rectorum quaerimoniis imminui vel labefactari.

Quamvis nonnulli ex Theologis moralibus nimis indulgenter plures rationes et causas excogitaverint, ob quas Sacerdos eodem die Sacrificium Missae bis offere posse videatur, *id tamen unanimi concensu permittitur sacerdoti, qui duas parochias obtineat vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam;* tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant ejusmodi rectori, cum festi dies incidunt, bis Sacrificium conficere, ut populo utrique satisfaciat. Et *Suarez in 3. p. Divi Thomae tom. 3. qu. 73. art. 2. disp. 80. sect. 3.* de hac hypothesi loquens inquit: in ea tantum hodie licere tantum duas missas eodem die celebrare: *Casus de pluribus parochiis est proprius ac fere solus in usu.* At vero si in altera ex his parochiis sacerdos aliquis deprehendatur, qui rem divinam facere possit, tum illarum Rectori nequaquam licet in utroque loco Sacrificium iterare, eo quod alterius Sacerdotis opera populi necessitati satis consulatur. Sic et alii Scriptores.

Supervacaneum est plures auctoritates praestantium virorum congerere, cum id satis superque constet ex 7. Synodo Dioec., quam Turribius 1592 celebravit *c. 3. t. 4. Concil. Hisp.* Porro haec verba: *Juxta dispositionem Concilii provin. celebrati in hac civitate 1567, quantum convenit et per locum juris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum Hispanorumque parochis nostri districtus, ut diebus dom. et festivis ex praecepto servandis possint celebrare duas missas in duabus ecclesiis tam inter*

se distantibus, ut qui in loco unius ecclesiae assistunt, non possint commode accedere ad audiendam missam in altera.

Ex his opertissime deprehenditur concedi parocho, qui duas ecclesias distantibus omnino locis positas habeat, bis Sacrificium missae instituere, ne diebus festis ecclesiae praeceptum a populo violetur, *ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obtinuerint.* Ex verbis autem depromptis ex eod. cap. 3. Limanae Synodi certi limites eidem parocho statuuntur ipsique praescribitur, ut uno tantum loco Sacrum conficiat, si in altero Sacerdos occurrat, qui populo rem divinam operari possit. En verba: *Cum autem habuerint alium Sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum ecclesiarum, non poterit parochus celebrare in utraque sed unam missam tantum in una, quandoquidem alter Sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi.*

Non ignoramus auctoritatem Limanae Synodi suae Dioecesis finibus solum concludi. At cum S. Turribius regendae ecclesiae peritissimus semper habitus est, ipsius legibus et dioeces. institutis eam saltem fidem, auctoritatem et vim directivam adscribendam nemo inficiabitur, quam Itali omnes aliique extra Italiam S. Car. Borromaei Synodis omni tempore praestiterunt, neque in dubium quis revocare poterit, S. Turribium virum adeo singularem conferre plurimum, ut si propositae rei examen instituamus, illius sententia reliquis anteponatur.

Quod si Limanae Synodo alia quoque Concilia adjungi velint, illud in medium proferri poterit, quod sub Mauritio Archiep. Rothomagensi 1231 coactum est (Hard. t. 7. p. 186): *Nullus audeat missam bis in die celebrare aut cum dupl. Introitu, nisi in humana necessitate etc. et hoc, ubi non est, nisi unus Sacerdos.* Alterum, quod Nemausi 1284 coactum est sub Martino PP. IV.: *Si omnes parochiani ad unam missam simul non possent convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes et dicta prima missa, postmodum parochiani venientes postulent missam aliam sibi dici, poterit tum sacerdos missam aliam celebrare. Tamen si in prima missa post receptionem corporis et sanguinis profusionem acceperit, non debet secundam missam in praedictis casibus celebrare.*

Ea potissimum verba diligenter observari debent: *Ubi non est, nisi unus Sacerdos;* necnon alia: *nec sunt in ecclesia duo sacerdotes,* ex quibus clare perspicimus, non licere parocho, si alius Sacerdos praesto sit, duo Sacra perficere diebus festis, ut populus missae sacrificio intersit, sive missa celebranda sit in duabus ecclesiis inter se distantibus, sive una tantum sit Ecclesia, in qua missa celebratur et ad quam insimul universus populus convenire non potest.

Affirmabimus, ex communi totius ecclesiae disciplina permitti tantum Sacerdotibus hoc tempore, *ut die natali Salv. Nostri ter Sacrum faciant,* vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro P., ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur fideles, uti ostendit Canon: *Nocte sancta de Consecratione dist. I.,* vel quia Parens ac Magistra Ecclesia eum ritum die natali Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob quam Sacerdos idem plura Sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrebant.

Excepta die Dominicae Nativitatis juxta hodiernam disciplinam non licet Sacerdoti eodem die Sacrificium iterare. Argumenta minime desumimus ex decr.

Alex. PP. II. *Can. Sufficit., de Consecr., dist. I.*, ubi Pontifex ita decrevit: *Sufficit Sacerdoti unam missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est et totum mundum redemit. Non modica res est unam missam facere et valde felix est, qui unam digne celebrare potest;* etenim Pontifex ita rem prosequitur: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt et alteram de die, si necesse fuerit;* quibus verbis Alexdr. non improbare videtur eum Sacerdotem, qui saltem ob allatam causam bis uno die celebraret. Deinde sic Pontifex concludit: *Qui vero pro pecuniis aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures facere missas, non aestimo evadere damnationem.* Porro ex his facili conjectura perspicere quisque potest, Alexandrum decreto solum cavere, ne sordidae utilitatis sive assentationis gratia Sacrificium iteretur.

Vasquesius idem Decretum six explicat *in 3. parte Divi Thomae tom. 3. quaest. 83. art. 2. cap. 5. num. 43.: In praedicta Epistola solum damnantur, qui pro pecuniis aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures Missas celebrare: de iis vero, qui ex sola devotione plures celebrarent, nihil dicitur.* Eamdem rem maxime declarant ea, quae Thomassinus scripta reliquit *De veteri et nova Ecclesiae disciplina par. 3. lib. 1. cap. 72. num. 6.* ubi clarè ostendit, libertatem pluries una die celebrandi necessariò coërcendam fuisse, ut quorumdam Sacerdotum avaritiae modus imponeretur.

Igitur omittentes Alexandri II. Decretum, alterius Praedecessoris nostri nimirum *Innocentii III.* auctoritate ac Decretali rem nostram comprobamus; *Cap. Consuluisti, de celebratione Missarum: Respondemus*, inquit, *quod excepta die Nativitatis Dominicae etc. sufficit Sacerdoti semel in die ùnam Missam solummodo celebrare.* Equidem Alexander II., uti superius commemoravimus, et Innocentius III., ubi sub hoc eodem verbo *sufficit:* at secundo tantùm loco per id verbum praeceptum indicitur: nam si quis integram Innocentii Decretalem percurrat, apertissimè cognoscet, id petitum fuisse a Pontifice: *utrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare.* Porro illud *valeat* idem prorsus significat, ac *liceat.* Cum igitur responsum dederit Pontifex: *sufficere Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare;* illud *sufficit*, Sacerdotes adigit praecepto, ne plura Sacrificia una die faciant.

Ita Vasquesius interpretatur eo loco, quem paulo ante indicavimus *num. 44. Nam quod quaesitum fuit: utrum valeat celebrare, idem est, ac si quaereretur: utrum liceat ei celebrare. Cum ergo respondit Pontifex, sufficit etc. hoc verbum denotat praeceptum prohibens, plusquam sèmel celebrare.* Neque mirari quis debet, si idem verbum *sufficit*, consilium uni loco, alio autem praeceptum praeseferat. Id ipsum quippe etiam contigit in verbo *non oportet:* quod juxta varias rerum circumstantias in jure Canonico modò solum honestatis officium ac decentiam denotat, modò vero necessitatem atque praeceptum, uti pluribus exemplis demonstrat Baldellus *disput. Theolog. tom. 1. lib. 5. dub. 21. num. 4.* Verùm ex *Honorio III.,* qui post Innocentium III. Pontifex renunciatus fuit, in textu *Te referente* sub eodem titulo *de celebratione Missarum*, manifestò deprehenditur, illud verbum *sufficere,* de quo in Decretali Innocentii III., cum praecepto conjungi. Rem totam, siculi gesta est, recensebimus, uti constat ex Gonzalez, qui Decretalem integram ejusdem Honorii describit.

Sypontinus Archiepiscopus (eam modò civitatem vulgo Manfredoniam ap-

pellant) feriâ quintâ majoris hebdomadae Sancta Olea de more in Ecclesia Cathedrali rite consecrabat. Eadem die mane se conferebat ad Montem Garganum, ut peregrinos exciperet, qui magnâ frequentiâ in eum locum religionis causa confluebant. Ejus loci Clerus ac populus Archiepiscopum magno studio rogarunt, ut Sacrum iteraret; quod tamen ille facere recusavit, donec super hac re Pontificis Honorii III. responsum sibi redderetur. Pontifex initium desumit a verbis ipsis Innocentii III. Praedecessoris sui, nempe: *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate praefulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam valde est felix, qui celebrat dignè unam.* Post haec praecipit Archiepiscopo, ut Syponti rem Divinam peragat, ubi Sacrum Chrisma conficere debebat et in Ecclesia Montis Gargani Sacrificium offerre praetermittat; hisque utitur verbis, quibus illud *sufficit*, ab Innocentio III. scriptum, cum praecepto omnino copulari declarat: *Fraternitati tuae mandamus, quatenus die Coenae Domini in Ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare.* Innocentius, qui, excepto die Nativitatis Dominicae, prohibuit Sacerdoti plures Missas una die celebrare, in *cit Cap. Consuluisti, de celebratione Missarum,* addidit: *nisi causa necessitatis suadeat.* At Honorius, *qui in Cap. Te referente eodem tit. de celebratione Missarum,* Archiepiscopo Sypontino rescripsit, ipsi fas non esse, post rem Divinam peractam, dum Sacrum Chrisma conficiebat in Ecclesia Sypontina, aliam Missam celebrare in Ecclesia Montis Gargani, declaravit, causam necessitatis ab Innocentio admissam nunquam adesse, cum alius invenitur Sacerdos, qui secundam Missam celebrare potest; secundam quippe missam noluit ab Archiepiscopo in Ecclesia Montis Gargani celebrari, ex quo inverisimile ipsi visum est, quod alius Sacerdos non adesset, qui missam in eadem Ecclesia celebrare posset, juxta monitum Cardinalis de Turrecremata in *Can. Sufficit, sub num. 4. de Consecratione, dist. 1.* En ejus verba: *Quod autem in Decretali Te referente Episcopus videtur reprehendi, quod bis celebraverat die Coenae, est propter hoc, quia non erat necesse, quod Episcopus celebrasset, nisi in illa Ecclesia, in qua de consuetudine debebat Chrisma conficere, quia hoc non potest, nisi Episcopus, et aliam Missam celebrare poterat simplex Sacerdos, quia verisimile est, Episcopum posse per Vicarium celebrare et in illa Ecclesia plures Sacerdotes fuisse.* Quod etiam ante Cardinalem a Turrecremata, jam fuerat adnotatum ab Hostiensi in Cap. *Te referente num. 3.* ab Antonio de Butrio *super eodem textu num. 3.* et ab Abbate *super eodem quoque textu in fine tit. de celebratione Missarum.*

Praeterea casum proponunt Episcopi, qui praeesset duobus Episcopatibus inter se vicinis, ut in Archiepiscopo Sypontino contigisset, si Summi Pontifices Alexander III. sententiam non protulissent contra Garganicos contendentes, Ecclesiam suam Episcopalem esse et unitatem Ecclesiae Sypontinae, quemadmodum legitur apud Ughellium de Metropoli Sypontina tractantem *tom. 7. Italiae Sacrae:* quaeruntque: *an sub obtentu Chrisma conficiendi in utraque Ecclesia, quod sine celebratione Missae consecrari decenter nequit, posset ea die bis Sacrificium offerre;* et unanimiter respondent: *id non licere:* et sic rem componunt, quod uno anno in una Ecclesia celebret Missam feriâ quinta in Coena Domini et conficiat Chrisma et alio anno id ipsum faciat in alia Ecclesia; et ab una ad aliam Chrisma consecra-

tum, uti moris est, transmittat: reque sic composita asserunt, nullam ex suis Ecclesiis Chrismate carituram esse subditosque unius vel alterius Episcopatus nullatenus excludi a commoditate audiendi Missam quintâ feriâ in Coena Domini, in qua maximopere expedit, ut audiant Missam; *ea quippe celebrari poterit a Sacerdote in Ecclesia, in qua eo anno Episcopus Chrisma non conficit*, cum verisimile non sit, alium non reperiri Sacerdotem, qui ea ipsa die Sacrum in ea facere possit, veluti prosequuntur Hostiensis, Antonius a Butrio et Abbas *locis citatis*.

Haec sunt, quae ex jure Canonico desumpsimus. Sed cum Glossa *in Cap. Consuluisti, in verb. necessitatis, de celebratione Missarum, necessitati addat utilitatem* et vel utilitatem vel necessitatem satis esse dicat, ut unus Sacerdos eodem die bis Missam celebrare possit, bene deprehendimus, Parochos, de quibus agitur, posse tum utilitatem tum necessitatem praetexere, ut sibi putent fas esse bis in die celebrare, etiamsi alius sit Sacerdos, qui Sacrum facere valeat: utilitatem quippe in eo constituent, quod, bis ipsi celebrando non subministrabunt Sacerdoti celebraturo eleemosynam pro Missa, quam celebrabit; necessitatem in sua inopia constituent, ob quam nequeunt praedictam eleemosynam alteri Sacerdoti Missam celebranti elargiri. At neutrum eis suffragari potest. *Et utilitas* quidem non suffragatur; quidquid enim sit de titulo utilitatis; *qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt non de utilitate celebrantis, sed Missam audientis.* Sic docet Cardinalis Zabarella in *Cap. Consuluisti num. 3. de celebratione Missarum.* En ejus verba: *Considera, quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis non celebrantis.* Et concordant super eodem Capitulo Antonius a Butrio *num. 4.*, Abbas *num. 2.* et caeteri, quos vocant Repetentes; et praeclarè inter recentiores docuit Vericellus *de Apostolicis Missionibus tit. 1. de privilegiis Regularium dub. 18. num. 201.* Utilitas autem proposita non populum sed Parochum respicit et sic celebrantem et non audientem.

Minus quoque prodest necessitas ex inopia desumpta; plura sunt expendenda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primò, an revera Parochi tantâ premantur egestate, ut alteri Sacerdoti stipendium Missae nequeant suppeditare: si enim inopia adeo magna non sit, Episcopali auctoritate, juxta Caput quartum Concilii Tridentini *ses. 21. de Reformatione*, adigi poterunt, ut Sacerdoti Missam celebraturo eleemosynam elargiatur, uti sapienter admonet Engel ad *tit. Decretalium de celebratione Missarum num. 3.* Secundò, si Parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum, an populus etiam in eadem paupertate versetur: quemadmodum enim Episcopus adigere potest Sacerdotem, ut populo Sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo, ut celebranti Sacerdoti consuetum stipendium elargiatur. Id etiam ex Tridentino Concilio desumitur *ses. 23. cap. 14. de Reformatione*, ubi haec leguntur: *Curet autem Episcopus ut ii saltem diebus Dominicis et Festis solemnibus etc. Missas celebrent:* siquidem illud verbum *curet*, praeceptum inferre in hac gravissima causa non est dubitandum. Hoc pacto Concilii sententiam explicat Pasqualigus, qui scriptum ita reliquit *de Sacrificio Missae quaest. 844. n. 11.: Si in aliquo Oppido sit unus tantùm Sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis et adsint alii simplices Sacerdotes, poterit Episcopus eos cogere ad celebrandum diebus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit, quod omnes eadem*

hora conveniant ad audiendam Missam; et ideo cum Sacerdotes habeant ratione Ordinis munus suum addictum populo, poterit Episcopus eos cogere, ut impendant officium suum populo, offerendo Sacrificium, ut absque difficultate possit adimplere praeceptum audiendi Sacrum. In tali tamen casu tenebitur populus aliquid contribuere iis Sacerdotibus pro substentatione, quia, cum ministrent populo, aequum est, quod accipiant aliquid pro substentatione. Porro difficile prorsus videtur, omnia haec simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc, Ven. Frater, *ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri largè consuevisti, stipendium pro re Divina facienda Sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut Sacrificium iterent Parochi, quibus non deest alius Sacerdos, qui diebus festis populo ministret.*

Post haec, quae a Nobis prolata ad veritatem illustrandam dici possunt, ad ea sermonem transferimus, quae ab ipsis Parochis proponi audimus. Vehementer ipsi conqueruntur, si facultas iterandi Sacrificii diebus festis ipsis adimatur, eo quod munere suo perfungi nequeant, quod non solùm constituitur in celebranda et applicanda Missa pro populo, cum festi dies peraguntur, sed etiam in explicandis Religionis mysteriis tradendaque pueris Christiana disciplina, cum ad Sacrum audiendum in Ecclesiam conveniunt. Incredibilem ex hoc voluptatem sane percipimus. Etenim quum olim fel. record. Praedecessor Noster Innocentius Papa XIII. ad discutienda Hispani Cleri gravissima negocia ab insigni viro bonae memoriae Ludovico hujus S. R. E. Cardinali Belluga nuncupato proposita, peculiarem Congregationem praestantium aliquot ejusdem S. R. E. Cardinalium deputasset Nobisque tunc in minoribus constitutis ipsius Congregationis Secretarii munus demandasset; meminimus non parum temporis plurimumque laboris Nobis opus fuisse, ut falsam omnino probaremus opinionem, ob quam Parochi Hispani se immunes ac liberos dictitabant ab edocendis instruendisque Christiana doctrina pueris, eo quod hujusmodi exercitationes in aliis quoque Ecclesiis haberentur aut quia Concionatorum operâ studioque satis fideles instruerentur; aut etiam ob vetustissimam consuetudinem, quae Parochos ipsos ab hoc onere vindicare videbatur. Quae omnia leguntur in Constitutione, quae incipit *Apostolici ministerii*, quam praefatus Innocentius Praedecessor promulgavit, in qua §. 9. recensentur ac refelluntur ea omnia, quae modò commemoravimus.

His autem per transennam adnotatis, jam responsum quaestioni faciamus, videlicet: *non esse iterandum die festo Sacrificium, si Parocho alius Sacerdos operam suam navare possit, etiamsi Catechismus eodem die Fideique mysteria populo explanari debeant.* Haec enim fieri possunt ejusdem Sacerdotis ministerio, qui ad Sacrum conficiendum inducitur: quemadmodum Nos ipsi statuimus in Bononiensi Dioecesi, cum in ea sedem haberemus, haud ignorantes, id consentaneum esse Decretis, quae super hac re Pontifices Romani non semel ediderunt. Id Nos ostendimus *Instit. 3. tom. 3. nostrar. Institutionum Ecclesiasticarum*, quae Bononiae impressae fuerunt. Accedit, quod Parochus, qui die festo fideles instituendos in utraque Ecclesia libenter suscepisset, si iterandi Sacrificii facultas traderetur, id facilius consequi possit, si in altera solùm Ecclesia rem Divinam faciat, ac populum edoceat, deinde ad aliam se conferat Ecclesiam, ubi a Sacrificio abstineat et Christianae Legis instituta dumtaxat populo declaret.

Tui praeterea Parochi queruntur, quod ipsis hanc facultatem impertiri dubites, quam a tuis Decessoribus semper impetrarunt. Certissimum illud est *Missionariis tantùm a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die Sacrificium bis operentur; reliquis verò Sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur,* etiamsi causa necessitatis intercedere videatur, cujus sanè judicium ad ipsos Sacerdotes nequaquam pertinet. Ita testatur Verricellus *de Apostolicis Missionibus tit. 4. de privilegiis Regularium quaest. 19. num.* 202. *Quaeres primò: an ad celebrandas duas Missas in locis, ubi adest talis necessitas, repuiratur licentia Episcopi? Respondetur: affirmativè seclusis privilegiis Missionariorum.* Ita a S. Congregatione resolutum. Certum quoque est, facultates ejusmodi, nisi necessitas id postulet, nunquam concedi, vel, si aliquando concedantur, non haberi tamquam alicujus Sacerdotis privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis. Fagnanus id fatetur Cap. *In ordinanda, num. 37. de Simonia: Miratur S. Congregatio agi de his licentiis concedendis; nam id nonnisi ex magna necessitate fieri debet et magna cautela, ut puta in locis, ubi perpaucissimi sunt Sacerdotes vel adsunt impedimenta adversariorum Fidei vel quid simile etc. Nec concedi potest haec licentia ab Episcopo generaliter quasi privilegium alicujus Sacerdotis, sed tantùm in aliquo casu particulari necessitatis causa ab Episcopo examinanda.* Itaque cum ejusmodi causam necessitatis haud deprehenderis, nunquam Parochos tuos probabimus, si ipsi de re conquerantur; Nos prudentiam Fraternitatis Tuae magnopere commendamus, Teque agnoscimus animum mentemque tuam conformasse exemplo praedicti S. Caroli Borromaei, qui in *prima Synodo Provinciali cap. 5.* abrogavit *licentias a suis Praedecessoribus concessas plures Missas celebrandi.*

Parochi postremò, ut causam suam tueantur, vetustissimam adducunt consuetudinem. Nos, utrum ratione an temere id asserant, examinare praetermittimus. Solùm inquirimus, utrum ea consuetudo rationem praescriptionis aut praesumptionis sibi comparaverit; et utrumque falsum et alienum judicamus. Non utique Jus Divinum sed Jus Ecclesiasticum prohibet, eadem die ab eodem Sacerdote Sacrificium iterari. At non omnia, quae Juris tantùm Ecclesiastici sunt, praescribi possunt: Si etenim juxta Civiles Leges *sanctae res* praescribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel acquisitum, quod adversatur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam Sacrum Tridentinum Concilium in Missarum celebratione Sacerdotibus omnibus praecipit, ut colligitur ex Decreto de *observandis et evitandis in celebratione Missae.*

In nonnullis regionibus mos inoleverat, *quod Parochi duarum Parochiarum feriâ sextâ majoris hebdomadae Officium faciebant primùm in una ex Parochiis et deinde illud iterabant in altera.* Jejunii praeceptum in sumptione Eucharistiae non est Juris Divini sed Ecclesiastici, teste Cardinali Bona *Rerum Liturgicarum. lib. 1. cap. 21. num* 2. ubi refert, initio non omnibus in locis universos praedictâ lege obstrictos fuisse: cumque hoc minimè obstante animadversum fuisset, Parochum celebrantem Officium in secunda Parochia non jejunum sumere Eucharistiam sub specie panis; sumpserat enim in Officio, quod celebravit in prima Parochia, particulam Hostiae consecratae die praecedenti, unà cum vino non consecrato et sic jejunium fregerat naturale; reprobata fuit con-

suetudo, etsi, uti asserebatur, pietati et devotioni innixa. Hoc exemplo perculsi alii Parochi duarum Parochiarum aliam induxerunt consuetudinem, ut in utraque Parochia Officium feriae sextae majoris hebdomadae celebrare possent, praetermittendi videlicet haustum vini in primo Officio, quod in prima Parochia celebrabant, sumentes tantummodo speciem panis, ut jejuni in secunda Parochia Officium facerent Missamque, quae dicitur Praesanctificatorum, celebrarent. At haec quoque consuetudo fuit reprobata utpote contraria ritui Ecclesiastico, quem et Ordo Romanus et Sacramentarium S. Gregorii praescribunt et adhibet universalis Ecclesia. Franciscus Silvius magni nominis Theologus *tom. 5. suorum Operum* editionis Antverpiensis *Orat. 1.* quae est unica *de Officio Parasceves*, rem graphicè exponit nec Parochorum consuetudini censet esse ullo modo deferendum. De hac eadem re plura habentur apud Suarez *in 3. part. Divi Thomae tom. 3. quaest. 73. art. 2. disput. 80. sect. 3.* Et Nos ipsi haec omnia exposuimus *in nostro Tractatu de Sacrificii Missae*, typis Patavinis edito, *sect. 2. §. 39; et in alio Tractatu de Festis D. N. J. C. par. 1.* typis quoque Patavinis edito, *§. 336. et seq.* confutavimus errorem Graecorum Schismaticorum, qui volunt, in Missa Praesanctificatorum per immersionem Particulae in Calicem ex Sacratissima Hostia detractae transsubstantiationem fieri vini in Sanguinem Christi; et diximus, Sacerdotem in officio feriae sextae majoris hebdomadae sumere Christi Corpus et Sanguinem, cùm utrumque revera sit sub specie panis, praecedenti licet die consecrati.

Praescriptionem excipit praesumptio, de qua modò sermo habendus est. Equidem non ignoramus Jurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis immemorabilis afferri posse in medium quemcumque gratiosum titulum et etiam privilegium Apostolicum, quod utpote nullo certo documento probatum, praesumptum appellatur. Sed, caeteris praetermissis, ne haec epistola largior evadat, subdimus, haec intelligi posse ab illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset, non verò de illis, quae cum postulantur, negari omnino consueverunt, ne praesumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas.

Romanis Pontificibus mos est, ut ea negotia, quae ipsi per se expedire nolint, ad Congregationes rejiciant examinanda ut earum consilio rem expediant. Anno 1657 cùm in Civitate, quam dicunt de Assumptione, in Provincia Paraguariensi, pars magna Nobilium domi se continerent, utpote decenti apparatu vestium carens, nec accederet ad Ecclesiam, ut Sacrum die festo audiret, Episcopus exoravit, ut sibi facultas daretur celebrandi Missam antelucanam Nobilium praedictorum gratiâ et aliam ante meridiem ut reliquus populus Missae praecepto diebus festis satisfaceret. De hac re actum fuit in Congregatione Concilii die 1. Septembris 1657 nec petitio fuit exaudita, eâ potissimum de causa, quod imperceptibile visum est, alium non adesse Sacerdotem, qui Missam antelucanam celebraret pro Nobilibus, quemadmodum colligitur *ex libro 21. Decretorum pag. 56.* Praeterea vobis omnibus notum est, *ex Regnis Aragoniae, Valentiae et in Comitatu Catalauniae, die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quemlibet Sacerdotem Saecularem bis Missam celebrare posse et ter quemlibet Sacerdotem Regularem:* quod singulare privilegium antiquae consuetudini et famae Apostolici privilegii concessi vel a Julio III. vel a Paulo III. Summis Pontificibus innititur. De dicto privilegio egimus in

supra *citato nostro Commentario de Sacrificio Missae sect. 2. §. 31.**) et latiùs dum munere fungebamur Secretarii Congregationis Concilii, cùm Causa quaedam Castellana pertractaretur, quemadmodum videri potest in Thesauro Resolutionum praedictae Congregationis *tom. 2. pag. 168* et plura quoque de dicto privilegio relata fuerunt a bonae memoriae Cardinali Lanfredino, dum ipsum Secretarii munus obiret et de quadam Causa Oriolen. ageret, de *qua tom 5. ejusdem Thesaur. pag. 384 et seq.* Viri, qui dignitate et praestantia super caeteros eminebant, Summis Pontificibus humillimè supplicarunt, non ut quidem rem novam permitterent, sed ut tantùm ad quasdam alias regiones memoratum privilegium extenderent, ob quod Presbyteri tum Saeculares tum Regulares in die Commemorationis omnium Defunctorum rem Divinam iteratò faciebant precesque suas singulari pietate et rationibus undequaque petitis cohonestarunt: negotio a SS. Pontificibus remisso ad Congregationem Concilii, haec precibus hujusmodi morem haud gessit, sed petentes, uti fieri cum principibus viris consuevit, urbanè dimisit, quemadmodum recensuimus in *citato nostro Tractatu de Sacrificio Missae sect. 2. §. 32. editionis Patavinae.*

Porro si denegatum fuit Episcopo petitum privilegium celebrandi bis in die festo, ut Nobiles satisfacerent praecepto audiendi Missam, eo quod alius aderat Sacerdos, qui Sacrum facere poterat, si principum virorum vota exaudita non fuerunt, qui tantùm pro extensione privilegii precabantur et talis privilegii, quod unicam tantum diem quolibet anno respiciebat, unusquisque facili negotio cognoscere poterit, quid a Sede Apostolica factum esset, si simplices Parochi facultatem petiissent bis celebrandi, ubi alius non deesset Sacerdos, qui Parocho operam suam praestare posset, et bis celebrandi, non unicâ die intrà annum, sed tot diebus, quot per anni cursum festi dies celebrandi fidelibus praecipiuntur.

Ut Fraternitati Tuae postulatis responderemus, negotium unico verbo cognoscimus Nos absolvere potuisse, dicendo nimirum: tuam Constitutionem Synodalem observandam esse. Henricus enim Boich, antiquus Juris Canonici Professor, *in Comment. ad Caput Te referente num. 2. de celebratione Missarum* docet, a nemine binas Missas eâdem die celebrari posse, si id sit vetitum in Constitutione Synodali. Sed haec scribenda ad te putavimus, ut tuum religionis eximium studium nostris laudibus prosequeremur certamque normam ac rationem ante oculos propositam haberes, ad quam consilia tua tuamque mentem tutissimè conformares.

Datum Romae die XVI. Martii 1746 (Bull. r. t. XVII. p. 8).

*) Cf. *Missa* (in Commem. Omn. fid. def. in regnis etc.)

b) Duae non sunt cantandae de uno Sancto eodem die.

Anniversarium sol. vot. ex fund.; *Missae (Duae). Missa vot. de Sanctis.*

Non licere eadem die *canere* alteram Missam ejusdem Sancti. n. 1645 die 5. Aug. 1652.

Non licere eadem die *canere* alteram missam eorundem Sanctorum. n. 1647 die 3. Aug. 1652.

c) Duas celebrandi licentia. (Stipendium.)

Vd.: *Stipendium* (decr. n. 5014).

d) Duae non legendae a Vicariis in dieb. festis et Domin.

Aurien.

(Conc. Tr. C. 4. Sess. 21. De refor.)

Cum Vicarius S. Mariae de Pitelos-

unitae monasterio S. Salvatoris de Celanova ordinis S. Benedicti exerceret etiam curam alterius ecclesiae parochialis S. Martini eidem monasterio pariter unitae et in diebus dominicis et festivis in utraque ecclesia missam celebraret, Episcopus Aurien. in s. visitatione injunxit abbati d. monasterii S. Salvatoris, ut alterum vicarium deputaret pro exercitio curae animarum S. Martini et vicario S. Mariae inhibuit, ne duas missas eadem die celebraret; delata cognitione causae ad hanc sac. congregationem ex recursu abbatis, Episcopus Aurien. in sua relatione exponit, primitias et decimas cum parochialibus emolumentis ecclesiae S. Martini satis esse pro congrua sustentatione proprii rectoris, ecclesiam S. Mariae distare ab alia S. Martini per mille passus; unum vicarium neque decenter bis diebus dominicis et festivis celebrare, neque posse in utraque ecclesia confessiones audire, ministrare sacramenta aliaque munera exercere; maxime quia in parochia S. Martini adsunt personae capaces sacramentorum numero quinquaginta, concurrit etiam ex testimonio episcopi copia sacerdotum, qui ad servitium et regimen ecclesiae anhelarent. Quare monito procuratore abbatis et monasterii oraculum EE. VV. super infra scriptis dubiis requiritur:

I. An vicarius deputatus ab Abbate et monasterio ordinis S. Benedicti loci de Celanova pro exercenda cura animarum in ecclesia parochiali S. Mariae loci de Pitelos possit eandem curam exercere in alia ecclesia parochiali s. Martini loci de Canda, ac in utraque ecclesia sacrum diebus dominicis et festivis celebrare?

II. An abbas et monasterium teneatur alterum vicarium pro ecclesia S. Martini deputare eique congruam ex illius redditibus decimis et primitiis assignare?

III. An renuente abbate et monasterio alterum vicarium in d. ecclesia S. Martini deputare eique congruam ex dictis redditibus, decimis et primitiis assignare, possit idem vicarius a reverendissimo Ordinario deputari eique congrua praedicta assignari?

S. C. C. resp. *ad 1:* Negative; *ad 2 et 3:* Affirmative.

Die 14. et 28. Mart. 1716.

Iterum proposito dubio S. C. C. sub die 6. Junii 1716 resp.:

Pro concessione remissoria et interim per modum provissionis Episcopus mandet Abbati, quod deputet duos Vicarios cum assignatione congruae ex fructibus utriusque Parochiae et in casu renitentiae Episcopus deputet.

32) In Ecclesia aliena celebranda.

Vd.: *Missa de Req. privata* (decr. n. 3350); *Color param. in missa* (decr. n. 3586); *Sacerdos caecutiens*; *Missa concordans cum Off.*; *Missale.* (quod); *Episcop.* (celebr. in aliena etc.)

Sacerdotem saecularem sive Capellanum sive non, qui recitavit Officium semiduplex vel simpl. vel feriale, illo die celebrans in aliqua Ecclesia Regularium, in qua recitatum est ab ipsis Regularibus eodem die Officium duplex de non praecepto, prout de Sancto aliquo sui Ordinis, non posse dicere missam de requiem. n. 2438 die 9. Junii 1668.

Hoc decretum intelligi debet etiam pro Ecclesiis Monialium, qui vere sunt Regulares. n. 3617 ad 4 die 11. Feb. 1702.

Ad dubium: an sacerdos regularis, in cujus Ecclesia ex concess. ap. fit officium dupl. sive de praecepto, sive non sive de octava privil., possit universaliter celebrare missam vot. vel

de Requ. in aliena Ecclesia, ubi fit Off. semid? Et quid faciendum in casu, si in supradicta aliena Ecclesia, ubi fit Officium semid., celebretur aliquod funerale? S. C. resp.: Sacerdotes regul. addictos seu vocatos ad satisfaciendum oneribus alicujus Ecclesiae, posse celebrare missas de Sancto sive de Req. ad formam et ritum ejusd. Ecclesiae juxta rubricas. n. 3259 ad 1 et 2 die 15. Decb. 1691; n. 3350 die 22. Jan. 1695.

Sacerdos regularis invitatus extra propriam Ecclesiam ad celebrandum in die, in qua ab ipso ex praescripto proprii Instituti recitatur Off. dupl., potest se conformare cum missa, quae celebratur in illa Ecclesia, ad quam invitatur, sive sit de Sancto sive de Requiem. n. 3534 die 3. Octb. 1699.

Vd.: *infra decr. n. 3703.*

Ad dubium: an Fratres Ord. s. Francisci diebus, quibus propria Officia celebrant sub ritu dupl., celebrantes in alienis Ecclesiis possint celebrare Missas cum dictis Officiis concordantes, vel de aliis, conformando se ritui earundem Ecclesiarum ac etiam de Requiem? S. C resp.: Quoad primam partem, *negative*, quando festum celebratur cum solemnitate et concursu populi et quoad secundam partem jam provissum. n. 3586 ad 1 die 11. Jun. 1701.

Ad dubium: an Sacerdotes, qui recitant Officium de festo dupl., confluentes ad Ecclesias sive Regul. sive aliorum, ubi dicitur Officium de semid., possint ibi dicere missas priv. def.? Item recitantes Officium de martyre et celebrantes in Ecclesiis, ubi dicitur de Confessore, utrum debeant se conformare in colore illis Ecclesiis, etiam nulla ibi sit solemnitas? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam, etiam quoad missam, quae non poterit celebrari de Confessore, si color fuerit rubeus. n. 4181 ad 13 die 7. Maii 1746; n. 4526 ad 18 et 19 die 7. Sept. 1816; n. 4645 ad 6 die 17. Decb. 1828.

Vd.: *infra decr. n. 4646.*

Sacerdotes extri confluentes ad Regul. Ecclesias et celebrantes de Sanctis possunt in Missis se uniformare cum Fratribus quoad Credo et quoad numerum Orationum more Duplicium. n. 3586 ad 2 die 11. Junii 1701.

Ad dubium: quae missa celebranda sit a Sacrum facientibus in aliena Ecclesia? S. C. resp.:

Servetur decr. diei 7. Maii 1746 nimirum: missam concordare debere cum Officio, quod quis recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur. Die 12. Novb. 1831.

Tam exteri in Ecclesiis Fratrum quam fratres in alienis possunt apponere commemorationem octavae currentis servata rubrica. de duplici oratione habenda in Dominica infra octavam. n. 3586 ad 4 die 11. Junii 1701.

Sacerdos *Capellanus* Monialium Cappucinarum ab ipsis institutus et ad eorum commodum celebrans potest celebrare missam juxta ritum Officii earundem Capucinarum, *dummodo tamen celebret in Ecclesia Monialium et utatur missali rom.* n. 3586 ad 1 die 11. Junii 1701; n. 4223 ad 10 et 11 die 29. Jan. 1752.

Capellani Monialium *Ord. s. Bened.* caeterique Sacerdotes saecul. et regul. ad earum Ecclesiam confluentes, missam propriam s. Benedicti cum missali *monastico* non solum in die festo sed per subsequentes dies alias non impeditos infra ejus octavam celebrare possunt ac debent. n. 4154 die 21. Mart. 1744.

Clemens PP. XI.

Licere in posterum tum *Confessario tum Capellanis tantum* quarumcunque Monialium servitio addictis mis-

sas Sanctorum, de quibus ipsae recitant officium, celebrare *sed cum missali rom. et de communi*, non vero missas ppr. eorundem Sanctorum variis Ordinibus a S. C. concessas. Die 1. Decb. 1717 (Bull. r. t. VIII. p. 441).

Sacerdotes confluentes ad Monialium Ecclesias *devotionis gratia*, non possunt celebrare missas de Beatis non canonizatis ipsarum Monasteriis concessas (n. 3588 ad 2 et 3 die 11. Junii 1701), sed missam celebrandam esse a Confluentibus de die et se conformare debere Officio proprio, quatenus color paramentorum Ecclesia Monialium, in qua celebratur festum, sit idem, nec disconveniat. Secus vero alibi celebrandum.

Ad dub.: An Eremitis Sacerdotibus dictae Congregationis Camaldulensis occasione itineris seu alia quacumque ex causa licitum sit celebrare Missam de Requiem in aliena Ecclesia, ubi non agitur Officium duplex, imo fiunt exequiae pro aliquo defuncto, praesente corpore, vel Anniversaria vel aliquod simile Officium pro defunctis eo die, quo ipsi Eremitae recitaverunt Officium alicujus Sancti duplicis, non obstante Decreto hujus Sac. Congregationis die 5. Augusti 1662 edito prohibente Missas defunctorum in Festis duplicibus, et per consequens: an hoc Decretum habeat locum tantum in Ecclesia propria vel etiam in aliena in casu proposito?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emmi et Rmmi Dom. Cardinalis Rubini respondit: „Posse conformari cum Ecclesia, in qua celebrat.“ Et ita declaravit. n. 3703 ad 7 die 23. Augusti 1704.

Vd.: *supra decr. n. 3534 et 3259.*

Ad dubium: Cum missae de Beatis celebrari possint tantum in illis Ecclesiis, pro quibus concessum est Officium ipsorum, dubitatur: an Sacerdotes recitantes Officium de BB. sed celebrantes in Ecclesia, ubi fit de Sancto, possint dicere missam Officii vel teneantur se conformare Ecclesiae, in qua celebrant? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4526 ad 17 die 7. Sept. 1816.

Sacerdos habens Officium ritus dupl. sed celebrans in Ecclesia, in qua fit Officium de semid., non potest dicere missam votivam. *Ibid.* ad 20.

Ad dubium: An Sacerdotes saecul. sive regulares diversorum Ordinum accedentes ad Sacrum faciendum in Capella Tertiariorum prope vel intra eorum Ecclesiam contenta, teneantur se conformare tam in missa quam in colore Calendarii Fratrum et missam celebrare juxta ritum servatum in Ecclesia regulari fratrum, cum talis capella non sit de jurisdictione ordinaria et Tertiarii existant sub regimine Praelatorum Ordinis? S. C. resp.: *Affirmative,* quatenus capella fuerit intra Ecclesiam, iis tamen solum diebus, quibus festum cum solemnitate ac populi frequentia peragitur et color ab Ecclesia servatus secundum rubricas non congruit Celebrantium Officio, Missali tamen romano ab exteris Sacerdotibus adhibito. Quatenus vero Capella fuerit prope sed extra eandem Ecclesiam pariter affirmative, si eadem Capella ad Tertiarios *professos* pertinuerit; sed negative, si capella Tertiariorum *saecular.* fuerit; nisi hi gaudeant Indulto extensionis Privilegiorum, ut decissum fuerit, die 27. Aug. 1707 in resp. ad dub. 5 et in die 1. Sept. 1708; n. 4533 ad 1 die 22. Mart. 1817.

Semper uniformari debet Officio Ecclesiae, in qua sacerdos celebrat et etiam in colore paramentorum et quando est duplex tunc celebrari debet de Sancto, cujus particularis illa Ecclesia celebrat Officium. n. 4175 ad 8 die 4. Sept. 1745; n. 4223 ad 10 die

29. Jan. 1752; n. 4645 ad 1 et 2 die 17. Decb. 1828.

Ad dubium: S. R. C. decrevit 12. Novb. 1831: celebrante Sacerdote in aliena Ecclesia missam concordare debere cum Officio, quod quisque recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur; quaeritur nunc: utrum debeat etiam conformari in recitatione Symboli Nicaeni sui Officii vel Officii Ecclesiae? S. C. resp.: Poterit in Officio proprio, dummodo non sit addendum ratione Corporis vel Reliquiae; debet, si celebret de Officio Ecclesiae. n. 4878 ad 6 die 11. Apr. 1840.

Mexicana.

In Ecclesia Sanctimonialium Capuccinarum Civitatis Mexicanae Ordinario Dioecesano subditarum quadraginta et amplius ab hinc annis consuetudo invaluit contra id, quod hac de re praescriptum a Rubricis invenitur, ut Sacerdotes Missam sic Officio suo conformem celebrent, ut nec de colore paramentorum nec de ritu Capuccinarum curent: immo potius Moniales ipsae Sacristae quotidie ad ornamenta ministranda non Ecclesiae suae propriae sed Clericale Directorium consulant et sequantur. Capellanus ergo, qui earum nunc curam gerit, S. R. C. requisivit: an standum sit in posterum praedictae consuetudini an Rubricis? S. eadem C. in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunata, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: „Servandas esse Rubricas et Decreta hujus S. C.“ *) n. 4883 die 11. Apr. 1840.

Sanctimonialium
Ordinis Capuccinorum.

Quum Sanctimoniales Ord. Min. Capuc. in Civitate Panormitana Apostolicum enixe rogarint Indultum, cujus vigore singuli Sacerdotes penes ipsas Sacrum facturi omnino adigantur ad celebrandas Missas respondentes Officiis, quae ipsae recitant, inclusiva etiam Conventuali, S. R. C. ad Vaticanum hodierna die Ordinariis in Comitiis coadunata, referente Secretario, rescribendum censuit: „Juxta alias decreta Missam convent. Officio diei respondentem celebrari debere per Confessarium vel Aedituum aut alterum ad hoc deputatum: quoad vero reliquos Sacerdotes in diebus ritus dupl. conformari debere colori Paramentorum Ecclesiae.“ n. 5005.
Die 7. Decb. 1844.

Calatayeronen.

Quum Sacerdos quidam ex Civitate Calatayeronen. S. R. C. supplicarit enixe ut mentem suam aperire dignaretur super sequentibus Dubiis, nimirum:

1. An Capellani, Confessarii aliique Sacerdotes Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrantes in Ecclesiis Monialium Civitatis ac Dioecesis Calatayeronen. Ordinarii potestati subjectarum rigorose teneantur Missam conformare Officio, quod Sanctimoniales recitant sive quoad Sanctum et paramentorum colorem, sive quoad solum paramentorum colorem?

2. In casu affirmativo quum praedicti Capellani, Confessarii aliique Sacerdotes in dictis Ecclesiis Monialium celebrantes semper et ab immemorabili concordarint Missam cum Officio assignato in Kalendario Dioecesano (exceptis diebus pro iisdem Sanctimonialibus solemnioribus) immemorabilis isthaec consuetudo estne et deinceps retinenda vel ab ea recedendum?

S. eadem C., audito prius pro Informatione et Voto Rmmo Ordinario ac referente subscripto Secretario

*) Vd.: *supra decr.* n. 4181.

in Ordinario Coetu hodierna die ad Quirinale coadunata respondendum censuit:

Ad 1. „Quando color Paramentorum Ecclesiae non concordat cum Officio, quod Celebrantes recitant, tunc isti celebrare debent Missam respondentem Officio Sanctimonialium attamen cum Missali Romano: secus et possunt et debent Missam celebrare respondentem Officio proprio.“

Ad 2. „Ut ad proximum, si color Paramentorum concordet.“

Atque ita rescripsit. n. 5195 die 17. Sept. 1853.

Mediolanen.

Permulta sunt Missarum onera, quae incumbunt Ecclesiae Coenobii S. Mariae Ara Coeli nuncupatae, Ordinis Fratrum S. Joannis de Deo, Civitatis Mediolanen., quae satisfieri necesse est per Saeculares Sacerdotes, quoniam penes ipsos Fratres solus reperitur Aedituus, quorum multi Ritum sequuntur Ambrosiannum, proptereaque cum ejusdem Ecclesiae Calendario convenire nequeunt. Verum quum satis superque constent, quae in una Varsavien. diei 7. Maii 1746 ab hac S. R. C. sancita fuere, hinc R. P. Hieronymus Cagliani recensiti Ordinis Sacerdos Professus eidem S. C. sequens proposuit dubium enodandum, nimirum:

An praedicti Sacerdotes Saeculares, sive Ritum Ambrosianum sive Romanum sequantur, supradictum Decretum in Varsavien. servare teneantur? et quatenus Affirmative: an Missam de communi legere debeant si in proprio ritu officium de eodem Sancto non recitent, vel potius valeant Missam celebrare votivam?

Et Emmi Patres Sacris ritibus tuendis praepositi, requisita prius in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem infrascripti ejusdem S. C. Secretarii respondendum censuerunt: „In casu a Sacerdotibus Ritus Romani servetur Decretum in Varsavien. diei 7. Maii 1746, nec licere sese conformare Ecclesiae, si in ea celebretur Missa votiva et ipsi celebraverint Officium sub ritu duplici; a Sacerdotibus vero Ritus Ambrosiani servandus ipsorum Ritus.

Et ita declararunt. Die 16. Decembris 1828. n. 4646.

Ad dubium: An Sacerdos celebrans in Ecclesia, in qua aliud peragitur Officium, possit se conformare tantum in sacris Paramentis et celebrare Missam respondentem Officio, uti ex. gr. si Officium recitavit de Martyre et in Ecclesia fiat de Confessore, possit cum Paramentis albis legere Missam de Sancto Martyre?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata rescripsit: „Negative.“ Die 16. Aprilis 1834. n. 4725.

Ad dubium: An Parochus vel alter residentiali Beneficio provisus extra propriam Ecclesiam teneatur vel possit Missam celebrare respondentem Officio, quod recitat, e. g. de Octava particulari propriae Ecclesiae, vel an potius debeat vel possit Missam celebrare respondentem Officio occurrenti in Ecclesia, in qua Sacrificium perficit? Insuper quaeritur: quid faciendum, si celebret in Oratorio privato?

Et S. eadem C.... respondendum censuit:

„In Ecclesiis posse, si respondeat color Paramentorum: in Oratoriis privatis debere juxta alias decreta.“

Atque ita rescripsit die 23. Maji 1835. n. 4751 ad 1.

Anconitana.

Precibus Sacerdotis Vincentii Bartolucci Anconitan. qui ceu Parochus

assistit Ecclesiae S. Marci ejusdem Civitatis, ubi extant Alumni Ordinis Eremitarum S. Augustini, pro opportuna declaratione sequens proposuit Dubium, nimirum: ,,An Parochus S. Marci in Sacro peragendo, praesertim ad unitatem et concordiam in S. Functionibus conservandam, debeat Fratrum Kalendario sese accommodare, dum pro diversitate Eremitani Kalendarii a Dioecesano color Paramentorum dissonat?" S. R. C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis referente Secretario rescripsit: ,,Affirmative, sed cum Missali Romano juxta alias decreta." n. 4764 die 8. Aug. 1835.

Ad dubium: Poteritne quilibet Sacerdos celebrare missam votiv., ut se conformet colori albo in Ecclesia ipsa adhibito? S. C. resp.: In casu tantum, quo ritus ecclesiae id permittat. Die 11. Sept. 1847 ad 3.

33) In Eccles. certe designata celebranda.

Vd.: *Missa* (Descriptio in libro, *decr. II.*; in altarib. et eccles. praescriptis).

Ad dubium: An haeres legatum seu onus celebrationis missarum ab altari s. Francisci de Paula transferre possit ad Ecclesiam Colleg. terrae Liberiani?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 5. et 26. Aug. 1719.

Mediolanen.

(Conc. Tr. Decr. de Purgat. S. 25.)

Fabritius Capellus in Testamento condito de Anno 1638 obligavit Patres Societatis Jesu Collegii Braidensis nuncupati Civitatis Mediolani haeredes institutos celebrari facere binas Missas quotidianas in eorum Ecclesia cum hac legati formula: Item lego etc. quod infrascripti haeres vel haeredes mei teneatur vel teneantur celebrari facere Missas duas quotidianas in Ecclesia Braidensis Collegii Mediolani vel in Ecclesia S. Fidelis Mediolani R. R. DD. infrascriptorum haeredum meorum singulis diebus in perpetuum etc. et hoc pro suffragio animae meae. Deindè nominavit PP. praememorati Collegii haeredes universales iisque haereditatem non adeuntibus substitit PP. Congregationis S. Pauli Decollati necnon PP. Barnabitas S. Alexandri Mediolani et in eorum defectu vocavit Canonicos S. Mariae Passionis ejusdem Civitatis cum eisdem oneribus signanter, quod respectu dd. Missarum illi Patres, qui haeredes extiterunt, eas celebrari facere possent in ipsorum Ecclesia respectivè, uti latiùs ex particula legati in Summar. danda. Adierunt praefati Patres Collegii Braidensis dictam haereditatem ac Missarum celebrationi in Ecclesiis designatis operam usque modò dederunt; nunc verò cùm dictum Collegium possideat in Dioecesi Vercellen. quoddam spaciosum Praedium nuncupatum *la Ponzana* intra fines Parochialis Ecclesiae loci Viglevani, à quo distat duorum milliarium spatio, cujus quidem rustici Incolae, qui quadringentesimum numerum pertingunt, propter distantiam à Parochiali, diebus etiam festis, praesertim brumali tempore, missam non audiùnt, rudimenda Fidei prorsus ignorant et sine Sacramentorum subsidiis aliquando depereunt; hinc Patres praedicti commiserantes spirituales indigentias praefatorum Incolarum ab iisdem rogati preces SS. D. N. porrexerunt ad hanc S. C. remissas pro facultate transferendi celebrationem unius ex duabus Missis relictis à Testatore Capello ad publicum Oratorium existens in memorato Praedio ad effectum, ut Sacerdos ab Ordinario approbandus nedum inibi Missam quotidiè celebret, verumetiam in casibus necessitatis muneribus parochialibus satisfaciat, praecipuè eo

tempore, quo ob aquarum inundantiam proprio Parocho non patet accessus et recessus à dicto loco Ponzani.

Comprobavit haec omnia Eminentissimus Archiepiscopus informare requisitus et Oratorum precibus annuendum censuit, consentientibus tam Rectore dicti Collegii quàm Praeposito Domus Professae S. Fidelis, ut fusiùs ex ejus relatione itidem in Summar. exhibend. Quocirca Oratores ipsi humiliter petunt ab EE. VV. benigniter exaudiri sub dubio: *An et quomodò Oratorum precibus sit annuendum?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 2. Aug. 1710.

Asculana.

(Conc. Tr. C. 7. Sess. 21. De ref.)

Juspatronatus tam simplicis curalis beneficii sub titulo s. Silvestri, quam altaris in cathedrali ecclesia Asculana erecti in honorem ejusdem Sancti, ad nobilem gentem Malaspinam spectare non controvertitur; Episcopus Asculanus in s. visitatione mandavit, per rectorem d. beneficii exhiberi documenta commutationis et translationis oneris missarum ab ecclesia rurali ad altare Cathedralis, ubi in praesens et a multo tempore tres missae qualibet hebdomada nomine d. rectoris celebrantur. Hinc orta est contentio: an relatum onus missarum inesset d. beneficio celebrandi eas in d. ecclesia rurali (fundationis enim monumentum ullum non reperitur) et per decretum Caffarelli episcopi ab anno 1467 ab ecclesia rurali translatum fuerit ad d. altare Cathedralis, seu tunc primum de consensu rectoris et patronorum institutum potius fuerit quam immutatum et translatum. Decreti ab utraque parte allegati tenor sequens est: *„Cum ruralis ecclesia S. Silvestri egeat clerico et praebendato, licet sit sine cura, propter celebrationem divinorum in quadam capella dd. patronorum acienda et instituenda in majori ecclesia Asculana, unde rector d. ruralis ecclesiae et patroni postularunt, ut eidem rurali ecclesiae de aliquo clericorum suffragio providere dignaremur. Nos vero etc. te D. Franciscum praesentatum in clericum et praebendatum ipsius ruralis ecclesiae s. Silvestri ut in quartam partem omnium fructuum d. ruralis ecclesiae, ad quem clericatum fuisti noviter electus, instituimus.“* Ab inde citra plures reperiuntur praesentationes et institutiones ad beneficium d. ruralis ecclesiae nullo expresso onere, excepta institutione anno 1579, in qua recensetur onus missarum in capella ecclesiae cathedralis juxta decretum episcopi Caffarelli; promotor tamen curiae episcopalis praecipue insistit in fundatione beneficii in d. ecclesia rurali, cujus sit onus celebratio missarum, non autem capellae cathedralis, ad quam nullum est erectum beneficium, maxime quia rectori d. ecclesiae ruralis a praediis adjacentibus solvuntur decimae non alia forsan de causa, nisi ad consequendum commodum audiendi missarum celebrationes, cum ecclesia non sit parochialis et patroni uti laici jus decimandi habere nequeant, qui tamen praetendunt temporales esse decimas, eo quia sub onere eas solvendi ecclesiae, cui illas donaverant, praedia vel vendiderint, vel alio jure in alios transtulerint. Quapropter cum non cadat in controversiam missarum celebratio sed locus, ubi sint celebrandae missae, ab EE. VV. exquiritur: *An celebratio missarum beneficii sub titulo s. Silvestri sit facienda in ecclesia cathedrali, vel potius in altera ecclesia rurali S. Silvestri in territorio Casturani ad formam decreti lati per episcopum in s. visitatione?*

S. C. C. resp.: Servetur decretum factum ab Episcopo in Visitatione.

Die 6. Junii 1716; 16. Jan. 1717.

34) Extra Ecclesiam celebranda.

Vd.: *Orator. priv.* (decr. Clem. XI.; *Constit. Bened. XIV.* §. *11.*)

Sedunen.

Precibus Parochi Ernen. in Dioecesi Sedunen. hisce conceptis terminis: Beatissime Pater. Valentinus Mutter Vicarius Foraneus et Parochus loci Ernen. Dioecesis Sedunen. humillime supplicat Sanctitati Vestrae pro facultate perpetuo celebrandi ante fores Sacelli in hon. B. M. V. aedificati et ab Ecclesia Parochiali leuca distantis pro diebus Festis Visitationis B. M. V. et aliis, in quibus occurrit Populi concursus. Hanc sperat et implorat gratiam ob praedicti Sacelli exiguitatem, qua fit ut multi Sacerdotem celebrantem videre non valentes minorem Sacrificii fructum percipere possint, ideoque deforis in muro Altare extructum est, quod, finito Missae Sacrificio, ita clauditur, ut ab omni irreventia sit vacuum. Et Deus etc. ... S. R. C., audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto pandita ac referente Secretario rescribendum censuit: *Negative juxta Votum.* n. 4788 die 27. Aug. 1836.

Nota Gardellini ad hoc Decretum.

Reddita per Constantium Imperatorem Ecclesiae pace extructisque publicis Templis, in quibus Fideles libere Religionis munera poterant exercere, ea cessarunt tempora, quibus cum ob assiduas persecutiones s. mysteria publice celebrari nequirent, quocumque in loco ea peragebantur ad vitandam Tyrannorum crudelitatem. Hoc respiciunt illa Dionysii verba: *Quivis locus, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, ad sacros conventus peragendos fuit.* Romae, saevientibus persequutionibus, in arenariis, cryptis aliisque occultissimis locis Sacra peragebantur: illuc Fideles conveniebant absque persequutionis metu. Hac amplius non existente ratione Sacra peragi nequeunt nisi in Ecclesiis: hinc Cyrillus Alexandrinus adversus Anthropomorphytas scribit *cap. 2.: Donum sive oblatio, quum mystice celebramus, in solis Orthodoxorum sanctis Templis offerri debet, neque alibi omnino; qui secus faciunt aperte legem violant.* Sacrosancti Tridentini Concilii Patres ut debitum cultum instaurarent, qui Missae Sacrificio debetur, ad Laicorum abusum de privilegiis tollendum, vel etiam ad Episcoporum, qui passim ubique celebrandi facultatem tribuebant, nimiam coarctandam libertatem, ex quo non raro aut Fidelibus scandalum aut dedecus et irreverentia sacrae actioni oriebatur, solliciti, ut erant, Tridentini Patres in Ecclesiastica disciplina restauranda ac de cultu et veneratione erga Missae Sacrificium Sess. XXII. *de observandis et evitandis in celebratione Missae generali Decreto sanxerunt.... Ne patiantur locorum Ordinarii privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam et ad divinum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi.* Hoc Decretum consonat iis quae leguntur in Canone *Missam, de Consecratione* Dist. I.: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit celebranda censemus: pariter cap. 1. de Consecratione Dist. I.: In aliis quam Domino sacratis locis, id est in Tabernaculis divinis precibus a Pontifice delibutis Missam cantare, aut Sacrificia offere non licet, nisi summa cogeret necessitas.* Ex Sacrosancti Concilii Decreto, ex Canonum dispositione locus pro Missae Sacrificio celebrando

est Ecclesia, sunt Oratoria ad divinum cultum dicata; alibi celebrare haud omnino licet. Hoc generice; potest enim Missa celebrari in Oratoriis privatis, quod aliquibus ex Apostolico privilegio conceditur, iis servatis conditionibus, quae solent in Literis Apostolicis apponi. In allato cap. de Consecratione Dist. I. reperitur quaedam exceptio, nam postquam praeceperit: *Non aliis quam Domino sacratis locis licere Missam cantare aut Sacrificium offerre*, haec leguntur: *Nisi summa urgeret necessitas.* Jam videndum est, an haec urgeat necessitas, quae non quaecumque, sed *summa* esse debet, ob quam posset supplex Parochus vel alius quicumque Sacerdos solvi a generali lege et ab obligatione celebrandi Missam in Ecclesia aut Oratorio, ut supra, et facultatem obtinere eam celebrandi extra Sacellum ante hujus fores. Sane satis est supplicem libellum Oratoris legere, ut ipso primo intuitu appareat nullam, non modo summam, sed quamcumque necessitatem, ut possit a communi et generali lege dispensari. Porro summa et urgens causa non ea est, quae est apprehensa ut talis, sed vera et realis, quaeque a Theologis admittitur, cum e. g. deest Ecclesiarum copia et urget praeceptum celebrationis vel audiendi Sacrum, tidem tempore pestis, belli, persequutionis, cum imminens adest vitae periculum, quibus in circumstantiis quovis in loco celebratio permittitur. Deficiente hac necessitate nulla sufficiens ratio reperitur, quae suadeat recedi posse a generali lege, ab antiquissima consuetudine Parochi loci Ernen. precibus annuendo. Exclusa necessitate pro dispensatione concedenda, minora sunt, quae exponit Parochus; adducit ipse, ut quod petit obtineat, tamquam rationes praecipuas, suam erga *Beatissimam Virginem devotionem* aeque ac Populi, cujus diebus in precibus notatis, occurrit concursus. Jam simplex devotio non est sufficiens ratio pro dispensatione a lege obtinenda: si haec admitteretur ratio, actum esset de quamplurimis Ecclesiasticis Sanctionibus; omnes enim sola devotionis causa exemptionem ab illis postularent, quod certe nequit admitti; neque pariter pro sufficienti ratione haberi potest Populi concursus, qui a devotione tantum oritur, non a necessitate ad Sacellum accedendi; ipso enim fatente Parocho alia extat Ecclesia, nempe Parochialis et haec non ita dissita, ut sit difficillimus aut impossibilis accessus, leuca enim tantum distat. Duo autem quae addit non majoris momenti reperiuntur: exiguitatem nempe Sacelli, per quam fit ut Fideles Celebrantem non videant, et minorem, ut ipse ex ea infert, fructum a Sacrificio hac de causa percipiendum. Primum per se ipsum corruit, nam non deest Ecclesia et haec, ut supra notatum est, non valde dissita. Ad eam, si dies fert obligationem audiendi Sacrum, prius accedant pro praecepti adimplemento et deinde adeant Sacellum, ut devotioni satisfaciant. Quod autem ab exiguitate Sacelli infert, nequit prorsus admitti et absurditatem redolet. Fructus enim quem a sacrificio Fideles percipiunt non a materiali pendet praesentia, sed a majori vel minori qua quisque adest attentione, mentis ad Deum elatione, cordis affectu et tantae actionis consideratione. Haec aliaque similia requiruntur ad fructum percipiendum, quae si desint, nullus perciperetur fructus; posset enim aliquis videre et audire Celebrantem, nullum tamen, licet sit praesens, peculiarem acquirere fructum, eo quod vel mente vagatur vel cum vicino loquitur, vel dormitat aliudque agit, quod a sacra actione est alienum, nec quidquid minimum de ea cogitat. Ex his omnibus sive a Lege sive a Concilio Triden-

tino et canonibus decerpta sive a Patribus vel a Theologis aut a vetustissima consuetudine deprompta sive demum ab infirmitate adductarum rationum, apparet, quam recte, quam apposite S. R. C. negativam responsionem protulerit.

35) Festi transferendi.

Vd: *Missa vot. de Sancto.*

Ad dubium: Quum ex alias Decretis non liceat in Festis S. Petri et Pauli et SS. Patronorum Locorum quamvis in Rubrica Missalis de Translatione non comprehensis decantare Missam de Sancto, cujus Officium transferendum est, quaeritur: an haec regula extendenda sit ad Festa Assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum, Titularis, S. Joannis Bapt. et Dedicationis propriae Ecclesiae? S. C. resp.: „Affirmative."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 29 die 16. Aprilis 1853.

36) In festo ss. Corp. Chr. (Tempus.)

Abusus Collegiate Thelesinae missam cantandi in solemnitate ss. Corp. Christi post absolutam processionem omnino abrogandus est. n. 2167 die 3. Junii 1662.

Ad dubium: An prohiberi possit, ne in festo SS. Corp. Chr. praeter in ecclesia majori civitatis, in quam omnis clerus ad process. concurrere debet, in ecclesiis annexis missa sol. ante vel post processionem cantetur?

S. R. C. resp.: Negative. Die 7. Maii 1857. (Ad dub. VII.) *Limburg.* Cf.: *Missa de SSmo.*

37) Fundatio.

a) In altari privil.

Ad dubium: An liceat recipere onera perpetua ac fundationes ad altaria privil.? S. C. J. resp.: Negative. Die 14. Decb. 1711.

Vd.: *Indulg. alt.* (dies, in quib. per missam de festo etc., decr. pro *Limburg.*)

b) Pro Defunctis.

Vd.: *Missa de Req.* (Cantata sol. anniver. decr. de die 7. Maii 1857); *Indulg. altar.* (dies, in quibus per missam de festo etc.; decr. pro *Limburg*); *Anniversarium.*

Quum plurimas missas etiam in suffrag. unius aut plurium def. applicandas *cum exposit. SSmi inter missam in Ostensorio facienda in hon. SSmi* ab aliquo fundatas esse deprehendatur, quae dicuntur de festo cadente vel more votivo de SSmo, nunquam vero de Requie (quemadmodum aliae missae anniv. priv. pro def. applicandae, quae in festa dupl. incidunt) quaeritur: Utrum hujusmodi fundationes attenta inveterata in hisce Germaniae regionibus consuetudine ratae haberi et imposterum admitti possint, quintamen unquam in tali casu ullo modo dici debeat missa de requie, etiamsi SS. Sacrificium vi fundationis pro def. applicandum sit?

S. R. C. resp.: Affirmative. Die 7. Maii 1857 ad dub. II. *Limburg.*

38) Gradus altaris.

Si altare habeat planitiem sed novem vel decem gradus, vel planitiem nimis latam, debet apponi bradella, quae dividat altare a planitie et satis est descendere ipsam bradellam. n. 2223 ad 4 die 16. Junii 1663.

39) S. Gregorii.

Non possunt recitari Missae (s. Gregorii) ascendentes ad num. 48, modo et forma in libello *„Stato dell' Anime del Purgatorio"* par P. Mart. de Roa, Soc. Jesu edito descripta. Ad removendum hunc abusum S. C. mandavit:

Extendi decretum circa abusus, imprimi, affigi et asservari in omnibus Sacristiis Ecclesiarum tam saecularium quam regularium, etiam Patriarchalium etc. et aliarum quarumcunque tenoris etc. n. 740 (sine dato).

Missas, quae circumferuntur, a S.R.C. non approbatas S. Gregorii *pro vivis et defunctis*, prohibuit, rejecit et damnavit S. R. C. n. 740 ad 4 (sine dato).

Prohibitio in decreto non intelligatur quoad Missas numero triginta institutas pro defunctis a S. Gregorio in Dialogor. cap. 55, sed solum illas Missas impressas et *non approbatas*, quae circumferuntur *sub nomine S. Gregorii pro vivis et defunctis*, sicut aliae quindecim Auxiliatorum et de Patre aeterno. n. 772 ad 12 die 28. Oct. 1628; n. 892 ad 1 die 13. Jan. 1631.

40) Hora.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Missae hora); *Orat. priv.* (decr. Pii VIII. diei 29. Januar. 1830); *Sacrista.*

Licet cuilibet Sacerdoti Missam celebrare, orto jam die. n. 100 die 10. Jan. 1597.

Ad explicandum verbum: „*Aurora*" pro illis regionibus, in quibus est aurora continua fere per totam noctem, et pro illis, in quibus sunt juxta majorem elevationem Poli aliquando sunt tenebrae continuae, S. C. decernit: quoad Regiones carentes aurora intelligitur *moraliter* de tempore, quod aequivalet et correspondet aurorae, hoc est de exordio *diei civilis moralis et usualis*, in quo homines diluculo surgere solent ad opera juxta receptas et approbatas Regionum consuetudines. n. 1007 die 18. Sept. et 2. et 18. Novb. 1634.

Canonici et alii Presbyteri missas in Cathedr. celebrantes *ex obligatione*, non autem ex devotione, servare debere horam ab Episcopo vel ab alio ejusdem Episcopi vices fungente determinandam pro commoditate populi, dummodo intra tempus canonicum existat. n. 1494 ad 1 die 16. Apr. 1644.

Non possunt celebrari missae, etiam pro animabus purgatorii, una hora post meridiem. S. R. C. 24. Novb. 1661.

Ad dubium: an Episcopus de se possit praescribere horas, in quibus celebrari debeant missae lectae in Cathedrali, seu potius cum concensu Capituli?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; et has missas esse celebrandas tam ab his, qui tenentur ex obligatione, quam ab aliis etiam de Capitulo, si recipiant eleemosynam. n. 4062 ad 3 et 4 die 3. Aug. 1737.

Beatissimo Padre.

Giovanni Battista Rostaing Sacerdote della Compagnia di Gesù supplica umilmente la Sanctità Vostra a volergli benignamente concedere la facoltà di poter celebrare il Santo Sagrifizio della Messa due ore prima dell' aurora, e due doppo il mezzo dì Che ec.

„SSmus D. N. Pius IX. P. M., referente subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigna in omnibus annuit juxta preces, sed in actu s. Missionum tantum." n. 5096 die 12. Aug. 1847 *).

Vd.: *Oratorium* (Missa etc.; decr. gen. Clem. XI.).

Pius PP. V.

Ad nostram pervenit notitiam, quod nonnulli Cathedralium, etiam forsan Metropol., Colleg. et aliarum ecclesiarum, necnon Monasteriorum con-

*) Bened. XIII. et Clem. XII. concesserunt, ut missa inciperetur tertia parte ante auroram. In pluribus locis Episcopi unam horam concedere possunt (Miscell. Theol.).

ventuum, domorum et aliorum piorum locorum saecul. et diversorum Ordinum ac Militiarum Praelati, Capitula, Clerici aliique Superiores antiquum s. rom. Ecclesiae ritum in statutis missarum celebr. temporibus pervertere satagentes diversas licentias et facultates, missas, quae media nocte et seu in aurora Nativitatis ac de mane Resurrectionis D. N. J. Chr. et forsan aliarum festivitatum juxta praedictum ritum celebrari consueverant, *de sero etiam forsan circa Solis occasum vigiliae festivitatum* earundem in suis Ecclesiis et capellis celebrandi seu celebrari faciendi ab ap. Sede vel ejus Legatis ac etiam majori Poenitentiario pro tempore existente variis praetextibus impetraverunt illisque jampridem utuntur. Hoc ab antiquo Ecclesiae cath. instituto sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes *ac propterea hanc abusum ab Ecclesia dei submovere volentes omnes ac singulas licentias et facultates hujusmodi hactenus etiam motu proprio vel quorumvis etiam imperatorum, regum et aliorum principum contemplatione et ex quibusvis causis quomodolibet concessas ac apost. et alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, ap. auctoritate ex certa scientia revocamus ac omnino casamus et annullamus.*

Datum Romae 20. Mart. 1566.

Vd.: *Habitus Clericor.* (§. 12.)

Clemens PP. XI.

Volentes dilectis filiis *presbyteris saecul. Congregationis Piorum Operariorum nuncupatorum gratiamfacere specialem* supplicationibus humiliter porectis, eisdem modernis et pro tempore existentibus presbyteris Congregationis praedictae ubique existentibus, ut ipsi perpetuis futuris temporibus tam in eorum quam in aliis ecclesiis civitatum, terrarum et locorum, *in quibus juxta landabile eorum Institutum s. missiones de Ordinariorum locorum licentia exercebunt*, per horae spatium ante auroram et post meridiem missas celebrare libere et licite possint et valeant concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibuscunque contrariis.

Die 10. Maii 1707. (Bull. r. t. XII. p. 463.)

De revocatione Indulti extra definit. tempus celebrandi

Vd.: *Indult.* (revoc. n. X.)

Clemens PP. XII.

Nos modernis et pro tempore existentibus Dignitatibus et Canonicis Patriarch. Ecclesiae Ulixbonen. Occidentalis, ut in *privatis domorum suae habitationis Portugalliae et Algarbiorum Regnis existentibus Oratoriis* ad hoc decenter muro extructis et ornatis seu extruendis et ornandis ab omnibus domesticis usibus liberis per Ordinarios resp. locorum prius visitandis et approbandis ac de ipsorum Ordinariorum licentia unam missam pro unoquoque die per semetipsos celebrare sive per quemcumlibet sacerdotem ab Ordinario approbatum saecularem seu de Superiorum suorum licentia regularem sine tamen quorumcunque jurium paroch. praejudicio, ac Paschalis Resurrectionis, Pentec. et Nativ. D. aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua ac consanguineorum et affinium secum insimul in eadem domo habitantium familiaeque et, quoad Oratoria ruri existentia, etiam in hospitium nobilium suorum praesentia, *etiam per horam tantum ante auroram et item per horam post meridiem* celebrari facere libere et licite possint et valeant, ac quilibet eorum possit et valeat, ita ut nec ipsis nec sacerdoti taliter celebranti id ad culpam valeat quomodolibet imputari, auctoritate ap. tenore

praesentium in perpetuum concedimus et indulgemus. Non obstantibus contrariis quibuscunque.

Datum Romae 22. Mart. 1738.

(Bull. r. t. XV. p. 179.)

In Celebratione solemnium et aliarum missarum et de hora celebrandi eas, dummodo in confectione vel consecratione formam verborum a Domino expressam et traditam observent et celebrando non transgrediantur *horam nonam,* suam sequi consuetudinem permittantur; ita tamen, ut jejunii lex de unica comestione in die religiose servetur et si alicubi viget consuetudo producendi jejunium cum missa usque ad vesperam, minime aboleatur, sed in suo robore ac firmitate permaneat. *Epist. Bened. XIV. ad Italo-graecos presbyt.* die 26. Maii 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 97).

Pius PP. VII.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii deputati *ecclesiae sub titulo Ascensionis terrae di Mogliano Firmanae dioecesis,* quod attenta frequentia et devotione populi in eadem ecclesia, ubi icon sanctissimi Salvatoris magna devotione colitur, jugiter concurrentes ipsi, ut commoditati populi consulatur, sacrosanctum missae sacrificium per horam ante auroram et itidem per horam post meridiem celebrari posse plurimum desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae (Episcopo Firmano) per praesentes committimus et mandamus et constito tibi de narratis eisdem exponentibus, ut ipsi sacrosanctum missae sacrificium in ecclesia praedicta per horam ante auroram et itidem per horam post meridiem celebrari facere libere et licite possint et valeant, licentiam auctoritate Nostra apostolica arbitrio tuo concedas et indulgeas.

Datum Romae die 15. Sept. 1815 (Bull. r. Continuat. t. XIII. p. 411.)

41) Inscriptio in libro.

Vd.: *Missa* (Descriptio in libro.).

Ad dubium: An Praepositus Collegiatae s. Columbani terrae Blandrati vel alter sacerdos vice illius celebrans teneatur adnotare celebrationem manu propria in libro retento a Capitulo?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 27. Maii 1713.

42) Interrupta per administr. s. viaticum.

Vd.: *SS. Viaticum.*

Ad dubium: an tempore ss. Sacrificii missae in administratione Viatici paesertim in Xenodochiis liceat ab altari recedere usque ad aegrotorum lectum recitando interim ps. *Miserere,* ut fieri solet extra Missam? S. C. resp.: Negative quoad ps. *Miserere.* Insuper animadvertendum quod si Celebrans pro Viatici administratione intra missam Altare e conspectu suo omittat, hanc administrationem non licere. n. 4651 ad 1 die 19. Decb. 1829.

Nota Gard. ad hoc Decretum:

Missae Sacrificium ea est actio, quae inter caeteras actiones ad Divinum cultum spectantes longe maxime aliis antecellat virtute, dignitate, ratione et victimae et offerentis: Christus enim ipse est victima et Sacerdos se ipsum Patri offerrens et major sit actio, quae in Dei honorem peragi possit ab Ecclesiae Ministris Ecclesiae ipsius nomine. nihil in ea addi potest, nihil intermisceri et nullis sive precibus sive actionibus diversis ab Ecclesia prae-

scriptis debet abrumpi, quae actionis unitatem adimat et iis peragi debet Legibus, quae ab Ecclesia pro illius celebratione statutae sunt. Potest immo et debet Sacerdos, qui Minister est Dei, in cujus honorem Sacrificium offert et Ecclesiae sive Fidelium, pro quibus offert Eucharisticum panem e divina mensa petentibus praebere, iis tamen semper legibus, eo ordine, qui ab Ecclesia ipsa praescriptus est. Ast in proposito Dubio et actionis unitas abrumperetur, preces intermiscendo, quae pro Sacrificio Missae non sunt praescriptae, quaeque dicendae essent in casu. Ipsa enim Rubrica praecipit de *Communione Infirmorum* psalmum *Miserere* et alios psalmos et cantica esse dicenda; ideoque in casu unitas actionis Sacrificii tolleretur, nec regulae servarentur, quae pro simplici Fidelium communione sunt adsignatae, si quis e contra, ne videretur Missam abrumpere, Orationes pro hac actione statutas omitteret, aut ordinem illum servaret, quem Rubrica in administranda Communione bene valentibus indicat. Jam haec Rubricae praescriptio aptari nequit proposito dubio, nisi ordinem pervertere velimus et unum cum altero ritu confundere, quod nefas esset. Hinc etiam est, quod S. Rituum Congregatio respondit etiam *non licere administrationem Viatici infra Missam, si Celebrans e conspectu suo omittat Altare.* Hoc enim esset Sacrificium quodammodo interrumpere, tum propter longum iter, quod supponi debet, si Sacerdos e conspectu omittat Altare, tum propter interpositionem aliarum precum, sive psalmorum, qui recitari deberent a discessu ab Altari ad infirmorum lectum, quae si aliunde omitterentur et Sanctissimum Sacramentum nihil recitando (ne actio videretur abrupta) deferretur, hoc in casu quaedam quasi irreverentia in Sanctissimum Sacramentum oriretur et quoddam etiam scandali genus Fidelibus oriri posset, et ageretur directe contra Rubricam, quae praecipit, ut cum Sanctissimum Sacramentum ad infirmos defertur, non sub silentio, sed psalmis et canticis adhibitis deferatur.

Januen.

Quum Sacerdos Antonius Sanmichele Civitatis vulgo Chiavari in Archidioecesi Januensi S. R. C. enixe rogarit, ut super propositum Dubium sententiam suam aperire dignaretur, nimirum: Se sia lecito al Sacerdote, che celebra in Oratorio privato di Casa particolare, o anche di Communità Religiosa interrompere l'azione della Messa immediatamente dopo la Consumazione, e pericò prima della Purificazione per portare la Santa Communione in camera di pia Persona inferma abitante in quella Casa, o Communità solamente per divozione, e non per Viatico, sebbene la stanza non sia vicina all' Oratorio, ma debbasi ascendere altro piano della Casa, o passare in altro corridoco della Communità? S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, referente subscripto Secretario, respondit: „Non licere juxta Decretum in Florentina diei 19. Dec. 1829 ad primum Dubium: sed si necessitas urgeat, fiat absoluta Missa.“ n. 5002 die 7. Dec. 1844.

43) Interrupta per mortem Sacerdotis.

Vd.: *Parasc.* (missa decr. n. 4609 nota.)

Ad dubium: Sacerdos in principio functionis fer. VI. Parasc. apoplexia subito cecidit. An Diaconus, qui solus est jejunus, debeat Officium perficere? S. C. resp.: Si ministrans ut Diaconus est Sacerdos et jejunus, ipse assumpta casula prosequatur Officium et missam praesanctificatorum absolvat, alterque non jejunus sacerdos ei succedat in munere Diaconi; quatenus vero ille

sit dumtaxat in Diaconatus Ordine constitutus et nemo alius adsit sacerdos jejunus, cesset Officium et s. hostia reponatur in tabernaculo, die sequenti post sumptionem calicis a celebrante sumenda.

Et ita SS. Leo XII. inposterum in similibus servandum esse decrevit. Die 8. Mart. 1825 in una resolut. Dub. ad 1 et 2.

Magister Caeremon. Cathedralis Carpen. S. C. hoc dubium proposuit: Quidam Sacerdos celebrans in Ecclesia rurali Carp. Dioeces. prolatis verbis „*nobis quoque pecatoribus*" morbo repentino correptus e vita illico decessit. Aderat Capellanus, qui statim Sacrum perfecit. Hinc orta est quaestio: utrum Capellanus postea, ablutione jam omissa, causa servandi jejunium, licite missam celebrare poterit? Et PP. S. C., etiamsi in negativam sententiam illico descendissent, rem nihilominus duobus Consultoribus Theol. expendendam atque ad juris eccles. sacraeque Liturgiae Canones adornandam committi oppurtunum judicarunt per rescriptum: Detur responsum exquisito voto Consultorum Theol.

Quumque Consultorum elucubrationes Sententiae S. C. apprime in omnibus convenerint, facta SSmo relatione, SS. responsum approbavit et confirmavit et decretum expediri mandavit. n. 4601 die 16. Decb. 1823.

Nota Al. Gardellini ad hoc Decret.: *Votum R. P. M. D. Zechineli Soc. Jesu.*

Ad propositum dubium respondendum censeo: „*Negative*" Ratio est, quia bis eadem die Sacrificium missae offerre non licet, nisi in quibusdam casibus exceptis, quorum in proposito dubio nulla prorsus fit mentio. Id patet ex Innoc. III. Decret. *cap. Consuluisti 3* et *cap. Te referente 12 de celebr. miss.* et ex Bened. XIV. *de Synodo Dioeces. l. 2. c. 8. n. 2.* et ex ejusdem Constitutione *Declarasti**) 16. Mart. 1746. Jam qui coeptum ab alio Sacrificium continuat, illud ita perficere censetur, tamquam a se inchoatum fuisset. Cum enim sumptio Consecratorum in Sacrificio ex natura Sacrificii ad ipsius integritatem pertineat, ita simul coalescere censetur, a duobus etiam diversis in eodem Sacrificio posita, ut et qui inchoavit et qui perfecit, unum agens morale, seu unus tamquam moraliter sacrificans existimetur, et simul una fecisse et Sacrificium perfecisse creduntur, ex comm. doctorum sententia dicuntur. Hoc confirmatur etiam ex eo quod, si quis prae debilitate continuare ac perficere Sacrum non possit, debet tamen simul cum alio continuante Sacrificium sumere ex consecratis a se, si id fieri possit et hoc propterea, quia duo in eodem perficiendo Sacro, moraliter unus sacrificans censetur. Est communis Moralistarum.

Praeterea hoc ex eo etiam patet, quod si deficiente illo, qui coepit Sacrificium, continuari illud ab alio non possit, nisi post longam moram, v. g. post duas horas, consecrata jubentur reponi in ciborio, consumenda postridie aut a proxime faciente; propterea autem tum continuari nequit, quia ob longam interruptionem nec Sacrificium unum nec ab uno moraliter perfectum censeri poterit. Ita Tournely de Sacrif. missae cum aliis.

Ex hujusmodi praemissis colligi posse videtur, quod sicut non liceret illi iterum eodem die Sacrum facere, qui post consecrationem defecit viribus et dum alter Sacerdos perfecit pro illo, ipse ad vires rediit, ita nec illi putandum sit licitum missam dicere, qui ab alio inchoatum Sacrificium perficiendo consecrata consumserat.

*) Vd.: *Missae* (duae non sunt leg. ab uno Sacerd. eod. die.).

Accedit item, quod qui consecrata ab alio sacerdote consumit, ut Sacrificium absolvat, si postea alia a se consecrata in altero Sacro consumat, bis communicat et particeps fit duorum Sacrificiorum a se invicem distinctorum. Id vero non licere nisi in quibusdem casibus, quorum nullus in hoc dubio occurrit, patet etiam ex ipsa praxi. Quapropter censeo respondendum esse: *Negative*, salvo tamen meliori Sapientioris judicio....

Votum R. P. Aloysii Jonni Ord. Er. s. Aug.

Negativae Responsioni P. Zecchinelli firmiter adhaereo. Quae interim in lectione Scriptorum de hisce rebus reperi, duo sunt.

Primum scilicet, quod nullus ex ipsis casum effigit directe et expresse eumdem cum isto qui exponitur; et quidem etiam dum materiae connexio illum videtur prorsus efflagitare. *Alterum* est, quod in omnibus auctoribus analoga reperi constanter fundamenta, ex quibus certa surgit ad hoc casum negativa responsio.

Ex recensito autem circa hoc casum Scriptorum silentio, quid erit agendum? Nihil equidem concludendum videtur, talem esse illum, ut a nullo meruerit proponi. Certissimum est nulli Sacerdoti licere duas celebrare missas eadem die, praeter quam in die Nativ. D. N. (vel in alia aliqua die juxta expressa privilegia) Videantur Constitutiones Bened. XIV. *Declarasti* et *Quod expensis*, ubi etiam discutitur, quo in casu extraordinario 2dam liceat celebrare missam. Certissimum similiter est *nulli licere ad duas accedere in eadem die communiones*.

Dum haec responsio de vetito duplici in una die Sacrificio producitur Capellano, tentandum est, ut inveniamus. Neque enim supponendum est, Capellanum ignorare, quod vetita sint in eadem die duo Sacrificia. Investigandum igitur, quid cogitaverit ipse, forsan dicet, me in falso esse supposito duarum missarum; cum actio illa antecedens, in qua defuncti Sacerdotis vices supplevit, dicenda non sit appellandaque missa, cujus ipse fuerit celebrans, ita ut exinde a Sacrificio eadem die sit arcendus.

Si hoc Capellanus dicat, utique errat. Non heic ego ad assumpti probationem sententia utar *Bonacinae* aliorumque paucorum asserentium, quod partes essentiales Sacrificii missae sint *consecratio*, *oblatio* et *communio;* dabo Sacrificii missae essentiam consistere in Consecratione. Atque hanc esse fatebor communiorem et veriorem sententiam doctorum. At certum quoque communissime et universaliter est, consecratarum specierum *sumptionem* ad *integritatem Sacrificii* pertinere; atque habita hujus integritatis ratione, aliquo modo ad Sacrificii pertinere essentiam: *necesse est, quod Sacerdos comedat*, ait Angel. doct. 2. 2. *quaest. 45. art. 3. ad 3 object.* Consulatur idem Angelicus *3. p. quaest. 83. art. 6. ad primam object.*, cui consonant communiter Theologi. Hinc sribit Nat. Alex. *Theol. Dogm. et Moral. lib. 2. c. 6: Pars altera propositionis* (id est, sumptionem pertinere, etsi non ad essentiam, ad integritatem Sacrificii) *ex eo probatur, quod Christi Corpus et Sang. per consecrationem exhibeantur et sistantur sub specie cibi et potus; ideoque ad manducationem* et bibitionem ordinantur. Quamobrem *communio Sacerdotis sub utraque specie pertinet ad perfectionem et integritatem Sacrificii jure divino.* (Habert *in tractat. de Eucharistia* allegat praeceptum divinum et Ecclesiae traditionem.)

Exinde concludo: Sacerdos, de quo in casu, dum consecratas species sumendo caeteraque explendo supplet vices alterius post consecrationem de-

mortui, ex hoc ipso pertinet ad illnd idem Sacrificium, ad quod pertinuit def. Sacerdos, qui consecraverat. Videatur Angelicus *3. p. quaest. 83. art. 6. ad primum*, ubi citantur verba *conc. Toletani decr. 7. quaest. 1. cap. Nihil*, ad rem identice nostram: *Cum enim omnes simus unum in Christo, nihil contrarium diversitas personarum format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repraesentat etc.* Actio enim Sacrificii missae una est, atque ex praecepto tam divino quam ecclesiastico debet esse integra. Ecclesia, quae naturale jejunium strictissime praecipit pro extrinseca dispositione ad s. Communionem, ad hoc devenit, ut praeciperet, quod, nisi alius, qui sit jejunus, adsit, a Sacerdote etiam non jejuno (in casu) perficiatur Sacrificium. Adeo ipsi cordi est, ut Sacrificium integre compleatur. Hoc concinunt universaliter Theologi. Opportune autem notetur cum ipsis, non adeo in providendo supplemento cunctandum esse, ut rationabiliter censeatur, abruptam fuisse unius illius Sacrificii continuationem. Integra autem non est, nisi consecratae in ea species a Sacerdote sumantur. Sacerdos ergo supplens in casu praesenti Sacrificium per integritatem perficit; *unam* illam Sacrificii actionem explet; et proprio sibi modo *unus* fit cum eo Sacerdote, qui post consecrationem mortuus est.

Ast quomodo fit unus? Unitate morali. En pro explicatione analogum: *Sacerdotes*, ait Angelicus *3. p. quaest. 82. art. 2. in corp., cum de novo ordinantur, concelebrant Episcopo ordinanti. ... Sacerdos, cum ordinatur, constituitur in gradu eorum, qui a Domino acceperunt potestatem consecrandi in coena, nec propter hoc iteratur consecratio super eandem hostiam, quia ut Innoc. III. dicit (lib. 4. de Myst. Missae cap. 25. in medio). Omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.* Analogum moralis unitatis! Ita duo illi Sacerdotes, quorum unus ex necessitate cessat, alter actionem perficit, feruntur et diriguntur ad *unitatem* Sacrificii *integre* explendi, ut sit perfectum Sacrificium et sic relate ad hujusmodi *unitatem* actionis ejusque *integritatem* de duobus fit unus.

Hujusmodi *unitatis* de causa fit, ut novelli Sacerdotes cum Episcopo tunc celebrantes debeant ibidem s. Communionem recipere cum materia in eo Sacrificio consecrata et non aliter; quia sicuti onnes ii fuerunt cum Episcopo concelebrantes ejusdemque materiae in illo Sacrificio Consecratores in unum, ita de eodem eucharistico cibo et potu debent omnes participare, ut sic ipsi in unum perficiant Sacrificium, quod unum est. Observanda interim sunt extrema s. Thomae illa ibidem verba: *Oportet ritum Ecclesiae servare.* Quid dicendum igitur, dum non solum ex ritu et praecepto Ecclesiae sed ex praecepto insuper et institutione divina integrum debet esse Sacrificium? Nonne tunc duo illi Sacerdotes dicendi erunt *moraliter* unus?

Opportune heic addam, quae habentur in *capite Relatum est, Dist. 2. de Consecratione*, quod ex Concilii Toletani 12. can. 5. desumptum est: *Relatum est nobis quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis s. gratiam sumere, quot Sacrificia in una die videntur offerre; (tunc temporis lata non fuerat lex singulis sacerdotibus de una tantum missa in singulis diebus) sed si in uno die plurima per se offerant Sacrificia, in omnibus se oblationibus a Communione suspendunt et in sola tantum extrema Sacrificii oblatione Communionis s. gratiam sumant, quasi non sit toties illi vero et singulari Sacrificio participandum, quoties Corporis et Sanguinis D. N. immolatio facta consti-*

terit. Nam ecce Apostolus dicit: Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Certum est, quod hi, qui Sacrificantes (id est in missa illa quam actu celebrant) *non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicunque ergo Sacerdotum deinceps divino altari Sacrificium oblaturus accesserit et se a Communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia communionis anno uno repulsum se noverit.* Post haec verba Natal. Alex. concludit ad rem suam: *Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescunque Sacrificans Corpus et Sanguinem D. N. in altari immolat, toties perceptionis Corporis et Sanguinis Chr. participem se praebeat. Ergo* (concludo ad rem meam) *Sacrificii Missae perfectio integralis, quae habetur per consecratae materiae sumptionem, clara undique resultat.* Clara pariter resultat unitas s. actionis in seipsa inspectae; et unitas proinde moralis duorum (ut in casu) Sacerdotum, quorum unus consecrat et alter consecrata eadem sumit et sic integrum perfectumque fit Sacrificium, quod unum est. Capellanus igitur, qui vices formaliter supplendo sumsit Consecrata ab alio Sacerdote post illam consecrationem mortuo, caeteraque usque ad finem missae complevit, vere et proprie illi participavit eidem Sacrificio, cui perfectionem dedit et integritatem, quae nedum de ecclesiastico jure est sed et insuper de divino; et per hoc ecclesiasticae subjectus factus est legi, quae Sacerdoti plura in eadem die missae Sacrificia vetat.

Adeo verum est, Sacerdotem (ut in casu) supplentem consociari atque uniri illi eidem Sacrificio, ut sumere debeat et sumat utramque speciem, quam mortuus Sacerdos sumpsisset et quam quilibet sumit Sacrificans, qui per se perficit Sacrificium. Insuqer adeo hoc verum est, ut supplens Sacerdos vestibus sacris more Sacrificantium indutus suum *debeat supplementum praecise inchoare ab eo prorsus Missae loco (seu Oratione etc.), ubi alter Sacerdos cessavit per mortem. Notum tandem est, supplentem Sacerdotem, si unam ibi speciem repererit consecratam, statim consecrare debere et alteram, praecise incipiendo a ritu consecrationis Sanguinis.*

Quod si Capellanus interroget sic: ergone Sacerdos, qui post celebratam a se Missam debet (ut in meo casu) alterius vices supplere, duplici participabit Sacrificio? Et si affirmative respondeatur, cur non licebit et mihi? Respondeo: Utique ex dictis sequitur duplici illum Sacrificio participare. Ex vera enim necessitate, quae oritur ex Divina institutione et Ecclesiae praecepto, ille (quamvis non amplius jejunus) debet, post celebratam a se Missam, supplere vices alterius post peractam consecrationem deficientis, ut Sacrificium sit integrum; tibi autem e converso non licet, quia nulla pro te pugnat necessitas, licet jejunium servasti.

Observatio illa, qua dicitur *vetitam esse duplicem in eadem die Eucharisticam Communionem,* verissima quidem est atque fundatissima, eaque firmiter contra Capellanum nostrum militat, qui postquam supplevit etc. Missam, exinde praesumit celebrare et consequentur bis sumere. At isthaec observatio nodum illius non solvit dubiumque non avertit. Ipse siquidem nec ignorat nec ignorare potest Ecclesiasticam prohibitionem *(generaliter)* super duplici Eucharistica Communione in eadem die, sicuti non ignorat, vetitum *singulariter* esse duplex in eadem die Sacrificium. Attamen his non obstantibus in ea est sententia, ut putet licere sibi Sacrificium inchoare et perficere usque ad finem ritu consueto, quamvis antea sumpserit species

ab alio Sacerdote consecratas. Ego vero interim (optimo, ni fallor, jure) arbitror secundam Eucharisticam sumptionem non intendi ac praesumi a Capellano seorsim (italice isolatamente) prout sumptio est, sed prout necessario sequitur Sacrificium, illique adnectitur, ut more, rituque solito perficiatur; vult enim celebrare Missam. Unde per consequens, si bene illi vertat, praesumpta Missae celebratio inevitabilis et licita descendat iterata Eucharistiae Communio. Ad hanc itaque praesumptam Missae celebrationem tota reducitur difficultas, quae tamen ex superius dictis satis superque mihi videtur confutata.

Unum tamen remanet, non praetereundum, effugium. Posset siquidem Capellanus vires resumere sic dicendo: duplex Sacrificium, ideoque duplex etiam Communio vetita quidem est regulariter et ordinarie loquendo; at regula excipit extraordinarios aliquos casus, in quibus duplex permittitur Missae Sacrificium: ideoque duplex Eucharistica etiam Communio: atqui in necessaria et extraordinaria ego versor circumstantia, in qua debui vices mortui post peractam consecrationem Sacerdotis supplere: easque consecratas species sumere: Ego etc.

Respondeo: vanissimum est hoc effugium. Primo namque plures a variis Theologis referuntur casus, in quibus ipsi opinantur licitum in eadem die esse secundum Sacrificium. At nullus (quod huc usque sciam) ex consultis a me Scriptoribus meminit hujus, qui hodie proponitur casus. Unde, hoc posito, arbitraria et effraenis foret Capellani nostri pro se opinio, quae in sola ejus mente fundamentum haberet. Secundo, inter plures, qui a variis Theologis proponuntur casus, in quibus licere putant iteratam in uno die Missam, referuntur ad summum duo vel etiam unus tantummodo, in quo affirmativa tenenda sit sententia (ita cordatiores Theologi, sed praesertim legantur Constitutiones Benedicti XIV. *Declarasti* et *Quod expensis*) neque interim locum habet casus praesens. Huic vero notandum est, Doctores et praecipue laudatum Benedictum XIV. ea, qua pollebant sagacitate et praxi, quoscumque investigasse casus, ut formiter doceretur, qua praecise in circumstantia secundum liceret Sacrum facere; et tamen de hoc casu non loquuntur, qui caeteroquin fuisset obviissimus. Tertio omnes omnino de hisce rebus Scriptores, immo Ecclesia, hac super materia, de illa loquitur necessitate, quae post primam supervenit Missam et respicit idcirco secundam, ut (servatis servandis) valeat celebrari. At in praesenti themate hoc non verificatur, cum necessitas adfuerit in prima actione, idest in supplenda mortui Sacrificantis vice et per consequens cum illius ratione supplementi (sicut demonstratum est) ad prius Sacrificium ipse pertineat tamquam verus et proprius ejus Sacerdos, iterum celebrare non potest, nisi aliqua adsit vera et probata necessitas Sacrum iterandi, quemadmodum cuicumque Sacerdoti, qui Missam antecedenter celebraverit, concedit Ecclesia. Cumque in praesenti casu nulla memoretur hujus generis necessitas, ab iterando Sacrificio Capellanus noster arcendus est.

Ita censeo. Satis autem superque ad rem hanc erat aureum Rmi Patris Consultoris Zecchinelli judicium. Ita sentio, meamque interim (qualiscumque sit) hanc operam etc. Emmis PP. emendandam, si lubeat, delendamque subjicio.

Fr. Aloysius Jonni Ord. Eremit. S. Augustini S. R. C. Consultor.

Hisce votis pauca addere mihi liceat.

Adeo clara sunt ea rationum momenta in dissertissimis Theologorum

consultationibus allata, quibus plene est demonstratum, non licuisse Sacerdoti Sacrificium offerre, postquam s. sumpserit species perfecitque Missam ab altero usque ad Canonis partem post Consecrationem productam eoque repentino morte sublato interceptam, ut quid illud superaddendum quaerere ad inutile, vanum, superfluum opus referri posse videatur. Detur tamen mihi venia, si quid ego etiam proferam quod, etiamsi ad quaestionem propositam strictam directamque relationem habere non videatur, nonnihil tamen offert analogiae magisque confirmat potiora argumenta, quae ad scindendum nodum prolata sunt. Ex Ecclesiae instituto cuilibet Sacerdoti datum est in die Dom. Nativ. ter Sacrum facere: Theologi et s. Liturgiae cultores quaerunt: an liceat Sacerdoti communicare extra Sacrificium, sive per seipsum sive omnino, more laico, per manus alterius Sacerdotis, semel vel bis, ante vel postea, celebrare Missam? Et omnes unisona voce concludunt, *non licere:* quia non ad simpliciter communicandum ter in Natali Domini facultas a jure et consuetudine conceditur, sed solum conceditur hac die ter celebrare, ac per consequens ter intra Sacrificium ad illud videlicet consummandum et nullo modo extra illud, communicare, si celebraverit vel celebrare voluerit. Ita *Quintanadvenas in Singul. tom. 1. tract. 4. de Euch. singul. 9.; Card. de Lugo de Euchar. disp. 20. sec. 1. n. 43., Franc. de Lugo de Sacram. lib. 4. de Euchar. c. 9. qu. 5. n. 46., Diana edit. coord. tom. 2. tr. 1. R. 96. §. 3. et tom. 3. tract. 1. Reg. 54. §. 11.; Vasquez qu. 80. art. 11. disp. 214. c. 3. in fine, Merat. tom. 1. part. 4. tit. 3. n. 15.; Gobat apud la Croix lib. 6. part. 1. de Sacrif. Mis. qu. 32. §. 8. n. 242.* Videri etiam potest *Suarez, 3. in tertia par. disp. 69. sect. 4. §. Dices saltem.* Ideo Cardinalis in Officio Diaconi ministrans Pontifici celebranti communicat in Missa; at si Sacerdos sit, neque ante neque post, alias duas vel unam Missam celebrare debet. Idem dicendum de aliis Cardinalibus, qui licet Sacerdotes sint, quia tamen in Diaconorum Ordine sunt, e manu Pontificis S. sumunt Synaxim; nec non de Canonicis Vaticanae Basilicae, qui ministrantes in officio Diaconi vel Subdiaconi onus habent communicandi in Missa Conventuali et de similibus Sacerdotibus, qui inservientes Episcopo de ejus manu communicant. Cur autem ita? Quia statim ac Sacerdos more laico communicavit, non amplius uti potest privilegio concesso ratione Sacrificii, non ratione Communionis. At noster diversus est casus, quum non agatur de Communione more laicorum, sed de perfectione Sacrificii, cujus pars integralis est s. specierum sumptio. Non intercedo; nego tamen, quod unus ad alterum magnam non habeat affinitatem: et quoniam interdictum est Sacerdoti alias celebrare Missas in Nativitate Domini se more laico communicavit; ita vetitum reiterare Sacrificium (excepto casu necessitatis et die Nativ. D., ut infra videbimus) Sacerdoti, qui sumptione s. specierum Missam absolvit ab altero inchoatam et usque ad partem Canonis post Consecrationem productam; quia, ut plane demonstratum est, qui consecravit et qui sumpsit, unus idemque moraliter censendus est; et licet sumptio sit pars integralis Missae, nihilominus nostro in casu, qui sumit ad Sacrificii complementum, magnam partem in eodem Sacrificio habet. *Oblatio, Consecratio, Sumptio* ab unius Sacrificii unitate scindi non debent; quamobrem Capellanus s. species ab altero oblatas et consecratas, ne unum idemque Sacrificium imperfectum relinquatur, sumens, habendus perinde est ac si moraliter

Sacrificium confecisset, quia per sumptionem illud perfecit. Ex allato exemplo Sacerdotis, qui in Officio Diaconi die Nativ. D. communicavit in Missa Pont. vel Convent., sic argumentationem instituo. Si Sacerdoti ministranti in officio Diaconi die Nativ. D. non licet duas alias celebrare Missas, quia de Sacrificio particeps quidem fuit, sed illud non confecit nec perfecit, multo minus licebit illud reiterari a Capellano, qui (intelligendum de diebus, in quibus semel dumtaxat celebrare licet) sumendo species ab alio consecratas nedum Corpore et Sanguine Jesu Chr. se refecit, verum etiam Sacrificantis demortui vices supplendo vere et realiter Sacrificio complementum dedit. Et si vero ex iis, quae huc usque dicta sunt, sequatur, in proposito casu non licuisse Sacerdoti Sacrificium iterare et haec regula sit in similibus omnino servanda, unus tamen est casus, praeter alios ab Ecclesia permissos, qui excipiendus videtur. Potest tale infortunium contingere in die Nat. D. N. J. C., in quo permissum est ter Sacrificium offerre. Poteritne, qui ad perficiendum Sacrificium sumpsit species ab alio consecratas, iterum ad Aram accedere et unam vel duas Missas, vigore privilegii Festivitati adnexi celebrare? Utique posse videtur, ea potissimum ratione, quia, ceu probatum est supra, antecedens Communio nequit haberi tamquam laica, sed ut pars integralis Sacrificii, cujus a loco, in quo primus repentino morbo correptus desiit, vere minister censendus est Sacerdos, qui Missam perfecit: pari jure, ni fallor, quo, ut docent *La Croix l. c. et Diana tom. 4. tr. 8. reg. 94.* §. *1.* aliique, posset Episcopus communicare in Missa, in qua hac die ordinatur et postea legere alias duas Missas; quia in Missa, in qua ordinatur, est simul sacrificans. Neque opponat aliquis casum esse diversum, quia sacrificans vere dici nequit Sacerdos, qui species ab altero consecratas sumens Missam perficit. Nam, ut a doctis Consultoribus demonstratum est, ad unitatem Sacrificii servandam, qui consecravit et qui sumpsit, in casu ut unus moraliter censentur. Rem paucis absolvo. Non licuit in casu proposito Capellano Missam celebrare, quia ex praesenti Ecclesiae disciplina (nisi necessitas urgeat) semel tantum in die fas est Sacrum facere et moraliter fecisse Capellanus censetur Missam perficiendo s. specierum sumptione: licuisset in Natali D. unam vel duas dumtaxat (non autem tres) celebrare Missas, quia ter ea in Solemnitate Sacrificium iterare permissum est, quin obstet s. specierum sumptio, quae vere ad complementum Sacrificii pertinet, nec cum Communione laica confundi debet et ideo tertiae Missae dumtaxat ponit impedimentum.

44) Interruptio non licet.

Vd.: *Missa* (interrupta per administr. SS. Viatici); *Episcop. ass. missae sol.* (Evangelii osculum); *Evang.* (Oscul. celebr.) *Preces publicae.*

Missa non interrumpatur per preces ab Episcopo ordinatas. n. 267 die 11. Junii 1605.

In Collegiata Polinae abusum vigere, ut Celebrans in tertia Dominica cujusque mensis post practam Consecrationem Corp. et Sang. Dom. relicto super altari pretiossisimo Sanguine exposito, pluribus extantibus, cum ipsa hostia consecrata, quam Celebrans sumere debet, processionem incipiat per loca solita; qua paracta Celebrans redit ad altare et Missam perficit. S. C. resp.: Episcopus transmittat informationem, ut removeantur hujusmodi abusus. n. 1027 die 15. Sept. 1635. Vd.: *Ordinat.* (missa.) Ad relationem Magistri Caer.

Hispalen., quod in tempore publicae generalisque necessitatis habentur aliquando preces post calicis elevationem, missa cessante quoadusque in choro finiantur preces et multis in locis hac preces fiuntante *Pater noster* et ab ipso Celebrante dicuntur cum orationibus. S. C. resp.: Abusus omnino tolli debet. n. 2811 ad 9 die 16. Jan. 1677.

45) Coram Laicis.

a) Lumina.

Ad dubium: an Magistratu interessente missae privatae liceat in altari accendere quatuor candelas? S. C. resp.: Affirmative dumodo incedat in habitu consulari. n. 3915 ad 5 die 10. Sept. 1718.

b) Reverentia.

Sacerdos *solemniter celebrans non tenetur* Magistratui facere reverentiam seu capitis inclinationem in fine missae. n. 1455 die 13. Junii 1643.

Nullo modo licet sacerdotibus celebrantibus praesente Principe etc. ad eum conversi confessionem absolvere eique caput inclinare ad verba *Tibi Pater* et *Te Pater*. n. 1978 ad 1 die 29. Mart. 1659.

Nullo modo licere, sacerdotem, antequam populo in fine missae benedicat, Principem seu Ministrum capitis inclinatione venerari. n. 1978 ad 3 die 29. Mart. 1659.

Injungi oretenus Episcopo, qui curet, ut deinceps Presbyteri Terrae Mantechii Magistratum in fine Missae cantatae detecto capite salutent. n. 2255 die 26. Jan. 1664.

Teneri ex urbanitate et juxta solitum suppositum Sacerdotes in ingressu et regressu altaris post venerationem SSmi salutare Magistratum Montis Causaris, nec non etiam illi sedeant ad audiendam concionem. n. 2819 die 3. Apr. 1677.

Sacerdos missam celebraturus, dum vestibus sacris indutus ad altare accedit vel finita missa regreditur, Duci Segobriae nullam reverentiam facere tenetur. n. 2582 ad 4 die 26. Mart. 1672.

Ad dubium: an sit salutandus Magistratus post celebrationem missae, detecto capite, a Sacerdote, ante vel post discessum ab altari? S. C. resp.: Negative. n. 3218 ad 1 die 10. Junii 1690.

Ad dubium: an juxta solitum ex urbanitate post finem missae Sacerdotes in Ecclesiis Petrae Vairanae ipsum Marchionem et alias de familia tamquam Dom. loci possint salutare, quamvis ab Episcopo in Synodo fuerit prohibitum? S. C. resp.: Non videri prohibitam salutationem post actum missae. n. 3638 die 9. Decb. 1702; n. 3658 die 4. Aug. 1703.

Magistratui et Consuli Septempedanae non debetur reverentia seu salutatio a Sacerdote celebrante post Evang. s. Joann. et antequam ab altari recedat. n. 3878 ad 6 die 11. Maii 1775; n. 3915 ad 4 die 10. Sept. 1718.

Ad dubium: an Praetori et Magistratui praesentibus in s. functionibus debeatur tam in accessu quam in recessu ab Ecclesia sive in plano altaris reverentia per Celebrantes capite detecto seu potius cooperto? S. C. resp.: affirmative ad secundam, negative ad primam partem. n. 4058 die 6. Apr. 1737.

Ad dubium: an Gubernatori et Decurionibus civitatis Dertusensis locum habentibus in presbyterio, dum cantatur missa sol., fieri debeat reverentia a Canonico celebrante et Ministris s. ante initium et post finem missae tam praesente quam absente Episcopo? S.

C. resp.: Negative in omnibus. n. 4317 ad 13 die 6. Aug. 1763.

Magistratui Terrae Montis Cassioni Solemniis interessenti tenetur Sacerdos celebrans cum s. Ministris in primo accessu ad altare et ultimo recessu ab eodem tantum salutationem per capitis inclinationem peragere. n. 4338 ad 3 die 16. Decb. 1766.

46) Lecta pro cantata.

Missis lectis loco cantatarum satisfieri potest fundationi ex rationabili causa ab Ordinario dignoscenda et approbanda. n. 4237 ad 8 die 22. Decb. 1753.

Ad dubium: an una ex votivis missis cantandis *legi* possit, ut ambae conventuales in Cathedr. Wilnen. decantentur? S. C. resp.: ut supra n. 4237 ad 8.

47) Licentia celebrandi.

Vd.: *Capella domest.*; *Missa in nave celebranda; Habitus Clericor.* (§. 8); *Missa* (in altar. latini et graeci ritus, decr. Bened. XIV.).

Andrien.

(Conc. Tr. C. 16. S. 23. De refor.)

Episcopus Andrien. obsequi volens dispositioni Sacrorum Canonum et praesertim S. C. Trid. cap. 16. sess. 23 de reform. promulgavit Edictum de mense Octobris anni propè defluxi 1709, in quo sub poena suspensionis à Divinis ipso facto incurrenda praecepit omnibus Sacristis ac aliis, ad quos spectaret, Ecclesiarum tam Saecularium quàm Regularium, ne ullus eorum auderet admittere in suis respectivè Ecclesiis Sacerdotes exteros absque ipsius Episcopi expressa licentia in scriptis obtenta. Huic Edicto obstitit Abbas Monasterii S. Mariae de Miraculis Congregationis Cassinen. ejusdem Civitatis vetans illud affigi ad valvas Ecclesiae d. Monasterii sub praetextu, quod ad ipsum, non autem ad Episcopum spectaret recognitio literarum commendatitiarum, quas exteri Sacerdotes in eadem Ecclesia celebraturi secum gessissent, vigore Indulti specialis s. m. Sixti V., cujus exemplar exhibitum, haec inter alia habet: Dilecti filii etc. Piis votis vestris etc. Volentes itaque vobis, qui ut asseritis apud istam Ecclesiam B. Mariae de Lama alias de Miraculis ob praeclara miracula, quae ibi divina favente Clementia per gloriosae Virginis Matris Mariae intercessionem, ut piè creditur, frequenter ostendit, nuncupatum vestrae Congregationi pridem à fel. rec. Gregorio Papa XIII. concessam, novum Monasterium aedificari facitis, speciali aliquo privilegio decorare, vestris hac in parte supplicationibus inclinati, vobis, ut quoscumque Peregrinos, seu quomodolibet extraneos Sacerdotes, qui vota reddituri aut alias devotionis fervore accensi ad istam Ecclesiam accesserint, si ejusdem Monasterii pro tempore Superiori per legitima documenta ostenderint se Sacerdotes esse, nec ullo suspensionis aut excommunicationis laqueo adstrictos existere ad celebrandum in eadem Ecclesia Sacrosanctum Missae Sacrificium nullius requisita licentia admittere liberè et licitè valeatis utque Monachi in d. Ecclesia pro tempore ad confessiones audiendas deputati quoscumque fideles advenas et peregrinos nullam certam habitationem habentest ac praesertim pecudum Custodes e. Pastores, dummodò ex Dioec. Adrien, non fuerint, omnesque alios externos solo devotionis affectu incensi eò ad confitendum eorum peccata et non in fraudem suorum Ordinariorum accedentes, ab omnibus criminibus et excessibus etiam Ordinariis locorum à jure reservatis injuncta illis eorum arbitrio ejusdem aliqua salutari poenitentia in foro conscientiae absolvere possint, utque ad augendam Populorum

devotionem diebus festivis per Superiorem Monasterii deputandis et *similiter in loco congruo procul à Ecclesia, quantùm arbitrio ejusdem Superioris videbitur designando, Coronae sivè Rosaria, Cruces, numismata et alia id genus, dummodò divinorum celebrationem non impediant, quod idem pro tempore Superior diligenter animadvertat, venundari et venialia exhiberi et proponi liberè et licitè possint* Apostolica authoritate tenore praesentium perpetuò concedimus et indulgemus, non obstantibus Apostolicis ac in Provincialibus Synodalibusque Conciliis editis Constitutionibus et ordinationibus ac Monasterii et Ordinis praedictorum statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque etc. Confirmato deinde praefato Indulto, ab alio simili s. m. Clementis VIII., quorum exemplaria in Summario dabuntur. Quare de re Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis recurrit ad hanc S. C. pro declaratione. Unde requisitus Episcopus informare retulit ad promulgationem memorati Edicti sese devenisse ad tollenda scandala et indecentias, quae inoleverant in ea Civitate in admittendis hujusmodi Sacerdotibus exteris et vagantibus atque additis aliis motivis, quae luculentiùs pro parte Promotoris Fiscalis S. C. exponentur. Hinc concordata fuerunt infrascripta Dubia concernentia nedum enunciatam Presbyterorum admissionem, verum etiam Edictorum Episcopalium affixionem ad valvas Ecclesiae praefati Monasterii, necnon facultatem absolvendi à casibus et excessibus reservatis impartitam Monachis ejusdem Monasterii in recensito Indulto Sixtino. Quae hodiè partibus monitis proponuntur ex deducendis definienda à rectissimo. EE. VV. judicio:

I. An et intra quot dies eorum permanentiae in Civitate Andriae Sacerdotes exteri valeant celebrare Missas in Ecclesia S. Mariae de Miraculis Ordinis Cassinensium ejusdem Civitatis absque licentia Episcopi Andrien. in vim Brevis Sixti V.?

II. An Edictum Episcopi prohibens Sacristis Ecclesiarum admissionem Sacerdotum exterorum non comprehensorum in dicto Brevi ad celebrand. absque licentia ejusdem Episcopi afficere valeat etiam Sacristas dictae Ecclesiae?

III. An Abbas seù Superior d. Ecclesiae seù Monasterii debeat permittere affixionem Edictorum Episcopi concernentium exercitium suae Jurisdictionis tam respectu subditorum Saecularium quam Regularium in iis, in quibus isti ei subduntur?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Affirmative et quoad praefinitionem temporis iterum proponatur;

ad 2.: Affirmative;

ad 3.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Die 29. Novb. 1710.

Andrien.

(Continuatio ejusdem causae.)

In causa vertente inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Andrien. ex una et Abbatem et Monachos Monasterii S. Mariae de Miraculis d. Civitatis Ordinis Cassinen. ex altera partibus impartita nova audientia utrique parti respectivè non acquiescenti hujusmodi resolutionibus, et quatenus placeat, persistere in decisis quoad primam partem primi Dubii, reproponitur alterum Dubium quoad secundam partem ejusdem primi non resoluti. Super quibus ex deducendis expectatur humiliter definitio EE. VV.:

I. An et in quibus standum vel recedendum sit à decisis sub die 29. Novembris 1710 in casu etc.? Et qua-

tenus in decisis quoad primam partem primi Dubii?

II. Intra quot dies eorum permanentiae in Civitate Andriae Sacerdotes exteri valeant celebrare Missas in Ecclesia S. Mariae de Miraculis Ordinis Cassinensium ejusdem Civitatis absque licentia Episcopi Andrien. in vim Brevis Sixti V.?

S. C. C. resp.: In Decisis.

Die 24. Jan. 1711.

Ad dubium: an Sacerdotes, qui volunt ob eorum devotionem celebrare in Ecclesia s. Joannis B. (in qua est Confrat. SS. Sacramenti) parochiali Fractae, vel divina Officia peragere, possint hoc facere cum sola licentia priorum et confratrum sive potius jus dandi licentiam spectet ad parochum? S. C. resp.: Quoad missas privatas posse, excepto altari proprio parochi; quo vero ad Officia, nonnisi de licentia parochi. n. 3902 ad 7 die 7. Aug. 1717.

Idem responsum fuit ad dubium: An jus concedendi licentiam Benefactoribus adventitiis pro celebratione missarum, Officiorum sive Festivitatum, quae aliquando occurrere possunt, spectet ad Priores dictae Societatis SSmi Corp. Chr. sive potius ad parochum? *(Datum ut supra ad 9.) Episcopi* non habentes facultatem specialem concedendi in *Oratoriis privatis et Capellis* pro saecularibus et aliis legendi missam, non possunt licentiam dictam petentibus concedere. n. 4205 ad 7 die 20. Sept. 1749.

S. C. C. de mandato Pauli V. P. M. 15. Oct. 1615 irritavit licentias omnes, celebrandi in *Oratoriis priv.* ab Episcopis concessas et expresse prohibuit, ne hujusmodi licentias concedere auderent. Idem repetit decretum Clem. XI. PP. 14. Decb. 1703 et denuo confirmat S. C. C. 1. Febr. 1847 in resp. ad Epis. Monastericens.

Abbas titul. sine jurisdictione tamquam Praelatus domesticus Papae non potest dare facultatem sacerdotibus, ut in sua praesentia possint celebrare in cubiculis principum non habentium Breve ad hoc. n. 2767 die 11. Jan. 1676.

Cusentina.

Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarunt Parochi loci vulgo Melito Dioecesis Cusentinae, quatenus dignaretur mentem suam aperire super Dubio, quod enodandum eidem proponunt conceptum ut sequitur: An Sacerdos simplex, seu ad titulum Patrimonii ordinatus possit in Ecclesiis Parochialibus vel Filialibus vel Ruralibus Missam cum cantu vel de Sancto vel de Requie celebrare in diebus festivis vel ferialibus, invito et contradicente Parocho et postea facere absolutionem prout de more?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, propositoque dubio mature considerato, rescribendum censuit: „In Ecclesiis Parochialibus et Succursalibus requiritur consensus Rectoris.“ Die 26. Apr. 1834. n. 4722.

Ad celebrandum in Ecclesiis Monialium requiritur specialis facultas, Vd.: *Breve Innoc. XII. die 20. Novb. 1691.*

De licentia missam celebr. in altari Papali, vd.: *Indulg.* (altaris a Pont. consecrati.)

48) Lumina.

Vd.: *Missa privata Episcopi, Dignitarii;* Cor. Laicis; *Candela.*

49) De Martyre.

Vd.: *Martyr.* (missa)

50) In Nativit. Dom.

Vd.: *Nativit. Dom.*

51) In Nave.

Benedictus PP. XIV.

Nos piis Magni Magistri Hospitalis s. Joannis Hierosolym. votis annuere volentes, moderno ac pro tempore existenti Magno Magistro et dilectis Filiis Hospitalis dicti petitam facultatem celebrari faciendi SS. missae Sacrificium tum tempore navigationis, quo Triremes anchoratae sunt, in quibusvis oris, littoribus et portubus, habitatis et non habitatis, et dommodo celebratio missae eo tempore, quo mare tranquillum et coelum serenum reperiatur et cum assistentia alterius presbyteri seu diaconi fiat, ita ut periculum effusionis Sanguinis in dicta celebratione minime adsit, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Quibuscunque contrariis non obstantibus.

Datum Romae die 15. Jan. 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 63.)

Indultum ejusdem tenoris pro Triremibus Pontificiis vd. in Constit. Bened. XIV. die 28. Apr. 1742. *(Ibid. p. 91.)*

Sacerdotes Capellani Regiae Sardiniae Marinae grave admodum quum experiantur in itineribus ut plurimum ferialibus diebus abstinere ab incruento Missae Sacrificio celebrando, nam in Festis Missam celebrare assolent in Sacellis positis in latere Navis supernatantis, ubi comitatus etiam dormit, SSmum D. N. Pium IX. P. M. proprio et consodalium nomine rogavit Sacerdos Aloysius Mellini, ut Apost. elargiri dignaretur indultum, cujus vigore ipsis deinceps liceat, dum in itinere maritimo versantur, Missam singulis diebus celebrare in proprio cubiculo, ubi de nocte dormire adiguntur. S. S. referente subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne annuit juxta preces, secluso tamen omni periculo et dummodo debitae decentiae fuerit consultum. Contrariis etc. n. 5090 die 5. Mart. 1847.

Anconitan.

Beatissimo Padre.

„Jl Sacerdote Prospero Pichi Canonico della Cattedrale di Ancona avendostabilito di fare un viaggio di mare, e non volendo in questo tempo restar privo della spirituale consolazione di celebrare l'incruento Sagrifizio della Santa Messa, supplica umilmente la Santità Vostra per la facoltà di poter celebrare nel Bastimento. Che ec.

„SSmus D. N. Pius IX. P. M., referente subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne annuit juxta petita, dummodo Orator omnem adhibeat diligentiam, ac curam impendat, ne Sacrosancta Mysteria in aliquo detrimentum patiantur.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5120 die 30. Sept. 1847.

Clemens PP. XIII.

§. 1. Nuper pro parte charissimi in Christo filii Nostri Caroli Em. Sard. Regis Nobis expositum fuit, quod ipse Carol. Em. desiderans tam Officiales quam Milites, Nautas et Turmam catholicam aliosque Vectores, qui super classi Navigiorum Liburnicor. ac Triremium suarum reperiuntur, tempore expedit. contra communes christ. nominis hostes et pro tuendis ditionibus, longo tempore et multotities in solem. anni festis, prout etiam quando in oris maritimis cath. Principum et in illorum portubus existunt, tum propter anni tempestates sibi adversas, quae minime permittunt tentorium in terra figere et obtentere, sub quo missae Sacrificium celebrari possit, tum propter distantiam terrae firmae, SS. Missae Sacrificium audire non posse, ut hisce incommodis et inconvenientibus occurri possit, idem missae Sacrificium in na-

vigiis Liburnicis et triremibus praedictis celebrari facere posse plurimum desiderat. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Carolo Emman. Regi ejusque Natis et Successoribus petitam facultatem celebrari faciendi SS. Missae Sacrificium hujusmodi in dictis navigiis Liburnicis et triremibus suis tempore Navigationis, tum tempore, quo Navigia Liburnica et triremes hujusmodi anchoratae sunt in quibusvis oris maritimis et litoribus ac portubus habitatis et non habitatis et dummodo celebratio praedicta eo tempore, quo mare tranquillum et coelum serenum reperiatur et cum assistentia alterius presbyteri seu diaconi fiat, ita ut periculum effusionis sanguinis minime adsit, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus Quibuscunque.

Datum Romae die 17. Decb. 1763. (Bull. r. Continuatio t. II. p. 432. Ed. Rom. 1837.)

52) In Nocte.

Pius PP. VI.

Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum villae de Mula Carthaginensis dioecesis nec non habitantium ejusdem villae expositum Nobis fuit, quod maximus quidem est devotionis affectus simulque magna populi frequentia, qua colitur dies festus Conceptionis Beatae Virginis Mariae immaculatae in ecclesia dicti conventus. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, pro spirituali totius populi villae praedictae consolatione in nocte vigiliae dictae festivitatis missam decantare posse, prout alias parochiali ecclesiae sancti Aegidii villae de Molina Seguntinae dioecesis apostolica auctoritate pro nocte hujusmodi concessum fuit, sibi ipsis quoque per Nos concedi plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati eisdem exponentibus, ut in nocte vigiliae festivitatis praedictae atque in ecclesia conventus hujusmodi post mediam noctem unam missam celebrare et decantare libere ac licite possint et valeant facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus praemissis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die decima sexta Septembris 1776.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 285. Ed. Rom. 1847.) Vd.: *Missa* (hora).

53) Obligatio.

a) Audiendi.

Vd.: *Fenestra*; *Vacatio ab operibus*; *Capella Episcopalis* (decr. n. 4547 nota); *Commemor. Omn. fid. def.* (missa; estne de praecepto?); *Patr. princip.* (estne fest. de praecepto?); *Orator. privat.*; *Patron. Dioec.* (Non est oblig. decr. de die 27. Sept. 1828 ad 1); *Nundinae*; *De oblig. missas aud. in die Nativit. D.*, vd.: *Orator. privat.* (Discursus Secretarii S. C. C.)

Expositum fuit, quod carceres Aretii sunt adnexi Palatio Commissarii Ducis Etruriae; intus vero carceres adest quaedam capella, in qua celebratur Missa ab immemorabili absque ulla notitia privilegii vel concessionis. In eadem Capella exstat fenestra, quae correspondet in sola dicti Palatii. Quaeritur: An Commissarius cum sua familia, audiens

ex dicta fenestra missam, satisfaciat praecepto Ecclesiae? S. C. resp.: Negative. n. 3085 die 2. Junii 1685.

Meliten.

Intra septa Coenobii Ord. Min. Conventualium S. Francisci Civitatis Valletta vulgo nuncupatae erectum reperitur Oratorium Sodalitatis Conceptionis Deiparae inibi institutae, in quo quidem Oratorio ab Episcopo adprobato et benedicto Sodales aliique Fideles conveniunt s. exercitia explentes et Missae Sacrificio pro praecepto adimplendo adstantes. Ast quum nonnulli dubitarint, num omnes Fideles praeceptum Missae in Festis servent memorato in Oratorio, S. R. C. humillimae datae sunt preces a Moderatoribus Sodalitatis ipsius pro opportuna declaratione, nimirum: An omnes Fideles adstantes Missae in memorato Oratorio ab Episcopo adprobato et benedicto, praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro satisfaciant? Emus et Rmus D. Card. Carolus Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius, ac eidem S. R. C. Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a SSmmo D. N. Gregorio XVI. P. M. tributarum, rescribi mandavit:

Affirmative. n. 4922 die 22. Maii 1841.

Clemens PP. XIII.

(Dispensatio.)

Venerabili Fratri Episcopo Mirandem.

§. 1. Cum, sicut quaedam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servanda, ut in his, quae vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis Evangelicis contrarium nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum. Ea propter Apostolica haec Sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium luxuriamque convertuntur aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

§. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem Fraternitati tuae innotuit, quod in tua Civitate et Dioecesi Miranden. adeo excreverunt calamitates et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere operibusque mecanicis sese addicere pro pane lucrando et id eo facilius contigit, ob excretum dierum festorum numerum. Ac proptera Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam et humanam vitam honeste sustinendam adhibere, quam per severiorem Ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodo-

libet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus in praedicta tua Miranden. Dioecesi existentibus, ut deinceps omnibus diebus Dominicis nec non Natalis D. N. J. C. et sequenti S Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis et sequenti, Pentecostes et sequenti, ac Corporis Christi et Ascensionis, S. Joannis Baptistae et SS. Petri ac Pauli Apostolorum et Commemorationis Omnium Sanctorum, praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini Immaculatae, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis nec non S. Patroni aut Tutelaris cujuslibet loci, pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis vero festis sive per hanc S. Sedem praeceptis sive per Synodales ejusdem Dioecesis Constitutiones sive quacumque alia de causa etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem, quoque Auctoritate nostra Apostolica per te commutari volumus, praeceptis praescriptisque (audita missa) laboriosis suarum artium exercitationibus servilibusque operibus sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, Auctoritate Nostra Apostolica concedas et indulgeas, permittas ac statuas praecipias et mandes.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus nec non Dioecesis praefatae illiusque locorum etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis.

(Bull. rom. Continuat. t. I. p. 85. Ed. Romae 1835.)

Clemens PP. XIII.

(Abbati Monasterii s. Juliani de Samos.)

§. 1. Cum, sicut quaedam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum opporteat temperari, illa semper consideratione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis Evangelicis contrarium nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum; ea propter Apostolica haec Sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quod integrum sibi fuit, consuevit Supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium luxuriamque convertuntur aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiae angore contemnuntur.

§. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis nuper expositum fuit, in locis jurisdictionis Tuae ac pro tempore existentis Abbatis Monasterii S. Juliani de Samos Ordinis Sancti Benedicti Nullius Dioecesis Provinciae Compostellanae adeo excreverunt calamitates et angustiae, ut quampluri-mis locorum jurisdictionis praefatae hominibus, qui manu et labore in sudore vescuntur pane suo, attenta alendae vitae necessitate, diebus festis

de praecepto vetitis laboribus aditum jam late aperuerunt, si per omnes dies festos hujusmodi a servilibus operibus abstineant, ad vitam lucro sustinendam haud quaquam tempus sufficiat, ac propterea Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam et humanam vitam honeste sustentandam adhibere, quam per severiorem Ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni Tuae, fili Abbas, qui (ut asseritur) particulare ac separatum territorium habes ac jurisdictionem quasi episcopalem in dictis locis exerces, etiam si ex illis personis non sis, quibus similes gratiae per Sedem Apostolicam committi consueverunt, per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis omnibus utriusque sexus eorumdem locorum Tuae jurisdictionis Nullius Dioecesis Provinciae praefatae personis, ut deinceps exceptis omnibus diebus Dominicis, Natalis Domini Nostri Jesu Chr. et sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis et sequenti, Pentecostes et sequenti itidem diebus, nec non Ascensionis Domini Nostri, Corporis Christi, S. Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, S. Jacobi et Commemorationis omnium Sanctorum, praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini Immaculatae, nempe Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, necnon Sancti Patroni aut Titularis cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis diebus festivis sive per hanc Sanctam Sedem praeceptis sive per synodales eorumdem locorum jurisdictionis hujusmodi constitutiones sive quacumque alia, etiam voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra Apostolica, per Te commutari volumus causa praeceptis, audita Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus servilibusque operibus sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra praefata concedas, indulgeas et permittas ac statuas, praecipias et mandes.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis ac in Universalibus provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon locorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die IV. Junii 176[illegible].

(Bull. r. *Continuatio* t. I. p. 333. Ed. Rom. 1835.)

Eandem facultatem tribuit Clem. PP. XIII. *Episcopo Placentino* in Constitut. ejusdem tenoris, ut supra, die 30. Aug. 1763; (*Ibid.* p. 397); *Episcopo Burgi* die 30. Aug. 1763; (*Ibid.* p. 398); *Episcopo Majoricensi* die 10. Febr. 1774; (*Ibid.* p. 443); *Episcopo Lausannensi* die 4. Juii 1764; (*Ibid.* p. 462)

Pius PP. VI.

Quaestio I.: Num fidelibus liceat diebus ferialibus sacrificio eucharistico assistere celebrato a parocho aut simplici presbytero, qui civicum juramentum emiserint?

Quaestio II.: Num fidelibus liceat dominicis aliisque festis de praecepto die-

bus eucharistico sacrificio assistere a praememoratis sacerdotibus celebrato?

Quaestio III.: Num fidelibus liceat assistere vesperis, quae celebrantur aliisque publicis precibus, quae recitantur sub directione parochi aut presbyteri jurati?

His tribus quaestionibus responsum fuit ut sequitur: Non licere fidelibus sive diebus ferialibus sive dominicis aliisque festis de praecepto diebus missae assistere celebratae a parocho vel simplici presbytero, qui civicum juramentum emiserint: neque eisdem fidelibus licere vesperis publicisque precibus assistere, quibus parochus vel simplex presbyter juratus praeest. Cum enim vetita expresse fuerit a sanctissimo Domino nostro per literas apostolicas in forma Brevis die XIX Martii superioris anni quaevis communicatio praesertim in divinis cum intrusis et refractariis, quocumque nomine apellentur, evidens profecto est vetitam eo ipso fuisse communicationem in divinis cum parochis simplicibusque presbyteris juratis, quos refractariorum nomine venire nemo prudens ambiget. Jam vero si fideles assisterent missae sacrificio celebrato a presbyteris juratis sive ferialibus diebus sive diebus festis de praecepto, aut si assisterent vesperis aliisque publicis precibus, quae recitantur sub directione parochi aut presbyteri jurati, cum ipsis profecto in divinis communicarent. Ex quo illud consequitur, abstinere fideles debere ab assistendo tum diebus ferialibus tum diebus festis de praecepto missae sacrificio celebrato a parochis et simplicibus presbyteris juratis atque ab assistendo vesperis ac aliis publicis precibus, quae recitantur sub assistentia parochi aut simplicis presbyteri juramento civico obstricti.

Datum Romae die 28. Maii 1794.

(Bull. r. Continuat. t. IX. p. 313.)

Pius PP. VIII.

(V. Fr. Ep. Reatino.)

Exponendum Nobis curarunt dilecti filii Aloisius, Joannes Maria, Dominicus et Antonius Blasetti Germani fratres, ac dilectae in Christo filiae Maria Anna, Catharina ac Magdalena, eorum sorores istius tuae Realinae dioecesis se ista in civitate amplas emisse aedes, quae olim ad familiam Amati pertinebant, earumque in pariete esse fenestram, e qua in proximam parochialem ecclesiam s. Juvenalis prospectus patet. Verum quum sibi jus sit eam servandi reclusam (quemadmodum a venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum congregatione decretum), sibi propterea optatissimum foret, ut non soli ipsi ac posteri, verum etiam consanguinei et affines ac famulatus, qui illa ex fenestra sacris eodem in templo celebraturis intersunt, diebus festis ecclesiastico praecepto satisfaciant. Supplici ergo cum prece a Nobis petiere hujus rei causa apostolica venia muniri.

Nos igitur oratores nec non alios, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut, quum ita se res habeant, prout expositae, auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus vi oratores, ac qui ex eorum recto stipite in perpetuum descendunt, nec non consanguinei et affines una cum eis vitam degentes ac famulatus diebus quibuscumque per annum festis ex illa fenestra sacerdoti adstantes, dum sacrum in parochiali ecclesia facit, ecclesiastico praecepto rei diviniae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit, ut tum lignea tum ferrea crate fenestra sepiatur, utque per inscriptionem publico et obvio loco positam constet, confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui; volumusque hac de re firmam ac ratam

esse auctoritatem VV. Fr. Fr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Datum Romae apud sanctum Petrum die vicessima tertia Junii 1829.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 23.)

b) Celebrandi.

Vd.: *Applicatio*; *Missa* (Applicatio); *Stipendium*.

Ad dubium: 1) An Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capellaniae, Legati aut stipendii celebrare quotidie missam *per se ipsos*, possint aliquando a celebratione vacare? Et quatenus affirmative,

2) quando et quoties a dicta celebratione vacare possint?

3) An diebus licitae vacationis possint missas pro se ipsis vel aliis praeterquam pro fundatoribus celebrare? Et quatenus affirmative,

4) An pro aliis celebrando possint Stipendium pro hujusmodi celebratione percipere?

5) An aliis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur missam ab aliis celebrare facere juxta intentionem fundatorum?

6) An Sacerdotes ut supra obligati celebrare missam quotidie absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare?

S. C. Conc. resp.:

Ad I. et II.: Affirmative, concurrente aliqua rationabili causa.

Ad III., IV. et VI.: Negative.

Ad V.: Distulit resolutionem.

Die 18. Sept. 1683.

Ad dubium: 1) An celebratio missarum relictarum a Jos. Ruffo, Archidiacono Gaballo et Joa. Dattilo in altari SS. Trinitatis et B. V. M. erecto in Ecclesia PP. de Obs. S. Francisci civitatis Uxenti privative spectet ad dictos PP. vel potius sit in arbitrio Annae Mariae Gabello alios deputare Sacerdotes?

2) An dicti Regulares teneantur patientiam praestare, ut in eorum Ecclesia Sacerdotes saeculares missas relictas celebrent?

3) An onera eorundem missarum sint transferenda ad aliam Ecclesiam?

S. C. Conc. resp.:

Ad I.: Affirm. ad primam partem, negat. ad secund. in actu, de quo agitur, excepto Legato Archid. Gaballo.

Ad II.: Teneri quoad Legatum Archid. Gaballo solutis Utensilibus et non attenta reductione. In reliquis provisum in primo.

Ad III.: Negative.

Die 13. Jan. 1748.

Ad dubium: 1) An celebratio missae injunctae ex praecepto Testatoris in die sui Anniversarii fieri debeat dumtaxat in aliquo altari privil. existente in Ecclesia Conventus Ord. Servorum B. V. M. Caesenae, seu potius in singulis altaribus privil. omnium aliarum ecclesiarum dictae civitatis?

2) An missarum numero, qui celebrari deberet in omibus altaribus privil. dictae civitatis, satisfieri valeat in solis geminis altaribus Ecclesiae dictae conventus?

3) An celebratio aliarum duarum missarum similiter ordinata ab eodem Testatore in qualibet die solemnitatum festivitatis B. V. M. ac Jesu Chr. fieri debeat dumtaxat in duobus festis sol. B. V. M. Sept. dolorum in Dom. 3. Sept. et fer. VI. post dom. Pass. seu potius in omnibus solemnitatibus B. V. M. et Jesu Chr. infra annum occurrentibus?

4) An omnium dictarum missarum onus adimpleri debeat per solum decennium sive potius in perpetuum?

S. C. Conc. resp.:

Ad 1.: Negative quoad primam partem, affir. quoad secund.

Ad 2.: Negative.

Ad 3. et 4.: Negative quoad prim. partem, affir. quoad secundam.

Die 4. Jun. 1738.

Ad dubium: An missa quotid. fundata in altari SS. trium Regum, erecto in Ecclesia s. Crucis PP. Reform. S. Francisci privative celebranda sit a Patribus, sive potius celebrari possit a Capellano ab haeredibus deputato?

2) An dicti Patres teneantur praestare patientiam pro celebratione dictae missae, soluta eisdem subventione pro Utensilibus, sive potius sit locus translationis dictae missae ad aliam ecclesiam arbitrio haeredis?

S. C. resp.: Ad 1.: Negative ad prim. partem. Affirmative ad secundam.

Ad 2.: Negative ad primam partem; quo vero ad secundam affirm. ad aliam Ecclesiam designandam ab Episcopo.

Die 12. Decb. 1733.

Cf.: *Obligatio Episcopi celebrantis; De oblig. celebrandi tres missas in nativit. Dom.;* vd.: *Nativitas Dom.* (missa; decr. n. 4603 nota.); *Orator. priv.* (Discursus Secret. S. C. C.); *Residentia Sacerdotis; Missa* (descriptio). *Missae* (duae non sunt leg. ab uno sacerdote eodem die etc. — decr. Bened. XIV.).

54) In Oratorio vel Capella domestica.

Vd.: *Oratorium* (missa).

55) In Ordinationibus.

Vd.: *Ordinatio* (missa).

56) Pro Pace.

Mexicana.

Quum in Mexicanae Dioecesis Ecclesiis solemnis expositio Sanctissimi Sacramenti Quadraginta Horarum quatuor complectatur dies, dubitari assolet, in qua ex duabus integris diebus celebrari debeat Missa votiva solemnis pro Pace, ad quam quidem dubitationem eliminandam Sacrorum Rituum Congregationi supplicatum est pro opportuna declaratione. Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi animadvertentes in Instructione Clementina quoad modi expositionem §. XIII. nil sancitum fuisse pro qualitate hujusmodi Missae votivae, ibidemque praescriptum fuisse Missam pro Pace celebrandam, donec aliter Summus Pontifex constituat; probe censuerunt in Dioecesibus ab Ordinariis Locorum constituendum, quae et quando Missa votiva tali occasione celebrari debeat, ac proinde in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, audita relatione ab infrascripto Secretario facta ad propositam quaestionem Dioecesis Mexicanae respondendum censuerunt: „Arbitrio Episcopi quoad qualitatem Missae votivae et assignationem diei vel secundae, vel tertiae.“

Atque ita rescripserunt. Die 22. Maji 1835. n. 4744.

57) De Passione Dom.

In missis de Passione Dom. in feriis sextis per annum celebrandis *colore violaceo* utendem est. Quantum ad *Organum* conformandum cum ritu Dominicae de Passione, cum participet in titulo et Sacramento mortis Jesu Christi. n. 2859 ad 9 die 12. Mart. 1678.

Ad preces: secundam missam de passione Dom. cum gl. et cr. in altari SSmi Crucifixi singulis dominicis praeter Resurrection. D. N. et Pentecosten celebrare liceat, S. C. resp.: (preces) rejiciendas esse. n. 2121 die 2. Julii 1661.

Ad petitionem: utrum in Ecclesiis, ubi est frequens Sacerdotum numerus, quatuor tantum altaria habentur, in dominica palmarmum possint nonnulli sacerdotes celebrare missam votivam de Passione, ut Benedictio, processio et passio in praesentia regis Lusitaniae hora possint peragi competenti?

S. C. resp.: Non esse dicendas ullo modo missas votiv. in die tam solemni. n. 1554 ad 1 die 14 Apr. 1646.

58) Plures.

a) Uno tempore, Sacerdote tamen uno totum Canonem proferente.

Vd.: *Canon.*

b) Presbyteror. graecor. et latinor. in uno altari et ecclesia.

Vd.: *Missa* (altare).

c) Presbyteror. latinorum.

Vd.: *Missa* (in Commem. Omn. fid. def. in regnis etc.); *Missae* (duae non sunt leg. ab uno sacerdote eodem die etc. — decret. Bened. XIV.); *Nativit. Dom.* (missa, decr. n. 4603 nota.)

d) Presbyterorum graec. in Quadrag.

Benedictus PP. XIV.

Tenore praesentium, ut tempore jejunii Quadrag., quo, exceptis dominicis, sabbatis et nonnullis solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more, nonnisi missa praesanctif. celebratur, *Graeci et Albanenses presbyteri*, servato tamen nec praetermisso in parochialibus ecclesiis praesanctificatorum ritu, in aliis altaribus seu ecclesiis sive capellis pro sua ac fidelium devotione missas integras quibuslibet hebdomadae diebus ac praesertim, cum dies festi de praecepto latinae ecclesiae occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo majoris hebd. triduo celebrare possint et valeant concedimus et indulgemus.

Constit. Bened. XIV. die 26. Maji 1742 ad Italo-Graecos. (Bull. r. t. XVI. p. 98. XVI.)

De concelebrantibus plurib. Sacerdotibus Orientalibus vd.: *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV. p. 37.)

e) Presbyteri Orient. non debent plur. (tres) Missas celeb. in Nativ. D.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Missae tres.)

59) Pontificalis.

a) Episcopi.

Vd.: *Missa sol. Episcopi; Diaconi assist.*; *Assistens*; *Diaconus et Subdiaconus*; *Ministri in Pontificalibus etc.*; *De missa Pontif. cor. exp. SSmo,* vd.: *SS. Sacrament.* (Expos. *in Pontif.*); *Tabernacul.* (in Cathedr.)

b) Usum Pontif. habentium.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. n. 2297; 4641 et alia.)

60) Praesanctificata.

Vd.: *Parasceve* (missa, decr. n. 4609 nota); *Missa praes. Graecor. in Quadrag.*, vd.: *Missae plures* (presbyt. graec. in Quadrag.); *Ritus graec.* (Constitut. Bened. XIV. §. 30.)

61) Prima noviter ordinati Presbyteri.

Ad dubium: an Sacerdos noviter ordinatus possit primam missam suo arbitrio celebrare etiam in festis duplicibus, S. C. resp.: *Servandas esse rubricas.* n. 1672 die 24. Maii 1653.

Vd.: *Missae* (tres novi Presbyt.)

62) Privata.

a) Abbatis.

Vd.: *Cassinenses*; *Usus Pontifical.*

Abbates Ordinis Monachorum Coelestinorum benedicti non possunt in missa priv. habere assistentes vel plures personas pro servitio, non possunt apponere 4 candelas, nec ab altari sumere paramenta, nec parare abacum cum pelvi et urceolo argenteis, nec adhibere, quidquid permittitur Episcopo, quando private celebrat. n. 2661 ad 1 die 2. Decb. 1673; n. 3119 ad 1 die 20. Julii 1686.

Simplici Praelato privatim celebranti non convenire paramenta ex altari sumere. n. 830 die 18. Aug. 1629.

Exponentibus Coabbatibus *Coelestinis* benedictis, quod videtur ipsis convenire, ut in missis privatis adhibeant duos ministros inservientes cum cotta et apponantur quatuor candelae, nedum ex privilegiis, verum etiam quia participant ex communicatione privilegiorum Abbatum Cassinensium, ideoque iidem oratores supplicarunt pro dicta concessione. S. C. resp.: Docto de privilegio apost. concesso Cassinensibus posse concedi. n. 2725 die 30. Mart. 1675.

Non licet Abbati Collegiatae Terrae Laureti Pennan. celebrare missam lectam cum 4 candelis accensis. n. 3823 ad 3 die 22. Mart. 1710.

b) Canonicorum.

I. Paramenta, ministri etc.

Vd.: *Canonici* (paramenta etc.); *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 16 et 24, et alia decreta); *Bugia etc.*

Non licuisse, neque licere Canonicis Cathedr. Pataviens. assumere paramenta neque de neque in altari, non obstante consuetudine etiam immemorabili in contrarium, quam abusum impraescriptibilem esse. n. 2641 die 17. Junii 1673; n. 1335 die 6. Julii 1641; n. 2550 die 13. Junii 1671; n. 4063 ad 4 die 3. Aug. 1737.

In celebratione missae privatae Canonici tam Cath. quam Colleg., sive alius quilibet sacerdos Episcopo inferior, non possunt adhibere ultra duas candelas in altari et habere ministrum inservientem, qui missali assistat, folia vertat etc. n. 3119 ad 1 die 20. Julii 1686.

Non licet Canonicis in missis priv. tam intra quam extra Cathedr. uti opera inservientis Missae, pro delatione calicis ... indicando orationes etc. n. 4434 die 27. Maii 1788 (24. Sept. 1788).

Ad dubium: An Archidiaconus et Canonici in eorum Missis celebrandis tam intra quam extra Cathedralem, ultra unum inservientem, qui Missae respondeat, uti valeant dicto Magistro caeremoniarum sive sine sive cum veste violacea, vel alio ministro Sacerdote tam pro delatione Calicis ad Altare et illius reportatione ad Sacristiam, quam pro sustinendo Missale, indicando Orationes, aperiendo et cooperiendo Calicem, in illum infundendo vinum et aquam, porrigendo Patenam, cum Hostia, itemque Calicem, eumdemque postea cum velo instruendo ad instar Episcoporum, sive potius celebrare, ut quilibet alius simplex Sacerdos, omnes relatos ritus a semetipsis explendo absque ope Ministri?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:

„Negative in omnibus quoad primam partem et Affirmative quoad secundam.“

Et ita decrevit ac servari mandavit. n. 4028 ad 4 die 22. Jan. 1735; n. 4536 ad 6 die 4. Junii 1817; n. 4062 ad 14 et 15 die 3. Aug. 1737.

Nota Gardellini ad hoc decret.

Plura sunt S. R. C. Decreta, quae statuunt Canonicis Cathedralium, Vicariis generalibus, Protonotariis Apostolicis honorariis etc. in Sacro privatim faciendo nullam distinctam honorificentiam deberi, eosdemque nihil differre a simplicibus Sacerdotibus. Quin immo, quamvis plura sint privilegia, quibus gaudent Abbates usum Pontificalium habentes, attamen dum privatim Sacrificium offerunt, nequeunt a simplici Sacerdote distingui, ut cautum est in Decreto generali jussu S. M. Alexandri VII. emanato, sub die 27. Sept. 1669 *) multo etiam minus permissum erit Dignitatibus, Canonicis,

*) Vd.: *Usus Pontifical.*

Vicariis, Protonotariis Apostolicis honorariis etc., quod Praelatis omnibus, qui usum Pontificalium habent, sed Episcopo sunt inferiores, vetitum est. Videri prae aliis possunt Decreta in Oritana, Tudertina, Pisana, Caesenaten., Senen., Fulginaten., Aquilana et Asculana.

Consueverunt ex usu inveterato Canonici Cathedr. Rieti, cum abest Episcopus dioecesis, vestire se, dum, se disponunt ad missam celebrandam, in uno latere altaris. Antiquus ille usus paucis abhinc annis abolitus fuit ab uno Episcoporum civitatis Rieti, eo quod jus illud existimaret spectare tantum ad Praelatos et Protonotarios apost. Actualis Episcopus gratiam capitulo concedere volens, supplicatur hanc consuetudinem confirmare privilegio. S. R. C. resp.: Obstant decreta. Die 19. Mai 1838.

II. Tempore chori.

Omnino tollendum abusum celebrandi missas *privatas in altari majore* dum in choro cantantur horae canonicae; in aliis vero altaribus, quae sunt in conspectu chori idem faciendum, si commodo fieri potest. n. 588 die 2. Mart. 1620.

Canonicis non licet celebrare missam tempore divinorum Officiorum sine licentia Praepositi et idem concedere non debet, nisi utile et necessarium pro Ecclesia judicaverit. n. 2475 ad 8 die 23. Mart. 1669.

Si tempore horarum canonicarum quisquam de choro missam privatam ex devotione vel obligatione *sine tamen necessitate* celebret, non potest lucrari distributiones. n. 923 ad 4 die 5. Julii 1631.

Ad dubium: Utrum Decretum prohibens celebrare Missam in Altari majore dum recitatur Officium in Choro, intelligendum est tantum de Altari, circa quod Chorus positus est, ut communiter sunt Chori in Ecclesiis Romae, vel etiam quum Chorus situs est in extrema parte Ecclesiae et in loco elevato et dissito ab Altari majore, ut sunt in Ecclesiis Hispaniae et Americae?

Emmi et Rmmi P.... rescribendum censuerunt:

„Servanda esse decreta."

Atque ita S. C. rescripsit et servari mandavit. n. 5224 ad 11 die 14. Maii 1856.

Vd.: *Genuflexio chori infra miss. etc.*

c) Dignit. et Vicar. generalis.

I. Lumina.

Vicario non convenire, in missis privatis uti quatuor candelis, etiamsi sit Protonotarius. n. 699 die 7. Aug. 1627.

S. C. prohibuit Vicarium generalem in missa privata quatuor candelas accensas adhibere, sed cum duabus candelis contentum esse debere. n. 915 die 5. Julii 1631; n. 1864 die 26. Jan. 1658.

Abusus, quod Dignitates et Canonici Cathedralis in missa privata quatuor candelas accensas adhibeant, suis initiis dirimendus est, ne serpat ulterius. n. 1995 die 19. Julii 1659.

Non licere ... primae Dignitati Cathedralis Pisae continuare in celebratione Missae cum quatuor candelis. n. 2540 die 21. Mart. 1671.

Idem decretum contra primam Dignitatem Cathedr. Spoletanae. n. 2967 ad 1 die 20. Sept. 1681; n. 3119 ad 1 die 20. Julii 1686.

Priorem Cathedralis Ecclesiae Tudert. in missarum celebratione penitus a simplici Sacerdote nullatenus secernendum esse, eique propterea quatuor candelas accensas, bugiam, ministrum sacerdotem, praeter Clericum, Canonem et duo intortitia ad elevationem SSmi non licere. n. 2032 die 24. Jan. 1660.

In missa privata Praepositi s. Agathae Cremonen. posse tollerari usum 4 candelarum. n. 3138 ad 2 die 14. Junii 1687.

Prior Ecclesiae commendatae Aquae Sextiae non potest celebrare missam privatam cum 4 luminibus. n. 3679 ad 1 die 12. Apr. 1704.

II. Ministri.

Vd.: *Ministrantes*; *Usus Pontifical.*

Vicarius gener., Dignitates et Canonici unico contenti esse debent Ministro, qui eis inserviat et respondeat in missis privatis. n. 457 die 12. Julii 1612; n. 3927 die 13. Maii 1719.

Vicario non convenire in missis privatis uti duobus Ministris, etiamsi sit Protonotarius. n. 699 die 7. Aug. 1627; n. 1926 die 7. Sept. 1658; n. 2500 die 31. Maii 1670; n. 2672 die 13. Jan. 1674.

Simplici Praelato non convenire, in missa privata habere duos Ministros superpelliceo indutos. n. 830 die 18. Aug. 1629; n. 890 die 13. Jan. 1631.

S. C. prohibuit Vicarium general adhibere plures Capellanos, sed cum uno tantum Ministro, cotta induto, contentum esse debere. n. 915 die 5. Julii 1631; n. 1864 die 26. Jan. 1658.

Abusus, quod Dignitates et Canonici Cathedr. in missa privata adhibeant duos Ministros, suis initiis dirimendus, ne serpat ulterius. n. 1995 die 19. Julii 1659; n. 3119 ad 1 die 20. Julii 1686.

Ad dubium: an Archidiacono Cathed. Ascul. in missis priv. liceat sibi inservire facere per Subtus-Sacrestanum cum veste talari et cotta linea, S. C. non reprobavit sed declaravit, non posse compellere. n. 2289 ad 7 die 30. Aug. 1664.

Non licere ... primae Dignitati Cathedralis Pisae continuare in celebratione Missae cum assistente ultra Clericum. n. 2540 die 21. Mart. 1671.

Idem decr. pro Dignitate Cathedral. Fulginat. n. 3941 die 27. Julii 1720.

Non potest prima Dignitas Cath. Spolet. in Offertorio sibi ministrari facere Patenam et Calicem cum vino et aqua a serviente. n. 2967 ad 6 die 20. Sept. 1681.

Prior Ecclesiae commendatae Aquae Sextiae non potest a Sacrario ad altare progredi, duobus Acolythis associatus, nec celebrare missam cum assistentia Sacerdotis. n. 3679 ad 3 die 12. Apr. 1704.

III. Paramenta.

Vd.: *Dignitas etc.*; *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 24 etc.)

Neque Vicario generali neque Dignitati vel Canonico, sive sint Protonotarii sive non, licere ex altari paramenta capere; qui omnes ex Sacristia vel ex alio loco ad id ordinato paramenta capere debent et inde parati ad celebrandum accedere. n. 457 die 7. Julii 1612; n. 890 die 13. Jan. 1631.

Simplici Praelato privatim celebranti non convenire paramenta ex altari sumere. n. 830 die 18. Aug. 1629; n. 1954 die 15. Febr. 1659.

S. C. prohibuit *Vicarium* generalem in missa privata capere paramenta de altari et declaravit, Vicarium paramenta capere debere in Sacristia. n. 915 die 5. Julii 1631; n. 1864 die 26. Jan. 1658.

Provincialis in Ecclesiis sui Ordinis non potest paramenta accipere de altari pro celebratione missarum. n. 1062 ad 2 die 10. Junii 1638.

Dignitatibus et Canonicis Cathedr. nullo modo licere pro celebratione Missarum sumere paramenta de altari. n. 1335 die 6. Julii 1641.

Non licet primae Dignitati Cathedr. Spol. in miss. privatis sumere indu-

menta s. prope altare. n. 2967 ad 4 die 20. Sept. 1681.

Praeposito Cathedr., Protonotario apostolico, non licet extra Pontificalia paramenta pro celebratione Missarum sumere de altari, cum id competat solis Episcopis, sive solemniter sive privatim celebrantibus. n. 1458 die 11. Julii 1643.

Ultra tres vices Abbatibus nullatenus licere sacra paramenta ex altari sumere et tunc, si actu Pontificalibus induti solemnia peragant; privatim vero celebrantibus, nunquam a simplice sacerdote vel in minimo eos discrepare permissum est. n. 1972 ad 5 die 29. Mart. 1659.

Non potest prima Dignit. Cath. Spolet. expleta missa in Capella, ubi certis temporibus recitatur Officium, sacris indumentis expoliari coram Capitulo. n. 2967 ad 7 die 20. Sept. 1681.

d) Episcopi.

I. Assist. Canonicorum.

Vd.: *Stola Presbyt. ass. Episcopo.*

Episcopo Andrien. petenti assistentiam Canonicorum in missis privatis S. C. resp.: „non deberi.“ n. 811 die 11. Junii 1629.

Canonicos Cathedr. Fossanen. compellendos esse ab Episcopo ... ad assistentiam in missis, quae ab eodem privatim in Cathedrali celebrantur; ac si quid relevans in contrarium iidem habeant, in S. C. deducant. n. 2091 die 15. Jan. 1661.

Canonicos non posse cogi ad inserviendum Episcopo privatim celebranti in sua Capella. n. 3028 ad 2 die 24. Julii 1683.

Quotiescunque Episcopus in Ecclesia *Cathedr.* missam *planam* celebrare voluerit, debere duos Canonicos juxta antiquam et laudabilem consuetudinem *hactenus servatam* eidem assistere et ministrare. n. 205 die 5. Julii 1603.

Canonicos non teneri neque cogi posse inservire Episcopo, quando missam privatim celebrat. n. 1565 ad 3 die 13. Sept. 1646.

Canonicos non teneri praestare assistentiam Episcopo Missam privatim celebranti, nisi legitima consuetudo illos obliget. n. 1567 ad 5 die 13. Sept. 1646.

Canonicos non posse cogi ad inserviendum Archiepiscopo in missis privatis, praeter consuetudinem. n. 1874 die 16. Mart. 1658.

Ab Episcopo extra Cathedr. missam privatam celebrante binos Canonicos ad praestandam assistentiam cum habitu canonicali indutos, non posse cogi. n. 3318 ad 5 die 11. Julii 1693; n. 3371 die 8. Oct. 1695; n. 4208 ad 3 die 18. Julii 1750.

Celebrante Episcopo missam privatam in Cathedrali vel in alia Ecclesia cogi non possunt duo ex Canonicis una cum altero Canonico Magistro Caeremon. ad assistendum. n. 4103 ad 9 die 10. Decb. 1740; n. 4145 ad 9 die 20. Julii 1743; n. 4163 ad 9 die 22. Aug. 1744.

In functionibus pontif. et visitationibus peragendis ab Episcopo extra Cathedr. non tenentur Canonici ejusdem Cathedr. inservire cum habitu chorali Episcopo in missa privata, quae praecedere vel subsequi debet easdem functiones. n. 4208 ad 1 et 2 die 18. Julii 1750.

II. Lumina.

Vd.: *Ordinatio* (lumina).

In festis *solem.* decet in altari celebrante Episcopo missam priv. apponi *quatuor* candelabra cum candelis accensis, in aliis festis non ita solemnioribus et feriis sufficiunt duo candelabra. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIX. n. 4.

III. Paramenta et Ministri.

Solis Episcopis private celebrantibus convenire non ex Sacristia sed ex altari paramenta sacra sumere et saltem duos habere Ministros, superpelliceis indutos, qui eis respondeant et inserviant praeter alium Ministrum clericum, sive laicum, veste communi indutum, qui eis aquam praebeat (Lib. Caer. lib. I. c. XXIX.). n. 457 die 7. Julii 1612.

Cum Episcopus celebrabit missam (privatam) convenit, ut paramenta missae non de sacristia sed ex ipso altari accipiat. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIX. n. 1.

Solis Episcopis privatim celebrantibus convenire, ut paramenta ex altari sumere debeant et habere duos Ministros superpelliceo indutos. n. 830 die 18. Aug. 1629; n. 2363 ad 12 die 13. Febr. 1666.

Solis Episcopis privative competere paramenta sumere de altari pro missa privata cum ministerio inservientium pro abstergendis manibus cum polubro et urceolis argenteis. n. 890 die 13. Jan. 1631.

e) Coram Episcopo.

Celebrans coram Episcopo debet facere confessionem in missa privata versus altare et quando dicit „et tibi Pater", vertat se ad Praelatum. n. 133 ad 5 die 2. Sept. 1597.

Vd.: *Episcopus assistens. Reverentia erga Episcop.*

f) Graecorum.

Vd.: *Missa* (una Graecor.); *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV. §. 37, 38 etc.)

g) Protonotar. apost.

Vd.: *Protonotar. apostol.*

h) In Sabbato sancto.

Vd.: *Annuntiatio B. M. V.; Sabb. sanct.*

i) Coram exp. SS. Sacramento.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 24 etc. *Missa coram SSmo expos.* (altare); *Missa convent. cor. SSmo expos.; SS. Sacrament.* (Expos. in Pontif.)

De Missa privata

Cf.: *Missa votiva privata*; *Coena Domini*; *Missa in Coena Dom.*; *Patronus Confraternit.* (festum; decr. n. 4815 ad XII. 3); *Missa de Requie* (privata).

63) Processione finita in eccl. regulari.

Nullo modo posse Regulares impedire, quominus Episcopus per suos Canonicos missam sol. cantari faciat etiam in Ecclesiis Regularium et exemptis Dioecesis, quo processiones terminantur; nec ad Regulares sed ad Episcopum seu Canonicos juxta Caerem. dictarum missarum celebrationem pertinere. n. 184 die 25. Jan. 1603.

Rector loci non potest in Ecclesia fratrum s. Georgii, ad quam processionaliter una cum Magistratu et Confraternitatibus Laicorum accedit in festo s. Georgii, ipse cantare missam et alia peragere ac si esset in sua propria Ecclesia. n. 853 die 23. Mart. 1630.

Vd.: *Processio* (ante vel post missam etc.)

64) Prohibita.

Vd.: *Missae Gregor.*; *Missa concord. cum Officio*; *Missa de Rosario*, *de Monte Carmelo etc.*

Missas, quae circumferuntur a S. C. non approbatas S. Gregorii pro vivis et defunctis, quindecim auxiliatorum et de Patre aeterno et quascunque illas, exceptis iis, quae sunt permissae *Regularibus tantum*, veluti Rosarii, s. Mariae de monte Carmelo et alias, sicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, rejecit omnino et damnavit respective S. R. C. n. 740 ad 4 sine dato; esse videtur infra 27. Mart. — 12. Junii 1628; n. 892 ad 1 die

Ad dubium: an prohibitio Missarum concessarum quibusdam Religionibus intelligenda sit de illis Religionibus, quae sequuntur missale romanum vel tantum de iis, quae idem non sequuntur? S. C. resp.: Intelligi debet de missis, quae non concordant cum missali romano. n. 2812 ad 5 die 16. Jan. 1677.

Decretum Generale.

SS. Dom. N. Paulus PP. V. vivae vocis oraculo declaravit et sancivit*), amplius recipi aut dici non debere quasdam missas votivas seu collectas, quae propriae sunt solemnitatum aut in missali rom. designantur; ejusmodi sunt missae: Nativit., Circumc., Epiph., Resurr. et Ascens. D. N. J. Chr.; Nativit., Purificat., Assumpt. B. V. M.; s. Joann. Bapt. et aliae hujusmodi, quae proprios habent Introitus vel collectas extra proprias dies et octavas. Quae vero hujusmodi missae jam permissae essent aut receptae, idem SS. statuit, ut, illis omissis, satisfaciat dicendo de tempore currenti.

Die 19. Maii 1614.

Vd.: *Consecr. Episcopi* (missa; decr. n. 4911 n. 2.)

65) Prohib. a Parocho.

Capellanus SS. Trinitatis non potest prohiberi a Parocho celebrare Missam ante missam parochialem. n. 1355 die 11. Novb. 1641.

A Parocho prohiberi non posse, quin Missa in Ecclesia suae parochiae diebus festis ante vel post missam parochialem celebretur, nisi eadem Ecclesia aliquo speciali jure subjectionis ipsi parochiali sit obnoxia. n. 1461 die 11. Julii 1643.

Non prohiberi posse Sacerdotes celebrare in alienis Ecclesiis, antequam sit celebrata missa in parochiali, non obstantibus Constitutionibus synodalibus in contrarium facientibus. n. 1531 die 4. Mart. 1645.

Cf.: *Parochus; Oratorium* (missa).

66) Quando incipitur a Cantoribus.

Vd.: *Introitus.*

67) In Quatuor temporibus.

Vd.: *Sabb. quat. temp. Pentecost.*; *Ordinationes* (missa).

68) Reductio.

Vd.: *Reductio* (missar).

69) Regularium.

Missae approbatae pro certis Regularibus non possunt ab aliis dici, nec in eorum Regularium Ecclesiis. n. 2363 ad 4 die 13. Febr. 1666.

Vd.: *Missa de Rosario, de Monte Carmelo; Missa prohibita; Regulares* (Officium).

70) De Requiem.

a) Alia substitui potest?

Vd.: *Anniversarium* (alia missa substitui potest?) *Missa de Requ. privata* (oblig.); *Missa de Requ privat.* (in Duplicib.; vd.: ad finem tres Constitutiones); *Missa de Requiem privata* (alia substitui potest?)

b) Anticipatio.

Ad dubium: an in casu, quo aliquis pro se adhuc vivente celebrari anticipate velit functiones funebres cum Officio defunct. et missa cantata, an haec missa possit esse de requiem, si ritus Officii currentis permittat, an votiva juxta devot. petentis; an vero celebrari debeat de Officio occurrente vel si ritus non obstet, pro remissione peccatorum aut ad postulandam gra-

*) Ita fert Manuale Directorum. Romae 1845. n. 145.

tiam bene moriendi? S. C. resp.: Negative et serventur rubricae missalis ac ritus Ecclesiae. n. 4378 ad 18 die 15. Junii 1776.

c) Applicatio.

Ad dubium: utrum, quando missae Def. non sunt prohibitae, possit celebrari missa de Req. pro def. vage sumptis, id est, pro quibus communitas debet applicare aliquam vel aliquas missas, quin Celebrans sciat determinate, sitne pro sacerdote, pro laico, pro viro etc.? S. C. resp.: Affirmative. n. 4401 ad 5 die 16. Febr. 1781.

Vd.: *Missa* (descrip.); *Color param.* (in missa de Req. decr. de die 29. Novb. 1856.)

d) Cantata sol. (anniversaria.)

I. Ex Mente et devot. Benefact. (Dies.)

Vd.: *Anniversarium pro libitu*; *Anniversarium* (transl.); *Altare privilegiat.; Missa conv. de Requiem.*

Ad dubium: an missae de Requiem pro parentibus fratrum Provinciae Poloniae qualibet fer. 2. in quolibet conventu Regul. Minor. possint cantari, exposito castro doloris, occurrente festo dupl. majori et minori, sed non de praecepto seu festivo? S. C. resp.: *Negative.* n. 4244 ad 2 die 11. Maii 1754.

Missae cantatae de Requiem a defunctis relictae sine praefixione dierum debent celebrare diebus a rubrica permissis. n. 4336 ad 1 die 23. Aug. 1766.

PP. Minores Taurinen. debent ex benefactorum mente, non Testatorum dispositione, multas missas sol. de req. celebrari, quae missae diebus ritu dupl. impeditis minime possunt satisfieri; quapropter pro facultate eas celebrandi in festis etiam ritu dupl. impeditis non tamen solemnibus et de praecepto. S. C. resp.: Consulendum SSmum pro Indulto pro fer. 2. cujuslibet hebdomadae, non omissa missa conv. et dummodo non sit dies festivus de praecepto vel altioris ritus. S. S. benigne annuit. n. 4368 die 11. Decb. 1773; n. 4371 die 11. Decb. 1773.

Ad preces Confraternitatis animamarum Purgatorii civitatis Elven., ut fer. 2. immediate seq. dominicae infra octavam. Omn. SS., in qua Confratres quotannis Off. def. pro animabus Purgatorii sol. recitare consueverunt, facultas iisdem facta sit celebrari faciendi missam sol. de Req., etiam si dicta dies festo dupl. impedita sit, S. C. resp.: Pro gratia celebrandi unicam missam sol. servatis rubricis quoad alias missas. n. 4375 die 15. Mart. 1774.

Ad dubium: an in Monasterio Clarissarum Eugubii, in quo fer. 2. post festum SS. Trinit. quotannis fit Officium sol. pro Monialibus def. cum magno concursu Sacerdotum, si occurrat illa die Officium ritus dupl. min. vel maj. non festiv., missae privatae dici possint de Req., vel saltem cantari possit unica missa sol. de Req.? S. C. resp.: Negative et ad mentem, ut supplicetur SSmo pro una missa sol. tantum. n. 4393 ad 5 die 27. Mart. 1779.

Capitulum Papien. supplicavit, ut pro animabus singulorum Confratrum societatis Suffragii possit festivis etiam diebus, non tamen de praecepto, missas exequiales decantare? S. C. resp.: Servandas esse rubricas, quod quidem pro affirmativa censuit rescribendum, cum pateat ex rubricis die depositionis defuncti, posse in hujusmodi festis easdem missas solemniter celebrari. n. 1732 die 19. Sept. 1654.

Dies Vigiliae Nativ. Dom. comprehenditur in decreto S. R. C., quo prohibetur cantari Missas de Requiem diebus festo duplici impeditis. n. 2345 ad 4, die 31. (Julii?) 1665.

Vd.: infra decr. n. 4474.

Cum pro parte Vicarii Generalis Episcopi Vercellensis supplicatum fuit apud S. R. C. pro confirmatione infrascripti Decreti seu Edicti ab eodem facti tempore, quo Episcopus Vercellen. in visitatione Dioecesis abesset, ad occurrendum cuidam opinioni disseminatae inter Curatos aliosque Sacerdotes ejusdem Civitatis, quam in dicta Civitate et Dioecesi prohibuit in haec verba:

Cum ad aures nostras pervenerit in hac Civitate nonnullos Sacerdotes etiam curam animarum gerentes in Octava Pentecostes proxime anteacta non erubuisse Missas pro defunctis seu de Requiem palam et solemni ritu (nullo praesente cadavere, neque gravi ulla ex causa) contra Rubricas Missalis, Decreta S. C., Constitutiones Synodales, claramque ac praecisam Calendarii nostri prohibitionem celebrare, eo inani praetextu, quod jura praedicta de Missis tantum privatis, non autem de solemnibus intelligantur et intelligi debeant; cum tamen solemnes in diebus ejusmodi fortiori argumento censeantur prohibitae. Nos propterea, ne error et abusus hujusmodi in hac Dioecesi nostra Vercellen. latius serpat, tenore praesentium pro Civitate et Dioecesi praedictis declaramus et declarando decrevimus, praefata jura et praesertim Decreta nostra Synodalia et Calendarii nostri monita Missas votivas aut de Requiem in festis duplicibus, octavis ac diebus privilegatis prohibentia omnino intelligenda esse, prout intelligi volumus et mandamus non solum de Missis privatis, sed etiam, imo et potiore ratione de solemnibus. Quacirca omnibus et singulis hujus Civitatis et Dioecesis Sacerdotibus, cujuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis existant, edicimus et inhibemus, ne de caetero Missam ullam votivam nec pro defunctis seu de Requiem, ut vocant, sive privatam sive solemnem in festis duplicibus, infra octavas Epiphaniae, Paschalis, Pentecostes et Corporis Christi, ac in tota hebdomada majori, Feria IV. cinerum, Vigilia Pentecostes, ac Nativitatis Domini, celebrare ullo modo audeant seu praesumant, nisi unicam tantum praesente cadavere, aliave gravi de causa a nobis approbanda, non aliter etc. Idque sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, aliisque nobis arbitrariis, praeter poenas in secunda nostra Synodo pag. 57 contra hujusmodi transgressores inflictas, quas hic innovamus, non obstante quacumque Doctorum opinione in contrarium allegata vel in posterum alleganda etc., mandamus omnibus et singulis Dioecesis nostrae Vicariis Foraneis caeterisque Officialibus nostris, ut praesens Edictum nostrum, quod penes Acta Curiae registrari et in locis solitis publicari jubemus, exequi omnino curent.

Datum Vercellis die 24. Mensis Maji 1674.

Et eadem S. C. „suprascriptum Decretum seu Edictum nedum laudavit et confirmavit sed etiam mandavit, ut idem omnino servetur et contra inobedientes et contrafacientes ita exequatur.“ n. 2753 28. Sept. 1675.

Mos, in primis novem diebus depositionis defuncti in altari, ubi jacet, Missas de Req. solemniter celebrari, non solum dupl. festis et Dominicis, verum et in festis classicis et de praecepto, est abusus repugnans rubricis et omnino debet tolli. n. 2811 ad 2 die 16. Jan. 1677.

Ad dubium: an in dupl. non de praecepto, licet non sit dies deposit. vel anniversaria defunctorum, ex devotione alicujus Benefactoris, dum privatim multae missae cum applicatione Sacrificii celebrantur, possit etiam cum Nocturno in Choro missa cum cantu pro iisdem defunctis celebrari de Re-

quie? S. C. resp.: *Negative.* n. 3602 die 3. Decb. 1701.

In dupl. minor. de praecepto ob meram fidel. devotionem non licet cantare missam de Requie. n. 3604 ad 1 die 3. Decb. 1701.

Ex parte Petri Nolaschi Myranden. Dioecesis S. R. C. demisse supplicatum fuit infrascripta Dubia declarari:

1. An liceat cantari Missam solemnem de Requiem in diebus Sanctorum duplicium minorum et majorum non de praecepto, extra diem obitus et anniversarii, tertii, septimi et trigesimi, quando cantatur Officium Defunctorum solemniter in Ecclesiis parochialibus, aliisque similibus, saltem in illis, in quibus Officium de Sancto non celebratur in Choro nec Missa cantata?

2. Utrum in diebus supradictis liceat cantare Missam de Requiem, quando scilicet defunctus legavit pro anima sua seu pro Animabus suorum parentum, Benefactorum etc. unum aut duo vel plura Officia defunctorum, quae cantanda sunt per Clericos et Sacerdotes, ita ut in quolibet Officio adsint quatuor vel plures secundum dispositionem Testatorum?

3. An liceat cantari Missam de Requiem in diebus expositis supra, quando aliqua Confraternitas, ratione suorum statutorum, pro quolibet confratre defuncto, habet obligationem cantandi unum Officium Defunctorum cum Missa in fine?

Et eadem S. R. C. ad omnia censuit respondendum: „Negative.“

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3813 die 13. Julii 1709.

Cum in Ecclesia S. Michaelis Civitatis Elboren. reperiatur erecta Confraternitas centum et ultra Sacerdotum sub titulo Animarum purgantium, in qua ab immemorabili feria II. hebdomadae cujuslibet mensis et anni ex pluribus legatis celebrata sit unica Missa solemnis defunctorum, etiam in festo duplici, non tamen de praecepto; ac dubitatum inde fuerit: An in celebratione praedicta ob plures S. R. C. resolutiones id prohibentes et absque expressa licentia dictae S. C. continuari valeat? Confraternitas supradicta S. R. C. enixe et humiliter supplicavit pro indulto imposterum celebrandi singulis annis Missam solemnem defunctorum in qualibet feria II. hebdomadae, etiam in duplicibus, non tamen de praecepto.

Et S. eadem R. C. Oratorum instantiae benigne inclinata, respondit: „Pro gratia.“ n. 3849 die 20. Aug. 1712.

Ad dubium: An in *Vigilia Epiphaniae*)*, quando occurrit in Feria secunda, cantari liceat Missa defunctorum, quae juxta Ordinis statuta cantari debeat in Feriis secundis a Festo duplici non impeditis?

S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emmi et Rmmi D. Card. de Somalia Urbis Vicarii, dictae Congregationis Praefecti et Ponentis, rescribendum censuit:

„Negative.“

Et ita declaravit. n. 4474 ad 16 die 2. Maji 1801.

Rector Ecclesiae par. de Villa Vicosa Dioeces. Elboren. supplicat, quatenus ad satisfaciendum peculiari devotioni erga animas in purgatorio facultatem celebrandi missam cantatam de Req. singulis feriis 2. S. C. impertiri dignaretur: S. C. resp.: Gratiam petitam exceptis tamen festis 1. et 2. cl. dupl. majoris, festis de praecepto et Octavis aliisque diebus privilegiatis concedendam esse censuit, non omissa tamen missa de festo dupl. occurrente. n. 4199 die 11. Jan. 1749.

Cum in Ecclesia Cathedrali Cordduben., ab antiquissimo tempore, prout assertum fuit, quamplurima Anniver-

*) Vd.: *Vigiliae Epiphan.*

saria solemnia seu Missae cantatae de Requiem in die obitus Testatoris fundata reperiantur, alia vero, quorum numerus est maximus, relicta fuerint arbitrio ipsius Capituli cum clausula, ut celebrari debeant in aliqua ex diebus non impeditis et in quibus celebrari valeant Missa de Requiem juxta Rubricas Missalis; ac demum alia ex Statuto Capituli dictae Cathedralis intuitu gratitudinis erga benefactores et pro eorum suffragio celebrari consueverint: proinde ex parte praefati Capituli, dum omnibus supra expressis Anniversariis, ob exuberantem officiorum duplicium concessionem, satisfieri minime valeat, S. R. C. pro declaratione, quidnam in posterum peragendum esset? humillime supplicatum fuit.

Et S. eadem R. C. respondit: „Juxta votum Rmmi Gambarucci Archiepiscopi Amaseni et Apostolicarum caeremoniarum Praefecti, nempe quoad Anniversaria in die vere obitus Testatorum praescripta, juxta dispositionem aliorum Decretorum sub diebus 22. Nov. 1664, 1. Dec. 1666 solemniter celebrari posse in Festis duplicibus, etiam majoribus; quo vero ad alias Missas solemnes de Requiem a benefactoribus arbitrio Capituli relictas, Negative: „Sed, attentis justis ipsius Capituli precibus: pro gratia, si SSmmo D. N. placuerit, expedienda per Literas Apostolicas cum clausulis tamen et conditionibus, dummodo secundo dictae Missae de Requiem non celebrentur in duplicibus I. et II. cl. nec non diebus festivis, etiam quoad forum, ac nisi post currentis diei Officium in Choro persolutum.“

Et ita declaravit. n. 4021 die 10. Dec. 1733.

Eugubina.

Ut Animabus, quae piacularibus addictae flammis in Purgatorio cremantur, levamen obveniat, mos invaluit in Ecclesia Parochiali Oppidi vulgo Costacciaro et in alia Ecclesia ipsius Oppidi Ordinis Minorum Conventualium intra fines Dioecesis Eugubinae quatuor instituendi pro Defunctis Officia Generalia per quatuor immediatas Ferias insequentes Dominicam IV. Quadragesimae, ad hunc enim finem erogantur eleemosynae a Fidelibus oblatae ipsa Dominica IV. Quum autem in praesentiarum dubitetur, an celebrari valeat Missa solemnis *de Requie* ut in Anniversario, Officio aliquo ritus dupl. occurrente, hodiernus Archipresbyter Nicolaus Alberti S. R. C. duo sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. An praedicta Officia generalia habenda sint ut Anniversaria, ac proinde celebranda sit Missa *de Requie* cum cantu, etiam occurrente Officio ritus dupl.. exceptis duplicibus I. et II. cl.; et quatenus negative, an liceat servare invectam consuetudinem?

2. Posito autem quod enunciata Officia transferenda sint ad dies ritus semid., quaeritur: quae Missae celebranda sit? Emmi vero ac Rmmi P. S. tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunati, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt:

Ad 1. „Negative ad primam partem: ad secundam sine Indulto non licere.“

Ad 2. „Servetur particularis Rubrica.“

Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt. n. 4765 die 8. Aug. 1835.

Ut solemnes seu cantatae pro Defunctis missae in dupl. etiam majoribus haberi possint, duo simul a S. C. deposci, videlicet: ut et supremis alicujus tabulis institutae sint et ut dies, in qua celebrantur, sit vere annua obitus defunctorum; nihilominus aliquibus

S. C. decretis dubium ingerentibus quaeritur:

1. Utrum binae illae privilegii conditiones hodiedum re rigore requirantur?

2. An vero ad hoc, ut solemnis vel cantata aut juxta decr. in Curiensi diei 19. Junii 1700 ad IX. etiam sine cantu missa de Requie pro defuncto fundata haberi possit, sufficiat, dummodo, licet minime ab ipso defuncto neque per testamentum sed ab aliis maxime cognatis pro determinato aliquo tamen quamvis non obitus die, missa per donationem fundata sit?

S. R. C. resp.: Affirm. ad primam partem, negative ad secund.

Die 7. Maii 1857 ad dub. I. *Limburg.*

Pius PP. VII.

Cum sicut dilecti filii moderni moderatores sodalitatis sub titulo animarum Purgatorii canonice, ut asseritur, errectae in parochiali ecclesia s. Cypriani loci vulgo Villaceiz Ovetensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo flagrant animas in Purgatorio degentes suffraganda studio, suffragia hujusmodi in dies augeri summopere desiderent, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum quotannis in diebus, in quibus sodales praedictae sodalitatis convenire assolent ad preces fundendas pro defunctis, dummodo ipsae feriae non sint ex privilegiatis vel festivae cum praecepto adstandi sacro vel impedito officio ritus dupl. primae vel secundae classis, ibi celebrari possit una missa propria defunctorum cum cantu, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 1. Junii 1802. (Bull. r. Contin. t. XI. p. 340.)

Ad dubium: An in funeribus adventitiis possit cantari missa de requie in diebus, quibus rubrica obstat ratione duplicitatis officii?

S. C. resp.: Negative.

Die 7. Sept. 1861.

II. Ritus.

Verulan.

Sacerdos Antonius Colantonj, qui in Cath. Verulana Eccl. in praesentiarum Canonici Sacristae munere fungitur, quum adverterit in Cath. ipsa consuetudinem vigere, ut in Missis *de Requie*, quae celebrantur cum cantu, omittatur in Choro Sequentia: *Dies irae, dies illa* et ejus loco decantetur Versus: *Absolve:* S. R. C. supplex adivit enixeque rogavit, ut declarare dignaretur: num servare adhuc liceat invectam hujusmodi consuetudinem, quamvis praxi et Decretis alias editis ipsa opponatur? S. eadem C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: „Juxta alia Decreta in casu canendum Versum: *Absolve* et sequentiam:

„Dies irae, dies illa."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5083.

Die 27. Febr. 1847.

III. Quae est?

Ad dubium: Missa sol. de requie intelligi debeat missa lecta parochi, seu potius missa cantata? S. C. resp.: negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4968 ad 2 die 17. Junii 1843.

Vd.: *Missa cantata.*

e) Color paramentorum.

Vd.: *Color paramentor.*

f) In Die Obitus.

I. Celebrans.

Vd.: *Sepultura* (a Parocho, a Regularib. facienda).

II. In Dominica.

Cf.: *Missa de requiem in die obit.* (lecta); *Dies obitus et tertius; Instr. Clem.* §. XVII. n. 7 etc.

Ad dubium: an in iis locis, ubi *una* tantum celebratur missa diebus dominicis et festivis per annum (non tamen solemnioribus), dum aliquis mane sepelitur et missa dicitur ante sepulturam corpore praesente, debeat haec missa dici de Req., ut in die obitus, vel potius tamquam missa conventualis, cui populus assistit, debeat cantari de die et missa de req. transferri ad primam diem non impeditam? S. C. resp.: *Negative* ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4448 ad 7 die 26. Jan. 1793.

Posse in die dominico vel festivo celebrari Officium et missam def. pro defuncto, eujus corpus adhuc insepultum super terram retinetur; secus si jam sepultum sit, quo casu in die sequenti vel alio non impedito eadem solemnitate celebrari poterit. Idem resp.: S. C. de 3., 7. et 30. die, ut scilicet transferetur et celebretur cum eadem solemnitate, prout cavetur in rubricis Missalis et Breviarii. n. 197 ad 5 die 23. Maii 1603.

Vd.: *Missa de Req. in die obit.* (abs. cad. decr. n. 4888.)

Missa unica sol., insepulto corpore, celebrari poterit etiam in dominicis et festis diebus, non tamen solemnioribus I. cl. n. 4223 ad 12 die 29. Jan. 1752.

Ad dubium: An liceat cantare missam de Requ. praesente corpore in dominicis, in quas transfertur solemnitas suppressorum festorum I. cl.? An illud licet in ipso die festivitatis? S. C. resp.: Servetur rubrica sicuti ante reductionem festorum et extendatur etiam ad dominicam. Die 23. Maii 1835. *In Namurcen.*

III. Lecta.

Ad dubium: 1. An Parochus celebrare possit sine cantu Missam lectam *de Requie* in Dominicis et dupl. II. Cl., necnon in Feriis II. et III. Pent. praesente Cadavere et conficere possit exequias?

2. An dum legitur in Decretis S. R. C.: Missa solemnis *de Requie*, intelligi debeat Missa lecta Parochi, seu potius intelligi debeat Missa cantata?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

Ad 1. „Negative juxta alias decreta.“

Ad 2. „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“

Atque ita rescripsit. n. 4968 die 17. Junii 1843.

IV. Pro pauperibus Defunctis.

S. R. C. fuit expositum quod quidam Parochi Viterbienses retinent consuetudinem Missam unicam *de Requie*, ut vocant, majorem, celebrandi praesente corpore pauperis defuncti sine cantu, quando cum distincto Campanarum sonitu, ac solemni quodam apparatu diebus etiam dupl., non vero solemnioribus, post quam juxta Rubricas Ritualis Rom. titulo *de Exequiis* procedunt ad absolutionem Cadaveris assistentibus Sacristanis superpelliceo indutis: quaeritur idcirco: an bene et an reliqui Parochi, stante Ritualis Romani praecepto de non omittendo Missae ritu pro defunctis, praesente cadavere, nisi obstet magna diei celebritas, ac Synodali mandato de non sepeliendo cadavere quantumvis paupere absque unius saltem Missae celebratione, se conformare teneantur et Missam *de Requie* celebrare ut supra? Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes

Ordinariis in Comitiis hodierna die coadunata ad relationem subscripti Secretarii, omnibus rite libratis, rescribendum censuit: „Serventur Rubricae et Leges Synodales."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4891 die 11. Apr. 1840.

Invaluit usus in Dioecesi Brugensi, ut in Exequiis pauperum, qui solvere non valent expensas Missae cantatae, legatur Missa privata *de Requie* praesente Cadavere in Festis dupl. etiam majoribus, non tamen I. vel II. Cl., neque infra Octavas privilegiatas, neque in Dominica, neque iis diebus, quae excludunt Festa dupl. Respondit autem S. C. die 12. Sept. 1840: hanc consuetudinem servari posse. Quum praefatus usus invaluerit quoque in multis Ecclesiis Archidioecesis Mechlinien., quaeritur: an per totam hanc Dioecesim praedicto Decreto se conformare liceat? Et Emmus ac Rmmus D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. ... rescribi mandavit:

„Affirmative."

Atque ita rescribi ac servari mandavit. n. 4921 ad 6 die 22. Maii 1841.

Ad dubium: In multis locis Dioecesis Burgens. viget consuetudo, ut in exequiis pauperum, qui solvere non valent expensas Missae cantatae, Missa privata *de Requie* legatur praesente corpore in Festis etiam dupl. maj., non tamen I. vel II. cl., neque infra Octavas privilegiatas, neque in Dominica, neque in iis diebus, quae excludunt Festa dupl. Haec consuetudo viget ex opinione Cavalieri, qui ita explicat Decretum S. R. C. de die 19. Junii 1700.

Quaeritur an praedicta consuetudo servari possit?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Servari posse juxtra Decretum in una Curien. diei 19. Jun. 1700 ad Dubium IX."

Atque ita rescripsit ac servari praecepit die 12. Sept. 1840 n. 4897 ad 1.

Blasius Lentini Archipresbyter et Parochus primariae Ecclesiae Deo in honorem Sancti Nicolai Episcopi dicatae Oppidi De Laurea considerans Caput de Exequiis §. V. Ritualis Romani ac dispositionem Missalis, quod suo loco assignat Missam in die obitus, seu depositionis Defuncti, atque internoscens Rubricistarum omnium sententiam asserentium hanc Missam canendam esse, ut locus illi fiat in diebus festis vel ritus duplicis, ratus est pauperes defunctos, queis vires non suppetunt pro obtinenda Missa *Solemni de Requie* in die dispositionis, inferioris esse conditionis respectu divitum; propterea ne hoc peculiari ritu ab Ecclesia statuto priventur, concedendum esse, ut pro defunctis pauperibus Missa a Rituali recensita die praescripta legi etiam valeat in diebus festis et ritus duplicis, atque adhoc Indultum obtinendum Sacrorum Rituum Congreationi humillime supplicavit. Et Sacra Congregatio omnibus rite consideratis, praesertim Decretis sa. me. Alexandri Papae VII. rescribendum censuit: „Negative et serventur Rubricae."

Atque ita rescripsit. Die 17. Aug. 1833 n. 4719.

V. Privata.

Cf.: *Annivers. generale* (Confr. Ord. decr. n. 4549); *Missa de Req. privata in dupl.* (decr. n. 3210.)

Missae priv. de Req., etiam corpore praesente et insepulto, dici non possunt diebus, quibus fit de Officio dupl., vel aliis a rubrica exceptis et quaecunque consuetudo in contrarium abusus esse declaratur. n. 4223 ad 12 die 29. Jan. 1752; n. 2363 ad 2 die 13. Febr. 1666.

Quod si in festo dupl. necesse fuerit exequias celebrari, missae privatae non debent dici de Req. sed currentes de

die, quae sunt ejusdem valoris ac missae de requiem. n. 3220 die 10. Junii 1690*).

In diebus festis praesente corpore celebrari potest missa sol. de requ., *non privatae.* n. 2363 ad 2 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: an in dupl. I. cl. praesente corpore possit defunctorum missa cantari *et an possit una missa privata,* deficientibus Clericis pro choro? S. C. resp.: Negative in Omnibus. n. 3477 ad 8 die 5. Julii 1698.

Abolendus est abusus, missas privatas de req. dicere, corpore praesente insepulto, dum cantatur solemnis, in diebus, in quibus fit de Off. dupl. vel de dupl. fieri non potest. n. 3301 ad 14 die 10. Jan. 1693.

Mos in die depositionis defuncti sive dominica sit sive festum dupl. aut classicum, missas privatas de req. celebrari ut abusus repugnans rubricis omnino tolli debet. n. 2811 ad 1 die 16. Jan. 1677.

Ad dubium: An praesente Cadavere liceat celebrare Missam privatam *de Requie* in Ecclesiis ruralibus et aliis, ubi Missa non solet cantari, diebus, quibus permittitur unica Missa Solemnis *de Requie*, praesente Cadavere?

S. C. resp.: „Juxta alias decreta non licere.“

Die 23. Maji 1835. n. 4748 ad 6.

VI. Coram SS. Sacramento.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XVII. n. 7, 8 etc.; *Missa de Req. coram SSmo.*

Pistorien.

In Cath. Pistorien. Eccles. alia extat Eccles. subterranea in Apside, ad quam accessus patet ex ipsa Cath. Quum vera in hac subterranea Eccl., quae est prima Civitatis Paroecia, bis in anno solemnis Expositio SSmmi Sacramenti in forma Quadraginta Horarum locum habeat, Sacerdos Aloysius Agostini S. R. C. enixe rogavit, ut formiter declarare dignaretur:

An perdurante memorata Expositione SSmmi Sacramenti in praedicta Eccl. subterranea, ad Cath. associare possint Cadavera Defunctorum, pro ipsis Exequiae institui cum Missa *de Requie*, ac tandem in semiduplicibus institui Anniversaria cum eadem Missa *de Requie?*

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„In casu utrumque fieri posse, attamen servatis Rubricis.“ n. 5086 ad 1 die 27. Febr. 1847.

VII. Pro Sacerdote def.

Ad dubium: an in die depos. vel anniversarii simplicis Sacerdotis defuncti debeat celebrari prima vel secunda missa, cum rubrica videatur assignare easdem Orationes pro simplici sacerdote, quae assignantur pro Episcopo et recitantur in prima missa, mutato verbo „Pontificali“ in „Sacerdotali“? S. C. resp.: Satis explicari in rubrica missalis rom. in fine quartae missae pro defunctis. n. 3536 die 3. Octb. 1699.

In sepultura cadaveris vel Anniversario pro Sacerdote tam missa in commemoratione Omn. fidel., quam illa in die obitus dici poterit, dummodo oratio pro eo designanda: Deus qui inter apost. Sacerdot., omnino adhibeatur. n. 4223 ad 14 die 29. Jan. 1752; n. 4815 ad XI. 3. die 22. Sept. 1837.

VIII. Solemnis.

a) Praesente cadavere. Dies impeditus.

Vd.: *Missa de Req. priv.*; *Commem. omn. fidel. def.; Oratio pro def.*; *Orationes in missa*

*) Missa priv. de Req. iis, quibus licet diebus, in solemnib. exequiis etiam corpore jam sepulto, dicitur ut in die obitus cum unica oratione. (Miscell. Theol. ser. 4. p. 646.)

de Req.; *Exequiae*; *Officium def.* (dies; decr. n. 4050); *Dies obitus et tertius etc.*; *Missa sol. post missam depositionis.*; *Missa de Req. per Octiduum*; *Missa de Req. in die obit.* (sol., abs. cadav. decr. de die 27. Febr. 1847); *Instr. Clem.* §. XVII. n. 7 etc.

In die, quo celebratur festum dupl. translatum, prohibetur missa de Requiem, nisi sit praesens cadaver n. 2345 ad 6 die 31. (Julii) 1665; n. 2811 ad 1 die 16. Jan. 1677.

Ad relationem Magistri Caerem. Ecclesiae Hispalen.: quod in die sepulturae defuncti Officium dicitur Missaque corpore praesente, in festis etiam I. cl., immo et in primis diebus Paschae et Pentecostes, non obstante rituale rom. ita dicente: „Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis praesente corpore celebrari poterit, dum tamen conv. missa et Officia divina non impediantur magnaque diei celebritas non obstet. Et plurimarum gravissimorumque auctorum fert sensus, praedicta fieri non posse in festo I. cl.“ S. C. resp.: Abusus debet omnino tolli. n. 2811 ad 4 die 16. Jan. 1677.

Ad dubium: an in dupl. 1. cl. praesente corpore possit defunctorum missa cantari et an possit una missa privata, deficientibus Clericis pro choro? S. C. resp.: Negative in Omnibus; n. 3477 ad 8 die 5. Julii 1698; n. 4153 ad 3 die 21. Mart. 1744.

Ad dubium: an in majori hebdomada, excepto triduo ante Pascha et biduo post et infra octavam Paschae et Pentecostes ac etiam in festis dupl. 1. cl., non tamen celebribus, possit cantari missa unica sol. de req. in sepultura cadaveris? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 4223 ad 13 die 29. Jan. 1752.

Quum Rituale Romanum titulo de Exequiis prohibeat Missam propriam celebrare praesente corpore, si obstet magna diei celebritas, quaeritur: an magna diei celebritas comprehendat etiam dies non festivos magna extrinseca Solemnitate excultos? et quatenus affirmative, quaeritur: quinam sit dies magnae celebritatis?

S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Dentur Decreta diei 2. Sept. 1741 in Aquensi ad IV.; diei 29. Jan. 1752 in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ad XII. et XIII.; ac die 19. Apr. 1808 in Compostellana ad I.“

Atque ita rescripsit. n. 5219 die 21. Julii 1855.

Cum Missae de req., etiam praesente cadavere, locum non habent in diebus solemnioribus 1. cl. juxta decret. suprascriptum, quaeritur: an Festa s. Joann. Bapt., ss. ap. Petri et Pauli, Titularis, Patroni principalis populorum insimulque festum Omnium SS. excludant missam de requiem? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 4526 ad 44 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium: an in diebus infra octavam Corp. Chr. duplicia non excludentibus cantari possit Missa de Req. de die obitus, 3. 7. et 30. ac anniversario in dicto octavario incidentibus. S. C. resp.: Negative et serventur decr. 12. Sept. 1671 et 5. Julii 1698; n. 4072 ad 4 die 8. Mart. 1738.

Festum Nativitatis s. Joann. Baptistae reponendum est in festis celebribus, ita ut in eo non possit cantari missa unica sol. de requiem praesente cadavere. n. 4391 die 12. Sept. 1778.

Ad dubium: an missa de req., quae cantatur, cum primum accipitur nuntium de obitu Religiosi in loco dissito, cantari possit in die Vigiliae Epiphaniae et infra octavas privilegiatas? S. C. resp.: affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4393 ad 3 die 27. Mart. 1779.

Ad dubium: an in festo s. Clarae, quae apud Franciscanos celebratur sub

ritu dupl. 1. cl., cantari possit missa de Req. praesente corpore? S. C. resp.: affirmative, excepta tamen Ecclesia titulari, ubi celebratur festum s. Clarae. *Ibid. ad 4.*

Fanen.

Ad nonnullas dirimendas quaestiones, quae in Parochialibus Ecclesiis Rurium Fanensium frequenter insurgunt quoad Missam *de Requie* canendam prasente Cadavere, quum alii dicant omnibus diebus festivis primae classis illicitam esse Missam cantatam, exceptis tamen secunda et tertia Feria Paschae et Pentecostes; alii vero dicant Missam cantatam illicitam esse tantum omnibus diebus festivis primae Classis solemnioribus, non vero et praedictis feriis et Dominica prima Quadragesimae, primaque post Pascham et Pentecosten et prima etiam Sacri Adventus tamquam diebus primae Classis minus solemnibus; alter ex Parochis memoratae Fanen. Dioecesis, perpensis aliquibus S. R. C. Decretis hisce de rebus, quae nullo modo cantari posse Missam solemnem *de Requie* etiam praesente Cadavere, in festis duplicibus primae Classis (nulla distinctione facta inter festa majoris minorisve solemnitatis) statuit Decreto 5. Julii 1698, quod confirmavit die 21. Martii 1744, sub qua interrogata fuit, num licitum id foret in Dominicis primae Classis? quum nihilominus inter tot controversias res in dubio sit adhuc, enixis precibus Sacram Rituum Congregationem rogat, ut declarare dignetur: utrum praesente Cadavere illicitum sit canere Missam *de Requie* non solum in duplicibus primae Classis solemnioribus, ut alii dicunt, nempe diebus etiam Dominicis supradictis. Hujusmodi precibus relatis in Ordinariis Comitiis sub infrascripta die ad Quirinale habitis, Sacra Congregatio rescribendum censuit: Detur Decretum in Veronen. die 23. Julii 1607 nimirum: non licere Missam Defunctorum canere praesente corpore diebus solemnibus, et in Bergomen. diei 21. Martii 1744 ad tertium Dubium, nec non in Compostellana die 8. Aprilis 1808 ad primum et secundum Dubium.

Die 17. Julii 1830 n. 4660.

Ad dubium: Quum Nativit. S. J. Bapt. et in Belgio festum s. Josephi, qua patroni patriae, olim fuerunt festa in populo, quaeritur: an sublata jam obligatione abstinendi ab operibus servilibus et audiendi sacrum, licitum sit in praedictis festis cantare missam de Req. praesente corpore?

Si celebrentur haec festa solemniter? Si non solemniter?

An idem liceat in festo patroni minus principalis alicujus loci, si ex privilegio vel ex consuetudine celebretur ritu dupl. I. cl., etiam in anniversario dedicationis Om. Ecclesiarum Dominica I. p. octavam Omn. SS., quum sit festum dupl. I. cl., etiamsi cum minori solemnitate celebrari soleat, quam quaedam aliae festivitatis?

S. C. resp.: Juxta qualitatem ritus servetur rubrica. Die 7. Decbr. 1844 *in Mechlin.*

Sarzanen.

Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium enodandum proposuit unus ex Parochis Dioecesis Sarzanen. nimirum:

Utrum in die Sabbati Sancti post Missam Solemnem de die liceat celebrare Missam solemnem de Requie in die depositionis, praesente Cadavere?

Sacra Congregatio Rituum ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata rescribendum censuit: „*Negative.*“ Die 16. Apr. 1831. n. 4668.

Ad dubium: An Sabbato Sancto cele-

brata Missa Solemni de die, liceat alteram Missam Solemnem *de Requie* celebrare, praesente Cadavere? S. C. resp.: „Negative."

Die 23. Maji 1835 n. 4748 ad 7.

Tollendus est abusus, cantandi *plures* missas de requ. in dieb. dupl. etiam praes. cadavere. S. R. C. 23. Maji 1846. Cf. ***Missa de Req. sol. in die ob.*** (Unica esse deb.)

β) Praesente Cadav. Dies non impeditus.

Cf.: *Missa de Req.* (In die Ob. sol. Praes. cad., dies imp. decr. 4223 et de die 7. Decb. 1844; decr. n. 4393 ad 4); *Instr. Clem.* §. XVII. n. 7.

In diebus festis praesente corpore celebrari potest missa sol. de Requ., non privatae. n. 2363 ad 2 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: 1) An dici possit missa de requiem corpore praesente diebus I. cl. cum multo apparatu et pompa exteriore celebratis, licet non festivis de praecepto; et quatenus festivi sint de praecepto, an praedicta missa dici possit in aliis Ecclesiis, quae talem non habent exteriorem solemnitatem?

2) An praedicta missa solemnis cantari possit praesente cadavere diebus II. cl., celebratis tamen simili solemnitate et apparatu, quo festa I. cl. celebrantur, ut evenit in Ecclesia Compostellana diebus Apparitionis s. Jacobi 23. Maii, Translationis ejus corporis 20. Decb. et aliis festivitatibus B. V. M., quamvis sint necne de Praecepto?

S. C. resp.: Ad 1.: Affirmative ad primam partem, dummodo non sit Titularis; ad secundam partem: affirmative.

Ad 2.: Affirmative; n. 4507 die 8. Apr. 1808.

Cum juxta rubricas Ritualis romani absque missa, quantum fieri potest, defunctorum corpora non sint sepelienda, poterit praesente cadavere unica missa sol. pro def. celebrari *fer.* 2. *post Pascha aut Pentecost.* Haec autem missa non decantabitur in dupl. I. cl. haud festivo, si corpus praesens non fuerit aut pridie sepultum. n. 4119 ad 4 die 2. Sept. 1741.

In festis 2. cl. aut etiam 1. non festivis aut minus solemnib., ut in die Ascensionis vel in fer. 2. Paschae aut Pentecostes et generatim praesente cadavere posse celebrari unicam missam tantum de requiem. n. 4175 ad 2 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium: an in majori hebdomada, excepto triduo ante Pascha et biduo post et infra octavam Paschae et Pentecostes ac etiam in festis dupl. I. cl. non tamen celebribus, possit cantari missa unica sol. de Req. in sepultura cadaveris? S. C. resp.: *Affirmative* n. 4223 ad 13 die 29. Jan. 1752. (Vd.: Missa de Req. in die Obit., solemnis praes. cadav., dies impeditus, decr. n. 4223 et 5219.)

Ad dubium: an Dominica Palmarum, quum sit 1. cl., possit celebrari missa def. *praesente cadavere?* S. C. resp.: Affirmative. n. 4822 die 23. Sept. 1837.

Ad dubium: „In Festo Anniversario Dedicationis propriae Ecclesiae potestne celebrari Missa *de Requie* cum cantu, praesente Cadavere?"

„Posse juxta Decretum in Compostellan. diei 9. Apr. 1808 ad Dub. 1."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 20 die 16. Apr. 1853.

γ) Absente cadavere.

Vd.: *Missa de Req.* In die obitus; (sol., sepulto cadav.); *Missa de Req. in die Obit.* (In Dominica); *Missa de Req. in die ob.* (sol., dies non imp. praes. cad., decr. n. 4119.)

Bavariae Leges prohibent, quominus ad Ecclesiam deferantur defunctorum cadavera ac proinde nunquam funera institui possunt praesente cadavere, ideoque ibi mos obtinet sub

vesperis cadavera deferendi ad Sepulchrum ac insequenti die de mane Exequiae in Ecclesia celebrantur. Quaeritur: utrum cadavere non praesente Missa de Req. locum habere valeat? S. C. resp.: Juxta alias decreta posse. n. 4840 ad 1 die 1. Sept. 1838.

Ad dubium: Quando defunctus tumulatus fuit vespere ob aliquam causam, possit sequenti mane fieri Officium et missa cantari de Req., etiamsi recitetur Officium de festo dupl.? S. C. resp.: Affirmative exceptis tamen diebus, in quibus missae cantatae de Requiem prohibentur absente cadavere. n. 4395 ad 9 die 18. Decb. 1779.

Decimo quinto Calendas Aprilis vertentis anni fer. 2. maj. hebdom. Bassani in Ecclesia parochiali cantata fuit missa sol. de Req. pro Defuncto, Sabbato immediate praecedenti quamvis cadaver tumulatum fuisset, siquidem in Dominica in Palmis praecedenti funus institui nequivit tum ob sol. functiones dicta dominica peragendas, tum ob populi concursum communionis paschalis praecepto satisfacturi inibi convenientis. Quamvis Rector Ecclesiae probe sciret id fieri posse ex decr. 7. Sept. 1816 ad 43, in quo praescribitur: „Missa de Req. cantata ut in die obitus celebranda est pro nuper defuncto, cujus cadaver ob rationabilem causam pridie fuerit tumulatum, dummodo non sit dupl. 1. aut 2. cl. aut festivum de praecepto; attamen non defuere non aliter opinantes. Ideo quaeritur: 1) an in hoc bene se gesserit Rector; 2) an dominica Palmarum, quum sit 1. cl., possit celebrari missa def. *praesente* cadavere? S. C. resp.: ad 1 et 2: Affirmative. n. 4822 die 23. Sept. 1837.

Ad dubium: General. decreta permittunt, ut valeat missa sol. de Req. cantari etiam 2. et 3. fer. Paschae et Pentecost. *praesente* corp. In Hetruria prohibitum quum sit Cadavera exponere, poterit haec missa locum habere, *quando cadaver asservatur in conclavi proximo Ecclesiae?* Insuper ut haec missa dicatur sol., suntne necessarii ministri et clerici vel Sacerdotes in choro? S. C. resp.: Negative et servetur decr. in Florent. 25. Apr. 1781 (vd.: *infra decr. n. 4402*), quod praecise Hetruriam respicit; quoad alteram partem saltem requiruntur ministri. n. 4859 ad 7 die 3. Aug. 1839.

Ad petitionem Etruriae Magni Ducis et Austriae Archiducis, ut in cunctis suis dominiis celebrari possit una solem. missa de requ. diebus etiam festivis de praecepto et dupl. 2. cl., una cum absolutionibus et Precibus, quae in die obitus fieri solent, etiamsi cadaver in Ecclesia praesens non sit, S. C. petitam facultatem in casu, de quo agitur, benigne concessit, etsi cadaver tumulatum non fuerit, sed ea, qua decet, religione servetur in loco decenti proximiori Ecclesiae, apposito tamen in Ecclesia lodicis seu nigri panni signo ab eo diverso, quod in Anniversario adhibetur, ut fideles intelligant, missam hisce diebus offerri in expiationem animae illius defuncti, cujus corpus traditum terrae adhuc non fuit et Ecclesiae precibus etiam proprias adjungant. Quibuscunque in contrarium minime obstantibus. n. 4402 die 25. Apr. 1781.

Ad dubium: an pro defuncto sepeliendo ad vesperam ob aliquam rationabilem causam dici possit aliqua hora matutino missa de Requiem, iisdem diebus, quibus locum habet, corpore praesente? S. C. resp.: Si cadaver sit insepultum, licet non praesens, detur decr. 25. Apr. 1701 *(ut supra n. 4402)*; si vero terrae traditum, celebrari poterit una missa cantata, ut in die obitus, dummodo non sit dupl. I. vel II. cl. aut festivum de praecepto. n. 4526 ad 43 die 7. Sept. 1816. (Cf.: *Missa*

de Req. in die obitus sol., sepulto cadavere; Sepultura [ritus; decr. n. 5217]).

Taurinen*).

In Regionibus Augustae Taurinorum illud in more positum est per Leges Civiles, ut Fidelium cadavera per integrum diem ab obitu domi retineantur, deferantur inde ad Ecclesiam ac Justis persolutis in cubiculo, quod propterea mortuarium audit, serventur et postera die sepulturae tradantur. Hoc more posito, omnia bene eveniunt, ac servari valet dispositio Ritualis Rom. si quis mane moritur; sed si vespertinis horis diem clauserit supremum, supradicta omnia et vespere peraguntur ac Missa pro defuncto ad alterum amandatur diem. Hinc varia exurgit praxis, si illa die non praesente cadavere occurrat Officium ritus dupl., nonnulli siquidem in ea sunt opinione dici posse Missam *de Requie*, ac si Corpus praesens esset: nonnulli vero autumant a Rubricis vetari. Ea propter R. P. D. Archiep. Thessalonicensis apud Serenissimum Regem ejusdem Ditionis Apostolicis Nuncius, exceptis super re Sacerdotum supplicationibus, S. R. C. humillime rogavit, quatenus in casu certa praescribatur norma, quae ab omnibus uniformiter praedicto in casu servetur in posterum. Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit: „Dentur Decreta, nimirum in una Epitanien. die 23. Maji 1603 ad Dubium V., quo cavetur, posse in die Dominico vel festivo celebrari Missam Defunctorum pro Defuncto, cujus corpus adhuc insepultum super terram retinetur: secus si jam sepultum sit, quo casu in die sequenti etc. Altera in una Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciae Conceptionis B. M. V. in Regno Portugalliae diei 18. Dec. 1779 ad Dubium IX. sic conceptum: An quando Defunctus tumulatus fuit vespere ob aliquam causam possit sequenti mane Officium et Missa cantari *de Requie* etiam si recitetur de Festo duplici? responsum fuit: Affirmative, exceptis tamen diebus in quibus Missae cantatae *de Requie* prohibentur absente cadavere.“ Atque ita rescripsit ac servari posse mandavit etiam in Regionibus Augustae Taurinorum subjectis, ubi praefata lex viget. n. 4888 die 11. Apr. 1840.

*) Vd.: Missa de req. in die obit. in dom. n. 197.

Ex dispositione Constitutionis Congregationis Canonicorum Lateranensium, cum primum accipitur nuntium de obitu in loco dissito alicujus de gremio ejusdem Congregationis, in quolibet monasterio cantatur missa de requie ut in die obitus pro ejus anima: Quaeritur: an dicta missa de req. cantari possit in festo dupl. maj. et minor., non tamen de praecepto, statim ac mentium accipitur de obitu? S. C. resp.: *Indulgeri posse.* n. 3110 ad 2 die 4. Maii 1686.

Si Sabbato post meridiem accipiatur Nuntium de obitu alicujus in loco dissito, poterit fer. 2. seq. cantari missa de req. etsi Officium sit dupl. non festivum. n. 4299 ad 12 die 3. Mart. 1761.

Ad dubium: 1.: An missa de Req., quae cantatur, cum primum accipitur nuntium de obitu religiosi in loco dissito, differri possit ad Triduum?

2) An dicta missa cantari possit in vigil. Epiph. et infra oct. privil.?

S. C. resp.: Ad 1.: In prima die non impedita; ad 2.: Affirmative quoad primam partem, negat. ad secundam. Die 27. Mart. 1799.

Haeredes defunctor. post expletum Officium funebre possunt celebrari facere missam sol. de req. a proprio rectore absque interventu Capituli. n.

3470 ad 1 die 31. Maii 1698; n. 3553 ad 1 die 13. Mart. 1700.

Ad dubium: Quum per Leges Municipales Cadavera domo efferre non liceat, nisi transactis horis vigintiquatuor ab obitu, quaeritur: utrum liceat Missam *de Requie* de mane celebrare jam insepulto Cadavere diebus, quibus non licet, nisi praesente corpore, uti erui posse videtur ex Decreto S. R. C. relato in editione Gardelliniana? Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Negative."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4782 ad 9 die 27. Aug. 1836.

Ad dubium: An missae de Requ. possint cantari in nostris Ecclesiis pro † benefactoribus (qui apud nos non sepeliuntur) in die obitus illorum, occurrente festo dupl. min. et maj. sed non de praecepto seu festiva (exclusis festis I. et II. cl., dominicis per annum, feriis et octavis privileg.)? S. C. resp.: Affirmative. Die 11. Maii 1754 in una Ord. Min. Obs.

Ad dubium: Utrum post missam deposit. extra diem 3., 7. et 30. cantari possit missa in ritu dupl. maj. ut in die obitus cum unica oratione, modo consanguinei defuncti ad eam conveniant? S. C. resp.: Sine speciali Indulto non posse. Die 27. Febr. 1847 ad I.

δ) Sepulto cadavere.

Cf.: ***Missa de Requ.*** (In die obit. sol., absente cadav.; decr. n. 4402, 4526, 4840, 4822); ***Missa de Requ. in die obit. sol.*** (dies non imped. praes. cad. decr. n. 4119.

Monaco-Frisingense etc.

Ab expositis huic S. Sedi a Rmmo Ep. Monaco-Frisingensi quum appareat Ecclesias illius Dioec. pro celebrandis Missis de Requie cum cantu in die obitus seu depositionis defuncti absente corpore, attentis Gubernii civilis praescriptionibus, in iisdem circumstantiis versari, quae locum dederunt Decretis a S. R. C. latis in Florentina die 25. Apr. 1781 et in Tudensi die 7. Sept. 1816 ad Dub. 43, SSmus D. N. Pius Papa IX. clementer deferens supplicibus votis ejusdem Ep. a subscripto S. R. C. Secretario relatis, indulsit, ut eadem Decreta serventur etiam in Dioec. Monaco-Frisingensi. Itaque in Ecclesiis Dioec. ipsius cantari poterit Missa de Requie ut in die obitus cum absolutione et precibus, quae in die obitus fieri et recitari solent, quatenus defuncti cadaver sit adhuc insepultum, quibus diebus Rubricae hanc Missam, corpore praesente, cum cantu celebrare permittunt, apposito tamen in Eccl. Lodicis seu nigri panni signo ab eo diverso, quod in Anniversario adhibetur, ut Fideles intelligant, Missam hisce diebus offerri in expiationem animae illius defuncti, cujus corpus terrae adhuc traditum non fuit et Ecclesiae precibus etiam proprias adjungant. Quod si defuncti corpus sepultum jam fuerit, celebrari poterit una Missa cantata ut in die obitus seu depositionis cum absolutione et precibus, ut supra, singulis diebus, quibus non occurrit Duplex I. vel II. Cl., aut Festum de praecepto servandum.

Die 24. Jan. 1861.

C. Ep. Portuens. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

L. S. H. Capalli, S. R. C. Secretarius.

IX. Unica esse debet.

Vd.: ***Missa de Req. in die obit. sol. abs. cadavere*** (decr. n. 3470, et de die 27. Febr. 1847.)

In die depositionis aliquorum Defunctorum, cantato Officio defunctorum et Missa *de Requie* praesente Cadavere, mos invaluit in aliquibus Eccl., quod etiam in duplicibus min., et etiam aliquando maj., adhuc praesente Cadavere, cantentur iterum duo vel tres Nocturni

defunctorum, atque *totidem Missae de Requie*, ita ut una eademque die celebrentur Officium et Missa de die obitus et de die III., VII., XXX. a depositione defuncti. Quaeritur: an talis consuetudo liceat in diebus dupl. min., vel maj., adhuc praesente Cadavere, vel sit tollenda utpote contraria pluribus Decretis S. R. C.?

Et S. eadem C.... respondendum censuit:

„Tolerandam quoad Officium defunctorum: tollendam quoad Missas, quae unica esse debet juxta Decreta alias edita."

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 13 die 23. Maji 1846.

Ad dubium: In duplici majori vel minori possuntne pro uno eodemque Defuncto in Dioecesis Ecclesiis celebrari Missae cantatae *de Requie* in die obitus, III., VII. et XXX. ac anniversario, uti fit apud Regulares in cunctis conventibus ad nuntium mortis alicujus religiosi: quam gratiam Auctores communiter, teste Cavalieri, ad quascumque Ecclesias et personas extendunt?

„Absque Indulto non licere."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 21 die 16. Apr. 1853.

g) In Die tertio, sept. et triges.

Cum in constitutionibus Ordinis s. Benedicti praecipiatur, ut, quoties aliquis ex Religiosis decesserit, toties diebus 3., 7. et 30. et anniversario celebretur una missa cantata de Req., ut in die obitus in suffragium cujuscunque Religiosi: an liceat praedictam missam celebrare quoties dictis diebus 3., 7. et 30. ac anniversario occurrat festum ritus dupl.? S. C. resp.: Licere exceptis dupl. 1. et 2. cl. ac diebus festivis de praecepto. n. 4410 die 2. Aug. 1783. (Vd.: *Missa de Req. sol. in die obit.* Praes. cad. dies imp.; *decr. n. 4072*); *Dies obitus et tertius etc.; Missa de Req. sol. in die obit.* (Unica esse etc.)

h) In Feriis.

Vd.: *Missa de Req. in die obitus in dominica*; *Missa Sacerd. in aliena Eccl. etc.; Vigil. Epiph.; Officium Def.*; *Altare privileg.; Oratio pro def.; Anniversar.*

Non convenit, ut Missae def. celebrentur in primis feriis quartis, si sunt dies *solemnes* et Missas def. prohibentes. Ne autem anima defuncti gratia et Suffragio pro Missa in dicta feria *post mortem* alicujus fidelis celebranda ab Innocentio P. VIII. concesso privetur, procurandum esse a SS. D. N. declarationem litterarum Innocentii fel. rec., ut, casu praedicto veniente, possit *prima feria non impedita* post mortem alicujus fidelis Missa def. pro illius anima cantari et eandem obtineat gratiam ac si prima quarta feria juxta formam dictarum litterarum celebrata et cantata fuisset. n. 353 die 23. Junii 1607.

Per decretum de die 3. Junii 1662 (n. 2171) esse aboleta decreta de anno 1607 et 1627. n. 2919 ad 1 die 6. Apr. 1680.

Declaratur, ut prima feria *non* intelligatur *immediate sequens post mortem* Defuncti sed prima feria non impedita post *primam quartam feriam impeditam.* n. 393 die 27. Sept. 1608.

Non licere feriis secundis et sextis, etiamsi occurrant festa primae et secundae classis, in altari privilegiato sacra facere pro defunctis. n. 1611 ad 4 die 25. Sept. 1649.

i) Pro Infantibus.

(An dici debeat?)

Ad dubium: an permittendus sit usus praesente cadavere loco missae de

Requiem cantare missam angelorum in paramentis albis? S. C. resp.: nullo modo permittendum, sed omnino prohibendum. n. 960 die 21. Junii 1632.

Ad dubium: In funeribus, etiamsi defunctus parvulus sit, fit Officium de adultis et missa votiva de Angelis cum unica oratione in dupl. et dominicis. An possit hoc sustineri? S. C. resp.: Abusus omnino tolli debet. n. 2811 ad 5 die 16. Jan. 1677.

Ad dubium: an liceat in Exequiis parvulorum, praesente vel non praesente cadavere, cantare missam sol. vel dicere missam planam vot. de Angelis? S. C. resp.: Servetur rubr. Rit. rom. 23. Mart. 1709.

Vd.: *Sepult.* (Parvul.); *Exequiae* (Parvul.)

k) Novendialis.

Haeredes seu executores testamentarii non possunt cogi, ut pro cadaveribus, quae tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis parochialibus celebrari etiam faciant Novendialia necnon et Anniversaria, prout celebrantur in Ecclesiis Regul., in quibus sepeliuntur. n. 983 ad 2 die 22. Apr. 1633; n. 992 die 19. Novb. 1633.

Vd.: *Miss. de Req.* pr. in dupl. decr. n. 2811.

l) Infra octavam Corp. Chr.

Ad dubium: an aliqua die infra octavam Corp. Chr. cantari possit una missa de Req.? S. C. resp.: Non obstat dispositio contraria (nempe, una die cujuslibet hebdomadae pro anima testatoris missam de req. cantare). n. 2282 die 12. Julii 1664.

Infra octavam Corp. Chr. non celebrentur missae pro Defunctis. n. 2505 die 21. Julii 1670; n. 3873 die 29. Sept. 1714.

m) Per Octiduum.

Ad dubium: an adsit generale decretum permittens unicam missam sol. de Requ. in qualibet Ecclesia Octiduo def. perdurante? S. C. resp.: Non adesse generale decretum. n. 5126 die 22. Julii 1848.

n) Privata.

α) Alia substitui potest?

Ad dubium: In duplicibus, in quibus non permittuntur missae privatae de Requ., licitumne erit canere Nocturnum pro Defunctis et postea missam de die celebrare? S. C. resp.: In casu posse. n. 5146 ad 6 die 7. Sept. 1850.

Vd.: *Missa de Req. privata in dupl.* (decr. n. 2171; 3480 et ad finem tres Constitutiones); *Altare privileg.; Indulgentia altar. privileg.*

β) In Dominica.

Vd.: *Missa de Requ. privata in dupl.* (decr. n. 1959; 2811 ad 1 et 2811 ad 2; 3029.)

γ) In Duplicibus.

Vd.: *Missa de Req. cantata ex devotione* (decr. n. 4393); *Missae tres novi Presbyt.; Missa de Req. in die Obitus* (Privata); *Missa de Requ. infra oct. Corp. Chr.; Indulgent. altaris privil.; Altare privil.; Missa* (in Eccles. aliena decr. n. 3703; 3534; 3259; 2438); *Missa* (in altari etc. praescr. — decr. Innoc. XII.).

Ad dubium: an in octavis solemnioribus et in dupl. possit in altari privileg. celebrari missa de Requ. pro anima particul. defuncti? S. C. resp.: Servari rubricas. n. 1672 die 24. Maii 1653; n. 1709 die 20 Junii 1754.

Ad dubium: an stante decreto 28. Aug. 1627, quod in diebus, quibus prohibetur fieri de festo dupl., non possint dici missae votivae neque de Requie? S. C. resp.: Negative juxta rubricas. n. 1627 ad 1 die 19. Aug. 1651; n. 2595 ad 3 die 3. Sept. 1672.

Missas privatas pro Def. quocunque die dici posse praeterquam in festis dupl. et dominicis diebus. n. 1959 die 15. Febr. 1659; n. 1970 die 15. Febr.

1659; n. 2363 ad 2 et 3 die 13. Febr. 1666.

Missae priv. de Requ. etiam corpore praes. et insepulto dici non possunt diebus, quibus fit de dupl. vel aliis a rubricis exceptis et quaecunque consuetudo in contrarium abusus esse declaratur. Die 29. Jan. 1752.

Missas, quae haeredes Testatoris singulis diebus pro defunctis celebrari faciunt, celebrandas esse diebus non duplicibus vel alias a rubricis non exceptis, quibuscunque non obstantibus decretis in contrarium emanatis. Quatenus vero dispositiones Testatorum videantur comprehendere dies quoscunque etiam duplices et festivos, Missae quidem celebrentur pro defunctis, diebus tamen permissis; reliquis autem Officio duplici impeditis Missae celebrentur de *festo currenti cum applicatione Sacrificii* in suffragium animae Testatoris. n. 2171 die 3. Junii 1662.

Servandum esse Breve S. M. Alex. VII. de non celebrandis missis de Req. in duplicibus, non obstante, quod ex consuetudine quasi immemorabili consueverit in Ecclesia conventus s. Francisci Ragusae cantari et dici submissa voce respective d. missam de Req. in praefatis diebus, tam ex dispositione def., quam ex voluntate consanquineorum defunctorum pro illorum suffragio. n. 2501 die 31. Maii 1670.

Decretum Generale.

Cum SSmus D. N. in Visitatione Ecclesiarum Urbis acceperit in plerisque Ecclesiis abusum irrepsisse, celebrandi Missas privatas pro defunctis etiam in festis duplicibus contra praescriptum Rubricarum Missalis Romani, eumdemque abusum Decreto Congregationis eliminari praeceperit, innotuerit vero S. R. C. hujusmodi abusum, etiam in aliis Ecclesiis ubique gentium existentibus inductum pariter reperiri: S. eadem C., „ut Missalis Rubricae inviolatae serventur, districte praecipit omnibus et singulis Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam necessario exprimendi, ut in posterum omnino dictam Rubricam servent, ita ut Missas privatas pro defunctis seu de Requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant vel praesumant. Quod si ex Benefactorum praescripto Missae hujusmodi celebrandae incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii, juxta mentem eorum Benefactorum, curentque Ecclesiarum Rectores, Sacristae aliique, ad quos pertinet, ut hujusmodi Decretum inviolate servetur et in Sacristia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici ac legi possit. In eos autem, qui contra facere ausi fuerint, vel praemissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii tum Saeculares tum Regulares, pro modo culpae, animadvertant.“ Die 5. August 1662*).

Et facta de praedictis SSmo relatione, Sanctitas Sua annuit, „et cum applicatione Sacrificii satisfieri ac Benefactorum mentem impleri voluit.“ *n. 2178 die 5. Aug. 1662;* n. 3873 die 29. Sept. 1714; n. 4175 ad 7 die 4. Sept. 1745; n. 4312 die 28. Aug. 1762; n. 3283 die 14. Junii 1692; vd. infra decr. sub n. 3480.

Servandum esse decretum de die 5. Aug. 1662 super prohibitione celebrandi missam de Requiem in duplicibus, non obstante antiqua consuetudine, unam cantandi quolibet die Martis non feriata. n. 2341 die 19. Sept. 1665; die 28. Sept. 1675.

*) Bull. r. t. VIII. p. 438. Const. Clem. XI. 29. Sept. 1714.

Mos in die depositionis defuncti sive dominica sit sive festum dupl. aut classicum, missas *priv.* de requiem celebrari, ut abusus repugnans rubricis omnino tolli debet. n. 2811 ad 1 die 16. Jan. 1677.

Mos, in *primis novem diebus* depositionis defuncti in altari, ubi jacet, Missas de Req. privatim celebrari, non solum dupl. festis et Dominicis verum et in festis classicis et de praecepto, est abusus repugnans rubricis et omnino tolli debet. n. 2811 ad die 16. Jan. 1677.

Ad dubium : An quis peccet legendo missam de Req. die, qua occurrit festum dupl. aut infra octavam, quae excludit festum dupl., aut est dominica? S. C. resp.: Missas priv. pro def. seu de req. in casu proposito a quibuscunque sacerdotibus tam saecularibus quam regul. cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam necessario exprimendi, nullatenus esse celebrandas. (Cf.: decretum n. 2178 die 5. Aug. 1662.) n. 3029 ad 2 die 24. Julii 1683.

Quodsi in festo dupl. necesse fuerit exequias celebrari, missae *privatae* non debent dici de Requiem, sed currentes de die, quae sunt ejusdem valoris ac missae de Req., veluti pro adimplenda Testatoris voluntate loco earum currentes dici posse declararunt S. M. Alex. VII. et Clem. IX. *), cum sint ejusdem valoris, ut nulla cogat necessitas ad celebrandas missas priv. de Req. et insuper repugnat rubricis, quibus privata auctoritate neminem contrafacere posse patet ex Bulla Pii PP. V. in Missali edita. n. 3220 die 10. Junii 1690; n. 3228 die 2. Sept. 1690.

Ad dubium : An Regulares licite celebrare possint missas de Req., etiam non praesente cadavere, in diebus dupl. etiam 2. cl. suae Religionis, in aliis Ecclesiis, ubi non fit de tali festo? S. C. resp.: *Dentur decreta.* n. 3350 die 22. Jan. 1695.

Ad animas defunctorum ob memorabiles Siciliae Terraemotus 11. Jan. 1693 sequutos suffragandas, Patres Ordinis Eremitarum excalceatorum S. Augustini conventus Novae Lucis civitatis Cataniae supplicarunt pro facultate dicta die 11. Januar., licet infra octavam Epiphaniae Dom., celebrandi missas de requiem. S. C. resp.: *Lectum.* n. 3449 die 14. Decb. 1697.

Remisso S. R. C. a SSmo D. Nostro Innocentio Papa XII. pro voto supplici Libello Sanctitati Suae porrecto ex parte Capituli et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Caven. humiliter supplicantium, ut Purgatorii Animas commiserando dignaretur ex speciali gratia indulgere, ut ad instar Declarationum S. R. C. sub die 5. Aug. 1662. San. Mem. Clementis P. IX. sub die 23. Septembris 1669 et Innocentii P. XI. sub die 4. Maji 1688 editarum, Sacerdotes ejusdem Civitatis cum celebratione Missarum etiam de festo duplici et applicatione Sacrificii ad Altare privilegiatum Montis Pietatis nuncupatum intus Ecclesiam Cathedralem Cavensem existens, pro consecutione Indulgentiarum pro Animabus defunctorum possent satisfacere mentemque Benefactorum adimplere, ac insuper, ut Indultum San. Mem. Gregorii XIII. pro praedicto Altari privilegiato Montis Pietatis Calendis Julii anni 1581 pro Missis defunctorum dumtaxat concessum adeo posset etiam cum celebratione Missae de festo duplici praedictae suffragari, ac si Missa de Requie celebraretur, ex eo maxime, quia, cum in eodem Altari hactenus non parva extent legata, earumdem celebrationem ob innumera Officia Sanctorum sub ritu duplici praescripta ob distantiam Cathedralis a Casalibus, in quibus ipsi

*) Vd : infra *Constitutiones horum Pontificum.*

Sacerdotes habitant, et ob coeli inclementiam ad diem primam non impeditam et ultro etiam Sacerdotes praedicti, cum maximo Animarum Suffragia exposcentium praejudicio protrahere coguntur. Praedictorum Libello ab Emo et Rmo D. Card. Imperiali in S. R. C. relato.

Eadem S. R. C., omnibus bene perpensis ac mature consideratis censuit respondendum: „Oratorum petitioni posse annui, quatenus non possint adimplere in diebus non impeditis, si SSmo D. Nostro placuerit." n. 3480 die 5. Julii 1698 (vd.: supra decr. n. 2178.); n. 3537 die 3. Oct. 1699.

In diebus dupl., quibus prohib. missa priv. de Requ., cantari potest Nocturnum pro Def. et deinde Missa de die celebrari. n. 5146 ad 6 S. R. C. 7. Sept. 1850.

Romana.

(Conc. Tr. S. 25. De observ. et evit. in Sacrif. missae.)

In Ecclesia Beatissimae Virginis, quae hic in Urbe dicitur Montium et quae administratur à Patribus, qui Pii Operarii appellantur, extat Altare Sanctissimi Praesepis, quod ex indulto Pontificio est omni die privilegiatum.

Affixa sunt huic Altari nonnulla onera Missarum quotidianarum et plures aliae eleemosynae in dies subministrantur à Fidelibus, ut in praedicto Altari Missae celebrentur. Qualibet die Sabbathi canitur in praedicta Ecclesia Missa solemnis cum Musica et populi concursu et frequentia Sacramentorum.

Item per novem ferias quartas ante festum S. Joseph exponitur in praedicta Capella Reliquia praedicti Sancti et Altare ornatur et adest pariter concursus Populi unà cum frequentia Sacramentorum.

Cumque indecens quodammodo videatur ratione solemnitatis, ut Missae de requiem celebrentur in praedicta Ecclesia memoratis Sabbathi diebus et memoratis feriis quartis, quamvis sint feriales aut semiduplices, *supplicatum fuit Sanctissimo Domino Nostro pro facultate satisfaciendi Missis de Requiem cum celebratione Missarum Votivarum Beatissimae Virginis supradictis Sabbathi diebus et cum celebratione Missarum Votivarum de Sancto Joseph memoratis feriis quartis* et à Sanctitate Suà preces fuerunt remissae ad hanc Sac. Congregationem.

Auditus fuit Eminentissimus Urbis Vicarius, qui sensit, annuendum esse petitis, ut videlicet magis satisfiat devotioni populi ad dictam Ecclesiam dictis diebus confluentis et cujus Orationibus, cum Sacramentorum frequentia poterunt Animae in Purgatorio existentes suffragium habere.

Controversia inter Doctores agitata: *an ad consequendam Indulgentiam à Summo Pontifice Altaribus privilegiatis concessam necesse sit in eis Missam Defunctorum celebrare, an verò sufficiat aliam Missam dicere, quae pro offerente eleemosynam celebretur?* Et in qua pluribus adductis rationibus *affirmativè* respondet *Fagnanus* in cap. quidem num. 13. et seq. de celebrat. Missarum, ubi latè ostendit, sufficere quamcumque aliam Missam, et in qua pro necessitate Missae de Requiem late pugnat *Amostaz* de causis piis lib. 2. cap. 5. n. 45. et seq. cessat in hypothesi nostra praesenti, in qua Summus Pontifex Paulus V., qui Altare Privilegiatum concessit, sermonem fecit de Missis de Requiem ibi: *ut quandocumque Sacerdos aliquis Missam Defunctorum pro Anima cujuscumque Fidelis, quae Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictam Altare celebrabit, Anima ipsa de Thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur*: concurrente etenim expressa voluntate Papae de celebrandis Missis de Requiem.

cessat controversia circa punctum, an sufficiat aliam Missam dicere vel necesse sit Missam Defunctorum celebrare pro lucrifacienda Indulgentia à Summo Pontifice Altaribus privilegiatis concessa, ut benè ponderant *Diana* oper. moral. par. 9. tract. 2. resol. 8., *Pasqualig.* de Sacrif. novae Legis quaest. 731., *Tamburin.* in methodo celebrandae Missae lib. 2. cap. 7. §. 7., *Bordon.* de legatis. cap. 7. num. 48. et seq., *Amostaz* de causis piis tom. I. lib. I. cap. 5. à num. 47.

Quia verò non omnibus diebus Missae Defunctorum seu de Requiem celebrari possunt nec etenim celebrantur, quando occurrit Festum Duplex juxta Rubricas generales ad titulum de Missis Defunctorum et juxta resolutionem Sac. Congregationis Rituum die 5. Augusti 1662 *), quae pro Basilica Vaticana fuit confirmata per litteras Apostolicas in forma Brevis, editas ab Alexandro VII. die 22. Januarii 1667, ita ut in eadem Basilica non amplius celebrentur Missae de Requiem in Festis duplicibus, ut fuerat praescriptum à Sixto V. in sua Bulla edita anno 1589.

Hinc ad avertenda praejudicia suffragiorum applicandorum pro Animabus Purgatorii, nonnulla edita fuerunt Brevia à Summis Pontificibus Alexandro VII., Clemente IX. et Innocentio XI.

Alexander Papa VII. in suo speciali Brevi, quod incipit: *Creditae nobis etc.* decrevit, quod si ex Benefactorum institutione Missae pro Defunctis celebrandae incidant in Festum duplex, tunc, ne dilatio Animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii et quod hoc ipsum servetur quoad Missas in Altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas.

Clemens Papa IX. in suo Brevi, quod incipit: *Cum felicis recordationis etc.* extendit hanc Alexandri VII. dispositionem ad Altaria privilegiata, licèt non in perpetuum sed ad septennium et non in omnibus sed in aliquibus tantùm hebdomadae diebus.

Innocentius tandem Papae XI. in suo Brevi, quod incipit: *Alias postquam etc.* declaravit, Brevia praedictorum Pontificum sibi debere locum vindicare pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missae Defunctorum celebrari non possunt et sic diebus Dominicis et infra Octavam Paschalis Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi aliisque anni diebus, quibus, licèt à festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missae Defunctorum juxta Ritum Ecclesiae celebrari non possunt et horum omnium Brevium fit mentio in decreto impresso in celebri Missali Typus editi Sac. Congregationis de Propaganda Fide, quae pariter decreta sunt impressa in Bullar. san. mem. Clementis XI. pag. 570 num. 20.

Haec innuisse sufficiat ad ornatum materiae; praesens etenim casus respicit dies, quibus Missae Defunctorum juxta Rubricas celebrari possunt, ita ut sola indago versari debeat in hoc, an ratione Solemnitatis indulgeri possit petitioni ex gratia et ut magis satisfiat devotioni Populi, cujus Orationibus et Sacramentorum frequentia, uti dictum est, poterunt Animae in Purgatorio existentes suffragium consequi; perceptio enim Eucharistiae juxta communem Theologorum sententiam prodest Animabus Purgatorii, cum Communio rite et recte peracta sit opus bonum omnium bonorum operum praestantissimum et Fideles in praesenti vita degentes possint pro Defunctis per bona opera eis applicata satisfacere, uti late ostendit bon. mem. Card. Capisuccus controvers. 4. de Communione pro Mortuis, ubi refellit Theopilum Ray-

*) Vd.: p. 195.

naudum contrarium asserentem in quodam opusculo edito Lugduni anno 1637 quod die 11. Martii 1647 fuit condemnatum à Sacra Congregatione Indicis.

His positis dignabuntur EE. VV. decernere:

An et quomodo petitis sit annuendum in casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 9. Febr. 1726.

Ad majorem intelligentiam horum Decretorum, quae juxta ordinem temporum supra relata sunt, subjicimus Constitutiones S. M. Alexandri VII., S. M. Clementis IX. et Ven. Innocentii XI.:

Constitutio Alexandri VII. *)

Creditae nobis coelitus dispensationis Officium salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes et quamplurima Dubia in diversis mundi partibus orta et in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Ritibus praepositorum, deducta occasione *Decreti ejusdem Cong. die 5. Aug. 1662 editi* ac a nobis probati, de non celebrandis Missis de Requiem in duplicibus tollere atque dirimere cupientes, de memoratorum Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, approbamus in primis aliud Decretum *in una Novarien. 22. Nov. 1664*, quo declaratum fuit: Anniversaria et Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, non comprehendi in dicto decreto. Ulterius quoad Altaria perpetuo privilegiata et in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandae sint Missae de Requiem ex obligatione, auctoritate et tenore praedictis, declaramus, per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri dictis obligationibus et suffragari cum eisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratae Missae de Requiem *) ad formam privilegiorum, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere etc.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris. Die 22. Jan. 1667 Pontificatus nostri anno XII.

Vd.: *Indulg. altaris* — (dies, in quibus missa de festo etc. —)

Altera Clementis IX. sequens est**):

Cum fel. rec. Alexander Papa VII. Praedecessor Noster Dubia in diversis Mundi partibus, occasione Decreti *Cong. tunc existentium S. R. E. Cardinalium S. Ritibus praepositorum die 5. Aug. 1662* emanati et ab ipso *Alexandro* Praedecessore nostro approbati, de non celebrandis Missis defunctorum in Festis ritus dupl., exorta dirimere cupiens, aliud ejusdem Cong. Decretum *in una Novarien. die 22. Nov. 1664* editum approbaverit, quo declaratum fuerat: Anniversaria et Missas defunctorum cum cantu ex dispositione Testatorum quotannis recurrente ipsorum obitus die celebrandas, tametsi dies obitus hujusmodi in Festo ritus dupl. maj. incideret, non comprehendi in dicto primo Decreto: ac ulterius quoad Altaria privilegio Apostolico pro Animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata et in quibus proinde quotidie, etiam in Festis ritus dupl. celebrandae essent Missae defunctorum ex obligatione, declaravit, per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfieri

*) Vd.: *Bullar. magn. rom. tom. VI. p. 233* (ed. Luxenburg. 1727.).

*) Vd.: *Bull. r. t. VIII. p. 438 Constit. Clem. XI. die 29. Sept. 1714.*

**) Vd.: *Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 287* (ed. Luxenburg. 1727).

injunctis obligationibus et Indulgentias per hujusmodi privilegia Apostolica concessas animabus Fidelium in purgatorio existentibus suffragari perinde, ac si celebratae fuissent Missae defunctorum ad formam dictorum privilegiorum et alias, prout in ejusdem *Alexandri* Praedecessoris Literis desuper in simili forma Brevis *die* 22. *Jan.* *1667* expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur. Cumque (sicuti ad aures nostras pervenit) etiam dubitetur: Utrum dictarum literarum dispositio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadae diebus et ad quae Missae non ex obligatione, sed ex sola Fidelium devotione celebrantur, locum habeat: Hinc est quod nos dubitationes hujusmodi ex injunctae nobis coelitus pastoralis solicitudinis munere dirimere pariter utque decidere cupientes, *de Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium praepositorum S. Ritibus*, qui rem mature perpenderunt, consilio, declarationem a memorato *Alexandro* Praedecessore, sicut praemittitur, editam, ad Altaria, ut praefertur, son in perpetuum, sed ad Septennium aeu aliud brevius vel longius tempus, qc non omnibus, sed aliquo vel alinuibus tantum hebdomadae diebus, nunc et in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, extendimus et proinde, ut Missae, quae ibidem de Festo currente, in quo Missae defunctorum celebrari non possint*), sive ex obligatione sive ex sola fidelium devotione, celebrantur, ita ut animae Christifidelium, pro quibus celebratae fuerint, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequantur in omnibus et per omnia, perinde ac si Missae defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratae fuissent, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris. Die 23. Sept. 1669. Pontificatus nostri anno tertio.

*) De missis de Req. *infra octavas et dominicas eas prohibentes* celebrandis in altari privil., vel.: *Altare privil.* (decr. n. 3158.)

Constitutio Innocentii PP. XI.

(Bull. r. t. XI. p. 596.)

Alias postquam fel. rec. *Alexander PP. VII.* Praedecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis *die* 22. *Jan. 1667* expeditas Literas Dubia in diversis mundi partibus occasione Decreti *Congregationis tunc existentium S. R. C. Cardinalium S. Ritibus praepositorum die 5. Aug. 1662* emanati et ab ipso *Alexandro* Praedecessore approbati, de non celebrandis Missis defunctorum in festis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, inter cetera quoad Altaria privilegio Apostolico pro Animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata et in quibus proinde quotidie etiam in Festis ritus duplicis celebrandae fuissent Missae defunctorum ex obligatione, declaraverat per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri injunctis obligationibus et indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas animabus fidelium defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratae fuissent Missae defunctorum ad formam dictorum privilegiorum :

Recolendae memoriae *Clemens Papa IX.* pariter Praedecessor noster aliam subinde ortam dubitationem: utrum scilicet dictarum *Alexandri* Praedecessoris literarum dispositio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum nec pro omnibus hebdomadae diebus et ad quae Missae non ex obligatione sed ex sola fideliùm devotione celebrarentur, locum haberet similiter, tollere desiderans, declarationem a memorato Alexandro Praedecessore, sicut praemittitur, editam ad Altare, ut praefertur, non in perpetuum sed ad Septennium, seu ad aliud brevius vel longius tempus, ac non in omnibus sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadae diebus tunc et in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apostolica, extendit et proinde ut Missae, quae ibidem de festo currenti, in quo Missae defunctorum celebrari non possent, sive ex obligatione sive ex sola Fidelium devotione celebrandae essent, suffragentur, ita ut Animae Christifidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequerentur, in omnibus et per omnia perinde ac si Missae defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratae fuissent eadem Auctoritate concessit et indulsit et alias prout in ipsius *Clementis* Praedecessoris Literis etiam in forma Brevis *die 23. Sept. 1669* desuper expeditis, quarum et praefatarum *Alexandri* Praedecessoris Literarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis volumus, uberius continetur. Cum autem postmodum, sicut accepimus, novum circa praemissa excitatum fuerit Dubium, videlicet: an supradictae *Alexandri* et *Clementis* Praedecessorum declarationes sibi pariter locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, infra Octavas Paschalis Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi aliisque diebus, quibus, licet a Festo duplici non impediantur, adhuc Missae defunctorum juxta ritum et morem Ecclesiae celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missae, quas iisdem diebus celebrare licet, servata ceteroquin dictorum privilegiòrum forma, ad praefata Altaria celebrarentur; nosque dubium hujusmodi Congregationi VV. Fratrum nostrorum S. R. E. Card. S. Ritibus praepositorum examinandum commiserimus, ac eadem Cardinalium Congregatio, re mature discussa, nuper per suum Decretum *die 3. Apr. proxime praeteriti* praefatas *Alexandri* et *Clementis* Praedecessorum declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missae defunctorum celebrari non possunt, responderit; hinc est, quod nos commissae nobis coelitus dispensationis munere fidelium defunctorum animarum in Purgatorio existentium suffragiis peramplius consulere cupientes, Decretum hujusmodi a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut praefertur, Apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate supradictae Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris.

Die 4. Maji MDCLXXXVIII., Pontificatus nostri anno XII.

Decreta autem S. R. C. in praefatis Literis in forma Brevis laudata habentur suis apte locis, scilicet n. 2177, 2178, 2304, 2488, 3158.

d) In Duplicibus ad libitum.

Ad dubium: An in ecclesia paroch., ubi est altare privileg. pro Defunctis,

celebrari possit a sacerdotibus confluentibus Missa de Req. in die alicujus Sancti *duplicis ad libitum,* ex quo ejus Officium a parocho recitatur? S. C. resp.: In casu proposito, cum officium sit ad libitum quamvis sub ritu dupl., posse sacerdotes confluentes celebrare missam de Requ. n. 3251 die 24. Nov. 1691.

ε) Infra oct. Nat. D.

Prohibendas esse missas privatas vot. et defunctor. in Vigilia et infra octavam Nativ. Dom. n. 3754 ad 2 die 25. Sept. 1706; 14. Sept. 1714*); die 28. Sept. 1675.

Vd.: *Praefatio in miss. vot.* (decr. n. 3754); *Annivers.* (dies anniv. ex dispos. testat., decr. n. 2847.)

ζ) Infra octav. solem.

Vd: *Missa de Req. privata in dupl.* (decr. n. 1672); *Vigiliae Epiphaniae*; *Indulgentia altaris privil.* (decr. n. 4780 *nota*); *Missa de Req. priv.* (cor. SSmo); *Annivers.* (dies anniv. ex dispos. test. decr. n. 2847.)

Infra octavam SS. Corp. Chr. prohibentur missae votivae quaecumque vel pro defunctis. S. R. C. 21. Jun. 1670 (Bull. r. t. VIII. p. 438 Constit. Clem. XI. 29. Sept. 1714).

Ad augendam fidelium venerationem erga augustiss. Sacramentum ejusque cultum in toto orbe terrarum promovendum prohibentur missae vot. vel pro def. infra octav. Corp. Chr. S. R. C. 15. Sept. 1714.

In festis dupl., infra oct. Epiph., Pasch., Pentec. et Corp. Chr. ac in tota hebdom. maj., fer. IV. Cinerum, vigilia Pentecost. ac Nativit. D. missa priv. vot. vel de Req. nec ullo modo licet. S. R. C. die 28. Sept. 1675.

η) Obligatio.

Vd.: *Sacerdos caecut.* (decr. n. 4594); *Indulg. alt. priv.* (Color par. t. I. p. 669.)

Diebus, quibus dici possunt missae vot. priv. vel def., Sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis vel accepti manualis stipendii, propriae obligationi non satisfacit dicendo missam de die currente; expressa enim voluntas Testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri. n. 4299 ad 14 die 3. Mart. 1761.

Ad dubium: an videatur magis consonum dicere missam de festo in altari privil. singulis diebus, cum in Ecclesia (Monialium) quotidie fieri soleat s. communio, quae in param. nigris fieri nequit? S. C. resp.: Negative. n. 4348 ad 1 die 15. Julii 1769.

Ad dubium: In variis Dioecesibus Belgii juxta doctrinam in Seminariis traditam usus invaluit, ut his diebus, quibus per Rubricas licet Missas *de Requie* et votivas celebrare, Sacerdotes Missas privatas oblato manuali stipendio pro uno vel pluribus defunctis vel votivam in hon. alicujus Mysterii, vel Sancti habentes, celebrent conformes Officio, quod illa die recitarunt ad satisfaciendum susceptae obligationi, dummodo Fideles expresse non rogaverint dici Missas *de Requiem* vel votivas. Usus iste nititur in primis Rubricae Missalis art. IV. de Missis votivis n. 3, quae praescribit, ut, quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat; deinde auctoritati S. Alphonsi Mariae de Ligorio, qui in Theologia Morali *lib. 6 tract. 3 n. 422* dicit communissimam et probabilem esse hanc sententiam. Petitur ergo: an praefati Sacerdotes satisfaciant suae obligationi? et quatenus negative, ut dignentur Emi P. condonationem impertiri pro Missis tali modo exoneratis.

Et S. eadem C. rescribendum censuit:

„Affirmative quoad Missas *pro Defunctis* juxta Generale Decretum diei 5. Aug. 1662 in reliquis negative et quoad praeteritum unusquisque consulat conscientiae suae.“

Atque ita rescripsit ac servari praecepit. n. 4897 ad 7 die 12. Sept. 1840.

*) Bull. r. t. VIII. p. 438 Constit. Clem. XI. 29. Sept. 1714.

o) Coram SSmo Sacramento.

Cf.: *Color paramentor. etc., Missa de Req. in die obitus cor. SSmo.; Missa de Req. privata* (Infra oct. sol.); *Indulg. alt.* (dies, in quibus per missam de festo etc., decr. pro Dioec. Limburg.)

Durante expositione SSmi *occasione 40 hh.* in tali Ecclesia celebrari non potest Missa priv. de Req., quando alias dies ipsa eam admittit. Idem de missa cantata de Requiem pro implenda mente testatoris sive anniversario satisfaciendo. n. 3073 ad 5 die 2. Decb. 1684; n. 3422 die 27. Apr. 1697.

In expositione SSmi *occasione 40 hh. in die Commem. Omn. fidel. def.* licet celebrare missam sol. et etiam privatam itidem defunctorum. n. 4477 ad 1 die 16. Sept. 1801.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XVII. n. 1-8; n. 9—16.

Missae de Requiem extra altare, ubi est expositum SSmum etiam in pyxide, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram SSmo non sit ex publica causa. n. 4181 ad 9 die 7. Maii 1746.

In Altari, ubi est expositum SS. Sacram., licet in pyxide tantum, omni tempore prohibentur missae de requiem tam privatae quam sol. Die 21. Junii 1670; 12. Sept. 1671.

Cathanien.

Sodalitas SSmi Sacramenti erecta in Collegiata Ecclesia Civitatis Aci-Reale in Dioecesi Cathaniensi expostulat facultatem decantandi Missam de Requie cum SSmo Sacramento exposito in Altare laterali.

Sacrorum Rituum Congregatio rescripsit: „Obstat Instructio Clementis XI. nec non Decreta Sacrorum Rituum Congregationis.“ Die 19. Decb. 1829 n. 4650.

Nota Gardellini ad hoc Decretum.

Instructio Clementina haec habet §. XVII. num. 1.: *Non si celebrino Messe di Requiè nel tempo che durera l'Orazione delle Quarant'ore.* In Instructionis verborum adnotationibus *n. 1* haec subjicitur ratio: *Dedecet enim, quod cum lugubri apparatu celebrentur Defunctorum Missae, ubi Sacramentum est triumphaliter expositum, praesertim* (en alia ratio), *quia in his haud adjici potest commemoratio Sacramenti, quam in Missis votivis omnibus, si per Rubricam liceat, eadem Instructio demandat.* Scio equidem nonnulla S. R. Congregationis Decreta reperiri, quibus videtur non absolute prohiberi Defunctorum Missas, idque erui quodammodo posse ex verbis, quibus eadem S. Congregatio usa est in una Canonicorum Regularium Lateranensium sub die 12. Decembris 1684 et in altera Eugubina 27. Aprilis 1697. Legitur enim in prima: *regulariter negative:* in altera vero: *congruentius abstinendum,* ex quibus utriusque Responsionis verbis tam Cavalerius quam Tetamus in ea sunt sententia, ut absoluta hujusmodi Missarum prohibitio non eruatur, licet per eos etiam satius sit eas non celebrari. Sed advertendum hac in re est, haec Decreta, quae de congruentia, de regularitate quoad non celebrationem loquuntur, Instructionis Clement. promulgationem praecessisse, atque hinc quod posteriori Lege in contrarium statuta sunt contra haec ipsa esse non posse, nec legem nec regulam posse efformare; hinc si absolute non prohibentur a Decretis Congregationis anterioribus, per ipsam Instructionem prohibentur, quae et vim regulae habet et Legem constituit, qua Constitutione, qua regula, qua lege ea ipsa Decreta revocata atque abrogata censeri jure possunt ac debent: nihil enim clarius dici potest, ut inde pa-

teat absoluta prohibitio: *Non si celebrino le Messe di Requie:* quae quidem verba omnem excludunt, si qua esse posset, ambiguitatem et praeceptum de non celebrandis hujusmodi Missis includunt in iis saltem Ecclesiis, quas Instructio Clementina respicit. At reponet fortasse quis, haec Instructio de Ecclesiis loquitur, in quibus Sanctissimum Sacramentum in forma Quadraginta horarum est expositum, pro quibus apposite edita est; non sequitur hanc legem aliis etiam Ecclesiis aptari debere, in quibus quocunque alio modo est expositum. Nemo ignorat praecipuum hoc esse Clementinae Instructionis objectum, sed, si quid video, alias etiam expositiones cum SSmo Sacramento includit. Et sane S. R. Congregatio Anno 1726, cum jam nempe suam mutavit post Clementinam Instructionem sententiam, in una Varsavien. respondit: ***Missae de Requie extra Altare, ubi est expositum Sanctissimum Sacramentum, potuerunt celebrari, dummodo tamen Oratio cum Sanctissimo Sacramento non sit ex causa publica.***

Hac responsione S. Congregatio occurrit dubio, quo quaesitum est: ***An permitteret Rubrica celebrari Missas de Requie durante expositione Sanctissimi Sacramenti in Pyxide?*** Jam quis non videt differentiam inter expositionem Sanctissimi Sacramenti in Pyxide et aliam in Throno sive umbella? Haec aliquam semper habet solemnitatem, ut demonstrat ipse expositionis modus, cui etiam saepe conjungitur publica causa, illa vero nullam vel publicam causam vel solemnitatem, ut plurium saltem, praesefert. Hoc posito discrimine, videt per se quisque permissis hujusmodi Missis *taxative* dum Sanctissimum Sacramentum est expositum in Pyxide, indirecte quidem, sed non obscure hac responsione prohiberi *Missas de Requie,* cum Sacramentum est expositum in Throno eo vel magis, 1. quia singulari dubio de Sanctissimo Sacramento in Pyxide respondit, 2. quia publicum excipit bonum, in quo semper est quaedam solemnitas. Insuper ut non inopportune quod rem nostram pertinet, advertit Auctor Adnotationem ad Instructionem Clementinam: *dedecet quod cum lugubri apparatu celebrentur Missae Defunctorum*, ubi expositum est triumphaliter Sanctissimum Sacramentum. Jam si dedecet has Missas tali in casu celebrare, quid dicendum de Missis *de requie* cum cantu, quo nihil solemnius in luctu dici potest, nullus apparatus magis lugubris esse potest? Haec in luctu ipso solemnitas, hic lugubris apparatus directe adversaretur solemnitati expositionis. His addendum, si Missae, praesente Cadavere, exposito Sanctissimo Sacramento prohibentur, quid dicendum, si hae, absente cadavere, cum cantu celebrarentur? Vigeret semper et alia ratio de commemoratione Sacramenti in Missis omnibus privatis, quae, cum per Rubricam addi potest, omnino non est omittenda, quaeque hoc in casu deberet omitti: qualitas enim Missae illam excludit. Vigeret denique ratio ex fine desumpta, quo fiunt expositiones quocunque modo solemnes, qui est ut Fideles in tanti Sacramenti institutionis meditatione immorentur, in illius Auctoris charitate admiranda, in Christi recolenda Passione et in eo, quod nobis per ipsum datum est, aeternae gloriae pignore considerando, a quo tam excellenti fine mens abstraheretur, si eo, quo Sanctissimum Sacramentum veneraremur tempore, ad aliud per lugubrem cantum Defunctorum Missae vocaremur. Multa his addi possent, sed finis sit et qui plura desiderat adeat Cavalerium, Tetamum, Instructionem Clementinam et subjectas adnotationes, quibus haec quae hactenus dicta sunt, confirmantur.

p) Solemnis (Abbreviatio).

In solemni Missa de Requie non potest aliquid brevitatis causa ommitti de eo, quod notatur in Graduali, sed Missam esse cantandam prout jacet in Missali. n. 923 ad 5 die 5. Julii 1631.

Quo die Missa de Requ. solemnis celebr. sit? Vd.: *Missa de Requ.* (Cantata sol.)

71) Ritus non mutandus.

Cf.: *Ritus; Credo; Nativ. Dom.* (missae ritus); *Missa sol. cor. exp. SSmo* (ritus); *Sacerdos inhabilis; Missa* (altare); *Ritus graec.*

Ab Episcopo Aretino casus sequens est expositus: Accedit Sacerdos ad altare, dum regreditur processio ad Ecclesiam, procedit usque ad Offertorium Sacerdos ut in missa privata; sistit vero usque adeo omnes de choro ad proprium stallum pervenerint; tunc accedunt ad altare Diaconus et Subdiaconus, ut in missa solemni; incensantur Oblata et Clerus more solito; dein canitur Praefatio; post Consecrationem et Elevationem Calicis Diaconus et Subdiaconus omnesque de Clero recedunt et Celebrans ut in missa privata prosequitur. S. C. resp.: *Negative in omnibus* et Episcopus curet quam primum eam consuetudinem abscindi. n. 4406 die 19. Febr. 1782.

Ad dubium: utrum in missis festorum sol. ultra Diaconum et Subd. possint etiam pro majori decore adhiberi aliqui sacerdotes pluvialibus induti, qui una cum Celebrante, Diacono et Subd. faciant confessionem et majori eorum Celebranti praeintonat: *Gloria etc.* prout huc usque ex antiquissima consuetudine et traditione in Collegiata de Taggia observatum est et ut servari indicat Bauldry in Gallia? S. C. resp.: Servandas rubricas missalis et Caeremonialis pro missis sol. n. 3025 ad 4 die 24. Julii 1683.

Ad dubium: An Sacerdotes uti possint omnibus privilegiis etiam si nunc usque non usitatis, prout habentur in Bulla:

Ad hoc nos Deus etc. S. Pii V. diei 17. Dec. 1570 inserta ad caput Missalis Rom., ita ut e. g. possint Calicem cum Vino et Aqua praeparare in Altari ante initium Missae?

S. eadem C.... respondentum censuit:

„Negative, sed quoad illa servandam consuetudinem.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 14.

Die 11. Sept. 1847.

Episcopus vigore Tridentini potest punire etiam censurarum poena sacerdotes tam saecul. quam reg. committentes indecentiam circa missae sacrificium. S. C. C. 16. Januarii 1849. (Bened. XIV. in Constit.: *Accipimus* 16. Jul. 1746.)

Qui prae timore vel balbutie non pronuntiat Evang. s. Joann., debet a Missae celebratione suspendi. S. R. C. 5. Jul. 1631.

Pius PP. Quintus.

Cum ad nostram notitiam pervenerit, quod nonnulli presbyteri tam graeci quam latini antiquum S. R. E. ritum tam in celebratione missarum quam aliorum divinorum officiorum pervertere satagentes, diversas licentias et facultates missas et alia divina officia, *Graeci latino more et Latini graeco ritu celebrandi* impetrarunt illisque jam pridem utuntur, *hunc abusum ab Ecclesia extirpare et submovere volentes omnes et singulas licentias ex quibusvis causis quomodolibet concessas hac praesenti nostra perpetuo valitura constitutione revocamus, cassamus, annullamus et irritamus, quibusvis presbyteris tam graecis quam latinis in virtute s. obedientiae et sub indignationis nostrae ac perpetuae suspen-*

sionis a Divinis poenis districtius inhibentes, ne deinceps presbyteri graeci, praecipue uxorati, latino more, et latini graeco ritu missas et alia divina officia celebrare vel celebrari facere praesumant.

Datum Romae ap. s. Marcum die 20. Aug. 1566.

(Bull. mag. rom. tom. II. p. 205 ed. Luxenb.)

Benedictus PP. XIV.

Cum in s. gen. Florent. Concilio praescriptum sit, ut unusquisque Sacerdos Eucharistiam juxta ecclesiae suae ritum sive latinae sive graecae in Azymo seu Fermentato conficere debeat, vetitumque a SS. Rom. PP., ne latinus Sacerdos graeco ritu aut graecus latino ritu utatur; districtius inhibemus, etiam sub poenis perpetuae suspensionis a Divinis, ne presbyteri graeci latino more et latini graeco ritu sub quovis licentiarum et facultatum missas et alia divina off., Graeci latino more et Latini graeco ritu celebrandi ab ap. Sede vel ejus legatis ac etiam majori Poenitentiario pro tempore existente obtentarum praetextu missas et alia divina off. celebrare vel celebrari facere praesumant.

Constit. Bened. XIV. die 26. Maii 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 98.)

Benedictus PP. XIV.

Abbates Monaster. graec. Ritus ad missam Graeco ritu celebrandam tenentur sub severioribus eccles. poenis et censuris etiam privationis munerum et officiorum et vocis activae et passivae. Eidem pariter obligationi missam ritu graeco celebrandi et poenis et censuris obnoxios esse declaramus et mandamus Priores et Magistros monasteriorum ritus graeci, cum una aut duae missae, quae lat. ritu juxta ap. Constit. in ipsis ritus graeci Monasteriis, in quibus sex vel plures Monachi reperiuntur, celebrari possint, per monachos simplices non graduatos celebrari debeant.

Constit. Bened. XIV. ad Monach. Ord. s. Basilii die 20. Apr. 1751. (Bull. r. t. XVIII. p. 207.)

72) De Rosario.

Vd.: *Rosarium; Missa de Carmelo; Festum B. V. M. de Monte Carmelo.*

Si Missa fuerit approbata a Sede Apostol. vel a S. R. C. poterit celebrari cum Gloria. n. 351 ad 12 die 19. Maii 1607.

Missa Rosarii et de Carmelo non sunt vigore Decreti permissae omnibus Regularibus, sed *Missa Rosarii pro Dominicanis* tantum et non aliis fuit approbata vel permissa. n. 772 ad 12 die 28. Oct. 1628; n. 892 ad 1 die 13. Jan. 1631.

Capellanus deputatus ad Capellam Rosarii in Ecclesia Colleg. existentem non potest celebrare missam de Rosario ad instar fratrum s. Dominici. n. 862 ad 1 die 8. Junii 1630.

Ad dubium: an in Ecclesiis, in quibus reperiuntur erecta altaria seu capellae in honorem Rosarii B. V. M., quotannis dominica prima Octobris possit celebrari festum SS. Rosarii sub duplici majori? S. C. resp.: potest celebrari cum officio et Missa B. V. M. sumendis tamen e Breviario et missali romano, non autem propriis de Rosario Ordini tantum Dominicano indultis. n. 1876 die 16. Mart. 1658.

Ad dubium: An occurrente die tertia Octobris, in qua ex pervetusta consuetudine celebratur cum cantu Missa Beatae Mariae Virginis votiva de tempore in Solemnitate Sanctissimi Rosarii, Missa decantari debeat de Sanctissimo Rosario vel Votiva de tempore? S. C. resp.: Detur decr. in una Bahien. diei

26. Jan. 1793 ad 2 nimirum: Celebrandam esse Missam festivitatis tanquam non votivam. n. 4670 ad 2 die 12. Novb. 1831.

73) In Sabb. Sancto.

Vd.: *Sabb. s.; Prophetiae.*

74) Sacerdotis simulantis vel inhab.

Vd.: *Sacerdos simulans vel inhab.*

75) Coram SSmo exposito.

a) Altare.

Cf.: *Missa de SS. in exp. et rep. SSmo.; Instructio Clementina* §. XII.; *Missa conv. cor. SSmo expos.*

Missam in altari majori, ubi est expositum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare, praesertim si in Ecclesia adsunt alia altaria, in quibus celebrari possit. S. R. C. 9. Aug. 1630.

Non licere missas celebrare in altari Capellae majoris Ecclesiae Confratrum Societatis Boni Jesu Bononiae, exposito in eodem SS. Sacramento, stante praesertim, quod adsint alia altaria, in quibus celebrari possint. n. 2508 die 9. Aug. 1670.

Non debet celebrari missa in altari, ubi est expositum SSmum, nisi sit pro eo reponendo; et si ex necessitate fieri opus esset, populus est benedicendus more consueto et non cum SSmo. n. 2542 ad 6 die 13. Junii 1671.

Quum hodiernus Aedituus Cathedralis Feretranae S. R. C. humill. rogavit, utrum servari possit consuetudo, in feriis 2., 3. et 4. major. hebdomadae celebrandi missam in eodem altari, in quo publicae adorationi SSmum est expositum? S. C. resp.: Consuetudinem tamquam abusum eliminandum. n. 4811 die 11. Mart. 1837.

Missa cor. SSmo pro Def., vd.: *Missa* (fundat. pro defunct.).

b) Quae?

Vd.: *Instructio Clem.* §. XII. n. 8 etc. Cf.: *Missa pro repon. et exp. SSmo; Missa in dominica infra octav. Corp. Chr. aut alia per annum; Missa votiva de SSmo.*

Ubi primae dominicae singulorum mensium, in quibus facienda est sol. expos. SSmi, fuerint privil. primae vel 2. cl., cantanda est missa de iisdem dominicis cum orat. de SSmo sub unica conclussione. n. 4387 ad 1 die 27. Jan. 1778.

c) Solemnis.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 7; *Missa vot. de SSmo.*

76) De SS. Sacramento.

a) Color paramentorum.

In festis principalioribus et aliis SSmi Sacramenti nullo modo posse celebrari cum paramentis rubeis sed tantum in paramentis albis juxta ritum rom. n. 3012 die 23. Jan. 1683.

b) In exposit. et repositione SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XII. n. 2, 3, 15, 16 etc. 24; *de Gloria et Credo:* §. XII. n. 10, 15; *In diebus octavae:* §. XII. n. 11 etc. (Cf.: *Commemor. SSmi*); *de hora:* §. XII. n. 13 etc.; *de causa:* §. XII. n. 26; §. XIV. n. 1 etc.; *Missa coram exp. SSmo* (altare); *Missa pro re gravi* (decr. de 12. Sept. 1840); *Missa vot. de SSmo.*

Quando exponitur SS. Sacramentum in altari pro initio 40 hh. vel spiritual. exercitationum, si accidat in festo I. aut II. cl. sive in dominica privil. I. vel II. cl., tunc in Collegiatis vel duae cantentur missae, una de festo seu de dominica post Tertiam, altera votiva de SSmo post Nonam, vel una cantetur de die cum Commem. SSmi. S. R. C. 13. Febr. 1666.

c) In domin. infra oct. Corp. Chr. aut alia dominica.

Vd.: *Missa cor. exp. SSmo* (quae?); *Processio in dominica infra octav. Corp. Chr.*; *Processio Corp. Chr.* (transl.); *SS. Corp. Chr.*

Ad dubium: An in dominica ipsa Octavae Corporis Chr. aut alia designata per annum, in quibus recitatur Officium ritus dupl. et solet fieri Processio SSmi Sacramenti per diversas Parochias et Ecclesias Civitatis, ut in Festo Corporis Christi, et certum ac designatum diem habet cum concursu populi ejusdem Parochiae, debeat Missa celebrari pro re gravi de SSmo Sacramento post Nonam vel dici de Dominica aut Festo cum commemoratione SS. Sacramenti?

S. eadem R. C., exquisita prius sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris eaque typis etiam vulgata, referente Emo et Rmo D. Card. Antonio ab Auria Ponente rescripsit: In omnibus juxta sententiam ejusdem Magistri caeremoniarum, cujus libellum tradi Oratoribus pro norma mandavit.

Ejus autem sententiae haec est summa:

„Missa dici debet de Dominica aut Festo occurrente cum commemoratione SS. Sacramenti.“

Et ita servari declaravit. n. 4469 die 10. Sept. 1796.

Ad dubium: An in Eccl. minoribus, ubi extra Oct. celebratur Festum SSmi Corp. Chr., Missa esse debeat de Festo occur. cum com. SSmi Sacramenti, vel Missa de infra Oct. SSmi Corp. Chr. cum unica Oratione, *Gloria*, *Credo* et Praefatione de Nativitate?

S. eadem C.... respondendum censuit:

„De Festo occur., nisi habeatur Indultum.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 13.

Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: An in Parochiali aliqua Eccl., in qua Festum SSmi Corp. Chr. instituitur alterutra ex insequentibus Dominicis ex Ordinarii venia, Missae celebrari possint propriae SSmi Sacramenti, vel saltem unica Missa solemnis, ex eo potissimum, quia Dalmaticae et Tunicellae non habentur alterius coloris respondentis Officio, quod persolvitur. Et quatenus id fieri non liceat, Parochus Orator pro sua Eccl. Apostolicum ad id Indultum instanter exquirit.

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Pro gratia unius Missae solemnis de SSmo Sacramento in introscripta Eccl. tantum.“

Atque ita rescripsit propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 2 die 7. Sept. 1850.

d) Feria quinta.

Vd.: *SS. Sacramentum* (Officium); *Credo in missa de SSmo fer. V.*; *Missa votiva pro re gravi* (decr. de 12. Sept. 1840); *Missa votiva de SSmo.*

Relictum fuit in Ecclesia Cathedr. Syracus. Legatum cum onere celebrandi qualibet fer. V. Missam de SSmo et faciendi cum eo processionem post missam; an liceat continuari? S. C. resp.: posse, dummodo non ommittatur ea die Missa conventualis. n. 962 die 21. Junii 1632.

In regulis (quae generales sunt) ad Missale Fratr. Minor. subjectis S. C. declaravit: Qualibet fer. V. (extra Adv. et Quadrag.) non impedita Officio novem Lectionum, missa conventualis erit de SSmo, prout ponitur in miss. rom. post Commune SS., in qua non dicitur *Sequentia* sui propria, neque *Credo*, nec *Alleluja* in Introitu, Offert. et Postcommunio (excepto tempore Paschali) 2. Or. *Acunctis* vel alia pro diversitate temporis. n. 2362 ad 3 die 13. Febr. 1666.

De dicendo *Credo* cf.: *Missa vot. B. V. M.* in Sabb. (decr. n. 4227.)

77) Solemnis.

a) Abbatis et Dignitarii.

I. Lumina.

Cf.: *Dignitas; Candelabr. sept.; Usus Pontificalium.*

Super Altari sex tantum et non septem candelabra cum totidem candelis locentur, quando Abbates solemniter celebrant. n. 531 die 18. Mart. 1617.
Celebrante Praeposito pro Episcopo accendi debent in altari sex luminaria. n. 1707 ad 1 die 20. Junii 1654.

II. Quae parantur.

Ad dubium: An Decano Cathedr. Tropien. functiones solemnes facienti vel alias solemniter in diebus pontificalibus celebranti debeantur privative quoad alios Canonicos et etiam Dignitates Casula, alia sacra Indumenta et caetera necessaria ad Missae Sacrificium cum magnis pulvinaribus, tapete, cereis distinctis tam in Altari, quam in candelabris a ceroferariis deferendis, abacum in Presbyterio cum assistentia Presbyterorum antiquiorum in munere Diaconi et Subdiaconi pretiosiora et distincta ab aliis, quibus utuntur dicti Canonici et Dignitates solemniter celebrantes, in casu etc.?
Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:
„Negative."
Et ita decrevit et servari mandavit. n. 3884 ad 2 die 21. Martii 1716.

b) Episcopi.

(Lumina.)

Vd.: *Candelabrum septimum; Ordinatio* (lumina).

c) Coram Episcopo.

Vd.: *Reverentia erga Episcop.*

Finita Missa, quae celebratur coram Episcopo, Sacerdotem et Ministros debere expectare a latere altaris benedictionem Episcopi, antequam discedant ab altari. n. 374 ad 7 die 15. Mart. 1608.

Episcopo *sine cappa* assistenti, non sunt solemni ritu praestanda a Ministris altaris et Canonicis, quae Pontificale ei *cum cappa* assistenti exhibenda praescribit. n. 133 ad 6 die 2. Sept. 1597.

d) Pontificalis.

(Ministri.)

Vd: *Diaconus; Canonici; Diaconi assist.; Assistens; Ministri in Pontificalibus.*

e) Quae est?

(Ministri.)

Vd.: *Diaconus* (in miss. sol.); *Canonici* (ut Ministri); *Instructio Clem.* §. XV. n. 1 etc.; §. XXX. n. 7 etc.; *Vox submissa; Missa sol. de Req. in die obit.* (abs. cadav., decr. n. 4859 ad 7.)

f) Translato Officio.

Occurrente ut plurimum prima Dominica mensis Maji Festo SS. Apostolorum Philippi et Jacobi vel S. Joannis ante Portam Latinam sive Inventionis S. Crucis, sive Dominica in Albis, in qua a Capitulo et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Anastasiae Urbis ex speciali Brevi S. M. Innocentii P. XI. dictae Ecclesiae concesso recitatur Officium cum Missa B. Turribii Archiepiscopi Limani, ac pariter eadem die magno populi concursu fideles coelesti mensa reficiuntur, idem Capitulum et Canonici S. R. C. demisse supplicarunt pro

declaratione: An, attenta concessione hujusmodi Brevis in occurrentia similium Festivitatum Officium cum Missa dicti Beati recitare possint?

Et S. eadem R. C., „attentis circumstantiis, *celebrationem Missae solemnis* tantum ipsius Beati in dicta prima Dominica mensis Maji, cum *translatione* tamen *Officii* ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas, Oratoribus benigne concessit.“ n. 3865 die 10. Martii 1714.

Vd.: *Missa votiva de Sancto.*

78) In Solemnitate festi translati.

Vd.: *Transl. festi in dom. seq.* (decr. n. 5049.)

79) Tempore chori in altari maj.

Vd.: *Missa privata Canon. tempore chori.*

80) Tempore paschali.

Vd.: *Transl. festi s. Martyr.*

Dubia circa ordinationem Officiorum translatorum ad vel extra tempus Paschalis.

Dubium 1.: Dubitatur 1. Si Festum S. Martyris habens Missam de Communi Paschali transferri contingat extra temp. Pasch., silente Missali circa Missam in tali casu legendam, an est liberum Kalendaristae assignare vel cuicumque privato Sacerdoti recitare Missam, quam maluerit de communi extra temp. Pasch. I. seu II. loco positam pro lubitu?

Dubium 2.: Dubitatur 2. Quatenus negative, quaenam in casu praefato et aliis similibus regula servanda est pro determinatione Missae et Ev. et Lectionum?

Dubium 3.: Dubitatur 3. Si contingat Festum S. Georgii die XXIII. Apr. occurrens transferri extra tempus Pasch., quomodo ordinandum erit Officium signanter quoad Lectiones II. et III. Noct.?

S. C.... rescribendum censuit: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum“, nimirum:

Ad 1.: Officium sumatur de Communi Mart. extra temp. Pasch., retentis Lectionibus, Oratione et si quid aliud habet in proprio.

Ad 2.: „Regulam servandam esse ex ipso Ev. vel Oratione, si sit de Communi, quae indicant, utrum sumpta sint ex I. vel II. loco.“

Ad 3.: „Jam provisum in praecedentibus.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4930 ad VI. VII. VIII. Die 11. Sept. 1841.

Romana.

XV. Kal. Maji natalis S. Aniceti Papae et Mart. plerumque tempore Pasch occurrit, cujus Officium, cum sit ritus simp. in Breviario, adest unica Lectio pro Nocturno, atque in Missali assignatur Ev. ex cap. XVI. S. Joannis: *Amen, Amen dico vobis, quia plorabitis.* Controversia nunc orta est inter illos, qui, quum privilegio gaudeant agendi Officia SS. Summorum Pont. ritus dup., animis haerent, quodnam Ev. respondenti cum Homilia sit legendum, quando Festum ejusdem S. Aniceti transfertur extra Temp. Pasch., utrum scilicet supradictum S. Joannis, quod a pluribus uti ipsius Festi proprium consideratur, an alterum ex c. XVI. S. Matthaei: *Si quis vult:* de Communi unius Mart. extra illud tempus, cujus respondentem Missam ex eodem Communi: *Sacerdotes Dei:* omnes conveniunt legendam esse. Super eadem re, etsi levissima, magis magisque dubia sunt adaucta ex eo quod nonnulli

Kalendaristae Basilicarum Urbis in casu Evangelium S. Joannis assignent, nonnulli illud S. Matthaei, indicium, omnes in unum sensum non convenire. Ad quaestionem omnem dirimendam dubium delatum est ad S. R. C., quae in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, visis allegationibus ex utraque parte deductis, rite matureque examinata peculiari Rubrica Missalis, cujus dispositionem sequitur Gavantus in suo Octavario Rom., ab hac ipsa S. C. adprobato, rescribendum censuit: „Dicendum in casu Ev. *Si quis vult.*"

Atque ita rescripsit ac ab omnibus servari mandavit. n. 4935 die 11. Sept. 1841.

81) Translatio.

a) Ab uno ad aliud altare vel ecclesiam.

Vd.: *Missa* (In altarib. et eccles. etc.); *Orator. priv.* (decr. Clem. XIV. 28. Apr. 1771.)

Clemens PP. XIII.

Alias emanarunt a fel. rec. Clemente PP. XII. ad supplicationem tunc existentium Capituli et Canonicorum Cathedr. Mindonien. quaedam in simili forma Brevis Literae tenoris sequentis:

Clemens PP. XII.

V. Fr. Episcopo Mindonien.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum et Canonici Cathedr. Mindon., quod in dicta Ecclesia quamplures tam antiquae ac etiam particulares fundationes missarum cantatarum numero trecentarum triginta duarum quolibet anno ad altare majus ejusdem ecclesiae ultra conventuales et alias Rogationum, Vigiliar., Feriar. et Funeralium celebrandarum reperiuntur, ita ut duae missae cantatae praeter unam privatam tempore Primae quotidie in eodem altari celebrari correspondeant, divinique Officii recitatio ob temporis angustiam valde difficilis reddatur, attenta etiam ea Matutini temporis parte, quae in convocando Capitulo bis in hebdomada et per alias vices in anno, in habendis concionibus ad populum per dies quinquaginta, in peragendis processionibus aliisque publicis Orationibus, quas vocant *las Dominicales*, ad ducentas et ultra singulis annis ascendentibus insumenda est. Cum autem ad occurrendum huic incommodae chori officiaturae Episcopus dictae Ecclesiae ejusmodi missas cantatas die 29. Septbr. usque ad diem 8. Maji subsequentis celebrandas ad Capellam s. Ignatii, intra claustra ejusdem Ecclesiae sitam, cum assistentia quatuor Canonicorum aliorumque ministrorum tempore recitationis et cantationis hh. Primae et Tertiae transtulerit ac ita usque in praesens recte observatum fuerit, ac divinum officium debito cultu celebrari debitoque tempore terminari soleat, ipsi vero exponentes nedum translationem earundem missarum cum cantu hactenus observatam per Nos approbari verum etiam Indultum celebrari faciendi in dicta Capella s. Ignatii per totum annum tot missas cantatas antiquas quam alias, quae ad dictum altare majus celebrandae supervenerunt, concedi plurimum desiderent, Tuque omnia exposita confirmans retuleris, ab annis quadraginta et ultra vigere observantiam celebrationis hujusmodi missarum cantatarum in praedicta capella, ex permissione Episcopi Munoz, ita Episcopis illi successoribus Teque approbantibus ob majorem cultum et decentiam in celebratione divini Officii aliisque functionibus, ac propterea eosdem exponentes nimis residentiae onere gravatos esse respectu multarum Cathedralium Regni Hispaniarum certos majores fructus

minusque servitium habentium, ubi ibidem exponentes singulis horis canon. (tribus exceptis recreationis mensibus) choro interesse teneantur, sub rigorosa punctatura seu quotidianarum distributionum, quibus annui fructus omnium Capitularium constant, jactura; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis prosequi volentes Fraternitati Tuae per praesentes committimus, ut veris existentibus narratis quoad praeteritam translationem dictarum missarum cum cantu ad praedictam capellam auctoritate Nostra ap. pro tuo arbitrio gratis approbes atque convalides et quoad futurum praedictas missas ad eandem capellam per totum anni cursum exceptis tamen missis conventualibus ac diebus vigiliarum, quadragesimae et quatuor temporum, in quibus occurrat festivitas dupl. vel semid., quando praeceptivae tunc sunt, celebrandae ad altare majus, dicta auctoritate transferas, salva tamen semper in praemissis auctoritate S. C. C.

Non obstantibus Quibuscunque.

Datum Romae die 24. Aug. 1733.

Quoniam autem dilecti filii, modernus Decanus et Capit. Cathedr. hujusmodi Nobis nuper exponi fecerunt, quod duo reticita fuerunt in praeinsertarum literarum impetratione. Primum nempe, quod, ut plurimum, simul cum dictis missis aut diebus illas antecedentibus Nocturna Vesperaeve def. decantari debeant. Secundum vero, quod non omnes dictae missae, Nocturna Vesperaeque ad altare majus essent celebrandae, quum aliquae numero tamen paucae ad certa altaria a benefactoribus designata in eadem Ecclesia erecta celebrandae sint, imo una ex ipsis ad quoddam altare privil. decoratum pro animabus fid. def. celebrari debeat; quod ad primum attinet defectum, tunc existens Episcopus, cui insertae literae datae fuerunt, ad dictam claustralem capellam nedum missas sed etiam Nocturna et Vesperas transtulit, quia, cum ex his oneribus quaelibet respectiva confletur fundatio, ex concessa transl. missae, quae est pars nobilior, tacita concessa quoque videretur translatio Nocturnorum et Vesperarum, quae simul cum missis, ab inde citra, in claustro decantantur. Decreta quoque fuit ab eodem Episcopo translatio Missarum et Nocturn. et Vesperarum certis altaribus a benefactoribus addictarum, sed hujusmodi translatio suum minime habuit effectum; dicti vero Exponentes, ut tuta conscientia in posterum procedere possint ob eandem causarum tum expositarum subsistentiam translationem Nocturnorum et Vesp. ad dictam capellam peractam et huc usque observatam per Nos confirmari, et sicuti dicto numero trecentum triginta duarum Missarum tunc expresse comprehensae quoque fuerunt eae Missae, quae juxta benefactorum dispositiones ad certa altaria ejusdem Ecclesiae celebrandae veniunt, ita hae quoque *simul cum suis Nocturnis aut Vesperis pariter per Nos transferri et pro ea missa, cujus benefactor altare privileg. exquisivit, indulto altaris privileg. dictam capellam ditari* plurimum desiderant.

Nosigitur ipsos exponentes specialibus gratiis prosequi volentes translationem supradictorum Nocturn. et Vesperarum factam tenore praesentium approbamus et omnes defectus, si qui intervenerint, supplemus, praeterquam quod missas, Nocturna et Vesperas decantandas in altaribus designatis dejurepatronatus piorum benefactorum et quoad praedicta onera relicta in aliis ejusdem Ecclesiae altaribus non spectantibus ad dictos benefactores, accedente consensu illorum haeredum, eis-

demque Decano et Capitulo concedimus, ut missa, quam dictus Benefactor ad altare privilegiatum celebrandam voluit, quae ad altare Capellae hujusmodi quandocunque pro tempore celebrabitur, anima, pro qua celebrata fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privil. celebrata fuisset.

Non obstante quorumcunque piorum testatorum ac benefactorum, etiam ultima voluntate.

Datum Romae die 19. Jan. 1761.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 56. Ed. Rom. 1837.)

Clemens PP. XIII.

§. 1. Alias pro parte tunc existentis Ministri provincialis Ord. FFr. Min. s. Francisci Capuc. nuncupatorum provinciae Picenae Nobis exposito, quod conventus loci de Gradara nuncupatus Pisaurensis dioec., ex dispositione quondam Ubaldi Cervini *pluribus abundabat eleemosynis missarum in altari* ap. privil. decorato *celebrandarum*, e contra vero alii circumstantes conventus dictae provinciae hujusmodi eleemosynis missarum ita indigebant, ut eorum necessitatibus occurri minime possit; qua de re missas, quae in ecclesia dicti Conventus ad hujusmodi altare celebrari nequibant, per Ministrum provinc. pro tempore existentem in *aliis altaribus simili privilegio decoratis* ecclesiarum conventuum ejusdem provinciae, qui hujusmodi eleemosynis magis indigebant, celebrari facere posse summopere desiderabat.

Nos omnibus perpensis rescribendum mandavimus:

Ex Aud. SSmi diei 7. Decbr. 1763.

SSmus attentis expositis ac visis super iisdem informatione et voto, ut supra, P. Provinciali opportunas et necessarias facultates tribuit ad hoc, ut eas omnes missas, quas introscripti conventus Gradarae Religiosi in satisfactionem indicati oneris ad enunciatum altare per annum celebrare non poterunt, *in aliorum conventuum ejusd. Provin. Picenae ecclesiis ac praesertim in iis, quae missarum eleemosynis magis indigent, ad altaria tamen ap. privilegio decorata celebrari facere possint et valeant,* dummodo Superiores locales hujusmodi conventuum resp. Provinciali legitima et authentica documenta de exacto missarum adimplemento transmittant. Servata in reliquis omnibus voluntate Testatoris.

Ex Secret. Memorial. die 1. Octbr. 1766.

§. 2. Nuper autem dilectus filius modernus Minister Provinc. Nobis supplicari fecit, ut pro majori praemissorum firmitate ea approbare et confirmare dignaremur. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati praeinsertum rescriptum nostrum ac omnia et singula in eo contenta ap. auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque inviolabilis ap. firmitatis robur adjicimus.

Non obstantibus quibuscunque etc.

Romae. Die 23. Decbr. 1767.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 576. Ed. Rom. 1841.)

Clemens PP. XIV.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii, modernus Abbas et monachi monasterii s. Michaelis de Nemore nuncupat. Congreg. Monachorum montis Oliveti Ord. s. Benedicti civit. Bononiensis, quod alias nempe 1648 tunc in humanis agens Fr. Giorgi presb. reliquit seu instituit celebrationem unius missae quotid. in alia Ecclesia ss. Hieronymi et Eustachii Aquarum nuncupat. extra moenia praefatae civitatis existen.

§. 2. Verum quia Monachi ejusdem monasterii, qui pro celebranda hujusmodi missa ad dictam ecclesiam quo-

tidie se conferre debebant, alia eorum officia tam in choro quam in scholis prompte ac diligenter, ut par erat, adimplere minime poterant et in ecclesia ipsa, praeter 52 missas diebus dominicis annuatim celebrandas, alterius quotid. Missae celebratio non deficiebat, hinc dicti exponentes anno 1762 porrexerunt preces pro translatione celebrationis praefatae missae quotid. a dicto Francisco in memorata ecclesia institutae ad aliam eorum ecclesiam s. Michaelis et petitam gratiam translationis ad triennium tunc proximum et pro mensibus tantum hyemalibus obtinuerunt. Postmodum vero elapso trienio illud die 19. Nov. 1765 primum ad biennium, ac demum die 4. Apr. 1767 ad aliud biennium et quidem non tantum pro hyemalibus, sed pro caeteris quoque totius anni mensibus a S. C. C. prorogatum fuit.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, necessitas exeundi a monasterio praedicto pro celebr. hujusmodi missae etiam nunc efficiat, ut ii, qui illam celebraturi sunt, choro ac scholis assidue ac prompte interesse minime possint, non sine gravi periculo regul. disciplinae observantiae, quae favente Deo in monasterio admodum viget, hinc ut in posterum quoque periculum hujusmodi perpetuo avertatur penitusque deficiat, dicti exponentes facultatem transferendi celebrationem missae dictae quotid. in ecclesia Aquarum institutae ad ecclesiam s. Michaelis per Nos perpetuo concedi plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac, ut infra, indulgere de benignitate ap. dignaremur.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque eccles. sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, per praesentes committimus petitam perpetuam translationem celebrat. missae quotid. praedictae. Non obstantibus supradicti Francisci etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac constitutionibus et ordinationibus apost. caeterisque contrariis quibuscunque.

Romae die 31. Aug. 1769.

(Bullarii r. Continuatio t. IV. p. 80. Ed. Romae 1841.)

b) Quando Ecclesia vel monasterium, in quibus celebr. debet, transfertur.

Spoletana.

(Conc. Tr. c. 4. s. 25. De ref.)

Franciscus Senechetus in suo ultimo, cum quo decessit, Testamento, quod condidit die 14. Januarii 1703, suos scripsit universales haeredes Patres Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Nursiae et inter caetera, quae in eodem Testamento leguntur, habentur etiam haec verba: *oltre agl' altri oblighi di Messe perpetue ordina il detto, che se ne dichino due altre perpetue in S. Lucia la settimana.*

Paulo post conditum Testamentum Ecclesia S. Luciae unacum Monasterio propter Terraemotum devastata remansit, ita ut Patres Oratorii die 11. Maii 1703 petierint et obtinuerint ab Episcopo Spoletano facultatem celebrandi in propria Ecclesia illas binas Missas hebdomadales, quas celebrare debebant in Ecclesia S. Luciae, usquequo eadem fuisset reaedificata et ad tramites hujus concessionis onus duarum Missarum fuit punctualiter à Patribus adimpletum.

Cum autem Ecclesia S. Luciae nunquam fuerit raedificata et Moniales in Monasterio degentes fuerint auctoritate san. mem. Clementis XI. translatae ad Monasterium Monialium SSmae Trinitatis *una cum omnibus et singulis bonis, mobilibus et immobilibus, censibus, domibus, haereditatibus et legatis, suppellectilibus tam sacris quam prophanis, juribus quibuscumque, nec non praerogativis, privilegiis, exemptionibus, oneribus, obligationibus ad suum Monasterium pertinentibus*, uti legitur in literis Apostolicis a dicto Pontifice expeditis, controversia exorta est: an Patres S. Philippi binas Missas hebdomadales celebrare possint in propria Ecclesia vel teneantur eas celebrare in Ecclesia Monialium SSmae Trinitatis et quibus diebus celebratio haec sit adimplenda?

Scriptum fuit Episcopo pro informatione et voto, idemque fuit in sensu, tam attenta lege Testamenti, quam attentis verbis literarum Apostolicarum Patres teneri ad celebrationem in Ecclesia Sanctissimae Trinitatis, idemque fuit resolutum ab hac Sac. Congregatione die 24. Augusti 1720.

Cumque Patres huic resolutioni non acquieverint et jura hinc inde circumferantur, onus erit EE. VV. decernere:

I. An binae Missae in singulas hebdomadas ordinatae per quondam Franciscum Senechetum celebrari debeant in Ecclesia PP. S. Philippi Nerii, sive potius in Ecclesia Monialium Sanctissimae Trinitatis? et quatenus in hac Ecclesia,

II. An liberum esse debeat dictis Patribus celebrare easdem Missas quibuscumque diebus infra quamlibet hebdomadam?

S. C. C. resp. ad I.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam;

ad II.: Missas esse celebrandas pro diebus a D. Secretario destinandis, auditis patribus et monialibus.

Die 2. et 23. Maii 1722.

Gervien.

(Conc. Tr. C. 7. S. 25. De Ref.)

Eques Joannes Stephanus Guazzi in ultimo, cum quo decessit, Testamento anno 1700 haeredem sibi scripsit Dominicum Hieronymum nepotem et inter caetera in eodem Testamento sic disposuit: *itèm jure legati intendo, e voglio ogni anno, che il mio Erede in perpetuo faccia celebrare Messe trè la settimana per l'Anima mia, e miei morti, cioè il Mercordì, Vennerdì, e Sabbato dalli Reverendi Padri di S. Agostino al mio Altare, e darli un paolo per ogni Sacrificio, e non volendo, e non potendo supplire li sudetti Padri presenti, ò pro tempore, prego il Reverendissimo Capitolo presente, ò pro tempore far sodisfare, e per suo commodo all' Altare di S. Rogato Altare privilegiato il Lunedì.* Haeres satisfecit legatis et legata fuerunt adimpleta in Ecclesia S. Augustini, sed secutà translatione Civitatis Cerviae proptèr aëris insalubritatem à loco, in quo erat, ad locum Mari viciniorem, habitàque à Patribus facultate antiquum Conventum unà cum Ecclesià destruendi novumque Conventum et novam Ecclesiam aedificandi in novà Cerviae Civitate, quaestio exorta est inter Dominicum Hieronymum Joannis Testatoris haeredem et praedictos Religiosos, contendente illo Missas esse celebrandas in Cathedrali et in Altari S. Rogati, ex quo factus est casus, quod Patres non possunt Missas celebrare in Altari à Testatore designato, et contendentibus è contrà Patribus Missas in suà novà Ecclesia esse celebrandas, cùm haec sit subrogata loco alterïus et translatio Conventus

et Ecclesiae de loco ad locum, non ex voluntate sed ex necessitate facta sit et Animae suffragium, quod praecipuè volitum censeri debet à Disponente, aeque habeatur, sivè Missae in unà Ecclesià sivè in alià celebrentur, juxtà magistralem decis. 1149 coràm Seraphino.

Actum fuit de hac controversià in Congregatione habità die 18. Maji 1715 et in subsequenti habità die primà Junii, nèc ulla fuit capta resolutio; cumque in praesenti Partes instent pro resolutione et jura hinc indè circumferantur, onus erit EE. VV. decernere:

An Missae tres hebdomadales, de quibus agitur, sint celebrandae in Oratorio Patrum S. Augustini, vèl potiùs in Ecclesia Cathedrali in casu?

S. C. C. resp.: Missas esse celebrandas in Ecclesia Cath. et amplius.

Die 6. Mart. et 24. Apr. 1723.

c) Ab uno ad aliud Oratorium.

Vd.: *Missa* (in Ecclesia certa etc.)

I. Permissa.

Placentina.

(Conc. Tr. C. 6. Sess. 22. De ref.)

Recitatis supplicibus precibus Marchionissae Geltrudes Malvicinae pro benigna translatione onerum missarum, quae ex dispositione Marchionissae Angelae Cremonae Vicedominae de Mandellis in Oratorio nuncupato *Menaroli* offerri debent, ad alterum Oratorium exsistens in Feudo *Olmeti*, in Congregatione diei 29. Julii anni prope defluxi EE. PP., antequam desuper quidquam decernerent, melius edoceri ab Episcopo exquisierunt juxta instructionem, videlicet; Quonam Civium numero tam locus *Olmeti* quam locus *Menaroli* sit refertus? an facilis eorum Incolis sit accessus ad Parochialem Ecclesiam ejusque distantia exprimeretur. Quatenus vero precibus indulgeretur, num Oratorium, de quo agitur, absque dote destitutum remaneret, adeo quod ad profanos usus redigi deberet, vel quomodo consulendum? Supremis itaque exceptis mandatis idem ipse Episcopus, ut par est, obsequendo, nuper retulit, in loco *Menaroli* incolas esse trium familiarum homines ruri incumbentes, quibus facilis est accessus ad binas Parochiales Ecclesias, uno circiter milliario distantes. *Olmeti* vero locum centum et ultra homines inhabitare, qui tantum opportunitatem habent audiendi Sacrum in praememorato Oratorio, cum ad Parochiales Ecclesias duorum milliarium intercapedine disjunctas accessus saepe prohibeatur tum ex difficillimis et montuosis viis, cum etiam ex binis torrentibus interfluentibus. His favore Oratricis accedere praelaudatus Relator prosequitur, quod *Olmeti* Oratorium satis elegans comperitur decentique suppellectili instructum, aliud vero *Menaroli* speciem referat cubiculi undequaque ruinam minitantis, quod ulterius ex adjacentibus aedificiis sordescit, adeo ut profanum declarari expediret, eo facilius, quod moderni Patroni sartum tectum idipsum conservare recussent. Propterea saepedicta Oratrix preces renovat pro expetita gratia sub alias proposito dubio:

An et quomodo sit locus commutationi voluntatis in casu etc.?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 27. Jan. 1714.

II. Non permissa.

Vd.: *Missa* (in Eccles. certa etc.)

Ulixbonen.

(Conc. Tr. Decret. de Purgat. Sess. 25.)

Inde ab anno 1567 Ecclesia B. Virginis Immaculatae Conceptionis Ordini militari *Christi* subjecta Ordinaria auctoritate in Parochialem erecta fuit ac-

cedente consensu Sebastiani tunc Lusitaniae Regis Magni Magistri ac potissimum inter partes conventum fuit, quod praeter Sacerdotes et Clericos moxdicti Ordinis Vicarius aliique Ministri pro animarum cura aliisque oneribus exsequendis in praelibata Ecclesia versari possent, qui omnimodae Archiepiscopi Jurisdictioni subjicerentur. Verum enimvero post saeculi fere decursum acres exardescere coeperunt controversiae tum inter Archiepiscopum ac Tribunal, *Conscientiae* nuncupatum, cum etiam Parochum inter ac Militares Ordinis praefati; de anno 1682 Archiepiscopus ipse animarum hujusmodi curam transferendam duxit ad Sacellum B. Virginis de Victoria in districtu alterius Parochiae ac septemdecim elapsis annis constabilivit in Ecclesia nuncupata Sanctissimae Conceptionis Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti sumptibus magnifice erecta. Quoniam vero tum temporis, quo saepedicta Parochialis cura resedit in primum nuncupata Ecclesia Sanctissimae Conceptionis Ordinis militaris *Christi,* quamplures pii disponentes missarum onera Confraternitati inibi exsequenda injunxerunt; impraesentiarum eadem ipsa supplex confugit ad SS. D. N. precibus ad Sac. Congr. remissis pro benigna translatione mox dictarum missarum ad Ecclesiam recens erectam, tum ex praesumpta Benefactorum mente, qui contemplasse, ut asseritur, videntur tam societatem quam animarum curam, quae modo in eadem Ecclesia viget, cum etiam ex quo Militares connivere nequeunt, ut sacrificia hujusmodi in eorum Sacello offerantur eorumque celebratio comprobetur.

Commissa praemissorum verificatione Ordinario Ulyxbonensi idem ipse praelibatam facti seriem recenset, eo vel addito, quod piorum disponentium major pars tumulata comperitur in memorata Ecclesia Ordinis militaris ac recensitis quattuor documentis, in quibus jamdicta missarum onera relicta fuere, censet, precibus indulgeri posse; placuit vero EE. PP. sub die 30. Aprilis anni 1712 rescribere quoque Nuntio Apostolico pro informatione, auditis ministris Ecclesiae saepedictae ac transmissis particulis fundationum, de quibus agitur; quapropter nuper redditis literis idem Nuntius suprarecensita confirmat propitiumque votum itidem pandit, descriptis requisitis dispositionibus, ut latius ex utraque informatione in summario danda. Hinc reliquum est, quod EE. VV. sapiens oraculum pandere non graventur sub dubio:

An et pro quibus oneribus missarum sit concedenda translatio?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 14. et 28. Apr. 1714.

Derthonen.

(Conc. Tr. C. 6. S. 22; C. 4. 5. S. 25. De ref.)

Anno decurrente 1669 Nobilis Emmanuel Sanchez de Guevara Civitatis Derthonensis Gubernator à fundamentis construi fecit publicum oratorium sub titulo Christi, propè et extra Castrum ejusdem Civitatis, ac percupiens ad majorem Dei Gloriam Missae sacrificium ibi celebrari Capellaniam erexit de Jurepatronatus laicali Gubernatoris pro tempore jam dictae arcis cum dote annui redditus scut. 40 onere injuncto Capellano amovibili ad ejus nutum quotidianae celebrationis; utque perpetuis temporibus ejus voluntas ad effectum reduceretur, Exequutorem deputavit Inquisitorem Derthonensem, postremò dispositionem hanc exaravit: *Venendo il caso fosse distrutta la detta Capella, ò per servitio di S. M. Catolica, ò dall' ingiurie di guerre, o per altro sinistro impensato accidente di fortuna, ò vero attualmente non si celebrasse la detta Messa quo-*

tidiana per negligenza, ò altra causa anche incognita per colpa di qualcunque persona per sei mesi continui, ò interrotti, in quel caso sin d' adesso il prefato Sig. Fundatore instituisce il Priore, e PP. di S. Martiano dell' Ordine de Predicatori di questa Citta di Tortona, trasportando in detta Chiesa non solo l'obligo di celebrare detta Messa quotidiana all' Altare de Rosario, ma di più vuole, che detti Padri succedino nella rendita di detti scudi quaranta etc. privando come priva li Signori Castellani del detto Juspatronato, ut latiùs ex tabulis, quae in summario dabuntur. Ad haec usque tempora Missae hujusce celebratio sedulo exequuta fuit in praelibato Oratorio à Fundatore erecto; at in praesentiarum modernus Gubernator Marchio Litta humiles porrexit preces SS. D. N. ad Sac. Congregationem remissas, quatenùs Apostolica auctoritate transferri possit supramemorata Capellania ad aliud Oratorium intra septa Castri erectum pluribus adductis rationum momentis, ac praesertim quia sacellum à Disponente excitatum in humili situ pene temporum injuria labefactatum comperitur, adeo ut divina sacrificia minus decenti cultu ibi offerantur; neque repugnare huic translationi asseritur pii disponentis voluntas, quin etiam, ut dicitur, pinguius adimpletur attenta necessitate militum, qui aliàs sacrum audiendi commoditate destituuntur. Desuper igitur informare requisitus Episcopus Derthonensis Oratorii propitium votum protulit stante majori decore Ecclesiae in Castro existentis ac militum commoditate ad Missam audiendam: sibi autem omnino perspectum, idem Relator asserit, indecentem primodicti Sacelli statum, cujus restauratio ob tenuitatem reddituum nedum difficilis sed pene est impossibilis praetereaque ejus situs magis ad improborum confugium quàm ad pietatem fovendam videtur opportunus. Quoniam vero contra insurgunt praelaudati Patres Ordinis Praedicatorum, qui autumant, ad eorum Ecclesiam translationem faciendam esse, quatenùs hujusmodi casus evenerit, hinc proponuntur bina dubia sapienter ab EE. VV. resolvenda:

I. An sit locus translationi Missae quotidianae in casu etc.? et quatenùs affirmativè;

II. An hujusmodi translatio cum capitali et redditibus assignatis fieri debeat ad Ecclesiam S. Martiani Patrum Praedicatorum sivè potiùs ad Ecclesiam interiorem Castri?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Negative;
ad 2.: Provisum in primo.
Die 9. et 23. Febr. 1715.

82) Tres.

a) In Commemorat. Omn. fid. def.

Vd.: *Missa* (In Commem. Om. fid. def.).

Bracharen.

(Conc. Tr. Decr. de observ. et evit. in celebr. missae S. 22; decr. de Purg. S. 25.)

Humillimas dedit preces ad SS. D. N. ad hanc S. C. pro Voto remissas Archiepiscopus Primas Bracharen. enarrans frequentissimum undique ad suam Dioecesim concursum fièri Sacerdotum tum saecularium tum regularium in die Commemorationis omnium Defunctorum ad sacrificia litanda pro animabus purgantibus et maximas eleemosynarum elargitiones ad hunc effectum à fidelibus offerri, hinc rogavit pro Apostolico Indulto, ut quilibet ex Sacerdotibus per totam dictam Dioecesim valeat eadem die tria missae Sacrificia Deo immolare, tum quia non repugnat naturae sacrificii, ut eadem die ab eodem ministro pluries sacrificetur, tum quia antiquioribus saeculis

passim id in usu positum erat, tum etiam quia certis solemnioribus diebus alicubi mos his permissus invaluit, tum pariter, quia consimilis instantia aliàs practicata fertur ab aliis Dioecesibus et approbata ab Oraculo Pontificio pro Regno Valentiae et Cathalaunia, quemadmodum cuncta haec comprobare satagit Orator ex Theologorum et Canonistarum monumentis et doctrinis in summar. exhibend. Ex quibus Orator ipse sperat hanc gratiam libentiùs impertiendam favore Animarum purgantium, quibus non mediocri adjumento sunt missarum suffragia et ad quas magnus est devotionis fervor tam ipsius Oratoris quàm Sacerdotum Dioecesis praedictae. Quibus quidem expensis et aliis deducendis non graventur EE. PP. pro eorum summa sapientia decernere:

An sit annuendum in casu, de quo agitur?

S. C. C. resp.: Negative et amplius. Die 14. Mart. 1711.

b) In Nativitate Dom.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Missae tres); *Missa* (interrupta per mortem Sacerd., tom. II. pag. 157 etc.)

c) Novi Presbyteri.

Vd.: *Missa* (prima novi Presbyteri); *Missa* (interrupta per mort. Sacerdotis t. II. p. 156 etc.)

Juxta Pontificale Rom. Episcopus post Ordinationem Presbyterorum injungit eis obligationem celebrandi post primam eorum Missam unam de Spiritu S., alteram de B. M. V. et tertiam pro Defunctis; ad hoc ut obligatio isthaec facilius adimpleatur, possuntne dictae Missae in diebus dupl. min. celebrari?

S. eadem C.... respondendum censuit:

„Negative, sed in diebus a Rubricis permissis."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 11. Apr. 1840. n. 4878 ad 5.

83) In Triduo hebd. s.

Non celebranda est missa etiam a Graecis presb., vd. *Missae* (plures presbyt. graec.)

84) Una Graecorum.

Vd.: *Missa* (altare); *Missae* (plures presbyt. *graec.*); *Orat. priv.* (Constit. Bened. XIV. §. 10); *Nativ. Dom.* (Miss. tres; Constit. Bened. XIV.); *Ritus graec.* (Constitut. Bened. XIV. „*Allatae*" praecip. §. 36, 37, 38 etc.); *Ritus graec.* (de ritu graec. Melchit. §. 6.)

85) Utensilia.

Ad dubium: an Plebanus Ecclesiae parochialis loci Nuntiae ab Episcopo possit cogi ad subministrandum vinum, hostias, paramenta et caetera ad celebrandum necessaria Presbyteris in loco Nuntiae commorantibus et in dicta Ecclesia par. celebrare volentibus?

S. C. resp.: Episcopum non posse cogere Rectores sed hortari et Rectores recte facturos, si monitionibus .. Episcopi pareant. n. 3643 die 31. Mart. 1703; n. 147 ad 3 die 10. Junii 1602.

Vd.: *Stipendium* (decr. S. C. Concilii de die 5. Julii 1664.)

86) In Vigilia Pentecostes.

Montis Regalis
Provinciae Pedemontanae.

VII. Id. Jun. quotannis recurrente in Ecclesia Cathedrali Montis Regalis Provinciae Pedemontanae celebranda venit ex Legato Missa solemnis de die cum cantu et assistentia Canonicorum, quae anticipari assolet praecedenti die, occurrente Dominica. Hisce positis hodiernus Archidiaconus S. R. D. sequens Dubium enodandum proposuit, nimirum: An occurrente Vigilia Pentecostes cantari possit dicta Missa juxta ritum pro Missis privatis praescriptum, cum Introitu *Quum sanctificatus fuero*, an differenda, vel anticipanda sit? Et S. eadem C. ad Quirinale sub infrascripto die coadunata, audita relatione

ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“
N. 4760 die 8. Aug. 1835.

87) „In virtute tua“ etc.

Dubia circa Evangelium Missae: In Virtute tua.

Circa Ev. in Missa *In virtute tua* legendum et Homil. correspondentem in Officio recitandam plura S. R. C. Decreta habemus in authentica Collectione, signanter n. 3394 ad Dub. VI.; n. 4325 ad VIII.; n. 4345 ad IX. *), tamen adhuc dubitatur circa expressa in sequentibus Dubiis:

1. Utrum in Missa *In virtute* legi possit Ev. *Nolite arbitrari* in Festis SS. Martyrum, pro quibus Missale assignat aliud Ev. de Communi cum Missa *In virtute* legendum v. g. pro S. Wenceslao die XXVIII. Sept., in Breviario assignatur Homilia in Evangelium *Si quis vult* et in Missali Missa *In virtute* cum eodem Ev. *Si quis vult*, an potest pro praedicto S. Wenceslao legi Missa *In virtute*, cum suo Ev. *Nolite arbitrari* et consequentur in Officio legi Homilia aliqua Octavarii in Evangelium illud *Nolite arbitrari*, puta Homilia S. Hieronymi, quae incipit: *Supra dixerat* et quae in Octavario reperitur II. die infra Octavam? Hanc Homiliam Breviaria in nostris Regionibus impressa ut plurimum insertam habent.

*) Paucis abhinc annis in officio unius mart., quando dicenda est missa *In virt. tua*, legitur evang. *Nolite arbitrari*, cum non constet decretum; quaeritur: num stet aut an fieri possit cum homilia s. Hieronymi presb., prout in fine Brev. rom.? S. C. resp.: Evang. respondere debere homiliae officii diei ac proinde, quando in missa *in virtute* legendum est evang. *Nolite arbitrari*, nec secus notatur, tunc ll. II. n. sumendas esse ex octav. rom. Die 1. Sept. 1804 ad 9.

2. Dubitatur: Quatenus responsio foret, non licere nisi constet de concessione, quaeritur: an pro concessione habenda sit sequens S. R. C. Resciptum, scilicet: „Expositum fuerat Dubium: utrum praedicta S. Hieronymi Homilia esset approbata et utrum tuta conscientia legi possit?“ Cui Dubio S. C. respondit die 16. Dec. 1828 in una Leodien. ad Nuncium Apost. Paris. ut sequitur: „Legi potest Homilia S. Hieronymi in praedictum Ev. ad correspondentiam Officii cum Missa obtinendam“, an itaque haec responsio haberi potest tamquam concessio, vi cujus liceat praedictam Homiliam S. Hieronymi legere in Festo S. Wenceslai?

S. C.... rescribendum censuit: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum“, nimirum:

Ad 1. et 2.: „Negative.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4930 ad III. et IV. Die 11. Sept. 1841.

88) Votiva.

a) De ss. Angelis.

Vd.: *Missa de Req. pro Infantibus; Exequiae parvulor.*

b) Cantata (Dies impeditus).

Vd.: *Missa vot. privata* (dies imped. decr. n. 4237); *Missa vot.* (Substituine potest etc.?)

Ad dubium: num saltem in primis diebus sol. possint substitui loco votivarum cantatae de festo; reliquis vero diebus infra octavas privil. et fer. IV. Ciner. cantari votivae? S. C. resp.: Negative. n. 4237 ad 9 die 22. Decb. 1753.

Ad dubium: An lectis missis loco cantatarum satisfieri possit fundationi? S. C. resp.: Affirmative ex rationab. causa ab Ordinario dignoscenda et approbanda. *Ibid.* ad 8.

c) De s. Cruce.

Non licuisse neque licere Missam s. Crucis ullo modo in Metrop. Florentina in die Veneris infra octavam Nat. D. quacunque praetensa consuetudine dictae Metrop. illam celebrandi singulis diebus Veneris infra annum et signanter infra dictam octavam non obstante. n. 2459 die 12. Jan. 1669.

(Vd.: *Missa vot.* — Quae dicenda?)

d) Dies et octavae prohibentes.

Vd.: *Vigil. Epiph.; Missa in aliena Ecclesia etc.* (decr. n. 4526 ad 20)*; Missa vot. sol. et privat.; Missae tres nov. Presbyt.*

In futurum non recipiatur obligatio ad missas votivas celebrandas, nisi pro diebus, in quibus secundum regulas Missalis celebrari possunt. De Missis vero votivis jam *acceptatis et non celebratis*, Sanctitas Sua dixit, ut transferatur eorum celebratio in dies, in quibus liceat illas celebrare et in hoc solum dispensare voluit, ut celebrari possint in alio die non impedito, quando Missae dicendae relictae vel legatae sint in die impedito.

Quando vero multitudo Missarum vot. jam *acceptatarum* tanta fuit, ut pro illis celebrandis non fufficiant dies non impediti, Sanctitas Sua dispensavit „ut pro missis jam *acceptatis*, quae non possunt celebrari diebus non impeditis, *sufficiat applicare valorem Missae currentis* et ordinarie, tam pro vivis quam pro defunctis, qui postulaverunt missas votivas." n. 489 die 19. Maii 1614.

Ad dubium: an votiva in cantu fundata, uti de Venerabili fer. V., de B. V. M. in Sabb., sic de aliis votivis aliarum dierum, possit de iis cantari Missa, quando est dominica vel festum dupl. aut infra octavam excludentem duplex? S. C. resp.: *Esse abusum* ideoque juxta decretum die 19. Maii 1614 loco missarum votivarum celebrandas esse missas de festo currenti et cum applicatione Sacrificii satisfieri et Benefactorum mentem impleri. n. 3029 ad 6 die 24. Julii 1683.

Missas votivas non posse dici in diebus duplicibus juxta Rubricas. n. 707 ad 3 die 7. Aug. 1627; n. 2595 ad 3 die 3. Sept. 1672.

Canonici Terrae Martinae, obligati ad celebrandum nonnullas missas votivas in diebus praescriptis, in quibus multoties occurrat festum de praecepto, petunt, an licite possint dictae missae votivae diebus festivis de praecepto celebrari seu potius cum missa currenti obligationi illarum satisfieri? S. C. resp.: Missas votivas esse transferendas in alteram diem non impeditam festo de praecepto. n. 1009 die 9. Decb. 1634.

Prohibendum esse, ne in posterum *infra Octavam Corp. Chr.* missae votivae quaecunque celebrentur. n. 2505 die 21. Julii 1670; n. 3873 die 29. Sept. 1714.

Concessionis Indulti celebrandi missam *ad impetrandam gratiam bene moriendi* occasione alicujus infirmi in extremis laborantis etiam in festo dupl., ratione consuetudinis. S. C. resp.: Negative, et in casu de quo agitur, recitetur Oratio sive Collecta ad impetrandam gratiam bene moriendi. n. 3986 die 20. Aug. 1729.

Ad dubium: Quando per rubricas missalis et per decr. S. C. per octavas Nativ., Epiph., per fer. IV. Cinerum, a D. Palm. usque post octavam Paschae, per octavas Pentec., SSmi Corp. Chr. prohibentur missae priv. vot.: an etiam hae vot. in *cantu* prohibentur? S. C. resp.: Affirmative. Die 22. Dec. 1753.

In festis dupl., infra octavas Epiph., Paschatis, Pentec. et Corp. Chr. ac in tota hebdom. majori, fer. IV. Cinerum, Vigilia Pentecost. ac Nativ. Dom. celebrare missam vot. priv. vel de Requ. nullo modo licet. S. C. R. Die 28. Sept.

1675. Cf.: *Annivers.* (dies annivers. ex dispos. test. decr. n. 2847.)

e) Ad postul. grat. bene moriendi.

Approbatur et conceditur pro Ecclesia universali missa nova ad *postuland. gratiam bene moriendi*, ponenda in missalis post missam pro remiss. peccatorum et in rubr. Gener. *in tit. de color. param.* sub *colore violaceo*, ac praeterea in Gradual. ad cantum chori in eodem cantu et tono, qui in antiquis habetur fer. IV. Dominicae I. et Sabb. Dominicae III. in Quadrag. et in Dom. IV., VI., XVI., XX. et XXI. p. Pent. S. R. C. 20. Mart. 1706 approb. Clemente XI. 27. ejusdem.

Vd. sub *d* decr. n. 3986.

f) Pro Infirmis.

I. Dies.

Florentin.

Plebana in Ecclesia S. Bartholomaei vulgo nuncupata a Gagliano Florentin. Archidioecesis erecta est Sodalitas titulo bonae Mortis. Ad utriusque sexus Sodalium saluti prospiciendum, praesertim dum in extremo mortis periculo sunt constituti, S. R. C. supplicavit Sacerdos Stanislaus Pozzi recensitae Ecclesiae Plebanus, quatenus ad S. Apostoli praedicti Aram valeat celebrari Missa pro infirmo mortis in articulo constituto, uti prostat in calce Missalis Rom., toties quoties quilibet Sodalium in hoc periculo versatur. S. eadem C. ad Vaticanas Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit: „Pro Collecta tantum in Missa diei". Atque ita servari posse permisit, attamen servatis Rubricis. n. 4881 die 11. Apr. 1840.

II. Oratio.

Quum sit in votis Sacerdotum Congregationis erectae in parochiali Ecclesia Civitatis Conspicuae Dioeces. Melitens. ea, qua par est sedulitate, fideles coadjuvare, dum vel infirmitate laborant vel morti proximi reperiuntur, S. R. C. supplicarunt, ut hisce in casibus in missa addi possit *pro infirmo* vel *morti proximo*, prout necessitas efflagitaverit. S. C. resp.: Pro gratia, verum gravibus in infirmitatibus, a Consodalibus tantum et in Ecclesia Congregationis. n. 4818 die 23. Sept. 1837.

Vd.: *Missa vot.* (dies et octav. etc. decr. n. 3986.)

g) De B. Maria V.

I. In Adventu.

Missa „*Rorate*" etsi solemniter decantetur in Adventu, non est tamen recensenda inter missas vot. pro re gravi vel publica causa, sed haberi dumtaxat poterit ut mera populi devotio. n. 4223 ad 6 die 29. Jan. 1752.

Pius PP. VIII.

Cum, sicut dilecti filii Superior et religiosi monachorum s. Francisci coenobii adnexi ecclesiae titulo ejusdem s. Francisci Assissiensis oppidi civitatis palmae nuncupati Majoricensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Deiparam praesefferunt, devotionis affectum, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum occasione peculiaris festi, quod exponentes in honorem conceptionis Beatae Mariae Virginis agere

solent in dicta ecclesia in una ex dominicis adventus excepta tamen dominica prima, quotannis in eadem ecclesia una tamen missa cum cantu propria de ipsa Conceptione, quae incipit „*Egredimini*“ tamquam votiva pro re gravi, sed non omissa conventuali de dominica, celebrari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 7. Sept. 1803. (Bull. r. Contin. t. XI. p. 379.)

Ad dubium Ordinis Carmelit. Excalceat. in Polonia:

Cum in Synodo Provinc. constitutum sit, ut in Adventu singulis diebus celebretur missa primaria B. V. M. „*Rorate*“, utrum in dupl. possit dici missa eadem privatim? Et in dominicis Adventus ac festis 1. vel 2. cl. secundum institutum ejusdem Synodi, utrum ut *solemnis* cum oratione unica, *Gloria et Credo*, an vero cum orationibus dominicae et aliarum canenda sit? Et praecipue in illis Ecclesiis, ubi non est consuetudo cantandi duas sed tantum unam missam? S. C. resp.: Ad primam et secundam partem dubii: negative. n. 4134 ad 4 die 1. Decb. 1742.

Tolerari potest in Dioecesi Cracoviensi missa votiva cantata B. V. M. toto tempore Adventus exceptis solemnioribus festivitatibus, dummodo cantatur *sine symbolo* et solum cum *Gloria* in Sabbatis et infra octavam ejusdem B. V. M., non ommissa missa conventuali. n. 4166 ad 8 die 22. Aug. 1744.

In Ecclesiis minoribus, ubi unica celebratur missa, non potest omitti illa occurrentis festi de praecepto, ut cantetur votiva (Rorate). *Ibid. ad 9.*

Vd.: *Missa vot. de B. V. M.* (Quae missa? decr. de die 5. Sept. 1851. *In Mechlin.*)

Vd.: *Expos. SSmi* (In Rorate).

II. In Adventu Novemdialis.

Ad dubium: an, attenta antiquissima consuetudine, liceat in Insulis Angrens. celebrare novemdiales missas votivas de B. V. M. ante Nativitatem Dom., quamvis in ipsis concurrat festum s. Thomae ap. aut Dominica 3. vel 4. Adventus? S. C. resp.: ratione concursus populi, quatenus adsit, decantari posse missam votivam de B. V. M., non omissa tamen currenti et quidem solemnius statuta hora canonica de more decantanda. n. 1931 die 28. Sept. 1658.

Ad relationem Magistri Caer. *Hispalen:* Novem per dies ante Nativ. D. N. ad auroram celebrantur missae de festivitatibus B. V. in feriis et in dupl. classicis et Dominicis cum *Gloria et Credo* et unica oratione praetextu devotionis populi. Conveniunt enim in chorum cantandi causa plures laici et quasdam canunt cantilenas risum moventes, tempori loco que nullatenus consentaneas. S. C. resp.: Abusus omnino tolli debet. n. 2811 ad 7 die 16. Jan. 1677.

Ad dubium: an sit licitum vel possit concedi licentia, ut in prima missa de B. V. M., quae summo mane et cum magna solemnitate dicitur in diebus ante Nativ., cui totus populus cum magna devotione assistit, dicatur *Gloria et Credo*, non obstantibus tribus orationibus, attento, quod istae missae cum solemnitate reputantur pro re gravi, cum devotio antiqua et immemorabilis servorum B. V. M. applicet has missas pro agris nuper seminatis et pro salute totius populi? reliquae vero missae, quae dicuntur post primam missam cum solemnitate, dicantur sine Gloria et Credo. S. C. resp.: *Negative.* n. 2972 ad 2 die 24. Jan. 1682.

Ad dubium: An in Novemdiali ante Nativitatem Domini liceret in Eccle-

sia Colleg. Arcis Regalis Missam de B. V., ad quam ex voto Magistratus praedicti Oppidi se obligavit, solemniter canere, etiam die Dominico et in Festo S. Thomae Apostoli?

Eadem S. R. C. respondit: „Cantari posse ac debere Missam praedictam cum *Gloria et Credo* etiam in diebus enunciatis instar Missarum Votivarum pro re gravi, non omissa tamen in eadem Ecclesia Missa conventuali. n. 3863 die 9. Dec. 1713.

Humillimis P. Laurentii a S. Laurentio olim S. Montis Sion Guardiani, totiusque Terrae Sanctae Custodis precibus S. R. C. porrectis et ab Emo et Rmo D. Card. de Abdua relatis

S. eadem R. C. „ex gratia speciali benigne indulsit atque concessit, ut in novemdialibus, quae ex immemorabili consuetudine a PP. Ordinis Minorum Observantium Civitatis Bethleem ad Praesepe Domini ante Festum Nativitatis Domini N. J. Chr. celebrantur cum expositione SSmi Sacramenti, imposterum Missa solemnis votiva B. M. V. cum *Gloria, Credo* et Orationibus SSmi Sacramenti, pro Papa, Imperatore ac Principibus Christianis, a praedictis Patribus ejusdem Civitatis, etiam in diebus Dominicarum Adventus et S. Thomae ad Praesepe Domini Nostri celebrari et respective recitari possit et valeat.“

N. 3890 die 12. Sept. 1716.

S. R. C. ad humillimas preces P. Fr. Matthaei de Pareta Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, Commissarii Generalis Curiae benigne indulsit atque concessit: „ut in omnibus Ecclesiis praedicti sui Ordinis, in quibus hactenus in Novemdiali ante Nativitatem Dom. Missa solemnis votiva B. M. V., quae incipit *Rorate*, absque *Gloria* et *Credo* celebrari consuevit, in posterum iisdem diebus eadem Missa cum *Gloria* et *Credo* celebrari possit et valeat, non omissa tamen Conventuali“.

N. 3919 die 10. Decembris 1718.

Idem decr. pro Confraternitate s. plagarum J. Chr. in via Julia. n. 3921 die 10. Decb. 1718.

III. De Apparit. B. V. M.

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres tertii ordinis nuncupati beatae Mariae virginis de Mercede canonice, ut asseritur, erectae in ecclesia conventus fratrum ordinis ejusdem beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum civitatis Limanae, quod alias, die nempe XI. Julii MDCCXI. a congregatione tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum editum fuit decretum, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Ordinis excalceatorum B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum.

Ad humillimas preces rev. patris Didaci a sancto Philippo procuratoris generalis excalceatorum beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum, nomine etiam totius ordinis suae religionis sacrae Rituum congregationi porrectas, in quibus demisse supplicabatur, ut loco missae votivae, quae ex regulis ordinis et privilegiis respective Clementis VIII. et Urbani VIII. a toto supradicto ordine singulis sabbatis cujuslibet hebdomadae canitur, exceptis tamen diebus sabbati sancti, vigiliae et nativitatis Domini et in die sancti Petri Nolasci, in posterum missa propria *Apparitionis beatae Mariae virginis*, alias pro festivitate ejusdem apparitionis beatae Mariae virginis sub die 2. Junii 1685 ab hac sacra congregatione approbata, a toto ordine calceatorum beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum in dictis singulis anni sabbatis cani possit. Et sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Emi et Rmi

domini Cardinalis de Abdua, benigne inclinata respondit = Pro gratia mutatis illis verbis in introitu = *diem festum* =, quorum loco dicitur = *memoriam*, die XI. Julii 1711.

Postmodum vero felicis recordationis Benedictus PP. XIV. praedecessor Noster per suas in simili forma Brevis die decima sexta Novembris 1757 omnibus et singulis utriusqne sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum singulis sabbatis totius anni devote visitassent ibique missae propriae de beata Maria de Mercede cantari solitae pie interfuissent, plenariam quarto sabbato cujuslibet mensis omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concessit, in reliquis vero sabbatis totius anni eisdem Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, septem annos et quadragenas de injunctis eis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxavit et alias prout in ipsius Benedicti praedecessoris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes pro peculiari, quem erga eamdem beatam virginem de Mercede gerunt, devotionis affectu facultatem celebrari faciendi praedictam missam propriam Apparitionis beatae Mariae virginis a dicta congregatione, ut praefertur, approbatam toto ordini Calceatorum et Excalceatorum beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum in singulis anni sabbatis, ut praefertur, concessam, ad ipsos quoque exponentes, qui in altari praedictae confraternitatis eam celebrare facere possint, extendi et ampliari ac praeter plenariam indulgentiam a memorato Benedicto praedecessore in quarto sabbato cujuslibet mensis, ut praefertur, concessam, aliam quoque plenariam primo sabbato cujuslibet mensis ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis et altare dictae confraternitatis eadem die devote visitantibus ac missae hujusmodi interessentibus, in reliquis vero sabbatis septem annorum et totidem quadragenas de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae relaxari consueta per Nos concedi plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, nunc et pro tempore existentibus officialibus et confratribus praedictae confraternitatis, ut *ipsi missam propriam Apparitionis beatae Mariae virginis a memorata congregatione pro toto ordine praedicto, ut praefertur, approbatam in singulis anni sabbatis servata in omnibus et per omnia praeinserti decreti praefatae congregationis forma et dispositione* in altari dictae confraternitatis celebrari facere libere ac licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Omnibus vero utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui altare ipsius confraternitatis singulis sabbatis totius anni devote visitaverint ibique missae praedictae pie interfuerint et devote oraverint, plenariam primo sabbato cujuslibet mensis omnibus peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino

concedimus: in reliquis vero sabbatis totius anni septem annos et totidem quadragenas de conjunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesia consueta relaxamus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romae die trigesima Augusti 1777.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 396. Ed. Rom. 1847.)

IV. De Bethlehem.

Vd.: *Off. B. M. V. de Bethlehem.*

V. Credo.

Vd.: *Missa vot. de B. V.* (dies sub n. 2674 ad 1 die 13. Jan. 1674); *Sacerdos caecutiens; Missa vot. de Sancto* (gl., cr. decr. n. 4560 nota); *Missa vot. de B. V. M. in Adventu et in Sabb.*

Qui in Sabbato infra aliquem octavam B. V. M. recitat Officium de aliquo Sancto eo die currente, volens celebrare missam votivam de B. V. M., tenetur celebrare missam *festivam* cum Gloria*) sed *sine Credo.* n. 3073 ad 7 die 2. Decb. 1684; n. 4447 ad 1 die 26. Jan. 1793.

Ad dubium: an in missis vot. B. M., quae cantantur in Officiis ruralibus conventualibus, canendum sit *Credo?* S. C. resp.: servandas esse rubricas de miss. vot. n. 3144 die 30. Aug. 1687.

Capellani Ecclesiae s. Mariae Neapol. in missis votivis de B. Maria, quae in qualibet fer. 3. ex legato cantantur, non possunt dicere Gloria et Credo. n. 3195 die 30. Julii 1689.

VI. Dies.

Non potest in Vigilia Pentecostes, omissa solemni Missa de eadem, cantari missa de B. V. n. 1627 ad 1 die 19. Aug. 1651.

Vd.: *Missa vot.* (Quando et quae dicenda, decr. n. 4201); *Missae tres novi Presbyt.; Missa concord. cum Off.* (decr. n. 5116); *Missa vot. B. V. M.* (in singulis etc.)

Non licuisse neque licere sine Indulto apost. celebrare in Ecclesia S. Mariae Neapolis fer. 3. Pentecostes Missas B. V. M. prout in die Nativ. Dom., mutatis etiam mutandis ex voto facto tempore contagii et propterea in posterum prohibendum, ne cantetur dicta Missa, nisi aliter doceant de Privilegio, sed festum esse solemnizandum cum missa currentis feriae. n. 2461 die 12. Jan. 1669.

In *alma domo Lauretana* ex privilegio S. C. missae Vot. de B. V. in Dominicis necnon in festis ss. apost. ac aliis dupl. celebrari possunt; inde dubitatur: an quando missae vot. celebrantur in dictis festis ac infra octavas ratione praedictarum festivitatum *Credo* dici debeat? S. C. *Negative,* nisi in illis missis vot. tantum, quae solemniter pro re gravi et publica Ecclesiae causa celebrantur. n. 2674 ad 1 die 13. Jan. 1674.

Ad dubium: an in festis et dominicis 1. cl. et signanter dom. SS. Trinitatis liceat canere missam vot. B. V. M. pro re gravi cum interventu Cleri, assistentia Episcopi et concursu magistratus et populi, vel potius in tali circumstantia addenda tantum sit oratio B. V. M. in missa conventuali post orationem festi sub unica conclusione? S. C. resp.: Non licere praeter commemor. in missa convent. n. 4342 die 12. Sept. 1767.

SS. D. N. Pius PP. IX. die 4. Dec. 1846 de speciali gratia benigne concessit ad proximum Septennium, ut in Sacello B. V. M. *Vetero-Oettingae* (in Bavaria) singulis diebus missa vot. de B. V. M. a quolibet Sacerdote cele-

*) *Immo extra Sabb., si infra octavam B. M. V.,* Die 22. Aug. 1744. In *Cracovien.*

bretur, dummodo rubricae serventur ac semper exceptis diebus festis de praecepto servandis, dupl. I. et II. cl., feriis, vigiliis et octavis privilegiatis, caeterisque B. V. M. contrariis non obstantibus.

Prorogatum ad proxim. Sept. d. 14. Jul. 1853.

Benigne annuimus Oratoris precibus et petitam gratiam *perpetuis temporibus valituram* et absque ulla Brevis expeditione concedimus.

Pius PP. IX.

Romae ap. s. Petrum d. 4. Jul. 1860.

Ex Archivo Sacelli B. V. M. Vetero-Oettingae.

VII. Gloria.

Circa „*Gloria in excel.*“ in Missis votivis de B. V. M. in Sabbato idem faciendum esse in Sabbatis Adventus, quod in aliis Sabbatis fit. n. 351 ad 11 die 19. Maii 1607.

Gloria in excels. etc. dicendum esse in missis vot. de B. V. M. in Sabbato, etiamsi non fiat Officium de ea. n. 410 die 27. Julii 1609; n. 3191 die 30. Julii 1689.

Ad petitionem pro facultate continuandi in celebratione missarum B. V. M. in diebus ferial. juxta immemor. consuetudinem singulis mensibus cum *Gloria* et *Credo*. S. C. resp.: Servandas esse rubricas, quacunque consuetudine non obstante. n. 3280 die 17. Maii 1692.

In missa vot. de B. V. M. in Sabb. semper dicendum *Gloria* ratione Sabbati. n. 4447 ad 1 die 26. Jan. 1793.

Indulta a S. R. C., referente Emo et Rmo D. Cardinale S. Clementis sub die 13. Augusti 1701 Religiosis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciae Bethicae discalceatorum nuncupatorum facultate celebrandi singulis diebus Sabbati per annum Missam votivam de B. V. M., exceptis die Nativitatis et Sabbatis Paschalis et Pentecostes, Fr. Isidorus de Jesu Ordinis Minorum excalceatorum S. Francisci praedicti pro declaratione infrascripti dubii S. R. C. demisse supplicavit, videlicet:

An in Missa votiva de B. M. V., ut supra, celebrari concessa debeat dici Hymnus Angelorum, Symbolum Apostolorum et unica Oratio?

Et S. eadem R. C., ad relationem ejusdem Emi et Rmi D. Card. S. Clementis, respondit: „Servandas esse Rubricas de Missis votivis.“

Et ita declaravit. n. 3747 die 17. Julii 1706.

Ad dubium: an Sacerdos, qui ex Indulto quotidie celebrat miss. vot. de B. V. M. in Sabb. et per Octavas festorum Deiparae addere possit *Gloria etc.*? S. C. resp.: affirmative in Sabb., in reliquis negative. n. 4847 ad 1 die 23. Febr. 1839.

VIII. Orationes.

Vd.: *Missa convent.* (oblig. ad duas decr. n. 4044); *Missa vot. de B. V. M. in Adv.*; *Missa vot. B. V. M.* (dies, decr. n. 4342); *Missa vot. de B. V. M. in Sabb.* (decr. n. 4378.)

Ad dubium: an Franciscani Provinciae Bahien in Brasilia in missa votiva in singulis Sabbatis non impeditis festo dupl. 1. vel 2. cl., vigiliis atque octavis privilegiatis dicenda solemniter tres Orationes vel una tantum cum Credo dicere debeant? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem juxta modum, scilicet, in feriis simpl. et semidupl. tres dicendas esse Orationes; in duplicibus duas. n. 4447 ad 1 die 26. Jan. 1793.

IX. Quae missa?

Cf.: *Missa vot. de B. V.* (Credo); *Sacerdos caecut.* (decret. n. 4594 ad XI.); *Missa de Rosario* (decret. n. 4870); *Septem. dolor. B. V. M.* (decr. n. 4670); *Immacul. Concep.*

B. V. M. (Vigil.); *Missa vot. B. M. V.* (in singul. etc.); *Rosar.* (missa votiva.)

Missas proprias de festivitatibus B. V. M. non esse celebrandas, *nisi diebus, in quibus dictae solemnitates occurrunt, et per earum octavas, quas habent;* caeteris temporibus earum loco celebrandam unam ex votivis B. V. M. in fine Missalis positis juxta distributionem temporum in eo factam *cum intentione* ad honorem Annunciationis, Assumptionis etc. n. 2859 ad 8 die 12. Mart. 1678.

Ad dubium: an, qui implementum oneris tenetur celebrare missam B. V. M. vigilia Assumptionis B. V., teneatur celebrare missam votivam vel de vigilia? S. C. resp.: ex quo Missa de Vigilia sit de ipsa B. V. laudabilius videtur, ut celebret missam de Vigilia, in qua et universalis Ecclesiae ritui et particularis oneris implemento consolatur. n. 2133 die 3. Sept. 1661.

Ad dubium: an infra octavas festivitatum B. V. M. missae vot. ejusdem celebrari possint? S. C. resp.: *Negative.* n. 2674 ad 3 die 13. Jan. 1674.

Ad dubium: an in Sabbatis, in quibus occurrit B. M. V. quaedam festivitas, aut infra octavam ejusdem, celebrari debeat Missa ejusdemmet festivitatis, aut votiva vel non votiva an vero semper missa *Egredimini*, ut in Brevi assignatur pro Franciscanis Provinciae Bahien in Brasilia? S. C. resp.: affirmative ad primam partem, nempe: celebrandam missam festivitatis aut de infra octavam, tamquam non votivam, si de eadem octava recitetur Officium; si vero recitetur Officium alterius festi, celebrandam esse pariter missam de infra octavam, sed more *votivo;* negative ad secundam partem. n. 4447 ad 2 die 26. Jan. 1793.

Ad dubium: Utrum ex praescripto fundatorum et institutione eorundem possit dici missa de Assumpt., Purificat., Concept. B. V. M. etc. in Sabbatis vel aliis feriis per annum non impeditis festo dupl.? S. C. resp.: Non sunt violandae rubricae imperitorum Laicorum causa et ideo petentibus missam vot. de Assumptione etc. fiet satis celebrando unam ex missis vot. de B. V. M. juxta temporis occurrentiam. n. 4223 ad 7 die 29. Jan. 1752.

Pro missis ex fundationibus aut ex alia quacunque causa in cantu celebrandis sive de Assumptione sive de Conceptione extra ejus dies festos vel octavas earundem Solemnitatum, assumi nequit propria festivitatis sed substituenda est una ex quinque votivis missis B. V. M., quae habentur in missali rom. juxta congruentiam temporis. n. 4237 ad 5 die 22. Dec. 1753.

Ad dubium: ex indulto concessum est (Ordini Carmelit. Poloniae) semel in mense Officium ss. Nominis B. V. M. et singulis Sabb. de Concept. Immac. B. V. M.; quaeritur: an missa celebrari debeat de festo ss. Nom. et resp. de Concept. seu sumenda sit de quinque vot. assignatis pro diversitate temporis? S. C. resp.: Affirmat. ad primam part.; negative ad secundam, mutato tamen Graduali in Adv. et addito Tractu a Septuag. usque ad totam Quadrag. n. 4361 ad 3 die 27. Mart. 1773.

Ariminen.

Quolibet intra annum Sabb. Capitulum Cath. Ariminen. Eccl. ex antiqua consuetudine, in Statutis etiam contemplata, assolet Missam vot. B. M. V. decantare. Ast quum diversa sit Capituli opinio circa hanc ipsam Missam quoties privilegium Assumptionis Deipare incidit in Sabb., sequens Dub. pro opportuna solutione superiore anno 1847 datum fuit S. R. C., nimirum: An in privilegio Festi Assumptionis B. M. V. incidente in Sabb., praeter

Missam de ipsa Vigilia, decantari etiam debeat Missa Vot. Deiparae, quae ex invecta consuetudine decantatur: seu an Missa Vigiliae votivam Missam excludat? Hujusmodi vero Dub. per Secretarium propositum quum fuerit in Ordinariis Comitiis eodem superiore anno III. Id. Sept. habitis, placuit Emis. P. S. tuendis Ritibus praepositis, Informationem exquirere Rmi Ariminen. Ep., ut certior redderetur S. C., num vel ex Apost. Indulto vel ex pio Legato Capitulum Cath. Arimin. adigeretur ad Missam saepe dictam Vot. B. M. V.? Iterum itaque ab eodem Secretario infrascripto proposito Dubio in novis Ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis hodierna die, una cum dilucida numerisque omnibus absoluta Informatione Rmi Ep. Arimin., S. eadem C. respondentum censuit: „In casu posse cantari sola Missa de Vigilia, quum nullum adsit peculiare onus Missae vot.“ n. 5122 die 22. Julii 1848.

Ex immemorabili consuetudine in omnibus fere ecclesiis archidioec. Mechl. cantatur missa vot. ad instar solemnis pro re gravi de B. V. M. fer. 4. quatuor temp. Adventus. Pro hac missa, quae celebratur cum maximo populi concursu et ex auctoritate seu indictione legati Ordinarii sumitur votiva de B. M. V. tempore Adv. „*Rorate*“, etiam cum dicta feria incidit in diem ipsam octavam Immac. Concept. vel pridie, quia celebratur dicta missa in memoria mysterii dominicae Incarnationis. Quum autem alii velint contandam esse in casu missam de octava, petitur, ut S. R. C. mentem suam circa consuetudinem cantandi missam *Rorate* (sine com. octavae Immac. Concept.) declarare dignaretur. Et S. C. resp.: *Cautum est per decreta, ut minime locum habeant missae vot. B. V. M. intra ejusdem octavas; quae si dicendae sint, de octava currenti celebrentur.* Die 5. Sept. 1851. *In Mechlin.*

Pius PP. VI.

Cum sicut dilectae in Christo filiae, moderna commendatrix nuncupata ac moniales regalis monasterii ordinis militaris sancti Jacobi de Spatha oppidi Matriti Toletanae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, pro singulari, quem tum ipsae tum dilecti filii constituentes et repraesentantes consilium ordinum militarium Hispaniarum erga beatam Mariam virginem Immaculatam gerunt, devotionis affectum missam sol. Conceptionis ejusdem beatae Mariae virginis Immaculatae in ecclesia dicti monasterii diebus infra octavam festi ejusdem Conceptionis, in quibus ad eam repraesentantes praedicti collegialiter accedere solent, celebrari facere posse plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, ut in posterum in ecclesia dicti monasterii iis diebus infra octavam Conceptionis beatae Mariae virginis Immaculatae, in quibus regale consilium ordinum militarium Hispaniarum ad eam collegialiter accedet, ut praefertur, missa solemnis ejusdem Conceptionis beatae Mariae virginis Immaculatae, prout in ejus die, licet diversum occurrat officium, celebrari libere et licite possit ac valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 29. Julii 1788. (Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 208. Ed. Rom. 1843.)

X. In Sabbato.

Vd.: *Off. imm. Concept. B. V. M. in Sabb.*; *Missa vot. de B. V. M.* (quae missa, decr.

n. 4361, 5122; decr. de die 26. Jan. 1793); *Color. param.; Sept. Dolor. B. M. V. Fer. VI. p. D. Pass. Dom.* (missa, decr. Pii VI.); *Rosar.* (missa etc.)

Ex Testamento quodam institutum fuit, ut singulis Sabb. Missa solemnis in honorem B. V. M. celebraretur. Interogatur inde: an liceat dictam Missam celebrare, quando eadem die occurrit aliquod festum solemne alterius Sancti? S. R. C. resp.: Utramque Missam esse in casu celebrandam, alteram de festo currenti, alteram de B. V. in Sabbato. n. 359 die 1. Sept. 1607.

Ad dubium: an missa assignata Festivitati Conceptionis B. V. M. pro fratribus minoribus possit celebrari in Sabbatis ut votiva? S. C. resp.: *Negative.* n. 2903 ad 1 die 30. Sept. 1679.

Ad dubium: an qui in Sabbato recitat Officium de B. V. M. volens celebrare missam de aliquo Sancto, teneatur dicere *Gloria etc.* et Praefat. de B. V. propriam illius diei, an vero Praefationem comm. sine Gloria? S. C. resp.: Dicendum sine *Gloria etc.* et cum Praef. communi. n. 3073 ad 8 die 2. Decb. 1684.

Ad dubium: an in Ecclesiis B. M. V. dicatis seu aliis Sanctis, ubi adest inveterata consuetudo cantandi missam vot. de B. V. singulis diebus Sabbatis, licite possit continuari haec pia consuetudo seu populorum devotio, etiam quando in Sabbato occurrit Officium duplex, ea potissimum ratione, quia 16. Julii 1605 decisum fuit, consuetudines laudabiles et in honorem Dei et ministrorum ejus introductas servandas esse et tuendas? S. C. resp.: Posse, dummodo consuetudo sit immemorabilis. n. 3073 ad 13 die 2. Decb. 1684.

In illis Ecclesiis, in quibus non ex fundatione aut obligatione sed ex mera devotione singulis Sabbatis cantari solet missa vot. B. V. M., hujusmodi missa cantari non debet, ubi in eisdem Sabbatis occurrat festo ritus dupl. I. vel II., vel cadant feriae privileg. n. 4424 ad 1 die 10. Mart. 1787.

Vd.: *Missa conv.* (non oblig.; decr. n. 4364.)

Missa vot. de B. V. M. celebrari non debet, ubi in Sabbatis occurrat aliud festum B. V. M., sive illud sit altioris seu minoris ritus. n. 4424 ad 2 die 10. Mart. 1787.

Missae, quae cohaerenter Officio semel in mense vel hebdomada recitari concessa celebrentur cum *Gloria,* puta de ss. Sacramento fer. V., de ss. Nomine B. V. M. in Sabb., de Patrono principali in alia feria, habere non debent *Credo.* n. 4227 ad 1 die 26. Aug. 1752.

Ad dubium: an missa vot. de B. V. M. in singul. Sabb. per annum exceptis privilegiatis et impeditis festo dupl. 1. vel 2. cl. cantanda, cantari possit cum *Credo* et oratione unica, an sine *Credo* et una secunda oratione de Officio currenti et 3. de Sp. s., nisi occurrat simpl. aut alia commemor., vel cum 2. orat. de Spir. s. et 3. Ecclesiae vel pro Papa, ubi de Officio currenti cantata vel saltem lecta fuerit missa conventualis? S. C. resp.: Negative quoad primam part., affirmative quoad secundam et serventur rubricae. n. 4378 ad 15 die 15. Junii 1776.

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilectus filius modernus parochus seu rector parochialis ecclesiae beatae Mariae virginis ad Nives vulgo nuncupatae la Blanca civitatis Hispalensis Nobis nuper exponi fecit, ipse *singulis anni Sabbatis* missam votivam beatae Mariae virginis cum cantu celebrare teneatur, quo autem frequentius devotioni erga eandem beatam Mariam virginem satisfacere valeat, dictam missam votivam in sab-

batis etiam impeditis celebrare posse summopere cupiat,

Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, exponenti ac pro tempore existenti parocho dictae parochialis ecclesiae beatae Mariae virginis ad Nives, ut in singulis anni sabbatis, exceptis festis primae et secundae classis, praedictam missam votivam beatae Mariae virginis cum cantu celebrare libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 16. Decb. 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 459. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilecti filii, *congregatio sacerdotum nuncupata sub titulo Conceptionis B. M. V. immaculatae in ecclesia metropolitana Compostellana* canonice, ut asseritur, errecta, Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga beatam Mariam virginem gerunt devotionis, affectu, missam votivam ejusdem beatae Mariae virginis cum cantu singulis anni sabbatis celebrare posse plurimum desiderent,

Nos dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum Nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, exponentibus praedictis, necnon pro tempore existentibus presbyteris congregationis hujusmodi, ut ipsi in singulis anni sabbatis, exceptis duplicibus primae et secundae classis, dictam missam votivam ejusdem beatae Mariae virginis cum cantu celebrare libere ac licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 18. Febr. 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 377. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VII.

Ex parte venerabilis fratris Raymundi Archiepiscopi Guatimalensis et dilectorum filiorum cleri et officialium atque confratrum archiconfraternitatis beatae Mariae virginis de Subsidio nuncupatae in metropolitana ecclesia ejusdem civitatis canonice (ut asseritur) erectae expositum Nobis nuper fuit, quod ipsi ab infrascripta venerabilium fratrum Vostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium congregatione decretum obtinuerunt, tenoris sequentis videlicet: Sacra Rituum congregatio supplicantibus reverendissimo Archiepiscopo et clero diversis Guatimalensis necnon ven. archiconfraternitate beatae Mariae virginis de Subsidio nuncupatae in metropolitana erecta ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Dionysii Bardaxy ponentis benigne indulsit, ut suprascriptum officium cum missa propria in honorem beatae Mariae virginis ab eodem Emo et Rmo D. relatore et a r. p. Aloisio Gardellini subpromotore fidei et S. C. R. assessore (loco r. p. d. Andreae Cavalli promotoris fidei absentis) revisa, emendata et approbata celebrari et respective recitari valeant in dominica secunda Novembris sacra festo Patrocinii beatae Mariae virginis ab universo dioecesis clero ritu *dupl. secundae classis, addita etiam octava quoad clerum civitatis tantum*, annuendo praeterea etiam pro gratia celebrandi supra approbatam missam *ad aram dumtaxat beatae Mariae virginis* (sub appellatione. de Subsidio) in dicta metropolitana tantum *singulis anni sabbatis* exceptis primae et secundae classis duplicibus, quadragesima, octavis atque vigiliis privilegiatis. Atque ita in posterum in civitate ac dioecesi de

Guatimala servari mandavit. Die 15. Maii 1819.

Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis subsidio ipsum muniri vehementer desiderent, Nos memoratum quoque officium cum missa propria ejusdem beatae virginis praesentibus pro insertis habentes ac ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, idem decretum et singula in eo contenta atque expressa, auctoritate apostolica tenore praesentium adprobamus et confirmamus eique inviolabilis et perpetuae firmitatis robur adjicimus ac singulos cum juris tum facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 22. Junii 1819. (Bull. r. Contin. t. XV. p. 222.)

XI. In singulis diebus Anni et Octavarum.

Vd.: *Missa vot. de B. V. M.* (Quae missa; Dies.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilecti filii Abbas et Monachi Regalis nuncupati monasterii ordinis sancti Hieronymi nullius dioecesis provinciae Toletanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga beatam Mariam virginem gerunt, devotionis affectu, *singulis anni diebus* in aurora missam votivam solemnem ejusdem beatae Mariae virginis sub nomenclatura de Guadalupe celebrare posse summopere cupiant,

Nos dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut ipsi singulis anni diebus, exceptis festivis primae et secundae classis, in aurora dictam missam votivam solemnem beatae Mariae virginis sub nomenclatura de Guadalupe celebrare libere ac licite possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 16. Decb. 1785. (Bull. r. Continuatio t. VII. p. 460. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii sodales congregationis titulo beatae Mariae virginis de Columna nuncupatae, quae in ecclesia monialium capuccinarum Matriti Toletanae dioecesis est constituta, se pro eo, quo in sanctissimam Dei parentem patronam suam sunt incensi, studio id maxime curare, illam ut omni, quo possunt honore et cultus significatione prosequantur, optareque ut pietas, quae a christianis ei debetur, in cunctorum animis augeatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsis de ista voluntate majorem in modum gratulantes eosdemque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, iisdem, ut quotannis *in singulis diebus octavae ejusdem beatae Mariae virginis de Columna*, dummodo festum non occurrat dupplex primae vel secundae classis, una missa cum cantu vel sine cantu, quemadmodum in ejus festo, cum commemorationibus quidem officii de die, quando de hoc celebrata non fuerit missa conventualis, aliisque juxta rubricas accurate servatis, celebrari libere ac licite facere possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 27. Jan. 1795. (Bull. r. Continuatio t. IX. p. 450.

Pius PP. VI.

Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet: *Toletana.* Sanctissimus dominus Noster Pius sextus pontifex maximus ad preces equitis Domini Josephi Nicolai de Azara nomine serenissimae reginae catholicae benigne indulsit, ut in ecclesia monialium ascederii sub titulo Conceptionis beatae Mariae virginis ordinis sancti Bernardi nuncupati de Pinto Matriti dioecesis Toletanae *in diebus a die octava decembris usque ad diem decimam sextam ejusdem inclusive*, in quibus novendiale in honorem Conceptionis B. M. V. peragitur, celebrari possit una missa solemnis propria, ut in die ejus festo ad instar votivae, non omissa conventuali de die, *etiamsi occurrat festum dupl. primae vel secundae classis*, vel aliqua dominica adventus. Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Die 15. Junii 1793.

Loco ✝ Signi.

J. Card. Archintus praefectus

D. Coppola S. R. E. Secretarius.

Cum autem, sicut dilectae filiae in Christo abbatissa seu priorissa et moniales praedictae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae, quo decretum hujusmodi firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostro patrocinio communiri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suplemus et sanamus.

Datum Romae die 5. Julii 1793.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 332.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilecti filii missionarii collegii apostolici ordinis Seraphici titulo beatae Mariae virginis de Guadalupe nuncupatae de Guadalaxeriensi dioecesi Nobis exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga eamdem beatissimam virginem praeseferunt, affectu, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum *in die duodecima cujuslibet mensis* in eorum ecclesia una missa votiva solemnis propria de eadem beata Maria virgine, dummodo non occurrant festa dupl. primae vel secundae classis necnon feriae privilegiatae, celebrari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 10. Apr. 1798.

(Bull. r. Contin. t. X. p. 147.)

Pius PP. VII.

Quum V. Fr. Andreas Episcopus Mindoniensis, prout nuper Nobis est ejus nomine expositum, oratorium publicum titulum Conceptionis beatae Mariae virginis in propria domo, quae manet in loco vulgo dicto Fras de Onterio intra limites parochiae s. Vincentii de Vimianzo Compostellanae dioecesis, erexerit atque ad majorem ipsius virginis

beatissimae cultum in oratorio hujusmodi sibi per Nos, ut infra, indulgeri humiliter flagitaverit, Nos eumdem Episcopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut quotannis in posterum in oratorio praedicto occasione peculiaris festi, quod in memoriam ejusdem Conceptionis Nostrae Dominae agetur in dominica post octavam illius assumptionis, dummodo non occurrat officium ritus duplicis primae vel secundae classis, a cunctis sacerdotibus eo ad sacrificandum convenientibus missa propria Conceptionis Beatae Mariae Virginis cum commemorationibus tamen officii diei, dominicae aliisque occurrentibus juxta rubricas, tam in una missa cum cantu quam in caeteris sine cantu, occurrente vero officio ritus duplicis secundae classis dumtaxat, tunc una tantum missa cum cantu, ut supra, celebrari libere ac licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 20. Febr. 1807.

(Bull. r. Continuat. t. XIII. p. 96.)

h) Infra octavam.

(Orationes.)

Ad dubium: Quae orationes dicendae sunt in missa votiva, quae celebrari aliquando potest infra octavam? S. C. resp.: Si infra octavam dicatur aliquando missa votiva, tunc prima oratio erit propria de missa, 2da de octava, 3. de feria; et recitetur Evang. s. Joannis. n. 4044 (2do) ad 33 die 12. Julii 1736.

Vd.: *Missa vot. de B. V. M.* (Quae missa?)

i) Pro Pace.

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XIII. n. 1 etc. 5.

k) Contra Paganos.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIII. n. 1 etc.; *Missa convent.* (tempus); *Missa vot. sol.* (hora.)

Cum in diebus Quadragesimae, Adventus, Quatuor Temporum ac vigiliarum, Missa praedictarum feriarum, ac vigiliarum juxta Rubricas debeat celebrari post Nonam, cumque etiam contingat, quod in feriis ac vigiliis praedictis, occasione orationis quadraginta horarum, ex praecepto S. M. Innocentii P. XI. in Ecclesiis Urbis sit celebranda Missa votiva contra paganos; quaesitum fuit humiliier a S. R. C. declarari: Quonam ordine sint in Choro Missae praedictae celebrandae?

Et S. eadem R. C. respondit:

„Ambas post Nonam esse celebrandas, ita tamen, ut Missa votiva contra paganos ultimo loco celebretur.“ Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3564 die 22. Maji 1700.

l) De Passione D. N. J. Chr.

Concessionis Indulti celebrandi missam vot. sol. Passionis D. N. J. Chr. singulis feriis sextis etiam Officio dupl. impeditis, ad effectum satisfaciendi obligationi jure legati relicti. — Negative et celebretur missa occurrens cum applicatione juxta intentionem. n. 3969 die 15. Febr. 1727.

Vd.: *Missa* (de Passione Dom.).

m) Privata.

I. Commemoratio.

Patriarchalis Basilicae Vaticanae.

Exposuit S. R. C. Hieronymus Fantaguzzi Patriarchalis Basilicae Vaticanae Canonicus Decanus, eoque nomine S. Caeremoniis Praefectus paucis abhinc Annis in eadem Basilica contingere, ut tempore Quadragesimae, si quod occurrit Festum ritus semiduplicis, nonnulli Sacerdotes fas sibi esse putant Missam privatam more votivo celebrare de Feria addita commemo-

ratione Festi semiduplicis. Dubitans autem id Generalibus Missalis Romani Rubricis adversari, sequens proposuit pro opportuna solutione Dubium. „An occurrente Festo ritus semiduplicis cum Feria etiam majore vel Vigilia liceat Missam privatam more votivo celebrare de Feria vel Vigilia cum commemoratione Festi, de quo ritu semiduplici Officium persolvitur?

S. eadem C. S. R. ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Secretario, omnibus maturo examine perpensis, respondendum censuit.. „Non licere.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5210 die 21. Junii 1855.

Ad dubium: Quae Orationes dicendae in missa vot., quae celebrari aliquando potest infra octavam? S. C. resp.: Prima oratio erit propria de missa, 2. de octava, 3. de feria; et non recitetur evang. fer. sed initium s. Joann., nempe: *In principio.* Die 23. Julii 1736.

Vd.: *Missa vot. sol.* (Orationes.)

II. Dies impeditus.

Cf.: *Missa vot.* (dies et octavae prohib.); *Missa vot. priv. cor. SSmo.; Missa vot. pro Sponsis* (decr. n. 4587 nota); *Missa vot. pro infirmo; Vigiliae Epiphan.; Missa de Req. priv.* (Infra octav.); *Missa* (in Eccles. aliena, decr. de die 11. Sept. 1847).

In festis 2. cl. aut etiam primae non festivis aut minus sol., ut in die Ascensionis, fer. 2. Paschae aut Pentecostes et generatim missas privat. votivas non posse dici. n. 4175 ad 2 die 4. Sept. 1745.

In dominica infra octavam missae privatae nequeunt dici de festo, sed dicuntur de dominica cum commemor. octavae; constito tamen de concursu populi, permittitur unica tantum missa sol. de octava cum *Gloria et Credo* absque ulla commemoratione. n. 4183 ad 1 die 3. Sept. 1746.

Quando per rubricas et decreta, videlicet: per octavas Nativitatis, Epiph., per fer. IV. Cinerum, a dominica Palmar. usque post octav. Paschae, per octavas Pentecostes et SSmi Corp. Chr. prohibentur missae vot. privatae, etiam hae votivae in cantu prohibentur sed debent pro votivis substitui missae de festo in cantu. n. 4237 ad 6 et 7 die 22. Decb. 1753; n. 3754 ad 2 die 25. Sept. 1706. (Constit. Clem. XI. 29. Sept. 1714 in Bull. r. tom. VIII. p. 438.)

In die Commem. Omn. fid. def. legi potest missa pro sponsis, non vero alia votiva. S. R. C. 7. Sept. 1850.

III. Obligatio.

Vd.: *Missa de Req. privata* (oblig. decr. n. 4299; 4897, tom. II. p. 202).

IV. Loco missae priv. de requiem dici non potest ad lucrandam indulg. altaris privilegiati.

Vd.: *Missa de Req. privata in duplicib. dieb.* (decr. *Romana* diei 9. Febr. 1726.)

V. De SSmo cor. exp. SSmo et missa vot. priv. cor. SSmo.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XVII. n. 17—21—34; §. XXX. n. 24 etc.; *Oratio tertia* (in missa vot. de SSmo.).

In missis votiv. privat. de ss. Sacram. et de Officio dupl., quae celebrantur in Ecclesiis, ubi adest SS. Sacram. expositum occasione 40 hh., non dicitur *Credo*, nisi aliter competat missae Officii dupl. Die 2. Decb. 1684.

In Missis, quae celebrantur coram ss. Sacram., dicitur Praefatio missae currentis, si habeat Praefatium proprium, alias de Communi, numquam vero de SS. Sacram. 4. Sept. 1745.

VI. Infra Octav. SS. Corp. Chr.

Vd.: *Missa vot. priv.* (dies imped.)

Pius PP. VI.

Emanavit nuper a Congregatione

VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

Toletana.

Sacra rituum Congregatio ad humillimas preces monialium ordinis beatae Mariae virginis de Mercede excalceatarum monasterii nuncupati s. Joannis de Alcaron civitatis Matritensis dioecesis Toletanae referente me infrascripto secretario benigne indulsit, ut sacerdotes omnes tam saeculares quam regulares ad sacrificandum convenientes infra octavam SS. Corporis Christi in ecclesiam earumdem monialium celebrare possint missam propriam SS. Sacramenti, exceptis duplicibus primae et secundae classis.

Die nona Aprilis 1791.

Loco † Signi.

S. Card. Archintus praefectus

D. Coppola S. R. C. secretarius.

Cum autem, sicut dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales praedicti monasterii Nobis subinde exponi fecerunt, ipsae decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, Nos dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: praeinsertum decretum hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae 13. Maii 1791.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 29.)

n) Quae dicenda?

Vd.: *Missa de req.* (anticip.); *Missa concord. cum Off.* (decr. n. 5116.)

In Congregationibus Paroch. Dioec. Trevis. ad casus conscientiae discutiendos institutis Omnes die illo, quo conveniunt, Sacrificium offerunt pro confratribus laicis tam vivis quam defunctis et Primicerius tandem cum s. ministris canit missam. Quae missa ab hoc cani debeat, an de festo currenti, an de Sancto titulari, cum omnis Congregatio instituta sit sub invocatione alicujus Sancti particularis? S. C. resp.: *De missa currenti.* n. 2795 die 13. Junii 1676.

Ad dubium: an in fer. 2. post festum SS. Trinitatis, in qua tamquam in sede perpetua et propria quotannis celebratur Solemnitas SSmi Mysterii uti Titularis, debeat cantari missa sol. de SS. Trinitate cum *Glor.* et *Credo* ratione rei gravis ob concursum fidelium, licet ipsa fer. 2. impedita sit festo dupl. de praecepto classico? S. C. resp.: Pro gratia. n. 4072 ad 1 die 8. Mart. 1736.

Abbates et Superiores Congregationis Benedictinae Bohemiae exposuerunt, immemorabilem esse consuetudinem, ut quotidie, exceptis diebus Nativ. Dom., Paschae et Pentec., prima *missa sit votiva de B. V. M.* et, ut qualibet fer. 6., festo in foro celebri aut alio 1. vel 2. cl. non impedita, *missa de s. cruce* loco convent. solemniter decantetur. Dubitetur: an id licite fieri possit? S. C. resp.: *quoad missam votiv. B. V. M.*, pro gratia cum limitatione, quod praedicta missa vot non possit celebrari in Dom. 1. Adventus, Fer. 4. Ciner., Dom. Palm. cum tota maj. hebdomada, Dom. Resurr. et Pentecost. cum duobus seq. diebus, Die Nativ. Dom., Epiph., Ascens., Corp. Chr. et omnibus Diebus, in quibus celebrari debet festum in hon. B. V. M. juxta Calendarium, ac dummodo diebus, in quibus celebratur dicta missa vot., praeter eandem celebretur missa convent. seu diei festi curr. In reliquis: *Dilata.* n. 4201 die 19. Apr. 1749.

o) Pro re gravi.

(Dies, Glor., Credo, param. etc.)

Cf.: *Missa vot. B. V. M. in Adv.* (quae missa?); *Missa vot. de B. V. M.* (dies etc. decr. n. 4342); *Missa vot. de SSmo in divers. festis* (decr. n. 4897); *Oratio in missa vot. pro re gravi; Praef. in missis vot.* (decr. n. 3754); *Missa vot. de Sanctis* (Gloria etc.; (decr. n. 2417); *Missa vot. sol.* (Orat.; Gloria.)

In festis 2. cl. aut etiam primae non festivis aut minus sol. ut in die Ascensionis vel in fer. 2. Paschae aut Pentecostes et generatim missam sol. vot. pro re gravi aut gravissima posse celebrari de licentia tamen Ordinarii pro illa vice tantum, dummodo in illa Ecclesia jam celebrata fuerit missa conventualis de Officio currenti. n. 4175 ad 2 die 4. Sept. 1745.

Cum in festis dupl. 1. cl. non possit cantari Missa sol. vot. etiam ad invocandum Spir. s. pro felici successu Comitiorum general. vel Capituli, tunc potest Collecta de Spiritu s. sub unica conclussione addi. n. 4361 ad 7 die 27. Mart. 1773.

Ad dubium: an missae vot. sol. pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa cantari possint in dominicis 1. vel 2. cl. et in festis dupl. 1. et 2. cl. necnon in feriis, vigiliis et alliis diebus privileg. Officia 1. et 2. cl. excludentibus? S. C. resp.: Negative in dupl. 1. cl., dominicis 1. cl., Feriis Cinerum et majoris hebdom., Vigiliis Pentecostes et Nativit. Dom.; in reliquis affirmative. n. 4393 ad 20 die 27. Mart. 1779.

Ad dubium: Quum generales nostrae Constitutiones pro electione Ministri Generalis facienda praescribant, ut a Resurrectione Domini ad diem usque electionis qualibet Feria V. solemni festo non impedita cantetur in singulis conventibus Missa de Spiritu S., quaeritur: quodnam Festum hisce in circumstantiis haberi debet pro solemni, ita ut ipso occurrente non liceat praefatam Missam decantare? S. C. resp.: „Quodcumque non admittens Missam votivam pro re gravi.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 26 die 16. Apr. 1853.

In omnibus casibus propositis, nempe *propter pluviam petendam, pro serenitate, pro quacunque necessitate, pro principe infirmo et similibus,* potest dici res gravis, quando ab Episcopo et universo Clero et civitate Missa votiva solemniter celebratur cum interventu Magistratus et populi. Quo casu poterit absque dubio dici Gloria et Credo*), excepto tantum, quando Missa celebratur cum *paramentis violaceis,* ut pro infirmis vel aliquo actu similis moestitiae vel poenitentiae, quia tunc non dicitur Gloria nec Credo. Quoad *colorem* erit juxta qualitatem temporis et Missae, quae celebratur. Et quando in Missa dicitur *Gloria* et *Credo,* nunquam ad Orationes genuflectitur. Et si Missa *solemniter* celebratur, *Organa* poterunt pulsari et pariter Praefatio et omnia solemniter sunt peragenda, si Missa solemniter celebretur cum Gloria et Credo. n. 351 ad 14 die 19. Maii 1607.

In Dioecesi Burgensi exstitit Confraternitas Adorationis perpetuae ss. Sacram. et dies anni ita distribuuntur, ut singulae parochiae et publica Oratoria suum diem sortiantur, in quo a summo mane usque ad vesp. SS. Sacram. patenter adorationi fidelium est expositum; Quaeritur: an sufficiens hic habeatur ratio ad indicendam missam votiv. de ss. Sacram. pro re gravi? S. C. resp.: Negative nisi exponendum sit in forma 40 hh. 12. Sept. 1840.

In missis votivis pro re gravi aut publica Ecclesiae causa dicitur *Credo.* n. 3073 ad 3 die 2. Decb. 1684.

*) Cf.: *Missa vot. de Sancto* (gl., cr. decr. n. 4560 nota.).

Ad dubium: An Missa votiva solemnis pro re gravi celebrari possit in Dominicis II. Cl.?

Et S. eadem C.... rescripsit:

„Affirmative in Dominicis privilegiatis II. Cl. et Festis itidem II. Cl." N. 4806 ad 1 die 11. Mart. 1837.

Ad dubium: An festis et dominicis I. cl. et signanter Dom. SS. Trinitatis liceat canere missam vot. B. V. M. pro re gravi cum interventu Cleri, assistentia Episcopi, praesentia Magistratus et concursu populi vel potius in tali substantia addenda tantum sit oratio B. M. V. in missa convent. post orationem festi sub unica conclusione? S. C. resp.: Non licere, praeter commemor. in missa conv. Die 12. Sept. 1767.

p) Non pro re gravi.

I. Commemoratio.

Ad dubium: An in Missa cantata sine gravi causa omitti debeat commemoratio Festi occurrentis, uti omnino omittitur Missa Conventualis, quia non debetur, sicut ejusdem commemoratio omitti debet, ubi cantatur aut saltem legitur Missa Conventualis Festi occurrentis?

S. eadem C. rescribendum censuit:

„Negative, nempe in iis Ecclesiis, quae non tenentur ad Missam conventualem, faciendum esse in Missis votivus solemnibus sine gravi causa commemorationem Festi occurrentis. In aliis vero, nunquam omittendum esse Missam conventualem de die." Et ita declaravit. n. 4474 ad 17. die 2. Maii 1801.

Vd.: *Missa vot. de B. V. M.* (In Adventu.)

II. Gloria, Credo.

Cf.: *Credo.*

In missis vot., quae celebrantur ob particularem devotionem alicujus privatae personae et canitur cum altaris apparatu et magno musicorum conventu, dici non debet Gloria et Credo, nisi sit pro re gravi et publica Ecclesiae causa. n. 3232 ad 1 die 2. Sept. 1690.

Idem respons. fuit ad dubium: An in missa festiva, quae solum habet Gloria, si canitur, prout supra, debeat dici symbolum?

q) De SS. Sacramento.

I. In diversis festis per annum.

Vd.: *SS. Corp. Chr.; Oratio 3. in missa vot. de SSmo; Missa de et coram SSmo.*

Ad dubium: an in fer. 2. 3. et 4. hebdom. major., quando exponitur SSmum, celebrari debeat missa de SSmo. S. C. resp.: Servari rubricas. n. 1644 die 3. Aug. 1652.

Confirmationis antiquae consuetudinis celebrandi missam sol. vot. de SSmo cum *Glor.* et *Credo* in fer. II. hebd. majoris in Eccles. par. Augustanae: „*Lectum.*" n. 4303 die 12. Sept. 1761.

Contendentibus, utrum in tertia quaque dominica cujuslibet mensis, qua solet fieri particularis processio cum SSmo, missa de eodem SSmo cum comm. dominicae, an missa de dominica cum comm. SSmi cantari debeat? S. C. resp.: Missam in dicto casu celebrandam esse de dominica seu de festo duplici, si illa die occurrat, cum comm. SSmi ad formam rubricarum missalis. n. 1692 die 6. Decb. 1653; n. 3301 ad 12 die 10. Jan. 1693.

Missa *votiva* de SSmo celebranda est sine Sequentia et cum orationibus tempori congruentibus. n. 3183 ad 3 die 18. Junii 1689.

Paroeciae Civitatis et Dioecesis Compostellanae post Octavam Corp. Chr. aliud festum celebrant SS. Sacramenti. Quaeritur: An in missa votiva sol. fieri debeat commemoratio SSrum et dominicarum occurrentium cum Evan-

gelio dominicae in fine missae et utrum in dupl. 1. vel 2. cl. dici possit missa vot. de SSmo? S. C. resp.: Quoad primam partem, si celebretur missa sol., negative; si cum ea recitetur etiam Officium, affirmative; quoad secundam partem scribatur Episcopo. n. 4507 ad 7 die 8. Apr. 1808.

Ad dubium: In Dioecesi Brugensi*) existit Confraternitas adorationis perpetuae SSmi et dies anni ita distribuuntur, ut singulae Parochiae et publicum Oratorium suum diem sortiantur, in quo a summo mane usque ad Vesperas SSmum patenter adorationi est expositum; Quaeritur: an sufficiens hic habeatur ratio ad indicendam missam vot. de SSmo pro re gravi? S. C. resp.: *Negative*, nisi exponendum sit in forma 40 hh. n. 4897 ad 6 die 12. Sept. 1840.

Pius PP. VII.

Cum, sicut dilecti confratres sodalitatis nuncupatae Mancipiorum sanctissimi Sacramenti canonice, ut asseritur, erectae in ecclesia monialium ordinis sancti Benedicti sub titulo Incarnationis civitatis Cordubensis nuncupatae, Nobis exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga augustissimum Eucharistiae Sacramentum praeseferunt devotionis affectum, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentibus specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in dicta ecclesia per octo continuos dies a dominica tertia post Pentecosten usque ad dominicam quartam sequentem; in quibus diebus patens proponitur fidelium adorationi sacra Eucharistia, dommodo non occurrat officium duplex primae vel secundae classis, celebrari possit una missa votiva solemnis de sanctissimo Eucharistiae Sacramento cum gloria et credo, sed cum commemorationibus officii diei, dominicae aliisque occurrentibus juxta rubricas, si in eadem ecclesia celebrata non fuerit missa conventualis de die, addita etiam facultate praedictam missam eodem modo celebrandi in qualibet dominica prima cujuslibet mensis, ut supra, non impedita, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 21. Apr. 1801.
(Bull. r. Contin. t. XI. p. 159.)

II. In Orat. 40 horarum.

Vd.: *Oratio 40 hh.; Missa vot. de SSmo in divers. festis* (decr. n. 4897); *Instructio Clem.* §. XII.

In regulis (quae generales sunt) ad Missale Fratrum Minor. adjectis S. C. resp.: Quando exponitur SSmum in altari *pro initio 40 hh. vel spiritua-*

*) In omnibus Ecclesiis et publicis Oratoriis dioecesis Brugensis, quum semel vel bis per annum ex laudabili consuetudine publicae adorationi exponatur SSmum mane usque ad vesperas ac praeter divini verbi annuntiationem et praedicationem, divinorum Officiorum sol. celebrationem magna sit fidelium frequentia ac sacramentorum tum poenitentiae tum eucharistiae sumptio, quod unum exoptandum supererat, nimirum ut eo die, quod adoratio SSmi in qualibet Ecclesia vel publico Oratorio occurrit, etiam missa vot. de SSmo celebrari valeat cum cantu ad formam Instruct. S. M. Clem. PP. XII. datae Calend. Septb. anni 1736 pro Expos. SS. Sacram. in Orat. 40 hh.; id humillimis datis precibus SS. D. N. Gregorium XVI. P. M. enixe rogavit Rmus. Brug. Ep., propriis ac communib. votis satisfacturus. Quas quidem enixas preces Apost. benignitate S. S. excipiens benigne annuit juxta petita, strictim vero servatis, quae in memorata Instruct. Clem. praescribuntur ac Rubricae ediderunt, contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 30. Mart. 1846. *(Ita Direct. Brug. 1847.)*

lium exercitiorum cantari debet missa unica de SSmo, quae habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Chr. (nisi infra octavam ejusdem festi) et tempore paschali addendum erit Alleluja, ut fit in aliis missis votivis. Dicitur una tantum oratio cum *Gloria*, *Credo et Praef. de Nativ.*, quia solet esse publica causa; non autem privatis missis haec conveniunt. Si vero accidit in festo 1. vel 2. cl. sive in dominica privilegiata 1. vel 2. cl.[1], tunc in *Collegiatis* vel duae cantentur missae, una de festo seu dominica post Tertiam, altera votiva de SSmo post Nonam; vel una cantetur de die cum comm. SSmi. n. 2362 ad 7—9 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: Quaenam missa debeat celebrari in Dom. palmarum et aliis tribus diebus sequentibus in illis Ecclesiis, ubi fit oratio 40 hh. cum sol. expositione SSmi cum concursu fidelium? S. C. resp.: Servandas esse rubricas, nempe in diebus, in quibus prohibetur fieri de festo dupl., non posse dici missas votivas. n. 3146 die 30. Aug. 1687.

Pius PP. VI.

Alias emanavit a Congregatione VV. FFr. N. S. R. C. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet:

Limana.

Precibus monialium ordinis sancti Francisci Capuccinarum civitatis Limanae in regno Peruano per me infrascriptum secretarium relatis SS. D. N., Pius PP. VI. pontifex maximus benigne annuendo indulsit, ut primis diebus septenarii praecedentis festum sancti Joseph sponsi beatissimae Virginis, quod in ecclesia dictarum Monialium celebrari consuevit cum expositione SS. Sacramenti in forma quadraginta horarum, missa expositionis et repositionis et diei intermediae cantari possit votiva de eodem SS. Sacramento pro re gravi cum commemoratione festi occurrentis, licet festum occurrens sit dominica Quadragesimae vel aliter privilegiatum, contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. Card. Archinto praefectus,
Julius M. de Somalia S. R. C. secretarius.
Loco † Signi.

Cum autem, sicut dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales monasterii praedicti Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 19. Jan. 1787.

(Bull. r. Contin. tom. VII. p. 690. Ed. Rom. 1843.)

III. In feriis quintis.

Vd.: *Missa de SSmo* (fer. V.).

Eystetten.

In pluribus ecclesiis parochialibus dioecesis nostrae SS. Eucharistiae sacramenti confraternitas erecta reperitur. Ubi hujusmodi confraternitas floret, singulis feriis V. in eodem altari, in

quo expositum publicae fidelium venerationi patet SS. Sacramentum, decantatur missa confluentibus, numero certe non exiguo, fidelibus. Haec porro missa cum cantu exceptis duplicibus 1. cl. et octavis privilegiatis semper celebratur votiva de venerabili Sacramento, scilicet: *Cibavit* eos ... cum *Gloria*, unica orat.: *Deus qui nobis.*, *Credo*, *Praef. Nativ.*, *Ite Missa est* in *tono dupl.* juxta Dec. S. R. C. dd. 18. Jul. 1851, quia, ut multi sacerdotes dicunt, ex peculiari indulto S. R. C. haec missa votiva in illis parochialibus ecclesiis, in quibus dicta confraternitas floret, omnibus feriis V. concessa est. Quum vero quidam parochi arbitrentur, missam, licet cantetur, de Venerabili non semper singulis feriis V. esse sumendam, praesertim quia nunquam peculiare indultum in nostra dioecesi inveniri potuit; hinc

Quaeritur *1.: An liceat in singulis feriis quintis, exposito SS. Sacramento, missam cantatam de Venerabili sumi, etiamsi dictis feriis saepissime occurat festum duplicis vel minoris vel majoris vel secundae classis et quidem in eo ritu supra enunciato?*

Quaeritur 2.: *An, si affirmative ad primum, liceat in minoribus ecclesiis parochialibus, ubi quotidie parochus solus celebrat, eandem missam decantare?*

Quaeritur 3.: *An, si negative, liceat in mojoribus ecclesiis parochialibus, in quibus quotidie plures sacerdotes celebrant, missam de Venerabili cantare, persoluta missa occurrente de die?*

Quaeritur 4.: *Quando autem parochus missam de festo occurrente sumere debet, quaeritur: an oratio de Venerabili cum oratione festi decantanda sit sub unica vel distincta conlusione?*

S. R. C. resp.: Permitti posse consuetudinem, servata tamen forma instructionis sa. me. Clementis PP. VIII.

Et *ad 1.:* negative, sed addendam esse commemorationem SS. Sacramenti;

ad 2. et 3.: jam provisum in praecedentibus;

ad 4.: sub distincta conclusione.

Romae 25. Sept. 1852.

r) De Sanctis.

I. Dies impeditus.

Vd.: *Transl. festi in dom. seq.; Missae* (duae non sunt cant. etc.)*; Indulgentia altar. privil.; Titularis* (fest. celebr.; decr. n. 2362).

In omnibus conventibus Regul. Minor. de observ. s. Francisci Provinciae maj. Poloniae erectae sunt Archiconfraternit. s. Annae et ss. Francisci et Antonii et aliorum Sanctorum; quaeritur: an missae vot. simplices de hujusmodi Sanctis cantari possint in festo dupl. minori et majori, sed non de praecepto, seu festivo, ad quas populus concurrit et cantari procurat ex antiqua consuetudine? S. C. resp.: Negative. n. 4244 ad 1 die 11. Maii 1754.

Ad dubium: An Sacerdos, qui a Fidelibus eleemosynam accipit ad celebrandam Missam in hon. alicujus Sancti vel de aliquo Mysterio, dum ritus non permittit celebrationem Missae votivae, possit saltem Missae occurrenti commemorationem addere Sancti ipsius vel Mysterii?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Non licere."

Atque ita rescripsit propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 3 die 7. Sept. 1850.

II. Formula.

Cf.: *Missale roman.; Novena; Anniversarium sol. vot. ex fundat.*

Capellani Monialium possunt cele-

brare missam de Sancto, de quo Moniales recitant Officium, sed cum Missali rom. de *communi*, si intra missale rom. non est de eo missa propria. n. 2363 ad 5 die 13. Febr. 1666.

Ad dubium: Possuntne adimpleri quaelibet fundationes sive in hon. SSrum sive pro defunctorum liberatione missam de die celebrando? S. C. resp.: Affirmative, dummodo missa SSrum pro adimplemento fundationis celebranda seu etiam defunctorum ab occurrente 1. vel 2. cl. solemnitate aut festivo die quoad forum non impediatur. n. 4119 ad 6 die 2. Sept. 1741.

Vd.: *Anniversar.*, (alia missa etc. decr. n. 4237.)

III. Gloria, Credo.

Cf.: *Novena; Credo in Missa; Indulgentia altaris privil.* (decr. n. 4669); *Missa* (duae non sunt etc.).

Ne quid in posterum contra vel praeter rubricas sub poenis in constitutionibus Pontificiis contentis servari ab Ordinariis permittatur, *sed tantummodo die tituli* quorumlibet Ecclesiae vel Oratorii de Sancto titulari Missae cum Gloria et Credo celebrentur. n. 1839 die 4. Aug. 1657. Vd.: *S. Thomas.*

Ad dubium: an in festo s. Antonii de Padua, quod in Ecclesia s. Joan. Bapt., in qua sub ejusdem s. Antonii invocatione altare erectum reperitur, magna cum devotione et concursu celebratur, Missa cum *Gloria et Credo* decantari possit, S. C. resp.: *Affirmative, ratione concursus.* n. 2788 die 1. Apr. 1662.

Quodsi corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, a fortiori Symbolum in missa recitari debet. n. 2363 ad 16 die 13. Febr. 1666.

Cum cantatur missa votiva pro re gravi de aliquo Sancto, semper dici debet *Gloria et Credo* et uti colore, quo utuntur in festo, cujus missa cantatur. n. 2417 ad 3 die 13. Aug. 1667.

In diebus Dominicis non possunt dici duae Missae de festo simplici in ea occurrente, sed de eo fieri tantum commem. in missis Dominicae. *Ratione tamen confluentiae* potest in eodem festo simplici cantari missa sol. vot. cum *Gloria et Credo,* sine tamen Evangelio et commem. Dominicae, dummodo tamen alia conventualis de Dominica non omittatur, in qua in tali casu non fit commem. festi simpl. Similiter in feriis quadragesimae, quod Missae de festo simplici occurrenti non possunt dici nisi votivae et tunc privatae in gratiam festivitatis currentis erunt cum *Gloria* et commem. feriae, de qua tamen in fine non est legendum Evangelium, sed Evangelium s. Joannis, quod semper est legendum in missis votivis; in feriis praedictis ratione concursus poterit etiam cantari de eodem festo simpl. missa sol., quae similiter erit votiva et in ea ob solemnitatem dici etiam *Credo,* sine tamen Evangelio et commem. feriae, de qua cantanda erit alia missa conventualis sine comm. festi simpl. In missis vero de feria est facienda comm. festi simpl. occurrentis. n. 2542 ad 2 die 13. Junii 1671.

Ad dubium: an qui recitat Officium B. V. M. volens celebrare missam de aliquo Sancto, teneatur dicere *Gloria* etc. et Praefationem B. V. propriam illius diei, an vero Praefationem comm. sine Gloria? S. C. resp.: Dicendum sine *Gloria* etc. et cum Praef. communi. n. 3073 ad 8 die 2. Decb. 1684.

Assisien.

Patriarchalis Ecclesia, in qua corpus S. Francisci Conf. Assisii requiescit, ex Indulto Apostolico Sacratissimi Principis Pii VII. P. M. privilegio gaudet Missae votivae quotidianae de eodem

Sancto, exceptis dumtaxat Solemnitatibus Natalis D. N. J. C. et Paschatis Resurrectionis et Pentecostes. Porro ex hac concessione sequentia excitata sunt Dubia, quae in supplici Libello S. R. C. resolvenda proposita fuerunt:

An diebus Dominicis in praefata Missa votiva Symbolum dici dedeat?

Et Emmi ac Rmmi P. S. eidem C. praepositi ... respondendum censuerunt: *Juxta votum*, videlicet,

„Juxta alias resoluta Negative."

Et ita responderunt. n. 4560 ad 1 die 15. Maii 1819.

NOTA GARD. AD HOC DECRETUM.

Etsi ex Rubricarum praescripto in singulis diebus Dominicis, vel fiat Officium de Dominica, sive de Sanctis, Missa carere Symbolo nunquam debeat: haec tamen regula suas habet limitationes, nec Symbolum admittunt Missae votivae privatae, si quae in die Dominico celebrentur. Equidem si spectetur Rubrica, nequeunt in die Dominico Missae votivae celebrari, nisi solemnes sint, et pro publico Ecclesiae bono, in quibus dicitur *Credo* et etiam *Hymnus Angelicus*, quatenus Missae qualitati conveniant; quod adeo verum est, ut S. R. C., quamvis indulserit Missam Votivam pro Sponso et Sponsa, etiam occurrente Festo ritus dupl., quod non sit I. vel II. cl., excepit tamen dies Dominicos vel alios de praecepto servandos, eo, quia Missa votiva pro Sponso et Sponsa non est pro re gravi pnblicoque Ecclesiae bono, sed privatis adnumeratur. Verumtamen quod dispositione Juris non admittitur, quandoque fit ex privilegio. Ita accidit in Basilica Lauretana, ubi Missae omnes, quae in Sacello Almae Domus celebrantur, quibusdam dumtaxat solemnioribus exceptis diebus, votivae semper sunt de *S. Maria*. Ita etiam in Patriarchali Ecclesia Assisiensi votivam de S. Francisco quotidie celebrari speciali Privilegio concessum est. Ac tandem S. C. Concilii indulget Sacerdotibus visus tenuitate laborantibus, ut, quam memoriter tenent vel sine multa dificultate legere possunt, Missam Votivam B. M. V., etiam in diebus Dominicis ac solemnioribus festivitatibus valeant celebrare. Hujusmodi autem Missae votivae, quae ex Apostolico indulto leguntur in diebus Dominicis, nequeunt habere *Symbolum*. Possem id comprobare auctoritate Scriptorum de re liturgica, ac praesertim *Merati ad Gavantum part. 1. tit. 4. sect. IX. n. 46. et Guyeti in Hortologio lib. 4. cap. 21. n. 13.* Sed quid juvat privatas Auctorum sententias perquirere et afferre, dum S. R. C. Decreta omnes dirimunt controversias? Quoad Almam Domum Lauretanam ad Dubium: *Quando celebrantur Missae Votivae de B. V. in praenarratis festivis diebus* (videlicet in Dominicis nec non in festis Apostolorum, ac aliis duplicibus) *ac etiam infra Octavas, an ratione praedictarum Festivitatum in eis* Credo *recitari debeat?* sub die 23. Jan. 1674 resp. fuit: *Negative nisi in illis missis vot. tantum, quae sol. pro re gravi et publica Ecclesiae causa celebrentur;* et quoad Sacerdotes caecutientes ad quaesitum: *an semper (Sacerdos ex Indulto celebrans missam B. V. M.) in dominicis dicere debeat Credo?* sub die 12. Nov. 1806 declaratum fuit: *etiam in Dominicis omittendum Symbolum:* Si rationem quaeras, cur omittendum sit, facile est eam reperire: quia nempe hujusmodi Missae votivae ex indulto celebrandae nihil habere debent commune cum Missa et Officio Dominicae. Eademque de causa non dicitur Symbolum in *Missa Lytaniarum majorum*, etiamsi Festum *S. Marci* occurrat in *Dominica in Albis.* Rogata namque S. R. C. in Mutinen. die 25. Sept. 1688: *an in Missa Rogationum in Festo*

S. Marci incidente in Dominicam in Albis dicendum esset Credo? respondit: *Negative*, rationemque addidit, scilicet: *Non est dicendum* Credo, *quia est Missa Ferialis*, et confirmatum idipsum fuit *die 25. Sept. 1706.* Nam, occasione impressionis novi Missalis, inter alia petitum fuit: utrum in *Rubrica tit. 11. de Symbolo addendum sit: illud dici non debere in Missa de Rogationibus in die S. Marci, quando Festum cadit in Dominica?* Cui quaesito respondens S. C. jussit:

Imprimatur in principio Missalis cum aliis Decretis illud emanatum sub die 25. Sept. 1688 in una Mutinen. Si igitur in Missa Rogationum dici nequit Symbolum, quia Missa Ferialis est, ita etiam omittendum erit in Missa Votiva privata, quae, licet vigore Privilegii legatur in Dominica, non desinit esse Votiva. Jure igitur S. C. proposito dubio respondit: *juxta alias resoluta: negative.*

IV. Per festivitatem alicuj. Sancti.

Cum, sicut dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales monasterii monialium sancti Jacobi apostoli oppidi Matreti Toletanae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae festum ejusdem sancti Jacobi apostoli, ab ipsius festo die ad diem tertiam Augusti continuare consueverint; quo autem ejusdem sancti cultus et Christifidelium devotio erga eum audageatur, unam missam solemnem de eodem Sancto quolibet ex diebus hujusmodi in propria celebrari facere posse summopere cupiant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur:

Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati: modernis et pro temporibus existentibus priorissae et monialibus monasterii praedicti, ut in posterum in propria ecclesia singulis diebus, quibus in ea festum praedicti sancti Jacobi apostoli continuatur, ut praefertur, nempe a die vicesima quinta Julii ad diem tertiam Augusti, unam missam solemnem tantum de eodem Sancto, licet occurrat officium ritus duplicis, non omissa tamen missa conventuali, quae et reliquae omnes debeant celebrari de sancto occurrente, celebrari facere libere et licite possint ac valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 6. Decb. 1791.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 96.)

V. De Sanctis in martyrol. non expressis.

Vd.: *Reliquiae insignes* (missa).

VI. Mutatio.

Pro missa *votiva* s. Casimiri, si habeatur propria, mutanda sunt verba „natalitia vel festivitatis in aliis congruentibus votivae, scilicet: commemoratio aut memoria.“ n. 4237 ad 5 die 22. Decb. 1753.

VII. Obligatio.

Vd.: *Missa de Req. privata* (oblig. decr. n. 4897).

VIII. Plures in una die.

In diebus semid. juxta alias decreta non possunt cum cantu celebrari duae missae votivae de eodem Sancto. n. 5103 ad 18 die 11. Sept. 1847.

Cf.: *Missa festi translat.*

s) Solemnis.

I. In Cathedrali.

Vd.: *Bened. Monial.* (Missa.)

II. Gloria, Credo.

Vd.: *Credo; Gloria; Missa vot. pro re gravi.*

Hymnus angelicus Symbolumque non dicuntur in votiva solemni, in qua param. violacea adhibentur. Die 13. Feb. 1666.

Ad dubium I.: An in missa vot., quae celebratur ob particul. devotionem alicujus privatae personae et canitur cum altaris apparatu et magna musicorum conventu, dici debent Gloria et Credo?

II. An in missa festiva, quae ex rubrica solum habet Gloria, si canitur, prout supra, debeat dici Symbolum?

S. C. resp.: Negative, nisi sit pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa juxta rubricas missalis rom. Die 2. Sept. 1690.

III. Hora.

Vicen.

Ex laudabili consuetudine duorum Saeculorum metam excedente mos obtinuerat in Cathedrali Vicen. Missam solemnem cum cantu de SSmo Sacramento singulis mensibus Dominica tertia celebrandi ante Processionem ejusdem juxta privilegium Confraternitatis ibi erectae sub hac appellatione, quum de anno 1804 in rerum omnium subversione nonnullis novitatum studiosis visum est temere morem antiquissimum perturbare Missamque hanc, durante cantu Horarum Tertiae et Sextae, celebrare, alteramque dein cantare de Festo vel de tempore, quin per conditionem temporum miserrimam liceret Capitulo et Canonicis adversus novitatem hujusmodi suas producere querelas. Rebus tandem, favente Deo, compositis Sacerdos Joseph Sendil Caeremoniarum Magister Ecclesiae recensitae nomine Capituli et Canonicorum Sacrorum Rituum Congregationem supplex adiit pro immemorabilis consuetudinis reintegratione.

Et Sacra eadem Congregatio, actionis unitati intendens et laudabilibus servandis consuetudinibus Ecclesiarum, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Naro Ponentis, sub die 25. Martii 1825 in Ordinario Eminentissimorum et Reverendissimorum PP. Coetu censuit rescribendum: „Pro gratia juxta modum ab Emo Ponente declarandum: *Est autem modus,* quod post Tertiam celebretur Missa Conventualis de die; absoluta autem Nona, altera cantetur Votiva de SSmo Sacramento, nisi occurrat Dominica vel Festum primae classis: quo casu in Missa Conventuali de die fieri poterit Commemoratio SSmi Sacramenti."

Facta autem de praemissis omnibus et singulis SSmo Domino Leoni XII. Pontifici Maximo relatione per Secretarium infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Eadem Sanctitas Sua Sacrae Congregationis rescriptum approbavit et confirmavit atque ita in posterum in Cathedrali Vicen. servari mandavit.

N. 4617 die 8. dicti Mensis et Anni 1825.

Nota Al. Gardellini ad hoc Decret.:

Duo sunt, quae notanda occurrunt ad hujus Decreti illustrationem. Primum versatur circa abusum celebrandi Missam Conventualem simul ac in Choro aliqua ex Horis canonicis cum cantu persolvitur. Id fieri solet in Cathedrali Ecclesia Vicensi, in qua, ut in facti expositione legitur, singulis tertiis Dominicis cujuslibet mensis usque ab anno 1584 Missam votivam solemnem de SSmo Sacramento celebrari consuevit *post Missam conventualem celebratam, durante cantu Horarum canonicarum Tertiae et Sextae.* Alterum vero, quod in proposita instantia quae-

rebatur, erat circa tempus canendi Missam solemnem de Sacramento, cui Processio succedit.

Ad primum quod attinet, abusum dixi et merito quidem morem illum Vicensis Ecclesiae celebrandi Conventualem Missam, dum persolvuntur Horae canonicae. Actiones enim sunt, quae succesivae esse debent, nec licet easdem ita simul componere, ut, quae diversae sunt et certo quodam ordine peragi debent, quodammodo compenetrentur. Ne iterum repetam, quae jam alias hac de re notata habentur ad Decretum in *una Nullius Provinciae Compostellanae ad Dubium V.*, videri possunt rationum momenta, quae ibi adducta sunt.

Ad alterum ut progrediar, cum Missa solemnis votiva de SSmo Sacramento nullam habeat relationem ad Officium et Missam de Dominica aut de Festo occurrente, nonnisi post Nonam canenda est. Ita disponit Rubrica *part. 1. tit. de hora celebrandi Missam n. 5.* ubi legitur: *Missae votivae, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re gravi vel publica Ecclesiae causa cum populi frequentia, dicantur pot Nonam.* Ibi Gavantus: *Duplicem habes causam; discordantiam ab Officio et frequentiam populi; qui dum tardiori Missae interest, quasi suo jejunio Orationi publicae vires addit.* Perperam igitur anno 1804 vel 1806 antiquus mos (nescio quorum consilio) perturbatus fuit et ordo confusus: nam Missa votiva solemnis de SSmo Sacramento cantari coepit, dum simul in Choro persolvebatur cantus horarum Tertiae et Sextae: deinde vero succedebat Conventualis de Domenica aut Festo occurrente cum Processione. Oh quot in hisce innovationibus reprobandi damnandique abusus praescriptus ordo pervertitur; incongruus locus datur Missae votivae solemni; eodem tempore simul persolvuntur Horae canonicae, quae praemitti debent Missae Conventuali postmodum canendae de Dominica aut Festo occurrente, quae proinde celebratur non post Tertiam, ut Rubrica jubet, sed post Sextam. Erat igitur debitus revocandus ordo; quamobrem S. R. C. nedum antiquum laudabilem morem arbitrarie inversum restituit, verum etiam praefatos abusus removit, mandans, ut post Tertiam celebretur Missa conventualis de die, absolutis vero reliquis horis Sexta et Nona, altera solemnis cantetur votiva de SSmo Sacramento. Cum vero ritus diei sit primae classis, qui impedit Missae votivae celebrationem, quae Expositionem et Processionem cum SSmo Sacramento non impedit, eadem conventualis Missa celebrari posse post Nonam videtur, ut Processio Missam immediate sequatur.

IV. Infra expos. SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIII. 1. etc.

V. Infra octav. Nativit. Dom.

Vd.: *Praefatio in missis vot.* (decr. n. 3754.)

VI. Orationes.

Vd.: *Orationes* (in missis sol.).

Difficultas locum habet, quando celebrari conceditur aut unica missa cantata aut etiam omnes missae alicujus festi, de quo in hoc die non fit Officium. His in casibus conceditur missa cantata vel ut *in die festo* vel *vot. sol.*, quandoque instar *votivae pro re gravi;* et additur aliquando, ut non omittatur missa conv., simulque, ut fiat com. dominicae aut festi occurr. Porro missa conv. non canitur in omnibus ecclesiis; quoad vero commemorationes certe haec debent fieri in omni missa privata etsi votiva; sed de missa cantata oritur dubium: quippe

cum Rubrica in missa vot. cantata unicam praescribat orationem, et absque ullo dubio, altera oratio omittitur, si celebrata fuerit conv. *de die.* Verum in iis Ecclesiis, in quibus non dicitur conv. *de die*, etsi rubrica de hoc casu taceat, videtur recta opinio Merati et aliorum, qui docent faciendas esse commemorationes.

Unde in illis Ecclesiis, in quibus non tenentur ad missam conv., addendum foret: *Non omissa conv. de die, ac commemorationibus officii de die aliisque occurrentibus, in miss. priv. tant. juxta rubr.*

Si vero agatur de Ecclesia, quae non obligatur ad conv. cantandam, poterit sic dici: *Cum commemorationibus officii de die aliisque occurrentibus, juxta rubricas, in missis priv., atque etiam in missa cum cantu, si celebrata non fuerit conv. de die.*

S. C. mandavit servari exposita in suprascripto supplici libello a Secretario distributo.

Die 18. Febr. 1794.

Coppola, Secr.

t) De Spiritu s.

I. Dies.

Cf.: *Missa vot. pro re gravi* (dies; decr. n. 4361; 5183); *Missae tres novi Presbyteri Bened. Monial.* (missa); *Orationes* (in miss. sol.).

Episcopus non potest missam vot. celebrare de Sp. s. vel aliam pro eligenda Abbatissa Conventus suae Jurisdictionis, licet ipsa dies sit dupl. vel dominica. n. 3786 ad 6 die 28. Apr. 1708.

Durante Concilio (Synodo) decens est, ut singulis quintis feriis in Ecclesia Cathedr. cantetur Missa sol. de Spir. s., ut in Conc. Trid. sess. 2. sancitum fuit. *Caer. Ep.* l. I. c. XXXI. n. 17.

Cantabitur missa (in die inchoat. Concilii) de s. Spir. solemniter per Archiep., qui in ea utitur pallium; vel eo impedito ab antiquiore ejusdem Provinciae Episcopo, et si festum erit dupl. vel Dominica, sine commem. illorum et sine Evangelio Dominicae in fine. *Ibid.* n. 13.

II. Oratio.

Vd.: *Bened. Monial.* (Missa); *Orationes* (in miss. sol.).

„In missis vot. de Sp. s. 2. or. debet esse illa, de qua factum est Officium, 3. *A cunctis* et non *Concede*, ut aliqui putant, vel alia, quae in missa conv. esset secunda. Quod si addenda sit quinta, servetur rubr. de orationibus in simplicibus."

Sic C. S. declaravit in regulis (quae sunt generales) ad Missale Fratr. Minor. subjectis. n. 2362 ad 4 die 13. Febr. 1666.

u) Pro Sponsis.

I. Conclusio.

Commemoratio missae pro Sponsis dicenda in missis de dupl. 1. et 2. cl. dici non debet sub unica conclusione cum oratione festi, sed sub altera conclusione. n. 4587 ad 6 die 20. Apr. 1722.

Ad dubium: an talis Commemoratio (pro Sponsis) pariter dici debeat vel sub altera conclusione, prout solet de aliis commemorationibus occurrentibus in diebus Dominicis et festis de praecepto? S. C. resp.: *Ut in antecedenti. Ibid. ad 7.*

Ad dubium: Quo loco, quando aliae occurrunt commemorationes, ut in proximo quaesito, commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda sit sub secunda conclusione, an scilicet ultimo loco?

Et S. R. C. ... respondendum censuit ut infra, videlicet:

„Faciendam primo loco post alias de praecepto.“

Atque ita respondit die 20. Aprilis 1822. n. 4587 ad 8.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Dubium hoc declaratione non indiget. Si commemoratio Missae de Dominica, in qua Festum occurrit dupl. 1. vel 2. cl., non conjungitur cum Oratione Festi, sed legitur separatim secundo loco, quaenam erit potior ratio, ut sub unica conclusione legi illa debeat pro sponso et sponsa simplex commemoratio? Si Missa Nuptiarum privata est, nullamque habet solemnitatem, haud dici potest in diebus vetitis locum cedere Missae diei, ut est de Missa solemni pro Oratione Quadraginta Horarum, quae dicenda foret de SSmo Sacramento, quaeque Pontificis jussu Missae diei conjungitur, dum ob occursum solemniorum duplicium nequit celebrari? Imo, si occurrant plures commemorationes, uti accidit potissimum, dum celebranda est Missa de Dominica, illa Nuptiarum primum dumtaxat locum obtinere poterit post alias a rubrica praeceptas et sic reliquas praestare, si quae sint a Superiore imperatae.

II. Commemoratio, Dies, Missa.

Vd.: *Nuptiae; Matrimon.;* Missale (Correctio, decr. XVII. et F. n. 48.).

In die, quo ocurrit Officium alicujus Sancti dupl. non de praecepto, dici posse juxta rubricas missam de sponso et sponsa. n. 2327 die 20. Junii 1665.

In celebratione nuptiarum, quae fit extra diem dominicum vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrat dupl. 1. vel 2. cl., etiamsi fiat Officium et missa de festo dupl. per annum sive majori sive minori, dicendam esse missam pro Sponsis; in diebus vero dominicis aliisque diebus festis de praecepto ac dupl. 1. et 2. cl. dicendam esse missam de festo cum commemoratione missae pro Sponsis. n. 4415 die 20. Dec. 1783. *(Decret. gen.)*

In quodam Rituali Dioecesano legitur haec rubrica: dicit Missam de nuptiis, ut habetur in Missali Romano, nisi eo die fuerit Officium duplex ex solemnioribus, hoc est primae aut secundae class., quia tunc Missa dicitur de Festo cum commemoratione Nuptiarum, additis Orationibus: *Propitiari* et: *Deus, qui potestate* cum caeteris ad nuptias pertinentibus. In Missa pro Sponso et Sponsa, quamquam votiva sit, dici debet: *Gloria in excelsis Deo*, sed non dicitur *Credo**) et in ea diciter una tantum Oratio, nisi sit Dominica, quia tunc fit commemoratio de ea. Dubium ergo est: an haec Ritualis dispositio quoad dies, in quibus dici potest, corrigi debeat juxta Rubricas Missalis Romani et juxta Decretum generale S. R. C. 20. Decembris 1783 confirmatum atque praeceptum ubique servari a SSmo D. Pio VI. die 7. Januarii 1784.

S. eadem R. C. respondit:

„Servetur Rubrica Missalis et recens Decretum a S. R. C. die 20. Decbr. 1783 emanatum et a S. M. Pio VI. confirmatum.“

Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 4491 ad 10 die 12. Martii 1801.

Cum nunnulla excitata fuerint dubia circa rubricam in hac celebranda missa servandam et parochorum sensus sit varius, quippe quia aliqui eidem missae *hymnum angel.* adjiciendum censent, cum *Ite missa* etc., alii vero etiam *Credo* legendum putant, ea freti ratione, quod haec missa sol. et pro re gravi haberi debeat, — S. C. declaravit atque decrevit, quod firma rema-

---

*) Cf.: *Missa vot. de Sancto* (gl., cr. decr. n. 4560 nota.).

nente dispositione praefati decreti de 20. Decb. 1783 (vd.: supra n. 4415) quoad designationem dierum, in quibus missa vot. pro Sponsis celebrari potest, eamdem esse votivam *privatam* proindeque semper legendam *sine gloria et credo*, cum tribus orationibus, prima videlicet ejusdem missae votivae propria, ut habetur in fine missalis, 2. et 3. diei currentis ut in rubr. titul. VII. n. 3. de Commemorat., *Benedic. Dom.* in fine et *ultimo Evangelio s. Joannis*. n. 4544 die (3. Mart.) 28. Feb. 1818.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Missa pro Sponso et Sponsa, dum hanc celebrari licet, Votivis adnumerari certum est. Ad harum quippe classem refertur in Missarum Codice: quamobrem ritus servandi sunt a Rubricis pro Votivarum celebratione praescripti, etiamsi legatur vel ex declaratione Rubricae vel ex speciali indulto in diebus quoque ritus dup. per annum maj. vel min., servata forma *Decreti generalis 20. Dec. 1783*, quia ritus Officii diei non mutat naturam Missae votivae, quae ab illo omnino differt. Mirum hinc est, quod non omnes aeque Parochi, hanc celebrantes Missam, unum eumdemque ritum tenere consueverint. Aliqui sunt, qui *hymnum Angelicum* addi debere arbitrantur, alii vero eo usque deveniunt, ut etiam *Symbolum* vel semper addendum asserant, rati quod praefata Missa censenda sit pro re gravi, vel si juxta Rubricas in Missa Officio diei respondente legendum foret, quasi Missa votiva, quid commune haberet cum Officio occurrente. Haec opinionum divisio praesenti Decreto causam dedit. Certum porro est Nuptiarum Missam non esse pro re gravi, quae publicum Ecclesiae aut Communitatis bonum utilitatemque respiciat, non cum cantu celebrari, non ullam habere extrinsecam solemnitatem, quae conditiones sunt, quibus concurrentibus vel *Gloria* vel *Credo* vel utrumque addi debent, prout diversa Missae qualitas exigit, sed est Missa privata sine cantu, sine solemnitate et pro uno privatorum hominum nubentium bono. Pluribus possem id demonstrare sed in re satis clara frustra tempus tererem. Una sufficiat *Rubrica*. Nedum in Missali votivis adnumeratur Missa pro Sponso et Sponsa: idciro obtinet generalis regula: *In ipsis non dicitur Gloria in excelsis*, *nec Credo*, *nisi pro publica Ecclesiae causa.* Verum etiam in ea singula, quae servanda sunt, speciatim distincteque notantur; praesertim vero in fine haec habentur: *Dicto* Benedicamus Domino, *vel si Missa illius diei conveniat,* Ite Missa est (videlicet, si juxta rubricas et praefatum Decretum celebrata sit Missa de Dominica aut Festo occurrente) *Sacerdos antequam Populo benedicat, conversus ad Sponsum et Sponsam dicat etc.* Igitur si in hac Missa (dum Votiva dicitur, non autem de Dominica aut Festo occurrente) omittitur *Ite Missa est* et ex rubricae praescripto dici debeat *Benedicamus Domino*, palam fit, nec *hymnum Angelicum* in ea sibi locum posse vindicare. Quoad *Symbolum*, praeterquamquod nulla ratio sit, cur in Missa votiva lecta sine solemnitate et ad publicum Ecclesiae vel Communitatis bonum utilitatemque non ordinata dici possit, illud sufficit, quod, quando recitandum est, speciatim in Missali notatur; sed id certe non legitur in Missa pro Sponso et Sponsa. Addam recentissimum Decretum ab hac S. C. editum *die 13. Martii 1804*.

Director Calendarii Clericorum Regularium Minorum Villae Matriten. quaerebat: Num sequendus esset Ordo cujusdam Calendarii Dioecesani jubentis in Missa votiva pro Sponso et Sponsa *hymnum Angelicum et unicam*

Orationem etc.? et responsum fuit: *Servetur Rubrica Missalis et recens Decretum a S. R. C. die 20. Decb. 1783 emanatum et a S. M. Pio VI. confirmatum.* Atque ex Rubricarum lege *hymnus Angelicus* Missis votivis lectis addi non debet, nec dimittendus Populus cum v.: *Ite, Missa est,* cujus loco Sacerdos ad Altare conversus dicit: *Benedicamus Domino;* plane consequitur S. C. respondendo: *Servetur Rubrica Missalis:* ne *hymnus Angelicus* legatur in votiva Nuptiarum Missa clare decrevisse, addendo vero: in reliquis servandam esse formam *Decreti generalis anni 1783,* declarasse, eamdem Missam legi posse in duplicibus per annum, sive maj., sive min., sed per hujusmodi declarationem, aut, si vis, privilegium, non mutatur natura Missae votivae privatae, quae proinde exigenda est ad Rubricarum praescriptum, quemadmodum jubet prima pars responsionis: *Servetur Rubrica Missalis.*

In hac autem Missa votiva praeter Orationem propriam ejusdem Missae facienda est commemoratio de eo, de quo factum est Officium cum tertia Oratione ad formam Rubricarum. Praefatio vero de Missa diei, si habeatur propria, sin minus, communis, ultimum Evangelium semper S. Joannis. Vide Guyetum in Hortologio *lib. 4. cap. 21. quaest. 12. et 14.*

Quotiescunque occurrit Officium dupl. per annum, non potest dici missa pro Sponsis; est enim missa votiva, quae prohibetur in diebus dupl. a rub. gen. miss. n. 4., sed debet celebrari missa conformis Officio cum com. pro Sponsis et si mulier est vidua non solum debet omitti benedictio Nuptiarum sed etiam missa pro Sponsis. n. 4299 ad 3 et 4 die 3. Mart. 1761.

Cum per Decretum Generale S. hujus C. die 20. Dec. 1783 dies designentur, quibus Missa pro sponso et sponsa etiam diebus excludentibus duplicia per annum, ideoque etiam infra Octavam Epiphaniae, in Vigilia Pentecosten et infra Octavam privilegiatam SSmmi Corporis Christi: alii vero putant his etiam diebus eamdem Missam vetitam; idcirco idem Parochus petiit declarari:

An hujusmodi Missa dici possit diebus duplicia excludentibus, ut supra notatis?

Et S. R. C.... respondendum censuit ut infra, videlicet:

„Negative quoad Octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecosten et Octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar Octavae Epiphaniae."

Atque ita respondit die 20. Aprilis 1822. n. 4587 ad 5.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Binis Decretis Generalibus S. hujus C. certae datae sunt regulae quoad Missam celebrandam pro sponso et sponsa. In primo vel declaratum vel indultum sancitumque est: *In celebratione nuptiarum, quae fit extra diem Dominicum vel alium diem Festum de praecepto, seu in quo occurrat dupl. 1. vel 2. cl., etiamsi fiat Officium et Missa de Festo dupl. per annum, sive majori sive minori, dicendam esse Missam pro sponso et sponsa in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignatam, in diebus vero Dominicis aliisque diebus Festis de praecepto ac duplicibus 1. et 2. cl., dicendam esse Missam de Festo cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa:* Ita die *20. Decb. 1783,* in altero vero *diei 3. Mart. 1818 declaratum fuit: Missam pro sponso et sponsa* (dum servata forma primi Decreti celebrari licet) *esse votivam privatam, proindeque semper legendam esse sine hymno angelico et Symbolo, cum tribus Orationibus, 1. videlicet ejusdem Missae votivae propriae,*

ut habetur in fine Missalis, 2. et 3. diei currentis, ut in Rubrica tit. 7. num. 3. de commemorat., Benedicamus Domino *in fine et ultimo Evangelio S. Joannis.* Hisce Decretis compositae quaestiones omnes videbantur: secus tamen accidit; nam nova excitata sunt dubia. Quippe nonnulli sunt, qui opinantur Missam hanc dici posse etiam diebus, qui excludunt duplicia per annum, praesertim vero infra Octavam Epiphaniae, in vigilia Pentecosten et infra Octavam privilegiatam SS. Corporis Christi. In hac autem opinione versantur, quia in primo illo Decreto dies isti expressim et nominatim non excipiuntur. Ast hi errant quammaxime. Non enim declaratione indigebat id, quod sub generali prohibitione, utpote a Rubricis jam vetitum continebatur. Jubet Decretum, ne Missa nuptiarum celebretur in duplicibus 1. vel 2. cl., sed vult, ut in hujusmodi occursu solam obtineat commemorationem: ergo includit in regula etiam dies, in quibus per easdem Rubricas fieri nequit Festum dupl. 2. cl., vel occurrens vel translatum. Si in Octava Epiphaniae duplicia isthaec non admittuntur, potiori jure nec Missa votiva privata, non obstante Indultu, admitti poterit, utpote quae in occursu hujusmodi duplicium celebranda non est. Octavae namque eo modo privilegiatae, etsi quoad ritum, semiduplicem tantum obtineant, quoad exclusionem tamen occurrentium quorumcumque dupl. (si excipiatur occurrens 1. cl. in Octava Epiphaniae), qualitatem nihilominus habent aequalis vel superioris ritus. Quamobrem Indultum celebrandi Missam privatam nuptiarum in dupl. maj. aut min. per annum non festivis extendi nullo modo potest ad infra Octavam Epiphaniae et Vigiliam Pentecosten. Quoad Octavam vero privilegiatam SSmi Corporis Christi discrimine est opus. Vel enim indultum est, ut haec Octava, ad instar illius Epiphaniae, omnia rejiciat Festa dupl., praeter illa 1. cl. occurrentia, et in hoc casu ob paritatem rationis respuere etiam debet votivam nuptiarum, quae ex indulgentia permittitur in solis dupl., quae festiva non sint, vel dupl. 1. vel 2. cl. Quodsi privilegium sistit in exclusione dumtaxat duplicium, quae non sint 1. vel 2. cl. occurr. vel transl., neque hoc in casu impedimentum ponit, quominus Missa Nuptiarum queat celebrari. Eoque magis poterit, si Octava Corporis Christi nullo ex duobus hisce modis privilegiata sit. Nam etsi vigore Decreti S. R. C., Pontificis auctoritate roborati, infra Octavam SSmi Corporis Christi Missae votivae quaecumque vel pro defunctis celebrandae non sint (vide Decretum generale diei 24. Junii 1670), excipienda tamen est illa Nuptiarum, vigore specialis Indulti, quo sicuti permissum est, ut celebrari possit in duplicibus per annum non festivis etiam rit. maj., in quibus ex Rubricis prohibentur Missae votivae privatae, ita etiam poterit in diebus infra Octavam Corporis Christi, qui admittunt quaecumque dupl. occurrentia. Sed quaelibet cessat dubitandi ratio, postquam S. R. C. proposito dubio respondit: *Negative quoad Octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecostes et Octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit instar Octavae Epiphaniae.*

Ad dubium: 1. Quando Nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, debetne fieri commemoratio Missae pro Sponso et Sponsa per Collectam, Secretam et Postcommunionem?

2. Licetne recitare supra Sponsos preces seu Orationes in Missali positas post Orationem Dominicam et *Ite Missa est?*

3. Quando praedictae Orationes non sunt recitatae in Missa Nuptiarum, debentne recitari extra Missam elapso tempore prohibito?

Emi et Rmi P. Sacris tuendis Ritibus praepositi ... respondendum censuerunt: „Serventur Rubricae Missalis ac Generalia memorata Decreta, quibus edicitur, ut, quoniam temporibus ab Ecclesia vetitis locum habere nequit solemnis benedictio Nuptiarum, ita pariter inhibetur commemoratio pro Sponso et Sponsa in Missa occurrente, neque Orationes resumendae extra Missam tempore prohibito jam elapso.“

Atque ita rescripserunt, declararunt ac servandum omnino mandarunt die 31. Aug. 1839 n. 4868.

Dum in suo generali Decreto pridie Cal. Mart. anno 1818. S. R. C. edixit, ut Missae votivae privatae pro Sponso et Sponsa legantur sine *Gloria* et *Credo*, cum tribus Orationibus, *Benedicamus Domino* et Evangelio S. Joannis in fine: Rmus Eysteten Episc. S. eidem C. exposuit, in Bavaria et praesertim in Paroeciis Pagorum hujusmodi Missas plerumque celebrari cum cantu, quamvis unicus sit Sacerdos, quas quidem Missas cum cantu in praesentiarum prohibere difficile admodum arbitratur. Quibus positis sequens exhibuit Dubium, nimirum: An Missae pro Sponso et Sponsa, quando celebratur cum cantu, addi queat Hymnus Angelicus cum Symbolo Nicaeno? Et S. ipsa C. in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata, re mature perpensa, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: „Negative ad Dubium; in Paroeciis vero, ubi unus tantum Sacerdos, Dominicis Festisque diebus Missae occurrenti addatur commemoratio pro Sponso et Sponsa in casu.“

Atque ita servari mandavit, n. 4869 die 31. Aug. 1839.

Ad dubium: An in Missa pro Sponso et Sponsa dicenda *diebus Rogationum* earumdem commemoratio facienda sit?

Et Sacra eadem Congregatio sub infrascripta die ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit:

„Affirmative juxta generalia Decreta die 20. Decembris 1783 et 3. Martii 1818.“

Atque ita declaravit die 28. Julii 1832. n. 4691 ad 4.

1. Sacerdotem non teneri missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat;

2. hanc missam post contractum coram parocho matrimonium de ejus licentia posse ab alio sacerdote celebrari;

3. in eadem missa plures posse sponsos benedici. S. C. Inq. 1. Sept 1841.

In die Commem. Omn. fid. def. legi potest missa pro Sponisis, non vero alia votiva.

S. C. R. 7. Sept. 1850.

Non licet sponsos benedicere in Missa pro def., sed potius transf. est benedictio in aliam diem. S. C. Inqu. 1. Sept. 1841.

v) Substituine potest alia missa pro votiva?

Vd.: *Missa vot.* (cantata.)

Ad dubium: Si prohibentur, an debeant pro votivis substitui missae de festo? An hae in cantu? S. C. resp.: Affirmative. S. R. C. Die 22. Dech. 1753 ad 7 n. 4237.

w) Vetita.

Vd.: *Missa prohibita; Missa de req.* priv. in dupl. (decr. *Romana.*)

89) „Vultum tuum."

Ad dubium: an post Septuages. in missa pro virgine *Vultum tuum* dicto ℣. post Graduale repeti nihilominus debeat in Tractu vel prosequi: Quia concupivit? S. C. resp.: In casu proposito ℣. *Audi filia* non esse repetendum. n. 4526 ad 24 die 7. Sept. 1816.

Mechlinien.

Modernus Typographus Archiepiscopatus Mechlinien., quum praevio Emi D. Card. Archiep. permissu aggrediatur novam Missalis Rom. editionem, volensque ut in illa nihil occurrat, quod aliquo modo S. R. C. Decretis adversetur, eidem humillime supplicavit declarari: utrum juxta Decretum in Tuden. die 7. Sept. 1816 ad Dubium 14. in Missa de Communi Virg., cujus Introitus: *Vultum tuum:* ejusque in Tractu quando dicitur post Septuag. ad Pascha integer v. *Audi filia:* sit omittendus, utpote jam recitatus in Graduali, an incipiendus a seq. verbis: *Quia concupivit:* in eodem non dictis. Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata ad relationem subscripti Secretarii, omnibus rite matureque examinatis rescribendum censuit: „Juxta recensitum Decretum v. in casu esse omittendum."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4936 die 11. Sept. 1841.

Vd.: **Missale** (Correctio, E. n. 46.).

MISSALE ROMANUM.

1) Aperitio.

In missis privat. permitti non potest Ministro aperire Missale et invenire missam. n. 4526 ad 11 die 7. Sept. 1816. *Instr. Cl.* §. XXX. n. 25, 26.

2) Approbatio.

Vd.: *Libri ecclesiast.; Officium Roman.* et:

Pii PP. Quinti et Clem. VIII.
Brevia in principio Missalis apposita.

Clericorum Regularium Congregationis Somaschae.

Etsi Gen. Decreto de Anno 1834 IV. Kal. Maji S. R. C. certas statuerit leges quoad Breviaria, Missalia, Officia parva B. M. V., Officia Hebdomadae maj. aliaque hujus generis, quae ab anno praesertim 1788 ac deinceps praelo fuerunt commissa, quin praeseferant Ordinariorum Attestationes, queis declaretur in cusione servatas fuisse regulas in Bullis Summorum Pont. Rom. S. Pii V., Clementis VIII. et Urbani VIII. indictas et in suo roboro plenissime perseverantes, atque insimul commendatum maxime fuerit iisdem Rmis Locorum Ordinariis, ut in posterum pro suo munere invigilarent, ut Bullae ipsae ac subsequentia Decreta omnino servarentur in hujusmodi Librorum cusione, attamen pro parte Rmi P. Procuratoris Gen. Clericorum Reg. Cong. Somaschae duo haec Dubia pro opportuna solutione exhibita fuere eidem S. R. C., nimirum:

1. An liceat uti Breviariis, Missalibus aliisque hujus generis S. Libris, qui non praeseferunt requisitas a Pontificiis Constitutionibus Ordinariorum attestationes, perinde ac si per praescriptionem in contrarium memoratae Constitutiones censeri debeant non amplius in suo robore permanentes?

2. An enunciatis Breviariis, Missalibus aliisque hujus generis Libris licite quis uti possit, si Ordinarii Locorum praevia revisione a se instituta declarent eosdem plene concordare cum aliis Romae cusis et de more revisis et adprobatis?

Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinario Coetu,

audita relatione a subscripto Secretario facta, perpendens in memorato Gen. Decreto utrumque Dubium contemplatum fuisse, quin ipsis directe satisfaceret, rescribendum edixit: „Servetur Gen. Decretum diei 26. Apr. 1834.“ Die 18. Febr. 1843 n. 4957.

Brixien.

Quum Sacerdos Hieronymus Bambosio Brixiensis Civitatis animadvertat, ut plurimum non servari Constitutiones Apostolicas positas in Missalibus et Breviariis, queis injungitur, hujusmodi volumina aliaque Divinam Psalmodiam respicientia typis mandari non posse, quin praeseferant Ordinariorum attestationes, ac indubie constet concordare cum aliis regulariter jam cusis, idque sub Excommunicationis majoris poena, neque saltem exequi, quae per gen. Decretum S. R. C. praescripsit de anno 1834 VI. Kal. Maji, humillimis datis precibus S. eamdem C. enixe rogavit, ut super sequentibus Dubiis suam aperire dignaretur sententiam, nimirum:

1. An hujusmodi Breviariis, Missalibus aliisque Ecclesiasticis Libris, memoratis in Apost. Literis et Decreto anni 1834, debita attestatione destitutis, uti quis possit absque peccati et incurrendae Excommunicationis periculo?

2. An in casu negativo excusari saltem possint ii de Clero, qui hujusmodi libris utuntur ex eo, quod adprobatis conformes illos arbitrantur, vel quia communiter adhibentur quocumque secluso metu?

3. An idem dicendum de Missalibus etiam de Requie, quorum nullum praesefert, quod sciatur, requisitam attestationem?

Et S. eadem C. in Ordinario Coetu ad Quirinale subscripta die coadunata, referente Secretario propositis Dubiis diligenti accuratoque examine perpensis respondendum censuit: „Episcopo Brixiensi, qui ad tramites Decreti editi die 26. Apr. 1834 omnino provideat.“ n. 5066 die 27. Febr. 1847.

Ad dubium: 1. Utrum licita fuerit Annis 1748 et 1749 innovatio Breviarii ac Missalis Cenomanensis a ritu Romano prorsus diversi, amotis prius veteribus ad formam Romanam, correctis Breviario et Missali, sola Episcopi et Capituli Ecclesiae Cenomanensis auctoritate et inconsulta Sede Apostolica, facta aut probata?

2. Quatenus negative: Utrum saltem hujusmodi Liturgiae praescriptionis seu consuetudinis saecularis facta sit legitima, ita ut hodie quilibet Sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare?

3. Quatenus iterum negative: an quilibet Sacerdos Cenomanensis etiam Canonicus aut Parochus statim teneatur in conscientia tum et Horas Canonicas persolvere Missamque celebrare juxta Ritum Romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat, tum et insuper omnibus quibus potest modis Rmo Episcopo supplicare, quatenus et idipsum pro Divino Officio publico opportunis mediis et temporibus promovere dignetur?

4. Etiamsi Ecclesia Cenomanensis sibi de Breviario iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Martyrologium et Rituale Romanum, ita videlicet, ut praeceptivas praedictorum Librorum regulas, tolerante nempe aut permittente aut etiam aliter quippe statuente Rmo Episcopo, Canonici aliive Sacerdotes possint illaesa conscientia infringere aut omittere, sicque Rmi Episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?

Emi et Rmi P. . . . rescribendum censuere:

Ad 1. „Negative."
Ad 2. „Negative."
Ad 3. „Consulat conjunctim utramque Constitutionem S. Pii V. videlicet illam quae incipit *Quod a nobis* *) VII. Idus Julii 1568 et aliam quae incipit *Ex proximo* **). XII. Kalendas Octobris 1571.
Ad 4. „Negative et amplius."
Atque ita declaravit. n. 5165 die 10. Januarii 1852.

Decretum Generale.

Quum ab Anno 1788 ad hanc usque diem Breviaria, Horae-Diurnae, Missalia, Officia-Parva Beatissimae Mariae Virginis, Officia Hebdomadae Majoris, Ritualia aliaque id generis, quae denuo praelo mandantur, non amplius praeseferant Reverendissimorum Ordinariorum Attestationes, queis declaretur haec Exemplaria concordare cum iis, quae Romae sunt impressa, ad tramites Bullarum S. Pii V., Clementis VIII. et Urbani VIII. Summorum Pontificum, quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur, Sacrorum Rituum Congregationi supplicatum fuit declarari: „utrum etiamnum servari deberent recensitae Constitutiones Pontificiae et an transgressores poenas inibi inflictas incurrerent?" Praesertim ex eo, quod in praesentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata Exemplaria prae oculis in cusione habita sint, eo vel magis quod non parum torquerentur conscientiae tum eorum, qui lucrum ex Liturgicorum Librorum venditione percipiunt, tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce Attestationibus muniti propterea que demum concedi, ut sine ulla dubitatione quis horum Librorum usum sibi permitti valeret. Et Sacra eadem Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub die 7. Aprilis anno 1832 coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis accurateque consideratis, rescribendum esse censuit ac declarandum: *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere et abusum non esse tollerandum.* Hujusmodi Declarationi minime acquiescentes, qui primitus supplicarunt et probe quum intelligant contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum, iterum tamen institerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem Librorum, quin inflictas poenas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis in altera Ordinaria Congregatione ad Vaticanum pariter sub die 16. Martii 1833 coacta Eminentissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi satius duxerunt super re judicium differre. Coadunata demum apud Vaticanas aedes juxta morem eadem Sacrorum Rituum Ordinaria Congregatio, in eaque jam tertia audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus accurate libratis, rescribendum ac decernendum censuit: *Detur Generale Decretum juxta mentem.* Mens est, ut Ordinarii Locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur supradicti Liturgici Libri sine Attestatione a Pontificiis Constitutionibus praescripta et quoad illos, qui hujusmodi Attestatione destituuntur et ab anno praesertim 1788 ac deinceps cusi fuere, aliquod Exemplar ex supradictis examini probatae Personae Ecclesiasticae subjiciant, quae illud conferat cum iis, qui in Urbe juxta morem sunt impressi (exceptis tum Breviario anno 1828 typis Contedini, ac Missali anno 1826 praelo De-Romanis cusis, in quibus nonnulla menda irrepserunt), acceptaque fideli relatione Revisoris, quando illud adamussim concordare cum praedictis inveniatur, suo Clero declarent ipsi Or-

---

*) Vd.: *Officium romanum.*
**) Vd.: *Officium* (oblig. recitandi.).

dinarii Breviaria, Missalia etc. illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. Ad praecludendam demum omnem viam dubitationis tradendamque ipsis Ordinariis certam regulam, Typographi Romani deinceps ante impressionem horum librorum teneantur veniam a Sacra Congregatione impetrare illiusque revisioni subjicere et Attestatione ejusdem Secretarii munire. Atque ita declaravit ac servari mandavit.

Die 26. Aprilis 1834 n. 4730.

De approb. Missalis, Breviarii, Martyrologii etc. FFr. Min. s. Franc. de Observ. Vd.: *Constitut. Pii PP. VI.* de die 6. Sept. 1785 (Bull. r. Continuatio t. VII. p. 427.).

3) Correctio.

Vd.: *Missale* (mutatio; approbatio.).

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

25. Sept. 1860.

Missale romanum.

Quum duo Romae nova missalia quamprimum debeant in lucem prodire, alterum ex typographia S. Congregationis de Propaganda Fide, alterum ex typographia Josephi Salviucci, Sacrorum Rituum Congregationis secretarius inhaerens decreto generali super editione librorum liturgicorum diei 26. Aprilis 1834*), sui muneris esse duxit omni vi eniti, ut eadem plene concordent cum archetypis editionibus Clementis VIII. ac Urbani VIII. nec non cum alia ad illas fidelissime exacta typisque S. Congregationis de Propaganda Fide anno 1714 impressa, pro qua adornanda ipsa S. Rituum Congregatio diebus 25. Septembris 1706 et 18. Septembris 1714 duo tulit Urbis et Orbis decreta. Quo vero secretarius praedictus propositam metam attingeret, viris non minus diligentibus quam rubricarum scientia praeditis in partem laboris adscitis, omnia illa, de quibus dubium aliquod exoriri potuit, non modo cum allegatis, sed quoties necesse visum est etiam cum quatuor aliis optimae notae editionibus conferre curavit non multo post Urbanum VIII. cusis, sive Romae anno 1643 a Bernardino Tani et anno 1677 a typographia Reverendae Camerae Apostolicae, sive Venetiis anno 1640 a Petro Ciera et anno 1654 a Francisco Boba. Confugit insuper ad decreta authentica Sacrorum Rituum Congregationis, atque ex iis tutissimam normam desumpsit ad plura, praesertim in rubricis emendanda vel resecanda a typographis in recentioribus Missalis Romani editionibus immutata vel addita. Verum quum in hoc examine nonnulla sibi occurrissent gravioris momenti dubia, eadem discutienda ac dirimenda subjecit Congregationi Sacrorum Rituum particulari a SSmo Domino Nostro Pio Papa IX. hunc in finem delectae. Haec autem quum die 25. Septembris 1860 convenisset in aedes Emi et Rmi Domini Cardinalis Constantini Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis praefecti, singulis mature perpensis, proposita dubia definivit ut sequitur:

Dubium VIII.: In omnibus antiquis editionibus Missalis Romani non exclusis illis Clementis VIII. et Urbani VIII. immediate ante missam Purificationis Beatae Mariae Virginis ita legitur: *Finita processione ... candelae tenentur in manibus accensae, dum legitur evangelium et iterum ad elevationem sacramenti usque ad communionem.* Huic rubricae in recentibus editionibus adjuncta fuerunt haec alia verba ad literam desumpta ex caeremoniali episcoporum lib. 2. cap. 26. n. 19.: *Si vero missa fuerit de dominica, candelae non accenduntur.*

---

*) Vd.: *Missale* (approb. decr. n. 4730.).

Inficiari nequit additamentum istud in se spectatum eam utilitatem praeseferre, ut rubricae uberius declarandae optime inserviat, ipsaque verba, quibus conceptum fuit, quatenus derivata ex Caeremoniali Episcoporum, vim legis habere. Nihilominus quum eadem additio nova sit et privato tantum arbitrio facta, quaeritur: utrum eadem conservari, an potius supprimi debeat?

Ad VIII.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam).*

Dubium XII. Post decretum Urbis et Orbis diei 10. Septembris 1847 nullum potest esse dubium, quin missa Patrocinii S. Josephi Confessoris Sponsi Beatae Mariae Virginis apponenda sit in corpore Missalis Romani. Sed quum missa haec ordinata sit pro tempore paschali, quaeritur: *Quomodo sit ordinanda missa Patrocinii S. Josephi in casu translationis post Pentecosten?*

Ad XII.: Missam Patrocinii Sancti Josephi legi debere post Pentecosten uti ordinata est pro tempore paschali, demptis solummodo Alleluja sumptoque graduali, ex missa diei XIX. Martii cum versiculo proprio: Fac nos innocuam Joseph etc., *et tribus Alleluja dispositis juxta rubricas.*

Dubium XIV. Post missam Sanctorum Apostolorum Simonis et Judae die XXVIII. Octobris recentiores Missalis Romani editiones hanc habent rubricam ignotam editioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide anni 1714 caeterisque antiquioribus: *Si in vigilia omnium Sanctorum occurrerit missa de aliquo festo semiduplici, tunc tertia oratio erit* „A cunctis“ *non vero de Spiritu Sancto.* Consonat certissime haec rubrica cum particulari decreto Sacrorum Rituum Congregationis in una Ordinis Capucinorum diei 21. junii 1710 ad 2. Nihilominus quum eadem desit, juxta dicta in omnibus antiquis editionibus, quaeritur: *An eadem rubrica conservari debeat?*

Ad XIV.: Negative.

Dubium XVII. Ad omnem incertitudinem adimendam circa interpretationem rubricae, quae legitur ante missam pro sponso et sponsa Sacra Rituum Congregatio decreto Urbis et Orbis diei 7. Januarii 1784 approbante Summo Pontifice Pio VI. declaravit: *In celebratione Nuptiarum, quae fit extra diem dominicum vel alium diem festum de praecepto seu in quo occurrat duplex primae vel secundae classis, etiam si fiat officium et missa de festo duplici per annum, sive majori sive minori, dicendam esse missam pro sponso et sponsa in fine missalis post alias votivas specialiter assignatam: in diebus vero Dominicis aliisque diebus festis de praecepto ac duplicibus primae et secundae classis dicendam esse missam de festo cum commemoratione missae pro sponso et sponsa.* Jam vero quum publice expediat, ut decretum istud minime ignoretur a parochis aliisque sacerdotibus ad nuptiarum benedictionem legitime deputatis, quaeritur: *An ex eodem decreto nova rubrica confici possit, quae apponatur in corpore missalis ante missam pro sponso et sponsa?*

Ad XVII.: Affirmative ad formam decreti.

Et quatenus negative: *An saltem decretum ipsum apponi possit initio missalis post rubricas generales?*

Resp.: *Provisum in primo.*

Dubium XVIII. In missa propria *Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis* a Sacra Rituum Congregatione approbata die 21. Julii 1855 ac inserenda in appendice Missalis Romani pro aliquibus locis Secreta ita se habet: *Majestati tuae, Domine, Agnum immaculatum offerentes, quaesumus, ut*

*) Vd.: *Purificat. B. V. M.* (Candelae accend.)

corda nostra ignis ille divinus accendat, qui Cor B. M. Virginis ineffabiliter inflammavit. Inspectis rubricis Secreta concludenda videtur: *Per eundem Dominum* etc. eo, quod initio orationis mentio fiat Filii Dei. Nihilominus quum in missa, quae asservatur in actis Sacrorum Rituum Congregationis, Secretae conclusio sit: *Per Dominum*... quaeritur: Quomodo sit Secreta haec concludenda?

Ad XVIII.: Concludendam esse verbis: *Per eundem Dominum* etc.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum S. Rituum Congregationis secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua superiores responsiones Congregationis particularis a se deputatae ratas habere et approbare dignata est: contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 27. Septembris 1860.

Decreta inserenda post rubricas generales Missalis.

Urbis et Orbis.

SSmus Dominus Noster Pius Papa IX. ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio summatim apponi et imprimi mandavit in principio missalis duo ab eadem S. Congregatione alias edita decreta videlicet:

Quando occurrit dedicatio basilicarum SSmi Salvatoris et Sanctissimorum Apostolorum Petri et Pauli infra octavam dedicationis aliarum ecclesiarum, sumatur pro commemoratione alia oratio de communi: Deus qui invisibiliter. Die 25. Septembris 1706 ad XI.

Orationes pro romanorum imperatore tam in missa Praesanctificatorum feriae VI. in Parasceve quam in fine praeconii *paschalis Sabbato Sancto ob sublatum romanorum imperium non amplius recitentur. Retineantur tamen ut antea in novis missalibus.* Die 25. Septemb. 1860 ad III. Die 14. Mart 1861.

Sequuntur, quae mutanda sunt:

A. In Missis de tempore ante Pascha.

1. *Fer. VI. post Cineres.* Ad Postcomm. delendum est verbum „ejusdem“ in fine juxta decr. S. R. C. 12. Novb. 1831 dub. 49 in *una Marsor.*

2. *Fer. VI. in Parasceve.* In adoratione Crucis nonnulla missalia addunt ad rubricam: „discooperiens brachium dextrum Crucis“ verba haec: „et caput figurae Crucifixi“; quae verba sunt delenda.

3. *Sabbato Sancto.* Additio nonnullorum missalium ad rubricam positam ante „Exultet“ juxta quae Subdiaconus tunicella coloris violacei indutus est, delenda est.

4. *Ibid.* Ad Benedictionem fontis in II. Oratione ante Praefationem: Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnae etc., verbum „ejusdem“ in fine delendum est.

5. Post hanc orationem posita est rubrica: „elevans vocem in modum Praefationis prosequitur“, hic addendum est: junctis manibus (S. R. C. 23. Sept. 1706, ad 11.); tota enim Praefatio „junctis manibus“ cantanda est.

6. In Oratione missae Sabb. s.: Deus, qui hanc sacratissimam noctem etc. verbum „ejusdem“ in fine est delendum.

B. Ordo Missae.

7. *Praefatio de Nativitate.* Loco nunc existentis rubricae ea, quae posita est in editione romana anni 1714, restituenda est: *„Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in Nativitate Domini J. Chr. usque ad Epiphaniam (praeterquam in die Octavae S. Joannis Apostoli) et in Purificatione B. M. et in festo Corporis Christi et per Octavam, nisi in ea occurrat festum,*

quod propriam Praefationem habeat. Item in Transfiguratione Domini et in festo SS. Nominis Jesu." In Praefatione de Nativit. saepius post Communicantes rubrica posita est: „Tenens manus extensas", quae verba sunt delenda.

8. *Praefatio de Cruce.* Finis rubricae hoc modo est mutandus: *assignetur in solemnitatibus SSmae Crucis et pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Chr.*

9. *Praefatio de Trinitate.* In Fine rubricae in initio positae loco: „S. R. C. 3. Januar 1759" legendum est: „Clemens PP. XIII. etc."

10. *Praefatio de B. M. V.* In rubrica verbum „Immaculata" delendum est; item verba: „vel desponsatione." Post verbum „denominationem" punctum est ponendum, deinde perge: In dedicatione S. Mariae ad Nives et in festo ejusdem SS. Nominis etc.

C. Missae de tempore post Pascha.

11. In Dominica Resurr. ad Postcommunionem legendum est: „Dux vitae mortuus, regnat vivus" et non: „Dux vitae, mortuus regnat vivus." In eadem Postcomm. verbum „ejusdem" est delendum.

12. *Sabbato in albis.* Hic et in aliis missis de tempore Paschali in nonnullis editionibus duo prima Alleluja sequentis cantus in eadem linea posita sunt una cum ultimis verbis epistolae."

13. *In Vigilia Ascensionis* rubrica „Vel secunda de B. M., tertia: *Quaesumus Domine*, vel: *haec nos* etc. est vera, erronea vero „In ecclesiis collegiatis, ut supra, secunda erit *de S. M.*, tertia: *Protege nos* vel: *Oblatis*

14. *In Octava Ascensionis.* In fine missae posita est rubrica „Feria VI. post Octavam" etc.; in nonnullis editionibus verba „etiam translatum" irrepserunt.

D. Missae de Sanctis.

15. *Die 9. Decbr.:* Rubrica: „Infra Octavam Concept." ita legenda est: „dicitur secunda oratio de feria, tertia vero, quando non fit commemoratio festi simplicis, dicitur de Spiritu Sancto. Additio: „Si vero" omnino est delenda.

In missis SS. Damasi et Luciae, quae incidunt infra octavam immac. Concept., post evangelium addenda est rubrica: „Credo ratione octavae."

16. *Die 20. Dec.* Vigil. S. Thomae Ap. In rubrica loco verborum: „ut in Communi Sanctorum" ponenda sunt alia: „ut in Vigilia unius Apostoli."

In missa de festo ad Graduale post verbum „collaudatio" punctum est ponendum.

17. *Die 11. Jan.* In missa s. Hygini P. M. rubrica ponenda est: „Tertia Oratio dicitur de S. Maria, *nisi venerit in Dominica.*"

18. *Die 14. Januar.* Ad nomen S. Hilarii E. addendum est: „et Ecclesiae Doctoris."

19. *Die 19. Jan.* In Missa S. Canuti delenda est rubrica: „semiduplex ad libitum." Post rubricam: „Et fit commemoratio SS. Marii etc.", addendum est: „Tertia de S. Maria: *Deus qui salutis* etc., cujus Secreta: *Tua Domine* etc. ex Missa votiva a Purificatione ad Pascha.

20. *Die 2. Febr.* Purific. B. V. M. Rubrica in initio ponenda haec erit: „Si hoc festum venerit ... transfertur in feriam secundam immediate sequentem quocunque festo etiam aequalis non autem altioris ritus in ea incidente. S. R. C. 22. Julii 1748.

21. *Die 20. Mart.* Quadraginta Martyrum. Post rubricam: „Deinde fit commemoratio feriae", addendum est: „Tertia Oratio: *A cunctis.*"

Rubrica ad Secretam et Postcomm. posita delenda est.

22. *Die 17. Mart.* S. Patricii. Cum hoc festum elevatum fuerit ad ritum duplicis, cessat rubrica: „Tertia oratio: *A cunctis.*"

23. *Die 19. Mart.* S. Josephi. Post Graduale legendum est: „Tempore Paschali" loco: „Post Pascha."

24. *Die 25. Mart.* In missa Annuntiationis B. M. V. ad finem ponatur rubrica: „Si festum Annuntiationis B. M. V. venerit in aliqua Dominica privilegiata ante hebdomadem majorem, transferendum erit in feriam secundam immediate sequentem, quocunque festo aequalis non autem altioris ritus in eam incidente. Si autem venerit in hebdomada majori vel Paschalis, transferendum erit pari cum privilegio in feriam secundam post Dominicam in Albis, servato ritu Paschali."

25. *In missa de 7 dolor.* ad finem ponatur rubrica: „Quando festum septem Dolorum B. M. V. celebrari nequeat hac feria, transferendum est in sabbatum immediate sequens, quocumque festo aequalis non autem altioris ritus in eo occurrente. Quod si nec in sequenti Sabbato celebrari possit, omittatur.

In missa, quae legenda est juxta vetus formulare, non juxta illud, quod in recentioribus Missalibus positum est in feria VI. post dom. *Judica,* legendum est *Graduale:* Dolorosa et lacrymabilis es Virgo Maria, stans juxta Crucem Domini Jesu, filii tui redemtoris.

℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, hoc Crucis fert supplicium *auctor* vitae factus homo.

Tractus: Stabat Sancta Maria, coeli Regina et mundi Domina, juxta crucem Domini Nostri Jesu Christi dolorosa.

℣. *Threni 1.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

In missis volivis per annum Graduale: Dolorosa etc. ut supra; ℣. Virgo etc. Alleluja, Alleluja. ℣. Stabat sancta M. . . . dolorosa, Alleluja.

Tempore paschali. Verbum: „*Jo. 19.*" delendum est.

Oratio pro Missa votiva immediate post illam de festo inserenda est.

26. *Die 11. Apr.* S. Leonis Papae et Doctor s. Graduale sumitur ex Communi Doctorum, et post verba „gressus ejus" Tractus etc. ex eodem communi inserendus est, quia hoc festum tam in Quadrag. quam in temp. pasch. incidere potest.

27. *Die 13. Apr.* Rubrica posita in fine missae s. Hermenegildi m. ita mutanda est: „Si autem celebretur extra tempus paschale, Missa dicitur" etc. Verba „tempore vero Quadragesimae" etc. delenda sunt.

28. *Die 24. Apr.* In missa S. Fidelis a Sigm. Secreta et Postcom. ex missa: „In virtute" sumenda est.

29. *Patrocinium S. Josephi* in dom. III. p. Pascha. Haec missa in fine mensis Apr. ponenda est. Post evang. ponatur rubrica: „Dicitur Credo, ratione Dominicae." Ad finem ponenda erit alia rubrica: Si festum Patrocinii S. Josephi transferendum sit post Pentecosten, dicitur eadem Missa, detractis tantummodo Alleluja ab Introitu, Offertorio et Communione ac substituto sequenti Graduali: „Ps 20. Domine praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petiit a te et tribuisti ei; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Alleluja, Alleluja. ℣. Fac nos innocuam, Joseph, decurrere vitam, sitque tuo semper protecta patrocinio. Alleluja."

30. *Die 3. Maii.* Invent. s. Crucis. Rubrica in fine posita ita mutanda est: „Si festum Inventionis transferri contigerit post Pentecosten dicitur eadem Missa, sed Introitus et Communio erunt

sine Alleluja, ut in Missa Exaltationis die XIV. Septembris.

31. *Die 30. Maii.* S. Felicis Papae M. Rubrica hujus missae erit: „Tempore Paschali Missa *Protexisti*. Extra hoc tempus Missa *Statuit* de Communi unius Martyris Pontificis.

32. *Die 1. Julii.* Octava S. Joannis B. Nonnulli citant in hac missa commemorationem SS. Apostolorum legendam uti in missa de Visitatione B. V.; sed cum hoc festum B. V. ad ritum dupl. 2. cl. elevatum sit et consequenter sine commemoratione, ad diem 3. Julii indicandum est.

33. *Die 18. Julii.* S. Camilli de Lellis. Verbum: „ejusdem" in fine orationis delendum est.

34. *Die 24. Julii.* Vigilia S. Jacobi. Ubi missa de vigil. non est posita in proprio loco, verba: „de Vigilia Ap." mutanda sunt in: „ut in Vigilia unius Apostoli." Item de vigilia s. Bartholomaei.

35. *Die 26. Julii.* S. Annae. Conclusio Secretae est: „Per eundem", non: „Qui tecum."

36. *Die 15. Aug.* Assumptio B. M. V. Loco rubricae in fine positae: „Dicitur Missa ut in die festi" legendum est: „fit idem officium, quod in die festi."

37. *Die 20. Aug.* S. Bernardi Abb. Titulus est: „Abbatis et Ecclesiae Doctoris."

38. *Die 21. Aug.* S. Joannae Franciscae de Chantal. Post evang. legendum est: „Credo ratione Octavae." In Postcomm. delendum est verbum: „ejusdem."

39. *Die 2. Sept.* S. Stephani reg. Hungariae. Secreta concludenda est verbis: *Per eundem.*

40. *Die 11. Sept.* Commemor. SS. Proti et Hyacinthi MM. Ad Rubricam: „Tertia oratio de Sp. S." addendum est: „nisi venerit in Dominica, tunc enim tertia oratio erit de SS. Proto et Hyacintho."

41. *Missa 7 dolor. B. V. M. mense Sept.* ponenda est post octavam Nativ. B. V. M. cum his additionibus: Dominica III. Sept. In festo 7 dolor. B. V. M. missa dicatur ut in alio festo 7 dolorum posito sub mense Martii ... praeter orationem sequentem et post Sequentiam additur Alleluja, quod omittendum erit in fine Gradualis.

Oratio etc.

Et fit commemoratio Dominicae. In fine legitur evangelium Dominicae occurrentis.

„Si in Dominica III. Septembris occurrat aliud festum sive B. M. Virginis sive altioris ritus vel dies Octava festi, quod alicubi solenne fit: festum septem dolorum amandatur ad Dominicam IV. Septembris et hâc etiam ut supra impeditâ, ad proximiorum Dominicam a praedictis festis liberam. Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, festum septem dolorum ponatur juxta rubricas in prima die non impedita post Dominicam III. Septembris."

42. *Die 22. Sept.* Rubrica posita in fine missae s. Thomae de Villan. delenda est.

43. *Die 27. Oct.* Vigilia SS. Ap. Simon. et Judae. In Secreta legatur: „Grata reddantur."

44. *Die 4. Nov.* S. Caroli Borrom. Post evang. addendum est: „Credo ratione Octavae Sanctorum."

45. *Die 11. Nov.* S. Martini. Rubrica post Secretam posita delenda est.

E. Commune Sanctorum.

46. *Missa vultum tuum**) pro Virgine tantum. Tractus his verbis incipit: „Quia concupivit"; ideo delenda sunt verba praecedentia: Audi filia etc.

*) Vd.: *Missa:* Vultum tuum.

S. R. C. 7. Sept. 1716 et 11. Sept. 1841.

47. *Commune Dedicationis.* Rubrica: „Praedictae orationes debent sumi, quotiescunque occurrerint plures commemorationes de anniversario dedicationis ecclesiae“, juxta rubricas generales in initio missalis ponenda est.

F. Missae votivae.

48. *Pro sponso et sponsa.* Rubrica in initio posita ita determinanda est: „Si benedictio nuptiarum facienda sit die Dominica vel alio die festo sive de praecepto sive duplici 1. vel 2. cl., dicatur Missa de Dominica vel festo cum Gl. et Cr., si illa Missa id requirit, et cum commemoratione sequentis Missae pro sponso et sponsa et reliquis, quae pro communione et complemento benedictionis in ea habentur. Si autem benedictio nuptiarum facienda sit aliis diebus, etiamsi in iis occurrat festum duplex majus vel minus, dicitur sequens missa votiva.

49. *Orat. pro diversis n. 7. Pro Praelatis.* Verbum: „ejusdem“ in fine orationis delendum est. Idem faciendum est

50. *Ibid. n. 9. Pro concordia* in Postcommun.

51. *Orat. in collatione s. Ordinum.* Postcommunio claudatur verbis: Qui vivis etc., non vero: per Dominum etc.

4) Episcopus eo utitur.

Vd.: *Minister de libro Episcopi* (oblig.); *Evangelium; Episcopus assist.; Osculum pacis.*

5) Idioma.

Alexander PP. VII.

Ad aures nostras cum animi nostri moerore pervenit, quod in regno Galliae quidam ad eam vesoniam pervenerint, ut missale rom. ad gallicam vulgarem linquam convertere sicque conversum typis evulgare ausi fuerint. Nos istam novitatem perpetui Ecclesiae decoris deformatricem, inobedientiae, temeritatis, audaciae, seditionis, schimatis productricem abhorremus et detestamur.

Ita missale praedictum gallico idiomate a quocunque conscriptum vel in posterum alias quomodolibet conscribendum et evulgandum perpetuo damnamus, reprobamus et interdicimus ac pro damnato, reprobato et interdicto haberi volumus ejusque impressionem, lectionem et retentionem universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus cujuscunque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris et praeeminentiae, licet de illis specialis et individua mentio habenda foret, existant, sub poena excommunicationis latae sententiae ipso jure incurrendae perpetuo prohibemus.

Mandantes, quod statim, quicunque illud habuerint vel in futurum quandocunque habebunt, realiter et cum effectu exhibeant et tradant locorum Ordinariis vel Inquisitoribus, qui nulla interposita mora exemplaria comburant.

Romae ap. s. Mariam Major. die 12. Jan. 1661.

Pius PP. VI.

Suprema potestas proscribendi ritus et ordinem ab universo clero servandum in publicis praecibus Deo offerendis et laudibus ac gratiarum actionibus statutis horis quotidie persolvendis, ex vetustissima universalis Ecclesiae consuetudine, sacrorum canonum ac sacrosancti Concilii Tridentini auctoritate confirmata, Romano semper pontifici atque huic apostolicae Sedi delata est: nimirum ea ratione, ut unô pontifice rem totam moderante, universae christiani orbis ecclesiae, quae in fidei unitate cum Romana conjunctae essent, eadem externi cultus divini lege devinctae etiam in hoc

congruerent, unique redderetur formae atque concordi concentu et una quasi voce, unoque spiritu laudarent Dominum.

Cum itaque, sicut accepimus, breviarium, ritu quidem Romano sed idiomate Slavonico et charactere sancti Hieronymi vulgo nuncupato conscriptum, olim a felicis recordationis Joanne PP. VIII. praedecessore Nostro concessum et ab anno 1648, Innocentii PP. X. item praedecessoris Nostri jussu reformatum et typis editum ac postea anno scilicet 1680 iterum recusum jamdiu desideraretur, utpote a centum et ultra annis nunquam amplius typis mandatum fuerit, atque inde acciderit, ut nonnulli ex natione Illyrica, qui ad horarum canonicarum recitationem tenentur, breviarii inopia laborantes, muneri debito, non sine gravi animi moerore et sollicitudine satis facere minime possint,

Nos praedecessorum nostrorum sancti Pii V., Clementis VIII. et Urbani etiam VIII., qui breviario Romano reformando, recognoscendo et approbando sedulam navarunt operam, vestigiis insistentes, commodo et conscientiae securitati ejusdem nationis Illyricae, quae late diffusa est et turcas inter et schismaticos posita catholicam semper fidem servavit ac strenue propugnavit, quantum cum Domino possumus benigne consulere volentes, de VV. FFr. N. S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, accitis ad hoc ex illa gente viris tam linguam apprime callentibus ac sacris literis, non minus quam pietate instructis, postquam breviarium Slavonicum praedictum mandavimus diligenter ab ipsis recenseri, nec non recentiora officia sanctorum, quos hucusque haec sancta Sedes publico donavit cultu, in idem Slavonicum idioma sedulo converti, illique inseri et superaddi et servari idiomate Slavo literali in omnibus juxta praescripta per felicis recordationis Benedicti PP. XIV. praedecessoris Nostri incipientes — *Ex pastorali* XVIII. Cal. Septembris anno XIV. expeditas literas, quod revera benedicente Domino perfectum omnino est, motu proprio et certa scientia et matura deliberatione Nostra deque apostolicae Sedis potestate dictum breviarium Slavonicum sic recensitum, emendatum et auctum cum adjunctis Sanctorum officiis recitandis pro aliquibus locis ex indulto Nostro separatim impressis, tenore praesentium confirmamus et approbamus et typis Congregationis Propagandae Fidei praedictae committi jubemus.

Caeterum ejusdem Innocentii praedecessoris Nostri exempla secuti, ut breviarium novum hujusmodi ubique inviolatum et incorruptum habeatur, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo, nisi a Nobis et pro tempore existente Romano pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi valeat, poena prohibemus, ne dictum Breviarium cum adjunctis superadditis officiis Sanctorum pro aliquibus locis separatim impressis, alibi in toto orbe sine Nostra vel speciali Sedis apostolicae licentia in scriptis obtinenda imprimatur vel impressum proponatur.

Datum Romae die 11. Mart. 1791. (Bull. r. Continuatio t. IX. p. 5.)

Vd.: *Lytan. diversae* (decr. S. C. Indicis 23. Apr. 1860.).

6) Mutatio.

Vd.: *Missa de Sancto*; *Consuetudo*; *Ritus*; *Missale* (approb.); *Missale* (correctio.).

Consuetudines, quae sunt contra Missale, sublatae sunt per Bullam Pii V. et dicendae sunt potius corruptelae quam consuetudines, neque illis possunt se tueri Canonici, quominus cogi valeant ad observantiam Rubricarum et Regularum Missalis per Episcopum.

n. 15 ad 10 et 17, 19 die 16. Mart. 1591; n. 28 die 1. Sept. 1592.

In quantum potest Episcopus aliquid de Missali statuere? Vd.: *Episcopus.*

Nihil omnino mutandum, adimendum vel addendum per quoscunque Clericos vel Presbyteros saeculares, vel per fratres Monachos aut cujusvis Ordinis regularis ex his, quae in Missali ordinario *tam in Rubricis quam in Nigro* praescribuntur *et multo minus in Canone.* Qui secus fecerint, temeritatis notam incurrere et animadversione dignos esse. n. 283 die 12. Nov. 1605.

A Regularibus, qui utuntur Missali romano, nihil addi, minui vel immutari posse, sed omnia in eodem Missali et Caeremoniali praescripta ad unguem servanda esse. n. 1627 ad 2 die 19. Aug. 1651.

7) Osculatio.

Vd.: ***Evangelium*** (Osculatio)***; Oscul. Missalis.***

8) Quis tenet infra incensationem altaris?

Vd.: ***Assistens Episcop.***

9) Quod?

Vd.: ***Missa concord. cum Officio; Missa in Ecclesia aliena etc.; Breviar. rom.*** (decr. de die 15. Mart. 1608.)

Ad dubium: an concessa facultate Confessariis et Capellanis Ecclesiarum Monialium Ord. Eremitarum s. Aug. servitio addictis celebrandi missas Sanctorum, de quibus Moniales praedictae Officia recitant, dummodo utantur missali rom., possint Confessarii et Capellani praedicti uti etiam Missalibus, quibus utuntur *Religiosi* dictorum Ordinum ex eo quia conveniunt adamussim cum ritu missalis romani? S. C. resp.: *Negative.* n. 3383 die 24. Mart. 1696.

Licere in posterum tum Confessario tum Capellanis tantum quarumcunque Monialium servitio addictis missas Sanctorum, de quibus ipsae recitant, celebrare sed cum missali romano et de communi, non vero missas proprias eorundem Sanctorum variis Ordinibus concessas. n. 3904 die 1. Dec. 1717; n. 4348 ad 2 die 15. Julii 1769.

Facultas celebrandi cum missali romano concessa pro Capellanis Monialium intelligi debet pro omnibus et singulis, qui ex debito tenentur celebrare in Ecclesia ipsarum Monialium, dummodo celebrent cum Missali romano. n. 3617 ad 3 die 11. Febr. 1702.

Capellani servitio Ecclesiae Monialium addicti debent celebrare missam de Sancto, de quo Moniales recitant Officium, juxta proprium Calendarium, licet sit inferioris ritus Sancti, de quo Capellanus privatim ad tenorem Calendarii Dioecesani Officium recitat, dummodo utantur missali romano. n. 3622 ad 2 die 18. Mart. 1702.

Ex parte Monialium Ordinis *S. Augustini* Civitatis Florentiae S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare:

An Capellani seu Confessarii earumdem Monialium, quibus a S. R. C. indulta est facultas celebrandi Missas Sanctorum, de quibus ipsae Moniales recitant Officia, dummodo tamen utantur Missali Romano, licite celebrare possint Missas proprias Sanctorum Ordinis S. Augustini superadditas a Typographis Missali Romano et quae in eodem reperiuntur impressae absque licentia S. R. C.?

Eadem S. R. C. censuit respondendum:

„Negative.“ Et ita declaravit. n. 3765 die 2. Aprilis 1707.

Ad dubium: Quando Festum Purificationis B. M. V. occurrit in Dominica Septuagesimae vel Sexagesimae, apud Dominicanos non transfertur, ex quo

accidit, ut Moniales S. Dominici jurisdictioni Ordinarii subjectae et Breviario sui Ordinis utentes de praefato Festo in Choro recitent, Missamque officiantes cantaturae ex statuto, consuetudine vel devotione antiqua illam de B. Virginis Purificatione absolvere debeant. Quaeritur ergo: An Capellani saeculares ipsarum Officium de Dominica persolventes, juxta Rubricas Breviarii Romani, quo utuntur, se conformare debeant quoad Missam in his vel similibus circumstantiis cum Officio Monialium, illam celebrando de praedicto Festo B. M. V., ut Officium Chori omnino expleatur?

Et: An idem dicendum sit in his omnibus casibus, in quibus Moniales Missam proprio Officio convenientem in Choro ex statuto, consuetudine vel antiqua devotione cantent, salvis remanentibus tantum quoad reliquos casus decretis hujus S. C., in quibus hujusmodi conformitas in facultate et arbitrio Capellanorum relinquitur?

S. eadem C. rescripsit, ut infra, videlicet:

„Serventur S. C. Decreta et Capellanos saeculares, qui celebrare debent in Ecclesiis Monialium, quoad Missam solemnem teneri, dummodo celebrent cum Missali Romano.“ Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4501 ad 12 et 13 die 20. Sept. 1806.

Cum in Asceterio Monialium Ordinis S. Francisci adnexo Ecclesiae titulo S. Maria nuncupat. delle Vergini dette della Madonna, Civitatis Veronae commorentur hodie Moniales Monasterii SSmi Redemptoris ex Ordine Canonicorum Regularium Lateranensium S. Augustini, separatae tamen in omnibus a praedictis Monialibus Ordinis S. Francisci, excepta Ecclesia, quae est communis, ita ut ab utrisque Monialibus servetur propria regula et recitetur Officium juxta proprium Calendarium; visum est Monialibus Lateranensibus, quod ab earum Capellano quotidie celebranda sit ea Missa, ad quam audiendam ipsae conveniunt, quae conformis sit Officio in earum Calendario assignato; quod cum denegetur a Monialibus S. Francisci, in hujusmodi opinionum discrepantia ad firmandum, quid fieri opus sit, Moniales Lateranenses recursum habuerunt ad S. R. Congregationem.

S. eadem C., audita prius sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris scripto exarata, typisque tradita, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Erskine Ponentis, rescribendum censuit: „Posse Capellanum Monialium Lateranensium SSmi Redemtoris in casu, de quo agitur, Missas legere secundum ordinem earumdem Monialium, exceptis diebus Dedicationis et Titularis Ecclesiae.“ Et ita declaravit die 20. Martii 1809 n. 4511.

Ad dubium: 1. an in Ecclesiis, ubi morantur, absque tamen Religionis habitu, Alumni Ordinis Eremitarum discalc., teneantur omnes uti missali Ord. juxta concessionem de anno 1777?

2. An Sacerdotes exteri adigi possint uti praedicto missali, etiam si color Ecclesiae respondeat Officio ab ipsis persolvendo? S. C. resp.: *Negative ad utrumque.* n. 4823 die 23. Sept. 1837.

10) Quot?

In missa sol. permitti non possunt duo missalia, unum in cornu Epistolae, aliud in cornu Evangelii. n. 4526 ad 13 die 7. Sept. 1816.

MISERERE etc. IN S. TRIDUO.

Miserere mei Deus etc. in Matut. tenebrarum modulata sed flebili voce canitur. *Caer. Ep.* l. II. c. XXII. n 13.

MISSIONES.

De earum frequentia in Regno Neapolit. vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 8. Sept. 1745 (Bull. r. t. XVI. p. 315.).

MITRA.

1) Abbatis.

a) Extra suas Ecclesias.

Vd.: *Cassinenses; Usus Pontif.*

Non licet Abbatibus Titularibus, habentibus jurisdictionem quasi episcopalem cum usu mitrae et baculi, deferre mitram extra proprias Ecclesias per Dioeceses Ordinariorum absque indulto sedis apostol., nec sine nec cum licentia Ordinarii. n. 934 die 2. Aug. 1631.

Non licuisse nec licere Abbati s. Benedicti Terrae Nursiae extra propriam Ecclesiam incedere cum Mitra. n. 1338 die 3. Aug. 1641.

Non licere Abbati s. Laurentii Reatin. extra Ecclesiam deferre baculum et mitram in processionibus. n. 2063 die 12. Junii 1660.

b) Materia.

Abbati s. Salvatoris Ord. Cisterciens. Clusinae utenti mitra pretiosa, S. C. resp.: Serventur decreta Alex. VII. de anno 1659. n. 3781 die 10. Mart. 1708.

Cf.: *Usus Pontifical.; Mitra Dignit. et Canon.* (materia)

c) In Processione.

Occasione Processionis SSmi licet Abbati Monasterii s. Sepulchri Parmen. post se deferre facere per Clericum mitram cum velo. n. 3729 ad 5 die 22. Aug. 1705.

Ad dubium: an Abbates Ord. S. Benedicti Congreg. Militensis, status Ragusini, in Processionibus secum ducere valeant duos Clericos seu Monachos, cotta indutos, in utroque latere assistentes pro servitio et usu mitrae et baculi pastoralis? S. C. resp.: Affirmative, ita tamen, ut praeter dictos Clericos alios ducere non possint. n. 4005 ad 4 die 24. Novb. 1731.

Cf.: *Abbas* (Processio.).

d) Vetita.

Vd.: *Usus Pontifical.*

Ad dubium: an Abbates in functionibus, quae fieri solent ab eisdem in ambitu Monasterii, ut puta in coemeteriis in die commem. Omn. fid. def., in dom. Palm. et similibus, uti possint mitra? S. C. resp.: Negative. n. 3566. die 19. Junii 1700.

2) Archiepiscopi ad benedictionem.

Vd.: Crux archiep. ad bened. (decr. n. 3774.)

3) Canonicorum.

a) Ad Absolutiones quinque ad feretrum.

Vd.: *Usus Pont.* (decr. Clem. XIV. de die 16. Oct. 1771; Pii VI.)

b) In Insigniis apponenda.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. Bened. XIV. *pro Urbin.* §. 1.; *Clem. XIV.* pro Capit. Cath. Arimini decr., Pii VI.); *Mitra Canon.* (in missa et vesp — decreta Pii VII.)

c) Materia.

Vd.: *Mitra Dignitar.* (materia); *Usus Pont.* (Decr. Clem. XIV. pro Canon. Cath. Arimini; decr. Pii VI.); *Mitra Ep.* (Mater.); *Mitra Ep. titul. ass.* (Mater.)

d) In Missa et Vesperis etc.

Cf.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 17—19; n. 4863; decr. Clem. XIV.; Pii VI.)

Toti Capitulo Cathedr. Panormitanae uti licet mitra, Episcopo non celebrante sed absente, etiam sede vacante. — Singulis Canonicis extra Ecclesiam in-

vitatis, non praesente toto Capitulo, non licet uti mitra. — Canonicus, si solemniter celebrat, debet incensari et manus abluere coopertus mitra, praesente sive absente Archiepiscopo. — Canonicus celebrans non debet stare coopertus mitra, dum Archiepiscopus induitur vestibus s. aut ascendit solium. — Canonicus Diaconus, cantaturus Evangelium, altero Canonico celebrante, non debet et simul ipse uti mitra. n. 3052 ad 1—7 die 22. Apr. 1684.

Pius PP. VII.

In summo apostolatus fastigio meritis licet imparibus constituti ad statum ecclesiarum, quarum Nobis a Domino commissa est sollicitudo, animum jugiter intendere ac sacerdotibus in eis Altissimo famulantibus prospicere eorumque dignitati et honorificentiae, prout rationi consentaneum esse in Domino arbitramur, consulere non desistimus.

Cum itaque, sicut per dilectum filium Nostrum Antonium felicem Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum Cardinalem Zondadari nuncupatum metropolitanae ecclesiae Senensis ex concessione et dispensatione apostolica praesulem Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Capitulum et Canonici ipsius Metropolitanae sub titulo beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae, eadem ecclesia, in qua sex Dignitates et octodecim Canonici existunt, antiquitatis laude, templi majestate, patrimonii amplitudine, sacrarum suppellectilium copia, cleri probitate et doctrina, populique devotione et frequentia ita floruerit et floreat, ut superioribus difficillimis temporibus cum nihil de vetusta sua gloria exciderit tum eo major evaserit, quo firmior et constantior cleri populique universi Senensis in fel. rec. Pium PP. VI. praedecessorem Nostrum illuc a notis tempestatibus compulsum exstitit fides, devotio, pietas, cumque plurimi virtutibus, meritis et amplissimis dignitatum gradibus insignes viri ex ejusdem Capituli gremio prodierint, ac praeterea ipsa civitas Senensis perplurium sanctorum ac etiam aliquorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum mater fuerit et altrix, non exigua splendoris et ornamenti ad ipsam metropolitanam fieret accessio atque divinus in ea cultus populique devotio majora in dies susciperet incrementa, si exponentes praedicti mitrarum decore donentur, Nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur,

Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Dignitates et Canonicatus in dicta metropolitana ecclesia Senensi obtinentibus praesentibus et perpetuis futuris temporibus tam in civitate quam in dioecesi Senensi et absente eodem Antonio Felice Cardinale praesule seu pro tempore existente Archiepiscopo Senensi in missis, vesperis ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus seu supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum palmarum et fontis baptismatis ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra ex tela alba uti libere et licite possint ac valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus, eisque in suis armis seu insigniis gentilitiis mitra apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem perpetuo tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 12. Jan. 1802.

(Bull. r. Continuat. t. XI. p. 281.)

Pius PP. VII.

Quantum dignitatis, splendoris et venerationis ipsa sacra ornamenta oculis animisque Christifidelium ingerant optime sciens Apostolica Mater Ecclesia in templis magis conspicuis, ubi major est populi frequentia, nonnunquam insignia, quibus soli pontifices in sacris ministeriis obeundi uti solent, a praecipuis earumdem ecclesiarum ministris deferenda concessit.

Cum itaque, sicut dilectus filius Noster Antonius Felix Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis Zondadari nuncupatus, ex concessione et dispensatione apostolica metropolitanae Ecclesiae Senensis praesul Nobis nuper exposuit, saecularis et, ut asseritur, insignis Collegiata ecclesia sub titulo Visitationis beatae Mariae virginis vulgo di Provenzano Senensis civitatis templi amplitudine, populi frequentia, Dignitatum et Canonicorum numero, pietate et scientia ita splendeat, ut uni metropolitanae ecclesiae in civitate praedicta cedat, praeterea nulli, cumque ejusdem collegiatae *Praepositus*, qui est prima ex quatuor ibi exsistentibus dignitas, cappa magna utatur ad instar Canonicorum ipsius metropolitanae ecclesiae Senensis, ad christianae devotionis et divini cultus incrementum valde conduceret, si, ut metropolitanae praedictae Canonici, ita etiam *prima collegiatae hujusmodi Dignitas* mitrae decore donetur, Nobis propterea idem Antonius Felix Cardinalis praesul humiliter supplicavit, ut moderno et pro tempore existenti *Praeposito* dictae ecclesiae in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur,

Nos igitur, qui singulari benevolentia gratique animi affectu universam prosequimur civitatem Senensem ob ejus singularem in fel. rec. Pium PP. VI. praedecessorem Nostrum illic calamitosissimis temporibus commoratum fidem, constantiam et devotionem, supplicationibus hujusmodi libenter annuere volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, moderno et pro tempore existenti *Praeposito* Collegiate hujusmodi de Provenzano in perpetuum, ut ipsi tam in civitate quam in dioecesi Senensi, etiam absente eodem Antonio Felice Cardinale praesule seu pro tempore existenti Archiepiscopo Senensi, in missis, vesperis ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus seu supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra ex *tela alba* uti libere et licite possint et valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus eisque insigniis gentilitiis mitram apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem perpetuo tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 12. Jan. 1802.
(Bull. r. Contin. t. XI. p. 282.)

Leo PP. XII.

Strenuus adsertor jurium Ecclesiae osorque maculae omnis ac turpitudinis, quae speciem illius laederet, sanctus Gregorius VII. praedecessor Noster, quum Guiscardi Apuliae ducis virtute e cruentis manibus ereptus esset eum obsidentis Henrici, Salernum contendit solemni ritu sacraturus ecclesiam, quae tunc sancti Matthaei apostoli exuviis tantummodo illustrabatur, deinde vero ipsius etiam Gregorii spolio mortali ditata est. Quo quidem tempore, ut archiepiscopalem ecclesiam tam illustri in urbe constitutam et apostoli reliquiis insignem peculiari decore Gregorius afficeret, gestandae mitrae privilegium illius Canonicis contulisse fertur; Lucius vero III. praedecessor

pariter Noster suo diplomate indultum ejusmodi ratum habuisse narratur. Accidit autem, ut quoad usum mitrae et aliorum id genus insignium, quae aliqui ex privilegio gerunt, felicis recordationis Pius VII. praedecessor itidem Noster constitutione edita quarto Nonas Julii anni superioris decretum approbaverit praepositae ecclesiasticis ritibus congregationis, quo hujuscemodi privilegia quibusdam arctantur legibus, dignitati Episcoporum maxime consentaneis. Jamvero quum earum sanctionum nonnullae usus quosdam ac mores evertant, qui de mitrae gestamine apud Canonicos Cathedralis Salernitanae ecclesiae jam dudum obtinent, venerabilis autem frater Archiepiscopus Salernitanus haud secus ac ipsi Canonici, quidquid ea de re apud illos consuetudine inolevit servari discupiat; idcirco consuetudines illas suas Piana constitutione improbatas Nobis Canonici exposuerunt demissisque precibus postulaverunt, ut eas sartas ac tectas, quod ajunt, Nostra auctoritate atque indulgentia servemus.

Nos vero dilectos filios oratores peculiari prosequi beneficentia volentes, ratione habita assensus venerabilis fratris Archiepiscopi Salernitani, concedimus et indulgemus, ut praeter ea, quae ex Piana constitutione quoad mitrae usum Canonicis Salernitanis licent (nam de reliquis pontificalibus ornamentis non est agendum, quae nunquam eis apostolica haec Sedes impertiit) Canonici diaconi, quum assistunt ritu augustiore sacrificantibus Archiepiscopo vel Dignitati vel Canonico presbytero, utantur mitra, non tamen dum canitur evangelium. Item ut Dignitas et Canonici mitra, exornentur non solum, quum Archiepiscopi vice, aut illo cum mitra ac pluviali assistente, solemne sacrum faciunt, sed quotiescunque solemni sacrificio Deum colunt. Item ut illis mitrae usus minime sit interdictus, quoties divinam rem solemniter faciunt ad expiandam animam sive defuncti Archiepiscopi sive Canonici, quumque dies anniversarius eorum obitus solemnisque expiationis recurrit. *Item ut capite Canonicorum in feretro jacentium tumuloque, qui extruitur anniversariae expiationis die, mitra possit imponi.* Cavendum autem erit, ne Canonicorum cadavera eo cum ornatu sepulturae tradantur. Et haec quidem Salernitanis Dignitatibus atque Canonicis *extra legis praescriptum* concedimus, quia ita a consuetudine inductum esse contenditur ab eo tempore, quod hominum memoriam excedat. Praeterea quia ab annis hinc quadraginta in eorum Canonicorum collegio mos invaluit, ut quum aliquis ex Canonicis vel Dignitatibus solemni ritu ac mitra utens sacrificiat, ei assistant, praeter Canonicum presbyterum pluviali indutum ac mitra tectum, duo etiam Canonici e presbyterorum ordine, sed qui diaconi ac subdiaconi tunc officio fungantur, ac nihilo secius mitra teguntur, eum morem servari et retineri permittimus. Quae tamen omnia privilegia, hoc illis collata diplomate, intra cathedralis ecclesiae limites tantum iis utenda ac fruenda largimur, minime autem extra illius fines, exceptis supplicationibus sacris, quae instituuntur, facto initio procedendi supplicatum a cathedrali ecclesia, quaeque in illam desinunt.

Decernentes insuper has literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere iisdemque Dignitatibus et Canonicis, eorumque successoribus eorum causa, quae de usu mitrae sunt expressa, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere; ac irritum

et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae die 4. Junii 1824.

(Bull. r. Contin. t. XIV. p. 64.)

Pius PP. VII.

Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui coelestis Sionis aemuli in templis magis conspicuis divinas laudes quotidie concinunt, peculiaria insignia deferenda interdum concedimus, ut ipsi per externas quoque decorationes excitati internarum virtutum splendore lucere conentur in domo Domini.

Cum itaque, sicut dilecti filii moderni quatuor Dignitates et quatuordecim Canonici cathedralis ecclesiae Liparensis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude, vetustissimorum praesulum sanctitate, nunc ibi Altissimo famulantium sacerdotum probitate et doctrina ita floreat, ut una ex praestantioribus finitimarum regionum ecclesiis habeatur, multum splendoris ad eam accederet ac divinus cultus populique devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem Cathedralis Dignitates et Canonici nova aliqua insigniori decoratione ornentur,

Nos praemissis causis adducti eosdem Dignitates et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonicis praememoratae Cathedralis ecclesiae Liparensis, ut ipsi in civitate et dioecesi Liparensi in missis, vesperis ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus seu publicis supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra indumenta adhiberi oporteat, ***mitra alba*** uti libere ac licite possint et valeant apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus eisdemque in suis armis seu insigniis gentilitiis mitram apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem perpetuo tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 28. Julii 1818.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 112.)

e) In Processione.

Cf.: *Processio* (cap. tecto etc.); *Mitra Dignitar.* (in process.); *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 22); *Instructio Clem.* §. XXI. n. 11); *Usus Pont.* (decr. Clem. XIV. pro Cap. Cath. Arimini die 16. Oct. 1771.)

Canonici Ecclesiae Aniciensis non possunt in solemnitate Corp. Chr. mitram tamquam adornamentum in capite deferre; abusus est tollendus. n. 2984 die 13. Junii 1682.

Se una volta che sia accordato ai Canonici della Metropolitana l'uso della Mitra senza restrizione possano questi Canonici far uso della Mitra istessa, e portarla nella Processioni, ed allorchè uno di essi fa la funzione, ed ha indossato il Pluviale, ancorchè porti la Reliquia di qualche Santo?

S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Mitrae usum in casu cohibendum ad tramites Constitutionis s. m. Pii Papae VII.: *Decet Romanos Pontifices.*"

Atque ita rescripsit. n. 5085 ad 1 die 27. Febr. 1847.

Se alla Solenne Processione del *Corpus Domini* essendo tutti i Canonici vestiti pontificalmente o con Pluviale, o con Pianeta, o con Dalmatica precedendo il Baldachino sotto il quale vi sono i Ministri, ed il Celebrante portante il Sanctissimo Sacramento, possano e debbano i Canonici Mitrati, che procedono il Baldocchino portare in capo la Mitra, ovvero la Mitra la

debba portare un Chierico, che gli stia a fianco?

S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Posse per se deferre manu sine ullo Ministro."

Atque ita rescripsit. n. 5085 ad 2 die 27. Febr. 1847.

4) Dignitariorum.

a) Ad Absolut. quinque ad feretrum.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. Clem. XIV. 16. Oct. 1771.)

b) Extra propriam Ecclesiam.

Invitatis vel alio modo accedentibus Dignitatibus Metrop. Sypontinae ad aliam Ecclesiam exemptam, sive non, sive Capitular ter sive sejunctim, sive intra civitatem sive extra et in Dioecesi, mitram esse interdicendam. n. 2456 ad 3 die 15. Sept. 1668.

Dignitates et Canonici Metrop. Urbinat. in visitationibus et velationibus Monialium factis de commissione Archiepiscopi uti non possunt mitra. n. 4224 ad 10 die 29. Jan. 1752. Vd.: *Usus Pontifical.* (praecipue decr. *Clem. XIV. 16. Oct. 1771.*)

c) Materia.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 1856; 4585; 4593 ad 8, 10; n. 4621; *4649 nota;* 4696); *Mitra Canon.* (materia); *Mitra Ep.* (mat.); *Mitra Ep. titul. ass.* (materia.)

Ad dubium Canonicorum mitratorum Cathedr. Panormitanae: an mitra debeat esse, uti hactenus, ex serico damasceno an ex oloserico ormisinio, cumque frangiis aureis? S. C. resp.: *Ex tela.* n. 3052 ad 10 die 22. Apr. 1684.

Ad dubium: An Canonici, qui ex speciali privilegio uti possunt Mitra auriphrygiata, uti etiam possint Mitra argentea tela contexta et listata ex auro?

Et Emi P. S. eidem C. praepositi ... respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Negative et in omnibus ad mentem. Mens est quod videatur particulariter de privilegiis competentibus Canonicis, quibus concessa sunt Insignia Pontificalia ad effectum edendi Generale Decretum," n. 4585 ad 4 die 20. Apr. 1822.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Triplex est Mitrae species, ut habet Caeremoniale Episc. *lib. 1. cap. 17.* Una, quae pretiosa dicitur, quia gemmis vel laminis aureis vel argenteis contexta, altera auriphrygiata: tertia simplex ex serico damasceno vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis laciniis seu frangiis et vittis pendentibus. Sed dispositio Caeremonialis de triplici Mitrae specie respicit dumtaxat Episcopos, quibus licet unam alteramve adhibere, veluti exigunt s. actiones: Canonici vero et Dignitates, quibus ex privilegio Mitrae usus concessus est, simplicem tantum gestare possunt ex tela, quin ipsis prosit contraria consuetudo adhibendi nobiliorem. Nam *ad Dub. 10.* in saepe laudata Panormitana, videlicet: *An Mitra esse debeat, uti hactenus, ex serico damasceno, an ex holoserico ormisino cum frangiis aureis?* S. C. resp.: *Ex tela:* Sed quoniam in casu proposito Dignitates et Canonici Barenses speciali gaudent privilegio adhibendi Mitram auriphrygiatam, hac uti poterunt ad formam Indulti, quin sibi licitum arbitrentur aliam assumere et gestare ex tela argento contexta, auroque listata, Privilegium quippe stricte est accipiendum, interpretandum et exequendum, prout est literaliter concessum.

Quamvis per Decretum diei 19. Decembris superioris anni 1829 a. S. R. C. prolatum atque a SSmo. Domino Nostro Pio VIII. Pontifice Maximo sub die 23. recensiti mensis et anni confirmatum privilegia omnia Capitulo Metropolitanae Barensis diversis temporibus a Summis Pontificibus concessa sarta tecta fuissent, quum tamen exceptio in eodem inserta quoad Mitram auro contextam aliquid impedimenti et Capitulo et privilegiis ipsis afferre videretur, quoniam ejusdem Capituli Canonici amplioribus privilegiis et gratiis se aucti fuisse arbitrentur, propterea exhibitis denuo Apostolicis Literis sub forma Brevis expeditis a sa. me. Pio Papa VII. sub die 18. Novemb. 1819 ab eadem Sacrorum Rituum Congregatione expostularunt usum Mitrae auro contextae seu filo serico flavo aurea lamella intextae, ac ormisinio etiam serico ejusdem flavi coloris subsutae sibi non esse denegandum.

Sacra Congregatio ad Quirinale in Ordinario Coetu sub infrascripta die coadunata ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Petri Francisci Galleffi Ponentis, juribus de novo productis ad tramites Constitutionis „Decet Romanos Pontifices“ ejusdem Pii Papae VII. attente diligenterque libratis consideratisque allatis documentis ac praesertim Informatione et Voto Rmi. Baren. Archiepiscopi rescribendum censuit: „Ad mentem: et mens est ut solus Celebrans utatur Mitra ad formam concessionis sa. me. Pii Papae VII. absente Episcopo.“ Atque ita decrevit et servari mandavit die 17. Julii 1830.

Super quibus omnibus facta postmodum SSmo. Domino Nostro Pio Papae VIII. Pontifici Maximo per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus adprobavit et confirmavit die 22. recensiti Mensis et Anni. n. 4657. (Vd. Usus Pontif. decr. n. 4649.)

Abbas Collegiatae Ecclesiae Spiritus s. Benevent. gaudens usu Mitrae . . . non potest uti mitra auriphrygiata, sed tantum ex tela simplici. n. 5065. ad 1 die 27. Febr. 1847.

d) Minister.

Vd.: *Mitra* (Minister).

e) In Processione.

Cf.: *Mitra Canonic.* (in process.)

Dignitatibus Metropolitanae Sypontinae habentibus usum mitrae ex privil. apost. non licet intra et extra ambitum Ecclesiae, puta in processionibus major et minorib., mitram cum velo appenso penes se praeferri facere, nec in processionibus incipientibus a propria eorum Ecclesia et longius progrediendo, quam teneat ambitus murorum ipsius Ecclesiae, eis licet mitra. n. 2456. ad 1 et 2 die 15. Sept. 1668.

Dignitatibus et Canonicis Metrop. Urbinat. in processionibus SS. Corp. Chr. incedere non possunt capite mitra coperto. n. 4224 ad 13 die 29. Jan. 1752.

f) In quib. Solemnitatibus?

Dignitatibus Metrop. Sypontinae non in Officiis et missis defunctorum nec in diebus feriatis sed tantum in solemnioribus et ubique de praecepto licere jus utendi mitra. n. 2456 ad 4 die 15. Sept. 1668. Idem pro Dignitariis et Canon. Metrop. Urbinaten. n. 4224 ad 11 die 29. Jan. 1752.

Cf. *Usus Pontif.* (praecipue decr. Clem. XIV. 16. Oct. 1771).

5) Episcopi.

a) Auriphrygiata.

Vd.: *Mitra Ep.* (Diac. assist. etc.; pretiosa.)

Mitra auriph. utitur Episcopus ab Adventu Domini usque ad fest. Nativ.

excepta Dominica tertia Adv., in qua in signum laetitiae utitur pretiosa. Item a Septuag. usque ad feriam IV. Maj. Hebdomadis inclus. excepta Dominica quarta Quadrag. Item in omnibus vigiliis, quae jejunantur, et in omnibus quatuor Temporibus, in Rogat., Lytaniis et Processionibus, quae ex causa poenitentiae fiunt; in festo ss. Innocent., nisi veniat in Dominica, et benedictionibus et consecrat., quae *private* aguntur. Quibus quidem temporibus abstinet Episcopus a mitra pretiosa, poterit tamen, dum utitur auriphr., uti etiam simplici eodem modo et forma, prout de pretiosa et auriphr. dictum est. *Caer. Ep.* l. 1. c. XVII. n. 3.

b) Ad Benedictionem.

1) Finita Missa sol., Vesp., Laud.

Cum vero *Episcopus* benedictionem daturus est, sumpta mitra benedicit. Et si Indulgentia non fuit publicata post sermonem, publicatur ibi per presb. assistentem in cornu Epistolae; qua publicata Episcopus deposita mitra dicit *Dom. vob. etc.* Si celebrans sit *Archiepiscopus* dat benedictionem *sine mitra. Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 80. 81.

Episcopus (in Fer. V. in Coena Dom. *SSmo. in altari remanente) sine mitra* stans dabit bened. sol. *Ibid.* c. XXIII. n. 8.

Clauso ostiolo (Tabernaculi post post process. in Coena D.) Episcopus dabit bened. sol. stans sine mitra in latere Evang. *Ibid.* n. 13.

Dicto *Placeat etc.* Episcopus non utens cruce accepta mitra stans in medio altaris cantat: *Sit nomen etc.* Si vero erit Archiepiscopus vel alius crucem habens versus ad illam sine mitra dabit benedictionem.

Simili modo in fine Vesperarum ac Matutini seu Laudum Episcopus sive Archiepiscopus benedicit, cum ipse sol. facit Officium. *Caer. Ep.* l. I. c. XXV. n. 5 — 7.

Cantato: *Ite missa est vel Bened. Diaconus Evang.*, si Celebrans daturus est bened. sol., imponit ejus capiti mitram *pretiosam*, nisi sit Archiep., qui sine mitra propter reverentiam crucis benedicit. *Ibid.* IX. n. 7.

2) Cum Reliquiis.

Vd.: *Bened. Episc. cum Reliquiis* (decr. n. 4815).

c) Diaconus missae imponit.

Tum sedenti Episcopo (indutis omnibus paramentis) imponitur per Diaconum mitra pretiosa, sumpta de manibus Capellani de illa servientis Subdiacono vittas elevante. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 21. Vd.: *Locus mitrae. Mitra Ep.* (Diac ass. I.); *Mitra Ep. ad Bened. finit. Missa etc.*

d) Diaconus assist. I. imponit.

Vd.: *Mitra Ep.* (simpl.; Minister; pretiosa; locus.)

Episcopus reddit incensato altari (post confessionem) thuribulum Diacono et accepta mitra *pretiosa* a digniori Diacono in officio Assistentis inserviente .. incensatur a Diacono ... Deinde vadit ad sedem et deposita mitra (per Diac. ass.) legit Introitum .. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 35.

Dicto *Kyrie* Episcopus sedet accepta per primum Diaconum assist. mitra *auriphrygiata* simplici, si haec placeat. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 36.

Cum cantatur ultimum Kyrie Episcopo aufertur per *Assistentem a sinistris* gremiale et mitra, pileolum vero per *Assist. a dexteris. Ibid.* n. 37.

Cum Episcopo mitra imponitur, Diaconus ass. a dexteris imposito bireto illam imponit altero a sinistris adjuvante et vittas a tergo Episcopi aptante. *Ibid.* l. 1. c. VIII. n. 3.

Diaconi ass. Episcopo servient . . . et specialiter in ponendo et auferendo mitram, videlicet primo, cum pervenerit ante altare genuflexus; 2. post thurificationem altaris in principio missae, cum ipse thurificatur; 3. Cum dicit *Introitum* et *Kyrie eleyson, Gloria etc.*, cum dicit Orationes; 4. Ad Evangelium, id est, statim data benedictione Diacono; 5. statim finita confessione per Diaconum post sermonem pro absolutione danda; 6. ad Offertorium; 7. cum post Offert. ad gradus altaris pervenerit, *sed hoc casu Diaconus Evangelii aufert ei mitram, et regulariter, cum Episcopus est apud altare, serviet ei Diaconus Evang., cum vero est apud sedem, serviunt ibi Assistentes, nisi ubi necessitas aliud suadet, ut post thurificationem altaris, quia tunc Diaconus ass. I. ei imponit mitram, cum Diac. Evang. sit impeditus cum thuribulo. Caer. Ep.* l. I. c. VIII. n. 3.

e) Dispens. ab usu mitrae.

Episcopus sub dominio Turcarum existens, cum sine vitae periculo exercere non possit Sacramentum chrismatis cum Mitra (et baculo) supplicavit sibi concedi, ut sine illa possit, quam gratiam Episcopo concedendam esse censuit S. C., dummodo, quoad fieri possit, in reliquis Pontificali romano se conformet. n. 1471 die 8. Aug. 1643. n. 1592 die 18. Dec. 1647.

f) Locus mitrae ab Offert. usque ad Commun. peract.

Postquam Episcopus (incensatus post Offertorium) laverit manus, aufertur ei mitra ab Assistentibus, quam minister de ea serviens reportat ad abacum... Celebrans cum s. communionem sumpserit . . . accedit Acolythus de mitra serviens illamque porrigit Diacono . . . *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 66. 76.

g) Materia.

Vd.: *Mitra Canon., Dignit., Ep. titul. ass.* (materia).

Mitrae usus est antiquissimus et ejus triplex est *species*, una, quae *pretiosa* dicitur, quia gemmis et lapidibus pretiosis vel laminis aureis vel argenteis contexta esse solet; altera *auriphrygiata* sine gemmis et sine laminis aureis vel argenteis, sed vel ex aliquibus parvis margaritis composita vel ex serico albo auro intermisto, vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis; tertia, quae vocatur *simplex*, sine auro, ex simpl. serico Damasceno vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis laciniis seu frangiis et vittis pendentibus. *Caer. Ep.* l. I. c. XVII. n. 1.

h) Minister.

Vd.: *Mitra* (Minister).

Quartum ministrum de mitra servientem opportet velum seu mappam sericeam oblongam a collo pendentem gerere, qua utitur ad mitram sustinendam, ne illam nudis manibus tangat: caute autem advertat, ut cum ea Episcopo imponenda auferendave erit, immediate latere Diaconi assistentis illam imposituri vel ablaturi adhaereat, mitram offerens vel recipiens. In Vesperis incaepto primo Psalmo, deposita prima pretiosa super altari in cornu Epistolae offert simplicem incaepta antiphona Cantici (Magnificat anima mea etc.) offert pretiosam, et simplicem super altari in eadem parte locabit. In missis, dicto per Episcopum celebrantem seu non celebrantem, Hymno Angelico, adsit cum mitra simplici imponenda Episcopo sedenti, ipsa pretiosa super altari deposita. Ut plurimum enim solent Episcopi in Missa uti pretiosa usque ad dictum Hymnum Angelicum postmodum simplici usque ad finem Symboli

tum lecto Offertorio reasumere pretiosam eamque tenere usque ad finem Missae suo tempore. Cum praedictus minister mitram tenet, habeat vittas seu infulas illarum versus se ipsum, et cum illas deponit sive super altari sive super mensa aut abaco, vittae exterius pendeant. *Caer. Ep.* l. I. c. XI. n. 6.

i) Modus imponendi.

Vd.: *Mitra* (Impos.); *Mitra Ep.* (Diac. ass. I.)

Regulare est tam in Missis quam in Vesperis, quod existente Episcopo apud sedem suam sedenti semper aufertur et imponitur mitra; secus quando genuflectit pro oratione facienda, quia tunc stanti imponitur, genuflexo aufertur, et quando est apud altare, in missa stanti imponitur et aufertur. *Caer. Ep.* l. I. c. VIII. n. 3.

k) Pretiosa.

(Quando imponitur?)

Vd.: *Mitra Episcopi* (Minister; Diaconus etc.; auriphr.; ad Bened. finita Missa etc.)

Dicto Offertorio Episcopus accipit mitram pretiosam. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 57.

Reddito thuribulo Diacono ... et accepta mitra pretiosa ab Assistentibus ... Episcopus thurificatur a Diacono triplici ductu (post Offertorium). *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 64. 66.

In Dominica tertia Adventus utitur Episcopus mitra pretiosa. *Ibid.* l. I. c. XVII. n. 3.

Pretiosa mitra utitur Episcopus in solemnioribus festis et generaliter quandocunque in Off. dicitur: *Te Deum etc.* et in missa: *Gloria etc.* Nihilominus in eisdem festis etiam auriphryg. uti poterit, sed potius ad commoditatem quam ex necessitate, ne scilicet Episcopus nimis gravetur, si in toto Off. pretiosa utatur; propterea usu receptum est, tam in Vesperis quam in Missis, ut pretiosa utatur Episcopus in principio et in fine vesperarum et sol. Missarum, ac eundo ad Ecclesiam et redeundo ab eadem, cum paramenta sumit ac deponit in sacrario et quando lavat manus et dat benedictionem sol. Intermedio autem spatio loco pretiosae utitur auriphr. *Caer. Ep.* l. I. c. XVII. n. 2.

l) Coram SSmo exposito.

Vd.: *Baldachinum Episcopi cor. exp. SSm* (decr. n. 4125). *Instr. Clem.* §. XXV. n. 4. 5 *Mitra Ep.* (Ad Bened.)

Finita Missa in festo SSmi Corp. Chr. Episcopus ad sedem stans cum mitra imponit thus, deinde accedet ad altare, ubi depoita mitra SSmum genufl. incensat. *Caer. Ep.* l. II. c. XXXIII. n. 19.

Omnibus expeditis Episcopus accepta mitra extra cancellos discedet in Sacristiam. *Ibid.* n. 30.

Episcopus (Fer. V. in Coen. Dom. SSmo in altari remanente) ad sedem accepto pluviali et mitra stans ponit incensum; quo facto redit ad altare, ubi nudo capite genuflexus incensat SSmum. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIII. n. 11. 12.

Cum Episcopus pervenerit ad fores sacelli, ubi est SSmum repositum, deponit mitram (in Parasc.). *Ibid.* c. XXV. n. 31; c. XXVI. n. 14.

Vd.: *Lavabo* (cor. SSmo).

m) Simplex.

Dicto hymno *Gloria* Episcopus sedet accepta mitra *simplici*. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 39.

Dicto *Credo* sedet Episcopus cum mitra *simplici*. *Ibid.* n. 53.

Vd.: *Mitra Ep.* (Minist.)

Simplici mitra utitur Episcopus fer. 6 in Parasc. et in Officiis et Missis Def. *Caer. Ep.* l. I. c. XVII. n. 4.

In benedictione candelarum Episcopus utitur mitra simplex. *Ibid.* l. II. c. XVI. n. 4.

In tradendo pallio Episcopus celebrans utitur mitra simplici. *Ibid.* l. I. c. XVI. n. 1.

In Absolutione quatuor Praelati utuntur mitra simplici. *Ibid.* l. II. c. XI. n. 13.

Si Episcopus voluerit ipse absolvere accipit . . . mitram simplicem. *Ibid.* l. II. c. XIII. n. 6.

Episcopo defuncto mitra simplex imponetur. *Ibid.* l. II. c. XXXVIII. n. 10.

n) Ad ultimum Evang. legend.

Facto signo crucis super altari dicit Episcopus: *Initium s. Ev. sec. Joa. etc.* quod prosequitur, sumpta mitra et baculo, procedendo ad locum, ubi a principio accepit paramenta associatus a Canonicis. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 80.

Dicto in altari: *Placeat etc.* incipiet Evang. s. Joan., quod prosequitur mitratus redeundo ad sedem suam. *Ibid.* c. XI. n. 9.

6) Episcopi assistentis.

Episcopus assistens missae sol. cum mitra et Pluviali surgat sine mitra, cum perventum fuerit ad Praefationem et incipit: *Per omnia saecula etc.* n. 3351 die 5. Mart. 1695.

Vd.: *Pileolum Episcopi* (depositio).

7) Episcopi Titul. assist.

a) Jus deferendi.

Ad dubium: an exercente Episcopo Pontificalia liceat Episcopo titulari assistenti una cum pluviali quoque deferre mitram Episcopalem absque consensu Episcopi localis? S. C. resp.: Posse, accedente consensu Episcopi. n. 3976 ad 4 die 10. Apr. 1728.

b) Materia.

Mitram Episcopi titularis assistentis debere esse lineam. n. 3976 ad 5 die 10. Apr. 1728. Cf.: *Mitra Ep.* (Mater.)

8) Ad Exequias.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 25 et 26; decr. Leonis PP. XII. die 4. Juii 1824.); *Mitra Ep.* (simpl.)

Canonicus mitratus Cath. Panormitanae non debet in loculo efferri et tumulari cum mitra. — In funerali seu anniversario Canonici defuncti mitrati, super tumulo ligneo erigi solito non debet mitra superimponi. — Ad sepulchrum Canonici mitrati defuncti non debet ad tholum mitra suspendi. n. 3052 ad 11—13 die 22. Apr. 1684.

9) Historia (de mitra).

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4649 nota.)

10) Impositio.

a) Per ipsum Deferentem.

Ad dubium: an liceat Archidiacono et Cantori Cathedralis Amalphitanae habenti usum mitrae, quando vel in throno vel in scamno canonicali assistunt Archiepiscopo pontificaliter celebranti, quod Clericus mitram iisdem imponat et auferat? S. C. resp.: non licere, quacunque consuetudine non obstante, sed imponendam et levandam esse per se ipsos, quando habeant usum mitrae ex indulto apost., secus abstineant. n. 2746 die 16. Aug. 1675.

Episcopus titularis *assistens* mitram per se ipsum imponere et amovere a capite debet. n. 3976 ad 6 die 10. Apr. 1728.

b) Per Ministrum.

Ministrare mitram Canonico mitrato solemniter celebranti spectare ad Diaconum celebrantem. n. 3052 ad 8 die 22. Apr. 1684.

Magistri Caeremoniarum abstineant in futurum (in Capella Pontificia) ab imponendo et auferendo mitram, nisi impeditis Diacono et Subdiacono. n. 3686 die 26. Apr. 1701; n. 3691 die 7. Junii 1704 (Bull. r. t. VIII. p. 433.).

Vd.: *Mitra Ep.* (Modus imp.)

11) In Insigniis Familiae.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 27 etc.); *Mitra Can.* (in missa etc.)

12) Minister.

Dignitatibus habentibus usum Mitrae, eam per Capellanos seu Ministros inferiores et non per Canonicos esse administrandam. n. 1441 ad 6 die 14. Mart. 1643.

Debet adhiberi Acolythus ad tenendam mitram cum oloserico velo ad collum pendente, in casu, quo *Canonicus* mitratus solemniter celebret. n. 3052 ad 9 die 22. Apr. 1684.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 21); *Mitra Abbatis* (in process.); *Mitra Canon. et Dignit.* (in process.); *Mitra Episcopi* (Minist.).

13) Estne semper Signum Pontificale?

Vd.: *Instr. Cl.* §. XXI. n. 11.

MONACHUS GRAECUS.

Vd.: *Presbyter graec.*

Monachis graecis seu Calogeris animarum cura nunquam committatur nisi ex necessitate vel alia justa causa. *Constit. Bened. XIV.* 26. Maii 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 97 X.).

MONASTERIUM.

Vd.: *Ordines religiosi; Mulier; Regulares* (Quid servare etc.) Moniales; *Bened.* (domus et monasterii); *Quae necessaria sint ad aedificanda nova monasteria*, vd.: Constitutio Clem. VII. die 2. Julii 1603 (Bull. r. t. X. p. 172); Constit. Innoc. XI. die 18. Jan. 1684 (Ibid. t. XI. p. 410); Constitut. Gregorii XV. 17. Aug. 1622 (Ibid. p. 182). *De prohibitione aedificandi monasteria inconsulto Dioecesano et revocatione pridem concessorum*, vd.: Const. Urbani XIII. die 28. Aug. 1624 (Ibid. p. 188). *De Monasteriis perpetuae Adorat. SS. Sacram. in Gallia*, vd.: Bullam Innoc. XI. IV. Id. Decbr. 1676 (Ibid. t. XI. p. 202). *De ingressu Sacerdotis saecul. in Monaster. Regul.*, vd.: Const. Bened. XIV. die 14. Jan. 1747 (Ibid. t. XVII. p. 101).

MONIALES.

1) Adoratio SSmi.

Vd.: *Instr. Clem.* §. IX. n. 16, 17.

2) Benedictio Apostolica cum Indulg. plen. in art. mortis Monialibus impertienda.

Mazarien.

(Conc. Tr. C. 5. S. 25. De Reg.)

Collata fuit Episcopo Mazarien. consueta facultas dandi infirmis benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis et facultas concepta est sequentibus verbis, erutis ex epistola eminentissimi brevium secretarii ad eum scripta:

,,Desiderium Dominationis vestrae illustrissimae, quo benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis agonizantibus istarum civitatis et dioecesis Mazarien. concedendi tenetur, exposui Sanctissimo Domino nostro, qui benigne annuit ut Dominatio vestra illustrissima ad triennium proximum benedictionem et indulgentiam hujusmodi agonizantibus civitatis et dioecesis praefatarum per se ipsam immediate auctoritate apostolica concedat; ubi vero praecisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat, eidem permittit, ut alicui sacerdoti pio per Dominationem vestram illustriss. qualibet vice eligendo, *quoad moniales autem illarum confessario ordinario facultatem similem*

communicare valeat, id jussu Sanctitatis Suae, quae Dominationem vestram illustrissimam facultate supradicta vigore praesentium literarum uti posse vult, eidem significo."

Hoc praemisso, quaerit praedictus Episcopus: *an teneatur facultatem benedicendi moniales in articulo mortis constitutas committere earum confessario ordinario vel potius ipse possit ingredi claustra et quatenus velit aliquando benedicere per se ipsum et an in hypothesi, in qua ingredi possit, an et quibus sociis comitatus ingredi teneatur et demum: an in casu, quo aliqua monialis sit infirma et pro sua devotione velit confessionem suorum peccatorum explere, possit confessarius ordinarius aut extraordinarius vel etiam ipse Episcopus ingredi clausuram?*

Praescindendo a prohibitione ingressus in monasteria monialium in ordine ad eos, qui aliorum indigent licentia, ut ingrediantur, Gregorius XIII. in declaratione ad calcem suae constit. 28. bullar. tom. 2. sanxit quoad eos, qui alterius licentia non indigent, sed sui auctoritate officii monasteria monialium ingrediuntur, non posse illos id facere, nisi in casibus necessariis et cum comitatu paucorum et quidem seniorum et religiosorum: „*Praelatos omnes tam saeculares quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria praedicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati.*" Quocirca transgrederetur Gregorianam constitutionem et illius poenis esset subjectus praelatus ille, qui secum duceret laicum, excepto casu, in quo ejus opera tanquam periti indigeret, uti allegatis resolutionibus sacrarum Congregationum late prosequitur *Monacell.* in formular. tom. 3. pag. 109 n. 112 et seqq.

Quoad ingressum Confessarii pro excipiendis monialium confessionibus extat constit. 153 Alexandri VIII. bullar. tom. 6., quae in terminis confessariorum regularium ita statuit §. 5., ad haec: „*Confessor sanctimonialium tam ordinarius quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis, ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum socio, qui sit probatae vitae et maturae aetatis, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessorem videre et ab ipso semper videri possit*"; et quoad alios confessarios extant decreta sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium impressa apud *Nicolium* in flosculis in verbo „clausura" n. 32 et seqq., ubi dicitur: eum ingredi posse ad ministranda sacramenta principalibus anni solemnitatibus confessionis et communionis illis monialibus, quae ita sunt infirmae, ut neque per se neque cum aliarum auxilio possint ad confessionarium et fenestellam accedere, item, quod solus ingredi debet excipiendus a duabus monialibus senioribus, quae illum recta euntem ad valetudinarium et simili modo exeuntem comitentur et cum cautela, quod dum audit confessionem, cella ita sit aperta, ut duae comitatrices, quae super ejusdem cellae janua remanere debebunt, confessarium et infirmam commode cernere, non autem audire possint.

His positis quaeritur:

I. An Episcopus habens facultatem dandi benedictionem apostolicam constitutis in articulo mortis teneatur quoad moniales eam committere earum

confessario ordinario vel potius sit in ejus facultate aliquando ingredi monasterium, ut eis det benedictionem? Et quatenus affirmative quoad secundam partem;

II. An et quibus sociis comitatus monasterium ingredi debeat?

III. An Episcopus et confessarii sive ordinarius sive extraordinarius ingredi possint monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro sua devotione vult confessionem explere?

S. C. C. resp.:

Ad I.: Negative quoad primam partem et ad secundam affirmative;

Ad II.: Debere ingredi in casu, de quo agitur, cum confessario monialium et uno probo sacerdote per eum eligendo.

Ad III.: Uniantur decreta.

Die 10. Maii 1727.

Mazarien.

Proposita fuit instantia Episcopi Mazarien. in Congregatione habita die 10. Maji 1727 pro resolutione quatuor dubiorum; tria fuerunt resoluta, hoc est primum, secundum et quartum et in ordine ad tertium dictum fuit, quod „unirentur decreta.“ Ad calcem solii Secretarius nonnulla adnotavit; quocirca dubium tertio loco propositum et non resolutum dignabuntur EE. VV. resolvere et dubium est hoc quod sequitur:

An Episcopus et confessarii, sive ordinarius, sive extraordinarius ingredi possint monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro sua devotione vult confessionem explere?

S. C. C. resp.:

Affirmative servatis servandis.

Adnotationes Secretarii in causa Mazarien.

In canone 21. Concilii 4. Lateranen. relato in cap. „omnis“ de poeniten. et remiss. omnes et singuli fideles adstringuntur ad explendam confessionem semel in anno et licet nullum certum Tempus annuae confessionis praecepto aliquo ecclesiae praefixum sit, confessio tamen sacramentalis ratione communionis paschalis in paschate implenda est juxta doctrinam divi Thomae quodlibeto primo quaest. 6., art. 2., ibi: „*et quia ex praecepto ecclesiae omnes fideles tenentur saltem in anno praecipue in festo paschae sacramentalem communionem accipere, ideo ecclesia ordinavit, ut semel in anno, quando imminet tempus accipiendi eucharistiam, omnes fideles confiteantur.*“

Item praecepto sacramentalis confessionis tenetur quicunque conscius peccati mortalis, vult accedere ad sacramentum eucharistiae, juxta sac. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7., ibi: „*nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*“ Eodem tenetur praecepto ille, cui periculum mortis imminet, juxta pariter doctrinam divi Thomae in 4 sentent. dist. 17. quaest. 3. art. 1. quaestiuncula prima, ibi: „*ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc.*“ Et quamvis confessionis praeceptum non obliget statim ac aliquis in mortale peccatum lapsus est, expedit nihilominus, ut ille quam citius potest, confiteatur juxta doctrinam S. Bonaventurae, in 4. sentent. dist. 17. quaest. 2. part. 2, ibi: „*consilium tamen sanum est, ut omnes, qui in mortale peccatum lapsi sunt, quam citius pos-*

sunt, confiteantur. Non enim videtur vere contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum", et in eo, *quod attinet ad moniales*, sacrum Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 10. de regul. haec habet: „*Attendant diligenter Episcopi et caeteri Superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant et sacrosanctam eucharistiam suscipiant*", quae verba juxta communem doctorum opinionem in consilium resolvuntur, uti caeteris allegatis docent *Reginald.* in praxi fori poenitent. lib. 39. n. 73. in fine; *Donat.* in praxi rerum regul. tom. 4. tract. 13. quaest. I.

Atque hinc transeundo ad ingressum in monasterium pro administrando sacramento confessionis illis monialibus, quae ita sunt infirmae, ut neque per se neque cum aliarum auxilio possint ad confessionarium et fenestellam accedere, de quibus solis loquitur dubium propositum, doctores de materia scribentes dicunt, confessarium posse ingredi monasterium ad ministranda sacramenta confessionis et eucharistiae, non solum, quando urget morbi periculum, sed etiam in ipso initio morbi, et quoties ex regulae suae praescripto monialis vult confiteri et ulterius quoties infirma dixerit, se sacramento poenitentiae indigere, aut sacramenta recipere consueverat, dum erat sana. Ita *Sanchez* in praecepta decalogi lib. 6 art. 16 n. 45, ibi: „*quod si petas, quoties confessarius aut ministraturus eucharistiam ingredi possit? respondeo, non solum id fas esse, quando morbi periculum ad confessionem obligat, sed etiam ipso morbi initio, ut constat ex cap. „cum infirmitas" de poenitentiis et remissionibus et ex motu proprio Pii V.*, *ubi jubentur medici statim in ipso morbi initio suadere infirmis, ut sacramenta confessionis et eucharistiae recipiant tanquam valde conferentia corporeae saluti recuperandae, eo quod saepe morbus in poenam peccatorum contingat et tanquam valde necessaria saluti animae, cum saepe inopinato contingat infirmum phrenesi arripi incapacemque horum sacramentorum reddi. Immo id licitum quoque credo, quoties ex regulae suae praescripto moniales solent confiteri, quod bene docet Miranda loquens de strictiori monialium S. Clarae clausura, additque idem dicendum, quoties infirma dixerit se sacramento poenitentiae indigere et placet, nec stricte hanc indigentiam sumendam existimo, sed quando ad veram et propriam consolationem confiteri desiderat, quia justum est tristitiam infirmae tam salutari medicina levari. Idem etiam credo, quoties juxta laudabilem monasterii usum solent moniales confiteri, eucharistiamque recipere, vel infirma solita est his sacramentis uti, quia rationi consonum est, infirmas hoc solatio non destitui.*"

Quod ipsum a caeteris aliis fuse confirmatur, *Rodrig.* quaest. regul. tom. 1 quaest. 47 art. 4; *Miranda* in tract. de sacris monial. quaest. 2 pag. mihi 42; *Tamburin.* de jure abbatissarum disputat. 24 quaest. 2 n. 1; *Diana* in edit. coordinata tom. 5 tract. 1 resolut. 9 n. 4; *Portell.* in dubiis regul. in verbo „clausura monialium" n. 9; *Pellizar.* de monialibus cap. 10 sect. 3 subsec. 1 quaest. 40 n. 220; *Gibalin.* de clausura disquisit. I. cap. 7 §. 2 consect. 2 §. „secundo licebit"; *Bonacin.* operum moral. tom. I. quaest. 4 de clausura puncto 4 proposit. unica n. 4.

Sermonem habendo de decretis sacrarum Congregationum, nonnulla sac. Congregationis Episcoporum et Regularium referuntur apud *Nicol.* in Flos-

culis in verbo „clausura" n. 32 et seqq., in quibus sermo fit de ingressu ad ministranda confessionis et communionis sacramenta „in principalibus anni solemnitatibus et ab hac sacra Concilii Congregatione 15. Decembris 1605 resolutum fuit: *posse confessarios ingredi clausuram monialium ad ministranda infirmis sacramenta poenitentiae et eucharistiae, omnibus illis diebus, quibus ex instituto vel consuetudine monasterii moniales sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipiunt*, uti habetur in tom. 129 posit. pag. 137 ad cap. 5 sess. 25. Sed non videtur, quod haec decreta taxative loquantur.

3) Breviarium.

Vd.: *Confiteor; Officium parv. B. V. M.* (Tempus; decr. 5148); *Officium; Lingua; Breviarium Monast.; Patronus princip.; Dedicat. Cath.*

Monialibus apud Indos orientales potest concedi Officium roman. n. 93 die 27. Maji 1596.

Moniales poterunt de Sanctis *propriis* celebrare Officium, sed missam cum Missali romano, si celebratur ab earum Capellanis. n. 772 ad 11 die 28. Oct. 1628.

Quando fit festum de Patrono Civitatis, Dedicationis Ecclesiae majoris vel de Patrono Regni, Moniales subjectae Ordinario tenentur recitare Officium dictum, dummodo non habent ritum proprium, prout Dominicales et Monasticae. n. 2419 ad 6 die 13. Aug. 1667.

Moniales, habentes usum *Breviarii Monastici,* quamvis non Monachis sed Ordinario subjectae, tenentur dumtaxat ad facienda Officia SS. Patronorum Civitatis juxta rubricas et ritum Breviarii Monastici et non ad alia in Calendario *Dioecesano* descripta. n. 1517 die 2. Julii 1644 (Vd.: *inf. decr. de die 7. Apr. 1832.*).

Non debere Ordinarium permittere, ut Moniales diversorum Ordinum, quae retentis Officiis Sanctorum proprii Ordinis Breviarum romanum receperunt, celebrent nova Officia, quae non sunt per sedem apost. approbata. n. 1570 ad 1 die 17. Novb. 1646.

Stante antiqua consuetudine a fundatione Monasterii introducta Moniales tuta conscientia posse continuare in recitatione Officii Sanctorum sui Ordinis, quando occurrunt, absque eo, quod aliud Officium dicta die recitare teneantur, prout continuandi in dicta consuetudine antiqua facultatem et licentiam eis dedit S. C. n. 264 die 11. Junii 1605.

Monialibus non licet ex eo, quod ab erectione Monasterii usae fuerint Breviario rom., recitare Officia propria earum Ordinis (S. Benedicti) ad formam et juxta rubricas ejusdem Breviarii rom., nisi id expresse a Sede apost. ipsis indultum fuerit. n. 1630 die 19. Sept. 1654.

Moniales ss. Visitationis teneri in recitando Officio solito commem. s. Antistitis (s. Francisci Salesii) facere juxta rubr. 35 de commem. communib. et Suffragiis. n. 2425 ad 6 die 19. Novb. 1667.

Extat Viterbii Monasterium Monialium, quae profitentur sub regula s. Augustini et subsunt immediate soli Ordinario nec a Regularibus gubernantur nec sunt sub ordine Monastico neque cum illo, praesertim quoad horas canonicas conveniunt, sed ritum ecclesiasticum Cleri saecularis sequentes hactenus Officia divina juxta Breviar. rom. recitarunt. Nuper coeperunt Officia propria Regularium SSrum Ordinis S. Augustini recitare. S. C. resp.: „*Non licere.*" n. 2773 die 21. Mart. 1676.

Moniales Monasterii s. Basilidis Parmensis non possunt recitare Officium s. Benedicti fer. 3. infra annum in vim concessionis de die 10 Mart. 1668

factae religioni Cisterciensi, quia concessio est pro Monachis tantum non autem pro Monialibus. n. 3087 ad 2 die 2. Junii 1685.

Ad dubium: an Moniales, quae militant sub regula s. Augustini sed subjectae Ordinariis locorum et vivunt sub eorum cura, possint uti Breviario Augustiniano, sicut eodem Breviario utuntur Moniales, quae sunt sub gubernio Religiosorum Augustinianorum? S. C. resp.: Affir. (27. Jan. 1680) n. 4213 die 12. Decb. 1750.

Ad dubium: Utrum Sanctimoniales Ordinis Cappuccinorum, quae Ordinis ipsius Kalendario utuntur, possint omittere Officia propria Sanctorum Dioecesis, an omittere Officia Ordinis, ut persolvant illa Dioecesis, vel potius, relicto Kalendario Ordinis, in omnibus sequi illud Dioecesis? Emi itaque ac Rmi P.... rescribendum censuerunt:

„Juxta alias decreta praeter Dedicationem Cathedralis et Officium Patroni non teneri nisi ad Officia, quae indulta sunt utrique Clero, nec teneri dimittere Kalendarium Ordinis, si juxta illud Officium recitent." Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt die 8. Aug. 1835 n. 4767 ad 6.

Ad dubium: 1. An declaratio S. C. R. de anno 1683 die 20. Mart., quod scilicet Regulares non possint recitare Officium de octava Patroni princip. loci sine speciali Indulto S. R. C., comprehendat etiam Moniales Ordinariis subjectas?

2. An eadem Moniales Ord. subjectae teneantur recitare officium de octava Dedicat. Cathedr. vel saltem ad libitum possint recitare de eadem?

S. C. resp.: Ad 1.: Affirmative.

Ad 2.: Negative quoad utramque partem et tantum tenentur recitare Officium Dedicat. Cath. sub ritu dupl. 2. cl. sine octava.

Die 11. Febr. 1702 ad 1 et 2.

Sanctimoniales Ord. S. Benedicti, utentes jam fere a decem saeculis Brev. monastico, licet Ordinario subjectae, tenentur dumtaxat ad Officia Patroni civit., Titularis Cathedr. et ex convenientia ad Officium Dedicat. ejusd., in omnibus sine octava, juxta decr. in una Breviarii Monastici 2. Julii 1644 (Vd.: *supra decr. n. 1517.*) et in Lauden 20. Novb. 1683. Reliquae vero tum Ordinis S. Augustini, tum Ord. Minor. S. Francisci, sicut et praedictae Benedictinae non exturbandae sunt a sequendo proprii Ordinis calendario et licet Ordinario sint subjectae, non possunt illi Calendario addere alia officia praeter supradicta juxta decr. in Januen 22. Aug. 1744, nisi aliter ab hac Sede ap. fuerit indultum, pro clero saeculari cujuscunque dioecesis et regularibus utriusque sexus. Die 7. Apr. 1832.

Moniales in recitatione lectionis brevis ad Completorium dicere debent: *Jube Dom. bened.*, et: *Fratres, sobrii estote etc.*, contrarium tamquam abusus omnino abolendum est. Die 16. Sept. 1673 ad 7 n. 2656.

Clemens PP. XIV.

(Dispens. ab iterata recitat. Matutini.)

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae modernae priorissa et moniales monasterii s. Dionysii Paris. civitatis, quod alias fel. rec. Clemens PP. XII. omnibus monialibus ordinis hujusmodi concessit, *ut ipsae, quoties propter supervenientem somnum in recitat. matutini per earum constitutiones praescripta, quae hora noctis admodum incommoda fieri solet, illud integre minime dixissent, omnes defectus hac de causa ab eis in recitatione hujusmodi incursos ap. auctoritate supplebat, illasque a nova et integra sive partiali dicti matutini recitatione absolvebat injuncto insuper, ut omnem quoad rem hanc scrupulum ipsae deponerent.*

Postmodum vero Rainaldus Maria a s. Josepho Generalis preces porrexit ad hoc, ut ea, quae vivae vocis oraculo idem Clemens Generali Philippo dixerat, scripto mandarentur, ipse autem Bened. PP. XIV. omnes facultates opportunas et necessarias eidem Rainaldo rescripto concessit, quo non solum Moniales ab omni defectu praemissa de causa incurso absolvebat, super nova recitatione sive partis sive totius matutini dispensando, sed etiam, quia ipse noverat, quod pro majori suarum conscientiarum quiete dictae moniales desiderabant, ut aliqua alia vocalis oratio subroganda esset, hinc absolutioni et dispensationi hujusmodi quoad illas moniales, quae de satisfactione dubium habuissent, *onus ipse addidit recitandi per quinque vices orationem dominicalem et salutat. angel.*, *addita tamen declaratione, ut omnis via timori novisque scrupulis praeclusa esset, quod easdem moniales recitationi dictarum precum graviter obligare non intelligebat*, ac alias prout in ejusdem Rainaldi epistolis uberius dicitur contineri.

Haec indulta quum dictae Moniales ap. patrocinio communiri plurimum desiderent, Nos ipsas exponentes speciali gratia prosequi volentes, praemissa omnia ab eisdem Clemente et Benedicto praedecess. Nostris concessa et indulta tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis ap. firmitatis robur adjicimus.

Non obstantibus Quibuscunque etc.

Romae die 21. Novb. 1770.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 247. Ed. Rom. 1841.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae priorissa et moniales recollectae nuncupatae ordinis sancti Augustini regalis monasterii Incarnationis etiam nuncupati oppidi Matriti Toletanae dioecesis, quod ipsae pro sua et capellanorum ecclesiae dicti monasterii inservientium spirituali consolatione et commoditate, licentiam recitandi officia propria missasque celebrandi illorum sanctorum, de quibus dictae exponentes recitant officium, capellanis hujusmodi per Nos concedi summopere desiderant, Nobis proterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur,

Nos igitur easdem exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati modernis et pro tempore existentibus capellanis servitio ecclesiae praedicti monasterii addictis, ut ipsi in posterum officia propria recitare, missasque illorum sanctorum, de quibus dictae exponentes recitant officium celebrare libere et licite possint et valeant, licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur.

Datum Romae die 27. Mart. 1787.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 8. Ed. Rom. 1843.)

Pius PP. VII.

(Tempus.)

Vd.: *Nativ. Dom.* (Commun., decr. Pii VII. die 25. Junii 1819.)

Dilectis filiabus Monialibus Monasterii s. Crucis Venetiarum.

Vester exiguus numerus atque inclinata aetas et infirmitas corporis et valetudo incommoda, qua estis pleraeque, videntur Nobis profecto exposcere, ut de instituti vestri severitate aliquid remittatur. Quis enim ignorat, quod Christus, qui vos sibi sponsas delegit, professus aperte est, jugum nempe suave prorsus esse suum et onus leve? Quamobrem non multae

deliberationis fuit adsentiri vestris postulatis, quae nuper ad Nos deferri curastis, quaeque intelleximus non a mollitie et lanquore animi et virtutis profecta sed ex eo, quod vires vos et facultas defecerint.

Itaque vos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, vobis, ut, quamdiu ordinarius civitatis istius vestrae expedire in Domino judicaverit, *matutinum et laudes divini officii non de media nocte sed post occasum solis diei antecedentis recitare* seu concinere possitis, tum ut a die festo omnium Sanctorum ad Natalem Domini non quotidie sed feria tantum quarta et sexta jejunare debeatis, denique ut in cella quaeque vestrum seorsim sua, non in dormitorio simul, somnum capere valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus et in ejusmodi tribus capitibus ab obligatione quacumque vestrae servandae regulae omnes et singulas vos, quoadusque, ut dictum est, ordinario vestro videbitur, solutas esse decernimus et declaramus.

Datum Romae die 21. Novb. 1800.
(Bull. r. Continuat. t. XI. p. 80.)

4) Clausura.

a) Dispensatio ab ea propter obsess. civitatis.

Vd.: *Monial. Clausura* (Observ., decr. diei 18. Nov 1713 *Gerunden.*).

b) Ingressus Episcopi.

Vd.: *Moniales* (Benedictio apost.).

c) Ingressus Superior. regul.

Ad dubium: An Superior Regularis Monasterii Monialium s. Clarae civitatis Graecii ingredi possit clausuram dicti Monasterii post electionem Abbatissae ad peragendam exhortationem et publicandam dictae Abbatissae electionem Monialibus?

S. C. resp.: Negative et amplius.
Die 29. Nov. 1710 et 10. Jan. 1711.
Vd.: *Moniales* (Bened. apost.).

d) Ingressus vetitus.

Vd.: *Bullam PP. Pii V.* diei 29. Maii 1566 in Bull. r. t. II. p. 196 (Ed. Luxenbg.). *De Clausura et Migratione Monial.*, vd.: *ejusd. PP. Pii V. Bullas* anno 1566 et 1570 editas (Ibid. t. X. p. 147). *De claus et directione Monial.*, vd.: *Bull. Gregorii XV.* Nonis Febr. 1623 (Ibid. p. 183). *Constitut. de disciplina Monial.*, vd.: *Bull. Bened. XIII.* die 27. Mart. 1726 (Ibid. t. VIII. p. 495). *De facultate cum Monial. in clausura viventibus colloquendi*, vd.: *Indultum* (revocat. n XIII.). *De reditu in clausuram*, vd.: *Bull. Bened. XIV.* die 1. Juni 1741 (Bull. r. t. XVI. p. 34). *Confirmantur sanctiones antea editae in Bulla Bened. XIV.* die 3. Jan. 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 62). *De clausura Monial. et admiss. famularum*, vd.: *Bull. Bened. XIV.* die 24. Jan. 1747 (Ibid. t. XVII. p. 105).

Benedictus PP. XIV.

Ad Episcopos Ditionis Ecclesiasticae.

Gravissimo animi moerore affecti sumus, dum a certis viribus annuntiatum Nobis est, aliquos esse Praesules, *qui regimen civitatum Ditionis Nostrae obtinentes,* nec habita immo nec petita quidem ab episcopis locorumque Ordinariis facultate ad Monialium monasteria se conferunt et libere cum iis colloquuntur, Synodorum decreta et Episcoporum constitutiones omnino infringentes, in quibus hujusmodi licentia poenis prohibetur, sed non solum in iis civitatibus, in quibus sunt cum imperio, verum in caeteris quoque sese exceptos esse contendant.

Praeteritis temporibus S. Congregationes annuentibus SS. Pontificibus opportune statuerunt, quae sibi necessaria visa sunt, quoad Regulares, qui suis fulti legibus sive immunitatibus putabant injussu Episcopi libere se adire posse sibi addicta Monialium

claustra, ut videre licet in tract. nostro de *Syn. Dioec. l. 7, c. 41, n. 7;* providenter etiam non tam Gubernatoribus quam Episcopis, qui aut in civitates aut oppida alterius Episcopi juri subjecta veniunt aut innibi commorantur, sanxerunt, ne quis inscio Ordinario Monasteria adiret aut Moniales alloqueretur; cujusmodi decreta a recentioribus auctoribus indicantur, ut legitur apud Sellizarium *de Monialibus cap. 5, sect. 5, num. 210*, apud Gratianum *discept. 392, num. 1*, apud Tamburrinum *de jure Abbatissarum disp. 25, quaest. 2*, et apud Ferrar. *in sua Bibliotheca in verbo: Moniales art. 4, num. 34.*

Canonicis sanctionibus Monialium custodia juri ordinario Episcopi, si Monasteria ejus potestati subjecta fuerint, delegato, si exempta, committitur, quemadmodum statutum fuit a Pontifice Bonifacio VIII. in cap. *Periculoso, de statu Monachorum in sexto,* atque a Sacro Tridentino Concilio renovatum *in cap. 5, sess. 25 de Regularibus et Monialibus.* Hinc porro omnino sequitur, Monasteria adire Monialesque invisere sine Custodis jussu licere nemini, ac propterea debere omnes hujusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse directivae interdicti auctoritati, sicut probant citati auctores et argui facile potest ex praeteritis Congregationum decretis.

Quae quidem confirmata omnino volumus, ac si opus sit, quod non putamus, nova lege sancimus imperamusque, ne Episcopi alienae Dioecesis Monasteria conveniant atque cum Monialibus colloquantur inscio Ordinario Loci; eademque omnia firma rataque esse jubemus, etiam quoad Vicelegatos et Gubernatores licet Praesules, quibus ad Monasteria accessum sine debita venia in iis quoque Civitatibus, in quibus cum imperio fuerint, interdicimus.

Jam dictum est hosce omnes directivae Episcorum auctoritati eorumque Constitutionibus subjacere, quae omnino accessum vetant ad Monialium Claustra sine debita facultate. Cum vero iidem ordinariae Episcoporum jurisdictioni minime subsint, ideo sunt immunes a vi coactiva, id est a poenis contra transgressores statutis, uti ex responso patet Clementis III. in *cap. A Nobis 21 de sententia excommunicationis.* Ne vero ab hujusmodi immunitate aliquid mali exoriatur, volumus et mandamus, ut, si aliquando contigerit, quod futurum non credimus, ut eorum aliqui, quos supra memoravimus, ad Monasteria Monialium se conferant et cum iis Episcopi injussu agant, infringentes Synodorum sanctiones atque Episcoporum edicta, volumus et imperamus, ut Episcopi Nos aut Congregationem Episcoporum et Regularium certiorem faciant, ut aliqua ratione contempta Episcopalis auctoritas vindicetur; eoque libentius hujusmodi consilium amplectimur, quod idem a Praedecessoribus nostris decretum novimus, quoties ab Ordinariis adversus personas immunes et Sedi Apostolicae immediate subjectas procedendum sit; Joannes XXII. *in cap. Cum Matthaeus, de haereticis, in Extravagant. com.*, Eugenius IV. *in cap. Divina, de Privileg. in Extravag. com.*

Datum Romae die 31. Oct. 1749.

(Bull. r. t. XVIII. p. 54. Ed. Luxbg.)

Clemens PP. XIV.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae moniales Ord. B. V. M. de Monte Carmelo Excalceatae nuncupatae civitatis s. fidei de Bogota in Indiis Occidentalibus, quod regularis earum vivendi ratio in eo potissimum versetur, ut a mundanis rebus alienae in silentio vitam solitarie ipsae

ducant, neque puellae educationis causa illarum monasterium ingrediantur; hinc alias anno 1719 fel. rec. Clemens PP. XI. per suas expeditas literas ad preces tunc existentium Monialium dicti monasterii sub certis tunc expressis poenis prohibuit, ne quaecunque persona monasterium hujusmodi ingredi valeret. Cum autem praedictarum literarum dispositio in desuetudinem abiisse nunc dignoscatur, ipsae vero exponentes, ut clausura et monasterii disciplina rigorose observetur et earum quieti consultum sit omnisque distractionis praecidatur occasio, opportune a Nobis provideri et indulgeri summopere desiderant.

§. 2. Nos piis exponentium votis annuere volentes memoratas Clementis Praed. nostri literas prohibitionem hujusmodi continentes tenore praesentium confirmamus illisque apost. firmitatis vim et efficaciam adjungimus, ac literas praedictas et in eis contenta quaecunque adversus quemcunque non usum seu desuetudinem et inobservantiam, necnon quemvis abusum et contrarium usum contrariamque observantiam etiam forsan publicam ac quantolibet tempore tolleratam in integrum et pristinum statum restituimus illasque perpetuo inviolabiliter observari praecipimus et, quatenus opus sit, ne de caetero absque speciali Sedis ap. facultate ulla persona cujusvis status, gradus, aetatis et conditionis monasterium praedictum sub quovis praetextu et causa etiam educationis et expectandi tempus suscipiendi habitum regul., neque quisquam quavis superioritate, officio aut dignitate fungens, ullam personam etiam ex nobili sanguine procreatam, sive conjugatam sive innuptam in monasterium hujusmodi introducere seu ut introducatur permittere audeat sub excommun. latae sententiae ipso facto absque alia declaratione incurrendae poena, a quo Nemo absolutionis beneficium nisi a Nobis seu rom. Pontifice praeterquam in mortis articulo constitutus, obtinere queat, tenore praesentium prohibemus et interdicimus.

Romae die 23. Apr. 1773.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 564. Ed. Rom. 1841.)

e) Egressus Monial.

Vd.: *Monial. Claus.* (Observanda etc.).

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales monasterii ordinis Cisterziensis de Arouca nuncupati istius Portugallensis dioecesis, quod ipsae exteriorem suam ecclesiam in aliquos anni dies adornandum altare, ubi exuviae sanctae Maphaldae suae fundatricis et reformatricis illudque visitandum, nec non eamdem ecclesiam perpoliendam occasione festivitatis sancti Bernardi fundatoris ac in duos dies feriam quintam majoris hebdomadae praecedentes ad paranda ea, quae pro sacra illius diei functione sunt necessaria, ingredi posse summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur easdem exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem modernis et pro tempore existentibus monialibus aliisque puellis in eodem monasterio degentibus in dies primae et secundae Maii, decimae nonae mensis Augusti ac in duos dies praecedentes feriam quintam majoris hebdomadae pro adornando instruendoque sepulchri Do-

mini Nostri Jesu Christi ecclesiam praefatam *omnibus viris ac mulieribus exclusis* claustrique exterioribus januis et iis tantum ministris ad praemissorum effectum dumtaxat necessariis remanentibus ingredi et egredi possint, pro tuo arbitrio ac conscientia auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.

Datum Romae die 6. Maii 1794.

(Bull. r. Continut. t. IX. p. 365.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales Conceptionis beatae Mariae virginis immaculatae in Campo Martio de Urbe ordinis sancti Benedicti, quod, cum alias in ecclesia dicti monasterii sacrum, ut pie creditur, corpus sancti Gregorii episcopi Nazianzeni per plura saecula asservatum ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus veneraretur ac postmodum de hujus sanctae Sedis licentia ad basilicam Principis Apostolorum de eadem Urbe translatum inibi custodiretur, fel. rec. Benedictus PP. XIV. pradecessor Noster precibus earumdem abbatissae et monialium humiliter sibi porrectis intentus, ut religioni non solum, qua erga easdem sacras exuvias tenebantur, facerent satis, verum etiam, ut septem praescriptas dictae Urbis ecclesias visitare possent, tunc suo ac pro tempore existenti in alma Urbe vicario in spiritualibus generali commisit, ut sub certa tunc expressa forma et modo pro tempore existentibus abbatissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in eodem monasterio degentibus, ut a primis vesperis unius diei infra octo dies post festum ejusdem sancti Episcopi sive alterius diei pro opportunitate ab abbatissa pro tempore existente designanda e suo monasterio egredi et ad dictam basilicam ire ac subinde die immediate sequenti ab ortu usque ad occasum solis diei hujusmodi reliquas dictae Urbis ecclesias pro visitatione septem ecclesiarum praescriptas adire et visitare possent, auctoritate apostolica indulgeret, prout in ejusdem Benedicti praedecessoris hisce desuper die XXX. Augusti 1756 expeditis literis uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictae exponentes licentiam ingrediendi bis in anno e dicto moasterio, ut praefertur, a memorato Benedicto praedecessore concessam per Nos ampliari summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut ipsis modernis et pro tempore existentibus abbatissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in ejusmodi monasterio degentibus licentiam bis in anno egrediendi e dicto monasterio, ut praefertur, a memorato Benedicto praedecessore concessam ad aliam vicem pariter in anno in die mensis Octobris pro opportunitate ab eadem abbatissa dsignanda, servata tamen in reliquis earumdem Benedicti praedecessoris literarum forma et dispositione, auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.

Datum Romae die 2. Oct. 1795.

(Bull. r. Continuat. t. IX. p. 575.)

Pius PP. VI.

V. Fr. Ep. Cephaludensi.

Exponi Nobis nuper fercerunt dilectae in Christo abbatissa seu prio-

rissa ac sanctimoniales istius monasterii sanctae Catharinae ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis, quod cum monasterium praedictum valde angustum atque altis aedificiis circumclausum sit, ipse pluribus morbis afficiuntur ac praesertim illarum plurimae lenta tabe perimuntur, quod cum physici aëris crassi et gravis, quo illae utuntur, vitio vertant, adeo ut adhuc in vivis agente praedecessore tuo semel ac iterum ab eo emigraverint, ut hinc aliquod remedium ejusmodi incommodo adhibeatur, e monasterio praedicto pluries in anno egredi posse per Nos sibi concedi summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus proseqi volentes, suppliationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut quatenus vera sint narrata, ipsis modernis et pro tempore existentibus abbatissae seu priorissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in ejusmodi monasterio degentibus, ut quater in anno, ab abbatissa seu priorissa ejusdem monasterii pariter pro tempore existenti pro opportunitate designandum, ab ortu usque ad occasum solis a dicto monasterio egredi et aliquas ecclesias extra istam civitatem Cephaludensem erectas adire ac visitare possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.

Verum, ut haec omnia rite et ordine et juxta cor Nostrum fiant, eidem fraternitati tuae districte mandamus, ut facultatem et licentiam praedictam non aliter exercere sinas, quam, ut infra praescribimus, nempe ut die per abatissam seu priorissam praedictam, ut praefertur, designanda et a te prius approbanda, nonnisi post ortum solis a dicto monasterio ab ordinario confessario et a duobus illius deputatis, quatenus illi existant, associatae egredientur et recto tramite ad constitutas ecclesias extra civitatem, nisi aliquod monasterium clausurae ejusdem civitatis obtenta prius a te licentia, ad praemissum effectum minime denegandum ingrediantur, modeste ac velum etiam ante faciem dimissum deferentes petant, refectionem vere corporalem in aliquo commodiori loco vel extra vel intra portas dictae civitatis sumere possint, ita tamen ut curata per ministros dicti monasterii aut alios quoscumque refectione seu prandio hujusmodi, statim hi e loco assignato exeant et clausis januis villae seu domus, in quo ipsae moniales aliaeque personae praedictae fuerint et clavi per confessarium caute servanda in villa seu domo praedicta, nullus omnino masculus neque ipse confessarius aut deputati minusque agricolae aut domus vel villae custos neque foeminae quaecunque etiam servitio dicti monasterii adscriptae illique inservientes cujusvis status, gradus, conditionis ac dignitatis, nec non monialium et educandarum ac conversarum consanguineae existentes, sub excommunicationis latae sententiae ipso facto etiam per abbatissam seu priorissam ac moniales et alias praedictas, si ad id aliquo et pacto consenserint, incurrenda ac privationis praesentis gratiae remaneant, in eadem villa aut domo, sic, ut praefertur, clausa, commorari, comedere aliaque religiosae relaxationis agere possint, dummodo hora competenti et ante occasum solis intra dicti monasterii clausuram reperiantur. Post quam autem omnia, ut praefertur, praescripta et ordinata ac alia pro arbitrio et prudentia tua praescribenda et ordi-

nanda probaveris, pro prima vice rite, pie ac sine religiosae regularis disciplinae detrimento et sine populi offensione processisse, ita in posterum servanda cures atque praecipias.

Datum Romae die 4. Aug. 1797.

(Bull. r. Continuatio t. X. p. 113.)

Pius PP. VI.

V. Fr. Ep. Reatino.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa ac moniales monasterii s. Luciae ordinis s. Francisci istius civitatis Nostrae Reatinae, quod alias ac novissime per organum Congregationis VV. Fr. N. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum a Nobis obtinuerunt ad triennium, ut pro spirituali illarum consolatione e monasterio praefato ad visitanda quaedam sanctuaria extra moenia ejusdem civitatis sita bis in anno egredi possent. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, indultum praedictum ad triennium, ut praefertur, prorogari obtinuerint, atque ex indulto hujusmodi nullum unquam incommodum ac scandalum exortum sit, ut illud perpetuis futuris temporibus confirmari, immo, ut si ex aliqua intercedente causa uti minime velint, ut pro sanctuariis praedictis ad aliquas ecclesias intra moenia ejusdem civitatis sitas visitandas, pariter bis in anno egredi possint, per Nos eis concedi summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, ut quatenus vera sint narrata, ipsis modernis et pro tempore existentibus abbatissae, monialibus expresse professis, novitiis, educandis, conversis et aliis in dicto monasterio degentibus, ut bis in anno in diebus ab abbatissa dicti monasterii pariter pro tempore existenti pro opportunitate designandis ab ortu usque ad occasum solis e dicto monasterio egredi atque sanctuaria praedicta extra moenia istius civitatis Nostrae Reatinae adire ac visitare possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas, quod si interdum aliquas ecclesias intra moenia dictae civitatis sitas et a te pro tuo arbitrio et prudentia eligendas pro sanctuariis praedictis visitare maluerint, id pariter abbatissae ac monialibus caeterisque personis praedictis auctoritate Nostra apostolica indulgendi, dummodo tamen bis tantum in singulos annos hoc indulto utantur, plenam et amplam facultatem tribuimus et impertimur.

Reliqua ut in suprascripto decreto.

Datum Romae die 3. Oct. 1797.

(Bull. r. Contin. t. X. p. 120.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Ep. Cephaludensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales istius monasterii s. Catharinae ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis, praedecessorem Nostrum felicis recordationis Pium VI. ad evertendos morbos, quibus ob loci angustias aeremque crassum et concretum, quem ducunt, vexarentur, sibi per literas apostolicas in forma Brevis die 4. Augusti anno 1797 permisisse, ut quater anno e suis septis sui relaxandi causa egrederentur: quod cum salutare sibi admodum senserint medicique adfirment, praestare omnino, ut crebrius ejusmodi solatio et remedio se recreent ac substentent ac Nostram idcirco benignitatem et clementiam confugere.

Nos igitur ipsas specialioribus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut sub iisdem plane legibus, conditionibus et cautelis in commemoratis decessoris Nostri literis commendatis et praeceptis, licentiam, ubi vera quidem narrata compereris, iisdem abbatissae et monialibus modernis ac pro tempore existentibus, tum novitiis, educandis, puellis et caeteris, quae in ipso monasterio degant, inde exeundi ad quatuor alios anni dies, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, proferas.

Datum Romae die 15. Julii 1800. (Bull. r. Contin. t. XI. p. 32.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Archiep. Panormitano.

Nuper exponi Nobis fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa et moniales monasterii dicti de Gratia, ordinis s. Francisci, civitatis Panormitanae, quo ipsae ob rationes et causas jam alias Sedi huic apostolicae expositas bis ab eadem favorabile impetrarent indultum, cujus vigore ad quinquenium possent quater in anno e sui monasterii claustris egredi et aliquo aëris ac levaminis beneficio frui. Quoniam vero causae et rationes, quarum intuitu praedictum indultum fuit ipsis concessum, adhuc vigent ac permanent, ideo indultum hujusmodi per Nos sibi ampliari atque perpetuari summopere cupiunt, eo vel magis, quod isthic non desunt moniales aliorum monasteriorum, quae simili gaudent indulto perpetuo. Hinc nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benigntate aposolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et constito tibi de narratis, monialibus monasterii praedicti nunc et pro tempore existentibus memoratum indultum egrediendi quatuor tantum vicibus in quolibet anno ac firmis semper manentibus clausulis et conditionibus omnibus in primo indulto injunctis atque expressis, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis in perpetuum amplies atque extendas.

Datum Romae die 15. Novb. 1805. (Bull. r. Continuat. t. XII. p. 391.)

f) Observanda.

Gerunden.

(Conc. Tr. C. 5. Sess. 25. De Regul.)

In postrema obsidione civitatis Gerundae, cum fere omnia deficerent ad vitae sustentationem, tam Moniales Cistercienses sub jurisdictione Abbatis Cisterciensis, quam Moniales Ordinis Minorum S. Francisci, ipsius Ordinis Superioribus Regularibus subjectae, licentiam ab Episcopo obtinuerunt excedendi a Monasteriis ad formam Bullae S. Pii V., quae vel in patriis laribus vel in aliis commodioribus Coenobiis sese receperunt. At obsidione absoluta Urbeque victualium copia instructa, Moniales ipsae paucis exceptis ad propria Monasteria redire renuunt, causam praetexentes devastationis eorundem bonorum, aëris intemperiei et difficilis accessus ad Civitatem, ac ulterius aegreferunt cogi ab Episcopo ad Clausuram, eo sub obtentu, quod ab ejus jurisdictione habeantur exemptae. Quoniam vero hujusmodi causae nimis, ut perhibetur, videntur futiles, cum Monialibus nihil ad vitae saltem sustentationem in Monasteriis deficiat facilisque sit accessus ad Civitatem, in qua nullae grassantur infirmitates

epidemicae. Hinc Episcopus, priusquam ad censurarum fulminationem et respective declarationem contra ipsas Sanctimoniales procedat, supplex declarari expetit sequentia dubia. Relatis hisce precibus in Congregatione diei 9. Septembris ultimo effluxi rescriptum prodiit, quod causa describeretur in folio; dignabuntur itaque EE. PP., qua solent, sapientia decernere:

I. *An Moniales praedictae in praesenti manentes extra propria Monasteria inciderint in excommunicationem latam in Bulla S. Pii V., saltem postquam extrajudicialiter ab Ordinario fuerint monitae in casu etc.?*

II. *An incurrerint excommunicationem Moniales, etiamsi maneant in aliis Monasteriis ejusdem vel alterius Ordinis in casu etc.?*

III. *An Moniales Regularibus subjectae possint egredi in casibus permissis extra Monasteria absque licentia Ordinarii, etiamsi ipsam habuerint a Superioribus Regularibus, in casu etc.?*

IV. *An praedictis Monialibus suffragetur observantia contra Bullam S. Pii V. et Sac. Concilium Tridentinum, quoad clausurae legem, in casu etc.?*

S. C. C. resp. *ad 1:* Episcopus cogat juris remediis ad redeundum;

ad 2: Ut ad primum;

ad 3: Negative;

ad 4: Negative.

Die 18. Novb. 1713.

5) Communio.

a) Licentia.

Januen.

(Conc. Tr. C. 6. S. 22. De Sacr. Missae.)

Exhibitus fuit huic sacr. Congregationi supplex libellus, in quo relatum fuit, praxim invaluisse in monasteriis monialium civitatis Januensis tam subjectarum ordinario quam regularibus, ut nulla monialis sacram Eucharistiam sumere valeat extra dies, quibus juxta constitutiones omnes moniales communicant, nisi accedat consensus capituli monasterii, quamvis communio esset petenti permissa aut praescripta a confessario, quae res vergere dicebatur in desolationem nonnullarum piarum animarum, quae frequentiorem et aliquando quotidianam Eucharistiae sumptionem ex consilio aut praecepto confessarii desiderant; cumque scriptum fuisset eminensissimo ordinario pro informatione, et idem respondisset, quod in aliquibus monasteriis monialium non poterant singulae moniales etiam cum licentia confessarii sumere sacram synaxim extra dies a constitutionibus vel consuetudine praescriptos, et quod in aliis monasteriis sumptio Eucharistiae extra praedictos dies monialibus permittebatur annuente confessario, sacra haec Congregatio die 12. Februarii 1724 respondit: quod observaretur decretum anni 1697, in quo ab hac sacra Congregatione, accedente approbatione venerabilis Dei servi Innocentii XI. *), sic resolutum fuit die 12. Februarii ejusdem anni quoad frequentem communionem in ordine ad moniales: „*itidem moniales quotidie sacram communionem petentes admonendae erunt, ut diebus ex earum ordinis instituto praestitutis communicent. Si quae vero puritate mentis eniteant et favore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur.*“

Delata hujus Decreti notitia ad civitatem Januensem incaeperunt nonnullae moniales sacram sumere Eucharistiam etiam extra dies communitati praefixos absque ulla licentia con-

*) Vd.: *Communio frequens.*

fessarii ordinarii et superiorissae, sed de solo consensu spiritualis directoris uniuscujusque monialis, ita ut superiorissae nonnullorum monasteriorum coactae fuerint, ad avertenda frequentia incommoda, non amplius retinere apud se clavem parvae fenestrae, per quam moniales Eucharistiam recipiunt, sed eam relinquere arbitrio monialium communicare volentium. Admonitaque de hac re sacra Congregatione, cum novae datae fuerint literae ad eminentissimum ordinarium, idem respondit, quod computatis diebus, qui a constitutionibus vel a communi consuetudine sunt monialibus praescripti pro sumenda communione, eaedem in toto anni decursu vix ab ea abstinent quadraginta aut quinquaginta diebus, et quod in tantum introductum est, quod moniales communicent extra memoratos dies cum solo concilio aut praecepto directoris spiritualis cujuscunque monialis, et citra consensum aut approbationem confessarii ordinarii, in quantum nonnulli asseruerunt, quod nomine superiorum, de quibus in decreto anni 1679, comprehensi dici debent directores spirituales uniuscujusque monialis, quibus melius quam caeteris innotescit puritas conscientiae, seu fervor spiritus in eodem decreto requisiti pro frequentiori vel quotidiana perceptione SS. Sacramenti, concluditque idem ordinarius, necessariam sibi videri praedicti decreti explicationem, et an etiam tolerandum sit in futurum, quod superiorissae clavem parvae fenestrae, per quam sumitur Eucharistia, non amplius apud se retineant, sed relinquant arbitrio monialium communicare volentium.

Decretum anni 1679, quando loquitur de laicis negotiatoribus, ait: *„quod frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus,* et hoc ipsum statuit quoad conjugatos. Rursus regulam generalem statuendo meminit parochorum seu confessariorum, ibi —: *„in hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti vel quotidiana sacrae communionis sumptione, unica praecepti formula, aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se aut per parochos seu confessarios sibi decernendum putet“*, ubi habetur lib. 30 decret. pag. 265 et seqq., quo stante inferri posse videtur, quod quando idem decretum loquendo de monialibus meminit superiorum: *id illis a superioribus permittatur*, intelligendum sit, quod frequentior aut quotidiana communio a superioribus monasterii permittatur etiam extra dies statutos a constitutionibus vel communi consuetudine, sed semper retento themate permissionis seu consilii illius personae, cui puritas mentis et fervor spiritus innotescunt, quae alia non videtur esse posse, quam persona confessarii ordinarii, cui cordis secreta sunt aperta.

Haec quoad frequentiorem sacrae Eucharistiae sumptionem; quoad clavem vero jam a sacris Congregationibus edita fuerunt super ea re decreta, quod videlicet clavis custodiae SS. Sacramenti non potest monialibus committi, sed esse debet penes sacerdotem, ad quem spectat cura illud administrandi, ut late prosequuntur *Pellizar.* de monial. cap. 7, qu. 4, *Tamburin.* de jure abbatiss. disput. 24, quaesito 2, num. 5, *Barbosa* in collectaneis in verbo „monialis“, num. 27, et loquendo de parva fenestra, per quam recipitur sacra Eucharistia, jam a sacra Congregatione Episcoporum et Regularium resolutum fuit die 15. Septembris 1617, *quod duae adsint januae hujus parvae fenestrae, una interior et alia exterior, et quod clavis januae interioris semper retineatur*

ab abbatissa seu priorissa, et clavis januae exterioris a confessario, et quod parva dicta fenestra nunquam aperiatur, nisi occasione sumptionis Eucharistiae vel dandi habitum seu velum alicui novitiae aut consecrationem alicui moniali aut confirmationem alicui personae in clausura degenti.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An et de cujus licentia sacram Eucharistiam recipere debeant moniales, quae eam recipere volunt ultra dies statutos a constitutionibus vel a consuetudine monasterii, ut in illis omnes moniales communicent?*

II. *Quomodo se gerere debeat superiorissa monasterii circa retentionem clavis parvae fenestrae, per quam sumitur a monialibus Eucharistia in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: De licentia Confessarii ordinarii et non directorum, praevia participatione Praelati ordinarii;

ad II.: Servandum esse decr. S. C. Ep. et Reg. diei 15. Sept. 1617.

Die 3. Febr. et 14. Apr. 1725.

b) Locus (Fenestra)

Vd.: *Monial.* (Commun.; *Licentia*, decr. *Januen.)*

c) In Nocte Nativ. Dom.

Vd.: *Nativitas Dom.* (Communio).

6) Confessarius.

a) Extraordinarii Designatio.

Vd.: *Confessarius Monialium.*

Bened. PP. XIV.

Pastoralis curae Nobis impositae munus hanc, inter alias, sollicitudinem a Nobis exposcit, ut pusillorum animis in afflictione et angustia constitutis opportuna solatia ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conscientiae tranquillitatem recuperare aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam Omnipotenti Deo servitutem alacri et prompta affectione exhibere. Hujusmodi angoribus et afflictionibus confici passim constat religiosas Mulieres in Claustris degentes, quibus certus et unicus Sacramenti Poenitentiae Minister a Monasterii Praelato ad tres ut minimum annos designari solet; cui si aliquando prae pudore vel alia quapiam de causa non omnes conscientiae suae recessus aperire audeant atque ideo Confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis aeternae se ipsas misere conjiciunt. Quod sanè haud raró evenire, satis Nobis exploratum atque compertum est, tum ex iis, quae in Apostolicae Poenitentiariae Officio tractari vidimus, dum olim in minoribus constituti plurium annorum spatio munus Doctoris in Decretis in eodem Officio sustinuimus, tum etiam ex iis, quae in Episcopalis Anconitanae primùm, deindè in Metropolitanae Bononiensis Ecclesiae regimine frequenti usu cognovimus, tum demum ex his, quae saepiùs ad Nos in Petri Cathedra octavum jam annum Dei miseratione residentes deferri contingit, sive ex parte diversarum hujusmodi Monialium, quae animarum suarum angustias paternis oculis Nostris identidem subjicere coguntur, sive ex parte Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiarum Antistitum, qui Nobis earumdem Monialium in suis Dioecesibus existentium calamitates ex praeallegata causa ortas aut viva voce aut per Literas non semel repraesentarunt ac super ea re Apostolicae providentiae opem postularunt. Hinc est, quod Nos earum spiritualibus indigentiis per hanc Nostram perpetuò valituram Constitutionem opportunè prospicere volentes, *non quidem intendimus consultissimam illam*

et veteris disciplinae auctoritate roboratam Legem tollere aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis Monialium Monasteriis unus dumtaxat Confessarius deputetur, qui Sacramentales Confessiones universae earum Communitatis excipiat, neque liceat unicuique Moniali peculiarem Confessarium pro libito sibi deligere, sed hoc dumtaxat Nobis propositum est constituere, ut si quando generalis hujusmodi Legis rigor, in peculiaribus casibus, non sine animarum detrimento aut periculo servari posse videatur, in promptu sint opportunae dispensationis et indulgentiae remedia occurrentibus necessitatibus admovere.

Sanè jamdudum Sanctus Thomas Aquinas Scholarum Princeps Ecclesiaeque Doctor in *Supplemento tertiae Partis quaest. 8. art. 4. ad sextum* sive *in quartum Sententiarum*, ex quo Commentario desumptum est hujusmodi Supplementum, hoc Superioribus monitum dedit, ut Subditis suis, quibus certum et unicum Confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri Sacerdoti; propterea quod multi infirmi et imbecilles animo reperiuntur, qui potiùs eligerent sine sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa peccata certo alicui Sacerdoti a Superiore designato aperire. Jam verò Sacrosancti Concilii Tridentini Patres hanc legem districtè sanxerunt *sess. 25. cap. 10. de Regular.*, ut Episcopi aliique Monasteriorum Praelati subjectis sibi Monialibus Confessarium extraordinarium duabus aut tribus vicibus in singulos annos exhibere debeant, per haec verba: *Praeter ordinarium autem Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo aut aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat.* Quod quidem non alia de causa praescriptum fuit, quàm quia satis constabat nonnullas aliquando Moniales esse, quae nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum suum ordinario Confessario confiteantur, adeo ut necesse omnino sit alterius Confessarii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis integrè, ritè atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probè animadvertit magnus Ecclesiae Dei Sacerdos Sanctus *Carolus Borromaeus*, qui praedicti Concilii Tridentini absolutionem ope sua plurimum juvit ejusque executionem et observantiam in sua Mediolanensi Civitate et Provincia non sine immensis laboribus et curis invexit. Is enim hac de re decrevit: *Praeterea Superiores ex decreto Sacri Tridentini Concilii quotannis idoneum Confessorem extraordinarium Monialibus sibi subjectis exhibeant, cui curent, ut universae confiteantur, ut quae hujusmodi indigent medicina, propter aliquem occultum animae morbum, neque ipsae eam postulare aut accipere ab usitato Confessore unquam auderent, liberiùs mederi suis malis possint ac Diaboli laqueos evadere; una cum reliquis Confessario novo sua peccata confitendo;* uti legere est in Actis Ecclesiae Mediolanen. impress. anno 1599 pag. 53, in Editione autem Lugdunensi tom. 1 pag. 46.

Porrò quicumque Conciliaris Decreti sensus penitiùs introspexerit, non modò salutarem illius providentiam facilè agnoscet sed et circumspectam ejusdem aequitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodò injungitur, ut duabus tribusve vicibus infra annum Confessarium extraordinarium Monialibus exhibeant: *bis aut ter in anno offeratur.* Hujusmodi autem Confessarius jubetur earum omnium Confessiones excipere, quotquot eidem confiteri velint: *Qui omnium Confessiones audire debeat.* Neque tamen omnibus

et singulis Monialibus praecipitur, ut peccata sua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in Monasterio degentibus, tam scilicet a Superiorissa caeterisque Monialibus Professis atque Noviliis, quàm a Saecularibus, quae vel educationis causa vel alio titulo in eodem Monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario Confessario singulae se sistant sive ad Sacramentalem Confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita etiam extra Sacramentalem Confessionem ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne, si Moniales aliquae extraordinarium Confessarium adirent, aliae autem coram ipso non comparerent, suspiciones atque oblocutiones excitarentur, et illae quidem censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactae essent, aliae verò ab hujusmodi necessitatibus et causis immunes judicarentur. Quam agendi rationem communi Doctorum calculo comprobatam san. mem. Praedecessor Noster Clemens Papa XI. Edicto suo (quod est XV. in secunda parte ipsius Bullarii) inviolabiliter servari mandavit eandemque omnium Dioecesum consuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac in re addendum superest, *nisi ut Venerabiles Fratres Nostros Ecclesiarum Antistites enixè hortemur*, *ut*, quamvis Tridentina Synodus de solis Claustralibus Monialibus in praemisso decreto loquatur, *nihilomniùs eandem disciplinae formam observent tam cum aliis Monialibus*, *quae licet Clausurae legibus minimè adstrictae sint, in communitate tamen vivunt, quàm cum aliarum quarumcumque Mulierum aut Puellarum Coetibus seu Conservatoriis*, quoties tam illae quàm istae unicum Ordinarium Poenitentiae Ministrum a Superioribus designatum habeant.

Quaecumque enim circa Moniales in rigorosa clausura viventes cavenda sunt, eadem in aliis quibuscumque Mulieribus sive Regularibus sive Saecularibus in Communitate aut Collegio degentibus locum habere possunt, ideoque pari providentia iisdemque remediis arceri aut emendari debent. Et Nos quidem, quum hanc consuetudinem offerendi Confessarios extraordinarios bis aut ter in anno singulis tam Monialium non claustralium Communitatibus quam piis aliarum Puellarum et Mulierum Coetibus et Communitatibus in Nostra Civitate et Dioecesi Bononiensi induxerimus (qua de re extat Edictum Nostrum n. LVI. inter Pastorales Institutiones Italico primùm sermone a Nobis vulgatas deindeque in Latinum conversas), omnibus testari possumus vel potiùs debemus, uberem spiritualium utilitatum messem Nos inde evidenter collegisse. Quum verò super relati Conciliaris Textus intelligentia nonnullae quaestiones aliàs excitatae eaedemque jam pridem per opportuna Sedis Apostolicae decreta definitae fuerint, operae pretium ducimus hujusmodi definitiones ab omnibus, ad quos spectat, omnino tenendas atque servandas, his Nostris Apostolicis Literis complecti et auctoritatis quoque Nostrae robore communitas in praedictorum omnium notitiam deducere.

Et primò quaesitum fuit, ad quem Superiorem pertineat extraordinarium Confessorem Monialibus deputare atque offerre? Sed facilis fuit responsio, quam Nos quoque decreto Nostro ratam habemus; *hujusmodi scilicet deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet Confessarii ordinarii electio et deputatio, ideoque Episcopus sive Ordinarius Loci,* qui Monialibus sibi subjectis Confessarium ordinarium dare consuevit, idem Confessarium extraordinarium bis aut ter in anno ad normam Tridentinae sanc-

tionis eisdem offerre tenetur; *Praelatus verò Regularis*, ad quem pertinet ordinarium Confessarium subditis sibi Monialibus, servata Apostolicarum Constitutionum forma, designare et constituere, *ipse etiam eisdem extraordinarium Confessarium*, in vim praefati decreti et juxta easdem Constitutiones duobus aut tribus per annum temporibus *exhibere potest ac debet.* Quae tamen ideò *regulariter* obtinere diximus; *qui si Episcopus aliquis* (quod Deus avertat) *adeo in hac re negligens esset*, ut Monialibus suis bis terve in anno extraordinarii Confessarii copiam facere praetermitteret obtendens, ut moris est, nullam hac de re Monialibus ipsis sollicitudinem aut curam esse, *tunc volumus Dilectum Filium* Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem modernum et pro tempore existentem *Majorem Poenitentiarium*, stat m ac pro parte Monialium hujusmodi requisitus fuerit, *Ordinarii Pastoris negligentiam supplere debere eorumque Monasterio extraordinarium Confessarium* ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas Monialium Confessiones ab ipso Ordinario Loci approbati fuerint, *cum omnibus necessariis et opportunis facultatibus concedere et deputare. Quod si Praelatus Regularis eandem Concilii legem de Confessore extraordinario* bis aut ter in anno Monialibus sibi subjectis exhibendo similiter *implere neglexerit*, tunc locus fiet Decreto Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ad ipsius Concilii interpretationem et exequutionem auctoritate Apostolica deputatorum, quo scilicet eadem Congregatio ad quaestionem ab Episcopo Vercellensi propositam die 23. Augusti anni MDCXXXI. rescripsit ut infra: *Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi: an deputatio Confessarii extraordinarii Monialium Regularibus subjectarum spectet ad Ordinarium Loci:* Sacra Congregatio censuit: *ad Episcopum non pertinere, nisi in casu negligentiae eorumdem Regularium:* ut videre licet Decretorum Lib. XIV. pag. 493. Nec aliter respondit quaestionibus ab Episcopis Belgii exhibitis die 6. Aprilis anni MDCXLVII., ut legitur Decretor. Lib. XVIII. pag. 397. Quae quidem rescripta et Decreta Nos etiam praesentium tenore et Apostolica auctoritate in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus.

Quum autem Tridentina Synodus de universa quidem Monialium Communitate, ut supra, decreverit, sed nihil de singulis Monialibus statuerit, ut patet legenti Textum citati Capitis X, utque etiam jam usque ab anno MDLXXV. judicatum fuit ab ipsa Congregatione Cardinalium Concilii Interpretum, per subsequens Rescriptum, quod extat Decret. Lib. IV. pag. 20. Sacra etc. censuit: *extraordinarium Confessorem offerendum non alicui Moniali singulariter sed omnibus Monialibus universè, ut omnium Confessiones audire debeat; in arbitrio tamen cujusque Monialis esse, ut Confessario extraordinario velit confiteri.* Hinc ortum habuit alterum controversiae seu dubitationis caput: an scilicet, ubi jam universae Communitati bis terve infra annum Confessarii extraordinarii copia facta est *et nihilomniùs aliqua Monialis Confessarium peculiarem extra ordinem sibi concedi petit*, an, inquam, hujusmodi petitioni sit indulgendum? Id autem primo loco quaesitum fuit, proposito casu Monialis graviter aegrotantis, quae in mortis periculo pro spirituali consolatione postulet, alium Sacerdotem, qui tunc non sit ordinarius Monasterii Confessor, suprema sibi Ecclesiasticae pietatis officia et Poenitentiae Sacramentum ministrare. Huic annuendum facile esse praedicta Congregatio pluriès judicavit, ut videre est ipsius Decretor. *Lib. XVIII. p. 322 a*

tergo, sub die 6. Aprilis anni MDCXLVII. et eodem Libro p. 586 die 22. Febr. anni MDCXLIX.; quae pariter Decreta a Nobis praesentium tenore approbantur et confirmantur, *ut scilicet Episcopi subjectis sibi Monialibus in gravi infirmitate constitutis et id expetentibus peculiarem Confessarium concedere debeant;* iidemque etiam idipsum praestent erga Moniales Regularibus Praelatis subjectas, quum aliqua ex illis a suo Superiori Regulari hujusmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem casu nihil statuitur de Cardinali Majore Poenitentiario, non ideò, quia nequeat is pro singulis Monialibus idem facere, quod supra diximus eundem pro toto Monasterio facere posse, sed quia tunc, ob temporis angustias, interclusa praesumitur via recurrendi ad ipsius Officium. Quod si nihilominùs ipsius adeundi tempus et modus suppetat, ad eum pertinebit, eadem prorsus ratione peculiaribus supplicantium necessitatibus providere, qua dictum est superiùs, universae Religiosae Communitati ab ipso consulendum esse.

Actum deindè fuit de peculiaribus quibusdam Monialibus, quae nec corpore infirmae nec morti proximae ordinario tamen Ministro confiteri obfirmatè recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est et sublevanda, adeoque, ubi earum reluctantia superari nequeat, *Confessarius extra ordinem deputandus est,* qui earum Confessiones peculiariter excipiat. Id verò circà Moniales Episcopo seu Ordinario Loci subjectas ab ipso Ordinario praestari debet. Quod autem ad illas pertinet, quae Regularium Regimini subsunt, ad Regularem Praelatum pertinet, servatis servandis, peculiarem ipsis destinare Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium, vel, si Sacerdos ille, cui ejusmodi Moniali confiteri cupit, pro illis non sit approbatus, cum ipso Ordinario agendum erit, ut pro excipienda saltem illius Monialis Confessione et pro tot vicibus, quot expedire judicabitur, eundem approbet. Sin autem contingat (neque id adeo rarum est) ut Regularis Superior ad concedendum hujusmodi Confessarium extraordinarium Moniali communem Confessarium recusanti nullo pacto adduci possit, jam huic casui provisum est per Decretum anno MDLXXIII. a praedicta Congregatione Concilii editum et a fel. record. Gregorio Papa XIII. tunc Apostolicum Thronum obtinente approbatum et confirmatum, quod nunc iterum confirmationis Nostrae auctoritate roboramus. Decreti verba relata *Lib. 1. Decretorum ipsius Congregationis p. 66 a tergo* haec sunt: *Monialis per aliquot tempus noluit confiteri Confessariis Regularibus.* Dubitatum fuit: *an Episcopus Regiensis posset dare dictae Moniali Confessorem alterius Ordinis regularem, cui illa semel vel pluries confiteatur peccata sua et a quo absolvi possit?* Sanctissimus Dominus Noster etiam ex sententia Congregationis Concilii declaravit: *dictum Caput decimum ita esse intelligendum, ut etiam possit Episcopus concedere Confessarium alterius Ordinis vel saecularem.* Praeterea nihil obstat, quominus ipsa Monialis recursum habeat ad Cardinalem Majorem Poenitentiarum, a quo ipsi providendum erit, ut supra dictum est, per deputationem Confessarii ex approbatis ad Moniales, apud quem illa confiteatur.

Quaesitum denique fuit de Monialibus illis, *quae* neque aegrotant neque *recusant ordinarium Poenitentiae Ministrum a Monasterii Praelato pro universa Communitate deputatum, verùm pro majori animi sui quiete atque ulteriori in via Dei progressu* facultatem petunt confitendi aliquoties Sacerdoti ad excipiendas Monialium Con-

fessiones jam approbato. Qua de re non semel Nobis in minori statu degentibus accidit, ut cum aliquibus Episcopis aut Regularibus Monialium Superioribus agere debuerimus. Porrò in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos, qui aspera quadam verborum brevitate respondebant, quod quum Moniali postulanti libera fuisset facultas confitendi extraordinario Sacerdoti, qui universae Communitati non semel eo anno jam datus fuerat, tunc oportebat eam conscientiae suae consuluisse: qua si oblata commoditate uti noluerat, id sibi imputaret, neque pergeret Superiori molestiam afferre, ut peculiarem Confessarium extra ordinem ipsi concederet. Nobis autem objicientibus, Monialem hujusmodi ad Apostolicae Poenitentiariae Officium facile recursum habituram ibique haud aegrè impetraturam id, quod ab ipsis Superioribus ei denegatum fuisset, iterum constanter respondebant, extraordinarium hujusmodi Confessarium post impletam ab ipsis erga universum Monasterium Tridentini Concilii legem, ab alio quidem concedi posse, sed a se nunquam concessum iri.

At verò neque tunc Nobis arridebat neque profecto nunc Nobis placet rigida isthaec agendi ratio. Persuasum enim habebamus adeoque habemus, non solum integrae Communitati sed singulis etiam Monialibus indulgendum esse in iis rebus, quae juste et rationabiliter petuntur, maximè quum illae ad earum conscientiae quietem et securitatem conferre dignoscuntur. Neque sane hujusmodi postulationes aut temere exaudiri aut sine causa rejici debere censemus, sed inquirendum inprimis esse de qualitatibus tum Monialis, quae Confessarium extra ordinem petit, tum Confessarii, qui ab ea requiritur, ut utriusque diligenter inspectis deliberari possit, an illius votis annuendum sit an non. Si enim Monialis ex una parte nullum det adversae suspicioni locum, ex altera verò Confessarius non modò legitimam Ordinarii approbationem sed etiam commune probitatis testimonium pro se habeat, nullo modo probare possumus tam firmum hujusmodi Praelatorum in renuendo propositum nec intelligimus, cur post Confessarium extraordinarium integrae Communitati, juxta legem Concilii Tridentini, oblatum, nulla omninò Monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem Confessarium, cujus consilio et opera justis fortasè de causis indigere se arbitrentur. Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille Animarum Rector S. Franciscus Salesius, cujus doctrinae summam ex illius Operibus tum editis tum manuscriptis collectam, bon. mem. Joannes Petrus le Camus Episcopus Bellecensis justo volumine complexus est, cui Titulum fecit: *Spiritus Sancti Francisci Salesii.* In hujus compendio, quod ex Gallico in Italicum sermonem conversum Venetiis anno 1745 pro quarta vice Typis editum est, parte XVII. cap. 6 aperte legitur, quod, quum beatus Episcopus non ita intelligeret praemissum Concilii Tridentini Decretum, ut vetitum existimaret, Confessarium extraordinarium, pluribus etiam quàm tribus vicibus in anno, Religiosae Communitati offerre; quae quidem sententia plures habet suffragatores, quos refert *Diana in Editione coordinata Tom. 7, Tract. I., ref. 348;* non solùm solebat suis Monialibus Visitationis Beatae Mariae Virginis quater in anno, videlicet in singulis Hebdomadis quatuor Temporum, Confessarium extraordinarium deputare, verùm etiam earum respectivis Superioribus commendatum reliquit, ut singulis Monialibus, quae non ex animi levitate neque ex indiscreta affectionis singularitate, Confessarium extraordinarium peculiariter peterent, haud se

difficiles in eo concedendo praeberent. Nec aliter se gerere consuevit Ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus. Is enim, ut testatur illius quondam Vicarius Generalis Joannes Clericatus in *Tractatu de Poenitentia, decis. 41*, *num.* 7 et Patrum Tridentinorum decretum quoad omnia Monialium Monasteria in sua Civitate et Dioecesi existentia quotannis reipsa exequebatur et nihilominùs exorari se patiebatur a Monialibus, quae aliquando rationabilibus de causis peculiarem pro se Confessarium expeterent. Hujusmodi regulis et exemplis nostram quoque agendi rationem in spirituali Monialium regimine conformare curavimus maximumque utilitatis et quietis fructum Nos inde percepisse cognovimus. Quapropter Venerabiles Fratres Ecclesiarum Antistites atque Dilectos Filios quarumcumque Religiosarum Mulierum Rectores hortamur in Domino et enixè monemus, ut eandem viam, quoad fieri potest, insistere non recusent et non adeo difficiles se praebeant peculiaribus Monialibus extraordinarium Confessarium aliquando expetentibus, quin potiùs, nisi aut Monialis postulantis aut Confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeant, earum justis precibus obsecundare studeant: illud cogitantes, quod etsi liberum sit cuilibet Moniali Cardinalem Majorem Poenitentiarum adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a Romano Pontifice tribuitur, nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempestivè adveniat: et quamvis etiam quorumlibet negociorum expeditiones, quae in Officio Poenitentiariae Apostolicae fiunt, ab omni vel minima pecuniae solutione inviolabiliter sunt immunes, non omnibus tamen Monialibus facile est invenire, qui earum negocia in Urbe procurare velit et possit. *Jam verò postrema superest quaestio, nimirum de qualitatibus Confessarii extraordinarii*, qui vel pro universa Monialium Communitate vel pro aliqua Moniali peculiariter, deputari debeat. Porro nullo unquam tempore dubitatum fuit: an in hujusmodi Sacerdote aetatis maturitas, morum integritas, prudentiae lumen requiratur, quas quidem dotes in eo, qui ad hujusmodi munus adhibetur, necessarias esse omnes fatentur. Sicut etiam minimè dubitatur, quin idem ab Ordinario Loci specialiter pro Monialibus approbatus esse debeat, quum hujusmodi approbatio, ex Apostolicarum Constitutionum lege, omnino requiratur non solum in omnibus tam ordinariis quàm extraordinariis Confessariis, qui Monialibus, etiam Regularibus subjectis, ab earum respectivè Superioribus deputantur, sed etiam in iis, qui a Cardinali Majori Poenitentiario conceduntur, etiam Apostolica Sede vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus, ut videre est in Nostra Constitutione super illius facultatibus edita, quae est XCV. in Tomo I. Bullarii Nostri, ubi paragrapho 54 eidem conceditur: *ut vacante Sede Monialibus Confessarios extra ordinem valeat deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones eligendos.* Quamobrem ad id dumtaxat redacta est controversia: *an scilicet è Clero saeculari an verò è regulari eligendus sit hujusmodi Confessarius? Tum inter Regulares: an assumi possit ex quolibet Ordine aliàs permisso, an verò semper deputari debeat ex ipso Ordine Praelati Regularis, ad quem Monasterii regimen spectat? Sane pro Monialibus Episcopo immediatè subjectis regula est, ut ordinarius earum Confessor sit Sacerdos Saecularis, extra-*

ordinarium verò ex Ordinibus Regularibus saepissimè assumi apud plerosque Episcopos usu receptum esse constat, deficiente forsan per singulas Dioeceses Saecularium Presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. *Regulares autem Praelati Monialibus sibi subjectis Confessarium Ordinarium designant è suo ipsorum Ordine, extraordinarium autem etiam ex alio Ordine Regulari deputare possunt,* juxta Decretum a saepedicta Congregatione Concilii editum die XXVI. Septembris anni MDXCV. ac relatum in Libro III. Decretorum p. 143 *a tergo,* ubi sic legitur: *Sacra etc. respondit, Superiores Regulares teneri offerre Confessarium extraordinarium ejusdem Ordinis, alterius verò Ordinis posse quidem, sed non teneri.* Nunquam tamen, quod meminerimus, ullum Sacerdotem Saecularem aut diversi Ordinis Regularem vidimus a Regulari Praelato Monialibus sibi subjectis extraordinarium Confessorem deputari. Denique quum aliquando evenire possit, *ut in casu negligentiae Superioris Regularis ad Episcopum,* ut supra dictum est, *pertineat deputatio Confessarii extraordinarii etiam pro Monialibus Regularium regimini subjectis, nulla ipse lege tenetur ad hujusmodi Confessarium eligendum ex eo Ordine, cujus est Monasterii Praelatus, sed tali casu liberum est illi quemlibet idoneum Presbyterum saecularem aut alterius Ordinis Regularem* ad audiendas earum Monialium Confessiones deputare. At quum superioribus annis Apostolicae Sedi expositum fuisset, pluribus de causis iisque gravissimis, quas hìc referre opus non est, non tam opportunum quàm plane necessariùm videri, ut Monialium Monasteria Regularium regimini subjecta semel saltem in anno Confessarium extraordinarium diversi Ordinis Regularem aut è Saeculari Clero Presbyterum haberent, hujus rei examen jubente fel. record. Praedecessore Nostro Innocentio Papa XIII. assumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus composita, cui Nos tunc in Minoribus constituti in Secretarii munere operam praestabamus, quaeque, per annum et ultra singulis Hebdomadis cogebatur ad discutienda et definienda quamplura Ecclesiasticarum quaestionum capita, quae deinde inserta sunt in Apostolicis Literis ab eodem Innocentio Praedecessore editis die XIII. Maji anni MDCCXXIII., quarum initium est: *Apostolici Ministerii,* quae etiam a san. mem. Praedecessore quoque Nostro Benedicto Papa XIII. in forma specifica confirmatae fuerunt per alias similes Literas datas die XVIII. Sept. anni MDCCXXIV.

Cum autem negocia, quae in ea Congregatione tractabantur, nullius privatas rationes attingerint, sed de restituenda potissimum Tridentini Concilii observantia in quibusdam Catholici Orbis regionibus, ut ferebatur, non parum labefactata, unicè ageretur, necessarium minimè judicatum fuit, aliquem velut in judicium vocare, ad deducenda jura, si quae sibi adversus illa, quae decernenda viderentur, competere forsan putaret. Sed Nostra peculiaris cura erat, ad singula proposita capita totidem Dissertationes unicuique ex praefatis Cardinalibus exhibendas elucubrare, ad demonstranda videlicet fundamenta illius disciplinae, quae in usum revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, quum in eadem Congregatione, ut praefertur, in deliberationem venit, an decernendum foret, ut Regulares Monasteriorum Praelati una saltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium Confessarium Monialibus sibi subjectis in annos singulos exhibere debent, aliquem Saecularem aut alterius Ordinis Regularem Presbyterum ad id deputare tenerentur,

utque ipsis hac in re deficientibus liberum esset Episcopis Locorum Ordinariis eorum defectum supplere et emendare?

Verùm quum Regularibus innotuisset, a praedicta Congregatione conditum esse Decretum eorum intentioni contrarium utpotè, qui minimè adstringi volebant ad hujusmodi annuam deputationem Confessorum extraordinariorum è Clero saeculari vel ex aliis Ordinibus, nonnullarum Religionum Procuratores Generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas hujusmodi Decreto obstare putabant; cumque id facile impetrassent ac suam totiusque Coetus Regularium causam per eximios illius temporis in Romana Curia Advocatos defendi curassent, sed nihilominùs praedicta Cardinalium Congregatio in priori sententia permansisset, placuit praefato Praedecessori Innocentio, antequam Decretum hujusmodi approbatione sua confirmaret, aliorum Cardinalium sententias audire. Itaque, exclusis illis omnibus, qui ex ipsius Pontificis deputatione in praecedentibus Sessionibus per annum integrum negocia discusserant, aliisque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi secretò fecerat conscriptarum allegationum exempla, Nobis etiam adesse jussis, qui rationum momenta a priori Congregatione prae oculis habita, si opus esset, exponere possemus novam Cardinalium Congregationem ex improviso coram se convocavit, in qua iterum proposita quaestio diligentèr ac maturè discussa fuit ac demum ipse Pontifex de ipsius Congregationis consilio et assensu super hac re decrevit, ut sequitur: *Cumque ex eodem Concilio Tridentino Confessor extraordinarius bis aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confessiones audiat, si in posterum Superiores Regulares quoad Monasteria ipsis subjecta toties praedictum extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem aut saecularem aut regularem alterius diversi Ordinis professorem, in his casibus Episcopi pro sui arbitrio et conscientia deputationem hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo aut praetextu a Superioribus Regularibus valeat impediri.*

Perscriptum sanè fuit hujusmodi Decretum ea occasione, qua agebatur de restituenda in certis quibusdam Regionibus Ecclesiastica disciplina ad formam Concilii Tridentini: verùm ipsius Decreti vigor ad eas dumtaxàt Regiones minimè restrictus fuit, quum et animarum pericula, quae ex perpetua Confessorum ejusdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus Monasteriis Regularium regimini subjectis locum habere possint; et quaecumque adversus Decretum ipsum adducta fuerunt, ex generalibus Ordinum Statutis et ex Constitutionibus Monialium Regularibus subjectarum fuerint desumpta. Cumque judicatum fuerit, ea omnia nequaquam obstare, quominùs ita decerneretur, sequitur, ut, quamvis eidem Decreto causam dederint peculiarium quarundam Regionum necessitates Apostolicae Sedi eo tempore expositae, *illud tamen generale sit et universos per Orbem Regulares Monasteriorum Monialium Praelatos afficere debeat.* Cum verò deinde alter laudatus Praedecessor Benedictus XIII. Innocentii Literas in forma specifica confirmaret, Nobis constat, illius mentem fuisse, ut hujusmodi Decretum universalis et inviolabilis legis vim obtineret. Super quo nihilominùs ne ulla apud aliquos supersit dubitatio, *Nos ipsi praesentium Literarum rigore ac Motu proprio et certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine ipsum relatum Innocentii Praedecessoris*

decretum, statutum, mandatum atque praeceptum ad omnia per Orbem ubique existentia et Regularium regimini subjecta Monialium Monasteria, quatenus opus sit, expressè extendentes et ampliantes, decernimus atque statuimus, ut singulis annis, incipiendo a proximo millesimo septingentesimo quadragesimo nono, a Nativitate Domini decurrendo, Regulares Monasteriorum Praelati teneantur bis aut ter in anno Confessarium extraordinarium universis Monialibus in iis degentibus offerre; si verò ipsi forsan hujusmodi Confessarii extraordinarii deputationes intra praescripta tempora omiserint vel semper proprii Ordinis Regularem Sacerdotem ad hunc effectum deputarerint, ita ut praefatae Moniales semel saltem in anno Confessarium extraordinarium è Clero saeculari aut ex alio Ordine Regulari non habeant, ad Episcopos Dioecesanos omni appellatione remota devolvatur jus supplendi eorundem Praelatorum defectum (si nempe pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse judicaverint) *per deputationem Confessarii extraordinarii*, quem tam in uno quam in altero casu aut è Clero saeculari aut ex alio regulari Ordine, pro ipsorum arbitrio, deligere possint et valeant.

Quocirca dilecto Filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, moderno Nostro et pro tempore existenti Romani Pontificis in Urbe ejusque Districtu Vicario in Spiritualibus Generali earundem praesentium tenore committimus et mandamus, ut haec nostra Decreta atque Statuta tam in omnibus ejusdem Almae Urbis Monasteriis, quae Regularium regimini subsunt, quàm in aliis quibusque Regularium aut Saecularium Mulierum aut Puellarum Domibus seu Collegiis atque Conservatoriis, quibus unicus ordinarius Confessor a Superioribus deputari solet, in omnibus et per omnia juxta earundem Literarum praescriptum exactissimè observari et adimpleri faciat, ne fortè audiri contingat, quod cum magna animi nostri molestia dictum aliquando esse cognovimus, Apostolicas Constitutiones Romae quidem ferri et publicari, sed eas minimè in ipsa Urbe ad effectum perduci.

Eandem porrò curam et sollicitudinem injungimus et demandamus Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis per omnes universi Orbis Ecclesias constitutis, quibus, ut satis perspectum putamus voluntatis nostrae studium, tam in eorum rationabilibus querelis justisque petitionibus suscipiendis, quam in corruptelis, quas irrepsisse indicaverint, eliminandis; idque non ex ingenio nostro quidquam statuendo nec peregrinas novitates inducendo, sed veteres ut plurimum leges et regulas vigili Praedecessorum nostrorum providentia jampridem constitutas in pristinum debitumque vigorem et usum revocando: ita eosdem meminisse volumus, proprium zeli pastoralis officium non in eo situm esse, ut adversus ea, quae contra leges fiunt, inutiliter deplorando declament, sed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem jam praestitutis, implorato etiam Apostolicae Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati et legum executioni afferri contingat, omnesque diligentias et curas, quas corrigendis abusibus ipsi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

Quoniam verò tam in superiùs allegato Clementis XI. Edicto quàm in Synodalibus plurium Episcoporum Constitutionibus statutum esse conspicimus, ut quo tempore extraordinarius Confessor alicui Communitati deputatus ministerio suo fungitur, *ordinarius Confessor nullum ipsi impedi-*

mentum afferre audeat multòque minus praesumat per id temporis alicujus Monialis sive Superiorissae, sive Novitiae sive Conversae neque demum alterius cujuscumque Personae intra septa Monasterii aut piae Domus commorantis Sacramentalem Confessionem audire; Nos id quoque approbatione nostra roborantes et confirmantes statuimus et mandamus, ut Episcopi quidem, si de Monasteriis aut Domibus eorum regimini subjectis agatur, Regulares autem Superiores, quod ad illas Communitates attinet, quibus ipsi praesunt, pro hujusmodi Legis implemento advigilent et contravenientes meritis poenis coerceant et afficiant.

Ac demùm quibuscumque Confessariis extraordinariis, qui vel alicui Communitati generaliter vel peculiariter alicui personae in Monasterio degenti concessi ac deputati fuerint, *districtè inhibemus sub poenis adversus accedentes ad Monasteria Monialium et cum ipsis conversantes praesertim Regulares a Praedecessoribus Nostris quandocumque statutis* (quas etiam praesentium vigore confirmamus et innovamus), *ne, postquam suum officium impleverint, ad idem Monasterium ulteriùs accedere aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causae aut necessitatis obtentu et colore, audeant aut praesumant.*

Decernentes, ipsas praesentes Literas atque omnia et singula in eis statuta atque praescripta, etiamsi quicumque in iisdem interesse habentes seu habere praetendentes, ad id vocati et auditi non fuerint, nec praemissis consenserint aut alterius cujuscumque generis defectus forsan adversus eas objiciatur, semper et perpetuo valida et efficacia esse et fore et ab omnibus, ad quos spectat atque in futurum spectabit, inviolabiliter etiam perpetuò observari. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationes ordinarìas aut peculiariter deputatas aliosque Cardinales, etiam de Latere Legatos ac Vice Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, judicari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi, definiendi ac interpretandi facultate et auctoritate, atque irritum et inane decernentes, quidquid secùs a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque etiam Apostolicis ac Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non quarumcumque Ecclesiarum et Ordinum Regularium seu Congregationum aut Societatum et Institutorum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani aliorumque Militarium Ordinum, seu Monasteriorum Virorum aut Monialium aliarumque piarum Domuúm, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, exemptionibus et Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis, cuilibet praemissorum, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, etiam hic de necessitate exprimendis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus in genere vel in specie, et derogatoriarum derogatoriis, quomodolibet in contrarium confessis ac pluriès confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, hac vice dumtaxat, et ad praemissorum effectum, illis aliàs in suo robore permansuris, de Apostolicae potestatis plenitudine derogamus caeterisque

contrariis quibuscumque. Volumus demùm, ut earundem praesentium Transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsùs fides, tam in judicio quàm extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergò omninò Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae 1748 die 5. Aug.

D. Card. Passioneus.
J. Datarius.
Visa de Curia
J. C. Boschi. J. B. Eugenius.
Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 26. Augusti 1748.

Ad dubium: 1. An Archipresbyter Cathedr., cui imminet cura animarum, possit esse confessarius ordin. Monialium?

2. An Episcopus possit denegare Monialibus petentibus confessarium extraordinarium bis vel ter in anno?

3. An Confessarii ordinarii possint ultra triennium durare et maxime per longum tempus?

4. An *Confessionalia* monialium possint esse in Sacristiis vel domibus, quas inhabitant confessarii?

S. C. C. resp. ad 1.: Non posse, sed posse indulgeri;

ad 2.: Non posse, immo teneri offerre;

ad 3.: Singulis Trienniis mutari debere;

ad 4.: Non posse, sed extare debere in Ecclesiis Monasteriorum.

Die 20. Sept. 1642.

Vd.: *Edictum Clem. XI. die 12. Dec. 1708* normam praescribens Confessariis ord. et extraord. Monialium quorumcunque Monasteriorum Almae Urbis observandam.

(Bull. r. t. VIII. p. 255.)

b) Habitaculum.

Ad dubium: An liceat Confessariis regularibus Monialium iisdem subjectarum habitare in mansionibus sitis in atriis Monasteriorum muro circumvalatis et quae sunt contigua monasteriis et habent portam, quae clauditur?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 19. Sept. 1722.

7) Exornant Reliquias.

Vd.: Reliquiae ***(Ornatus)*****;** ***Reliquiae*** **(asserv. decr. Clem. X. n. VI.).**

8) Indulgentiae.

Benedictus PP. XIII.

Cum Nos nonnullis in Christo dilectis filiabus Monialibus Monasterii s. Ambrosii de Urbe Ord. s. Benedicti s. hodie velamen et benedictionem et consecrationem impartiti fuerimus eisque plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concesserimus: caeteras quoque Moniales, *quae deinceps velamen, bened. et consecrationem ejusmodi recipient,* eodem spirituali munere donare volentes, *omnibus et singulis Monialibus expresse professis quorumvis Monasteriorum in qualibet mundi parte existentium tam hactenus erectorum quam erigendorum cujuscunque Ord. a Sede ap. approbati, quas de caetero juxta ss. Canonum dispositionem ac formam in*

Pontif. r. praescriptam, a proprio Episcopo seu Antistite velum s. suscipere ac benedici et consecrari contigerit, de earum velationis, benedictionis et consecrationis praefatarum, si vere poenitentes et confessae SS. Euchar. sumpserint ac pro Christ. principum concordia, haeresum extirpatione et s. matris ecclesiae exaltatione preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temp. valituris.

Datum Romae 6. Apr. 1728.
(Bull. r. t. X. p. 397.)

Clemens PP. XI.

S. C. J. re mature discussa die 20. Apr. 1711 declaravit: Monasteria omnia Monialium, quae a cura et gubernio FFr. suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Episcoporum translata sunt et in posterum transferri contigerit, non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse seu amissura fore, sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere, ac si sub gubernio FFr. suorum Ordinum actu existerent.

Datum Romae die 14. Maii 1714.
(Bull. r. t. VIII. p. 444.)

Benedictus PP. XIII.

Cum Moniales *Monasteriorum Monialium s. Ursulae* ex laudabili instituto tria vota post completum earum susceptionis habitus quinquagesimum annum solemniter renovare teneantur, Nos omnibus et singulis *dictorum Monasteriorum Monialibus* vere poenitentibus et confessis ac s. communione refectis, quae vota sua praefata post completum quinquagesimum annum susceptionis habitus hujusmodi sol. renovaverint, ac pro Christian. principum concordia etc. preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 17. Apr. 1728.
(Bull. r. t. XIII. p. 344.)

9) Praecedentia.

Vd.: *Visitatio; Benedictio Monial.*

Praecedere debere prius confessam, licet postea receptam, et non prius receptam sed non confessam. n. 1349 die 11. Novb. 1641.

Quamlibet ipsarum Monialium alteri praeferendam, ratione tantum anterioris et antiquioris emissae professionis, nullatenus attento, quod alias fuerint seniores aetate et priores in loco. n. 1879 die 6. Apr. 1658.

10) Sepultura.

Non ad Canonicos Cathedralis, vocatos ad funus, spectare Officium facere super cadaveribus, sed ad Confessarium sive Capellanum inservientem in Ecclesia ipsarum Monialium. n. 1318 die 20. Apr. 1641.

Ad Archipresbyterum Ecclesiae matricis Cunei, intra cujus parochiae limites sita est Ecclesia Monialium s. Clarae, spectare officium absolutionis super cadaveribus in ea tumulandis privative quoad Confessarium vel Capellanum Monialium. n. 2191 die 20. Novb. 1662.

Confessario Monialium s. Clarae, nullius Dioecesis, Provinciae Taurin., non competere usum stolae sed neque Officium facere super cadaveribus, quamvis in Ecclesia Monialium humanda sunt. n. 2162 die 1. Apr. 1662.

Delata ad S. R. C. ex parte Domini Alexandri Mariae Licoè Sacerdotis ex Clericis Regularibus Minor. Confessarii

Monialium Asceterii s. Jacobi Terrae s. Ginnesii, Camerinen. Dioecesis, controversia inter eum exorta et Capitulum sive nonnullos Canonicos Ecclesiae Collegiatae dictae Terrae circa jus agendi exequias super cadaveribus Monialium ipsius Asceterii: Num scilicet competat Confessario Monialium, an vero praefato Capitulo?

Eadem S. C. derevit: „Celebrationem exequiarum spectare ad Confessarium pro tempore.“

N. 4496. Die 16. Martii 1805.

Ad dubium: An quando Cadaver alicujus defunctae Monialis delatum est ad Chorum et Officium Defunctorum ad aliam horam differtur, post Responsorium *Subvenite* addi possint *Kyrie eleison*, *Pater noster*, et Oratio *Absolve* cum aspersione?

Emi et Rmi P. s. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Posse.“

Atque ita rescripsere. N. 5148 ad 4. Die 7. Sept. 1850.

S. MONICA.

Vd.: *SS. Philippi et Jacobi.*

Festum s. Philippi non esse celebrandum die 4. Maii, in qua recitandum est Officium s. Monicae, sed transferendum ad primam diem non impeditam. n. 3096 die 24. Novb. 1685.

MONSTRANTIA.

1) Quae?

Vd.: *Instructio Clem.* §. V. n. 7 — 14; *Origo Monstrantiae*, *Ibid.* §. XXXVI. n. 9 etc. *Ostensorium*; *Crux in summitate Monstrant.*

2) Quomodo deferenda in process.?

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 14.

MORTUARIUM.

Vd.: *Quarta funeral.*

MOZZETTA.

1) Abbatis.

Abbas et Praepositus Canonicorum *Regularium Lateran.* in loco ipso Episcopo praesente in processionibus aliisque actibus publicis possunt deferre Mozzettam. n. 549 die 9. Decb. 1617.

Abbatem s. Andreae *Congreg. Lateran.* posse ubique etiam praesente Episcopo deferre Mozzettam. n. 592 die 30. Mart. 1621.

2) Archiepiscopi.

Archiepiscopus in alia quam sua Provincia non audeat incedere cum Rochetto discooperto et Mozzetta. n. 834 die 18. Aug. 1629.

Cf.: *Mozzetta Metrop. De Mozz. Archiep. in visitat. publ. et privata*, vd.: *Praeses* (cap. I. II.).

3) Canonicorum Paroch.

Cf.: *Rocchettum; Canonici* (administ. Sacrament.).

Canonici Cathedralis Catanien. non debent uti Mozzetta *nigra* tempore Adventus, quando in Bullis de dicto colore non fit exceptio. n. 3701 ad 4 die 23. Aug. et 13. Sept. 1704.

Viterbien.

Etsi in Literis Apost. in forma Brevis expeditis s. m. Benedicti Papae XIV. usque ab anno 1740 Capitulo seu Canonicorum Collegio Paroch. Eccl. Civitatis Vetrallae intra fines Dioec. Viterb. indultum fuerit, ut Canonici ipsi in eccl. Functionibus intra propriam Eccl., et dum collegialiter incedunt, licite ac libere gestare valeant Rocchettum cum suis manicis et Mozzettam violacei coloris, attamen decursu temporis in hujusmodi Insignium usu nonnulli irrepsere abusus, queis ut occurratur

aliqui ex memoratae Colleg. Paroch. Eccl. Canonici S. R. C. sequentia Dubia enodanda proposuere, nimirum:

1. An, ea stante in Bulla Benedicti XIV. verborum clausula: *Dum collegialiter incedunt*, Archipresbyter Vetrallensis aut quisquam ex Canonicis sejunctus a Collegio et separatim agens tam intra Colleg. Eccl. quam extra Rocchetti et Mozzettae usu gaudeat?

2. An eo gaudere Archipresbyter unus putandus sit, ex eo quod primus est inter aequales, non obstante quod Bulla mentionem ejus rei singularis nullam faciat?

3. An Archipresbyter vel Canonicus in genere Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae aliaque administraturus, tam in Eccl. Colleg. quam extra induere sibi possit choralia Insignia praedicta, desuper imposita Stola? et, quatenus negative, an Superpelliceo et Stola tantum in Sacramentorum et Sacramentalium omnium perfunctione rite uti teneatur?

4. An forsan uni Archipresbytero propter personam, quam gerit, Parochi, liceat Rocchetto, Mozzetta et Stola induto Sacramenta in Paroecia sua administrare?

5. An uti valeat ea Veste in benedictione domorum, quae fit in Sabbato S.?

6. An in associatione funeris sive in sua sive in aliena Paroecia?

7. An in associatione funeris una cum toto Collegio Canonicorum?

8. An in publicis Supplicationibus, quum Archipresbyter conjunctim cum Capitulo incedit?

9. An habitus ullus sit, qui rite competat Archipresbytero, si adstat benedictioni Matrimonii, quod administrat alius Sacerdos ab eo deputatus, et in casu: an sit Rochettum, Mozzetta et Stola?

10. An Archipresbyter vel Canonicus rite adhibeat choralia Insignia et desuper impositam Stolam in Concione, et quatenus negative, an uti possit Rocchetto, Superpelliceo et Stola?

Et S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, referente subscripto Secretario, omnibus maturo examine perpensis, juxta alias Decreta respondendum censuit:

Ad 1.: „Posse intra Collegiatam, extra illam non posse."

Ad 2.: „Negative."

Ad 2.: „Negative, et servandum Decretum alias editum."

Ad 4.: „Negative, sed tantum in casu cum Rocchetto et Superpelliceo."

Ad 5.: „Negative."

Ad 6.: „Negative."

Ad 7.: „Affirmative, si incedat sine Stola."

Ad 8.: „Ut ad proximum."

Ad 9.: „Semper in casu sine Stola et cum habitu Chorali in propria Eccl. tantum."

Ad 10.: „Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, si adsit consuetudo."

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 5048.

Die 23. Maii 1846.

4) Canon. Collegiatae.

Ad dubium: an sit consulendum SSmo pro reportatione rescripti Pii VII. concedentis Canonicis Colleg. insign. s. Pauli ap. Vallettae facultates deferendi in s. functionibus clavam argenteam senatoriam et Mozzettas canonicales subsutas rubro serico colore cum asolis et globulis pariter rubri coloris? S. C. resp.: Affirmative et SSmo consulendum pro concessione Brevis, quo datur facultas utendi Insignibus, de quibus in dubio: necnon clava argentea tam intra quam extra

Ecclesiam, exclusis tamen functionibus, quibus intervenerit Capit. Cath. aut s. Joannis Vallettae. Et SSmus hoc responsum approbavit. n. 4637 I. die 16. Sept. 1828.

5) Dignitar. Cath.

Cf.: *Protonot.*

Prima Dignitas Cath. Spolet. uti non potest Mozzetta et Rocchetto cum habitu Protonotarii. n. 2967 ad 10 die 20. Sept. 1681.

6) Episcopi.

Ad quaesitum: Num Episcopi coram Cardinalibus deponere debeant Mozzettam? S. C. resp.: Circa Cardinales *Legatos* adest Caeremoniale; circa Cardinales *non Legatos* est facultas in Episcopis; tamen se habet consuetudo in Italia, ut Episcopi praesentibus Cardinalibus deponant Mozzettam. n. 601 die 20. Julii 1621.

Episcopi etiam Cardinali Legato vel non Legato in eorum civitate episcopali seu in dioecesi commorante ab usu Mozzettae non tenentur abstinere. Caer. Ep. l. I. c. IV. n. 4.

Metropolitanus potest prohibere Episcopum, ipso praesente, ab usu Mozzettae. n. 2210 ad 2 die 17. Mart. 1663.

Cf.: *Mantelletum; Episcopus* (assistens Divinis etc.); *Vestes Episcopi. De Mozzetta Episc. in visitat. publ. et priv.*, vd.: *Praeses* (c. I. II.).

Quamprimum aliquis certior factus fuerit, se alicui Ecclesiae Cathedrali vel majori a Summo Pontifice in Consistorio praefectum, sive ille in Curia Romana degat sive ab ea absens sit, statim curabit sibi amplam coronam in capite decenter formari. Tunc et non prius super vestem inferiorem talarem, cum extra domum exibit, induet aliam vestem breviorem apertam, ita ut per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis Mantelletum vocant. Vestes autem hujusmodi erunt vel ex lana vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericae. Praesentes in curia, induti ut supra, quam primum poterunt, adibunt Summum Pontificem et ei gratias agent de sua promotione, merita propria extenuando, et dignitatis gradum amplificando, seipsos et Ecclesias ipsis commissas humiliter commendando, et tunc e Sanctitatis Suae manibus Rocchettum accipient, et post oscula pedum gratias agent. Visitabunt deinde singulos Eminentissimos S. R. Cardinales in eorum domibus eisque officiose gratias agent, se et suas Ecclesias illis commendando et offerendo. Absentes vero se ipsos Rocchetto et vestibus, ut supra, induent, et gratiarum actiones et Ecclesiarum suarum commendationis officium per literas, tum apud Summum Pontificem, quam Eminentissimos Dominos Cardinales peragere studebunt, et si erunt in propria sua Dioecesi vel Provincia, cum de eorum promotione certum nuntium habuerint, utantur domi et foris loco Mantelleti Mozzetta ejusdem coloris supra Rocchettum, et tam praesentes in Curia quam absentes utantur, cum opus erit, galerô nigro laneo, viridi serico ornato, cum cordulis ac floccis coloris viridis. Haec, quae de vestibus diximus, Clericis seu Presbyteris saecularibus seu regularibus electis tantum conveniunt. Promoti vero ex *regulari Ordine non clericali* non utuntur Rocchetto, sed retinent in vestibus colorem habitus suae Religionis et deferunt ubique Mozzettam ejusdem coloris et biretum nigrum (galero tamen viridi ornato, prout supradicti Clerici utuntur); sed Canonici regulares utuntur etiam Rocchetto, prout ante promotionem ad Episcopatum utebantur in sua Congregatione et colore violaceo; sed non

Mozzetta, ut et Presbyteri S. Spiritus et Militiarum S. Joannis, S. Jacobi et aliarum; qui tamen sui Ordinis insignia in vestibus non deferunt, sed ejusdem Ordinis Crucem ad collum intus pendentem. Cum autem Episcopi, nulli regulari Ordini adscripti seu ex ordinibus militaribus assumpti, extra Dioecesim fuerint, mozzetta super mantellettum utantur, ubi talis viget consuetudo.

Caer. Ep. l. I. c. I.

7) Metropolitani.

Metropolitano pro temporalibus negotiis accedenti ad Dioecesim Episcopi (Suffr.) licet gestare mozzetam. n. 2210 ad 1 die 17. Mart. 1663; n. 2611 die 3. Decb. 1672.

Cf.: *Mozzetta Archiepiscopi.*

8) Parochorum.

Vd.: *Stola paroch.* (decr. n. 4912.)

9) Suffraganei.

Suffraganeo praesente Metropolitano Mozzettam deferre non licet. n. 610 die 31. Jan. 1626.

Licere Revdsmo Episcopo Dyonisien. Suffraganeo in Cathedrali et in aliis Ecclesiis Civitatis et Dioecesis, quando functiones Episcopales est obiturus, deferre rocchetum cum Mozzetta, *permittente Ordinario loci*, etiam contradicente Capitulo. n. 1556 die 14. Junii 1646. Vd.: *Mozz. Episcopi.*

MULIER.

1) Ingressus in Monasterium.

Vd.: *Processio intra Claustra; Processio Regularium; Moniales* (Claus. etc. decr. Pii VI. die 25. Junii 1797.).

Non licere mulieribus in processionibus privatis Regularium et similibus per *claustra* Monasteriorum Regularium procedere, nisi de expressa licentia Sedis apostol. n. 816 die 11. Junii 1629; n. 1033 die 24. Novb. 1635.

Mulieres non possunt occasione quarumvis processionum ingredi septa Monasteriorum Regularium et sub eadem poena comprehenduntur ipsi Regulares permittentes foeminas ingredi septa Monasteriorum. n. 912 die (5.) 6. Julii 1631; n. 920 die 5. Julii 1631.

Licere Fratribus Regularibus facere processiones proprias, non solum per ambitum Ecclesiarum sed etiam per claustra Monasteriorum, dummodo mulieres non ingrediantur claustra occasione Processionum. n. 1215 die 31. Mart. 1640; n. 2430 die 10. Decb. 1667.

Ad dubium: an occasione Processionum Dominicanorum Lypuntinae liceat introducere mulieres processionem comitantes intra claustra? S. C. resp.: Serventur decreta favore fratrum. n. 3130 ad 2 die 22. Febr. 1687.

Vd.: *Constitutio PP. Pii V. die 24. Oct. 1566* in Bull. mag. rom. tom. II. p. 212 (ed. Luxenb.); *Constitut. PP. Gregorii XIII. die 13. Jun. 1575* in eod. Bull. tom. II. p. 422; *Bull. Pauli PP. V.* 1. Sept. 1808 (*Ibid.* t. III. p. 273) et die 10. Julii 1612 (*Ibid.* p. 345 et t. X. p. 180); *Constitutio Urbani VIII.* die 27. Oct. 1624 (*Ibid.* t. IV. p. 77; t. X p. 188).

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister *provinciae Catalauniae ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia* nuncupatorum nec non Minister et Discretus tertii ordinis hujusmodi istius civitatis *Barchinonensis*, quod ab immemorabili in more positum erat, ut dum magno Christifidelium concursu in ecclesia ac conventu Barchinonensi fratrum ordinis praedicti ab iisdem fratribus et ab

utriusque sexus christifidelibus dicti tertii ordinis devotum Viae Crucis exercitium perageretur, non solum viri sed etiam mulieres sejunctim tamen ab hominibus ac binae ad infimum ejusdem conventus claustrum, devote ac pie procederent et quamvis emanata anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo a felicis recordationis Benedicto PP. XIV. praedecessore Nostro constitutione, quae incipit = *Regularis disciplinae etc.* = ab ea statim consuetudine recessum fuerit, paulo post tamen ex apostolico, ut creditur, indulto eadem consuetudo revocata fuit, usque dum anno millesimo septingentesimo nonagesimo primo, quod in tabulario nullum de indulto hujusmodi apostolico extabat documentum, a tunc exercente episcopo Barchinonensi pium exercitium hujusmodi interdictum fuit. Cum autem, sicut eadem exposito subjungebat, infimum claustrum praedictum ad hunc unum usum destinatum sit, ut christifidelium cadavera tumulentur atque ad ejusdem conventus ornatum nullumque more hujusmodi incommodum in eandem clausuram redundetur, Nobis propterea memorati exponentes supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, ut veris existentibus narratis et quatenus in posterum in infimo claustro hujusmodi nulla fiet innovatio, quae rerum statum immutet, consuetudinem praedictam, ut nempe mulieres in statis jam ac ab usu praescriptis diebus tantum ad claustrum praedictum pie ac devote exercitium praedictum comitando procedere possint, pro tuo arbitrio ac prudentia ac cum iis conditionibus, quae ad scandala antevertenda a priori arbitraberis, auctoritate Nostra apostolica permittas.

Datum Romae die 25. Junii 1797. (Bull. r. Continuatio t. X. p. 99.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Ep. Almeriensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa seu priosissa monasterii monialium ordinis s. Clarae istius Almeriensis civitatis, quod ipsae ut asserunt, regulari habitu utuntur albo, qui ex crebrioribus lotionibus, nisi hae diligenter fiant, statim conteritur ideoque ad corrigendam externarum purgatricum oscitantiam atque impensas pro habituum hujusmodi suorum renovatione imminuendas, per duas probas mulieres saeculares intra ipsius monasterii claustra id operis perfici dictosque habitus ibidem, aliquibus ex ipsis monialibus inspicientibus, lavari posse plurimum desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, atque mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eisdem abatissae et monialibus, ut ipsae duas honestas mulieres saeculares tantum per ejusdem monasterii superiorissam pro tempore in perpetuum existentem prius adprobandas una vel (si necessitas id postulaverit) duabus etiam vicibus pro quolibet mense ad praemissorum effectum dumtaxat intra monasterium admittere ac mulieribus hujusmodi, ut ipsius monasterii clausuram ingredi ibique etiam per diem integrum, quando necesse fuerit, degere victumque (non

tamen cum monialibus) sumere ac dummodo earumdem monialium cellas ac alia monasterii loca, praeter ea, quae opus fuerint, non visitent neque ibi pernoctent sub poena excommunicationis latae sententiae eo ipso absque alia declaratione incurrenda, libere ac licite possint et valeant, licentiam auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio et conscientia concedas et indulgeas.

Datum Romae die 2. Aug. 1803.
(Bull. r. Continuat. t. XII. p. 46.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Episcopo Malacitano.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa Margarita Romeo et moniales monasterii sanctissimae Conceptionis istius Malacitanae civitatis, quod ex veteri consuetudine nonnullae mulieres saeculares tam earum communitati quam privatim singulis monialibus praedictis intra monasterii claustra inservientes ibi retineri solent, quas mulieres semel admissas nunquam eas ex monasterio dimittere aut mutare consueverunt. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, incertum adhuc sit, an haec consuetudo admittendi et retinendi saeculares puellas inservientes alicui indulto apostolico innitatur, cumque etiam justis de causis interdum oporteat aliquam inservientium hujusmodi e monasterio dimittere earumque numerum pro variis monasterii et monialium necessitatibus imminuere vel augere, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eisdem exponentibus ac pro tempore in perpetuum existentibus monialibus dicti monasterii tot ancillas saeculares in monasterium hujusmodi introducendi, quot pro ipsius monasterii et monialium particularium servitiis dumtaxat fuerint necessariae, auctoritate Nostra apostolica arbitrio tuo facultatem concedas,

His tamen legibus, primo scilicet, ut superiorissa et moniales ejusdem monasterii pro singularum ancillarum hujusmodi admissione suffragium suum secretum capitulariter congregatae ferant: secundo, ut ancillae assumendae sunt virgines honestaeque conditionis et famae: tertio, ancillae hujusmodi habitu cultuque utantur modesto absque jocalibus auro sive serico, locutorii et clausurae leges observent ac famulatum respective debitum praestent: tandem, ut si semel aliqua ex dictis ancillis e monasterio egrediatur aut dimittatur ex admissa tamen culpa, in illud amplius sine hujus sanctae Sedis licentia redire nequeat; praeterea ipsis abbatissae et monialibus ancillas hujusmodi, gravi tamen accedente causa, dimittendi et mutandi aliasque novas, modo supra expresso, admittendi earumque numerum pro diversis monasterii et monialium particularium necessitatibus imminuendi vel augendi facultatem auctoritate et arbitrio praedictis concedas et indulgeas.

Datum Romae die 11. Aug. 1803.
(Bull. r. Continuat. t. XII. p. 48.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Archiep. Valentino.

Nuper Nobis exponi fecit dilectus filius Antonius Martinez Custos conventus sancti Francisci Muri Veteris, olim Sagunti, Nos ejus, ut asserit, antecessori, dum custodis munere fungeretur, indulsisse ad triennium, ut om-

nes utriusque sexus Christifideles, qui metu solis nimium in conventus platea Augusti mense aestuantis a portiunculae indulgentia lucranda non parum avertebantur, ingredi egredique possent in festo sanctae Mariae Angelorum ecclesiam ejusdem conventus per januam, quae ad inferiora claustra ducit, tum etiam ut ne causa imbrium, qui frequentes ibi esse solent, quaedam processiones eam per plateam fieri consuetae impedirentur, peragi illae valerent per eadem claustra, si tempore processionum imbres de coelo ruere contigisset. Quum autem compertum experientia sit, devotionem pietatemque fidelium non mediocre ex hujusmodi indulto Nostro incrementum accepisse, ideo, quo, latiores in ea Domini vinea agat radices, summopere cupit exponens, idem indultum, priusquam triennii tempus expiret, non modo per Nos confirmari sed etiam perpetuum reddi perpetuoque pariter ampliari ad alias tres processiones, quae incedentibus una clero, communitatibus et populo oppidi ibidem fiunt diebus trigesima Julii, decima Augusti et feria sexta majoris hebdomadae singulis annis, nimirum, ut ad aestivas molestias hybernasque inclementias penitus evitandas, quum caloris, pluviarum ventorumque vis ingruit, liceat tunc his in processionibus aliisque superius recensitis inferius coenobii claustrum permeare vel mulieribus processionem sequentibus ac cum periculo valetudinis in platea se sistere ibique processionis reditum debeant exspectare, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, uti ordinis generali ministro, per praesentes committimus et mandamus, ut constito tibi de narratis, ac proviso per datam tibi a Deo sapientiam, ne ulla unquam eventura sint scandala, super quo etiam custodum pro tempore conscientiam onerabis, exponentis precibus pro tui conscientia et arbitrio indulgeas juxta petita; Nos enim tibi omnes, quae tibi ad id opus sunt, facultates auctoritate apostolica tribuimus ac impertimur.

Datum Romae die 27. Mart. 1804. (Bull. r. Contin. t. XII. p. 141.)

2) Ministrans in Missa.

Ad dubium : Potestne Sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad Sacrificium occurrere possunt, ne mulieres serviant Altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Affirmative, urgente necessitate."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

N. 4782 ad 10 die 27. Aug. 1836.

Mulieres servire ad altare non audeant sed ab illius ministerio repellantur omnino.

Constit. Bened. XIV. ad Italo-Graecos 26. Maii 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 98 XXI.); ***Ritus graec.*** (Constit. Bened. XIV. §. 28.)

S. Gelasius I. Episcopis Lucanicae et Siciliae etc.

Impatienter audivimus, tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut foeminae sacris altaribus ministrare ferantur et cuncta, quae non nisi virorum famulatui deputata sunt, sexum, cui non competit, exhibere.

Die 11. Mart. 494.

(Bull. r. t. I. p. 106 n. 28. Ed. Aug. Taur. 1857.)

3) Pax, Thurificatio.

Thuris et pacis honorem inter Missarum et Vesperarum solemnia mulieribus non deberi, etiamsi quaevis adesset contraria consuetudo, quam abusum esse. n. 543 die 3. Junii 1617; n. 3636 die 9. Decb. 1702.

Nullo modo licere Uxori thurificationem et pacem dare. n. 938 die 13. Aug. 1633; n. 1443 die 18 Apr. 1643.

Ad dubium Capituli Cathedr. s. Agathae Gothorum, quo loco incensanda Ducissa? S. C. resp.: *Nihil* et servandum Caerem. n. 2908 die 16. Decb. 1679.

Si adesset aliqua Mulier insignis, ut Regina vel magna Principissa, utique et ipsi thus dari convenit in loco, ubi daretur ejus viro, si adesset. *Caer. Ep.* l. I. c. XXXIII. n. 31.

4) Presbyteri graeci.

Vd.: *Ordinatio Graecor.* (n. XXVI-XXVIII.)

5) A quo accipit candelas, palmas etc.?

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (*Modus* accip. etc. — Laici; *Ordo accip.* etc. — Clerus.)

6) Sedes in Ecclesia.

Provincialis non potest in Ecclesiis sui Ordinis concedere sedes camerales mulieribus non illustribus neque titulatis. n. 1062 ad 3 die 10. Junii 1638.

7) Separatio a Viris.

Viri a mulieribus, cum commode fieri poterit, distinguendi et separandi sunt in Ecclesia. *Caer. Ep.* l. I. c. V. n. 7.

MUNDA COR etc.

In Ordinat. ad Diaconat.:

Vd.: *Evangel.* (oscul. Episcopi in Ordinat.)

Diaconus Evangelii (in missa pontif. *de Req.*) *in supremo* gradu genuflexus dicit: *Munda cor etc.* Caer. Ep. l. II. c. XI. n. 6. Diaconus (in missa pontif. *sol.*) dicit in *inferiori* gradu genuflexus: *Munda cor etc. Ibid.* c. VIII. n. 42.

MUNDITIA ECCLESIAE ET VAS. ECCLES.

Benedictus PP. XIV.

Ad Episcopos Ditionis Ecclesiasticae.

In primis Tibi, V. Fr., enixe commendamus, ut Ecclesiae optimo in statu sint, nitidae, mundae sacraque Supellectili instructae; facile enim quisque intelligit, si intueatur ecclesias ruinosas, illuvie et squallore deformes, s. vestibus indigentes vel habentes laceras sordidas et ejus conditionis ac status, ut dignae sint, quae interdicantur. Hic autem adverti volumus. Nos verba facere non de sumptuositate et s. templorum magnificentia nec de divite et pretiosa supellectili; non enim Nos latet, haec non omnibus in locis haberi posse, sed decentiam et munditiam consideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum paupertate bene convenire et componi possunt. Inter caetera mala, quibus Ecclesia Dei affligitur, etiam de hoc dolebat V. Card. Bellarminus: *Omitto,* inquiens, *quod alicubi vasae s. et vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia et sordida inveniantur, indigna prorsus, quae ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte, qui haec adhibent, pauperes sunt. Id quidem fieri potest; sed si pretiosa non possunt, saltem munda et nitida procurarent.* Quamobrem Bened. XIII. proponere solebat in exemplum PP. Capuccinor. Ecclesias, in quibus est summa paupertas aequalisque mundities omnium oculis spectanda se offert. Drexelius t. 17 suorum operum in tractatu, qui inscribitur „*Gazophylacium Christi*" p. 2 c. 2 p. 153 ita scribit: *Primum ac potissimum, quod templis debetur, est mundities. Non*

tantum adsint, quae in usus sacros necessaria, sed etiam, quantum fieri potest, mundissima sint.

Et jure merito contra eos invehitur, qui domos bene ornatas et cultas habent, ecclesias vero in squallore et sordibus relinquunt. *Sunt etiam, qui domos habent instructissimas et ornatissimas; in eorum templis ac sacellis squallent omnia; arae a frontalibus nudae vix laceris et sordidis pannis insternuntur; in caeteris omnibus confusio et squallor.* S. Hieronymus in ep. ad Demetriadem parum se curare haud obscure indicavit: pauperesne an divites sint Ecclesiae? *Alii aedificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant earumque deaurent capita, pretiosum ornamentum non sentientia; ebore argentoque valvas et gemmis aurata distinquant altaria; non reprehendo, non abnuo; unusquisque in suo sensu abundet; meliusque est hoc facere quam repositis opibus incubare.*

At vero Ecclesiarum munditiem maximi facere aperte declaravit, cum Nepotianum summis laudibus extulit, quia diligens ac sollicitus fuit in nitore et munditia ecclesiarum atque altarium curanda. *Erat ergo,* ait, *sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in hostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta et in omnes caeremonias pia sollicitudo deposita; non minus non majus negligebat officium.*

Profecto sedulo ac diligenter cavendum est, ne illud non sine maxima ecclesiastici Ordinis infamia contingat, quod sibi evenisse narrat laudatus Card. Bellarminus: *Ego,* ait, *cum aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem et praedivitem hospitarer, vidi aulam vasis argenteis splendidam et mensam omni genere praestantium ciborum refertam; mappas quoque et reliqua omnia nitide et odorem suavem spirantia. Sed cum die sequente summo mane ad Ecclesiam Palatio contiguam descendissem, ut Sacris operarer, inveni omnia contraria, id est vilia et sordida, ut vix auderem in tali loco et cum tali apparatu divina mysteria celebrare. Encyclica Bened. XIV. ad Episcop. ditionis eccles.* Die 19. Febr. 1749 (Bull. r. t. XVIII. p. 9.).

Erit autem valde opportunum, ubi fieri possit, praesertim in ecclesiis majoribus et opulentioribus, si constituatur minister aliquis, cui curae sit, ut Ecclesia continuo in anni ejus parte munda sit et expedita, tam in pavimento quam in parietibus, columnis, fornicibus et laquearibus, nec per eam discurrere permittat mendicos, canes aut alia animalia divina Officia perturbantia.

Caer. Ep. l. II. c. XII. n. 25. Cf.: *Sacrista.*

MUSICA.

1) Alteratio, Harmonia et Textus.

Vd.: *Psallendi modus* (decr. Bened. XIV. de die *19. Febr. 1749); Organum.*

Ad relationem, quod in multis Ecclesiis ad inserviendum lepori Musices alteratur notabiliter textus s. Scripturae mutilando, ante et postponendo et alterando verba et sensum illarum et aptando eas modulationi, ita ut non musica s. Scripturae, sed haec illi inservire videatur, S. C. resp.: Indigere reformatione et quousque ratio congrua ineatur, injungendum Emo Vicario ut praedicta prohibeat, prout magis expedire cognoverit. n. 1432 ad 1 die 21. Febr. 1643.

Alexander PP. VII.

Piae sollicitudinis studio ducimur, ut Ecclesiarum divinis laudibus et orationi destinatarum ac Oratoriorum Urbis, ex qua in omnes Orbis partes

bonorum operum exempla promanant, decori et reverentiae consulere satagentes, quaecunque vana et praesertim musicos concentus et symphonias, quibus quid indecorum sive a ritu ecclesiastico alienum, non sine divinae Majestatis offensa et Christifidelium scandalo, ac devotionis et cordium ad superna elevationis impedimento admiscetur, ab illis procul arceamus.

Itaque omnibus et singulis archipresbyteris eorumque Vicariis, ac Capitulis et Canonicis choroque praefectis quarumvis ecclesiarum et Basil. etiam Patriarchal., nec non Praelatis, Superioribus, Rectoribus, Administratoribus, Custodibus, Quardianis aliisque Officialibus, quocunque nomine nuncupentur, quorumvis monasteriorum utriusque sexus, Domorum, Conventuum et Collegiorum tam saecul. quam regular. ac Congreg., Confratern., Hospitalium .... tenore praesentium sub *poena excommunicationis latae sententiae nec non privationis fructuum unius mensis ac suspensionis ab officio resp. prohibemus*, ne in eorum ecclesiis et Oratoriis quidquam cantari permittant *praeter ea verba, quae Breviario vel Missali rom. in officiis de proprio vel de communi pro currenti cujusque diei festo vel Sancti solemnitate praescribuntur, vel quae saltem a s. scriptura aut ss. Patribus desumpta sint*, quae tamen prius a S. R. C. specialiter approbentur, exclusis modulis iis, qui choreas et profanam potius quam eccles. melodiam imitantur.

Romae apud s. Mariam Major. die 23. Apr. 1657.

Innocentius PP. XII.

La Santità di Nostro Signore havendo inteso, che nelle Chiese in occasione di Musiche si era di nuova posto in abuso l'ordine publicato giâ dalla san. mem. di Alesandro VII. con sua Bolla in data delli 13. Aprile 1657 e rinovato poscia dalla san. mem. d'Innocenzo XI. di 3. Settembre 1678 ha commandato à Monsignor, Vicegerente, che havuti à se tutti li Maestri di Capella ingiungesse loro, come hà fatto, la puntuale osservanza de sopradetti ordini; Ma perche alcuni interpretano diversamente li medesimi circa le Compositioni da contrarsi nelle Messe, e Vesperi, per toglierli ogni pretesto di scusa, con la presente si dichiara, che Sua Santità non vuole assolutamente che in veruna Chiesa, ò Basilica, etiamdio delle Patriarcali, di Collegiate, Parochiali, ò in altra di qualsivoglia Collegio, Convento, ò Congregatione tanto di Secolari, come de' Regolari, Confraternitatà, anche Nationali, Hospedali, Archihospedali, e Luoghi Pii, etiam di Laici di quest' Alma Città, si canti Motteto, à Compositione alcuna, ma solamente nelle Messe l'Introito, Graduale, ò Offertorio corrente, e ne' Vesperi l'Antifone, che occorrono avanti, e doppo il Salmo, che si cantu, senza una minima alteratione in modo, che li Musici si uniformino totalmente al Choro, poiche si come in questo non è permesso di aggiungere cos' alcuna all' Officio, e Messa, cosi parimente sia interdetto, e prohibito alli Musici; Permetti bensì la Santità Sua, che nell' elevatione nella S. Messa, e nell' espositione del Venerabile si possa, per eccitare la devotione de' fedeli, cantare qualche Mottetto cavato dagl' Inni di S. Tomasso, ò Antifone registrate nel Breviario, e Messale Romano per l'Ufficio, e Messa, che si celebra nella Solennità del Sanctis. Sagramento, senza però che si mutino le parole. Avvertendo, che doppo questa dichiaratione contro li Maestri de Capella, che comporranno, e Musici, che cantaranno si procederà irremissibilmente alle pene

contenute ne' sopradetti Ordini, li quali s'intendino in vigore di quaesta dichiaratione rinovati et ad altre ancora corporali ad arbitrio della Santità Sua et Nostro.

Datum Romae hac die 20. Augusti 1692.

(Bull. r. t VII. p. 286.)

De *Statutis Congreg. Musicorum sub invocatione s. Caeciliae in Urbe institutae* vd.: *Constitutio Clem. XI.* 9. Sept. 1716 (Bull. r. t. VIII. p. 169.).

Benedictus PP. XIV.

Ad Episcopos Ditionis Ecclesiasticae.

Nos Te, V. Fr., admonemus, ut, musicus cantus, qui nunc in Ecclesiis usu receptus est et qui Organi aliorumque instrumentorum harmoniae conjungi solet, ita instituatur, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet. Universus quidem orbis christ. organi aliorumque musicorum instrumentorum usum adhuc non recepit, praeter enim Ruthenos ritus graeci, qui in suis ecclesiis neque organum neque alia musicae instrumenta habent. Nostra Pontificalis Capella, ut omnibus notum est, cantum musicum, sed gravem, decorum piumque admittit, nunquam autem organum recepit, quod etiam notatur a Patre Mabillone*). Refert Grancolas**) etiamnum in Galliis aliquas insignes ecclesias reperiri, quae organum cantumque musicum seu harmonicum in s. functionibus non adhibent. Illust. Ecclesia Lugdunensis, quae quidem novitatibus semper adversata est, usque ad hunc diem exemplum Pontificiae Capellae secuta organo uti noluit***)

Reperiuntur, qui cantum harmonicum cum musicis instrumentis in Ecclesiis adhiberi minime probant. Abbas Aelredus coaevus et discipulus s. Bernardi, *lib. 2 ejus Operis, quod inscribitur „Speculum charitatis“ cap. 23 t. 23 Biblioth. Patrum p. 118* ita scribit: *Unde cessantibus jam typis et figuris, unde in ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille folium flatus, tonitrui potius fragorem quam vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio et infractio? Hic succinit, ille descinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit et incidit.*

Asserere quidem non audemus, aetate s. Thomae Aquinatis nullis in ecclesiis usum musici cantus cum musicis instrumentis fuisse; illud utique affirmare licet, in Ecclesiis minime fuisse, quae s. Doctori notae et cognitae erant, ideoque hujusmodi cantui ipse nequaquam favisse videtur. Tractat enim 2. 2. *quaest. 91 art. 2* quaestionem illam: utrum in divinis laudibus sint cantus assumendi: Resp.: assumendos esse; sed cum sibi quarto loco opponat: *Instrumenta musica, sicut cytharas et psalteria non assumere ecclesiam in divinas laudes, ne videatur judaizare,* cum in psl. 32.: *Confitemini Dom. in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi.* Resp.: *Hujusmodi musica instrumenta magis movere ad delectationem quam interius disponere ad pietatem;* in veteri autem testamento ideo adhibita fuisse, *quia populus erat magis durus et carnalis, unde erat per hujusmodi instrumenta provocandus sicut et per promissiones terrenas.* Addit insuper, instrumenta in veteri testamento typos seu figuras aliquarum rerum fuisse: *Tum etiam,* ait, *quia hujusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.*

De SS. Pont. Marcello II. traditum est, secum deliberasse, musicam in ecclesiis abolere cantumque eccles. ad cantum planum redigere. Aetate nostra

---

*) Mus. Ital. t. 1. 47.

**) Comment. hist. de Brev. rom. c. 17.

***) Card. Bona in tract. de div. plalm. c. 16. §. 2. n. 5.

vidimus Cardinalem Thomasi in ecclesia sua Titulari s. Martini ad Montes in die festo ejusd. Sancti in missa et vespertinis officiis concentus musicos habere noluisse, sed ut a viris religiosis in sacris peragendis cantus planus adhiberetur praecepisse.

Reperiuntur qui usum musici cantus cum Instrumentis in divinis Officiis approbant. Eodem saeculo, quo praedictus Abb. Aelredus, floruit etiam Joannes Sariberiensis Episcopus Carnotensis, qui *lib. I. Policratici c. 6* musicam organicam seu concentum vocum et instrumentorum laudat. *Ad mores itaque instruendos et animos exultatione virtutis trajiciendos in cultum Domini non modo concentum hominum sed et instrumentorum modos censuerunt S. Patres Domino applicandos, cum templi reverentiam dilatarent.* S. Antoninus *) non rejicit cantum harmonicum in divinis Officiis: *Cantus quidem firmus in divinis officiis a S. Doctoribus institutus est, ut Gregorio M., Ambrosio et aliis. Biscantus autem in officiis eccles. quis adinvenerit ignoro: pruritui aurium videtur magis deservire quam devotioni, quamvis pia mens etiam in his fructum referat audiendo.* Et paulo post admittit in divinis Officiis non solum organum sed etiam alia instrumenta musica: *Sed et pulsatio organorum vel aliorum instrumentorum ad divinam laudem initium virtutis habuisse a propheta David.* Constituerat quidem Marcellus II. ab ecclesiis cantus musicos et musica instrumenta removere, sed Joann. Petrus Aloys. Praenestinus Magister capellae Basilicae Vaticanae musicos cantus in s. Missarum Solemnibus persolvendis composuit tam excellenti arte, ut ad pietatem animos et devotionem moverent. Itaque illis auditis a SS. Pontifice a proposito recessit.

*) Summa part. 3. tit. 8. c. 4. §. 12.

In Conc. Trid. actum est de eliminanda musica ab Ecclesiis, sed cum ab Imp. Ferdinando per suos Legatos expositum fuisset, cantum musicum seu figuratum fidelium animis incitamento ad devotionem et pietatem esse, decretum moderari placuit, uti leg. *in sess. 22 in decr. de observ. et evit. in celebr. Missae.* In eo autem ab ecclesiis solum rejectae fuerunt musicae illae, *ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquod miscetur**). Profecto eccl. scriptores magni nominis libenti animo eandem sententiam sequuntur. Bellarminus**) docet: *retinendum esse in ecclesiis usum organorum, sed alia instrumenta musica non facile admittenda: Ex quibus illud efficitur, ut organa propter infirmos in ecclesia retinenda sunt, ita non facile alia instrumenta esse introducenda.* Eadem semita insistit Card. Cajetanus *in sua Summa ad verbum „Organum": Organorum usus in ecclesia licet sit unus, in cujus signum ecclesia Rom. adhuc non utitur eis coram Pontifice, licitus tamen est pro carnalibus adhuc fidelibus imperfectis. Card. Baronnius* ad ann. Chr. LX scribit: *Verum, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in ecclesia adhiberentur organica instrumenta disparibus cannis simul junctis confecta, haud jure quis poterit improbare. Card. Bona* de divina psalmodia c. 17 agens dicit: *Non tamen damnari debet moderatus organorum usus etc.; laetificat organorum concentus tristes mentes et supernae civitatis insinuat jucunditatem, sollicitat pigros, recreat diligentes, provocat justos ad amorem, peccatores ad compunctionem.*

*) Pallav. histor. Conc. Trid. l. 22. c. 5. n. 14.

**) Tom. 4. controv. lib. 1. de bonis oper. in partic. cap. 17.

Suarez *) animadvertit, organi nomine comprehendi non solum illud instrumentum musicum, quod hodie vulgo organum vocari solet, sed alia etiam instrumenta harmonica (quod jam antea notatum fuit a S. Isidoro lib. 2. orig. c. 20: *Organum vocabulum est generale vasorum omnium musicorum*); ideoque concludit, recepto in ecclesiis organo, etiam alia instrumenta musica admittenda esse. *Sylvius* **) cantum harmonicum non repellit: *Ideoque*, ait, *magna cura habenda est cantus eccles., tum ejus, qui planus seu Gregorianus dicitur, qui proprie est ecclesiasticus, tum ejus, qui postea in ecclesiam est introductus et vocatur figuratus et sive harmonicus.* Et paulo post: *Nihilominus, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in eccles. officiis instrumenta musica adhiberentur, nullo modo est improbandum.*

Bellote ***) dicit: *Proinde nequaquam instrumentorum musicorum vitio vertendum est, quod posterioribus tantum saeculis usa sit Ecclesia musicis cantoribus et musicalibus instrumentis; sed quod a Gentilibus ejusmodi instrumenta musica in turpibus ac sordidis usibus, nimirum in theatris, conviviis ac sacrificiis consueverint adhiberi. Persicus* in suo Tractatu *de divino et eccles. officio dub. 5. n. 7.* ita loquitur de cantu figurato: *Dico secundo, quamvis in cantu organico seu figurato multi possint abusus obrepere, sicut in omnibus aliis eccles. caeremoniis accidit, ipsum tamen per se, si debite, religiose et decenti moderatione fiat, licitum esse nec ullo jure prohibitum.* Et ad dub. 6. n. 3. tenet, quod *organorum et aliorum instrumentorum universalis usus in divinis officiis secundum se laudabilis est, et ad imperfectorum animos ad Dei contemplationem elevandos valde utilis.*

Et quidem usus cantus harmonici seu figurati et musicorum instrumentorum in missis, vesperis aliisque eccles. functionibus adeo longe processit, ut ad Paraguajam usque regionem pervenerit.

Denique diximus neminem esse, qui theatrales cantus in ecclesiis non detestetur et qui diversitatem aliquam non requiret inter sacros Ecclesiae et profanos scaenarum concentus. Celebris est locus s. Hieronymi relatus in *Can. Cantantes dist. 92. Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant haec adolescentuli; audiant ii, quibus psallendi in Ecclesiis officium est. Deo non voce sed corde cantandum, nec in tragoedorum morem guttur et fauces dulci medicamine liniendae sunt, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica.* S. Nicetius *) cantum in ecclesiis adhibendum describit: *Sanus etiam vel melodia consentiens s. religioni psallatur; non quae tragicas difficultates exclamet sed quae in vobis veram christianitatem demonstret, non quae aliquid theatrale redoleat, sed compunctionem peccatorum faciat.* Patres in Conc. Toletano 1566 dicunt **): *Sed et illud maxime cavendum erit, ne ipsius musicae sonus quid theatrale aut impudicos amorum bellorumque classicos modulos referens in Dei laudibus decantandis imitetur.* Plures

*) Tom. 2. de Relig. lib. 4. de hor. can. c. 8. n. 5.

**) Tom. 3. suorum operum super 2. 2. S. Thomae quaest. 91. art. 2.

***) Lib. de ritibus Eccles. Laudunens. p. 209. n. 8.

*) Lib. de psalmodiae bono c. 3. t. 1. Spicilegii.

**) Act. 3. c. 11. t. 10. Collect. Concil. Harduin.

eruditi Scriptores *) acriter reprehendunt scaenicos sonos et cantus precanturque ut hujusmodi abusus ab ecclesiis allegentur.

Tandem ut sermonem de hac re absolvamus, nempe de abusu theatralium concentuum in ecclesiis, qui adeo per se manifestus est, ut nullis indigeat verbis et probationibus; satis erit indicare, omnes eos, qui superius a Nobis citati fuerunt, tamquam qui usui cantus figurati seu harmonici et musicorum instrumentorum in ecclesiis faverent, palam profiteri ac testari se, quaecunque scripserunt, ea mente et concilio fecisse, ut nequaquam intelligenda sint de cantu et sono scaenarum ac theatrorum proprio, quem ipsi aeque ac illi reprobant, sed de cantu et sono, qui ecclesias decet et qui populos ad devotionem excitat, quod ex illorum lectione quisque cognoscere poterit.

Exinde sequitur, ut diligenter inquirendum sit, quinam sit usus rectus ac probus, quinam vero abusus. Ut autem ordine procedamus, primum verba faciemus de iis, quae in ecclesiis canenda sunt; deinde de modo ac ratione, qua cantus institui debet; denique de Instrumentis musicis ecclesiarum propriis, quibus in s. templis cani debet.

Durandus tempore Nicolai III. usum cantilenarum vulgo *motetorum*, qui ejus aetate vigebat, aperte improbat *in tract. de modo gener. Conc. celebrandi* c. 19: *Videtur valde honestum esse, quod cantus indevoti et inordinati motetorum et similium non fierent in Ecclesiis.* Postea Joannes XXII. in decretali: *Docta Sanctorum* motetorum cantum lingua vulgari se abominari ostendit: *Motetis vulgaribus nunquam inculcant.* Favisse videtur motetis *Suarez* *), etiamsi scripta fuerint lingua vulgari, dummodo gravia sint ac devota. Ad suadendum autem id, quod affirmat, offert morem ac usum nonnullarum Ecclesiarum, quae licet a sapientibus Praelatis regantur, in eis tamen cantilenae seu modulata carmina non improbantur. Addit insuper, quoniam primis Ecclesiae temporibus quisque fidelium in Ecclesia pios ac devotos hymnos, quos composuerat, cantabat, ex veteri hac consuetudine usum motetorum quodammodo approbari. Antevertens autem id, quod ei objici posset, hujusmodi modulatis carminibus, quae moteta vocant, eccles. psalmodiam interrumpi, ita resp.: *Nec interruptio illa vel mora, quae tunc fit inter partes alicujus horae, reprehensibilis est, quia moraliter veluti continuatur in devotione, quae per cantum illum excitari intenditur, et ita cantus ille potest censeri veluti dispositio ad sequentia et solemnis ac congrua terminatio praecedentium et ornatus totius horae.*

Vertente anno 1657 Alexander VII. in Const.: *Piae sollicitudinis* praecepit, ut per id tempus, quo divina persolvuntur Officia et quo publicae fidelium adorationi SSmum expos. est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario vel Missali rom., *quae in officiis de proprio vel de communi, pro currenti cujusque diei festo vel Sancti solemnitate praescribuntur*, vel ex Scriptura aut SS. PP. operibus, ita tamen ut antea a S. R. C. approbanda sint. Porro ex hujusmodi Constit. videtur cantus motetorum, quae servata ratione ab eodem Alexd. VII. praescripta, composita et a S. R. C. probata sunt, procul dubio

*) Casalius de veteribus s. christian. ritibus c. 34; Abb. Ludov. Ant. Muratori t. 1. antiquae rom. Liturgiae in dissert. de rebus liturg. c. 22 in fine.

*) Tom. 2. de Relig. lib. 4. de horis can. c. 13. n. 16.

approbatus fuisse. Hanc Constit. approbavit Innoc. XI. die 3. Decb. 1678. Dubio exorto in intelligendis Constitutionibus et interpretandis Alexdi. VII. et Innoc. XI. Innocentius XII. die 20. Aug. 1692 promulgavit decretum, quo generalim quarumcunque cantilenarum seu motetorum cantum prohibuit; in sacrarum autem Missarum Solemnibus solummodo permisit ultra cantum „Gloriae et Symboli", ut cani possit Introitus, Graduale et Offertorium; in Vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, Antiphonae, quae initio cujusque psalmi vel in ejus fine dicuntur. Insuper voluit et jussit, ut Cantores musici omnino legem chori sequerentur et cum eo prorsus convenirent, et quemadmodum in choro fas non est aliquid addere Officio vel Missae, ita etiam musicis noluit id licere, et illud dumtaxat concessit, ut ex Officio et Missa, quae in Solemnitate SSmi Corp. Chr. celebrari solet, nimirum ex hymnis s. Thomae vel ex Antiphonis aliisque relatis in Breviario ex missali rom. carmen aliquod seu motetum nulla verborum varietate desumi et decantari posset ad fidel. devotionem excitandam, dum S. Hostia elevatur vel publice veneranda exhibetur.

Lege autem Ecclesiasticis cantiunculis seu modulatis carminibus aut motetis posita negari nequit, non parum momenti ad removendos ab Ecclesiis theatrales cantus allatum esse, sed necesse est fateri, ad finem propositum assequendum id non sufficere. Fieri enim potest et nimis etiam non sine nostro dolore fit, ut cantus Gloriae, Symboli, Introitus, Gradualis, Offertorii et caeterorum omnium, quae rite ac de more in Missis et Vesperis, ut supra dictum est, cantari solent, theatrali more et scenico strepitu peragatur. Magnus Episcopus Gulielmus Lindanus in sua *Panoplia Evangelica lib. 4. cap. 78.* cantui musico in Ecclesiis non adversatur, *sed frequentes repetitiones et vocum confusiones improbat* proponitque, ut in Ecclesiis ea musica adhibeatur, quae consentanea sit rebus, quae canuntur. *Quamquam non me fugiat, quibusdam musicam cum organis et musicis rectius videri retinendum, quibus equidem perlibenter assentiar, si unà pro isto musices genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur, et gravius et rebus ipsis convenientius, et si non, ut oportet, pronuntiationi quàm cantui vicinius, saltem rebus, quae canuntur, aptius atque accommodatius.* Drexellius in suo opere *Rhetoricae coelestis lib. 1. cap. 5.* opportunè ad rem nostram ita exclamat: *Hìc pace vestra dixerim, o musici, nunc Templis cantandi genus dominatur novum sed exorbitans, concisum, saltatorium et parùm profectò religiosum, theatro aut chorus convenientius quam Templo. Artificium quaerimus, et perdimus priscum precandi ac cantandi studium. Curiositati consulimus, sed revera negligimus pietatem. Quid enim novitia haec et tripudians cantandi ratio, nisi comoedia est, in qua cantores velut actores sunt, quorum modò unus prodit, modò duo, modò simul prodeunt omnes et modulatis vocibus colloquuntur, mox iterum unus triumphat solus caeteris brevi secuturis.* Recens scriptor Benedictus Hieronymus Feijoo Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis in suo *Theatro critico universali serm. 14.* peritiâ et scientiâ notarum musicarum innixus rationem indicat, qua redigi possent musicae Ecclesiarum ad eum modum et rationem, quae in omnibus penitus esset Theatrorum musicis concentibus dissimilis. At verò Nobis satis erit prae oculis habitis Sacrorum Conciliorum regulis et probatorum Scriptorum

sententiis illud admonere, quod si musicus theatrorum cantus ita instituitur, ut, quemadmodum Nobis relatum est, populus spectator et auditor harmonicis quidem cantorum modulationibus oblectetur, artificio musicae artis gaudeat numerisque musicis delectetur, melodia et suavitate vocum fruatur, verba autem plerumque non rectè percipiat. Diversum utique et contrarium omnino in Ecclesiastico cantu servari debet, in quo illud *in primis curandum est, ut verba perfectè planèque intelligentur.* Nam cum in Ecclesiis concentus musicus receptus sit ad erigendas hominum mentes in Deum, ut docet S. Isidorus *lib. 1. de Eccl. off. c. 5. Psalterium idcirco cum melodia cantilenarum suavium ab Ecclesia frequentatur, quò facilius animi ad compunctionem flectantur.* Id certè obtineri difficilè potest, si verba non audiantur. In Concilio Cameracensi anno 1565 tit. 6. cap. 4. tom. 10. collect. Hard. pag. 582 ita constituitur: *Caeterum, quae in Choro cani debent ad instructionem, ea canantur voce, ut intelligantur mente.* Et in Concilio Coloniensi anno 1536 cap. 12. *tit. de off. priv.* talià leguntur: *Jam et illud non rectè fit in quibusdam Ecclesiis, ut ob cantorum et organorum concentum omittantur aut decurtentur ea, quae sunt praecipua. Cujus generis sunt recitatio verborum Propheticorum aut Apostolicorum, quam Epistolam vocamus, Symbolum Fidei, Praefatio, quae et gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem haec tota distinctissimè ac intelligibiliter uti caetera omnia decantentur.* In Concilio autem Mediolanen. primo habito anno 1565 pars 2. num. 51. *in praedicta Harduini collectione* pag. 687 talia leguntur: *In Divinis Officiis aut omnino in Ecclesiis nec profana cantica sonive nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressae quàm ore expressae, aut denique lasciva ulla canendi ratio adhibeatur. Cantus et soni graves sint, pii et distincti ac domui Dei ac Divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligantur et ad pietatem auditores excitentur.* In hac re, de qua agitur, gravis est sermo Patrum, qui in Concilio Toletano convenerunt anno 1566 *act. 3. cap. 2.* in laudata Collectione pag. 1164: *Cum ea,* ajunt, *quae in Ecclesiis cantantur ad Dei laudem celebrandam, eo debent cantari modo, quo populi intelligentia, quantum fieri potest, erudiri valeat et religiòsa pietatis ac devotionis moderatione, piorum auditorum mentes ad Divinae Majestatis cultum et coelestia desideria excitari queant; caveant Episcopi, ne dum in chorum musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmorum et aliorum, quae cantari solent, verba obscurentur ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur. Sic denique musicam, quae organica dicitur, retineant, ut eorum, quae cantantur, verba et intelligi possint et potius pronunciatione quàm curiosis modulis audientium animi Divinis laudibus afficiantur.* Ex his autem apertè comperitur, quàm meritò his verbis questus sit Episcopus Lindanus loco citato: *Non enim nunc suo cantu musici auditorum animos tam ad pietatis cultum coelestiaque excitant desideria, quàm avocant, avertunt, alienant. Scio enim aliquando Divinis me interfuisse laùdibus, cum vel attentissimus auscultarem, ecquid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum repetitionibus commixta, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis et incondito boatu quàm cantu obscurata:* Tum etiam quam pium fuerit desiderium et quàm prudens sit exhortatio, qua musicos ad

pietatem incitavit Drexellius loco pariter citato: *Reviviscat, obsecro, saltem aliquid priscae Religiositatis in sacra musica. Quod si cordi est et curae divinus honor, hoc agite viri, hoc laborate, ut quae cantantur verba, simul etiam intelligantur. Quid enim mihi varius in Templo sonus, quid multiplex concentus, si desit ei nucleus, si sensum et verba, quae concentu sunt instillanda, percipere nequeam?* Et demum ostenditur non sine causa Cardinalem Dominicum Capranicam, cum sacrae cuidam functioni Divinisque Officiis interfuisset, quae cantu musico peracta fuerant, ita tamen ut verba non audirentur, rogatum a Summo Pontifice Nicolao V., quid de musicis illis cantionibus ei videretur, ea respondisse, quae legi possunt apud Poggium in vita ejusdem Cardinalis edita a Balutio *lib. 3. miscellaneorum* §. *18. pag. 289.* Magnus Pater Augustinus *lib. 9. Confess. cap. 6.* de se ipse testatur, cum in Ecclesia suaves hymnorum cantus audiret, in lacrymas effundi consuevisse: *Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis et eliquebatur veritas tua in cor meum et ex ea aestuabat. Inde affectus pietatis et currebant lacrymae et benè mihi erat cum eis.* Cum autem ea magna delectatio, quam in audiendis Ecclesiasticis hymnis percipiebat, in religionem ei venisset, et ideò quadam severitate morum Deique offensi metu, cantum illum, quo sensibilis illa oblectatio ipsi creabatur, improbandum esse censeret; postea re melius expensa, sententiam mutavit, eò quia animus ejus commoveretur non solo cantu sed verbis cantui conjunctis, ut ipse apertè declarat *lib. 10. Confess. cap. 33.* Flebat igitur Augustinus tenerrimo pietatis sensu, cum audiret in Ecclesiis sacrarum rerum cantus, probè audiens et intelligens verba, quae cantu efferebantur: fleret forsan etiamnum ipse, si nonnullarum Ecclesiarum musicos cantus audiret, non pietatis sensu sed doloris, quod cantum perciperet, verba autem non intelligeret.

Hactenus de cantu musico: *Consequens est, ut de sono organi musici aliorumque instrumentorum,* quorum usus in aliquibus Ecclesiis admissus est, verba faciamus. Siquidem et de eo agere necesse est, quia si cantum minimè decet esse theatralem, utique neque sonum. Profectò Hebraeis hac de re omnis dubitatio longè aberat, an scilicet dissimilis esse deberet cantus in Templo a profanis cantionibus theatrorum. Nam e Sacris Scripturis comperitur, cantus et musicorum Instrumentorum sonos usui fuisse in Templo non autem in theatris, ut benè advertit *Calmet in sua dissertatione de musica Hebraeorum.* At verò Nobis opus est, limites cantui et sono Ecclesiarum et theatrorum praescribere et discrimen inter utrumque definire, cum per id tempus cantus figuratus seu harmonicus cum sono instrumentorum in theatris aequè ac in Ecclesiis locum obtinuerit. Et quoniam de cantu jam satis verba fecimus, superest, ut etiam de sono idem agamus. Ut verò sermo ordine suo ac via progrediàtur, *primum de instrumentis musicis,* quorum usus in Ecclesiis tolerari potest; *deinde de illorum instrumentorum sono,* qui cantui sociari solet; et *demum de sono separatim a cantu, hoc est de instrumentorum symphonia* Nobis disserendum erit.

Et quidem quod *ad instrumenta attinet, quae in Ecclesiis permitti possunt,* Benedictus Hieronymus Feijoo in alligato sermone 14. §. 11. n. 43. *organa aliaque instrumenta admittit, amoveri autem vellet lyras tetracordas:* quo-

niam cum illae plectro tanguntur, harmonicos quidem modos edunt, sed adeo acutos, ut puerilem in Nobis potius hilaritatem quàm gravem erga sacra mysteria venerationem animorumque intentionem excitent. *Bauldry in manual. sacrar. caeremon. par. 1. cap. 8. num. 14.* vellet, ut caneretur in Ecclesiis organo tantum pneumatico, tubis caeterisque instrumentis inflatilibus seu pneumaticis: *Nec alia instrumenta musicalia cum organo pulsentur, nisi tubae, tibiae aut cornua.* E diverso Patres primi Concilii Provincialis Mediolanensis sub S. Carolo Borromaeo *tit. de Music. et Cantor.* nominatim rejiciunt ab Ecclesiis instrumenta inflatilia: *Organo tantum in Ecclesia locus sit: tibiae, cornua et reliqua musica instrumenta excludantur.* Hominum prudentum et illustrium Magistrorum artis musicae consilium exposcere Nobis curae fuit, consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut Fraternitas Tua, si in tuis Ecclesiis instrumentorum usus introductus est, cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, *nisi barbiton tetracordon majus, tetracordon minus, monaulon pneumaticum, fidiculas, lyras tetracordes:* haec enim instrumenta inserviunt ad corroborandas sustinendasque cantantium voces. Vetabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas, fistulas, fistulas parvas, psalteria symphonica, cheles aliaque id genus, quae musicam theatralem efficiunt.

Praeter haec autem de usu instrumentorum, quae in ecclesiasticis musicis permitti possunt, nihil monebimus, nisi ut illa adhibeantur solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodammodo adjiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem et erga Deum Divinarumque rerum amorem incitentur, ut apposité expendit Valentia *tom. 3. 2. 2. S. Thomae disp. 6. quaest. 9. punct. unic.*, ubi tractans de utilitate musicae et musicorum instrumentorum in Ecclesiis: *Ad excitandum*, inquit, *interiorem affectum tum proprium tum etiam aliorum, praesertim vulgarium, qui interdum adeo infirmi sunt, ut non modo vocum cantu sed etiam organis et musicis instrumentis ad sensum rerum spiritualium concitandi sint.* At verò si instrumenta continenter personent et solum interdum, ut hodie fieri solet, per momenta aliqua interquiescant, aut liberum spatium audiendis harmonicis modulationibus crispatisque jaculationibus vocum, vulgò *trilli*, praebeant, caeterum opprimant sepeliantque cantantium vocem sonumque verborum, frustraneus est et inutilis hujusmodi instrumentorum usus imo vetitus atque interdictus. Pontifex Joannes XXII. in laudata Extravagan. *Docta Sanctorum* inter musicae abusus enumerat illum, quem his verbis exprimit: *Melodiam* loquentis intersecant, id est *singultibus*, quemadmodum explicat Carolus Dufresne in suo Glossario; hoc nomen dedit concisis illis modulationibus, vulgo *trilli.* Magnus Episcopus Lindanus loco laudato invehitur contra abusum opprimendi instrumentorum sono verba cantantium: *Tubarum clangore, cornutorum stridore alioque strepitu vario, ne quid praetermittere videatur, quod cantici verba semel obscuret sensumque sepeliat et adobruat.* Pius et doctus Cardinalis Bona in pluries laudato tractatu de *Divina Psalmodia cap. 17. §. 2. num. 5.* apposité ad rem nostram. *Desino*, ait, *si prius admonuero Ecclesiasticos Cantores, ne ad usum illicitae voluptatis assumant, quod Sancti Patres ad effectum pietatis instituerunt. Talis enim debet esse*

21*

sonus, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed eorum, quae cantantur, sensui et pietatis affectui, majorem relinquant portionem.

Demum quod *symphonias* attinet, tolerari poterunt, ubi earum usus jam receptus est, dummodo graves sint et earum prolixitudine aut diuturnitate taedium et fastidium non afferunt iis, qui adsunt in Choro vel Altari, in Vesperis aut in Missis inserviunt. De hujusmodi symphoniis agit *Suarez lib. 4. cap. 13. num. 17: Unde etiam intelligitur non esse per se damnabilem usum intermiscendi in Divinis Officiis sonum organorum sine ullo cantu, solum cum suavitate musicae instrumentorum, ut fit interdum in Missa solemni vel in Horis Canonicis inter Psalmos; quia tunc ille sonus non est pars Officii et fit ad solemnitatem et reverentiam ipsius Officii et ad levandos animos fidelium, ut facilius ad devotionem assurgant seu disponantur. Quamvis autem ad illum sonum nihil voce cantetur, oportet, ut sonus ipse gravis sit et aptus ad excitandam devotionem.* Hoc autem loco silentio praetereundum non est, rem maxime indecoram esse et minime ferendam, quibusdam anni diebus sumptuosas personantesque symphonias musicosque cantus in Sacris Templis celebrari, quae minime conveniunt sacris mysteriis, quae Ecclesia fidelibus per id tempus recolenda proponit. Exclamat ardenti zelo motus saepe laudatus Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis in *laudato sermone 14.* §. *9.* contra modulos et cantilenas heu nimium adhibitas in canendis lamentationibus Jeremiae Prophetae, quae ab Ecclesia dicendae praescribuntur diebus majoris hebdomadae, in quibus modo eversio Urbis Hierosolymae per Chaldaeos, modo mundi excidium per peccata, modo Ecclesiae militantis afflictiones in persecutionibus, modo Redemptoris Nostri angustiae in suis passionibus deplorantur. Lucensis Ecclesia sedente in Apostolica Cathedra S. Praedecessore Nostro Pio V. regebatur ab Alexandro zelantissimo ecclesiasticae disciplinae pastore; qui cum animadvertisset, diebus majoris hebdomadae exquisitissimos omnis vocum instrumentorumque generis concentus in Ecclesiis fieri consuevisse, cum sacrarum functionum, quae illis diebus celebrantur, moestitiae minime consentientes, ad illos autem audiendos homines utriusque sexus magna frequentia cupidissime confluere et gravia inde peccata et scandala committi, promulgato edicto eos hebdomada sancta et tribus subsequentibus Paschatis diebus fieri prohibuit. Cum autem quidam exempti ab Episcopi jurisdictione se episcopali lege minime teneri praetenderent, Episcopus rem detulit ad S. Pontificem Pium V., qui in ejus Brevi dato die 4. April. 1571 deplorata primum humanarum mentium et carnalium hominum coecitate, qui non solum in diebus sacris sed potissimum in illis, qui memoriae passionis Christi Domini recolendae speciatim ab Ecclesia assignati sunt, posthabita pietate et sincerae mentis puritate, mundanarum oblectationum illecebris et sensuum voluptatibus se regendos ferendosque tradunt: *Quod,* inquit, *cum in omnibus sacris temporibus, tum in eo praecipue, cavendum vitandumque est, quod Dominicae passionis memoriae recolendae ab eadem Ecclesia statutum assignatumque fuit, in quo ipso tempore maxime decet omnes Christifideles tota mente ad contemplandum tale tantumque Redemptoris Nostri beneficium conversos, se ipsos ab omni cordis sensusque impuritate immunes liberosque praestare.* Refert post haec abusum, qui in Ecclesiam Lucensem

irrepserat, exquisitos seligendi per hebdomadam sanctam, excellentesque musicos et colligendi omnis generis instrumenta ad solemnes concentus musicos celebrandos: *Nuper non sine magno animi nostri dolore intelleximus, in ista Civitate, cujus Episcopatum geris, abusum quemdam valde detestabilem irrepsisse, exquisitissimas omnis vocum instrumentorumque generis musicas in Ecclesiis per hebdomadam sanctam adhibendi, ad quas potius quam ad Divina Officia audienda, omni utriusque sexus juventute magna frequentia cupidissime confluente, gravia peccata nec minora scandala committi experientia comprobatum est.* Demum laudat edictum Episcopi et decretis sacrosancti Tridentini Concilii inhaerens declarat, eodem edicto comprehendi atque obligari etiam Ecclesias, quae ab auctoritate Ordinaria, privilegio Apostolico vel alio quocumque jure exemptas se esse contendunt. In Concilio Romano, quod novissime habitum est *anno 1725 tit. 5. num. 6.* varia leguntur Decreta de usu musici cantus instrumentorumque, in Adventu, in Dominicis Quadragesimae et in exequiis mortuorum, quae satis sit indicasse.

Legisse Nos meminimus, cum Imperator Carolus Magnus secum proposuisset Ecclesiasticum cantum in Ecclesiis Galliae incompte atque inscite habitum, ad regulas artis redigere, impetrasse a Pontifice Adriano I., ut homines sibi Ecclesiasticae musicae periti ab Urbe mitterentur, a quibus in Galliarum Regnum Romanus cantus facile introductus est, ut quisque per se agnoscere potest ex *Paulo Diacono lib. 2. Vit. S. Greg. cap. 9., et ex Rodulpho Tugrensi de Can. observ. prop. 12.,* S. Antonin. *in Sum. Hist. par. 2. tit. 12. cap. 3.* Monachus Engolismensis in Vita Caroli Magni cap. 8. addit, Cantores, qui Roma advenerunt, docuisse in Galliis autem etiam pulsandi organum musicum, quod regnante Pipino in Galliarum Regnum delatum fuerat. Itaque cum solemne et regulare sit, ut haec Romana Urbs aliis omnibus Civitatibus in sacris ritibus caeterisque ecclesiasticis rebus praeire debeat exemplo et documento esse, insuper accedunt, et ea, quae mox a Nobis narrata sunt de Carolo Magno, qui ecclesiasticum cantum è Romana Urbe tanquam è suis sedibus in suum Regnum evocavit; quae quidem acrius Nos urgent atque extimulant, ut abusus omnes, qui in cantu ecclesiastico irrepserunt et a Nobis reprobati sunt in omnibus, quoad fieri potest, sed praecipue in Romanae Urbis Ecclesiis penitus aboleantur. Sed quemadmodum Nos nostro Cardinali in Urbe Vicario, quae necessaria sunt atque opportuna, praecipere non omittimus, ita Fraternitas tua publicare non negligat, si opus fuerit, edicta et leges, cum hisce Nostris circularibus Literis consentaneae sint et quibus Ecclesiasticus cantus convenienter ad regulas in iisdem Literis praescriptas et stabilitas dirigatur, ut tandem musicis Ecclesiarum reformandis initium praebeatur. Nam id ipsum maxime optatum ac desideratum est, cum a pluribus, tunc centum abhinc annis a Joanne Baptista Doni Patritio Florentino in ejus Tractatu de Praestantia Musicae veteris *lib. 1. pag. 49: Nunc verò eò redacta res est, ut nec quisquam reperiatur, qui effaeminatum quemdam et leviusculum, qui jam passim invaluit, canendi modum severa lege cohibeat, nec affectata illa prolixaque, ac saepe hiulca melismata ad certam normam redigenda existimet, aut dies solemnes aedesque sacras suam celebritatem ac frequentiam habituras putet, nisi mollioribus ac saepe parum decoris cantibus magnaque vocum ac instru-*

mentorum confusione certatim omnia personent.

Datum Romae die 19. Febr. 1794.

(Bull. r. t. XVIII. p. 12.)

Cavendum est ne sonus organi sit lascivus aut impurus et ne cum eo proferantur cantus, qui ad Officium, quod agitur, non spectant, nedum profani aut lubrici, nec alia instrumenta musicalia, praeter ipsum organum addantur. Idem quoque Cantores et Musici observent, ne vocum harmonia, quae ad pietatem augendam est, aliquid levitatis aut lasciviae prae se ferat, ac potius audientium animos a rei divinae contemplatione avocet; sed sit devota, distincta et intelligibilis. *Caer. Ep.* l. I. c. XXVIII. n. 11. 12.

2) Locus in processione.

Cf.: *Magister capellae; Cantores.*

Ad dubium: Ubi et quomodo incedere debent Cantores in process. SSmi Corp. Chr. aliisque solemnibus? S. C. resp.: Servandum esse Caer. Ep. c. 2. l. I. et alibi, eosque cotta indutos tunc incedere debere. Die 8. Oct. 1650.

Ad dubium: An musici in process. et functionibus publicis possunt procedere in habitu saeculari et gladio cincti, unum corpus faciendo cum clero, vel debeant incedere in habitu clericali cum cotta? S. C. resp.: Non licere. Die 18. Mart. 1679.

Quum S. R. C. requisita fuerit a Canonico Dioecesis Brundusinae, quo loco procedere debeat concentus musicus, dum s. processionibus intervenit? S. C. resp.: Assignetur locus ab Episcopo, vero ante utrumque clerum. n. 4815 die 23. Sept. 1837.

Albanen.

Quum in solemni Supplicatione in hon. S. Pancratii Mart. Patroni praecipui Civitatis Albanen. vertente Anno ibi instituta, contra invectam consuetudinem et Decreta S. hujus R. C. concentus musicus, vulgo *la Banda,* locum sumpserit Clerum Reg. inter et Saec., Religiosorum Ord. Convent., Carmelitarum et Capuccinorum ibi degentium Superiores, ne scandala in Populo orirentur, cum suis Alumnis eidem Supplicationi interfuerunt, sed interim S. ipsam R. C rogarunt, ut declarare dignaretur, quid aliis in circumstantiis similibus sit exequendum, ne vel in minimo laedantur Ecclesiasticae sanctiones. Et Emi ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi, memores IX. Kal. Oct. de anno 1837 in una Brundusina sancitum fuisse, ut huic Concentui ab Ep. assignaretur locus in Processionibus, verum ante utrumque Clerum, referente subscripto Secretario, rescribendum censuerunt: „Detur Decretum in Brundusina die 23. Sept. 1837.“

Atque ita rescripserunt ac in similibus servandum omnino mandarunt. Die 7. Dec. 1844. n. 4981.

3) Protrahatio.

Ad relationem, quod in Missis solemnibus concentus musicales, qui ad rem non pertinent, misceantur, et in tantum spatium protrahantur, ut Sacerdotes otiosi diutius ad altare distracti haereant et caeremoniarum ordo inflectatur, ita ut non Musica Missae sed Missa Musicae famuletur —, S. C. resp.: *Indigere reformatione.* n. 1432 ad 2 die 21. Febr. 1643.

4) Coram SSmo expos.

Vd.: *Instructio Clem.* §. III. n. 9 — 17. *Expos. SSmi* (cantus).

MYSTERIA ROSARII.

Vd.: *Rosar.* (indulg.).

N.

S. NARCISUS.

Officium s. Narcisi pro Regnis Hispaniarum concessum est pro diebus 18. Mart. et 29. Oct., prout recitatur in civ. et dioec. Gerundae. Ad petitionem, quo ritu celebrandum sit? S. C. resp.: Officium s. N. recitandum esse in Civitate et Dioecesi Gerundae 29. Oct. cum Missa sub ritu dupl. I. cl. cum octava. Die vero 18. Mart. de eo faciendum esse tantum commemorationem. In Regnis vero Hispaniarum recitandum esse sub ritu dupl. min. 29. Oct. tantum. n. 3439 die 3. Aug. 1697.

NATALITIA SANCTORUM.

Ad dubium: an dies natalitii ii omnes habendi sunt, qui, licet vere non sint dies obitus, tamen in Calendario fixi aut uti propria sedes et cuicunque festivitati alicujus Sancti, decreto ap. assignati sunt? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 3007 ad 1 die 28. Novb. 1682.

NATIVITAS D. N.

1) Cantorum habitus.

Ariminen.

Ad dubium: An in Matutino Noctis Nativitatis Dominicae duo Assistentes Sacerdotes parati cantaturi primas Homilias deferre debeant sub Pluviali Stolam diaconalem vel a collo pendentem, vel in modum Crucis ante pectus? Et quid si duo Assistentes essent unus simplex Diaconus, Subdiaconus alter? S. C. resp.:

„Negative juxta Generale Decretum die 7. Septembris 1816 et juxta Caeremoniale Episcoporum, Subdiaconus se abstineat a cantando Evangelio cum Lectione.“ n. 4681 ad 1 7. Apr. 1832.

2) Celebrans.

Episcopo absente in Nocte SS. Nativitatis Praepositus Officium facere debet in choro non vero Canonicus hebdomadarius. n. 1600 die 23. Jan. 1649. Vd.: *Matutinum sol.*

In functionibus in prima nocte et festo Nativit. Dom. absente Episcopo vel praesente et nolente eisdem assistere spectare ad Praepositum primam Dignitatem Cathed. cantato per ipsum in prima nocte Matutino, die mane festo Nativ. celebrare missam sol. n. 2683 die 3. Mart. 1674.

Ad Praepositum primam Dignitatem S. Miniati et non ad Hebdomadarium ejusdem spectare nocte Nativ. D. N. in defectu Episcopi peragere functiones Matutini et celebrare missam. n. 2710 die 4. Aug. 1674.

3) Communio in Nocte Nativit. Dom.

Vd.: *Communio.* (In Nocte Nativ.)

Ad dubium: Utrum liceat sacerdoti post primam missam celebratam communicare laico modo?

Vd.: *Missa* (interrupta per mortem sacerdotis. *Nota* ad finem.).

Pius PP. VI.

(Monialibus Monasterii s. Florae civit.)

Exponi Nobis nuper fecistis, quod ob specialem consolationem et animarum vestrarum profectum in solemni missa, quae in nocte nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari solet, SS. Eucharistiae Sacramento refici cupiatis, Nobis propterea humiliter supplicari fecistis, ut vobis in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dig-

naremur, Nos igitur spirituali vestrae consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulere vosque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ut peracta sacramentali peccatorum vestrorum confessione sacram communionem in missa solemni, quae in nocte nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari solet, perpetuis futuris temporibus sumere libere ac licite positis acvaleatis, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 14. Mart. 1781.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 309.)

Pius PP. VIII.

V. Fr. Archiep. Hispalensi.

Expositum Nobis est a dilecta in Christo filia Josepha Jesu et Mariae moderatrici monasterii sancti Josephi ordinis Minorum sancti Francisci sub regula s. Clarae in Xerez de la Frontera istius Hispalensis dioecesis, nomine etiam aliarum virginum in iisdem claustris degentium, se, quum matutinis horis in pervigilio in Nativitatis Domini ac solemni sacrificio, quod hisce peractis paullo post mediam noctem cum cantu celebratur, intersint, enixe cupere eodem in sacrificio sacra refici synaxi, non solum ad fovendam pietatem, qua erga illud mysterium inflammantur, vero etiam ut aliquo cibo et quiete recreatae, spirituales exercitationes alacrius iterum aggrediantur. Additum praeterea fuit, sibi in votis esse solemni quoque sacro sabbathi sancti Eucharistiae sacramentum excipere, quo ipsae majore pietatis sensu Redemptoris gaudium gloriamque recolant. Supplici ergo cum prece a Nobis petitum fuit, hujusmodi ut veniam ex Nostra indulgentia sibi concedere velimus.

Nos igitur oratricem nec non alias, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut, si ita se res habent, prout expositae, auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus opere omnes virgines in commemorato monasterio degentes conscientiae sordes per sacram confessionem ablutae, tum sacratissima nocte, qua anniversaria natalis Christi gratulatio agitur, tum Sabbatho Sancto in earum ecclesia eucharisticam dapem infra sacrificii actionem e manu sacerdotis illud solemniter de more celebraturi sumere libere ac licite possint.

Haec concedimus atque indulgemus non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die decima septima Julii 1829.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 48.)

Pius PP. VII.

Dilectis fil. Monialibus Ord. Cister. Hispalensis civitatis.

Spirituali consolationi vestrae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere vosque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, vobis ac puellis et mulieribus vobiscum insimul intra monasterii claustra degentibus, ut in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, post officium et missam, hora tamen consueta celebrandam, nempe post mediam noctem, ac etiam in sabbato sancto post officii et missae celebrationem hora pariter consueta faciendam praevia sacramentali peccatorum vestrorum confessione sanctissimum Eucharistiae sacramentum de

manu sacerdotis in ecclesia vestri monasterii celebrantis summere nec non in eadem Nativitatis Domini nocte post missam praedictam horas canonicas minores, ad Nonam usque exclusive, ac etiam Nonam ipsam pro arbitrio et prudentia superiorissae in choro persolvere libere et licite possitis et valeatis et unaquaeque vestrum, dictae puellae et mulieres quoad sumptionem praedictam pariter possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 25. Junii 1819. (Bull. r. Contin. t. XV. p. 225.)

4) Confessio in Nocte Nativ. D.

Vd.: *Confessio in Noct. Nat. D.*

5) Dies octavae.

Utrum in dies octavae festum aliquod transferri possit? Vd.: *Transl. festi dupl.* (decr. n. 4385.)

6) De expos. SSmi in Nocte Nativ. Dom.

Vd.: *Expos. SSmi in Nocte etc.*

7) Missa.

a) De distinctione harum trium Missarum, vid.: Orator. privat. (Discursus Secretarii S. C. C.)

b) Hora.

(Privileg.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Ep. Vicentino.

Expositum Nobis nuper fuit nomine tuo ac dilectorum filiorum Capituli istius Cathedralis Vicentinae, quod vos pro majori commoditate et devotione fidelium missam et divina officia, quae hora consueta juxta ritum Ecclesiae, nempe post mediam noctem in Cathedrali praedicta nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari solent, in posterum *ante mediam noctem* praedictam celebrare vel celebrari facere posse plurimum desideratis. Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur te ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, quatenus de spirituali fidelium utilitate tibi constet, ut in Cathedrali praedicta missa divinaque officia praedicta, quae in ea post mediam noctem Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, sicut praemittitur, celebrari consueverunt, de caetero *etiam ante eamdem mediam noctem* celebrari libere et licite possit et valeat, ita ut sacerdoti taliter celebranti id ad culpam nullo modo valeat imputari, auctoritate Nostra apostolica concedas.

Datum Romae die 5. Sept. 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 325.)

Pius PP. VII.

V. Vicario capit. Adriensi.

Expositum Nobis nuper fuit, nomine dilecti filii parochi loci di Frasinelle nuncupati istius Adriensis dioecesis, quod cum praeruptae viae et saepe etiam aquis inundatae hyemali praesertim tempore fideles suae parochiae impediant, quominus in ecclesia parochiali praedicta missae et divinis officiis, quae nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi hora consueta juxta ritum Ecclesiae, nempe post mediam noctem celebrari solent, assistant, ipse exponens pro spirituali illorum consolatione dictam missam ante mediam noctem et praecipue ***secunda hora***

noctis celebrare seu celebrari facere posse plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum exponentem ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, discretioni tuae, attento quod episcopalis sedes Adriensis in praesens vacat, per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, ut in parochiali ecclesia praedicta missa divinaque officia memorata, quae in ea post mediam noctem nativitatis D. N. Jesu Christi, sicut praemittitur, celebrari consueverunt, licet hujusmodi celebratio octo ab hinc annis ob memoratas causas interrupta sit, de caetero etiam *ante mediam noctem et hora praedicta* celebrari libere ac licite possint et valeant, ita ut sacerdoti taliter celebranti id ad culpam nullo modo valeat imputari, auctoritate Nostra apostolica concedas.

Datum Romae die 21. Novb. 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 340.)

Leo PP. XII.

V. Fr. Patriarchae Venetiar.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Rector et ecclesiastici viri istius patriarchalis seminarii civitatis Venetiarum in eorum ecclesia nocte Nativitatis D. N. Jesu Christi missam et divina officia hora consueta juxta ritum Ecclesiae, nempe post mediam noctem, celebrari consuescere sibique in votis esse, ut perturbationes et scandala, quae in protractis horis possunt oriri, evitentur, dictam missam ante mediam noctem celebrari facere posse. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, ut in ecclesia praedicta missa divinaque officia, quae in ea post mediam noctem Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, sicut praemittitur, celebrari consueverunt, de caetero etiam *ante mediam noctem* celebrari libere et licite possint et valeant ita, ut sacerdoti taliter celebranti id ad culpam nullo modo valeatat imputari, auctoritate Nostra apostolica indulgeas atque concedas.

Datum Romae die 9. Decbr. 1823.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 14.)

Leo PP. XII.

V. Fr. Patr. Venetiar.

Exponi Nobis nuper curavit dilectus filius presbyter Joseph Segalin, parochus sancti Francisci Vineae istius dioecesis Venetiarum, fratribus ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, qui praedictam ecclesiam sancti Francisci olim obtinebant, per felicis recordationis Benedictum PP. XIV. praedecessorem Nostrum, datis apostolicis literis in simili forma Brevis concessum fuisse, ut officia et missa, quae hora consueta juxta ritum Ecclesiae in nocte Nativitatis D. N. Jesu Christi post mediam noctem celebrari solebant, in posterum ad evitanda nonnulla scandala in populo ante mediam noctem celebrari possent. Quum autem indultum praedictum post fratrum discessum cessaverit et vigeant adhuc memoratae causae, praedictus parochus

humiliter a Nobis petiit, ut sibi suisque successoribus eamdem facultatem tribuamus. — Nos igitur praedictum oratorem ac singulares personas, quibus praesentes literae favent, specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis in ecclesia praedicta s. Francisci Vineae missa et officia divina, quae in ea post mediam noctem Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, sicut praemittitur, hactenus celebrari consueverunt, in posterum etiam *ante eamdem mediam noctem* celebrari libere et licite possint et valeant, ita, ut sacerdoti taliter celebranti id ad culpam nullo modo valeat imputari, auctoritate Nostra apostolica arbitrio tuo concedas et indulgeas.

Datum Romae die 26. Novb. 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 284.)

Veneta.

Anno 1563 Sanctae Mem. Pius PP. IV. instante Nobili Viro Jacobo Equite Superantio apud Sedem Apostolicam, Nobilium Virorum, Ducis et Senatus Venetiarum Oratore concessit, ut in Collegiata et Parochiali Ecclesia S. Pauli dictae Civitatis nocte Natalis Domini celebrari posset Missa prima noctis hora, uti colligitur ex literis dicti Pontificis in forma Brevis expeditis: *Et insuper dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus ipsius Ecclesiae S. Pauli Rectori, Presbytero, Clericis et aliis personis ecclesiasticis, ut deinceps Missam solemnem, aliaque Divina Officia, quae media nocte Festivitatis Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari consueverunt, statim post primam horam noctis vigiliae Festivitatis hujusmodi celebrare etc. absque ullo impedimento vel prohibitione aut conscientiae scrupulo, sine quarumvis Ecclesiasticarum Censurarum et poenarum incursu, etiam Ordinarii aut cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, libere et licite valeant, eadem auctoritate et tenore perpetuo concedimus et indulgemus;* et in iisdem Literis Apostolicis idem Summus Pontifex nedum derogavit contrariis quibuscunque dispositionibus jam editis sed etiam in posterum edendis: *necnon praesentes literas de subreptionis etc. aut alio quovis defectu notari vel impugnari aut etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices aut Sedem praedictam revocari, suspendi, alterari, modificari vel eis derogari nullatenus unquam posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum et concessionum revocationibus, suspensionibus etc. derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos nostrosque successores et Sedem praefatos, ac alios quomodolibet et in quavis Causa pro tempore factis ullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo etiam sub quacunque posteriori data per Rectorem praedictum eligenda, concessas esse, ac eisdem Ecclesiae S. Pauli ejusque Rectori et aliis Christi fidelibus suffragari debere decernimus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus ac Cancellariae Apostolicae Regulis etiam similium Indulgentiarum et aliarum gratiarum revocatoriis editis et edendis.*

Rector et Presbyteri Ecclesiae S. Pauli dicto Privilegio Missam celebrandi prima hora noctis Vigiliae Nativitatis Domini pacifice et inconcusse usi sunt et solum paucis ab hinc annis ab ejus usu destiterunt. Cumque huic S. Congre-

gationi supplicaverint pro facultate redeundi ad usum praedictum et sic celebrandi Missam juxta privilegium sanct. mem. Pii IV., datae fuerunt juxta morem literae ad Patriarcham Venetiarum, qui retulit exposita in facto subsistere, hoc est, fuisse a dicto Pontifice concessum Breve supra memoratum, quod etiam fuit exhibitum in forma authentica et ulterius Presbyteros Indulto usos fuisse, causamque ignorari, propter quam ab ejus usu destiterint. Certe liquet ante dictae Ecclesiae Presbyteros eodem Indulto sic ut supra celebrandi usos fuisse, incertum vero, qua de causa temporis progressu executum non fuerit.

Porro antiquiori relicta Disciplina, juxta quam pro sacrificio Missae hora tertia diebus Festis, hora sexta diebus ferialibus, hora nona diebus jejuniorum per annum et hora vespertina diebus quadragesimalibus erat statuta, juxta late et erudite recensita per *cl. mem. Card. Bonam rerum Liturgicarum lib. 1 cap. 21 per totum,* in eo, quod attinet ad Jus, quod Privilegium antecessit, Textus *est in can. Nocte Sancta de Consecrat. dist. 1,* ubi sic legitur: *Nocte Sancta Nativitatis Domini Salvatoris Missas celebrent Presbyteri et Hymnum Angelicum in illis solemniter decantent, quoniam et eadem nocte ab Angelo Pastoribus nunciatus est.* At ex hoc Textu non potest quaestio determinari: an Nocte Nativitatis Domini Missa ante vel post mediam noctem sit celebranda, uti perpenso dicto Textu firmat *Pasqualig. de Sacrif. novae legis tom. 1 quaest. 405 per totam,* ubi inquit, Missam post mediam noctem esse celebrandam Nocte Nativitatis Domini ex praxi Ecclesiae, cui tamen derogari potest vel ex consuetudine legitime praescripta vel ex Privilegio Apostolico. In Concilio Tridentino, quod est Privilegio posterius, in Decreto de observan. et evitan. in celebratione Missae cavetur tantummodo, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; quo circa tota difficultas est in *Bulla 4. S. Pii V.**) *Bull. tom. 2.,* in qua, postquam ab eodem Pontifice fuit ennarratum, quod nonnullae Metropolitanae, Cathedrales et Collegiatae Ecclesiae a Sede Apostolica vel ejus Legatis aut etiam a Majori Poenitentiario licentias obtinuerant celebrari et celebrare faciendi de sero et etiam circa solis occasum vigiliae signanter Nativitatis, missas, quae media nocte seu in Aurora ejusdem Nativitatis juxta Ritum S. R. E. essent celebrandae, prohibuit Praelatis et Capitulis in virtute sanctae Obedientiae et imposita poena perpetuae suspensionis à Divinis, *ne deinceps Missas vespertino tempore hujusmodi licentiarum et facultatum aut alio quovis praetextu celebrare vel celebrari facere praesumant,* addita derogatione quibuscunque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, consuetudinibus et privilegiis etiam munitis derogatoriarum derogatoriis et aliis quibuscumque clausulis, etiam si privilegia concessa fuissent intuitu Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum et aliorum Principum, ut ex lectura praedictae Bullae colligi potest.

Discursu itaque redacto ad hanc S. Pii V. Constitutionem ex una parte videtur, quod eadem deroget indulto seu Privilegio Summi Pontificis Pii Quarti, cum sit eodem posterior et cum in eadem amplissimae contineantur derogationes et cum communis opinio Doctorum sit, quod omnia antecedentia privilegia celebrandi ante mediam noctem sint in praedicta Bulla Piana revocata, *Azor.* Instit. Moral. partet. lib. 10 cap. 25 quaest. 3 ibi: *sed haec privilegia abrogata sunt auctoritate Pii V.; Francolin.* de tempore

---

*) Vd.: *Missa* (hora).

horar. canonic. cap. 29 num. 11 et 14, *Card. Brancacius* in opus de Privileg. Capel. Cardinal. pag. 15, *Clericat* in suis Decis. de Sacrif. Missae Decis. 39 num. 15 et 16; et celebrationem ante mediam noctem sub poena suspensionis fuisse prohibitam in Synodo Veneta sub Cardinali Priola testantur *Polacus* in suis Aphorismis Sacrar. Caerm. Aphor. primo num. 4, *Pac. Jordan.* elucub. divers. tom. 1 lib. 4 tit. 1 de Sacrif. Missae etc. n. 93.

Ex alia vero parte videtur, quod Bulla Piana non derogaverit indulto seu Privilegio, de quo nunc agitur, non solum quia non obstante dicta Bulla Privilegium ad nostra fere tempora suam habuit executionem, sed etiam quia praetermisso exemplo Capellae Pontificiae, in qua nocte Nativitatis Domini ante mediam noctem Missa celebratur, absque eo, quod ullum expediatur Breve pro Missae celebratione dicta hora facienda, uti plene testatur *Diana* in edit. coord. rerum Moral. tom. 2 tract. 3 Resolut. 12 n. 4, in ipsa Civitate Venetiarum nocte Nativitatis Domini ante mediam noctem Missa celebratur a Primicerio in Templo S. Marci et Senatus Venetus aliique, qui Missam dicta hora audiunt, satisfaciunt praecepto audiendi Missam die Nativitatis Domini, uti latè ostendit *Diana* loco citat. resolut. 11 per totam; hoc ipsum sit in eadem Civitate in Ecclesiis S. Joannis et S. Jacobi di Rialto nec non in Ecclesia Canonicorum Lateranensium et in Ecclesia Patrum, qui nuncupantur Frari, nec non in Ecclesia Monialium S. Zachariae, uti admittit Patriarcha in sua informatione, ita ut imperceptibile videatur, quod Missae in dictis Ecclesiis hora praedicta celebrentur, et celebrari non possint in Ecclesia Collegiata, de qua nunc agitur, quaeque specialissimum habet Privilegium supra memoratum.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An permittendum sit, quod in Ecclesia Collegiata et Parochiali S. Pauli Nocte Nativitatis Domini prima noctis hora Missa celebretur in casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 13. Julii 1720.

c) Quot in Nocte?

Cf.: *S. Anastasia; Communio in Nativ. D.; Missa prohibita; Sacerd. caecut.* (decr. n. 4878.)

Non esse permittendum usum introductum a nonnullis Canonicis et presbyteris Cathedr. Lucanae celebrandi tres missas privat. immediate post decantatam missam sol. in nocte Nat. D. N. n. 2969 die 22. Novb. 1681.

Hoc decretum ligat *Omnes* non habentes privilegium in contrarium. n. 3105 ad 1 die 23. Mart. 1686.

Nullo modo licere in nocte Nativitatis Dom. post cantatam primam Missam alias duas immediate celebrare. n. 1319 die 20. Apr. 1641; n. 1360 *die 7. Decb. 1641;* n. 3648 ad 3 die 28. Apr. 1703.

Non expedire, ut a Regularibus hujusmodi ritus introducantur tamquam rubricis Missalis et inveteratae Ecclesiae consuetudini contrarii, ideoque non esse permittendum celebrare in Nocte Nativ. D. primam, secundam et tertiam Missam. n. 1391 die 31. Maii 1642.

Clemens PP. XI.

Essendosi introdotto in alcuno Chiese di Roma, che nella notte del S. Natale di Christo Signor Nostro si amministra il Santiss. Sagramento dell' Eucharistia alli fedeli e doppo detta la prima Messa si celebrano anche l'altre due nell' istessa notte, il che essendo contra la rubrica del messale rom.: *de hora celebrandi missam,* e contro i replicati

decreti della S. Congreg. de riti emanati sotto li 7. Decbr. 1641, sotto li 9. Aug. 1653 et *in una Pisaur.* 20. Apr. 1664 e successivamente ingiunta l'essecuzione di detti decreti dalla S. Congr. della Visita ap. sotto li 7. del corrente mese. Però ordiniamo che in tutte le Chiese Patriarch., Basil., Colleg., Parochiali, Nazion., Regolari dell' uno, e l'altro sesso, ed altre di quest Alma Citta, inquasivoglia modo privilegiate, si osservino inviolabilmente li detti decreti in modo, che eccetto la I. Messa da dirsi (dove però è solito) doppo la mezza notte, non si possano celebrare l'altre due, se non nell' ora prescritta dalla detta rubrica, e dalli nostri Editti. Di più non si permetta in canto alcuno, che li fedeli si communichino nell' istessa notte, e ciò per evitar l'inconvenienti potendo sodisfare alla lore divozione nel giorno de s. Natale, sotto pena in caso di contravenzione di ciascheduna delle cose sudette di privazione dell Ufficio alli Superiori, Officiali, e Ministri delle Chiese, ed altre à nostro arbitrio, e li Sacerdoti, che celebraranno, ò che amministraranno il S. Sagramento dell' Eucharistia saranno da Noi sospesi per venti giorni a Divinis, tutte volte ci costara la trasgressione.

Dat. in Roma dalla nostra solita Residenza questo di 18. Decb. 1702.

(Bull. r. t. VIII. p. 245.)

Non possunt post mediam noctem Nativ. Dom. ante auroram simul celebrari tres privatae missae. n. 2806 ad 1 die 14. Novb. 1676.

Sacerdos, qui in dicta nocte celebravit missam sol., non potest immediate celebrare privatim reliquas duas missas, sed tenetur expectare auroram. n. 2806 ad 2 die 14. Novb. 1676; n. 3607 die 3. Decb. 1701.

Ad petitionem Episcopi Tinen. in Insula Archipelagi, ut concedatur, quod I. missa nocte Nativ. Dom. celebrari possit circa tres horas noctis post Vesperum et Matutinum, sicut fit in Candia et aliis civitatibus Status? S. C. resp.: Non licuisse neque licere. n. 2916 die 24. Febr. 1680.

Sub prohibitione celebrandi missas priv. post solemnem decantatam et administrandi fidelibus s. Eucharistiam in nocte Nativ. comprehenduntur etiam Carmelitae utriusque sexus, etiamsi apud illos cantetur missa sol. non in media nocte sed circiter horam tertiam post Matutinum. Et consuetudo contraria immemorabilis non potest sustentari apud Moniales, Religiosos choristas et laicos. n. 4401 ad 7 et 8 die 16. Febr. 1781.

In nocte Nativit. D. N. non licet Sacerdoti ante auroram celebrare missam privatam absque indulto apost. et contraria praxis declaranda est abusus et per Episcopum abscindenda. n. 4404 ad 1 et 2 die 18. Septbr. 1781.

d) Quot convent.?

Ad dubium: an constante consuetudine Tiburtinae Cathedr. a Canonicis omitti possit in die Nativit. Dom. 2da Missa, quae in aurora illius diei celebranda praescribitur? S. C. resp.: Negative. n. 4603 ad 1 die 27. (30.) Mart. 1824.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Ne a quaestione deflectar, quae Sac. Rit. Congregationi discutienda ac definienda proposita fuit, non quaeram, num *Pontifex Telesphorus* primus fuerit, qui indulsit, ut in die Nativitatis Domini sacra tres Missae possent celebrari, veluti nonnulli argui existimant, ex Cap. *Nocte Sancta 48. distinct 1. de consecratione*, quod perperam eidem tribuitur, et suppositiis adnumerandum esse emunctae naris Scriptores volunt, ac ad Isidori Mercatoris merces amandant Nec video, quomodo talis permissio aut institutio

ex eo canone (quatenus ut genuinus haberi velit) evinci queat, cum ne verbum quidem in eo occurrat, quo hujusmodi opinio fulciri possit: constitutum quippe dumtaxat in eo est, ut Missas celebrari non liceat ante horam tertiam, praeter quam nocte sancta Nativitatis Domini. Certum tamen est morem celebrandi Missas ea die multo ante aevum *S. Gregorii Magni* in Ecclesia saltem Romana obtinuisse, ut in *Homilia 8. in Evang.* Neque mihi dabo scrutari et expendere mysticas significationes, quas in harum Missarum partibus et relate ad horas, in quibus easdem celebrari statutum est, inveniunt Amalarius *lib. 3. de Eccles. offic. cap. 41*, Rabanus Maurus *lib. 2. cap. 31. Instit. Cleric.*, Micrologus *de Eccles. observat. cap. 4*, Rupertus *de Divin. Offic. cap. 15, 20, 21 et 22,* ac tandem, ut plurimos alios praeteream, Pougetus *Instit. catholic. tom. I. pag. 814*, et Benedictus XIV. *de Fest. D. N. J. C. cap. 17. num. 57.* Strictim potius pauca quaedam adnotabo, quae simul demonstrant Sacr. Congregationem, non secus ac fecit, proposito dubio respondere debuisse, et *SSmum D. N. Leonem XII.* plene in omnibus ejusdem Congregationis voto adhaesisse, licet temperaverit legis rigorem, et, attentis circumstantiis, specialiaque gratia, intactam relinquens rubricae regulam, de suae potestatis plenitudine aliquid circa modum indulserit. Rubrica Missalis Romani agens *tit. 15. de hora celebrandi Missam conventualem* apte distinguit Festa, in quibus recolitur memoria Sanctorum, Ferias atque Vigilias et diversas designat horas pro Sacro faciendo juxta diversitatem dierum et ritus: excipit tamen a regula generali diem Nativitatis Domini, ibi num. 4: *Excipiantur ab hoc ordine dicendi Missam conventualem Missae in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem finito Te Deum Laudamus in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus et Prima; tertia vero in die, post Tertiam; vel ubi aliter ex dispositione Apostolica disponatur.* Conformis pariter est rubrica Breviarii, quae haec habet: *In die Nativitatis Domini etc., quo finito (Te Deum) et dicto Benedicamus Domino, celebratur prima Missa post mediam noctem . . . . . summo mane dicitur Prima, qua finita celebratur secunda Missa in aurora . . . . . Tertia dicitur hora sua, qua finita celebratur tertia Missa de die Nativitatis:* ita etiam glossa *ad praefatum cap. Nocte sancta.* Exceptio tamen hujusmodi non respicit Missas *privatas*, quae celebrari possunt quacumque hora ab aurora ad meridiem, *nec singuli Sacerdotes ad trinam celebrationem teneantur*, sed prout libet, potest quilibet semel aut ter Sacrificium offerre; nam Ecclesia non jubet, sed ea in solemnitate permittit iterare Sacrum, quod aliis diebus vetitum est. Verum rationem habet Missarum Conventualium, ad quas Ecclesiae praesertim Cathedrales tenentur, veluti praecipit Honorius III. in cap.: *Cum creatura, de celebratione Missarum:* recta hinc descendit Cathedralis Tiburtinae Canonicos, ex rubricali praescripto teneri statis horis ad solemnem trium Missarum celebrationem. Centies namque a S. R. Congregatione declaratum definitumque fuit, in Cathedralibus et Collegiatis, in quibus quotidianum est Chori servitium, tot Missas esse celebrandas cum cantu, quot rubricae celebrari jubent. Ita in Burgen. 26. Maii 1626, in altera ad tollendos abusus die 16. Januarii 1620, in Nucerina 16. Febr. 1630, in Aquileien. 9. Apr. 1633, in Policastren. 16. Nov. 1649, in Urbevetana die 3. Augusti 1737, aliisque quamplurimis brevitatis gratia omittendis. Speciali notatu dignum est

responsum Sac. Congregationis in die *Policastren.*, quia multam habet ad casum nostrum affinitatem. Illius Cathedralis Canonici se exemptos esse putabant ab aliis praescriptis Missis praeter unam conventualem: *propter praebendarum tenuitatem et consuetudinem immemorabilem*, sed S. C. absolute respondit: *Omnino praedictos Canonicos teneri ad celebrandam utramque Missam juxta Rubricas Missalis Romani in praedictis temporibus, quacumque exceptione et consuetudine adducta non obstante.* Haud prodesse poterat Tiburtino Capitulo contraria immemorabilis consuetudo, argumentum deductum ex Caeremonialis dispositione, interpretatio rubricae Missalis, atque id genus alia, quibus se tuebatur, ne cogeretur ad onus canendi secundam Missam in aurora. Consuetudo, etsi immemorabilis, cui accesserit Ordinariorum tolerantia et adquiescentia, nequit sustineri et reprobandi abusus induit naturam, quia, quum laudabilis et rationabilis non sit, pugnat cum lege Ecclesiae universalis veluti pluribus possem demonstrare, nisi de re ageretur satis clara et explorata ac praecise, in casu a nostro non absimili, jam definita a S. Congregatione in *antedict. Policastren.*...

Satis haec essent ad propositi Dubii solutionem: verum id magis patebit, si expendantur rationum momenta, quibus se sustinere posse arbitrabantur Canonici Tiburtini. Utique Caeremoniale Episcoporum de hac secunda Missa non loquitur et bene quidem. Nam discrimen ponendum est inter *Missas Pontificales et simpliciter conventuales inter solemnissima et minus solemnes. Prima autem et tertia solemnissimae sunt, secunda vero minus solemnis:* omnes sunt conventuales, quia cuncti Chori servitio addicti ad eas convenire debent: sed *prima* Pontificalis est ad libitum; *tertia* in praecepto seque ab ea dispensare nequit Episcopus, nisi legitimo impedimento detineatur; cum Caeremoniale jubeat et praeceptiva dictione utatur: *omnino cantabit* (tertiam Missam) *Episcopus in die, lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 11; *secunda vero* Capitulo importat onus, sed non Episcopo, qui eamdem privatim celebrat: et Caeremoniale rationem habet Missarum, quae hac die pontificalibus adnumerantur, idcirco illam praeterit, quae simplex conventualis est et cujus celebrationi per Missalis Rubricas satis provisum est, quin ad eam celebrandam vel ab alio celebratae assistendum teneatur Episcopus. Cur autem de hoc aliquid disponere Caeremoniale debebat? Quid vero dicam de argumento altero, quod petebant Canonici ex distinctione rubricarum inter *praeceptivas et directivas*, ut inde concluderent ad secundam Missam in aurora non teneri, quia rubrica praeceptiva non est, ut ipsi perperam arbitrantur? Nollem talia audire a Sanctuarii Ministris, quasi pro lubitu liceat a sanctissimis illis regulis declinare, quae, licet positivum praeceptum non importent, sapienti tamen consilio datae sunt pro choralium functionum directione, observantia et implemento. Praeterea dictio illa rubricae, *dicitur*, quae arbitrarie, contorto sensu, ut directiva obtruditur, praeceptiva revera est, vel si placet, dabo eamdem partim praeceptivam esse partim directivam. Praeceptum dat quoad obligationem trium Missarum conventualium certo ordine ea die distributarum; directionem vero praebet quoad designationem temporis, quo singulae absolvendae sunt: quamobrem vi praefatae rubricae ea in solemnitate omnino tres conventuales Missae cum cantu sunt celebrandae: ad tempus vero designatamque horam, qua singulae canendae sunt, eadem rubrica directiva est, quia locum relinquit

pro circumstantiarum diversitate alicui moderationi ab Apostolica Sede obtinendae. Explicit namque limitationem ponens: *vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur*, quae verba relationem habent ad horas, non autem ad onus celebrationis. Ita Gavantus: *ex dispensatione Apostolica: intellige de concessa post Concilium Tridentinum, quod prohibet, ne aliis horis quam debitis Missae celebrentur.* Neque alius rubricae sensus esse potest, si attendatur particula *vel*, quae disjunctiva est et necessario ad celebrandi horam referri debet, quae potest ex dispensatione variari, non ad ipsam celebrationem, quae nequit omitti. Sed de hoc sermo infra redibit; satis modo est, posuisse discrimen inter illud, quod in sensu rubricae cadit sub praecepto, et aliud, quod aliquam moderationem ab Apostolica Sede impetrandam admittere potest. Caetera, quae a Tiburtinis Canonicis afferebantur, tam levia sunt, ne dicam inepta, ut potius praetereunda silentioque tegenda sunt, quam diluenda et refutanda. Nam coeli inclementia, anni tempestas, viarum asperitas, quae aliquando stratae sunt nive, aedium a Cathedrali distantia, tuendae valetudinis cura, deficientia temporis ad tres Missas privatim celebrandas, et his similia si attendenda essent, omnes fere Cathedrales ab onere secundae Missae in aurora forent absolvendae. Cum enim solemnis Nativitatis Dominicae memoria in media incidat hyeme, praefata incommoda et ubique occurrunt et omnibus communia sunt. Porro hujusmodi circumstantia aliquam possunt indulgentiam invenire quoad horam, non autem quoad Missae onus adimplendum.

Hac indulgentia favori Cleri Tiburtini usum fuisse SSmum D. nostrum, firma tamen rubrica, mox videbimus. Verum, quod attinet ad Sacr. Congregationis Responsum, cum quaereretur: an liceret vigore consuetudinis secundam Missam in aurora omittere? optimo jure eadem declaravit: non licere, tum quia id erat contra apertum rubricae praescriptum, tum quia in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, quae habent onus quotidiani servitii, tot conventuales celebrandae sunt Missae, quot eaedem rubricae canendas jubent, veluti supra notatum est. Enimvero SS., relatione audita, adprobando confirmandoque in omnibus praefatum Sacrae Congregationis Responsum sartam tectamque voluit rubricam ea in parte, qua, juxta allatam distinctionem, *praeceptiva* est: verumtamen *attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus*, moderando eamdem rubricam alia in parte, qua est *directiva*, indulsit, *ut secunda Missa, quae in aurora dicenda esset, protrahi posset ad unam alteramve horam post Solis ortum*, dummodo tamen *Missa cum cantu celebretur, omnesque intersint, qui ad Chori servitium tenentur.*

Per hujusmodi autem Pontificium rescriptum magis magisque confirmatur rubricae sensus quoad postrema illa verba: *vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur*, quae referuntur ad horam ex Apostolica dispensatione in aliam commutandam, non autem ad onus secundam hanc celebrandi Missam. Et revera, si quod est ex hisce tribus Sacris, prae aliis, stata hora persolvendum, illud profecto est, quod post mediam noctem, juxta rubricae praescriptum, peragi debet, ad recolendam temporis memoriam, quo Redemptor noster in Bethlehem Judae natus est: nihilominus non ubique idem servatur, sed nonnullis in Ecclesiis ex privilegio, antequam dies civilis initium habeat, ea celebratur Missa, non obstante Constitutione: *Sanctissimus etc. a S. Pio V. evulgata die 29. Martii 1566.*

qua omnia privilegia sublata sunt antea quibusdam Ecclesiis concessa illam celebrandi ante mediam noctem. Praeter Pontificium Sacellum, in quo, una saltem hora ante civilis diei initium, peractum est Sacrum, Venetiis non una est, sed plures sunt Ecclesiae, in quibus idipsum fit; quod nonnisi vigore posterioris privilegii derogatorii Pianae Constitutionis fieri posset. Videris Benedictum XIV. *de Synodo Dioecesana lib. 6. cap. 8. num. 9*, Lucium Ferrar. *verb. Missa art. 5. num. 51.*, Tetamum *Tract. 1. lib. 3. par. 2. ad 25. Decembris num. 45. et seq.* Praeterea in Patriarchalibus et Collegiatis Urbis necnon aliis in Ecclesiis haec Missa protrahitur ad plures horas post mediam noctem, ita ut celebretur illucescente jam die. Rem dico omnibus manifestam. Itaque, si in aliquibus Ecclesiis prima Missa in nocte celebranda vel anticipatur vel protrahitur Apostolici vigore indulti, multo magis, attentis peculiaribus circumstantiis, aliquo privilegio gaudere potest secunda Missa in aurora, quae longe minorem solemnitatem habet, quam illa post mediam noctem celebranda, etiamsi ratio haberi nolit sublimissimi mysterii, quod in hac prima Missa prae aliis recolimus. Nec praetereundum, quod non desunt, qui volunt secundam hanc Missam in aurora non ubique antiquitus obtinuisse, sed *Romae extra ordinem ob id tantummodo celebratam esse, quod in Urbe haberetur Ecclesia S. Anastasiae, cujus Festum in eumdem diem Natalis incidit etc.*, prout latius apud Meratum ad Gavantum *part. 4. lit. 3. num. V.*

Vd.: *Missae* (Duae non sunt etc.; decr. Bened. XIV.)

Utrum Matutin. Nativ. Dom. prima vigilia Noctis et circa auroram prima missa cantari possit? Vd.: *Nativit. Dom.* (Officii temp. decr. n. 4656).

Quot missas et quam, si unam tantum celebrat, Sacerdos hac die celebrare possit et an cum vel sine intervallo, et quot populus audire tenetur? Vd.: *Orator. privat.* (Discursus Secretarii S. C. C.). *Utrum liceat Sacerdoti post missam primam celebratam communicare laico modo?* Vd.: *Missa* (interrupta per mortem Sacerdotis, *nota ad finem).*

e) Utrum et quot in Oratoriis privatis celebr.?

Vd.: *Orat. priv.* (decr. de die 20. Jan. 1725; *Constit. Bened. XIV.* §. 18; *Bull. Leonis XII.* die 7. Decbr. 1824; *Bull. Pii VIII.* die 29. Jan. 1830; *Discursus Secretarii S. C. C. etc.).*

f) Ritus.

In Natali Domini in tribus missis quaeritur: an post sumptionem Sanguinis eundo et redeundo ad medium altaris sit facienda genuflexio et vertendo se Celebrans ad *Dom. vobiscum,* vel ad dandam benedictionem debeat renes vertere ad altare, cum (ut creditur) species vini non sint dissicatae in calice? S. C. resp.: Serventur rubricae missalis rom. de ritu in celebr. missa §§. 11 et 12. n. 2.; n. 3120 ad 9 die 20. Julii 1686; n. 3486 die 2. Aug. 1698.

g) Tres celebrandae.

α) Celebratio in Eccles. orient. et occidentali.

Benedictus PP. XIV.
ad
Archiepiscopum Rhedonens.

In superiori ante proximum ad Nos habito accessu retulisti, Te, in suspicionem adductum, Sacerdotes Armenos Ligurno in Portu commorantes Sacro Natali Domini die tres unumquemque Missas in nationis suae templo celebrare, non praetermisisse opportunas

ad Pisanum Archiepiscopum dare literas, ut certior fieres, num res, prout ferebatur, se haberet, et si ita quidem, ex quo tempore invaluerit usus, tria designato die offerendi Sacrificia, tibique fuisse a memorato Praesule rescriptum, offerri ab Armenis Sacerdotibus in Ligurnensi suae gentis Ecclesia tres Missas Natalitio Christi die, idque in usu primum ea in Ecclesia fuise positum a duobus Missionariis Parochis sub annum 1725, exindeque semper rem eodem modo transactam, ac insuper ejus gentis homines referre, multos per Orientem Sacerdotes Armenos Catholicos ejusdemque Ritus Missionarios Sancto Natalis Christi die tres Missas singulos celebrare; a quibus porro omnibus nostra ipsa expetebas jussa de relinquenda vel interdicenda trium Sacrorum oblatione, ab Armenis Sacerdotibus, Natalitio Christi die, Ligurni in gentis suae Ecclesia fieri solita.

Pervetustus est atque universim *in Latinam Ecclesiam* receptus Ritus trini Sacrificii per unumquemque Sacerdotem Natalitio Christi die offerendi; *verum apud Orientalem Ecclesiam nullum extat praefati Ritus vestigium*, ne verbum quippe de eo in Liturgiis Graeco-Arabicis Melchitarum nec in Syriacis Chaldeisque neque etiam in reliquis Cophtorum, Armenorum, Graecorum atque Ruthenorum, qui Graecos sibi ritus adscivere. Patres Basiliani Cryptae Ferratae, etsi Latinos aliquot Ritus amplexi sunt, tres tamen Missas Natalis Domini die nec in memorato Monasterio nec alibi celebrare consueverunt. Et in ipsa Provinciali Synodo habita sub annum 1736 in Monte Libano, cui praefuit Joseph Simonius Assemanus Praesul, qui jussu Clementis XII. Praedecessoris nostri eo praefectus, imposito sibi muneri cumulate satisfecit, haec leguntur cap. 13. *de sacrosanctae Missae Sacrificio: Privilegium autem, quod Latini Presbyteri habent in Natali Domini ter Missas celebrandi, ad nostros Sacerdotes nullatenus extendendum esse decernimus et statuimus: non quod morem illum S. R. E. omnium Ecclesiarum matris ac magistrae condemnemus: absit hoc a nobis, qui filii illius obsequentissimi sumus, sed quia veterem nostrum ritum servari volumus.*

Haec Synodus praevio opportuno examine fuit a Nobis confirmata, veluti nosse licet ex Constitutione Nostra in Bullarium Nostrum illata. Cumque ex memorata Synodo aeque ac ex praeindicatis Lyturgiis Orientalibus innotescat offerri quidem in Occidentali Ecclesia trinum Natali Christi die Sacrificium, non item vero in Orientali Ecclesia, jam locus fit regulae latius per Nos firmatae in Nostris Encyclicis Literis datis octavo Kalendas Augusti anni 1755*) ad Missionarios per Orientem praeloque Congregationis Propagandae Fidei impressis, non esse scilicet permiscendos ritus; suum a Latina, suum ibidem ab Orientali Ecclesia ritum servari oportere: hoc quippe est sacris Canonibus sancitum, Constitutionibus Apostolicis cautum ac S. Sedis perpetuo systemate praefatis literis late demonstrato firmatum.

Et si unquam excipi contingeret, iisdem in Literis in exemplum per Nos adduci Latinos quosdam Ritus ab Orientalibus et vicissim Graecos quosdam Ritus a Latinis cooptatos, parata suppetit responsio, estque ejusmodi, id factum vel consectarium fuisse immemorialis consuetudinis secumferentis famam concessi Apostolici privilegii, vel inductum ex privilegio Apostolico vero conceptoque, quarum quidem rerum, quod ad praesentem quaestionem attinet, nec species ulla, quin

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.).

potius perspicua ex adverso perstat probatio. Cum enim Edessenus Archiepiscopus Armeni Ritus Romae degens facultatem sibi expetiisset celebrandi tres Missas Natalitio Christi die, utque facultas ejusmodi ad reliquos etiam Sacerdotes Romae commorantes protenderetur, propositis hujusmodi precibus in Congregatione Sacrae Inquisitionis coram Consultoribus decimo tertio Kalendas Martii 1710 relatisque iterum in Congregatione de more habita in Palatio Apostolico tertio Kalendas Martii negativum redditum fuit responsum; quamvis is, cui demandata fuit provincia scribendi ea de re scriptoque suam proferendi sententiam, in partem affirmativam sese praestiterit procliviorem, quemadmodum deprehendimus ex scriptis negotium illud attingentibus, quae ex aedibus Sacrae Inquisitionis afferri ad Nos voluimus, et hoc fuit quidem dubium tunc propositum: *An dicto Archiepiscopo concedendum sit Indultum celebrandi tres Missas in die Nativitatis Domini more Latinorum hocque extendendum ad omnes Presbyteros Armeni Ritus in Urbe commorantes?* hoc vero rescriptum: *Quoad petitum Indultum celebrandi tres Missas in die Natalis Domini more Latinorum respondendum esse: negative.*

Praetereunda nec sunt, quae in praefatis Literis Nostris §. 45 a Nobis afferuntur. Cautum fuerat jam inde ab anno 1674, ut Armeni Liburno in Portu domicilium habentes, quippe una nobiscum viventes, in Paschatis caeterisque Festis diebus celebrandis, ad Gregorianum emendatum Kalendarium se conformarent. Tot tantasque turbas commoverunt praefati Armeni, ut habita sub annum 1699 iterata Congregatione decretum fuerit, ut usus veteris Kalendarii Armenis Liburnensibus relinqueretur, quousque ad novum recipiendum sese accommodassent et quousque Apostolica Sedes aliud edixisset. Est itaque Liburnensibus Armenis sua pro ratione voluntas, respuunt Latinum Ritum, usum scilicet Kalendarii emendati, quamvis nobis intermixti vivant, sitque illud justitiae consonum: cumque porro Latinum Ritum ter offerendi Sacrificium Natali Christi die sibi indebitum exposcant, facile captu est, haud decere, ut sui voti compotes fiant.

Reliquum illud est, quod asseritur in Literis Pisani Archiepiscopi, Armenae nimirum nationis homines Liburno in Portu commorantes asseverare, memoratas tres Missas a multis per Orientem Armenis Sacerdotibus Catholicis ejusdemque Ritus Missionariis celebrari; idque Nobis verisimile videtur, at nihil inde in rem praesentem. Beatus Bartholomaeus Bononiensis ex Fratrum Praedicatorum familia fuit a Joanne XXII. Pontifice in Armeniam ablegatus sub anno 1318, et ab ipso Maragensis Episcopus inauguratus exindeque translatus ad Naxivanum Archiepiscopatum, quo ipso tempore praefatus Beatus Bartholomaeus celebri illa Missione fungebatur, aderat in Armenia Isaias quidam Schismaticus trecentis septuaginta discipulis praepositus. Mens ipsi inerat recta, et motus fama sanctitatis B. Bartholomaei edoctusque ab ipso Catholicae Fidei veritatem, se ei socium adjunxit suis omnibus discipulis secum adductis: tuncque contigit ut institueretur Congregatio Fratrum unitorum, assumpto ab iis omnibus habitu Dominicani instituti emissaque Professione vitae Regularis sub Regula S. Augustini et Fratrum Praedicatorum Constitutionibus. Videre est omnia in Opere Patris Galani *de consensione Armenae Ecclesiae cum Romana part. 1. pag. 508. et seq.*, atque elucubratius *tom. 2. historia virorum illustrium Dominicani Ordinis,* Auctore Patre Touron

lib. 1. pag. 108. et seq. Isthaec Congregatio subjecta fuit Magistro Generali Dominicae Familiae ab Innocentio VI. sub annum 1356, uti colligere est ex ejus Literis in Dominicanum Bullarium relatis pag. 148. et in generalibus totius Ordinis Comitiis habitis anno 1583 nova haec Congregatio ad Regularis Provinciae gradus, jura et honores attolli coepit. Cum autem Isaiae discipuli unam noscerent Armenam Linguam, praeterea nullam et plenam, ceteroquin cum Dominicanae Familiae Religiosis unionem constituerent, necesse fuit, quemadmodum referunt praecitati Historici, ut Regulae, Statuta, Breviarium et Missale Ordinis in Linguam verterentur Armenam. Comperimus autem temporibus nobis proximis instetisse Patres Armenae Provinciae Ordinis Praedicatorum, quo sibi liceret, typis mandare sua Breviaria ac Missalia e Latino in Armenum idioma translata, annuitque precibus Congregatio Romanae universalis Inquisitionis habita octavo Idus Septembris 1713, deputatis emendatoribus sive praeli typici praesidibus, ut ad opportunas regulas exigerentur omnia, liceretque exinde tuto sibi polliceri, nullos in novam editionem errores irrepere, quod satis superque in hujusmodi casibus alias contigisse constiterat, probavitque omnia Summus Pontifex in Congregatione proximo die septimo videlicet Idus Septembris ejusdemmet anni habita.

Cum itaque Dominicanum Missale in Armenam Linguam versum fuerit, cumque in Missali Dominicano tres reperiantur adnotatae Missae Natalitio Christi die celebrari solitae, videtur admodum simile vero, Sacerdotes quosdam Armenos et Missionarios videntes tres Missas a Patribus Dominicanis celebrari Natalitio Christi die coepisse et ipsos tria Sacrificia offerre, Dominicano Missali utentes in Armenam Linguam reddito: quoties autem ita se res habeat, quod verisimilius est, quisque sanae mentis homo facile animadvertet, haud subsistere fundamentum in oblatione trini Sacrificii a nonnullis Armenis per Orientem peragi solita constitutum, nec eo juvari ullatenus posse Armenos Liburno in Portu commorantes, eo quod tres Misae in Missali Dominicano adnotatae, semper Latini Ritus esse censeantur, etsi in Armenam Linguam versae, nec liceat Armenis pro arbitrio Latinos Ritus usurpare. Simillimum nobis suppetit exemplum ex Missa Latina Patrum Dominicanae Familiae in Graecam Linguam versa juxta indultum a Bonifacio IX. datum Maximo Constantinopolitano Dominicae Familiae viro relatumque *tom. 2. Bullarii Dominicani pag. 370.* Ea quippe Dominicani Fratres quidam, nullatenus autem Graeci in Sacrificio offerendo uti possunt.

Constitut. Bened. IV. die 29. Decb. 1755.

(Bull. r. t XIX. p. 187.)

Cf.: *Orator. privat.* (Discursus Secretarii S. C C.).

β) Celebrandae in Oratorio privato.

Vd.: *Oratorium priv.* (num tres celebr. in Orat. priv.?)

γ) Num Obligatio est, tres Missas celebrare et audire in Nativit. Dom. et quam miss. Sacerdos legere teneatur, si unam tantum celebrat?

Vd.: *Oratorium priv.* (num tres celebr. in Orat. priv.?)

h) Votiva infra oct. Nativ. D.

Vd.: *Missa de s. cruce; Missa vot. de B. V. M.; Missa vot. priv.* (dies imp.)

8) Officium.

(Cantus et tempus.)

Vd.: *Matutinum* (tempus); *Nativit. Dom.* (Commun., decr. Pii VII. die 25. Junii 1819).

Sulmonen.

Matutinis Horis solemniter persolutis in nocte Nativitatis Domini Rmus Episcopus Sulmonen. in sua Cathedrali primam celebrat Missam Pont. ad praescriptum Caerem. Ep. lib. 2. cap. 14.; Laudes, quae post hanc Missam pari solemni ritu cantari debent, ut in eodem Caerem. capite, juxta Ecclesiae illius vigentem consuetudinem sine Cantu a Canonicis persolvuntur, postquam Episcopus, absoluta Missa, Episcopium repetiit: hinc Episc. a S. R. C. declarari postulavit:

1. An haec consuetudo servari possit?

2. Et quatenus negative, humiliter supplicat, quod attenta Cathredalis distantia, horis nocturnis et tempore hyemali indultum sit Canonicis inter Missarum solemnia Laudes sine cantu solemni alternare, prout creditur concesssum fuisse aliquibus Religiosis et Ecclesiis, et eo modo Missam complere, quo in Vesperis decantandis Missa perficitur in Sabbato S. Sacra eadem R. C., exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris scripto pandito typisque vulgato perpensisque regionis ac tempestatis rigore, nec non Cathedralis illius a Civitate distantia ad relationem Emi et Rmi D. Card. Bardaxy Ponentis rescribendum censuit:

„Negative, sed attentis peculiaribus circumstantiis, in casu, de quo agitur, consulendum SSmo pro Apostolica dispensatione recitandi Laudes sine cantu *post Missam.*" Die 31. Martii 1821.

Facta autem per infrascriptum S. R. C. Secretarium de praemissis SSmo D. N. Pio VII. P. M. relatione, „S. S., attentis expositis, in casu, de quo agitur, benigne annuit pro gratia dispensationis." Die 3. Aprilis 1821. n. 4582.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis ritus omnes servandi sunt nedum quoad substantiam verum etiam quoad modum, formam et ordinem, quo praescripti leguntur in Caeremoniali Ep. Quamobrem in nocte Natalis Domini, prima Missa absoluta, Laudes etiam cantari solemniter debent; nec satis est alternatim dumtaxat easdem recitare. Non diffiteor, ne ullum quidem verbum occurrere in antiquis praefati Caeremonialis editionibus de cantus solemnitate: verumtamen in nova, quae, Pont. Benedicto XIII., adornata, emendata et aucta e Romanis Typis *anno 1729* prodiit, *capiti 14. libri 2.* additum fuit, quod sequitur, videlicet: *In Laudibus tantum, quae post Missam solemniter cantari debent, serventur omnia, quae in superiori capite 7. hujusmet libri praescripta reperiuntur.* Unde patet, satis non esse, alternatim in Choro Laudes recitare, sed omnino cum cantu ad praescriptae regulae formam esse persolvendas. Verba enim illa: *solemniter cantari debent*, non in facultate rem ponunt, sed absolutum praeceptum important, veluti pluries a S. R. C. declaratum fuit, et novissime *in Civitaten. 20. Maii 1826.* Etenim attendendae sunt diversae dictiones, quibus utuntur Caeremonialis, Ritualis, Missalis, Breviarii Rubricae, pro rite persolvendis Horis Canonicis aliisque ecclesiasticis functionibus agendis. Dictio *debet*, quae saepe occurrit in praefatis Ritualibus libris, praeceptiva semper est, secumque fert positivam obligationem: facultativae vero sunt dictiones aliae, *congruit, potest, convenit, decet*, et his similes. Idcirco S. C. directe respondens quaesito regulae conformare se debuit, quin admitteret consuetudinem, quae obtinuisse in Cathedrali Sulmonen. ferebatur, legendi Laudes sine cantu. Sed quoniam ex ecclesiasticis aut civilibus legibus nulla ferme est, cujus observantia, peculiaribus attentis circum-

stantiis, nequeat a potestatem habente quandoque moderari, et Apostolica Sedes in iis, quae circa modum potius versantur, quam circa rem praeceptam, nonnunquam in casibus particularibus aut dispensationem aut moderationem indulgere consuevit; ideo eadem S. C., postquam ad legis formam responderat, simul addidit: *Sed in casu consulendum SSmo pro Apostolica dispensatione.* Urgebant quippe rationes plurimae ab Episcopo enumeratae, quae indulgentiae viam aperiebant. Tales sunt nimia Cathedralis a Civitate distantia, localitas, cum eadem in montanis sit posita, aëris et frigoris inclementia, quae multum affert incommodi brumali tempore et concubia nocte, onus tandem, quo tenentur Canonici et reliqui de Clero, prima luce a propriis longe dissitis habitationibus ad Ecclesiam redire pro aliis Horis persolvendis, secunda et tertia Missa solemni ritu celebrandis. Hisce attentis circumstantiis, opportunum visum est in hoc speciali casu, aliquid relaxari posse de legis rigore: quemadmodum S. S., licet in casu diverso, sed iisdem fere de causis, relaxavit favori *Capituli* Cathedralis Boven., eidemque indulgens, ut hyemali tempore Canonici et Clerici ejusdem servitio addicti, nimirum post Festum omnium SS., usque ad Majorem Hebdomadam exclusive, possent semel in die ad Ecclesiam accedere, ibique tam Matutinas quam Vespertinas Horas nec non Conventualem Missam sine interruptione persolvere, ita tamen, ut Completorio post meridiem finis imponatur. Nam, licet jure Ecclesiastico statutum sit, ut debitis distributis horis in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis diversae Officii partes peragantur, nihilominus, expositis circumstantiis attentis, aliquid Apostolica Auctoritate remittendum, aliquid visum est indulgendum.

Cum autem praefato responso ad primum ex propositis dubiis Episcopi precibus satisfactum fuerit, non erit immorandum in secundo. Etenim hac in petitione supponit Episcopus aliquibus Religionibus et Ecclesiis concessum fuisse nocte Nativitatis Domini inter Missarum solemnia Laudes sine cantu alternari et eo modo Sacrum compleri, quo fit in Vesperis decantandis post Communionem in Sabb. S. At ego non injuria puto perperam ab ipso adhibitum verbum: concessum, et quod revera in aliquibus locis ex more fit, ex Apostolica dispensatione fieri credidisse, id est, quod speciatim indultum aliquando fuisse, probari numquam poterit. Forte enim digitum intendere voluit in consuetudinem, quam ea nocte viguisse narrat Martene *de Antiqu. Eccl. Rit. tom. 3 cap. 12 n. 26* in Remensi, Parisiensi, Turonensi aliisque bene multis Galliarum Ecclesiis, in quibus cantabantur Laudes ante Orationem, quae in Missa dicitur *Postcommunio*, ne populus, expleta Missa, statim ab Ecclesia discederet, non adhuc cantatis Laudibus, quae cum Matutino conjunguntur, eique dant complementum: ejusdemque ritus meminit Durandus in Rationale etc. *lib. 6 cap. 13.* Aliis tamen in Ecclesiis, ut fert Micrologus *cap. 34.*, Missae finem non dabat versus: *Ite, Missa est*, bene vero alter: *Benedicamus Domino, ne populo quasi licentiam abeundi infra mututinales Laudes dedisse videamur, quas statim post Missam iterum, concrepantibus signis, incipere solemus.* Forte etiam rationem habere intendit moris, qui adhuc obtinet apud Religiosos aliquos ac praesertim Carmelitas antiquae observantiae et S. Dominici Institutum profitentes. Sed haec ac id genus aliae consuetudines alienae sunt a moribus Ecclesiae Romanae. Usus, qui adhuc vigent in aliquibus Regionibus et Coenobitarum Ecclesiis,

longe, priusquam Caeremoniale Ep. ederetur, inducti, tolerantur potius, quam rite probentur, servari utique permittuntur, quia ritus substantiam non laedunt sed transferri nequeunt ad Ecclesias, quae Ritum Romanum sequuntur, sacrasque actiones juxta Caeremoniale Ep. perficere debent. Confundi ergo videtur in dubio tacita tolerantia cum expressa concessione.

Si quis plura scire velit de rituum varietate, qui in nonnullis Ecclesiis nocte Nativitatis Domini quoad Laudes antiquitus obtinuerunt et modo (nisi forte aliquod in una alterave vestigium supersit) obliterati sunt: adire poterit laudatum Martene *loco supra cit. n. XXX. et Catalanum in Commentariis ad Caeremoniale Ep. lib. 2 cap. 14 §. 12 n. 2.* Mei quippe instituti ratio non patitur, ut in iis recensendis diutius immorer.

In S. R. Ordinariis Comitiis quum a subscripto Secretario relectae fuerint preces Capitularium Cathedralis Atrien. ob aeris praesertim in hyeme inclementiam ac valetudinis quamplurium incommoda requirentium apost. dispensationem in nocte Nativ. D. iterum in aurora ad Ecclesiam ipsam accedendi pro persolvenda cum cantu Hora Primae et celebranda 2. missa, quae sine Capituli interventu privatim a parocho celebrari queat; RR. et EE. PP. S. R. C., quin petitam dispensationem concederent, extendere potius censuerunt Indultum Cathedr. Pinnen. concessum die 12. Mart. 1836 nimirum, in nocte Nativ. D. persolvendi absque cantu Laudes post primam missam ac celebrandi 2. missam prima vel secunda hora post ortum Solis. Atque ita a Clero Cathedr. Atrien. in posterum servandum esse. n. 4829 die 19. Maii 1838.

Gerunden.

Rmus Episcopus Gerunden. in relatione status suae Ecclesiae ad Sacram Congregationem Concilii transmissa sequens proposuit Postulatum. Usque ab Anno 1308 in hac Ecclesia Cathedrali Matutinum Nativit. Domini Nostri Jesu Christi Vespere prima Vigilia Noctis decantatur et circa auroram dicitur prima Missa, quae juxta Ecclesiae ritum videtur mihi continuo post Matutinum debere celebrari. Eapropter precor VV. EE., ut indicetis mihi, quid circa hanc praxim decernendum? In Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria responsum fuit: „Serventur Rubricae Missalis et Matutinum cum prima Missa et Laudibus dicatur summo mane, si adsit impedimentum canendi prope mediam noctem.“ Die 3. Aprilis 1830 n. 4656

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Rubrica Breviarii tum particularis hujus diei, tum generalis, hanc divisionem primae Missae a Matutino et Laudibus in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi non admittit, quemadmodum et Laudum a dicta Missa separationem excludunt et cum haec Rubrica sit particularis hujus noctis (quae quidem, ut videbimus, sua non caret ratione) et ordinata sit pro Choro, in hoc servari debet quidquid praescribitur et ordo prorsus non est invertendus, nec pro libitu prima Missa a Matutino et a Missa Laudes dividi debent. En verba Rubricae particularis: Et *dicto* Benedicamus Domino, *celebratur prima Missa post mediam noctem, qua finita, dicuntur Laudes:* Rubrica autem generalis Tit. XXX. de hymno *Te Deum*, n. 4: *Similiter quando dicitur* Te Deum, *eo hymno dicto, statim inchoantur Laudes, praeterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa.* Habemus itaque clarissime praescriptum ordinem et unionem Missae cum Matutino et Laudum cum Missa. Dixi

ordinem hunc a Rubrica *pro Choro* praescribi; in privata enim recitatione nulla est obligatio sejungendi Laudes a Matutino, ut omnes ferunt Auctores. Item Caeremoniale Episcoporum eundem omnino ordinem indigitat *lib.* 2 *cap.* 24 §. 9. Super allatis Rubricae verbis seu praescripto inquit Tetamus: *Post Matutinum dicitur Missa in Choro; et Gavantus in Rubrica Breviarii Sect. 6 cap. 5 n. 5: Laudes sequuntur Missam primam de aeterna Generatione:* Et n. 6, ubi Francolinii sententiam negativam profert de cantanda Missa ante canonicam horam Primae, secundo loco haec habet: *Neque dicas sufficere Laudes ante Missam secundam, tum quia non debent dividi a Nocturnis, nisi quantum Missa prima occupat temporis, quod intercedit, cum sint unica hora:* sive itaque sequamur Rubricam particularem Breviarii sive generalem attendamus sive Episcoporum Caeremoniale inspiciamus, is ordo ab omnibus Rubricis praescribitur, ut novum omnino sit et contra Rubricas et contra vetustissimam Ecclesiae consuetudinem et universalem disciplinam. Missam primam a Nocturnis dividere et Laudes ante Missam canere, quae uniri semper debet et eo ordine, qui a Rubrica praecipitur, sive media nocte sive summo mane, aliqua accedente justa causa, Officium Nativitatis peragatur.

Juvat hic aliquid animadvertere et generalem proferre regulam, quod Matutini et Laudum recitationem (loquor de Officio in Choro persolvendo) ut inde rationem investigemus peculiaris hujus diei Rubricae. Certum est Laudes a Nocturnis ex generali regula dividi non debere et Laudes ab Amalario Matutinale Officium appellantur, ac ideo sic vocari, quia sunt pars Officii Matutini et idcirco etiam non terminatur separatim a Laudibus. Ex hoc ipso, quod juxta Romanum Ritum Matutinae Laudes recitantur conjunctae cum Nocturnis, factum est, ut Matutini nomen aequivocum quandoque fuerit et quid diversum juxta Auctores varios non semel hac voce intelligatur. Aliquando acceptum est pro solis Nocturnis separatis a Laudibus, aliquando pro aggregato ex Nocturnis cum Laudibus usurpatum est, quatenus una eademque sit Officii pars et diversas non constituant partes, aliquando denique pro solis Laudibus. Benedictus XIV. Institut. XXIV. n. 9. Amalarium sequens unionem Matutini cum Laudibus indicat: *Nobis satis est tempus indicare, quo juxta Canonum Sanctiones Matutinum una cum Laudibus persolvantur; quae sane conjunguntur, cum Amalarius tradat, se a Magistris Romanis responsum habuisse nullum inter Matutinum et Laudes tempus intercedere:* ex hac doctrina et auctoritate et ex Rubrica patet certissimum Laudes a Nocturnis numquam sejungi. Sejungi tamen debent, ut vidimus, in Officio Nativitatis Domini. Quaenam, quaeso, particularis hujus Rubricae erit ratio? Si Benedictum XIV. audiamus, memorata Institutione hanc rationem affert: *In pervigilio Nativitatis Domini Matutinum a Laudibus sejungitur, ante quas Sacrum peragitur. Cum enim circa mediam noctem Missae Sacrificium celebrari debeat, nimis absone Laudes eo tempore canerentur.* Quodam est illud tempus? Illud nempe, quod paullo ante eadem Institutione eodemque numero Amalario adhaerens indicaverat, scilicet, ab initio crepusculi ad ortum solis. Est ergo haec ratio ab hora desumpta simul et ab unione Laudum cum Missa, cui cum Laudes conjungi debeat, Missae vero Sacrificium circa mediam noctem debeat celebrari, ut utrumque servetur et unio scilicet Laudum cum Missa et tempus minus Laudibus inconveniens, hae post Missam potius, eas a Nocturnis

dividendo, recitantur, quam immediate post Nocturnos, ut generalis regula exposceret. Haec est ratio a Benedicto XIV. adducta. Jam quis tam sapienti tam erudito Pontifici audeat contradicere, quin temeritatis notam apud omnes incurrat? Ratio quidem haec est, sed non sola. Haec enim ex convenientia potius horae, qua Laudes, juxta morem, recitari debent et ex praecepto simul eas a Missa non dividendi, quam ab intrinseco desumpta est. Alia tamen est ratio, si quid video, ex ipso intrinseco mysterio, quod recolitur, deprompta et Officii hujus diei propria, quam affert Durandus in suo Rationali Divini Officii lib. 6 cap. 13 n. 16 quam et hic afferre haud dubitem: *Generatio Divinitatis, scribit ipse, praecessit generationem humanitatis et quia illarum notitia fuit nobis laudis materia, ideo Laudes sequuntur. Missa praecedit, quia prius fuit aeterna generatio, de qua Missa ista loquitur, quam aliqua creatura fuerit, quae Deum laudare potuerit. In Laudibus quasi choream ducimus: quem vidistis Pastores? Et ipsi responderunt; Natum vidimus etc. Haec Durandus.*

Jam totum Officium Divinum nihil aliud per sese est, nisi quoddam Divinarum Laudum genus, quae sive psalmis, sive hymnis, sive canticis, sive aliis hujusmodi ab Ecclesia statutis, in Dei laudem et honorem canuntur. Tamen haec Officii pars, quae *Laudes* specialiter nominatur, ideo hoc donatur nomine, quia speciali quodam modo laudes Deo concinuntur. In his enim ad jubilandum Deo, ad Ei benedicendum, ad Eum laudandum Fideles excitantur. Hoc posito, si ex Durando Missa hujus noctis *est nobis laudis materia*, quia sane in prima Missa Nativitatis Christi ad salutem et redemptionem humani generis speciali modo Fidelibus per Evangelium annunciatur, quae jam per Angelos vigilantibus super gregem suum Pastoribus annunciata fuit et gaudium magnum nunciatum pariter fuit, quod omni Populo erat futurum ob Salvatoris nativitatem; quid aequius, quid rationabilius quam et in recolendo quotannis hoc mysterio speciali hoc Deum laudandi genus, *sive Laudes*, post Missam reservetur et Missae immediate conjungatur? Cum specialis hac nocte ratio reperiatur eas a Nocturnis dividendi et Missae immediate conjungendi?

Unum postremo hic addere non alienum a proposito erit, quo confirmatur et sejunctio Laudum a Matutino, Missa interposita et Laudum cum Missa immediata conjunctio. Antiquitus non modo separatae erant Laudes hujus Officii a Nocturnis, sed Missa prima, quae media nocte celebrari solebat, complebatur cum *Benedicamus Domino,* non autem cum *Ite Missa est*, quae verba juxta communiorem Liturgicorum sententiam nihil aliud nisi dimissio Populi est. Testatur hoc Micrologus, qui hanc adducit veteris hujus ritus rationem his verbis: *Ne Populo quasi licentiam abeundi infra Matutinales Laudes dedisse videamur, quas statim post Missam iterum concrepantibus signis incipere solemus:* Jam si antiquitus, ut Populus post Missam Laudibus adesset, omittebantur hac nocte verba, quae illius dimissionem sive ab Ecclesia discessum indicabant, quo majori argumento utemur ad probandum ex antiquitate ipsa hanc Laudum cum Missa conjunctionem, quae adhuc ab Ecclesia servatur, suam habere originem, ac proinde male prorsus se gessisse, qui contrarium servavit? Demum aliquibus in Ecclesiis alius hac nocte servabatur peculiaris ritus et ideo servabatur, ut Populus in Ecclesia retineretur. Ritus autem erat, ut inciperentur Laudes statim post Communionem et complebantur post Orationem, quae dicitur in fine Missae, eo sane modo,

quo Vesperae una cum Missa in Sabbato Sancto decantari solent, in quibus una eademque oratio et Missae est et Vesperarum. Jam si antiquitus, ut Populus post Missam Laudibus adesset, verba apposite omittebantur, quibus illius dimissio sive ab Ecclesia discessus indicebatur, ne Populus discederet, Laudes post Communionem inchoabantur et complebantur cum Missa, quonam majori argumento utemur ad demonstrandam Laudum cum Missa in hac nocte conjunctionem, quae servatur ab Ecclesia, non solum jure adhuc servari, sed ex ipsa antiquitate suam habuisse originem, ac proinde male esse penitus gessisse, qui, ut ex Dubio patet, a speciali hoc Ecclesiae ritu discessit.

Aliud quoque hic breviter investigandum occurrit, quod non inutile fortasse erit.

Quidam sunt, sed pauci sane, qui autumant Matutinum hujus noctis dicto post Orationem *Benedicamus Domino* concludendum esse cum versiculo: *Fidelium animae etc.* Innituntur fortasse hi Decreto S. R. Congregationis in Thelesina sub die 14. Aprilis 1742 dato, quod sic enunciatum est: *Non est omittendus in fine cujusvis Horae,* Fidelium animae, *quando post eam immediate dicitur Missa, sed servandus adamussim textus Rubricae XXX. Breviarii Romani;* versiculum hunc addendum statuit Ecclesia, cujus pietas erga Defunctos ea est, ut peracto Divino Officio aut illius partibus ad utilitatem vivorum suffragetur statim et Defunctis, qui degunt in Purgatorio. Hic est finis Ecclesiae, quae etiam praecipit per Rubricas, ut quibusvis Horis Canonicis addatur. Jam videamus, si locum habeat hac nocte in fine Matutini. Ex Decreto et intentione Ecclesiae dicendus est hic versiculus in fine Horae cujusvis. Si itaque Hora non terminatur, versiculus hic non est addendus, ac proinde fallitur, qui illum in casu omittentes erroris et culpae arguit. Laudes numquam a Nocturnis separantur et unam eamdemque horam simul junctae constituunt: hinc si hac nocte ex specialis Rubricae Statuto Nocturni a Laudibus dividuntur, non sequitur diversas, per hanc peculiarem hujus noctis Rubricae dispositionem et a se separatas Horas ex Nocturnis et Laudibus constitui, proindeque, absoluto Matutino, Hora revera non terminatur: hinc profecto est, quod in nullo liturgico Sacro Codice, sive in Missali sive in Breviario sive in Caeremoniali Episcoporum hujus versiculi mentio invenitur *et taxative* ab his tempus determinatur, quo Missa post Nocturnos debeat inchoari, sive qua prece, quo versiculo absoluto. Quod spectat ad particularem Breviarii Rubricam hujus diei, legitur: Et dicto *Benedicamus Domino, celebratur prima Missa post mediam noctem;* quod vero pertinet ad Rubricam generalem ejusdem Breviarii sic in ea legitur Tit. XXXI. de Hymno *Te Deum* n. 11.: *Similiter quando dicitur Te Deum, eo hymno dicto, statim inchoantur Laudes, praeterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa.* Demum Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 14. §. 9.: *Iterum responso* Dominus vobiscum, *dum Chorus cum Organo prosequitur lente* Benedicamus Domino *et* Deo gratias, *ipse (Episcopus) deposito Pluviali ... demum accedit ad infimum gradum Altaris pro Missa inchoanda:* Ubinam, quaeso mentio fit de hoc versiculo *Fidelium Animae etc.* quo terminari debeat Matutinum, aut potius, ubi, tacite saltem, non excluditur? Excluditur quidem, statim ac taxative dicitur: *dicto* Benedicamus Domino *celebratur prima Missa: Prosequitur lente* Benedicamus Domino *et* Deo gratias *... accedit ... pro Missa*

inchoanda. Cur autem excluditur? Quia nempe, absolutis Nocturnis, non terminatur Hora et hinc Decretum, quo hujus versiculi recitationis Defensores (si qui sunt, paucissimi autem sunt et fortasse unus vel alter) innituntur Officio hujus noctis nequit aptari, quo peculiarem et propriam sibi vindicat Rubricam, quae clara satis est ad excludendum hunc versiculum. Hinc est, quod Tetamus cap. 25. ad diem 25. Decb. Sect. III. scribit: *Ubi post Matutinum dicitur Missa in Choro, dicto* Benedicamus Domino, *non addatur versus Fidelium Animae:* hinc quod *Gavantus* scribit Section. V. cap. XXII. n. 4.: *Qui versus non dicitur ante Pretiosa ad Primam, quia adhuc non terminatur Officium ... neque dicitur post aliam Horam, si aliud sequatur, ut vel Missa, sicuti fit in nocte Nativitatis Domini.* Quid plura? Omittitur quandoque hic versus, quando etiam quaedam Officii Hora est absoluta. Hinc apposite idem Gavantus eodem n. 4. addit: *neque ad Completorium habet in fine locum congruum. Non enim ante Antiphonam B. Virginis, quae ad Officium vivorum attinet, neque post eam, quam sequitur Oratio Dominica cum Salutatione Angelica.* Sic autem explicit: *vel Officium parvum B. Mariae, septem Psalmi, Litaniae, in quarum fine dicitur* Fidelium etc. Quod hic dicit Gavantus, Rubricae generali apprime consonat, cujus sequens est dispositio Tit. XXX. de Oratione n. 3.: *Postea dicitur (nempe post Orationem) Benedicamus Domino,* deinde dicitur versus: *Fidelium animae etc.* qui versus non dicitur post *Benedicamus Domino. ad Primam ... nec quando post aliquam Horam immediate sequitur Officium parvum B. Mariae vel Officium Defunctorum, aut septem Psalmi Poenitentiales vel solae Litaniae etc.* Jam si omittendus est hic versus, quando quaedam Divini Officii Hora penitus est absoluta et sequitur Officium ab illo quod celebratur diversum, quaecumque sit hujus omissionis ratio, quae quidem a Gavanto adducitur (quae tametsi prodest potius, quam officiat in casu nostro), cur erit dicendus in nocte Nativitatis cum absoluto Matutino absoluta nequit credi Hora, cum integram horam Matutinum cum Laudibus constituat, cum Missa sequi debeat immediate Nocturnos ob intrinsecam rationem noctis et diei et Festivitatis propriam, quae peculiarem ritum exposcit nulli alteri Festivitati communem? Quod si quis reponeret peculiarem esse rationem omissionis in casibus a Rubrica notatis, peculiarem aeque rationem agnoscat in Officio Nativitatis, quae peculiarem Rubricam habet, qualis ea est, per quam interposita prima Missa Laudes a Nocturnis dividuntur; et sicuti hoc Officium ritum a generali regula diversum habet ex ipsa Rubricae dispositione et praecepto, sic et in fine Nocturnorum hujus noctis excludi debet memoratus versiculus, nec sub adducto Decreto debet comprehendi.

Concedi posse fratr. Ord. Minor. Conv. Venetiis commorantibus in sua Ecclesia tamen in nocte Nativitat. Dom. inchoare Matut. ad populi commoditatem post pulsatam primam horam, eoque solemniter et cum debitis caeremoniis decantato, statim missam celebrare, etiamsi debitam horam praeveniant. n. 69 die 14. Decb. 1593.

Ad dubium 1.: An servari debeat immemorabilis consuetudo legendi Laudes in Nocte Nativitatis D. N. J. C., vel an eaedem sint decantandae?

2. Et quatenus negative, Archiepiscopus, Capituli Pisani nomine, humillime supplicat, ut huic indulgeatur facultas Laudes sine cantu legendi post Missam solemnem in illa Nocte, aeque ac haec eadem facultas die 31. Martii

1821 indulta est Canonicis Sulmonensibus.

S. C. resp.: *Ad 1.:* Negative.

Ad 2.: „Attentis peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, consulendum Sanctissimo pro Apostolica dispensatione recitandi Laudes sine cantu post Missam solemnem, Canonicis tamen aliisque de more aeque ac in aliis diebus obstrictis ad interveniendum, ut lucrentur Matutini distributionem.“ n. 4672 die 12 Nov. 1831.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Caeremoniale Episcoporum in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis ad quas spectat observandum esse praecipitur a fel. rec. Clemente Papa VIII. in Literis Apostolicis sub plumbo, quae incipiunt: *Cum novissime etc.* in quibus statuitur, *Caeremoniale hujusmodi sic emendatum et reformatum nullo umquam tempore in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas praedictas ... ad ea peragenda et praestanda juxta hujus Caeremonialis formam et praescriptum teneri.* Item Innocentius X. Bulla: *Et si alias*, ipsum Caeremoniale adprobando et confirmando eadem statuit ac praecipit. Et haec quidem Benedictus XIII. Bulla, cujus initium est: *Licet alias*, pariter habet; additum autem in ea est, ut in virtute sanctae obedientiae nihil detrahatur, nihil addatur, immutetur nihil, quemadmodum et in Bullis Praedecessorum suorum legitur. Summi itaque Pontifices toti in eo sunt, ut quae in Caeremoniali (idem dicatur de Pontificali, Missali et Rituali) sunt constituta accuratissime serventur, ut Sacri Ritus et Caeremoniae juxta Ecclesiae disciplinam et statuta peragantur nec aut quadam aliquorum libertate, aut aliorum negligentia aut aliquorum non recta interpretatione ex propria cujusque commoditate non semel orta, novitatibus inductis Ritus ipsi et caeremoniae Ecclesiae corrumpantur et per mutationes ipsas et novitates, externus cultus sancto studio, sancta sollicitudine, tam diligenti cura et labore ad Religionis ipsius majestatem statuti penitus cum ipsius Religionis detrimento vilescant. His positis quidquid diverso modo, quo statutum est, peragitur, contra Caeremoniale peragitur et nulla umquam consuetudo (si eas excipias quae ut legitime et conditionibus necessariis inductae ab Ecclesia ipsa sunt adprobatae), contra illius legem potest praescribere, nullam potest constituere exceptionem, nullam normam aut regulam efficere, nec approbari umquam poterit, quin immo non summopere reprehendi. Aut enim consuetudo, quae profertur in medium, quamque nescio quis velit in casu protueri, est ante Caeremonialis correctionem, confirmationem et adprobationem Summorum Pontificum, qui illud correxerunt, confirmarunt, adprobarunt, aut postea: si ante, jam consuetudines istae, si peculiari modo non sint adprobatae (neque enim adprobari potest quod directe Caeremonialis praescriptis adversatur), per genericam abrogationem, abrogatae censendae sunt: si postea inductae sunt, jam eo ipso contra Caeremonialis statuta ejusque leges sunt inductae et inobedientiam Ecclesiae legibus redolent et novitatis notam merentur, propriaeque commoditatis amorem praeseferunt, ideoque reprobandae sunt ac rejiciendae, utpote Caeremoniali adversae, quemadmodum haec est consuetudo in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Laudes legendi: nimis enim haec consuetudo contraria est Caeremonialis praescripto, nam satis superque clare Caeremoniale praescribit ut Laudes cantentur: *In Laudibus*

(legitur lib. 2. cap. 14. §. 12.) *tandem, quae post hanc Missam solemniter cantari debent:* quae verba, ut quisque facili negotio videt, praeceptum important adeoque consuetudinem omnem contrariam excludunt. Quod si praeceptum juxta Rubricam non est, ubi nam, quaeso, Rubrica praeceptum exhibebit, aut quando Rubricae servari poterint? Idem dicas de omnibus consuetudinibus, quae si sint hujusmodi, neque umquam poterunt praescribere, ac nullo umquam tempore erunt admittendae.

Ad dubium: In Matut. ss. noctis Nativitatis D. an debeant praeintonari antiphonae?

S. C. resp.: Affirmative.
Die 7. Sept. 1861.

9) Praefatio infra octav. Nativ. Dom.

Vd.: *Praefatio.*

10) Vigilia.

Ad dubium: Vigilia Nativit. Dom. occurrente in Dominica, de quo dicendae sunt vesperae pridianae, cum sequenti die nihil fiat de dominica; si etiam nullum festum dupl. vel semidupl. ex Dioecesano praecedat, sed tantum Officium quatuor temporum?

S. C. resp.: Vesperae fiunt de Sabb. et a cap. de dom. IV. Adventus. n. 3664 ad 8 die 22. Sept. 1703.

In vigiliis Nativitatis Domini dicendum est in missa *Credo*, dum incidunt in Dominicam. n. 4526 ad 30 die 7. Sept. 1816.

NATIVITAS B. V. M.

Vd.: *Exaltatio s. crucis* (decr. n. 4444); *Festum ss. Nom. B. V. M.*

NATIVITAS S. JOANN. B.

Vd.: *Octava Corp. Chr.* (Officia infra octavam Corp. Chr.); *Octava (dies octava)* Corp. Chr. (decr. n. 4487.).

Festum Nativitatis s. Joann. B. celebrari debere die 24. Junii, nec posse anticipari et Episcopus (Dioeces. Nepesinae) incumbat pro executione. n. 3913 die 10. Sept. 1718.

NAVICULA.

1) Assistens porrig. Episcopo.

Vd.: *Assistens; Thurifer.; Incensum.*

Episcopus *(ante accessum e sacello ad altare majus)* ministrante Presbytero assist. naviculam imponit et benedicit thus. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 23.

Interim (dum Diaconus dicit *Munda cor*) accedit Acolythus ad Episcopum cum thuribulo et navicula et ministrante illam Presbytero ass. Episcopus imponit ... incensum. *Ibid.* n. 43.

Episcopus *(finita missa in Coena D. ante process.)* ad sedem imponit incensum in duo thuribula ministrante (naviculam) Presbytero assistente ut alias. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIII. n. 11.

Cum solita benedictione Episcopus aspergit palmas et thurificat ministrante presbytero assistente. — Finita Benedictione (palmarum) Episcopus ponit thus in thuribulum, ministrantibus presbytero ass. et Acolytho. *Ibid.* c. XXI. n. 5, 8.

Episcopus *(in Parasc. ad altare SSmi)* imponit incensum ministrante presbytero assist. *Ibid.* c. XXV. n. 31; c. XXVI. n. 14. Deposito velo (ad altare majus) Episcopus imponit thus ministrante presbytero ass. *Ibid.* n. 32. Episcopus imp. (ad Offer. missae praes. in Parasc.) incensum ministrante Presbytero ass. *Ibid.* c. XXV. n. 33; c. XXVI. n. 17.

Finita *benedictione candelarum* Episcopus ministrante naviculam Presbytero assist. parato imponit incensum. *Ibid.* l. II. c. XVI. n. 8.

Finita *distributione candelarum* et cantata oratione Episcopus imponit incensum ministrantibus Presbytero assistente et Acolytho. *Ibid.* n. 14.

Finita missa *in festo Corp. Chr.* Episcopus ad sedem imponit thus ministrante Presbytero assistente naviculam. *Ibid.* l. II. c. XXXIII. n. 19.

Deposito velo (finita process.) Episcopus imponit thus ... Presbytero ass. ministrante naviculam. *Ibid.* n. 26.

Episcopus *benedicit ignem* et imponit thus in thuribulum ministrante Presbytero ass. *Ibid.* c. XXVII. n. 3.

2) Diacon. missae porrigit.

Vd.: *Diaconus; Incensum; Oscul.* (Modus etc.).

Finita confessione (et osculato libro Evang.) porrigit Diaconus Episcopo naviculam, qui imponit et benedicit thus. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 34.

Ministrante Diacono naviculam imponit Episcopus thus (ad Offert.) *Ibid.* n. 64.

Si Episcopus celebrans est apud altare, Diaconus Evangelii accipit de manu Acolythi naviculam semiapertam et cochlear in ea existens, cum osculo cochlearis et manus Episcopi et offert eam Episcopo dicens: *Benedicite, Pater Reverendiss. Ibid.* l. I. c. XXIII. n. 1.

SS. NEREUS ET ACHILLEUS.

(Festum transl.)

Ad dubium: an, quando extra tempus pasch. transfertur festum ss. mm. Nerei et Achillei, dicenda sit missa ut in festo ss. Marci et Marcellini vel ss. Joannis et Pauli vel saltem Graduale et ℣.: *Haec est vera etc.?* S. C. resp.: Affirmative et desumantur Epistola et Graduale, ut in festo ss. Gervasii et Prot. et cum ℣.: *Haec est vera Fraternitas etc.* n. 3754 ad 7 die 25. Sept. 1706. *In una Urbis.*

S. NICOLAUS DE TOLLENTINO.

De Imagine vd.: *Imago* (expositio; decr. Urbani VIII. de die *23. Jan. 1638.*)

Sixtus PP. V.

Hac praesenti nostra constitutione mandamus, ut S. Nicolai C. de Tol. dies festus quarto Idus Septb. agatur, duplicique posthac et proprio, et ubi propria non erunt, de comm. c. non p. officio per cunctas totius christiani Orbis ecclesias singulis annis perpetuis futuris temporibus celebretur et in Calend. rom. cum duplicis festi adjectione inscribatur. Sicubi vero festus s. Nicolai dies ex fidelium devotione seu consuetudine praecepto aut indulto ap. majori aliqua celebrari consueverit observantia, ea omnino ibidem retineatur.

Romae die 23. Decb. 1585.

(Bull. r. t. II. p. 552.)

De ejus Canonisatione et fixatione festi in diem 10. Septbr. vd.: *Constitutio Eugenii IV. die 1. Febr. 1447* in Bull. rom. t. I. p. 353.

S. NICOMEDIS.

(Festum transl.)

Burgi S. Domnini.

Quum Rmus Episc. Burgi S. Domnini a S. R. C. humillime Indultum rogarit, cujus vigore a suo Clero Saeculari et Regulari Dioecesano Calendario utente Officium Translationis S. Nicomedis Mart. Calendis Julii recitari queat, Emi et Rmi P. Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis rescribendum censuerunt: Officium Translationis conceditur in loco,

ubi facta fuit Translatio, cujus memoria per illud Officium recolitur: ac proinde in casu negative.

N. 4864. Die 3. Aug. 1839.

NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS.

Ad dubium: Certum est in oratione: *Nobis quoque peccatoribus etc.* intra Missae Canonem, nonnisi tria ista verba clara voce esse dicenda, idque aperte innuunt tum rubricae generales cap. XVI. n. 1., tum ritus servandus in celebratione Missae c. IX. n. 3., ubi ita praescribitur: *Quum dicit (sacerdos): Nobis quoque peccatoribus, vocem aliquantulum elevat et prosequitur secreto: famulis tuis etc.* Sed quum accurata isthaec distinctio inter verba secreto aut elata voce dicenda desideratur in rubrica Ordinis Missae absolute praescribente: *Manu dextera percutit sibi pectus, elata parum voce dicens: Nobis quoque peccatoribus famulis tuis etc.* Quaeritur: an ad clariorem hanc postremam rubricam reddendam post verba: *Nobis quoque peccatoribus,* addi possit intra parenthesim brevis haec adnotatio: *Et prosequitur secreto?*

S. C. R. resp: Non expedire.

Die 25. Sept. 1860.

NOCTURNUM.

Quod Noct. est recitand. in Annivers. def.? vd.: *Off. Def.; Invitat. in Anniversario; Annivers.* (quod est? decr. n. 5221.)

Quando in annivers. ex consuetudine unum tantum Nocturnum recitatur, tunc neque Invitatorium dicendum est, nec antiphonae duplicandae nec preces in fine Laudum sunt omittendae. S. R. C. 31. Maii 1817; 11. Apr. 1840.

Diebus dupl., quibus prohibetur missa priv. de Req., cantari potest Nocturn. pro Def. et deinde missa de die celebrari. S. R. C. 7. Sept. 1850.

Expositum est S. R. C. in funeral. et anniversariis nocturni pro def. recitationem praetermitti, non obstantibus decretis. S. R. C. resp.: Ordinario scribi, qui mandet impleri decreta S. C. et transgressores poenas irremissibiliter exequatur. Die 23. Decbr. 1662.

NOMEN.

1) Defuncti in missa et Officio exprimendum.

Vd.: *Officium def.* (orat.).

2) Episcopi exprimendum in Canone.

Vd.: *Canon.*

3) Imperatoris romani in fer. VI. Parasc. et in Praeconio.

Vd.: *Missale* (correctio, *decreta inserenda etc.*); *Oratio pro imperat.*

4) Imperatr. Reginae Mariae Theresiae et ejus Conjugis et legitimorum Successorum in Canone exprimendum.

Clemens PP. XIII.

Charissimae in Christo filiae Mariae Theresiae Hungariae Reginae etc.

Flagitavit jam pridem Nobis V. Fr. Viennae in Austria Archiep. Christophorus, ut in Canone missae post mentionem factam Rom. Pontificis et Dioec. Antistitis Nomen Tuum nuncupari permitteremus et una simul carissimi Conjugis Tui Francisci in Romanorum Imperatorem electi atque idipsum legitimis in utroque Regno successionibus Tuis concederemus. Haesimus diu atque substitimus, quia res gravissima ac nova videbatur; sed quum idem V. Fr. postmodum renunciavisset, consuetudinem hanc nominandi Reges ab antiquissimo tempore,

cujus originis memoria non est, tam in Hungaria quam in Bohemia obtinere, tum animadvertimus, rem non esse de novo privilegio largiendo sed de veteri potius in reliquas Majestatis Tuae Imperio subjectas regiones extendendo. Propterea consuetudinem, quae obtinet in Hungaria et Bohemia, Nominis Tui in Canone Missae recitandi ratam habemus et approbamus atque ut nomini Tuo superaddatur nomen charissimi in Christo filii Nostri Francisci Conjugis Tui ac regiminis socii de novo largimur, atque concedimus, utque idipsum fieri posset in aliis Archiducatibus, Ducatibus, provinciis et locis ad Dominium Tuum pertinentibus, ita ut post mentionem factam Rom. Pontificis et Episcopi Dioec. in eodem Canone haec praescripta verba: „*et pro Regina Nostra Mar. Ther. et Francisco in Romanorum Imperatorem electo ejus conjuge et socio regiminis*“ permittimus et indulgemus.

Praeterea futuris temporibus, ut *legitimi Successores Tui in praedictis Hungariae et Bohemiae Regnis sive masculi sive foeminae, dummodo coelesti benedictione et s. unctione juxta consuetas caeremonias ut Reges ac Domini sive ut Reginae ac Dominae inaugurati vel inauguratae fuerint, non tam in iisdem Regnis superius memoratis, quam in aliis provinciis, urbibus ac locis eorum Dominationi pleno jure subjectis, nullo tamen addito conjugis nomine, si quem vel quam habuerint, quod Majestati Tuae et augustissimo conjugi Tuo socio regiminis specialissimum volumus*, per haec tantum verba: „*Pro Rege Nostro*“, si fuerit masculus, „*Pro Regina Nostra*“, si fuerit foemina, in eodem canone missae nominari possint perpetuo concedimus et indulgemus, quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae die 5. Maii 1761.

Universis Hungariae, Bohemiae et Austriacae Archiep., Episcopis etc. hujus indulti comittitur Exequutio per specialem Bullam.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 108. Ed. Rom. 1837.)

SS. NOMEN.

1) Jesu Christi.

Vd.: *Festum ss. Nominis Jesu; Lytan. ss. Nom. J.*

Indulgentiae pro Confrat. SS. Nom. Jesu, vd.: *Constitutio Bened. XIII.* die 19. Jan. 1726. (Bull. r. t. XIII. p. 204.)

2) B. V. Mariae.

Vd.: *Festum ss. Nom. B. V. M.*

NON INTRES IN JUDICIUM etc.

Nihil mutandum in hac oratione. vd.: *Absolutio Mort.* (Ritus).

NOVENA.

1) Nativitatis D. cum expos. SSmi.

In Oratorio Confratern. S. Rosarii Burgi peragi valet Novena Nativitatis Jesu Chr. cum exposit. Venerabilis de licentia Episcopi. N. 3910 ad 6 die 9. Jull 1718.

2) Alicujus Sancti.

Cf.: *Missa vot. de Sancto; Credo.*

Ad dubia: 1) Apud Regulares Dioeces. Panorm. jam consuetudo inolevit praeveniendi festum eorum fundatoris per novem praecedentes dies, quam novenam vocant. Quaenam missa canenda sit in tali novena, si in ea dupl. per annum, dupl. maj. t. vel 2. cl. aut dominica occurrerit?

2) An in missa, quae hac in novena celebratur, vel sit de Sancto, cujus solemne festum praevenitur, vel de festo occurrente, possit ex hoc

praecise capite, nempe, quod talis novena solemnizatur, dici Gloria et Credo?

S. C. resp.: Assertas missas novemdiales esse votivas et in illis servandas esse rubricas Missalis. n. 3232 ad 5 et 6 die 2. Sept. 1690.

NOVITIATUS.

Vd.: *Votum Regul.*

NUNDINAE.

De Nund. et Mercatu in festis diebus, vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 5. Novbr. 1745. (Bull. r. t. XVI. p. 328). *De Nundinis ante Ecclesias,* vd.: *Licentia celebrandi* (decr. *Andrien.*).

Cf.: *Vacatio ab operibus; Missa* (oblig. audiendi).

Pius PP. VI.

V. Fr. Rocho Mar. Episcopo Pisaurensi.

Gravia quidem sunt et non parvo moerore lugenda scandala, quae ex suborta corruptela in hac tua dioecesi celebrandi in diebus festis et praecipue in diebus dominicis publicas nundinas ac mercatus Fraternitas tua evenire Nobis significat: siquidem cum idcirco in diebus festis ab opere humano cessandum sit, ut liberius ad ecclesiam ire, psalmis et hymnis ac canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offere, memoriis sanctorum communicare, ad incitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat christianus, multi e contrario Christifideles spe lucri illusi ac nimium, quam par est, negotiosi, quoties nundinae aut mercatus in hisce diebus habeantur, quae sua ac hujus saeculi sunt dumtaxat quaerentes, vix aut ne vix quidem ecclesiam adeunt divinoque sacrificio adstant, tantum abest, ut Dei verbum attente quoque ore audire ecclesias frequentare, conscientiam mundare, Deo laudes persolvere aliasque salutares excitationes obire curent.

Nos non latet felicis recordationis Benedictum PP. XIV. praedecessorem Nostrum per suas literas archiepiscopis et ordinariis ditionis ecclesiasticae directas die quinta Novembris 1744 datas districte quidem mercatus in diebus festis prohibuisse, sed sub certis tunc expressis conditionibus nundinarum celebrationem tollerasse aliosque decessores Nostros aliquibus populis pecculiaribus literis id indulsisse.

Verum cum ex hujusmodi indulgentia ac facilitate nimis ultro processerit corruptela, quod in populorum commodum fuerat concessum, in hac tua dioecesi in apertum ac intollerabilem dierum festorum contemptum collapsum sit, huic precibus tuis Nobis hisce desuper porrectis saluberrimas sanctiones, quibus Ecclesia celebrandarum nundinarum in diebus festis abusum tollere jugiter studuit, ad illarum pristinam observantium revocantes, Fraternitati tuae per praesentes edicimus ac mandamus, ne in dioecesis tuae urbe, oppidis ac locis, non obstante quavis consuetudine etiam immemorabili, nundinas celebrari in diebus festis patiaris. Quodcirca tibi, de cujus prudentia, fide ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, omnem et quamcumque necessariam et opportunam ad hujusmodi abusum tollendum, ac circa ea, quae ad harum praesentium Nostrarum literarum executionem pertinent, faciendi, gerendi, dicendi et exequendi ac exequi mandandi, ea, quae pro eorumdem praesentium exequutione componere, constituere ac decernere in Domino salubriter expedire conspexeris, plenam et amplam facultatem motu, scientia, auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimus. Mandantes propterea omnibus et singulis hominibus civitatis, oppidorum ac locorum praedictorum aliisque, ad quos spectat et in futurum quomodolibet

spectabit, ut tibi in omnibus et singulis praemissis prompte pareant et obsequantur tuaque mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententias sive poenas, quas rite tulleris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, memoratis Benedicti praedecessoris Nostri literis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non civitatis et dioecesis praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus.

Datum Romae die 10. Sept. 1782.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 540.)

Decret. ejusdem tenoris misit ad Episcopum Ariminensem die 11. Apr. 1783. (*Ibid.* t. VII. p. 121.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Ep. Bergomensi.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Locatelli parochus loci Pontis sancti Petri istius Bergomensis dioecesis, quod cum pluribus abhinc annis inter praedicti loci habitatores nulla suffragante apostolico dispensatione duobus festivis diebus S. Petri apostoli et S. Alexandri invaluerit usus nundinas celebrandi, dictus exponens illorum conscientiae securitati prospicere cupiens nobis humiliter supplicari fecit, ut nundinas praedictas in foro conscientiae permittere dignaremur.

Nos praedicti loci personis specialem gratiam facere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, et si id in Domino expedire censueris, loci praedicti habitatoribus, ut ipsi duobus praefatis diebus festivis nundinas, *non tamen tempore divinorum officiorum ac missae solemnis et vesperarum*, imo officinae tempore hujusmodi claudantur, celebrare libere et licite possint et valeant, sine tamen praejudicio solutionis onerum et gabellarum, auctoritate Nostra apostolica in perpetuum indulgeas atque concedas.

Datum Romae die 26. Mart. 1819.

(Bull. r. Continuatio t. XV. p. 206.)

NUNTIUS.

Quando crux ei est praeferenda? vd.: *Crux archiepiscopalis.*

Non licebit Nuntio, facultates Legati de latere habenti, in Cathedrali sive aliis Ecclesiis archiepiscopali ditioni subjectis ministrare quaecunque Sacramenta ad Archiepiscopum loci Ordinarium spectantia, nisi id vel specialiter et expresse in facultatibus sibi a Sede Apostol. fuerit permissum vel obtinuerit prius ab Archiepiscopo facultatem. *In ducali autem Capella*, veluti ab Archiepiscopi jurisdictione exempta, eadem Sacramenta absque ulla licentia ministrare poterit. n. 44 ad 3 die 16. Febr. 1593.

Potest Nuntius Apostolicus exercere Pontificalia et populum benedicere absque licentia Ordinariorum. n. 1039 die 1. Mart. 1636.

Quo loco sedes Nuntii paranda est, quando Missae etc. assistat? vd.: *Sedes Episcopi* (forma etc.).

Benedictio Nuntio praesente danda, vd.: *Benedictio.*

De Caeremoniis inter Gubernatorem, Vice-Legatum, Episcopum etc., vd.: *Praeses.*

NUPTIAE.

1) Benedictionis ritus et tempus.

Cf.: *Missa vot. pro Sponsis; Sponsi.*

Ad dubium: Quum in nuptiis benedicendis peraro in Bavaria missa pro Sponsis celebrari valeat ac proinde

benedictio nuptiarum in missali praescripta inter missam, extra ipsam missam ut plurimum impertitur, quaeritur: utrum liceat hunc ritum a Missa abstrahere et quatenus negative, utrum Episcopis et Parochis jus sit adigendi Sponsos ad benedictionem in missae celebratione recipiendam?

S. C. resp.: Nihil obstat quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 4840 ad 2 die 1. Sept. 1838.

Limburgen.

Reverentissimus Limburgen. Episcopus SSmum D. N. Pium IX. P. M. humillimis precibus adiens sequentium Dubiorum declarationem rogavit, nimirum:

1. Quum ex S. R. C. Decreto diei 1. Sept. 1838 in Eichstaden. benedictio Nuptiarum, quod frequentissimum etiam in hac Limburgensi Dioecesi est, a Missa abstrahi licite possit, et Sponsi ad benedictionem in Missae celebratione recipiendam adigi non debeant, quaeritur: utrum, si eamdem benedictionem a Missa abstrahi, et tardioribus diei horis cum ritu celebrandi Matrimonii conjunctam impertiri, de mane tamen petentibus Sponsis Missam celebrari contingat, votiva pro Sponso et Sponsa cum iisdem privilegiis ac alias sumi valeat, an vero et in ipsis etiam votivas admittentibus diebus, Missa currens aut alia, exclusa Missa pro Sponso et Sponsa, cui forte abstracta benedictione locus amplius non sit, dici debeat?

2. Quum Agenda Limburgensis anno 1838 sub Praedecessore meo edita benedicendi Matrimonii ritum duplicem exhibeat, quem in Pagella adnexa videre licet, quaeritur: utrum quoties benedictionem ut supra a Missa abstrahere contingat, hunc Agendae ritum retinere liceat, an vero ritum Missae pro Sponso et Sponsa insertum, etiam extra Missam omnino adhibere oporteat?

3. Denique in hac Dioecesi, sicut in pluribus Germaniae, tempore Feriarum non solum Nuptiarum solemnitates, sed ipsae etiam Nuptiae ex consuetudine prohibentur, nisi adsit dispensatio Episcopi. Hanc dispensationem ab Episcopo auctoritate ordinaria concedi posse, dummodo adsint causae sufficientes, certe in dubium vocari nequit, quum de sola consuetudine particulari agatur. Quaeritur autem: an Episcopus in casibus particularibus et ob rationabiles et graves causas etiam in hoc dispensare possit, ut secluso quidem semper alio quocumque apparatu ac strepitu nuptiarum benedictio tamen solemnis more debito adhibeatur? Quum enim in re Auctorum et etiam gravissimorum non una sit sententia: affirmantibus siquidem quibusdam alii id omnino denegant; ad dubietatem omnem eliminandam Apostolicae hujus S. Sedis declaratio exquiritur.

Sanctitas Sua super requisitis a Rmo Episcopo Oratore, audita a subscripto S. R. C. Pro-Secretario relatione fideli, mandavit ut Dubiis ipsis juxta Mentem Suam et alias decreta responsa darentur, nimirum:

Ad 1.: „Juxta Decretum Urbis et Orbis latum die 20. Dec. 1783 Missa in Nuptiis semper debet esse votiva pro Sponso et Sponsa ut in Missali, praeterquam in Festis de praecepto et Duplicibus I. et II. Cl., in quibus Missae occurrenti addenda est commemoratio pro Sponso et Sponsa. In ea vero assignata Benedictio juxta Rubricas non est impertienda nisi in Missa.“

Ad 2.: „Provisum in praecedenti, et quando impertienda est Benedictio, omnino servetur Rubrica Missalis. Quoad specialem benedictionis formulam extra Missam, *Relatum.*“

Ad 3.: „In casu nuptiae celebrentur sine solemnitate, ideoque privatim sine Missa et Benedictione temporibus prohibitis."

N. 5190. Die 23. Junii 1853.

Benedictio Contrahentium Matrimonia non est facienda a Parocho extra Ecclesiam sed in Ecclesia. S. C. C. 17. Apr. 1649.

Benedictio Nuptiarum non potest fieri nisi inter Missarum solemnia. S. C. C. 13. Julii 1630.

2) Promulgatio.

Denuntiationes matrimonii fieri possunt temporibus prohibitis nuptias celebrare. S. C. Ep. et Reg. 18. Dec. 1589.

In Ecclesia, quae simul parochialis est et collegiata, denuntiationes matrimoniorum et Ordinandorum aliaeque similes functiones parochiales arbitrio parochi fieri possunt vel in missa paroch. vel convent., quando pro utraque habet concursus populi. S. C. C. 8. Julii 1724.

Denuntiationes matrimoniales ex justa causa possunt etiam fieri diebus festivis, dum cantantur vesperae. S. C. C. 25. Oct. 1586.

Non potest parochus in ecclesiis Monialium Ordinario subjectarum matrimoniales denuntiationes facere. S. C. C. 23. Aug. 1727.

De promulgat. ineund. matrimoniorum et de earum dispensationibus, vd.: *Bullam Bened. XIV.* die 18. Maii 1743 (Bull. r. t. XVI. p. 161. X. etc.)

3) Secundae.

Vd.: *Bened. annuli Nupt. secund.*

4) Tempus vetitum.

Ad dubium: An concessa per Episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a s. Concilio vetitis, in iis locis, in quibus dispositio ejusdem Concilii ad ipsum quoque matrimonii contractum reperitur a consuetudine extensa, intelligatur permissa traductio sponsae seu uxoris ad domum viri?

S. C. C. resp.: Affirmative, dummodo traductio fiat absque solemnitate. Die 10. Junii 1684.

O.

OBLATA.

(Incens.)

Vd.: *Parasceve* (oblata).

OBLATIO.

1) Infra missam.

Oblationes Intortitiorum et Calicis apud altare accipiendas esse a Celebrante ad Offertorium; extra vero Missarum solemnia a prima Dignitate vel digniore Ecclesiae presbytero praesente n. 1865 die 26. Jan. 1658.

Usum oblationum in Missis nostris temporibus non habet Ecclesia rom., nisi in consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, ordinationibus et similibus. n. 2345 ad 18 die 31. (Julii) 1665.

Oblationem esse faciendam in loco presbyterii. n. 2433 ad 1 die 21. Apr. 1668.

Oblationes et eleemosynae inter missarum solemnia possunt recipi a Regularibus, qui possunt se vertere ad populum et generalem confessionem pro eo facere, sistendo in medio altaris, non autem illinc discedendo et Ecclesiam circumeundo. S. C. C. 25. Sept. 1629.

Sacerdoti missam novam celebranti licet Oblationes accipere, modo non discedet ab altari. S. C. Ep. 11. Oct. 1601.

2) In Ordinatione.

Vd.: *Ordinatio* (oblatio).

3) In Parasceve.

Consuetudo, ut Oblationes, quae offeruntur cruci in feria VI. Parasceve, dentur Magistris Caeremon., servanda est. S. R. C. 29. Novb. 1603.

Cf.: *Lanx.*

OBLIGATIO CELEBRANDI.

1) Canonicorum ad celebrandum et inserviendum.

Vd.: *Canonici* (celebrantes, decr. n. 172 et 305).

2) Episcopi.

Vd.: *Festum solemne; Functiones pontificales; Nativit. Dom.* (Missa, decr. n. 4603, *nota*); *Pontificalia.*

Ad dubium: Caditne sub praecepto assistere et celebrare in Vesperis, Matutinis, Laudibus et Missa in diebus, in quibus Pontificale et Caeremoniale loquuntur de caeremoniis observandis a Pontifice seu Episcopo?

Et S. eadem R. C. . . . respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 14. n. 11. et cap. 29. n. 1. positivum praeceptum imponit Episcopo legitime non impedito celebrandi per seipsum in die Nativitatis D. N. J. Chr.: in aliis vero solemnioribus enumeratis in cap. 34. n. 2. decet, maximeque convenit, ut Sacrum solemne faciat, prout etiam, ut Pontificalibus indutus in aliis, quae ibidem indicantur n. 4, Vesperis, Matutinis, Laudibus et Missae per Dignitatem vel Canonicum celebratae assistat."

Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. N. 4565 ad 8.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Quamquam Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 34. enumerando Festivitates, in quibus solemne est, ut Episcopus vel pontificaliter celebret vel in pontificalibus S. Mysteriis assistat, non praeceptiva verba adhibeat, sed iis utatur, quae congruentiam, decentiam, facultatem important, videlicet: *decet, poterit etc.,* nihilominus solemniores, aliqui sunt dies, in quibus, nisi legitime impeditus fuerit, per se ipsum omnino celebrare tenetur. Sunt autem dies Nativitatis Domini et Dominica Sanctae Paschae. Quoad hosce dies idem Caeremoniale forma utitur prorsus diversa, quae praeceptiva est. Agens *lib. 2. cap. 14.* de Festo Nativitatis Domini, ponit in arbitrio Episcopi primam Missam in nocte, non item tamen quoad tertiam: *Episcopus vero* (sic n 11) *non sumet Purificationem* (si in nocte celebraverit) *et in fine post Benedictionem non dabit Indulgentiam, quia in tertia Missa, quam omnino cantabit Episcopus in die, erit Indulgentia publicanda.* Et cap. 29. n. 1. legitur: *In die Paschae Resurrectionis D. N. J. Chr. Episcopus, nisi aliquo legitimo impedimento fuerit praepeditus, Missam solemnem omnino celebrare debet.* Ubi notandum est, quod ad praeceptum imponendum satis erit ver-

bum *debet;* additur tamen illud *omnino*, ut sciant Episcopi gravem sibi obligationem inesse celebrandi pontificaliter Missam in diebus Nativitatis Domini et Paschatis, nisi legitimum intercedat impedimentum; in aliis vero diebus magnae solemnitatis, qui enumerantur *cap. 34. n. 1.*, licet non urgeat praeceptum, decet et congruit, ut Episcopi Sacrum solemne per se ipsos faciant. Quod si non legitime impediti negligerent, populo ipsis commisso occasionem scandali et offensionis praeberent.

3) Sacerdotis.

Vd.: *Missa* (oblig. celebr.); *Missa* (in altari etc.).

OBSESSUS A DAEMONE.

Inhabilis.

Mediolanen.

(Conc. Tr. C. 7. Sess. 14. De Ref.)

Hieronymus Antonius Bonacino Clericus Mediolanensis et constitutus in aetate annorum 23 cupit Sacris Ordinibus initiari supplicatque pro dispensatione ab irregularitate forsan contracta, ex quo quatuor abhinc annis fuit Energumenus sive Arreptitius vel a Daemone obsessus; duo enim jam anni elapsi sunt, quorum decursu nullam, Deo dante, passus est a Daemone vexationem, quae circumstantia nedum in ejus supplici libello exponitur, sed etiam confirmatur in Informatione Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi, in qua haec habentur: *cum itaque irregularitas in causa per Oratorem proprio delicto aut defectui non sit adscribenda, jure merito sperare potest gratiam, pro qua supplicat; maxime cum jam labatur biennium, quo omnino liber ab omnibus reputatur, cum nullum recidivae signum dederit, fidem de praemissis facientibus de credulitate publicis Exorcistis.*

Scribentes de hac materia in varias dividuntur opiniones. Nonnulli putant, eum, qui a Daemone obsessus fuit, si a vexatione liberatus est, posse ad Ordines promoveri, nisi ex memoria morbi remanserit aliqua infamiae nota et occasio offensionis. *Gonzal.* in cap. *cum de tua* num. 10. de corpore vitiatis, *Gibollin.* de Irregul. cap. 3. consect. 9. per totum, *Diana* rerum moral. tom. 5. in edit. coord. tract. 5. resolut. 60. Alii e contra putant, ad Ordines promoveri non posse illum, qui fuit Energumenus, etiamsi liberatus sit, posse tamen in Ordinibus susceptis ministrare, si per spatium unius anni non fuerit a Daemone vexatus et Episcopus eum dispensaverit, *Suarez* de Censuris disput. 51. sive ultima sect. 1. n. 7., *Sayrus* eodem tract. de Censuris lib. 6. cap. 9. n. 14. pag. mihi 510, *Bonacina* Operum Moral. tom. 1. disput. 7. de Irregul. punct. 2. propos. 1. n. 24., *Majol.* de Irregul. lib. 2. cap. 17., *Leander* Operum Moral. part. 5. tract. 1. disput. 3. quaest. 14. et quaest. 16. Nec desunt admittentes, quod obsessus olim a Daemone, licet liberatus, ad ulteriores Ordines ascendere non possit, si sermo sit de ascensu ad Ordines majores, secus autem, si quaestio sit de ascensu ad Ordines minores, uti videri potest apud *Bonacinam* et *Sayrum* loco cit., contendentibus aliis, praeclusam esse Arreptitio, quamvis liberato, viam ad Ordines ulteriores, sive sermo sit de ascensu ad Ordines majores sive ad Ordines minores, uti plene videri potest apud *Leandrum* loco cit. quaest. 15. Haec quoad opiniones Scribentium et in eo, *quod attinet ad Sacros Canones*, in quibus unaquaeque ex recensitis opinionibus suum constituit fundamentum. In nonnullis arcere videtur tam ab Ordinum receptione quam a re-

ceptorum administratione ille, qui est actu a Daemone obsessus, Textus *in Canone Maritum dist. 33. ibi: vel afflictione Diaboli vexatus est; et concordat Canon. 13. Concilii Toletani 11. ibi: bene quidem majorum regulis definitum est, ut daemoniis aliisque similibus passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat, cui praecepto, consensu rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a Daemonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel Sacris audeant ministrare Altaribus vel indiscussi se Divinis ingerant Sacramentis.* Alibi quoad obsessos, postquam Ordines receperunt, decernitur, eosdem in Ordinibus ministrare non posse, nisi saltem post unius anni spatium fuerint liberati et Episcopus suum praestiterit assensum, uti legitur *in Canone Communiter dist. 33. ibi: qui tamen et ipsi tamdiu erunt ab Officii sui Ordine et loco suspensi quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu Daemonum liberati.* Quoad obsessos vero et jam liberatos: an ad Clericatum, si adhuc Clerici non sint, vel ad majores Ordines, si Clerici sint, ascendere et promoveri possint, aliqua adesse videtur in Sacris Canonibus Antinomia; in antiquo enim et venerabili Canone 78. inter eos, qui Apostolici dicuntur, sic legitur: *si quis Daemonem habet, Clericus non efficitor, sed nec cum fidelibus preces fundito; Mundatus vero recipitor et si fuerit dignus, efficitor scilicet Clericus;* et e contra *in Canone Clerici dist. 33.*, sic disponitur: *Clerici, qui in Adolescentia a Daemonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere non possunt,* et hinc factum est, ut nonnulli, quemadmodum visum est ex Auctoribus, censuerint obsessum a Daemone, sed liberatum, posse ad Clericatum, et ad ulteriores Ordines promoveri, propter auctoritatem videlicet Canonis Apostolici, cui dicunt derogatum non fuisse ab allegato *Canone Clerici,* cum intelligi hic possit de obsessis a Daemone et non liberatis, et alii e contra senserint, obsessum a Daemone, licet liberatum, esse perpetuo irregularem quoad Ordines suscipiendos, cum Canon Apostolicus editus fuerit tempore, quo pauci inveniebantur, qui Clerici esse vellent, et *posterior Canon Clerici* praesentem rerum statum respiciat, in quo homines non desunt, qui Altaris Ministerio inserviant et Clericatum assumant.

Postremam hanc opinionem Sacra haec Congregatio amplexa est in Panormitana dispensationis 10. Aprilis 1683, ut ex sequenti habetur resolutione: *Frater Mansuetus de Panormo Clericus Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci ejusdem Provinciae exponens Sac. Poenitentiariae, se per aliquod tempus a Daemone obsessum jam a biennio integro liberatum fuisse, supplicavit secum dispensari super irregularitate exinde contracta ad effectum suscipiendi Ordines Sacros. At Sacra Poenitentiaria audito Procuratore Generali, qui ita retulit: l'esposto dall' Oratore è vero; come appare da una fede autentica sottoscritta da' Religiosi degni di fede, e confermata da quel suo Superiore Provinciale, onde si potrà graziare tanto parerà a Sua Beatitudine instantiam remisit ad hanc Sacram Congregationem, cui proinde supplicatur declarare:* an *petita dispensatio Oratori sit concedenda etc.?*

S. C. C. resp.: *Pro nunc negative.*

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An Orator sit de jure irregularis quoad Ordines suscipiendos in casu?* et quatenus affirmative;

II. *An ei sit concedenda dispensatio in casu etc.?*

S. C. resp.:

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Pro nunc negative.

Die 10. Junii et 2. Decb. 1724.

Gelasius I. dil. fr. Episcopis per Lucanicam, Brutios et Siciliam constitutis.

Usque adeo sane conferimus, illicita quaeque prorumpere, ut daemoniacis similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si hoc opere positis aliquid propriae necessitatis occurrat, quis de sua fidelium salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanae tanta perspexerit calamitate vexari? atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis. Postremo si corpore sauciatum fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex divina permittit: quanto magis doni coelestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente perculsos?

Die 11. Mart. 494.

(Bull. r. t. I. p. 105 n. 21. Ed. Aug. Taur. 1857.)

OCCURRENTIA.

1) Festorum.

Vd.: *Concurrentia fest.; Translatio; Dies fixus.*

2) Festi dupl. in dominica.

Ad dubium: An officia transl. et fixa diebus, quibus aliunde deberet fieri Off. *de ea,* sint tanquam dies propriae eorundem Sanctorum ad exclusionem cujuscunque alterius translati Sancti, qui possit aliquando contingere et insuper: *an occurrentia similia officia dupl. in die dominica possint celebrari in tali die,* ac si esset dies, eorum propria?

S. C. resp.: Affirm. in Omnibus. Die 28. Julii 1742. *In Tergestina.*

OCTAVA.

1) Cessatio.

Cf.: *Octava Corp. Chr.* (Officia infra etc.); *Patron. princip.* (Transl. festi); *Octava* (terminatio); *Festum* (extra suam oct. cadens); *Dies octava* (Ritus; decr. n. 3277); *S. Januar.* (Off.)

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: an in dominica Passionis infra Octavam s. Benedicti cadente et ejusdem dominicae in 1. vesp. sit omittenda commemor. octavae? S. C. resp.: In 1. vesp. facienda est commemoratio de die infra octavam, quando octava celebratur post dominicam Passionis; secus autem, si dies octava incidat in eandem dominicam Passionis, quia propter domin. privilegiatam cessat octava. n. 4044 (2do) ad 5 die 23. Julii 1736.

Quum Rmus Pampilonen. Ep. in praesentiarum etiam Apost. Administrator Archidioec. Burgen. compererit inter Directores s. Functionum in Hispania diversas vigere opiniones circa continuationem Octavarum, quae alicubi locum habent, dum supervenit Solemnitas SSmi Corp. Chr., ac aliis pro viribus sustinentibus cessandum omnino ab aliis Octavis superveniente Festo cum Oct. SSmi Corp. Chr., contradicant qui profuentur sententiam, intra eamdem Oct. SSmi Corp. Chr. locum habere debere inchoatas alias Oct., pastoralis sui muneris esse duxit S. R. C. rogare ut super proposita controversia definitivam sententiam suam producere dignaretur ad exoptatam uniformitatem assequendam, eo vel magis quia utraque pars suam communiat sententiam Decretis alias datis a S. ipsa R. C., non attendentes Decreta ipsa justissimis de causis data fuisse prout necessitas vel particulares circumstantiae exi-

gere videbantur. Religiosissimi memorati Pampilonen. Antistitis pium studium quammaxime commendantes Emi et Rmi P. S. Ritibus tuendis praepositi, post auditam ab infrascripto Secretario fidelem relationem eorum omnium, quae ab eodem Ep. enunciabantur, ac diligens de more examen singularum rationum, quae S. C. alias adduxere ad edendas diversas in casu responsiones in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunati rescribendum censuerunt: „Serventur Rubricae et Decreta, seu abrumpendas esse Octavas solum quando Festum SSmi Corp. Chr. privilegio gaudet ad instar Epiphaniae.“

Atque ita rescripsere ac servandum mandarunt. n. 5106 die 11. Septbr. 1847.

Expositum fuit in S. R. C., quod in Hispania ex Indulto ap. recitatur Officium de festo s. Juliani Ep. Conchensis die 28. Jan. cum octava; sed quia anno futuro 1693 incidit fer. IV. Ciner. in diem octavam et secundum rubricam 7. Brev. rom. de octavis adveniente Quadragesima cessat quaecunque octava, propterea dubitatur: an in fer. III. praecedenti cessare debeat octava ad Nonam aut ad Completorium hujus diei? S. C. resp.: Officium recitandum esse de die infra octavam usque ad Nonam, vesperas autem esse debere feriales. Die 17. Maii 1692 *in Hispan.*

In Hispaniarum Regnis die 18. Dec. celebratur festum Expectationis B. V. M. et ne feriales antiphonae ad laud. et per hh. pro illo die assignatae omitterentur SS. Gregorii XIII. fel. record. in bulla incipiente: *Officii cura,* proprio motu expedita, decrevit, quod praedictae antiphonae dicerentur a die 16. Dubitatur: An eo, quod in rubrica de octavis n. 1. prohibetur celebritas cujuscunque octavae incoeptae a die 17. Decbr. ut dictum est n. 1., et quia haec prohibitio fuit facta eo, quod praedictae antiphonae dicebantur a die 17, in Hispania sit omittenda quaecunque Octava incoepta a die 16.?

S. C. resp.: In Hispania et ubi contigit incipi antiphonas privilegiatas ante festum Nativit. D. die 16. Decbr., debet etiam die 16. locum habere regula rubricae de octavis n. 1., quia in eis militat eadem ratio, quae alibi die 17. Die 16. Jan. 1677 *in Hispalen.*

2) Commemoratio.

Vd.: *Commemorat. octav.* (ordo.)

3) Concurrentia.

Ad dubium: Quando duae octavae simul concurrunt, scilicet Patroni principalis sub ritu dupl. I. cl. et B. V. M. sub ritu 2. cl., de quo infra octavam sit dicendum Officium?

S. C. resp.: Recitandum Off. de Patrono princ. cum com. octavae B. V. M. n. 3565 ad 2 die 19. Junii 1700.

Ad dubium: an in occurrentia duarum octavarum, nempe s. Patroni loci et Conceptionis B. M. V., de qua a PP. Barnabitis sit peragendum Officium?

S. C. resp.: Fiat Officium de octava s. Patroni cum commem. octavae Conceptionis. n. 3830 die 13. Sept. 1710.

Clerus Terrae s. Nicolai celebrare solet festum s. Nicolai E. Patroni ejusdem loci cum octava; sed biduo post celebratur festum immac. Concept. B. V. M. cum octava, cum sit Patrona totius Regni Neapolis? Quae Officia essentne inter easdem octavas explenda?

S. C. resp.: Infra octavas praedictas fieri debet officium de octava immac. Concept. cum comm. s. Nicolai ob majorem Officii dignitatem. n. 4286 die 29. Mart. 1760.

4) Corporis Christi.

a) Dies octava occurrens cum alio festo?

Ad dubium: Cum in Ordine Carmel. Excalceat. celebretur festum Corp. Chr. cum octava ad instar Octavae Epiphaniae, quaeritur: utrum, occurrente *Nativitate J. B.* cum *die octava* Corp. Chr., fieri debeat de s. Joanne cum commem. octavae, an vero de octava, translato festo s. Joannis? S. C. resp.: affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4487 ad 2 die 14. Maii 1803.

Vd.: *Festum s. Cord. Jesu* — comm. huj. festi.

b) Expositio SSmi infra octav. SS. Corpor. Chr.

Vd.: *Expos. SSmi infra oct. SS. Corp. Chr.*; *Festum SS. Corp. Chr.* (Expos. SSmi); *Indulg.* (festo et oct. SS. Corp. Chr.)

c) Officia infra oct. Corp. Chr.

Vd.: *S. Joannes Baptista* (translat. praecipue decr. n. 4044); *Transl. festi perpetuo transl.* (decr. n. 4171); *Transl. festi 1. et 2. cl. in oct. privileg.*

Ad dub.: An, attentis terminis Indulti, nempe, quod Octava Corp. Chr. celebratur in Hispania majori cultu, quo fieri possit, et insuper, quod tam Clerus saecularis, quam regularis teneatur in Dominiis Regis Catholici omnino recitare Officium et celebrare Missam de Octava singulis ejusdem diebus, dum infra Octavam Corporis occurrit aliqua Vigilia, debeat legi in Officio 9. Lectio Homiliae cum commemoratione Vigiliae in Laudibus et Missa, vel potius, attenta hujus Octavae celebritate, nihil tunc de Vigilia nec in Officio nec in Missa, prout servatur in Festis solemnibus ex Rubrica VII. Breviarii Romani de Vigiliis num. 2.?

S. eadem Cong., exquisita sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, referente Emo et Rmo D. Card. Archinto Praefecto, respondit: „Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.“

Atque ita declaravit ac servari mandavit. n. 4448 ad 3 die 26. Januarii 1793.

Cum Clero Civitatis et Dioecesis Panormitanae a S. Sede Apostolica concessa fuerit Octava privilegiata Solemnitatis SSmi Corporis Christi, ita ut in singulis diebus Octavae, etiam impeditis Officio duplici, facultas sit recitandi Officium cum Missa de eadem Solemnitate, exceptis duplicibus 1. et 2. classis, orta est dubitatio Sacerdoti Petro Sanctori Directori Calendarii Patrum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii ejusdem Civitatis: An in hujusmodi exceptione comprehendantur duplicia 1. et 2. classis tantum occurrentia vel non translata? Quapropter supplex institit apud S. R. C., ut dubium hujusmodi declarare dignaretur.

Et eadem S. C., referente Emo et Rmo D. Card. Livizzani, exquisita prius sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, eaque perpensa rescribendum censuit: „In exceptione comprehendi etiam translata.“ Et ita declaravit.

N. 4470 die 10. Septembris 1796.

Epistola data ad Nuntium Apostolicum apud Regem Hispaniarum.

Perillustris ac Rme Domine uti Frater. Cum SSmus Dominus Noster Pius VI. Pontifex Maximus per Decretum S. R. C. latum die 15. Novembris anni 1775 ad pias preces recol. mem. Caroli III. Hispaniarum Regis Catholici benigne indulserit, ut ab utroque Clero in Regnis et Dominiis eidem Regi Catholico subjectis recitari posset in singulis diebus

Octavae Solemnitatis SSmi Corporis Chr. Officium cum Missa de eadem Octava, exceptis tamen Festivitatis S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli, quoties in eamdem Octavam incidissent, et per suas Literas Apostolicas in forma Brevis datas Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 5. Martii 1776, idem Decretum confirmaverit, pervenit subinde ad aures Sanctitatis Suae in exemplis earumdem Literarum per Hispanias evulgatis in iis verbis: Duabus Festivitatibus praefatis tantum exceptis, loco particulae *tantum* suffectam fuisse particulam *minime* ante verbum exceptis, contra ac legitur in autographo earumdem Literarum, quod est in Archivio Brevium et in exemplo, quod etiam Romae asservatur apud Regium Hispaniarum negotiorum Gestorem. Et quoniam ex hujusmodi verbi variatione factum est, ut eaedem Festivitates nequaquam censerentur amplius exceptae, Episcopus Santanderien., cum de pluribus liturgicis quaestionibus S. R. C. consuluisset, illud etiam declarari petiit, in quanam die post Octavam SSmi Corporis Christi collocandum esset Officium Festivitatis s. Joannis Baptistae, si in aliquo ejusdem Octavae die occurreret; cumque eidem S. C. exemplum aeque vitiatum Literarum Apostolicarum exhibitum fuisset, eadem S. C. in respondendo decepta est. Placuit itaque Sanctitati Suae, audito hac super re R. S. D. Hieronymo Napulionio Promotore Fidei, mandare, ut significaretur Ecclesiis Dominiorum Regis Hispaniarum error, qui irrepsit in exempla earumdem Literarum: ideoque declararetur Festivitates s. Joannis Baptistae et ss. Apostolorum Petri et Pauli in omni Ditione Regis Catholici non esse transferendas, quoties incidant in Octavam SSmi Corporis Christi et Decretum antedictae S. R. C. sive Resolutionem 1. Dubii in Santanderien. Resolutionis Dubiorum emissam die 26. Januarii 1793 locum amplius non habere. Quapropter Amplitudo Tua curet, ut haec SSmi Domini declaratio omnibus Ecclesiis comprehensis in Ditione Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici innotescat et Amplitudini Tuae diuturnam exopto felicitatem.

Amplitudinis Tuae. Romae 16. Dec. 1796. Pirgien. Archiepiscopo Nuntio Apostolico apud Regem Catholicum. n. 4472.

Cum Rector ac Beneficiarii Ecclesiae Parochialis titulo S. Joannis Baptistae Oppidi Ecyae Civitatis nuncupat., Dioecesis Hispalen., supplices fuerint ad S. R. C. pro declaratione sequentis Dubii, videlicet: Utrum in dicta Ecclesia Officium S. Joannis Baptistae Titularis sit recitandum vel Officium Corporis Christi, quando Nativitas S. Joannis incidat infra Octavam solemnitatis SSmi Corporis Christi vel in ipsa die octava, quae tota privilegiata est in Regnis Hispaniarum? Eadem S. C., audita sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, typorum ope vulgata, referente Emo et Rmo D. Card. Matthaeio Ponente, noscens Dubium hujusmodi ex eo ortum fuisse, quod reputetur in Regnis Hispaniarum Octavam solemnitatis SSmi Corp. Chr. ita ex concessione Apostolica esse privilegiatam, ut excludat festa cujuscumque ritus, etiam illa Nativitatis S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli, si in ea occurrerint, quod veritati non cohaeret, cum Apostolica concessio dicti privilegii illa duo tantum Festa excepta voluerit et solum per errorem, forsan ex amanuensis, vel typographi oscitantia irreptum in impressione Apostolicarum literarum in forma Brevis diei 5. Martii 1776, existimatum fuisse praefata duo Festa excludi a diebus infra Octavam SSmi Corporis Christi, de quo errore certior factus S. M. Pius VI. voluit illius no-

titiam per Epistolam istiusmet S. R. C. datum die 16. Decembris 1796 ad Archiepiscopum Pirgiens. tunc apud Regem Catholicum Nuntium Apostolicum, evulgari ad universum Hispaniarum Clerum, cum declaratione, quod responsio ab eadem S. C. tradita ad 1. Dubium in Santanderien. diei 26. Januarii 1793, in quo ipsa praesens quaestio proponebatur, utpote innixa exemplo pariter erroneo tunc exhibito praefatarum literarum Apostolicarum, amplius locum non haberet. Rescripsit hodie: „Praevio recessu a decisis in supradicta Santanderien. ad primum Dubium: Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.“ Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 4486 die 14. Maii 1813.

Cum Congregatio Canonicor. Regul. s. Crucis Conimbricen. Ord. s. Aug. in Lusitaniae Regno summopere desideret uniformitatem Calendarii in tota Congreg. et in insigni Colleg. de Cedofeita, quae ex concessione apost. praedictae Congregationis calendario utitur, haberique non possit tam desiderata uniformitas in celebratione festi s. Antonii Ulysiponensis, quod in Lusitaniae regno sub ritu 1. cl. cum octava celebratur, propterea quod ob occurrentiam cum festo ss. Corpor. Chr., quod etiam sub eodem ritu cum octava privileg. veluti Epiphania celebratur, in primam diem festo 9. ll. non impeditam sit aliquoties transferendum, qualis dies in praefata Colleg. a 5. die Junii usque ad anni finem desideratur; idcirco Orator deprecatur, ut hinc in posterum, quoties praedictum s. Antonii festum die ipsi propria, Idibus scilicet Junii vel etiam die octava festi celebrari nequierit, diem Junii vigesimam tertiam designare dignetur S. C., in qua tamquam in die propria hoc festum in tota Congregatione celebretur cum commemor. vero festi 9. ll. tunc occurrentis, si usque ad anni finem ulla non fuerit dies non impedita, in quam festum occurrens transferatur? S. C. resp.: Festum s. Antonii in casu transferendum in proximiorem semiduplicem cum istius commemorat. tam in Laudibus quam in utrisque vesperis et 9. l. historica; in defectu autem semiduplicis ad proximiorem duplicem item cum istius commemor. etc. ut supra et quoad octavam serventur rubricae. n. 4538 ad 1 die 4. Junii 1817.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Octava solemnitatis SSmi Corporis Chr. ex praescripto Rubricarum et Decretorum S. R. C. pluribus gaudet privilegiis, quae inter illud praecipuum est, quod admittit dumtaxat duplicia occurrentia, sed non item translata, nisi sint duplicia I. et II. cl., veluti habetur in Ulysiponen. die 5. Maji 1699. Verumtamen ad pietatem magis magisque fovendam erga tantum divinae charitatis mysterium non se difficilem praebuit Apost. Sedes supplicationibus Regum et Episcoporum petentium ampliori aliqua praerogativa idem Festum decorari. Ideo quandoque indulsit, ut in aliquibus Dioecesibus, Provinciis et Regnis ea solemnitate hoc Festum celebrari posset, ut dumtaxat admitteret duplicia I. vel II. cl., tam occurrentia quam translata vel tantum occurrentia: quandoque vero hanc Octavam elevavit ad instar Epiphaniae, intra cujus Octavam fit tantum de *Patrono vel Titulari Ecclesiae et Dedicatione ejusdem, non tamen in die Octava*, quae excludit quodcumque Festum occurrens, licet sit ritus dupl. I. cl. (Rubric. tit. 7. de Octavis n. 3.) Insigni hoc privilegio gaudet solemnitas Corporis Christi ex Apostolica concessione in Lusitaniae Regno; quamobrem si Festum dupl. I. cl. occurrat in ipso die festo vel

in die octava, ulterius est transferendum, et infra Octavam locum tantummodo habere potest in casu occurrentiae. Casus aliquando datur occurrentiae Festi S. Antonii Patavini, quod eo in Regno solemnissimum est ritumque obtinet I. cl. cum Octava; sed illud accidit incommodi in hujusmodi occurrentia Congregationi Canonicorum Regularium S. Crucis Conimbricen. Ord. S. Augustini, ut, posita hujusmodi occurrentia, usque ad anni finem nullam habeant diem vacuam pro repositione. Quid ergo agendum? Reducendumne erit tantum Festum ad ritum simplicem per accidens? Id non patitur ejusdem celebritas, an vero, dum impedita est dies propria, alia certa nec in posterum immutanda pro repositione assignanda est, prout petitur? Id adversatur Rubricarum regulae de translatione Festorum. Facile tamen est remedium; nam S. R. C. suo generali Decreto huic incommodo occurrit sub die 30. Martii 1804 declarando, Festa dupl. II. cl. (potiori jure idem dicendum de Festis I. cl.), pro quorum repositione usque ad anni finem nulla dies vacua supersit, „*transferenda esse in proximiorem diem, etiam impeditam Festo semidupl. aut dupl., quod illo anno redigatur ad ritum simplicem, firmis remanentibus aliis declarationibus emanatis de Festis inferioris ritus in similibus casibus non transferendis, sed ad ritum simplicem redigendis.*“ Igitur in specie proposita Festum S. Antonii a praefatis Canonicis Regularibus transferri posse videtur ad primam diem impeditam Festo ritus semidupl. et in hujus defectu, ad proximiorem duplicem, omissa tamen Octava, nisi dies aliqui infra eamdem, a Festo computandi, supersint, veluti jubent Rubricae de Octavis.

Ordini Carmelitor. in Lithuania excalceat. Octavam Corp. Chr. uti privilegiatam habenti ex Indulto ap. de 21. Apr. 1738 resp. S. C.: Si octava inchoata sit ante festum Corp. Chr., eo adveniente, Octava est deserenda. Quodsi infra octavam occurrat festum sub ritu dupl. 1. cl., de eo celebretur Officium cum comm. Octavae Corp. Chr., infra cujus octavam fiet de ipsa octava Corp. Chr. cum comm. octavae occurrentis. Si vero infra octavam Corp. Chr. occurrat festum 2. cl., nihil de eo fit, sed transfertur post octavam Corp. Chr., pereunte octava festi translati, si post octo dies a die ejusdem festi Octava celebretur. n. 4110 ad 8 die 22. Apr. 1741.

Ad dubium: 1. Quum Clero Civitatis ac Dioecesis Veronen. a s. m. Pio Papa VII. sub die 16. Nov. 1819 concessa fuerit facultas celebrandi Officium de Solemnitate Corporis Christi singulis Octavae diebus, excepta tamen occurrentia Officii ritus dupl. I. aut II. Cl., quaeritur: an illud verbum *occurrentia* late sit intelligendum ita ut in exceptione comprehendantur Duplicia I. vel II. Cl. etiam translata, juxta Declarationem S. R. C. diei 10. Sept. 1796 in una Panormitana?

2. Quum juxta Decretum S. R. C. diei 12. Martii 1836 in una Dubiorum ad 2. de diebus Octavis semper recitari debeat Officium etiam intra Octavas privilegiatas, etsi in concessionibus non fuerit facta de iisdem diebus octavis specialis exceptio, quaeritur: an in Dioecesi Veronensi Officium ritus dupl. I. vel II. Cl. gaudens Octava, quoties in die propria praepeditur alio Festo majoris ritus vel dignitatis, neque reponi possit in diebus praecedentibus Solemnitatem Corporis Christi, recitari valeat in prima die infra Octavam SSmi Corp. Christi vel saltem in die, in qua alias ageretur de die Octava praedicti Festi?

Emi et Rmi P. . . . rescribendum censuerunt:

Ad 1.: „Affirmative."
Ad 2.: „Recitandum ex praecedenti die infra Octavam."

Atque ita rescripserunt propositaque Dubia declaraverunt. n. 5196 die 17. Sept. 1853.

Placuit S. S. mandare, ut declararetur festivit. s. Joann. Baptistae et SS. Ap. Petri et Pauli *in omni ditione Regis catholici non esse transferendas*, quoties incidant in octavam SS. Corp. Chr. et decr. S. R. C. sive resolutionem 1. dubii in Santander. emissam 26. Jan. 1793 locum amplius non habere.

Romae 16. Decb. 1796 Hispaniarum et 14. Maii 1803 in Hispalen.

Ad dubium: Quotquot in lucem prodierunt post Urbanum VIII. Missalis Romani editiones, recentionibus tantummodo exceptis, rubricam Missae de solemnitate Corporis Christi his verbis concipiunt: *Infra octavam dicitur haec eadem Missa et non fit de aliquo Sancto, nisi fuerit duplex occurrens, non autem translatum.* Rubricae huic perfecte concordat parallela Breviarii Romani rubrica ante officium Corporis Christi, quae ita se habet: *Infra octavam non fit de festo, nisi fuerit duplex ... nec fit de duplici translato.* Verum quum in recentioribus editionibus primae rubricae addita privato arbitrio haec verba fuerint: *Nisi sit primae vel secundae classis,* factum hinc est, ut, quae intra utramque rubricam aderat olim perfectissima consonantia, ob recens istiusmodi additamentum omnino cessaverit. Ceterum quum denegari non possit, verba: *Nisi sit primae vel secundae classis,* cohaerere declarationi in nonnullis particularibus decretis a Sacra Rituum Congregatione factae, praesertim in Ulyxbonen. diei 30. Maii 1699 ad 2, hinc quaeritur: an a praedicta Missalis rubrica expungenda sint verba recentius addita: *Nisi sint primae vel secundae classis?*

S. C. R. resp.: Negative, eademque verba addantur in novis Breviarii Romani editionibus.

Die 25. Sept. 1860.

d) Privilegiata.

Vd.: *Octava* (cessat. decr. n. 5106); *Dedicatio Eccles.* (transl.; decr. n. 5180); *SS. Trinitas* (fest. privil.).

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nuper Nobis fecit dil. fil. Michael Maria Procur. gener. Ord. FFr. B. V. M. de Mercede Redempt. Captivor. Excalceat. nuncupat., quod per Constitut. praefati Ord. confirmatas praescriptum reperitur, ut fest. SS. Corp. et per septem dies immediate seq. in omnibus conventibus ejusd. Ord. praevia SS. Sacramenti expositione ac Matutino cantato celebretur. Dictus vero Procurator gener. Octavam festi hujusmodi privileg. in posterum per Ordinem praefatum celebrandam per Nos sibi concedi plurimum desiderat. Nos igitur ejusdem precibus annuere volentes temporibus futuris in dicto universo Ordine Octava SS. Corp. Chr. in posterum sit privileg., ita ut per octavam Off. et Missa de eadem Octava celebretur exceptis festis I. cl. et servata semper rubrica de translatione festorum tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstantibus Quibuscunque.

Romae die 14. Maii 1763.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 349. Ed. Rom. 1837.)

Calendarista Ord. Militaris Equitum Chr. in regno Lusitaniae dubitat:

1. num ex vi Indulti apost. de 9. Junii 1790 Octava Corpor. Chr. censenda sit privilegiata in primo vel secundo gradu?

2. Utrum in hac suppositione aliae octavae jam inchoatae ante hoc festum abrumpendae sint, adveniente hoc festo Corp. Chr. an potius continuandae?

3. an infra hanc ipsam octavam Corp. Chr., quae in casu admittit festa solemniora 1. cl., fieri queat illarum octavarum commemoratio, quae occurrunt post dictum festum? S. C. resp.:

ad 1. Octavam SS. Corp. Chr. privilegiatam ex apost. Indulto in Lusitaniae Regnis aequiparandam octavae Epiphaniae.

ad 2. et 3. Detur decr. de 22. Apr. 1741 ad 8.: Si octava inchoata sit ante festum Corp. Chr., eo adveniente, Octava est deserenda. Quodsi infra Octavam occurrat festum sub ritu dupl. 1. cl., de eo celebretur Officium cum commem. Octavae Corp. Chr., infra cujus octavam fiet de ipsa octava Corp. Chr. cum commem. octavae occurrentis. Si vero infra octavam Corp. Chr. occurrat festum 2. cl., nihil de eo fiat, sed transfertur post octavam Corp. Chr., pereunte octava festi translati, si post octo dies a die ejusdem festi octava celebretur. n. 4530 ad 1—3 die 22. Mart. 1817.

Asculana.

Ad augenda in Dioecesi Asculana devotionis obsequia erga Augustissimum Eucharist. Sacramentum et SSmam V. Deiparam humillimas SSmo D. N. Pio VII. P. M. preces porrexit Rmus Episcopus et Clerus ejusdem Civitatis ac Dioecesis pro facultate agendi privilegiatam Octavam SSmi Corporis Chr. et Assumptionis B. M. V.: S. S., referente infrascripto S. R. C. Assesore: „Benigne annuit, exceptis tamen duplicibus I. aut II. cl. tam occurrentibus quam translatis et quoad Octavam Assumptionis B. M. V., excepta die Octava Festi S. Laurentii Martyris et Festo S. Joachim Patris ejusdem B. V.“ n. 4576 die 29. Aug. 1820.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Quamvis hoc Decretum peculiare exhibeat indultum pro una Dioecesi Asculana, haberi nihilominus potest tamquam generale, quia et declarat mentem concedentis et dat regulam in similibus servandam. Octava SSmi Corp. Chr. admittit dumtaxat duplicia occurrentia et etiam translata, quae ritu gaudeant I. vel II. cl.; verum, ut petentium pietati ac devotioni erga SSmum Euchar. Sacramen. satisfiat, a S. C. quandoque ampliatur indultum, ut per integrum octiduum fieri possit de diebus infra Octavam, etsi occurrat Festum duplex; clausula apponi solet: *dummodo non sit dupl. 1. aut 2. cl.* Idem privilegium, peculiaribus intercedentibus circumstantiis, extenditur quandoque ad Octavas unius vel alterius ex solemnioribus festivitatibus praesertim B. M. V., ut in casu, de quo praesens Decretum. At ex clausula illa: *dummodo non sit 1. vel 2. cl.*, oriri poterat dubitatio: num in occursu diei Octavae Patroni, Titularis, Dedicationis Ecclesiae vel cujuscumque alterius Festi, quod eadem gaudeat, infra Octavam praefato modo privilegiatum debeat de illa fieri Officium an simplex commemoratio. Dubitandi ratio in eo stat, quod Octava privilegiata solum admittat Officia 1. vel 2. cl., alia rejicit tam occurrentia quam translata: ideo dies Octava, quae ritum dupl. min. non excedit, cedere debere videtur diei infra Octavam. Id autem est, quod per praesens Decretum declaratur. Etenim cum dies octava, quia transferri nequit, praestet alia Festa, si quae occurrant rit. quoque dupl. maj., igitur ne pereat, aequum est, ut de eadem fiat Officium in diebus infra Octavam privilegiatam; praesertim quia, cum

dies Octava, licet gaudeat ritu dupl. min., rejicit tamen Festum occurrens dupl. maj., induit lato modo in hujusmodi occurrentia qualitatem dupl. 2. cl., vel saltem huic aequiparatur.

e) Translatio in ea.

Cf.: *Lectio nona. Octava SS. Trinitat. Octava* (terminat. decr. n. 4448); *Transl.* (infra aliquam oct., decr. de die 15. Maii 1745.)

Occurrentibus eodem die infra octavam ss. Corporis Chr. duobus duplicibus non potest de altero fieri Officium die immediate sequenti infra eandem octavam non impedito alio duplici, sed transferatur post octavam. n. 2928 ad 2 die 7. Sept. 1680.

In diebus infra octavam Corp. Chr. potest Officium recitari de dupl. 1. et 2. cl. translato. n. 3521 ad 2 die 30. Maii 1699.

In *die octava* Corp. Chr. non potest recitari de dupl. 2. cl. n. 3521 ad 3 die 30. Maii 1699.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XII. n. 12. etc.

f) Vesperae in die octava.

Vd.: *Festum ss. Cord. Jesu* (commem. SSmi et vesp.)

Si in fer. VI. post octavam Corp. Chr. in Hispania privilegiata ex Indulto occurrit festum 1. vel 2. cl., alii vesperas tribuunt octavae cum commemoratione seq., alii sequenti assignant cum comm. octavae? Quid faciendum? S. C. resp.: In casu proposito vesperas faciendas esse integras de sequenti cum comm. octavae. n. 4478 ad 6 die 19. Sept. 1801.

5) Defunctorum.

Vd.: *Commemor. Omn. fid. Def.; Instr. Clem.* §. XVII. 15.

6) Institutio et Origo.

Vd.: *SS. Trinitas* (fest. privileg.; *nota.*).

7) Moderatio.

Vd.: *Calendar. Dioecesan.* (jus reform.)

In Hispania ex concessione celebrantur Sanctorum Festa cum Octavis, ut S. Ildephonsi et aliorum, sed cum, ratione multitudinis aliorum Officiorum, quae tam ad universam Ecclesiam quam ad praefata Regna extenduntur, jam dies liberi deficiant et ideo opus sit talia Festa singulis annis penitus supprimere vel ad Leges festorum simpl. ea redigere, quaeritur: Num moderari possint Octavae minus principales arbitrio Ordinarii, ut opportune provideatur omnium Officiorum recitationi, sicut fecit Ordo Minorum et nuperrime Episcopus Santanderien., accedente auctoritate S. R. C. Si negative respondeatur, facultas exoratur pro dictarum Octavarum moderatione.

Et S. eadem C. respondit: „Negative ad primam partem; pro gratia ad secundam."

Et ita decrevit. n. 4495 ad 2 die 1. Septb. 1804.

8) SS. Petri et Pauli Apost.

Occurrente festo s. Romuli protectoris Civitatis in octava ss. apostolor. Petri et Pauli die dominico dè octava etiam non occurrente in Dominica fieri debet commemoratio tantum. n. 1810 die 3. Jan. 1657.

Vd.: *SS. Petrus et Paulus.*

9) Privilegiata.

Vd.: *Octava Corp. Chr.* (privileg. decr. n. 4530; 4110; n. 4576 *nota*); *Off. def.* (Dies; decr. 8. Juli 1741); *Transl.* (in aliquam octav.); *Transl. festi 1. et 2. cl. in oct. privil.; SS. Trinitas* (festum privil.; *nota.*).

Ad dubium: Quum in concessionibus Octavarum privilegiatarum interdum non exprimatur, an intra ipsas locum habeant dies octavae aliorum Festorum, quaeritur: an standum sit

particularibus concessionibus, vel potius an sequenda lex, quod de diebus Octavis semper recitari debeat Officium etiam intra Octavas privilegiatas?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam."

Atque ita rescripsit die 12. Martii 1836. n. 4772 ad 2.

10) Non Privilegiata.

Vd.: *Translatio; Semidupl.*

Festum duplex occurrens ante octavam non privilegiatam, si est transferendum, debet transferri in diem infra octavam. n. 2903 ad 2 die 30. Septb. 1679.

Festum semidupl., incidens in festo duplici infra octavam non privilegiatam, non est transferendum post octavam sed de eo faciendum est Officium die immediate sequenti festo duplici vel semidupl. non impedito. n. 2903 ad 5 die 30. Septb. 1679.

Vd.: *Transl. festi a sede sua perpetuo amoti.*

11) Ritus.

Octava non elevat. ritum. n. 4198 ad 4 die 11. Jan. 1749.

12) Terminatio.

Vd.: *Preces* (non dicendae decr. n. 4044); *Octava Corp. Chr.* (Officia infra etc.); *Octava* (cessatio).

Ad dubium : an octavae inchoatae ante festum Corp. Chr., eo adveniente, penitus terminari debeant in Hispania, ubi Octava Corp. Chr. sit privilegiata ad instar Octavarum Resurr. et Pentecost., sicuti cessant, cum supervenerit festum Pentecostes et a die 17. Decb. usque ad Epiphaniam? S. C. resp.: *Negative.* n. 4448 ad 6 die 26. Jan. 1793.

13) Translatio in ea.

Vd.: *Festa extra octav. suas cadentia; Patronus* (translatio); *Patronus princip.* (transl. decr. n. 4553 ad 4.)

Emi et Rmi Domini! Supplicatum fuit in S. R. C. pro resolutione infrascriptorum: Pluribus abhinc annis emanavit dubium, quod usque adhuc perdurat: An de officiis duplicibus occurrentibus ante Octavas communes seu ordinarias vel alio majori festo sua die impeditis ideoque transferendis, debeat fieri translatio et recitatio infra Octavam, vel Octavas sequentes (si forte sint plures unitae), vel potius post Octavas, cum Rubrica sit obscura; et in casu: in anno 1681 occurrit Dominica secunda Adventus 7. Decembris: Utrum S. Ambrosius duplex, debeat transferri infra Octavam Conceptionis 9. Decembris vel post eam die 16. ejusdem mensis?

Pro prima Sententia stant verba Rubricae de Octavis, n. 3., nempe: „Infra Octavam fit de festo duplici, semiduplici occurrentibus ac etiam translatis." Ergo de translatis ante Octavam, cum loquatur generice et absolute, non coarctando ad aliquem determinatum diem, sicut facit de semiduplici in Rubrica de Translatis n. 5. ad proxime sequentem, clare explicatur de semiduplicibus occurrentibus ante Octavas, et transferendis, quod transferantur post Octavam et Octavas, si plures occurrant et praecipit Rubrica particularis de S. Leone Papa semiduplici occurrente in Dominica, quod transportetur post Octavam Apostolorum: ergo non includendo in hac regula duplicia, signum est, quod debeant transferri infra Octavam.

Deinde videtur esse solum privilegium Octavae Corporis Christi, quae non admittit duplicia translata, excepta Nativitate S. Joannis Baptistae.

Debet dari differentia inter duplicia et semiduplicia. Haec namque transferuntur solum in proximo sequentem

diem et duplicia debent magis late patere intrando in Octavas.

Nihil refert, quod dies infra Octavam etiam omnes impediantur festis duplicibus translatis, cum Octava non sit festum, sed continuatio festi, ideo sufficit, quod gaudeat sola commemoratione, cum Festum sit celebratum propria die, deinde fiat dies octavus ritu duplici, ergo etc.

Pro opposita sententia urgent verba Rubricae de translat. n. 3.

„Si aliquod Festum duplex infra Octavam alio majori Festo duplici impediatur, transfertur in primam diem non impeditam et in eo fit commemoratio de Octava.“ Ergo non duplex extra Octavam, sed veniens ante Octavam, cum loquatur signanter infra Octavam. Cum non occurrat casus particularis de duplici occurrente ante Octavam transferendo in Ecclesia universali, nisi his ultimis temporibus, quibus celebratur Conceptio B. M. V. cum Octava, sicut occurrit de semiduplici, nempe de S. Leone, pro quo exstat peculiaris Rubrica suo loco, ideo non fuit posita similis Rubrica Sanctis Nicolao et Ambrosio Episcopis duplicibus, quando occurrunt in Dominica, nec videtur ponenda, cum sufficiat supracitata, quae videtur excludere nostrum casum, cum semper sit sermo de duplicibus occurrentibus infra Octavam.

Octava Corporis Christi est tali privilegio decorata, ut nulla admittat translata etiam a die praecedenti, quod non evenit in aliis Octavis, ut patebit in sequenti ratione.

Aeque bene patet differentia inter duplicia et semiduplicia, haec namque sunt limitata ad proxime sequentem diem, alioquin post Octavam: duplicia vero possunt celebrari quacumque die, ut, si occurrant secunda die et impediantur, celebrentur tertia et sic usque ad septimum inclusive, non vero debent in Octavas intrare, quae extra illas occurrunt.

Valde refert, quod dies infra Octavam impediantur, quia cum sola commemoratione (quando licet facere) non potest vere aut convenienter dici continuatio Festi, cum sit interrupta ab aliis Officiis nullum jus vicinitatis aut alterius causae habentibus, cum ante eam occurrant, quod non evenit in festis infra eam occurrentibus, eo quia non ponitur officium pro hujusmodi diebus, omissis saltem lectionibus secundi et tertii Nocturni, utpote diebus 10. et 13. de SS. Damaso et Luciae dicatis in casu citato.

Insuper in alias sententias sequitur difficultas simul et inconveniens ea vice, quando transferenda duplicia infra Octavam in feriam secundam, in qua est semiduplex translatum a Dominica praecedenti, quod habet jus vicinitatis in ea feria secunda, ignoratur quid in tali feria secunda sit celebrandum: an de duplici translato ante Octavam, an de semiduplici translato a Dominica antecedenti? Quomodocumque fiat, sequitur absurdum, v. g.: Ubi fit Octava Purificationis et S. Franciscus Salesius est duplex, hoc anno 1679 occurrit ejus festum in Dominica Septuagesimae, dies 30., 31. Januarii, 1. et 2. Februarii sunt impediti, ibidem etiam 3. a S. Blasio semiduplici; 4. die fit de S. Andrea Corsino semiduplici ad libitum: dies 5. S. Agathae semiduplex cadit Dominica Sexagesimae: Oritur dubium: an recitandum die 6. Feria secunda de S. Francisco Salesio duplici translato ante Octavam, vel de s. Agatha semiduplici translata a die praecedenti? Si de primo, nempe duplici, tollitur suum jus vicinitatis semiduplici infra Octavam, quod post ipsam habet, transportari: Si de secundo, id est semiduplici, anteponitur minus dignum digniori contra Rubricam de Trans-

latione n. 7. et in hac nostra sententia evitantur hujusmodi sirtes.

Ad declinandam continuam divisionem, seu potius confusionem et ad sciendum, quid in posterum observandum, opportunum valde erit, imo pro speciali gratia habebitur quidquid in hac difficultate rescribere dignabuntur, sicut de ea resolvenda humillime supplicantur Dominationes Vestrae Emae et Rmae. Quas Deus etc.

Et eadem S. R. C. respondit: „Duplicia translata habent locum in qualibet die infra Octavas non privilegiatas, non impedita Officio Dominicae vel festivitatis novem lectionum; semiduplicia vero translata in die tamen proxime sequenti similiter Officio Dominicae, vel festi novem lectionum non impedito, quo casu transferri debent post Octavas, sicut praescribitur a Rubricis. Et considerationes adductae contrarium non concludunt."

N. 2917 die 24. Februarii 1680.

14) SS. Trinitatis.

Diebus 6. et 7. infra octavam Titul. SS. Trinitatis faciendum Officium de die 2. et 3. infra octavam Corp. Chr. cum commemor. SS. Trinitatis. n. 3809 ad 3 die 8. Junii 1709.

Vd.: *SS. Trinitas.*

De Octava

Vd.: *Patronus; Titularis; Dedicatio Ecclesiae; Festa; Epiphania; Vesp. de B. V. M.; Anniversarium; Commem. octavae; de dignitate oct.* cf.: *Festum* (dignitas, decr. n. 4491); *Dies octava; Festum Omn. SS.; S. Lucia.*

OFFERIMUS etc.

Diaconus simul cum Episcopo celebranti dicit: *Offerimus tibi Dom. calicem etc. Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 63.

OECONOMUS.

Oeconomus nullum habet jus in spiritualibus neque in Ecclesia; et ideo Dignitates et Canonici praecedere debent Oeconomum, cui tamen locus honorificus debetur. n. 94 (24. Octb. 1597) 3. Julii 1596.

OFFICIALES.

(Incens.)

Officiales illi, qui repraesentant totius Congregationis corpus, thurificentur unico ductu. n. 3131 die 19. Apr. 1687.

OFFICIATOR.

(Praecedent.)

Vd.: *Processio* (Officiator); *Canonicus* (Officiat. parat.); *Beneficiati.; Purif.; Dignitas.*

Quando Officium facturus paratus est sacris paramentis, debet omnes et etiam Decanum praecedere; in reliquis vero et quando non est paratus, servandam esse consuetudinem Ecclesiae. n. 417 die 24. Oct. 1609.

Sacerdotes, qui sunt affictuarii seu substituti tam in processionibus quam sessionibus et in celebratione divinorum Officiorum, praecedere debere supra Clericos Beneficiatos ex beneficio simplici. n. 2717 die 17. Novb. 1674.

OFFICIUM.

1) Anticipatio.

Vd.: *Off.* (Recitationis temp. — decr. Pii VII.); *Moniales* (Brev.; decr. Pii VII. 21. Nov. 1800.).

2) Approbatio.

Vd.: *Missale* (approbatio); *Libri eccles.* (approb.); *Off. rom.*

3) Non approbatum.

Vd.: *Breviar. Bened.*

Non sunt admittenda neque recitanda alia Officia quam approbata a Sede apost., alia omnia sunt rejicienda. n. 2345 ad 16 die 31. (Julii) 1665.

Officia non approbata damnantur. S. R. C. 8. Apr. 1628.

Cum in dies nonnulla Sanctorum Officia sub praetextu, quod a S. R. C. concessa fuerint cum Lectionibus et Orationibus propriis et aliquando etiam cum Hymnis, Responsoriis et Antiphonis et passim sub majori forsan ritu per universalem Ecclesiam aut loca particularia recitanda, impressa conspiciantur, quamvis S. C. aut ea non concesserit aut in aliquibus tantum peculiaribus locis, non autem in universa Ecclesia ea recitari posse indulserit,

Eadem S. C. hujusmodi attentatis provida solicitudine consulere volens mandavit: „Ut dictae Officiorum concessiones, Lectiones, Orationes, Antiphonae et Responsoria respective, aliaque hujusmodi imposterum a Typographo Camerali dumtaxat imprimantur. Inhibendo omnibus Impressoribus seu Typographis tam in Urbe quam extra ubivis locorum dicta Officia imprimi sub quovis praetextu, causa et quaesito colore, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus haereticae pravitatis, si inibi fuerint, sin minus, a Locorum Ordinariis, qui quidem facultatem hujusmodi non prius concedant, quam Originale sumptum S. ejusdem Congreg. vel exemplar Typographi Cameralis authenticum manu Secretarii ipsius S. Congregationis firmatum et Sigillo obsignatum ipso exhibeatur. Quod exemplar in nihilo prorsus immutatum, nihilque ei additum sive detractum in eo imprimi debeat. Et si quae ausu temerario contra praesentis Decreti tenorem extra Urbem impressa fuerint, ultra poenas ab eadem S. C. infligendas, omni prorsus fide carere voluit et declaravit. Mandans propterea omnibus et singulis praedictis haereticae pravitatis Inquisitoribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis, ut in sua quisque Dioecesi vel Provincia sedulo pervigilent, ne quidquam contra superius disposita fiat vel attentetur."

Utque praesens Decretum ac omnia et singula in eo contenta ad omnium etiam, quorum specialiter interest aut interesse poterit, notitiam ac certam scientiam deducantur et ne aliquis de illius ignorantia excipere possit, voluit pariter ac jussit, illud imprimi ac typis mandari et pro omnimodo illus implemento, ut praefati Locorum Ordinarii, in locis consuetis, sub poenis, censuris, contra transgressores infligendis, publicari curent. Die 11. Augusti 1691.

Et facta de praedictis SSmo Domino Nostro Innocentio Papae XII. per Secretarium relatione Sanctitas Sua praemissum Decretum approbavit ac debitae executioni demandari praecepit. Die 19. Octobris 1691 n. 3245.

Non debere Ordinarium permittere, quod fiant Officia non approbata. n. 1734 ad 3 die 19. Sept. 1654.

4) Canonicor. in duab. Cathedral. residentium.

Vd.: *Canonici* (Officium.).

5) Cathedrali concessum.

Indultum particulare recitandi Officium alicujus Sancti Cathedrali Limanae concessum non extendi ad Clerum civitatis. n. 2413 ad 2 die 2. Apr. 1667.

In Cathedr. Segobien. nonnulla recitantur Officia SS. etiam cum octavis. S. C. declaravit: Clericos civitatis et Dioecesis Segobien, nulla gaudentes praebenda in Ecclesia Cathedr. seu peculiari illius chori servitio non addictos, non posse se conformare cum Cathedr. in recitatione Officii seu Officiorum Cathedralis. n 3177 die 4 Dec. 1688.

Sacerdotes Dioecesis Calaritanae, licet nulla praebenda potiantur in Cathedr. Ecclesia, attamen eidem subditi, ex

quo in s. ordinibus constituti reperiantur, vel aliquo potiantur beneficio in Ecclesiis eidem Cathedrali subjectis non habent facultatem, quod in Officiorum recitatione possent se conformare cum eadem Cathedrali. n. 3227 die 13. Julii 1658.

Clerici, qui non sunt choro addicti, sed tamen in aliquo ministerio deserviunt tali Cathedrali, ubi est reliquia insignis, possunt celebrare et recitare de tali reliquia. n. 2844 ad 2 die 20. Nov. 1677.

6) De ss. Cruce.

Cathedralis Collen. recitat ex ind. ap. Officium s. crucis qualibet fer. VI. cujuslibet hebdomadae, non impedita festo 9 II. in locum Officii feriae. Quaeritur: an hoc Officium cedere debet locum Officio dupl. vel. semid. translato? S. C. resp.: *Negative.* n. 3056 die 17. Junii 1684.

Declarationis dubii super continuatione recitationis Officii ss. Crucis singulis feriis VI. non impeditis tempore etiam Adventus, Quadrag., quatuor temp. et Vigiliis, non obstante decreto generali de 20. Mart. 1706 etc. S. C. resp.: „Se conforment decreto de anno 1706". n. 4291 die 17. Maii 1760.

7) Dedicationis Ecclesiae.

Vd.: *Dedicatio Eccles.*

8) Defunctorum.

a) Antiphonae.

Ad dubium Confraternit. Clericor. Sacerdot. Ulixbonen: an Officia pro animabus confratrum extra diem obitus seu deposit., 3., 7. et 30. cum castro doloris et concursu sacerdotum officiata habere debeant ritum dupl. vel sem. cum psalmo et tribus orationibus? S. C. resp.: Serventur rubricae ritual. rom. et duplicatio Antiphonarum praeter diem commemorationis Omn. fid. def. et diem deposit. defuncti fiat in diebus tertio, 7. et 30mo et Anniversario tantum. n. 4072 ad 3 die 8. Mart. 1738.

b) In Die obitus

(quoties cantandum?).

Vd.: *Missa de Req. in die obitus* (Unica esse debet.).

c) Dies.

Vd.: *Sepultura; Officium defunctorum* (obligatio); *Lumina* (In exequiis); *Missa de Requ. sol. in die obitus* (Praes. cadav. dies imped.; decr. de die 23. Maii 1846.).

Fratres Coelestini, ex fundatione obligati *quolibet die Dominico* Officium Def. recitare, non obstante, quod sequatur festum semiduplex vel Octava, petunt, utrum possint; S. R. C. resp.: Dummodo ordinarium Dominicae Officium celebretur, nulla ratio obstat, quod mortuorum Officium etiam *in choro* ab oratoribus dicatur; et maxime aequum sit, ut piorum voluntates debitis hujusmodi obsequiis non fraudentur. n. 112 die 9. Mart. 1597.

Domi antequam cadaver efferatur possunt haeredes super eo Officia recitare facere, cuicumque libuerit. S. C. Ep. 19. Maii 1579.

Dubium erat: an in die prima Novbr. Officium Def. recitari debeat, non obstante, quod sit impedita festo Omn. SS. S. R. C. resp.: Cum clarum sit id, quod universaliter servatur ab Ecclesia, sufficere nempe ut non prima sed secunda Novbr. celebretur Officium et Commemoratio Omn. fid. def. n. 197 ad 3 die 23. Maji 1603.

Quamquam ultima dies mensis sit dominica vel festiva, tamen *Vesperas* defunct post Vesperas dominicae vel festivitatis ultima die mensis recitandas esse et non tantum Matut. et Laudes

sine Vesperis. n. ut supra ad 4.; n. 2364 ad 8 die 13. Febr. 1666.

Posse in die *dominico vel festivo celebrari Officium et missam defunctorum* pro defuncto, cujus corpus adhuc insepultum super terram retinetur; secus, si jam sepultum sit, quo casu in die sequenti vel alio non impedito eadem solemnitate celebrari poterit. Idemque resp. de tertio, sept. et triges. die, ut scilicet transferatur et celebretur cum eadem solemnitate prout cavetur in Rubricis Missalis et Breviarii. n. ut supra ad 5. (Vd.: Annivers. [dies] decr. n. 3925.)

Ad effectum consequendi Indulgentiam centum dierum de injuncta poenitentia Offic. Def. esse recitandum prima die cujuslibet mensis non impedita Officio novem lectionum, ut ex verbis constitutionis fel. rec. Pii V. in principio Breviarii impressae in §. *ut Fidelium voluntates* clare eligitur. n. 218 die 6. Sept. 1603.

Ad dubium: an liceret in festo semiduplici recitare officium Defunctorum? S. R. C. resp.: Officium Def. non posse dici nisi ad effectum dumtaxat satisfaciendi menti Testatorum. n. 749 die 12. Julii 1628.

In *fer. II. post dominicam Passionis* non teneri nec ad Missam de def., nec ad *orationem* fidelium. n. 1462 ad 4 die 11. Julii 1643.

Non licere dicere et recitare Responsorium pro defunctis in diebus, in quibus juxta rubricas prohibitum est facere commemor. mortuorum. n. 2433 ad 2 die 21. Apr. 1668.

Non licere dicere et recitare Responsorium pro Defunctis finita Missa de Sancto et in diebus, in quibus juxta rubricas est prohibitum facere commemorat. mortuorum ... et absolutionem differendam ad diem non impeditam simili festo, in qua secundum rubricas potest fieri commemor. de defunctis. n. 3188 ad 2 die 18. Jun. 1689.

Ad dubium: an in fer. VI. Parasceve, expleta hujus diei officiatura, sol. exequiae supra cadaver cujusdam Monialis expositum in Ecclesia interiori libere celebrari possint a sacerdotibus in Ecclesia exteriori, ut moris est, decantantibus mortuale Officium cum intortitiis accensis? S. C. resp.: Negative per totum triduum et Officium et preces recitentur *privatim.* n. 4050 die 11. Aug. 1736.

Ad dubium: an iis in locis, ubi saepe non adsunt dies non impeditae juxta rubricas, recitari nihilominus licite possit Officium def. recurrente Officio 9 ll.? S. C. resp.: Non posse. n. 4327 die 11. Maii 1765.

Ad dubium: An (excepto die tertio, 7., 30. et anniversario) in dupl. maj. liceat canere Officium def. et facere absolutionem ad tumulum et an liceat (excepto die obitus) in octavis privilegiatis? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, si agatur de Officio per testamentariam dispositionem in die obitus assignato; ac recitari posse Officium etiam in die 3., 7. et 30. plene absoluto Officio diei. Negative quoad secundam partem. n. 4645 ad 7 die 17. Decb. 1828.

Ad dub.: An in diebus dupl. min. ac maj. liceat cantari Vigilia defunctorum ac etiam totum Officium non quidem ex fundatione, sed ex sola piaque voluntate petentium, quin cantetur immediate post Missa, vel si postulata cantetur, dicatur de Festo vel de die occurrente?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Tolerari posse."

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 15. die 23. Maji 1846.

In duplicibus, in quibus non permittuntur Missae privatae de Requie,

licitumne erit canere Nocturnum pro Defunctis et postea Missam de die celebrare?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„In casu posse."

Atque ita rescripsit propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 6 die 7. Sept. 1850.

Ubi ex dispositione testatorum singulis diebus canendum est in Ecclesia Resp. pro def., potest quotidie decantari, exceptis festis 1. et 2. cl. et octavis privil. nec non tota hebd. majori; in praedictis autem festis 1. et 2. cl. et oct. privil. ac maj. hebdomada, ne pia testatorum voluntas defraudetur, resp. recitetur *privatim* in choro absolutis hh. canonicis. S. R. C. 8. Julii 1741.

d) In Expos. SSmi 40 hh.

Vd.: *Tumulus coram exp. SSmo* (decr. n. 4392.).

In expositione *40 hh.* in *die Commemorat. Omn. fidel. def.* licet recitare Officium def. n. 4477 ad 1 die 16. Sept. 1801.

e) Locus cantandi.

Religiosi s. Francisci Vianae non possunt in domo defuncti canere Officia def., Resp., Preces aliasque Orationes sine consensu Parochi. n. 2273 ad 7 die 24. Maii 1664.

f) Mutatio.

Ad dubium: an in Officio def. dici debeat ante Lectionem: *Parce mihi etc.: a porta ... animas eorum,* cum pro uno tantum dicitur? S. C. resp.: Nihil immutandum. n. 4526 ad 41 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium PP. Minorum in Angelorum Provincia: an Versiculi Nocturnorum dici possint in singulari, quando pro uno fit Officium defunctorum? S. C. resp.: Dum Officium fit pro uno defuncto, servandam esse rubricam, quae habetur ad calcem Officii defunctor. in dicto Breviario trium Ordinum. n. 4549 ad III die 25. Aug. 1818.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Haec Dubii pars nihil habet ambigium, quod interpretatione indigeat aut declaratione. Rubrica praefati Breviarii trium Ordinum ad Vesperas Officii mortuorum notat, quid sit immutandum, dum pro uno tantum peraguntur Suffragia: En Rubrica: *cum Officium ejusque pars pro uno dicitur, hi solum duo v. (scilicet:* Requiem aeternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.) *post Orationem cum suis Responsionibus dicuntur in singulari numero, ut et statim ante Orationem* ℟. Erue Domine Animam ejus *et sequens* ℣. Requiescat in pace. *Reliqua omnia in Vesp., Matutin. et Laudibus dicuntur, ut jacent, sive pro uno sive pro pluribus recitentur:* Quid clarius?

g) Nocturnum.

Vd.: *Invitator. in Off. Def.; Anniversarium* (quod est? decr. n. 5212); *Nocturnum.*

Non licet in tumulandis cadaveribus et Anniversariis celebrandis recitare ad libitum unum ex tribus nocturnis defunctorum in qualibet feria. n. 1382 die 10. Maii 1642.

Canonicos non esse cogendos ab Episcopo ut praeter eorum solitum et consuetum cantent tres Noct. pro quolibet Defuncto, qui ad eorum Ecclesiam ad sepeliendum deducitur, sed satis esse, si unum Noct. decantent, prout hactenus consueverunt. n. 153 die 8. Julii 1602.

h) Obligatio.

Quando loco missae de Req. cantanda est missa de festo dupl., posse nihilominus cantari Nocturnum seu Off. Def. ad effectum dumtaxat satisfaciendi menti testatorum; melius tamen esset in Collegiatis cantari sub vesperum completo Officio diei. n. 2995 ad 2 die 22. Aug. 1682.

Vd.: *Exposit. SSmi 40 hh.* (transl. decr. n. 4233); *Off. parv. B. V. M.* (oblig. decr. n. 4631); *Anniversarium* (quod est; decr. n. 5212); *Off. def.* (Dies).

Habito recursu ad S. R. C. per Ecclesiasticos S. Prosperi Regien. Civitatis super resolutione Dubii, nempe: Attenta dispositione Ludovici Maioli instituentis haeredem Communem magnam S. Prosperi dictae Civitatis cum onere celebrandi quotidie Officium defunctorum in dicta Ecclesia pro animabus ipsius Testatoris ejusque Antecessorum, utrum ab iisdem Ecclesiasticis recitari debeat praedictum Officium defunctorum ante vel post horas canonicas cunctis diebus, vel in casu, quo recitari non possit ob aliquod impedimentum in dicta die, transferri possit ad aliam non impeditam, cum onere injuncto Sacerdotibus dictae Communis pro die impedito faciendi commemorationem in eorum Missis pro animabus ipsius Testatoris et Antecessorum, et quomodo et pro quibus diebus facienda sit dicta translatio?

Eadem S. R. C. ad relationem Emi D. Card. de Lauraea Ponentis censuit: „Praedictos Ecclesiasticos teneri recitare dictum Officium omnibus diebus, excepto tamen triduo majoris Hebdomadae et festis primae et secundae classis. In his autem teneri facere commemorationem in Memento mortuorum.“

Et ita decrevit. n. 3180 die 22. Jan. 1689.

Ad dubium: An Canonici in Choro debeant recitare Vesperas defunct. pro prima die mensis etc., cum sit pars Officii illius diei, quando in die sequenti non recitant Officium def., quia non sunt obligati Choro ex fundatione?

S. C. resp.: Vesperas def. non esse omittendas. n. 3701 ad 7 die 23. Aug. et 13. Sept. 1704.

Emi et Rmi Signori. Li Canonici e Capitolo Portugallen. riverente espone all' EE. VV. qualmente da tempo immemorabile si osserva in quella Cattedrale dire nei giorni feriali e di Santo semplice, o semidoppio, post Laudes dell' Officio corrente, un Notturno e le Laudi de' defonti, con far anche celebrare una Messa di requie dopo le Laudi da un mezzo Canonico, che vi è nella Cattedrale instituito a cantare la detta Messa, e ciò si osserva anche nelle ferie maggiori, come quarta Cinerum, et majoris hebdomadae usque ad 4. feriam dictae majoris hebd. inclusive, ed ancora nelli giorni infra octavas, nelli quali e vietato di recitare de simplici vel semiduplici come dell' Epifania, Corporis Christi etc. La causa, che il Capitulo ha avuto di officiare nel modo suddetto, è per essere stati lasciati a quella Cattedrale anticamente certi Legati con il peso della recita, e celebrazione suddetta; e venire detto, che l'entrata, alla quale chiamano il grosso, e sia principale delle rendite, fù lasciata a quella mensa con il tal' obligo. Ma essendo che il Rito della Chiesa, ed alcuni Decreti di codesta Sacra Congregazione de' Riti nelli giorni sopranominati ordina di non dire la Messa di requie, e non recitare l' Officio de' defonti: pertanto il detto Capitolo Oratore espone EE. VV. tutto il sopradetto, desiderando, che la codesta Sacra Congregazione gli venga prescritto il modo di contenersi in avvenire, acciocchè loro sappiano, comme hanno

da sodisfare alli sudetti Legati, ed obbedire al Rito della Chiesa. Che però etc.

S. eadem R. C., audita relatione Episcopi, censuit respondendum: „Servandas esse Rubricas quoad recitationem Officii defunctorum intra Officium diei currentis: aliis vero diebus, absolutis Officio et Missa currentibus, ad Fidelium defunctorum animas adjuvandas pro suscepto onere, a Capitulo et Canonicis Portugallensibus recitandum Officium defunctorum et celebrandam esse Missam privatam de die currenti, Sacrificium pro defunctis applicando." Et ita declaravit. n. 3669 die 24. Novembris 1703.

Responsorium pro defunctis, Testatore jubente, quotidie potest decantari, exceptis dupl. 1. et 2. cl. et Octavis eorumdem festorum privilegiatis nec non tota hebdomada maj. In festis autem 1. cl. et Octavis privileg. praedictaque majori hebdom., ne pia Testatoris voluntas defraudetur, recitetur *privatim* in choro a Monialibus Monasterii das Chagas nuncup. civitatis Lamacen. absolutis horis canonicis. n. 4117 die 8. Julii 1741.

Ad dubium: An caeteri Ecclesiastici et Confratres associantes cadavera teneantur introire Ecclesiam Regul. ibique solitas s. preces unacum Regul. canere et totum Officium absolvere?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, serventur Constitut. synodales. n. 4316 ad 5 die 7. Maii 1763.

De obligat. a toto Clero Eccles. Off. def. recitandi in die commem. Omn. fidel. def. vd.: *Dedicat. Eccles.* (Vigiliae; decr. n. 4742 nota ad finem).

i) Non est Obligatio.

Vd.: *Psalmi gradual.* (non oblig.; decr. n. 4119).

Pius PP. V.

Nos propter varia hujus vitae negotia multorum occupationibus indulgentes peccati quidem periculum ab ea praescriptione (Off. def. recitandi) removendum duximus, verum omnes in Domino vehementer cohortamur, ut remissionem nostram sua devotione praecurrentes illis suffragiis suae et aliorum saluti consulere studeant, *atque omnibus, qui in diebus in rubricis praefinitis Off. def. dixerint, toties centum dies de injuncta ipsis poenitentia relaxamus.*

Datum Romae die 15. Junii 1568.

Suessana.

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. De ref.)

Ad dubium: An in Cathedr. Suessana sint recitandi psalmi grad., poenit., Off. parv. B. V. M ac Defunctorum in diebus designatis a rubricis Breviarii?

S. C. C. resp.: Ad formam Bullae PP. Pii V.

Die 18. Aug. 1708 ad 2.

Triventina.

In relatione Status Ecclesiae Triventinae, quam Episcopus nuper transmisit ad hanc S. C occasione Visitationis SS. LL. id Postulatum adjecit: In Choro a Canonicis ac aliis, qui ad Divinum Officium tenentur, nunquam antea Officium Defunctorum, Psalmi Graduales ac Poenitentiales in diebus praescriptis a Rubrica Breviarii Romani recitabantur; hinc modernus Episcopus eisdem injunxit ejusmodi recitationem, quemadmodum jam coepta extitit et per aliquod temporis spatium continuata. Modo renuentibus iisdem Canonicis eam continuare, sub praetextu quod talis obligatio minime iis incumbat, supplicat propterea Episcopus, pro sui dictorumque suorum subditorum conscientiarum quiete, ut ab EE. VV. declaretur:

An in Ecclesia Cathedrali Triventina sint recitandi Psalmi Graduales,

Poenitentiales ac Officium Defunctorum in diebus praescriptis a Rubricis Breviarii?

S. C. C. resp.: Dentur decreta. Die 18. Julii 1711.

Ad dubium: I. An Canonici civitatis Acerarum ultra horas canonicas teneantur quoque in choro recitare officium defunctorum, B. Mariae Virginis et psalmos poenitentiales et graduales, sive potius sit servanda consuetudo? Et quatenus affirmative;

II. An in casu deficientiae sit exequenda poena ab Episcopo imposita?

S. C. C. resp.:

Ad I.: Servandam esse consuetudinem.

Ad II.: Negative.

Die 24. Aug. 1727.

k) Infra octav. Omn. Sanctorum.

Non licet recitari *publice* Off. def. cum tribus noct., cum funebri apparatu, castro doloris et extraord. luminum copia infra Octavam SS. Omnium sine speciali Indulto. n. 3372 die 8. Oct. 1695.

l) Omissio vetita.

Ad relationem in Collegiata Cerreti Thelesinae Dioec. in funeralibus et Anniversariis nocturni pro def. recitationem praetermitti, S. C. resp.: Ordinario scribi, qui mandet impleri decreta et in transgressores poenas irremisibiliter exequatur. n. 2199 die 23. Dec. 1662.

m) Omissio.

(Quid omittendum?)

Vd.: *Invitatorium in Officio def.; Off. def. (respons. ultim.); Nocturn.*

Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum Off. def., dici debet, non omittendo psalmos post vesperas et matutinum positos. n. 3477 ad 15 die 5. Julii 1698.

Ad dubium: An Regulares in generali sui Ordinis def. commemoratione, quam ad instar defunctorum universalis Ecclesiae celebrant, debeant omittere in resp. ps. *Lauda anima* etc. et in Laud. *De profundis* etc.?

S. C. resp.: Negative. n. 4487 ad 6 die 14. Maii 1803.

Ad dubium: An in Officio def. in vesp. et in Laud. dicendi semper sint psalmi appositi: *De profundis* etc. et *Lauda anima* etc.?

S. C. resp.: Servetur rubrica Breviarii rom. et Ritualis rom. et post Vesperas et Laudes in Officio defunct. omittentur psalmi supradicti tantum in die Omnium fidel. defunct. et in die depositionis defuncti. n. 4044 (2do) ad 29 die 23. Julii 1736.

Ad dubium PP. Minorum in Angelorum Provincia: an omitti possint ps. *Lauda anima mea* etc. et *De Profundis* in Officio *generalissimo* defunctorum nostri Ord., extante consuetudine, sicut in die Commemorationis defunctorum?

S. C. resp.: In hoc generalissimi anniversarii Officio servandam esse rubricam peculiarem de omittendis psalmis *Lauda* et *De Profundis*. n. 4549 ad III. die 25. Aug. 1818; n. 4313 die 28. Aug. 1762.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Si haec dubii pars decidenda foret juxta *Breviarii rom. rubricas et s. hujus Congr. decreta,* quibus declaratur, si quid in illis obscurum est, *negativo responso* absolvi posset. Siquidem *rubrica* interpretatione non indiget, cum ad preces vesperarum Officii def. aperte jubeat: *Hi psalmi (Lauda et De Profundis) non dicuntur in die omnium fidelium def. neque in die obitus seu depositionis de-*

functi. At hujusmodi exceptio non extenditur ad commemorationes generales, quae fiunt ab Ordinibus regul., quia s. Congreg. rogata hac super re pro parte Monachorum s. Benedicti sub 28. Aug. 1782 jussit *servari* decretum in Collen. 5. Julii 1698, videlicet: ps. *Lauda anima mea Dominum* et *De Profundis omittuntur in precibus post Officium in die generalis commemorationis omnium fidelium defunctorum et in die obitus et depositionis defuncti dumtaxat, caeteris autem diebus semper et omnino dicantur.* Lex tamen silet, ubi intercedit privilegium. Ita porro est in specie nostra, cum in praefato Breviario trium Ordinum, Apostolica auctoritate roborato, generali rubricae addatur: *Nec apud nos in Officio generalissimo*, nimirum praefati Psalmi omittuntur in generali commemoratione defunctorum trium Ordinum.

Ad dubium: An hoc observandum (dicere: *Lauda* etc. et *De Profundis* exceptis diebus Commemor. Omn. fid. def. et depositionis defuncti) sit etiam in illis Ecclesiis, *ubi ex vi regulae seu ob adimplendas pias defunct. voluntates*, totum Officium defunct. ritu dupl. recitare tenentur, ut fit diebus expressis?

S. C. resp.: Affirmative. n. 4085 ad 1 die 9. Maii 1739.

In Officio def., quod recitatur in quolibet conventu alicujus Provinciae ritu dupl. *post habitam notitiam* de obitu alicujus Religiosi ejusdem Provinciae (Ord. Minor.), dicendi sunt ps. *Lauda* et *De Profundis.* n. 4393 ad 1 die 27. Martii 1779.

Ad dubium: In Officio mortuorum, quum Laudes recitari non possunt, et unicum tantum cantatur Nocturnum, Psalmus *De Profundis* debetne recitari ad preces, quae sunt recitandae in fine Nocturni?

S. eadem C. respondendum censuit: „Laudabilius esse si recitetur Psalmus *De Profundis.*"

Atque ita rescripsit n. 5221 ad 5 die 21. Julii 1855.

n) Orationes.

(Cognomina.)

Vd.: *Orationes in Off. Def.*

Ex immemorabili pene consuetudine Cathedrali in Ecclesia Viglevanen. assolet Capitulum post Laudes recitare Psalmum 129, *De Profundis* in levamen Animarum piacularibus flammis addictarum, aliquibus cum Orationibus in fine. Inter has locum habet Oratio: *Inclina Domine aurem tuam*, in suffragium Francisci II. Sforza Mediolani olim Ducis ac Fundatoris tum Episcopatus Viglevanen. tum ipsius Capituli. Modus autem hanc Orationem recitandi causa controversiarum inter Canonicos nonnullis abhinc annis fuit. Aliqui namque dicunt in Oratione: *famuli tui Francisci*, nonnulli superaddunt: *olim Ducis nostri.* Sed quum multi contendant Pontificali Romano Decretisque Sacrorum Rituum Congregationi adversari additionem vel Tituli vel Dignitatis nominis Defuncti, dum pro eo recitatur Oratio, propterea ad controversias evellendas eliminandumque scandalum, quod raro usuvenit vel inter Clericos Choro assistentes vel inter Laicos ipsos, qui eo temporis momento Ecclesiam adeunt, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicavit R. D. Petrus Ghilardini Canonicus et Capituli Cancellarius, quatenus decernere dignaretur modum recitandi recensitam Orationem in Suffragiis pro uniformitate obtinenda.

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta,

omnibus mature accurateque libratis rescribendum censuit: Oratio *Inclina Domine*, legenda *sine* nomine, uti jacet in Breviario et Missali Romano citra tamen probationem consuetudinis dicendi has preces post Laudes, quae juxta Rubricas dicendae forent post Primam.

Et ita censuit ac servari mandavit die 7. Aprilis 1832. n. 4687.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Inter Missas, quae pro Defunctis dicuntur, si consideretur Missale, in ea tantummodo, quae dicenda est in die obitus seu depositionis, reperitur Oratio, in qua rubro colore notatur litera *N.* ad indicandum ibi defuncti nomen esse ponendum: inter Orationes vero, quae dicendae reperiuntur sive pro hoc sive pro illo defuncto, quaeque extant post omnes Missas in unum collectae, in quatuor tantum notatur N., nempe in illis, quae pro Summo Pontifice, pro Cardinalibus, pro Episcopis et pro Sacerdotibus dicendae assignantur. In harum enim prima et secunda legitur *Famulum tuum N.*, in tertia et quarta *Famuli tui N.* Quod spectat ad sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales adjiciuntur adnotationes, quae mutationem indicant faciendam pro distinctione respectivi Ordinis, cui defunctus Cardinalis erat adnumeratus. Ita enim notatur in Rubrica *pro Episcopo Cardinali defuncto dicatur: Famulum tuum N. Episcopum Cardinalem: pro Presbytero Cardinali dicatur: Famulum tuum N., Presbyterum Cardinalem: pro Diacono autem Cardinali dicitur Oratio:* Inclina Domine ut *animam Famuli tui N. Diaconi Cardinalis.*

Praeter istas in nulla alia hujusmodi Oratione notatur litera *N.;* hinc stricte loquendo juxta Missale non alius nominandus videretur, quia deficiente in aliis Orationibus hac litera *N.* non alius nominandus indigitatur. Ratio autem differentiae cuique facile patet; nam sive defunctus fuerit Pontifex, sive Cardinalis, sive Episcopus, sive simplex Sacerdos, ad ecclesiasticam hierarchiam spectabat, dum viveret, quam Ecclesia in hujusmodi defunctis quodammodo adhuc agnoscere et retinere videtur etiam quum decesserint, vel Ordinis vel dignitatis, qua insigniti erant, mentionem faciendo. Itaque quum in aliis Orationibus ex. gr. in ea, quae incipit „*Inclina Domine*“ de qua in dubio notata, non reperiatur litera *N.*, nec defunctus nominare deberet. Dixi *non deberet*, hoc est juxta Rubricam et eam, quam ipsa ponit differentiam, licet in praxi diversimodo fiat. Sed Sacra Congregatio non praxim hic attendit, sed Rubricarum dispositionem, cujus accuratae observationi tuendae est instituta. Quum de Rubrica agatur juxta Rubricae praescriptum respondendnm fuit, et idirco ad primam dubii partem rescripsit: *Legenda sine nomine ut jacet in Breviario et Missali Romano.*

Jam si praeter defuncti nomen mentio fieri posset etiam de Dignitate (saltem aeque de omnibus), qua defunctus dum viveret pollebat, ut in dubio, non modo una litera *N.*, quae deest, sed altera posita esset; neutrum fit a Rubrica, itaque, si non nomen, nec cognomen vel agnomen et dignitas est adjicienda. Idem evenit (ut exemplum apposite adducam et quamdam paritatem) de defunctis quod de Sanctis, de quibus facienda est mentio in Orationibus sive propriis sive de communibus, aut in Officio aut in Missa. In hisce enim Orationibus solum nomen enunciari debet, exclusis cognomine, patria vel alia qualibet qualitate. Id non semel decrevit confirmavitque Sacrorum Rituum Congregatio, et ea expungenda omnino esse ab Orationibus praecepit, et contrariam

praxim ut abusum tollendum declaravit eaque tantummodo retinenda esse censuit, neque, si invenirentur, expungenda esse pronunciavit, quae licet adjectiva essent, supernaturale aliquod donum ipsis a Divina virtute tributum designabant, immo servanda esse voluit, ut in Sanctis Chrysostomo et Chrysologo, quae voces facundiam, vim et efficaciam divini sermonis tamquam peculiare donum in illis indicant, quod fuit a Deo singulari modo ipsis prae caeteris concessum.

Ad secundam responsionis partem quod attinet, Sacra Congregatio sic respondendo assertam consuetudinem recitandi memoratum Psalmum „*De Profundis*" post Laudes, haud quidem aperte improbat, sed neque adprobare videtur: innuit tantum non eum esse locum illum recitandi. Siquidem post Laudes non suffragia pro defunctis, sed suffragia tantum Sanctorum recitantur, quae non sunt suffragia proprie dicta, neque eo sensu, quo pro defunctis accipiuntur, accipi debent. Dicuntur suffragia, ut a commemorationibus specialibus Sanctorum distinguantur, quae fieri debent, quia eo die incidunt eorum Festa, sed inferioris ritus, et ideo de illis fit tantum memoria, vel quia de illis fieri nequit Officium, vel quia sunt dies infra Octavam alicujus festivitatis, de qua debet fieri commemoratio, et ita vocantur, ut per eas Orationes, quae tales revera sunt, Sanctorum, de quibus fiunt, meritorum memoria recolatur, atque etiam ita appellantur, ut per memoriam, quae de illis fit, eorum imploremus auxilium, ut ipsi nobis faveant apud Deum, ut suffragentur nobis, ut sint nobis auxilio, nosque protegant et adjuvent, quo sensu ab Auctoribus sic acceptas videmus voces *suffragium, suffragari: Mihi videris,* inquit Cicero 1. Leg., *fratrem laudando, suffragari tibi,* et in Epist.: *Fortuna te suffragante videris res maximas consecutus.* Non itaque vocantur suffragia proprie et stricte sumpta, hoc est in levamen Justorum, quos Divina Justitia in Purgatorii poenis detinet, quia condonata eis culpa, atque etiam aeternae mortis reatu, aliquid temporalis poena eis luendum supersit, donec plene satisfaciant, vel quia quum decesserunt leviores in eis culpae sunt repertae nondum remissae, pro quibus etiam Deo debent satisfacere.

Jam quum hic non de illis, sed de his agetur, haud quidem in Laudibus habere locum videtur memoratus Psalmus, sed potius post Primam. Est hoc juxta Rubricam, quae si non clare et aperte de hoc loquitur, aliquo tamen modo deducendum indicat post Primam esse dictum Psalmum recitandum. Sane Rubrica Missalis *tit. 15. n. 3.* hoc praecipiendo habet: *Missa autem pro defunctis dici debet post Primam.* Juxta haec Rubrica verba tempus ad suffragandas defunctorum animas assignatum, est post Primam: quemadmodum itaque statuitur, ut Missa (quae maximum est inter suffragia pro defunctis) ad defunctorum levamen post Primam celebretur, sic intelligi debet eo etiam tempore Rubricam (quae ubivis de hoc silet) voluisse indirecte saltem, recitandas esse quascumque preces, quae pro defunctis vel ex particularibus constitutionibus vel ex dispositionibus testamentariis vel ex consuetudine quocumque modo inducta recitantur. Neque mirum alicui videri debet, si de hoc Rubrica silet, nam de Missa poterat mentionem facere, Missae enim a Rubrica diversae assignantur et unicuique a Rubrica locus eas celebrandi tribuitur post aliquam nempe horam canonicam. Hoc autem de suffragiis pro defunctis in Officio faciendis statuere non poterat statim ac Rubrica nullum assignat suffragium in Officio

pro defunctis recitandum et persolvendum. Itaque quemadmodum ex instituto et dispositione Rubricae, quoad diversarum Missarum celebrationem modo relatam, eruitur locum et tempus suffragandi defunctorum animas esse post Primam, ita dicendum est Rubricam, indirecte saltem (neque aliter dici potest ea silente) voluisse innuere post Horam Primae locum dari cuique suffragio pro defunctis in Officio, quatenus persolvi in eo ipsa, de quibus Rubrica silet, quavis ratione deberent. Hanc esse Rubricae obviam interpretationem ac eum esse locum similia recitandi suffragia, non inopportune indigitat vetus praxis (cui deficiente lege, standum est), Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, in quibus revera post Primam recitantur. Etsi hoc, ut supra dictum est, Rubrica clare, taxative et singulariter non praecipit quoad alias preces, aliquo tamen modo per citata verba satis superque indicat. Hinc est, quod Sacra Congregatio, in particularibus casibus et dubiis, quae identidem enascuntur ubi clara non est Rubrica, idonea et legitima est hujus interpres, eam interpretando et declarando respondit ad dubium ut supra. Huic igitur responsioni cuique est acquiescendum, proindeque supra memoratus Psalmus *De Profundis*, a consuetudine, quam aperte noluit Sacra Congregatio improbare, recedendo, post Primam deinceps erit recitandus.

o) Paramenta Celebrant.

Vd.: *Stola* (in Officio def.; decr. n. 5208, 5221).

In Ecclesia Civitatensi in diebus, in quibus vetitum est cantare Missam de Requiem, cantatur Missa de festo et dicitur Nocturnum defunctorum, quod non intelligitur prohibitum. Quaeritur:

1. An honestum sit, sacerdotes privatim celebrantes per sepulcra cum planeta responsoria pro defunctis recitare?

2) An Resp. solemnia pro def. post Missam de festo cantari debeant cum pluviali coloris festi vel nigro?

S. C. resp.: „Praedicta nullo modo licere et ab Ordinario esse prohibenda.“ (Etiam igitur, puto, Nocturnum non debet dici.) n. 3066 die 23. Septbr. 1684.

Ad effectum satisfaciendi oneri, quod jure legati, prout assertum fuit, habent Beneficiati Ecclesiae Villae Maffrae Patriarchatus Ulysbonen. Occidentalis recitandi omnibus tertiis Dominicis Responsorium defunctorum post Missam cantatam sive privatam, Beneficiati praedicti: quid in isto casu faciendum esset, dum id juxta dispositionem Rubricarum peragi minime valeat? a S. R. C. declarari supplicarunt.

Et S. eadem C.: „Praefatum Responsorium diebus supra expressis ad Primam sive ad Completorium dicendum esse“ declaravit.

N. 3955. Die 28. Novembris 1822.

p) Responsorium.

I. Repetitio.

Ad dubium: An in Responsorio: *Libera me Domine* Officii Defunctorum possint vel debeant repeti verba: *Dum veneris*, dicto jam ℣. *Tremens*, vel an sint omittenda? Et quatenus affirmative, an idem servandum, quoties in Officio Divino similis occurrit repetitio?

S. C. C. resp.: „Dici debere.“

Die 23. Maii 1835. N. 4748 ad 8.

II. Ultimum.

Vd.: *Officium def.* (quid in eo omittend.)

Ad dubium: An in Officio defunct. possit relinqui ultimum responsorium cum precibus et oratione, ut multi faciunt?

S. C. resp.: Negative et serventur rubricae. N. 4645 ad 4 die 17. Dec. 1828.

q) Num coram SSmo exposito recitandum erit?

Vd.: *Instr. Clem.* §. XVII. n. 16.

r) Tempus Recitat. pro Commem. Omn. fid. def.

Immediate post secundas vesperas festivitatis Omn. SS. Vesperae et Matutinae Def. recitari solent in multis Ecclesiis ad hoc, ut populi commodius et frequentius illis interesse possint. *Caer. Ep.* l. II. c. X. n. 1.

Vd.: *Commem. Omn. fid. def.* (Off.).

s) Translatio.

Vd.: *Missa conv. de Req.* (transl. decr. n. 4167); *Missa* (translatio, decr. Clem. XIII. de die 19. Jan. 1761).

t) Infra Triduum hebd. sanctae.

Vd.: *Lumina in Exequiis per triduum; Offic. def.* (dies).

u) Unum Officium pro pluribus obligationibus.

Ad dubium: An die, qua recitandum est Off. def. ex legato et obligatione rubricae Ecclesiae et depositione defuncti et pro Anniversario, sit dicendum unicum Officium pro omnibus obligationibus et satis sit, an vero unum recitandum, alterum vero transferendum?

S. C. resp: Negative sed vel bis recitandum Officium pro duplici obligatione, vel alterum recitandum et alterum transferendum; si vero est anniversarium, hoc est anticipandum.

In casu translationis dicendum est Officium de die Depositionis, alterum transferri potest ad primam diem non impeditam.

Unum Officium non posse deservire pro omnibus, nisi ex mente fundatoris aliud constet; et eo casu praeferendum Officium pro depositione defuncti propter praesentiam corporis et addendas plures orationes juxta plures obligationes.

N. 2864 ad 1—4 die 9. Julii 1678.

v) Utrum dici debeat, sacerdote missam de festo celebrante.

Vd.: *Offic. def.* (paramenta Celebr.; *Anniversar.* (alia missa etc.); *Missa de Requ.* (alia missa etc.).

9) Dispensatio.

a) Canonicis partim concessa.

Vd.: *Officium* (non integre in choro recitatur etc.).

b) Monialibus partim concessa.

Vd.: *Moniales* (Brev. — decr. Clem. XIV.).

10) Divisio Officii,

si ex plurib. Sanctis alias simul celebrandis unus est Patronus vel Titularis.

Vd.: *S. Sebastianus* (Officium etc.); *S. Eustachius* (ut Titular.); *Reliquiae insig.* (Off. recitand. decr. n. 2812).

11) Dominicae assignatum.

Ad dubium: Utrum Officiis alicui Dominicae assignatis, puta Puritatis, Maternitatis B. M. V. in Dioecesano Calendario, in aliqua peculiari Ecclesia festo majoris ritus perpetuo impeditis, debeat assignari dies fixa vel perpetuo omitti?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Negative, nisi supplicetur pro translatione."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 4782 ad 11 die 27. Aug. 1836.

12) Episcopi Regularis.

Vd.: *Episcopus Regul.* (Officii recitatio).

13) Episcopi in visitatione.

Vd.: *Episcopus* (Officii recitatio).

14) Feriale.
(Estne evitandum?)

Vd.: *Patronus princip.* (translatio decr. n. 4553 ad 7); *Episcopus* (Offic. recitatio decr. n. 1452); *Off. partic.*

Ad dubium: An ad vitandum feriale Officium possint in Feriis subrogari nonnullorum Sanctorum Officia, quorum recitatio non est Oppido Villafranca concessa, sed tantum nomina descripta sunt in notula elaborata anno 1744, ac dein aliqua ex parte mutata anno 1795?

Et S. eadem C. respondit: „Negative." Et ita etc.

N. 4542 ad 2 die 27. Sept. 1817.

Facta autem per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo D. N. Pio VII. P. M. relatione S. S. S. C. responsa approbavit, confirmavit atque ita in supradicta Ecclesia servari mandavit. Die 30. Sept. 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Nemini licet, quacumque dignitate sit decoratus, addere Calendario aliqua pro lubito Officia, licet Sanctorum sint, qui in Ecclesia universali coluntur et in Martyrologio Romano locum habent. Non pro omnibus enim Sanctis vel formaliter canonizatis Officium pro Ecclesia universali indultum est, licet in aliquibus locis ex Apostolica concessione recitetur, quin eadem Apostolica Sede inconsulta ad alias Dioeceses, Ecclesias aut Regulares Ordines extendi valeat.

Ideo S. R. C. sub die 22. Aprilis 1741 in una *Vilnen.* respondit ad dubium quintum: *Satis vulgatum, pluribusque Decretis firmatum est, Officia particularibus locis concessa, quantumvis Sanctorum in Martyrologio Romano expressorum, Sede Apostolica inconsulta, non posse ab aliis recitari;* et in *Polona* die 1. Dec. 1742 ad 1, quo quaerebatur: An servari posset consuetudo recitandi quaedam Officia ex adprobatis pro aliqua Dioecesi, licet non constaret de extensione ad alias, respondit: *Serventur Decreta a S. R. C. edita super Officiorum recitatione. Qui autem particularia Officia recitare desiderant, instent pro illorum approbatione vel concessione.* Similiter cum in Dioecesi Varsavien. mos invaluisset recitandi Officium aliquorum Sanctorum, quin constaret de Apostolica concessione, S. R. C. expresse declaravit *sub die 7. Maii 1746* ad dubium 4: *Non posse continuari.* Servanda quippe sunt Decreta generalia, quae Breviario Romano praeficiuntur. Quod si aliqua adsit Reliquia insignis vel Corpus alicujus Sancti ex descriptis in Martyrologio Romano, quamvis in Calendario universali nulla ejusdem memoria fiat, Festum tamen peragi poterit cum Officio et Missa in ea dumtaxat Ecclesia, in qua Corpus et Reliquia asservatur, dummodo tamen constet de identitate, juxta modum *a Trid. Synodo praescriptum sess. 25. Decret. de invocat., veneratione et Reliq. Sanctorum* rite probata. Enimvero Festa illorum Sanctorum, de quibus quaestio proponitur in hoc dubio, proprie non pertinent *ad Capitulum de Villafranca*, quia non affertur aut ulla qualitas relatione desumenda ab Ecclesiae Titulo vel Patronatu aut Apostolica concessio, et certum est eamdem recitandi consuetudinem recentem esse, cum antiquior notula anno 1744 consignetur,

idcirco omittenda in posterum omnino sunt. Eoque magis quia ex expositione dubii nequimus assequi, an haec Festa certis diebus sint perpetuo affixa, an potius ad opportunitatem accommodentur? Nam cum in eodem exponatur: *an ad vitandum feriale Officium possit in Feriis subrogari nonnullorum Sanctorum Officium etc.?* jure potest dubitari, quod arbitraria sit et varia in singulis annis dispositio Officiorum illa in Ecclesia, ne unquam vel raro saltem ferialibus Officiis locus supersit. Quidquid tamen de hoc sit, vel Officia affixa sint certis diebus, vel pro lubitu Feriis subrogentur, semper verum est ad evitanda ferialia Officia inductam consuetudinem addendi Calendario de Villafranca tot Sanctorum Officia sine titulo relationis aut Apostolicae concessionis, quod repugnat Pontificiis Constitutionibus et S. R. C. Decretis.

15) Fugae D. N. J. Chr.

Vd.: *Officium myster. et Instrum. dom. Pass.*

Officium fugae D. N. Dominica 4. Apr. quotannis est impeditum et celebratur qua translatum tempore paschali, cui minus convenire videtur, si humillime proponere liceat supplicari S. R. C. pro assignando huic festo aliam dominicam v. g. tertiam post Epiphaniam aut primam vel secundam Julii aut aliam.

S. C. resp.: Juxta alias decreta in casu impedimenti non esse transferendum sed omittendum. n. 4842 ad 6 die 1. Sept. 1838.

16) Hebdomadis maj.

a) Approbatio.

Vd.: *Missale* (approb.).

b) In Parochiis.

Vd.: *Sabb. sanct.* (missa priv., decret. n. 5132 ad 5); *Coena Domini; Parasceve; Missa in Coena Dom.; Benedictio* (Jus; decr. n. 5050).

Ad dubium: An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam Paroeciis, praesertim in ruralibus celebrandi per Parochum Missam lectam Feria V. in Coena Domini, quin peragi valeant eadem Feria et sequenti caetera Ecclesiasticae functiones praescriptae ob Clericorum defectum, vel potius abolenda?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Affirmative, et ad mentem: mens est, ut locorum Ordinarii quoad Paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, S. Functiones Ferii V. et VI. ac Sabbato majoris Hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis S. M. Benedicti XIII. anno 1725 jussu editi: Quoad alias Paroecias, quae Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) Feria V. in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali vel Matrice conventualis incipiat. Et ad D. Secratarium cum SSmo."

Atque ita respondit et servari mandavit, die 28. Julii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione S. S. S. C. responsum adprobavit confirmavitque atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecepit. N. 4583 ad 1 die 31. Junii 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Non levis est apud rerum liturg. Scriptores controversia, utrum, necnon olim licuerit et modo etiam liceat a

Sacerdotibus Fer. V in Coena Domini Sacrificium privatim offerre. Singuli enim in diversas abeunt sententias, de quarum varietate non est hic disserendi locus. Verumtamen unum est, quod firmum manet, videlicet hanc Feriam non adnumerari diebus *aliturgicis*, qui Missa omnino carent, quales sunt *Feria VI. et Sabb. S.*, ex cap. *Sabbato distinct. 3. de Consecrat.*: imo ob sublimia, quae recoluntur Mysteria, haec Feria Sacrificium jure postulat. Ideo juxta veterem morem *tres* celebrabantur Missae: *Prima* ad reconciliandos poenitentes; *altera* ad S. conficienda Olea; *tertia* demum ad recolendam S. Eucharistiae institutionis memoriam. Praesens vero disciplina unam tantum Missam solemnem admittit in Ecclesiis Cath., Colleg., Paroch., Convent.; privatas omnino vetat. Quod si hac in Feria Festum incidat de praecepto servandum, non omnibus Sacerdotibus celebrandi fit potestas, sed aliquot Missae lectae in qualibet Ecclesia permittuntur, ut queant Fideles obligationi satisfacere; nec reliqui de Clero desint, qui inter Missarum Solemnia ad Apostolorum imitationem S. sumant Eucharistiam. Si ratio quaeratur: curnam hac die privatae Missae prohibentur? eadem non a qualitate diei petenda est, quae revera Sacrificium admittit, sed a reverentia debita sublimissimo Sacramenti institutionis Mysterio. Decet namque, ut Sacerdotes a sacrificando abstineant Sacramque Dapem laicorum more ab Episcopi, Praesidis, Parochi celebrantis manibus accipiant. Memoria namque recolitur D. N. J. Chr., qui pridie quam pateretur, tantum Sacramentum instituens verum suum Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini ad manducandum et bibendum accumbentibus Apostolis tradidit nobisque perenne sui amoris pignus in saecula saeculorum reliquit. Audiendus aeternae memoriae Pontifex Benedictus XIV., qui *Institut. 38. num. 5.* ait: *Si quis hujus Instituti causam scire velit, statim ipsam explicabimus. Eadem Fer. V. S. Eucharistiae solemne Festum celebratur, quam postrema Coena Christus Dominus instituit, quo tempore, juxta Conc. Trid. sententiam, Sacerdotium quoque Apostolis contulit. Quare sicut D. Salvator sibi primum ac deinde Apostolis Sacrosancta Mysteria tradidit, ita consentaneum fuit, ut Sacerdos Feria V. majoris Hebdomadae, suscepta Divina Eucharistia, ipsam postea universo Clero distribueret, qui Ecclesiae adscribitur, ubi Sacrum peragitur.*

Nedum vero decet, ut Sacerdotes in hac Feria et reliqui de Clero e manibus Celebrantis S. Hostiam sumant, sed etiam congruit, ut fideles caeteri idipsum praestent, imo jus habent, ut Sacramentum sibi ministretur a Parocho, cujus regimini subjiciuntur. Nam juxta veterem Ecclesiae morem ad hoc non solum pietate, verum etiam praecepto fideles omnes ducebantur, quemadmodum testimonio antiqui Canonis *In Coena Domini de Consecrat.* aperte comprobatur.

Equidem praesens disciplina taxative ad hanc Feriam hoc non secumfert positivum praeceptum; exigit tamen religio et recolendi Mysterii sanctitas, ut in unaquaque Ecclesia Cathedr., Colleg., Paroch., Convent. unica celebretur solemnis Missa, in qua tam omnes Sacerdotes et Clerici, quam etiam, si qui accedunt fideles laici, S. sumant Communionem. Et quoniam aequum est, ut in Ecclesiis omnibus, quae subditam habent plebem, Sacrum solemne fiat, nec omnes aeque Clericis, supellectilibus atque opibus abundant, ut pro dignitate tam in hac, quam in Fer. VI. et Sabb. S.

s. actiones celebrari valeant, huic incommodo consulere volens *S. M. Benedictus XIII.*, praevia consultatione particularis Congr. a se indictae, parvum Rituale praelo tradi publicique juris fieri jussit, pauperibus et ruralibus paroeciis accommodatum. Adeundus P. Meratus ad Gavantum *part. 4. tit. 7. num. 31. de Ritibus servandis in minoribus Ecclesiis.*

Parvo hujusmodi Rituali satis provisum est illis Paroeciis, in quibus triduo Passionis nequeunt expleri praescriptae functiones cum solemnitate, cantu et Ministris paratis: quomodo id fieri posset, si unus tantum aut alter est Sacerdos? Necesse tamen est, ut aliquot saltem adsint Clerici, qui tres ad minus numero esse debent. Verumtamen adhuc pauperiores ac praesertim rurales Paroeciae supersunt, in quibus vel unus dumtaxat vel nullus est Clericus, qui Cotta indutus Celebranti ministret. Bene est, ut in his omittantur functiones, cum modus desit, quo, si non solemniter, debita saltem cum decentia peragantur: congruere tamen plurimum videtur, ut ad satisfaciendum subjectae plebis pietati, praesertim, si qui velint (ad quod jus habent) s. sumere Communionem et Paschali praecepto satisfacere, Parochus privatam celebret Missam. Hanc autem tenuisse sententiam videtur laudatus Pontifex, cum Bononiensem Ecclesiam Archiepiscopus regeret; nam *loco sup. cit.* jubens, ne ullus Sacerdos ea Feria Sacrum privatim faceret, Parochos excepit: *Si vero*, inquit, *praeter Parochiam in sua Parochia Sacerdos aliquis cujuscumque conditionis aut dignitatis Missam privatim Feria V., VI. ac Sabbatho majoris Hebdomadae celebrare ausus fuerit, ipsum graviter puniemus et a Divinis etiam interdicemus etc.* Magni fieri debet tanti Pontificis auctoritas; nec dubium est, quod ibi non agat de Missa privatim a Parocho celebranda. Non enim ibi loquitur de Missa solemni, verum de lecta, quam ea die Sacerdotibus omnibus celebrare est interdictum. Si Parochos a generali excipit lege, rationem habuisse censendus est illarum Paroeciarum suae Archidioecesis, in quibus ob inopiam et Clericorum defectum, Hebdomadae majoris s. functiones nec solemniter nec decenter, juxta laudatum parvum Rituale *Benedicti XIII.* peragi posent.

Et revera rogati P. s. tuendis ritibus Praepositi: *An in Feria V. Coena Domini celebrari possit in Ecclesia* (non in privato Valetudinarii Sacello, sed publica in Ecclesia) *una Missa privata propter infirmos, excepta solemni?* sub die 27. Martii 1773 responderunt: *Arbitrio Episcopi.* Praeterea non desunt Ecclesiae, in quibus pro populi commoditate Parochus privatim celebrat subjectaeque sibi plebi Communionem ministrat, priusquam Missae Conventuali initium detur. Ita in Parochiali Lateran. et in quibusdam aliis Urbis Colleg. Ecclesiis, quamvis in iisdem Solemnia omnia fiant et possit commode populus Sacro interesse. Si ita est, potiori jure congruere videtur, ut id fiat in paupere rurali Paroecia, favore illorum, qui eidem subjiciuntur, ut queant Missam audire a proprio Parocho celebratam, in eadem s. sumere Communionem, Paschali praecepto satisfacere et memoriam recolere institutionis Sacramenti. Quod si maxime decet favore plebis, multo etiam magis convenire videtur quoad ipsum Parochum; nam si teneretur, ut revera Parochi tenentur, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta ministrare populo sibi subjecto, quin tamen ei liceret Sacrum facere, nec forte posset per manum alterius (alio deficiente Sacerdote) sacram sumere Dapem ac propterea, dum alios re-

ficit, ipse jejunus cogeretur abire et privaretur spirituali gaudio illius diei, quo, cum Celebrantes tum de Sacrificio participantes, tanti Sacramenti institutionis memoriam recolentes, perfunduntur.

Validis hisce rationibus mature perpensis S. C. proposito dubio: *Affirmative* respondit; rem tamen noluit in Parochorum ruralium arbitrio relinquere sed demandavit, ut iisdem quotannis et peterent et ab Episcopo celebrandi veniam obtinent. Siquidem animadvertit, occurrere quandoque casus rationabiliter eam denegandi. Talis profecto erit, si rurales Parochi in Cathedralem convenire deberent, ad complendum numerum Presbyterorum, Diaconorum et Subdiaconorum, quot necessarii sunt in Oleorum S. confectione, quin utrumque munus ob loci distantiam vel ob aliam causam componi possit. Dum vero consuluit pauperioribus et ruralibus Paroeciis, excitare etiam voluit Episcoporum solicitudinem et vigilantiam, ut jubeant s. functiones peragi Feria V. et VI. necnon Sabbato majoris Hebdomadae in aliis Parochialibus Ecclesiis, in quibus saltem tres quatuorve Clerici haberi possunt, servata forma parvi Ritualis S. M. Benedicti XIII. jussu editi; et propterea, quoniam exemplaria defecerunt, novam ejusdem editionem prope diem evulgari curabimus.

Ad dubium: An Ecclesia paroch. omnino adigatur ad functiones Sabb. s. juxta parvum Caerem. s. m. Bened. XIII., si sufficienti clero destituatur et quomodo hujusmodi in casu missa ordinanda sit?

S. C. resp.: Affirmative et servetur in omnibus solitum juxta dictum Caeremon.

Die 12. Julii 1848.

c) In Oratoriis.

Baltimoren.

Multis abhinc annis invaluit apud Sanctimoniales tum Ordinis Carmelitarum tum Visitationis Bmae M. V. Dioecesis Baltimorensis, ut in illarum Oratoriis triduo Majoris Hebd. Missa lecta celebretur. Quod advertens Magister Caeremoniarum Metrop Ecclesiae Baltimorensis factum contra Rubricarum dispositionem quidem, sed ex vera necessitate ob defectum Cleri et Clericorum, qui desiderantur, de consensu immo annuente ipso Rmo Archiepiscopo, S. R. Congregationi exposuit ac humillime supplicavit, ut quousque praedictis in Oratoriis eodem triduo pro functionibus peragendis servari nequeat peculiaris dispositio *Memorialis Rituum* s. m. Benedicti Papae XIII. typis editi, benigne concedatur alicui Sacerdoti, quem Rmus Archiepiscopus designaverit, Sacrum privatim facere praedicto in triduo iisdem in Oratoriis, quod Indultum extendi etiam valeat ad Oratorium Puellarum Charitatis in eadem Archidioecesi commorantium.

Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione per infrascriptum Secretarium facta, rescribendum censuit: „Ad D. Secretarium cum Sanctissimo."

N. 4837 die 1. Sept. 1838.

Super quibus omnibus facta postmodum SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. fideli relatione S. S. attentis peculiaribus circumstantiis summaque pietate ac religione ipsarum Sanctimonialium, de speciali gratia benigne annuit juxta petita, quod Indultum duraturum edixit solum quousque illae functiones peragi nequeant juxta dispositum supradicti Memorialis Rituum et pro iis tantum Asceteriis, quorum

Sanctimoniales extra Claustra non pergunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die recensiti Mensis et Anni.

Vd.: *Oratorium.*

17) Immaculatae Concept. B. V. M.

Vd.: *Officium B. V. M. in Sabbato.*

18) Ex Indulto concessum.

Vd.: *Officium de Cruce; SS. Sacramentum* (Off. fer. V.); *Officium B. M. V.; Officium* (oblig. ad quod); *Officium partic.; Officium votiv.; Off. Cathedr. concess.*

Ad dubium: An Officia praecepta vel concessa v. g. cunctis Dominiis Catholico Regi subjectis aut omnibus Hispaniarum Dioecesibus etc., absque alia Cleri expressione, intelligantur concessa vel praecepta Clero regulari sicut saeculari? Et quatenus affirmative: An idem sentiendum de Octavis localibus similiter praeceptis vel concessis? Ratio dubitandi est praxis plurium, qui utrumque negant, et videtur contraria Rubricis 23, 24 et 47 Breviarii Romano-Seraphici noviter reformati.

S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis de Somalia Urbis Vicarii, dictae Congregationis Praefecti et Ponentis, rescribendum censuit: „Affirmative ad primam partem, Negative ad secundum.“ Et ita declaravit n. 4474 ad 10 die 2. Maii 1801.

Conceditur, ut in Regnis Hispaniarum omnibus diebus lunae festo dupl. vel semidupl. non impeditis possit recitari Officium s. Jacobi ap. Dubit.: An festum semid. concessum ad libitum praestet impedimentum, an vero transferri possit?

S. C. resp.: Impedimentum esse ad libitum; impedire enim, si amat Officium festi ad libitum recitare; non impedire, si ab eo abstinendum censat: attamen de festo ad libitum in tali casu non debere fieri translationem.

Die 16. Febr. 1669.

19) Initium.

Cf.: *Chorus* (init.); *Episcop.* (Off. init.).

Officium statim inchoandum esse, datis solitis signis per sonum campanae, non expectato Vicario vel aliis. n. 293 die 25. Febr. 1606.

Officium, a quo fuerit inchoatum, omnino conficiendum esse. n. 1658 die 1. Decb. 1657.

Capellanus de Massa non potest inchoare horas canonicas, quibus Canonici intersse solent, ante alicujus Canonici adventum, sed expectare debet ad minus per quadrantem post pulsum campanae. n. 2083 ad 2 (2do loco) die 18. Decb. 1660.

Ad Archidiaconum Cathedralis Sulmonen. spectare determinare horam celebrationis Officii. n. 3332 ad 2 die 29. Mai 1694.

Pro inchoandis divinis Officiis, quibus intervenire solet Magistratus multoties ad deferendas consuetas oblationes, Capitulum non tenetur dictum Magistratum expectare ultra horam condictam. n. 4093 ad 1 die 11. Julii 1793.

Ad dubium: An dato signo assueto per sonitum campanae pro recitatione Officii sit expectandus Episcopi accessus?

S. C. resp.: Affirmative juxta modum insinuatum.

Die 26. Martii et 13. Apr. 1720.

20) Non integre in choro recitatur et non ab omnibus Canonicis singulis diebus.

S. Severinae.

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. De ref.)

Capitulum Ecclesiae Metropolitanae S. Severinae, quod Ecclesiae inserviebat per hebdomadam et Turnum, praetendit se non teneri ad quotidianum servitium vigore cujusdam donationis factae a bon. mem. Archiepiscopo Berlingerio, sed sibi esse permittendum, ut alternative et per Turnum praestet praedictum servitium, exceptis tamen temporibus Adventus, Quadragesimae, Rogationum et aliis Vigiliis et omnibus diebus festivis, quibus omnes addicti Choro eidem inservire teneantur.

Et in eo quidem, quod attinet ad primam praetensionis partem, admittitur a Capitulo, fuisse ab Archiepiscopo Berlingerio factam donationem nonnullorum Capitalium: *accio fosse servito il Coro di detta sua Chiesa Metropolitana in tutti li giorni ed ore Canoniche nel modo e forma, che dispongono i Sacri Canoni ed il Sacro Concilio di Trento,* sed contendit, non posse dici in hac Donatione impositum onus omnibus inserviendi Choro, sed tantum inserviendi per Turnum, ex quo videlicet erant adeo modicae distributiones, quae ante Donationem distribuebantur inter praesentes, ut singulis annis vix ascenderent ad quatuor ducatos pro quolibet, ex qua modicitate siculi saepe sequebatur, ut Cultus Divinus negligeretur, et quod obligati ad inserviendum, nec minus per Turnum inservirent, sic auctis ab Archiepiscopo distributionibus, voluit ipse quidem, ut servitium imposterum non negligeretur, sed absque ejusdem immutatione, itaut si in antecessum, non erat servitium diurnum sed per Turnum, eodem modo continuare deberet in futurum.

Et quia Capitulum videt, sibi opponi posse, quod post Donationem, quoadusque vixit Donator, servitium ab omnibus quolibet die et non ab aliquibus per Turnum praestitum fuit, respondet, id non fuisse factum ex obligatione sed ex quadam gratitudine erga Benefactorem, qui ultra res donatas animum habebat alia etiam superaddendi, quod et fecisset, si non fuisset morte praeventus, in quo rerum themate concludit, non fuisse inductam ullam obligationem, et eo fortius, cum Donatio fuerit acceptata a quodam Canonico Capituli Procuratore cum promissione de ratihabitione infra triduum, nec unquam ratihabitio Capituli accesserit, ex quo idem Capitulum infert, se non esse obligatum ad continuum et diurnum servitium, licet illud per impossibile esset in Donatione praescriptum.

Atque hinc transeundo ad secundam praetensionis partem, inserviendi videlicet imposterum per Turnum exceptis diebus supra recensitis, Capitulum innititur antiquae consuetudini et etiam praxi tot aliorum Capitulorum et, quod magis est, tenuitati distributionum, cum etenim Capitulum componatur ex sex Dignitatibus et octodecim Canonicis et quindecim Presbyteris aliisque in dies recipiendis et ante Archiepiscopi Donationem non adesset nisi annua quantitas ducatorum 150, inter omnes titulo distributionum dividenda, et ex rebus ab Archiepiscopo donatis percipiantur tantum ducati sexcentum et pecunia ab eodem pariter relicta, quae remanet otiosa et non est investita, modicum fructum reddere possit, et quatenus multiplicum ex ea institueretur, multum temporis labi deberet, ut fructus proportionatus haberetur, subdit memoratum Capitulum, quod facta divisione inter Canonicos et caeteros Choro addictos, non habet quilibet Canonicus nisi ducatos viginti

quolibet anno et cuilibet Presbytero non obvenit quolibet anno nisi summa ducatorum decem, quae videtur minime proportionata pro continuo servitio, et eo fortius, quia binae dumtaxat reperiuntur Praebendae, altera Archidiaconi, altera Decani, quarum prima ad triginta et secunda ad quadraginta annua scuta ascendit, et aliae Praebendae pro aliis duabus Dignitatibus et totidem Canonicis non excedunt annuam praestationem ducatorum decem.

Jura circumferuntur, quocirca onus erit EE. VV. decernere:

An omnes Canonici et Clerus Cathedralis Ecclesiae S. Severinae vigore donationis expletae per bon. mem. Archiepiscopum Berlingerium teneantur quotidie intervenire servitio Ecclesiae seu potius sit indulgendum, ut possint alternative et facta divisione per Turnum et hebdomadam interesse eidem servitio, exceptis temporibus Adventus, Quadragesimae, Rogationum aliisque Vigiliis et omnibus diēbus festivis in casu?

S. C. C. resp.: Esse indulgendam alternativam cum solitis Clausulis.

Die 13. Julii 1725.

Atrien.

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. De ref.)

Canonici Cathedralis Ecclesiae Atrien. quotidiano et nunquam interrupto Ecclesiae servitio vacantes, itaut qualibet die ter ad dictam Ecclesiam accedant, et aliquando etiam quatuor vicibus, dividendo videlicet tempore Quadragesimali et aliis quibusdam diebus recitationem Vesperarum a recitatione Completorii, supplicant pro vacatione trium mensium attentis praedicto continuato servitio, tenuitate reddituum et aeris intemperie, et Episcpus pro informatione et voto requisitus censuit annui posse petitis.

Sacrum Concilium Tridenl. *sess. 24. cap. 12. de reform.* sic statuit: *non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt*, et cohaerenter ad hanc Sac. Concilii dispositionem Sac. haec Congregat. Canonicis adstrictis Ecclesiae servitio ultra novem menses et postulantibus ex gratia vacationem trium mensium, negative, ut plurimum respondit, teste *Fagnan.* in cap.: licet num. 48 et seqq. de Praebendis.

Haec procedunt in terminis Canonicorum servitio adstrictorum ultra novem menses, in eo autem, quod attinet ad Canonicos ex Constitutione aut consuetudine Ecclesiae adstrictos servitio totius anni, haec habentur apud *Garz.* de Benef. 3. par. cap. 2. num. 311. ibi: *si tamen Constitutio aut consuetudo Ecclesiae requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa; est enim dura residentia totius anni oportetque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis et animi. Et ita Sacra Congregatio Concilii censuit in una Astoricen. his verbis decret. Concilii cap. 12. sess. 24., concedit Canonicis absentiam trium mensium, si Constitutiones Ecclesiae servitium totius anni requirunt.* Concordat *Barbos.* ad cap. 12. sess. 24. num. 64. et consimiles referuntur Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Resolutiones apud *Nicolium* in Flosculis in verbo: Canonicus sub num. 31.

Transeundo ad Resolutiones hujus Sacrae Congregationis, haec benigne indulsit, ut Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Victoriae Farfen. per duos menses a servitio Ecclesiae quotannis pro arbitrio Emi Commendatarii abesse

possent, ita tamen ut omnes interessent diebus Dominicis et festis totius anni et diebus omnibus Adventus, Quadragesimae, Octavae Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi et nunquam a servitio ultra tertiam partem eodem tempore abessent, uti legitur *lib. 19 Decret. p. 582 die 13. Nov. 1655,* eademque benigne annuit, ut Canonici Praenestini per quatuor menses singulis annis, scilicet a prima die mensis Junii usque ad primam diem mensis Octobris per tertiariam, hoc est, octo ex duodecim intervenire deberent et quatuor a servitio vacare valerent, uti habetur *lib. 15 Decret. p. 576 22. Aug. 1637 et in Cathacen. Servitii Chori,* in qua agebatur de Canonicis, qui inserviebant diebus Dominicis et aliis festis solemnioribus et aliis diebus inserviebant alternatim, licet die 19. Novb. 1698 reprobatum fuerit hujusmodi servitium, attenta nihilominus Praebendarum tenuitate, quae erat in ducatis 50 annuis quoad Canonicos, et in ducatis 100 quoad Dignitates, die 12. Sept. 1699 recessum fuit a decisis et attenta Praebendarum tenuitate statutum fuit servitium per Mediarias juxta morem Basilicae Vaticanae, uti habetur lib. 40 p. 567 et lib. 49 p. 311 et in quadam Causa Leirien., in qua ultra vacationem octuaginta dierum Capitulo indultam anno 1553 a Nuntio Apostolico Canonici praetendebant alternis hebdomadis vacatione frui pro tonsione barbae et pro recreatione Corporis., Sac. Congregatio die 24. Jan. 1705 lib. 55 decret. p. 23 indulsit, ut sublatis quibuscumque aliis vacationibus Capitulum ex gratia frui valeret vacatione trium mensium quolibet anno.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An et quomodo petitioni sit annuendum in casu?

S. C. C. resp.: Pro gratia ad duos menses ad formam Tarten. 13. Novb. 1655.

Die 5. et 19. Decb. 1722.

Isernien.

(Conc. Tr. Cap. 12 S. 24. De ref.)

Capitulum Cathedralis Isernien. componitur ex duabus Dignitatibus, Archipresbytero videlicet et Primicerio, et duodecim Canonicis, et duodecim Hebdomadarii Choro inserviunt; cumque continua sit Choro interessentia, excluso etiam beneficio mensium conciliarium, supplices preces SS. Domino Nostro exhibitae sunt pro obtinenda alternativa, quod una videlicet hebdomada una Dignitas et sex Canonici et duodecim Hebdomadarii Choro inservirent et alia hebdomada alia Dignitas, alii sex Canonici et iidem duodecim Hebdomadarii eidem Choro inservirent et sic alternatim, exceptis tamen communibus, cui omnes interesse deberent.

Supplicatio fuit a Sanctitate Sua ad hanc Sacram Congregationem remissa, quae audire voluit Episcopum et Episcopus testatus est de continuo et numquam interpolato servitio, de nimia aëris rigiditate et humiditate, de infirmitatibus habitualibus, cui Canonici subjecti sunt, de tenuitate Praebendarum et de simili tenuitate distributionum, cum ex Massa communi unusquisque Canonicus distributionum nomine non percipiat nisi ducatos 20 in pecunia annuos, et modios 10, pariter annuos in frumento, absque eo, quod redditus Dignitatum excedat redditus Canonicorum, cum excessus sit in obulis et tandem concludit Episcopus per dictam alternativam sufficiens praestari Choro servitium.

In Cathedrali Arianen. viginti aderant Canonici et sex Hebdomadarii. Supplicatum fuit Sacrae Congregationi

pro alternativa et Episcopus testatus est de rigiditate aëris: *attenta nimia rigiditate aëris*, testatus etiam est de habitualibus infirmitatibus Canonicorum, nonnulli eorundem propter infirmitates habituales sunt inhabiles, et Sacra haec Congregatio die 12. Novembris 1699 indulsit alternativam cum clausula sequenti: *ita tamen ut Capitulares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis ac solemnioribus Nativitatis et Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes et Sanctissimi Corporis Christi ac per totam Octavam ejusdem et aliis temporibus Episcopo benevisis interesse et jugiter inservire teneantur*, uti habetur lib. 49 Decretorum p. 447 a tergo.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An et quomodo petitis sit annuendum in casu?

S. C. C. resp.: Pro gratia ad formam resolutionis Arianen.

Die 26. Junii 1723.

21) Lanceae et Clavor. in Quadrag.

Vd.: *S. Spinea Coron. D.* (decr. n. 4928); *Officium Mysterior. et Instrum. dom. Passionis.*

22) Ad libitum.

Vd.: *Sancti ad libitum; Festum ad libitum.*; *Off. ex Ind. concess.*

23) B. M. V.

a) De Bethlehem.

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater modernus Episcopus de Quito in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad devotionem erga beatam Mariam virginem de Bethlehem in dicta civitate et dioecesi, ubi (ut asseritur) summopere viget, magis excitandam, officium proprium et missam ejusdem beatae Mariae virginis de Bethlehem alias a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum sub die 23. Maii anni 1778 pro ordine fratrum Bethlehemitarum adprobata ad clerum saecularem suae civitatis et dioecesis praedictae per Nos extendi summopere cupiat,

Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes attenta relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia ejusdem Congregationis Secretarii officium proprium et missam beatae Mariae Virginis de Bethlehem alias a dicta Cardinalium Congregatione de ordine fratrum Bethlehemitarum, ut praefertur, adprobatum ad clerum saecularem praedictarum civitatis et dioecesis de Quito, ita ut in posterum idem clerus saecularis officium hujusmodi cum missa sub ritu duplicis majoris dominica tertia post Epiphaniam recitare et respective celebrare libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae die 28. Jan. 1785.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 362.)

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt venerabilis frater modernus Episcopus de Cuzco in Indiis nec non dilecti filii Capitulum et Canonici Cathedralis ecclesiae hujusmodi, quod ipsi, ut cultus et devotio erga beatam Mariam virginem de Bethlehem in dicta civitate et dioecesi, quo par est, studio augeatur, officium proprium et missam ejusdem Beatae Mariae Virginis de Bethlehem alias a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum sub die 23. Maii

anni 1778 pro ordine fratrum Bethlehemitarum adprobata ad clerum saecularem suae civitatis et dioecesis praedictae per Nos extendi summopere cupiant,

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, officium proprium et missam B. M. V. de Bethlehem alias a dicta Cardinalium Congregatione pro ordine fratrum Bethlehemitarum, ut praefertur, adprobata ad clerum saecularem praedictarum civitatis et dioecesis de Cuzco, ita ut in posterum idem clerus saecularis officium hujusmodi cum missa sub ritu duplicis majoris dominica tertia post Epiphaniam recitare et respective celebrare libere et licite possit ac valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Datum Romae die 28. Jan. 1785.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 363.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater modernus *Archiepiscopus Mexicanus in Indiis* Nobis nuper exponi fecit, ipse ad satisfaciendum piae devotioni, quae in suis civitate et dioecesi Mexicana in Indiis erga beatam Mariam virginem sub titulo de Bethlehem summopere viget, officium proprium cum missa ejusdem beatae Mariae virginis jam pro ordine Bethlehemitico adprobatum recitandum dominica tertia post Epiphaniam sub ritu duplici majori ad utrumque clerum praedictae civitatis et dioecesis per Nos extendi summopere cupiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere benignitate apostolica dignaremur, Nos igitur dictum modernum Archiepiscopum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum officium proprium cum missa beatae Mariae virginis sub titulo de Bethlehem jam pro ordine Bethlehemitico adprobatum ab utroque clero civitatis et dioecesis praedictae dominica tertia post Epiphaniam sub ritu duplici majori servata tamen rubricarum dispositione recitari libere et licite possit et valeat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die decima sexta Junii 1786.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 650. Ed. Rom. 1843.)

b) In Sabbato
(Obligatio, dies).

Vd.: *Missa vot. B. V. M. in Sabb.*

Ad dubium: an in benedictione 8. Lectionis in Mat. Officii Immac. Concept. *in die Sabb. qualibet* non impedita recitare debeat: *Cujus festum.* vel : *Cujus commemorat. colimus?* S. C. resp.: *Juxta rubr. Brev. rom.* n. 2360 ad 1 die 13. Febr. 1666.

Qui absque expresso et speciali Sedis ap. indulto in Sabbatis Officia immac. Concept. B. V. M. recitare ausi fuerint, non satisfaciant praecepto de recitando Officio divino. n. 3263 ad 1 die 19. Jan. 1692.

Religiosis Ord. Minorum s. Francisci de Paula Provinciae Majoricen. non licere recitare Off. de B. V. M. quolibet Sabb. non impedito virtute participationis privilegiorum aliarum Religionum, quibus hoc Officium recitari concessa fuit. n. 3528 die 12. Sept. 1699.

Ad dubium: an consuetudo in Sabb. Adventus Quadrag., quatuor temp. et Vigiliarum Offic. immac. Concept. B. V. M. recit. continuanda vel servanda decr. 1651 et 1706 prohibentia similium Officiorum recitationem? S. C. resp.: Servanda esse decreta. n. 4296 die 13. Sept. 1760.

Cf.: *SS. Sacramentum* (Officium fer. V.; praecipue decreta n. 4928; 4746; 3263; decr. de die 20. Mart. 1760). Officium semel in hebdom. concessum recitari debet in Sabb., quando fieri deberet de S. Maria in Sabb. S. R. C. 7. Febr. 1699. *In Tarvisina.*

S. R. C. Capitulo Salern. singulis diebus Sabbati non impeditis Officium B. M. V. sub ritu semiduplici recitanti resp.: Non esse hymnum terminandum cum vers.: *Gloria tibi Domine etc. qui natus es de Virgine etc.*, cum Officium fiat a capitulo de dominica et non de B. V. et tanto magis id servandum esse in aliis festis duplicibus, quae incidunt in dominica, in quibus hymnus terminatur, prout notatur in hymno festi. n. 177 die 23. Nov. 1602.

Utrum in Sabb. non impedito, ubi Officium B. V. ex privilegio dici potest, festum translatum fieri possit? vd.: *SS. Sacramentum* (Off. fer. V. decr. n. 2305 et de die 20. Mart. 1706 ad 2).

Cf.: *Festa B. V. M.; Rosarium: Septem Dolor.; Maternitas B. V. M.; Missale* (approb.); *Vesp. B. V. M.*

24) Monialium.

Vd.: *Moniales* (Brev.); *Confiteor* (additio); *Officium hebdomad. maj.* (In Orat.)

25) Mutatio.

Vd.: *Ritus* (Mutatio); *Festum* (Mutatio); *Off. def.* (Mutatio.)

Non licet aliquid ex devotione seu auctoritate priv. miscere, mutare vel apponere inter ea, quae integrant Officia cujusque diei, quia in officiis Sanctorum nihil est addendum vel immutandum, nisi a Sede apost. consessum fuerit. S. R. C. 10. Junii 1690.

26) Mysterior. et Instrum. dom. Passionis.

Cf.: *Vesperae* (regulatio decr. n. 5223); *Officium* (Quinque vul. Chr.).

Ad dubium: 1. An Officia Mysteriorum et Instrumentorum Dominicae Passionis, ubi concessa sunt ritu dupl. maj. pro quibusdam determinatis Feriis, in iisdem semper locum habere debeant, etiam si in iis aliud Officium aequalis ritus dupl. maj. occurrat?

2. An haec ipsa praecedentia iisdem omnino competat quoties in concessionis Decreto apponatur clausula, quod non transferantur, nisi occurrente alio Officio potioris ritus?

3. An memorata Officia transferri possint de jure, etiam si in concessionis Decreto non appareat transferendi facultas?

4. An concessa etiam hac transferendi facultate Officia Dominicae Passionis reponi umquam possint ultra Quadragesimam, dum nulla reperitur ad Quadragesimae exitum dies libera?

Et S. eadem C. ... rescribere rata est

Ad 1. „Standum peculiaribus Indultis et si satis non sit, in casibus particularibus recursus habeatur ad S. C.“

Ad 2. „Ut ad proximum.“

Ad 3. „Negative juxta alias decreta.“

Ad 4. „Negative sine speciali Indulto.“

Atque ita rescripsit servarique ubique mandavit. n. 5114 die 11. Sept. 1847.

27) SS. Nominis Jesu et B. M. V.

Vd.: *Festum SS. Nominis Jesu et B. V. M.*

28) Nova non sunt introducenda sine licentia Sedis apostol.

Vd.: *Festa* (indictio).

29) Novem Lectionum.

Vd.: *Translatio; Octava; Duplex; Antiph. major.*

Ad dubium: an Officium 9 ll. tam occurrenti in dominica quam in alio

die et tam infra octavam non privilegiatam quam extra semper transferri debeat in die immediate sequenti, etiamsi habeantur alia Officia dupl. prius translata? S. C. resp.: Transferendum est in proximam sequentem diem officio 9 ll. non impeditam. n. 2928 ad 5 die 7. Sept. 1680.

30) Obligatio.

a) Ad quod Officium?

Cf.: *Calendar. Dioec.; Orator. priv.* (decr. 17. Aug. 1709); *Officium ex indulto; Patronus civitatis* (festum, decr. n. 1517); *Chorus* (oblig.); *Clerus Eccles. Cathedr.; Regulares* (Off.); *Officium* (Recitand.); *SS. Sacrament.* (Off. fer. V. decr. n. 4746); *Officium romanum; Titularis; Patronus loci etc.; Episcop.* (Officii recitat.)

Ad dubium: an sacerdotes, qui habent Capellanias sive collativas sive non in Ecclesia Collegiata... Canthiani, valeant recitare Officium, quod recitant Canonici de dedicatione ejusdem Ecclesiae cum octava? Et quid de aliis sacerdotibus et Clericis dictae Ecclesiae inservientibus et non inserv., attento quod dicta Ecclesia sit Matrix et baptismalis? S. C. resp.: presbyteri tantum aliquo perpetuo gaudentes beneficio in Ecclesia matrice possunt se conformare in recitatione Officii cum eadem Ecclesia juxta alias resoluta. n. 3227 die 5. Aug. 1690.

Tertiarii s. Francisci degentes in saeculo, qui fuerint de gremio alicujus Ecclesiae et illius choro obligati, debent recitare Officia partic. illius Ecclesiae, secus autem si sint de gremio et nullatenus choro intervenire debuerint. S. R. C. 28. Sept. 1602.

Tertiarii s. Francisci degentes in saeculo possunt uti Breviario Ord. Min. et illius Calendario conformari. S. R. C. 7. Aug. 1694.

Religiosi Congregationis Vallis Umbrosae non tenentur in suis respective locis et Dioecesibus recitare Officia Calendarii Dioecesani nisi de Patrono et Dedicatione Ecclesiae. n. 3316 die 11. Julii 1693.

Capellani, qui in Ecclesia Monialium Ord. s. Francisci de Laurizal juxta ritum Monialium quotidie missam celebrant, non possunt Officium Monialium recitare. n. 4464 ad 3 die 21. Mart. 1795.

Quando non constat, Officia, quae recitantur in aliqua Dioecesi, a S. Sede ap. concessa esse, quaeritur: an licite possint omnes Dioeceses de illis talia Officia habere vel illae Dioeceses debeant cessare a tali recitatione? S. R. C. resp.: Serventur decreta edita super Officiorum recitatione; qui autem particul. officia recitare desiderent, instent pro illorum approb. et concessione. S. R. C. 1. Decb. 1742.

Regulares in *privata* Officii recitatione extra chorum se conformantes Calendariis Conventuum, in quibus actualiter morantur, satisfaciunt oneri recitationis horarum canonicarum. n. 4487 ad 7 die 14. Maii 1803.

Ad dubium: Clerus adscriptus alicui Ecclesiae Parochiali, Choro tamen illius non obligatus, nec gaudens Beneficio et Clerus sub eadem Parochia tantum degens et alteri Ecclesiae non addictus, teneatur recitare particularia Officia illius Parochiae, id est Dedicationis, Titularis vel alicujus Sancti ob insignem ejus Reliquiam, eo quod in illa Parochiali fuerit introducta consuetudo recitandi praedicta Officia a Sacerdotibus et Clericis adnotatis ante Bullam S. Pii V. de Breviario Romano editam anno 1568, ita ut si Officium juxta Calendarium suae Dioecesis dumtaxat celebrent, non adimpleant onus Horarum canonicarum?

2. Num Clerus adscriptus Ecclesiae Parochiali aut non parochiali nulloque praeditus Beneficio possit Officia particularia, ut supra, earumdem Ecclesiarum recitare, etsi consuetudo non

fuerit inducta ante Bullam laudatam, sed a paucis annis?

S. eadem C. rescribendum censuit

Ad 1. „Posse, sed non teneri, ideoque adimplere onus Horarum canonicarum se conformando in recitatione Officii Calendario dioecesano.“

Ad 2. „Negative.“

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4500 ad 16 et 17 die 20. Sept. 1806.

Ad dubium 1.: An Moniales Cistercienses Ordinario subjectae et Breviario Romano utentes possint continuare in antiqua consuetudine, forsan quadraginta annorum nec amplius, nec certe immemorabili recitandi de quibusdam Sanctis concessis tantum Congregationi S. Benedicti Hispaniae et Angliae, qui contenti non sunt in Breviario Cisterciensi nec in Codice typis dato Romae anno 1710 pro Monialibus Cisterciensibus Breviario Romano utentibus et quorum reductio ad ritum Romanum non fuit concessa a S. R. C. per 13 Decreta 1701, 1702, 1705 et 1710 initio dicti Codicis inserta, nec de hujusmodi concessione constat?

Dub. 2.: Et ita in casu; quomodo possint continuare, an recitando totum Officium de communi Romano, vel dicendo tantum Lectiones proprias pro dicta Congregatione Benedictina concessas, eas tamen reducendo ad ordinem Romanum, uti hactenus consueverunt?

Dub. 3.: An praedictae Moniales et aliae quaecumque Ordinario subjectae possint continuare in antiqua consuetudine recitandi de omnibus Festis Dioecesanis, non obstante Decreto hujus S. C. R. 15. Julii 1769 in una Ordinis Minorum?

Dub. 4.: An particula illa: „Regulares possunt et debent“, ut in Decreto dato in una Ordinis Minorum 20. Martii 1683, importet rigorosum praeceptum, ita tamen, ut Festa illa, quae ad instantiam Regum conceduntur, in eorum Regnis et Provinciis, Ditionibus etc pro universo Clero saeculari et regulari stricte debeant ab ipsis Regularibus nulla praevia acceptatione recitari? An tantum praevia solummodo acceptatione Regis vel requiratur etiam acceptatio Praelatorum respectivorum?

Dub. 5.: An idem omnino dicendum super haec respectu Cleri saecularis?

S. eadem C. rescripsit, ut infra, videlicet

Ad 1. et *2.:* „Recurrant particulariter et doceant de Apostolica concessione facta Congregatione S. Benedicti Hispaniae et Angliae; quae si desit, transmittant Lectiones proprias Sanctorum redigendas ad ordinem Breviarii Romani.“

Ad 3.: „Negative et servetur Decretum diei 15. Julii 1769.“

Ad 4. et *5.:* „Terminos Indulti esse attendendos, utrum praeceptum importent vel simplicem facultatem. In Dubio autem recurrendum ad S. C. quoad casus particulares.“

N. 4501 die 20. Sept. 1806.

Ad relationem Benedictinor. Einsidl.: Cum saepe contingat, ut in Dioecesi celebretur unum et idem festum, quod etiam fit a Religione Benedictina, et alii in 3. n. assignant unum Evangelium alii vero aliud: Quaeritur: an Religiosi sequi debeant ordinem proprii Breviarii an Dioecesani? S. C. resp.: Servetur Ordo Breviarii proprii monastici nationalis. n. 4044 (dub. circa lection.) dub. 2 die 5. Maii 1736.

Regulares debent celebrare festa perpetuo translata in illis diebus in Calendario Dioecesis, auctoritate Ordinarii assignatis tamquam propriis, quando in illis diebus non occurrat festum

sui Ordinis. n. 4150 ad 1 die 7. Decb. 1743.

Clerici saeculares Choro non addicti possunt recitare de Sanctis Ord. Carmelitani, si sunt ejusdem Ordinis Tertiarii. n. 4176 ad 6 die 4. Sept. 1745.

Qui sunt de gremio alicujus Ecclesiae debent recitare Officium, quod in choro dicitur, licet morentur alibi. S. R. C. 30. Aug. 1602.

Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiae, non tamen obligati choro, non tenentur recitare Officia, quae in choro proprio dicuntur. n. 4227 ad 4 die 26. Aug. 1752; 30. Aug. 1602.

Ad dubia: 1. Utrum Alumnus Familiae Capucinorum iter faciens teneatur extra Chorum ad Officium, quod recitatur in Choro Coenobii, a quo discessit, vel alterius, ad quod pervenit?

2. Tempore Quadragesimae Divini Verbi Praecones commorantes extra Coenobium tenenturne se conformare Ordini Divini Officii Coenobii vicinioris vel ejus, ex quo discesserunt et ad quod redire post Pascha debent?

3. Eodem Quadragesimae tempore, quando fit Officium feriale, cui adnexum est Officium parvum B. M. V. vel Psalmi Grad., aut Poenit.: haec additionalia anticiparine possunt die praecedenti post Completorium, si anticipetur Divini Officii Matutinum?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit juxta alias decreta

Ad 1. „In itinere sequendum Divini Officii Ordinem Coenobii ex quo discessit: dum pervenit et manet in altero Coenobio et si ad tempus, hujus Ordinem Officii sequatur."

Ad 2. „Ad neutrum tenentur, sed se conformare debent ad Provinciae Kalendarium sine ulla diversitate pro omnibus quolibet Anno extensum."

Ad 3. Seclusa peculiari consuetudine servanda recensita additionalia obligant in Choro tantum, quae non sunt anticipanda, quia sunt onus diei. Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 31. Aug. 1839 n. 4874 ad 1—3.

Quum juxta Rubricas gen. Brev. Tit. VII. de Octavis Officium faciendum sit de Patrono vel Titulari Eccl. et quum varia dentur Decreta S. R. C. quoad personas, a quibus illud Officium est recitandum, hinc diversa est praxis inter Sacerdotes Archidioec. Mechlinien.

Quaeritur ergo: 1. An Sacerdotes saec., qui censentur alicui Eccl. adscripti, quia Missas ibidem celebrant, Confessiones excipiunt aut aliud quodcumque s. Ministerium exercent, possint Officium recitare de Patrono vel Titulari Eccl. (qui non est Patronus Civitatis vel Loci), ut habeatur uniformitas inter Sacerdotes illos et Pastorem ac Vicepastores Eccl., qui celebrant Festum Titularis ejusdem ritus dup. I. Cl. cum Oct., etiamsi nulla adsit obligatio ad Chorum?

Quaeritur: 2. An illi Sacerdotes, si possint recitare praedictum Officium, ad illud etiam teneantur, sicut non satisfaciant obligationi suae sequendo Directorium Dioecesis?

Quaeritur: 3. An iidem Sacerdotes recitare etiam possint et debeant alia Officia propriae Eccl., cui adscripti sunt, v. g. de Reliquia insigni alicujus Sancti, si vel ex speciali Indultu Apost. vel ex legitima consuetudine recitari ibidem soleant a Pastore vel Vicepastoribus?

Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes hac die Ordinariis in Comitiis ... respondendum censuit

Ad quaestionem 1. „Juxta alias decreta, negative; non enim censeri, sed revera esse debent adscripti stricto servitio uti Parochus et Viceparochus."

Ad Quaest 2. et 3. „Jam provisum in praecedenti."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 die 7. Decb. 1844.

Ad dub.: Quando quis causa itineris vel studii vel aliis de causis extra Patriam sive Dioecesim versetur, debetne recitare Officium sui Capituli, Ecclesiae et Beneficii vel etiam simpliciter Dioecesis, an vero Officium illius Loci, in quo reperitur? S. C. resp.: „Beneficiarii tenentur semper ad Officium propriae Ecclesiae, simplices vero Sacerdotes conformari possunt Officio Loci, ubi morantur." n. 4669 ad 30 die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: An Episcopus, quando reperitur in aliquo oppido suae Dioecesis in Visitatione seu alia de causa, possit licite recitare Officium SSrum, de quibus ex forma rubricarum seu ex concessione S. C., et quod sint patroni vel Titul., in eisdem oppidis recitatur et sic praecepto de recitando Officio satisfaciat? S. C. resp.: Posse et satisfacere. Die 5. Mart. 1643.

Adrien.

In S. R. Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunato a subscripto Secretario relatae quum fuerint preces Rectoris et Professorum Seminarii Civitatis Rodigii in Dioec. Adrien., quibus exponebant non unam inter ipsos vigere opinionem circa privatam horarum canonicarum recitationem, siquidem ipsi ad Cathedralem Adrien. non pertinentes adnexam habent Eccl. Sacramentalem, quae Parochialibus juribus vere gaudet quoad Seminarii ipsius Magistros et Alumnos, ac proinde opportunam solutionem efflagitabant super sequentibus quaestionibus, nimirum:

1. An Seminarii Alumni S. Ordinibus initiati adigantur in divinis Laudibus persolvendis ad Kalendarium adjectae Seminario Ecclesiae sequendum?

2. An idem Kalendarium sequi teneantur Magistri in Seminario ipso degentes seu commorantes, quamvis plerumque aliis in Ecclesiis Sacrosanctum Missae sacrificium celebrent, s. functionibus assistant, Sacramentales Fidelium Confessiones excipiant, vel potius Magistri ipsi teneantur sequi Kalendarium earumdem Ecclesiarum, queis ut supra inserviunt, ex ea potissimum ratione, ut Missa cum Officio concordet. S. C. singulis mature perpensis respondit:

Ad 1. „Affirmative."

Ad 2. „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Atque ita rescribere rata est ac proposita Dubia declarare. n. 5145 die 7. Sept. 1850.

b) Obligatio recitandi.

Alex. VII. damnavit seq. propositiones:

1. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud Benef. eccles., si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si off. per alium recitet.

2. In die palmarum recitans off. pasch. satisfacit praecepto.

3. Unico off. potest quis satisfacere duplici praecepto, pro die praesenti et crastino.

Romae die 24. Sept. 1665 et 18. Mart. 1666.

(Bullar. mag. append. ad tom. VI. p. 1 ed. Luxenb. 1727.)

Pius PP. Quintus.

Nos statuimus, ut, qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui caeteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei omittat; tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis can. cum aliis praesens adsit fructusque et distributiones forte aliter assignatas, sola praesentia juxta statuta, consue-

tudinem, fundationem vel alias sibi lucrifecisse praetendat etiam praeter fructuum et distributionum omissionem.

Item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, *gravi peccatum intelligat admisisse.* Declarantes praestimonia, praestimoniales, portiones et qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnio servitium habentia obtinentes, cum praedictis pariter conveniri. Ac quicunque pensionem, fructus aut alias res ecclesiasticas ut Clericus percipit, cum modo praedictum ad dicendum Officium parvum B. V. M. decernimus obligatum et pensionum, fructuum rerumque ipsarum omissioni obnoxium.

Datum Romae ap. s. Petrum 26. Sept. 1571.

De revocatione indulti non recitandi Officii vel mutandi etc. Vd.: *Indultum* (Revocatio n. XI.); *Ordinat. Graecor.* (n. V.); *Psallendimodus; Monial.* (Brev., decr. Clem. XIV.)

Benedictus PP. XIV.

In Ecclesia Occidentis imposita est presbyteris, diaconis et subdiaconis obligatio recitandi Offic. divinum, quamvis nullum ecclesiasticum Beneficium fuerint assecuti. Cohaeret enim Ordini s. diurnum pensum horarum canon.; illudque veteri traditione acceptum et immemorabili consuetudine in more positum fuisse docet communior Theologorum opinio.

Quantum assequi potuimus conjectura et testimonio Monachorum *Ritus Cophti* in Urbe degentium, quos ea de re percunctari non praetermisimus, *diaconi, subd. et presbyteri Ecclesiae Orientis* nulla lege expressa, Canone aut Concilii decreto adiguntur ad recitationem Officii divini; quia vero positi in hujusmodi ministerii gradibus tenentur omnipotenti Deo orationes et sacrificium laudis offerre, *etiam apud Orientales laudabilis invaluit consuetudo recitandi divinum Off.*

Memoriae proditum est Patriarcham Maronitarum plura proposuisse dubia Gregorio XIII., ut supremo judicio definirentur. Legimus §. 6. hoc potissimum: *Creamus,* inquit Patriarcha, *pueros quinque vel sex annorum Subdiaconos sine obligatione legendi horas canonicas.* En ap. definitio relata in opere P. Thomae a Jesu: *Tenentur etiam omnes Ordinati ad horas can. saltem illi Nationi consuetas et a viris doctis recognitas, non solum Beneficiati sed etiam, qui sunt in Sacris sine Beneficio.* Qua de re, si disciplina ecclesiae orientalis subjicit obligationi et praecepto recitandi off. divinum *more Nationis* generatim omnes in s. Ordine constitutos, eadem sane obligatio idemque praeceptum persolvendi horas canonicas *more suae Nationis* afficiat diaconos Cophtos, qui per sol. ratificationem tempore habili emissam denuo assensum praestitere Ordini sacro in infantili aetate suscepto.

Instructio Bened. XIV. ad Cophtos die 4. Maii 1745 (Bullar. r. t. XVI. p. 297 §. 43—45.).

31) Omissio.

Ad dubium: Utrum, si in choro vel privatim omissum est per oblivionem vel inadvertentiam fieri Officium duplex vel semid. alicujus Sancti eodem die, quo debebat secundum rubricas, debeat illud fieri in aliquo alio die vel ejusdem mensis vel alterius sequentis non impedito Officio 9 ll. S. C. resp.: *Negative.* n. 2634 die 17. Junii 1673.

Ubi habetur, quod praetermisso Officio semel in hebdomada vel in mense ex indulto ap. recitando recitari possit Officium ad libitum eadem die occurrens, quaeritur: an illud verbum: *praetermisso* intelligi debeat de intermis-

sione illius diei, quo occurrit, vel praetermittendum sit omnino infra totum illum mensem? S. C. resp.: Consideranda verba indulti ap. et servanda, prout sonant verba. n. 3005 ad 3 die 28. Decb. 1682.

Vd.: *Officium* (translatio in seq. etc.).

32) Particulare.

a) Concessio.

Vd.: *Officium feriale* (estne evit. etc. decr. n. 4512 nota); *Translat. festi particul. etc.*; *Sancti*; *Regulares*; *Off.* (ex Indulto concess.); *SS. Sacrament.* (Off. fer. V.); *Off. romanum.*

Officium per Breve Apostolicum alicui regno particulariter concessum non potest recitari in alio regno, quamvis duo regna sub unius Regis potestate existant. n. 263 ad 3 die 11. Junii 1605.

Missionarii in Hollandia et confoederatis Provinciis, quae ante rebellionem subjectae erant Regi cathol., possunt recitare officia concessa pro dominiis vel Terris Regis Hispaniarum. n. 3089 ad 3 die 2. Junii 1685.

Regulares absque speciali privilegio sed sola communicatione privileg. aliarum Religionum non possunt addere nomen Sancti Fundatoris in Lytaniis et Confiteor, nec recitare Officia et missas concessas aliis Religionibus. S. R. C. 20. Mart. 1606.

Ad dubium: An in Regno Portug. recitari possit officium de festis particulariter concessis per Breve ap. Regno Hispaniae, ut est festum Expectationis et alia similia, attento quod regna sunt diversa, quamvis sub unici regis potestate existant? S. C. resp.: Negative. Die 11. Junii 1605.

Ad dubium: an fratres Minores, qui tenentur facere Officium secundum Calendarium rom., propter communicationem seu participationem Privilegiorum Mendicantibus concessam, possint recitare Officia specialiter alteri religioni concessa, ut de corpore Christi, tempore Adv. et Quadragesimae? S. C. resp.: *Negative* et quatenus extensio petatur, omnino quoad tempus Adventus et Quadrag. non esse concedendam. n. 2903 ad 3 die 30. Sept. 1679.

Pro parte R. P. Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia impositum fuit apud S. R. C., quod in aliquibus Provinciis Hispaniarum nonnulli abusus irrepserint circa extensionem concessionum aliqua Officia recitandi, quibus, licet Congregatio Generalis Ordinis Toleti celebrata anno 1673 juxta decreta ab hac S. R. C. emanata occurrerit, nihilominus aliqui Fratres Provinciarum Discalceatorum sub praetextu, quod Constitutionibus generalibus Ordinis non obligentur, adhuc inhaerent. Et cum non solum ex generali lege, sed speciali suae Regulae praecepto Fratres minores Officium divinum faciunt secundum ordinem s. Romanae Ecclesiae, ideo, ut hoc praeceptum exactius observetur, abusus extirpentur et in toto corpore Religionis sibi subjecto uniformiter laudes Deo persolvantur, idem Pater Generalis pro sui muneris ratione supplicavit, quatenus eadem S. C. sequentia puncta dignaretur declarare:

1. An Communicatio etiam amplissima Privilegiorum unius Religionis alteri facta se extendat ad Officia Sanctorum?

2. An facultas recitandi Officium de aliquo Sancto concessa specialiter Minoribus Conventualibus vel Capuccinis vel Fratribus tertii ordinis S. Francisci vel Monialibus S. Clarae, S. Elisabeth, Conceptionis aut Annuntiatae, se extendat ad Fratres Minores de corpore Observantiae, sive de familia, sive Reformati, sive Excalceati, sive Recollecti dicantur, ita ut isti licite illa uti possint?

3. An facultas recitandi aliquod Officium concessa specialiter Fratribus Minoribus Reformatis Italiae sub hoc nomine se extendat ad Observantes de Familia, vel Excalceatos Hispaniae, vel Recollectos Galliae et e converso?

4. An eadem facultas concessa specialiter Fratribus Minoribus de Observantia Familiae Cismontanae se extendat ad Fratres ejusdem Ordinis Familiae Ultramontanae et e converso?

5. An facultas recitandi aliquod Officium concessa specialiter alicui Provinciae, se extendat ad alias Provincias ejusdem Ordinis et Instituti, aut concessa specialiter alicui Conventui, se extendat ad alios Conventus ejusdem Ordinis vel saltem ejusdem Provinciae?

6. An concessio recitandi singulis mensibus una die, festo novem Lectionum non impedita, Officium S. Clarae a fel. rec. Clemente X. Fratribus Minoribus Regularis Observantiae absolute facta sit intelligenda cum moderatione similibus Officiis ab eadem S. C. posita, nempe exceptis Quadragesima, Adventu, quatuor Temporibus et Vigiliis vel absolute, ut sonat?

Et eadem S. R. C. quoad 1, 2, 3, 4, 5, 6 respondit: „Esse intelligendum cum moderatione. Et ita declaravit et praedicta omnia ab omnibus Fratribus Regularis Observantiae non solum de familia, sed etiam Recollectis, Reformatis, Discalceatis, aut aliquovis nomine nuncupatis servari mandavit, sub poenis arbitrio praefati Patris Ministri Generalis ejusque successorum pro tempore imponendis contra inobedientes, non obstantibus quibuscumque.“ n. 2906 die 16. Decb. 1679.

Officia SS. proprii Ordinis ex concessione SS. PP. recitata a Canonicis Regularibus Later. sub ritu dupl. min. sine solemnitate in occursu cum alio dupl. min. de Calendario possunt a dictis Canonicis suis propriis diebus assignatis in proprio octavario recitari transferendo Officium Sancti de Calendario, dummodo illa sunt antiquiora et ex concessione. n. 2943 ad 1 die 1. Mart. 1681.

Officium s. Petri de Arbues concessum Hispaniarum regnis non potest in Lusitania aliisque regnis extra Hispaniam recitari. n. 3521 die 30. Maii 1699.

Conventus PP. Carmelitar. excalceator. Wilnen. in Lithuania refert: Cum de concessione Officii s. Ursulae et Sociar. VV. non constet de Sede ap. et tamen omnes Dioeceses de illa habeant Off. dupl. 21. Octb., quaeritur: an licite possint omnes de illa habere Officium ...? S. C. resp.: Officia particularibus locis concessa quamvis SSrum in martyrologio rom. expressorum, Sede ap. inconsulta, non posse ab aliis recitari. Hinc, cum sermo sit de Officio s. Ursulae etc. adprobato ac non semel concesso, ejus extensio expetenda est, ut Officium licite ac valide recitari possit in iis locis, in quibus s. Ursulae festum cum Officio celebratur absque S. C. indulto. n. 4110 ad 5 die 22. Apr. 1741.

Moniales locorum Ordinariis subjectae non tenentur recitare Officia particularia Dioecesium. n. 4162 die 22. Aug. 1744; 20. Novb. 1683.

Ecclesia Colleg. Nullius in Dioecesi Spiren. recitat plura Officia, quae ad calcem aliquorum Breviar. reperiuntur approbata a S. Sede, quaeve pro sua Dioecesi adoptavit Episcopus, licet sint approbata solummodo pro quibusdam regionibus, non vero pro terris Regis Galliarum, sub cujus dominio a saeculo et ultra sita est dicta Ecclesia Colleg. Quaeritur: an Collegiata recitare teneatur praedicta Officia concessa quibusdam tantum regionibus? S. C. resp.: Negative. n. 4330 ad 3 die 21. Jan. 1766.

Callien.

Precibus Kalendaristae Dioecesis Callien. exquirentibus: num in nonnullis peculiaribus Officiis praeter Lectiones et Orationes legi etiam debeant, quae propria adprobata sunt pro aliis Dioecesibus, quamvis extensionis Indultum id non exprimat, rescriptum fuit: „Negativo in omnibus, sed juxta Indultum.“ Die 7. Decb. 1844. n. 4982.

Ratione communicationis privilegiorum non potest recitari peculiare Officium concessum illis Ordinibus regul., de quorum privilegiis facta fuit communicatio. S. R. C. 15. Sept. 1668 *in Januensi.*

Communicatio etiam amplissima privilegiorum unius Religionis alteri facta non se extendit ad Officia Sanctorum. S. R. C. 16. Decb. 1679.

Recitantur in aliquibus dioecesibus ab aliquo tempore Officia de ss. mm. Garcomiensibus (quod est concessum pro Belgio) et de s. Erasmo e. m., sub ritu dupl. ad libit., licet sit nullum fundamentum horum extensionis ad regnum nostrum; supplicatur proinde declarari, utrum licite possit horum Officiorum recitatio continuari?

S. C. resp.: Non posse continuari. Die 7. Maii 1746 *in Varsav.*

Ad dubium: Num clerus adscriptus Ecclesiae parochiali aut non paroch. nulloque praeditus beneficio possit Officia particularia earundem ecclesiarum recitare, etsi consuetudo non fuerit inducta ante bullam laudatam (S. Pii V. edit. 1568), sed a paucis annis?

S. C. resp.: Negative. Die 20. Sept. 1806 ad 17. *In Brix.*

b) Estne de praecepto an ad libitum?

Officia dupl. vel semid. in locis, in quibus concessa sunt, recitari debent juxta rubr. Brev. rom. ad formam concessionum. n. 3172 ad 2 die 25. Sept. 1688.

Qui particularia Officia recitare desiderant, instent pro illorum approbatione et concessione. n. 4134 ad 1 die 1. Decb. 1742.

c) Translatio.

Vd.: *Transl. festi particul.*

33) Parvum B. V. M.

a) Anticipatio.

Vd.: *Regulares* (Officium; decr. 31. Aug. 1839 ad III.); *Officii oblig.* (ad quod? decr. n. 4874 ad 3.)

b) Approbatio.

Pius PP. V.

Cum curam et operam adhiberi mandaverimus in emandando ac corrigendo B. V. M. Officio, illudque ipsum correctum et a Nobis probatum fuerit, Romae imprimi et divulgari jussimus. Omnia inde et singula alia Officia hujusmodi quovis titulo et nomine quomodolibet pervulgata omnemque illorum usum approbatione apostolica ac consuetudine et institutione (inveteratis infra dicendis salvis) ab omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus saecul. vel quorumvis Ordinum regularibus tollimus et abolemus, ipsisque sub virtute s. obedientiae interdicimus, ne aliud quam hoc de mandato nostro emendatum B. V. M. Officium quovis praetextu dicere, recitare seu tenere quoquo modo audeant; *illis tamen officiis exceptis* (dummodo vulgari sermone non sint composita) *quae ab ipsa prima eorum institutione a Sede ap. expressa approbata fuerunt vel quorum officiorum certum usum consuetudine aut ipsa institutione, supra tamen ducentos annos, assidue in ecclesiis, monasteriis et locis utriusque*

sexus Ecclesiasticorum observatum fuisse constiterit.

Quibus sic *obligatis* suum officium inveteratum *non adimimus*, sic eisdem, si forte hoc nostrum magis placet (Episcopo vel Praelato et universo Capitulo in eo consentiente), ut illud etiam in choro dicere possint, permittimus. Ab eis vero, qui ad ejusdem Officii recitationem *non aliqua obligatione tenentur*, omnem eorumdem Officiorum vulgari sermone quomodolibet compositorum atque similis idiomatis vulgaris orationum, etiam aliis officiis latini sermonis insertarum, *usum penitus etiam auferimus*, statuentes huic nostro officio edito nihil ullo unquam tempore per quemcunque quavis auctoritate fungentem quovis praetextu addi, detrahi vel immutari debere, ac *omnes et singulos, qui hoc officium dicere tenentur, ex hujus Nostri rom. Officii praescripto et ratione ad id obligatos esse et neminem muneri suo nisi hac formula satisfacere posse.*

Ac ut fidelium omnium studium magis ad hujus officii usum incitetur, omnibus et singulis, *qui ad recitationem non tenentur*, quoties istud sic de mandato nostro reformatum, quinquaginta dies, qui vero *Officium def.* eodem volumine insertum, alios quinquaginta, qui *septem psalmos grad.* insertos, alios quinquaginta et qui *aliquam ex orationibus insertis* devote recitaverint, alios quindecim dies de injunctis sibi poenitentiis in Domino relaxamus: *obligatis vero* eas dumtaxat indulgentiam concedimus, quae literis nostris super reformatione novi Brev. editis designantur.

Dat. Romae ap. s. Petrum 11. Mart. 1571.

Vd.: *Off. parv. B. V. M.* (oblig. decr. n. 4631 *nota*); *Off. roman.*

c) Obligatio.

Vd.: *Off. parv. B. V. M.* (approb.); *Alleluja; Te Deum; Psalmi gradual.* (non obligat. decr. n. 4119); *Regul.* (Off. decr. 31. Aug. 1839 ad III.); *Off.* (oblig. recit. decr. Pii V.)

Etiamsi Officium parvum B. V. M. prius recitatum fuerit, tamen et commemor. in hon. B. V. in Ecclesiis eidem dicatis in Officio currenti (suffragiis) fiant. n. 231 die 10. Jan. 1604

Servanda est antiqua et laudabilis consuetudo, ubi recitatur in choro Off. parv. B. V. M. etiam in semid. et dominicis non obstante rubrica Brev. S. R. C. 1. Sept. 1607.

Officium parv. B. V. M. recitari debet *tempore paschali,* prout in Brev. rom. (sine alleluja post ant. et Vers.) n. 618 ad 2 die 28. Mart. 1626.

Off. parvum B. V. M. dici debet in choro etiam in Dominicis, si aderat consuetudo. n. 2364 ad 6 die 13. Febr. 1666.

In festo Annuntiationis B. V. M. ob adimplementum fundationis recitandum esse Officium parvum ejusdem praescriptum in Breviario tempore Adventus. n. 3905 ad 2 die 2. Apr. 1718.

Ad dubium: an Capitulum Cathedr. Pernabucen. possit in bona conscientia omittere recitationem Officii parvi B. V. M. in diebus simpl. et ferial., eo quod tenues sint praebendae et nulla adsit consuetudo dictum Officium recitandi? S. C. resp.: Officium parv. B. V. M. in diebus simpl. et ferial., non abrogata tamen consuetudine, quae in contrarium fortasse vigeret, tuto potest omitti. n. 4176 ad 5 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium: Utrum Oppido Villafranca extendatur decr. in Pernabucen. de 4. Sept. 1745? S. C. resp.: Negative. n. 4542 ad 4 die 30. Sept. 1817.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Non omnibus aeque hoc onus injunctum est, sed iis dumtaxat qui

consuetudinem habent. S. Pius V. in Constit: *Quod a nobis postulat etc.*, quae Breviario Romano praeficitur, declaravit illos, qui Divinum Officium recitare tenentur, dum illud privatc recitant, non esse simul adstrictos ad aliud parvum B. M. V.; voluit tamen omnino servari consuetudinem illarum Ecclesiarum, *in quibus Officium parvum B. M. V. in Choro dici consueverat.* Hinc S. R. C. propositis super hac re quaestionibus, inhaerendo *Pianae Constitutionis* dispositioni, semper rationem habuit Ecclesiarum consuetudinis, qua attenta, juxta diversam casuum exigentiam vario modo respondit, quin sibi contradiceret. In *Pernabucen.* tuto omitti posse in Choro Officium parvum declaravit, quia expositum fuerat: *Nullam adesse consuetudinem praedictum Officium parvum recitandi.* Sed ut caute procederet neque videretur decidendi rationem petiisse a tenuitate praebendarum aut a consuetudine, si quae forte erat, dispensasse, simul addidit clausulam: *non abrogata tamen consuetudine, quae in contrarium forte vigeret.* Atqui in Ecclesia Capitulari Oppidi de Villafranca vigebat consuetudo recitandi in Choro Officium parvum et haec per contrarium inductum morem abrogata non est; ideo ad eam trahí nequit antedictum Decretum in Pernabucen., in qua asserebatur, non adfuisse consuetudinem. Videtur idcirco Capitulum Oppidi Villafranca absolvendum non esse ab onere recitandi Officium parvum B. M. V. in Choro diebus ferialibus et ritus simplicis, veluti alias declaraverat eadem S. C. in Decretis legen. in hac Collectione.

Ad dubium: an Officium parv. B. V. M. recitari debeat in choro (exstante laudabili consuetudine) in festis dupl. et in octavis Resurrectionis et Pentecostes, non obstante rubrica Breviarii? S C. resp.: Servandam esse laudabilem consuetudinem etiam in festis dupl. per annum, non autem in octavis Pasch., Resurrectionis et Pentecostes. n. 4549 ad 9 die 25. Aug. 1818.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Hac super controversia videri potest adnotatio ad dubium Decreti supra *relati.* Sed quoniam non simpliciter petitur, num in Choro recitandum sit *Officium parvum B. M. V.*, sed etiam quaeritur: num retinenda sit laudabilis consuetudo illud legendi in duplicibus, necnon Octavis Paschatis et Pentecostes; ideo iis, quae dicta sunt, aliquid pro casuum diversitate adjiciendum superest. Rubrica, quae habetur in Breviario Romano ante Officium parvum B. M. V. haec est: *Non dicitur, quando fit Officium novem Lectionum, nec in Vigilia Nativitatis Domini, nec in Feriis majoris hebdomadae, nec infra Octavas Paschatis et Pentecostes.* Qua posita et literaliter accepta Rubrica negativo responso absolvenda foret omnis quaestio et omittendum praefatum Officium etiam in semiduplicibus, quia in his aeque ac in duplicibus leguntur novem Lectiones. Atqui secus censuit S. R. C. in Trojana 1. Sept. 1607 proposito Dubio respondens: *Dictam Ecclesiae Trojanae laudabilem consuetudinem recitandi Officium parvum B. M. V. in Choro etiam* in *Dominicis diebus et Festis semiduplicibus servandam esse:* et jure id quidem. Nam *S. Pius V.* in Constitutione: *Quod a nobis postulat etc.* sub initium Breviarii Romani legenda, postquam decreverat absolvendos esse ab onere Officii parvi persolventes privatim horas canonicas, continuo addidit: *Hoc autem concedimus sine praejudicio consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum Beatae Mariae semper in Choro dici*

consueverat: Generalis cum sit hujusmodi reservatio, quin Constitutio coërceat vel declaret consuetudinem retinendam esse dumtaxat in diebus ferialibus aut festivis ritus simplicis, palam fit, sapientissimum Pontificem praeservatum voluisse laudabilem morem recitandi Officium Parvum etiam in duplicibus. Videri possunt hac super re *Gavantus* ad Rubricas Breviarii *sect. 9, c. 1, n. 5 et seq. et Guyetus in Hortologio lib. 4, cap. 19, quaest. 4 et 5.*

Canonici Colleg. Montis Sancti Firmanae Dioeces. non esse cogendos ad recitationem in choro statutis diebus Officii B. V. M. n. 4254 die 14. Junii 1755.

Quaestio inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Alexandrinae in Subalpinis exorta semel atque iterum est: an ad Psalmorum Poenitentialium, Gradualium, Officii defunctorum et Beatae Mariae Virginis recitationem statutis a Rubrica temporibus ac diebus teneantur? Aliquibus inter eos denegantibus aliqui affirmant et diversis, ut quisque suam protueatur sententiam, rationibus innituntur.

Totius rationis ratio quum in eo sita sit, ut Apostolicis Literis diei 1. Junii 1803 Alexandriae Capitulum suppressum extinctumque fuerit et in Collegiatam erectum, aliisque similibus Literis diei 2. Augusti 1817 iterum in Capitulum erectum, per illam suppressionem omnem consuetudinem abrogatam esse contendant, dum nonnulli illam resumendam esse affirment. Ad quaestionem omnem dirimendam infrascriptum Dubium S. R. C. enodandum proposuere Dignitates et Canonici Cathedralis Alexandriae, nimirum:

„An attentis circumstantiis, de quibus supra, abrogata censenda sit consuetudo recitandi Offic. parvum Beatae Mariae Virginis, Defunctorum, Psalmos Graduales et Poenitentiales in Cathedrali Alexandrina, atque adeo, num Canonici ab iis recitandis soluti sint eaque propterea Officia persolvere deinceps possint ex sola devotione?“

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto pandito praeloque cuso, re mature diligenterque discussa perpensisque rationum momentis ab utraque parte allatis, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Placidi Zurla Ponentis, respondendum censuit: *Juxta Votum,* nimirum:

„Attenta vigente olim consuetudine teneri Canonicos Officia et Psalmos, ut in Dubio, recitare, ac servanda esse hujus Sacrae Congregationis Decreta.“

Et ita decrevit et servari mandavit. N. 4631 die 22. Sept. 1827.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Ex Decreto colligimus Cathedralem Ecclesiam Alexandrinam anno 1803 suppressam fuisse, dein vero in Collegiatam commutatam, in quo statu qualitateque perseveravit usque ad annum 1817, quo tandem a Sa. Me. *Pio VII.* Apostolicis Literis datis die 2. Augusti in Cathedralem fuit restituta aut noviter erecta, dato in nova Dioecesium circumscriptione eidem Ecclesiae Episcopo. Scire nullatenus interest, num intermedio tempore, quod a suppressione ad reintegrationem vel novam erectionem computatur, legitime fuerit in veram Collegiatam conversa: illud potius attendi debet, quod Capitulum usquequo existenti Cathedrali inservivit, stetitque Episcopalis Sedes, consuevit Horis Canonicis addere Officium parvum B. M. V., illud defunctorum, Psalmos Graduales et Poenitentiales diebus ferialibus vel recurrente Officio ritus simplicis, juxta formam praescriptam in Rubricis Bre-

viarii a Sancto Pontifice Pio V. reformati. Ab hoc onere adimplendo, extincto Capitulo, cessatum fuit, prout cessarunt jura aliaque onera omnibus Cathedralibus communia vel peculiaria, vigore Instituti et Constitutionum Alexandrini Capituli. Eo tamen reintegrato vel per restitutionem, vel per novam erectionem reassumenda erat etiam vi praefatae Pianae Constitutionis antiqua consuetudo recitandi Officium parvum B. M. V. etc. nec poterant Dignitates et Canonici, ut perperam nonnulli opinabantur, se ab eodem onere ita solutos credere, ut ad interruptam consuetudinem redire non tenerentur, eo sub praetextu, quod in Literis Apostolicis reintegrationis aut novae erectionis de eadem consuetudine reassumenda nulla mentio occurreret. Id opus non erat et sicuti restituebantur antiqua jura, ita etiam et onera vel ex lege vel ex consuetudine, saltem quoad ea, quae respiciunt Divinam Psalmodiam in Choro persolvendam. Rationes autem subtilesque argumentationes ab aliquibus productae, ut sese Capitulumque eximerent a praefato onere, putantes per reintegrationem vel novam erectionem, ut restitutam praefatam consuetudinem non esse habendam. Merito igitur re delata ad S. R. C. Eminentissimi Patres eidem praepositi nihili habendas esse allatas rationes et subtiliter deductas argumentationes declararunt, propterea restitutum Capitulum teneri ad recitationem Officii parvi B. M. V. etc., juxta consuetudinem, quae obtinuerat usque dum Cathedralis Capitulum steterat. Haud prodesse poterat interrupta consuetudo ad sustinendam opinionem contrariam: nam eadem S. C. in quaestionibus hac super re quandoque exortis nihil pendendum morem censuit ab laudabili consuetudine alienum, quacumque ex causa idem fuerit inductus, semperque respondit parendum esse Constitutioni S. Pii V. et Rubricis Breviarii reformati, primaevamque consuetudinem esse restituendam. Ita sub die 28. Januarii 1606 *in una Svessae* et in *Pacen.*, *cum petiissent Canonici et Capitulum declarari: an tenerentur recitare Officium B. M. V., illud defunctorum etc., prout assignantur in Breviario reformato etc., quae recitari consueverunt ante acceptationem dicti Breviarii reformati, sed non in omnibus diebus in Rubricis postea praescriptis in memorato Breviario reformato, sed in quibusdam tantum diebus, quae consuetudo in desuetudinem postea abiit* sub inani praetextu, quod *Constitutio S. Pii V.*) non obligat sub poena peccati mortalis*, responsum fuit: *Teneri in Choro recitare Officium parvum B. M. V. etc. in diebus, in quibus assignantur in Breviario reformato etc extra Chorum excusari, si .... non celebrent.* Ita sub die 10. Januarii 1609. Vide etiam aliud Decretum in Seguntina die 10. Mart. 1657 et tandem in *Nolana;* tanto cum rigore id esse intelligendum ab eadem S. C. declaratum fuit sub die 30. Mart. 1660, ut mos semel inductus nequeat aboleri per contrariam consuetudinem post Bullam Pii V. introductam et *hanc esse abusum imperscriptibilem.* Si abusus imperscriptibilis est, quanam ratione, colore ac praetextu poterunt

---

*) „Nos propter varia hujus vitae negotia multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea praescriptione (dicendi Off. p. B. V. M.) removendum duximus, verum omnes vehementer in Domino cohortamur, ut remissionem nostram sua devotione praecurrentes illis precibus suae et aliorum saluti consulere studeant, *atque omnibus, qui in diebus in rubricis praefinitis B. V. M. Officium dixerint, toties centum dies de injuncta ipsis poenitentia relaxamus*" (Breve Pii V. diei 15. Jun. 1568 in Bull. rom. t. II. p. 279.). Vd.: *Off. p. B. V. M.* (Approb.)

Cathedralis Alexandrinae Dignitates et Canonici ab onere se censere solutos, cui sese obligaverunt Breviarium reformatum acceptantes?

Ne quis opponat Decretum in *Nucerina* die 11. Junii 1629, quo declaratum fuit, ab Episcopo *cogi non posse* Nucerinae Cathedralis Canonicos ad recitandum in choro Psalmos Graduales etc., nam ea in Ecclesia similis consuetudo non aderat et nunquam adfuerat, nec propterea novum onus erat imponendum, quo ejusdem Capitulum se gravare nolebat. Igitur Decretum hoc, et, si quae sunt alia hujusmodi, contradictionem non involvunt, sed inter casus et casus ponunt differentiam, ut clarius explicatum video ab eadem S. C. in *Pernabucen.* die 4. Septembris 1775, nam ad dubium hisce conceptum verbis: *An Capitulum possit in bona conscientia omittere recitationem Officii parvi B. M. V. in diebus simplicibus et ferialibus, eo quod tenues sint dictae Praebendae et nulla adsit consuetudo praedictum Officium parvum recitandi?* respondit: *Officium parvum B. M. V. in diebus simplicibus et ferialibus*, **Non abrogata tamen Consuetudine, quae in Contrarium fortasse vigeret**, *tuto posse omitti.* Ex hoc responso facile quisque intelligit, quid sit servandum; nam tuto omitti posse praefatam recitationem respondit, quia expositum fuerat *nullam adfuisse consuetudinem*, sed simul Decreto additam voluit clausulam conditionemque praeservativam: *Non abrogata tamen consuetudine, quae in contrarium fortasse vigeret*, quod idem est, ac si resposum fuisset: *Consuetudinem omnino servandam recitandi praefatum Officium, si aliquando ea in Cathedrali obtinuisset.*

Haec adnotanda duxi, non quia Decretum latum pro Ecclesia Cathedrali Alexandrina illustratione indigeret, verum, ut ostenderem, quae constans sit Sacrae hujus Congregationis mens et sententia, videlicet, quod nullo sub praetextu, nulla ex causa recedendum sit a recitatione Officii B. M. V. in choro, etiam si quacumque ex causa constet morem a Rubrica praescriptum fuisse interruptum.

Ab hoc onere dumtaxat libera esse Capitula, qnae nullo unquam tempore illud sibi imposuerunt.

d) Tempus.

Vd.: *Offic.* (oblig. ad quod? decr. n. 4874 ad 3).

Non extat requisita consuetudo, an de licentia Superioris Fer. IV. Cinerum possint Sanctimoniales Ord. s. Clarae in Choro sic Officium dividere, ut hora 5. post meridiem diei praecedentis recitent Psalmos Graduales post collationem, seu serotinam comestionem Matutinum cum Laudibus Officii parvi B. M. V., et media nocte Officium Feriale.

Emi et Rmi P. S tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Quoad Psalmos Graduales posse, sed Officium parvum B. M. V. uniendum Officio feriali juxta Rubricas."

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 1 die 7. Sept. 1850.

34) Passionis D. N. J. Chr.

Vd.: *Vesperae dimid.* (decr. n. 4878); *S. Spinea Coron. D.* (decr. n. 4928).

35) Pater, Ave, Credo.

Sacerdotes et Clerici recitantes Officium in Triduo Passionis D. N. tenentur in principio et fine ejusdem Officii recitare „*Pater*, *Ave*, *Credo*." Accidit, quod terminato Officio recitatur Matutinum pro sequenti die. Quaeritur: An in inchoatione dicti Matutini teneantur dicti Oratores ad iterum replicandum dictum *Pater etc.*

vel sufficiat pro utroque Officio jam recitatum in fine Officii?

S. C. resp.: Teneri ad replicationem. n. 2596 die 3. Sept. 1672.

36) Quinque vuln. Chr. in Quadrag.

Vd.: *S. Spinea Coron. D.* (decr. n. 4928); *SS. Sanguis J. Chr.* (transl., decr. n. 5025); *Officium Mysterior. et Instrument. etc.*

Ad dubium: An Officium ss. 5 Vuln. Chr. primae ex feriis sextis mensis Martii assignatum sub ritu dupl. maj., incidens in dupl. 2. cl., transferri possit etiam ad tempus paschale deficiente die libera inter Quadrag.?

S. C. resp.: Servandas regulas in tabella occurrentiae vel concurrentiae expositas et Off. ss. 5 Vuln. Chr. non transferendum ad tempus paschale sed in casu omittendum.

Die 14. Junii 1845 ad 4. *In una Ord. M. s. Franc. de Obs.*

37) Recitatio dubia.

Ad dubium: An pertineat ad Capitulum vel Archiepiscopum decernere super difficultatibus occurrentibus circa recitationem Officii et in Congregatione propterea habenda debeat praesidere deputatus a Capitulo vel ab Archiepisco?

S. C. resp.: *Dilata.* n. 3370 ad 3 die 3. Sept. 1695.

Vd.: *Officium* (oblig. ad quod?); *Episcop.* (Off. recit., decr. n. 1437).

38) Recitandum, quod ex duobus Officiis?

Vd.: *Off.* (Oblig. ad quod?); *Indult.* (Revoc. n. XI.).

Archidiaconum Melphiten., ad praesens Vicarium general. Licien., teneri recitare Officium juxta ritum Ecclesiae Licien. n. 2586 die 14. Maii 1672.

Ad dubium: Si aliquod festum dupl. sive semidupl. pro universali Ecclesia noviter a S. Sede ap. institutum vel instituendum occurrat singulis annis eodem die festo dioecesano ejusdem ritus, de quo prius sit faciendum Officium?

S. C. resp.: De instituto pro universali Ecclesia. n. 3463 ad 1 die 15. Martii 1698. Si non sint ejusdem ritus, Episcopus in sua dioecesi non potest minus digno diem fixum assignare. *Ibidem ad 2.*

Ad dubium: An parochus 2 Ecclesiarum unitarum debeat de ambarum Patrono et Titulari recitare Officium?

S. C. resp.: Prout utroque Titulari affirmative, maxime si Ecclesiae sint peraeque unitae. n. 3477 ad 6 die 5. Julii 1698.

39) Recitationis Modus.

Cf.: *Chorus* (Modus etc.); *Laudes* (recitatio in choro etc., decr. n. 4672 *nota*); *Officium* (Pater, Ave, Credo); *Psallendi modus.*

Ad dubium: Aliqui in recitatione Divini Officii tam in choro quam privatim signum Crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt et se inclinant etiam in his locis, in quibus Rubrica nec Missalis nec Caeremonialis id praescribit. Quaeritur ergo: quando haec omnia sint facienda tam in publica quam in privata Divini Officii recitatione?

S. C. resp.: „Serventur Rubricae." n. 4669 ad 43 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: An Canonici assurgere debeant, quando Antiphonae per gyrum ab uno ex hebdomadariis intonantur? et quatenus non teneantur, an tecto vel detecto capite in actu, quo antiphona per hebdomadarium intonatur, stare teneantur? Et an alii presbyteri, qui dicuntur in quaranta sicuti Clerici Seminarii, qui sunt inferioris Ordinis in casu praedicto surgere debeant?

S. C. resp.: Surgere debent Canonici, quando ab ipsis cantatur antiphona, et eodem modo Beneficiati, quando ab ipsis cantatur.

Die 20. Nov. 1677.

40) Recitatio privata in choro.

Vd.: *Chorus* (Modus recit. Off., decr. n. 4699).

41) Recitationis tempus.

Vd.: *Chorus* (tempns); *Indult.* (revocatio n. XI.); *Laud.* (recit. in choro etc.).

Pius PP. VI.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli et Canonicorum ecclesiae cathedralis Palentinae congregationis VV. FFr. Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini interpretum expositum fuit, quod, cum adesset in eadem ecclesia consuetudo immemorabilis recitandi matutinum cum laudibus hora media noctis tam aestivo quam hyberno tempore, serio perpensis incommodis, quae hunc piissimum et pervetustum morem comitabantur, fuit ipsi derogatum a tunc existente Episcopo ex hora media noctis ad nonam deflectendo; verum quia providentia ejusdem Episcopi capitulo praedicto non satisfecit propterea, quod per horam ab ipso determinatam non removebantur incommoda interessentibus obvenientia cum notabili eorum salutis detrimento, hinc idem capitulum praedictae congregationi preces obtulit pro horae immutatione, aptius censendo, matutini persolutionem tam hyeme quam aestate transferre post sonitum vespertinae salutationis; requisito vero de more ab eadem congregatione Episcopo, Vicarius capitularis legitime deputatus, ex eo, quia ecclesia hujusmodi suo pastore viduata erat, retulit, justam et rationabilem esse capituli instantiam neque ullum sive in libris sive in actibus capitularibus ejusdem ecclesiae statutum formale reperiri circa tempus praedictas horas canonicas absolvendi, sed tantum mentionem fieri consuetudinis immemorabilis, quae ad haec usque tempora non sine magno ad praedictas horas interessentium periculo perseveravit.

Quare eadem Congregatio edidit decretum tenoris sequentis, videlicet:

Die 29. Aprilis 1780.

Sacra Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum attenta relatione Vicarii capitularis Palentini benigne commisit eidem, ut veris existentibus narratis supradictis oratorum precibus pro suo arbitrio et conscientia gratis indulgeat juxta ejus votum, nempe, quod matutinum et laudes canantur hora nona post solis occasum.

L. Card. Pallavicinus.

(Loco signi.)

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, quo decretum hujusmodi firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum decretum una cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique apostolicae inviolabilis firmitatis robur adjicimus omnesque juris et facti, etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Datum Romae die 7. Junii 1780.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 206.)

Pius PP. VII.

Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii Dignitates, Canonici et Mansionarii Cathedralis ecclesiae Nicoterensis, se ex eo, quod in eorum capitulo exstitit tum cura animarum, quae unica totam istam civitatem amplectitur, tum quaedam communia, sic nuncupata, ob quam Capitulares omnes emolumentis et distributionibus chori participant, adeo nimis et frequenter anniversariis, funeralibus missisque cantatis partim fixis partim adventitiis urgeri ac premi, ut hyemali praesertim tempore, etsi praestitutum initium chori antevertant, totum mane tamen usque ad meridiem in ecclesiae functionibus indesinenter impendant. Huc porro accedere chori ecclesiaeque structuram, quae cunctis pondus molestiae, nonnullis vero discrimen valetudinis auget: chorus namque in propatulo est, et cathedralis ecclesia a frigoris vi ventorumque incursu parum munita. Hinc, ut ipsi aliquo in tanto labore nanciscantur levamen, et ut simul populus, qui poenitentiae et eucharistiae sacramenta desideret, illorum inter Capitulares ministros expeditiores in ecclesia inveniat, *matutinum et laudes officii divini diei sequentis se pridie hora debita in choro recitare posse*, incipiendo a primo Octobris usque ad ultimum Martii, summopere cupere enixisque humiliter precibus a Nobis expostulare.

Nos igitur specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenaratis eisdem exponentibus licentiam et facultatem, cujus vigore ipsi ac successores ipsorum a prima die mensi Octobris usque ad postremam mensis Martii perpetuis futuris temporibus post vesperas et completorium diei currentis, hora per rubricam statuta, recitationem cantumque matutini cum laudibus dumtaxat officii divini subsequentis diei more solito in choro incipere ac absolvere libere ac licite possint idque ipsis ac successoribus suis sit valiturum in omnibus et per omnia, perinde ac si hujusmodi matutinum et laudis postridie mane et hora consueta eodem in choro recitassent atque cantassent auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et prudentia impertiaris.

Datum Romae die 26. Aug. 1803.
(Bull. r. Contin. t. XII. p. 54.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Ep. Pampilonensi.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, Dignitates et Canonici regulares ordinis sancti Augustini capitulum istius Cathedralis ecclesiae Pampilonensis componentes, qui ab ordinaria jurisdictione, prout asserunt, exempti, huic apostolicae Sedi immediate reperiuntur subjecti, quod cum vigore capitularium constitutionum seu legis fundationis aut alio legitimo titulo officium matutinum canonicum toto anni decursu cum cantu celebrari debeat in dicta Cathedrali ecclesia post mediam noctem videlicet, vernali et aestivo tempore hora tertia cum dimidio, autumnali vero et hyemali hora quarta cum dimidio, exceptis sabbatis, in quibus aliquantulum protrahitur ob celebrationem missae beatae Mariae virginis, Octavis sanctissimi Corporis Christi et Assumptionis beatae Mariae virginis, cui dicata est ecclesia, triduo majoris hebdomadae et Commemoratione omnium fidelium defunctorum, in quibus solemnitatibus vespere diei anterioris persolvitur; cumque praedicti exponentes degant seorsum cum suis familiis in privatis aedibus canonicalibus in confinio ecclesiae praedictae sitis, quod claustrum externum

dicitur, ubi etiam domus aliorum civium saecularium existunt, et dein noctu hyemali praecipue tempore inter frequentes pluvias et nives ad aliud claustrum continens cellas dormitorii, quae perfrigidae sunt, se conferunt et tandem ad ecclesiam ipsam eidem dormitorio haerentem, quae ob positionem et vastitatem frigidissima est, ad matutinum persolvendum descendunt, et non sine gravissimo valetudinis detrimento etiam aestivo tempore id exequi potest, et plerumque accidit ob memoratas causas et exiguum canonicorum numerum, inter quos multi emeriti, alii aetate profecti et adversa valetudine laborantes, ut ad summum medietas aut tertia pars communitatis, et passim duo, tres, quatuor tantum Canonici ad persolvendum officium matutinum conveniant, nec supplere possunt sex capellani cantores, quia eorum numerus impleri nequit ob deficientiam clericorum et tenuitatem praebendarum. Durante in regnis Hispaniarum nuperrima hostili invasione Capitulum praedictum, uti asserunt, necessarium duxit ob notissimas perturbationes, officium praedictum transferre ita, ut a die sancti Michaelis archangeli usque ad finem octavae resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi hora quarta post meridiem, reliquo vero anni tempore hora sexta post mediam noctem psalleretur, quae translatio observatur adhuc. Licet autem occupationis hostilis causae cessaverint, non sine magno tamen exponentium valetudinis incommodo hujusmodi horarum distributio in pristinum statum juxta legem fundationis restitui potest ac proinde a Nobis expostulant, ut in posterum perpetuis futuris temporibus praefatum officium matutinum septem mensibus: Octobris, Novembris, Decembris, Januarii, Februarii, Martii atque Aprilis hora quarta cum dimidio post meridiem et aliis quinque mensibus, videlicet: Maii, Junii, Julii, Augusti et Septembris hora sexta post mediam noctem licite celebrare valeant, servato antiquo more in octavis et festis initio expressis, asserentes petitam horarum mutationem Deo majorem gloriam, populo et ipsis utilitatem et commodum allaturam esse,

Nos igitur praedictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, et si in Domino expedire censueris, super quo conscientiam tuam oneramus, praedictis exponentibus ac illorum successoribus in perpetuum, ut ipsi in posterum officium matutinum tantum juxta distributionem horarum superius expressam atque petitam, servata in reliquis statutorum vel constitutionum capitularium cathedralis praedictae forma et dispositione ac exceptis diebus supra notatis, in quibus servetur antiqua consuetudo, celebrare libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas atque indulgeas ac cum eis desuper de specialis dono gratiae pro tuo arbitrio et conscientia gratis dispenses.

Datum Romae die 25. Junii 1819.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 223.)

Ad dubium: In die Nativit. D. et Pasch. Resurrectionis immediate post peractum officium matutinum et ante prandium Canonicis licet necne recitare Vesperas et Completorium ratione lautioris prandii protrahendi illis in diebus?

S. C. resp.: Negative, et abusum, si adsit, penitus eliminandum.

Die 7. Sept. 1861.

42) Regularium.

Vd.: *Offic. particulare; Regulares* (Off.); *Breviarium; Calendar. Dioecesan.; Moniales* (Brev.).

43) Ritus.

Vd.: *Ritus* (mutatio).

44) Romanum.

Capitulum Eccles. Metrop. Acherunt., Officium s. Canianis P. M. jam per *sexcentos* celebrans, petit, an hoc Officium sine scrupulo adhuc recitare posse?

S. C. resp.: Si narrata vera sunt, libere recitare Officium possunt, si ad Congregationem transmissum cognoscetur nihil absurdi in illud irrepsisse, quod facile dubitari potest tanto temporis cursu. n. 122 ad 3 die 8. Maii 1597.

Ad dubium: An non obstante prohibitione Episcopi possit tuta conscientia perseverari in recitando Brev. romano sicque oneri divini Officii satisfieri?

S. C. resp.: Sine speciali Indulto non posse; nec recitans Officia pro aliquibus locis in calce ipsius Brev. romani apposita adimplet idem onus. Die 22. Maii 1841.

Vd.: *Clerus Eccles. Cathed.; Breviarium; Ritus; Sancti; Reliquia; Libri ecclesiastici; Missale* (approb.); *Officium* (oblig. ad quod?).

Pius PP. V.

Nos, cum romanum hoc Breviarium divina disponente clementia vidimus absolutum, abolemus quaecunque alia Breviaria vel antiquiora vel quovis privilegio munita vel ab Episcopis in suis dioeces. promulgata, *illis tamen exceptis, quae ab ipsa prima institutione a Sede apost. approbata vel consuetudine vel quae ipsa institutio ducentos annos antecedat aliis certis Breviariis usu fuisse constiterit, quibus ut inveteratum illud jus dicendi et psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modo promulgatum est, magis placet, dummodo Episcopus et universum Capitulum in eo consentiant, ut id in choro dicere et psallere possint, permittimus.*

Omnes vere et quascunque ap. et alias permissiones ac consuetudines etiam juramento et confirmatione ap. munitas necnon privilegia precandi et psallendi more et ritu Breviariorum sic suppressorum, praedictis ecclesiis, monasteriis, conventibus . . . . necnon S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Achiepiep., Ep., Abb. et aliis Praelatis et singulis personis eccles. saec. et regul. utriusque sexus quacunque causa concessa et approbata et roborata omnino revocamus volumusque vim et effectum de caetero non habere.

Hoc nostrum Breviarium ac precandi psallendique formulam in omnibus universi Orbis Ecclesiis, monasteriis et locis exemptis, in quibus officium ex more et ritu dictae rom. Ecclesiae dici debet aut consuevit, *salva praedicta institutione vel consuetudine ducentos annos superante,* praecipimus observari. Statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel in totum vel ex parte mutandum vel ei aliquid addendum vel omnino detrahendum esse . . . . *neminem ex iis, quibus dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse statuimus ac declaramus.*

Jubemus igitur omnes et singulos Patriarchas, Archiep., Ep., Abbat. et caeteros Praelatos . . . . Breviarium ipsum in suis Ecclesiis quisque, monasteriis conventualibus . . . . introducant. Sed ut Breviarium ipsum ubique inviolatum et incorruptum habeatur, prohibemus, ne alibi usquam in toto orbe sine nostra vel speciali ad id Commissarii ap. deputandi expressa licentia imprimatur. Qui illud secus impresserint, proposuerint vel rece-

perint, *excommunicationis sententia eo ipso innodamus.*

Datum Romae ap. s. Petrum diei 15. Junii 1568.

(Bull. r. t. II. p. 278. ed. Luxenb.)

45) Sacerdotis exercitantis.

Il P. Domenico di San Giuseppe Commissario Generale de' Padri Carmelitani Scalzi dimorante nel Convento di Brussey in Francia prostrato ai piedi di Vostra Santità umilmente espone, che in detto Convento alcuni Sacerdoti secolari sogliono fare gli Esercizi Spirituali in tutto uniformandosi all' istituto dell' Ordine, non che alla recita in Coro del Divino Officio. Affinchè i sopradetti Sacerdoti così facendo non abbiano da recitare due Officii, supplica Vostra Santità affinchè si degni dispensarli dal proprio Officio, recitando quello dell' Ordine. Che ec.

„SSmus D. N. Pius IX. P. M., referente subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne annuit juxta preces.“ Contrariis non obstantibus quibusque.

N. 5093. Die 7. Maii 1847.

46) Sacerdotum concurrentium.

Beatissimo Padre: Il Rettore del quasi Santuario di Santa Maria della Civita presso la terra d'Itri in Diocesi di Gaeta, Regno di Napoli, divotamente rapresenta, che ivi concorrono moltissimi fedeli, fra quali molti Sacerdoti di altre diverse Diocesi, quali per la diversità dei loro Ordinarii non possono in Coro uniformarsi nella recita del Divino Officio; e siccome sonovi dei Sacerdoti, che vi si trattengono anche qualche giorno, il desiderio si è quello, come costumasi nelle Case delle Missioni, e qualche altro sito ancora, che dimorando qualche giorno i Sacerdoti in S. Maria di Civita, possano dire l' Officio che corre in detta Chiesa e Diocesi di Gaeta, senza che tenuti siano a recitare anche l' Officio Divino della propria Diocesi de' Sacerdoti che concorrono a venerare detta Sacra Imagine. Che della gracia ec.

Sacrorum Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito, respondendum censuit: „Non expedire.“ Die 12. Novbr. 1831. N. 4675.

47) De SS. Sacramento.

Vd.: *SS. Sacramentum.*

48) SS. Sanguinis J. Chr.

Vd.: *S. Spinea Coron. D. N.* (decr. n. 4928); *Officium Mysterior. et Instrum. etc.*

49) Ad vel extra Tempus paschale.

Vd.: *Missa* (temp. pasch., decr. n. 4930).

50) Translatio

1) Recitationis in choro.

Vd.: *Ordinatio* (altare, decr. *Giennen.* n. 3. 8. 10.).

2) In sequentem annum debetne fieri?

Vd.: *Transl. festi dupl.* (decr. n. 5159); *Oratio ad libit.* (Omitt.); *Transl. festi cum octava* (decr. n. 4492); *S. Sylvester; S. Thomas Cantuar.; Semidupl.* (commem.); *Fest. ss. Reliquiarum* (transl., decr. n. 4859); *Fest. ss. Nom. Jesu* (transl., decr. n. 4581 nota t. 1. pag. 572).

Ad dubium: An Officia, quae de mense Decbr. aliquando supersunt, fieri possint prima die non impedita sequentis anni?

S. C. resp.: *Transferri possunt.* N. 2928 ad 1 die 7. Septbr. 1680; n. 3497 ad 1 die 27. Sept. 1698.

In posterioribus decretis, quibus cautum est, ut Sancti, qui in fine anni supersunt, non sint ad sequentem annum transferendi, abrogatum fuisse decretum diei 7. Sept. (Decb.) 1680, ideoque comprehendi sub illis etiam Sanctos, qui in mense Decembri occurrentes translati supersunt, affirmare non dubitaret. n. 4150 ad 4 die 7. Decbr. 1743.

Ad dubium: Utrum Officia, quae alicubi supersunt per totum annum recitanda, sint omittenda vel in sequentem annum transferenda?

S. C. resp.: „Serventur decreta.“ n. 3424 die 27. Apr. 1697.

Ad dubium: Quando Dominica infra Octavam Nativitatis Domini occurrit die 29. Decb., tunc in tota Hispania ex concesssione S. M. Gregorii Pap. XV. initio Breviarii inserta Festum S. Thomae Cantuarensis ritus semiduplicis transfertur in diem 5. Jan. sequentis anni; et cum post hujus privilegii concessionem pluries declaratum sit ab hac S. C., Festa omnia, quae in fine anni supersunt, aut sint ritus duplicis aut semiduplicis, tamquam in propriis diebus esse consideranda nulloque modo in sequentem annum transferenda. Quaeritur: An hujusmodi privilegium (usque nunc in usu apud Ecclesiam Cordubensem) revocatum censeri debeat, vel potius firmum et validum, posterioribus non obstantibus Decretis et declarationibus generalibus?

S. eadem C. rescripsit, ut infra, videlicet: „Nihil innovandum et servandum privilegium indultum a Gregorio XV. in Constitutione: Pastoralis officii cura.“

N. 4501 ad 4 die 20. Sept. 1806; n. 4503 ad 2 die 20. Sept. 1806.

Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendas, sed, quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semid. cum 9 l. ad Matut., composita ex omnibus eorum lectionibus propriis 2. noct. ad modum unius. N. 4039 ad 5 *die 26. Novb. 1735;* n. 4070 die 8. Martii 1838; n. 4212 die 19. Sept. 1750; vd. infra decr. n. 4810 et de die 18. Decbr. 1779.

Ad dubium: An praedicta resolutio sit intelligenda de Sanctis tantum, qui *aliquando* supersunt, et non de illis, qui semper supersunt? An vero intelligenda sit tantum de semid. et non de dupl. an vero de utrisque?

S. C. resp.: Decreta, quae statuunt non esse transferendos ad annum seq. Sanctos, qui in fine supererunt, intelligenda sunt non solum de semid., sed etiam de dupl., sive ab occidentali sive a perpetuo occuurrenti impedimento eorum celebratio fuerit impedita. n. 4122 ad 3 die 16. Sept. 1741.

Decretum 27. Novbr. 1735 esse intelligendum de anno vulgari et communi, qui a Calendis incipit Januarii. n. 4256 die 30. Aug. 1755.

Ex parte Cleri Ecclesiae Toletanae quaesitum fuit: an stantibus decretis de non addendo, mutando vel retrahendo in Brev. rom., necnon decretis officiorum noviter apponendorum in corpore, in quibus praecipitur his verbis: *debeant, teneantur, agant;* in officiis vero provincialibus concluditur sic: *Valeant, possint, recitare posse censuit, concessit, annuit etc.,* si autem in aliqua Ecclesia praesertim Regul. sint tot festa, quod non possint nonnulla semidupl. translata adhuc recurrente anno reponi semel in biennio; in hoc ergo casu quaesitum fuit: *An licebit omittere, quae sunt de*

Breviario, ut fiat de particularibus dicto modo concessis?

S. C. resp.: *Detur decretum sub 26. Nov. 1735.* Ita sub die 15. Sept. 1736.

Cum sit decretum, quod, occurrente Festo duplici majori die octava alicujus Festi, recitandum sit de die octava, translato Festo duplici majori in primam diem non impeditam; quid erit agendum, quando usque ad anni finem talis dies desideretur?

Et S. eadem C. respondendum censuit, ut infra, videlicet: „*Dentur Decreta in Hispalen. 26. Novbr. 1735,* et Ordinis Minorum Capuccinorum 8. Martii 1738, videlicet: Sanctos, qui in fine anni supersunt, quoties totius anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices, faciendo illorum Commemorationem, ut fit in semiduplicibus, cum nona Lectione ad Matutinum, composita ex omnibus eorum Lectionibus propriis secundi Nocturni ad modum unius."

N. 4537 ad 4 die 31. Maii 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Huic Dubio provisum est Decretis latis in *Hispalen. 26. Nov. 1735 ad dub. 5, et in una Ordinis Minorum Capuccinorum die 8. Martii 1738.* Siquidem Festa dupl., quae reponi nequeunt, redigenda sunt ad ritum simplicem, vel etiam, juxta diversas occurrentias, in aliquo casu omittenda. Regula generalis est, ut de iis fiat tamquam de simplici, deficientibus diebus pro repositione, etiamsi occurrant cum Festis solemnissimis 1. cl., ut illa sunt *Ascensionis et SS. Corporis Christi*, veluti S. R. C. declaravit in una *Urbis seu Ordinis Minor. Observ. S. Francisci ad dub. 3. et in altera Ordinis Minor. S. Francisci Provinciae Conceptionis Regno Portugalliae ad dub. 1. sub diebus 28. Martii 1775 et 22. Aprilis 1780.* Quod si incidant in solemnitates Paschatis et Pentecostes aut in alterum ex duobus sequentibus diebus, S. R. C. primum ampliavit judicium, ut rem maturius examinaret, ut ex supra relato *Decreto anni 1775,* deinde vero, quaestione iterum proposita ad dubium 1 et 2, videlicet: „An in casu, quo in Dominica Paschae et Pentecostes occurrant Officia semiduplicia et duplicia minora, pro quorum translatione locus non supersit in toto anni Ecclesiastici decursu, de ipsis fieri debeat commemoratio in eadem Dominica Paschae et Pentecostes, in Vesp. et Laud. et Missis, an vero debeant prorsus omitti in casu etc., an de iisdem semidupl. et dupl. possit fieri commemoratio in Feria II. et III. Paschae et Pentecostes in utrisque Vesp., Laud. et Missa?" in altera Congregaiione *sub die 15. Junii 1776* respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam;* et idipsum confirmavit in laudato Decreto *anni 1780.* Sed cum ex multiplici Festorum Sanctorum additione in quibusdam Dioecesibus aut Ecclesiis particularibus aut Ordinibus Regularibus tot occurrant Festa ritus dupl., ut pro eis reponendis, dum transferri debent, desint dies feriales aut ritus simplicis, a S. R. C. indultum aliquando fuit, ut hujusmodi Festa rit. dupl. reponi possent in dies impeditos Festo rit. semidupl., cum Commemoratione tamen Festi, quod locum cedit, ad utrasque Vesperas et Laudes ac 9. Lectione historica. Hoc privilegio donatae fuerunt Patriarchales Basilicae Vaticana et Liberiana, illudque postea, iisdem concurrentibus circumstantiis redundantiae Festorum dupl. et deficientiae Feriarum aut Officiorum ritus simplicis, ad alias Ecclesias, Dioeceses et Regalares Ordines

extensum fuit. Qui autem hoc gaudent privilegio, ita debent eo uti, ut nonnisi tot transferant Officia rit. dupl. in dies rit. semidupl., quot prope anni terminum deficiunt dies vel feriales aut simplices pro eorumdem repositione. Consulendum etiam est, ut, si fieri potest, in singulis mensibus aliqua saltem dies supersit ritus semid., ut praesertim in altaribus privilegiatis celebrari possint Missae de Requiem. Id declaratum video a S. R. C. sequenti Decreto diei 12. Novbr. 1814, quod, licet peculiare sit pro quibusdam Monialibus Ordinis S. Benedicti, regulam praebere potest pro similibus concessionibus.

Pisauren.

In Calendario, quo utuntur Moniales Ordinis S. Benedicti in Asceterio Civitatis Pisauri, tot occurrunt Festa ritus dupl., ut saepenumero, deficientibus diebus ritus simpl. vel ferialis ac propterea liberis pro illorum repositione, quae juxta rubricas transferenda sunt, plura necessario reduci debeant ad ritum simplicem, qui dicitur per accidens. Ut autem Abbatissa et Moniales huic incommodo consulerent, humillime petierunt a SSmo D. N. Pio VII. P. M. facultatem ea reponendi in dies ritus semid., prout indultum novissime fuit Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedr. Pisauri; remissis autem a S. S. hujusmodi precibus ad S. R. C., haec benigne concessit iisdem Monialibus, ut Festa dupl., quae juxta ipsarum Calendarium occurrunt in Dominicis privilegiatis vel Octavis, Feriis et Vigiliis item privilegiatis vel aliis diebus solemnioris ritus Festo impeditis, si desint prope anni finem dies simplices vel feriales, in quos transferrri possint, tunc transferantur in dies Festorum semidupl., ita tamen, ut de Sancto, qui locum cedit, fiat commemoratio in Missa, Laudibus et utrisque Vesperis cum 9. Lectione historica; declaravit insuper, tot dumtaxat dupl. frui posse privilegio repositionis in dies ritus semidupl., quot prope anni terminum dies feriales aut ritus simplicis, translationem vero ita faciendam esse in proximiores dies, ut in singulis mensibus aliqua dies ritus semid. supersit pro celebratione Missarum de Requiem.

Ad dubium: Occurrente in Solemnitate Ascensionis Domini aliquo Officio ritus dupl. vel semidupl., quod ad anni exitum reponi nequeat, an de hoc Officio praeter commemorationem in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa apponi etiam debeat 9. Lectio historica ex duabus vel tribus una?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Affirmative juxta alias decreta.“

Atque ita servari mandavit. n. 5084 ad 2 die 17. Febr. 1847.

Ad dubium: An ad ritum simplicem cum commemoratione in utrisque Vesperis, Laudibus ac Missa et cum 9. Lectione historica, quoties ex rubricis locum habere potest, in diebus propriis redigenda omnino sint dupl. vel semidupl. Officia, quae ad anni exitum reponi nequeunt?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Affirmative, ut ad proximum.“

Atque ita servari mandavit. n. 5084 ad 3 die 17. Febr. 1847.

Ad dubium: 1. An Officia etiam duplicia, quae incidunt in Dominicis Feriisque privilegiatis, quaeque ad anni terminum locum habere nequeunt, quia dies liberi pro eorum recitatione non

suppetunt, reponi possint in diebus ritus semid., adeo ut de Semiduplicibus redactis ad modum Simplicis fiat commemoratio in utrisqne Vesperis, Laudibus et Missa cum 9. Lectione historica? Et quatenus negative;

2. An id saltem permitti possit pro iis Eccl., quarum dedicationis Anniversarium incidens in Dominica Officium duplex etiam 2. cl. excludit in Anniversario ipso et in die octava, ne Parochi aut Rectores ob inevitabiles Calendarii Dioecesani immutationes praegraventur onere variationes ipsas non semper Rubricis conformes compilandi?

Et S. eadem C. rescribendum censuit

Ad 1.: „Negative, juxta alias decreta, et de Officiis, quae supersunt, faciendam esse commemorationem in die propria, etiam si sint ritus duplicis."

Ad 2.: „Negative, sed ad Calendarii Directorem spectare particulares has additiones pro singulis Ecclesiis."

Atque ita rescripsit, declaravit servandumque mandavit. n. 5135 ad 5 et 6 die 22. Julii 1848.

Ordinis Minorum
S. Francisci Conventualium.

Quum R. P. Fr. Xaverius Tufano Sacerdos Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium S. R. C. humillimis precibus rogavit declarationem: an in Feriis II. et III. Paschae et Pentecostes, in die Ascensionis Domini, SSmi Corporis Christi ac in die octava liceat commemorationem instituere in utrisque Vesperis ac Laudibus cum Lectione historica illorum Sanctorum, quorum Officia, quum ad anni terminum locum habere nequeant, in diebus propriis redigenda sunt ad ritum simplicem?

S. C. audita relatione ab infrascripto Secretario facta rescribendum edixit: *Detur Decretum in Hispalen. diei 26. Novembris 1735* *) ad Dub. V. et in una Ordinis Capuccinorum diei 8. Martii 1738, quibus cautum est, Officia, quae intra anni terminum transferri nequeunt, redigenda esse ad ritum simplicem in die propria cum 9. Lectione historica et commemoratione in utrisque Vesperis et Laudibus. Quae dispositio locum habere debet in omnibus Festis et duplicibus tum 1. tum 2. Cl., *excepto ultimo Triduo Majoris Hebdomadae, Festis Paschae et Pentecostes cum duabus sequentibus Feriis tantum*, sicuti decretum fuit in una Panormitana diei 12. Apr. 1823. N. 4810 diei 11. Martii 1837. Vd.: *infra decr. de die 18. Decbr. 1779.*

Commemoratio SS. 9 ll., qui in fine anni supersunt nec sunt transferendi ad annum sequentem, ut alias decretum est, aut sint ritus semidupl. aut dupl. etiam majoris, diebus eorum propriis (etiamsi occurrant in festis 1. et 2. cl.) facienda est instar diei octavae et dominicae tam in occurrentia quam in concurrentia, habita ratione ad ritum, quo descripti sunt in propriis calendariis, *exceptis tamen ultimo triduo majoris hebdom., festis Paschae et Pentec. cum duobus sequentibus diebus, in quibus nulla SSrum commemor. omnino tolerari debet.* Quoad ordinem vero, si die eorum propria aliae commemorationes occurrant, servetur, ut prius fiat commemoratio, de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur officium aut vesperae integrae, aut capitulum aut dimidiae.

Die 18. Decbr. 1779. *In una Ord. M. s. Franc. de Obs. Prov. Concept. B. V. M. in Portug.*

---

*) Vd. supra n. 4039.

Decretum Generale.

Cum nonnullis in Ecclesiis aliquando accidat, ut quaedam festa 2. *cl.* celebrari non possint in die propria, sed transferri debeant ad aliam diem non impeditam juxta rubricas et intra annum non supersit ullus dies vacuus, in quo dicta festa reponi possint?

S. C. resp.: Eadem festa transferenda esse in proximiorem diem etiam impeditum festo semidupl. aut dupl., quod illo anno redigatur ad ritum simplicem, firmis remanentibus aliis declarationibus ab ipsa S. C. emanatis de festis inferioris ritus in simili casu non transferendis sed ad ritum simplicem redigendis.

N. 4492 *die 13. Martii 1804.*

In Calendario Canon. regul. s. Crucis Conimbr. nullus in mense Decembri extat dies, qui officio 9 ll. non sit impeditus. Quomodo ergo praefata Congregatio se gerere debeat, quando s. Andr. vel s. Thomae app. festum cum dominica privil. occurrit?

S. C. resp.: *Decr. gen. 13. Martii 1804 servetur.*

Die 31. Maii 1817 ad 3. *In Conimbr.* vd.: *S. Thomas.*

Pius PP. VII.

Cum, sicut venerabilis frater Petrus Antonius Episcopus Cordubensis Nobis nuper exponi fecit, ipse nulla umquam officia ritus duplicis in sua dioecesi ob aliorum festorum concurrentiam omitti posse plurimum desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in universa dioecesi Cordubensi, quando circa anni finem desint dies feriales aut festi simplicis pro reponendis officiis ritus dupl. translatis, ea officia translata reponi valeant in diebus impeditis officio ritus semiduplicis, redactis pro eo anno officiis ritus semiduplicis ad gradum simplicis, cum commemoratione in missa, laudibus et utrisque vesperis ac nona lectione historica de sancto, qui locum cedet, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 6. Junii 1806.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 29.)

51) Votivum.

Cf.: *Festum votiv.; Festum Nom. B. V. M.* (ut fest. vot.)*; SSmum Sacramentum* (Off. fer. V.)*; Officium B. V. M. in Sabb.; Officium* (ex Indulto conc.).

Decretum Generale.

Cum non obstante generali Decreto, quo sub die 7. Julii 1753 a S. R. C. mandatum fuit: „Quod in posterum preces recitandi Officia votiva semel in hebdomada vel semel in mense amplius non recipiantur", frequentes petitiones fiant pro facultate recitandi hujusmodi Officia votiva, nec petentes tam facile acquiescant, rati, quod praefata generalis dispositio ob diuturnum temporis lapsum in desuetudinem abierit,

Ideo Emi et Rmi Card. S. R. C. praepositi, ad infrascripti Secretarii relationem sub hodierna die memoratum generale decretum ad omnimodam observantiam revocari ejusdemque exemplar, ut cunctis pateat, ad Secretariae parietes affixum perpetuo retineri jusserunt. N. 4517 die 11. Maii 1816; n. 4234 die 7. Julii 1753.

Officium semel in hebdom. concessum recitari debet in Sabb., quando fieri deberet de S. Maria in Sabb. S. R. C. 7. Februarii 1699. *In Tarvisina.*

OLEA SANCTA.

1) Asservatio domi et delatio ad Ecclesiam.

Vd.: *Oleum Infirmorum* (asservatio).

Vasa olei sancti serventur in loco decenti tam in cornu Epistolae quam in cornu Evangelii. n. 2218 die 16. Junii 1663.

Multi Pastores accepta s. Olea apud se deponunt in domibus suis usque in sequentem diem dominicam; et tunc cum sol. processione cum cruce et candelis ardentibus sub Baldachino a toto Clero in habitu portantur ad Ecclesiam exponunturque in aliquo altari cum hymnis et eadem solemnitate portantur ad fontem baptismalem eique infunduntur. Quaeritur:

1. An Pastores recte retineant s. Olea in domibus suis usque in Dominicam ad receptionem eorumdem subsequentem?

2. An s. Olea cum tali solemnitate introduci possint in Ecclesiam?

S. C. resp.: ad 1. Negative; ad 2. Tollendam esse inductam consuetudinem et servandas Ritualis rubricas. n. 4623 V. 1. 2. die 16. Decbr. 1826.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Ad primum hoc dubium quaesiti V. recolenda veniunt, quae supra diximus *in adnotat. ad dubium unicum quaesiti III.* Unum dumtaxat addere juvat. Cum sacra Olea juxta Rubricarum dispositionem, traditas in Synodis regulas et doctrinam de re liturgica Scriptorum nequeant asservari nisi in Ecclesia, ibique in custodiis respective adsignatis, semper tamen decenti in loco honesto ac tuto, cujus fenestrella clave sit clausa, ne aperiri queat, nisi a Rectore vel Parocho, ad quem pertinet, ne excepto quidem oleo infirmorum, licet ad Sacramentum extremae unctionis ministrandum urgeat quandoque ex inopinato improviso casu verae necessitatis (nisi casus praevisus sit, ut supra notatum est), quis non videt locum eo magis sibi vindicare Rubricam quoad Sanctum Chrisma et Oleum Cathecumenorum, pro quorum usu inopinatus dari nequit urgens casus? Clare igitur patet, fas non esse Parocho vel Rectori sacra Olea sibi tradita retinere domi usque ad Dominicam subsequentem, sed omnino teneri eadem deponere in decenti tutoque loco intus Ecclesiam ad id destinato.

Quod vero attinet ad alterum hoc dubium, quod respicit solemnitatem deferendi sacra Olea ad Ecclesiam, pravam hanc consuetudinem inductam fuisse non ex alia nisi ex crassa ac supina ignorantia, jure existimo. Debeturne Sacramentalibus ille extrinsecus honor, qui uni convenit SSmo Eucharistiae Sacramento? Nonne Rubrica modum praescribit servandum in deferendis sacris Oleis? Jubet namque deferri debere per ecclesiasticum Ministrum, ut decenter et reverenter tractentur: *Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos sed per se vel per aliquem Sacerdotem vel saltem Ecclesiae Ministrum haec olea deferantur.* Ubi notandum est, quod non absolute praefata Rubrica excludit Laicos ab eorumdem delatione, sed monet tantummodo, ne Parochus laico hujusmodi delationem demandet, quia quandoque contingere potest, praesertim in parvis Oppidis ac Paroeciis ruralibus pro administrando Sacramento extremae unctionis, ut alius non sit, nisi laicus, qui bursam cum oleo infirmorum ad aedes infirmi deferat, impedito Parocho, necessitate urgente, spiritualia Ecclesiae subsidia in agone posito infirmo ministrante. Quum igitur Parochus per se nequeat aliumque non habeat, nisi laicum ministrum Clerici vices fungentem, huic committere cogitur, ut hoc praestet officium. Id tamen, quantum fieri potest, vitandum est. Praeterea tam verum est,

quod in delatione sacri olei nulla adhibenda est solemnitas, ut nec locum obtineat in actu administrationis: ideo Ritualis Rubrica monet, quod unica tantum paranda sit candela, quae deinde *accensa ipsi inungenti lumen praebeat*, ad quae Rubricae verba *Barruffaldus* notat: *Candela similiter in promptu sit, nam etiamsi de die ministretur hoc Sacramentum, necesse est, ut adhibeatur lumen non solum ad dignitatem Sacramenti . . . . adhibet hoc lumen Sacerdos ad bene discernendas partes inunctas et ad illas tergendas, ut innuit ipsa Rubrica relatis supra verbis: ipsi inungenti lumen praebeat.*

Item in sacrorum Oleorum confectione Pontificali Romanis Rubrica *de Officio Feria 5. in coena Domini*, cum ea benedicuntur et conficiuntur, mensam Mappa ornatam parare praecipit, nullum vero verbum de luminibus in Mensa ponendis facit et duo tantum lumina assignat hinc inde a lateribus Crucis deferenda, dum e Sacrario pergitur processionaliter ad Chorum pro conficiendo Chrismate, oleo Cathecumenorum et dum post illorum confectionem ad Sacrarium deferuntnr. Aliud revera est ipsa Oleorum benedictio et consecratio, quae solemniter fit, pro quorum confectione Missae Sacrificium, inter cujus Solemnia conficiuntur, abrumpitur, aliud vero simplex illorum delatio vel ad Ecclesiam vel ad Fontem. Et si pro illorum consecratione praescribuntur lumina, quae quidem non in Mensa, sed a Crucis lateribus deferuntur, quaeque praescripta dici possunt pro actu processionis et Cruci assignata videntur; haud quidem sequitur majorem Solemnitatem in simplici praedicta illorum delatione servandam esse. Multo autem minus fas est eadem deferre sub baldachino ad Ecclesiam, ubi exponuntur in aliquo altari cum hymnis, et eadem solemnitate portantur ad Fontem baptismalem, eique infunduntur, ut fit a multis Pastoribus Gandavensis Dioecesis, ut in Quaesito. Quis autem ignorat non aliter ritus esse servandos, sed eo modo dumtaxat, quem Ecslesia praescribit? Modus autem, qui servatur ab aliquibus Gandavi nedum perperam inductus est praeter et contra Rubricae dispositionem, sed, quod gravius est, damnandum in errorem rudem populum potest inducere, qui, cum videat sacra olea tanta solemnitate deferri et sub baldachino ac in Altari exponi, in falsam opinionem veniat, quod sacris oleis non reverentia dumtaxat sed et cultus debeatur, qui uni SSmae Eucharistiae Sacramento debetur (recole si placet quae de baldachino adhibendo diximus in adnot. ad decr. Novarien). Aliud est, quod sacrum est et Sacramentalibus adnumeratur revereri, aliud vero colere, hoc est adorare, et extrinsecas illas solemnitates adhibere, quae uni conveniunt Augustissimo Eucharistiae Sacramento. Neque reverentia confundi hoc sensu cum cultu debet, ut unum pro altero accipiatur, quae distinctio in distinctis etiam actibus externoque apparatu, quae indicia sunt interioris animi sensus, omnino conservanda est. Jam vero cultus sive adoratio non Sacramentorum materiae, non Sacramentalibus generice, sed Sacramentorum Auctori debetur. Quod si non veneratio solum sed et cultus quidem Latriae Eucharistiae Sacramento praecipitur, Christo ipsi praestatur, qui sub panis speciebus occulte quidem sed realiter in hoc Sacramento adest. Ex hoc ipso non omnia Sacramenta aequalia sunt, quemadmodum sacra Tridentina Synodus definivit *Canone 12. Sess. 6. de Sacramentis*, quo anathema dixit contra eos, qui pari inter se dignitate omnia Sacramenta esse dicerent: *Si quis dixerit*

haec septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit. In Sacramento enim Eucharistiae praeter gratiam, quae a Sacramento confertur, Auctor ipse gratiae et adoratur et recipitur, in quo differentia et major prae aliis Sacramentis dignitas est posita.

Puto autem a vero non aberrare si quis arbitraretur hanc ob ipsam rationem, ne scilicet in errorem populus inducatur, neve falso fideles existiment sacro oleo deberi cultum et adorationem, quae uni convenit Eucharistiae, sine luminibus accensis, sine campanae sonitu vas olei infirmorum deferri debet saculo coloris violacei inclusum. Nonne enim hanc rationem innuit Rubrica districte praecipiens occultam esse debere ejusdem olei delationem? Agens quippe de casu, quo infirmus ad exitum vitae properet et sanctum oleum una cum Viatico deferri debeat: *Si tamen*, inquit, *alius Presbyter vel Diaconus, qui oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur, qui Superpelliceo indutus cum oleo sacro occulte delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem.* Ad quae verba notat *Barruffaldus: Verum est, quod si ceteri et diversi alii ecclesiastici Ministri adessent, omnes, quotquot essent, deberent similiter Superpelliceo indui, unde non distingueretur inter illos, quisnam deferret Sacramentum sancti Olei, eo magis, quia, ut praescribit Rubrica, debet occulte deferri.* Nam si alios inter distingueretur Sacerdos vel Diaconus oleum sanctum deferens, rudis populus facile posset reverentiam cultumque confundere eamdemque venerationem exhibere cum Sacramento tum sancto Oleo. Neque praetereundum est S. R. C. responsum, quo praecipitur in delatione olei sancti ad infirmos nullam extrinsecam solemnitatem esse adhibendam. Quum enim delatum fuisset: *Sacerdotes Ecclesiae S. Nicolai ad infirmos deferre solitos Mannam solemniter Superpelliceo indutos cum luminibus et lanternis, ac si Sacramentum extremae unctionis ad infirmos deferrent*, Sac. Rit. Congregatio expresse reprobavit hujusmodi morem, nedum quoad Mannam, verum etiam quoad Oleum infirmorum: non modo Mannam Sancti Nicolai, sed neque extremae unctionis Oleum solemniter cum Superpelliceo et lanternis ad infirmos deferendum esse.

Ita die 28. Januarii 1606.

Sed de hac re jam satis.

2) Consecratio.

a) Assistentia praestanda a Presbyteris.

Vd.: *Coena Dom.* (Consecr. ss. Oleorum).

Aquilana.

(Conc. Tr. C. 1. S. 22. De Sacrif. Missae.)

Juxta antiquissimam ecclesiae consuetudinem sacra olea sunt conficienda ab Episcopo feria V. in Coena Domini, ut habetur in canone: literis de consecrat. dist. 3, et concordat alius textus in cap.: „te referente de celebratione missarum“, et licet in canone: „omni de consecrat. dist. 4.“ dicatur, quod omni tempore licet Episcopo chrisma conficere, id tamen non est intelligendum de omni tempore utcumque, sed accommodate de omni tempore annali, quod ad conficiendum chrisma praescriptum est, uti late prosequitur *Gonzal.* in allegato cap. „te referente“ in verbo „chrisma conficere“, de celebratione missarum, et in Pontificali romano edito a Clemente VIII. et subinde recognito sub Urbano VIII. praescribitur, quod pro

confectione sacrorum oleorum feria quinta in Coena Domini ultra episcopi ministros duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, acolythi et alii necessarii assistant vestibus albi coloris suo ordini congruentibus induti, et in casu tantum necessitatis, quando videlicet agitur de episcopis parvum clerum habentibus, quique in partibus infidelium existunt, a sede apostolica permittitur, ut dicta feria quinta in Coena Domini sacra olea conficiant, sed cum minori numero assistentium, ut videri potest apud *Pignatell.* consult. 41 n. 1 et seqq. tom. 6.

Ad tramites harum sacrarum constitutionum, cum Aquilanus Episcopus sacra olea feria quinta in coena Domini conficere voluisset et ad assistentiam vocasset Praepositum Collegiatae S. Justae et Archipresbyteros collegiatarum S. Mariae de Paganica et sancti Petri de Popleto, hique accedere recusassent, retroactis annis quaestio exorta est, pro cujus decisione in praesenti exoratur; plura etenim et plura provisionalia decreta jam emanarunt hic inutiliter non referenda, quibus cautum est, ut hoc interim et usque ad causae decisionem sacrorum oleorum consecratio in Cathedrali Aquilana citra scandalum et perturbationem adimpleatur.

Contendunt autem Praepositus et Archipresbyteri re non accedere teneri, primo, quia sunt in Dignitate constituti et Pontificale statuit vocandos *presbyteros;* secundo, quia vocari possunt ad assistentiam Canonici Cathedralis, item presbyteri servitio Cathedralis ecclesiae adscripti et in omnem casum alii presbyteri adscripti servitio inferiorum Collegiatarum; tertio, quia habent onus curae actualis animarum, ita ut ipsis impossibile reddatur facere in sua ecclesia functiones, quae fieri debent feria quinta in Coena Domini et eodem mane accedere ad Cathedralem, ut consecrationi sacrorum oleorum assistant; ultimo tandem, quia, quidquid sit de attestationibus extrajudicialibus in contrarium afferendis, in nullo aut fere nullo, quod reperiatur, praecedentium episcoporum edicto invenitur, quod ipsi fuerint ad dictam functionem vocati.

Excipit e contra promotor fiscalis, primo, non posse Praepositum et Archipresbyteros effugere assistentiam confectioni oleorum sacrorum, cum non sint nisi simplices presbyteri et Pontificale de presbyteris loquatur; secundo, quia undecim tantum Canonici cum Archidiacono adsunt in Cathedrali Aquilana, itaut demptis infirmis necnon absentibus caeterisque, qui debent assistere episcopo pontificalia celebranti, de necessitate sequatur, ut ad assistentiam confectioni sacrorum oleorum vocari debeant illi de clero, qui primum obtinent locum post Canonicos Cathedralis ecclesiae; tertio, quia praedecessores praepositi et archipresbyterorum ad praedictam assistentiam semper accesserunt et quidem a tempore antiquissimo, haud urgente, quod in aliquibus edictis non inveniantur vocati, cum facultativum sit episcopis modo hos modo alios parochos ad dictam functionem vocare; quarto, quia alii parochi civitatis, quando vocantur, assistunt, et Archipresbyter collegiatae SS. Martialis et Nicantri, qui edicto episcopali, in quo vocabatur, refragatus fuerat, a lite tandem recessit; ultimo, quia ponderato modico numero animarum in parochiis degentium et animadversa hora, qua olea conficiuntur in Cathedrali, bene possunt praepositus et archipresbyteri utrumque munus adimplere, in parochia videlicet et in Cathedrali.

Jura hinc inde circumferuntur; quocirca onus erit EE. VV. decernere:

An Praepositus Collegiatae S. Justae et Archipresbyteri Collegiatarum S. Mariae de Paganica et S. Petri de Popleto teneantur intervenire feria quinta in Coena Domini in consecratione olei sancti in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius. Die 3. Febr. et 3. Maii 1725.

b) Consecrator et Tempus.

(Sacerdos.)

Vd.: *Coena Dom.* (Consecrat. etc.)

Pius PP. VI.

VV. FFr. Archiep. et Episcopis Regni Gallicarum.

Quo luctu quove moerore ob maximam christianae religionis eversionem, quae in hisce alias florentissimis regnis flagitiosorum hominum malitia brevi confecta est, afficiamur, pluries vobis et literis et in dubiis argumentis significavimus. Quapropter quantum in Nobis fuit, Dei adjuvante gratia, torrenti iniquitatis obsistere adhuc conati sumus et quoniam, sicut nuper accepimus, eo usque processum est ut neque cultus divinus neque religionis nostrae mysteria ac caeremoniae palam ac servatis Ecclesiae legibus peragi possint, hinc utile atque catholicae religioni proficuum futurum fore arbitrati sumus; apostolici ministerii humilitati Nostrae ex alto concrediti partes hisce quoque desuper interponere, ac vos in tanta rerum perturbatione, in qua ecclesiasticae disciplinae capita minime servari possunt, ab iis aliqua in parte solvere, ut pro tempore ac re consulere, quidve optimum adhibere valeatis.

Nos itaque vestrum votis annuere volentes et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus multorum ex ordine vestro, qui apostolicae huic Petri cathedrae firmiter adhaerent atque Ecclesiae jura strenue tuentur, nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitatibus vestris, de quorum fide ac religionis zelo plurimum confidimus, durantibus praesentibus regnorum Galliae calamitatibus ac ad Nostrum et apostolicae Sedis beneplacitum, qualenus urgeat necessitas et Ecclesiae utilitas id postulet juxta prudentiam vobis a Deo datam olea sacra cum presbyteris, quos potueritis habere ac etiam extra diem coenae Domino, prout a sacris canonibus praescribitur, conficiendi: clericos ad quatuor minores ordines, quatenus illas nondum susceperint, quatuor feriatis vel non feriatis seu unica et subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines tribus dominicis seu aliis festivis diebus non tamen continuis sed semper aliquo temporis spatio vestrum arbitrio definiendo interpolatis etiam extra tempora ad id a jure statuto et interstitiis a sacro concilio Tridentino designatis minime servatis, anni curriculo non exspectato, etiamsi in unoquoque ex dictis sacris ordinibus, antequam ad alium promoveantur, minime se exercuerint, promovendi illaque conferendi, nec non simplices sacerdotes, ut paramenta sacra, tabernacula pro custodiae sanctissimae Eucharistiae et alia utensilia ad sacrosanctum missae sacrificium necessaria benedicere, calices et patenas chrysmate a vobis vel ab alio quocumque catholico antistite gratiam et communionem Sedis apostolicae habente benedicto, consecrare atque ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta et in casu necessitatis etiam aqua ab episcopo non benedicta reconciliare libere ac licite possint et valeant, subdelegandi plenam et amplam faculta-

tem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 30. Maii 1792.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 220.)

Pius PP. VI.

Postulata interdum fuit a SS. Domino Nostro pro aliquo ex vicariis generalibus dioecesium regni Galliarum et pro aliis simplicibus sacerdotibus facultas consecrandi oleum infirmorum, oleum catechumenorum et sanctum chrisma extra tempora, eo quod deerat triplex oleum commemoratum et deerat pariter episcopus consecrator tum in dioecesi carente triplici oleo supradicto, tum in vicinis dioecesibus legitimo pastore orbatis.

Huic petitioni satisfactum est sequentem in modum. Non expedire videlicet facultatem tribui simplicibus sacerdotibus consecrandi triplex oleum praememoratum, cum deprehensum fuerit insuetum esse in ecclesia latina hujusmodi potestate simplices presbyteros ab apostolica Sede insigniri, a qua quidem regula eo minus recedi non debere judicatum est, quod impossibile non sit triplex oleum a catholico episcopo benedictum, si non ex proximis, ex remotis saltem dioecesibus habere. Ne autem propter deficientiam sancti chrismatis et olei infirmorum carere cogantur fideles sacramentis tum confirmationis tum extremae unctionis, opportunum visum est monere vicarium generalem proponentem hujusmodi petitionem, muneris sui esse in luctosissimis hisce temporibus curare, ut vel ex proximis vel saltem ex remotis regionibus in dioecesim, in qua ipse fungebatur munere vicarii generalis, transferetur citius ac fieri posset oleum infirmorum et sanctum chrisma: quod profecto deprehensum fuit non esse difficile, si debita cum cautione oleorum transportatio perageretur. Iis autem habitis, ne in posterum deficerent, insinuatum ei fuit, ut prae oculis haberet regulam, quae in rituali Romano praescribitur tit. 2 cap. 1 §. 23 = *Si deficere videantur vetera olea et chrisma aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate;* neque praetermissum fuit eumdem certiorem reddere posse oleo benedicto adjungere non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim et in una quaque admixtione sit in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul fiat qualitas major non benedicti; quemadmodum resolutum fuit a sacra congregatione Concilii die 23. Septembris anni 1682.

Datum Romae die 28. Maii 1793.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 314.)

c) In qua Ecclesia peragere debeat Episcopus Dioeces. unitarum?

Ad dubium: An ab Episcopo peragenda sint in civitate Tuscanen. Pontificalia, Ordinat. et Consecrationes ss. Oleorum saltem alternative?

S. C. C. resp.: Arbitrio et prudentia Episcopi et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo, decere interdum aliquas functiones pontif. peragere in Cath. Tuscanensi.

Die 11. Jan. 1783 ad 3. *Viterbien et Tuscan.*

Vd.: *Missae duae non sunt leg. ab uno Sacerdote eod. die,* t. II. p. 133 incipiend. a verbis:
Praeterea casum etc.

3) Graecorum.

Benedictus PP. XIV.

I. Non sunt cogendi presbyteri graeci olea s. praeter chrisma ab Episcopis

latinis Dioecesanis accipere, cum ejusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum et Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu, conficeantur seu benedicantur, nisi tamen contraria consuetudo introducta sit, quam servari volumus ac mandamus. Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo etiam juxta eorum ritum benedici potest, cogantur accipere.

II. Non audeant tamen ab Episcopis graecis externis schismat. seu S. R. E. communionem non habentibus illud accipere vel eo uti.

III. Idem abstineant chrisma accipere a quocunque alio Episcopo latino seu graeco cath. praeter suum Ordin. latinum, cujus jurisdictioni subjiciuntur.

Datum Romae die 26. Maii 1742.

(Ex Bulla Bened. XIV. de dogm. et ritibus ab *Italo-Graecis* obtinendis. Bull. r. t. XVI. p. 96.)

Vd.: *Rit. graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis etc.* §. IV.)

4) Stipendium pro Delatione et Distrib.

Episcopus civitatis Roderici exposuit recensendo abusus in sua Cathedr. repertos, quod Canonici petebant ab Ecclesiis parochialibus stipendium pro s. Oleis, quae portabant ad Ecclesias viri saeculares. S. C. resp.: Canonici debent se conformare cum ... Caer. Ep. et parere. n. 3552 ad 4 die 13. Mart. 1700.

Regularibus ss. olea ab Episcopis denegari non possunt. S. C. Ep. 2. Febr. 1599.

Imo Episcopi tenentur iisdem illud gratis dare. *Ibid.* 10. Novb. 1651; Clementis VIII. Constit.: *Exponi nobis etc.* Die 24. Mart. 1599.

In distributione ss. Oleorum non permittat Episcopus, ut aliquid recipiatur, non obstante consuetudine, quae dici debet abusus contrarius dispositionibus ss. canonum. S. C. Ep. Die 6. Sept. 1604.

Parochi Ecclesiarum filialium tenentur accedere ad recipiendum Oleum s. in die Sabb. s. ad matricem. S. C. C. 17. Novb. 1691.

Benedictus PP. XIV.

Nos statuimus et praecipimus, ut pro tempore existens Patriarcha Maronitarum ss. Olea gratis omnino transmittat sive distribuat et nihil penitus vel pecuniae vel alterius cujuscunque rei etiam a sponte dantibus recipiat aut exigat.

Datum Romae die 14. Febr. 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 68.)

Patriarcha Maronitarum pro tempore existens SS. Olea gratis omnio transmittat sive distribuat et nihil penitus vel pecuniae vel alterius cujuscunque rei etiam a sponte dantibus recipiat aut exigat.

(Bened. XIV. ad Patriarch. Maronit. diei 14. Febr. 1742; Bull. Bened. XIV. t. I. p. 118. Romae 1747.)

De ss. Oleis cf.: *Unctio* (oleum); *Baptism.* (oleum vetus.)

OLEUM SANCTUM.

1) In baptismo.

Vd.: *Baptismus* (oleum); *Unctio in Baptismo.*

2) In benedictione fontis.

Vd.: *Benedictio fontis* (oleum).

3) Pro cereo.

Vd.: *Lumina cum oleo*; *Reliquiae* (expos.); *Lampas* (ante Imag.); *Candela* (materia; decr. n. 5150).

4) Consecratio, Distributio.

Vd.: *Coena Dom.* (Olea s.); *Olea s.*

5) Infirmorum.

a) Asservatio.

Vd.: *Olea s.* (asservatio etc.); *Extrema unctio* (oleum; delat. ad infirmos.).

Sacerdotes curam animarum exercentes pro sua commoditate apud se in domibus suis retinent s. Oleum infirmorum. Quaeritur: an attenta consuetudine hanc praxim licite retinere valeant? S. C. resp.: Negative et servetur Rituale rom., excepto tamen casu magnae distantiae ab Ecclesia; quo in casu omnino servetur etiam domi rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam servata. n. 4623 III. die 16. Decb. 1826.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Accidit saepenumero, ut Ecclesiastici etiam viri, quin servent praescriptas leges consulantque decentiae quoad Sacramentalia resque sacras, propriae potius commoditati inserviant. Id profecto accidit in Gandavensi Dioecesi *(et utinam ibi dumtaxat)*, ut Parochi, ne aliquid incommodi sentiant et accedere cogantur ad Ecclesiam, ubi Sacrum infirmorum Oleum servandum est, apud se in propriis domibus illud retineant. Equidem fateor Ritualis Romani Rubricam rigorose locum non adsignare pro sacris custodiendis oleis, sed quod expresse non jubet, tacite tamen designatum intelligitur et ex contextis aliisque Rubricae locis declaratum videtur esse Ecclesiam. Vult enim, ut *haec vascula* (sacra olea continentia) *in loco proprio, honesto et mundo sub clave et tuta custodia asserventur etc.* Quis autem *decentem, honestum et mundum locum* extra Ecclesiam a Rubrica consideratum fuisse putabit? Praeterea, quod lex aperte non dicit, universalis omnium Ecclesiarum constans disciplina declarat. Nam ubique Ecclesia locus est, in quo Sacra Olea asservantur; at varius est locus pro iisdem custodiendis. Ideo nonnullis in Ecclesiis consueverunt reponi in custodia prope Altare majus, sed seorsim ab illo; in aliis servabantur in custodia sacrarum rerum, quam Sacristiam sive Sacrarium et Secretarium vocant; in aliis tandem intra ipsum vel saltem prope Fontem baptismalem, ut in promptu sint Chrisma et Oleum Cathecumenorum, dum infantes baptizandi deferuntur. Quovis autem in loco ex memoratis Sacra Olea custodiantur, semper ac solemne cuique fuit summa cum reverentia eadem servare et custodire in Ecclesia. Et quoniam longe decentius esset adhibitis luminibus assidue ardentibus eadem asservari, propterea, ut plures monent hac de re Scriptores communisque est Ecclesiarum praxis, praestat post vel prope Altare, in quo reconditur Sanctissimum Sacramentum, Custodiam collocare; illae quippe, quae ratione SSmi Sacramenti ardent lampades, custodiendis etiam reverenter sacris oleis possunt inservire. In hoc tamen non insisto, quia, licet deceat lampadem ardere ubi sacra olea asservantur, decentia tamen minime secumfert obligationem et praeceptum. Haud praetereunda sunt, quae *S. Carolus Borromaeus* ecclesiasticae disciplinae post Tridentinum Concilium Restaurator et Assertor eximius quoad rem hanc sapienter constituit pro sua Mediolanensi Ecclesia. In III. Provinciali Concilio et praecise in capite de iis quae ad Sacramentalia et Sacramenta pertinent statutum lego: *ut sancti Chrismatis et sancti Cathecumenorum Olei* (idem intelligendum de altero infirmorum) *vascula non alibi sed in Ecclesia religiose adserventur in Ciborio aliove ejusdem Ecclesiae certe constituto loco, quem Episcopus comprobaverit.* Hoc autem *Ciborium* ne forte

accipias pro Tabernaculo, in quo Sanctissimum Sacramentum adservatur, sed intelligi debet pro Custodia separata, clave claudienda. Clare id patet ex alio ejusdem Provincialis Concilii loco, ex capite scilicet: *de iis quae ad SSmum Eucharistiae Sacramentum pertinent,* in quo statuitur: ut Tabernaculum pro sacra Eucharistia asservanda vacuum sit. En verba: *Omnino Sacra Eucharistia cum suo vase in eo dumtaxat servetur, aliud praeterea nihil.* Synodus etiam Ferrariensis expressius locum designat, in quo oleum infirmorum decenter et caute sit custodiendum: *Fenestrellam propriam atque ad hoc unice praeparatam habere debet sanctum Oleum infirmorum, quam nonnulli vocant Armarium, propria debet esse haec fenestrella in parte Ecclesiae ad cornu Evangelii, seu in quo adsit Tabernaculum cum SSma Eucharistia.* Atque id est universaliter receptum; et bene stat, quia frequenter accidit, ut dum Viaticum infirmo deferendum est, Oleum etiam infirmorum pro sacra unctione deferendum sit; quemadmodum expedit, ut prope baptismalem Fontem custodiantur cum Chrisma tum Oleum Cathecumenorum, quia adhiberi debent in sacro ministrando baptismate.

Quod si in Pontificali Romano praecipitur, ut juxta sacrorum Canonum dispositionem sacra olea custodiantur, utque Episcopus diligenter curet, ne Presbyteri in iis caute custodiendis negligentes sint: si Custodiae locus designatur vel in Ecclesia vel in Sacrario: si eadem Custodia clave est claudenda, *ne,* ut praecipit Rituale Romanum, *ab aliquo nisi Sacerdote temere tangatur aut eis sacrilege quispiam abuti possit, ut nulli* (ita in Pontificali) *sub praetextu medicinae vel maleficii tradere praesumant,* fasne erit privata in sua domo ut Parochi oleum infirmorum detineant? Si ita fiat, dicine poterit reverentiae et decentiae satis provisum? Dicine poterit sic custodire, ut nullum sit periculum, quod a laicis tangatur aut quod, absente Parocho, sacrilege aliquis illo abuti non possit?

Eoque magis, quia idem Rituale Romanum praecise agens de oleo infirmorum illud custodiri praecipit, *in loco nitido et decenter ornato,* ad quae verba notat Barruffaldus: *hoc oleum suum habere debet repositorium separatum a quocumque alio loco, nam neque in Fonte Baptismali neque in Tabernaculo neque in Reliquiarum Sacrario custodia reponi debet.* Hujusmodi locum in Ecclesia ponit apteque distinguit ajens: *debet esse ... in pariete Ecclesiae ad cornu Evangelii Altaris majoris, seu in quo adsit Tabernaculum cum SSma Eucharistia ... ejus altitudo a terra sit quanta sufficiat ad commode eam* (fenestrellam, quae custodiam claudit) *aperiendam, sine ope vel scalae vel suppedanei ... ostiolum habeat ex ligno, quod bene claudat cum sera et clave ... et subtus literis majusculis haec verba legantur:* **Sanctum Oleum Infirmorum.**

Eritne igitur vel nunquam vel aliquando licitum sacrum oleum domi retinere? *Passerinus cap. 9. n. 102,* quem sequitur *Barbosa,* non bene agere putat Parochum dubitantem de nocte se fore pro infirmo periclitante vocandum, si vespere ferat oleum ad suum cubiculum, ut vocatus expeditior procedat: vel, si de nocte reversus ab administratione Sacramenti, oleum non reponat in consueta fenestrella seu repositorio Ecclesiae, sed retineat in cubiculo usque mane: verumtamen gravis eum piaculi minime damnandum putat, dummodo non adsit scandalum vel periculum irreverentiae. Mei Instituti ratio non fert, ut in hac sen-

tentia discutienda immorer. Dato autem, quod in casu proposito infirmi periclitantis liceat Parocho per unam noctem vel partem noctis Sacrum Oleum domi retinere, ut promptius accurat ad illud morituro ministrandum, ex hac generalis regulae limitatione recta consequitur, ab regulae observantia sine urgentissima necessitate recedendum non esse proindeque illicitum fore unica tantum commoditatis ratione Sacrum Oleum domi retinere.

Quoniam vero in casu proposito agitur de consuetudine Parochorum, qui pro sua commoditate retinent sacrum Oleum, secus respondendum non erat quam *negative*, hoc est, consuetudinem esse reprobandam, damnandam et eliminandam. Scite tamen S. C. unam posuit limitationem excepitque casum necessitatis magnae distantiae ab Ecclesia, sed simul consultum voluit honestae decentiae tutaeque custodiae, quemadmodum exigit Rubricae dispositio.

b) Usus.

In Congreg. gener. habita in conventu s. Mariae supra Minervam cor. EEm DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus proposito dubio: An in casu necessitatis parochus ad validitatem Sacramenti Extr. Unctionis uti possit oleo *a se benedicto?* iidem EE. decreverunt: *Negative* ad formam decreti fer. V. cor. SSmo. Die 13. Jan. 1611. Eadem die et feria SS. D. N. Gregorius PP. XVI. resolutionem EErum approbavit. Die 14. Sept. 1842.

Vd.: *Extrema Unctio* (Oleum).

6) Infusio in fontem baptism.

Vd.: *Baptismus* (oleum vetus); *Benedictio fontis* (oleum).

Ad dubium: an cum *solemnitate* infundi possint s. Olea Fonti baptismali, cui non potuerunt infundi in vigilia Paschatis, cum tum necdum haberi potuissent? S. C. resp.: Negative. n. 4623 V. 3. die 16. Decb. 1826.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Ab hoc dubio me paucis expedio. Nam repetenda hic forent quae dicta jam sunt. Nulla enim ratio occurrit, qua posita queat adprobari solemnitas quoad infusionem sacrorum Oleorum in Fontem baptismalem, si eadem haberi nequiverunt Sabbato Sancto, dum sacra actio benedictionis aquae peracta fuit. Auctores liturgici agentes de hac oleorum infusione dilata ad aliam diem nullam solemnitatem memorant adhibendam, multoque minus locum sibi vindicare potest illa, de qua in dubio proposito. Sed quid opus est liturgicos Scriptores consulere, si expressam habemus S. R. C. declarationem in *Lucana ad dub. 3* hisce verbis conceptam: *An fas sit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptismatis aqua in Ecclesia Matrice aut Plebanali benedicta, cui privatim et separatim et non in ipso actu benedictionis baptismalis Fontis fuerint infusa Olea sacra?* En responsum: *Parochi ex Matricis Fonte aquam, cui sacra Olea jam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem sacra olea recipere non potuerunt, illa subinde* Privatim *ac* Separatim *in aquam mittere poterunt.* Ita sub die 12. Aprilis 1755. Si *privatim* ex praefato responso sacra olea infundenda sunt, nonne eliminanda est quaelibet extrinseca solemnitas?

7) Mixtum.

Posse oleo benedicto adjungi non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim et in unaquaque admixtione sit

in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul fiat quantitas major non benedicti.

S. C. C. Die 23. Sept. 1682 (Resp. dat. ad quaest. 13.).

Cf.: *Collect. Brev. Pii VI.* tom. I. p. 336; *Extrema Unctio* (Oleum mixtum); *Olea s.* (Consecr., decr. Pii VI. 28. Maii 1793.)

8) Vetus.

Vd.: *Baptism.* (Oleum); *Coena D.* (Olea s.; distrib.; dies et obligatio); *Sacerdos* (SS. Confirmat. etc. decr. PP. Pii VI. de die 10. Apr. 1775; 26. Jan. 1796.).

S. ONUPHRIUS.

Si festum s. Onuphrii ante Bullam Pii V. celebrabatur cum Officio et Missa, potest continuari; si vero introductum est post Bullam, nullo modo permittendum est. S. R. C. 17. Novb. 1632.

OPERA SERVILIA.
(In dominica.)

Vd.: *Dominica* (licentia laborandi); *Vacatio ab operibus.*

ORATIO.

1) Conclusio.

Vd.: *Conclusio Orat.; Instr. Cl.* §. XXIV, n. 23—26. *De conclus. orat. in missa immac. cordis B. V. M.*, vd.: *Missale* (Correctio, dub. XVIII.). *De conclus. orat. missae fer. VI. p. Ciner.*, vd.: *Missale* (Correctio, n. II. A. 1.). *De conclus. II. Orationis in Sabb. s. ad Bened. font. positae ante praefat.*, vd.: *Ibid.* n. 4. *De conclus. Orat.* missae *Sabb. s.*, vd.: *Ibid.* n. 6. *De conclus. Orat. in Dom. Resurr.*, vd.: *Ibid.* C. n. 11. *De conclus. Orat. in Coll. Ordin.*, vd.: *Oratio in Ordinat.*

2) Pro concordia.

In Oratione (sub diversis n. 9) pro concordia est (in Postcommun.) verbum „ejusdem“ delendum. S. R. C. 25. Sept. 1860. Cf.: *Missale* (Correctio F. n. 50).

3) Pro Defunctis.

Collectae pro def. non admittuntur nisi in missis festorum simplicium et ferialibus. n. 2345 ad 9 die 31. (Julii) 1665.

Mos, a die sepulturae defuncti, novem per dies missas celebrari et in oratione assignata a missali pro diebus 3, 7. et 30 addere a 2. die: diem secundum, tertium, quartum et sic de reliquis, ordinatim perveniendo ad nonum, contra missalis praeceptum, — est abusus, qui omnino tolli debet. n. 2811 ad 3 die 16. Jan. 1677.

In missa privata de Sancto semidupl. vel simpl. seu votiva vel de infra octavam, sive de feria non privileg., dici potest Collecta pro particulari defuncto, puta: *Inclina etc.* in *penultimo* loco, nec omittendam ullam ex collectis pro tempore assignatis. n. 3073 ad 6 die 2. Decb. 1684.

Vd.: *Indulg.* (Salutat.)

4) Ecclesiae.

Ad dubium: An in Missa, quando dicitur Oratio *A Cunctis* pro tertia Oratione ad libitum, vel quia imperata, possit poni Oratio *Ecclesiae Tuae*, quod circa finem in verbis cum prima pene concordat?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Affirmative.“

Atque ita rescribere censuit et declarare.

N. 5152 ad 2 die 29. Martii 1851.

5) Pro Episcopo.

Vd.: *Reverentia erga Episcop.* (decr. n. 3551 ad 3); *Oratio pro Rege in Parasceve* (decr. n. 5101.).

In *Collectis* Sacerdotes non debent in Missis publice proferre nomen Ordinarii. n. 887 ad 1 die 7. Decb. 1630.

In Collectis omnino faciendam esse mentionem de Episcopo etiam ab exemptis. n. 1611 ad 6 die 25. Sept. 1649.

Ultra Archiepiscopum et Episcopum, *necnon Regem in Hispania*, nullus alius princeps nominandus est in missa. n. 2656 ad 6 die 16. Sept. 1673.

6) Pro fundatore Monasterii.

Non convenire nec potuisse fundatorem Monasterii Religiosis ipsius Monasterii imponere, ut in eadem collecta, quae ex privilegio Apostol. pro Rege etc. dicitur, etiam ipsius fundatoris nomen exprimatur, nec ad id onus Religiosos compelli posse, cum praeter debitum ritum sit in eadem Collecta, quae pro vivis dicitur, fundatorum nomina exprimere. n. 290 die 28. Jan. 1606.

7) Pro Gubernatore.

Non licere Clero civitatis de Logos in Regno Algarbiorum addere in missarum collecta verba: *Gubernatorem nostrum etc.*, licet sit Gubernator ejusdem regni, quocunque abusu in contrarium non obstante. n. 2543 die 13. Junii 1671.

8) Imperata.

a) Dicenda et in quibus festis?

Cf.: *Oratio ad libit.; Oratio tertia; Oratio: Ecclesiae; Instructio Clement.* §. XVII. n. 22—30.

Ad dubium: An in iis temporibus, quando 3. Oratio in Missis est ad libitum, ac ex jusu vel Summi Pontificis vel Episcopi, in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turchas, seu ad petendam serenitatem aut pluviam etc., haec oratio praescripta a Summo Pontifice vel ab Episcopo necessario ponenda sit in Missis tertio loco et praetermittenda, quae ad libitum, seu potius Celebrans possit recitare tertiam orationem ad libitum seu devotionis, et quarto loco, quae est praescripta de mandato Pontificis vel Episcopi?

Et eadem S. R. C. censuit respondendum:

„In casu proposito ad primam partem negative, ad secundam affirmative per modum praecepti et obligationis.“ n. 3814 ad 3 die 17. Aug. 1709.

In missa de vigilia Nativ. haec verba, quae post collectam leguntur: *Et dicitur haec Oratio tantum,* excluduntne Orationes a Superiore praeceptae? S. C. resp.: In missa vigiliae Nativit. debent omitti orationes a Superiore praeceptae.

Si Oratio praecepta sit pro *re gravi*, dicenda erit in dupl. 1. cl. sub unica conclusione et in dupl. 2. cl. sub sua conclusione; si non sit pro re gravi omittenda in dupl. 1. cl., in dupl. 2. cl. arbitrio sacerdotis. n. 4526 ad 22 et 23 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium: An in Duplicibus I. et II. cl. recitanda sit Collecta a Majoribus imperata?

Et Emi ac Rmi P. S. eidem C. praepositi respondendum censuerunt: *Juxta votum,* videlicet:

„Negative in duplicibus I. cl., ut alias responsum fuit. Quoad duplicia vero II. cl. poterit ad libitum Celebrantis legi vel omitti Collecta imperata in Missis privatis tantum; in Conventuali et solemni omittenda.“ Et ita responderunt die 15. Maji 1819 n. 4560 ad 2.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Quod Oratio sive Collecta a Superioribus imperata sit omittenda in Festis Rit. dupl. 1. cl. tam certum est quam quod maxime. Declaratum id lego a

S. C. *die 7. Aug. 1627,* quae ad Dubium: *an Oratio:* Deus refugium nostrum, *quando SSmus eam pro re gravi dicendam jubet, dicenda sit etiam in Festis I. cl.?* respondit: *Non esse dicendam.* Nondum tamen definitum fuit: num eadem regula locum obtineat in duplicibus II. cl., quamobrem jure Cl. Vir Joannes Canonicus Fornici alter ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris hac super re consultus, censuit id, quod nulla est certa lege sancitum, ex rubricarum dispositione deductive esse firmandum. Quamvis enim duplicia I. vel II. cl. quoad majorem minoremve solemnitatem et permulta privilegia inter se differant, pleraque tamen habent, quae sunt utrique communia, atque haec inter illud est, quod neutra admittat commemorationes *de infra Octavas Festorum,* nisi haec ex solemnioribus sint, quae a regula generali excipiuntur: hinc ob paritatem rationis dici posse videtur, neutri Orationem imperatam esse adjiciendam. Dubium tamen oritur, quia, si occurrat in dupl. II. cl. Festum rit. simpl., fit de hoc commemoratio in Missis privatis, quamvis in dupl. I. cl. non fiat. Cur igitur dicenda non erit Oratio imperata, si legitur de festo simplici? Enimvero illatio non valet: Ideo Missa in Festo rit. dupl. II. cl. admittit commemorationem Festi simplicis, quia nisi ea fieret in Missis privatis, eo anno foret omnino omittenda; imo et etiam semper quoad simplicia illa, quae quotannis incidunt cum dupl. II. cl., veluti est Festum *S. Adriani Martyris* in solemnitate Nativitatis B. M. V. Id vero non accidit de die infra Octavam, quia si haec silet occurrente dupl. II. cl., obtinet tamen in aliis diebus. Concludi hinc posse videtur, quod nec Oratio imperata locum habere debet, quia, si in occursu dupl. II. cl. non legatur, dicitur tamen in reliquis anni diebus non exceptis. His accedit principum Ecclesiarum Urbis praxis, quam sequendam esse putat *Cl. Gavantus part. 1, tit. IX. ad n. 16* qui, postquam dixerat ex Decreto S. C., Orationem imperatam omittendam esse in dupl. 1. cl., ita prosequitur: *In aliis vero II. cl. communior usus insigniorum Ecclesiarum Urbis est, ut neque dicatur in Missis privatis, nedum in solemni, a qua sola excluditur commemoratio de Festo simplici: quae consuetudo mihi placet.* Sed quoniam nec ulla habetur positiva lex, quae in simili occursu omittendam eam esse jubeat, neque ullum Decretum, quo declaretur id, quod non est jure definitum, ac varia insuper est Sacerdotum et Ecclesiarum praxis; ideo sapienti consilio S. R. C. confirmans Decretum alias latum de omittenda Oratione imperata in duplicibus I. cl., quod alia II. cl. arbitrio Sacerdotum relinquit eam addere vel omittere in Missis lectis. Excipit tamen Missam Conventualem, quae, sicut ex rubricarum praescripto respuit commemorationem Festi simplicis, ita nec admittere debet Orationem imperatam.

Ad dubium: An 1. alia Oratio addenda sit loco imperatae, quando haec reperitur in Missa diei, ex gr. in Dominica XXII. post Pentecosten, si Oratio imperata sit: *Deus refugium?* 2. *Si praescripta sit Oratio pro Ecclesia vel pro Papa, semper dicenda sit utraque, ita ut non possit satisfieri Rubricae et praecepto Superioris per solam Orationem pro Papa?* 3. Gavantus dicit Sacram Rituum Congregationem die 28. Augusti 1627 decrevisse Orationem praescriptam a Superiore pro publica causa regulariter omittendam esse in festis primae Classis: idem Auctor affirmat communiorem usum insigniorum Ecclesiarum Urbis esse, ut neque dicatur hujusmodi Oratio in Missis privatis, nedum in solemni in Festis

secundae Classis. Aliunde citatur sequens Decretum ad Episcopum Tuden. in Hispania 7. Sept. 1816: Si Oratio praecepta sit pro re gravi, dicenda erit in duplici primae Classis, in duplici vero secundae Classis arbitrio Sacerdotis. Inde animi fiunt ancipites, quum praesertim Superior non soleat praecipere Orationem, nisi pro re gravi. Postulatur decisio. 4. Ex titulo quinto Rubricarum generalium Missalis nonnullis diebus facienda est commemoratio generaliter pro Defunctis in Missa de die; haec commemoratio seu Oratio *Fidelium* videtur ponenda penultimo loco ex Decreto diei 2. Decembris 1684, si vero praecipiatur ab Ordinario Oratio pro re gravi, v. gr. *Deus refugium,* an Oratio Fidelium etc. dicenda est penultimo loco seu immediate ante Orationem praescriptam a Superiore, vel antepenultimo loco, seu ante ultimam Orationem a Rubrica indicatam? S. C. resp.:

Quaest. 1.: „In casu Collecta erit sequens: *Ne despicias n. 13 posita; quaest. 2.:* Affirmative ad primam partem, negative ad secundam: *quaest. 3.:* Detur Decretum Regni Hispaniarum diei 12. (15.) Maji 1819 nimirum: Negative in duplicibus primae Classis, ut alias responsum fuit: quoad duplicia vero secundae Classis ad libitum Celebrantis legi vel omitti poterit Collecta imperata in Missis privatis tantum, in Conventuali et Solemni omittenda: *quaest. 4.:* Diebus a Rubrica praescriptis secundo loco etiam in Missa Conventuali juxta Rubricas: in Missis privatis, quando est semiduplex vel simplex, ad libitum Sacerdotis pro aliquo Defuncto penultimo loco ante Collectas juxta recensitum Decretum Sanminiaten. diei 2. Decembris 1684.“ n. 4746 ad 1 die 23. Maji 1835.

b) Non dicenda.

Vd.: *Oratio imperata* (dicenda etc.; praecipue decr. n. 4526, 4560, 4746).

In missis Vigiliae Nativit. debent omitti Orationes a Superiore praeceptae. n. 4299 ad 5 die 3. Mart. 1761.

Ad dubium: An Oratio: *Deus, refugium nostrum,* quando SS. eam pro re gravi dicendam jubet, dicenda sit etiam in festis I. cl.? S. C. resp.: Non esse dicendam. Die 7. Aug. 1627, *in una Urbis.*

Ad dubium: An in Dominicis Adventus et Quadragesimae omittenda sit Collecta a Superioribus imperata?

Et Emi P. S. eidem C. praepositi ... respondendum censuerunt:

„Negative, exceptis Dominica Palmarum et Dominica IV. Adventus in hujus occursu cum Vigilia Nativitatis D. N. J. C., in quibus omittenda est Collecta imperata.“

Et ita S. C. respondit, statuit et ubique servari mandavit. n. 4586 ad 2 die 20. Apr. 1822.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Quaestio hujusmodi facillimae solutionis est. Ne vetustiora quaeramus, S. R. C. in *Assisien.* sub die *25. Maji 1819* declaravit Collectam imperatam omittendam esse in dupl. 1. cl., posse ad libitum Sacerdotis legi vel omitti in Missis privatis occurrente dupl. 2. cl., in conventuali et solemni omittendam. Haec regula tenenda est in Festis dupl. 1. vel 2. cl., non autem in Dominicis Adventus et Quadragesimae, quae, licet habeant qualitatem 1. vel 2. cl., hoc tamen privilegio gaudent ad unum dumtaxat effectum, rejiciendi in occursu Festa talis ritus, sed vere non sunt, nisi *ritu semid.;* ideo in concursu cedunt cuicumque Festo rit. dupl., plures Orationes in Missa admittunt et commemorationem de simplici, nec non in Officio suffragia Sanctorum, preces etc. Nulla proinde ratio est, ob quam in iisdem legi nequeat Collecta a Praesidibus imperata. Du-

bitare quis forte posset *de Dominica Passionis*, de *altera Palmarum*, *de 4. Adventus*, dum haec incidit in *Vigilia Nativitatis Domini.* Prima namque duas tantum Orationes admittit et, quatenus simplex occurrat, de hoc fit commemoratio loco illius, quae dicenda foret secundo loco: *Dominica Palmarum*, praeter unicam Missae propriam, aliam non habet Orationem; et *Vigilia Nativitatis Domini* id peculiare habet, ut de ea fiat etiam in occursu *cum Dominica 4. Adventus*, de qua tantum fit commemoratio; et quum illa respuat etiam commemorationem de simplici, ista vero Vigiliae cedens, retineat tantum commemorationem, quae numquam perit (nisi vacet et ad aliam diem infra hebdomadam transferatur, ut nonnumquam accidit in Octava ejusdem Nativitatis et altera Epiphaniae) in neutra legenda erit Oratio imperata. Et quoniam S. R. C. in *Aquen.* sub die *3. Mart. 1761 ad 5* declaravit: *In Missa Vigiliae Nativitatis debent omitti Orationes a Superiore praeceptae etc.;* ob paritatem rationis idipsum declaratum censendum est quoad *Dominicam Palmarum.* De duabus ergo hisce Dominicis composita lis est. Non ita de Dominica Passionis. Nam non desunt, qui existimant in hac etiam omittendam esse Orationem imperatam quia in Missa hujus Dominicae duae tantum Orationes a Rubrica assignantur et S. R. C. explicando *Rubricam* forte non satis claram sancivit dicendam non esse Orationem secundo loco assignatam, si occurrat commemoratio de simplici in Missis ferialibus *a Dominica Passionis usque ad Feriam V. in Coena Domini et infra Octavas Paschatis et Pentecostes.* Ita in una *Rubricarum 22. Novb. 1659.* Caesaraugustana *22. Sept. 1692* et in altera Rubricarum *15. Sept. 1836.* Antequam prodiret postremum Decretum, in quo S. R. C. ad dubium: *An in Missis ferialibus a Dominica Passionis usque ad Feriam V. in Coena Domini, occurrente Festo simplici, adhuc dicenda sit tertia Oratio* Ecclesiae vel pro Papa: *et an eadem tertia Oratio recitanda quoque sit infra Octavas Paschatis et Pentecostes?* sub die *15. Sept. 1736* respondit: *nihil esse innovandum, nempe non esse dicendam tertiam Orationem:* Magna erat quaestio inter Scriptores super intelligentia Rubricae et particulis: *tantum, nisi;* et plurimi opinabantur ita intelligendas esse particulas, ut, duabus assignatis Orationibus, tertia addenda esset in occursu simplicis; et quamvis contrarium tenerit cum aliis *Garvantus*, ejusdem tamen commentator *Meratus* suspenso haerebat animo et tantummodo dubium deposuit, postquam evulgatum fuit Decretum, de quo supra. Sed quid hoc nostra interest? Numerus taxative Orationum, quae sunt in praecepto in Dominica Passionis, impedimento non est, quin altera addatur a Superiore imperata; secus haec dicenda nec esset in feriis, quae occurrunt a Dominica Passionis usque ad feriam V. in Coena Domini, neque in postremis feriis et Sabbato Octavarum Paschatis et Pentecostes, quia tam in istis quam in illis Missae feriali et de Octava duae tantum Orationes assignantur; nihilominus nemo est, qui imperatam neget esse dicendam; pari igitur modo legenda erit in Dominica Passionis. In hac namque et sequentibus Octavis Paschatis et Pentecostes duae tantum assignantur Orationes, quia, sicuti in Officio omittuntur Suffragia Sanctorum, ita omittitur in Missa Oratio *A Cunctis*, quae suffragiis respondet, neque substituenda est alia, ad implorandum B. M. V. auxilium, ut fit in Adventu, post Epiphaniam usque ad Purificationem et tempore Paschali. Quod si ratio quaeratur, facile est eamdem adinvenire. Ideo namque tem-

pore Passionis omittuntur suffragia in Officio et in Missa Orationes vel *A Cunctis* vel *Concede*, ut nostra intentio feratur in Christum solum, nostraque spes in unicum ejus singulare refugium, utque uni Christo Crucifixo fidenter vacemus. Videri potest Gavantus, qui ad Rubr. Miss. *part. 1 tit. 9 n. 8* agens de Octavis et Pentecostes: *Valet*, inquit, *ea ratio, quam affert Durandus in Dominica Passionis, in qua cessant commemorationes Sanctorum in Officio, ut scilicet nostra intentio feratur in Christum solum, spes nostra elevetur ad unicum ejus singulare refugium. Addimus igitur in tempore Passionis, Paschatis et Pentecostes aliam Orationem tantum pro Ecclesia vel pro Papa, pro quibus praecipue orandum, nullo alio mediante Advocato, neque B. V., quia Christus et Spiritus Paraclitus sunt tunc temporis supremi et unici Advocati.* Videri etiam possunt Meratus *ib. et part. 4 tit. 7. n. 4.*, Tetamus *Diar. Ecclesiast. Civil. Tract. 2 lib. 4 part. 2 cap. 6 art. 2.*, Cavalieri *tom. 3 cap. 8 Decret. 1 n. 16* aliique. Addam ego et dicam fidenter, nullum esse tempus magis idoneum, ut pro ingruentibus necessitatibus Deum exoremus, quam illud, in quo recolimus memoriam Passionis D. N. J. C., qui Sanguine suo Ecclesiam fundavit, nos liberavit a morte et in nostris necessitatibus factus est propitiatio nostra et mediator apud Patrem. Jure igitur S. C. proposito Dubio respondens, a regula generali, quae in omnibus Dominicis Adventus et Quadragesimae Orationem imperatam admittit, excepit dumtaxat Dominicam Palmarum et IV. Adventus, dum occurrit cum Vigilia Nativitatis.

Ad dubium: Collecta pro re gravi imperata potestne dici in Duplicibus I. Cl. et in Missis, quae unicam Orationem admittunt? Et quatenus affirmative ad utrumque, estne dicenda sub unica conclusione?

„Negative in omnibus et detur Decretum in una Namurcen. diei 23. Maji 1835 ad Dub. I."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 15 die 16. Apr. 1853.

c) Omittenda estne, si jam reperitur in missa diei?

Vd.: *Oratio imperata* (dicenda etc. decr. n. 4746.).

Non est omittenda una ex assignatis orationibus in missa, ut ejus loco dicatur Oratio imperata S. R. C. 2. Decb. 1684.

d) Ordo dicendi.

Oratio imper. semper recitanda est *post omnes* commemorat., quae 2do et 3tio loco addendae praescribuntur, sed *ante* orat. *vot.*, quas Celebrans forte ad libitum adjungit. Si forte in missa dicenda est Orat. *de Venerabili*, dicit. semper *ante orat. imp.* S. R. C. 23. Junii 1736; 16. Febr. 1736. *Instr. Cl.* §. 17 n. 26 et 28.

Vd.: *Oratio imp.* (dicenda; quaest. 4 decr. n. 4746.)

e) A quibus dicenda?

In Ecclesiis Regularium aliisque exemptis recitandae sunt collectae ab Ordinario loci praescriptae. n. 4578 ad 1 die 3. Apr. 1821.

f) Quando desinit?

Non licet Clero ... a Collectarum per Ordinarium praescriptarum recitatione cessare pro lubitu, antequam Ordinarius id jusserit. n. 4578 ad 2 die 3. Apr. 1821.

g) Quis imperat?

Ad dubium: an Praelati regulares etiam locales possint ordinare Collectam dicendam in missa a Subditis tam pro necessitatibus Ordinis quam pro necessitate communi? S. C. resp.: Non licere sine licentia Episcopi. n. 4393 ad 16 die 27. Mart. 1779.

9) Pro Imperatore fer. 6. Parasc. et Sabb. sancto.

Vd.: *Missale* (Correctio, *decr. inserenda etc.*).

Cattaren.

In Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis, quum inter cetera negotia actum etiam fuerit de supplici Libello a Rmo Episc. Cattaren. proposito, quo expetebat immutationes faciendas in Orationibus pro Imperatore Romano Feria VI. in Parasceve; nam Franciscus I. Austriae Imperator defunctus die 6. Aug. 1806 dignitati Imperatoris Rom. renunciavit et ejus successor Imperator Austriae vocatur; Emi et Rmi P. Sacris tuendis Ritibus praepositi, referente Secretario, rescribendum censuerunt:
„Negative.“ n. 4872 die 31. Aug. 1839.

Juxta opinionem quorumdam Rubricistarum loco horum verborum Missalis — *Pro Christianissimo Imperatore Nostro* — dici debet — *Pro Romano Imperio* — si Imperium sit vacans. Quaeritur: an hodiedum ita fieri oporteat tam Fer. VI. in Parasceve quam Sabb. S. vel an monitio et Oratio pro Christianissimo Imperatore et verba, quae ipsum concernunt circa finem benedictionis Cerei, sint penitus omittenda, prout ut in plurimis Eccl. a multis annis fieri consuevit?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:
„Esse penitus omittenda.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad VI. die 7. Decb. 1844; n. 5012 ad 3 die 15. Junii 1845.

Sarsinaten.

Quum pro parte Vicarii Generalis Rmi Ep. Sarsinatensis S. R. C. sequentes exhibitae sint preces SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. inscriptae, ut infra:

Beatissimo Padre.

Il Vicario Generale della Diocesi di Sarsina supplica la Santità Vostra affinchè voglia degnarsi sciogliere il sequente Dubbio, cioè Se debba, o no dirsi attualmente l'Orazione *pro Imperatore* nelle preci del Venerdì Santo, e nel Preconio *Exultet* del sequente Sabbato, dicendo gli uni che doppo il Trattato, in cui Francesco Secondo assunse il nome di Francesco Primo, e cambiò il titolo d'Imperatore di Germania in Imperatore di Austria, riducendo ereditaria la successione, e non più dettiva, cessasse da quel punto anche il nome di Romano Imperio, che quelle preci se si facessero, sarebbero illusorie, e ch' è prattica universale ne Stato Pontificio, ed in Roma istessa di omettere le Preci *pro Imperatore:* gli altri al contrario dicono, che in alcuni luoghi dello Stato si continua a nominare in quei giorni l' Imperatore, e che non esistendo (come quì in vero non si conosce) una disposizione della Santa Sede, non si deve discostare dal Messale. Che etc.

Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunati, infrascripto Secretario referente, rescripsere: *Esse omittenda.* n. 4860 die 3. Aug. 1839.

Ad dubium: Quum ab anno 1806 in persona Francisci II. Austriae imperatoris cessaverit Romanum Imperium,

non amplius hodie dicenda sunt, orationes pro Romanorum Imperatore assignatae tum feria VI. in Parasceve in Missa Praesanctificatorum, tum Sabb. Sancto in postrema parte Praeconii paschalis, prout expresse declaravit Sacra Rituum Congreatio in Parsinaten. 3. Aug. 1839, in Mechlinien. die 7. Decb. 1844 ad VI., in Maceraten. die 14. Junii 1844 ad III. Quaeritur ergo 1.: An praedictae orationes expungendae sint in novis Missalis Romani editionibus?

S. R. C. resp.: Negative.

Et quatenus negative: An ad utramque orationem brevis apponi debeat rubrica, qua declaratur eas hodie esse omittendas?

S. R. C. resp.: Negative.

Et quatenus negative: An saltem istiusmodi adnotatio apponi debeat initio Missalis post rubricas generales inter decreta Sacrorum Rituum Congregationis?

S. R. C. resp.: Affirmative.

Die 25. Sept. 1860.

10) Ad libitum.

a) Omittitur.

Ad dubium: Quoties in Officio de Dominica ritu semid. occurrit facienda commemoratio alicujus Festi in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa eo, quod in fine Anni superesset: quaeritur: num talis Commemoratio in Missa Dominicae supplere possit pro una ex tribus Collectis praescriptis, puta pro secunda *A cunctis* (quae inde evadet tertia) quin opus sit addere tertiam ad libitum? An vero nihilominus addenda praeterea sit et tertia ad libitum?

S. porro R. C. ... rescribendum censuit:

„Collectam ad libitum in casu omittendam.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5223 ad 2 die 16. Febr. 1856.

b) Non omittitur.

Vd.: *Oratio imper.* (dicenda etc.; decr. n. 3814; *omittenda etc.*); *Oratio tertia* (dicenda.).

c) Quae?

Cf.: *Oratio tertia; oratio imperata.*

Quae est „oratio ad libitum?“ vd.: *Instructio Clem.* §. XVII. n. 27, 28.

Ad dubium: Quoties in missa 3. or. est ad libitum, potestne dici de Sanctis, quorum missa est in missali, vel de SSmo aut de Patrono? S. C. resp.: Tertia oratio dicenda ad libitum potest esse vel de Sancto vel de SSmo vel de Patrono, de Passione, de Cruce etc. n. 4119 ad 6 die 2. Sept. 1741.

11) Mentalis.

Benedictus PP. XIV.

Praedecessores nostri divina institutione formati, ut Christifideles ad orationis, sive vocalis sive mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum et sine intermissione frequentandum incitarent, eosdum tum cohortationibus tum coelestium etiam munerum thesauris allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones et de injunctis eis quomodolibet debitis poenitentiis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive preces vocales recitarent sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditarentur. Nos autem non solum omnes et sing. Indulg., peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes per Praedecessores nostros pro recitantibus quascunque vocales preces (dummodo nunquam revocatae fuerint) aut quomodolibet orantibus quocunque modo sive ad tempus sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas tenore praesentium confirmamus et, quatenus opus sit, de novo concedimus; verum etiam alias insuper iis praesertim, qui

mentalis orationis seu meditationis studio operam dederint, ut infra, impertimur.

Primum itaque omnibus et singulis, sive qui tam in Ecclesiis quam alibi et ubicunque locorum publice et private *quoscunque homines orandi seu meditandi rudes quomodocunque orare et meditari docuerint, sive, qui piae orandi et meditandi institutioni hujusmodi interfuerint*, dummodo vere poenitentes et s. communione refecti, qua vice id egerint, *septem annos et totidem Quadragenas* de injunctis eis et quomodolibet debitis poenitentiis relaxamus.

Iis vero *tam docentibus quam addiscentibus, qui assidue praemissa peregerint ac similiter vere poenitentes et s. communione refecti pro Christ. principum concordia, haeresum extirpatione et Ecclesiae exaltatione preces effuderint, semel in mense pro uniuscujusque commodo et arbitrio plen. omn. peccatorum indulgentiam et remissionem, quam per modum Suffragii animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverimt, applicare possint, concedimus.*

Insuper iis, *qui per duos quadrantes continuatos vel saltem per quadrantem horae singulis diebus et per totum mensem* orationi mentali dabunt operam et vere poenitentes et confessi et s. communione refecti et, ut supra, oraverint, *plen. semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christifidel.*, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, *applicare possint*, tenore praesentium concedimus.

Datum Romae die 16. Decb. 1746. (Bull. r. t. XVII. p. 97.)

12) In Missa Dominicae Resurr.

Vd.: *Missale* (Correctio, II. C. n. 11.).

13) Mutatio.

Vd.: *Missa vot. de Sancto* (mutatio); *Missa vot. pro infirmo; Orationes in Anniversario; Officium Defunctor.* (Orationes; decr. n. 4687.).

In Missa post processionem ad Ecclesiam s. Sebastiani in Civitate Egitan. celebranda debet dici Oratio ut in Missali de ss. Fabiano et Sebastiano et non de s. Sebastiano tantum. n. 217 die 6. Sept. 1603.

Ad dubium: an in Orationibus tam Officii quam missae variari debeant: *hunc diem* vel *hodiernum diem*, sive *praesentem diem*, cum transfertur Officium sive accidentario sive perpetuo? S. C. resp.: Nihil immutandum inconsulta Congregatione. n. 4526 ad 21 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium: an in Officio de Beato beatificato tantum variari debeat in Oratione secreta verbum „Sanctus" dicendo „Beatus." S. C. resp.: Nihil immutandum, nisi in Secreta, in qua legendum sit proprium nomen Beati. n. 4526 ad 32 die 7. Sept. 1816.

In Oratione et ℣℣. b. Francisci non potest addi a Franciscanis: *B. Patris nostri.* n. 4395 ad 16 die 18. Decb. 1779.

Quum in Congregatione SS. Cordium Jesu et Mariae nec non et adorationis perpetuae SSmi Sacramenti Altaris Dioeces. Chalced. transferantur plura Festa propter usum Kalendarii proprii a S. S. concessi, aliquoties occurrit, ut Festum Virginis tantum ritus dup. vel semid. incidat in Festum alterius Virginis tantum ritus simp., velut ex. gr. Festum S. Mariae Magdal. de Pazzis die 26. Maji, quod translatum manet aliquoties in diem 21. Julii S. Praxedi Virg. sacrum. In dicta occurrentia Secreta et Postcommunio utriusque Missae praecise similes sunt. Sed et in-

super ambae Missae de Communi Virginum, tantum ad quod recurrendum est, Missa *Dilexisti* et Missa *Vultum tuum* habent pariter eamdem Secretam et eamdem Postcommunionem. Attamen juxta Rubricam non bis in idem, eademque Oratio non debet in una Missa bis inservire: quid igitur agendum in eo casu? 1. Licetne Secretam et Postcommunionem ex Missa *Loquebar* de Communi Virginis et Martyris desumere omittendo verba *Martyris*, vel et *Martyre?* 2. Item licebitne, quando occurret Festum nec Virginis nec Martyris cum Festo Virginis tantum, eo quod in tali occurrentia oriatur difficultas supradicta?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Quoad primam et secundam quaestionem affirmative cum debita exceptione, videlicet exprimendo Virginem vel Martyrem tantum vel utrumque juxta Officii qualitatem."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4909 ad 1 die 12. Sept. 1840.

Ad dubium 1.: In Missalibus Ord. Min. s. Francisci de Observantia in Peruviana Republica inveniuntur tres Collectae *Et famulos tuos,* quarum prima dici potest quotidie: secunda, quando in Missa dicitur Oratio *A cunctis,* et tertia, quando dicitur Oratio *Ecclesiae,* ex concessione S. R. C. diei 13. Julii 1675 et novissime huic Reipublicae facta die 24. Apr. 1846. Quaeritur: an sit authenticum Decretum diei 13. Mart. 1804 in quo legitur: numquam est varianda, sed uno eodemque modo semper est dicenda, licet in Missa praecedat Oratio: A cunctis vel Ecclesiae?

2.: Utrum sufficiat dari dictam Collectam semel tantum vel repeti debeat etiam in Secreta et in Postcommunione, vel solum in Postcommunione, ut fert consuetudo?

Emi et Rmi P. ... rescribendum censuerunt

Ad 1.: „Decretum editum die 13. Mart. 1804 ita se habere: Pro allatis in dubio variationibus non constare de Decreto S. R. C."

Ad 2.: „Servandam consuetudinem."

Atque ita S. C. rescripsit et servari mandavit. n. 5224 ad 5 et 6 die 14. Maji 1856.

14) In Officio et missa Defunct.

Vd.: *Off. def.* (Orationes); *Orationes in Off. Def.*

15) In Ordinationibus.

Cf.: *Missale* (Correctio F. n. 51.).

Missalia hactenus edita Postcommunionem in collatione sacrorum Ordinum exhibent cum conclusione: *Per Dominum etc.,* licet verba *tuae redemptionis* demonstrent orationem dirigi ad Filium Dei ac proinde postulent juxta rubricas conclusionem: *Qui vivis etc.* Certe in casu prorsus simili, nimirum in Postcommunione Missae quotidianae pro defunctis, quae ita se habet: „Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis omnibus exuas et tuae redemtionis facias esse participes", Missalia omnia ponunt conclusionem: *Qui vivis etc.* Quaeritur itaque: Quomodo concludi debeat Postcommunio in collatione sacrorum Ordinum?

S. R. C. resp.: Adhibendam esse conclusionem: *Qui vivis etc.*

Die 25. Sept. 1860.

16) Pro def. Parentibus.

Ad dubium: an in Officio def. et in missa in die obitus pro Patre vel Matre celebrandis dicenda sit Oratio: *Deus, qui nos Patrem et Matrem*

honorare etc. vel in *Officio* oratio: *Absolve, quaes. Domine,* et in *missa: Deus, cui proprium est misereri?*

S. C. resp.: „Serventur rubricae et rituale romanum.“ n. 3751 ad 8 die 18. Sept. 1706.

17) Pro Praelatis.

In Oratione (pro diversis n. 7) pro Praelatis verbum „ejusdem“ delendum est. S. C. R. 25. Sept. 1860.

Cf.: *Missale* (Correctio F. n. 49).

18) Quadraginta horarum.

a) Licentia, tempus.

Vd.: *Missa vot. de SSmo; Expositio SSmi 40 hh.; Commem. SSmi; Missa vot. cont. paganos; Instructio Clem.*

Prima Dignitas Ecclesiae Cathedr. non potest indicere Orationem 40 horarum et exponere SS. Sacramentum sine licentia Episcopi. n. 1510 die 4. Junii 1644.

Non licere in Orationibus 40 horarum *reponere* Augustissimum SS. Sacramentum tempore noctis et contrariam consuetudinem esse abolendam. n. 1922 die 7. Sept. 1658.

Orationem 40 horarum omnino cessandam a mane fer. V. usque ad mane Sabbati s. n. 2098 die 12. Mart. 1661.

b) Origo et perennitas.

Vd.: *Commem. SSmi in missis et festis* (Quando etc., decr. n. 4782 *nota*).

19) Pro Rege.

a) Conclusio.

Vd.: *Exaltatio ss. Crucis* (conclus., decr. n. 4566 nota ad finem).

Conclusio orationis pro Rege debet esse: *Per Dominum N. . . .* Ita enim habent autographa Missalia S. Pii V., Clem. VIII. et Urbani VIII., et ita antiquissima S. Gregorii Magni Sacramentalia. n. 4299 ad 2 die 3. Martii 1761.

b) Ab ecclesiast. auctoritate indicenda.

Vd.: *Preces publ.* (ab ecclesiast. etc.).

c) In missa.

Vd.: *Oratio post bened. cum SSmo* (decr. n. 4815); *Parasceve* (oratio pro Imperat.); *Oratio pro Episcopo.*

Ultra . . . Episcopum necnon Regem in *Hispania* nullus alius princeps nominandus est in missa. n. 2656 ad 6 die 16. Sept. 1673.

Exposuit Rmus Episcopus Ilerden., quod B. Pius V. indulsit Hispaniarum Regnis, ut in omnibus Missis tam saecularium quam regularium Presbyterorum fieret peroratio seu collecta tam ante quam post communionem, addita in ultima Oratione his verbis: „Et famulos tuos Papam nostrum N., Regem nostrum, Reginam et Principem cum Prole Regia, Populo sibi commisso et Exercitu suo, Antistitem nostrum N., et nos ab omni adversitate custodi: pacem et salutem nostris concede temporibus et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, gentes paganorum, haereticorum dexterae tuae potentia conterantur, et fructus terrae dare et conservare digneris. Per Dominum nostrum etc.“; ut refert Joannes de Bastomante in tractatu de Caeremoniis Missae cap. 5. infra num. 16. Comperit vero idem Episcopus Ilerden., hanc formulam perorationis seu collectae variari a Capellanis Monialium S. Hierosolymitanae Religionis in Ilerdensi Dioecesi, quatenus, audiente populo, praetermittant orare pro Antistite Dioecesano, imo et pro Rege, addentes haec verba: „Et famulos tuos summum Pontificem N., Magnum Magistrum, Priorissam, Religionem et Conventum nostrum et

nos ab omni etc."; cumque Moniales ipsae multoties monitae, prout etiam earum Capellani, adhuc in sua contumacia persistant, praefatus Episcopus supplicavit a S. R. C. declarari et decerni, non licere hujusmodi variationem in Missis, palam audiente populo, fieri, sed omnino adhibendam esse Orationem pro Episcopo Dioecesano, etiam a Regularibus exemptis et in eorum Ecclesiis praetermissa oratione publica pro Superioribus regularibus et Religione seu Conventu.

Et eadem S. C. respondit: „Non licere, tributa facultate Episcopo prohibendi."

Et ita decrevit. n. 3070 die 2. Dec. 1684.

d) In Parasceve.

Alben.

Quum Rmus Alben. Episc. in sua Dioecesi repererit consuetudinem, ut in Missa Praesanctificatorum Feria VI. in Parasceve inter ceteras Orationes decantetur peculiaris Oratio pro Episcopo et alia particularis Oratio pro Rege substituatur illi pro Imperatore in Missali apposita, quarum exemplar proposuit pro opportuna adprobatione ac Apost. venia, de qua nullum reperitur vestigium nec penes alias Pedemontanas Dioeceses, in quibus eamdem consuetudinem vigere arbitratur. Memorati Ep. preces quum propositae fuerint in Ordinariis Comitiis S. R. C. ad Quirinale habitis die 27. Febr., hoc ipso vertente anno rescriptum fuit: „Dilata et interim scribatur Apostol. Nuncio ad Mentem." Mentem itaque S. C. exequens Rmus Tarsens. Archiepiscopus Apostol. Nuncius in Pedemonte, curam omnem impendere solemne habuit, ut investigaret, num revera in Dioecesibus Pedemontanis hujusmodi consuetudo vigeat, ac ingenue S. C. certiorem reddidit in nulla prorsus Pedemontana Dioec. assertam consuetudinem locum habere, quae si in aliquibus ruralibus Ecclesiis Paroch. invaluit, nulla quidem neque Apost. neque Episcopalis intercessit concessio.

Emi et Rmi P. rescribendum censuerunt: „Nihil innovetur in Oratione pro Rege; quoad vero Orationem pro Episcopo negative."

Atque ita rescripserunt ac servandum omnino mandarunt. n. 5101 die 11. Sept. 1847.

20) Pro def. Sacerdote.

a) In Missa.

Ad dubium: Utrum in diebus obitus et Anniversarii fratrum Sacerdotum dicenda sit in missa oratio: *Deus, qui inter apost. sacerdotes etc.*, an illa propria, quae in praefatis diebus reperitur?

S. C. resp.: Oratio dicenda ut in die obitus. n. 3936 die 9. Dec. 1719.

b) In Officio.

Ad dubium: An in Officio def. in die obitus dicenda sit etiam pro sacerdote † Oratio communis: *Absolve quaes. Dom.* vel: *Deus, qui inter etc.* cum haec respective communis sit pro Episcopis et pro Sacerdotibus et in Caer. Ep. notetur dicenda in Officio def. in die obitus Episcopi?

S. C. resp.: Serventur Rubricae et Rituale romanum. n. 3751 ad 8 die 18. Sept. 1706.

21) Tertia.

a) Dicenda. (Quae?)

Vd.: *Suffragia* (in dom. privil.); *Oratio ad libit.*

Ad dubium: An in missa privata de Sancto semid. vel simpl. seu votiva vel de infra octavam sive de feria non privileg. dici possit collecta pro

particulari defuncto, puta: *Inclina etc.* vel: *Deus, qui nos patrem* et similia? Et an ob istam omitti possit aliqua ex assignatis pro tempore, puta: *A cunctis* vel *Ecclesiae?*

S. C. resp.: Posse in penultimo loco nec omittendam ullam ex collectis pro tempore assignatis. Die 2. Dec. 1684.

b) Non dicenda.

Cf.: *A cunctis; Concede; Fidelium; Commemoratio Def.; Orationes* (quot?); *Missa votiva* (orationes); *Missa vot. de B. V. M.* (oratio); *Oratio imp.* (quando non dicenda, decr. n. 4586 *nota*); *Suffr.* (in dom. privil.).

Ad dubium: An in missis ferialibus, quae contingunt a dominica passionis ad fer. V. in Coena Dom., cum facienda obveniat commemoratio de simplici, omittenda sit tertia oratio, quae pro secunda assignatur in missali, nempe pro Papa vel Ecclesia?

S. C. resp.: Omittendam esse tertiam orationem, eo quod Rubricae ad hoc satis clare disponant. n. 2013 ad 2 die 22. Nov. 1659.

Occurrente festo simplici tempore Passionis et infra octavas Paschae et Pentecostes non est dicenda in missa oratio tertia. n. 3291 die 13. Sept. 1692; n. 4054 ad 1 die 15. Sept. 1736.

Ad dubium: An, occurrente Octava S. P. Benedicti in hebdomada Passionis, in Missa principali de Feria debeat fieri tantum commemoratio de Octava, seu addi possit vel etiam debeat tertia Oratio *Ecclesiae etc.* vel pro *Papa*, et similiter: an in Missis privatis, quae ex privilegio hujus S. C. dici possunt de Octava, fieri debeat tantum commemoratio Feriae, vel debeat etiam adjungi tertia Oratio, haec vero, utrum debeat esse *Ecclesiae etc.* vel pro *Papa* seu potius de B. V. *Concede,* juxta Rubricas generales de Octavis, in quibus nihil habetur in casu proposito?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Rubini, respondit: Omittendam esse tertiam Orationem in casu.

Et ita declaravit. n. 3703 ad 6 die 23. Aug. 1704.

c) In missa vot. de SSmo.

Ad dubium: An in missa vot. de SSmo tertia Oratio dicenda sit ea, quae 2. loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, vel potius ea, quae est assignata 2. loco infra octavam ejusdem SSmi?

S. C. resp.: Orationem temporis occurrentis dicendam esse. n. 3713 die 4. Julii 1705.

22) Unica.

Vd.: *Missa vot. sol.* (Orat.).

23) Pro Virgine non Mart.

Ad dubium: Quae Oratio dici debeat pro commemoratione Virginis non Martyris, occurrente festo Virginis non Martyris vel Viduae?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Dicendam Orationem: *Indulgentiam* ommisso titulo *Martyris.*"

Atque ita rescripsit. n. 5215 ad 5 die 22. Julii 1855.

ORATIONES.

1) Acolythi accedunt ad eas cantandas.

Vd.: *Ceroferarii.*

a) In Benedictionibus.

Finita distributione palmarum accedunt ad Episcopum duo Acolythi ceroferarii cum candelabris ac cereis accensis, qui cantat Orationem. *Caer. Ep.* l. II. c. XXI. n. 7.

Finita distributione candelarum Episcopus cantat Orationem accedentibus Acolythis cum candelabris. *Ibid.* c. XVI. n. 13.

b) In Matutinis, Laud., Vesperis etc.

Vd.: *Vesperae* (Ritus).

Interea (finito Capitulo *ad Tertiam*) accedunt duo Acolythi acceptis duobus candelabris cum cereis accensis, versis invicem faciebus, dummodo nec altari nec Episcopo renes vertant. *Caer. Ep.* l. II. c. VII. n. 17.

Finito hymno *Te Deum (in Matut. Nativ. Dom.)* accedunt duo Acolythi cum candelabris et accensis cereis ad Episcopum, qui versus populum cantat Dominus vobiscum et Orationem. *Ibid.* c. XIV. n. 9.

2) In Anniversario.

Vd.: *Anniversarium Confrat.; Anniversar. transl.* (missa); *Oratio* (mutatio).

In *Anniversario* translato ob festum de praecepto variari non debet oratio, in qua vitiatur veritas verborum, sed recitanda oratio prout in Missali. n. 3110 ad 3 die 4. Maii 1686.

In Anniversariis def. ob aliquod impedimentum a proprio die translatis, quaevis dicatur missa sive ut in Anniversario sive ut in Quotidianis verba in orat.: *cujus Anniversarium deposit. diem commemoramus etc.* non sunt varianda. n. 4237 ad 2 die 22. Dec. 1753.

3) Ad benedict. cum SSmo.

Ad dubium: An liceat in consuetis SS. Sacramenti benedictionibus ex Ordinarii dispositione addere varias preces, ex. gr. in hon. B. M. V., SS. etc.? Quo ordine variae illae preces additae cantandae, ante vel post *Tantum ergo?* Si plures versus, responsoria et orationes dici debent, suntne singula propriis locis reponenda, vel simul omnia jungenda? Quaenam tunc orationis ultimae conclusio, brevis an longa?

S. C. resp.: Licere Collectas addere post orationem SS. Sacramenti, et Collectas tantum sine versiculis et responsoriis ordinandas ut ad proximum simul jungendas cum oratione brevi. Die 7. Sept. 1850 in Rupell. ad 18 et 19.

In Oratione 40 hh., eoque magis in festo Corporis Chr. duplicibusque 1. et 2. cl., quum populo benedicitur post *Tantum ergo etc.*, quaeritur:

1. An unica tantum Oratio de SSmo dicenda sit vel addi possit aliqua Collecta, nempe Principis?

2. Et si negative, an dici possit ratione praesentiae Principis?

3. Quae conclusio adhibenda sit?

S. C. respondit

Ad 1.: Affirmative in Orat. 40 hh. et dupl. 1. et 2. cl., negative vero in festo et per octavam Corp. Chr.

Ad 2.: Provisum in primo.

Ad 3.: Serventur rubricae.

N. 4815 ad VI 1—3 die 22. Sept. 1837.

Vd.: *Oratio pro rege; Instr. Clem.* §. XXIV. n. 22 etc.; *Te Deum* (oratio).

4) Ante benedict. cum SSmo.

(Quomodo dicendae?)

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXXI. n. 4 etc. — 12; *Te Deum* (oratio).

5) Conclusio.

Vd.: *Conclusio orationum; Oratio* (conclusio).

6) In Lytaniis majoribus.

Vd.: *Lytaniae maj.* (oratio, missa).

7) Extra missam.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXIV. n. 22.

8) In missa de Requiem.

a) Nomen exprimendum.

Vd.: *Officium def.* (orat., decr. n. 4687).

b) Non mutandae.

Vd.: *Oratio* (Mutatio, decr. n. 4586 etc.).

c) In missa quotidiana.

Vd.: *Orationes in Off. def.* (decr. n. 5183); *Oratio tertia* (dicenda).

I. Quot?

In missis quotid. pro def. possunt quidem plures dici orationes quam tres sed curandum, ut sint numero impares et aliquando pro illa, *Deus veniae largitor etc.*, impune subrogabitur alia v. g. pro patre et matre etc. dummodo ultimo loco dicatur illa: *Fidelium etc.* n. 4119 ad 4 die 2. Sept. 1741.

Circumfertur decretum S. R. C. sub 20. Martii 1682, quo praecipitur, ut quoties missa de Req. cantatur cum Diacono et Subdiacono, etiamsi missa sit quotidiana et sine apparatu, unica dicatur oratio (exceptis prima die mensis et fer. 2); estne verum? Debetne extendi ad eas minores Ecclesias, in quibus nunquam ministrant Diaconi et Subdiaconi parati pro missis de Req., quae cum aliqua solemnitate cantantur extra dies privilegiatas?

S. C. resp.: Hoc decretum non reperitur. Praxis vero Ecclesiarum Urbis est contraria, prout Patriarchalis Basilicae s. Petri in Vaticano, in quo pro obligatione chori canitur missa quotidiana defunctorum cum tribus orationibus singulis diebus non impeditis Officio dupl., pro animabus fratrum et benefactorum dictae Basilicae. n. 4175 ad 7 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium: Quae orationes in missa quotidiana pro defunct. dicendae sint a Sacerdote?

S. C. resp.: Servetur rubricae dispositio et detur decr. 2. Sept. 1741. (vd. supra n. 4119). n. 4815 ad XI. 1 die 22. Sept. 1837.

Ad dubium: An in Officiis seu Suffragiis, quae passim celebrantur apud Confratern. Laicorum inter annum pro uno vel pluribus def. cum missa cantata et exequiis atque peculiari missarum numero, unica tantum oratio cum Sequentia dicenda sit a Sacerdotibus confluentibus et quae?

S. C. resp.: Posse recitari unicam orationem juxta rubricas cum Sequentia. *Ibid.* ad XI. 2.

Ad dubium: Utrum 2. Oratio semper mutari possit et ejus loco dici Oratio pro Defuncto aut Defuncta? Ratio dubitandi est, quia decretum Aquen. fert, aliquando pro illa, *Deus veniae larg.*, impune subrogabitur alia v. g. pro Patre et Matre?

S. C. resp.: Unicam orationem dicendam in missa de Req. cum cantu pro anima illius, quam designat eleemosynam exhibens. n. 5208 ad 11 die 12. Aug. 1854.

II. Series.

Vd.: *Orationes in missa quot. de Req.* (quot? decr. n. 5208).

In missa de Req. pro defunctis vage sumptis dicendam esse primam orationem: *Deus, qui inter apost. etc.*, ut habetur in eodem Missali. n. 4401 ad 6 die 16. Febr. 1781.

Ad dubium: Utrum in missis quotid. sive cum cantu sive lectis teneatur Sacerdos recitare 1. loco Orationem pro def. Episcopis seu Sacerdotibus, ut fert missale romanum? Potestne primo loco recitare Orationem: *Inclina Domine* pro Defuncto, vel Orationem: *Quaesumus Domine* pro Defuncta, cujus ad intentionem eleemosyna data est: secundo loco pro defunctis Episcopis etc., tertio loco: *Fidelium?*

Et supposito quod negative rescriptum prodiit: „In Missis quotidianis standum Missali et juxta Decreta aliquando loco secundae Orationis ibi adnotatae substitui posse Orationem pro Patre et Matre.“

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque Dubia declarare. n. 5208 ad 10 die 12. Aug. 1854.

Ad dubium: Utrum in Missis quotidianis Defunctorum pro Oratione assignata primo loco alia subrogari valeat, puta pro matre, offerente eleemosynam etc.?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Quoad primam Orationem servetur ordo Missalis, quoad secundam detur Decretum Aquen. diei 2. Sept. 1741 ad Dub. IV."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4782 ad 7 die 27. Aug. 1836.

9) In missa sol. conv. de Req.

(Quot?)

Ad dubium: An convent. Missa, quae celebranda est pro def. Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis qualibet prima die vel fer. II. non impedita cujuslibet mensis, dici possit cum unica tantum Oratione, quin in iisdem Rubricis gen. habeatur, quod una tantum Oratio dicenda sit, quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur, vel dicenda sit cum tribus Orationibus uti habetur in Missali in Missis quotidianis, ut notat Merati de praedictis Missis mensualibus?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Juxta peculiarem Rubricam, nimirum pro lubitu."

Atque ita rescribere S. C. rata est et declarare. n. 5063 ad 3 die 27. Febr. 1847.

Ad dubium: An quoties Missa *de Requie* quotidiana decantatur cum Diacono et Subdiacono una tantum Oratio in ea dicenda sit (excepta prima die Mensis et Feria II.), vel requiratur etiam concursus et pompa exterior, uti opinatur Cavalieri explicans illud *solemniter* Rubricae Missalis Tit. V. n. 3.

S. C. resp.: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 22 die 16. Aprilis 1853.

10) In missa de semid., simpl. et votiva.

Vd.: *Missa vot.* (orationes); *Oratio tertia.*

Ad dubium: An in missa de semid., simpl. vel votiva necessario dicendae sint Collectae impares, puta, tres, quinque etc.; an vero completo ternario numero commemorationum omitti possit quinta vel septima, ex. gr. prima de missa, 2. de simpl., 3. *A Cunctis*, 4. imperata, vel potius omittenda oratio *a Cunctis* et ponenda solum oratio imperata pro tertia; an vero addenda sit quinta ad libitum Sacerdotis?

S. C. resp.: *Negative*, sed post 3. orationem et imperatas, posse, non tamen teneri, superaddere plures. n. 3073 ad 9 die 2. Decbr. 1684.

11) In missa infra hebdom. Passionis.

Si infra hebomad. Passionis Officium semidupl. aut simpl. occurrat, utrum tres dicendae sint orationes in missa vel tantum duae?

S. C. resp.: In missa *solemni* in feria commem. non esse faciendam de Sancto Semid., cujus missam pariter cantandam esse absque commem. feriae et in utrisque dicendam tantum 2. or. *Ecclesia vel pro Papa.* In missis autem *privatis* de festo semid. dicendam esse 2. or. de feria, 3. Ecclesiae etc.; de simplici vero faciendam esse commemorationem. n. 3301 ad 15 die 10. Jan. 1693.

Ad dubium: An occurrente commemoratione Sancti Simplicis fer. 2. post dom. Passionis, quando dictum est Noct. def., quot et quae orationes dicendae sint in Missa?

S. C. resp.: Dicendam 3tiam orationem de simplici tantum. n. 3808 ad 2 die 4. Maii 1709.

12) In missis infra oct. privil.

Ad dubium: An in Missis tam privatis quam solemnibus, quae infra Octavam SS. Corp. Chr. in *Hispania* privilegiatam sunt celebrandae (excepto festo Corporis, Dominica et die Octavae) debeant dici duae Orationes tantum, scilicet una de die et altera Ecclesiae vel pro Papa, sicuti in Octavis Paschatis Resurrectionis et Pentecostes pariter privilegiatis, vel hae duae Orationes debeant esse prima de die, secunda de S. Maria et tertia Ecclesiae vel pro Papa, quemadmodum pro Octavis communibus praescribit Rubrica Missalis de Orationibus sub num. 9.?

S. eadem C., exquisita sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, referente Emo et Rmo D. Card. Archinto Praefecto, respondit: „Dicendas esse tres Orationes a Rubrica praescriptas pro Octavis communibus.“

Atque ita declaravit ac servari mandavit. n. 4448 die 26. Jan. 1793.

13) In missa sol. pro re gravi.

Vd.: *Missa vot. pro re gravi* (decr. de die 12. Septbr. 1767); *Missa vot. sol.* (Oratio); *Ultim. Evang.*

In missa sol. vot., quae pro re gravi vel ob occursum festi solemnis in aliam diem transferendi, etsi unica tantum missa cantatur, unica tantum oratio dicenda est. n. 4223 ad 9 die 29. Jan. 1752.

14) In missis solemnibus.

Cameracen.

Parcohus Decanus S. Petri de Davai, quod est Oppidum Camaracensis Dioecesis, sequens Dubium S. R. C. pro opportuna solutione proposuit, nimirum: An debeant semper tres ad minus Orationes cantari, quando fit de Dominica et celebratur Missa solemniter cum Diacono et Subdiacono: ratio dubitandi est, quod quaedam Directoria dicunt Missam solemnem commemorationem Simplicis excludere: an sufficiat tunc unicam Orationem canere, si non intersit Octava?

Et S. eadem C. Ordinariis in Comitiis ad Vaticanas Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus mature consideratis rescribendum censuit: „In Missis solemnibus dupl. 1. et 2. cl. tantum omittuntur aliae Orationes.“

Atque ita rescripsit et declaravit. n. 4879 die 11. Apr. 1840.

Cum in festis dupl. 1. cl. non possit cantari missa vot. sol., etiam ad invocandum Spiritum s. pro felici successu comitiorum general. vel capituli; quaeritur: an tunc addi possit collecta de Spir. s. sub unica conclusione?

S. C. resp.: „Affirmative.“ Die 27. Martii 1773 ad 7 *in una Ord. Carmel. Polon.*

Vd.: *Missa vot. sol.* (Orat.).

15) In Missa vot. de B. V. M.

Vd.: *Missa vot. de B. V. M.* (Oratio).

16) Infra octav. Dedicat. Eccles. in festo Dedic. Basil. SS. Salvatoris et S. Petri et SS. Ap. Petri et Pauli.

In decreto Urbis et Orbis „Novum Missale“ diei 25. Septembris 1706 ad XI., quum quaesitum fuisset: Utrum quando occurrit dedicatio basilicarum Salvatoris et s. Petri infra octavam dedicationis aliarum ecclesiarum, assignandae sint aliae collectae vel orationes, vel sit omittenda commemoratio? S. R. C. respondit: Sumatur pro commemoratione alia oratio de

Communi, nempe: *Deus, qui invisibiliter etc.*, et apponatur decretum in principio Missalis. Ex hac clausula responsioni adjecta quisque intelligit, non eam fuisse S. Congregationis mentem, ut haec responsio ad modum rubricae in corpore Missalis insereretur, sed tantummodo, ut apponeretur in principio Missalis post rubricas generales inter decreta ejusdem S. Congregationis. Reapse in Missali edito anno 1714 a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, pro quo ad adamussim hoc tantum fuerat decretum, nulla quoad variandas orationes peculiaris rubrica inserta fuit Missae in anniversario dedicationis ecclesiae; et licet verum sit, neque initio Missalis (forsan ex oblivione) ullam adnotationem de eadem re appositam fuisse, constat tamen a quavis nova rubrica addenda abstinuisse editores. Ast quod praedicti Missalis editores piaculo sibi duxerunt, id recentiores typographi fas sibi esse putarunt, hac addita arbitrio suo rubrica in praedicta Missa post orationes pro ipso die dedicationis assignata: *Praedictae orationes debent sumi, quotiescumque occurrerint plures commemorationes de anniversario dedicationis ecclesiae.* Haec quum ita se habeant, quaeritur: Utrum in novo Missali standum sit adamussim praecitato Sacrorum Rituum Congregationis decreto: an illo minime obstante retineri possit praedicta rubrica?

S. R. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Die 25. Septbr. 1860.

Quando occurrit dedicatio basilicarum SSmi Salvatoris et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli infra octavam dedicationis aliarum ecclesiarum, sumatur pro commemoratione alia oratio de Communi: *Deus, qui invisibiliter etc.*

Decret. Urbis et Orbis 12. Martii 1861.

17) In Officio Defunctorum.

Ad dubium: Quum alias declaratum fuerit in Missa Defunctorum quotidiana celebranda ritu semiduplici semper dicendas illas tres Orationes: *Deus, qui inter Apostolicos: Deus veniae largitor, et Fidelium Deus*, excepta secunda, quae interdum variari potest, quaeritur: an idem servari debeat in Officio Defunctorum ritu pariter semiduplici persolvendo?

„Servandas peculiares hujus Officii Rubricas."

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 23 die 16. Apr. 1853.

18) Publicae.

Ab auctorit. eccl. indicendae.

Vd.: *Preces publicae* (ab eccl. auctor. etc.).

19) Quot adjungendae?

Vd.: *Patronus paroch.* (transl. Solemnitatis, decr. n. 4910).

20) Finito „Te Deum".

Vd.: *Te Deum* (Oratio).

21) In Vesperis etc.? quo ritu cant.?

Vd.: *Vesperae* (ritus); *Te Deum* (Oratio).

22) Vetitae.

Orationes praeter eas, quae in Ecclesia receptae sunt, in s. Ritibus non admittuntur. Benedictus XIV. Const.: *Inter Omnigenas* 2. Febr. 1744.

ORATORIUM.

a) Altare portatile.

Vd.: *Altare portatile.*

In aliqua certa Capella decenter ornata ad solum cultum divinum ab Episcopo dedicata et ab eodem visitanda

servatis aliis servandis potest celebrari super altare portatile.

S. R. C. n. 51. 23. Mart. 1593.

Vd.: *Orator. privat.* (Decr. Benedicti XIV. et Clem. XI.).

b) Confraternitatum.

Vd.: *Titularis capellar. publ.; Credo in missa Titul. capell. publ.; Oratorium priv.* de die 17. Aug. 1709).

Episcopus in Oratoriis separatis ab Ecclesiis non potest prohibere Capellanis Confraternitatum, quominus celebrent missas in diebus festis ante missam paroch. S. R. C. n. 1017 die 21. Apr. 1635.

Eadem die, qua solemnia celebrantur in Ecclesia paroch., non licet Capellano Solemnia peragere intus capellam in solemnioribus ab Episcopo declarandis. S. R. C. n. 2298 ad 2 die 22. Nov. 1644.

Ad dubium: An in Ecclesiis et Oratoriis publicis, sejunctis ab Ecclesia paroch., in quibus adest erecta aliqua Confraternitas, possint Capellani *de licentia Episcopi dumtaxat* et post missam paroch. canere missas sol. in diebus festivis, exceptis tamen diebus SS. Corp. Chr., Fer. V. et Sabb. hebd. maj.?

S. C. resp.: Affirmative; non posse tamen Capellanos Confratern. in praefatis Ecclesiis et Oratoriis facere, quae ad sol. parochum spectant, et signanter missas def. in anniversario Confratrum pro legatis piis cantare, candelas etc. benedicere absque consensu parochi. n. 3451 die 14. Decbr. 1697.

Ad dubium: An functiones ecclesiasticae non parochiales explendae in Oratorio Confrat. s. Caroli Ravennae spectent ad parochum s. Rochi seu potius ad Confratres Oratorii mediante eorum Capellano vel Canonico protectore absque licentia parochi?

S. C. resp.: Functiones, de quibus agitur, spectare ad parochum privative quoad Confratres. n. 3766 die 2. Apr. 1707.

Licet Confratribus SS. Trinitatis Pezzetti celebrare missas in festivitatibus solemnioribus in eorum Ecclesia a Rectore seu Capellano Confrat. privative ad parochum et absque ulla ejus dependentia. n. 3835 ad 1 die 9. Martii 1711.

Idem decr. pro Confrat. s. Mariae Confalanis. sub n. 3850 ad 3 die 11. Febr. 1713.

Ad dubium: An in diebus festivis valeant celebrari in Oratorio Confrat. S. Rosarii Burgi missae tam lectae quam cantatae cum signo campanarum ante celebrationem missae paroch.?

S. C. resp.: Arbitrio et prudentia Episcopi. n. 3910 ad 10 die 9. Julii 1718.

In Ecclesia (Oratorio) Confrat. s. Jacobi Minor. Placentiae non potest in fer. V. in Coena Dom. sol. miss celebrari aliaeque functiones fer. VI. et Sabb. s. ibidem peragi, exceptis Matutinis tenebrarum. n. 3914 ad 4 die 10. Sept. 1718.

Ad dubium: An Confraternitati SS. Trinitatis fer. V. in Coena Dom. per suum Capellanum, independenter a parocho, liceat celebrari facere missam et habere sepulchrum cum Venerabili, necnon in Vespere ejusdem feriae V. post lotionem pedum habere in suo Oratorio sermonem per Sacerdotem a Confratribus eligendum independenter a parocho?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem et secundam; affirmative quoad tertiam de licentia Ordinarii. n. 4012 ad 2 die 13. Sept. 1732.

Ad dubium: An liceat Confraternitati retinere sedes confessionales in Oratorio ibique per confessarios approbatos excipere confessiones sacramentales?

S. C. resp.: Licere de licentia Episcopi. Die 9. Martii 1711 ad 3. *In Papien.*

Vd.: *Confessionale.*

Ad dubium: An parochus invitis Confratribus docere possit doctrinam christianam in praedictis (Confratrum)

ecclesiis et oratoriis publicis et privatis a parochiali divisis et separatis?

S. C. resp.: Negative. Die 10. Decb. 1703 *in Urbis et Orbis* ad 17.

c) Episcopi consensus ad erigendum.

Lucius PP. III. Episcopo Bellunensi.

Prohibemus, ut intra fines parochiae tuae nullus sine tuo assensu capellam seu Oratorium de novo construere audeat salvis privilegiis Rom. Pontificum.

Die 18. Oct. 1185. (Bull. r. t. III. p. 29. Ed. Aug. Taur. 1858).

Vd.: *Orat. priv.* (decr. Bened. XIV. §. 10. etc. 29.).

d) Infirmi.

Extra summum necessitatis casum apud infirmos in aedibus non sacratis missam celebrare non liceat.

Benedictus PP. XIV. in Constit. diei 2. Febr. 1744 ad Episcopos Regni Serviae (Turcarum) n. 22. (Bull. Benedicti XIV. t. I. p. 306.)

Orat. priv. (missa in variis festiv., decr. n. 4782).

e) Patronus.

In Oratoriis, quae nullum habent patronum, nominandus est patronus civitatis episcopalis vel loci.

Vd.: *Commem. Patroni; A cunctis* (commem. Patr.); *Titularis capellae publ.*

f) Privatum.

I. Duo Oratoria in una Domo.

Neocastren.

(Conc. Tr. Decr. de Observ. et Evit. in celebr. Missae. Sess. 22).

Ex benignitate S. M. Innocentii XI. princeps Tirioli ejusque nobilis mulier indultum apostolicum obtinuerunt celebrari faciendi in privatis eorum domorum oratoriis sub hisce verbis: „Vobis, qui, ut asseritis, terrae seu loci di Tiriolo jurisdictionem temporalem exercentes Neocastren. dioecesis principes existitis, ut in privatis domorum vestrae habitationis in civitate et dioecesi Neocastren. oratoriis, ad hoc decenter muro exstructis et ornatis seu extruendis et ornandis ab omnibus domesticis usibus liberis, per ordinarium loci prius visitandis et approbandis ac de ipsius ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam missam pro unaquaque die et dummodo in iisdem domibus celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum saecularem seu de superiorum suorum licentia regularem sine tamen quorumcunque jurium parochialium praejudicio ac paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis D. N. Jesu Christi aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in vestra ac natorum et familiae, et quoad oratoria ruri existentia etiam in hospitum nobilium vestrorum praesentia, celebrari facere, libere et licite positis et valeatis“, ut latius ex documento, quod in summario dabitur. Multis igitur retro annis erectum comperitur in domestico palatio principum Tirioli oratorium privatum in loco honesto decenterque ornato, in quo sacrosanctum ministerium operatur. At nuper principissa ex pio affectu in alio cubiculo ejusdem palatii alterum paravit oratorium salvatori in cruce pendenti dicatum, in quo noctu diuque lampades accenduntur et cum tota familia devotas persolvit preces. Desiderio itaque praelaudata principissa flagrans, quod ibi quoque missae sacrificium interdum offeratur, potissimum recurrentibus diebus Passionis dominicae, ita tamen, quod in altero antiquo oratorio tunc non celebretur; voti compos fieri nequivit in curia episcopali Neocastrensi. Hinc humilem

recursum habuit ad EE. PP. consessum pro declaratione: numquid in vim indulti praememorati pro libito celebrari possit missa in alterutro ex dictis oratoriis, dummodo unica in die offeratur. Remissis precibus pro consueta informatione Ordinarius praelibata confirmat additque, quod, licet oratorium nuper erectum, apte ornatum decentique in loco positum sit, nihilominus principissae votis minime annuere voluit in obsequium declarationum, ut inquit, Sacr. Congreg., quibus plura oratoria erigi in eodem palatio prohibetur.

Hinc relatis precibus per summarium, cum rescriptum prodierit, quod dubium proponeretur in folio, superest, quod EE. PP. sapiens oraculum desuper pandant ex latius adducendis:

I. *An in vim indulti, de quo agitur, possint retineri duo oratoria pro celebratione missae in eadem domo; ita ut modo in uno modo in altero celebrari possit, dummodo unica tantum missa in die celebretur in eadem domo?* Et quatenus negative;

II. *An id sit concedendum ex gratia?*

S. C. resp.: Affirmative juxta modum. Die 4. Maii 1715.

II. Missae in variis festivitatibus.

Vd.: *SS. Sacram.* (Asservat. in Orat. etc. decr. Leonis XII.); *Capella dom.*

Nonnullis festis, quorum solemnitas differtur in dominicam sequentem, interdicuntur Sacra in Sacellis domesticis; quaeritur: an illud interdictum intelligendum sit de die festi vel de dominica, in qua fit solemnitas?

S. C. resp.: In die festi.

Die 23. Maii 1835 ad 14 quaest. 8.

Ad dubium: An die Consecrationis vel Titularis ecclesiae paroch. non Cathedr. et per octavas celebrari possit Dedicat. vel Titularis, sub eodem ritu dupl. ac in parochiali, etiam in oratoriis eidem Ecclesiae parochiali subjectis, in quibus de facto multi sacerdotes celebrant ut in parochiali?

S. C. resp.: Negative. Die 17. Aug. 1709. In *Bergam.*

Parochus novit SS. Viaticum difficillime peragi posse infirmo morti proximo, nisi celebret in Oratorio domestico Indulto apost. erecto domui infirmi proximo; quaeritur: utrum possit a privato Oratorio SSmum deferre? Et quatenus affirmative: utrum in tali casu celebrare possit etiam Indultario precario absente?

S. C. resp.: Affirmative etiam absente Indultario. n. 4782 ad 8 die 27. Aug. 1836.

Ad dubium: An in Oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede ap. conceditur, ut Missa in die Nativ. D. celebrentur tres missae, ab eodem Sacerdote celebrari possint vel unica tantum missa sit celebranda?

S. C. resp.: Ad primam dubii partem affirmative, ad secundam negative. Die 20. Jan. 1725. (Bened. XIV.)

Ad dubium: An Episcopi non habentes facultatem specialem concedendi in Oratoriis privat. et capellis pro saecularibus et aliis legendi missam, possint licentiam dictam petentibus concedere?

S. C. resp.: Negative. Die 20. Sept. 1749 ad 7. In *Jaurin.*

Ad dubium: Missae in Oratorio *privato* non possunt celebrari in festo Titulari parochiae, ubi Oratorium constructum est; in Oratoriis privatis intra Civitatem constructis debeturne censeri prohibitum Sacrum facere etiam in die Titularis, nempe die 3. Maii aut tantum in Titulari propriae parochiae?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Prohibitum est tantum in festo Patroni Civitatis vel Dioecesis, non in

festo Titularis, quod non inducit praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit, die 11. Apr. 1840 n. 4878 ad 3.

Quum Rmus Aquan. Episcopus non minus quam Duces Militiae in Civitate Apuana Indultum efflagitarint, ut *in Sacello Militaris Domus* Sacrosanctum Missae Sacrificium ut antea celebrari valeat, quamvis super ipsum lectuli militum ex necessitate reperiantur, constructa super ipso Sacello duplici concameratione, S. R. C. ad Quirinale subscripta die coadunata, attentis expositis ac audita ab infrascripto Secretario fideli relatione respondendum censuit: „Committatur Episcopo, ut veris existentibus narratis adhibitisque praescriptis cautelis pro suo arbitrio et prudentia indulgeat juxta preces." n. 4895 die 12. Sept. 1840.

Non licet in die Solemnitatis Corp. Chr. per parochum terrae de Valentino celebrare missam in Capella Ducis dictae Terrae et ibi inchoare processionem. n. 3027 die 24. Julii 1683.

In Oratorio *priv.* semper Missa concordare debet cum Officio Celebrantis. Idem dicendum de Sacerdotibus ad Ecclesias Confraternitatum in festis patronorum et titularium earundem confluentium. S. R. C. 12. Novb. 1831; 23. Sept. 1837.

Missae in Oratorio *priv.* prohibentur tantum in die festo et non in dominica, ad quam solemnitas transfertur. S. R. C. 23. Maii 1835.

Cum Joann. Lopez de Excoriaca Calagur. dioecesis obtinuerit a SSmo D., ut in Capella palatii sui possit ipse, quamdiu vixerit, pro suo suaeque familiae commodo sacrum missae celebrari facere singulis diebus et temporibus praeterquam in die Pasch. Resurrectionis D. N. et aliis solemnior. festivit.; dubitatum fuerit: quaenam sint et intelligantur praeter diem Pasch. aliae solemniores festivitates?

S. R. C. resp.: Solemnes festivitates esse et intelligi censuit praeter festum Pasch. Resurr. D. N.: Feriam V. in Coena D., festum Ascensionis D. N., Pentecostes, festum ss. Ap. Petri et Pauli, festum Annunt. et Assumpt. B. V. M., festum Omn. Sanctorum, fest. Nativit. ac Epiph. D. Die 17. Novb. 1607 *in Calagur.*

Decretum Clementis XI. de Celebratione in Oratoriis privatis.

Quoniam Sancta sancte tractanda sunt ac praesertim tremendum incruenti Sacrificii mysterium, quod omni Religionis cultu et veneratione peragendum est, propterea super observandis et evitandis in celebratione missarum in s. oecumenicis Conciliis ac praesertim Tridentino *sub capite unico sess. 22.* inter caetera statutum est, ut tantum sacrificium solummodo in ecclesiis aut Oratoriis divino tantum cultui dicatis celebraretur, praecipiendo Episcopis et locorum Ordinariis, ne *privatis* in domibus atque omnino extra Ecclesiam peragi paterentur; ac subinde S. C. EE. ac RR. S. R. E. Cardinalium ipsius Concilii Tridentini executioni et interpretationi praepositorum saepe saepius per opportuna decreta obrepentes abusus eliminavit; modernis tamen temporibus innotuit SS. Domino Nostro, quod nonnulli Episcopi praetextu privilegiorum Capellis Episcopalibus competentium, et complures Regulares sub praetextu privilegiorum, quae ipsis a S. Sede indulta noscuntur, per hujusmodi privilegiorum dilationem seu potius expressum et abusum in nonnullis Dioecesibus praesertim Regni Neapolitani ac in ipsa Neapolis civitate, et sibi licere putant, quae permissa non sunt, quinimo prohibita; siquidem nonnulli Episcopi etiam in aliena Dioecesi et

extra domum propriae habitationis in *priv.* laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum aut plures e suis Capellanis vivificam Christi hostiam immolare; Regulares vero in quibusdam Magnatum seu aliarum nobilium Personarum privatis Oratoriis, quae certis quandoque ex causis a Sede apost. concedi solent, celebrare audent vel plures missas, quam in ipsis celebrare sit indultum, vel absque praesentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas et post meridiem vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Dioecesanas, aut etiam per decreta S. C. C. celebrari prohibetur, aut quae ipsismet indultis apost. excipiuntur, quamvis in iis celebrari possit, aut etiam altari portatili uti non verentur in sanctarum Sanctionum contemptum ac SS. Sacrificii irreverentiam.

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos et ad instaurandam venerationem tremendo ministerio debitam idem SS. Dominus Noster ex unanimi voto S. R. C Cardinalium Concilii Tridentini interpretum inhaerendo declarationibus alias hac de re editis expresse declarat Episcopis et his majoribus Praelatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu Privilegii clausi in corpore juris, nec alio quocunque titulo, ullo modo licere extra domum propriae habitationis, in domibus laicis, etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare ibique ss. Missae Sacrificium celebrare seu celebrari facere; ac pari modo in oratoriis privatis, quae per s. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis aut Instituti seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscunque Ordinis militaris, etiam s. Joannis Hierosolimitani, aut aliis quibuscunque Sacerdotibus. etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus SS. Resurrectionis, Pentecostes, Nativ. D. N. J. Chr. aliisque anni festis solemnioribus ac diebus in Indulto exceptis: in reliquis vero diebus praedictis Regularibus seu Sacerdotibus quibuscunque etiam Episcopis in priv. Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quae in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus diligenter teneatur inquirere et de eo se optime informare; atque ille etiam in casibus praemissis celebrare nequit post meridiem; demandando praeterea ulterius ac declarando in omnibus hujusmodi casibus personas quascunque dictas missas audientes nullatenus Ecclesiae praecepto satisfacere.

Quo vero ad altare portatile, iterum inhaerendo declarationibus supradictis censuit licentias seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap.: *In his Privil.*, et per alios summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto altari port. in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem s. Concilium et propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout praesentis decreti tenore mandat Episcopis et aliis Ordinariis locorum, ut contra quoscunque contravenientes quamvis Regulares procedant, etiam tamquam Sedis ap. Delegati, ad poenas perscriptas per idem S. Concilium in dicto decreto *sess.* 22. usque ad censuras latae sententiae, tributa etiam iisdem facultate per hoc decretum ita procedendi perinde ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset, et ita Sanctitas Sua declarat et servari mandat.

Romae die 15. Feb. 1703.

B. Card. Panciaticus Praef.

(Bull. r. t. VIII. p. 417; t. XVIII. p. 221.)

Benedictus PP. XIV.

Epistola Encyclica ad Primatem, Archiepisc. et Episcopos Regni Poloniae.

Magno cum animi Nostri dolore a Nobis intellectum est, nonnullas in Dioecesibus vestris controversias ac molesta dissidia propter Oratoria privata insurrexisse, quibus praecidendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis sed et in aliorum offensionem incurreritis vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis, optari proinde a vobis, ut per hanc S. Sedem certae vobis regulae indicentur, ad quarum normam sublatis abusibus privati Oratorii Privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut, cum Orationes vestrae Pontificia auctoritate nostra munitae fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum majus semper eisdem honoris atque aestimationis pondus accedat. Licet autem vestrae hujuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tum in quibus de hujusmodi materia doctrina traditur Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Decretis conformis, quam alios etiam, quorum Scriptores, dum de privatis Oratoriis agunt, ea S. Sedis Decreta vel dissimulant vel ignorant, quae assertionibus eorum omnino opponuntur. Nihilominus, cum Nos Venerabiles Personas Vestras praecipuo ac speciali affectu prosequamur, per Encyclicam hanc Epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorundem Decessorum nostrorum tum nostram hac super re mentem sensusque aperiemus: quibus quidem, praeter obedientiam, quae eisdem debetur, ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid majoris ponderis inest, materiae ipsius nomine, quae eorum objectum est, quaeque in quaestione versatur, cum omnis hujusmodi res ab Apostolicis Privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo jure Summis Pontificibus reservata est, cumque eadem praecipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cujus sensus concedenti semper quam alii cuilibet notior esse debet; adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quae in Encyclica hac Epistola nostra continentur, ordinabitur et statuetur, id pro exequendis Summorum Pontificum praescriptis praestitum esse dicendum sit, cujus rei gratia Apostolicorum Delegatorum qualitatem et auctoritatem Fraternitatibus Vestris additam esse censendum est, quam etiam, quatenus opus sit, Nos ipsarum praesentium Literarum tenore Vobis ad hujusmodi effectum concedimus et impertimur.

§. 1. Nihil sane expositum Nobis est, *quod ad ea pertineat Sacella, quae in Episcopalibus Palatiis vestris habetis,* pro Missa vel per vos vel per alios celebranda aliave quapiam sacra Functione, quae officii ac dignitatis vestrae propria sit, obeunda; de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hoc a proposito nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetusta Sacellorum exempla indicabimus, quae Episcopi in proprio Episcopio a publicis Ecclesiis distincta ac separata habebant, in quibus Missae Sacrificium celebrabant. Horum primum Sacellum est S. Cassii Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius *in Homilia 37 super Evangelia* narrat, quod, licet gravi morbo opprimeretur, *in Oratorio Episcopii sui Missas fecit*, tam ut propriae quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Joannis Eleemosinarii Episcopi Alexandrini, qui, sicut in actis ipsius a Leontio scriptis

deprehenditur, illos coarguens, qui, Missa nondum peracta discedebant, quum ipse ad eamdem celebrandam in publicam Ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos descendo in Sanctam Ecclesiam, nam poteram mihimet facere Missas in Episcopio.* Praedictum exemplum legere est apud *Thomassinum de veteri ac nova Ecclesiae disciplina part. 1. lib. 2. cap. 93. num. 6.* Alia exempla in opere *de Oratoriis privatis inscripto cap. 6.* collecta reperiuntur (quod opus novissime a Joanne Baptista Gattico Canonico Lateranensi Romae in lucem editum est), per quae Episcoporum jus circa Sacella in propriis Episcopalibus Palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

§. 2. Huic quidem juri Sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo *sess. 22. de observandis et evitandis in celebratione Missae,* propter multa, quae parum decenter fieri identidem contingebat, Episcopis praecepit, ne Saecularibus ac Regularibus Missam celebrare permitterent *privatis in domibus et extra Ecclesias aut Oratoria publica*, quae Divino cultui destinata essent; quod nullam cum Capellis, quae in Episcopalibus Palatiis sunt, rationem habet, quum haec sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum in aliquot ejusdem Resolutionibus validis rationibus innixis declaratum est, quas Nos in nostro *de Sacrificio Missae Tractatu retulimus Sect. 2. §. 45. et seq.* Latinae Edit. Patav.; Nos enim tunc etiam, cum in minoribus constituti opus aliquod inscriberemus, illud praecipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanae Curiae Tribunalium Sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis Oraculis auctoritatis robur accedit.

§. 3. Illud tantummodo de hujusmodi Episcoporum Privilegio dici poterat, quod, cum idem ad Sacella, quae in Episcopiis sita sunt, restringeretur, nullo modo Episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos versarentur, cum Visitationem obirent sive cum iter haberent; adeo ut, cum vel Missam celebrare vel eidem interesse vellent, ad publicas Ecclesias se conferre cogerentur vel a locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel Missam celebrari facere vel ipsi eamdem celebrare in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

§. 4. Verum recol. mem. Praedecessor Noster Bonifacius Papa VIII. in Decretali sua: *Quoniam Episcopi*, *de Privilegiis, in Sexto,* male factum reputans, Episcopos sine rationabili causa Missam quotidie non celebrare aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam Dioecesim Altari portatili seu viatico uterentur: *Praesenti Constitutione indulgemus iisdem, ut Altare possint habere viaticum et in eo celebrare aut facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire Divina.* Dignum animadversione verbum est: *Ubicumque*, quod quidem procul dubio loca etiam, quae extra Dioecesim sita sunt, comprehendit.

§. 5. Praecipuam etiam animadversionem dictae Congregationis Concilii Resolutiones merentur, cum ad Quaesitum eidem propositum: *num videlicet Episcopus, qui extra propriam Dioecesim est, ad utendum Privilegio Altaris viatici petere ejus rei veniam ab Episcopo Locali teneantur? minime eum teneri respondit;* alioqui frustratorium Bonifacii VIII. Privilegium fuisset, quoniam illius Pontificis

aetate antiquum Jus in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a Concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod Episcopi facultatem concedebant Missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congregationi alterum Quaesitum propositum fuisset: *num Privilegio per Bonifacium VIII. Episcopis concesso* vel Tridentinum Concilium vel Pontificis Pauli V. Decretum, de quo pariter mox dicetur, praejudicium ullum attulissent, nihil pariter Privilegio illi detractum fuisse respondit; cum tam in Concilio quam in citato Decreto sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam juribus illis expoliati remanserint, quae proprias personas respiciunt, quaeque eorumdem dignitatis atque characteris propria sunt. Praedictae Resolutiones a Nobis referuntur in nostro Tractatu *de Sacrificio Missae latinae editionis Patavinae Sect. 2. §. 42.*, nec non in Commentariis bon. mem. Cardinalis Petra *ad Constitutiones Apostolicas tom. 4. super Constit. 2. Urbani V. num. 15. et seq.*, et a Gattico in recenti ejusdem Tractatu *de Oratoriis domesticis in titulo de usu Altaris portatilis cap. 12. num. 1. et seq.*

§. 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem majus praejudicium Privilegiis afferre, quam abusum eorumdem; quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu hujus Privilegii Altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, et quod post Concilium Tridentinum ac Paulinum Decretum illaesum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui, vel intra vel extra Dioecesim ad Laicorum se domos conferebant atque in iis vel ipsi Missam celebrant vel ut ibidem plures celebrarentur Missae faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium Privilegium ostentarent vel ut Laicorum petitioni satisfacerent. Cum hujusce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non praetermisit hujusmodi excessum prohibere, ejusdem abusus corrigendi, curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum jurisdictioni subjectis contigisset. In Codicibus Actorum seu Regestis Congregationis praedictae *lib. 48. Decretorum fol. 471* Resolutiones ipsae referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis Praedecessore nostro Clemente Papa XI. die 15. Decembris 1703 sequens Decretum publicatum fuit, in quo, postquam inconveniens expositum fuit nimirum: *Episcopi etiam in aliena Dioecesi extra Domum propriae habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare ibique per unum aut per plures e suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolant,* ad remedium gradus fit: *Ad abusus hujusmodi eliminandos etc. SS. D. N. etc. expresse declarat, Episcopis et his majoribus Praelatis etiam Cardinalatus honore fulgentibus neque sub praetextu Privilegii clausi in corpore Juris neque alio quocumque titulo ullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus Laicis etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere Altare ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare sive celebrari facere.*

§. 7. Magni hujus Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur, numquam autem ut recto Privilegii usui quidquam detraheretur. Et quia relata verba prohibitiva, utpote minus ampla et effraenata, cuiquam praebere ansam

poterant affirmandi, non licere Episcopis uti Privilegio Altaris portatilis, tum cum vel Dioecesim visitant vel iter faciunt aut alia justa de causa extra residentiam sunt atque in Laicorum domibus morantur; illato de hujusmodi re sermone in Congregationibus, quae sub Innocentio XIII. immediato Clementis ejusdem Successore habitae fuerunt, quarum Nos tunc in minoribus existentes a Secretis fuimus, opportunum factu judicatum est, ut ea, quam mox subjicimus, Declaratio fieret, quae postea inserta fuit in ejusdem Innocentii Literis incipientibus: *Apostolici Ministerii*, quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum Regnis bono Ecclesiasticae disciplinae regimine condidit, quasque etiam ejusdem Successor Benedict. XIII. in *forma specifica* confirmavit et ut in omnibus locis pro regula ac norma haberentur, in Appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter ejusdem Concilii decreta retulit Tit. XV. Cap. III., in quo quidem Concilio Nos quoque ad Sacrorum Canonum Interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apperimus: *Declaramus, quod, cum in praedicto Decreto,* de Clementis XI. sermo est, *statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis in domibus Laicis erigere Altare ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare sive celebrari facere; hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione Visitationis vel itineris, hospitio excipiantur; ut nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis vel de speciali Sedis Apostolicae licentia absentes a domo propriae ordinariae habitationis moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita eis erit erectio Altaris ad effectum praedictae celebrationis non secus ac in domo propriae habitationis.*

§. 8. Optimum factu judicavimus in Encyclica hac Epistola Nostra exponere Vobis haec, quae ad Fraternitates Vestras praecipue pertinent, nimirum quantum Vobis concessum est quoad Sacella seu Capellas, quae in Episcopalibus Palatiis vestris sunt; quantum item Vobis in alienis domibus et extra vestram Dioecesim facere permissum est; causas etiam Concessionum ac Privilegiorum indicavimus necnon eorumdem abusus atque abusum prohibitiones apposuimus, tum ut Vos discrimen agnoscatis, quod intercedit in Capellas Episcopalium Aedium vestrarum, per quas non minus spirituali consolationi et commodo vestro quam dignitatis vestrae decori providetur, et privata Oratoria in domibus Laicorum, sive intra sive extra Dioecesim vestram, in quibus aliquando Vobis pro praecipuo fine hujusmodi commodi et consolationis vestrae, Privilegio Altaris erigendi ac celebrandi vel celebrari faciendi uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum Vos contra abusus privatorum Oratoriorum in domibus Laicorum invigilare debeatis, redargutioni obnoxii sitis, quod, alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestrae domi atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum Oratoriorum propositum, quae in domibus Laicorum sunt, gradum facientes aliqua praemittemus.

§. 9. Primum quidem est, *privatorum Oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse*, cum constet, Apostolos Sacra Mysteria privatis in domibus celebrasse eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus *in suis notis ad Canones Trullanos* apposite animadvertit.

Alterum autem, privata Oratoria in domibus Laicorum subsequentibus etiam saeculis fuisse, cum persecutiones jam cessassent, cum in Sacramentario Gallicano, quod *Mabillonius tom. 1. Musaei Italici* impressum edidit, *Collecta* legatur, quae reticenda erat in Missa, quae celebrabatur in *domo cujuslibet;* nec ad hujusmodi quidem assumptum aliae deficiunt probationes, quas Nos in Tractatu nostro de *Sacrificio Missae sect. 1. §. 10.* cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis hujusmodi Oratoriis privatis in domibus Laicorum seu potius facultatibus Missam in ipsis celebrandi pluries cogitatum esse. Nihil de Justiniani Novella 58. dicemus, in qua, ne in domesticis Oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil praeterea de Novellis 4. et 15. Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit asserens, adeo tunc privata Oratoria multiplicata fuisse, in quibus Missae celebrarentur, ut non solum optimates sed mediocris etiam conditionis homines in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quae proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quae in dicto Tractatu *de Sacrificio Missae loco superius citato* a Nobis allata fuerunt.

§. 10. Quartum, *quod, licet fere semper in Laicorum domibus privatorum Oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus Missa celebrabatur, semper tamen Episcoporum licentia necessaria fuit:* Ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant: *Missarum solemnia non ubique sed in locis ab Episcopo consecratis vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus.* Verba sunt *Can. Missarum, de Consecrat. dist. 1.* Haec autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut Oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu fuit in Ecclesia Orientali, ob id potissimum, quod in Ecclesiis Graecorum nonnisi unicum Altare erat et postquam una super ipso Missa celebrata esset, altera per eumdem diem celebrari minime poterat. Balsamon *in Commentariis ad Canones Trullanos* testatur, quod sine ulla alia formula impertita ab Episcopo censebatur Sacerdoti licentia celebrandi Missam in privatis Laicorum Oratoriis, quoties super Mappis ab Episcopo consecratis celebraret.

§. 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est: Quum post varios sermones in Sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici Regni gloria, tanto plausu acceptatum fuit, opera Cardinalis Osii et Nuntii Commendonii in magno Conventu habito coram Rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius Concilii Historia per Cardinalem Pallavicinum conscripta *lib. 24. cap. 13.* videre est) *in sess. 22.* in Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae* sequenti modo statutum et ordinatum fuerit: *Neve patiantur,* de Episcopis sermo est, *privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam, et ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi,* cum adjecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni et consuetudini *non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus et consuetudinibus quibuscumque;* ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum Oratoriorum privatorum in domibus Laicorum in iisdem Missam celebrandi causa; cum licentia, quae ab ipsis daretur, celebrandi Missam in Oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde praedictum

Jus ad S. Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantia temporum et Oratoriorum privatorum in Laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque hujusmodi semper fuit Conciliaris Textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, privativa ejusdem interpres, quaeque etiam a fel. record. Praedecessore nostro Paulo Papa V. in Epistola Encyclica anno 1515 ad omnes Episcopos expedita approbata fuit; quae quidem Epistola tum apud varios Auctores tum etiam in *citato Tractatu nostro de Sacrificio Missae sect. 2. §. 42.* impressa reperitur. Et in ea quidem alia quaecumque Verborum Concilii intelligentia reprobatur multaque de irreverentia erga Missae Sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione aut cautela non parum fomenti praebebat. Denique in eadem ita concluditur: *Facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius Concilii Decreto unicuique ademptum esse solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.*

§. 12. Postquam Jus concedendi Oratoria in privatis Laicorum domibus Sedi Apostolicae reservatum fuit, dici vix potest quantum curae ac diligentiae adhibitum sit pro recto ejusdem moderamine. Qua de re in Archivo Congregationis Concilii, cujus olim Secretarii munus Nos ipsi, antequam ad majores Dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiuntur. Haec tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis Literarum in forma Brevis, quae conceduntur, colligere licet: *Oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo vel ab alio, cui ipse vires suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens et apte compositum sit, et num aliquid eorum, quae necessaria sunt, in eodem desit; ut Episcopus sit, qui celebrandi Missae licentiam impertiatur, et quod licentia hujusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum Missa in Oratorio celebretur; et quod haec Missa celebretur a Sacerdote vel Saeculari vel Regulari, dummodo Saecularis ab Episcopo approbatus sit, Regularis autem licentiam habeat a suo Regulari Superiore; ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis D N. J. Chr. et aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniae et Ascensionis Domini, Annunciationis et Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum necnon Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Titularis Ecclesiae Loci.* Exprimuntur *personae, quarum praesentia necessaria est, ut in privato Oratorio Missa celebrari possit; aliae item quae, dum supradictis praesentibus Missa celebratur, eidem interesse possunt et Ecclesiastico praecepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine Parochialium jurium praejudicio fieri debere.*

§. 13. Atque haec sunt, quae in consuetis privatorum Oratoriorum Brevibus continentur. Quaedam vero alia expediri contingit Brevia, quae extraordinaria sunt, ut, exempli gratia, justis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam Missam celebrari facere possit, vel, ut eadem aliquanto citius aut aliquanto serius eo temporis limite seu termino celebretur, qui in Rubricis praefixus est, vel etiam in diebus exceptis; et alia hujuscemodi. Cum autem interdum tam circa Brevia privatorum Oratoriorum prioris speciei quam circa alia ac generalim super omnibus controversiae exortae sint,

Apostolica Sedes per hujusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non praetermisit.

§. 14. In ordinariis Brevibus, ut plurimum, duobus Conjugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur, exprimiturque, ut Missa celebrari possit tum iisdem praesentibus tum eorum filiis, consanguineis atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Numquam exorta difficultas est, an, cum aut Vir aut Uxor Missae intersunt, si consanguinei et affines, qui in eadem domo habitant, praesentes pariter adsint, Ecclesiastico praecepto diebus Festis satisfaciant; id tamquam tutum ac Brevis literae cohaerens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut dispiceretur: num, cum neuter Conjugum adsit, sed unus ex consanguineis aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo jubente in privato Oratorio Missa celebrari et num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei et affines eamdem audientes Festo die Ecclesiastico praecepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem divisae de more Auctorum opiniones erant; verum cum hujusce difficultatis punctum in Congregatione Concilii die 3. Decembris 1740 in causa, cujus inscriptio erat *Marsicen. Oratorii*, propositum ac discussum esset, decisum fuit: *non posse in privato Oratorio Missam celebrari nisi Indultariorum praesentia ibidem haberetur*; quod idem est, ac si diceatur, Viri vel Uxoris, ad quos Breve directum erat; quemadmodum in *tom. 9. Resolutionum Concilii anni 1740 ad pag. 89 et seq.* videre est.

§. 15. Cum autem Decreti hujusce facta Nobis relatio esset, idem per Nos sub die 7. Januarii 1741 confirmatum fuit ac praeterea demandatum, ut in hujusmodi Brevibus, in quibus certis quibusdam ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato Oratorio Missam celebrari facere possint, quae Missa pro filiis, consanguineis et affinibus valeat, majoris claritatis gratia, subjecta clausula adjungatur: *Volumus autem, quod nati ac consanguinei et affines praedicti unicam dictam Missam vobis quidem praesentibus audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant.* Ut autem, quae Indultariae personae sint, facile agnosci posset, sine quarum praesentia Missa celebrari non potest, neque, qui eamdem audit, praecepto satisfacit, adjunximus: *ut pro Indultariis personis illae haberentur, quae in Fronte seu Inscriptione Brevis nominatae forent, cum ad easdem ipsas Breve dirigatur.*

§. 16. Nos ab hujusmodi norma minime recedimus: verum quia aliqua interdum in corpore Brevis persona nominatur, qua praesente conceditur, ut Missa celebrari possit, et quod alii affines, consanguinei vel familiares eamdem audientes praecepto satisfaciant, etiamsi praedicta persona in Fronte Brevis minime nominetur; hinc est, quod, firma semper ea regula manente, ut possit in privato Oratorio Missa celebrari, dum aliqua ex Indultariis personis adsistit, quae in Fronte seu Inscriptione Brevis nominatur: *dicimus, posse Missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum praesens adsit, quae in Fronte seu Inscriptione Brevis nominantur, dummodo illa praesens sit, cui in Brevis corpore nominatim et expresse facultas tribuitur, ut possit in privato Oratorio tum cum ipsa adsistat facere ut Missa celebretur.*

§. 17. Atque ut res exemplo magis pateat: *Datur Viro et Uxori facultas faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem Vir superstitem habet Matrem; haec vero in Fronte seu*

Inscriptione Brevis minime nominatur; verum cum in Brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque Mater eamdem Missam celebrari facere possit et valeat, id sufficiens est, ut sola Matris praesentia adhibita Missa in Oratorio celebrari possit, etiamsi Mater in Fronte seu Inscriptione Brevis nominata non sit. Quae hactenus dicta sunt, in hujusmodi generis Brevibus indicantur; verum curae Nobis erit, ut in posterum felicius etiam et sine ulla confusione exprimantur.

§. 18. In consuetis sive ordinariis Brevibus solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet Sacerdote Missae celebrantur. Interdum illi, qui privati Oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur, in quo eidem valetudinis causa Missam domi audiri diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in hujusmodi Brevibus de unica tantum Missa sermo sit, orta difficultas fuit: *num possent die Natalitio a Sacerdote, qui in ipso celebrabat, tres Missae celebrari*, de quo cum Nos eo tempore, quo Concilii ejusdem a Secretis eramus, peculiarem Dissertationem conscripsissemus atque in lucem edidissemus, sub die 13. Januarii anni 1725 resolutum a Congregatione fuit, *quod a Sacerdote tres Missae celebrari possent*, quemadmodum tom. 3. Thesauri Resolutionum pag. 109 et seq. et pag. 116 videre est.

§. 19. Reliquum est, ut de Sacris Functionibus dicatur, quae in iis Oratoriis fieri possunt, quae in domibus privatorum sunt et in quibus non plures quam unicam tantum Missam celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod *ad Baptismatis* Sacramentum attinet, jam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V. decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri posset, praeterquam in Ecclesiis, in quibus Sacri hujus Lavacri Fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset aut cum de Regum vel Principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica de Baptismo et ejus effectu videre est.

§. 20. Quod autem Sacramentum *Poenitentiae* respicit, jam in Rituali Romano sub Titulo de *Sacramento Poenitentiae,* cum de Sacerdote sermo fit, qui Confessiones audit, statutum fuit: *In Ecclesia, non autem in privatis aedibus Confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare.* Rituale a Pontifice Paulo V. confirmatum fuit. Et magnus Ecclesiasticae disciplinae Instaurator S. Carolus Borromaeus tum in Instructione Sacramenti Poenitentiae tum in Monitis ad Confessarios atque in primo suo Provinciali Mediolanensi Concilio id inculcare non praetermisit, quemadmodum in Actis Ecclesiae Mediolanensis, editionis Civitatis ejusdem *part. 1. pag. 11, part. 4. pag. 520, eadem part. 4. pag. 761* et *773* videre est; *pag. autem 775* Superioribus Regularium inculcat, ut id a Subditis eorum exacte adimplendum curent: cum autem a praedictis Confessariis Regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique Confessiones Fidelium, quam sibi ea ratione asserebant, quod in Pontificis Clementis X. Bulla: „*Superna*“ nulla loci limitatio fieret, idem ipse Pontifex declaravit: *nullam facultatem* (in praedicta Constitutione sua) *fuisse tributam Regularibus audiendi Confessiones Sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem Regularibus cujusvis Ordinis etc. Sacramenta Poenitentiae administrare in domibus privatis extra casus a Jure permissos.* Quod Decre-

tum cum Praesulis Fagnani subscriptione editum variis in locis impressum est.

§. 21. Quod pertinet ad *Communionem Paschalem*, quae ab unoquoque Catholico Paschatis tempore recipienda est, ex praescripto tum *Decreti* Conc. Later. in Cap.: *Utriusque sexus, de poenitentiis et remissionibus*, tum *Concilii Tridentini sess. 13. cap. 8. can. 10.*, nemo est, qui ignoret, *praeceptum hoc in propria Parochiali Ecclesia adimplendum esse* aut in alia Ecclesia cum proprii Episcopi vel Parochi licentia *secundum varias Dioecesum consuetudines*. Porro fel. recordat. Praedecessor Noster Paulus Papa IV. Fratribus Minoribus privilegium concessit, ut Sacram Eucharistiam omnibus Christifidelibus in eorum Ecclesiis distribuere possent excepta tamen die Paschatis Resurrectionis; atque hoc privilegium a sanctae memoriae altero Praedecessore Pio Papa V. *per communicationem*, ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.

§. 22. Verum quia secundum praecedentem Eugenii IV. Constitutionem Paschale tempus, intra quod Communionis praeceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum initium habet ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset: num licitum Regularibus foret intra praescriptum eorumdem dierum terminum Sacram Eucharistiam Fidelibus in eorum Ecclesiis distribuere? resolutum fuit: die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra sanctiorem Hebdomadem Paschali praecepto in propria Parochiali Ecclesia satisfecissent; posse quidem Regulares aliis Paschalis temporis diebus Fideles in eorum Ecclesiis Sacra Eucharistia reficere, hac tamen conditione, ut Communione refecti scirent non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria Parochiali Ecclesia Communionem recipere deberent. Illustria Congregationis Concilii Decreta sunt quibusdam in Causis, Senonensi videlicet, Burdegalensi et Mechliniensi, quae a Nobis in nostro de *Synodo Dioecesana Tractatu lib. 7. cap. 42. n. 3.* relata sunt.

§. 23. Extra Paschalem vero Communionem, cum in Sacro Tridentino Concilio *ses. 22. cap. 6. de Sacrificio Missae*, quae subjicimus, verba legantur: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret:* non defuit, qui ex iisdem verbis deduceret, quid certe et clare inde consequatur, ut in privatis Oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui Missae praesentes adsunt, neque ad hoc praestandum ullo particulari Indulto opus sit. Super hujusmodi quaestionis capite Nos in *nostra Institut. 34. §. 3.* disseruimus, inter eas, quas tum, cum Bononiae resideremus Ecclesiae illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem Institutiones cum Italico Sermone edidissemus, postea Romae latine redditae atque impressae sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus, verum aliam esse subjunximus, quae Episcopi licentiam requirit, ut, qui domesticum Oratorium domi habet, dum Missae in eodem interest, communicare possit. Hujusmodi opinio tum bono rerum ordini tum Romanae etiam consuetudini sive praxi cohaerens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, *ne in privato Oratorio recipi Communio posset ab iis, qui in eodem Missae intersunt*, quam vel Saecularis Sacerdos vel Sacerdos Regularis celebraret, *nisi vel nostram vel Generalis Vicarii nostri licentiam obtinuisset.*

§. 24. Neque etiam in praesens voluntas Nobis aut ratio est, cur ab hoc Systemate recedamus. Si quidem, cum Nos in magna illa controversia super Communione illis distribuenda, qui, Missae praesentes cum sint, eamdem petunt, quae aliquot abhinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini Concilii verba retulissemus atque eorum zelum commendassemus, qui inter Sanctae Missae celebrationem Communionem recipiunt, Ecclesiasticos quoque Pastores excitavissemus, ne Eucharistico cibo illos fraudarent, qui ejusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, ejusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis vel loci ratione Episcoporum prudentia opportunum factu existimet, Sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missae interfuit, minime distribui; eo magis quod juxta praesentis temporis disciplinam libera eidem facultas patet, ut eamdem alio loco atque alio tempore recipere possit, ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris praecepto obedientia praestari deberet, cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium praebuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad Altaris Sacramentum recipiendum, quemadmodum in Literis nostris, quarum initium est: *Certiores effecti* *).

§. 25. Atque haec sunt, Venerabiles Fratres, quaecumque in Encyclica hac Epistola nostra Vobis exponere opportunum existimavimus; a quo quidem satis intelligetis, quod, legendis et considerandis Apostolicis Literis concessionum Oratorii, Decessorum nostrorum Decretis, harum Congregationum Resolutionibus, quae a Nobis etiam in praesentia confirmata sunt, nullus amplius litibus et controversiis locus reliquus sit. Verum quia Vos illud fortasse Nobis responsuros arbitramur, optime quidem haec omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod, quaecumque decreta atque ordinata sunt, minime observantur, ne grave vobis sit, hoc per Nos reponi, quod si inobservantia ex neglecta Brevium lectione et consideratione aut ex ignoratione Decretorum et Pontificiarum resolutionum originem habet, Nos quidem in hoc nunquam culpandi erimus, idque nunc maxime, postquam, ingravescente licet aetate nostra et multis ac difficillimis curis assidue Nos prementibus, in Encycliam hanc Epistolam nostram, quidquid hac super re scire opus erat, inserere non detrectavimus.

§. 26. Quod si Vos etiam id praestare curabitis, ut in dioec. Synodis et edictis vestris Pontificiorum decretorum ac resolutionum desuper indicatorum observantiam inculcetis, duplex inde bonum extabit, ut et vivam in Vobismetipsis eorundem memoriam teneatis atque ab aliis aut ignorantiam expellatis aut eamdem inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem ac normam tenuerunt atque in praesentia tenent Italiae Episcopi.

§. 27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus persuasum sit, omnia in nostra tempora inconvenientia incidere atque ea praesentibus diebus contingere scandala, quae numquam praeteritis temporibus evenerint. Satis superque pro certo habemus, ea, quae hodie fiunt, alio tempore accidisse. Ac ne a proposita re longius recedamus, illud dicemus, quod si hodie sacrae leges ad privata Oratoria pertinentes a Sacerdotibus violantur, propter praesidium, quo nituntur, Magnatum Saeculi, apud quos Capellani munere inserviunt, idem nono etiam Saeculo eveniebat, cum S. Agobardus tunc temporis Archiepiscopus Lugdunensis de eadem re queratur in suo Tractatu *de Privi-*

---

*) Vd.: *SS. Sacram.* (distrib. infra missam.)

legio et jure Sacerdotii cap. 11. Non tamen idcirco vobis sacerdotalis constantia atque animus deponendus est. Pia ac religiosa Polonorum Natio est; et, si quando aliquis abusus in privatis ejusdem Oratoriis contingat, cum id Magnati, cujus in domo commissus aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo et ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur, sperare est, ipsum omne suum inobedienti Capellano praesidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur, praesto vobis semper spiritualia arma sunt, quibus contra Capellanum uti potestis. Fortasse autem si hac ratione factum esset, quum primum de inconvenienti rescitum fuit, pace omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut ex recursibus ad Nos delatis notum factum est, quorum causa ad Encyclicam hanc Epistolam nostram conscribendam animum adduximus.

§. 28. At enim inconvenientia a Privilegiatis et Exemptis proficisci vos fortasse dicturos praevidemus, nimirum a Regularibus, de quibus in praedicto recursu ad hanc Sanctam Sedem facto plura insinuantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia nec exemptiones esse, quae impedire possint, quominus abusus exterminentur.

§. 29. *Habebant* sine dubio Regulares privilegium Altaris viatici et ut super eodem Altari Missam, ubicumque locorum forent, sine ulla Episcoporum licentia celebrare possent, quemadmodum in Decretali Honorii III. *in Cap.: In his, de privilegiis,* videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut Missam possent celebrare etiam in domibus laicorum sive super Altari viatico sive fixo, etiamsi laicus privilegium Oratorii privati minime haberet, propter eam rationem, quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum cum Sacrum Tridentinum Concilium in *citata ses. 22.* in Decreto jam citato *de observandis et evitandis in celebratione Missae* Episcopis praecepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus Missae celebrentur a Secularibus aut a Regularibus quibuscumque, eisdemque dedisset facultatem procedendi tamquam Apostolicae Sedis Delegatos contra refractarios: *ut Delegati Sedis Apostolicae;* atque omnibus privilegiis, exemptionibus et consuetudinibus contrariis, cujuscumque generis essent, derogasset: *non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque,* hinc necessario consequitur, *Sacrum Concilium Tridentinum tam praecedentibus Altaris viatici privilegiis derogasse quam facultati, Missam in privatorum domibus sine Episcopi licentia, celebrandi; atque ulterius Episcopum tamquam Sedis Apostolicae Delegatum contra inobedientes procedere, etiamsi exempti sint; nullum vero amplius esse privilegium vel exemptionem, quae obstet, quaeque impediat, quominus abusus tollantur.*

§. 30. Nihil autem valet ea, quae a quibusdam promovetur, assertio, videlicet: Concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud *in corpore Juris* inclusum sit; etenim Sacrum Concilium Tridentinum iis etiam derogare privilegiis consuevit, quae *in corpore Juris* inclusa sunt, nullam etiam de iis mentionem faciendo sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali adjecta ad contraria privilegia derogatione; quemadmodum celebris Praesul Fagnanus in *cap. Nonnulli n. 42 et seq. sub tit. de Rescriptis* ample demonstrat.

§. 31. Quod si forte quis hoc unquam objiceret, concessum saepe ab Apostolica Sede fuisse atque etiam nunc post Tridentinum Concilium Altaris

viatici usum concedi, Fraternitatibus vestris notum esse debet, *hujusmodi privilegium in iis locis concedi, ubi Ecclesiae non sunt aut si sunt, talis Haereticorum potentia est, ut in easdem Catholici non sine gravi periculo ad audiendam Missam convenire possint.* Uno verbo praecise necessitati providetur; quod qnidem, ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu plane diversum est.

§. 32. Gregorii XIII. Decessoris nostri privilegium legite, quod anno 1580 Fratribus Ordinis Praedicatorum Provinciae Polonicae concessit, quod Bullarii Religiosae illius Familiae *tom.* 7. *pag.* 192 insertum est: *In quibusdam Civitatibus, Oppidis et locis Provinciae Poloniae tanta Haereticorum potentia et impietas existit, ut Catholicos impune opprimant nec iisdem Catholicis Missas in Ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac parte inclinati, tibi ac pro tempore existenti Ordinis Fratrum Praedicatorum Provinciae Poloniae Priori Provinciali, ut licentiam et facultatem dictis Professoribus Altaria portatilia habendi cum debitis reverentia et honore, super quibus in domibus Nobilium Civium et Incolarum Civitatum, Oppidorum et locorum dictae Provinciae, in quibus vel Ecclesiae desunt, vel tanta est haereticorum* potentia et impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus et honestis, per se ipsos Missas in praesentia Personarum Catholicarum celebrare possint, in casibus necessitatis tantum, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus.

§. 33. Legite item jam superius citatum Clementis XI. Decretum, quod tum, cum illud conditum fuit, praeter publicationem ejusdem Romae factam ad Ordinarios per loca tam intra quam extra Italiam transmissum fuisse sciamus. Ab ipso autem, absque eo quod nostris rationibus et annimadversionibus Nos idem roborandum suspiciamus (quod quidem facere Nobis in proclivi esset, cum praestantiorum inter Pontificii Juris peritos Auctorum assertiones ubique in promptu sint), manifeste cognoscere poteritis, subsistant necne amplius portatilis Altaris privilegia, quae Regularibus concessa fuerunt et num a Tridentino Concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis, num permissum Regularibus sit, secundam in privato Oratorio cuipiam concesso Missam celebrare, cum prima jam celebrata est, nec pro secunda hujusmodi Missa peculiare Indultum adest. Cognoscetis, num in praedictis privatis Oratoriis licitum eisdem sit vel ante Auroram vel post Meridiem Missam celebrare; num celebrare eamdem possint diebus iis, qui in Indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num exemptione non obstante contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino hujusce rei necessitas sit, illud Nos in praesentia Decretum confirmamus ac Fraternitatum vestrarum curae committimus, ut pro exacta ejusdem observantia invigiletis; cum minime commendatione dignum sit, ad Sedem Apostolicam recurrere inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum vigore ea remedia sint, quae ab ipsa Apostolica Sede contra hujusmodi inconvenientia subministrata fuerunt.

Constit. Bened. XIV. de die 2. Junii 1751.

(Bull. r. t. XVIII. p. 215.)

Beatissime Pater!

Hodiernus Episcopus Monasteriensis S. Vestrae dubium sibi nuper exortum de *licentia Oratoria priv. erigendi*

et in eis ss. missae Sacrificium celebrandi concedenda, humiliter ut infra decidendum proponit:

Constitutio s. Concilii Trid. in sess. 22, qua vetitum est Episcopis licentiam concedere extra Ecclesias et ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria s. missam celebrandi, illic locorum usque adhuc ita declarata et observata est, quod Episcopo facultas ipsa non sit adempta respectu Oratorii in domo privata exstructi, dummodo soli cultui divino sit dedicatum. Nuper vero plures decisiones S. C. necnon aliarum Sententiae Episcopo oratori allatae sunt, quae istam facultatem Episcopo ex potestate ordinaria minime concedere videntur, sed allegatam s. Concilii Trid. constitutionem sic interpretantur, quod nonisi respectu Oratoriorum publicorum Episcopo istam facultatem in *modum habitus* tribuere liceat, in Oratoriis vero priv. solum pro *actu transeunte.*

Qua de re dubius ad pedes *S. Vestrae* provolutus humillime supplicat pro decidenda quaestione proposita; necnon audet petere, ut *S. Vestra,* si forte consuetudo in ejus dioecesi hucusque observata reprobanda videretur, ex plenitudine potestatis ap. omnia Indulta Oratorii priv., quae ab hodierno Episcopo ejusque antecessoribus concessa sunt, generaliter ratihabere atque simul pro aliquo nobili illius dioecesis in parochia Rhedensi, nomine de Hövel, qui in arce sua Reuking erigendi Oratorii privati et in eo, sub clausulis et exceptionibus consuetis, s. missae celebrandae licentiam ab ipsomet Oratore petiit, istam tribuendi facultatem gratiosissime ei concedere non dedignetur.

S. C. resp.: *Non licere ulli Episcopo hujusmodi licentias quocunque sub obtentu concedere ne pro actu quidem transeunte; hanc facultatem esse soli rom. Pontifici reservatam; eidemque Episcopo literas S. C. a Paulo V. approbatas expediri; et quoad facultates quousque alias quam a rom. Pontifice concessas, consulendam SSmo pro earum sanatione. Quoad nobilem virum de Hövel supplicandum SSmo ut, pro hac vice tantum, dignetur Episcopo impertiri facultatem expeditum indultum eidem de Hövel concedendi, facta tamen speciali mentione apost. delegationis. Quoad futurum, oratorum preces, si qui sint, ad ap. Sedem mittat.*

SSmus resolutionem S. C. in omnibus benigne approbavit et confirmavit.

Die 1. Febr. 1847.

Cf.: *Orat. Confr.* (decr. 10. Decb. 1703); *Sabb. s.* (Missa priv. decr. de die 11. Febr. 1690); *Missa* (hora, decr. Clem. XII.).

Clemens PP. XIII.

Nuper parte dilecti filii vicarii gener. Monachorum Ord. s. Bened. Congreg. Olivetanae Nobis expositum fuit, quod prope et extra clausuram monasterii B. V. M. Montis Oliveti majoris nuncupati ejusdem Congreg. nullius Dioecesis, provinciae Senen., quaedam aedes existant pharmacothecae et hospitii usui addictae, palatium vulgo pariter nuncupat., in earum privato Oratorio seu capella SS. Sacrificium in monachorum ac inservientium dumtaxat praesentia celebratur. Verum quia quamplures utriusque sexus Christifideles et praesertim pauperes ibidem convenire solent, ut eleemosynam panis, qui quotidie data hora distribuitur, consequantur, atque insuper contingat etiam alias personas ibidem hospitio recipi, ipse Exponens pro eorundem Christifidelium spirituali consolatione SS. Sacrificium hujusmodi Christifidelibus diebus festis in praecepti de audiendo Sacro satisfactionem suffragari posse plurimum desiderat.

Nos igitur Exponentem praedictum specialibus gratiis prosequi volentes supplicationibus porrectis inclinati, quo magis eorundem Christifidelium spirituali consolatione et animarum saluti consultum sit, *ut missae Sacrificium in memorato Oratorio celebrari solitum etiam dictis utriusque sexus Christifidelibus ad eleemosynam panis confluentibus aliisque persônis ibidem hospitio pro tempore receptis diebus festis in praecepti adimplementum suffragetur*, tenore praesentium ad Septennium proximum tantum indulgemus. Non obstantibus etc.

Romae die 10. Sept. 1768.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 555. Ed. Rom. 1841.)

Pius PP. VI.

Cum, sicut dilectus filius magister Josephus Jovanardi Buferli camerae Nostrae apostolicae commissarius generalis Nobis nuper exponi fecit, persaepe contingat ratione ingentis numeri scripturarum praecipue legalium, quae in typographia ejusdem camerae apostolicae imprimendae veniunt, ut inservientes eidem typographiae curiales et amanuenses earumdem scripturarum causa ad illam adventantes, ne ab inceptis desistant, praecepto Ecclesiae de audienda missa in diebus festis non satisfaciant; quo autem huic modo occurratur exponens praefatus Nobis humiliter supplicari fecit, ut in privato novae aedis pro eadem typographia comparatae oratorio sacrosanctum missae sacrificium celebrari faciendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati moderno et pro tempore camerali impressori, ut ipse in privato aedis ejusdem typographiae oratorio ad hoc decenter muro exstructo et ornato seu extruendo ac ornando ab omnibus domesticis usibus libero per dilectum filium Nostrum in alma urbe Nostra vicarium in spiritualibus generalem visitando et approbando duas missas pro uno quoque die per quoscunque sacerdotes ab eodem vicario approbatos saeculares seu de superiorum licentia regulares sine tamen quorumcumque jurium parochialium praejudicio in sua ac in eadem typographia habitantium eique inservientium ac ratione officii ad eam concurrentium praesentia celebrari facere libere et licite possit ac valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque. *Volumus autem, quod alii praeter supradictas persônas ibidem missis hujusmodi interessentes ab ôbligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi conseantur.*

Datum Romae die 24. Sept. 1777.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 405. Ed. Rom. 1847.)

Leo PP. XII.

V. Fr. Ep. Samogitiensi.

Exponendum Nobis curavit dilectus filius comes Josephus Straszewiez in praedio, quod possidet in Lituania intra limites tuae dioeceseos quodque Pukrysany nomen habet, aediculam assurgere, ubi sacrum fieri posse plurimum cuperet, cui scilicet quicunque diebus festis intererit, praecepto quod est de assistendo divinis satisfaciat; ii enim incolae, quum pluribus a parochiali ecclesia distent milliariis, saepenumero hyemali praesertim tempestate eo se conferre nequaquam possent. Quapropter supplici cum prece a Nobis petiit, ut ejus rei ergo apostolica venia

muniatur. Nos igitur hujusmodi votis benigne annuentes eumque peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus, idque mandamus, ut, si ita se res habent, prout expositae, dummodo ad eam sacram aediculam cuique pateat aditus, nec ibidem sint fores, quae ad aliquam ducant domum, secus omnino claudantur, atque ab aedibus sit adeo sejuncta, ut nullus inde neque accessus neque prospectus habeatur, eamdem ipsam et si ejus porta viam publicam haud spectet, decreto felicis recordationis Pauli V. praedecessoris Nostri „*de non celebrando in oratoriis privatis*" edito minime obnoxiam declares atque auctoritate Nostra apostolica permittas, ut, quotiescunque capax et decenter ornata nihilque eorum, quae ad sacrum in ea faciendum opus sunt, desideretur, absque ullo jurium parochialium detrimento, divina hostia per quemlibet sacerdotem a te approbatum possit immolari, *ac ut quicunque diebus festis pietate illa, qua decet, inibi sacrificio assistet, ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur.* Id concedimus atque indulgemus non obstantibus praemissis atque constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum die 14. Februarii 1826.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 401.)

Leo PP. XII.

V. Fr. Ep. Calatayeronensi.

Exponi Nobis nuper curavit dilectus filius Baro Joseph Coletti loci di Tufo appellati istius dioecesis Marsorum, in quadam publica ecclesia sub titulo sancti Josephi in eodem loco sumptibus cujusdam sui patrui excitata suaeque domui adhaerente et a parochiali ecclesia dimidium milliarii circiter distante, parvum chorum instar odei auctoritate apostolica, prout asseritur, fuisse apertum, unde non solum familia oratoris ejusque hospites et familiares sed quilibet etiam ex populo, quem praedicta angusta ecclesia capere haud posset, sacrosanctum missae sacrificium diebus festis audirent; nunc autem, ut ejusdem populi spirituali utilitati et commodo orator consuleret, cum magna vigeat penuria sacerdotum et parochialis ecclesia non parum distet, ampliato jam praedicto odeo aliisque fenestris circum parietes internas praedictae ecclesiae apertis, duplici tamen crate munitis, quarum consuetus conservatur accessus, enixis precibus a Nobis petiit, ut indultum praedictum ad nove reclusas fenestras ampliatumque odeum extendamus.

Nos igitur praedictum oratorem ac singulares personas, quibus praesentes literae favent, speciali beneficentia prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis eidem oratori petitam facultatem admittendi in odeum et novas fenestras quemcumque tam de sua familia, quam de populo del Tufo, ad praemissum effectum, auctoritate Nostra apostolica gratis impertiaris; ita tamen ut accessus ad domum oratoris caute custodiatur et ea omnia serventur, quae circa usum chori et fenestrae hujusmodi praescripta sunt; itemque in muro dictae ecclesiae apponatur lapsis in loco patenti, in quo declaretur, domum contiguam ejusdem oratoris immunitate ecclesiastica minime gaudere. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum 20. Junii 1826.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 438.)

Leo PP. XII.

V. Fr. Ep. Urbeventano.

Exponi Nobis nuper curavit dilectus filius Marchio Henricus Gualterio patricius Urbeventanus, sibi, permittente generali consilio civitatis praedictae in forma juris valida celebrato et per delegatum Nostrum apostolicum Viterbiensem et Centum cellarum approbato, ac de consensu congregationis Nazarenae appellatae in propria ecclesia sancti Josephi praedictae civitatis erectae, concessum fuisse, ut per arcum construendum valeat publicam trajicere viam et communicationem cum muro praedictae ecclesiae habere. Quum autem praecipuus hujusce operis finis sit, ut parvum chorum in muro dictae ecclesiae valeat aperire, unde ipse suique descendentes, haeredes et successores in perpetuum, nec non omnes in ejus praedictis aedibus habitantes sacrosanctum missae sacrificium in eadem publica ecclesia diebus etiam festis audire possint, enixis precibus ejus nomine petitum fuit a Nobis, eam ut veniam atque indultum ei benigne concedamus.

Nos igitur praedictum Marchionem speciali beneficentia prosequi volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis, eidem Marchioni petitam facultatem aperiendi in loco apto muri praedictae ecclesiae parvum chorum, appositis tamen in eo cratibus lignea et ferrea ad praemissum effectum, pro sua suorumque descendentium, haeredum et successorum in perpetuum, nec non omnium in dictis aedibus habitantium spirituali utilitate et commodo, auctoritate Nostra apostolica gratis impertiaris, ita tamen, ut in muro dictae ecclesiae ac in loco patenti apponatur lapis, in quo declaretur domum praedictum Marchionis contiguam immunitate ecclesiastica minime gaudere.

Datum Romae die 30. Jan. 1827.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 29.)

Pius PP. VIII.

V. Fr. Archiep. Toletano.

Exponendum Nobis curavit dilectus filius Alvarez de Toledo ex magnatibus Hispaniarum primi ordinis, se in ruralibus aedibus intra limites istius tuae Toletanae dioecesis sacellum seu aediculam publicam aedificare velle, ubi sacrum fieri possit, cui scilicet quicumque diebus festis intererit, praecepto, quod est de assistendo divinis, omnino satisfaciat. Hinc supplici cum prece a Nobis petiit, ejus rei ergo apostolica venia muniri.

Nos igitur hujusmodi votis benigne annuentes, cumque peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi venerabilis frater eas partes imponimus atque mandamus, ut si ita se res habent, prout expositae, dummodo ad eam sacram aediculam cuique pateat aditus, nec ibidem sint fores, quae ad aliquam ducant domum atque ab aedibus sit adeo sejuncta, ut nullus inde accessus neque prospectus habeatur, eamdem ipsam, etsi ejus porta viam publicam haud spectet, decreto felic. Pauli V. praedecessoris Nostri de non celebrando in oratoriis privatis edito minime obnoxiam declares, atque auctoritate Nostra apostolica permittas, ut quotiescumque capax ac decenter ornata nihilque eorum, quae ad sacrum in ea faciendum opus sunt, desideretur, absque ullo jurium parochialium detrimento divina hostia per quemlibet sacerdotem a te approbatum possit immolari, ac ut *quicunque diebus festis pietate illa qua decet inibi sa-*

crificio assistet, Ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 15. Sept. 1829.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 61.)

Pius PP. VIII.

Eximia pietas, religio et in Nos et hanc sanctam Sedem observantia carissimi in Christo filii Nostri Caroli felicis Sardiniae regis illustris promerentur sane, ut Nos spirituali consolationi suae, reginae conjugis ejusque regiae familiae, quantum in Domino possumus, consulamus.

Nos igitur piis ipsius regis votis annuere volentes, supplicationibus ejus Nomine Nobis porrectis permoti, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus, ut in privato suae regalis villae de Govone intra limites dioecesis Montis regalis provinciae Pedemontanae oratorio, muro exstructo et ornato vel exstruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per ordinarium visitando et approbando, *quotidie etiam in solemnioribus anni festis et hora ante auroram atque horam post meridiem in regis, reginae ejusque regalis domus praesentia vel de eorum licentia tot missae celebrari possint*, quot eorum pietas et religio exoptat, *excluso sabbato sancto et excepta feria quinta in coena Domini, in qua duae tantum permittuntur missae*, servato ritu illius diei, *praesente tamen aliquo ex regia familia;* utque *nocte Nativitatis Nostri Jesu Christi tres missae illius festivitatis servata consueta rubrica et hora praescripta, nempe post mediam noctem celebrari possint:* quae quidem missae in praefato oratorio celebrandae regi, reginae regiaeque familiae, ac omnibus cujuscumque sexus et conditionis in actu sacrificii adstantibus in praecepti satisfactionem audiendi missam diebus festis prosint quibuscumque; ac praeterea eisdem regalibus personis eadem auctoritate concedimus, ut peracta sacramentali peccatorum suorum confessione sacram communionem etiam tempore paschali, non excepta feria quinta in coena Domini de concensu parochi, a sacerdote in commemorato oratorio celebrante sumere libere et licite valeant, itemque, ut *ibidem dum aliquis e regia familia in villa de Gorone versatur, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in cyborio asservari possit, dummodo lampas ante illud semper sit accensa* et clavis ejusdem cyborii a capellano diligenter custodiatur, salvis semper juribus parochialibus.

Deinde ut omnes missae in altari ejusdem oratorii, durante praesente indulto ad vitam regis et reginae concesso celebrandae animae seu animabus, pro qua seu quibus offerentur, suffragentur, indulgemus; utque omnes christifideles vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, qui oratorium privato die festo illius titularis pie visitaverint et ibi pro Christianorum principum concordiam, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem consequantur. Iisdem etiam ipsis tribuimus et impertimur indulgentias tum plenarias tum partiales Basilicae Principis Apostolorum hic in urbe a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris imperditas, dummodo idem sacellum vel oratorium adeuntes injuncta omnia pro illis consequendis rite adimpleant. Demum ipsi regi, reginae reginaeque domui magis magisque gratificare cupientes eadem auctoritate Nostra singulis quibuscumque Christifidelibus, qui devotionem *Viae Crucis* inibi quoties passionis memoriam recolendo peregerint aliaque injuncta pietatis opera, ut moris est, persolerint, easdem in-

dulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quas fel. recordationis Innocentius XI., Innocentius XII. aliique pontifices pariter praedecessores Nostri Christifidelibus praefatum exercitium in ecclesiis fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia et reformatorum nuncupatorum, ubi erectum reperitur, peragentibus concessere, apostolica etiam auctoritate tenore praesentium misericorditer in Domino elargimur.

Haec omnia concessa atque indulta volumus non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, *ut alii praeter regales personas supradictas missas, ut praefertur audire, numquam vero celebrare facere valeant.*

Datum Romae apud sanctum Petrum die 29. Januarii 1830.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 85.)

Gregorius PP. XVI.

V. Fr. Ep. Auximano.

Exponendum Nobis curavit dilectus filius comes Telesphorus Carradori Maceratae istius dioecesis, se aediculam nuper adstruxisse suis ruralibus aedibus contiguam. Quum autem impense cupiat ex iisdem aedibus ad eam aediculam aditum patere, itemque inibi odeum habere, ex quo licet augustissimo sacrificio interesse, atque ita diebus festis ecclesiastico praecepto satisfacere, suppliciter a Nobis petiit, eam ut veniam ex Nostra indulgentia sibi concedere velimus.

Nos igitur omnes et singulos quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, acceptoque tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, tibi, venerabilis frater imponimus atque mandamus, ut auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus ope servata reverentia, quae Dei domum decet, ex oratoris ruralibus aedibus ad commemoratam aediculam pateat accessus, quae quidem nonnisi hac de causa permittimus: praeterea ut inibi haberi possit odeum, e quo orator ejusque posteri itemque consanguinei et affines, qui cum eis vitam degent, diebus quibuscumque per annum festis ex odeo illo adstantes sacerdoti, dum sacrum in aedicula facit, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit, ut tum lignea tum ferrea crate odeum illud sepiatur, utque per inscriptionem publico et obvio loco positam constet confinem domum ecclesiastica immunitate minime frui; volumusque hac de re firmam ac ratam esse auctoritatem VV. FFr. S. R. E. Cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 31. Maji 1831.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 16.)

Gregorius PP. XVI.

V. Fr. Ep. Lyciensi.

Exponendum Nobis curavit dilectus filius Joannes Balsamo Lyciensis, se intra limites istius dioecesis amplas jam inde emisse aedes sacramque proximam aediculam, quam vetustate fatiscentem a fundamentis elegantiori forma iterum excitavit. Quum autem impense cupiat orator, ut ex odeo iisdem aedibus pervio sacrum ea in aedicula celebrandum audire atque ita diebus festis ecclesiastico praecepto satisfacere, supplici cum prece a Nobis petiit, ejus rei ergo apostolica venia muniri.

Nos igitur oratorem peculiari beneficientia prosequi volentes acceptoque tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, eumque plane dignum, qui hoc donetur indulto, tibi venerabilis frater eas partes imponimus atque mandamus, ut oratori ejusque posteris auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus ope parvo odeo, quod eam despiciat aediculam sacram, libere ac licite uti possint, ita ut ipsi itemque consanguinei et affines una cum eis vitam degentes ac familiares tantum diebus quibuscumque per annum festis ex odeo illo sacerdoti adstantes, dum sacrificium eadem in aedicula celebrat, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit, ut tum lignea tum ferrea crate odeum illud sepiatur, utque per inscriptionem publico et obvio loco positam constet, confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui; volumusque hac de re firmam ac ratam esse auctoritatem VV. FFr. S. R. E. Cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 11. Apr. 1834.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 611.)

Gregorius PP. XVI.

V. Fr. Ep. Alatrino.

Exponendum Nobis curavit dilecta in Christo filia Bernhardina De Caesaris vidua istius dioecesis, se ista in urbe a familia Motella aedes emisse parochiali ecclesiae sanctissimi Salvatoris proximas, ubi eidem familiae ex apostolicae Sedis venia data fuit odeo uti. Quum autem vel ipsa impense cupiat ejusmodi privilegio perfrui sed alia in aedium parte, illi quidem templo finitima, supplici cum prece a Nobis petiit, ut habito a te atque ab ecclesiae rectore consensu sibi facultatem faciamus novum inibi adstruendi odeum, in quo ei liceat augustissimo sacrificio interesse, atque ita diebus festis ecclesiastico praecepto satisfacere.

Nos igitur oratricem peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut, quoniam ex tuo liquet testimonio, res ita esse, prout expositae, ac parochialis ecclesiae Sanctissimi Salvatoris rectorem hac in re fuisse assensum, auctoritate Nostra apostolica oratrici pro tuo arbitrio veniam concedas novum in commemorata ecclesia adstruendi odeum, in quo ut non solum ipsa sed ejus consanguinei et affines una secum vitam degentes, ac familiares diebus quibuscumque per annum festis sacerdoti adstantes, dum sacrum facit, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit ut tum ligenea tum ferrea crate odeum illud sepiatur, utque per inscriptionem publico et apto loco positam constet, confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui; volumusque hac de re firmam ac ratam esse auctoritatem VV. FFr. S. R. E. Cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 26. Augusti 1834.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 655.)

Gregorius PP. XVI.

Omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini Nostri Jesu Christi ejusque sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adjutae ex purgatoriis poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Expositum Nobis nuper est a dilectis filiis Barone de Damas ejusque conjuge, in eorum castro, cui nomen

d'Hautefort intra limites Petrocorocensis dioeceseos esse sacellum, ubi ex apostolica venia sacrum *quotidie* celebratur. Et quoniam castrum idem pluribus circumspectum familiis a parochiali Ecclesia longe distat, suppliciter a Nobis petiere, ut altare ejusdem sacelli privilegio apostolico perpetuo donetur, itemque ut inibi nonnullis per annum diebus sacrum solemni ritu peragi possit, et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum adorandum proponi, iisdemque diebus sacrae Indulgentiae lucrifieri.

Nos igitur oratorum pietatem plurimum in Domino commendantes eorumque precibus permoti auctoritate Nobis ab ipso Domino tradita de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel cujusvis ordinis, congregationis et instituti regularis missam defunctorum pro anima cujuscumque Christifideles, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad illud altare commemorati sacelli celebrabit, *anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur*, et Domini Nostri Jesu Christi ac beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberentur, concedimus et indulgemus. Eadem praeterea auctoritate Nostra facultatem facimus, qua in sacello, de quo agitur, de licentia tamen Ordinarii, tum dominica proximo festo Visitationis beatae Mariae Virginis tum in aliqua quadragesimae dominica per praefatum ipsum Ordinarium perfinienda sacrificium ex Ecclesiae ritu solemniter celebratur atque Eucharistica hostia publice fidelium venerationi adoranda proponatur, itemque singulis quibusque Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui praefatum sacellum hisce diebus cujuslibet anni devote visitaverint ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, misericorditer in Domino elargimur.

Datum Romae die 14. Jan. 1834.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 302.)

III. Missa in cujus praesentia celebranda?

Vd.: *Orator. priv.* (Missa in variis festiv., decr. Pii VIII.: *Eximia pietas etc.*, 29. Jan. 1830; decr. 4782 et pag. 460, 466 — 69.)

Marsicen.

Cum ad aures Episcopi Marsicensis pervenerit, Missam in privato Oratorio Domus Baronis Caesaris Lentini in Terra Brientiae existentis, absente licet eodem Barone una cum Conjuge, celebrari coram ejus Nepotibus in eadem Domo jugiter habitantibus, ratus id vigore Indulti Apostolici praefato Baroni a san. mem. Clemente XII. concessi haud quaquam licere, praevia Oratorii suspensione, inhibuit, ne Barone absente Missa deinceps ibidem celebraretur. De hac itaque prohibitione apud Sacrum hunc Senatum statim conquestus Baro Lentini duo, quae inferius describentur, Dubia ab Eminentissimis PP. hodie decidi postulat.

Indultum, ex cujus interpretatione pendet quaestionis excitatae solutio, sub hisce verbis dicto Baroni ejusque Conjugi directis conceptum est:

„Dilecte Fili et dilecta in Christo Filia salutem et apostolicam benedictionem. Spirituali consolationi vestrae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere Vosque spiritualibus

favoribus et gratiis prosequi volentes et Vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes et absolutas fore censentes supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Vobis, qui (ut asseritis) locorum Gallichii et Messanelli Marsicen. seu alterius Dioecesis jurisdictionem temporalem in illis seu eorum altero exercen. Baro et Baronissa respective existitis, ut in privatis Domorum vestrae habitationis in Civitate et Dioecesi Marsicen. existen. Oratoriis ad hoc decenter muro extructis et ornatis seu extruendis et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per Ordinarium Loci prius visitandis et approbandis ac de ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem Domibus celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Saecularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium praejudicio ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in Vestra et Natorum, Consanguineorum et Affinium in eadem Domo insimul habitan. Familiaeque, et quoad Oratoria Ruri existentia etiam in Hospitum Nobilium Vestrorumque praesentia, celebrari facere libere et licite possitis et valeatis ac Vestrum quilibet possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus: Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Familiares servitiis Vestris tempore dictae Missae actu non necessarii ibidem Missae hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Februarii 1739."

Locum scilicet disputationi praebent verba illa: *In vestra ac Natorum, Consanguineorum et Affinium in eadem domo vobiscum insimul habitantium familiaeque praesentia celebrari facere libere et licite positis et valeatis ac vestrum quilibet possit et valeat.* Quamvis enim minime dubitetur, quin Nepotes Baronis Lentini in eadem domo cum Patruo degentes, quotiescumque Missa eodem Barone vel ejus Conjuge praesente in dicto Oratorio celebratur, memorato Indulto rite recteque fruantur, secundum ea, quae ad rem tradunt *Pignatell.* tom. 6. consult. 98. num. 92. et 93., *Ventrigl.* in prax. For. Eccl. part. 2. annot. 19. §. ult. num. 13., *Amostaz.* de causis piis lib. 5. cap. 10. num. 59., *Monacell.* formular. Legal. for. Eccl. part. 2. tit. 13. form. 2. num. 38., *Pasqualig.* de Sacrificio nov. Leg. quaest. 648. num. 4. et per tot., et *Eminentiss. Petra* in doctissimis suis Commentar. ad Constitut. Honorii III. sect. unic. num. 62. tom. 2. pag. 499.; quaestio tamen in eo sistit: num ex verbis praedictis, ut Missa licite possit in privato Oratorio celebrari, necessario requiratur praesentia Baronis vel Domini, in quem verba Indulti directa sunt. Porro praesentiam Indultarii omnino necessariam esse tradunt *Henriquez* lib. 7. summ. moral. cap. 13. num. 4., *Rodriquez* in Bull. Cruciat. part. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 8. num. 69. duplici potissimum moti ratione, altera nempe, quod inter verba: *in vestra ac Natorum etc.*

mediat dictio *Et*, quae praesertim in ejusmodi privati Oratorii Privilegio stricte interpretando juxta propriam significationem ita copulet personam Indultarii, ut absque ejus nequeant illius Consanguinei et Familia eo privilegio frui, et altera, quod iidem Consanguinei et Familia dependenter a Domino Indultario Privilegio ei principaliter impertito participent.

Contra vero hujusce Privilegii participes non fieri Consanguineos et Familiam ratione Domini tantum et dependenter ab illo, sed Privilegium ipsum, licet principaliter et primario Domino elargitum, Consanguineis quoque et Familiae in gratiam et commodum ipsius Domini censeri concessum, ita ut nequeat proinde istis juberi, ne Missam in privato Oratorio celebrari faciant, docent ex Theologis *Castropal.* Oper. moral. part. 4. tract. 25. disput. unic. punct. 6. n. 9., *Tamburin.* in Opuscul. lib. 1. part. 2. cap. 4. §. 4. num. 4., *Quintanadvenas.* Theolog. moral. tom. 1. tract. 7. singular. 32. num. 52., *Gobat* Theol. moral. tom. 1. tract. 5. num. 370., *Aversa* de Euch. part. 71. de Sacrific. Missae sect. 14. vers. 7.; *Pasqualig.* de Sacrific. nov. Leg. q. 61., *Clericat.* de Sacrament. Euch. dec. 5. num. 47. in fin., et ex Canonistis *Amostaz.* de Causis piis lib. 5. cap. 10. n. 65., *Capon.* discept. 183. n. 20. et 21., *Novar.* in sum. Bullar. part. comment. 93. num. 8., *Ventrigl.* in prax. For. Eccl. part. 2. annot. 19. §. unic. n. 10., et alii adducti per *Pignatell.* tom. 6. consult. 98. num. 99. Immo ita in praxi servari testantur *Diana* oper. coord. resol. 40. num. 2. ibi: *Et ita est praxis; nam passim, absente Domino, ejus Familiares audiunt Missam in privatis Oratoriis;* et cum aliis *Quart.* in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. sect. 3. dub. 11. difficult. 2. pag.: Mihi 486., ubi ad Dubium: *an familia et quilibet de Familiaribus possit audire Missam et sibi celebrari facere in Oratorio privato sine praesentia Damini?* post adductas rationes sententiae negativae affirmativam amplectitur et postremo ita concludit: *Tandem favet praxis communis, quia passim absente Domino ejus Familiares audiunt Missam in privatis Oratoriis.* His igitur in utramque partem libratis, necnon investigata praxi, quae modernis praesertim temporibus legitime vigeat, cum de cetero datum non fuerit ea de re aliquam Supremi hujus Consessus declarationem reperire, rogantur EE. PP. decernere:

I. *An in privato Oratorio, de quo agitur, celebrari possit Missae Sacrificium in absentia Domini ac praesente sola Familia?*

II. *An sustineatur sententia suspensionis Oratorii lata ab Episcopo Marsicen. in casu?*

S. C. C. resp. ad primum: negative; ad secundum: affirmative, et ad mentem.

Die 3. Decbr. 1740.

Decretum Jussu SS. D. N. Benedicti XIV. editum circa celebrationem missae in Oratoriis privatis.

(In eadem causa Marsicen.)

Cum exorta esset dubitatio: an ex vi hujusmodi Indulti liceret missam celebrari in privato Oratorio etiam sine praesentia alterutrius ex dictis Conjugibus, in quos Indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa et negativa respective sententia inter se certantium. Sacra Congregatio Concilii, ad quam hujus quaestionis resolutio relata fuit, die 3. Decembris 1740 censuit: *Non licere. Deinde vero Sanctissimus Dominus Noster, reprobata contraria Doctorum sententia, praedictam Sacrae Congregationis resolutionem ne-*

dum approbavit, verum etiam praesenti Decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis Indulti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missae actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum concessum est; Indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum Personis illis, quae a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine praesentia alicujus ex dictis Personis minime liceat Missae Sacrificium peragi, etiamsi praesens sit aliquis sive ex Filiis sive ex Consanguineis sive ex Affinibus sive ex Familiaribus sive demum ex Hospitibus Nobilibus in eodem Brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per ejusmodi Brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad Familiares, juxta clausulam in iisdem Brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) *assistens Missae, quae celebratur in Oratorio privato in praesentia alicujus ex Personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de praecepto. Sublata igitur et proscripta quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevium et Indultorum in contrarium hactenus facta, Sanctitas Sua ita declaravit et servari omnino mandavit, districte praecipiens, ut omnes Episcopi aliique locorum Ordinarii, etiam tanquam a Sede Apostolica Delegati executioni et observantiae hujus Decreti diligenter incumbant per Canonicas poenas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.*

Die 7. Jan. 1741.

A. Card. Gentili Praefectus.

C. A. Archiepiscopus Philippen. Secretarius.

IV. Monachorum.

Vd. t. II. p. 453, 464—66.

Clemens PP. XIV.

Etsi universum Minorum convent. ordinem affectuosissima charitate amplectamur, dignum tamen est, quinimo et debitum, ut ejusdem Ordinis alumnos, qui illud idem officium, quo Nos ipsi fungebamur, dum ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus, consultoris licet Congreg. Inquisitorum adversus haereticam pravitatem, pro tempore obtinent, specialibus gratiis decoremus. Hinc est, quod Nos motu proprio de ap. potestatis plenitudine tam dilecto filio Franc. Angelo Pastriovicchi ejusdem Ord. alumno in s. theologia magistro et dictae Congreg. Consultori, quam pro tempore existentibus ejusdem Ord. Consultoribus hujusmodi, ut ipsi omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, honoribus et indultis ac voce activa et passiva in capitulis et congreg. generalibus dicti Ordinis, quibus alii definitores generales Ordinis hujusmodi tam de jure et consuetudine quam alias qnomodolibet utuntur et gaudent ac frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ulla prorsus differentia uti et gaudere libere et licite possint et valeant, indulgemus. Praeterea eisdem Franc. Angelo nunc et pro tempore existentibus consultoribus praedictis, *ut ipsi in privato suarum mansionum in conventu ss. XII Apostolorum almae Nostrae Urbis existente Oratorio ss. Sacrificium missae, Paschatis Resurr., Pentec. et Nativit. D. aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, celebrare libere pariter ac licite possint et valeant, concedimus* **necnon facultatem satisfaciendi ad altare ejusdem Oratorii oneribus missarum ecclesiae conventus praedicti ipsis quoque tribuimus.**

Non obstantibus quibuscumque etc. Datum Romae die 28. Apr. 1771.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 312. Ed. Rom. 1841.)

Verulana.

Episcopus Verulanus in Relatione status suae Ecclesiae ad hanc Sacram Congregationem transmissa juxta praescriptum a Summo Pontifice Sixto V. in ejus notissima Constitutione incipiente: *Romanus Pontifex etc.* haec inter caetera exposuit: „Patres Carthusiani vigore assertorum Privilegiorum et signanter Alexandri VI. relatorum a Roderic. Bullar. pro Regular. Bull. 14. in quadam eorum parva Grancia, quam retinent in Terra Turricis pro commoditate unius Religiosi laici, qui curam habet Granciarum, quas in eodem Territorio recolligunt, me irrequisito, *erigi nuper fecerunt Oratorium privatum* sub invocatione s. Annae cum Missae celebratione, quoties volunt, etiam diebus festivis, quia vero ex eodem Oratorio patet fenestra prospectum habens ad viam, nonnulli ex populo in diebus festivis Missam intra et extra Oratorium audiunt. Hinc, licet ego nolim indaginem assumere, anne hujusmodi Privilegia fuerint per Sacrum Concilium Tridentinum abrogata, non possum tamen ab Eminentiis VV. non sciscitari, anne populus praecepto audiendi Missam ibi satisfaciat.

Ad hoc Episcopi postulatum die 30. Decembris 1733 nomine Sacrae Congregationis responsum fuit in hunc, qui sequitur, modum: „Oratorium a PP. Carthusianis in eorum asserta Grancia, ut vocant, apertum interdicito, quousque aliter a Sacra Congregatione imperatum fuerit. Sunt enim istae potius rurales domus ad conservandos fructus quam Granciae.“

Cum autem adversus hoc Interdictum reclament PP. Carthusiani et instent pro illius remotione praetendentes sibi licere controverso Oratorio uti ac in eo tam per ipsos Religiosos quam per Presbyteros saeculares celebrari posse, et exteros quoque Missam ibi diebus festis audientes Ecclesiae praecepto satisfacere, proponuntur duo infrascripta Dubia, ad quorum decisionem, praeter ea, quae in juribus circumferendis proferunt dicti PP. Carthusiani potissimum innixi peculiaribus sui Ordinis Privilegiis, de quibus agunt *Card. de Lugo* lib. 3. mor. dub. 15. num. 3., *Lezzan.* in mar. magn. Eremit. S. Augustini §. 37., *Nicol.* Lucubr. Can. lib. 5. tit. 33. limit. 2. et alia, quae in genere disserunt *Amostaz.* de caus. piis lib. 5. cap. 11. num. 28. et seqq., *Pasqualig.* de Sacrific. non leg. tom. 1. quaest. 484 et 498., *Tamburin.* de jur. Abbat. tom. 2. disput. 5. qusest., *Passerin.* de stat. homin. tom. 3. tit. de Profess. art. 10. inspect. 10., *Pellizar.* in manual. Regular. tom. 2. cap. 2. sect. 2., *Monacell.* in formular. legal. part. 2. tit. 13. num. 3., praestat exponere Rescriptum, quod in hac Secretaria lib. 12. Decr. pag. 109. reperitur hisce verbis expressum: „Sanctissimus D. N. Gregorius XV. ex Sacrae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sententia benigne indulsit, ut deinceps in Capellis seu Oratoriis existentibus in domibus ac membris seu Granciis Monasteriorum Ordinis Carthusiensium, postea tamen quum locorum Ordinarii ejusmodi Capellas semel visitaverint ac fabrica atque ornatu sacraque supellectili compererint pro dignitate nitere, Sacrosanctum Missae Sacrificium tam per Regulares, sive ejusdem sive alterius Religionis, quam Saeculares Presbyteros tuto celebrari valeat, Missamque inibi audientes diebus festis praecepto Ecclesiae hac de re edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium Parochialium Ecclesiarum praejudicio“; ex hoc enim Indulto posteriore tot aliis Diplomatibus Pontificiis per PP. Carthusianos allatis colligendum erit, num ipsis officiat, quod Oratorium, de quo agitur, nulla praecedente Episcopi visitatione, quin et

ipso penitus irrequisito, erectum fuerit, et cultui divino, praevia tantum, ut asserunt, eorum Superioris benedictione dicatum. Omnibus itaque perpensis non graventur Eminentiae VV. pronunciare:

I. *An liceat Patribus Carthusianis retinere Oratorium ad celebrandum seu celebrare faciendum Missae Sacrificium in Grancia Turricis in casu?*

II. *An Exteri audientes Missam in eodem Oratorio celebratam diebus festivis satisfaciant praecepto in casu?*

S. C. C. resp.:

Ad I.: Affirmative praevia tamen visitatione Episcopi ad formam Indulti.

Ad II.: Affirmative quoad existentes tantum intra Oratorium, et ad mentem.

Die 5. Martii et 30. Julii 1735.

Sutrina.

(Collegium et Institutum Discipulorum educandorum.)

(Conc. Tr. C. 18. S. 23. De ref.)

Facta fuit relatio hujus causae summaria precum in antedicta Congregatione habita die 21. Maii proxime praeteriti et responsum fuit: ponatur in folio pro prima Congregatione, etiam unica.

Factum autem ita se habet: Presbyteri Doctrinae Christianae Terrae Roncilionis habent in ea Collegium, in quo nedum ipsi habitant una cum Convictoribus, sed ad quod ulterius alii accedunt Discipuli, quos erudiunt ad tramites proprii, quod profitentur, Instituti; cumque praedicti Presbyteri Sanctissimo Domino Nostro supplicaverint pro facultate habendi in memorato Collegio Oratorium, ut in eo valeant Missas celebrare et Sacramenta administrare Convictoribus, Domesticis atque Discipulis, et fuerit a Sanctitate Sua remissus supplex Libellus ad hanc Sacram Congregationem, de more fuit scriptum: Episcopo pro informatione et voto.

Retulit Episcopus Presbyteros praedictos laudabiliter se gerere in administratione Collegii et maximopere proficuam esse futuram licentiam Oratorii privati et praeter rationes ab Episcopo adductas in sua informatione, quae est impressa in summario Oratorum, addi posset exemplum tum Seminarii Romani tum Collegii Clementini, quae consimili gaudent privilegio Oratorii, videlicet, in quo Patres Societatis Jesu et Patres Congregationis Somaschae, qui respective praesident administrationi Seminarii et Collegii, Missas celebrant, et in quibus Sacramenta administrantur Convictoribus atque Domesticis; rectae siquidem juventutis educationi nimis conferre videtur, quod Alumni Collegiorum ad pubicas non accedant Ecclesias, ut in illis Sacramenta recipiant, et quia in quadam sententia A. C., quae etiam dicitur confirmata, re discussa in binis Congregationibus specialiter deputatis dictum fuit: licuisse Presbyteris Doctrinae Christianae Terrae Roncilionis habere Oratorium privatum ad effectum in eo exercendi opera sui instituti cum conditione tamen, ut in illo non ministrent populo Sacramenta, non habeant sepulturam, non retineant Campanas publicas nec eleemosynas quaerant pro Missis in eo celebrandis, contendit scribens pro iisdem Presbyteris sententiam hanc non obstare praesenti ipsorum petioni, tum quia proprium eorum institutum est, Pueros dirigere et confirmare in via mandatorum Dei et Ecclesiae, tum quia sunt parati ad adimplendas caeteras alias memoratas conditiones in sententia appositas. Adhaeret hisce fundamentis etiam Episcopus in sua informatione adeoque onus erit EE. VV. decernere: *An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum?*

S. C. C. resp.: Pro gratia Oratorii privati ad formam Sententiae et ulterius licere presbyteris plures missas qualibet die et etiam festis solemnioribus in dicto Oratorio celebrare et Sacramenta in eo Convictoribus Discipulis et domesticis, hoc est illis, qui actu degunt in Collegio et illi inserviunt, administrare excepta communione paschali.

Die 11. Junii 1718.

Leo PP. XII.

Expositum Nobis est a dilectis filiis alumnis Ordinis s. Benedicti Congregationis Cassinensis in urbe Neapoli, se ab utriusque Siciliae rege obtinuisse partem monasterii ss. Severini et Socii ejudem urbis, e quo notissimis rerum vicibus fuerunt expulsi. Quum autem nullum inibi adsit privatum sacellum in monachorum commodum, qui saepenumero petunt urbem vel ad negotia monasteriorum gerenda vel ad valetudinem recuperandam, supplici cum prece a Nobis petiere ejus rei ergo apostolica venia muniri.

Nos igitur oratores peculiari beneficentia prosequi volentes auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut in privato ejusdem monasterii sacello, ab ordinario Episcopo de more invisendo, dummodo ibidem aliud hujusmodi privilegium nequaquam vigeat, per quemcunque ex Congregationis Cassinensis presbyterum rite probatum, moderatoris venia, singulis diebus etiam solemnioribus divina hostia libere ac licite possit immolari, ita ut quicumque ex illius alumnis aliisque monasterio addictis diebus festis pietate, qua decet, incruento ibidem sacrificio intersit, *ab obligatione solvatur eidem publico in templo assistendi et ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur;* non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut nemini praeter eos, quos meminimus, indultum Nostrum omnino suffragetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 4. Februarii 1829.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 471.)

V. Num Tres Missae celebrandae in die Nativ. D.?

Vd.: *Orator. priv.* (Missae in variis festiv., decret. Pii VIII.: *Eximia pietas etc.*, diei 29. Jan. 1830; 20. Jan. 1725; p. 461 §. 18).

Licet in Indultis Oratorii privati, quae a Sede Apostolica conceduntur, excipiantur nonnulli dies et signanter dies Nativitatis Domini, quibus permissum non est Missam in eis celebrare aut audire, in nonnullis nihilominus ejusdem Sedis Apostolicae Indultis, quae dantur Infirmis, qui e domo egredi non possunt, non solum dicti dies non excipiuntur, sed expresse permittitur, ut ipsis diebus exceptis et signanter die Nativitatis Domini Missa in praedictis Oratoriis privatis celebrari possit; cumque exorta fuerit dubitatio ejusque examen fuerit ad hanc Sacr. Congregationem remissum, an stante antiqua consuetudine a temporibus Telesphori Papae introducta, juxta quam quilibet Sacerdos die Nativitatis Domini tres Missas celebrare potest, possint eaedem tres Missae ab eodem Sacerdote celebrari in Oratorio, quod est a Sede Apostolica concessum Infirmo, nec aliquod adsit in Secretaria Brevium monumentum ad hujus dubii resolutionem pertinens, Secretarius hujusce Sacr. Congregationis, ne muneri suo deesset, discursum exaravit, eoque benigne perlecto reliquum erit, ut EE. VV. decernere dignentur: *An in Oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede Apostolica conceditur, ut Missa die Nativitatis Domini celebretur, tres Missae ab eodem Sacerdote celebrari*

possint, vel unica tantum Missa sit celebranda in casu etc.?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 2. Decbr. 1724 et 13. Jan. 1725.

Discursus Secretarii S. C. C. circa tres Missas celebrandas vel non celebrandas in die Nativitatis Domini in illis Oratoriis privatis, in quibus dicta die Missa ex Indulto Apostolico celebrari potest.

Ad tramites Synodi Agathensis, de qua *in Canone 35. de Consecrat. dist. 1.* ubi decernitur, quod si quis Oratorium habeat in Agro, possit in eo cum sua familia Missam diebus festis audire excepto Paschate, excepta die Natali Domini, exceptis Epiphania, Ascensione, Pentecoste et Natali S. Joannis Baptistae, et si qui alii dies inter magnas festivitates habeantur, consuevit Sedes Apostolica in concessione Oratoriorum privatorum nedum dictas solemnitates sed alias etiam excipere, ita ut dictis solemnitatum diebus nec liceat Sacerdoti in Oratorio privato celebrare nec liceat aliis in eodem Oratorio Missam audire. Quia vero aliquando haec Oratoria privata a Sede Apostolica conceduntur *ex causa infirmitatis et quoad Personas infirmas*, quae e domo exire non possunt, absonum esset dies solemniores excipere, uti ponderat *La Croix Oper. Moral. tom. 2. lib. 6. part. 2. num. 271.* Hinc est, quod eadem Sedes Apostolica *infirmitate laborantibus* concedere consuevit, ut Missam in Oratorio privato audire possint etiam diebus illis solemnioribus, qui in aliis concessionibus excipiuntur.

Et formula consimilis concessionis pro Infirmis est haec, quae sequitur: *Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, alias tibi asserenti te Nobilem existere, auctoritate Apostolica sub certis modo et forma tunc expressis indultum fuerit, ut in privatis Domorum tuae habitationis Oratoriis etc. unam Missam pro unoquoque die, Paschatis tamen Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini etc. festis diebus exceptis, in tua ac familiae tuae praesentia celebrari facere ac libere et licite posses et valeres etc. Tu vero cum quibusdam corporis infirmitatibus labores, propter quas Domo etiam diebus supra exceptis Missam audiendi causa egredi non potes etc., nos te specialibus volentes etc., tibi, ut durantibus infirmitatibus hujusmodi, praedictam unicam Missam in privatis Oratoriis supradictis etiam diebus uti supra exceptis, si in illis propter corporis infirmitatem Domo Missam audiendi causa egredi non potes, ut praefertur, in tua ac unius Personae servitiis tuis necessariae dumtaxat praesentia celebrari facere libere et licite possis etc., tenore praesentium concedimus et indulgemus.*

A qua formula occasio nascitur dubitandi: an habentibus usum Oratorii privati ex causa infirmitatis et absque exceptione diei Nativitatis Domini permissum sit necne, tres Missas ab uno eodemque Sacerdote in dicto Oratorio die Nativitatis Domini audire vel unica tantum Missa contenti esse debeant.

Et quidem, quod dicta die permissum esse possit habentibus Oratorium privatum in eodem tres Missas audire die Nativitatis Domini, nonnulla facere posse videntur. Primum est, quod non potest Sacerdos pluries eodem die celebrare juxta *Textum in cap.: consuluisti et in cap.: te referente de celebratione Missarum,* cum quibus concordat *alius Textus in Canone: sufficit de Consecrat. dist. 1.,* cumque non obstante hac prohibitione permissum sit Sacerdotibus die Nativitatis Domini tres Missas celebrare, uti colligitur *ex Textu in Canone: Nocte de Consecrat. dist. 1.,* et quatenus id ex

dicto Textu non probetur, desumitur ex antiqua consuetudine, quae Teste S. Gregorio in Homilia de Nativitate Domini initium habuit tempore Telesphori Papae, licet hujus Pontificis Constitutio, quae consuetudini fomentum dedit, sit deperdita, et non reperiatur, uti prosequitur *Gonzal. in cap. Consuluisti lit. B. de celebr. Missarum*, ex quo inferri posse videtur, licitum esse tres Missas audire in Oratorio privato die Nativitatis Domini, licet Apostolicum Indultum unicam tantum Missam etiam dicto die restrictum esse praetendatur, ne plus videlicet operetur Indulti, quam juris communis et Sacrorum Canonum prohibitio.

Secundum est, quod non est ita clarum, quod in Indulto prohibeatur celebratio trium Missarum die Nativitatis Domini, tum quia in Indulto fit quidem mentio *unius et etiam unicae* Missae, sed absque particula *dumtaxat*, quae in Indulto est apposita, quando sermo est de Persona, quae insimul cum Infirmo Missae assistere potest, *in tua ac unius personae etc. dumtaxat praesentia celebrari facere libere et licite possis*, et quando fit mentio unius Missae sine particula *tantum vel dumtaxat*, probabilis est opinio, quod plures Missae prohibitae non intelligantur, juxta *March. in resolut. miscell. cas. 33*, et quatenus vox *una* aut *unica* etiam sine particulis *tantum* aut *dumtaxat* esset plurium Missarum exclusiva, id tamen commode referri potest ad plures Missas a pluribus Sacerdotibus eadem die et in eodem Oratorio celebrandas, et non ad plures Missas eodem die ab eodem Sacerdote et in eodem Oratorio celebrandas, die videlicet Nativitatis Domini, in quo juxta supradicta tres Missae a quolibet Sacerdote celebrantur.

Tertium est, quod tres Missae diei Nativitatis Domini haberi quodammodo possunt pro unica Missa, ex quo videlicet in tribus praedictis Missis Christi Nativitas semper recolitur, aeterna videlicet, temporalis, sed spiritualis et temporalis insimul et corporalis juxta doctrinam Divi Thomae *3. part. quaestio 83. art. 2. ad secundum;* ibi: *in die autem Nativitatis plures Missae celebrantur propter triplicem Christi Nativitatem, quarum una est aeterna, quae quantum ad nos est occulta, et ideo una Missa cantatur in nocte etc. Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, et propter hoc cantatur Missa in Aurora. Tertia est Christi Nativitas temporalis et corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero Virginali carne indutus.*

Quartum est, quod in Indulto, de quo nunc agitur, non videtur esse stricte procedendum; quocirca licet in Indulto, quo citra casum infirmitatis conceditur usus Oratorii privati, excipiantur dies Festi, Paschatis signanter Resurrectionis et Pentecostes, sub quorum tenore verborum non tantum prima dies utriusque Paschatis sed etiam duae immediatae utriusque Paschatis festivitates comprehenduntur, passim nihilominus admissum est, ut in praedictis Oratoriis excepta prima die utriusque Paschatis Missae celebrentur in duabus immediate festivitatibus tam Paschatis Resurrectionis quam in aliis Pentecostes, *Pasqualig. de Sacrif. novae legis tom. 1. quaest. 639. num. 2.*, *Gavant. in Thesaur. Sacr. Rituum part. 1. tit. 20. §. Ordinarii Locorum*, et quando stricte non est procedendum in horum Indultorum interpretatione, nil prohibet, quin in sequelam Indulti, quod Infirmis conceditur, tres Missae in iisdem celebrari valeant in die Nativitatis Domini.

Ultimum est, quod alias discurrendo sequeretur absurdum; sequeretur etenim, quod Sacerdos vocatus ad cele-

brandum in Oratorio concesso pro Infirmis unicam tantum Missam celebraret die Nativitatis Domini, quando caeteri Sacerdotes dicta die tres celebrant Missas; nec enim congruum est, ut praedictus Sacerdos primam Missam dicat in uno loco et alias duas celebret ex intervallo et in alio loco; sequeretur ulterius, quod Infirmus a Papa habilitatus ad audiendam in Oratorio Domestico Missam die Nativitatis Domini hac ipsa die unicam tantum Missam audiret, quando eadem die caeteri tres audiunt Missas.

Adversus autem hucusque deducta plura profecto alia opponi possunt ad effectum scilicet demonstrandi, quod unica tantum Missa celebrari possit in Oratorio privato, quod Infirmis conceditur, die etiam Nativitatis Domini.

Utque id ponatur in claris, ponderanda est litera et ponderanda est ratio Indulti, et in eo quidem, quod attinet ad literam; Pontifex in Indulto exponit, se alias Oratori concessisse Oratorium privatum, in quo *una Missa* celebretur, excepto die Nativitatis Domini et exceptis aliis diebus in dicto Indulti memoratis; cumque Pontifex in eodem Indulto prosequatur asserendo, se velle supplicationibus Infirmi annuere, et idcirco concedat, ut etiam diebus exceptis et sic die Nativitatis Domini *praedictam unicam Missam* in privato Oratorio audire valeat, verbum illud: *praedictam,* et eo fortius, si uniatur cum alio verbo *unicam,* utpote relativum, ad *eam unam Missam,* quam Orator audire potuisset diebus non exceptis, si non fuisset infirmus, plene ostendit, nullatenus posse die Nativitatis Domini tres Missas ab Infirmo audiri in Oratorio privato, sed unicam tantum Missam in eo Oratorio dicta die esse celebrandam, ut in proximis terminis bene argumentantur *Pasqualig. de Sacrif. novae legis tom. 1. quaest. 635. num. 3., Quartus ad Rubr. Missalis dub. 6. pag. 598.*

Uno verbo: Pontifex in Indulto pro Infirmo aequiparat diem Nativitatis Domini caeteris aliis diebus, qui non sunt excepti in Indulto, quod conceditur citra casum Infirmitatis; cumque in terminis hujus postremi Indulti certum sit, diebus non exceptis unam tantum Missam celebrari posse, hoc ipsum dicendum est in terminis Indulti concessi pro Infirmo, quod scilicet die Nativitatis Domini unica tantum Missa in Oratorio privato celebrari possit. In eoque, quod spectat ad Indulti rationem, nulla alia excogitabilis esse posse videtur, quam ea, quod in tantum Pontifex annuat petitis, in quantum commiserando statum Infirmi, et ne afflictio addatur afflicto, modum ipsi suppeditare intendit, quo devotioni consulere possit, Missam audiendo et praeceptum adimplendo Missam audiendi die adeo celebri, qualis est illa Nativitatis Domini; cumque ad effectum, de quo agitur, satis sit, ut Infirmus unicam audiat Missam die Nativitatis Domini, bene insertur ex his, quod unica tantum Missa dicta die in Oratorio privato sit celebranda; nulla cadente quoad insinuatum assumptum dubitatione, quod satisfiat scilicet praecepto audiendi Missam die Nativitatis Domini, unicam tantum Missam eadem die audiendo; *quandoquidem certa esse videtur Theologorum opinio, quod secluso Voto, juramento, promissione vel Statuto aut alia obligatione speciali nullus Sacerdos tenetur die Nativitatis Domini tres Missas celebrare, nec Fideles dicta die tres Missas sed unam tantum tenentur audire, Navar.* consil. primo de celebratione Missarum, *Bonacin.* oper. moral. tom. primo de Sacr. Euchar. disput. 4. quaest. ultima puncto 11. proposit. prima num. 10.; *Castropal.* op. moral. tom. 4. tract. 22. disput. unica punct. 7. num. 7.; *Sal-*

maticenses in cursu Morali tom. 1. tract. 5. de Missae Sacrificio cap. 4. punct. primo num. 9.: *subduntque Scribentes, quod Sacerdos obligatus ad dicendam Missam quotidianam pro aliquo, non tenentur tres Missas in Nativitate Domini pro eodem applicare, sed unam tantum, nisi forte Fundator Beneficii seu Capellaniae expresse dixisset, se velle trium Missarum applicationem die Nativitatis Domini; Fraxinell.* de Sacerdotum obligat. ad Missam sect. 4. conclus. 4. §. 21.; *Diana* in edit. coord. tom. 2. tract. 1. resol. 64. num. 2.; *Pasqualig.* de Sacrif. novae legis tom. 2. quaest. 1133. num. 2. et 3.: *et sola remanet quoad Parochos dubitatio, cum nonnulli absolute dicant, eos dicta die teneri tres Missas celebrare propter populi utilitatem et devotionem, Persic.* de divinis offic. lib. 1. dub. 15. num. 128. pag. 221.: *et alii in ea sint opinione, quod secluso scandalo aut contemptu Parochi praedicta die non teneantur ad tres Missas celebrandas; Leander.* oper. moral. part. 2. tract. 8. disput. 5. quaest. 20.

Hisque positis non obstant ea, quae pro trium Missarum celebratione ponderata fuerunt; non obstat, inquam, primum, quod scilicet, sicuti non obstante juris prohibitione, tres Missas celebrantur die Nativitatis Domini, ita hoc ipsum fieri possit, non obstante prohibitione Indulti; jus etenim prohibet caeteris diebus plurium Missarum celebrationem ab uno et eodem Sacerdote faciendam, et jus ipsum permittit unicuique Sacerdoti celebrationem trium Missarum die Nativitatis Domini, et e contra Indultum prohibet in Oratorio privato plurium Missarum celebrationem, non tantum aliis diebus sed etiam ipsa die Nativitatis Domini, ut supra probatum est, ita ut disparitas inter unum et alium casum sit evidentissima.

Nec est majoris roboris secundum, quod plurium Missarum celebratio non sit clare in Indulto prohibita, ex quo fit quidem mentio unius Missae, sed sine particula *tantum* vel *dumtaxat;* primo quia numerus de sui natura est taxativus, ita ut, qui dicit unum, duo excludat, et de facto si quis diceret, sex esse Sacramenta, puniretur uti Haereticus tanquam scilicet negans catholicam veritatem de septem Sacramentis a Christo Domino institutis; secundo, quia in terminis indulti, de quo agitur, Doctores firmiter asserunt, unam Missam et non duas aut plures in Oratorio privato celebrari posse, *Pellizar.* in Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. subsect. 2. num. 144., *Anaclet.* ad lib. 3. decretal. tit. 41. de celebrat. Missarum; tertio, quia prava Indulti intelligentia, de qua in contrario argumento, de medio sublata fuit a Decreto hujus Sacr. Congregationis edito anno 1703 et confirmato a san. mem. Clemente XI. et per extensum relato in Bullar. p. 540 et seq., ubi ad exclusionem plurium Missarum eadem die celebrandarum in Oratoriis privatis sic legitur: *in reliquis vero diebus,* sermo est de diebus, qui non sunt excepti in Indulto Oratorii privati, *praedictis Regularibus seu Sacerdotibus quibuscumque etiam Episcopis in privatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quae in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super qua celebraturus teneatur diligenter inquirere et de eo se optime informare.*

Consimilis generis est tertium, quod tres Missae diei Nativitatis Domini haberi valent pro una, sunt enim tres Missae realiter inter se distinctae, uti sunt realiter distinctae plures Missae, quae eodem die celebrantur ad recolenda plura Dei beneficia, hoc est quando una celebratur pro Festo, alia pro jejunio et alia pro mortuis, uti

prosequitur Divus Thomas loco supra citato.

Neque majoris roboris est quartum, quod in horum Indultorum interpretatione non sit stricte procedendum, haec quippe Indulta sunt contra Jus, ita ut in eorum interpretatione stricte sit procedendum, ut in puncto docent *Capon.* discept. 183. num. 67., *Monacel.* in formul. legal. tom. 4. pag. 85. num. 468. et in tantum, excepta prima festivitate Paschatum, in reliquis aliis immediatis earundem festivitatibus Missae celebrantur in Oratoriis privatis, in quantum pacifica et antiqua observantia Superioribus ecclesiasticis cognita et ab illis non improbata; sic interpretata sunt verba Indulti, uti bene docent *Pasqualig.* et *Gavantus* locis supra allegatis; cumque haec circumstantia in casu, de quo agitur, non concurrat, et verba Indulti in hac parte sint clara nec indigeant interpretatione, nemo est, qui non videat, non posse ab uno ad alium casum inferri.

Ultimum superest ex adverso excitatum objectum, quod Sacerdos scilicet unicam tantum Missam celebraret et Infirmus unicam tantum Missam audiret, quando die Nativitatis Domini tres Missae a caeteris Sacerdotibus celebrantur et a caeteris Fidelibus eadem die tres Missae audiuntur; in primis etenim juxta dicta in Superioribus *pro adimplemento praecepti satis est, quod Sacerdotes unam Missam die Nativitatis Domini celebrent et Fideles unam Missam audiant eadem die;* adeoque Doctores figurantes casum, *quod Sacerdos unam tantum Missam celebrare velit die Nativitatis Domini, dicunt, quod tenetur celebrare tertiam, Piscar.* in praxi Caeremoniarum lib. 3. sect. 2. cap. 4. num. 9. *et alii magis ample procedendo sustinent celebrare debere aut primam aut tertiam, Pellicar.* in manual. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. subsect. 1. num. 101.

Rursus in fortioribus receptum vidimus, quod in aliquo casu die Nativitatis Domini Sacerdotes abstinent a celebratione etiam unius Missae, puta si in Missa solemni Diaconi aut Subdiaconi munere fungantur, uti passim fit in Capella Pontificia et in Basilicis Urbis, et Sacr. Communionem a celebrante recipiant; non solum enim in dicto casu possunt, sed tenentur a Missae celebratione ea die abstinere; *Cardinalis de Lugo* de Sacr. Euchar. disput. 20. sect. 2. num. 43., *Tamburin.* de Sacrif. Missae lib. 1. cap. 6. §. 3. num. 6., *Diana* in edit. coord. tom. 1. tract. 1. resolut. 96. num. 2. et seq.

Et quod omnem tollit difficultatem, est, quod Sacerdos, qui primam Missam celebravit in Oratorio privato Infirmi, bene potest in aliis Ecclesiis reliquas duas Missas celebrare; in terminis etenim primae Missae, quae nocte Nativitatis Domini canitur in Ecclesiis, prohibitum est a Decretis Congregationis Sacr. Rituum et Sacr. Visitationis, quod aliae duae immediate canantur et quod Fidelibus media nocte confluentibus Eucharistia exhibeatur, *Mattheucc.* in offic. Cur. Eccles. cap. 10. §. 2. num. 65., *Schmalzgruber* ad lib. 3. Decretal. tit. 41. de celebr. Missae num. 40. in fine, *Monacell.* in formul. legal. par. 2. pag. 160. num. 16. et seq., *Ursaya* instit. Criminal. lib. 1. tit. 10. §. 2. num. 65. Reliqui vero Sacerdotes privatim Missam celebrantes possunt tres Missas die Nativitatis Domini celebrare cum intervallo aut sine intervallo, ut in puncto docet *Silvester.* in sum. in verbo: Missa, primo num. 7. Et quando possunt cum intervallo celebrare, nil prohibet, quin Sacerdos post celebratam die Nativitatis Domini primam Missam in Oratorio infirmi subsistat et post tempus sibi benevisum in alia Ecclesia celebret duas alias Missas eadem die Nativitatis Domini.

Atque haec dicta sint sub censura, salvo semper etc.

Die 16. Decbr. 1724.

VI. Utrum Missa in Nocte Nativ. D. celebranda?

Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum.

Quum in Eccl. adjecta Collegio Novitiatus Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum in Civitate Januen. in *Nocte* Nativ. D. nec Divina Officia nec solemnis Missa locum habeant, id grave admodum experiens hodiernus Collegii ipsius Superior propriae et Novitiorum pietati satisfacturus superiori anno 1847 in hac ipsa sacratissima Nocte post Matutini recitationem Missam cum cantu celebravit in Novitiatus ipsius Sacello, ratus id exequi posse vi Privilegiorum Regularibus concessorum. Verum quum diversae circumferantur super facto opiniones inter Alumnos Collegii ipsius ac ex eis aliquis contendat id omnino non licere, quia vetitum est in solemnitate illa celebrare in privatis Sacellis et quia Sacellum istud non inservit Religiosae Familiae sed Novitiis tantum; ut indubia habeatur declaratio, quae futuris etiam temporibus, veluti norma servetur, S. R. C. super facto ipso de sententia rogata in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinale coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus maturo examine perpensis consideratisque rescribendum censuit: „Posse juxta exposita."

Atque ita rescribere rata est et declarare.

N. 5139. Die 22. Julii 1848.

Leo PP. XII.

Dil. Filio Equiti Balth. Solazzi.

Exponi Nobis nuper curasti, quod alias auctoritate apostolica sub certis modo et forma tunc expressis, tibi, uxori tuae tuisque filiis et descendentibus masculis per lineam masculinam indultum fuit, ut in privatis domorum vestrae habitationis oratoriis sacrosanctum Missae sacrificium in vestra familiaeque vestrae praesentia celebrari facere possetis et valeretis, prout in apostolicis desuper expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem cum tu, ad tuae tuorumque devotionis augmentum spiritualemque profectum et consolationem plurimum cupias sacrosanctum Missae sacrificium juxta Ecclesiae ritum *nocte Nativitatis D. N. J. Chr.* in privatis oratoriis hujusmodi celebrari facere, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi tuisque omnibus, quibus superius memoratae apostolicae literae favent, ut in iisdem privatis domorum vestrae habitationis oratoriis *in* **Nocte** *Nativitatis D. N. J. Chr. unam missam hora tamen consueta juxta ritum Ecclesiae nempe post mediam noctem ac post auroram ejusdem noctis alias duas missas juxta ritum* eumdem celebrari solitas celebrari facere libere et licite possitis et valeatis, servata tamen in reliquis praedictarum ap. literarum forma et dispositione auctoritate Nostra apost. concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 7. Decbr. 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 285.)

g) Publicum.

1) Celebratio Missae.

Vd.: *Oratorium Confrat.* (decr. n. 3451 et 10. Decbr. 1703); *Orator. privat.* (decr.

1. Febr. 1847; 17. Aug. 1709); *Credo in missa Titul. capell. publ.; Titul. capell.; Sabb. s.* (Missa priv. decr. de die 11. Febr. 1690); t. II. p. 472.

Plebanum in sua tantum Ecclesia non vero in Oratoriis posse prohibere, ne presbyteri ante ipsum Missam celebrent. n. 781 die 20. Novbr. 1628.

Non posse prohiberi missam in diebus festis in Oratorio ante missam conv. in parochia celebrare. n. 1259 die 21. Aug. 1640.

De rigore juris non potest prohiberi a parocho, ne in publico Oratoriis, sitis intra suae parochiae fines, missae celebrentur ante missam paroch.; sed constitutiones synodales contrarium disponentes sunt observandae. S. C. C. 28. Jan. 1640; 25. Maii 1652. (Benedict. XIV. de Synodo.)

Licet in Oratoriis publicis missam canere solemnibus anni diebus praeterquam fer. V. et Sabb. s. hebdom. maj. S. C. C. 13. Jan. 1685.

Non licet in Oratoriis publicis exedras retinere ad confessiones excipiendas nec asservare SS. Sacramentum. S. C. C. 27. Junii 1744.

Vd.: *Confessionale; SS. Sacram.* (asservatio).

Ad dubium I.: An Oratoria in hospitalitibus caeterisque piis locis absque Episcopi auctoritate erectis constituta in prohibitione Concilii Trid. comprehendantur? Et quatenus affirmative;

II. An sub eadem prohibitione contineatur Orphanotrophium in casu?

S. C. C. resp. ad I. Negative; ad II. Provisum in primo. Die 27. Martii 1847.

Vd.: *Capella dom.* (Erectio et benedictio.)

Monasterien.

Dum superiori anno 1843 Joannes Henricus Afphippe ex Parochia Warandorf. intra fines Dioec. Monasterien. Apost. rogavit Indultum, ut in suo *publico* Sacello Deo in hon. S. Joannis Bapt. dicato in Dominicis etiam aliisque festis diebus a sibi beneviso Sacerdote Sacrosanctum Missae Sacrificium celebretur, quin in minimo Parochialia jura laedantur, S. R. C. ipsius preces pro Infirmatione et Voto Rmo Monasterien. Ep. transmisit; nam ex ordinaria Antistitis facultate Indultum ipsum pendebat et nec sibi persuadere poterat a religiosissimo Praesule absque legitima causa hujusmodi licentiam denegari. Prudens consilium istud pergratum admodum fuit Monasteriensi Ep., ut in suis Literis datis pridie Kal. Maii vertentis anni apparet; queis quidem Literis S. ipsam R. C. certiorem reddit ingenue, privilegium Oratorii concessum a se ita ad Dominicas festosque dies de praecepto non extendi, quia sine praejudicio et detrimento Eccl. Parochialis neutiquam remotae, in enunciato Sacello Missa celebrari non potest, ex eo potissimum, quia Fideles in casu Concionem negligerent ac caetera Parochialia exercitia, veluti pluries Oratori ipsi communicatum fuit et insimul injunctum, ut singulare ecclesiasticum Beneficium pro ipsius Sacelli Dote fundaret. Quae quidem rationum momenta ab eodem Rmo Ep. proposita adeo gravia S. ipsa C. agnovit, ut in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, referente Secretario, rescripserit: „Juxta Votum Episcopi", id est repetitum Indultum Oratorii denegandum omnino existimavit.

N. 5015 die 14. Junii 1845.

Clemens PP. XIII.

Ven. Fr. Episcopo Celsonensi.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Universitatis Studii Generalis Oppidi Civitatis

nuncupatae di Cervera Celsonen. Dioecesis, quod in aedibus Universitatis hujusmodi splendide ac magnifice extructis a Cancellario Universitatis praedictae, cui pro tempore existenti jurisdictio tam civilis quam criminalis in Scholares, Professores aliosque Ministros dictae Universitatis per fel. rec. Clementem PP. XII. Praedecessorem Nostrum tradita reperitur, Capella decenter constructa numerisque omnibus ad sacrosanctum Missae Sacrificium ibidem celebrandum absoluta existit: proindeque Exponentes praedicti pro ejusdem Cancellarii pro tempore existentis ipsiusque familiae spirituali consolatione in ea praedictum Missae Sacrificium celebrari facere posse plurimum desiderant. Nobis propterea eorumdem Exponentium nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes ac praedictam Universitatem optimis praesertim Ecclesiasticarum aliarumque scientiarum et ingenuarum artium studiis maxime florentem auctoritatis Nostrae muneribus decorare volentes hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis moderno et pro tempore existenti Cancellario Universitatis hujusmodi, in dicta Capella aedium praedictarum ad hoc decenter extructa et ornata seu extruenda et ornanda ab omnibus domesticis usibus libera per te prius visitanda et approbanda deque tui licentia arbitrio duratura unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem aedibus celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque Sacerdotem a te approbatum Saecularem seu de Superiorum suorum licentia Regularem sine tamen quorumcumque jurium Parochialium, praejudicio, *ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis*, in sua ac familiae suae praesentia celebrari facere libere et licite possit ac valeat, licentiam auctoritate Nostra Apostolica arbitrio tuo concedas et indulgeas.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, *quod alii praeter supradictas personas ibidem Missae hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur.* Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae die 12. Martii 1765.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 52. Ed. Rom. 1841.)

Pius PP. VII.

Cum, sicut dilecti filii pii fideles de Flassa Gerunden. dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in Deiparam afficiuntur devotionis, affectu, ejusdem cultum et venerationem dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut posthac in oratorio publico domus de Vineals dicti loci die 16. mensis Julii festum Commemorationis beatae Mariae Virginis de monte Carmelo agatur cum omnibus Missis propriis de eadem commemoratione, etiamsi occurrat in eodem die festum triumphi sanctae Crucis, non dummodo tamen off. triumphi s. Crucis

non sit ritus dupl. I. vel II. classis; si autem fuerit ritus dupl. II. classis dumtaxat una tantum Missa cum cantu de praedicta commemoratione Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo celebretur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 6. Apr. 1804.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 145.)

(Conc. Tr. S. 22. Decr. de observ. et evitandis in celebratione missae.)

Intra fines parochialis seu ruralis abbatiae SS. Nicolai et Agathae Zeulae Praedosae civitatis Bononiensis adest burgus seu vicus nuncupatus „Ponte di Ronca" compositus duodecim domunculis ad usum rusticorum, in eoque ab antiquo tempore reperitur publicum Oratorium Praesentationis Beatissimae Virginis, constructum ad formam constitutionis synodalis loquentis de Oratoriis publicis ac satis instructum de utensilibus sacris pro celebratione sacrificii.

Quamvis autem in eodem Oratorio ab antiquo tempore usque ad praesens celebratum fuerit sacrificium Missae praevia licentia concessa ab Archiepiscopis Bononiae et renovata de anno 1725 a moderno eminentissimo Antistite ad quinquennium, ut deponunt plures testes, qui dantur in summario, et constat ex eadem licentia transscripta in eodem summario ac etiam decoratum fuerit de anno 1656 indulgentia plenaria a san. mem. Alexandro VII., nihilominus de anno 1726 modernus curatus seu abbas dictae parochiae instetit coram Vicario generali pro interdicto et suspensione dicti Oratorii ab ulteriori celebratione Missarum sub motivo, quod Oratorium praedictum multos habet defectus reprobatos a sacris canonibus synodalibus, videlicet, quod sit connexum a pluribus lateribus cum domibus rusticorum contiguis ac aequali eodemque tecto cum illis constructum, ita ut a dictis domibus haberi possit accessus ad tectum Oratorii ac una ex illis habet quoque actualem accessum ad taxellum seu lucernarium ejusdem Oratorii, ubi inquilinus reponit instrumenta rusticalia, quodque sit adeo annexum et conjunctum cum dictis domunculis, ut, qui morantur in Oratorio, audiant discursus vicinorum pariterque sit positum in quadam servitute activi aspectus, et demum quod sacerdos ibi continuam habens moram ad effectum dicendi sacrum quaestuat, obligationes colligit et multos alios actus exercet in praejudicium ecclesiae parochialis.

Contestata lite inter parochum praedictum et administratores hospitalis expositorum Bononiae, de cujus dominio sunt praefatae domus et Oratorium, Vicarius generalis fecit accessum in faciem loci, ubi distincte recognovit situm et statum Oratorii et contiguarum domorum: dictus accessus plene describitur et datur in summario administratorum num. 3., sed quia praedictus Vicarius differebat causam decidere, administratores appellarunt a denegata justitia et recursum habuerunt ad auditorem Sanctissimi, qui terminum duorum mensium praefixit judici ad causam expediendam illaque non expedita intra terminum praefixum eandem remisit ad S. Congregationem.

Elapso termino praedicto, quin Vicarius causam terminasset, idem auditor Sanctissimi denuo illam remisit ad Sacr. Congregationem; idcirco ad instantiam administratorum et in contumaciam parochi non adhuc jura sua deducere curantis proponitur dubium ab EE. VV. sapienter de more decidendum: *„An in Oratorio, de quo agitur, liceat celebrare sacrificium Missae in casu?"*

S. C. C. resp.: Arbitrio emin. Archiepiscopi et amplius.

Die 2. Julii et 13. Aug. 1729.

Ruben.

Aderat in Civitate Ruben. Ecclesia SS. Rosarii, spectans ad PP. Ordinis Praedicatorum, sed prorsus incongrua et ruinae proxima, adeo ut iidem PP. novam Ecclesiam construere cogitarunt, ejusque fundamenta juxta Ritum a Pontificali Romano praescriptum ab Episcopo benedicta fuerunt. Reservarunt tamen in dicta antiqua Ecclesia quaedam Altaria pro Divinis Officiis aliisque Functionibus ac etiam pro retentione SS. Sacramenti; sed ob ruinam de proximo eventuram aliaque inconvenientia in dictis altaribus haec omnia amplius peragi non poterant et ad eundem usum destinata fuit portio novae Ecclesiae ac etiam pars Claustri, claudendo omnia opportunis cum tabulis; dictusque locus Januam habet in via publica aliamque ex parte novae Ecclesiae pro Patrum commoditate. Ut omnia rite fierent, petierunt iidem PP. Aquam benedictam ab Episcopo pro dictae provisionalis Ecclesiae benedictione, ea tamen denegata fuit; post obitum Episcopi Rubensis iidem Patres Aquam benedictam obtinuerunt ab Episcopo Vigiliensi, et cum ea absque ulla alia licentia provisionalem Ecclesiam seu Oratorium, ut supra erectum, benedixerunt, ibique a sex mensibus circiter Sacra persolvunt.

Factum ut supra expositum huic Sacrae Congregationi refert Vicarius Capitularis ejus exquirens oraculum: an dicta parva Ecclesia supponenda sit ecclesiastico interdicto aliisque poenis canonicis, demandando iisdem Patribus, quod saepedicta altaria, in quibus prius sacrificium offerri consueverat, ad decentem formam redigantur et restaurantur, vel potius sit permittendum, ut in illa erecta intra Claustrum celebretur?

Procurator Generalis Ordinis late exponit, necessariam fuisse dictam provisionalem Ecclesiam; ejus pars, uti existens in eodem situ, in quo erat antiqua, nulla indigebat benedictione, et quod Claustrum uti eidem annexum sub eadem ratione cadere debeat. Sed ulterius, quod ex Constitutione *Pretiosus* san. mem. Benedicti XIII. in §. 33 expresse conceditur Fratribus sui Ordinis facultas benedicendi novas Ecclesias cum Aqua ab aliis Episcopis benedicta, ibi: *Hoc amplius, quod ubi Dioecesanus Episcopus renueret Aquam a se benedictam concedere, possint et debeant iidem Fratres a quocumque Catholico Episcopo Aquam in ejus Dioecesi benedictam ad praedicta praestanda accipere et asportare.*

Demandat Sacr. Concilium Tridentinum, quod extra Ecclesiam et in Oratoriis in privatis domibus existentibus Missae celebrari non debeant, prout ex dicto Concilio sess. 22. cap. unico de observan. et vitan. in celebr. Miss. Sed quoties Ecclesia seu Oratorium est publicum habetque Januam in via, itaut accessus cuique pateat nec desunt alia necessaria requisita, de quibus apud Barbos. de Concilio dicto cap. unico num. 22, non comprehenditur sub prohibitione dicti Decreti Concilii Tridentini, ut tradit idem Barbos. et respondit haec Sacr. Congregatio in Florentina 2. Decembris 1628 lib. Decr. 13. fol. 568. et in Compsana 31. Maii 1704 ad secundum dubium lib. Decr. 54. fol. 226. a tergo. Attamen antiqui Canones aliaeque Ecclesiae Constitutiones expresse disponunt, quod non valet in Ecclesiis et Oratoriis publicis Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari, nisi illa fuerint Episcopi auctoritate consecrata vel benedicta aut saltem visitata et recognita opportuna ad Missarum

celebrationem, juxta Textus in *Canon. Missar.* 12. et in Canon. 15. de Consecrat. distinct. 1. Et refert *Azzor.* Institut. Moral. part. 1. lib. 10. cap. 26. in princip.; *Bonacin.* tom. 1. de Sacram. disput. 4. quaest. ultim. punct. 9. num. 9.; *Barbos.* de offic. et potest. Episcopi part. 2. allegat. 23. num. 1. et num. 4., ubi ait, quod per Concilium Tridentin. sess. 22. cap. unico de observan. et vitan. in celebr. Miss. sublata censentur omnia privilegia ante Concilium concessa favore FF. Minorum et Praedicatorum, nisi illa fuerint post Concilium confirmata.

Dignabuntur itaque EE. VV. sapientissime de more respondere:

I. *An licita sit celebratio Missarum in Oratorio, de quo agitur?* Et quatenus negative;

II. *An et quomodo sit providendum in casu?*

S. C. C. resp.:

Ad I.: Affirmative et amplius.

Ad II.: Provisum in primo.

Die 10. Martii et 28. Julii 1731.

Barchinonen.

An Atrio delitiosae Domus seu Turris Familiae de Fontaner constructum reperitur quoddam Sacellum seu Oratorium dicatum Immaculatae Conceptioni B. Mariae Virginis, Januam habens prope viam publicam et Campanile cum Campanula, ibique Sacrum Missae Sacrificium celebrari, SS. Eucharistiae Sacramentum decenter asservari et Christifidelium venerationi palam exponi consuevit. Ultra dictam publicam Januam aliam quoque particularem habet, per quam ex Portico domus accessus patet ad Capellam.

Anno 1712 Ignatius Fontaner dictae Domus Possessor, praevia licentia Ordinarii, illud in ampliorem formam redigi curavit, sed cum Sepulchrum quoque pro se suisque Descendentibus construi exoptaret, Parochus Ecclesiae S. Ginnesii (intra cujus limites situm est praedictum Oratorium) per iter unius horae valde asperum ab ea distans acrem controversiam promovit, non licuisse scilicet dicto Ignatio sine suo consensu Oratorium ampliare et reaedificare, ibique Sanctissimum recondere ac exponere minusque Sepulcrum construere; sed post passam ab eo contrariam sententiam res composita fuit de anno 1713 amicabili Concordia, in qua reservatis Parocho Jurisdictione aliisque Juribus Parochialibus, confirmata fuit ampliatio Oratorii, Sacrificii Missae aliorumque Divinorum Officiorum celebratio ac etiam SS. Sacramenti asservatio et expositio nec non retentio Campanae illiusque usus, prout in aliis Ecclesiis, et concessa insuper fuit facultas inibi construendi Sepulcrum gentilitium ac etiam fundandi Beneficia vel ecclesiastica Officia, prout eodem anno praedictus Ignatius autoritate Vicarii Generalis fundavit simplex Officium ecclesiasticum ad nutum amovibile, cum onere sex Missarum in hebdomada; et concordia ista approbata fuit nedum ab eodem Vicario Barchinonen. et Rmo tunc Hispaniarum Nuntio in actu stipulationis, sed etiam a Sacra Congregatione sub die 6. Septbr. 1726, expedito desuper Brevi Apostolico. Haec facti series eruitur ex Juribus pro parte Fontaner distribuendis.

Anno 1728 modernus Episcopus Barchinonen. in actu Visitationis duo condidit decreta, primum, quo mandavit, *ne in diebus festis ante celebrationem Missae in dicto Oratorio pulsaretur illius Campanula*, rejiciens etiam in suspensivo appellationem ab hoc decreto interpositam, et alterum, quo sub supposito, quod contraventum fuerit praedicto suo Mandato, inhibuit omnibus Presbyteris tam Saecularibus quam Regularibus, ne sub poena excommu-

nicationis Sacrum celebrare auderent in dicto Oratorio.

Adversus hujusmodi decreta recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem Joannes Antonius Fontaner actualis Patronus ac instat pro eorundem nullitate et injustitia ex pluribus fundamentis, adductis in scriptura ejus nomine circumferenda; audito Episcopo hic refert: praedictam ruralem Turrim fuisse antiquitus parvam Domum, cui adhaerebat ruralis Capella sub invocatione S. Mariae Magdalenae, quae de anno 1677 fuit benedicta, ibique Ordinarius Barchinonen. facultatem concessit celebrandi Sacrum, nec aliud privilegium aut praerogativa fuit attributa; et quod Turris praedicta postmodum de anno 1697 diruta fuit per Exercitum Regis Galliarum obsidentem Civitatem Barchinonen.

Subdit, quod anno 1700 praefatus Ignatius Fontaner integer ac dives Mercator, non tamen nobilis, dictam domum emit, eodemque anno Capellam restauravit sub invocatione Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, quae noviter fuit benedicta ac indulta dumtaxat licentia inibi celebrandi sine alia praerogativa, et in hoc statu permansit usque ad annum 1712; interea et circa annum 1708 idem Ignatius praefatam domum in ampliorem et sublimiorem formam reducere incepit cum delitiosa Villa ac pergrandi Atrio, Capellam quoque includente; et occasione, qua subinde ob aeris salubritatem ibi per aliquod tempus moram traxit Serenissimus Imperator cum Serenissima Imperatrice, praedicta Capella per accidens evasit Regia, ac in ea asservatum et expositum fuit SS. Sacramentnm variaeque ecclesiasticae functiones celebratae, cumque ad istum effectum illa exigua videretur, aliam novam et amplam Capellam intus Atrium Turris extruxit. Ex hoc desumens Relator, quod licet antiqua Capella foret publica, uti publicam habens Januam ad Agros, ista tamen noviter constructa uti undique Atrio circumclusa, privatum tantum Oratorium censenda est; nec ex actis Cancellariae constare ait, eam fuisse noviter benedictam et visitatam minusque de ulla fundatione beneficii; subdit etiam, in instrumento Concordiae, prout ibi jacet, nullum adesse verbum, per quod concessa dicatur Campanae elevatio, nec ante annum 1712 unquam ibi elevata extitit Campana; concludit demum, ipsum in postrema Visitatione vicinarum Parochiarum facta de anno 1728 invenisse gravem ignorantiam in populo, etiam circa prima erudimenta fidei; cumque istius originem non aliunde oriri agnoverit, quam ex eo, quod per celebrationem Missae diebus festis in saepedicto Oratorio et per pulsationem Campanae Parochiani, ut citius se expedirent a praecepto audiendi Sacrum, illuc accedebant, atque ita a propriis Ecclesiis, in quibus Doctrina Christiana explanatur, distrahebantur; hinc necessarium putavit, ut hoc malum everteret, praefatum decretum edere, ne ante celebrationem Missae dictis diebus pulsaretur Campana Oratorii, ut latius in dicta relatione circumferenda in Summario Promotoris Fiscalis, ubi plura alia recensentur contra exposita per Oratorem, et praecipue quod longe brevior sit distantia Oratorii a Parochiali, quam enarratur in precibus, nec via aspera sit.

Circa retentionem et pulsationem Campanae in Oratoriis, communis distinctio est inter Oratoria privata et publica, ut in illis minime retineri et pulsari possit, secus vero in istis, ut unanimiter Canonistae in *cap. patentibus, de privileg.* et late *Eminentissimus D. Card. Petra ad Constit. 2. Paschalis II. Section. prima n. 78. et per tot.* videndus ad materiam,

quam magistraliter de more examinat circa Oratoria publica et privata et super illorum signis.

Oratorio publico non repugnat, quod situm reperitur in Aula Baronis vel in Atrio Palatii, quando caetera signa publicitatis concurrunt, ut resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione in Compsana 31. Maii 1704 ad primum dubium lib. 54. fol. 216., ubi agebatur de Oratorio sito intra Claustrum Atrii Palatii dicato S. Joanni Baptistae habente Altare fixum marmoreum, Campanile cum Campana pro convocatione Populi ad audiendum Sacrum, ac in eo fundatum erat Beneficium Ecclesiasticum, pro quo exigebatur Procuratio pro Visitatione, ac etiam fiebat Officiatura per Clerum certis diebus Festis: dictaque resolutio transcripta reperitur apud Eminentissimum Petram loco citato num. 80. Imo disputatis in eadem Causa aliis duobus dubiis in Congregatione diei 8. Aug. 1705. Primo scilicet: *An aperiendum sit Ostium Capellae in Via publica vel potius removendae sint valvae impedientes ingressum in Atrium?* Et secundo: *An liceat Baroni per Palatium ad Ecclesiam descendere?* Responsum fuit ad primum: Negative; ad secundum: Affirmative in casu, de quo agitur, ut lib. 55. decret. fol. 292. terg.

Similis inspectio incidit in una Astunen., in qua Episcopus supposuerat Interdicta Oratorium publicum situm intra cortile Palatii cujusdam Magnatis, existimans, quod esset comprehensum sub prohibitione Concilii; Sacra Congregatio Episcoporum, ad quam habitus fuit recursus, proponente clar. mem. Card. Ferrario, sub die 20. Martii 1698 ita respondit: *Praevia remotione Valvarum impedientium ingressum in Cortile, vel aperto Ostio Oratorii in viam publicam et clauso omni aditu ab Ecclesia ad Palatium et interdicto incongruo usu Cubilis superioris, Episcopus procedat ad executionem Brevis, remoto interdicto:* ut habetur apud Monacel. tom. primo tit. 5. formul. 2. n. 7.

Quoad haec Oratoria publica facultatem habent Episcopi animadvertere et providere, ne per illa Populus nimium abstrahatur a Parochiali Ecclesia et sic incidat in ignorantiam circa credenda et observanda, ut optime observat Eminentissimus Petra loco cit. n. 69. Hinc quoties Populus accedendo in diebus Festis ad audiendum Sacrum in Oratorio publico, Verbum Dei non audit a Parocho, caret Cathechismo et Doctrina Christiana, ignorat Vigilias et Festivitates de praecepto et denuntiationibus matrimonialibus non interest; Sacra Congregatio interdixit celebrationem Missae in Oratorio publico diebus Festis de praecepto, excepto Festo S. Titularis. ut in Lucana Capellaniae diebus 7. Decembr. 1720 et 13. Septb. 1721 inter Summaria precum, confirmata postea in folio sub die 19. Septb. 1722, ut lib. 72. fol. 460. terg.

Advertendum tamen est, quod in hac Causa Lucana non agebatur de Oratorio jam erecto, sed erigendo ex voluntate Testatoris, qui mandavit in dicto Oratorio celebrari quotidie Sacrum. Et Episcopus una cum Parocho assentiebat erectioni sed modificate, dummodo Missae non celebrarentur saltem in diebus Festis ex causis supradictis. Et Sacra Congregatio indulsit facultatem construendi Capellam, cum hoc tamen, quod in diebus Festis diceretur Sacrum non in Capella sed in Ecclesia Parochiali.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere:

1. *An decreta lata ab Episcopo substineantur in casu?*

2. *An, quomodo et ad quem effectum liceat DD. de Fontaner retinere campanam in Capella, de qua agitur?*

S. C. C. resp.
ad 1.: Affirmative;
ad 2.: Licere juxta formam praescriptam et praescribendam ab Episcopo.

Die 28. Jan. et 28. Juli 1730.

Iterum proposito dubio S. C. C. resp.: In Decisis et removeantur januae atrii et amplius.

Die 30. Sept. 1730.

Augustana.

Baro Marquardus de Riedkiemp huic S. Congregationi exposuit, quod ipse cum ingenti sumptu et labore Pagum Stetten Augustanae Dioecesis e manibus Haereticorum vindicaverat, et in Capella, Januam in via publica habente, Imaginem Beatissimae Virginis collocaverat, quae ab habitatoribus ejusdem ad centum quinquaginta ascendentibus, qui in dies augentur, summopere colitur: cumque dictum Pagus Stetten a Parochiali Ecclesia in superiori Stosingen. media hora seu leuca germanica saltem distet, supplicavit, ut in dicta Capella possent Confessiones Sacramentales audiri a Capellano ab Ordinario approbando, ibique Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum conservari ac distribui, Verbum Dei explicari et aquas ac tempestates benedici, aliaque Parochialia munia inter Arcis dicti Pagi moenia exerceri, salvis tamen juribus Stolae proprio Parocho competen.

Auditus desuper Ordinarius omnia vera esse respondit, sed si gratia supra petita concedatur, fiet ut alii invitentur ad similia peragenda. Hinc S. Congregatio sub die 8. Julii 1726 rescripsit: ***Pro facultate ad decennium, dummodo Orator se obliget in forma juris valida ad manutenendum de proprio lampadem coram Sanctissimo Sacramento et dummodo praeceptum Paschale ab omnibus adimpleatur in Parochia;*** et deinde expeditum fuit Breve Apostolicum cum solita clausula: *Salva authoritate S. Congregationis.*

Cum autem Parochus suum consensum praestare renuerit, audito iterum Ordinario sub die 17. Aprilis 1728 rescriptum fuit: *In Decretis et praefigatur Parocho terminus ad sua jura deducenda in Sacra Congregatione* et ut facilius dictus consensus obtineretur vel suppleri posset per hanc Sacram Congregationem, ipse Ordinarius plures notavit conditiones ac modificationes tam quoad oblationes ac etiam quoad Verbum Dei, statutis tantum temporibus annunciandum; et similiter, quod aliae functiones per Ordinarium designentur ac juxta Populi indigentiam diminuantur, mutentur vel augeantur. Voluit itaque Sacra Congregatio haec omnia dicto Parocho nota fieri et sub die 23. Julii 1729 rescripsit: ***Episcopo pro nova informatione juxta instructionem,*** quae fuit: Ut Ordinarius, accersito Parocho, modificationes et restrictiones in ejus relatione expressas eidem insinuet et notificet, quod S. Congregatio gratiam ut supra concessam ad decenium restringere non dubitabit, quodque suas rationes S. Congregationi referendas coram ipso exponat vel in eadem S. Congregatione deducat, praefixo ad hunc effectum aliquo brevi et competenti termino.

Ordinarius retulit omnia adimplevisse, ac transmisit protestationem et rationes coram eo deductas, tam a Parocho, quam a Barone de Umbgeler dictae Parochiae asserto Patrono, se conquerentibus de praejudicio jurium Parochialium et respective Jurispatronatus; et insuper, quod praefatum Breve sit subreptitium, quia falso assertum fuerit, dictum Pagum Stetten, fuisse a Marquardo e manibus Haereticorum vindicatum, sed quod pro introducenda et conservanda in dicto Pago Religione Catholica multum elaboraverit dictae

Parochiae Patronus. Ulterius Sanctitati Suae subticitum fuerit, dictam Parochiam esse de Jurepatronatus laicali, cujus libertati plurimum repugnent insinuatae modificationes, illisque semper contradicent, prout etiam executioni dicti Brevis. His itaque ponderatis, S. Congregatio sub die 9. Sept. praeteriti demandavit, quod causa sub congruo dubio disputaretur.

Controverti non potest, quod in erectionibus Ecclesiarum et etiam in Ecclesiis jam erectis intra limites alicujus Parochiae nullum inferri debet praejudicium juribus Parochialibus, ut advertit *Eminentissimus Petra* ad Constit. Apostol. ad Constit. 2. Paschalis II. sect. 1. n. 69. Nam Parochus solus esse debet in tota Parochia in exercitio functionum parochialium, absque eo quod quisquam alius in illis se ingerat, nisi de ipsius Parochi licentia, *Innoc.* in cap. 1. de Parochis n. 3., ibique *Abbas* n. 7., *Pirching.* in jus Canon. lib. 3. tit. 29. n. 3 et seq. et pluribus relatis resolutionibus hujus Sacrae Congregationis *Pignatell.* consult. 103. n. 15. et seq. tom. 10.

In iis vero, quae jura Parochialia non concernunt, sed pertinent ad functiones mere sacerdotales, nullum jus habet Parochus, nec ejus requiritur consensus, licet Ecclesiae intra limites Parochiae sint erectae, *per Tex.* in cap. fin. de Off. Archidiacon.; *Abbas* in cap.: Ad audientiam lib. 1. n. 8. vers.: etiam nulla etc. de Eccles. aedific. et in cap.: Dilectus n. 11. vers.: Unde concludit, de Capell. Monach., ibique Innoc. n. 4. et Joannes Andreas n. 9. Quae autem sint jura Parochialia aut Sacerdotalia, late habetur apud Monacell. par. 2. tit. 13. formul. 1. a n. 46, ubi refert plures resolutiones Sacrarum Congregationum et signanter decreta generalia Urbis et Orbis edita a S. Congregatione Rituum anno 1703 et a Sanctissimo approbata.

Plures etiam adsunt resolutiones hujus S. Congregationis in similibus causis ut in Lunen Sarzanen. 19. Augusti 1690 ad 2. dub., in qua censuit in Oratorio Confraternitatum non posse retineri Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, nec illud exponi publice adorandum nisi de licentia Episcopi; neque posse Capellanos dictarum Confraternitatum in diebus Purificationis Beatissimae Mariae Virginis et Dominicae Palmarum facere benedictionem Candelarum ac Palmarum; nec etiam absque licentia Parochi in solemnioribus anni diebus canere et celebrare Missas et Vesperas solemnes. Et ad 3. dubium, nempe: *An Capellani dictarum Confraternitatum ministrare possint Christi fidelibus ad Ecclesiam confluentibus extra tempus Paschale Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae?* respondit: *Negative, nisi de speciali licentia Ordinarii.* Et die 13. Januarii 1691 reproposita eadem causa S. Congregatio stetit in decisis quoad alia dubia et ad dictum tertium dubium censuit: *Posse, accedente consensu Parochi* ut in lib. decr. 41. fol. 5. Haec decreta emanata in dicta Lunen. Sarzanen. fuerunt in omnibus approbata in alia Bononien. jurium Parochialium sub die 17. Novembris 1691 prout in d. lib. 41. fol. 268.

Jura Parochi seu Patroni non deducuntur, quamvis comparuerint in actis eorum Defensores; supplicantur itaque EE. VV. sapienter de more respondere: *An Literae Apostolicae sint exequendae etiam non accedente consensu Parochi in casu?*

S. C. resp.: Affirmative, juxta modum exprimendum ab Eminentissimo Praefecto.

Die 7. Apr. 1731.

2) Functiones cui competunt in eo?

Vd.: *Orator. publ.* (Celebr. missae, decr. *Augustana.*)

Comen.

(Conc. Tr. C. 13. S. 24.; C. 9. S. 25. De ref.)

Ab humanis decessurus Jo. Baptista a Turre haeredibus in suprema voluntate nuncupatis prae caeteris onus adjunxit, ut aedificari curarent ecclesiam in terra Mastenna sub invocatione S Jo. Baptistae eamque decenti ornatu perpetuis futuris temporibus providerent, in qua missarum sacrificia sub expressa quantitate operarentur fratres pro tempore commorantes in conventu S. Mariae Rozzonici, cui animarum cura incumbit; ipsis vero deficientibus facultatem fecit haeredibus eligendi sibi ipsis benevisum sacerdotem, qui onera injuncta exequeretur, ut latius ex documentis, quae in summario dabuntur. In obsequium piae hujusce dispositionis Andreas Trincanus oratorium publicum sive ecclesiam erigi curavit in praedicta terra Mastennae ejus jurisdictionali feudo, exindeque effusis precibus pro opportuna facultate idipsum oratorium aperiendi sub anno 1705 expeditum decretum obtinuit sine tamen praejudicio jurium parochialium, ea insuper adjuncta conditione: „ita tamen, quod oratorium praedictum semper sit parochiali suppositum et ab ea dependens liceatque parocho pro tempore in eo celebrare aliasque parochiales functiones ad ejus libitum voluntatis quandocunque exercere absque ulla prorsus contradictione et ad hunc finem ipsius oratorii alteram clavem habere debeat, ad formam constitutionis synodi VII. dioecesanae sub poena nullitatis praesentis concessionis et interdicti ipso facto ejusdem oratorii." Minus quidem placuit fratribus de Trincanis hujusmodi decretum autumantibus sibi ipsis valde obnoxium esse, praesertim quia jus parocho attribuitur exercendi in oratorio functiones parochiales alteramque clavem retinendi. At ejus praetensa jura contra protegente vicario curato praelibatae ecclesiae Rezzonici, intra cujus fines saepedicta ecclesia comperitur erecta, nuper deducta fuit hujusmodi controversia ad s. hanc congregationem. Hinc reportata episcopi informatione, qui votum suum in judicio EE. PP. reposuit, dignabuntur ipsi sapiens oraculum pandere super tribus concordatis dubiis:

I. An ecclesia sive oratorium publicum S. Jo. Baptistae situm in terra Mastennae de jure patronatus fratrum de Trincanis habeat dependentiam sive subjectionem tam in functionibus parochialibus quam non parochialibus ab ecclesia parochiali Rezzonici?

II. An liceat parocho ecclesiae Rezzonici independenter a patronis explere functiones parochiales in oratorio ad sui libitum iis invitis et quas?

III. An retentio clavis oratorii spectet solum ad patronos seu personam ab iis deputandam vel potius patroni teneantur tradere alteram clavem parocho?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

ad 2.: Negative;

ad 3.: Clavem retinendam esse a Capellano pro tempore, non autem a parocho, et amplius.

Die 9. Junii 1714.

Ad dubium: An parochus possit impedire celebrationem missarum sol. in Oratorio Confratern. Mortis loci Praedarii per annum sive pro vivis sive pro Def. etiam post missam parochialem?

S. C. C. resp.: Affirmative, nisi accedat licentia Episcopi.

Die 3. et 24. Septb. 1718 ad 4. *Novar.*

Melevitan.

(Conc. Tr. C. 1. S. 23. De ref.)

Recurrentibus festivitatibus titularibus Ecclesiae Beatissimae Virginis as-

sumptae nec non Ecclesiae S. Rocchi respective sub anno proxime elapso controversia invaluit inter Jo. Baptistam Sagnanum Rectorem Ecclesiae Parochialis Casalis Zebbug et Servientes sive Custodes jam dictarum Ecclesiarum, quibusnam eorum competeret electio sive deputatio Diaconi et Subdiaconi aliorumque Ministrorum, qui in Missis et Vesperis solemnibus in iisdem Ecclesiis celebrandis assistentiam praestare tenentur. Equidem Parochus ejusmodi jus sibi vindicat, tum quia memoratae Ecclesiae intra fines parochiales, ut inquit, jacent, neque Rectorem sive Beneficiatum proprium habent, sed tantum committuntur quorundam Ministrorum etiam saecularium custodiae, qui ab Episcopo deputari solent, cum etiam ex asserta pacifica observantia, quae omnia comprobantur, idem Rector inquit, ex processiculo in Curia Episcopali compilato in summario exhibendo. Contra vero insurgunt memorati Custodes, qui ex Episcopi electione id jus sibi ipsis asserunt, neque Rectorem extra propriam parochialem se ingerere posse inquiunt ex latius in summario adducendis. Hinc remissa hujusmodi causae decisione ad Sacr. Congregationem ab R. P. Auditore SS. D. N. proponitur infrascriptum dubium monitis partibus sapienter ab EE. VV. decernendum :

An electio et deputatio Assistentium pro Diacono et Subdiacono in Missis et Vesperis solemnibus, quae celebrantur in Ecclesiis B. M. V. assumptae et S. Rocchi sitis intra limites Casalis Zebbug, spectet ad dictum Parochum vel potius ad Servientes seu Custodes dictarum Ecclesiarum?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primum partem et negative quoad secundam.

Die 23. Febr. 1715.

Iterum proposito dubio S. C. C. resp. sub die 22. Junii 1715: *Praevio recessu a Decisis spectare ad Servientes.*

Ad dubium: An pro celebratione missae quotid. in Oratorio Hospitalis rurali B. V. M. pagi Peysei in ecclesiam erigendo et pro inserviendo dicto Hospitali liceat Communitati deputare Capellanum indepedenter a parocho?

S. C. resp.: Negative et Sacerdos deputetur ab Ordinario.

Die 22. Apr. 1719 ad 4 *Tarantas.*

Firmana.

Bernardinus Perozzi, Parochus Ecclesiae S. Mariae, et Joseph Campanella, Rector Parochialis SS. Joannis et Pauli Loci Rapagnani, exponentes in supplici libello, quem Sacrae huic Congregationi porrexerunt, se hactenus consuevisse solemnes quascumque functiones peragere non solum in Parochialibus suis Ecclesiis verum etiam in aliis omnibus intra earum limites existentibus, petierunt ab eadem Sacra Congregatione decerni, ut memoratae Functiones nonnisi ab Oratoribus etiam in Ecclesia intra fines suarum Parochialium a Sodalitate nuncupata del Suffragio recens constructa explendae sint, subindeque impetrarunt praeceptum, ne sacris Ritibus nova Ecclesia initiaretur, donec in hac re, quid juris fuerit, definitum esset.

Optantes itaque Confratres praedictae Societatis, qui Parochorum petitioni contradictores se praebuerunt, quantocius litem hanc dirimi, tametsi non inficientur, Ecclesiam suam intra limites dictarum Parochialium existere, quia tamen ex collectis Confratrum aliorumque Fidelium oblationibus erecta fuit in Solo a piis quibusdam Sodalibus eidem Confraternitati cesso atque donato, contendunt, Capellanos aliosque Presbyteros ab ipsis pro servitio dictae Ecclesiae deputandos libere et absque ulla Parochorum licentia in ea

posse Missas solemnes celebrare, publicae Fidelium adorationi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum exponere, Populo benedictionem elargiri nec non juxta facultatem ab Archiepiscopo tributam licere quoque Cadavera eorum, qui sepulturam ibidem elegerint, tumulare: Ideoque humillime postulant, ut quinque infrascripta Dubia omnes hasce controversias complectentia ab Eminentiis VV. sapientissimo, quo solent, judicio, decidantur:

I. An Sacerdotes deputandi ab asserta Societate Suffragii possint solemniter canere Missas in Ecclesia seu Oratorio sub titulo Suffragii absque licentia Parochi S. Mariae vel potius Missae solemnes, quatenus in dicta Ecclesia seu Oratorio canendae sint, celebrari debeant ab eodem Parocho, etiam invitis Confratribus?

II. An in dicta Ecclesia seu Oratorio exponi possit Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae adorationi cum sola licentia Ordinarii sine interventu Parochi praedicti? Et quatenus affirmative;

III. An eidem Parocho S. Mariae competat saltem jus benedicendi Populum cum Sanctissimo Sacramento in dicta Ecclesia seu Oratorio, etiam invitis Confratribus?

IV. An Parochus SS. Joannis et Pauli de consensu Parochi S. Mariae possit dictas functiones explere in dicta Ecclesia seu Oratorio, etiam invitis Confratribus?

V. An Cadavera Defunctorum tumulari possint in dicta Ecclesia seu Oratorio invitis Parochis, quatenus aliquis elegerit in eodem Oratorio tumulari in casu?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Affirmative quoad primam partem de licentia Episcopi, negative quoad secundam;

ad 2.: Affirmative;

ad 3. et 4.: Negative;

ad 5.: Affirmative salvis juribus parochialibus.

Die 12. Maii et 2. Junii 1736.

Asculana.

(Conc. Tr. C. 4. S. 24. De ref.)

Intra fines parochiae oppidi Acumuli situm est publicum oratorium sive ecclesia Deiparae Annunciatae sacra in villa Tini et ab ecclesia parochiali S. Laurentii mille circiter passibus distans. Certant inter se Josephus Moscatus parochus et Carolus Nicolaus Organtinus publici illius oratorii rector, cum parochus sibi licere putet functiones ad munus suum spectantes pro majori commodo gregis exercere, quotiescunque sibi libuerit, in eo oratorio, etiam sine assensu rectoris, qui id impugnat. Vicissim vero Organtinus rector contendit jure suo ad se pertinere certas functiones in eo publico oratorio sive ecclesia obeundas; idque negat parochus, ut ex dubiis mox subjiciendis deprehendi potest.

Parochus jus suum adstruit, ex quo publicum illud oratorium in ambitu paroeciae suae existat. Consuetudinem quoque ei favere affirmat Episcopus his verbis: „*Parochi ecclesiae S. Laurenti a tempore immemorabili tam occasione festivitatis quam funerum in eo oratorio exercuerunt et exercent omnes functiones ecclesiasticas; praesertim quia in dicto oratorio erecta reperiuntur nonnulla sepulcra.*“

At Organtinus praedictae ecclesiae sive publici oratorii rector objicit potissimum praerogativam exemptionis, propterea quod ecclesia illa fundata sit in solo basilicae Lateranensis. Tum et illud addit, functiones in controversiam venientes proprie non esse recensendas inter parochiales, nec in aliena ecclesia ad parochum eas privativo jure spectare.

Circa priorem articulum à S. Rotae auditorio definitum fuit, exemptionis privilegium a Bonifacio IX. concessum et a Xisto V. redintegratum, ad eas tantum pertinere ecclesias et capellas, quas demonstretur vere fuisse aedificatas in fundo antea spectante ad basilicam Lateranensem jure dominii, nec proinde convenire iis ecclesiis, quae post earum constructionem subjiciantur eidem basilicae cum annui tributi pensatione, ut videre est in dec. 228. n. 6. et seqq. et dec. 260. cor. emer. Jun. et in Squillacen. „Jurisdictionis super bono jure" 7. Junii 1723 cor. Lancetta.

Plura insuper ab hac sac. congregatione prodierunt decreta ad explicationem facultatis Episcopo competentis visitandi ecclesias in solo Lateranensi existentes vel sodalitia in eis instituta, ut in Mileten. „Jurisdictionis" 23. Aprilis 1701 lib. 51. Decret. pag. 208 et 13. Maji 1702 lib. 52. Decret. pag. 190 et 6. Octb. 1703 lib. 53. Decret. pag. 445, eaque etiam refert Monacel. formul. legal. tom. I. tit. 5. formul. 2. n. 3., tom. 2. tit. 13. pag. 57. n. 50.

Magis etiam proxime ad praesentem causam accedere videtur disceptatio olim habita in Regien. „Exemptionis." Cum enim rector capellae sive ecclesiae sanctissimo Crucifixo dicatae contenderet amplam ibi suffragari exemptionem tam ab episcopali quam a parochiali jure, propterea quod ecclesia collocata esset in fundo Lateranensi, sac. Congregatio die 21. Jun. 1698 decisionem suspendit, ut uberius doceretur dominium fundi vere spectasse ad eam basilicam, priusquam in eo aedificaretur ecclesia, quemadmodum deducitur ex folio congregationis habitae die 20. Sept. ejusdem anni 1698. Cumque deinde die 15. Nov. proposita fuissent haec dubia:

I. An capella seu ecclesia sanctissimi Crucifixi sit exempta a jurisdictione ordinarii? et quatenus affirmative;

II. An hujusmodi exemptio suffragetur etiam capellanis ejusdem ecclesiae in concernentibus administrationem sacramentorum?

III. An iidem capellani possint in dicta ecclesia divina officia et missas solemnes celebrare?

IV. An itidem cinerum, candelarum et palmarum benedictionem et distributionem explere?

V. An sacramenta confessionis et eucharistiae extra tempus paschale in eadem ecclesia omnibus administrare absque licentia parochi vel episcopi?

VI. An in dicta ecclesia asservari possit ss. Eucharistiae sacramentum?

VII. An dicti capellani possint peragere exequia et officium defunctorum cum stola super cadaveribus in eadem ecclesia tumulandis, absque consensu et licentia parochi, reservata tamen eidem parocho quarta funerali?

VIII. An licitum fuerit et sit episcopo confessionem interdicere eisdem capellanis semel ab ipso vel ad tempus vel in perpetuum approbatis?

Sac. Congregatio rescripsit ad I.: negative; ad reliqua: provisum in primo, ut in lib. 48. Decret. p. 522.

Generatim vero de functionibus, quas possit parochus explere in ecclesia intra fines suae paroeciae existente, invito etiam rectore ejusdem ecclesiae, vel quarum exercitium competat, sive non liceat rectori talis ecclesiae, videri possunt ea, quae referunt Pignattel. consult. 68. tom. 6., Fargna de jurep. tom. I. can. 4. cap. 9. per tot.

Huc quoque spectat resolutio edita in Comen. „Jurium parochialium", in qua ad haec dubia, videlicet:

I. An ecclesia sive oratorium publicum S. Joannis Baptistae situm in terra Mastennae de jurepatronatus fratrum de Frincanis habeat dependentiam

sive subjectionem tam in functionibus parochialibus quam non parochialibus ab ecclesia parochiali Rezzonici?

II. An liceat parocho dictae ecclesiae Rezzonici independenter a patronis explere functiones parochiales in d. oratorio ad sui libitum, iis invitis? Ad quas respondit sac. Congregatio die 9. Junii 1714, ad I.: affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam; ad II.: negative, ut in lib. 54. Decret. pag. 214.

Recentius vero in Thelesina „Anniversarii et missae solemnis" die 9. Febr. 1732 propositis his binis dubiis:

I. An celebratio missae solemnis pro defunctis cum anniversario in ecclesia S. Nicolai sita intra limites parochialis et collegiatae ecclesiae S. Martini civitatis Cerreti spectet ad Archipresbyterum et Canonicos dictae collegiatae, privative quoad omnes; sive potius ad capellanum dictae ecclesiae cum facultate assumendi in dicta missa et anniversario presbyteros sibi benevisos?

II. An celebratio missae solemnis cum primis et secundis vesperis die festo S. Nicolai spectet ad dictum Archipresbyterum vel potius ad capellanum dictae ecclesiae independenter et sine licentia parochi et cum facultate assumendi presbyteros, quos voluerit? Rescriptum fuit: Ad utrumque negative quoad primam partem et affirmative quoad secundam.

Ad rem itidem pertinent generalia decreta, quae anno 1703 promulgavit sac. rituum Congregatio circa similes quaestiones vertentes inter parochos et confraternitates, habentes publica oratoria sive ecclesias intra limites parochiae et praesertim ad dubium IV., X., XIII., XVI., XVII., XX., ut apud Monacell. Formul. for. eccles. par. 2. tit. 13. formul. I. pag. 1 et seq. Et cum iis decretis cohaerent quoque ea, quae haec s. Congregatio edidit in Bononien. 15. Maji 1728 ad dubium VI. et XIII., ut in lib. 78. Decret. pag. 235.

Dignentur itaque Eminentiae VV. declarare:

I. An liceat parocho ecclesiae S. Laurentii terrae Accumuli exercere omnia et quaecumque jura parochialia in publico oratorio beatissimae Annunciationis villae Tini sito intra limites dictae parochiae, privative quoad capellanum seu rectorem beneficii erecti in dicto oratorio?

II. An rectori dicti beneficii liceat celebrare festum beatissimae Annunciatae eademque die canere missam solemnem, sedes confessionales erigere, nec non sacramentum poenitentiae administrare seu administrari facere et indulgentias publicare, absque licentia, interventu et consensu dicti parochi?

III. An eidem rectori competat seu debeatur ulla portio tam cerae quam aliorum emolumentorum occasione funeris subditorum dictae parochiae, quos tumulari contingat in dicto oratorio, quacunque consuetudine non obstante?

IV. An eidem rectori debeantur oblationes seu eleemosynae colligi solitae in dicta villa Tini, seu in oratorio praedicto, an et valeat in illorum administratione se ingerere absque licentia et consensu parochi?

V. An idem rector teneatur permittere, ut parochus doceat in dicto oratorio doctrinam christianam vel possit hoc impedire?

VI. An constet de attentatis et quomodo sint purganda in casu?

S. C. C. resp.

Ad *primum:* affirmative; ad *secundum:* affirmative quoad celebrationem festi et missam solemnem eadem die, in reliquis vero negative; ad *tertium:* quartam funeralem dumtaxat competere parocho, reliqua vero emolumenta funeris spectare ad ecclesiam sanctissimae Annunciatae tumulantem quoad

eos defunctos, qui vel ibi elegerint sepulturam, vel ibi sint tumulandi in sepulchro majorum; ad *quartum:* affirmative quoad oblationes et eleemosynas in oratorio, ita tamen, ut ratio reddatur Episcopo et dictae eleemosynae vel oblationes convertantur in usum et cultum ipsius ecclesiae cum approbatione ejusdem Episcopi; ad *quintum:* arbitrio ordinarii; ad *sextum:* arbitrio eminentissimi praefecti et scribatur Episcopo: juxta mentem.

Die 8. Aug. 1733.

Hortana.

Cum intra fines parochiae oppidi Suriani plura sint publica confraternitatum Oratoria, rectores ejusdem parochiae insolidum, ut ajunt, animarum curam ibidem exercentes, occasione, qua sub annum 1736 in Oratorio confraternitatis S. Euthitii die festo S. Theresiae fuit a capellano celebrata Missa solemnis cum diaconi et subdiaconi assistentia, assertae consuetudinis praesidio suffulti coeperunt contendere, nullas posse in ecclesiis dictarum confraternitatum ab earum capellanis independenter a se et privative quoad ipsos functiones etiamsi non parochiales peragi, minusque licere praefatis capellanis missam solemnem in eisdem oratoriis celebrare.

Hanc itaque controversiam aliasque imposterum facile orituras dirimi cupientes dictarum sodalitatum praefecti supplicem supremo huic consessui porrexerunt libellum, quo post expositam suarum ecclesiarum a memorata parochiali independentiam multiplicesque parochorum, quibus vexantur, conatus petierunt declarari, licitum suis esse capellanis tum missas solemnes, assistentibus diacono et subdiacono, privative quoad eosdem parochos explere, tum praesentibus cadaveribus recitare officium defunctorum, missamque ad praescriptum ritualis ante ipsorum tumulationem canere; e contra vero nullum jus esse praefatis parochis quascunque functiones sive parochiales sive non parochiales et mere ecclesiasticas, inconsultis confraternitatum officialibus earumque capellanis in ipsorum oratoriis peragendi, ac praeterea non quaelibet intorticia nec ceras omnes, sed quartam funeralem dumtaxat parochis deberi, quotiescunque in iisdem oratoriis vel ecclesiis tum sodalium tum aliorum quorumcunque defunctorum cadavera sepeliri contingat.

Consentanee ad ejusmodi confratrum petitionem, receptis pridem episcopi literis, in quibus praemissae controversiae recensentur, quatuor subscripta fuere dubia, quorum decisionem inspectis decretis generalibus sacrae rituum congregationis, quae per extensum referuntur a *Monacell.* formul. for. eccl. part. 2. lit. 3. form. 1. p. 10 et seqq., quaeque saepius exornata fuere in magistralibus decisionibus sacrae Rotae in *Pacen.* funeralium 15. Maji 1723 cor. de Gamaches et novissime in Faventina „jur. parochialium“ 7. Martii proxime praeteriti coram reverendo patre domino vicecomite, nec non in pluribus foliis sacrae congregationis et signanter in *Asculana* „Jurium et sanctionum parochialium“ 8. et 29. Augusti 1733, in *Privernen.* „Aedificationis ecclesiae et jurium parochialium“ 24. Septembris 1735 et in Firmana „Jurium parochialium“ 2. Junii 1736, grave non erit EE. PP. edicere:

I. An in ecclesiis confraternitatum laicalium terrae Suriani expleri possint functiones non parochiales et signanter celebrationes missarum cum assistentia diaconi et subdiaconi independenter a parochis in solemnioribus earumdem ecclesiarum festivitatibus?

II. An in dictis ecclesiis possint parochi peragere functiones tam parochiales quam non parochiales, irrequi-

sitis officialibus et Capellanis dictarum ecclesiarum?

III. An Capellani dictarum ecclesiarum recitare possint Officium defunctorum et canere missam ad praescriptum ritualis, antequam sepeliantur cadavera illata in dd. ecclesiis, seu potius privative id spectet ad parochos?

IV. An occasione tumulationis defunctorum in dictis ecclesiis debeantur parochis omnia intorticia et cerae, seu potius debeatur sola quarta funeralis in casu?

S. C. resp.
ad 1.: Affirmative;
ad 2.: Negative;
ad 3.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;
ad 4.: Servetur solitum ad formam Constitutionis san. m. Bened. XIII.

Die 14. Junii et 5. Julii 1738.

3) Quod est Publicum?

Vercellen.

Episcopus Vercellensis occasione Visitationis Sacrorum Liminum, inter caetera exposuit, ut infra videlicet:

Unum aegre displicuit in Castro Catellengi Oratorium, quod, licet cunctorum Rusticorum pietati pateat, tamen intra moenia ipsius Castri soli Dominorum familiae inservit et continuo nocturno tempore etiam hisce diebus pacis clauditur janua, hoc addito, quod etiam in diebus festis solemnioribus a Sanctissimo exceptis, ut in Paschate Resurrectionis, Natalis Domini prohibet non cessare, renuente Parocho, immo post meam visitationem monitus nec acquievit Dominus Castri propria auctoritate nec non falsa professione male caepta prosequendo. Hunc in professione toleravi, donec infra tempus ei praefixum vel fidem faceret de facultate vel eam a Sanctissimo obtineret, abstinendo in talibus diebus solemnioribus ad praescriptum consuetae Concessionis; sed nulla obedientia.

Ad haec 30. Septembris dictum fuit: *Audiatur Pars,* et 15. Septembris 1674 Parti petenti Commissionem in personam Episcopi vicinioris fuit responsum: *Deducat omnino Jura sua coram Ordinario.* Coram eo itaque adduxit sex Testes annorum 45., 55., 65., 67. et 79., ex quorum dictis habetur, qualiter Oratorium, de quo agitur, est antiquissimum, situm est intra primam Castri portam omnibus commodum pro audienda Missa, ad illud e vicinis confluunt Habitatores, praesertim tempore excursionum militarium et absque dicto Oratorio plures ex vicina Parochia Missa destituerentur. In dicto Castro prius fuere decem focularia, licet nunc redacta sint ad duo. Oratorium est sacra Supellectili instructum, ab immemorabili nocte Nativitatis Domini celebrata fuit Missa solemnis, Episcopi antecessores illud visitarunt et in possessione reliquerunt, immo in eo R. P. D. Goria Sacramentum Confirmationis administravit, ab eo deducitur solemnis Processio, ac demum in eo reperitur erectus Prioratus confirmatus per sententiam Ordinarii Vercellen. de anno 1643.

Unde dicti Comites de Catellengo petunt, declarari dictum Oratorium publicum et licere in eo celebrare etiam in festis solemnibus, juxta solitum. Sacra etc. censuit Oratorium, de quo agitur, esse publicum. Die 3. Augusti 1675 *lib. 29. Decret. p. 124 a tergo.*

Die 28. Julii 1724.

Nitrien.

Comes Joseph Illeshazy intra Aulam sui Palatii in Oppido Dubnieza Dioecesis Nitriensis habet Oratorium, quod, praevia Episcopi licentia, aliquot ante annos fuit benedictum, deindeque ab Episcopo Dorensi Suffraganeo Archiepiscopi Strigoniensis juxta facultatem

sibi ab hodierno Episcopo Nitriensi tributam ecclesiastico ritu consecratum, ita ut pro anniversaria consecrationis die Indulgentiae a Sede Apostolica concedi solitae fuerint etiam impetratae.

At post aliquod temporis intervallum contendente Parocho memorati Oppidi, in praedicto Oratorio Missam celebrari non posse festis solemnioribus, nec pulsari Campanas existentes in Turri dicti Palatii, nisi fundus constituatur pro congrua sustentatione Capellani, qui ab eodem Parocho debeat dependere et nisi Turris pro Campanis ad usum Oratorii distincta a Turri Palatii supra idem Oratorium erigatur. Episcopus, ad quem controversia delata fuit, ut certior fieret de statu controversi Oratorii ejusque qualitate, Canonicum suae Cathedralis deputavit, qui, inspecto tam Oratorio quam loco, ubi illud erectum est, distincte retulit, idem Oratorium sacra supellectili abunde instructum, duobus Altaribus, Sacrario, Cathedra, Subselliis et Organo exornatum habere januam, per quam patet aditus non in viam publicam sed ad Atrium Palatii, quod est muris circumdatum, ita ut ingressus a via publica ad Oratorium non detur, nisi mediante Ostio praedicti Atrii, idemque Oratorium, licet separatum a cubiculis Palatii, habere muros, qui sunt iidem cum muris Palatii et ex Choro habere ingressum ad interiora Palatii cubicula.

Cum haec a Canonico accepisset Episcopus, quia nonnulli sentiebant, praedictum Oratorium esse publicum et licite consecratum, alii vero putabant, privatum esse, adeoque non potuisse consecrari, in hoc opinionum conflictu satius duxit, exposita facti serie mox recensita, Sacram hanc Congregationem consulere, a qua die 3. Apr. superioris anni rescriptum fuit: Episcopo pro nova informatione et signanter super circumstantiis ritus servati in asserta consecratione.

In executionem hujus Rescripti Episcopus Nitriensis literas dedit ad Episcopum Dorensem, qui controversam Capellam sacraverat, ejusque responsum in authentica forma transmisit hisce verbis conceptum: „Pro ejusdem informatione refero, me occasione consecrationis Capellae Comitis Illeshazy etc. (ne specifica quaeque recensendo sim onerosus) omnem omnino, quoad situs loci admiserat, ritum in Pontificali Romano de dedic. seu consecr. Ecclesiae praescriptum (cujus rubricas alias etiam, dum pro suffraganeali munere meo diversa saepius Pontificalia obeo, non modo quoad necessaria et essentialia, verum quoad convenientia etiam et consulta, quantum fieri potest, ex asse observare studeo) adhibuisse; praeterquamquod Capella praenotata intra muros Palatii seu Castelli existente, in quantum me situs ejusdem reflectere possum, adeoque circuitum haud admittente, Parietes ejusdem forinsecus non per totum circuitum sed anteriores tamen et posteriores in superiori parte juxta fundamentum et in medio ter aqua benedicta sint aspersae, intrinsecus per totum circuitum, ter ut supra aspersis, item quod duodecim cruces intrinsecus per circuitum, non ad quatuor parietas Ecclesiae seu Capellae ad dictamen Rubricae, verum Ara majore quartum occupante et tegente, ad tres nonnisi, quatuor pro quolibet sint depictae, quos quidem defectus ad esse consecratae et publicae, sensu meo, salvo saniore, officere posse non credo, postquam Ecclesiae non aspersionibus evaderent consecratae, secus etenim plurimae Ecclesiae etiam Parochiales actu cessare deberent esse consecratae. Porro ad ineundam deliberationem de eo, quod sit Episcopo super Dubiis mox subjiciendis rescribendum, cum neque

pro parte Comitis Josephi neque pro Parocho aut ullo alio quidquam in jure circumferatur, operae pretium erit nonnullas sacrae hujus Congregationis Resolutiones addere iis, quae ad decisionem hujus quaestionis late tradunt *Ricc.* decis. Cur. Archiep. Neapolit. 78. part. 1., *Ventrigl.* in prax. Eccl. part. 2. annot. 19. §. unic., *Amostaz.* de Caus. piis lib. 5. cap. 10., *Pax Jordan.* elucubr. can. tom. 2. lib. 7. tit. 8. n. 5., *Nicol.* lucubr. can. lib. 5. tit. 33. n. 7., *Pasqualig.* de sacrific. novae leg. tom. 1. quaest. 449., *Monacell.* in formular. legal. part. 1. tit. 5. form. 2. n. 6. et 7. et part. 2. tit. 13. form. 2. n. 41., *Ursaya* tom. 8. part. 1. discept. 13. et doctissime Eminentissimus *Petra* tom. 1. ad Constit. II. Paschalis II. sect. 1. n. 79.

In Vercellen. facti summa haec erat: Episcopus Vercellensis prohibuerat, ne diebus solemnioribus Missa celebraretur in Oratorio intra moenia Castri Catallengi existente; at Comitibus de Catallengo exponentibus, idem Oratorium esse sacra supellectili instructum, ab immemorabili tempore in eo nocte Nativitatis Domini pluries celebratam fuisse Missam solemnem, Episcopos Antecessores illud visitasse, in eo administratum fuisse Sacramentum Confirmationis et tandem publicum et liberum ad illud haberi aditum, cum nocturno tantum tempore clauderetur janua praedicti Castri, Sacra Congregatio die 3. Augusti 1675 respondit, Oratorium esse publicum adeoque licitum esse ibi celebrare festis etiam solemnioribus, ut in lib. 29. Decr. p. 121.

In Compsana Censurarum, cum Oratorium in Aula Palatii Baronis Castri Novi situm Ecclesiastico Interdicto fuisset suppositum nec non prohibitum, sacrosanctum Missae Sacrificium ibi celebrari, nisi doceretur de legitima facultate Apostolica, eo sub fundamento, quod ad ipsum publicus non patebat accessus ac intra septa Palatii positum existebat, ita ut privatum et non publicum dici deberet, memoratus Baro et Scipio ejus filius postulantes ab hac Sacra Congregatione, praedictum Oratorium publicum declarari, ostendere satagerunt, idem Oratorium habere fixum Altare marmoreum et Campanile cum Campana pro convocatione Populi ad audiendum sacrum, dicatum esse S. Joanni Baptistae, festum ejusdem Sancti Titularis solemniter celebrari cum totius Cleri assistentia, ibique erectum reperiri Beneficium sub eodem titulo S. Joannis Baptistae de jurepatronatus Baronum praefati Castri, necnon procurationem Episcopo dictum Oratorium visitanti persolutam fuisse. Disceptato itaque inter caetera hoc Dubio: „An interdictum emanatum per Visitatorem sub fundamento, quod Oratorium sive Capella, de qua agitur, sit privata et non publica, sustineatur in casu? die 3. Maji 1704 rescriptum fuit: Negative, — ut in lib. 54. decr. p. 216. Immo, reproposita Causa ad instantiam Episcopi Compsani existimantis, non convenire nec licere quod Atrium Palatii Baronalis pro libitu claudi posset, quodque per Palatium ad Capellam haberetur aditus, discusa fuerunt duo haec Dubia

I.: An aperiendum sit ostium Capellae in via publica vel potius removendae sint valvae impedientes ingressum in atrium?

II.: An liceat Baroni per Palatium ad Ecclesiam descendere in casu?

Die vero 8. Augusti 1705 responsum fuit: Ad I. negative. Ad II. affirmative in casu, de quo agitur — ut in lib. 55. Decr. p. 292.

In Nullius autem die 13. Januarii 1626 eadem Sacra Congregatio censuit: „Committendum esse Ordinario ut ibi Orator publico Instrumento se obligaverit semitam, qua itur ad Capellam, cuicumque liberam in perpe-

tuum servare, atque illius situs dominio ac juri efficaciter renunciaverit, declaret, Capellam ipsam non comprehendi in Decreto a Congregatione edito de privatis Oratoriis, petitamque celebrandi licentiam pro suo arbitrio concedat; ubi tamen prius dictam Capellam visitaverit, ac divino cultui peragendo aptam ac decentem esse compererit, atque ita ut nullum hinc praejudicium inferatur juribus Parochialis Ecclesiae", ut in lib. 19. Decr. p. 316.

Et consentanee ad haec in *Savonen.* disceptatis binis hisce Dubiis I.: An Aedes sacra S. Mariae de Areneto sit Ecclesia publica vel Oratorium privatum in casu? II. An constet de nullitate et injustitia Interdicti et respective suspensionis a divinis in casu? Die 28. Julii 1724 rescriptum fuit: Dilata et fiat Planta judicialis et addatur III. Dubium juxta mentem; — sed proposita Causa sub Dubio: An sit standum vel recedendum a decisis in casu? Die 9. Septembris ejusdem anni prodiit Resolutio: Praevio recessu a decisis quoad I.: Ecclesiam esse publicam, facta tamen declaratione a Senatore Imperiali per Instrumentum publicum, se nullum jus habere in Area sita ante Ecclesiam, nec non quod claves tam Ecclesiae quam Areae praedictae retineantur per Capellanum, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo, quod Area non gaudeat immunitate. Ad II.: affirmative et amplius, — ut in lib. 74. Decr. p. 355.

Caeterum, quia gravior circumstantia concurrens in hypothesi ea esse videtur, quod Capella, de qua agitur, consecrata fuit, ut supra dictum est, ab Episcopo legitimam ad id facultatem habente, propterea, si consecratio rite et valide expleta judicetur, perpendendum erit, num ista, praecisis etiam reliquis omnibus circumstantiis, sufficiat, ut Capella dicatur publica. *Hoc enim est praecipuum discrimen inter Oratorium privatum et publicum, ut primum sit absque Episcopi auctoritate erectum ad orandum tantum, secundum vero Episcopo auctorizante ad publicum cultum destinatum.* Can.: nemo, Can.: si quis etiam, Can.: placuit. de consecrat. dist. 1., Can.: quicumque 16. quaest. 1., *Fagnan.* in cap. auctoritate de censibus n. 1. et 2. et 17. et egregie Eminentissimus *Petra* in suis Commentar. ad Constit. Apostol. tom. 1. p. 391 n. 76. et seq. Omnibus itaque ponderatis, grave non erit Eminentiis VV. respondere:

I. *An constet. de valida consecratione Oratorii, de quo agitur?*

II. *An idem Oratorium sit publicum seu potius privatum in casu?*

S. C. C. resp. Ad I.: affirmative. Ad II.: affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam, imposita tamen obligatione Comiti Josepho restituendi apertas Fores Atrii de die et constituendi Capellam congrue dotatam.

Die 12. Febr. 1735.

Cf.: *Benedictio Oratorii et Eccles.; Tabernacul.; Missa in Coena D.; Anniversar.* (in Orator.); *Capella; Patronus princip.* (transl. decr. n. 4553 ad 5); *Dedicatio Oratorii; Officia hebd. s.* (decr. n. 4837); *Communio* (Ecclesia; decr. n. 4870); *Missa* (oblig. aud.); *Missa in Eccles. aliena* (decr. n. 4175, 4751): *Missa* (concord. cum Officio, decr. n. 4669, 5183); *Nativit. Dom.* (Celebratio in Sacello); *Communio* (frequens); *Indulg. Oratorii; SS. Sacram.* (asserv.)

ORDINANDI.

1) Epist. et Evang. legentes.

Vd.: *Epistola* (a quo etc.?); *Evang.* (a quo etc.?); *Evang.* (oscul. Episc. in ordinat.)

2) Genuflexio coram Episcopo.

Quando in conferendis Ordinibus adsunt Subd., Diaconi et Presbyteri, col-

locat Pontificale rom. Subdiaconandos coram Pontifice genuflexos et postea Diaconandos contra cornu Epistolae, Presbyterandos vero contra faciem Pontificis ad medium altaris. Quaeritur: an his accedentibus Presbyterandis, Subdiaconandi alium debeant petere locum? S. C. resp.: Posse Subdiaconandos statui contra cornu Evangelii. n. 2946 ad 4 die 19. Apr. 1681.

3) Prosternatio.

Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi pro Litaniis in conferendis Ordinibus prosternere debent. n. 2946 ad 4 die 19. Apr. 1681.

4) Qualitas.

Vd.: *Seminar.* (Epist. Bened. XIV.); *Ordinatio Debitoris; Ordinatio caeci.; Sacerdos.* (habitus etc.)

5) Vocandi ab Archidiacono.

Vd.: *Tonsurandi* (Vocatio.).

Pontificale praescribit quod completa Ordinatione Ordinati suggerente Archidiacono recedant ad loca sua. Quibus verbis uti debeat Archidiaconus in hisce occasionibus?

S. C. resp.: Ad loca vestra vel similibus.

Die 12. Novb. 1831.

ORDINATI.

1) Furtive Ordinati.

Vd.: *Ord. Min.* (Furt. Ord.)

2) Invite Ordinati.

Vd.: *Ordinat. ad Subdiac.* (Valide Ord., quamvis invite.)

ORDINATIO.

1) Altare.

Vd.: *Canonici Cath.* (assistent. in Ordinat.)

Giennen.

(Conc. Tr. C. 8. S. 23. De ref.)

Exortis nonnullis controversiis inter Episcopum et Capitulum Giennen. super modo celebrandi sacras publicas ordinationes concordata fuerunt dubia infra exponenda; cumque in ultima Congregatione habita die 28. Septembris 1726 Episcopus institerit pro aliqua provisione capienda et Capitulum protestatum fuerit, se nullam velle facere oppositionem, sed solummodo expectare responsum super dubiis jam subscriptis et infra referendis, praedicta die editum fuit sequens decretum: „*Episcopus celebret sacram ordinationem ad altare majus vocatis et praesentibus Canonicis et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro ea die transferatur ad aliud altare et missa solemnis ab Episcopo celebranda deservire possit pro missa conventuali.*“

Haec sunt, quae hucusque gesta sunt in hoc negotio. Ex juribus autem circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An Episcopus Giennen. vigore dispositionis sac. Concil. Trid. sess. 23. de ref. cap. 8. et constitutionis san. mem. Innocentii XIII. incipien. „*Apostolici ministerii*“ et alterius sanctissimi Domini nostri illius confirmatoriae possit vel debeat temporibus a jure statutis celebrare functionem ordinum generalium ad altare majus ecclesiae cathedralis? Et quatenus affirmative;

II. An occasione praedicta possit ibidem pontificaliter celebrare missam conventualem ad sabbatum designatam loco illius, quae celebrari a capitulo deberet cum assistentia omnium praebendatorum et aliorum de choro? Et quatenus negative;

III. An ob dictam functionem ordinationum in praedicto altari explen-

dam possit cogere Capitulum, ut horam consuetam pro horis canonicis et missa conventuali anticipet vel postponat, ita tamen, ut ultra horas debitas neutra ex dd. functionibus protendatur?

IV. An possit celebrare dictam functionem ordinationis ad altare majus, non obstante, quod juxta consuetudinem vigentem in omnibus cathedralibus in Hispaniarum regnis ad altare majus adsit tabernaculum, in quo asservetur sanctiss. Eucharistiae Sacramentum? Et quatenus negative;

V. An possit compellere Capitulum et Canonicos, ut pro explenda ordinatione aliisque functionibus pontificalibus transportari faciant SS. Eucharistiae Sacramentum ad aliud altare ecclesiae?

VI. An possit Episcopus impediri, quominus in dicto altari solemnem et generalem ordinationem faciat sub praetextu consuetudinis, ex quo nunquam in dicto altari per Episcopum facta sit celebratio ordinum? Et quatenus affirmative;

VII. An Episcopus teneatur praedictam functionem explere in aliqua ex capellis ecclesiae et quatenus capellae non sint capaces, teneatur illam explere in Sacristia? Et quatenus affirmative;

VIII. An in hoc casu possit Episcopus Capitulum cogere, ut anticipet vel postponat horam consuetam pro horis canonicis celebrandis, ne celebratio ordinum chorum impediat vel chorus ipsam ordinum celebrationem?

IX. An Episcopus ad formam supradictae conciliaris dispositionis sive ordinationem celebret ad altare majus ante vel post horarum celebrationem, sive ad aliquam ex capellis, sive in Sacristia Cathedralis, possit cogere integrum Capitulum et omnes Canonicos ad assistendum functioni ordinationis generalis et quibus poenis, seu potius contentus esse debeat assistentia illorum, qui in functionibus pontificalibus eidem Episcopo ex praescripto Caeremonialis vel ex consuetudine ecclesiae assistere debent?

X. An Episcopo accedenti ad ecclesiam Cathedralem pro explenda solemni ordinatione vel pro interessentia divinis officiis vel aliis quibusvis functionibus, sive associetur a toto capitulo, sive a solis duobus deputatis, debeat parari nedum faldistorium seu genuflexorium in loco, ubi Episcopus functionem facere seu eidem assistere debet, verum etiam aliud simile, etsi diversum in apparatu, ut, antequam ad sedem suam accedat, orare possit ad tabernaculum sanctissimi Sacramenti, vel saltem loco faldistorii seu genuflexorii parari debeat pulvinar cum tapeto, super quo orare possit, seu potius servanda veniat consuetudo, praesertim si sit immemorabilis, juxta quam Episcopo ad ecclesiam accedenti nec faldistorium nec pulvinar parari solet, super quo Episcopus oret antequam ad locum suum accedat?

S. C. C. resp.: Ad Dom. Secretarium cum SSmo juxta mentem.

Die 11. Jan. 1727.

Iterum propositis dubiis S. C. resp.

ad I.: Posse et debere nisi adsit rationabilis causa arbitrio Episcopi judicanda;

ad II.: Affirmative;

ad III.: Posse dummodo non excedat spatium unius horae ultra horas consuetas;

ad IV. et V.: Servetur Caeremoniale;

ad VI. et VII.: Satis provisum in primo;

ad VIII.: Satis provisum in tertio;

ad IX.: Dilata;

ad X.: Servetur Caerem. Ep. l. I. c. 12.

Die 2. Aug. 1727.

Tertio repropositis dubiis. S. C. resp.:
ad II.: In Decisis juxta resolutionem noni dubii;
ad III.: Praevio recessu a decisis arbitrio et prudentiae Ordinarii;
ad IX.: Posse cogi juris remediis integrum Capitulum unacum omnibus de Clero Cathedr., ut assistat Episcopo sol. cum cantu missam Ordinationum ad altare majus celebranti.
Die 19. Junii 1728.

2) Assistentia.

Vd.: *Diaconi assist. in eccles. Cathedr.; Canonici parati; Archidiaconus; Canonici Cathedr. assist. in Ordinationibus; Ordinatio* (altare, decr. *Giennen.*).

3) Caeci.

Vd.: *Sacerdos caecutiens.*

Pampilonen.

(Conc. Tr. C. 4. S. 23. De ref.)

Franciscus de Mencos y Ayanz claris ortus Parentibus in Civitate Tafalla cum adolescens literarum studiis se tradidisset, ex eorum fortasse intemperantia caecitatem fere penitus contraxit integris tamen manentibus oculis. Sed non ideo studia intermisit et aliena usus opera hausit per aures, quae haurire non potuit per oculos.

Itaque non mediocres fecit progressus, tum in sacra tum in profana historia: Catecheticam quoque doctrinam et mysticarum rerum cognitionem est assecutus; denique concinne cymbalissare didicit. Nunc eo clericali militiae adscribi cupiente Episcopus indolem hominis caeteraque virtutum ornamenta commendans ipsum putat dispensatione dignum, ut prima Tonsura initiari possit et ad Ecclesiastica Beneficia assequenda habilis reddi, affirmat quippe eum Officium Beatae Mariae Virginis et Officium Defunctorum recitare memoriter posse.

Hac itaque de re est nunc deliberandum. Certum sane est hominem tali corporis vitio laborantem esse irregularem, nec solum impediri, quominus promoveatur ad Ordines, sed etiam quin prima Tonsura initiari possit et Clericus fieri, ut docent *Praeposit.* in cap. fin. 55. dist. vers.: Oppono quod imo; *Geminian. et Turrecrem.* ibidem; *Fagnan.* in cap.: Cum contingat n. 116. de aetat. et qualit.; *Pignatell.* consult. 146. n. 7. tom. 8.; *Fermosin.* loco cit. n. 36.; *Bellet.* disquisit. Cleric. part. 1. §. 7. n. 21. et seq.; *Barbos.* de Episcop. part. 2. allegat. 42. n. 27. et 29.; *Rot.* decis. 625. coram Seraphin. Sed perpendi oportet: an dispensatio, qua indiget Orator, concedenda sit, cum agatur de promovendo, quem nulla necessitatis vel utilitatis ratio postulari videtur cooptari inter Clericos?

In antiquo Volumine Decretorum Sacrae Congregationis, quod extabat in Bibliotheca Cardinalis Panciatichi olim hujus Sacrae Congregationis Praefecti, reperitur illud, quod infra exscribetur:

„Cum quidam caecus musicae artis peritissimus vellet permutare Beneficia simplicia cum Canonicatu Cathedralis Legionen. instante etiam Episcopo et Capitulo et res Sanctissimo delata esset, ad Sacram Congregationem Concilii rejecit. Congregatio autem censuit admittendam esse permutationem; et si enim Cardinalis S. Xisti dixerit se vidisse denegari Beneficia etiam simplicia in Ecclesiis Collegiatis hominibus caecis per Signaturam Sanctissimi, unde tanto magis erat denegandum in Cathedralibus et in Canonicatu, qui requirit servitium quotidianum et praesertim post Concilium, cum non possit ad Sacros Ordines promoveri, nec musicam esse sufficientem causam dispensationis, cum Canonici non inserviant pro Musicis.

Tamen caeteri omnes dixerunt caecum obtinentem cum dispensatione simplicia Beneficia posse ea permutare cum Canonicatu Legionen. ad supplicationem Capituli, absque eo tamen quod caecus fieret Subdiaconus, attento quod praefatus caecus Musicam et liberalem artem callet, et in pulsandis Organis est valde peritus et totum Psalterium memoria tenet."

Praeterea in hac Sacra Congregatione fuit die 10. Maii 1732 inter summaria supplicum libellorum propositus casus de Clerico Faventino luminibus capto, qui fuerit praesentatus ad Beneficium Jurispatronatus suae Familiae, censuitque Sacra Congregatio gratiam ei concedendam, ut Beneficium illud posset obtinere, commutato onere recitandi Officium Divinum in alias pias preces arbitrio Episcopi. Sed ibi agebatur de adscripto ecclesiasticae militiae, antequam luminum expers factus fuerit, et dispensationem suadebat aequitas, ne Beneficium a majoribus suis fundatum obveniret extraneo.

Caeterum ne omittantur alia, quae hodiernae petitioni favere possent, animadvertendum occurrit, Franciscum non omnino inutilem Ecclesiae futurum; poterit enim Fidei elementa pueris tradere, poterit etiam Organa tractare in Divinis Officiis, poterit denique per integritatem morum piasque exercitationes aliis prodesse exemplo, quod esse veluti perpetuum quoddam praedicandi genus inquit Sacr. Concil. Trid. cap. 1. sess. 25. de Ref.

De Roberto Scoto ad Sacerdotium et Episcopatum evecto, quamvis caeco, haec habet Surius in historia sui temporis ad annum 1551: „Hoc anno obiit Robertus Mautop. Scotus Lutetiae Parisiorum. Is a puero caecus usque eo Parisiis in literis processit, ut Theologiae Doctor creatus sit. Inde Romae fit Sacerdos ac paulo post Archiepiscopus Armachanus in Hibernia, et postea sub Julio III. Legatus a latere. Interfuit quoque Synodo Tridentinae. *Et ex Surio idem refert Majol. de irregular. lib. 1. cap. 20. sub. num 2. his verbis:* omnibus memorabilior fuit Joannes Palestinus caecus, qui omnem sacram scripturam tenaciter memoriae ita servabat, ut publicis Conventibus in Ecclesiis ita referret omnia quasi ex libro ipso. Propterea quisquis caecus sit, si praedicationis causa velit promoveri, poterit Papa dispensare, ut et Sacerdos et Episcopus fiat: nam et si Sacerdotium in Sacramentis et Sacrificiis exercere non valeat oculorum defectu, Confessiones tamen et Praedicationem exercebit et jurisdictionalia: quod contigit Roberto Scoto caeco a puerili aetate, qui Parisiis Theologiam perdidicit adeo insigniter, ut Romae creatus Sacerdos et Archiepiscopatu Armacano in Hybernia et Legatione pro Julio III. fuerit perfunctus.

Hoc ipsum quoque memorat. *Barbos. de Offic. Episcop. d. part. 2. alleg. 42. num. 28.*, ubi praeterea habetur, Belgam quemdam a teneris annis oculolorum sensu destitutum, nihilominus in Parisiensi Academia floruisse et Monachorum Ordinis S. Benedicti atque etiam Diaconum fuisse.

Sed errasse Surium, qui caecum dixit fuisse Robertum Scotum, cum solum angusta ille fuerit et suppressa oculorum vi, notat *Spondan. ad annum 1546 num. 3.* Idemque confirmat *Card. Pallavicin. in Histor. Concilii Trid. lib. 6. cap. 5. circa fin.*, multoque etiam certius evincunt Legationes, quas ille a Paulo Tertio et Julio Tertio ad Caesarem et ad Galliae Regem accepit, antequam Tridentinae Synodo interfuerit.

At vero is, cui hebes vel obtusa sit oculorum acies, non est irregularis, ut advertunt *Fermosin.* in cap. 2.

quaest. 1. num. 34. de corp. vitiat., *Ugolin.* de irregularit. cap. 47. num. 5.

Dignentur itaque Eminentiae Vestrae deliberare:

I. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Oratoris ad suscipiendam primam Tonsuram?*

II. *An etiam sit habilitandus ad Beneficia simplicia cum commutatione Divini Officii in Officium Beatae Mariae Virginis?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 28. Martii 1733.

4) Cophtorum.

Vd.: *Ordinatio ad Subdiac. et Diaconat.* (Cophti); *Ordinatio Graecor.*

5) Debitoris (quondam uxorati).

(Non concessa.)

Atrien.

(Conc. Tr. C. 2. S. 21. De ref.)

Michael Graecus Terrae Silvi Dioecesis Atrien. post completum studiorum curriculum a suo recepit Ordinario primam Tonsuram et quatuor Ordines Minores; cumque spatio novem annorum in eo statu permanserit cupieritque ad Sacros Ordines ascendere et id obtinere non potuerit propter defectum Beneficii et Patrimonii, ad nuptias carnales convolavit et Mercatorem agere coepit, sed adversantem sibi passus fortunam, post nonnulla contracta debita, ut se ab imminenti carceratione liberaret, cessit bonis in Curia Laicali Neapolitana anno 1621, et sic quaecumque sua bona Creditoribus dimisit.

Anno 1722 Uxor Michaelis mortua est superstitibus duobus liberis; cumque praedictus Michael praevio decreto et Episcopi permissione clericalem habitum reassumpserit et a quodam pio Benefactore sufficientis Patrimonii constitutionem reportaverit, ut ad ejus titulum ad Sacros Ordines ascendere posset, suas Episcopo exhibuit preces pro Sacrorum Ordinum collatione et Episcopo excipiente, se dubitare: an ipse propter infamiam ex cessione bonorum resultantem irregularis effectus esset, quaedam ab eodem Michaele modestae querelae adversus Episcopi dubitationem Summo Pontifici in supplici libello expositae fuerunt, qui proinde earum examen ad hanc Sacram Congregationem pro voto remisit.

Juxta morem scriptum fuit Episcopo pro informatione, qui omnia confirmavit, quae in superioribus relata fuerunt, addiditque, se oraculum expectare hujus Sacrae Congregationis super scrupulo, qui sibi exortus est occasione petitae a Michaele promotionis ad Sacros Ordines, licet admittat, cessionem Bonorum factam fuisse absque ignominia et absque eo, quod cedens pileum viridem deportaverit aut aliud ignominiae indicium.

Pro Michaele facit dissertus *Textus in leg. Debitores, Cod. de quibus causis infamia irrogatur*, ibi: *debitores, qui bonis cesserint, licet ex ea causa bona eorum venierint, infames non fiunt*, ubi *Baldus* ait: *nota, quod cedens bonis non est infamis, licet in quibusdam locis ligetur ad columnam*, et sequitur *Scanarola* de Visitat. Carcerat. cap. 9. ante num. 9. fol. 522.

Idque si absolute et simpliciter procedit, a fortiori videtur procedere debere in hypothesi praesenti, in qua cessio facta supponitur absque ulla nota ignominiosa, juxta praxim Regni Neapolitani, uti testantur *Muscatell.* in praxi Magnae Curiae Vicariae super glossa detinebitur num. 78 et 79. *Rovit.* super pragmatica de cessione Bonorum 3. num. 7., unde communiter dicunt Doctores, quod, qui cesserunt Bonis, possunt ad Ordines promoveri, dummodo cessio non cedat in dedecus Ecclesiae, quemadmodum

concordantibus allegatis prosequuntur *Sairus* de censuris lib. 5. cap. 14. num. 11., *Castropal.* oper. moral. tom. 6. de censuris disput. 6. puncto 13. num. 10.

Asque eo, quod quidquam relevet, quod hucusque deducta pertinent ad infamiam juris et non ad infamiam facti, quando quidem infamia haec facti, quae ortum habet ab hominum opinione, non constituit aliquem irregularem, itaut in ejus sequelam ascendere non valeat ad Sacros Ordines, ut in durioribus terminis cessionis ignominiosae bonorum argumentatur *Diana* in edit. coord. tom. 5. tract. 5. resolut. 58. sub num. 4. ibi: *nec obstat, quod tales infames existimantur, nam ex opinione hominum non potest irregularitas induci, alioquin etiam Viri Nobiles recusantes acceptare duellum essent arcendi a Sacris Ordinibus tamquam Irregulares, ut plurimum, vel qui invenit sororem cum Amasio, et injuriam condonavit, non posset Ordinibus initiari. Igitur infamiam inflictam a legibus et non ex existimatione hominum dicendum est irregularitatem inducere.*

E contra adversus Michaelem facit, quod cedens Bonis si non de Jure, saltem de facto expositus est vituperio, adeoque *Hostiensis* in cap.: quidam sub num. 6. de Renunciat. ait: *si cessio effectum habeat, infamis videtur saltem de facto licet non de jure, quia dicunt homines, quod dissipator est, nec invenit de facili mutuantem*, et sequitur *Card. Tuscus* in verbo: cessio bonorum conclus. 217. sub num. 7. ibi: *licet non incurrat infamiam juris, tamen incurrit infamiam facti propter vituperium, quod fit cedenti;* in quo rerum themate sicuti dici posset cessionem cedere in dedecus Ecclesiae, quatenus cedens ad Sacros Ordines promoveretur, sic concludendum esse videtur, non debere eumdem Sacris Ordinibus initiari juxta auctoritates supra relatas.

Item cautum est in *cap. Odoardus de solution.*, quod Clericus propter debita non detrudatur in carcerem, nec excommunicetur, sed quod praestet idoneam cautionem de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit, nec ad effectum, ut Clericus ad dictum Beneficium admittatur, oportet, ut bonis cedat, ne videlicet ignominia characteri clericali irrogetur, ut in dicto cap.: Odoardus firmant *Abbas* n. 8., *Ancaran.* n. 7., *Fagnan.* n. 58. de solut., et late scribit *Bellet* disquisit. Cleric. part. 1. tit. de Clerico debitore §. 1. num. 35. Signum autem hoc esse videtur, quod cessio Bonorum ignominiam et infamiam importat, non solum juxta hominum opinionem sed etiam juxta sensum Ecclesiae.

Rursus, per cessionem Bonorum cedens a debitis non liberatur, sed si ad pinguiorem fortunam devenerit, tenetur ex bonis superventis satisfacere Creditoribus, quod absque dubio sibi vindicat locum, si cessio etiam cum ignominia facta sit, sed invitis Creditoribus, uti bene ponderat *Ursil.* ad Afflict. decis. 379. num. 5. in fine, vel quando, prout hic, cessio dicitur facta absque ignominia, uti late docent *Amostaz.* de causis piis lib. 7. cap. 7. num. 6., *Scannarol.* de Visitat. Carceratorum lib. 3. cap. 8. num. 7. et seqq., *Constantin.* ad Statutum Urbis tom. 2. annot. 50. art. 2. a num. 142 ad 148., idque facit, ut serio advertendum sit, an expediat Michaelem ad Ordines promovere propter periculum, quod Bona ipsi assignata titulo Sacri Patrimonii a Creditoribus occupentur, cum non solum fructus Patrimonii Sacri sed Beneficii et Praebendae possint a Creditoribus occupari, juxta *Textum in cap.: pervenit de fidei jussoribus*, dummodo id fiat in subsidium, hoc est in defectu bonorum propriorum Clerici,

et dummodo ex proventu Beneficii Clerico debitori Congrua relinquatur, juxta firmata apud *Salgad.* in labirinto Creditorum part. 1. cap. 42. num. 10.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: *An cessio Bonorum obstet Michaeli, quin ad Sacros Ordines promoveri possit in casu?*

S. C. C. resp.: Non esse promovendum.

Die 23. Juni 1725.

6) Defectus.

Vd.: *Ordinatio ad Presbyteratum; Diaconatus* (traditio libri Evang. decr. n. 4813); *Ordinatio ad Subdiacon.; Subdiaconat.*

7) Ad Diaconatum et Subdiaconatum.

Vd.: *Diaconatus; Subdiaconat.*; *Ordinatio ad Subdiac.; Ordinatio Graecor.; De Ordinatione ad Diacon. et Subdiac. apud Cophtos in aetate puerili* vd.: *Ordinat. ad Subd. et Diacon.* (Cophti).

8) Dies.

Cf.: *Ordinatio* (tempus); *Ordines minores* (temp. confer.); *Mandatum apost.*

Anicien.

Ut in pastorali suo munere exequendo Rmus Anicien. Ep. ea, qua decet reverentia, erga hanc S. Apost. Sedem incedat, S. R. C. humillime requisivit, ut declarare dignaretur: quid reapse intelligatur pro festis de praecepto, in quibus Ordinationes extra tempora expleri debent ab Episcopis, qui hac facultate pollent, et per consequens: an sibi liceat Ordinationem Clericorum perficere in festo S. Joannis Ap. et Ev., etsi in Gallia festum istud non sit amplius de praecepto? Humillimis hisce precibus per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis Emi et Rmi P. S. Ritibus tuendis praepositi, memores de anno 1831 pridie Id. Nov. S. ipsam C. in una Marsorum ad dub. I. edixisse, Ordines S. conferri posse in diebus Apostolorum caeterisque per Apostol. Sedem abrogatis ac in iisdem festis, verum de mane tantum conferri etiam posse Ordines Min., precibus memorati Ep. Anicien. rescribendum censuerunt: „Detur decretum in una Marsorum diei 12. Nov. 1831 ad dub. I.“

Die 18. Febr. 1843; n. 4953.

Ad dubium: Si Episcopo detur facultas conferendi Ordines Sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum caeterisque per Apostolicam Sedem abrogatis? hisce autem diebus licetne conferre etiam Ordines minores?

S. C. resp.: „Affirmative ad primam partem et etiam ad secundam, sed mane tantum.“ n. 4669 ad 1 die 12. Novbr. 1831.

9) In qua Ecclesia peragere debeat Episcopus Dioecesium unitarum?

Ad dubium: An ab Episcopo peragenda sint in civitate Tuscanen Pontificalia, Ordinat. et Consecrationes ss. Oleorum saltem alternative?

S. C. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo, decere interdum aliquas functiones pontifiales peragere in Cath. Tuscanensi.

Die 11. Jan. 1783 ad 3. *Viterbien. et Tuscan.*

Vd.: *Missae duae non sunt leg. ab uno Sacerdote eodem die*, t. II. p. 133 incipiend. a verbis: *Praeterea casum etc.*

10) Extra Ecclesiam.

Cf.: *Ordinat.* (missa); *Ordinat. priv. in Sabb. s.; Ordinans.*

Archiepiscopo (Avenian.) non licet s. generales Ordinationes extra Cathedralem peragere. n. 4193 ad 2 die 16. Sept. 1747.

11) Graecorum.

Vd.: *Ritus graecus* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis* §. VII.); *Ordinatio ad Subdiac. et Diacon.* (Cophti).

Benedictus PP. XIV.

I. Romani Pontifices Praedecessores nostri necessitatibus *Italo-Graecorum* occurrere volentes, ut commode possent a proprii ritus Praesulibus ad Ordines promoveri, simulque caventes, ne, si ab Ordinariis Latinis ad Graecos Antistites in Graeciam vel Epirum aut alias Orientis partes cum dimissoriis remitterentur, ad Schismaticos Episcopos pro ordinatione confugerent, constituerunt: *Clemens quidem VIII. anno 1595:* Romae habendum esse Episcopum Graecum Catholicum, qui Graecos Episcopis Latinis Italiae et adjacentium Insularum subjectos Sacr. Ordinibus initiaret; *Clemens vero XII. anno 1735:* ut Italo-Graecorum in utraque Sicilia commorantium commodis consuleret, alterum ejusdem Graeci ritus Episcopum in Seminario Corsino a se in Calabria erecto propter Graecorum hujusmodi Ordinationes manere jussit, quorum laudatissimum Institutum Nos quoque per praesentes nostras perpetuo valituras Literas confirmamus et innovamus.

II. Ne quis Clericus saecularis ritus Graeci, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum ecclesiasticum Beneficium vel Patrimonium, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere: ac propterea deficiente titulo Beneficii per legitima documenta Ordinarium suum certiorem reddere debet de sufficienti Patrimonio, ut valeat Sacris Ordinibus initiari: loco autem dicti Patrimonii nec Clericus Uxoris suae dotem assignare praesumat nec Ordinarius eam recipere audeat.

III. Quemadmodum etiam nemo ex Graecis seu Albanensibus in Calabria et Sicilia commorantibus ad sacra ministeria assumatur, qui trium saltem annorum spatio Graecis Latinisque literis non dederit operam in altero ex Seminariis Italo-Graecorum vel in Collegio Graecorum in Urbe.

IV. Promovendi ad Sacerdotium et Presbyteri, qui praeficiendi fuerint Ecclesiarum Regimini, examinentur antea diligenter, si praecipue de Horis Canonicis et Missarum Officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, ut ad haec nonnisi digni admittantur:

V. Sacerdotes et quicumque sunt in Sacris Ordinibus constituti Horas Canonicas more suo dicant: et priusquam Missam celebrent, Officium matutinale recitare curent.

VI. Episcopi Graeci in Ordinibus conferendis ritum proprium Graecum in Euchologio descriptum servent, in quo, etsi nonnulli de Minoribus Ordinibus praetermissi videantur, eos tamen vel nunquam habuisse vel eorum exercitium aliis Ordinibus esse adnexum iidem Graeci affirmant.

VII. Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum Ordines supplendi sint ab eo, qui primum ritu Graeco aliquibus Ordinibus fuit initiatus, deinde ritu Latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitus tollamus certamque tradamus regulam in posterum servandam, ita decernimus: si quis ritu Graeco Clericus et Lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut majores Ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos debet ritu Latino suscipere. Si vero praeter Lectoris Ordinem ad Subdiaconatum etiam Graeco ritu ascendit et ex dispensatione itidem Apo-

stolica facultas sibi facta sit caeteros Ordines ritu Latino suscipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorcistatum tantummodo supplere cogitur, cum per Subdiaconatum Graeco ritu collatum Acolythatum et Ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus Diaconatum aut etiam Presbyteratum graece suscepit, et Latino postea ritu ad Sacrum Presbyteratus respective Ordinem aut Episcopatum promovendus sit ex Apostolica concessione: nimirum Exorcistatus Ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur aut Episcopus consecretur, esse supplendum.

VIII. Graeci sine literis dimissoriis Episcopi Latini Dioecesani nullatenus ad primam Tonsuram vel aliquem Ordinem recipiendum admittantur.

IX. Promoti ad primam Tonsuram vel ad alium quemcumque Ordinem sine Dimissoriis Latini Ordinarii suspensi sint; et si suspensi in Sacris Ordinibus ministraverint efficiuntur irregulares, sicut et Latini.

X. Super hujusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a S. Sede Apostolica obtineri oportet.

XI. Non sunt admittendi Episcopi schismatici sive pro Ordinibus sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed impediendi, quoad S. Sedes Apostolica desuper consulatur et responsum habeatur.

XII. Quos vero communionem S. Romanae Ecclesiae habere constiterit, eis Pontificalia exercendi facultatem Ordinarii Latini in suis Dioecesibus libere concedere possunt.

XIII. Ordinati ab Episcopis schismaticis alias rite ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

XIV. Proinde ipsi Ordinati ab Episcopis, correcti vel emendati reconciliandi sunt et absolvendi cum poenitentiis salutaribus, dummodo errores, si quos amplexi fuerint, sin minus Schisma Ordinatoris abjurent in judicio vel publice vel secreto pro qualitate facti.

XV. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate, hujusmodi occasione contracta, auctoritate S. Sedis Apostolicae fuerit dispensatum.

XVI. Cum ex Ecclesiae disciplina a Graecis olim recepta promoti ad aliquem Ordinem Sacrum, si per aliquod temporis intervallum in eo non fuerint versati, ad altiorem gradum ascendere non possint, quo nimirum Ordinandorum fides morumque probitas eo temporis spatio cognosci valeat, qua lege Graeci seu Albanenses in Italia et Insulis adjacentibus commorantes dubio procul tenentur: nihilominus cum praedicti Graeci seu Albanenses Ordinarios suos, quibus subjiciuntur, habeant latinos, a quibus tanquam alieni ritus sacris Ordinibus initiari prohibentur; ac proinde cum Romam vel in Calabriam, ubi sunt Episcopi a S. Sede Apostolica ad Ordinationes ritu Graeco exercendas deputati, repetitis vicibus, non sine quamplurimis incommodis et expensis, ad Sacros Ordines juxta temporum intervalla suscipiendos sese conferre deberent, Nos eosdem Graecos seu Albanenses gratiis et favoribus prosequi eorumque incommodis consulere volentes, de Apostolicae plenitudine potestatis, praefatis Episcopis Graecis Romae et in Calabria pro tempore degentibus, licentiam et facultatem impertimur, ut Graecos seu Albanenses hujusmodi ex longinquis regionibus accedentes, qui minoribus seu majoribus Ordinibus initiari cupiunt, ad omnes Ordines promovere in posterum valeant tribus diebus festivis, non autem continuis, sed aliquo

temporis intervallo Antistitis ordinantis arbitrio separatis, non servata Interstitiorum lege, nec requisita ad hoc ab iis, qui initiantur, suorum respective Ordinariorum Latinorum licentia sive dispensatione.

XVII. At cum illis Graecis seu Albanensibus, qui domicilium habent seu alias commorantur in ea Provincia, in qua Episcopus ritus Graeci solet sacras ordinationes exercere, ad quem propterea sine gravi incommodo per temporum intervalla accedere possunt, ab interstitiorum lege minime dispensamus, praeterquam cum Alumnis et Convictoribus ritus Graeci Collegii Graeci Urbis et Italo-Albanensium in Calabria et Sicilia, si eorumdem Collegiorum necessitas vel utilitas, arbitrio S. R. E. Cardinalis Administratoris et Protectoris praefati Collegii Graecorum Urbis et Episcopi praesidentis seu Rectoris utriusque Collegii Italo-Albanensium praedicti respective pro tempore existentium exegerit, ut praefati Alumni et Convictores absque temporis intervallo tribus diebus festivis, non tamen continuis, ut praefertur, ad Ordines promoveantur; quo casu eos sic initiari posse plenam facultatem facimus atque concedimus.

XVIII. Illis autem, qui non servata Interstitiorum lege, sunt hactenus bona fide ordinati, ex Apostolica benignitate etiam concedimus, ut in susceptis Ordinibus ministrare et ad majores etiam servatis servandis ascendere absque alia dispensatione valeant.

XIX. Quod tamen *de aetate* Ordinandorum a Sacrosancto Tridentino Concilio praescriptum est, omnino servari volumus. Nullus proinde ex praedictis Graecis seu Albanensibus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum suae aetatis annum absque Apostolica dispensatione promoveatur. Praefatorum autem Graecorum Praesulum conscientiam oneramus, ut dignos dumtaxat, et quos literis et iis, quae ad Ordines exercendis pertinent, bene instructos esse noverint, ad sacra ministeria assumant.

XX. Ut in Ordinibus conferendis quaelibet rituum confusio et commixtio penitus tollatur et unius ritus Antistes alterius ritus Clericos initiare in posterum minime valeat, sub perpetuae suspensionis a Divinis poenis prohibemus, ne Latinus quicumque Episcopus etiam subjectos suae jurisdictioni Graecos, neque Graecus quilibet Antistes Latinos quovis praetextu, sine speciali Sedis Apostolicae licentia ad primam Tonsuram vel unum Ordinem sive minorem sive majorem promovere praesumat; alioquin tam Ordinans quam Ordinatus perpetuam, ut praefertur, suspensionem se subituros intelligant.

XXI. Maxime autem neque permittendum neque ullo modo tolerandum, ut Latini ex Latinis progeniti ac latino ritu educati, qui continentiam profiteri nolunt, juxta ritum Graecum, sub spe retinendi Uxores, ad Sacros Ordines a quocumque Antistite quavis auctoritate fulgente promoveantur tam in locis, in quibus non sunt Populi Graeco ritu viventes, sed Latini, quam in locis, in quibus sunt Populi, qui a Graecis antiquitus fuerint oriundi seu a Graecis originem ducant vel alias retroactis temporibus ritum Graecum servaverint, seu apud illos vel in eorum aliquibus Ecclesiis ritus hujusmodi ab antiquo hactenus fuerit observatus.

XXII. Cum iis tamen Italo-Graecis, qui ad hanc diem vel propter antiquam consuetudinem vel propter quaedam sibi, ut ajunt, a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessa privilegia, quibus permittebatur Episcopis Latinis, ut Graecos sibi sub-

jectos vel ipsi ordinarent seu ab aliis tam Graecis quam Latinis Episcopis ordinari facerent, ab Episcopis Latinis bona fide et absque dispensatione Apostolica ad clericalem Tonsuram vel minores seu majores Ordines sunt promoti, cum animo tamen proprium Graecum ritum retinendi et absque actuali Latini ritus in susceptis Ordinibus exercitio, per praesentes nostras hac vice tantum dispensamus, ut eis liceat in suo Graeco ritu permanere, in eoque ad ulteriores Ordines (dummodo per suum Ordinarium approbati fuerint) a Graeco Episcopo promoveri: per easdem nostras expresse prohibentes, ne quid hujusmodi de caetero vel a Graecis ipsis vel a Latinis Episcopis inconsulta S. Sede attentetur.

XXIII. Insuper ut omnibus circa praefatas Italo-Graecorum hujusmodi per latinos Praesules ordinationes controversiis ac dubiis opportuna ratione obviemus, hac nostra Constitutione decernimus et declaramus, quod, si Episcopus Latinus sive Ordinarius Italo-Graecis primam Tonsuram vel Ordines minores ritu Latino conferat, cum dispensatione Apostolica, ita ut Ordinati ab illo in suo Graeco ritu ministrare debeant (quod ex defectu Graecorum Praesulum per Sedem Apostolicam concedi solet), licite possit idem Latinus Ordinarius literas dimissoriales Italo-Graecis hujusmodi a se vel ab alio Latino Praesule, ut praemittitur, Ordinatis concedere, ut ad Sacros Ordines Graeco ritu absque alia dispensatione Apostolica promoveantur.

XXIV. Si vero absque Apostolica dispensatione Italo-Graeci hujusmodi a Latino Episcopo ad aliquos Ordines ritu Latino promoverentur (id, quod illicite tam ab Ordinante quam ab Ordinatis fieret, utpote huic nostrae Constitutioni contrarium), Graeci Clerici hujusmodi sic latino ritui alliguntur, ut ab eo ad Graecum redire amplius non liceat sine Apostolica dispensatione, neque Latino Episcopo seu Ordinario amplius fas sit Graecum Clericum a se, ut praemittitur, Latino ritu in minoribus Ordinibus constitutum, cum literis dimissorialibus ad Graecum Antistitem remittere, ut ab eo ad Sacros Ordines graece promoveatur sine dispensatione Apostolica, sed debeat illum potius, siquidem idoneum judicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione vel ipse ritu Latino ordinare vel ab alio Latino Praesule ordinari facere. A ritu enim latino ad Graecum, ut praediximus, nec transire nec redire fas est absque dispensatione Apostolica.

XXV. Hinc eaedem literae dimissoriales potiore jure denegandae sunt Italo-Graecis, qui, quamquam baptizati ritu Graeco, non modo primam Tonsuram et minores Ordines latino ritu susceperunt, sed etiam latine vixerunt, et postea ad majores Ordines ritu graeco provehi cupiunt: nam Latinus ritus semel assumptus, ut praefati sumus, absque speciali Sedis Apostolicae auctoritate deseri nequit: ut igitur Italo-Graeci hujusmodi ad ritum Graecum redeant, indigent Apostolica dispensatione; ut vero ad majores Ordines ritu latino ascendant dispensatione non indigent.

XXVI. Etsi expetendum quam maxime esset, ut Graeci, qui sunt in Sacris Ordinibus constituti, castitatem non secus ac Latini servarent: nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri Uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante Sacros Ordines, Virgines, non Viduas neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui Viduam vel corruptam duxerunt, vel ad secunda vota, prima Uxore mortua, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyterum promoveri omnino prohibemus.

XXVII. Praeterea si quis Subdiaconus, Diaconus vel Presbyter post Sacram Ordinationem, Uxore mortua, aliam duxerit, vel si Uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena aliisque nostro et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis severissime punietur; verum etiam statim ab Ordine erit deponendus et ab illegitima Uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos Ordines contractum nullum irritumque declaramus.

XXVIII. Presbyter Graecus conjugatus, antequam ad Sacrum Sacrificium seu sanctam Missam celebrandam accedat vel per hebdomadam vel per triduum ab Uxore curet abstinere.

Constit. Bened. XIV. 26. Maii 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 98).

Pius PP. VI.

Commissa Nobis divinitus ecclesiarum omnium sollicitudo postulat, ut quae a praedecessoribus Nostris vel instituta vel incoepta sunt ad orthodoxae religionis uberiorem progressum, praesidium et decus libenter confirmare servareque conemur, et, quantum in Domino possumus, ad optatum exitum perfectionemque deducamus.

Cum itaque, sicut ex indubiis monumentis accepimus, venerabiles fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negotiis propagandae fidei praepositi usque ab anno 1718 instantibus alumnis collegii Graecorum de Urbe aliisque piis viris ac religiosis in animum habuerint consulere spiritualibus indigentiis Italo-Graecorum seu Albanensium, quorum maxima copia est in regnis utriusque Siciliae et in Calabria praesertim, titularem ibi Archiepiscopum seu Episcopum iis in locis constituere, qui nonnullis abusibus in Graecum ritum invectis salutaria compararet remedia omniaque ad pristinum nitorem constitueret eosdemque Italo-Graecos seu Albanenses Graecarum literarum sacrarumque caeremoniarum proprii ritus omnino expertes instrueret et ad sacros Ordines promoveret.

Cum proinde fel. rec. Clemens PP. XII. praedecessor Noster in Bisinianensi dioecesi seminarium seu collegium ecclesiasticum Corsinum nuncupatum pro certo puerorum Italo-Graecorum in illo instruendorum et alendorum numero perpetuo erexerit dotaveritque, deinde vero ejusdem collegii regimen et administrationem perpetuo commiserit Antistiti Graeci ritus in partibus infidelium, quibusdam ei attributis facultatibus, illaque inter caeteras, ut Antistes praedicti collegii praeses pro tempore existens in ejusdem collegii ecclesia omnia et singula pontificalia exercere posset, et ad sacros ordines promovere non tam dicti collegii alumnos quam alios quoscumque Italo-Graecos utriusque regni Siciliae citra et ultra Pharum incolas, prout in decretis praedictorum venerabilium fratrum Nostrorum die 23. Decembris et 4. Februarii 1735 ab eodem Clemente Praedecessore Nostro confirmatis duabus apostolicis literis in forma Brevis, alteris sub datum 4. Idus Junii 1735 incipientibus „*Superna dispositione*", alteris sub datum pridie Kalendas Aprilis 1736 incipientibus „*Provida pastoralis officii*" latius uberiusque continetur.

Cum autem praecipua ratio, quae laudatos viros venerabiles fratres Nostros eumdemque fel. rec. pontificem Clementem Praedecessorem impulit, ut Antistiti Graeci ritus in praesidem memorati collegii in eadem Bisinianensi dioecesi sic electo et constituto mox expressam tribueret facultatem pro cunctis Italo-Graecis in utraque

Sicilia degentibus, in hoc versetur, ne juvenes Italo-Graecae gentis hujusmodi pro dictis sacris ordinibus accipiendis incommoda et expensas amplius subire tenerentur accedendi ad Urbem Nostram ibique ab Episcopo Graeci ritus ad id muneris explendum per sanctam Sedem constituto eosdem ordines suscipere juxta praxim ad illud usque tempus servatam et ad formam constitutionis fel. rec. PP. Urbani VIII. Praedecessoris itidem Nostri desuper editae, cui quoad hoc Clemens praefatus XII. expresse et specialiter derogavit, reliquum erat, ut quemadmodum hujusmodi Graeci Antistitis in Bisinianensi dioecesi perpetuo residentis deputatione consultum fuerat Graecorum in Calabria degentium commodo et emolumento, ita quoque deputatione alterius Antistitis titularis ejusdem Graeci ritus, qui in Sicilia ultra Pharum residens Italo-Graecis eam insulam incolentibus sacros ordines conferre valeret cum literis dimissorialibus Ordinariorum respective suorum, eorumdem in eodem Siciliae regno atque insula commorantes aegreque ferentes pro sacris ordinibus suscipiendis longum aerumnosumque aggredi iter accedendi vel ad hanc Nostram Urbem vel ad Bisinianensem dioecesim, ubi unicus degit Antistes Graeci ritus, jamdiu vehementer optabant, id nuperrime sunt consecuti pietate ac munificentia charissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi utriusque Siciliae regis, qui ut facilius a Nobis obtineret deputationem alterius Antistitis titularis Graeci ritus in Sicilia ultra Pharum perpetuo permansuri, ibi sacros ordines collaturi hominibus ejusdem ritus eam insulam incolentibus cum literis dimissorialibus respectivorum Ordinariorum, rogavit, ut eidem Antistiti pro tempore existenti pro ejus congrua juxta pontificalis dignitatis existentiam, sustentationem, abbatiam s. Mariae de Gala sui regii patronatus perpetuo addiceremus, quam nunc obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta in commendam ad sui vitam ex regia nominatione nec non ex concessione et dispensatione apostolicis praedicto Antistiti Graeci ritus, ut praefertur deputando, donec eadem abbatia vacare contigerit, administrationem et redditus vacantis beneficii sancti Pancratii Latini ritus interea a Nobis assignari posse consentit.

Nos igitur, qui et piissime praedicti regis voluntati obsecundare et quam plurimis incommodis atque expensis hactenus importatis per defectum Antistitis Graeci ritus in Sicilia ultra Pharum residentis dilectis filiis Italo-Graecis in eodem regno commorantibus sacris ordinibus initiandis parcere vehementer cupimus, motu proprio auditoque etiam consilio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium praefatae Congregationi de Propaganda fide per dilectum filium Stephanum Borgia ejusdem Congregationis Secretarium exhibito Antistitem Graeci ritus in partibus infidelium, qui apud Ecclesiam sibi commissam impia eorumdem infidelium sic cogente tyrrannide personaliter residere non valens in regno Siciliae ultra Pharum resideat ibique Italo-Graecis ejusdem regni incolis dimissoriales suorum respective Ordinariorum literas sibi exhibentibus sacros ordines in ecclesia S. Demetrii loci vulgo della Piana Panormitanae dioecesis absque ulla Ordinarii ejusdem loci Archiepiscopi, nempe Panormitani licentia, in aliis vero ecclesiis tum Panormitanae tum aliarum dioecesum de Ordinariorum licentia, conferre atque alias ecclesiasticas functiones Graeci ritus peragere valeat tenore praesentium perpetuo constituimus et deputamus eidemque Antistiti pro tempore existenti et ab eodem charissimo

in Christo filio Nostro Ferdinando utriusque Siciliae rege ejusque successoribus nominando vigore sui regii patronatus supradictam abbatiam sanctae Mariae de Gala in dioecesi Messanensi, quam in praesens in commendam obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta, cum vacare contigerit, nunc pro tunc perpetuo addicentes interinamque administrationem perceptionemque fructuum vacantis beneficii sancti Pancratii Latini ritus regiique patronatus, queis donec praedicta abbatia vacare contigerit, se alere valeat propriamque dignitatem tueri regio accedente consensu indulgentes et condonantes eas omnes facultates concedimus et impertimur, quoad sacras ordinationes Italo-Graecorum regni Siciliae ultra Pharum, quas fel. rec. Clemens PP. XII. concessit Antistiti Graeci ritus in seminario Corsino a se in Calabria erecto degenti in suis superlaudatis apostolicis literis in forma Brevis, quibus quoad ordinationes dumtaxat Italo-Graecorum regni Siciliae ultra Pharum hac Nostra perpetuo valitura constitutione expresse ac specialiter derogatum volumus; iisdem apostolicis literis quoad reliqua in suo robore permansuris.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque, quae in praefatis Clementinis literis non obstare fuerit decretum.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 6. Febr. 1684.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 257. Ed. Rom. 1843.)

12. Cleri Ritus Graeci-Rutheni ab Episcopo Ritus Latini facienda.

Ordinationes omnium Clericorum et Sacerdotum ritus Graeco-Rutheni a Serviano schismate ad Ecclesiae sinum redeuntium Episcopo Auxerensi delegantur.

Venerabili Fratri Matthaeo Episcopo Auxeren.

Benedictus PP. XIV.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem.

E sublimi Sedis Apostolicae specula circumspicientes Dominicum Gregem a Pastorum Principe tenuitati praecipue nostrae commendatum ea providere curamus, quae in unaquaque ejus parte ad salutem conservandamque spiritualem vitam conferre possunt.

§. 1. Quodcum propositum sit Nobis et modo intelligamus, opportunum esse, ut, qui in Dalmatiae dioecesibus a Serviano schismate ad verum Christi Ovile redierunt aut redituri sunt, Sacerdotes et ecclesiasticae Hierarchiae reliquos habeant a Catholico Episcopo consecratos Graeco ipsorum Rutheno ritu, quocirca, ut quotquot inter suae gentis Catholicos Clericali Militiae dare nomen cupiunt, a schismatico Antistite initiarentur, hanc abrumpere absurdam nimis et sacris Canonibus vetitam consuetudinem constituimus, adacti metu, ne, non penitus discissa cum morbosis Pseudo-Episcopi societate, occulte venenum hauriant, in caeteras Oves dispergendum, nec bona deinceps utantur valetudine.

§. 2. Huic ut occurramus periculo utque frequentissimae illorum Paroeciae a Parochis prorsus Romanae Catholicae Ecclesiae conjunctis administrentur, optimum visum est, dare alicui Latino Catholico Episcopo, qui eam linguam et caeremonias calleat, facultatem cooptandi in ecclesiasticos Ordines eodem Graeco-Rutheno ritu, non solum in propria sed etiam in alienis dioecesibus Dalmatiae, Veneto imperio subjectis, habito primum consensu ab Ordinariis, quotquot, Dimissorialibus a proprio Antistite acceptis, ejus populi Paroecias aliaque sacra Ministeria curare debent: Quo tempore

atque occasione ipsi Latino Episcopo Pontificalia consimili Graeco-Rutheno more exercere liceat. Hanc modo facultatem tantumque munus agendum tribuimus fraternitati tuae, quam scimus lyterarii Illyrici sermonis, ab ea natione ad sacras functiones adhibiti, peritam esse, pollere simul non mediocri prudentia ac religione, unde sperandum sit, eos, quibus manus imposueris, bene ac sollicite officio suo defuncturos esse.

Id autem ut feliciter pergas, apostolicam benedictionem Tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. dioecesis, sub annulo Piscatoris, die 4. Octobris 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 211.)

13) Intentio Ordinantis.

Vd.: *Ordin. Minor.* (furtive Ordinati, decr. *Perusina; Urgentina).*

14) Lumina in altari.

Ad dubium: In Ordinatione unius Subdiaconi legitur in Rubrica: *Quatuor Candelabra cum Cereis* etc. Quot ergo Candelae in altari sunt accendendae, si Missa Ordinationis non fiat in cantu?

S. C. resp.: „In Ordinatione privata possunt accendi quatuor Cerei ut in Rubrica, sed in Ecclesia et publica Ordinatione septem, ut in Missa Pontificali.“ n. 4669 ad 8 die 12. Nov. 1831.

15) Litaniae.

Ad dubium: An in Ordinatione Generali, quae fit Sabbato S., facienda sit monitio promovendis ad Subdiaconatum ante Litanias vel postea?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Servetur Pontificalis hujus diei rubrica.“

Atque ita respondit et servari mandavit die 28. Julii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione, S. S. S. C. responsum adprobavit confirmavitque, atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecipit. N. 4583 ad 4 die 31. Junii 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

In Pontificali Romano distinctae sunt Rubricae, quae methodum praescribunt in Ordinibus conferendis omnino servandam, et licet non differant quoad substantialia, pro temporum tamen ratione a generali regula tantillum divertunt et accidentalem aliquam varietatem ponunt, sic exigentibus s. actionibus, quae simul eadem die concurrunt et successive peraguntur. Ideo in Sabbatis quatuor temporum, quia Prophetiae ad Missam et Ordinationem stricte pertinent, initiantur Tonsurandi post *Kyrie eleison,* et minores Ordines inter unam alteramque ex primis quatuor prophetiis conferuntur. Antequam Pontifex ultro procedat, sistentes ante se Promovendos ad Subdiaconatum gravibus verbis admonet, ut serio cogitent, quid acturi sunt, priusquam libertatem amittant transeundi ad vota saecularia: mox Archidiaconus jubet, ut accedant, qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri, incipiuntque *Litaniae* etc. Verumtamen, si Ordinatio fiat Sabbato S., quum prophetiae, quae simul ad Baptismum et Ordinationem pertinent, Missae permittantur, sine mora (nisi Fons benedicendus sit) Cantores intonent Litanias; rubrica diversam dat dispositionem. *Si vero Sabbato S. Ordinationes fiant, Officium incipitur a prima prophetia, et continuatur, prout in ordinario usque ad Litanias inclusive, in quibus dicto:* ut omnibus Fidelibus etc. *surgit*

ab accubitu Pontifex et conversus ad Ordinandos eos benedicit, prout post Litanias infra ponitur ... deinde dicit Orationem ordinariam cum alia pro Ordinandis, quibus dictis ordinat ad Subdiaconatum. Hactenus *Rubrica,* qua posita successivae actiones sunt (nisi intercipiantur benedictione Fontis et administratione Baptismi) Prophetiae et Litaniae: nec locus est admonitioni faciendae Promovendis ad Subdiaconatum, quae fieri debet, dum Pontifex post Orationem et Collectam ad eorum Ordinationem procedit, quin repetendae sint Litaniae, quia super promovendis ad S. Ordines pronunciatae jam sunt formulae benedictionis, sanctificationis et consecrationis. Hic autem forte aliquis interpellat, inquiens, benedicendine, sanctificandi et consecrandi sunt Promovendi, priusquam moneantur, an velint, constantes in proposito, saecularibus votis renunciare? Brevi me possem expedire responso, quod, ubi lex non excipit, non limitat, nec nos excipere vel limitare debemus. Non enim agitur de casu non praeviso, cum quo generalis regula nequeat componi, Rubrica rationem habuit Ordinationis peragendae Sabbato S., diversamque dedit dispositionem quoad tempus Ordinibus conferendis destinatum. Jubet namque, ut vidimus, in Litaniis, quae Missae praemittuntur, ad S. Ordines promovendos esse benedicendos; mox inchoandam Missam, initiatisque ac promotis ad minores gradus Clericis, lectaque Oratione ad Ordinationem Subdiaconorum deveniendum; nec tamen ullum occurrit verbum de anticipanda monitione. Et jure quidem, nam formulae benedictionis etc. deprecatoriae sunt, et Ordinationi nullatenus essentiales, nec jugum imponunt; quamobrem promovendi ad Subdiaconatum, si prolatis super iisdem praefatis formulis a proposito velint resilire, liberum adhuc illis est. Itáque, cum certum sit admonitionem, collatis jam minoribus Ordinibus, faciendam esse promovendis ad Subdiaconatum, nihil immutandum est, nec ab hac generali dispositione recedendum. Quod si admonitio fieri deberet hac die ante Litanias, ut in Ordinationibus, quae habentur aliis statutis ab Ecclesia temporibus, procul dubio indicaretur in rubrica speciali de Sabb. S., quemadmodum eadem jubet benedici Ordinandos in Litaniis, quae hac die Missam immediate praecedunt. Admonitio igitur facienda erit immediate, antequam Subdiaconatus Ordo conferatur, servandaque Rubrica specialis posita in Pontificali pro Ordinatione peragenda in Sabb. S., prout S. C. servandam esse respondit.

Vd.: *Ordinatio priv. in Sabb. s.*

16) Missa.

a) Quae?

In Ordinationibus, quae fiunt Sabbato quatuor temporum, tametsi occurrat aliquod festum duplex, missam celebrari debere de feria cum Oratione pro Ordinandis et reliquis Suffragiis sine commemoratione Sancti currentis. In missa Ordinationum praedicta, etiamsi occurrat festum duplex, facienda consueta Suffragia ac missam, prout jacet, ac si non esset festum duplex, celebrandam. n. 1862 die 26. Jan. 1658.

Ad dubium: An occurrente festo duplici in Sabb. 4 temp. missa, in qua conferuntur Ordines generales, esse debeat de festo an de temporibus?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 3774 ad 1 die 27. Aug. 1707.

Missa ad Ordines celebrandos in temporibus dicenda est de feria, extra tempora de festo currenti, etiamsi Ordinationes non sunt generales sed particulares, ut de Diaconatu aut

Presbyteratu solum. n. 2749 ad 7 die 28. Septbr. 1675; n. 4153 ad 2 die 21. Martii 1744.

In feriis et Sabb. s. quatuor temporum occasione festi currentis 9 II. debent in Cathedr. cantari duae missae; potest per Canonicos cantari illa de festo, per Episcopum facientem Ordinationem cantari vel saltem celebrari altera de feria in paramentis violaceis. n. 2828 ad 4 die 10. Julii 1677.

Episcopus volens in die Sabb. s. Ordines conferre, praestare hoc non valet, Sacrum *privatim* peragendo in proprii Palatii Sacello vel alibi. n. 3621 die 18. Martii 1702. (Vd. infra decr. n. 4153.)

Ad dubia: 1. An occurrente festo dupl. cujuscunque classis aut solemnitatis in Sabb. quatuor temp. aut ante dominicam Passionis missa pro explenda Ordinatione debeat aut possit celebrari de festo an vero de tempore?

2. An, idem dicendum in semid. et in casu, quo in istis festis dicenda sit missa de Sancto, possit ex causa Ordinationis legi missa de tempore, sicut potest ex justa causa celebrari missa vot. in praedictis festis? *)

3. An, si missa celebranda sit de tempore, debeat fieri commem de Sancto, cujus fit Officium, an vero debeat dici prout in Ordinario, sicut in Ecclesiis Cathedr., ubi duae missae celebrantur in praefatis diebus?

4. An Episcopo Ordinationes tenente in *Cathedrali* vel *Collegiata*, ubi canuntur duae missae, de festo et de feria, possit Ordinationem habere in missa de festo, an vero debeat fieri in missa de feria?

S. C. resp.

Ad 1.: Missam pro explenda *generali* Ordinatione esse dicendam de tempore, non omissa tamen juxta rubricas illa de festo occurrente.

Ad 2.: Ut ad primum.

Ad 3.: Provisum in secundo.

Ad 4.: Ordinationem habendam esse in missa de feria.

N. 3995 ad 1—4 die 31. Jan. 1731; n. 4091 ad 3 die 11. Julii 1739.

In Sabbato s. pro collatione s. Ordinum Episcopus in suo domestico Oratorio tenetur missam cum prophetiis ut in Missali celebrare. n. 4153 ad 1 die 21. Martii 1744.

Ad dubium: Cum Sabb. s. unica tantum in quavis Ecclesia missa cantata admittatur, an Episcopus in priv. Capella possit Ordinationem sub missa *lecta* servare? et an debeat post Communionem pro vesperis *Alleluja, Vespere autem etc., Laud. Dom. etc.; Magnificat etc.* dicere?

S. C. resp.: Ad mentem; mens est, ut hoc dubium ulterius non proponatur. n. 4205 ad 6 die 20. Septbr. 1749.

Vd.: *Ordinatio ad Presbyterat.* (ritus missae etc.); *Prophetiae; Oratio in Ordinationibus.*

b) Quis legat?

Cf.: *Episcopus aegrotus et inhabilis.*

Episcopus Nemausensis in Gallia, quamvis annum octuagesimum septimum agat, bona tamen valetudine atque intellectualibus facultatibus integre gaudet, quapropter enixe requirit: Utrum alio Sacerdote Missam celebrante, sibi in scamno sedenti Clericis suae Dioec. Ord. s. conferre liceat, ne Clerici ipsi cum gravi incommodo adigantur ad conterminos Antistites accedere pro Ordinatione?

S. C. resp.: *Non licere.* n. 4819 die 23. Sept. 1837.

---

*) Hoc decretum intelligi debet, etiamsi missa privatim et sine cantu ab Episcopo Ordines conferente dictis diebus celebretur et contraria consuetudo est abolenda. n. 4320 ad 1 et 2 die 11. Febr. 1764.

Ad petitionem Episcopi Nicopolitani, ut septuagenarius, quandocunque podagra detentus missam conficere nequieverit, possit nihilominus s. Ordines conferre inter missarum Solemnia alio Sacerdote celebrante, ut ita Ecclesiae necessitati possit satisfieri, cum non adsit in dicta Dioecesi alter Episcopus nec extra illam, nisi ultra trecenta milliaria et tanto itineris incommodo nemo velit se exponere?

S. C. resp.: *Nihil.* n. 1902 die 8. Junii 1658; n. 2034 die 24. Jan. 1660.

17) Oblatio.

Quum in Pontificali Rom. praescribatur ut in S. Ordinibus quisque ex Ordinandis offerat Ep. Ordinanti Cereum post Offertorium, quaeritur: an tolerari possit consuetudo, ut Cerei offerantur extincti vel potius offerri debeant accensi, ut in ipso innuitur Pontificali?

Emi vero ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi ... rescribendum censuerunt:

„Sufficit ut unus in quolibet Ordine accensum offerat Cereum juxta consuetudinem."

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. n. 5000 ad 5 die 7. Decb. 1844.

Ad dubium: An Ordinatis Episcopo Candelam offerentibus post Offertorium tolerari possit usus, ut una tantum Candela accendatur, quae a singulis Ordinatis Episcopo offeratur?

S. C. resp.: „Affirmative." n. 4669 ad 7 die 12. Novb. 1831.

18) Oratio.

Oratio — Postcommun. — pro collatione ss. Ordinum verbis: *Quis vivis etc.*, non: *Per Dom. etc.* concludendum est. S. R. C. 25. Sept. 1860. Cf.: *Missale* (Correctio F. n. 51.).

19) Poenae contra Clericos male aut simoniace promotos et Episcopos et alios in ordinum collatione peccantes.

Vd.: *Constitutio PP. Sixti V. die 5. Jan. 1588* in Bull. rom. t. II. p. 711 (ed. Luxenbg.).

Pius PP. II.

Hac constitutione perpetuo valitura statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli, qui absque dispensatione canonica aut legitima licentia sive extra tempora a jure statuta, sive ante aetatem legitimam vel absque dimissoriis literis etiam citramontanis, ad aliquem ex ss. ordinibus se fecerint promoveri, a suorum ordinum executione ipso jure suspensi sint et si hujusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare praesumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Praeterea ultra alias poenas in tales generaliter a jure inflictas beneficiis eccles. possint jure privari.

Datum Romae 17. Novb. 1461.
(Bull. rom. t. I. p. 273.)

Moderationem Constitut. Sixti V., vd.: *Constitutio Clem. VIII.* de die 28. Febr. 1595 (*Ibid.* t. III. p. 60.); *Const. Urbani VIII.* de die 11. Decb. 1624 (*Ibid.* t. IV. p. 81.). Vd.: *Indult.* (revoc. VII.)

20) Ad Presbyteratum.

a) Calix tangend.

Vd.: *Subdiaconatus* (calix tang.; decr. n. 4565. ad 7. 3tio); *Ordinatio ad Presbyt.* (Defectus in calice tang.)

b) Consecrantes et Communicantes.

Vd.: *Missa* (interrupta per mort. Sacerdot.; *In voto P. Al. Joni.; Ordinatio Graecor.*)

c) Defectus Hostiae.

(Conc. Trid. C. 3. Sess. 23. De Sacr. Ord.; C. 8. Sess. 23. De refor.)

Ordinis Capuccinorum.

Tribus abhinc annis in Ordinatione habita in quadam Ecclesia inter alios promotus fuit ad Sacerdotium Fr. Joannes Petrus a Varesio Ordinis Capuccinorum, qui, cum deberet tangere materiam requisitam ad dictum Ordinem recipiendum, advertit *in Patena non adesse hostiam.* Is vero tacuit, credens ex simplicitate ita practicari in dicta Ecclesia, fortasse vigore alicujus Privilegii, subindeque nil dubitans de validitate Ordinis per tres circiter annos celebravit. Cumque postmodum in Conventu existens, perpenso casu, agnoverit, hostiam fuisse necessariam supra patenam, tanquam materiam proximam, quam bene recordatur defecisse, prout idem affirmat alius Correligiosus in eadem Ordinatione, cum eo ad Presbyteratum promotus, pro serenitate conscientiae supplicavit declarari, quomodo in praemissis esset consulendum et quatenus nova Ordinatione indigeret absolvi et dispensari super Irregularitate forsan incursa, ob praefatam trienalem celebrationem.

Procurator Generalis Ordinis pro informatione requisitus retulit Oratorem probum esse religiosum rectique judicii et conscientiae non scrupulosae, proindeque censet ab eodem exposita habenda esse vera, potissimum accedente testimonio praefati alterius Correligiosi ordinati, qui eadem testificatur, ac ipsius Oratoris exhibitione omnia supranarrata jurejurando comprobandi. Relata causa per Summarium sub die 19. Novembris Anni superioris rescriptum fuit: *Pro nova ordinatione sub conditione et cum absolutione ab irregularitate ad cautelam.*

Modo iterum recurrit Orator ad hanc S. C., cui adhaeret idem Procurator Generalis Ordinis, pro declaratione: an debeat dicta Ordinatio in Presbyterum reiterari in totum vel solum quoad omissa, anve fieri valeat in diebus festivis privatim vel fieri debeat in publicis Ordinationibus. His porro suas itidem preces adjecit Frater Seraphinus a Coduneo, qui est alter Religiosus, ut supra ordinatus, quique pariter cum eadem certitudine eundem defectum materiae coram Superiore affirmavit, ac de eo circa probitatem et conscientiam scrupulis non agitatam, Procurator Generalis, quemadmodum de altero asseverat, unde cum omnia haec fuerint per Summarium deducta in antecedenti Congregatione, injunctum fuit ab Eminentissimo Praefecto, ut causa poneretur in folio, prout hodie parendo mandatis proponitur decidendum summae prudentiae EE. VV. infrascriptum dubium: *An et quomodo in praemissis sit consulendum in casu?*

S. C. C. resp.: *Non proposita.*

Die 14. Jan. 1708.

d) Defect. in collatione potestatis remittendi etc. peccata.

Vivarien.

Reverendissime Domine uti Frater.

Dum in S. R. C. expendebantur Dubia Amplitudinis Tuae nomine exhibita SSmo D. N. Gregorio Papae XVI. literis De-La-Valette Vicarii tui Gen. datis Vivarii die 20. Julii 1840, ac jam duo Consultores Theologi fuerant requisiti ut summum emitterent Votum circa validitatem Ordinationis cujusdam Presbyteri, in qua incaute vitiata fuit forma collationis Potestatis remittendi vel retinendi peccata, certum nuncium pervenit a Cong. Gen. S. Rom. et Universalis Inquisitionis sub die 27. Maji 1840 casum apprime similem discussum ac definitum fuisse, accedente etiam ipsius SSmi D. N. adprobatione et Apostolica confirmatione. Itaque tunc emissam resolutionem Amplitudini tuae

de verbo ad verbum communicantes ut sequitur, nimirum:

Feria IV. Die 27. Maji 1840.

In Cong. Gen. S. Rom. et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Emis et Rmis D. Card. Inquisitoribus Gen. propositis precibus Dominicanorum Bononiae, quibus exponebant ejus Religiosum N. N., dum Ordinationem Presbyteri recipiebat a R. P. D. Episcopo, monitum fuisse ipsum perturbasse formam adnexam postremae manuum impositioni dicendo: *Quórum remiseris peccata retenta sunt et quorum retinueris remissa sunt.* Propositis item Actis Curiaè Episcopalis ad stabiliendam veritatem expositorum una cum Voto unius ex Dominis Consultoribus, quod distributum fuerat per manus, propositis item Dominorum Consultorum suffragiis, Emi et Rmi D. dixerunt: „Sub conditione in privato Oratorio quovis anni tempore suppleatur a quovis Episcopo induto de more tertia manuum impositio et forma respectiva: *Accipe Spiritum S.,* non tamen repetendo Caeremonias accidentales antea adhibitas.“ Quibus eadem die ac Feria in solita Audientia relatis per Rmum P. Commissarium S. Officii SSmus D. N. Gregorius Papa XVI. resolutionem Eminentissimorum adprobavit.

Vigore facultatum Nobis ab eodem SSmo D. N. Gregorio Papa XVI. specialiter tributarum concedimus, ut, quae enunciatae Ordinationi desunt vel vitiata fuerunt, omnino suppleantur ad tramites memorati Decreti Sacrae Universalis Inquisitionis quaqumque anni die ab Episcopo quovis induto de more, ut in Ordinatione et Sacrum faciente in suo privato Oratorio, adstante enunciato Presbytero Sacerdotalibus vestimentis pariter induto et sic suppleatur tertia manuum impositio et respectiva forma: *Accipe Spiritum S.,* quin repeti debeant Caeremoniae accidentales, quae antea adhibitae fuerunt.

Haec dum Amplitudini Tuae committimus et injungimus, diu felix et incolumis vivat.

N. 4927. Romae 22. Maji 1841.

Rev. Dom. uti Fratri Episcopo Vivariensi.

e) Defectus in tangendo calice.

Cf.: *Subdiaconatus* (Calix tang. decr. n. 4565 ad 7, 3tio); *Ordinatio ad Presbyt.* (Calix tang.)

Ad dubium: an sacerdotem posse continuare celebrationem ss. Sacrificii absque ullo scrupulo et tuta prorsus conscientia, qui non tetigit tactu physico calicem in sua Ordinatione ad Presbyteratum? S. C. resp.: *Affirmative.* N. 2143 die 3. Decb. 1661.

f) Impositio manus.

I. Defectus.

Lausanen. et Geneven.

Rme D. uti Frater.

Quum Amplitudo Tua mandatis S. R. C. obsequens in novis Literis datis Friburgii die 21. Febr. hoc ipso vertente anno clarius exposuerit factum Ordinationis Titii Presbyteri tuae Dioec. secutae a duobus et ultra annis, in qua quidem Ordinatione per inadvertentiam praetermissa fuit ac postea suppleta una ex praescriptis manuum impositio, ac insimul addiderit Dubia, quae ante etiam dederat pro opportuna solutione, super omnibus fidelem relationem suam in novis hodiernis Ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis iteravit Secretarius subscriptus, ut Emi et Rmi P. S. Ritibus tuendis praepositi vel Dubia ipsa declarare possent vel decernere quid in facto ipso ab Amplitudine Tua agendum.

Et Emi iidem PP. maturo examine singula perpendentes, quae religiosissime ab Amplitudine Tua exposita fuerunt, quin Dubiis propositis aliquid directe responderent, communi in voto fuere, ut per praesentes Literas Amplitudini Tuae communicaretur *Ordinatum juxta exposita non esse inquietandum.* Quam quidem mentem S. C. Amplitudini Tuae communico, ut ab ulteriori quacumque anxietate circa factum ipsum cesset et diu felix ac incolumis vivat.

N. 5128. Romae 22. Julii 1848.

Rmo D. uti Fratri
Ep. Lausanen. et Geneven.

II. Modus.

Ad dubium: Quomodo intelligenda sint verba Pontificalis Romani in Rubrica de Ordinatione Presbyteri quoad manuum impositionem: *Idemque faciunt post eum (nempe Episcopum) omnes Sacerdotes, qui adsunt?*

Et S. eadem C. respondendum censuit:

„Juxta votum; ea verba Pontificalis Romani in Ordinatione Presbyteri: Idem faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt: intelligi posse moraliter, juxta tamen locorum consuetudinem, servata Rubrica quoad Paramenta et Stolas."

Atque ita respondit et servari mandavit die 28. Julii 1821. Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione S. S. S. C. responsum adprobavit confirmavitque atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecepit.

N. 4583 ad 6 die 31. Junii 1821.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Si expendendas mihi proponerem diversas sententias, in quas abeunt auctores gravissimi de materia et forma Ordinationis Presbyteratus disserentes, nimis ab instituto aberrarem nec possem brevitati consulere. Quid enim prodest de re diatribam texere, de qua in dubio non quaeritur, quaeque ab Ecclesia non est ullo canone definita? Vel enim materia sit instrumentorum traditio, cui forma respondet: *accipe potestatem etc.*, vel sola manuum impositio vel utrumque simul, id ad praesentis dubii solutionem non pertinet. Data quippe hypothesi, quod sola physica et subsequens moralis manuum impositio conferat potestatem, nulla subest quaestio de necessitatis talis impositionis, sed una est controversia super intelligentia Rubricae Pontificalis, quae jubet: *Pontifex stans ante Faldistorium suum ... imponit simul utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi ... idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes ... quo facto tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos.* Dubitandi rationem praebet illud: *omnes qui adsunt,* num scilicet ita intelligi debeat, ut physice et numeraliter, quotquot adsunt, manus imponant vel potius moraliter, ita ut nihil officiat, si quis ex praesentibus id omittat? Si materialiter verba accipienda essent, dictio illa *omnes* physice intelligenda foret, ita ut post Episcopum numeraliter, quotquot adsunt Presbyteri, super Ordinandos imponere manus debeant et post physicum contactum in morali dexterae extensione perseverare, dum Pontifex Orationem legit. Verumtamen eadem dictio accipi etiam moraliter potest, ita ut sensus sit: *Episcopus manibus physice tangat capita Ordinandorum et successive post eum idipsum praestabunt tres aut plures ex adstantibus Presbyteris.* Non enim dictio illa *omnes* singulos, qui adsunt, comprehendit: sed multi pro omnibus indigitantur. Sub hujusmodi significatione plerumque in Scripturis haec dictio occurrit. Sic *Jer.*

cap. 6. n. 8.: *Omnes avaritiae student; Omnes avaritiam sequuntur.* Sic *in Exodo* habetur dixisse Deum Moysi in Sina: *Omnem populum ad vitulum aureum ad orandum conversum esse.* Sic *in Tobia cap. 1. vers. 5.* legitur: *Quod omnes ad vitulos aureos currerent, quos fecerat Jeroboam,* et iterum vers. 12.: *Quod omnes de cibis vetitis vescerentur.* Attamen in locis citatis et aliis afferendis, si opus esset, dictio illa *omnes* nonnisi ad multitudinem significandam accipitur. Quamquam si integer contextus Rubricae Pontificalis spectetur et diversae dictiones simul conferantur, impositionem physicam a morali distinxisse videtur. Postquam enim jusserat: *Pontifex stans ... imponit simul utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi ... idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt:* immediate subdit: *quorum tres aut plures Planetis vel saltem cum Stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent.* Concludit Rubrica: *Quo facto tam Pontifex quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos.* Si conciliari velint hae tres Orationis partes, forte a veritate non aberraret, qui crederet, ita intelligendam Rubricam, ut sensus sit, quod tres aut plures ex adstantibus Presbyteris sacris amicti physice unus post alium super caput cujuslibet Ordinandi manus imponant, alii vero e Chori subselliis moraliter; et tam isti quam illi in extensione manus dexterae perseverent, quousque a Pontifice Oratio lecta fuerit. Si una vel altera Rubricae interpretatio non adhiberetur et per verbum *omnes* intelligendi essent physice et numeraliter, quotquot sunt, magna etiam oriretur confusio in Cathedralibus, quae abundant adstantium Presbyterorum copia. Hinc est, quod in Patriarchali Lateran., quando generales habentur Ordinationes, duodecim dumtaxat sunt, qui, Stola e collo pendente, physice post Episcopum manus super Ordinandis imponant, licet multo plures praesentes sint, quamvis ratio dumtaxat haberi velit eorum, qui gaudent praebenda presbyterali, praetermisso longe majore numero illorum, qui, etsi Presbyteri sint, ratione tamen praebendae, Diaconos aut Subdiaconos repraesentant. Praxis igitur servata in Patriarchali Ecclesia, quae caput dicitur omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis, plane demonstrat illud *omnes* non physice et numeraliter sed moraliter esse accipiendum.

Eoque magis ita esse intelligendam rubricam puto, quin, ut adnotat *Catalanus in Commentar. ad Pontificale Romanum §. 6. de Ordinatione Presbyteri n. 1. doctrinae adhaerens S. Bonaventurae*, sola manus impositio ab Episcopo facta essentialis est, cum ipse solus sit Ordinationis minister: adstantes autem alii Sacerdotes ideo simul manus imponunt, non ut Ordinem conferant sed ut eo ritu gratia communionis significetur, quae in Ordine Sacerdotali confertur et per Sacerdotem administrari debet. Haec ergo manus impositio, quam alii Presbyteri faciunt, solemnitatis non necessitatis est. Quo posito, quis non videt dictionem illam *omnes*, quae in Pontificali occurrit, in sensu rigoroso non esse accipiendam?

Ideo S. C., re mature discussa, respondit: *Ea verba Pontificalis: ..* omnes Sacerdotes, qui adsunt, *intelligi posse moraliter, juxta tamen locorum consuetudinem, servata Rubrica quoad paramenta et Stolas.* Scite in hoc responso verbis facultativis usa est, ne videretur legem dicere voluisse ubique locorum, nullo facto discrimine, servandum; sed quum nosceret variam esse Ecclesiarum consuetudinem, per verbum illud *posse* declaravit, non esse contra Rubricam illarum Cathe-

dralium morem, in quibus, non quotquot adsunt Sacerdotes, sed aliqui tantum manus imponunt, dummodo tamen ea in parte in suo robore maneat, ubi praecipitur, quod saltem tres aut plures sacris amicti post Episcopum super Ordinandorum capitibus physice manus imponant: sed simul sartam tectamque voluit praxim illarum Ecclesiarum, in quibus consuetudo est, ut non aliqui dumtaxat, sed omnes adstantes Presbyteri physice id praestent.

Anicien.

Pro sua, qua praestat sollicitudine, in rite ordinateque explendis iis omnibus, quae pastorale munus respiciunt, S. R. C. efflagitavit Rmus Anicien. Ep., ut sua auctoritate declarare dignaretur, utrum in Ordinatione Presbyteri extensio manus tam Episcopi quam Sacerdotum praescripta a Pontificali fieri debeat non tantum intra haec verba: *Oremus fratres dilectissimi,* usque ad *Flectamus genua,* sed etiam post genuflexionem intra Orationem, quae incipit *Exaudi nos,* usque ad Praefationem, ita ut genuflexio interrumpat tantummodo non autem cessare faciat illam. Ratio dubitandi pro sententia affirmativa fundatur: primo, quia nonnisi post absolutam Orationem *Exaudi nos* praescribitur alius manuum habitus, unde usque tunc perseverare debet praecedens: secundo, quia si haec extensio manuum sit materia et Oratio *Exaudi nos* forma, ut volunt quidam, inter quos S. a Ligorio, decet utramque simul coëxistere: tertio, quia ita expresse et formiter animadvertit et docet Rmus Ep. Bellicensis in suo Rituali recens edito *tom. 1. de Sacr. Ordinat. Sect. 3.* nixus tum Canoni III. Conc. Carthag. IV. tum Sacramentario S. Gregorii M. tum Commentario Catalani in Pontificale *tom. 1. p. 130:* quarto, quia praxis contraria, si existat, nihil probaret utpote de re non necessaria absolute sed congrua tantum, in qua ex infirmitate humana irrepere potest error: quinto, quia passim in Liturgia genuflexio interrumpit praecedentem manuum habitum, sed non cessare facit, v. g. in Ev., in Collectis Feria VI. in Parasceve.

Pro sententia autem negativa, quia, ut queritur idem Ep., saepe fit aliter.

Et S. eadem C. Ordinariis in Comitiis apud Quirinales Aedes coadunata die 24. Septb. superiore Anno 1842 audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit: „Ponatur in Folio, exquisito Voto Magistri Caeremoniarum.“ Quod quum factum fuerit, omnibus praelo cusis, in altero Ordinario Coetu infrascripta die habito ad Vaticanas Aedes Emi et Rmi P. S. Ritibus praepositi ad relationem Emi et Rmi D. Card. Constantini Patrizi Urbis Vicarii et Ponentis, omnibus rite matureque libratis, etiam quoad expositas dubitandi rationes, uti fuse in Voto exprimuntur, rescribendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum in Ordinatione Presbyterorum praxim servandam esse Eccl. Romanae, quae manus Ordinandis imponit in prima tantum Oratione: *Oremus Fratres Charissimi.*“

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt die 18. Febr. 1843 n. 4952.

g) Osculum.

Ad dubium: Praestita a Presbytero ordinato in fine Missae obedientia Pontificale Episcopo injungit ut eum osculetur. Quomodo ista deosculatio est facienda?

S. C. resp.: „Dextera vultus pars deosculanda est.“ n. 4669 ad 17 die 12. Novb. 1831.

h) A Pontifice peracta.

*Utrum a Pontifice presbyter ordinatus ab ipso Pontifice vel ex ejus

speciali delegatione in Episcopum sit consecrandus?

Vd.: *Sacerdos ordinatus a Pontifice etc.*

i) Reiteratio.

Vd.: *Ordinatio ad Presbyt.* (defect. hostiae etc. decr. diei 14. Jan. 1708; def. in collat. etc.)

k) Ritus missae leg. a Presbyteris ordinandis.

Presbyteri ordinandi solum a: *Suscipe Sancte Pater etc.* debent inchoare missam cum celebrante et ordinante Episcopo.

Item debent missam legere in terra genuflexi, sed non omnes illas, quas Episcopus ordinans in missa facit actiones, facere debent, e. g. cruces super Oblata peragere, genuflectere etc.

Non est necesse, ut iidem, postquam sunt de Corpore Christi communicati, de illo calice, quem in Ordinatione tetigerunt, ablutionem sumant. n. 4205 ad 1—5 die 20. Sept. 1749.

Ad dubium 1.: Si ordinatio Presbyteri fiat in cantu, Praefatio et alia, quae cantantur ab Episcopo, quomodo dicenda sunt ab Ordinatis?

2.: In Pontificali legitur: *Ordinati ad Presbyteratum dicant Evangelium in fine Missae:* dicerene debent una cum Episcopo ad suam sedem redeuntem an ex se solis? S. C. resp.

Ad 1.: „Sine cantu legenda."

Ad 2.: „Una cum Episcopo."

N. 4669 ad 11 et 12 die 12. Nov. 1831.

21) Privata in Sabbato sancto.

Vd.: *Ordinat.* (Litaniae.)

Ad dubium: An in Ordinatione privata, quae fit in Sacello in eodem Sabb. S., monitio facienda sit promovendis ad Subdiac. ante Litanias vel postea, praesertim si unus tantum Ordo Subdiaconatus sit conferendus?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

Servetur Pontificalis hujus diei rubrica.

Atque ita respondit et servari mandavit, die 28. Julii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. Pont. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione S. S. S. C. responsum abprobavit confirmavitque, atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecepit. n. 4583 ad 5 die 31. Junii 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Vel Ordinatio in Sabb. s. publica et generalis sit, sive particularis et privata; unus tantummodo vel plures tum ad minores tum ad sacros Ordines sint promovendi, eadem regula semper tenenda est et s. incipienda actio a prophetiis, veluti praescriptum vidimus in Romano Pontificali et declaratum fuit in Bergomen. a S. R. C. 21. Martii 1744. Quamobrem si unus dumtaxat Subdiaconus sit ordinandus in domestico Episcopi Sacello, ut in proposito dubio, praescriptarum precum et actionum ratio nec turbanda nec invertenda est, imo apprime servandus ordo a Rubrica dispositus. Porro Pontificalis rubrica jubet, ut, absoluta prophetiarum lectione, statim dicantur Litaniae et Missa sequatur, qua inchoata et non prius, facienda est Ordinatio, servatis regula et tempore singulis Ordinibus assignatis. Ideo cum nemo sit tonsura initiandus, nemo ad minores gradus promovendus, incipere Ordinatio debet post Orationem et exordiendum ab admonitione, ut Ordinandus de statu amplectendo, a quo postea resilire non poterit, queat determinare. Neque interest, quod supra eumdem prolatae jam fuerint formulae benedictionum: nam hujusmodi formulae deprecatoriae sunt et haberi debent tamquam dispositivae ad Or-

dinem conferendum et suscipiendum; ideo, ut jam supra notatum est, ad essentiam Ordinationis trahi nequeunt, libertatem non adimunt, jugum non imponunt et Promovendus adhuc liber est, donec forma non fuerit super eum ab Episcopo prolata simulque adhibita et tradita Ordinationis materia: scite igitur S. C. proposito dubio respondit: *Juxta votum*, videlicet: *In privata etiam Ordinatione, quae fit Sabbato S. unius tantum Subdiaconi, monitionem faciendam esse, servata Pontificalis rubrica, non secus ac in Ordinatione generali.*

Ad dubium: An Episcopus volens in die Sabb. s. Ordines conferre, licite hoc praestare valeat, sacrum privatim peragendo in proprii Palatii sacello vel alibi?

S. C. resp.: Negative. Die 18. Mart. 1702 *in Mazarien.*

22) Promulgatio.

Vd.: *Nuptiae* (promulg. decr. de die 8. Julii 1724.).

23) Recessus ab Ordinatione.

Ad dubium: Pontificale praescribit, quod, completa Ordinatione Ordinati, suggerente Archidiacono, recedant ad loca sua. Quibus verbis uti debet Archidiaconus hisce occasionibus?

S. C. resp.: „Ad loca vestra vel similibus.“ n. 4669 ad 4 die 12. Novb. 1831.

24) Regularium.

a) Abbatis consensus.

S. Gregorius I. PP.

Custodiendum est (ab Episcopis) ut invito abbate ad ordinanda alia monasteria aut ad ordines s. vel Clericatus Officium tolli exinde Monachos non debeant.

Die 5. Apr. 599.

(Bull. r. t. I. p. 171. Ed. Aug. Taur. 1857.)

„Nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi potestatem habere audeat Episcopus in Coenobio, nisi ab abbate loci fuerit rogatus.“

Ibidem.

Martinus I. PP.
Coenobio Elnonensi.

Custodiendum est (ab Episcopis) ut invito abbate ad ordinanda alia monasteria aut ad Ordines s. vel Clericatus Officium tolli exinde monachi non debeant.

Ibid. p. 206.

S. Stephanus II. PP. Abbati Fuldrado.

Hoc omnino interdicimus, ut nullus Episcoporum praesumat presbyterum aut diaconum vel reliquos ordines ecclesiasticos in (praedictis) monasteriis ordinare vel missas ibidem celebrare, nisi ille, qui ab abbate in tempore existente fuerit invitatus.

Die 26. Febr. 757 (*Ibid.* p. 245.).

b) Conditiones, literae dimissor. et testimon., Ordinans.

Bened. PP. XIV.

Impositi Nobis licet immerentibus apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum ecclesiasticae disciplinae vigorem, non modo novas interdum leges provide constituamus, verum etiam veteres a praedecessoribus nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum praesidio debitis fraudeatur effectibus novis et inviolabilibus sanctionibus communiamus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

Sane, quae olim de ordinationibus regularium controversia viguit: *an sci-*

licet Regulares a quocunque catholico antistite indistincte ordinari possent, an vero id juris privative pertineret ad Episcopum illius dioecesis, intra quam sita est religiosa domus, quam regularis ad ordines promovendus inhabitat? providis romanorum pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et declarationibus jamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia Episcopi locorum ordinarii jura sua fundantes in generalibus canonum statutis et in ipsis exemptionum privilegiis, quae regularibus indulta sunt, ajebant, ipsorum ordinationes, utpote dioecesanis Episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad ordinarios eorum originis, quam regulares a se abdicant, dum saeculo nuntium remittunt, neque porro ad Ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur, proindeque unice spectare ad Episcopos ordinarios eorum domicilii, nimirum illius dioecesis ac loci, in quo ipsi ordinandi commorantur. Contra vero regulares apostolicis privilegiis innixi, quae certis ordinibus recentius elargita ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant sacros ordines a quocunque catholico antistite, juxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

Verum quum felicis recordationis praedecessor noster Gregorius PP. XIII. per suam apostolicam constitutionem, quae incipit „*in tanta rerum*", datum apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae MDLXXIII Kalend. Martii, justis gravibusque de causis alteram constitutionem sui nostrique pariter praedecessoris S. Pii PP. V., cujus initium est „*Etsi mendicantium*", ad juris communis et sacri Concilii Tridentini terminos reduxisset, eodem quoque anno in causa monachorum ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab Episcopis dioecesum, in quibus eorum monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia ab aliis quibusque Episcopis ordinandos esse declaravit, quemadmodum legitur lib. I. decretorum Congregat. Concilii p. 75 a terg. dub.: „*An Nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cujus dioecesi sunt, pro ordinibus conferendis ab Episcopo alterius dioecesis?* Sanctissimus Dominus noster etiam ex sententia sacrae Congregationis Concilii declaravit: *Obligari.*"

Contigit autem sub illius successore Sixto Papa V. eandem quaestionem retractari, instante universo ordine fratrum Praedicatorum. Qua de re idem praedecessor post maturum totius causae examen in praefata Congregatione Concilii habitum constituit: licere superioribus regularibus literas dimissoriales concedere suis respective subditis ad ordines suscipiendos, sed eas tamen dioecesano dumtaxat Episcopo directas, nec alteri unquam, nisi quum forte is a dioecesi abfuerit, aut, quatenus in dioecesi extiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur lib. IV. praedictorum decretorum p. 108: „Sanctissimus Dominus noster Xistus V. ex sententia Congregationis repondit: *Regulares posse concedere dimissorias ad Episcopum dioecesanum, eoque absente vel etiam praesente et ordinationem non tenente ad quemcunque, dummodo ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*"

Demum a sanctae memoriae praedecessore quoque nostro Clemente PP. VIII. ad hujusmodi controversias perpetuo extinguendas sequens decretum editum fuit: *De mandato sanctissimi Domini nostri Clementis divina providentia Papae VIII. tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcumque regularium superiori-*

bus, ut de caetero observent et observari faciant ea, quae in decreto sacrae Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis : Congregatio Concilii censuit, superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinent, regularis positus fuerit et si dioecesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, Episcopo dioecesano absente vel ordinationes non habente, literae dimissoriae dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiae dioecesani Episcopi vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis ac vocis activae et passivae privationis ac alias arbitrio ejusdem sanctissimi Domini nostri Papae reservatas poenas incurrant. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 15. mensis Martii 1596."

Hoc emanato pontificio decreto eoque tam claris verbis concepto jure sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri, sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Episcopi ultra montes constitui contendere coeperunt, necessarias esse regularibus dimissorias etiam ordinariorum eorum originis, quo possent ab Episcopis *aliorum locorum ad sacros ordines promoveri,* ex altera vero regulares, obtendentes in praefato Clementis VIII. decreto derogatum non fuisse apostolicis privilegiis, quae eorum òrdinibus sive directe sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocunque catholico antistite ordinari possent, hujusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

Verum quod attinet ad Episcopos, ipsa Congregatio Concilii die 28. Feb. anni MDCLIV., ut notatum reperitur libro XIX. ipsius decretorum p. 316, ita rescripsit: „*Regulares volentes se promovere ad ordines, non teneri ostendere dimissorias ordinariorum propriae originis, sed sufficere, ut observent formam praescriptam in decreto san. mem. Clementis VIII.*" Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17. Mart. a. MDCLXXIV. decretorum libro XXVIII. p. 261 et sequentibus.

Quod vero spectat ad regulares, quum eorum praesumptum jus, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctae ecclesiae romanae Cardinalium a felicis recordationis praedecessore nostro Innocentio Papa XIII. deputata, cui nos in minoribus tunc existentes nostram qualemcunque operam pro demandato nobis secretarii munere contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset, cumque ad hujusmodi quaestionem definiendam id potissimum visum esset in jure statuendum: an ad effectum eximendi regulares a praefati decreti Clementini observantia sufficeret, quod privilegia suscipiendi ordines a quocunque ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat, an vero opporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis praedecessoris decretum, ac praeterea: an hujusmodi pri-

vilegia aeque suffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis, quibus directe et expresse indulta fuerunt, idem Innocentius praedecessor, audito praefatae Congregationis particularis consilio, decrevit: satis esse ad supradictum effectum, quod hujusmodi privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis praefato Clementino decreto posteriora non sint, *dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicatione* privilegiorum de uno in alium ordinem derivata asserantur, quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis literis incipientibus „*Apostolici ministerii*" die 30. Maji anni MDCCXXIII. datis ac deinde confirmatis a sanctae memoriae praedecessore pariter nostro Benedicto PP. XIII. per alias similes literas datas die 23. Sept. anni MDCCXXIV., quarum initium est: „*In Supremo*" aperte declaravit his verbis: „*Quoties ergo regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a piae memoriae Clemente VIII. praedecessore etiam nostro confirmatum die 15. Martii 1596, quo sancitur, ad Episcopum dioecesanum literas dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu, quo dioecesanus a dioecesi abesset vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio vel de praedicta Episcopi dioecesani absentia vel de illa alia causa, videlicet quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad praedicta, regularibus illis, quibus per speciale privilegium a sede apostolica* post *Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus.*"

Porro si aliqui vigilias laboresque suos non tam in extrincandis inutilibus quaestionibus vel forte in rebus profanis et ab ecclesiastica possessione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum legum, quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, praejudicata opinio pro ratione atque in legum etiam clarissimarum interpretatione suus cuique sensus pro auctoritate esset, nec olim nobis in nostro Bononiensi Archiepiscopatu residentibus contigisset, ut regularis quiqam ex ea urbe repente digressus suique superioribus dimissorias ad Episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset nos Clericorum ordinationem non habituros, sacrum presbyteratus ordinem susciperet, nullaque interjecta mora Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur, quam tamen intolerandam audaciam nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere atque etiam servata pastorali mansuetudine vindicare non praetermisimus, ut videre est in monito pastorali a nobis tunc edito inter impress. monit. 3. lib. II., neque rursus, ex quo ad universalis ecclesiae regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium Episcoporum fratrum nostrorum quaerelae ad apostolatum nostrum delatae fuissent, qui nimirum non sine magno animi nostri dolore apud nos expostulare non desinunt, a pluribus saepe regularibus in eorum dioecesibus respective commorantibus similia perpetrari, in spretum ecclesiasticarum legum atque poenalium sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur (siquidem in authographo supra relati Clementini decreti distincte legitur „incurrant"; non autem, quod falso nonnemo asseruit, „incurrent"), dum sci-

licet *superiores regulares, qui subditis suis non ad praescriptum ejusdem decreti dimissorias literas concedunt, suorum officiorum ac dignitatum et vocis activae atque passivae amissione mulctantur, ordinati vero suspensionis poenam atque etiam, si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt, ac denique antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare praesumunt.* Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, quum ex usu rerum intelligere possint, complures regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini Episcopi dioecesani, cujus hac in re jurisdictionem aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui vel nullo vel admodum levi praemisso examine ordines ipsis impertiatur; quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinae Synodi decreta delinquunt. Ea siquidem *sess. 23. cap. 12. de reform., sic statuit: „Regulares quoque nec in minori aetate nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.“*

Nos autem consueta sedis apostolicae clementia uti volentes libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves Episcoporum quaerimoniae ad nos delatae fuerunt. Quaecunque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris judicii inquisitione liberamus, quin immo omnes et singulos in hoc delinquentes sive superiores regulares sive regulares ad ordines promotos sive antistites, qui eos ordinaverint, a quibuscunque sententiis censuris et poenis ecclesiasticis, quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusque innodati forsan existant, auctoritatis nostrae plenitudine ac de apostolica benignitate tenore praesentium absolvimus et absolutos esse censeri decernimus et cum iisdem super quacunque irregularitate per eos forsan causa et occasione praemissis quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines eorumque exercitium, atque ad omnia et singula eorum respective religionum munera pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De caetero tamen infrascriptas leges in posterum omnino observandas motu proprio et ex certa scientia nostra ac matura deliberatione praemissa edicimus atque statuimus.

Quaecunque nimirum hac in re a praefatis praedecessoribus nostris Gregorio XIII. et Sixto V., Clemente VIII., Innocentio XIII. in supra citatis ipsorum literis seu decretis statuta, mandata, definita atque sancita fuerunt, ea omnia et singula, motu, scientia et potestatis plenitudine prafatis, earundem praesentium serie, confirmamus, roboramus et innovamus atque ab omnibus, ad quos spectat seu quomodocumque in futurum spectabit, inviolabiter observari praecipimus et jubemus; *transgressores quoque omnibus poenis in praemissis contentis aliisque per apostolicas constitutiones et per sacros canones latis atque statutis cum effectu subjacere, easque ipso facto absque aliqua declaratione incurrere decernimus; Superiores* nimirum regulares eas omnes, quas, ut praefertur, supradictus Clemens VIII. praedecessor constituit et sanxit: *Regulares* autem, qui contra illius decreti praescriptum promoti fuerint et *Antistites* eos promoventes canonicas poenas atque censuras, quae adversus sacram ordinationem suscipientes ab Episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, necnon adversus Epis-

copus alienos subditos indebite ordinantes in jure canonico et constitutionibus apostolicis statutae habentur.

Praeterea volumus atque decernimus, ut *superiorum regularium dimissoriae*, quae ideo ad alium antistitem directae fuerint, propterea quod Episcopus dioecesanus extra dioecesim commoretur vel ordinationem non sit habiturus, *nullius sint roboris et momenti, nisi illis adjuncta fuerit authentica attestatio Vicarii generalis vel cancellarii aut secretarii ejusdem Episcopi dioecesani*, ex qua constet vel ipsum a dioecesi abesse vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto: hoc enim expresse declarari opus est ad exlcudendam nonnullorum arrogantiam, qui, quum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, quandocunque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim ipsoque die ab ipsis designato voti compotes fierent, jam dici posset, ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. *Quod si aliquis antistes regularem virum in sua dioecesi proprium domicilium non habentem* solis *ipsius superioris dimissorialibus literis contentus sine adjuncta praefata attestatione in forma probanti, ad ordines promovere praesumpserit, decernimus et declaramus, hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.*

Quemadmodum vero eorum ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab apostolica sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant, *dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum Concilium et ipsis ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint: ita porro omnia similia privilegia, quae aliis ordinibus ante praefatum Concilium Tridentinum ab ipsa etiam apostolica sede et sub quibuscunque tenoribus et formis indulta sint vel etiam post ipsum Concilium non ipsis directe concessa sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore nulla et irrita omnique vigore et robore ad effectum, de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus, decernentes, hujusmodi privilegia nequaquam post Concilium Tridentinum indulta censeri, nisi vel post ipsius Concilii confirmationem reipsa fuerint concessa vel quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes in forma specifica cum literali veteris indulti insertione factae dignoscantur*, ac declarantes, alterius generis confirmationes, quae in forma communi nuncupantur, nemini ad praemissum effectum ullo pacto suffragari.

Quod vero spectat ad eorundem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem juxta praemissa pleno jure competere dignoscuntur, ut non sine justa causa nec extra debitas circumstantias pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostentandam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem, quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab Episcopo dioecesano clericorum ordinationes publice habendae sunt, ad alterius Episcopi dioecesim consulta migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere ad pristinum domicilium redeunt, idque se facere ajunt, ut jurium suorum indemnitati consulant, quasi vero apo-

stolica privilegia nonnisi cum aperto Episcopi dioecesani contemptu suam vim et robur habitura forent.

Denique tam venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos quam dilectos filios omnium regularium ordinum professores, quam maximo possumus apostolicae voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri et per charitatem Sancti Spiritus hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio quam in caeteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus et sincerae dilectionis concordiam servare. Meminerint regulares, quo loco Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quod ipsis a sacrosancta oecumenica Lateranensi Synodo sub Leone X. habita inculcatum fuit per haec verba: „*Eosdem insuper fratres in virtute sanctae obedientiae, ut eosdem Episcopos loco sanctorum apostolorum subrogatos pro debita et nostra ac apostolicae sedis reverentia, congruo honore et congruenti observantia venerentur.*“ Neque obliviscantur Episcopi, regulares viros ipsis datos esse adjutores in dominicae vineae cultura; subdit enim eadem sancta synodus: „*Ipsos quoque Episcopos hortamur ac per viscera misericordiae Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent ac benigne foveant etc., et tanquam in agro dominico cooperatores eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant:* demum et Episcopi et regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subjicitur: „*Una est regularium et saecularium, praelatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus dominus, una fides et propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.*“

Haec profecto christianae veritatis et charitatis documenta quum utrumque servata fuerint, omnibus in rebus adeoque in hac etiam ordinationum materia importunae partium querelae penitus conticescent. Neque enim regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus Episcopis sacram ordinationem administrare, praeterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; Episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelae, quod superiores regulares ad eludendam decreti Clementini observantiam, advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad pristinum monasterium reverti jubeant; siquidem regulares hujusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse et in posterum districte coërcendam fore noverint), tum a probi viri honestate et fide alienam tum etiam debitae erga sacros ecclesiarum antistites observantiae contrariam esse ipsi per se facile cognoscent.

Praesentes vero nostras literas et in eis statuta quaecunque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae vel sufficienter aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel

obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu pari et de apostolicae potestatis plenitudine sibi concesso vel emanato quempiam in judicio vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

Sicque et non aliter in praemissis censeri atque ita per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et apostolicae sedis praedictae nuntios aliosve quoslibet quacunque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula, de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etc.

Volumus insuper et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes et in eis contenta quaecunque ad omnium notitiam facilius deducantur nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes seu earum transumpta ad valvas Ecclesiae S. Joannis in Laterano et Basilicae principis apostolorum de Urbe nec non cancellariae apostolicae curiaeque generalis Innocentianae in monte citatorio et in acie campi florae per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi sicque publicatas et affixas omnes et singulos, ad quos spectat seu spectabit in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter insinuatae et notificatae fuissent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Maj. die 27. Febr. 1747.

D. Cardin. Passionens.

Brixien.

Conquestus apud hanc Sacr. Congregationem est Episcopus plura ab Abbate Monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis haud rite legitimeque fieri. Abbas inquit Leonem X. indulsisse Hispanae Congregationis Cisterciensis Familiae, *ut ejus Monachi vigesimo secundo aetatis anno Sacerdotes fieri possent;* Gregorium vero XIV. privilegia eidem Congregationi ab aliis Pontificibus impertita confirmasse, ac denique Urbani VIII. privilegia, quibus Congregatio Hispanica potiebatur, communicasse Cisterciensi Congregationi Germaniae. Verum satis constat Privilegia quaecumque abrogata quoad hoc a Sacro Concilio Tridentino fuisse,

cum in Cap. 12. Sess. 23. de Ref. sic habeatur: *Regulares quoque, nec in minori aetate nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque penitus exclusis.* Privilegiorum vero confirmatio generatim facta a Gregorio XIV. itidemque communicatio ab Urbano tributa non videtur referenda ad privilegium jam abrogatum sublatumque de medio, nisi de eo peculiaris facta fuisset mentio, quae vim novae concessionis posset habere.

Nullos itaque Regulares ope veterum privilegiorum posse ante aetatem a Tridentina Synodo praestitutam ad sacros Ordines promoveri luculenter demonstrant *Passerin.* de stat. hom. tom. 3. qu. 189. art. 10. inspect. 10. n. 841., *Tamburin.* de Jur. Abb. disput. 2. quaest. 15. tom. 2., *Emus Petra* ad Constit. 7. Pii II. n. 57. et seq. tom. 5. Affirmat tamen Abbas Stambsensis se nunquam cum suis Monachis super hoc dispensasse.

Circa III. Dubium Clemens VIII. anno 1586 edixit: *ne Regulares quicunque Ordines ab alio susciperent Episcopo, quam ab eo, in cujus Dioecesi degunt, praeterquam si iste abfuerit vel Ordinationes non esset habiturus*, certis tamen etiam circa id adjectis conditionibus, ut videre est in Decreto, quod refertur et confirmatur in novissimo Concilio Romano tit. 21. cap. 2.

Respondet Abbas sibi licere ad quemcunque Catholicum Antistitem dimittere Monachos sibi subjectos pro Ordinibus suscipiendis ex vi Bullae Leonis X. itemque alterius promulgatae a S. Pio V., quae incipit: *Et si Mendicantium*, ac denique Brevis pro Cisterciensibus editi a Clemente VIII. anno 1592.

At Constitutio illa S. Pii V. fuit deinde a Gregorio XIII reducta ad terminos juris et Sacr. Concilii Tridentini, ut in Bullar. tom. 2. Constit. 9. ejusdem Gregorii. Bulla vero Leonis X. et Breve Clementis VIII. non fuerunt hactenus in medium prolata. Sed animadvertendum est, quod aliud Decretum ejusdem Pontificis Clementis, quo per modum legis universalis Regulares jubentur Ordines suscipere ab Episcopo Dioecesano, editum fuit anno 1536, adeoque quadriennio post illud, quod prodiisse dicitur pro Cisterciensibus. Hanc itaque legem ubique esse servandam pluries rescripsit haec Sacra Congregatio, cujus Decreta refert, materiam hanc fuse tractans, Eminentissimus *Petra* tom. 1. ad Const. unic. Urbani II. n. 5. et seqq., et tom. 5. ad Const. 7. Pii II. num. 83. et seqq.

Denique profertur ab Episcopo Transactio inita anno 1689 cum Abbate Monasterii, in qua declaratum inter caetera fuit Monachos Ordinibus majoribus initiandos mitti debere ad Episcopum Brixien.

Definiendum igitur erit:

1. An liceat Abbati Monasterii Stambsensis Ord. Cisterciens. dispensare super aetate cum Religiosis sui Monasterii sibi subditis pro suscipiendis s. Ordinibus? Et quatenus negative;

2. An Monachi ejusdem Monasterii ad Ordines promovendi praeter literas obedientiales teneantur exhibere Ordinario Brixiensi fidem sui Baptismatis ad docendum de legitima aetate?

3. An liceat Abbati dimittere suos Monachos ad alium Episcopum pro suscipiendis Ordinibus sine literis dimissoriis dicti Ordinarii? Et quatenus negative;

4. An Monachi sic ordinati cum dispensatione Abbatis in aetate vel ab alio Episcopo cum solis literis obedientialibus et sine dimissoriis Episcopi Brixiensis sint licite ordinati? Et quatenus negative;

5. An et in quas poenas tam Abbas quam ipsi Monachi taliter ordinati inciderint?

S. C. C. resp.
ad 1.: Negative;
ad 2.: Negative, dummodo in literis obedientialibus exprimatur aetas;
ad 3.: Servetur decr. Clem. VIII. anni 1596;
ad 4.: Negative;
ad 5.: In poenas canonicas.

Die 28. Novbr. et 12. Decbr. 1733.

Caputaquen.

Cum alias conquereretur apud hanc Sacr. Congregationem Episcopus Caputaquen., quod Superiores Carthusiae Sancti Laurentii Oppidi Padulae illius Dioecesis contra praescriptum Decreti ejusdem Sacrae Congregationis editi de mandato san. mem. Clementis VIII. sub die 15. Maii 1596 dimiserint quosdam suos Monachos ordinandos ad Episcopos Policastren. et Marsicen., proposita et resoluta fuerunt infrascripta dubia sub die 11. Februarii 1708:

I. An Monachi Carthusiani S. Laurentii Terrae Padulae Caputaquen. Dioecesis promoti ad Ordines tam Sacros quam Minores ab Episcopo Policastren. et Marsicen. sint licite ordinati? Et quatenus negative;

II. An et quas poenas incurrant ipsimet Ordinati et eorum Superiores?

Resp.: Incurrisse poenas contentas in decretis san. mem. Clementis VIII., sed ex gratia absolvendos.

Renovavit nuper querelas idemmet Episcopus, quod eo irrequisito praefati Superiores vigore trium Apostolicorum Brevium extra tempora nuncupat. pridemque obtentorum tres suos Monachos ordinandos dimiserint ad eumdem Episcopum Policastren., a quo reipsa ordinati fuerunt; unde videns propriam jurisdictionem laesam humiliter exoravit pro remedio opportuno, transmittendo exemplar unius ex praedictis Brevibus, in quo haec inter alia recensentur: „Tibi ut de Superiorum tuorum licentia a quocumque, quem malueris, catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente per te eligendo ad dictum Sacrum Presbyteratus Ordinem unica Dominica promoveri, et promotus in illo etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeas, authoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus nec non Antistiti obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.“

Citatis itaque Partibus concordatisque infrascriptis dubiis ex utrinque deducendis rogantur EE. VV. resolvere:

I. *An Monachi Carthusienses Monasterii S. Laurentii Padulae Caputaquen. dioecesis ordinati ab Episcopo Policastren. in vim Brevium Apostolicorum sint licite ordinati in casu? Et quatenus negative;*

II. *An et in quas poenas inciderint tam ordinati quam Prior dictae Carthusiae in casu?*

Sacra Congregatio die 6. Julii 1709 respondit ad I.: Affirmative; ad II.: provisum in primo.

c) Obedientiae promissio.

Gandaven.

Quum Rmus Gandaven. Ep. S. R. C. humillime rogarit, ut declarare dignaretur: utrum Ep. in Ordinatione Regularium in sua dioec. degentium dicere debeat: *Promittis Ordinario Tuo obedientiam etc.*, vel potius: *Promittis mihi etc.*

Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in hodiernis Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunati, infrascripto Secretario referente, respondendum censuerunt: „Servetur clara dispositio Pontificalis Romani?“

n. 5127 die 22. Julii 1848.

Vd.: *Ordin. Regul.* (condit. etc. *Constitutio Bened. XIV.* diei 27. Febr. 1747; *Ordinatio* (temp., decr. Pii VI.).

d) Regularis e Monasterio egressi.

Pius PP. V.

Romanus Pontifex conciliorum auctor et interpres illa, quae in hujusmodi conciliis a prudentibus Patribus in Spiritu S. legitime congregatis salubriter sancita sunt, pro sui pastoralis officii debito, quum aequitas, honestas et decus suadet, sicuti declarare et moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit. Sane quum non deceat divino ministerio adscriptos cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere, S. Trident. Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps clericus saecularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constaret, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere vel alias ordinari non posse, nisi juxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam et tenorem. Quum autem nulla in hujusmodi decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli (uti moleste accepimus) certorum ordinum religiosi seu canonici vel clerici, intra claustra monasteriorum seu domorum more regularium in commune viventes, qui nunquam seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, religionis praetextu absque titulo sufficientis beneficii nec juxta dicti decreti tenorem ad sacros ordines se promoveri praetendunt, et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque ideo plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et a claustro exeuntes et per saeculum vagantes vel mendicare vel sordidum quaestum exercere non sine ipsorum dedecore ac ordinis vilipendio et quamplurimorum fidelium scandalo cogantur. Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem et decus (quantum in nobis est) sinceris exoptamus affectibus, motu proprio et ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine hac perpetuo valitura sanctione decretum praedictum de clericis saecularibus loquens ad omnes et singulos etiam cujuscunque ordinis clericos religiosos more religiosorum viventes in communi non professos harum serie extendimus et ampliamus ac religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad sacros ordines promoveri, nec non omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, ut ordines ipsos hujusmodi religiosis personis impendere nisi observata forma dicti decreti non valeant, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena interdicimus et prohibemus ac contrafacientes per annum a praestatione talium ordinum suspendimus, statuentes et decernentes, promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad ordines hujusmodi contra ipsius decreti Concilii Tridentini formam, etiam cujusvis licentiae, illis ab apostolica sede vel illarum superioribus, cujuscunque dignitatis, status, gradus et praeeminentiae exsistant, etiamsi pontificali dignitate fungantur vel Cardinalatus honore praefulgeant, concessae praetextu factas, exsecutione pradictorum ordinum omnino carere, nullasque prorsus et irritas exsistere, sicque promotas personas in altari ministrare non posse, quinimo ministrantes privilegiis et exemptionibus, immunitatibus et aliis gratiis clericis concessis omnino privari, et irregularitatis aliasque in dicto

decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus nisi a Romano Pontifice vel in mortis articulo minime absolvi possint. Non obstantibus etc.

Datum Romae pridie Id. Oct. anno 1568, Pontificat. anno III.

Carpenctoracten.

(Conc. Tr. C. 1. 4. Sess. 25. De Regul.)

Conquestus nuper fuit apud Sanctissimum D. N. precibus ad hanc S. C. remissis Procurator Generalis Congregationis Doctrinae Christianae in Gallia, quod Joseph Reynaud frater laicus ab annis circiter sexdecim Professus in eadem Congregatione tribus votis simplicibus emissis, obedientiae, castitatis et paupertatis, nec non voto seu juramento perpetuo in ea perseverandi, nuperime dimisso habitu Congregationem ipsam deseruerit et ad titulum Patrimonii ab ejus parentibus, literas dimissorias ad omnes ordines ab Episcopo suo Carpenctoracten. callide obtinuerit et a Prolegato Avenionen. licentiam suscipiendi ordines extra tempora subripuerit sicque nimium festinanter et illicite imperitus omnes ordines susceperit Missamque celebraverit. Ex quo facto cum d. Reynaud ob desertionem Congregationis sine praevia votorum relaxatione eo ipso inciderit in suspensionem, ad praescriptum Apostolici Brevis desuper editi a san. mem. Alexandri VII. die 26. Septembris 1659 et juxta Constitutiones d. Congregationis cap. 29. lib. 1. ac ulterius alia simili suspensione irretitus extiterit, ob ordines susceptos sine licentia Praepositi Generalis seu Provincialis, juxta dispositionem alterius Brevis fel. rec. Clementis X. sub die 6. Junii 1676 atque exinde Irregularitate quoque innodatus remanserit, ob susceptos ordines et Missam celebratam durante suspensione. Propterea humillime implorabat Orator apostolicam provisionem ad effectum, ut d. Reynaud reassumpto habitu redeat ad suam Congregationem ibique ad suum statum laicalem redigatur.

Episcopus Carpenctoracten. informare desuper requisitus haec retulit: Josephus Reynaud Clericus loci Carumbi hujus dioecesis a me ipso olim insignatus, postea uti Laicus Congregationi Clericorum Saecularium doctrinae christianae nomen dedit et tria solita, paupertatis, castitatis et obedientiae cum juramento perseverantiae tria nempe simplicia vota emisit, me horum omnium inscio. Mox vero ad instantiam parentum illius requisitionem ob solatium matris ad titulum patrimonii legitimi, uti Clericus habens requisita, literas dimissorias ad minores et majores ordines suscipiendos a me obtinuit et praevio indulto apostolico ad eos extra tempora recipiendos a Domino Legato Avenionen. obtento ad solatium matris precibus impulsus e dicta Congregatione recessit, ordines suscepit et Missam celebravit usque ad diem secundam Junii ultimo praeteriti, qua die decretum Intimationis suspensionis, jam contra eum non vocatum nec auditum emanatum a Domino Archiepiscopo ad instantiam Patrum doctrinae christianae Avenionen. eidem Reynaud significatum fuit, cum citatione opportuna die sexta dicti mensis reproducta, a quo tempore revera abstinuit a celebratione Missae servando nihilominus honestum et pium vivendi modum, quem semper servavit. Quibus sic firmatis eidem interim executionem et exercitium ordinum prohibui et trium mensium ad deducendum ejus jura in Sacra Congregatione terminum praefixi. Existimans tamen eum non esse indignum clementia et commiseratione Sacrae Congregationis, cum praemissa ob solum matris solatium et illius impulsu egerit, et vi-

deatur a dicta Congregatione ipso facto exclusus ex dispositione illius Constitutionum etc.

Concordatis itaque inter praefatum Procuratorem Generalem dégen. in Urbe et Procuratorem dicti Josephi infrascriptis dubiis rogantur hodie EE. VV. ex hinc inde in Summar. deducendis resolvere:

I. *An et quas poenas incurrerit Fr. Joseph Reynaud dioecesis Carpenctoracten. Laicus Professus Congregationis doctrinae christianae in Gallia exeundo a d. Congregatione absque dispensatione seu facultate?*

II. *An praefatus Fr. Joseph fuerit licite ordinatus ad Ordines minores et sacros cum literis dimissorialibus sui Episcopi Carpenctoracten. postquam egressus fuit a dicta Congregatione?*

III. *An idem Fr. Joseph sit dispensandus tam in exercitio Ordinum quam in remanendo extra dictam Congregationem, in casu etc.?*

S. C. C. resp. *ad I.:* Incurrisse in poenas contentas in Constitutionibus Cong. necnon Suspensionis;
ad II.: Negative;
ad III.: Negative et redeat.
Die 22. Febr. 1710.

Iterum proposito dubio S. C. C. resp.: Pro absolutione a suspensione et dispensatione ab Irregularitate arbitrio Episcopi praevio diligenti examine super scientia et idoneitate, et Orator omnino servet vitam claustralem sub obedientia regulari.
Die 5. Septbr. 1716.

Glandeven.

(Conc. Tr. C. 1. 4. S. 25. De Reg.)

Suppliciter jam pridem condoluit Procurator generalis Congregationis doctrinae christianae in Gallia, quod Joseph Lyons Glandevensis dioecesis Frater laicus in eadem Congregatione professus, tribus votis emissis simplicibus obedientiae, castitatis et paupertatis cum voto seu juramento perpetuae perseverantiae, dimisso habitu Congregationem ipsam deseruit, nullatenus obtenta licentia Capituli generalis vel definitorii, quod juramentum perseverantiae dispensare valet, subindeque neque petita licentia praepositi Generalis sive Provincialis omnes etiam presbyteratus ordines susceperit ab Episcopo Glandeven. ac celebraverit. Idcirco jam dictus Procurator generalis illum in suspensionem incidisse autumavit juxta dispositionem Brevis s. m. Clementis X. 6. Julii 1676 atque insuper irregularitatem propter susceptos ordines et missam celebratam durante suspensione. Suppliciter itaque idem Procurator generalis egit, ut per Sacr. Congregationem demandaretur praefato laico, ne auderet exercere ordines, quodque rediret ad suam Congregationem. Particula autem Brevis s. m. Clementis X. est sequens: „*Cum facultate, ut omnes ejus clerici post vota emissa et juramentum praestitum, scilicet perseverantiae, de licentia praepositi Generalis et Provincialis ad omnes sacros et presbyteratus ordines serv. serv. promoveri valeant ad titulum d. Congregationis et ordinari a quocunque catholico Antistite ad omnes ordines cum solis dimissoriis Episcopi, in cujus dioecesi existit collegium seu domus, in quibus degunt de familia iidem clerici, qui ad ordines promoveri desiderant: ita tamen, ut Capitulum generale vel definitorium minime dispenset sive relaxet hujusmodi votum seu juramentum alicui ex promotis ad sacros ordines, nisi sibi prius constiterit etiam ex literis testimonialibus ordinarii loci, eum aliunde habere, unde commode sustentari possit, quod si aliquis hujusmodi votis et juramento*

obligatus sine dispensatione vel relaxatione praevia recesserit a dicta Congregatione, eo ipso remaneat suspensus donec hujusmodi dispensationem et relaxationem obtinuerit."

Relatis praelibatis precibus in Congregatione diei 18. Febr. 1713 per summarium responsum prodiit, quod darentur decreta edita in *Carpenctoracten. Voti perseverantiae et ordinum sub die 22. Febr. 1710 videlicet:*

I. *An et quas poenas incurrerit Fr. Joseph Reynaud dioecesis Carpenctoracten. Laicus Confessus Congregationis doctrinae christianae in Gallia exeundo a d. Congregatione absque dispensatione seu facultate?*

II. *An praefatus Fr. Joseph fuerit licite ordinatus ad ordines minores et sacros cum literis dimissorialibus sui Episcopi Carpenctoracten., postquam egressus fuit a dicta Congregatione?*

III. *An idem Fr. Joseph sit dispensandus tam in exercitio dd. ordinum quam in remanendo extra dictam Congregationem in casu etc.?*

Quibus dubiis S. Congreg. respondit

ad I.: Incurrisse in poenas contentas in Constitutionibus Congregationis necnon Suspensionis;

ad II.: Negative;

ad III.: Negative et redeat.

Certior itaque factus idem Joseph Lyons de hisce decretis morigerus rediit ad Congregationem ac abstinuit a celebrando. Successive vero legitima interveniente auctoritate deffinitiorii, praevia dispensatione juramenti perpetuae stabilitatis ab eadem Congregatione discessit, ut liquet ex documento exhibito; hinc benignitatem SS. D. N. ímploravit pro absolutione et dispensatione a suspensione et Irregularitate, quatenus ipsis sit irretitus, cum caeteroquin credat nullam censuram incurrisse, cum praefatum Breve procedat quoad clericos Congregationis, non autem quoad laicos, et ordinatus ipse extiterit a proprio Episcopo dioecesano Glandevensi. Procurator generalis nihil opponere intendit, quin etiam stante legitimo egressu Oratorem absolvi et respective dispensari posse censet, quatenus incurrerit, addendo, quod ipse moram duxit per aliquot annos in monasteriis Congregationis extra dioecesim Glandeven.

Relatis hujusmodi precibus in praeterita Congregatione EE. PP. demandarunt, ut poneretur in folio; quare in praesenti eorum oraculum expetitur sub dubio: *An et quomodo Oratoris precibus sit indulgendum?*

S. C. C. resp.: Affirmative ad cautelam.

Die 7. Julii 1714.

e) Regularis Laici (Conversi) in Beneficium saeculare cum permissione egrediendi e monasterio fierine debet?

Mediolanen.

(Conc. Tr. C. 11. S. 14. De Reform.)

Bonifacius Majocchi Religiosus commissus sive, ut vulgo dicitur, conversus in monasterio S. Simpliciani ordinis S. Benedicti Congregationis Cassiniensis cupiens ad Sacros Ordines promoveri titulo cujusdam simplicis Beneficii, quod veluti de jurepatronatus familiae suae se facile assecuturum asserit, supplicavit Sanctissimo, ut eam ob causam potestatem sibi faceret egrediendi e monasterio et qualemcumque regularem suum habitum dimittendi. Hisce autem precibus ad Sacram Congregationem remissis Vicarius generalis D. Cardinalis Archiepiscopi Mediolanensis, cui datae fuerant literae, ut ea de re, quid sentiret, audito Superiore praefati monasterii exponeret, sub diem 6. Aprilis 1740 jussu dicti Emi Antistitis tunc in Urbe

degentis retulit, Superiorem monasterii, quem petitionis a Bonifacio promotae conscium fecit, ejusdem pietate ac obedientia supra viginti annos in claustris praestita commendatis, asseruisse, facultatem religioni non esse ejus precibus annuendi, quum ab Ordinis Constitutionibus vetitum sit religiosis commissis literas ediscere, quia vero ab Abbate Praedecessore permissum fuit Oratori per annos quatuor studiis vacare, religioni propterea minime displere, si Orator ab ea egrediatur et sacris initietur ordinibus, quoties idoneum ad id titulum habeat.

Jussus vero posthac super eodem negotio sententiam suam proferre Procurator Generalis Congregationis Cassinensis significavit, conversos sive, ut ajunt, commissos sua in Congregatione receptos, post unius aut plurium etiam annorum probationem stabilitatem polliceri et simplicia emittere religionis vota, iis vero, donec in eadem Congregatione permanent, ex praescripto Constitutionum nullo modo ad sacros Ordines patere ascensum. Et quamquam nonnullas ob causas in dictis Constitutionibus expressas conversi queant a Congregatione dimitti, valde tamen inter doctiores ejusdem Congregationis dubitari: num id Superioribus liceat eam tantum ob causam, ut quis ita dimissus ac simplicibus religionis votis exsolutus ad sacros possit Ordines promoveri: caeterum se existimare, quod sacrae hujus Congregationis auctoritate decerni queat, ut eum Superiores in finem propositum a Congregatione dimittant, praesertim quia Orator ipse affirmat, sibi non deesse Beneficium simplex, ad cujus titulum ordinetur.

Sane praeter peculiares Ordinum Constitutiones, inspecto etiam communi jure, interdictum est religiosis Laicis sive Conversis ad sacros Ordines ascendere, quemadmodum statuit s. m. Clemens VIII. in ejus Constit. 83. §. 34. et s. m. Urbanus VIII. in Constit. 26. in haec verba: „Qui ad Conversorum habitum suscepti fuerint, ad Clericorum statum transire etiam durante tempore probationis non possint", et tradunt Emus *Petra* in Comment. ad Constit. Apostol. Constit. 8. Eugenii IV. num. 16., *Passerinus* de stat. hom. tom. 3. quaest. 189. art. 8. num. 227., *Donatus* rer. regul. tom. 2. part. 2. tract. 14. quaest. 14. num. 1. et 2., qui subdit, optima ratione id factum esse, ut juxta praeceptum Apostoli 1 Cor. c. 7. unusquisque permaneat in sua vocatione, in qua vocatus est, et ut item auferatur ansa et occasio ambitionis, qua solent homines altiora appetere non sine murmure et Praelatorum molestia.

At ubi justae in hypothesi suppeterent causae, ob quas videretur concedi posse Oratori transitum ad sacros ordines, major forte occurreret dubitandi occasio: num ob id permittendus sit illi egressus e monasterio deceatque absolutionem a simplicibus, quae emisit, religionis votis impartiri? Quaestio namque excitata fuit utique inter Doctores: an religiosus laicus transire queat ad aliam religionem minus arctam, ut in ea ad statum clericalem elevetur? quod negat *Suarez* tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 10. num. 11., quia clericatus per se, ut inquit, non pertineat ad statum perfectionis, neque illam conferat, licet eam suo modo postulet, affirmant vero cum D. *Thoma* quidam relati per *Passerin.* de stat. homin. tom. 3. quaest. 189. art. 8. num. 229., qui tamen n. 239. ad rationem a *Suarez* allatam respondet, clericatum quidem non esse statum perfectionis simpliciter, ideoque non licere transitum religiosi ad clericos saeculares, quia clericus non est in statu perfectionis, licere vero transitum religiosi laici ad regularem

statum clericorum, utpote in statu minus perfecto ad perfectiorem.

Praeter haec oporteret quoque ponderare, quibusnam clausulis temperanda foret facultas, quae fieret Oratori egrediendi e monasterio ob causam suscipiendi ordines sacros. Si enim Orator post obtentum a claustris egressum sive ex possibili frequentique humanae voluntatis inconstantia, sive ob necessariae doctrinae defectum, sive ob aliquam, quae illi superveniret, infirmitatem, sive demum, quia congruo destitutus Beneficio, sacris ordinibus non initiaretur, decernendum profecto esset: num ob eam tantum causam a monasterio dimissus liber imposterum judicandus omnino foret a votis religionis vel potius aliqua lege, et qua ratione ad eorum observantiam revocari posset atque deberet?

Placeat itaque Emminentiis VV. pronunciare: *An sit permittendus Bonifacio Majocchi Commisso Cassinensis Congregationis egressus ab eadem Congregatione ad effectum suscipiendi sacros ordines in casu?*

S. C. C. resp.: Negative.

Die 17. Febr. et 10. Martii 1742.

Iterum proposito dubio: An sit standum vel recedendum a Decisis?

S. C. C. resp.: Brevi recessu a Decisis affirmative.

Die 14. Decbr. 1743.

Vd.: *Ord. Regul. e Monasterio etc.*

25) Ad Subdiaconat. et Diaconatum.

a) Cophti.

Vd.: *Ordinatio Graecor.*

Benedictus PP. XIV.

Ad dubium I.: An Cophtis proprio ritu in aetate puerili ad diaconatus ordinem promotis, ubi legitima ad contrahendum matrimonium aetas advenerit, liceat nedum primum, sed alterum quoque inire matrimonium, ex vi dispensationis obtentae a PP. missionariis, absque ullo speciali indulto apostolico?

Ad dubium II.: An dicti Diaconi officium divinum recitare teneantur?

Resp. *Benedicti PP. XIV.*

Ad I. et II.: Pro faciliori et accuratiori illorum examine juvat praemittere, verificari practice et in concreto apud Cophtos, quod in abstracto et pro suo ingenio disputant inter se latini theologi et canonistae de ordine sacro infanti ante rationis usum vel ante pubertatem collato. Praematuram hujusmodi ordinationem apud Cophtos veteri usu et disciplina invaluisse testatur P. Thomas a Jesu dicto oper. de Conversion. Gent. lib. 7. pag. 361.: „*Conferuntur,* inquit, *ordines, excepto presbyteratu, omni aetati, etiam immediate post baptismum parvulis simulque dantar tonsura et quatuor gradus et diaconatus et subdiaconatus; nec hisce conferendis interstitia vel tempora particularia determinata sunt. Ubi sacros ordines recipiunt, castitatem et abstinentiam pollicentur, jejunare videlicet diebus Mercurii et Veneris, et tempore adventus et quadragesimae etc. Insuper etiam quadragesimis Apostolorum Petri et Pauli et Assumptionis. Quando autem infantulis aut pueris sacri ordines conferuntur, pro eis spondent et haec vota observant ipsorum parentes, donec decimum sextum aetatis annum aut circiter exegerint.*"

Hanc quoque vigentem inter Cophtos consuetudinem assumendi ad ordinem diaconatus constitutos in aetate infantili confirmat suo testimonio Carolus Franciscus a Breno in Manuali Mission. Oriental. tom. 1. lib. 3. cap. 2. num. 5.; idemque usus evincitur in literis P. Berna, missionarii societatis Jesu datis anno 1706 Cairo ad P. Solerium, magni nominis probataeque

doctrinae Bollandistam; memoratis in iisdem literis Cophtorum seu Jacobitarum moribus et institutis advertit, diaconos promotos in aetate sex vel septem annorum in immensum excrevisse numerum, caeteroquin necessarium, ne Ecclesia debitis fraudetur obsequiis; neve divina mysteria absque decenti ministrorum cultu et frequentia celebrentur, quemadmodum videre est in continuatione Bollandi tom. 5. mens. Jun. pag. 132.

Nemo adeo rudis est, qui ignoret in Ecclesia occidentali diversos ordines et ministrorum gradus fuisse institutos et in sua rite tempora dispositos. Prima etenim tonsura initiandi sunt praediti usu rationis, qui in septimo aetatis anno praesumitur. *Minoribus vero ordinibus,* licet determinata aetas a sacris canonibus praestituta non sit, adhuc a septimo ad decimum quartum annum conferri solent, concurrentibus tamen in ordinando qualitatibus desideratis a Tridentino sess. 23. de reform. cap. 5 et 11. Porro ejusdem Tridentinae Synodi lege cautum est, *ad Subdiaconatum* aetatem vigesimi secundi anni, *ad Diaconatum* vigesimi tertii, *ad Presbyteratum* vigesimi quinti, *ad Episcopatum* trigesimi esse necessariam; eo tantum inter sacros ordines et Episcopatum recurrente discrimine, quod pro sacris ordinibus satis sit unius vel alterius respective anni inchoatio, pro Episcopatu vero complementum trigesimi anni requiratur.

Si tamen in hujusmodi provide institutarum legum contemptum contingeret fortasse ab Episcopo legitima auctoritate suffulto non solum minores sed etiam sacros ordines infanti conferri, concordi theologorum et canonistarum suffragio definitum est, „*validam*“ sed „*illicitam*“ *censeri hanc ordinationem,* dummodo nullo laboret substantiali defectu materiae, formae et intentionis in Episcopo ordinante; non attenta contraria sententia, quae raros habet asseclas et quae suppremis Tribunalibus et Congregationibus Urbis nunquam arrisit. *Aeque tamen certum et exploratum est, per hanc ordinum collationem non subjici promotos obligationi servandae castitatis nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis,* cum electio status a libera cujusque pendeat voluntate, et Altissimo nostra non autem aliena vota reddere teneamur.

Obsolevit enim vetus illa Ecclesiae disciplina, quae coacte aut per vim promotos ad Sacerdotium et Episcopatum duro subjiciebat jugo servitutis et observationis onerum et legum cuicumque ordini impositarum, spreta quavis protestatione ordinati vel promoti, contra vim illatam spretaque declaratione animi a suscepto ordine abhorrentis. Insuper licet usque ad saeculum duodecimum consueverint parentes filios in infantili aetate positos in sacris monachorum coenobiis devovere et divino famulatui mancipare, perpetuo vetito egressu e septis monachorum; attamen mitioribus Clementis III., Coelestini III. et Tridentinae Synodi decretis abrogata fuit lex illa, contra quam naturae et liberi arbitrii jura clamare videbantur.

Non desunt tamen graves theologi, qui accuratiori etiam examine rem intime scrutentur. *Ajunt siquidem, infantes promotos ad sacros ordines, ubi sui compotes jam fuerint, diserte esse interrogandos super intentione permanendi, necne, in ordine sibi collato.* Si firmo deliberatoque animo palam assenserint, eo casu censent eos obstringi voto castitatis, sin minus, licitum sit eisdem ad saecularia vota transire, suspensa exercendi ordinis potestate.

Alium expendunt casum theologi *ordinis suscepti post usum rationis sed ante pubertatem.* Affirmant: ita

ordinatum tunc solum obligari voto servandae castitatis, quando ordinationem „expresse“ ratam habuerit vel „tacite“ aliquo exteriori signo, puta quia ministraverit in ordine suscepto, vel quia pensum diurnum horarum canonicarum more aliorum absolverit; quousque ratihabitio non superveniat, iidem theologi nullam ordinato imponunt obligationem recitationis officii divini; immo censent tamdiu interdictum ordinis suscepti, quamdiu ordinatus in aetate impuberi attingat alteram aetatem a sacris canonibus promovendis rite praestitutam.

Expensa hucusque in abstracto ad tramites legum canonicarum, quibus Ecclesia occidentalis informatur, facilem viam sternunt resolutioni dubii, in quo quaeritur: „*An Diaconis ritus Cophti licitae sint primae et ulteriores nuptiae?*“ sed etiam dubii, in quo quaeritur: „*An dicti Diaconi teneantur divinum officium recitare?*“

Et sane si missionarii, qui dubia proponunt, ultro consentiunt, apud Cophtos ecclesiasticam hierarchiam perseverare in suis ordinibus et gradibus apte dispositam; si sacrae illae ordinationes nullo laborant substantiali defectu ex parte materiae vel formae; si demum, sublato illo, qui olim aderat, dissentium opinionum conflictu, nemo est, *qui hodie validam non fateatur ordinationem a ministro etiam schismatico factam:* necessario sequitur, ut quemadmodum in Ecclesia occidentali valide conferuntur ordines sacri etiam infantibus, *ita Cophtis sacer Diaconatus ordo in infantili aetate valide conferatur.*

Immo si in Ecclesia occidentali, ut praemissum est, *eximuntur ab obligatione recitationis divini officii non solum pueri, sed etiam impuberes assumpti ad ordinem sacrum, nisi confirmata jam aetate suam ordinationem expresse vel tacite ratam habeant*, ex paritate rationis idem ferendum in hac quoque parte judicium de Diaconis Cophtis in tenera aetate ordinatis, recurrente in uno et in altero casu defectu liberi assensus, singulis ad electionem et professionem status necessarii.

In Concilio Toletano II. relato in Can. „*de iis*“ dist. 28., ubi sermo instituitur „de iis, *quos voluntas parentum a primis infantiae annis clericatus officio mancipavit*“, haec disciplinae regula opportune praescribitur: „*ubi octavum decimum aetatis suae compleverint annum, coram cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur, quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, Subdiaconatus ministerium, habita probatione professionis suae, a vigesimo anno suscipiant etc. Quibus autem voluntas, propriae interrogationis tempore, desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus.*“ Canonicae hujus sanctionis litera aperte docet, infantes a parentibus ecclesiasticis ministeriis dedicatos, exacto decimo octavo anno ab Episcopo interrogari oportere, an velint in sancto perseverare proposito vel temporale inire conjugium. Ab hujusmodi recte agendi semita non deflectat praefectus missionis; sed Diaconos in prima aetate ordinatos aperte interroget per se ipsum, si commode fieri possit, sin minus, per alium a se deputatum, et quae illorum sit mens et voluntas, diligenter exploret.

Haec porro interrogatio et inquisitio fiat postquam Diaconi decimum sextum aetatis annum excesserint; consonum quippe est, Diaconos eo tempore deliberare, quo juxta Tridentini decreta in quacumque religione tam virorum quam mulierum solemnia castitatis, paupertatis et obedientiae vota per regularem professionem emit-

tuntur. Si completo decimo sexto anno interroganti responderint, nolle diutius in diaconali officio persistere, liceat illis primum, eoque legitime soluto, alterum quoque inire matrimonium. Certiores praeterea fiant, nulla ecclesiastica lege vel praecepto ad recitandum officium divinum vel preces a clero Cophto usitatas compelli.

Nec turpe videri debet aut indecorum Diaconis a quavis ecclesiastica lege solutis aditum ad iteratas nuptias aperiri. Pro libertate secundi matrimonii sacrae clamant literae et doctoris gentium saluberrima consilia. Ad foeminas sermonem instituens Apostolus in epistola ad Romanos cap. 7: „*Si autem*, inquit, *mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*“; et in II. ad Corinth. cap. 7: „*Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego; quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.*“ Demum ep. I. ad Timoth. cap. 5. florentis aevi viduas denuo ad matrimonium et ad sobolem procreandam hortatur, ne forte in contemptum castitatis sordibus incontinentiae coinquinentur. Qua freti auctoritate orientalis Ecclesiae patres graviter erroris arguunt et tanquam haereticos damnant, qui putant, post primae uxoris obitum nefas esse ad secunda vota transire, ut videre est apud Petrum Arcudium de concordia Ecclesiae occident. et orient. lib. 7. cap. 27.

E contra si Diaconi ritus Cophti, completo decimo sexto anno, interroganti et illorum voluntatem inquirenti serio ac deliberate responderint, velle se in adepto ordine perseverare et ecclesiasticis vacare muneribus, eo casu sub districti severitate judicii secundae nuptiae illis aperte interdicantur, clamante Apostolo ep. I. ad Timoth. cap. 3: „*Diaconi sint unius uxoris viri.*“

Insuper, cum personas Deo consecratas maxime puritas sanctitasque deceat, provide canones apostolici 17 et 18, quos praecipua veneratione et cultu Ecclesia prosequitur, *prohibent Episcopis, Presbyteris et Diaconis, nedum bigamiam propriam, quae profluit ex secundo matrimonio, sed etiam similitudinariam ortam ex primo matrimonio cum vidua et corrupta contracto.* Disposita per canones apostolicos innovata fuerunt in canone 3. Concilii Trullani; cujus auctoritas licet in Ecclesia occidentali recepta non sit, illam tamen orientalis Ecclesia suscipit et veneratur. Alexius Aristenius (magni nominis apud Orientales auctor, quemadmodum Balsamon et Zonaras inferiori loco citandi) praefati canonis Trullani glossator ita scribit: „*Illum, qui binis implicatus est nuptiis post baptismum aut pellicem retinet aut viduam aut ab alio dimissam, aut meretricem aut servam aut scenicam ducit, non posse Episcopum aut Presbyterum aut Diaconum aut Hupodiaconum fieri, juxta decimum septimum et decimum octavum Apostolorum canones, decernunt.*“

P. Bernat apud Bollandistas loco citato propius ad rem accedens testatur, Diaconos Cophtos vinculo secundi matrimonii alligatos *adepto gradu excidere* et ab ordinis antea collati ministerio suspendi. Nec sane deest huic disciplinae satis firmum rationis praesidium. Cum enim Diaconi opportuno tempore interrogati libero et deliberato actu voluntatis ratam ordinationem habuerint et novam quoddam vitae genus ratificando elegerint ac professi fuerint, deliberato pariter voluntatis actu censendi sunt se subjecisse legibus ordini ratificato et vitae instituto necessario connexis ac legi praesertim prohibenti secunda connubia

et bigamiam, adeo ut nefas sit a proposito resilire.

Toti hactenus fuimus in examine secundarum nuptiarum: *nunc vero aliqua de primis attingenda sunt*, ut singulis propositi dubii partibus satis fiat.

Quamvis antiquissimo tempore, ad augendam clericalis militiae sanctitatem, utraque Ecclesia occidentalis et orientalis aeque praescripserit, nedum Presbyteros sed alios etiam in SS. ordinibus constitutos in perpetuo coelibatu versari debere, et hanc custodiendae castitatis obligationem nunquam remiserit aliarum mater et magistra Romana Ecclesia, secus tamen contigit tractu temporis in Ecclesia orientali, ut aperte evincitur ex can. „aliter" dist. 31. cap. „quaesitum" de poenit. et remiss., et cap. „cum olim" de cleric. conjug. Quibus sanctionibus consonae sunt literae apostolicae fel. record. Gregorii XIII. praedecessoris nostri datae ad patriarcham Maronitarum legendae apud Thomam a Jesu in supra memorato opere pag. 490, ibi: „*Cum Stephanus Papa tradat, Orientalium veterem esse traditionem, ut eorum sacerdotes matrimonio copulati sint, cumque id illis nunquam interdixerit Ecclesia, nec videtur interdicendum Maronitis; lex enim coelibatus semper gravis visa est Graecis, propterea conjugium permissum est illis etc. Permittendum id itaque videtur Maronitis, dummodo ad matrimonium non compellantur, qui coelibes esse vellent, sed ad id potius piis hortationibus inducantur.*"

Junguntur matrimonio Graeci in minoribus ordinibus constituti, et uxore retenta ad majores ordines et ad sacerdotii gradum rite promoventur: ubi tamen contigerit, eos in statu coelibi sacris ordinibus insigniri, a quacumque spe contrahendi matrimonii dejiciuntur, ut fuse edocet Glossar. in canon. „diaconi" distinct. 28.

Quin obstet declaratio et protestatio de expetendo conjugio in ipsa susceptione ordinis sacri emissa a Diaconis, qua concurrente compatibiles videntur nuptiae cum simultaneo Diaconatus ministerio, ad praescriptum canonis 10. Concilii Ancyrani relati in canon. „Diaconi" dist. 28: „*Quicunque Diaconi constituti in ipsa ordinatione protestati sunt et dixerunt, oportere se uxores ducere, cum non possint sic manere, ii, si uxorem postea duxerint, in ministerio maneant, eo quod hoc ist illis ab Episcopo concessum, si qui autem, hoc silentio praeterito et in ordinatione, ut ita manerent, suscepti sunt, postea autem ad matrimonium venerunt, ii a Diaconatu cessent.*" Siquidem Balsamo, qui canonem illum accurate expendit, expresse rejicit in illo disposita inquiens: „*hunc canonem ne sequaris*", et innixus solidiori doctrinae sexti canonis Synodi Trullanae inefficacem esse concludit assensum dictae protestationi quoque modo praestitum ab Episcopo ordinante: „*sextus enim canon* (sunt illius verba) *Synodi in Trullo deponendos decernit, Presbyteros et Diaconos, qui post ordinationem matrimonium contraxerint. Quod fit autem contra canones, nec ex permissione episcopali nec ex eo tantum, quod tacuerint, concedetur, ut quod consistere nequit.*"

Eadem est quoque sententia Zonarae de canone supra relato Concilii Ancyrani; immo ad removendam antinomiam duorum canonum, nempe Ancyrani et Trullani, qui inter se colliduntur, sextae Synodi decreta sequenda proponit: „*cum igitur sibi invicem hi canones manifeste adversentur, sextae Synodi canon, qui et posterior fuit et magis cum apostolico*

canone consentit, servari debet." Nec diversimode etiam sentit Aristenius, qui in hoc auctoritatum conflictu adhaeret partibus Concilii Trullani; ait enim: ,,*Sed huic canoni opponitur sextus sextae Synodi canon, non omnino ei, qui coelebs ad Hypodiaconi aut Diaconi aut Presbyteri gradum venit, concedens, matrimonio sibi foeminam conjungere, sed eum, qui hoc ausus fuerit, deponi jubens. Et vim retinet ille canon, sed hic in desuetudinem abiit.*"

Diu multumque agitata est inter Theologos controversia illa, plena jurgii ac dissidii: *an solum illicitum vel potius illicitum et invalidum reputari deberet matrimonium initum in Ecclesia orientali post collationem sacrorum ordinum, quemadmodum nullum et irritum reputatur in Ecclesia occidentali?* Placuit sane pluribus, validum sed illicitum censeri debere hujusmodi matrimonium, tum quia canonicae sanctiones et decreta Ecclesiae occidentalis illud irritantia protendi non possunt indole sua ad Ecclesiam orientalem, tum quia canones Synodi Trullanae, quorum semper a Graecis commendata fuit auctoritas, nullibi expresse annullant et irritant matrimonium post sacros ordines contractum. Strenue contra pugnarunt alii pro omnimoda invaliditate et saniori certe consilio, utpote tuentes sententiam majoribus suffragiis suffultam et menti Congregationum Urbis consentaneam. Nullitatem matrimonii satis erui posse judicarunt ex ipso canone 3. Concilii Trullani his verbis: ,,*Eis nefario videlicet dissoluto conjugio.*"

Favet etiam eidem sententiae auctoritas imperatoris Justiniani, qui in codice a Gothofredo illustrato lib. I. de Episc. et Cleric. novell. 45. hujusmodi nuptias nefarias et incestuosas appellat et soboli inde procreatae notam illegitimitatis et turpem paternae incontinentiae maculam inurit. Et licet in juribus ecclesiasticis potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi, in subjecto tamen casu loquitur imperator relative ad ss. canones, ibi: ,,*quae et sacris visa sunt canonibus.*"

Omnia itaque in unum perstringentes, si ex hucusque dictis Graecis ad ordines sacros jam promotis expresse vetitae sunt non solum secundae, sed primae etiam nuptiae, *pari sane jure in proposito themate prohibenda est Diaconis ordinatis in tenera aetate celebratio quarumcumque nuptiarum, postquam ipsi in aetate jam confirmata, serio deliberatoque animo consensere in ordinationem jamdiu susceptam illamque publica declaratione ratificarunt;* proindeque partibus missionariis omnis admittitur potestas super hoc dispensandi.

Nec opitulari quoque modo potest Gophtis salutare propositum ejurandi Schismaticorum errores seque devovendi ex animo unioni catholicae Romanae Ecclesiae. Si enim divina tantum adspirante aura nulloque humano impellente consilio in piae matris gremium se receperint et ad nos confugerint, facile etiam intelligent, ejusdem catholicae Ecclesiae disciplinae et observantiae eos conformari oportere, ideoque subjici legi coelibatus, quam promoti ad ordines sacros, sive Latini sint sive Graeci, in romana Ecclesia sancte et inviolate custodiunt.

Imminet etiam Diaconis ratam habentibus suam ordinationem onus dietim recitandi officium divinum.

In Ecclesia Occidentis imposita est Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis dicta obligatio, quamvis nullum ecclesticum beneficium fuerint assecuti. *Cohaeret enim ordini sacro diurnum pensum horarum canonicarum;* illudque veteri traditione acceptum et im-

memorabili consuetudine in more positum fuisse docet communior Theologorum opinio.

Quantum assequi potuimus conjectura et testimonio monachorum ritus Cophti in Urbe degentium, quos ea de re percunctari non praetermisimus, *Diaconi, Subdiaconi et Presbyteri Ecclesiae Orientis nulla lege expressa, canone aut Concilii decreto adiguntur ad recitationem officii divini, quia vero positi in hujusmodi ministerii gradibus tenentur omnipotenti Deo orationes et sacrificium laudis offerre, etiam apud Orientales laudabilis invaluit consuetudo recitandi divinum officium.*

Memoriae proditum est, Patriarcham Maronitarum plura proposuisse dubia Praedecessori nostro Gregorio XIII., ut supremo illius et apostolicae sedis judicio definirentur. Legitur §. 6 hoc potissimum: „*Creamus*, inquit Patriarcha, *pueros quinque vel sex annorum Subdiaconos sine obligatione legendi horas canonicas;*" en apostolica definitio relata in saepe memorato opere P. Thomae a Jesu: „*Tenentur etiam omnes ordinati ad horas canonicas, saltem illi nationi consuetas et a viris doctis recognitas, non solum beneficiati, sed etiam qui sunt in sacris sine beneficio.*" Qua de re, si disciplina Ecclesiae Orientalis subjicit obligationi et praecepto recitandi officium divinum „more nationis" generatim omnes in sacro ordine constitutos, eadem sane obligatio idemque praeceptum persolvendi horas canonicas „more suae nationis" afficiet Diaconos Cophtos, qui per solemnem ratificationem tempore habili emissam denuo assensum praestitere ordini sacro in infantili aetate suscepto.

Satis haec videri possunt pro examine tertii et quarti dubii, semper tamen prae oculis habita firmiterque retenta hyothesi, quod quaestio usque modo instituta referenda sit ad Diaconos ordinatos in prima aetate ritu Cophto inter Schismaticos, qui post reditum ad orthodoxam Ecclesiam et post ratihabitionem ordinis factam apud Catholicos in statu coelibi vindicent sibi postea legitimi jura conjugii.

At suspicari nobis non temere licet, crebrius in praxi alium dari casum a praemissa hypothesi longe diversum. *Saepissime etenim contingit, a Diaconis apud Schismaticos in aetate infantili ordinatis, ubi aetas adolevit, ratam haberi apud eosdem Schismaticos ordinationem, si non expresse, saltem tacite, v. g. ministrando in ordine suscepto, et ab ipsis subinde contrahi matrimonium.* Demum ab erroribus, in quibus versantur, quaerunt in sinu catholicae Ecclesiae salutare perfugium, sub spe tamen obtinendae dispensationis super matrimonio jam inito, ut in statu conjugali legitime perseverent.

Casus iste quo frequentior est, eo etiam explicatu difficilior. Etenim si, ad tramites jam expensarum rationum, ipso jure irrita sunt matrimonia post ordinem sacrum contracta, necessario sequitur, Diaconos in reditu a schismate ad unitatem Ecclesiae non posse pedes tenere in diversis, unum in divinis alterum in carnalibus, *sed illico separari debere a quovis uxoris consortio.* Quis erit tamen, qui non agnoscat ac fateatur, hanc separationem gravem obicem obtrudere properantibus in viam salutis ac plurimum obstare, ne inita de conversione consilia ad exitum perducantur?

E contra vero si facile cum Diaconis dispensetur in matrimonio post sacrum ordinem contracto (quod tamen omnino novum ac inusitatum non esset, ut perperam nonnulli arbitrantur) ineluctabiles sese objiciunt difficultates in dicta dispensatione executioni demandanda. *Siquidem cum apud fideles*

etiam Ecclesiae orientalis nulla sint et irrita matrimonia post ordines sacros celebrata, dispensatio grave illis scandalum ingereret et acerbe quererentur, maximum infligi vulnus ecclesiasticae disciplinae.

Insuper, cum res sit de matrimonio in radice nullo, dispensatio suffragari non posset, *nisi renovato ac denuo in faciem Ecclesiae rite praestito a conjugibus consensu.* Hanc vero renovationem consensus novam omnino putarent Cophti vel fortasse refugerent tanquam plenam aleae, probe intelligentes, unum et alterum conjugem posse pro libito abstinere a praestando assensu, immo potiri facultate sese in libertatem vendicandi.

Caeterum, ut mox innuimus, indubiis ecclesiasticae historiae monumentis edocemur, alias dispensatum fuisse, ut Orientales ad unitatem redeuntes perseverarent in foedere matrimonii post sacros ordines contracti. Exemplum hujusmodi dispensationis exhibent apostolicae literae fel. rec. Innocentii IV. Praedecessoris nostri anno 1244 datae ad Magistrum et Priorem fratrum Praedicatorum Terrae Sanctae, quibus idem Pontifex inter alia indulget, ut per fratres dicti ordinis, *qui deputantur ad praedicandum Jacobitis, Neostritis, Giorgianis, Graecis, Armenis, Maronitis, Mossolinis aliisque nationibus in partibus Orientalibus constitutis etc., dispensari valeat, ut illi ex nationibus numeratis, qui post susceptionem sacrorum ordinum vel in gradibus et casibus a divina minime lege prohibitis matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem.*

Extat dictarum literarum exemplar authenticum Romae in archivo ordinis, exscriptum ad fidem authographi asservati in coenobio Viterbiensi, ut videre est in novissimo bullario Dominicano edito et illustrato ab Antonio Bremond dicti ordinis alumno tom. I. pag. 136.

Die 4. Maii 1745.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 512.)

Benedictus PP. XIV.

Prosequendo examen dubiorum illud ordine succedit: *An, si Diaconi ordinati in aetate puerili ministrent adulti in ordine suscepto et in statu coelibi, inferri possit, eos ante nuptias ratam ordinationem habere, cum compertum sit teste P. Benart, eos a puero functionibus ecclesiasticis assuescere et in magno numero ordinari, ne aliquando desint, qui Ecclesiae ministeriis operam navent?* Cum igitur examen praescripti Dubii aggredi placuerit, post latum a quolibet ex Congregatis suffragium, pronunciatum est a Nobis decretum in haec verba: *Diaconi in aetate puerili ordinati, licet ante decimum sextum aetatis annum ministraverint in ordine suscepto et in statu coelibi, tamen non censentur ante nuptias ordinationem ratam habuisse, eo quod nihili faciendi sint illi actus, quos in aetate puerili et ante decimum sextum aetatis annum exercuerint.*

Quod decretum nunc pariter a Nobis confirmatur.

Ad instar conciliaris dispositionis a Nobis constitutum est, *ut Diaconi Cophti in infantili aetate ordinati, ubi ad annum decimum sextum aetatis suae pervenirent, a praefecto missionum interrogentur, num velint necne perseverare in ordine suscepto et obligationes omnes ordini annexas implere*, ut inde statui possit, quid in futurum in reliqua eorum vita ab ipsis servandum sit, sicut quisque videre potest in pluries laudata instructione Nostra anni 1745. Itaque, quemadmodum stabilita per Concilium aetate anni decimi sexti ad professionem

regularem emittendam, tacita locum non habet, etiamsi ante praedictam aetatem actus illi expleantur, ex quibus secundum canonicas dispositiones tacita professio inducitur, sed omnes illi nullo in numero et pro nihilo habentur ad tacitam professionem regularem inducendam, nisi expleti fuerint post annum aetatis decimum sextum et postquam anno probationis evoluto expressa professio emissa non est; ita constituto a Nobis anno aetatis decimo sexto, quo, ut dictum est, Praefectus missionum Diaconos in puerili aetate ordinatos interrogare debet, velintne an secus perseverare in ordine suscepto et obligationibus ordini conjunctis satisfacere, ex ordinis exercitio ante annum decimum sextum eorum aetatis peracto nulla tacita ratihabitio argui debet, cum ad summum hujusmodi actus tacitam ratihabitionem importare possint, si gesti fuerint post annum decimum sextum eo casu, quo Praefectus missionum anno decimo sexto eorum aetatis ipsos interrogare, quemadmodum ab illo fieri debere saepius monitum est, neglexerit.

Die 19. Junii 1750.

(Bull. Bened. XIV. t. III. pag. 288. §. 7. 11.)

b) Defectus tangendi libri Epistol.

Ordinis Capuccinorum.

(C. Tr. C. 2—4. De ver. et cath. doctr. Sacr. Ord. S. 23.)

Frater Franciscus Aesinus hujus ordinis exposuit huic S. C., quod, cum de mense 1709 cum Dimissorialibus sui Superioris accesserit ad Episcopum Senogallien. pro suscipiendo Sacro Subdiaconatus Ordine, in actu ejus Collationis tetigit quidem Calicem et Patenam non autem librum Epistolarum ex inadvertentia Assistentis, unde, licet Orator ex communiori Doctorum opinione non dubitet de valida ejus ornatione, sed tantum credat ei deficere potestatem legendi Epistolas, nihilominus urgente etiam opinione nonnullorum Doctorum sententium in oppositum, pro tutiore suae conscientiae quiete humiliter supplicavit pro opportuna declaratione.

Episcopus Senogallien. desuper informare requisitus retulit, Oratorem tactis Calice et Patena, quando debuerat tangere pariter librum Epistolarum, non se praesentasse cum aliis ad eundem ordinem suscipiendum accedentibus, sed meditabundum et oculis in terram defixis non advertisse, admonitum vero ab alio ejusdem Religionis Sacerdote, ut se adjungeret cum aliis ordinandis, ivisse seque adjunxisse cum aliis Subdiaconis, qui jam librum Epistolarum tetigerant, non vero qui librum tangere debebant. Quare censuit Relator, ea quae omissa fuerunt, suppleri posse inter Missarum solemnia. Nunc itaque rogat Orator EE. VV. pro declaratione:

An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum?

S. C. C. resp.: Esse supplendum per Episcopum etiam privatim.

Die 29. Novbr. 1710 et 10. Jan. 1711.

c) Def. intent. et tactus materiae.

(Concil. Trid. Can. 9. 13. Sess. 7. De Sacram.; Cap. 3. 4. Sess. 23. De ref.)

Joseph. Rodriquez Turritanus ex Oppido Campi de Cyptana Prioratus Velen. in minoribus ordinibus constitutus compulsus paternis minis Subdiaconatus ordinem suscipere de anno 1702 per diem ante ordinationem protestationem emisit coram Notario et Testibus sese accessurum ad Episcopum ordinantem citra intentionem ordinem

suscipiendi et de facto in sequenti die accessit cum Dimissoriis Prioris Velen. Ordinis S. Jacobi ad Civitatem Lerenae, ubi Episcopus Fulsibilien. Titularis dicti Ordinis in finibus d. Prioratus existen. solemnes habebat ordinationes, et inter alios ordinandos immixtus nequaquam tetigit librum Epistolarum neque Calicem cum Patena vacua, sed tantum fuit indutus Dalmatica et Manipulo ab Episcopo. Reversus ad Patriam jubente Patre facti inscio cantavit Epistolam cum Dalmatica et Manipulo in Missa solemni, quod et postmodum peregit per quinque alias vices. Ejusmodi autem rei divulgato rumore in illa regione dubitansque subinde Orator de validitate Ordinationis tam ex defectu intentionis quam tactus materiae sub narrativa praemissorum, usque de Anno 1703, humiliter recurrit ad SS. D. N. precibus ad hanc S. C. remissis pro declaratione invaliditatis Ordinationis Subdiaconalis necnon pro absolutione a Censuris et Irregularitate incursis ob exercitium Ordinis non recepti et dispensatione seu rehabilitatione ad suscipiend. valide et licite Ordinem Subdiaconatus aliosque ulteriores.

Cl. me. Cardinalis Archiepiscopus Toletanus informare desuper requisitus supradictarum precum verificationem suo Vicario Matriti commorantem transmisit, qui illico recepit juratam Oratoris depositionem, qui in ea inter alia fassus fuit de consilio Secretarii Episcopi Ordinantis, cui intentionem suam antea propalaverat, materiam ordinis non attigisse, ad evitandam Ordinationis validitatem, eaque de causa a Priore Velen. suo Superiore fuisse demandatam ejusdem Oratoris carcerationem; hinc idem Vicarius ad praemissorum comprobationem requisitorias literas expedivit tum Episcopo Fulsibilien. Ordinanti tum Priori Velen. directas, qui sane Episcopus examini subjecit d. Secretarium aliumque testem, quemadmodum et Prior compulsari jussit Acta criminalia de suo ordine construi coepta, sed propter Oratoris absentiam non prosequuta, quorum omnium exemplar idem Cardinalis Archiepiscopus de anno prope decurso ad S. C. transmisit una cum relatione praefati Episcopi ordinantis aliisque documentis in Summario exhibend., quaeque cuncta subjiciuntur sub rectissima censura EE. VV., ut consueta sedulitate perpensis testium dictis signanter: an concurrat probabilis vel certus defectus contactus materiae non adhibiti in ipso actu ordinationis, quod et visus fuit advertere idem praedefunctus Cardinalis Relator, qui ob negocii gravitatem ex inspectione ipsorum Actorum veritatem rei eruendam censuit, libeat hodie ad renovatas preces ejusdem Oratoris resolvere infrascripta Dubia:

I. *An constet de invalida Ordinatione Oratoris?* Et quatenus affirmative;

II. *An sit dispensandus stante exercitio dicti Ordinis, ut possit ad illum aliosque superiores ordines ascendere in casu etc.?*

S. C. C. resp.: Dilata et Ordinarius terminet processum contra Oratorem et conficiat contra Secretarium et alios Complices.

Die 16. Novb. 1709.

d) Monitio.

Vd.: *Ordinatio privata in Sabb. s.; Ordinatio* (Litaniae.).

e) Utrum una cum Ordin. Minorib. eisdem personis eadem die conferenda?

Vd.: *Ordin. Minor.* (Utrum una die etc., decr. *Calaritana.*)

f) Valide Ordinati, quamvis invite.

(Vis et metus.)

Hispalen.

(Conc. Tr. C. 5. Sess. 23. De Refor.)

Joseph Sarco praetendens S. Subdiaconatus ordinem per vim et metum illatum a Sebastiano patre nulliter suscepisse in mense Septembris anni 1709 curavit post obitum patris sequutum die 30. Octobris sequentis ex delegatione hujus sac. congregationis in curia archiepiscopali Hispalen. examinari formiter sex testes, quorum tamen primus, secundus et quintus deponunt tantum de auditu; tertius et quartus enixam voluntatem patris, ut filius diaconatu insigniretur, testantur; sextus testis oratoris confessarius deponit se interposuisse, ne Sebastianus cogeret filium invitum ad susceptionem ss. ordinum et concludit, „*non lo pote persuadere per il crudele naturale di detto Don Sebastiano.*" E contra vero promotor fiscalis in actis protestatus fuit, oratorem quamvis laurea doctorali insignitum suscepisse ordinem nulla praemissa protestatione et post obitum patris non reclamasse, nisi post triennium. Ulterius idem promotor novem testes contra oratorem induxit, inter quos recensentur mater, soror et avunculus oratoris, qui deponunt, Sebastianum patrem fuisse virum optimis moribus imbutum et negant suppositum metum et minas; sextus testis fiscalis deponit ab Josepho oratore fuisse requisitum post obitum patris, ut ipsi procuraret coadjutoriam cujusdam dignitatis; neque videtur se retractasse in secundo examine, dum testis confirmata prima depositione addidit, a Josepho se acribus verbis reprehensum, cum illi proposuisset permutationem beneficii, quod est quid diversum et ultra contenta in prima depositione; nonus testis, qui in primo examine deposuit habuisse a Josepho in mandatis *post obitum patris,* ut illi procuraret aliquod beneficium, in secundo examine confirmavit saltem, post obitum patris oratorem ipsi per epistolam gratias egisse de adhibitis diligentiis, transmittendo etiam munera et pecunias. Quare ex his aliisque uberius legendis in depositionibus testium orator supplicat EE. VV. pro resolutione sequentis dubii:

An constet de nullitate collationis ordinis?

S. C. C. resp.: Negative et amplius.

Die 28. Mart. et 2. Maii 1716.

Vd.: *Ord. ad Subd. etc.* (def. intent. etc.)

26) Tempore chori.

Vd.: *Ordinat.* (altare; decr. *Giennen.*)

27) Tempus.

Cf.: *Ordines minores* (temp.); *Ordinatio* (dies); *Mandatum apost.; Olea sacra* (Consecr. decr. Pii VI.).

Non licere pluribus Episcopis in eadem Ecclesia et eodem tempore Ordines conferre et abusum praedictum eliminari. n. 2727 die 30. Mart. 1675.

Episcopo Segobric. annorum 62 et atrophia laboranti non licet transferre promotionem Ordinandorum ad Presbyteratum ad dominicam proxime sequentem diem Ordinationum, licet numerus Ordinandorum non ascenderet ad numerum intentum in rubrica. n. 3727 die 4. Julii 1705.

Ad dubium: Si Episcopo detur facultas conferendi s. Ordines festivis diebus, potestne illos conferre in diebus apostolorum caeterisque per ap. Sedem abrogatis? hisce autem diebus licetne conferre etiam *Ord. minores?*

S. C. resp.: Affirmat. ad primam partem et etiam ad secundam sed mane tantum.

Die 12. Novb. 1831 ad 1.

Innocentius PP. XII.

Sanctissimus D. N. Innocentius PP. XII. pro pastorali suo in commissum sibi Gregem Dominicum zelo ac tuendae Disciplinae Ecclesiasticae studio prospicere volens, ne Indulta suscipiendi extra Tempora a Jure statuta Ordines nimis facile concedantur, Congregationi particulari E. D. Cardinalium Carpinei, Casanatis, Marescotti, Colloredi, Panciatici et Albani nec non Illustrissimorum DD. Sperelli, Ciampini, Sacripantis meique Secretarii infrascripti speciliater deputatae expendendas commisit Causas, ex quibus praefata Indulta tribui solent, ut Sanctitati Suae referri posset, quae ratio deinceps ineunda modusque adhibendus videretur in concessione similium Indultorum. Quae quidem Congregatio in aedibus praefati Eminentissimi Carpinei die 10. Nov. atque iterum 7. Dec. Anni currentis habita, re mature discussa, censuit Indulta hujusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex Causis infrascriptis videlicet:

Ut quis Beneficio, vi cujus arctatur ad Presbyteralem Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Capellaniae ad vitam sibi concessae per seipsum inservire possit. Ob penuriam Sacerdotum in illis Partibus vel in Monasterio pro Regularibus. Ob solatium Patris vel Matris, dummodo quinquaginta aetatis annos excedant et Orator saltem per triennium in Clericali habitu honeste et laudabiliter vixerit. Item concedi posse censuit eadem Indulta Referendariis utriusque Signaturae, Familiaribus Summi Pontificis, Canonicis Cathedralis vel etiam Collegiatae Ecclesiae eorumque Coadjutoribus, Magistris seu etiam Baccalaureis in Sacra Theologia; Doctoribus utriusque vel saltem Canonici Juris seu Licentiatis, dummodo singulos praefatos Gradus in publica et approbata Universitate obtinuerint; iis autem, qui saltem per triennium sedulam Theologiae studiis operam navaverint, ac tandem vigesimum sextum aetatis annum excedentibus, per triennium in Clericali habitu honeste et laudabiliter vixerint.

E contra censuit non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quod quis Diaconus, Subdiaconus, Literarum Apostolicarum Scriptor sit, seu Magister in Artibus, Nobilis aut Praesens in Curia vel quod Philosophiae cursum absolverit, aut alicui Ecclesiae adscriptus fuerit, ad cujus servitii titulum ex Apostolico Indulto Clerici ordinari possunt, aut Onus Missarum, non tamen ex Beneficio ecclesiastico proveniens, habere se doceat.

Insuper censuit Indulta hujusmodi deneganda esse iis, qui aliqua Dispensatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis et Sede Episcopali vacante infra annum a die vacationis minime danda iis, qui Beneficii Ecclesiastici recepti seu recipiendi occasione arctati non fuerint.

Item nunquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo.

Denique censuit Episcopos omnes ac etiam Apostolicos Nuncios et Legatos Literis in forma Brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem Suam Indulta praedicta non ita passim, sed ex certis tantum legitimisque causis concedere, nec Episcopos ad eorum exequutionem astringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia, relinquere. Item per eadem Indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad Patrimonii titulum, nisi ad normam Concilii Tridentini Sess. 21. cap. 2. Eos vero omnes, qui ab Apostolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extra Tempora vel aliis re-

spective tribuendi licentiam, ut conferant, maxime cavere debere, ne praescriptos sibi in iisdem facultatibus limites cujusvis consuetudinis aut exempli praetextu transgrediantur.

Haec autem omnia et singula suprascripta Decreta, audita ex mea integra eorum relatione, SS. D. N. laudavit et approbavit ac tam in Dataria et Secretaria Brevium, quam a caeteris omnibus Ministris et Officialibus Curiae, ad quos pertinet, perpetuo et inviolabiliter servari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate praedicta Indulta aliter, quam ad formam eorumdem Decretorum in posterum expediendi.

Hac die 14. Decb. 1693.

Carolus Augustinus Fabronus, Secr.

(Bull. r. t. VII. pag. 294; t. XII. pag. 212.)

Pius PP. VI.

Quamvis, ut ecclesiastica disciplina ubique locorum diligenter ac exacte observetur, pro officio Nobis adeo absque ullo meritorum Nostrorum suffragio ex alto commisso, vigili studio ac pastorali quidem sollicitudine curare teneamur, illud tamen interdum evenire compertum est, ut providi aeque patris familias sit vel eam in aliqua parte moderare vel etiam ab ea omnino discedere, prout debitae considerationis trutina omnibus prius pensatis circumstantiis praedecessorum Nostrorum etiam exempla sectantes in Domino salubriter expedire conspicimus.

Itaque, cum Nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis a s. Joachim prioris generalis fratrum ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum congregationis Lusitanae expositum fuerit, quod, cum interdum non sine gravi sui ordinis et congregationis incommodo contingat, ut Episcopi ob unam aut alteram causam etiam statis temporibus in suis respective dioecesibus clericos ad ordines promovere nequeant: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur tum ex expressis causis tum ex aliis animum Nostrum moventibus ordinem ac congregationem hujusmodi specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati ordini ac congregationi praedictae, ut ejus alumni ad quatuor minores, quatuor festivis vel feriatis etiam continuis vel interpolatis et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines aliquibus tribus dominicis aut aliis festivis pariter continuis vel interpolatis diebus extra tempora a jure statuta et non servatis interstitiis a concilio Tridentino designatis et anni curriculo minime expectato, dummodo tamen ad hoc alias ab ipsis locorum ordinariis idonei reperti fuerint, a quocumque, quem maluerint, catholico antistite gratiam et communionem apostolicae Sedis habente et in propria dioecesi residente vel in aliena de dioecesani loci licentia pontificalia exercente promoveri et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere ac licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus et tam memoratis religiosis ordines praedictos suscipiendi, quam cuicumque antistiti illos conferendi licentiam et facultatem impertimur.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 17. Aug. 1779.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 135.)

Vd.: *Ordin. Regul.*

28) Titulus.

Pius PP. V.

Cum non decet divino ministerio adscriptos cum Ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem questum exercere, in S. Trid. Concilio decretum fuit, ne quis deinceps Clericus saec. ad s. Ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret, eum beneficium eccles., quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere vel alias ordinari non posset nisi juxta decreti a Concilio Trid. ipso editi tenorem. Cum autem nulla in hoc decreto mentio *Religiosorum* Clericor. facta fuerit ac propterea nonnulli Religiosi seu Canonici seu Clerici more Regularium in communi viventes, *qui nunquam seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt* et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis praetextu absque titulo sufficientis Beneficii nec juxta dicti decreti tenorem ad s. Ordines se promoveri praetendunt et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut si promoti a claustro exeuntes vel mendicare vel sordidum quaestum exercere non sine Ordinis et Christifidel. scandalo cogantur: Nos hac perpetuo valitura sanctione decretum praedictum de Clericis saec. loquens *ad omnes et singulos cujuscunque Ordinis* Clericos Religiosos sive saeculares more Religiosorum viventes in communi, non professos, horum serie extendimus et ampliamus, ac Religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad s. Ordines promoveri, nec non omnibus et singulis VV. FF. Patriarchis, Archiep., Episcopis communionem Sedis ap. habentibus, ut Ordines ipsos hujusmodi Religiosis impendere, nisi observata forma praedicti decreti, Nos virtute s. obedientiae interdicimus et prohibemus ac contrafacientes per annum a praestatione talium Ordinum ipso jure suspendimus, statuentes promotiones quarumlibet religios. personarum ad ordines hujusmodi contra decreti C. Trid. formam, etiam cujusvis licentiae illis ab ap. Sede vel illarum Superioribus, cujuscunque dignitatis, status et gradus existant, etiamsi Pontificali dignitate fungantur vel Cardinalatus honore praefulgeant, concessae praetextu factas executione praedictorum ordinum omnino carere et irritas existere sicque promotas personas ministrare non posse. Quinimo ministrantes privilegiis et aliis gratiis omnino privari et irregularitatis aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus nisi a Rom. Pontifice vel in mortis articulo minime absolvi possint.

Non obstantibus quibuscunque etc.

Datum Romae prid. Id. Oct. 1568.

(Bull. r. t. X. p. 148.)

Vd.: *Ordinatio Graecor.* (n. II.)

Leo PP. XII.

Inter religiosas familias, quae Jesu Christi ecclesiam hisce temporibus ornant atque illustrant, non infimum tenet locum Congregatio sanctissimi Redemptoris a beato Alphonso Maria de Liguorio instituta. Ex eo autem maxime celebratur Congregatio haec, quod juxta ipsas ejus constitutiones ab hac apostolica Sede jam approbatas, illi, qui Deo in eadem dicant sese, non animae suae tantummodo sed aliarum quoque animarum saluti jugiter seduloque incumbere teneantur.

Porro ad ejus vel augmentum vel tranquillitatem procurandam dilectus filius Coelestinus Maria Cocle hodiernus ejusdem Congregationis Superior generalis suppliciter enixeque a Nobis petiit, ut peculiaribus quibusdam privilegiis ditare eamdem ipsam Congregationem de Apostolica Nostra aucto-

ritate dignaremur. Nimirum petiit, ut quoniam ex constitutionum earumdem praescripto alumnos nonnisi ex titulo patrimonii ad sacros promoveri ordines liceret, ideo propter multorum inopiam jure illo speciatim ac distincte augeri per Nos suam Congregationem cuperet, quo jam ipsa potiri caeteroquin affirmat illo videlicet jure, cujus vi sibi ac successoribus suis futuris temporibus generalibus liceret etiam mensae communis titulo suos alumnos ordinibus sacris initiandos offerre, iisque literas, ut vocant dimissoriales, concedere. Atque secundum id petiit etiam, ut, si aliquos postea dimitti alumnos contigerit, his nihil omnino deberi ab eadem Congregatione declaremus.

Nos igitur petitioni ejusdem Superioris generalis praedictae Congregationis sanctissimi Redemptoris annuentes pro singulari, quo Congregationem eam prosequimur, dilectionis affectu volentes quoque ac scientes, sive, ut dici solet, motu proprio et certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque apostolicae potestatis plenitudine per hasce literas nedum confirmamus sed etiam ex integro nunc jus illud eidem Congregationi perpetuum in modum elargimur et attribuimus, quo, tametsi non vota solemnia sed solum vota simplicia cum juramento perseverantiae in ea nuncupentur, Superior generalis pro tempore alumnos suos vel ob eorum inopiam vel alias ob causas titulo mensae communis, contra quam in supradictis constitutionibus praescriptum est, sacris ordinibus initiandos offerre atque his in casibus literas dimissoriales concedere idem per se ipse possit et valeat. Quum autem revera accidere queat, ut alumnus aliquis post susceptos ordines sacros, emissis jam antea votis simplicibus factoque perseverantiae juramento dimittatur justis scilicet gravibusque de causis (de quibus tamen Superiores non tenentur dimissis rationem reddere) juxta ejusdem Congregationis Constitutiones, Nos animadvertentes aequi bonique rationi illud neutiquam consentaneum esse vel quod praedicta Congregatio, quae in dimissionibus hujusmodi jure suo utitur, oneri quidpiam suppeditandi obnoxia remaneat vel quod sibi ex sua culpa is, qui causam dimissioni praebet, commodum nanciscatur, Congregationem ipsam hac super re ab omni in posterum vindicandam molestia censuimus. Quare non optatis solum hodierni ejusdem Superioris generalis obsecundantes, sed eodem etiam, ut supra diximus, motu proprio plenaque scientia ac deliberatione atque apostolica auctoritate Nostra id quoque per praesentes declaramus atque decernimus, Congregationem nempe sanctissimi Redemptoris nulla obstringi prorsus obligatione ad subministrationem ullam sive congruae sustentationis sive alimentorum nomine aut alio quovis titulo et causa illis praebendam, quos, post emissa jam vota simplicia factumque perseverantiae juramentum, extra ipsam Congregationem ejici contingat, quamvis ad sacros antea ordines sine patrimonio et sine ecclesiastico beneficio quocumque sed solo mensae communis titulo, juxta ea, quae superius dicta statutaque sunt, iidem fuerint promoti, dum in eadem Congregatione manebant.

Haec ergo concedimus et declaramus decernentes has literas formas validas et efficias existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere eidemque Congregatione eorum causa, quae expressa sunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definire debere, ac irritum et inane, si secus

super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attigerit attentari.

Non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et sanctionibus necnon praedictae Congregationis sanctissimi Redemptoris et ecclesiarum atque locorum quorumlibet legibus, consuetudinibus ac privilegiis juramento etiam vel confirmatione apostolica roboratis, quamquam pro illorum derogatione specialis mentio facienda aut alia exquisita formula servanda esset, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum literarum exemplis etiam praelo traditis manuque publici notarii vel secretarii praedictae Congregationis subscriptis et sigillo Superioris generalis ejusdem Congregationis vel alterius viri et dignitatem ecclesiastiam evecti, munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomato ostenso haberetur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 11. Martii 1828.

(Bull. r. Cont. t. XVII. p. 342.)

29) Vi et metu urgente Ordinandum.

Vd.: *Ordinatio ad Subdiac. etc.* (Valide Ordinati quamvis invite; *Hispalen.; def. intent. et tactus etc.*)

30) Unius.

Ad dubium: Utrum, etiam quando unus in Episcopali Sacello ordinatur, palam interdicere debeat Episcopus per unum ex suis, siculi habetur in Pontificali Romano:

„Ne quis accedat irregularis.“

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Affirmative.“

Atque ita rescribere censuit et declarare.

N. 5180 ad 4 die 25. Sept. 1852.

ORDINES MAJORES.

Num possint conferri ab Episcopo illis Regularibus, quibus Abbas non ab Episcopo sed ab Abbate benedictus Minores conferebat?

Vd.: *Ordin. minor.* (Num Abbas bened. non ab Episcopo sed etc., decr. diei 12. Feb. 1724.)

ORDINES MINORES.

1) Num Abbas benedictus non ab Episcopo, sed ab aliis Abbatib. et PP. Generalibus, possit conferre Tonsuram et Ordines minores?

Ad dubium: An Abbas Lubensis caeterique ejusdem Provinciae Abbates presbyteri non benedicti ab Episcopo sed a suo PP. Generali vel ejus Subdelegatis possint tonsuram et Minores suis subditis Regularibus conferre, ita ut, nisi aliud Ordinatis obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illis conferre Ordines majores?

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius.

Die 12 Febr. 1724. *Uratislavien.* (Conc. Tr. C. 10. Sess. 23. De ref.)

Adnotationes Secretarii S. C. C. circa collationem Tonsurae et Minor. Ordinum, quae fit ab Abbatibus regul., qui Benedictionem Apostolicam aut Episcopalem non receperunt, suis subditis Regularibus.

Nonnulli sunt in Jure canonico Textus ad expositam materiam pertinentes. Primus est in *Can.: quoniam dist. 69.* ibi: *Lectoris autem manus impositioni licentia est Abbati, solummodo in proprio Monasterio faciendi, si dumtaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem praeficiendorum Abbatum, dum constet illum Presyterum.*

Secundus est in *Cap.: cum contingat de aetate et qualitate*, ubi reasumptis verbis Canonis supra allegati decernitur Abbatem Presbyterum et benedictum primam Tonsuram suis Monachis conferre posse.

Tertius est in *Cap.: statuimus de supplenda negligentia Praelatorum*, ubi dicitur: ***si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione, sicut convenit, requisitus, substitutos Abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere et alia, quae ad Officium hujusmodi pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiem recogitent et Abbates benedicere non recusent.***

Quartus est in *Cap.: Abbates de privilegiis in 6.*, ubi legitur: ***nec eis licitum sit aliis, quam Monasteriorum suorum Conversis et qui ad illa convolaverint et in quos Ecclesiasticam et quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, primam clericalem conferre Tonsuram, nisi eis id competat ex pleno praefatae Sedis Indulto.***

Ultimus denique desumitur *ex Cap.: 10. Sess. 23. de Refor.*, ubi decernitur: ***Abbatibus ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis non liceat imposterum intra fines alicujus Dioecesis consistentibus, etiamsi nullius Dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre.***

Et ab his Juris canonici Textibus inferunt communiter Doctores, *duo esse necessaria ad effectum, ut Abbas Regularis conferre valeat suis Subditis Regularibus Tonsuram et Minores Ordines, quod videlicet sit Presbyter et solemniter sit benedictus;* licet enim in citato Textu Sacri Concilii Tridentini prohibeatur Abbatibus conferre Ordines cuiquam, qui Regularis Subditus non sit, non valet tamen illatio a contrario sensu, ut videlicet cuilibet suo Subdito Regulari Ordines minores conferre possit, cum haec potestas sic explicanda sit, ut sibi vindicet locum, quando concurrunt in Abbatibus qualitates a Sacris Canonibus requisitae, hoc est Presbyterii et Benedictionis, *Fagnan.* in cap.: quanto n. 21. et seqq. de consuetudine, *Vanespen.* Juris Eccles. univ. tom. 1. par. 1. lit. 31. cap. 6. n. 16. et seqq.

Quia vero haec Abbatum benedictio, de qua fuse in Pontificali Romano, quaeque a nonnullis, licet improprie, dicitur consecratio, non est absolute et simpliciter necessario, ut Abbas suis subditis Regularibus conferre valeat primam Tonsuram et Minores Ordines, alias non bene decretum fuisset *in cap.: Statuimus de supplenda negligentia Praelatorum,* quod Abbates primam Tonsuram conferant et Minores Ordines, si Episcopi ter requisiti benedicere recusaverint, uti supra visum est, hinc emanavit subalterna quaedam doctorum propositio innixa tum praedictae rationi tum plerisque privilegiis, quae habentur in particularibus Bullariis Monachorum, quod concurrente videlicet Apostolico privilegio, in quo Abbatibus non benedictis concedatur, ut ea facere possint, quae fiunt a caeteris Abbatibus benedictis, possint Abbates Regulares Presbyteri, licet non benedicti, prout hodie fere nullus benedicitur, cum non sint perpetui sed temporales, primam Tonsuram et Minores Ordines conferre suis Subditis Regularibus, *Tamburin.* de jure Abbatum tom. 1. disput. 11. quaest. 3. n. 3. et seqq. et eodem tom. 1. disput. 11. quaest. 13. et tom. 2. disput. 2. quaest. 3. per totam; *Barbosa* vota 89. n. 28. lib. 3.; *Pirhing.* ad primum librum Decretalium tom. 1. tit. 11. sect. 1. §. 6. n. 43.; *Clericat.* de Sacramento Ordinis decis. 15. n. 7. et pluribus seqq.

Et conferunt resolutiones hujus Sacrae Congregationis, quae decrevit: *Abba-*

tibus benedictis vel quibus a Sede Apostolica concessum est privilegium, ut possint ea omnia facere, quae possunt Abbates benedicti, Tonsuram minoresque Ordines suis Subditis Regularibus tantum conferre aliaque pontificalia hujusmodi Abbatibus competentia in suis Ordinis Monasteriorum Ecclesiis et limitibus exercere, taliterque ordinatos, si quid aliud non obstiterit, legitime posse a quibusvis Ordinariis ad ulteriores Ordines promoveri, quae Sacrae Congregationis resolutio fuit in forma specifica confirmata in literis Apostolicis Clementis Octavi impressis inter privilegia Cisterciensium Parisiis edita anno 1713 p. 194.

Haec sunt, quae pertinent ad juris communis dispositiones; nunc transeundo ad dispositiones et privilegia loquentia de Cisterciensibus, Textus supra allegatus in *cap. Statuimus de supplenda negligentia Praelatorum* loquitur de Cisterciensibus et eorum Abbatibus indulget, ut Tonsuram conferant, si Episcopi ter requisiti noluerint illis benedictionem impertiri, uti colligitur ex illius lectura et bene adnotavit *Maurique* tom. 2. Annal. Cistercens. anno 1169 cap. 3. n. 4.

Ad eosdem pertinet Cistercienses dispositio Textus in *cap.*: *Ne Dei Ecclesiam* de Simonia, ubi ponitur forma obedientiae ab Abbatibus Cisterciensibus praestandae Episcopis.

Verum sermonem instituendo de privilegiis hujus Ordinis extra corpus Juris Communis constitutis, solemnissimum est illud Innocentii Octavi, de quo in supradicto privilegiorum libro p. 137, ubi Abbati Cistercii Dioecesis Cabilonensis et aliis quatuor insignioribus Abbatibus et eorum successoribus datur facultas conferendi Subdiaconatum et Diaconatum Monachis sui Ordinis: *ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus et Diaconatus Ordinibus extra Claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti Ordinis Monachis, aliis vero quatuor Abbatibus praefatis ac eorum successoribus, ut suorum Monasteriorum praedictorum Religiosis, quos ad id idoneos reperietis, Subdiaconatus et Diaconatus Ordines hujusmodi alias rite conferre possitis.* Theologi modum et rationes exquirunt, quomodo simplicibus Sacerdotibus potuerit dari facultas conferendi ordinem Subdiaconatus et Diaconatus; at quidquid sit de hoc, *certum esse videtur, huic privilegio fuisse a Concilio Tridentino derogatum sess. 23. cap. 10. et 12.*, uti late ostendit *Navar.* consil. 13. de privilegiis et late prosequitur *Suarez* de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 29. n. 17. et n. 24. et 25.

Aliorum privilegiorum Eugenii Quarti et Julii Secundi, quod Abbates Triennales Cistercienses Hispani, licet eis munus benedictionis non sit impensum, fruantur omnibus et singulis honoribus, praeeminentiis, privilegiis et praerogativis, quibus alii fruuntur Abbates Benedicti, mentio habetur apud *Suarez* loco citato et latius apud *Dianam* in edit. coord. tom. 2. tract. 5. resolut. 81.

Occasione benedictionis, quam Abbates Cistercienses ab Episcopis petebant, simultates et jurgia exoriebantur; quocirca Innocentius Papa Octavus concessit Abbati Generali, ut Abbates et Abbatissas sui Ordinis benedicere posset, uti habetur in citato libro privilegiorum p. 137 n. 5.: *tibi et successoribus tuis praedictis dumtaxat, ut munus benedictionis hujusmodi, quibuscumque dicti Ordinis Abbatibus et Abbatissis impendere, ac Abbatibus et Abbatissis praedictis, ut dictum munus a te et successoribus tuis praefatis recipere libere ac licite possitis et possint, indulgemus.*

Clemens Octavus privilegium hoc confirmavit et extendit ad *Vicarios Abbates,*

qui ab Abbate Generali subdelegarentur pro reliquorum Abbatum et Abbatissarum Ordinis benedictione, uti habetur in citato libro privilegiorum p. 199: *tibi ac pro tempore existenti Generali Abbati tui dicti Ordinis, quandocunque opus fuerit, principalibus Vicariis tuis, qui Abbates existunt, munus benedictionis caeteris Abbatibus et Abbatissis impendendi facultatem subdelegandi auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuam concedimus potestatem;* idemque Clemens Octavus iterum reassumpto tenore concessionis Innocentii Octavi et ampliationis a se factae ad aliam subsequenter devenit ampliationem, extendendo facultatem Abbatis Generalis quoad subdelegandum ab Abbatibus Vicariis ad *Praesidentes et Reformatores,* uti habetur in citato libro privilegiorum p. 207 et instante pariter Abbate Generali per suas literas Apostolicas in forma Brevis confirmavit resolutionem hujus Sacrae Congregationis, uti supra dictum est, in qua firmatum fuit, posse Abbates conferre Tonsuram et Minores Ordines suis Subditis Regularibus, si sint benedicti vel habeant privilegium a Sede Apostolica ea omnia gerendi et faciendi, quae fiunt ab Abbatibus benedictis. Acquisita ab Abbate Generali facultate benedicendi per se vel per suos Subdelegatos Abbates et Abbatissas sui Ordinis, cum Abbas Monasterii S. Mariae de Lande ejusdem Ordinis Cisterciensis solemniter benedictus, Tonsuram et minores Ordines contulisset Monachis sui Monasterii Dioecesis Tornacensis et Episcopus renueret, eosdem promovere ad Ordines majores, sub obtentu, quod in Indulto Pontificalium nulla facta fuerat mentio collationis minorum Ordinum, instante memorato Abbate, Paulus Papa V., uti habetur in saepe allegato libro privilegiorum p. 209, confirmavit sequentem hujus Sacrae Congregationis resolutionem: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, si hujusmodi Abbas aliique ejus successores pro tempore existentes fuerint solemniter benedicti et Presbyteri, potuisse posseque conferre Regularibus suis Subditis primam Tonsuram et Ordines minores, quamvis in Indulto Apostolico, quo conceditur usus Mitrae et Baculi, nulla hujusmodi facultatis mentio habeatur, ideoque Episcopum Dioecesanum non debere recusare, quin eos, nisi aliud obstiterit, ad Sacros Ordines promoveat.*

Et haec sunt, quae pro facilitando causae studio Secretarius adnotavit et in sui obsequii signum non incongruum existimavit ad EE. VV. transmittere.

Die 12. Febr. 1724.

Brixien.

In Decreto Sacri Concilii Tridentini Cap. 10. Sess. 23. de Ref. Abbates utcunque exempti prohibentur Tonsuram vel minores Ordines conferre cuiquam, qui Regularis subditus eis non sit, itidemque literas dimissorias Clericis Saecularibus concedere, ut ab aliis ordinentur, abrogando quaecumque privilegia, praescriptiones aut consuetudines etiam immemorabiles.

Quoad potestatem conferendi Tonsuram et minores Ordines Regularibus Abbati subjectis requiri solet vel quod Abbati benedictionem solemni ritu fuerit impertitus Episcopus, ad normam *Cap.: Cum contingat de aetat. et qualit. praeficien.,* vel quod a Sede Apostolica obtinuerit privilegium, quo tribuatur facultas faciendi quaecumque agere possunt Abbates benedicti, ut tradunt Fagnan. in cap.: *Statuimus* n. 53. de supplen. neglig. Praelat. et in cap.: *Quanto* n. 24. et seqq. de Consuetud. et in cap.: *Aqua* n. 18. de consecr. Eccl. cum aliis, quos

refert Eminentissimus Petra tom. 5. ad Constit. 9. Pii II. n. 28. et seqq.

Hinc Sac. Congregatio in Panormitana 16. Martii 1647 ad I. Dubium rescripsit: *Abbatem non benedictum, si habeat privilegium speciale Apostolicum conferendi Ordines minores, posse suis subditis Regularibus conferre, secus si id ei non fuerit ex privilegio Apostolico concessum*, ut in lib. 18. Decr. p. 311.

In specie vero *Abbatum Familiae Cisterciensis* eadem Sac. Congregatio censuit satis esse, quod benedictionem susceperint a suo Superiore Generali juxta ejusdem Ordinis privilegia. Siquidem in Uratislavien. die 12. Febr. 1724 proposito hoc Dubio: *An Abbas Lubensis, caeterique ejusdem Provinciae Abbates Presbyteri, non benedicti ab Episcopo sed a suo Patre Generali vel ejus Subdelegatis, possint Tonsuram et minores Ordines suis Subditis Regularibus conferre, ita ut, nisi aliud Ordinatis obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illi conferre Ordines majores in casu?* rescriptum fuit: = *affirmative* =, ut in lib. 74. Decret. p. 66.

Et quamquam S. Mem. Benedictus XIII. in Constitutione edita anno 1725 et et impressa in Appendice Concilii Romani p. 142 statuerit quoscumque Abbates Regulares perpetuo infra annum post eorum electionem debere solemnem benedictionem suscipere ab Episcopo Dioecesano, hanc tamen addidit declarationem: *Quo vero ad Abbates, quibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris indultum fuit, ut a suis Superioribus Regularibus vel ab eorum Praelatis delegatis benedictionem sumere possint vel etiam per speciale Indultum Apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus et Apostolica, quibus gaudent, privilegia ubique inconcusse observari praecipimus et mandamus.*

Caeterum cum potestati conferendi Ordines minores, quae vel Abbatibus benedictis ex vi Juris communis competat juxta *Cap.: Abbates de privil. in 6.*, vel quae etiam possit ex Apostolico privilegio competere Abbatibus non benedictis, modum posuerit Tridentina Synodus, eam coërcendo ad Regulares eidem Abbati subditos tantum, plane sequitur eos non posse Ordines conferre vel aliis Regularibus sibi non subjectis vel Saecularibus, sed tamen illicitam, adeoque exercitii jure carentem dumtaxat esse, non vero invalidam Ordinationem, quando est facta ab Abbate potestatem habente, quamvis limitatam in usu ad certum genus personarum, probat *Fagnan.* in cap.: *Statuimus* per tot. ac praesertim n. 53. et seqq. de supplen. neglig. Praelat. et in cap.: *Aqua* de Consecrat. Eccles. n. 11. Eminentissimus Petra loco supra citato a n. 38. ad fin.

Huic vero sententiae adstipulantur etiam Decreta hujus Sac. Congregationis. Siquidem in d. Panormitana 16. Martii 1647 ad II. Dubium ita rescriptum fuit: *Abbatem non benedictum, habentem privilegium, ut supra, non posse Ordines minores conferre non suis subditis, etiam Regularibus alterius Ordinis. Collatione autem Ordinum supradictis non suis subditis etiam Regularibus facta, si fuerit de Ordinibus etiam minoribus et dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium Apostolicum, Ordines collatos remanere invalidos et Ordinatos indigere alia Ordinatione, si vero Abbas non benedictus habeat privilegium et Ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, Ordinatos non indigere alia Ordinatione, sed tantummodo absolutione et rehabilitatione a Sede Apostolica obtinenda*, ut in citato lib. 18. Decret. p. 311 et in

Conimbricn. 26. Junii 1655, in qua responsum fuit: *Abbates Congregationis S. Bernardi et S. Benedicti Ordines etiam minores Regularibus sibi non subditis et multo minus Saecularibus conferre non posse, non obstantibus illorum privilegiis. Promotos verò ab illis non indigere alia collatione dictorum Ordinum, sed absolutione et rehabilitatione a Sanctissimo obtinenda,* ut in lib. 19. Decr. p. 584. Consonat et alia resolutio edita quoad Abbatem non benedictum Congregationis Cassinensis in Mutinen. Ordinationis, quam pariter refert Eminentissimus Petra supra citatus n. 40.

Quod autem Regulares non subditi vel saeculares, quibus Abbas Ordines minores contulerit, habuerint literas dimissorias vel a suis Ordinariis, nihil refert ad licitam reddendam Ordinationem, ut discusso hoc dubio jussu Clementis VIII. in *Sacra Rota* determinatum fuit in dec. 985. cor. Seraph., quam approbavit etiam Sac. Congregatio in Catanien. Juris conferendi Ordines, inter Episcopum Catanien. et Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinen. ac alios die 3. Dec. 1641, quae indicatur in lib. 16. Decr. p. 610, sed recensetur ad diem 15. Febr. 1642 post approbationem Pontificis, ut in lib. 17. Decr. p. 1. eademque resolutio habetur apud *Fagnan.* in d. cap. *Aqua* sub n. 19. de consecrat. Eccles., *Nicol.* locubr. Jur. tom. 2. lib. 1. tit. 14. de aetat. et qualit. et ordin. praeficien., *Dianam* par. 7. tract. 11. resol. 42. et Eminentiss. Petram tom. 5. ad dictam Constit. 9. Pii II. sub n. 40.

Ceterum Ordinum minorum còllatio facta ab Abbate Saecularibus habentibus literas dimissorias suorum Ordinariorum non ob aliam causam censenda videtur illicita, nisi quia facta fuerit sine assensu Episcopi ejus loci, in quo Pontificalium exercitium adhibitum fuerit, contra Decretum Sac. Concilii Tridentini in cap. 5. sess. 6. de Ref.; nam alioqui haec Sac. Congregatio in antiqua Causa Bononien. censuit: *Abbates, postquam Ordinem Sacerdotalem et munus benedictionis susceperint, posse Tonsuram et minores Ordines Saecularibus Episcopi jurisdictioni subjectis conferri, si modò ipsius Episcopi consensus accedat, iique pro se quisque ab eodem Episcopo literas dimissorias impetraverint, ita ut satis non sit id generatim ab Episcopo fuisse concessum, sed hac semper concessione singulis opus sit. Posse itidem eosdem Ordines conferre aliis Regularibus, qui literas dimissorias speciales suorum Superiorum necnon specialem cònsensum Episcopi loci habuerint: ac praeterea aliis Saecularibus subditis aliorum Episcoporum, dum tamen et ipsi attulerint speciales dimissorias suorum Ordinariorum et cònsensum specialem Episcòpi loci,* ut refert Fagnan. in d. cap.: *Aqua* n. 8. de consecrat. Eccles., qui etiam deinde hoc Decretum ab objectionibus vindicat, explicando sub n. 16. supra citatam decision. 985. cor. Seraph. ac n. 18. addit alterum simile Decretum hujus Sac. Congregationis de Abbate Congregationis Olivetanae.

His positis S. C. C. dignetur decernere:

1. *An Abbati Monasterii Stambsensi Ord. Cisterc. liceat tonsuram et Ord. minores conferre non sòlum Monachis sibi subditis sed etiam aliis Regularibus non subditis?*

2. An liceat eidem Abbati tonsuram et Ord. Min. conferre Saecularibus aliorum Dioecesum cum Dimissoriis sui Ordinarii et sine licentia Episcopi Brixinensis, cujus Dioecesis est monasterium Stambsense? Et quatenus negative.

3. An taliter Ordinati valide susceperint Ordines?

S. C. C. resp.
Ad I.: Negative quoad non Subditos.
Ad II.: Negative.
Ad III.: Affirmative.
Die 28. Nov. et 12. Dec. 1733.

2) Num Abbas non benedictus possit conferre primam tonsuram et Ord. minores?

Vd.: *Ordines Minor.* (Num Abbas bened. non ab Episcopo, sed etc., decr. *Brixien. et Uratislav.*)

Frisingen.

Postulat Abbas Monasterii Sanctorum Petri et Pauli Ordinis Canonicorum Regularium D. Augustini Weyarensis, ut Amplissimi Patres definiant: an ipse possit primam Tonsuram minoresque Ordines suis subditis Regularibus conferre etiam absque Episcopali Benedictione, quod etsi ejus Praedecessores, quibus facultas utendi Mitra et Baculo, aliisque Insigniis Pontificalibus juxta morem Abbatum Regularium benigne data fuit ab Innocentio XII. Pontifice Optimo Maximo, omnia exercuerint, quae Pontificalia recipiunt, habito, ut opus erat, Episcopi assensu, ab Ordinum tamen collatione abstinuerint: hos autem conferre ipse cupit, ne ejus subditis plurima subeunda sint itineris non brevis incommoda, hyemali praesertim tempore et Bellorum, quae nimium frequenter exardescunt. Ut enim Abbates Regulares, qui Pontificalium usum habent, facultatem quoque habent minores Ordines conferendi ex text. in Can. 1. et 2. dist. 21. et cap.: Abbates de Privileg. in 6. et late monent Butrius in cap.: Cum inter de Senten. et re Jud., *Fagnan.* in cap.: Cum contingat n. 1. et 2. De aetat. et qualit., *Tamburrin.* de Jur. Abbat. vol. 2. quaest. 1. n. 8., atque omnes fere Pontificii juris Interpretes, ita Abbas Monasterii SS. Petri et Pauli eamdem sibi esse facultatem contendit, quod ab aliis Regularibus Abbatibus non sit dissimilis: nec referre, a Summo Pontifice Innocentio non fuisse expresse tributam, satis enim esse potestatem atque usum concessisse Pontificalium, e quibus jus venire putat minores Ordines primamque Tonsuram conferendi, non alia ratione, ac illis, qui inter S. R. E. Cardinales allecti sunt, sine ullo particulari Privilegio fas est, Familiares suos Tonsura minoribusque Ordinibus insignire ex vetustissima consuetudine, de qua *Jo. Andreas* in cap. 1. de supplen. neglig. Prael., *Barbosa* de offic. et Potes. Episc. par. 2. alleg. 3. n. 15.; *Clericat.* de Sac. Ordin. dec. 14. n. 7.

Ex his rem eo deducit Abbas, ut inquiramus: an praecedere necessario debeat Episcopalis Benedictio, quam accipere Abbates tenentur priusquam Pontificalia exerceant; ipse autem ea opus non esse putat, quod non ex necessitate accipiatur; Electione siquidem et Confirmatione, non vero Benedictione Episcopali Abbas fit et cum ex Apostolico Privilegio potestatem habeat Pontificalia exercendi, idem hoc esse, ac si Benedictionem accepisset Episcopalem, ut diserte habent *Barbos.* de offic. et potes. Episc. par. 2. alleg. 3. n. 6., *Ugolin.* de Offic. Episc. cap. 26. §. 19. n. 1., *Donat.* in Prax. Regul. vol. 2. de Regular. Promov. tractat. 3. quaest. 34. n. 1. et ita definivit Sacrum hoc Tribunal in Causa *Panormitana* 16. Mart. 1644 ut est apud *Murgam* in Comment. ad Constitut. Apostol. post Constit. 12. n. 5. et *Pignatell.* in Compend. Canon. par. 1. tit. de Abbat. atque in alia Causa *Uratislavien.* 12. Febr. 1724, quae edita fuit in Thesaur. Resol. Sac. Congreg. vol. III. p. 19, ubi adjecta est luculentissima Adnotatio Sacratissimi Principis nostri, cum munus a Secretis Sacrae hujus Congregationis gereret, quamque oculis subjicere poterunt Amplissimi Patres, quod in ea omnis haec res distincte atque eleganter discutia-

tur. Nihil autem obesse, quod in Constitutione Benedicti XIII. Pontificis Optimi, cujus initium est: *Communis nobis etc.*, edita vero est „post Romanum Concilium", praecipiatur, ut Abbates Regulares Benedictionem infra annum ab Episcopo accipiant, nam in §.: *Quo vero* ejusdem Constitutionis excipiuntur ii, qui a Summis Pontificibus privilegium habent ea post electionem gerendi, quae agunt omnes Abbates Benedicti et quod rei caput est in eadem Constitutione, iis tantum anni tempus statuitur, qui illam accipere tenentur, non vero aut novum onus adjungitur, aut ii memorantur, quibus Summi Pontifices usum concessere Pontificalium. Atque haec Abbas: Episcopus, qui, ut opus erat, rogatus fuit de sententia animi sui, aperte respondit, nihil habere, quod excipiat contra id, quod declarare poterunt Amplissimi Patres: Haec igitur dubia definienda proponuntur:

I. *An Abbates Monasterii Sanctorum Petri et Pauli Weyaren. primam Tonsuram et minores Ordines suis subditis Regularibus conferre valeant? Et quatenus affirmative:*

II. *An hujusmodi facultas competat antedictis Abbatibus absque Benedictione Episcopali in casu?*

S. C. C. resp.

ad I.: Negative et amplius;

ad II.: Provisum in primo.

Die 3. Apr. 1745 et 17. Sept. 1746.

3) Num Abbas Clericis saecularibus conferre possit?

Vd.: *Ordines Minor.* (Num Abbas bened. non ab Episcopis etc. decr. *Brixien.*)

4) Sub conditione reiterandi.

Vd.: *Ordin. Min.* (furtive Ordinati, decr. diei 11. Jan. 1710 *Aprut.; Ugentina* diei 3. Aug. 1743.)

5) Furtive Ordinati.

Aprutina.

(Conc. Tr. C. 5. 7. Sess. 23. De Ref.)

Exposuit huic Sac. Congr. Joseph Baldus loci Bellantis, quod cupiens adscribi militiae Ecclesiasticae exoravit Episcopum, ut ei conferret primam Tonsuram et duos priores minores Ordines et rescriptum obtinuit: *Ad primam Tonsuram tantum, pro qua sola fuit ab Examinatoribus Synodalibus examinatus;* eaque suscepta in Ordinatione habita die 20. Septb. 1704 asserens se ad alios minores Ordines vocatum se immiscuit cum aliis Ordinandis et materiam primi et secundi Ordinis tetigit, sed ab Episcopo Bullam seu literas patentes pro prima Tonsura tantum reportavit. Cumque nuper Orator fuerit praesentatus ad Beneficium de Jurepatronatus ab Universitate Bellantis, institit, sed obtinere non valuit ab Episcopo Institutionem, nisi prius obtineat absolutionem et dispensationem ab Irregularitate, pro qua eidem S. C. humillime supplicavit declarari, nullum Canonicum impedimentum incurrisse, quod non possit ab Episcopo dispensari. Exposita comprobavit Episcopus informare jussus ac retulit verum non esse, quod Orator fuerit vocatus, cum revera is se immiscuerit cum aliis Ordinandis ac proinde Antistes noluerit illum ad alias deinde sequutas Ordinationes admittere, nisi prius obtenta absolutione ab hac S. C. in poenam fraudis commissae, quae omnia pervenisse, ait, ad ejus notitiam ex relatione alterius Clerici ordinati in eadem ordinatione. Caeterum se remittit judicio prudentissimo EE. VV. Hinc proposita causa per Summarium die 5. Junii proxime praeteriti rescriptum fuit: pro meliore Informatione, an ipse Episcopus in actu Or-

dinationis intentionem habuerit excludendi non examinatos pro Ordinibus vel praecise Oratorem, anve fecerit aliquam protestationem vel comminationem sub poena excommunicationis adversus furtive accedentes ad ordines. Ad haec, ultimo loco, respondens Episcopus ait, quod ipse in actu Ordinationis semper comminatur poenam excommunicationis contra furtive accedentes, nec esse verum subdidit, quod Orator fuerit vocatus, nam propter hoc noluit ipse Episcopus eidem expedire Bullas, nisi solius primae Tonsurae, uti fusius in utraque relatione danda in Summario.

Quibus quidem recitatis in Congregatione die 3. Augusti prope elapsi anni jussum fuit, ut causa poneretur in folio, quemadmodum parendo mandatis ea hodie proponitur, humiliter instante Oratore, pro resolutione infrascriptorum dubiorum ex juribus ab eo decludendis:

I. *An stante supradicta Ordinatione idem Clericus ullum canonicum impedimentum contraxerit, quod ab Episcopo dispensari non possit?* Et quatenus affirmative;

II. *An saltem eidem indulgenda sit relaxatio a S. C.?*

III. *An supradicti Ordines minores, modo quo supra suscepti, sint reiterandi in casu etc.?*

S. C. C. resp.

ad I. et II.: Pro facultate dispensandi arbitrio Episcopi imposita poenitentia salutari:

ad III.: Affirmative sub conditione in casu, de quo agitur.

Die 11. Jan. 1710.

Perusina.

(Conc. Tr. C. 7. S. 23. De Ref.)

Nicolaus Ligi ex Augustiniana Familia, postquam subierat examen pro clericali Tonsura et quatuor minoribus ordinibus suscipiendis, in generali ordinatione, quam mense Decembri superioris anni habuit Episcopus, Tonsura fuit initiatus. Deinde vero cum Minister nominatim evocasset singulos, qui ad Ostiariatum erant promovendi, Antonius Nicolaus se inter eos appellari non audiens, errasse Ministrum credidit et ob hanc opinionem accessit cum aliis ad Episcopum atque Ostiariatus ordinem suscepit. Id autem hunc in modum accidisse nonnisi post absolutam functionem patefactum est et re ad Episcopum statim delata respondit: se eo fuisse animo, ut nonnisi primam Tonsuram illi conferret. Itaque cum deinde memoratus Religiosus in Coenobio Spoletano a Superioribus collocatus fuisset, renuit Episcopus eum ad alios ordines evehere, nisi prius hujus Sacr. Congregationis sententia fuisset explorata.

Episcopus Perusinus Sacr. Congregationem instructam reddere jussus narrat se ante ordinationem palam edixisse sub excommunicationis poena, ne quis non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus auderet ad suscipiendos ordines accedere. Subjungit quoque sibi, antequam ad illam functionem aggrederetur, fixum constitutumque fuisse, ut vel singulos tantum ordines vel clericalem dumtaxat Tonsuram singulis conferret. Existimat nihilominus, Fr. Antonium Nicolaum valide Ostiariatum suscepisse, nam quamvis, si animadvertisset eum fuisse tunc initiatum prima Tonsura, ab Ostiariatu ei conferendo abstinuisset, hoc tamen non comperto, habuit re ipsa deliberatam voluntatem conferendi Ostiariatum homini coram se adstanti.

Plures quidem Doctores existimant, quod si Episcopus ante ordinationem fuerit protestatus se non habere intentionem conferendi ordines iis, qui se furtim intruserint ordinationi, irrita

sit ordinatio ejus, qui sic deinde se intulerit, cum ex defectu intentionis Ministri characterem non recipiat Ordinatus, ut tradunt *Navarr.* consil. 1. de eo, qui furtive; *Barbos.* in cap. 1. eod. tit. num. 1. in fine, *Pirhing.* ibidem num. 5. versic.: Notandum; *Schmalzgrub.* ibidem num. 3.; *Rebuff.* Prax. Benef. Tit. de Cleric. ad Ord. male promot. Clos. 4. num. 19.

At in casu proposito observandum est, non fuisse praemissam hujusmodi protestationem de effectu intentionis, sed solum comminationem excommunicationis, ideoque de valore ordinationis dubitandum non videretur, ut deducitur ex cap.: Veniens. eodem tit. de eo, qui furt. Ord., ubi Alexander III. haud quaquam jubet furtive Ordinatum iterum ordinari, sed postquam sublata fuerit censura, quam contraxit, suscepti ordinis functiones exercere permittitur: Id quod argumento est ordinem vere fuisse susceptum, ut notat *Abbas* ibid. n. 1.; *Schmalzgrub.* in Decretal. dict. lib. 5. tit. 30. num. 2.; *Pirhing.* ibid. num. 2.; Emin. *Petra* tom. 5. ad Constit. 7. Pii II. num. 2.

Quinimo, etiamsi Episcopus edixisset nolle ordines conferre non examinatis, non approbatis aut non vocatis, multorum sententia est ordinem nihilominus valide esse collatum, quia scilicet generali intentioni de non ordinandis furtim accedentibus praevalet subsequens particularis intentio conferendi ordinem tali homini, qui sibi praesens sit, eumque re ipsa suscipiat, ut docent *Gonzal.* in cap. Innotuit de eo, qui furtive; *Schmalzgrub.* loc. cit. num. 2. Thesaur. de poen. Eccles. part. 2. §. Ordines cap. 7. num. 2.; Card. *de Lugo* de Sacram. disput. 8. num. 119.; *Bonacin.* de Sacram. disput. 2. quaest. 2. punct. 4. num. 6.; *Layman.* lib. 5. tract. 1. cap. 4. num. 6.; *Henriq.* lib. 2. cap. 8. num. 5.; *Marchin.* de Sacram. Ord. tract. 1. part. 2. cap. 11. num. 17.

Sed admonent alii, explorandum, si fieri valeat, esse ab ipso Episcopo, quanam mente fuerit, dum ordines contulit, ut videre est apud Card. *de Lugo* dict. disput. 8. num. 119. circa fin.; *Suarez* de Sacram. disp. 13. sect. 3. art. ultim.; Emin. *Petra* ad dict. Constit. 7. Pii II. num. 4.; Episcopus vero Perusinus in casu, de quo agitur, quanam fuerit voluntate et quaenam sit ejus sententia, jam supra expositum est.

Denique, ubi relinquatur locus dubitandi de valore ordinationis, iterandam sub conditione eam esse docent *Fagnan.* in cap.: Cum venisset n. 98. de Sacr. Unct., et cap.: Tuae Literae n. 9. et seqq. de Cleric. per Salt. promot.; Card. *de Lugo* loc. cit. n. 119. in fin.; *Pignatell.* consult. 140. n. 6. tom. 4. Thesaur. de poen. Eccl. dict. §. Ordines cap. 7. num. 2.

Alias non semel de simili controversia actum fuit in Sacr. Congregatione. In Portalegren. Ordinationis agebatur de Ordinato cum falsis dimissoriis. Quamvis autem praemissa fuisset nomine Episcopi generalis protestatio excludens intentionem conferendi ordines iis, qui conciliaribus requisitis essent destituti, tamen, quia ipse Episcopus per suas literas significavit se in ipso ordinationis actu habuisse eam intentionem, quam Ecclesia postulat, quaeque convenit Episcopo in hujusmodi functione, Sacra Congregatio die 5. Aprilis 1704 rescripsit: *Validam esse Ordinationem*, ut in lib. 54. decret. pag. 122. Et hanc resolutionem commemorant etiam *Monacell.* Formul. legal. part. 2. n. 42.; Emin. *Petra* loco cit. num. 5.

In Aprutina ordinum proposita die 11. Januarii 1710 species haec erat: Josephus Baldus Episcopum exoraverat,

ut ei conferret Tonsuram et duos minores Ordines; sed rescriptum obtinuerat pro Tonsura tantum, pro qua itidem sola examen subierat. At nihilominus in generali Ordinatione post susceptam Tonsuram cum caeteris Clericis se intrudens, licet minime vocatus, initiatus quoque fuit binis minoribus ordinibus, sed deinde literas testimoniales obtinuit solum de suscepta clericali Tonsura. Interrogatus per literas Sacr. Congregationis fuit Episcopus: an in ipso functionis exercitio intentionem habuerit excludendi non examinatos ad ordines vel peculiariter arcendi ab iis dictum Josephum Baldum, et an praemiserit protestationem ullam vel comminationem excommunicationis adversus furtive accedentes ad ordines: Respondit Episcopus se in actu ordinationis semper habuisse intentionem saltem virtualem excludendi non examinatos pro ordinibus, nec non consuevisse ante quamcunque ordinationem comminari poenam anathematis.

Itaque propositis his tribus dubiis:

1. *An stante supradicta ordinatione idem Clericus ullum canonicum impedimentum contraxerit, quod ab Episcopo dispensari non possit? Et quatenus affirmative;*

2. *An saltem eidem indulgenda sit relaxatio a Sacra Congregatione?*

3. *An supradicti Ordines minores, modo, quo supra, suscepti, sint reiterandi in casu?*

Rescriptum ita fuit quoad 1. et 2. Episcopo: *ut imposita Oratori aliqua salutari poenitentia cum eo pro suo arbitrio et conscientia dispenset.*

Ad 3.: *Affirmative sub conditione in casu, de quo agitur*, ut in lib. 60. decr. pag. 3.

Quantum attinet ad poenas, quas incurrunt furtim ordinati, juxta aliquorum sententiam contrahunt suspensionem ab exercitio ordinum sic susceptorum, ut deducitur ex cap.: Innotuit de eo, qui furt. Ordin. suscept., et tradunt *Gonzal.* ibidem verb.: Non debent, et in commentar. post med. *Pirhing* num. 2., *Schmalzgrub.* n. 6., *Abbas* in cap.: Veniens num. 1. eod. tit., *Barbos.* de Jur. Eccles. univers. lib. 1. cap. 33. num. 171.

Verum praeterea irregularitatem contrahi, quando Episcopus sub excommunicationis poena antea prohibuerat, ne quis furtim ad ordines suscipiendos accederet, colligitur ex cap.: Veniens eod. tit., et tradunt *Suar.* de Censur. disput. 42. sect. 3. n. 5., *Majol.* de Irregul. lib. 4. cap. 8., *Ugolin.* eod. tract. cap. 39. n. 2., *Bonacin.* tom. 1. de Irregul. disp. 7. qu. 3. punct. 4. n. 6. Sed cum in tali casu irregularitatis videatur esse effectus excommunicationis (nam quisquis Censurae vinculo irretitus ordines suscipit, irregularis efficitur) hinc inferri potest, irregularitatem tunc solum contrahi, ubi praecesserat interminatio excommunicationis ipso jure subeundae, non per modum latae sententiae, ut animadvertunt *Abbas* in d. cap.: Veniens n. 2 et 4. Thesaur. de poen. Eccles. part. 2. §. Ordines cap. 7. num. 1., *Hallier* de Sacr. Ordin. sect. 2. n. 8. pag. 147.

Quamvis autem aliqui Episcopi soleant comminari furtive accedentibus excommunicationem, tamquam ipso facto subeundam, ut notat *Monacell.* in Formul. part. 2. tit. 13. formul. 3. num. 1., Episcopus tamen Perusinus in casu, de quo sermo est, praemisit hujusmodi comminationem in sensu sententiae non latae, sed ferendae, ut hoc modo concepta etiam habetur in Pontificali reformato a Clemente VIII. part. 1. tit. de Ordin. conf.

Caeterum religiosus Orator exponit se non fraude nec dolo obrepsisse

ad ordinem Ostiariatus, sed bona fide, cum pro eo etiam fuisset antea examinatus, ideoque errori et negligentiae Ministri tribuendum putasset, quod accersitus cum caeteris non fuerit. Seclusa autem culpa et fraude, cessare quoque poenam furtivae ordinationis docent *Pirhing* d. lib. 5. tit. 30. num. 4., *Schmalzgrub.* ibid. num. 10., *Suarez* de Cens. disput. 31. sect. 1. num. 59. et seq.

Erit igitur ab EE. VV. decernendum:

1. *An Fr. Antonius Nicolaus Ligi valide susceperit Ostiariatum?*

2. *An ordinatio sit iteranda sub conditione?*

3. *An et in quam poenam dictus Fr. Antonius Nicolaus inciderit, ita ut indigeat absolutione vel dispensatione?* Et quatenus affirmative;

4. *An sit concedenda in casu?*

S. C. C. resp.

ad 1.: Affirmative;

ad 2.: Negative;

ad 3.: Pro absolutione et dispensatione ad cautelam;

ad 4.: Provisum in superiori.

Die 21. Junii et 19. Julii 1732.

Ugentina.

Exposuit Frater Bonaventura a Ruffano Clericus Ordinis Capuccinorum Provinciae Hydruntinae se literis dimissorialibus sui Provincialis munitum, ut clericali tonsura initiari et ad quatuor minores ordines posset ascendere, adiisse Uxentinum Episcopum, cujus dioecesis conventum tunc temporis incolebat ac ab eo petiisse, ad praefatos clericalis tonsurae et quatuor minorum ordinum gradus promoveri, dictum vero Praesulem sibi renunciasse, quod una die primam Tonsuram et altera nonnisi duos priores tantum ordines volebat illi conferre, quemadmodum reipsa, quum is prima die Sabbati post Pentecosten sese stitisset coram memorato Episcopo, clericali dumtaxat tonsura obtinuit obsigniri, mox vero ad eumdem Antistitem reversus die quadam Dominica, qua Praesul ille statuerat plures ordinandos ad geminos posteriores ordines promovere, monitus iterum fuit et certior factus ab ipso Episcopo, quod ea die duos tantum primos minores ordines erat illi collaturus. Verum primis hisce duobus ordinibus jam susceptis Frater Bonaventura audiens se, ut ipse refert, vocatum cum aliis promovendis, ad recipiendos geminos alios minores ordines securus accessit et aeque ac caeteri fuit ordinatus.

Ea autem sacra actione absoluta quum adverterit Episcopus, Fratrem Bonaventuram sese cum reliquis ad suscipiendos binos posteriores ordines intrusisse, graviter eum increpavit, eidem obtestans, quod sicuti mens sibi fuerat, nonnisi duos priores ordines ei conferendi, ita caveret, ne se opinaretur ad alios valide assumptum, et consentanee ad hanc declarationem Praesul ille in literis exprimentibus ordines Fratri Bonaventurae collatos, nonnisi tonsuram et duos primos minores ordines voluit significari. In hoc itaque rerum statu supplicavit Frater Bonaventura ab hac Sac. Congregatione decerni: num ipse modo queat ad sacros ordines ascendere. Episcopus hac de re jussus Emminentissimos PP. instruere confirmat pleraque a Fratre Bonaventura exposita, in eo tamen praesertim immoratur, quod religiosum istum nimia quadam animositate petentem ad tonsuram et quatuor minores ordines una eademque die promoveri, clericali tantum tonsura pridem initiatum: „de sua futili vanaque spe (sunt verba ejusdem Episcopi) agglomerandi una simul quatuor ordines, arguendum increpandumque duxi, atque pluries, serio

et in propatulo eum feci certiorem, quod nonnisi duos priores Ostiariatus et Lectoratus eidem tunc eram collaturus"; deindeque quomodo res eveniret, ita prosequitur: „In hac intentione firmus et constans e vestigio ad faldistorium accedens ac de more indutus ordinationis mysteria exorditus sum Fratremque Bonaventuram unicum praesentem pleneque recognitum ad priores duos minores ordines, ut jam fassus eram, ex rata mei intentione promovi. Dum vero complures alii ordinandi ad exorcistatus atque acolytatus ordines suscipiendos accessere, ipse Fr. Bonaventura per me absdubie nunquam vocatus non solum fronte obducta, sed toto corpore absconditus (uti testati sunt omnes, qui fuere praesentes) atque ex latere Magistri Caeremoniarum manum suam extendit materiamque simul et respective cum aliis nimis fidenter callideque me inscio ausus est contingere." Ut autem suadet Episcopus se reipsa tunc minime agnovisse Fr. Bonaventuram, ita pergit in sua relatione: „Patres Emminentissimi, qui fieri poterat, ut ego de tot ordinandorum manibus distinguerem atque internoscerem manum Fr. Bonaventurae Capuccini, maxime quando cucullus ejusdem cinericius albo tegebatur superpelliceo? At (sicut accepi) PP. Capuccini Fratrem Bonaventuram de rata validaque ad quatuor minores ordines promotione authumant defensum iri, quia (ut ajunt) accessit vocatus ejusque accessus haud fuit dolosus. Enimvero Fratrem Bonaventuram ego nec vocavi nec jussi vocandum. Item de hac, quam praesumit, vocatione, deque sui bona fide idemmet Fr. Bonaventura auctor, actor sibique testis est singularis." Quibus ita expositis refellens demum Episcopus paucorum Scholasticorum sententiam, qui putant ad valorem ordinationis satis superque esse, si Episcopus ordinando serio agat, iterumque repetens, se habuisse seriam, firmam et efficacem voluntatem ac intentionem denegandi Capucino illi binos ordines posteriores, concludit hanc suam esse sententiam: „Frater Bonaventura Capuccinus ut supra intrusus haud valide ordinatus est."

His itaque ab Episcopo Uxentino acceptis et Fratri Bonaventurae communicatis, nedum iste pro declaratione jam petita modo iterat preces, verum etiam suas adjicit Procurator Generalis ordinis Capuccinorum, qui probe deprehendens ex relatione Episcopi asserentis se pluries certiorem fecisse Fratrem Bonaventuram, „quod nonnisi duos priores Ostiariatus et Lectoratus Ordines" tunc erat illi collaturus, ac una simul in controversiam adducentis: num idem Frater Bonaventura fuerit evocatus cum aliis, quos Episcopus statuerat ad geminos posteriores ordines promovere, haud levem emergere occasionem dubitandi: num hos valide susceperit, ut pede tuto hac in re procedatur, circumspectum Sacrae Congregationis judicium implorat.

Frequens apud Doctores est quaestio: an irrita sit ordinatio eorum, qui furtim sese intruserint ordinationi, quando Episcopus ante illam protestatus est, se non habere intentionem iis sese ita intrudentibus ordines conferendi: putant nimirum aliqui, eos sic ordinatos non recipere characterem ex defectu intentionis ministri, ut aiunt *Rebuff.* prax. benef. tit. de Cleric. ad ord. male promote gloss. 4. 2. 19., *Navarr.* consil. 1. de eo, qui furtive, *Barbos.* in cap. 1. eodem tit. num. 1. in fine, *Pirhing* ibidem num. 5. vers. notandum, *Schmalzgrub.* ibid. num. 3., alii vero contrarium tenent sententiam, quia generali intentioni, quam habebat declaravitque Episcopus de non ordinandis furtim accedentibus, praevaleat

subsequens particularis intentio conferendi ordinem tali homini, qui coram ipso in eum finem se sistit; *Thesaur.* de poen. Eccles. part. 2. §.: Ordines cap. 7. num. 2., *Gonzal.* in cap.: innotuit de eo, qui furtive etc., Card. *de Lugo* de Sacram. disput. 8. n. 119., *Bonacin.* de Sacram. disp. 2. qu. 2. punct. 4. 2. 6., *Marchin.* de Sacram. ord. tract. 1. part. 2. cap. 11. n. 17. et caeteri. Ex his tamen nonnulli monent eumdem Episcopum, si fieri queat, explorandum esse, qua mente fuerit, dum ordines contulit, sique posthac non levis adhuc supersit occasio dubitandi de valore ordinationis, eam inquiunt sub conditione iterandam; Card. *de Lugo* loc. cit. num. 119., *Fagnan.* in cap.: cum venisset num. 98. de sacr. unct., et cap.: suae literae n. 9. et seq. de Cleric. per salt. promot., *Pignatell.* consult. 140. n. 6. tom. 4. Thesaur. loc. cit. et Eminentissimus *Petra* tom. 5. ad Constit. 7. Pii II. num. 6. pag. 282.

Distinguunt praeterea aliqui, advertendum esse: num Episcopi protestatio fuerit generalis in quoscumque furtim sese intrudentes edita ac per Fiscalem promulgata, hanc enim dicunt ad terrorem potius, quam ad alium finem censeri debere factam; secus vero, si ea fuerit in peculiarem aliquam personam ab ipsomet Praesule directa, tunc enim gravius de collatorum ordinum validitate ambigendum fore opinantur, ut videre est penes *Donat.* in prax. Regul. tom. 3. tract. 3. quaest. 13. num. 1. et *Monacell.* in formul. part. 2. tit. 13. n. 41. et seq. pag. 76.

Pluries in hoc Sacro Senatu actum fuit de hujusmodi controversiis. Ad praesentem vero propius videtur accedere species proposita in *Aprutina* Ordinum die 11. Januarii 1710, quae in calcem hujus folii transscripta dabitur. Ea ita inspecta ac una simul perpensis omnibus hactenus expositis, praeter quae ob notam Oratorum arctissimam paupertatem nihil circumferetur, non dedignentur EE. PP. respondere:

An Ordines exorcistatus et acolytatus modo, quo supra, suscepti a Fratre Bonaventura a Ruffano sint reiterandi in casu?

S. C. resp.: Praevia poenitentia salutari imponenda per Superiores Ordinis reiterandos esse sub conditione. Die 3. Aug. 1743.

6) Hora conferendi.

Vd.: *Ordinatio* (dies).

7) Inverso Ordine duobus prioribus Ord. omissis Ordinati.

Vd.: *Ordinatio Graecor.* (n. VII.); *Ritus graec.* (Constit. Innocent. IV. §. 15).

Florentina.

Cum die 20. Septembris anni 1738 Sacrarum Ordinationum tempus recurreret, inter eos, qui promoveri debebant, Clericus erat Joseph Cajetanus Ghinettus, qui ad priores duos, quos vocamus Minores Ordines, Ostiariorum scilicet et Lectorum erat promovendus; sed Ministri Archiepiscopalis negligentia non inter eos, qui duobus illis Ordinibus initiandi erant, sed inter eos, quibus alii duo Exorcistarum et Acolythorum Ordines conferendi erant, accitus fuit, atque ita ad hos posteriores Ghinettus assumptus est. Agnovit ille inverso ordine praeposteroque cursu et per saltum processisse, libellumque obtulit Archiepiscopo, ut primis, quos praetermiserat, Ordinibus honestaretur, responsumque est a Cancellario, ad scandalum avertendum non esse publice eos Ordines conferendos; iret eaque ageret, quae agenda erant, antequam Ordines suscipere posset; cum tempus esset, curaturum, ut mo-

neretur, quo veniret ad eos excipiendos. Egit Ghinettus omnia, uti jussum fuerat, at sive oblivione sive qua alia de causa ignoratur, nunciatus numquam fuit: ipse interim in iis, quos suscepit, Ordinibus ministravit.

Post quinquennium preces obtulit Eminentissimis Patribus petebatque, ut praevia absolutione ab irregularitate, si eam incurrisset, Archiepiscopo mandarent, ut duos praetermissos Ordines conferret. Placuit amplissimis Patribus die 27. transacti mensis Junii respondere, ut audiretur Archiepiscopus, qui vera Ghinettum narrasse rescripsit, eumque *in dictis susceptis Ordinibus*, verba sunt Archiepiscopi *ex ore Ghinetti, forsan bona fide vel ex ignorantia inculpabili ministrasse, non tamen formali voluntate exercendi illos ex officio.* Sententia Archiepiscopi erat, Ghinettum, antequam ad omissos Ordines promoveri possit, dispensandum esse ab hoc Sacro Tribunali. Censuerunt EE. Patres die 29. anteacti mensis Sextilis disquisitionem hanc dignam esse, quae in Folio describetur. Postulat nunc igitur Ghinettus, ut amplissimorum Patrum authoritate dispensetur declareturque: *non egere absolutione*, vel: *ad Cauthelam tantum esse absolvendum.*

Illud autem praemonendum ducimus, ut causae hujus status recte conjiciatur, ad hanc, quam tractamus, speciem nihil pertinere Alexandri rescriptum, quod est in *can.: sollicitudo 52. Dist.* et Innocentii decretalem Epistolam in *cap.: tuae literae de Cler. per salt. promot.*, et quotquot alia in hanc rem congregari solent juris Pontificii loca: habent hae siquidem praeposteros cursus in sacris *majoribusque* Ordinibus, non in *minoribus*, in quibus nos versamur, sed et illud disquirendum est: an cap. 14. Tridentini ad omnes sive minores sive majores Ordines pertineat, aut ad sacros majoresque tantum, ut verius fortasse dicent, qui et caput illud et antecedens diligenter expenderint. Longa vero est inter majores minoresque Ordines, ut in aliis, ita hac in re differentia, ut non videatur eadem juris dispositione esse utendum. Licet enim aut contempta aut non observata aliquando fuerit in veteri Ecclesia illa inter majores sacrosque Ordines graduum dispositio et regula, ut omissis pluribus, qui colligi facile possent, recte observarunt *Cironius* in Paratit. Decretal. tit. de Cler. per salt. promot. pag. 440., *Gonzalez* in Comment. ad dict. cap.: tuae literae num. 3. vol. 5., *Hallier* de Sac. Elect. part. 2. sect. 1. art. 2. §. 2., semper tamen a SS. Patribus et Generalibus Conciliis summa ope laboratum est, ut ad Sacerdotium per gradus ascenderetur, quod vel ii sciunt, qui primoribus tantum labiis Antiquitates ecclesiasticas gustarunt.

Diversum in minoribus Ordinibus, quos non fuisse semper Sacris praemissos, nec primis Ecclesiae saeculis existimatum fuisse, ut nunc censetur, *per saltum* promotum, qui uno aut pluribus vel omnibus minoribus, quos inter ad nonum usque Christi nostri saeculum Subdiaconatus fuit, omissis ad Diaconatum et Sacerdotium processisset, late post alios docuerunt *Morinus* de SS. Ordinat. part. 3. exercit. 11. cap. 2., *Vanespen.* Jur. Eccles. Univers. part. 1. tit. 1. cap. 2. n. 1. et part. 2. tit. 9. cap. 5. n. 5. et seq., qui probe monstrarunt minorum Ordinum collationem ea tantum ratione factam fuisse, ut ille, cui conferebantur, eorum ministerium exerceret; quod si aut aliquis aut omnes minores Ordines omitterentur, non dicebatur *per saltum* promotus. Quae vero nunc servatur disciplina (quae, ut bene tradit *Vanespen.* dicto cap. 5. sub n. 9., quo tempore quave occasione aut fundamento invaluerit, non omnino con-

stat, nam quae Caii aliorumque vetustissimorum Pontificum vulgo proponuntur Epistolae, satis nunc compertum est vel leviter eruditis, ab Isidoro mercatore confictas fuisse et a Gratiano aliisque indiligenter insertas collectionibus suis), qui vel uno minorum Ordinum omisso, majorem suscipiat, veluti per saltum promotum habet et a suscepti Ordinis ministerio suspensum, et si ministraverit, irregularem, ut tradunt Canonistae ad tit. Decretal. de Cler. per salt. promot. ibique prae aliis *Cironius* in Paratitl. dict. pag. 440., *Fagnan.* in d. cap.: tuae literae num. 23., *Vanespen.* d. cap. 2. num. 5. et d. cap. 5. num. 7. et seq.

Disquirendum est igitur: an uti haec disciplina locum habet, cum quis uno alterove aut omnibus majoribus Ordinibus omissis majorem suscipiat et in illo ministret, ita locum quoque habeat, cum quis, ut in nostra specie, ipsorum Ordinum minorum gradus pervertit et in susceptis ministrat? An dicemus suspensum et irregularem? Ad amplissimos Patres haec pertinet definitio, qui secum reputabunt: an verba illa Tridentini cap. 11.: *atque ita de gradu in gradum ascendant*, respiciant gradum singulorum Ordinum inter se vel potius gradus minorum erga majores; secum etiam reputabunt, an Irregularitas contrahi possit ex ministerio eorum Ordinum, qui *Sacri* non sunt nec ullum characterem imprimunt; et ob id negativam sententiam in casu, quo quis in Ordinibus minoribus, quos non habet, ministraverit, post *Ugolinum* de Censur. cap. 37. n. 13., *Coninch.* disput. 18. dub. 6. num. 45. sequitur *Bonacina* de Irregul. disp. 7. qu. 3. punct. 6. n. 1. vers.: Dixi in Ordine Sacro vol. 1. oper., et cum aliis tradit *Oliban.* in summa Theolog. moral. part. 3. tract. 5. cap. 3. §. 3. vers.: Si quis non ordinatus vol. 2. praesertim cum hi minores Ordines *iis conferantur, qui saltem latinam linguam intelligunt*, ut habet Tridentinum, et quorum ministerium etiam a conjugatis Clericis exerceri posse idem definit Tridentinum cap. 17., et nunc ab ipsis Laicis quotidie exercetur praesertim in Sodalitiis. Accedit quod aliunde etiam constat pluribus saeculis non omnes hos minores Ordines in Ecclesia Latina cognitos fuisse nec etiam nunc esse in Ecclesia Graeca.

Ad Ghinetti postulationes quod attinet et si impedimentum aliquod adesset, dispensationi tamen locum esse debere ipse disputat, quod non fraude dolove malo, sed *errore,* nec suo quidem, sed Ministri promotus fuerit ad tertium et quartum minores Ordines primis omissis: ministrasse equidem in iis, quos susceperat, *sed bona fide et ex ignorantia inculpabili, non formali voluntate exercendi illos ex officio;* peccasse ministros Archiepiscopi, qui omnia, ut evenerant, scientes, Ghinettum non monuerunt, ut a ministerio susceptorum Ordinum abstineret. Indulgendum igitur esse et aetati et imprudentiae et ignorantiae ac concedendam dispensationem, ut eam amplissimus Ordo concessit in alia graviori specie, in qua examinatus provocatusque ad Tonsuram, *furtim* et non vocatus cum iis accessit, qui primis minoribus Ordinibus initiabantur, et promotus ita fuit, ut cognoscere licet in *Aprutina* *) Ordinum 11. Januarii 1710, quae refertur vol. 5. Thes. resol. Sac. Congr. pag 363.

Pronunciandum quoque esse Ghinettum *absolutione non egere*, quia, licet ministrans in Ordinibus male susceptis, nondum impetrata dispensatione, novum impedimentum notamque Irregularitatis non contrahat, ut est in cap.: cum aeterni de re Judic. in 6. et in

---

*) *Ordines minor.* (furtive Ordin.).

Constitutione VII. Pii II. Pontificis Maximi. Ad Irregularitatem tamen incurrendam non satis est Ministerium, sed requiritur dolus, malitia et contemptus, ut expensis verbis Decretalium Epistolarum et Pianae Constitutionis tradunt communi consensu cum Theologi tum Pontificii Juris Doctores et praesertim *Lotter* de re Benef. lib. 3. quaest. 31. n. 27. et seq., et Emin. *Petra* ad illam Pii II. Constit. n. 9. vol. 5. pag. 149., quae longe absunt a nostra specie, nam Ghinettus non dolo, sed per errorem promotus fuit, neque per contemptum, *sed bona fide et ex inculpabili ignorantia*, ut Archiepiscopus ait, ministravit, quae bona fides et ignorantia excusant ab Irregularitate, ut est apertum Pontificis Rescriptum in cap.: Apostolicae 9. De Cleric. excom. Minist., quod bene expendit Eminentissimus *Petra* eodem loco n. 59. eoque amplius, quod Ghinettus statim preces obtulit Archiepiepiscopo, ut omissos Ordines ei conferret nec per eum stetit, quominus illos susciperet, ut supra ex facto narravimus, quae res dolum et contemptum excludit. Demum, si quid adhuc dubitationis supersit, responderi posse: *ad Cauthelam tantum esse absolvendum,* ut in alia specie non longe dissimili factum est ab hoc Sacro Senatu in Perusina*) Ordinationis 21. Junii 1732, quae data est vol. 5. Thes. Resol. Sac. Congr. pag. 361., et definita fuit die 19. Julii ejusdem anni, ut in eodem vol. 5. pag. 366.

Ex his igitur, quae proponuntur, poterunt EE. Patres decernere:

An Clericus Ghinetti sit dispensandus ad Ordines Ostiariatus et Lectoratus ac egeat absolutione, et quomodo conceden. in casu?

S. C. C. resp.: Esse absolvendum et respective dispensandum ad Cauthelam tum ad Ordines omissos tum ad alios minores Ordines arbitrio Archiepiscopi.

Die 5. Decbr. 1744.

*) Vd. t. II. p. 567.

8) Num Regularibus conferri possint ab Abbate, non ab Episcopo sed ab alio Abbate, benedicto?

Vd.: *Ordin. minor.* (Num Abbas bened. non ab Episcopo sed etc.? decr. diei 12. Febr. 1724).

9) Utrum una die cum Subdiaconatu eisdem personis conferendi?

Calaritana.

(Conc. Tr. C. 11. S. 23. De ref.)

In Dioecesi Calaritana et aliis regni Sardiniae Episcopatibus magnus est numerus clericorum conjugatorum, et ex his plerique aut facinora committunt aut viles artes exercent, non tam in dedecus ordinis clericalis quam in perturbationem jurisdictionis ecclesiasticae, ut eorum immunitatem tueantur.

Plerique ex Episcopis regni Sardiniae usum alias habuerunt conferendi *una eademque die ordines minores et Subdiaconatum iisdem personis;* cumque Calaritanus Archiepiscopus putet, methodum hanc futuram esse aptam natam ad evelendos expositos abusus, ex quo videlicet, si statim ac eodemque contextu, quo ordinandi primam tonsuram et minores ordines recipiunt, recipiant etiam Subdiaconatum, non amplius ordinatis modus supererit reassumendi habitum laicalem, et se convertendi ad exercendas artes clericali charactere indignas, supplicat pro facultate conferendi primam tonsuram, minores ordines et Subdiaconatum iisdem personis una die, hoc est in quatuor temporibus, in Sabbato Sitientes et in Sabbato sancto juxta text. in cap. „de eo" de tempor. ordin. in can. fin. dist. 75. et cap. 8. sess. 23. Sacr. Conc. Trid.

Secretarius ad calcem folii nonnulla adnotavit, quocirca onus erit EE. VV. decernere:

I. *An sit indulgendum petitioni in casu?* Et quatenus negative;

II. *Quid sit in casu statuendum pro abusibus supradictis eradicandis?*

S. C. C. resp.

ad I.: Negative;

ad II.: Episcopus utatur juris remediis et signanter statutis in cap. 6. sess. 23. de reform. et aliis indicatis in constitutione 16. impressa post synodam Romanam §. 1, 2, 4 et 6.

Die 21. Febr. 1728.

Adnotationes Secretarii in causa Calaritana:

1. Inter caetera, quae fuerunt a Sacro Concilio Tridentino in usum revocata, sunt interstitia, hoc est temporum spatia, quae inter ordinum susceptionem decurrere debent, ut rite et recte ordinandus ascendere debeat de gradu in gradum. Sanxit itaque Tridentinum, minores ordines conferendos esse per temporum interstitia, non esse aliquem promovendum ad sacros ordines, nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum, promotos ad Subdiaconatum non debere ascendere ad Diaconatum nisi post annum, et Diacono non esse conferendum Presbyteratum, nisi in Diaconatu per annum permanserit, uti habetur sess. 23. de reform. cap. 11, cap. 13 et 14, et omnibus praedictis insimul cumulatis prosequitur Thomassin de nova et veteri disciplina par. 2. lib. 1. cap. 87. num. 10.

2. Si non serventur interstitia, peccatum committitur tam ab ordinante quam ab ordinato, sed cum nulla poena a Tridentino imponatur, concors esse videtur doctorum sententia, eos in foro exteriori nullam poenam incurrere, uti late ostendunt *Marchin.* de sacram. ordinis, tract. primo par. 7. cap. 2. n. 12.; *Rosignol.* operum tom. 17. par. 1. quaest. 2. art. 9. n. 14 et *Castropal.* operum moral. tom 4. de sacram. ordinis tract. 27. disput. unica punct. 13. n. 14.; *Giribal.* de sacram. tract. 9. cap. 3. dub. 2. n. 49, caeterisque plena manu cumulatis prosequitur modernus *Pontus* in suo dictionario casuum conscientiae tom 2. in verbo „interstitia" casu 2. 2. et quamvis Sixtus PP. V. suspensionem adversus promotos non servatis interstitiis et irregularitatem in casu, in quo in ordinibus dicto modo recepti ministrassent, imposuit, uti habetur in ejus constit. 91. Bullarii tom. 2., Clemens nihilominus VIII. bullam Sixtinam exceptis his, quae ad simoniacam pertinent ordinationem, revocavit ad terminos sacri Concilii Tridentini, uti habetur in ejus constit. 40. bullarii tom. 3., uti bene adnotavit *Fagnan.* in cap.: Vel non est compos n. 12. de tempor. ordinat., *et quia plures poterant contingere casus, in quibus rationabiliter esse possit locus collationi ordinum non servatis interstitiis, ipsum sanctum Concilium Tridentinum dispensationem commisit Episcopis, concurrentibus necessitate aut utilitate Ecclesiae*, quemadmodum habetur in locis supracitatis, de quibus necessitate et utilitate ad rem, de qua agitur, bene disserit *Cotonius* in suis controversiis lib. 3. controv. prima cap. 5. n. 95. et seqq.

3. Prima facie videtur, quod hucusque deducta viam aperiant favorabili responso super petitione Archiepiscopi Calaritani, tum quia dispensatio ab interstitiis committitur a Tridentino arbitrio sive judicio Episcopi, tum quia dici potest, non deesse in casu, de quo agitur, necessitatem Ecclesiae, ne in dedecus videlicet ordinis clericalis clerici ad viles artes se convertant et inter utramque potestatem, ecclesiasticam videlicet et laicalem, contentiones exoriantur, sed pro adaequato

examine videtur ad ulteriora esse procedendum, cum hic et nunc non agatur de sola dispensatione super interstitiis, *sed de dicta dispensatione unacum collatione minorum ordinum et Subiaconatus una eadem die facienda iisdem personis.*

4. Ad hanc ergo inspectionem descendendo distinguendus esse videtur casus a casu, vel enim agitur de collatione omnium minorum ordinum vel de collatione duorum ordinum majorum vel de collatione Subdiaconatus unacum minoribus ordinibus in terminis juris communis vel de collatione minorum ordinum et Subdiaconatus, una die faciendis eidem personae in locis, in quibus viget consuetudo sic conferendi minores ordines et Subdiaconatum.

5. *Si agitur de collatione omnium minorum ordinum eadem die eidem personae facienda,* communis est doctorum sententia, eam non esse prohibitam, ubi consuetudo invaluit, quae a Tridentino non sublata fuit vel quando seclusa consuetudine aliqua concurrit legitima causa fundamentum praebens Episcopo dispensandi, ut in terminis consuetudinis docent *Fagnan.* in cap. „de eo" sub n. 42. de tempor. ordinat.; *Thomasin.* loco citato cap. 87. sub n. 12. et in terminis causae legitimae *La Croix* lib. 6. par. 2. sub n. 2295.; *Castropalao* de sacram. ordin. disput. unica juncto 13. n. 5.

6. *Si loquimur de collatione duorum majorum ordinum,* sacrum Tridentinum Concilium id expresse prohibet tam quoad Saeculares quam quoad Regulares, et derogat omnibus indultis atque privilegiis, uti habetur cap. 13. sess. 23. de reform.; ferebatur enim, summum Pontificem Eugenium IV. monachis omnibus S. Benedicti concessisse, ut semel in anno omnes majores ordines eadem die recipere possent a quocunque catholico Episcopo, quo eodem privilegio religiosi Mendicantes per communicationem se frui debere contendebant, uti adnotavit *Castropalao* loco supra citato n. 11., et in decretalibus binae habentur constitutiones, altera in cap. „literas" altera in cap. „dilectus" de temporibus ordinationum, in quibus *Episcopus conferens* duos ordines sacros eadem die remanet suspensus a collatione illorum ordinum, quos sic contulit, et *recipiens* duos sacros ordines eadem die remanet suspensus ab executione ordinis posterius recepti, uti etiam adnotavit *Thesaurus* de poenis Ecclesiae par. 2. cap. 15. n. 1. et n. 3., et sola inter scribentes superest disputatio: an hae suspensiones sint latae vel ferendae sententiae? quemadmodum videri potest apud *Marchin.* de sacram. ordinis tract. 1. par. 7. cap. 1. n. 1 et 2.

7. *Si vero sermo est de collatione minorum ordinum et Subdiaconatus,* in terminis juris communis et praescindendo a quacunque consuetudine sibi vindicat examen dispositio Textus in cap. 2. „de eo, qui furtive ordinem suscepit", ibi etenim summus Pontifex mandat, ut clericus, qui minores ordines unacum Subdiaconatu recepit, in minoribus tantum ministret, et quod tantum ministrare possit in Subdiaconatu, si domum religiosam ingrediatur.

8. Non obstante praedicta textus dispositione plerique graves doctores putant, nullam incurri ab ordinatis suspensionem, ex quo videlicet textus procedit, quando quis minores ordines et Subdiaconatum recipit *ausu temerario atque furtive et contra mandatum Episcopi,* secus autem, quando minores ordines et Subdiaconatum recipit, sciente, volente atque Episcopo consentiente, cui quidem prohibitum est duos ordines majores eadem die eidem personae conferre, sed prohibitum non est praedicto modo, con-

currente necessitate aut utilitate Ecclesiae, minores et Subdiaconatum conferre, et ita docent *Vasquez* in tertiam partem tom. 5. disc. 246. cap. 5. n. 47.; *Castropal.* de sacrament. ordinis tract. 27. disp. unica punct. 13. n. 5.; *Fermosin.* in cap. 1. num. 10. et seq. de temporibus ordinationum; latissime *Diana* in opere coordinato tom. 2. tract. 5. resol. 97.; *Giribald.* de sacram. tract. 9. cap. 3. dub. 4. num. 47.; *La Croix* lib. 6. par. 2. sub num. 2295.

9. At alii sustinent, sic ordinatum remanere suspensum in sequelam textus supra citati *Campanil.* divers. juris canonici rubrica 6. cap. 3. num. 15. in fine; *Bonacina* de suspens. in particulari disput. 3. quaest. 1. punct. 4. §. 1. num. 2. versic. „si vero suscipiat", et sub num. 5.; *Thesaurus* de poenis Ecclesiae par. 2. in verbo „ordo" cap. 15. §. 2. „recipiens"; *Alterius* de censuris tom. 2. disp. 10. cap. 4. fol. 176. §. „dico" et fol. 177. §. „remanet"; *Pauluccius* juris prud. sacra tom. 2. lib. 5. tract. 7. cap. 7. num. 6. §. „minores"; *Pax Jordan.* tom. 1. lib. 3. titul. 6. num. 339., et in eo, quod attinet ad rationem supra perpensam, dicunt, eam non prodesse, tum quia delictum ordinati in casu text. in cap. 2. „de eo, qui furtive", residet in hoc, *quod una eademque die* recepit minores ordines et Subdiaconatum, et receptio plurium ordinum insimul intelligitur prohibita, nisi appareat permissa, uti adnotarunt in citato cap. *Brutius Hostiensis* et *Joannes Andreas* num. 2., tum quia si prohibitum est eadem die duos ordines conferre, et Episcopus dispensare non potest, ejus scientia et patientia et ejus expressus consensus ad rem, de qua agitur, facere non possunt, uti late prosequitur Marian. Soccin. in allegato cap. 2. n. 5.

10. Quinimmo licet in saepecitato textu nulla poena imponatur ordinanti, suspensio nihilominus ab ordinum sic collatorum collatione applicabilis esse videtur; intantum etenim in dicto textu praedicta poena non imponitur, inquantum clericus ille praeter Episcopi notitiam se immiscuit inter Acolythos, qui debebant ad Subdiaconatum promoveri, sed si Episcopus id scivisset, graviori utique poena affectus fuisset, quam ordinatus, uti adnotarunt in eodem textu *Zabarella* in principio, *Joannes Andreas* num. 1., *Butrius* num. 1., *Hostiensis* num. 2., *Soccin.* num. 4. et pluribus seqq., quocirca si ordinans, qui scivisset, gravius punitus fuisset, quam ordinatus, hinc est, quod si ordinatus remanet suspensus, ordinans quoque ad minus suspensionis poena debebit affectus remanere, exemplo ejus, qui duos ordines sacros eadem die confert, si etenim id faciat ignoranter, excusatur, juxta textum in cap. „innotuit" et ibi *Ancharan.* n. 2. „de eo, qui furtive"; sed si scienter id faciat, gravius punitur, quam ordinatus juxta optimam Glossam in cap. „literas" in verbo „*deliquit de temporibus ordinationum*" et in terminis ejus, qui minorem aliquem ordinem unacum majori contulerit per ignaviam aut incogitantiam, quod remaneat suspensus ab ordinum collatione, docent *Majol.* de irregular. lib. 3. cap. 24. num. 13., *Pax Jordan.* tom. 1. lib. 3. tit. 6. n. 430.

11. De hac controversia bis actum dicitur in hac *sacra Congregatione,* in *Ravellen.* videlicet die 12. Novembris 1650, in qua sacra Congregatio indulsisse dicitur dispensationem ad cauthelam ordinato in minoribus ordinibus et Subdiaconatu eadem die, cum in susceptis ministrasset, teste *Pignatell.* consult. 319. tom. 1., sed haec resolutio in regestis non reperitur; vera et celebrior fuit disputatio in *Boven.* ordinationis 29. Januarii 1707,

quae causa pluries fuit proposita et tandem resoluta die 7. Maii ejusdem anni, uti habetur in regestis lib. 57. fol. 23. a tergo et fol. 156. In dicta causa agebatur *de collatione duorum minorum ordinum unacum Subdiaconatu et praetendebatur ordinatos, qui in susceptis propter reverentiam non ministraverant, non esse suspensos, ex quo furtive non se immiscuerant ordinationi, nec ullam suspensionem fuisse incursam ab ordinante, cum poena sibi vindicet locum in collatione duorum majorum ordinum et non in collatione minorum cum Subdiaconatu; proposito dubio: „An et quomodo esset danda absolutio in casu?*" Responsum fuit: „*Quoad ordinatos dandam esse absolutionem praevia salutari poenitentia arbitrio Episcopi vicinioris;* et quoad ordinantem rescriptum fuit: *ad mentem, quae explicata fuit per epistolam ad ordinantem scriptam, in qua, postquam sacra Congregatio eum acriter arguit, asserendo eum plus deliquisse quam ordinatos, cum ordines scienter contulisset, omnem poenam pro ea vice benigne remisit, dummodo in posterum a similibus abstineret.*"

12. Haec sunt, quae recipiunt collationem minorum ordinum et Subdiaconatus in terminis juris communis; *quocirca solum superest examen hujus ejusdem quaestionis in casu*, in quo vigeat consuetudo.

13. *De hac ergo consuetudine loquendo nonnulli putant, eam non esse attendendam,* utpote per Tridentinum sublatam, quod intervalla temporum decrevit inter ordines minores et Subdiaconatum, relicto tantum Episcopis jure dispensandi super interstitiis, et ita docent *Majol.* de irregularit. lib. 3. cap. 24. num. 13. et lib. 4. cap. 11. n. 1.; *Diaz* ad Salzed. versic. „una die", *Menoch.* de arbitrariis lib. 2. casu 564. n. 7. et seq., *Venet.* in examin. Episcoporum lib. 1. cap. 18. n. 13., *Grass.* de effectibus, *Clericatus* in praeludiis n. 341., *Pax Jordan.* tit. 3. lib. 6. n. 430. et seq. tom. 1. de magistris in silva ecclesiastica tom. 2. pag. 265.

14. *At alii appositae adhaerent sententiae* et idcirco volunt, stante consuetudine, minores ordines et Subdiaconatum licite conferri posse iisdem personis una eademque die, et hi sunt *Suarez* de censuris diput. 31. sect. 1. num. 41., *Thesaurus* de poenis Eccles. par. 2. in verbo „ordo" cap. 15. §. „inter ordinem", *Leander* operum moralium tom. 1. tractat. 6. disp. 11. quaest. 13., *Fagnan.* in cap. „de eodem autem" n. 41. de temporibus ordinationum; ubi testatur de sensu hujus sacr. Congregationis, de quo pariter testatur *Gallemart.* ad cap. 13. num. 5. sess. 23. de reform. Cumque sacra haec eadem Congregatio apud *Suarez* loco mox citato sic responderit: „*Qui ex consuetudine illius regionis quatuor minores ordines et Subdiaconatum eodem die susceperunt, non sunt suspensi*", hinc deducitur, suspensionem sibi locum vindicare in locis tantum, in quibus dicta consuetudo non viget. *Layman.* lib. 5. tract. 9. cap. 10. num. 10. et ad tit. decret. de temporibus ordinationum, late prosequuntur *Pirhing.* sect. 1. §. 10. n. 83., *Anaclet* §. 6. n. 160. et 167., *Schmalzgrueber* §. 2. n. 15., ex quo videlicet sacr. Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 11. consuetudini non derogavit, cumque cap. 13. prohibuerit *duos sacros ordines una die eidem* conferri, privilegiis et indultis non obstantibus, nec quidquam statuerit quoad collationem Minorum et Subdiaconatus, videtur, quod praeservare voluerit consuetudinem eosdem insimul conferendi in locis, in quibus eadem est recepta, uti ad rem ponderant *Guttier.* quaest. canon. lib. 1.

cap. 26. n. 30. et seq., *Gobat.* in theologia experimentali tract. 8. casu 11. sess. 2. n. 460. et seq. pagina: mihi 542., *Marchin.* de sacr. ordinis tract. 1. par. 7. cap. 1. n. 6. et seq., latissime *Sanchez* consil. moral. lib. 7. cap. 1. dubit. 53. num. 5. et pluribus seq.

15. His positis, si adhaerendum est opinioni, quae vult, Episcopum jure suo et praevia tantum dispensatione super interstitiis minores ordines et Subdiaconatum eidem personae conferre posse una eademque die, inquirendum remanebit: *an adsit utilitas et necessitas Ecclesiae in hoc, quod collatis insimul praedictis ordinibus, non possint amplius ordinati resilire et ad viles artes se convertere vel potius statuta methodo ordines conferendi modo praedicto relaxetur et destruatur ecclesiastica disciplina,* quae ab antiquissimo tempore intervalla temporum decrevit, ut per ea fides, morum probitas, constantia et moderatio ordinandorum deprehendatur, quemadmodum legitur in can. 10. Consilii Sardicensis; rursus, si adhaerendum est opinioni, quae licitam ex consuetudine loci admittit simultaneam collationem minorum ordinum et Subdiaconatus, examinandum erit primo: *an haec consuetudo sit introducta?* Secundo: *an fuerit introducta post Tridentinum vel ante Tridentinum viguerit?* Si etenim post Tridentinum est introducta, obstaret decretum irritans appositum in bulla 73. Pii IV. confirmatoria Concilii, et tertio demum locum sibi vindicaret etiam examen necessitatis et utilitatis Ecclesiae, uti mox dictum est. Cumque haec omnia profecto sint involuta, perpendendum proponitur EE. VV.: *an ultra disposita a sacro Concilio Tridentino sess. 23. cap. 6. de clericis conjugatis ad sartam tectam conservandam seu restaurandam ecclesiasticam disciplinam in regno Sardiniae et ad evellendos expositos abusus Archiepiscopo Calaritano requirenti insinuandum sit, ut in sacra ordinatione et in plectendis Clericis facinorosis se conformet dispositioni constitutionis sanctae memoriae Innocentii XIII. a SS. Domino nostro confirmatae et impressae post Synodum Romanam in appendice constit. 16.* et signanter dispositis in §. 1, 2, 4 et 6, licet enim praedicta constitutio edita fuerit pro regnis Hispaniarum, ea tamen, quae signanter in locis citatis decreta sunt, sint eruta ex sacris canonibus et sacro Concilio Tridentino, et sunt in omnibus conformia juri communi, et pleraque ex eis a SS. Domino nostro in Synodum Romanam habitam anno 1725 translata sunt, uti legenti patebit.

Atque haec dicta sunt sub censura, salvo semper etc.

Dies et annus ut supra.

10) Tempus. Dies. Extra Missam.

Cf.: *Ordinatio* (tempus; dies); *Mandat. apost.*; *Ordinatio Graecor.*; *Ord. min.* (utr. una die cum Subd. etc.?)

Ad dubium: Minores Ordines post meridiem Feriae VI. ante Sabbatum Ordinum possuntne conferri, uti fit?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „Servandam esse resolutionem S. C. Concilii, quae sub die 13. Apr. 1720 in Potalegren. simili dubio respondit: Affirmative quoad primam Tonsuram, et quoad caeteros minores Ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse; sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano titulo de minoribus Ordinibus."

Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1720. N. 4565 ad 11.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Quidquid sit de jure antiquo quoad statuta tempora pro conferendis mino-

ribus Ordinibus certam modo regulam tradit *Pontificale Romanum*, ubi in *titulo de Ordinibus conferendis* sic legitur: *Tempora Ordinationum sunt: Sabbata in omnibus quatuor temporibus. Sabbatum ante Dominicam de Passione et Sabbatum Sanctum. Clericatus seu prima Tonsura quocumque die, hora et loco conferri potest. Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis et festivis diebus duplicibus ubicumque et mane tantum.* Etsi vero haec sit tenenda regula, attamen in Ordinationibus generalibus variis in Ecclesiis consuetudo invaluit conferendi minores Ordines non in Sabbato, sed in Feria VI. immediate ante postmeridiem; quae consuetudo, ut ait *Layman ad cap.: De eo 3. de temporibus Ordinationum*, reprobari non potest. Et revera plures sunt Scriptores, qui testantur morem conferendi minores Ordines vesperae Feriae VI. quatuor temporum. Ita *Gobat. tom. 1. tract. num. 52., Escobar in Theologia Morali lib. 32. cap. 18. num. 230., Rossignoli de Ordinibus ecclesiast. art. 1. quaest. 2. part. 7. num. 4., Henriquez in Summa lib. 10. cap. 12. num. 2., Reifenstuel lib. 1. decret. tit. 1. num. 31.*, bene plurimos alios brevitatis ergo praetermittimus. Imo morem hunc ubique fere receptum testatur *Fagnanus in tit. cap.: De eo, num. 14.;* ipse tamen in sensu est, quod hujusmodi consuetudo, utpote abusiva, prorsus sit abroganda. Id, ut fieri possit, et optandum et curandum est. Sed quoniam consuetudines, quae profundas fixere radices, difficillime eradicari possunt, ideo Apostolica Sedes, dum jubet, ut curae omnes ad eas tollendas adhibeantur, nihilominus, ubi difficile est eas abrumpere, tolerandas esse permisit.

Ita in simili quaestione respondit S. C. Concilii. Siquidem rogata ab Episcopo Potalegren.: *An supposita consuetudine immemorabili licitum sit conferre primam Tonsuram et minores Ordines Feria VI. post prandium ante diem Sabbati quatuor temporum in casu etc.?* sub die 13. Apr. 1720 hoc dedit responsum: *Affirmative quoad primam Tonsuram et quoad caeteros minores Ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano de minoribus Ordinibus.* Ubi notandum est, quod non alia consuetudo toleranda sit, quam quae revera immemorabilis, sed etiam, si talis sit, mentem tamen S. C. esse, ut corrigatur ita, ut in posterum ordo praescriptus a Pontificali Romano omnino servetur.

Senen.

Rmus Senen. Archiepiscopus quum S. R. C. sequentem supplicem Libellum dederit, nimirum:

Emi et Rmi Signori.

Giuseppe Arcivescovo di Siena riverentemente espone all' Eminenze Loro, ch' egli trovandosi nell' avanzata età di anni 68 e soffrendo vari incommodi, che gli rendono notabilmente gravosa l'Ordinazione generale de' Chierici Maggiori e Minori insieme, bramerebbe poter ordinare separatamente i Maggiori ne' giorni stabiliti a tale oggetto dalla Chiesa, e tutti i Minori nelle Domeniche anteriori, o posteriori a tali giorni. Che avendo riscontrato la Bibliotheca del Ferraris alla parola *Ordo, Ordinare:* all' Articolo 2. v. 2. trovò potersi dai Vescovi promuovere agli Ordini minori alcuni Chierici soltanto, ma non in tal numero, che sembrasse farsi un' Ordinazione generale, e ciò determinarsi nel Corpo del Gius Canonico *cap.: de eo 3. de temporibus Ordinationum:* qual sentenza Canonica è

convalidata pure dal sentimento di diversi Autori citati quivi dal Ferraris. Non credendosi adunque l'Oratore autorizzato a separare interamente l'Ordinazione de' Minori da quella de' Maggiori, il che l' esimerebbe dalle pene, ed incommodi, che soffre nell' ordinare tanti individui, supplica umilmente l' Eminenze Loro Rme a permettergli di eseguire le due separate Ordinazioni nel modo sopraindicato, tanto piu che in questa Diocesi nelle Ordinazioni de' quattro Tempi mancano talora i Chierici da promuoversi a qualche Ordine o maggiore, o minore, e così non può dirsi in tali casi Ordinazione generale.

Che della grazia ec.

Quibus precibus fideliter de more per subscriptum Secretarium relatis in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunato S. C. rescripsit: „Expositis in circumstantiis Orator servare poterit, quae praescribuntur in Rubrica Pont. Rom., *nimirum*: Quatuor minores Ordines *dari possunt extra Missarum Solemnia* diebus Dom. et Festis dupl., *sed in mane tantum.*"

Atque ita rescripsit. n. 5003.

Die 7. Decbr. 1844.

Claremonten.

Quum diversae opiniones circumferantur in Concilio Claremontensi circa haec verba Pontificalis Romani: *Minores Ordines possunt conferri in Dominicis et Festis duplicibus:* dum alii contendunt per Festa duplicia ea tantum intelligi, quae a populo feriantur, alii autem sustinent intelligi omnia duplicia sive a populo feriantur sive non, asserentes non distinguendum ubi lex non distinguit, ad certam in re legem stabiliendam, Sacrorum Rituum Congregationi humillimae datae sunt preces, ut suam sententiam edicere dignaretur.

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Minores Ordines conferri possunt in Festis de praecepto vel in Festis duplicibus, quae erant de praecepto ante reductionem."

Die 16. Martii 1833. n. 4708.

Potalegren.

(Conc. Tr. C. 8. S. 23. De ref.)

Episcopus Potalegren. in relatione status suae Ecclesiae ad Sedem Apostolicam transmissa refert, quod a tempore immemorabili Episcopi regni Lusitaniae consueverunt suis subditis conferre primam clericalem Tonsuram et Ordines minores die Veneris post prandium ante diem Sabbati quatuor temporum; cumque quaerat: an collatio primae Tonsurae et minorum hoc modo facta licite facta dici valeat? proposita fuit ejus instantia inter summaria precum et die 2. Decembris anni praeteriti dictum fuit: quod proponeretur in folio.

Quoad primam Tonsuram nulla videtur esse difficultas, quin eadem conferri possit ante diem Sabbati quatuor temporum et post prandium: in Pontificali etenim Romano titulo *de Clerico faciendo* sic legitur: *Clericus fieri potest etiam extra Missarum solemnia quocunque die et loco;* et ad rem prosequuntur *Fagnan.* in cap.: de eo num. 4. de tempor. Ordinat.; *Anaclet.* ad eundem titulum §. 2. num. 30.

Quoad minores Ordines Alexander PP. III. in allegato cap.: *de eo de tempor. Ordinat.* statuit, quod extra jejunia quatuor temporum possint Episcopi Dominicis aut aliis festivis diebus unum aut duos ad minores Ordines promovere; et in Pontificali Romano tit.: „de minoribus Ordinibus" sic legitur: *quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia*

diebus Dominicis et festivis duplicibus, sed in mane tantum.

In quo rerum statu nemo non videt permissum de jure non esse conferre Ordines Minores die Veneris post prandium ante diem Sabbati Quatuor Temporum.

At difficultas est in consuetudine et praesertim immemorabili, uti asseritur ab Episcopo.

Admittitur a Doctoribus hujus consuetudinis validitas et subsistentia, asseruntque eam non esse reprobandam in locis, in quibus a tempore antiquo est introducta et praesertim cum dies Sabbati conseatur incipere a Vesperis feriae sextae, nec ulla adsit necessitas, quod Minores Ordines conferantur sub Missae Sacrificio vel ut Ordinans jejunus sit. *Enriquez* in Summo lib. 10. cap. 12. §. 2., *Gobat.* tract. 8. theolog. experiment. n. 452., *Layman.* in cap. de eo n. 4. de tempor. Ordinat. et lib. 5. Theolog. Moral. tract. 9. cap. 8. n. 1., *Piringh.* ad dictum titulum Decretal. de tempor. Ordinat sect. prima §. 9. sub n. 77., *Leander* Oper. Moral tom 1. disput. 11. de tempor. Ordinat quaest. 6., ubi, quod haec est praxis Hispaniarum, *Juvenim.* de Sacram. quaest. 8. de Ritibus Sacram. Ordinis cap. 2. in fine, ubi, quod haec est praxis Galliarum.

Alii praedictam referunt consuetudinem sed dicunt eam sibi non placere utpote contrariam Pontificali Romano, *Ricc.* in praxi variar. resolut. 273. n. 1., *Ventrigl.* in praxi rerum ecclesiasticarum parte prima ad not. 44. §. unico n. 7.

Fagnanus in cap. de eo n. 31. et seqq. de tempor. Ordinat. distinguit inter publicam ordinationem sive generalem et ordinationem privatam, quae fit in Capella vel in secreta Sacristia concurrente aliqua necessitate vel utilitate Ecclesiae et quoad primam Ordinationem dicit, eam esse illicitam, si fiat die Veneris, non obstante consuetudine, et e contra licitam esse secundam ordinationem, si pro ea stet consuetudo, et deinde n. 40. concludit, quod, licet haec opinio sit vera, expediret nihilominus ut consuetudo aboleretur.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: *An supposita consuetudine immemorabili licitum sit conferre primam tonsuram et Minores Ordines feria sexta post prandium ante diem Sabbati quatuor temporum?*

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primam tonsuram et quoad caeteros minores Ordines consuetudinem immemorabilem tollerari posse, sed expediat, quod Episcopus se conformet Pontificali romano tit.: De minoribus Ordinibus.

Die 16. Mart. et 13. Apr. 1720.

Ad dubium: Quum in Pontificali Romano titulo de Ordinationibus habeatur „Minores Ordines possunt dari singulis Dominicis et festivis diebus duplicibus", quaeritur: an verba festivis diebus duplicibus intelligenda sint pro Festis de praecepto strictim servandis?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Affirmative."

Atque ita rescripsit die 23. Maji 1835. n. 4751 ad 4.

De Ord. Minor. cf.: *Ministrantes; Ostiariatus; Rocchettum* (vestis etc.)

ORDO
incedendi in processionib.

Vd.: *Canonici* (ordo inced.); *Processio* (Clerus etc.).

OREMUS.
(Inclinatio capitis.)

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 22.)

ORGANUM.

1) In Accessu et recessu Episcopi ab Eccles.

In festis solemnibus pulsantur organa in accessu Episcopi ad Ecclesiam. *Caer. Ep.* l. I. c. XV. n. 4.

Quotiescunque Episcopus sol. celebraturus aut missae solemni per alium celebrandae in festis solemnioribus interfuturus Ecclesiam ingreditur, aut re divina peracta discedit, convenit pulsari organum, nisi celebretur pro Defunctis vel in diebus ferialibus. Idem fit in ingressu Legati apostol., Cardinalis, Archiep. aut alterius Episcopi, quem Episcopus Dioecesanus honorare voluerit, donec praedicti oraverint et res divina sit inchoanda.

Ibid. c. XXVIII. n. 3. 4.; c. XV. n. 4.

Ibunt omnes, qui Concilio intersunt, ad Ecclesiam, Organo pulsato.

Ibid. l. I. c. XXXI. 12.

2) In Adventu et Quadragesima.

In Dominica 3. Adventus et 4. Quadragesimae pulsanda sunt Organa in missa et utrisque Vesperis. n. 2656 ad 8 die 16. Sept. 1673.

Cum tempore Adventus nonnisi in sola Dominica tertia et Quadrages. tempore in sola dom. quarta permissum sit, ut Organa pulsentur, quaeritur: an pulsari debeant in missa solemnitatum an vero in omnibus aliis divinis Officiis seu horis canonicis, quae tum in Metropol. tum in aliis Collegiatis Ecclesiis cantari solent?

S. C. resp.: Organa in praedictis Dominicis pulsari debere in missa sol. et in vesperis tantum, non autem in aliis horis canonicis. n. 3905 ad 3 die 2. Apr. 1718.

Ad dubium: Organa debentne silere Dominicis Septuag., Sexag. et Quinquag.?

S. C. resp.: Organa non silent, quando Ministri altaris, Diaconus scilicet et Subd., utuntur in missa Dalmatica et Tunicella, licet color sit violaceus. n. 4119 ad 9 die 2. Sept. 1741.

Ad dubium: Decreta sinunt ut pulsentur Organa in Dominicis 3. Adv. et 4. Quadrag., quod certe vetitum reperitur in Caer. Ep. l. 1. c. 28. n. 2. Quid agendum?

S. C. resp.: Servetur consuetudo. n. 4859 ad 10 die 3. Aug. 1839 *).

Ad dubium: An tolerari possit usus, ut tempore S. Adv. et Quadrag. in Dominicis ad Missas solemnes et Vesperas pulsentur Organa?

Et S. eadem C. ... rescripsit:

„Quoad Organi sonitum strictim servandam esse Caeremonialis dispositionem, non obstante consuetudine."

N. 5118 ad 1 die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: An servari possit asserta consuetudo pulsandi organum tempore Quadr., Adventus et vigil., in missis vot. B. V. M., quae singulis Sabb. solemniter celebrantur et in ejusdem Litaniis, quae post Vesperas cantantur?

S. C. resp.: Affirmative et amplius. Die 14. Apr. 1753 ad 4.

---

*) Auctor hujus dubii errat; Caer. Ep. permittit org. in his dominicis. Ipse intelligat Lector:

Inter eas dominicas (in quibus pulsatur organum) non conumerantur Dominicae Adventus et Quadrag., *excepta* Dom. 3. Adv. et 4. Quadrages. sed in *missa tantum;* item exceptis festis et feriis infra Adv. aut Quadrag. occurrentibus, quae cum solemnitate celebrantur, ut die ss. Mathiae, Thomae Aqu., Gregorii M., Josephi, Annunt. et similibus; item in Coena Dom. ad Missam tantum et Sabb. s. ad Missam et ad Vesp. et quandocunque occurreret celebrari sol. et cum laetitia pro aliqua re gravi. *Caer. Ep.* l. 1. c. XXVIII. n. 2.

Ad dubium: An liceat in Dominicis S. Adv. et Quadrag. pulsare Organa in Missis solemnibus, praeter Dominicas a Rubrica exceptas? et quatenus hic usus in aliqua Eccl. vigeat, an sit eliminandus?

S. eadem C.... respondendum censuit:

„Abusum esse eliminandum."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

N. 5126 ad 2 die 22. Julii 1848.

3) Ad benedictionem cum SSmo.

Vd.: *Instructio Clement.* §. XXXI. n. 12.; *Bened. cum SSmo* (Nihil interim. etc.); *Benedictio SS. Sacram.* (cantus vet. etc. decr. n. 4697.).

4) In Dominicis et Festis.

In omnibus Dominicis et Festis per annum occurrentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinere solent, decet in Ecclesia Organum et musicorum cantus adhiberi.

Caer. Ep. l. I. c. XXVIII. n. 1. Vd.: *Organ. in Adventu etc.* (nota.)

5) Ad Gloria.

Vd.: *Gloria* (Celebrans intonat etc.); *Organ. in missa sol.*

Ad *Gloria in excelsis etc.* omnes sedent, usquequo per chorum perficiatur hymnus cum Organo.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 39.

6) Ad „Ite Missa est."

Ad dubium: An retinenda vel potius eliminanda sit consuetudo pulsandi tantum Organum ad respondendum, dum in Missa cantatur *Ite Missa est?*

S. eadem C.... respondendum censuit:

„Servari posse."

Atque ita rescribere rata est et declarare.

N. 5102 ad 6 die 11. Sept. 1847.

7) In Litaniis.

Vd.: *Organ.* (In missis vot.)

8) In Matutinis, Vesperis etc.

In Matutinis, quae sol. celebrantur in festis majoribus, possunt pulsari organa prout et in Vesperis, a principio ipsorum. Regulare est, sive in Vesp. sive in Matut. sive in Missa, ut primus versus canticorum et Hymnorum et pariter versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est, qualis est Vers. *Te ergo etc., Tantum ergo etc.,* quando ipsum SSmum est super altari, et similes cantentur a choro in tono intelligibili non autem ab Organo; sic etiam Vers. *Glor. Patri etc.* etiamsi Vers. immediate praecedens fuerit a choro pariter decantatus; idem servatur in ultimis versibus Hymnorum.

In aliis autem horis canonicis, quae in choro recitantur, non est consuetum interponere organum; sed si in aliquibus locis consuetum esset organa pulsari etiam inter horas canonicas aut aliquas earum, ut est hora Tertia, praesertim quando cantatur, dum Episcopus sol. celebraturus capit s. paramenta, poterit talis consuetudo servari, sed advertendum erit, ut, quandocunque per organum figuratur aliquid cantari seu responderi alternatim versiculis Hymnorum aut Canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuncietur id, quod ab organo respondendum est. Et laudabile esset, ut aliquis Cantor conjunctim cum organo voce clara idem cantaret.

In Vesperis sol. organum pulsari solet in fine cujuslibet psalmi et alternatim in versiculis Hymni et Cantici *Magnif.,* servatis tamen regulis supra-

dictis. *Caer. Ep.* l. I. c. XXVIII. n. 5—8.

Ad Canticum *Nunc dimittis etc.* non pulsatur organum, nisi forte in aliquibus Ecclesiis hujusmodi hora (Complet.) solemnius celebrari aliquando consueverit, quo casu organum adhiberi poterit, juxta normam superius traditam. *Ibid.* l. II. c. IV. n. 3.

Ad Hymnum *Nunc sancte etc. in Tertia* organum intermisceri poterit secundum regulam de organo traditam. *Ibid.* c. VIII. n. 5.

Chorus admoneatur, ut psalmos *Tertiae* lente prosequatur, interposito etiam, si opus videbitur, post quemlibet psalmum organi sonitu. *Ibid.* n. 8.

Intonato Hymno *Te Deum* chorus illum prosequatur, cui et organum intermisceri poterit cum regula superius tradita. *Ibid.* l. II. c. V. n. 9.

Organum ad Hymnum et Cant. *Benedictus* et in fine psalmorum (Laudum) poterit adhiberi modo superius tradito. *Ibid.* c. VII. 4.

9) In Missa de Pass. Dom.

In Missa de Passione Dom. quoad Organum conformandum est cum ritu Dominicae de Passione, cum participet in titulo et sacramento mortis Jesu Christi. n. 2859 ad 9 die 12. Mart. 1678.

10) In Missa de Requiem.

Organum posse permitti in Missis de Req., sed sono quodam moesto et lugubri, etiam in Ecclesia Savonen., non obstante prohibitione Ordinarii. n. 807 die 31. Mart. 1629.

Vd.: *Missa* (Abbrev.); *Vox submissa.*

In missis et Officiis Defunct. nec organo nec musica, quam figuratam vocant, utimur sed cantu firmo. *Caer. Ep.* l. I. c. XXVIII. n. 13.

11) In Missa de Rogationibus.

Ad dubium: In missis Rogationum possuntne pulsari organa?

S. C. resp.: Servetur consuetudo. n. 4859 ad 9 die 3. Aug. 1839.

12) In Missis solem.

In Missa solem. pulsatur organum alternatim, cum dicitur *Kyrie et Gloria etc.* in principio missae; finita Epistola, ad Offert., ad Sanctus etc. alternatim; dum elevatur SSmum graviori et dulciori sono; ad Agnus Dei alternatim; in Versiculo ante Orationem post Communionem ac in fine missae. Sed cum dicitur *Symbolum* in missa, non est intermiscendum organum, sed illud per chorum cantu intelligibili proferatur. *Caer. Ep.* l. I. c. XXVIII. n. 9. 10.

Cf.: *Organ. ad Gloria.* Dum elevatur SSmum silet chorus et cum aliis adorat. Organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia et gravitate pulsandum est. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 70.

13) In missis votivis.

Servari potest asserta consuetudo (Cathedr. Conimbricen.) pulsandi Organum tempore Quadragesimae, Adventus et Vigiliar. in missis vot. B. V. M., quae singulis Sabb. sol. celebrantur et in ejusdem Litaniis, quae post Vesperas cantantur. n. 4233 ad 4 die 14. Apr. 1753.

Vd.: *Missa* (Abbrev.). *Vox submissa.*

14) Modus pulsandi.

Vd.: *Musica* (alteratio etc. — ultim. decret.); *Organ. in Matut. etc.*

15) In Sabbato sancto.

Non prohiberi pulsare organum in Sabb. s. ad tempus Offertorii, quamquam non dicitur in Missa. n. 2859 ad 11 die 12. Mart. 1678.

Vd.: *Organ. in Adv. etc.* (nota.)

16) Usus licitus et illicitus.

Vd.: *Musica* (Alteratio etc. — decr. Bened. XIV.); *Organ.* (ad Matut.; in missa sol. etc.)

OSCULUM.

1) Annuli Pontificalis.

Vd.: *Oscul. param.*

2) Altaris in commun. fidelium.

Ad dubium: Utrum in Communione Fidelium extra Missam Sacerdos, antequam Populo benedicat, osculari debeat Altare, ut praecipit Pontificale Romanum de Visitatione, vel non, ut Rituale Romanum innuere videtur?

Et Sacra Congregatio rescribendum censuit:

„Servetur Dispositio Ritualis Romani nihil praescribentis."

Atque ita respondit ac servari mandavit die 16. Martii 1833 n. 4707.

3) Crucis pectoralis.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4640 *nota*); *Oscul. param.*

4) Evangelii.

Vd.: *Evangelium; Oscul. Missalis.*

5) Faciei Episcopi.

Vd.: *Oscul. man. Episcopi* (In Commun.).

6) Manus.

a) Celebrantis.

Vd.: *Osculum* (cor. exp. SSmo non omittend.); *Incensum.*

Canonicus Patriarchalium Urbis Diaconi munus exercens in missa solemni post petitam benedictionem Evangelii tenetur osculari manum Celebrantis, etiamsi ipse Celebrans non sit Canonicus, neque in aliqua alia ecclesiastica Dignitate constitutus. n. 3216 die 22. Apr. 1690

Celebrante Canonico Cathedr. Diaconus itidem Canonicus, porrigendo Cochlear, patenam, calicem, tenetur osculari manum celebrantis. n. 4536 ad 5 die 4. Junii 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Clara est Rubrica de Missa solemni tit. 10. n. 4. nec non Caeremonial. Episcop. lib. 1. cap. 18. Nulla quippe fit distinctio inter Canonicos, Beneficiatos ac simplices Presbyteros. Cujusque namque ordinis hi sint ac quacumque dignitate fulgentes, si ministrant in Ordine diaconali vel subdiaconali, debent manus Celebrantis osculari, toties quoties praescriptus ritus id exigit, quia tunc non attenditur personae dignitas sed qualitas ministerii. Id adeo verum est, ut rogata S. haec C.: An Canonicus Patriarchalium Urbis, Diaconi munus exercens in Missa solemni, post petitam benedictionem Evangelii, teneatur osculari manus Celebrantis, etiamsi ipse Celebrans non sit Canonicus, neque in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus?, die 23. Apr. 1690 respondit: Teneri. Quid plura quaerimus, ut concludi debeat Canonicum in officio Diaconi ministrantem teneri osculari manum Canonici celebrantis?

b) In Communione.

Non licet Archipresbytero in administrando populis SS. Sacramento manum porrigere osculandam. n. 2008 die 22. Novb. 1659.

Vd.: *Osc. manus Episcopi.*

c) In distributione candel. etc.

Cf.: *Purificat. B. V. M.* (Osculum candelae etc.; Quis porrigat etc.?)

In distributione candelarum et palmarum quoad deosculationem manuum

servandum esse Caeremon. Lib. II. c. XVII. n. 2. et 3. tam celebrante Canonico quam ipso Praeposito. n. 2384 die 27. Novb. 1666.

Celebrans acceptis cineribus sine osculo manus Episcopi revertitur ad suum locum.

Caer. Ep. l. II. c. XVIII. n. 9.

d) Episcopi.

I. In Aspersorio porrigendo et incenso.

In benedictione incensi vel aspersorii porrectione Canonici etc. manum Episcopi deosculari debent. n. 1602 ad 2 die 23. Jan. 1649.

Celebraturus .... accedit ad Episcopum assistentem (in aspers. aquae bened. in dominicis), cui aspersorium osculatum et osculo manus porrigit; ipse vero Episcopus primo seipsum, dein Sacerdotem celebr. .... asperget et statim eidem reddit aspersorium, qui primo manum deinde illud osculatur.

Caer. Ep. l. II. c. XXXI. n. 3.
Vd.: *Osculum* (modus.).

II. In Communione.

Quando Praeses aut Gubernator etc. accipiat s. Communionem, manum Archiepiscopi vel Episcopi ante illam osculabitur.
Caer. Ep. l. III. c. VI. n. 1.

Si aliquis Praelatus, non tamen Episcopus consecratus, vellet communicare, debet ante communionem osculari manum Episcopi celebrantis et sumpta communione faciem et idem omnes Canonici parati observabunt. Reliqui omnes tam de clero quam de populo et etiam Magistratus, osculantur manum Episcopi tantum ante communionem.

Caer. Ep. l. II. c. XXIX. n. 5. Fer. V. in Coena Dom. Diaconus et Subd. assistentes et caeteri Canonici parati faciem celebrantis Episcopi non osculantur.
Ibid. c. XXIII. n. 6.

III. A Concionatore fac.

Si Sermo habendus sit per *Canonicum,* suo tempore ibit ad osculum manus Episcopi et ab eo profunde *inclinatos* *) petet benedictionem et Indulgentias.
Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 51.
Vd.: *Indulg. Concionat.*

IV. A Diacono et Subd. facienda.

Vd.: *Oscul. man. Ep.* (lecta Epist., in commun.); *Planeta plicata Diaconi et Subdiac.* (Quando dep.); *Oscul.* (in Parasceve.)

V. Lecta Epistola.

Subdiaconus cantata Epistola osculetur manum Episcopi assistentis, si adsit in sede propria, alias celebrantis n. 5004 ad 2 die 7. Decb. 1844.

Cantata Epistola Subdiaconus inclinatus porrigit Episcopo librum clausum super ejus genibus et manum dexteram illius super libro positam reverenter osculatur.
Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 40.; *Instr. Clem.* §. XXX. n. 14.

Vd.: *Oscul. manus* (in Parasc.); *Planeta plic. Diac. et Subd. in missa pont.* (Quando depon.) Subdiaconus cantata Epistola in *missa defunct. non osculetur* manum Episcopi.
Caer. Ep. l. II. c. XI. n. 5.

Vd.: *Oscul. manus Ep.* (in missa de requ.)

VI. Lecta Lectione et Prophetia.

Dicto: *Tu autem Domine etc.* post lectionem (in Matut. sol. cantando) et facta reverentia Episcopo Canonicus

---

*) Si Concionator non est Canonicus genuflexus petit benedictionem.

revertitur ad locum suum *absque osculo* manus Episcopi.

Caer. Ep. l. II, c. V, n. 6.

Cantata Prophetia accedit, qui cantavit, ad osculandum manum Episcopi.

Ibid. c. XXVII. n. 13.

Finita prophetia accedet, qui illam cantavit, ad osculandum manum Episcopi assistentis.

Ibid. c. XXVIII. n. 5.

VII. In Ordinatione.

Vd.: *Evangel.* (oscul. Episc. in Ordin.)

VIII. In Ordinat. ad Presbyt.

Vd.: *Ordinat. ad Presbyt.*

IX. In Patena et calice porrigendo.

Mox Diaconus patenam cum hostia ad manus Episcopi cum osculo porrigit. ... Diaconus porrigit Episcopo celebranti calicem cum osculo calicis et manus...

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 61. 63.

Diaconus remoto velo ex patena illam capit de manu Subdiaconi, quam abstergit, osculatur et cum manus osculo porrigit Episcopo.

Ibid. n. 73.

Cf.: *Patena; Oscul.* (in Parasc.)

X. In Palma, candela etc. porrigenda.

Vd.: *Purificat. B. V. M.* (Modus etc.; Quis porrigit?); *Oscul. manus Celebrantis* (In distrib. etc.).

XI. In Passione cant.

Vd.: *Passio* (cantor.).

7) In Missa de Requiem.

Ministri aliquid dantes vel ministrantes Episcopo in tota Missa pro Def. nunquam ejus manum aut rem osculentur.

Caer. Ep. l. II. c. XI. n. 5.

Cf.: *Oscul. man. Ep.* (lecta Epist.); *Oscul. Missalis ab Episcopo.*

Diaconus affert librum ad altare *(in missa def.)*, statim sine osculo manus Episcopi dicit *Munda cor etc. Ibid.* n. 6. In missis def. deosculatio omittitur. *Ibid.* l. I. c. XVIII. n. 16.

8) Missalis ab Episcopo.

a. In Missa sol. et priv.

Subdiaconus Episcopo, cum *(facta cônfessione)* supremum altaris gradum ascenderit, adjuvante presbytero assistente, porrigit osculandum librum Evangeliorum apertum, ubi est principium Evangelii illius missae.

Caer. Ep. l. I. c. X. n. 2.

Finito Evangelio Subdiaconus nulla facta reverentia portat librum apertum in folio, ubi est principium Evangelii cantati, et illum offert osculandum Episcopo, nulla ei facta reverentia nisi postea libro clauso.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 46.

Cf.: *Evangel.; Episcop. assistent.* (Evang.)*; Oscul. Missal. a Laicis.*

Finito Evangelio Episcopus in *locis suae jurisd. Missam audiens* iterum genuflectit et defertur ei liber Evang. deosculandus per Capellanum cotta indutum, qui Missae assistit. Et si forte simul cum Episcopo adessent alii Praelati exteri seu etiam ipso majores, liber Evang. dabitur osculandus semper majori seu digniori omnium et si essent plures aequales, nulli ipsorum, nec ipse Celebrans deosculatur.

Caer. Ep. l. I. c. XXX. n. 1. 3.

Finita Confessione Episcopus ascendens ad altare, . . . cum dicit: *Quorum reliquiae etc.* positis hinc inde super altari manibus extensis osculatur illud in medio ... et statim ambabus manibus tangens librum Evangel. sibi a Subdiacono a sinistris stante oblatum

in folio Evang. currentis illum osculatur adjuvante presbytero assistente.
Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 33.

b. In Missa de Requ. et in Parasc.

Cf.: *Oscul. man. Ep.* (in missa de Requ.)

Episcopus (assist.) non osculatur textum Evang. in Parasceve.
Caer. Ep. l. II. c. XXVI. n. 2.
Episcopus accedet ad altare finita confessione (*in missa defunct.*) et *non osculabitur* librum sed altare tantum.
Caer. Ep. l. II. c. XI. n. 4.
Finito Evangelio Episcopus non osculabitur librum.
Ibid. n. 6.

c. Missalis a Laicis.

Liber Evangelii celebrante Episcopo nulli etiam magno principi aut praelato missae privatae praesenti datur osculandus post lectum Evangelium, sed si adesset aliquis maximus princeps vel Cardinalis, cui liber Evangelii osculandus porrigendus esset, non utique liber Evangelii, quo utitur Episcopus, sed alius liber consimilis illi porrigatur.
Caer. Ep. l. I. c. XXIX. n. 9.
Cf.: *Evang.*

9) Modus osculandi.

Quoties aliquid affertur Episcopo, Celebranti aut Legato, qui rei divinae intersint, ac etiam cum aliquid ab eis recipitur, toties osculanda est res, quae offertur, ac deinde manus recipientis et cum ab eisdem aliquid recipimus, primo manus deinde res, quae recipitur.
Caer. Ep. l. I. c. XVIII. n. 16.
Vd.: *Oscul. parament.; Purificat. B. M. V.* (Modus etc.; Quis porrigit. etc.?)*; Oscul. manus Ep.* (In Aspers. etc.)*; Thus* (Modus etc.)*; Navicula; Ordinatio ad Presbyt.* (Osculum.)

10) Paramentorum (Episcopi).

Primo offerunt (Diaconus et Subd.) Episcopo *amictum* osculandum in medio, ubi est designata parva crux, quam in *parte* prius osculatur etiam Diaconus.
Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 12.

Diaconus sumpta *cruce pectorali* eamque etiam in *parte* prius osculatam ipsi Episcopo osculandam praebet. *Stolam* deinde etiam in *parte* deosculatam Episcopo deosculandam offert.
Ibid. n. 14.

Demum (imposita mitra) imponitur per presbyterum assist. *annulus pontif.* annulari digito dexterae manus Episcopi, annulo prius et manu postea deosculatis.
Ibid. n. 22.

11) In Parasceve.

Unus ex Beneficiatis cotta indutus dicit primam prophetiam in loco, ubi legitur epistola et sine osculo manus Episcopi.
Finita Epistola Subdiaconus absque osculo manus Episcopi resumit planetam.
Caer. Ep. l. II. c. XXV. n. 12 et 15.
Vd.: *Planeta plic. Diaconi et Subd. etc.* (Quando dep.)*; Passio* (Cantor).

Finito Evangelio (in Parasc.) Diaconus cum aliis, qui secum erant, factis debitis *reverentiis*, revertantur ad loca sua.
Ibid. n. 19.

Episcopus non recipit osculum manus ab aliquo nec ipse osculatur textum Evangelii (in Parasc.).
Ibid. §. XXVI. n. 2.

Celebrans extrahit (in Parasc.) SSmum de calice et ponit super patenam, quam Diaconus sine osculo offert Celebranti.
Ibid. n. 18.

12) Coram SSmo exposito.

I. Omittendum.

Vd.: *Instr. Cl.* §. XIX. n. 11., 13., 20.; §. XXIV. n. 17.; §. XXX. n. 8., 21., 28.

Episcopus (Fer. V. Coena D. SSmo in altari remanente) ad sedem stans ponit incensum absque bened. et sine osculo manus Episcopi. — Diaconus stans offert Episcopo genuflexo SSmum sine osculo. — Diaconus recipiet SSmum sine osculo manus Episcopi.
Caer. Ep. l. II. c. XXIII. n. 11—13.
Vd.: *SS. Sacram.* (Quis porrig.)
Finita missa in festo SS. Corp. Chr. (SSmo patente super altare) Episcopus imponit thus ministrante presbytero assistente absque osculo manus et cochlearis.
Ibid. c. XXXIII. n. 19.

Quando ipsum *solum* SSmum sit thurificandum, nunquam debet ab Episcopo neque ab alio thus benedici, sed simpliciter poni in thuribulum et porrigitur sine osculatione manus Episcopi.
Ibid. l. I. c. XXIII. c. 18.

II. Non Omittendum.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 14.

OSTENSORIUM.

1) Benedictio.

Vd.: *Bened.* (suppell.)

2) Forma, Origo.

Vd.: *Instr. Clem.* §. V. n. 7—14; *Origo: Ibid.* §. XXXVI. n. 9 etc.; *Crux in Ostensorio*, vd.: *Rosarium B. V. M.* (ritus; decr. n. 5112); *Velum super Ostensorium.*

3) Quis et quo modo porrig. Celebr. et recipit?

Permittendum non est tradi Ostensorium a Magistro Caeremoniarum in manus Canonici impertituri benedictionem cum SSmo. n. 4434 ad 3 die 27. Maii 1788.

Vd.: *Diaconi ass.* (porrig. SSmum, *nota*); *Instructio Clem.* §. XIX. n. 14; §. XXIV. n. 1 etc. 5 *(recipit Diac.)*

4) Quando defert. in processione?

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 14.

OSTIARIATUS.

Claves.

Cf.: *Ordines Minores.*

Ad dubium: Quando Ostiarius, Archidiacono comitante, claudit et aperit fores Ecclesiae, debetne claudere et aperire etiam cum Clavi, praesertim si in foribus Oratorii, ubi confertur Ordo, non adsit Clavis?
S. C. resp.:
„Non est stricte necessarium."
N. 4669 ad 5 die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: In Ordinatione Pontifex tradit Ostiariis *claves Ecclesiae.* In Oratorio, seu Ecclesia, quae unam tantum habeat clavem, haec una clavis estne sufficiens pro materia remota Ostiariatus?

Et S. eadem R. C. ... respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet:

Quamvis una clavis esse possit materia sufficiens pro Ordinatione Ostiarii, servandam tamen esse Rubricam, quae praecipit claves esse tradendas, quae sive argenteae sint sive ferreae sive ligneae, dummodo aptae sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam hujus Ordinis."
Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 7. 1mo.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Tam clare et dilucide suum pro veritate super hoc quaesito et duobus

sequentibus votum aperuit cl. vir *Joannes Canonicus Fornici, alter ex Sedis Apostolicae Caeremoniarum Magistris et Cong. Caeremonialis a Secretis*, ut iis, quae ab eodem scite docteque allata sunt, frustra aliquid adjicerem. De primo agens quaesito sic inquit: „Cum a priscis Ecclesiae Saeculis, ut patet ex *Con. Carthag. 10. Canon. II.*, Clavium traditione initientur Ostiarii, qui in Hierarchia Ecclesiastica primum gradum constituunt et quos quam antiquos fuisse in Ecclesia Romana docet nos egregie illa *S. Cornelii Papae Epistola ad Fabium Episcopum Antiochenum* apud *Eusebium lib. 6. cap. 43. Historiae etc.*, recte praescribit Pontificalis Rubrica, ut pro ipsis ordinandis Ostiariis Ecclesiae claves parentur. Sunt enim claves signum potestatis spiritualis, quae confertur Ostiariis, de quorum munere agit *S. Isidorus Hispalensis De Officiis lib. 2. cap. 15.* Eorum quippe est aperire et claudere Ecclesiam, res ad eam pertinentes custodire, Fideles admittere, Infideles et Excommunicatos modeste repellere, convocare Populum ad praestandum Deo cultum et Foeminas ab Altari, in quo celebratur, discrete arcere. Jam vero, si quae ab Ostiario custodienda sunt, non pluribus clavibus sed una tantum recluduntur, si Ecclesia vel Oratorium una tantum clavi aperiatur et claudatur, ii praesertim, qui sequuntur sententiam aliquorum Doctorum, inter quos recensetur *B. Alphonsus de Ligorio*, profecto tenere debent unam tantum clavem Oratorii vel Ecclesiae materiam esse sufficientem pro Ordinatione Ostiariorum. Legitur enim *in examine Ordinandorum* ex ejus doctrina desumpto *cap. 3. art. 2. sect. 1. de Ostiariatu: Quod Claves in Ordinatione Ostiariatus esse debent propriae Ecclesiae nec possint aliae substitui:* igitur si claves tradendae debent esse propriae Ecclesiae nec aliae possunt substitui in Oratorio vel Ecclesia, quae unam tantum habet clavem, aut nemo ordinari potest in ea Ostiarius aut in ejus Ordinatione una tantum clavis eidem est tradenda. Et fortasse Episcopus Orator tenet et ipse quod revera, dum Ostiariatus Ordinem confert, debeant parari et in promptu esse *claves Ecclesiae, in qua tenet Ordinationem.*

Verum Ostiarii non ordinantur pro aperienda Ecclesia eaque claudenda et custodiendis iis omnibus, quae in eadem custodiuntur, in qua ordinantur. Non enim ordinantur Ostiarii pro una tantum Ecclesia, sed traditione clavium designantur et constituuntur in Ordine Ostiariatus, pro quibuscumque aperiendis et claudendis Ecclesiis ac pro aliis muneribus perfungendis in quacumque Ecclesia.

Hinc est quod Theologi fere omnes tenent, pro clavibus Ecclesiae, quae juxta Rubricas parari debent, quasque debent Ostiarii tangere, non designari claves Ecclesiae proprias, sed quascumque claves, dummodo aptae sint ad aperiendam et in praxi hoc ab omnibus Episcopis in Ordinatione Ostiariorum servatur. Nec obstat, quod in traditione clavium, quae non sint propriae Ecclesiae, non amplius verificentur verba, quae proferuntur ab Episcopo ajente: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur:* Nam claves, quae traduntur Ostiariis, sunt *signum demonstrativum* jurisdictionis aperiendi, claudendi quascumque Ecclesias et custodiendi, quae in Ecclesiis custodiuntur, non *taxativum* ad ea tantum custodienda, quae traditis clavibus recluduntur. Traditio potius unius clavis aliquo modo obstaret praedictis verbis, quae in numero plurali exprimuntur, non in singulari.“

„Quibus positis, quamvis signum demonstrativum Jurisdictionis, quae confertur Ostiariis, tam una clavis quam plures efficiant, ac propterea non dubitarem, unam tantum clavem esse materiam sufficientem pro Ordinatione Ostiariorum; cum tamen hoc *signum* sit *indicativum* Jurisdictionis pro quacumque Ecclesia, non *taxativum* pro ea, in qua ordinantur, et multo magis, ne ex affirmativa responsione hujus S. C. ad propositum dubium deducatur et confirmetur aliquorum opinio, quod claves tradendae debeant esse propriae Ecclesiae, nec possint aliae substitui, unde in Oratorio seu Ecclesia, quae unam tantum habet clavem, haec sola tradenda sit, respondendum censerem: *Quamvis una clavis posset esse materia sufficiens pro Ordinatione Ostiariatus, servandam tamen esse Rubricam, quae praecipit, claves esse tradendas, quae sive argenteae sint sive ferreae sive ligneae, dummodo aptae sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam hujus Ordinis.*“

Ad dubium: Ostiarii debentne *singuli successive* tangere Claves? Sufficitne *simul* tangere et non successive et super duos vel tres aut quatuor simul tangentes materiam proferre formam Ordinationis?

Et S. eadem R. C. ... respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet:

Affirmative ad utramque partem; dummodo qui simul ordinantur Ostiarii tangant manu dextera claves, dum Episcopus profert formulam.

Atque ita statuit et decrevit die 11. Mart. 1820. n. 4565 ad 7 2°.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Pergit ad secundam Dubii partem inquiens: „Clara est quoad secundum dispositio Rubricae. *Pontifex accipit et tradit omnibus claves Ecclesiae, quas successive manu dextera singuli tangunt Pontifice dicente: Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.* Claves ergo non accipiendae sunt successive ab omnibus, sed omnibus tradendae ab Episcopo, ut singuli Ordinandi illas tangant manu dextera. Quotquot ergo eodem tempore possunt tangere claves, possunt eodem tempore ordinari Ostiarii Pontifice dicente: *Sic agite etc.* Et quoniam impossibile est, quod, si permulti sint Ostiarii, omnes tangant claves, quas tradit Episcopus, hinc est, quod eodem tempore ordinari possunt, ut fit in Patriarchali Lateranensi Basilica, duo vel tres, qui simul tangunt claves, de novo repetita forma super alios successive tangentes.“

P.

PALLA.

1) In Communione administr.

Vd.: *Bursa in communione* (delatio, decr. n. 5068 ad 4).

2) In Expositione s. Reliquiae.

Ad dubium: An sub Reliquia alicujus Sancti exposita publicae venerationi inter Candelabra debeat ad-

hiberi Palla, sicuti in pluribus faciunt Ecclesiis?

S. C. resp.: „Negative.“

N. 4681 ad 4 die 7. Apr. 1832.

3) In Expositione SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. V. n. 4, 5.

4) Materia.

Ad dubium: an Palla confici possit ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, quem vocant Mussulo?

S. C. resp.: *Lectum.*

N. 2267 die 15. Mart. 1664.

In Sacrificio missae uti non potest palla a parte superiori drappo serico cooperta. n. 3575 ad 6 die 22. Jan. 1701.

Vd.: *Paramenta* (materia, decr. n. 4563.).

PALLIUM.

1) Altaris.

Vd.: *Altare* (Ornatus.).

2) Archiepiscopi, Episcopi, Metrop., Patriarchae.

I. Asservatio.

Vd.: *Pallium* (Episcopo concessum.).

Curent Archiepiscopi, ut pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio et auctoritas, digne et honorifice asservetur, puta serico involutum ac in capsula intus et extra pulchre ornata vel serico obducta inclusum tamquam Venerabile ipsius Archiepiscopi insigne mysticis significationibus plenum.

Caer. Ep. l. I. c. XVI. n. 7.

II. Benedictio et Traditio Romae.

Benedictus PP. XIV.

Rerum ecclesiasticarum origines quo altius ex sacrae antiquitatis memoria repetimus, eo magis illas et solidis fundamentis inixas et sublimi non minus quam vetusta institutione venerabiles ipsaque disciplina et ritu graves et religiosas agnoscere et comprobare gaudemus. Ita porro de s. Palliis, quae Rom. Pontifices Patriarchis et Archiep. concedi ipsisque in Curia praesentibus tradi, absentibus autem transmitti consueverant, a primis usque Ecclesiae saeculis complura exstant certissima monumenta; nec dubium est, quin eorum traditioni sive transmissioni solemnis semper praemissa fuerit benedictio. Quia tamen hujusmodi benedictionis ritus nonnullas mutationes in evolutione temporum subiisse dignoscitur, officii nostri judicavimus illius formam perpetuis futuris temporibus observandam constituere ac firmare tenore praesentium.

Inter speciales praerogativas Basilicae s. Petri in Vaticano haec recensetur, quod *in ea tantum vigilantur Pallia.* Mopheus autem Vegius, Canonicus ejusdem Basilicae piam supplicationem describit, quae ab ipsius Basilicae Clero cum cantu psalmorum poenit., Litaniarum aliarumque precum fiebat, dum ad Pallia benedicenda procedebatur, atque addit, nocturnas vigilias ea occasione ita celebrari consuevisse, quemadmodum in pervigilio festi SS. Ap. Petri et Pauli. De hujusmodi vigiliis similiter mentio est in Libris ss. Caerem. Ecclesiae Romanae, ubi *l. I. sect. 10. c. 5.* dicitur, quod ipsa Pallia demittebantur in s. B. Petri Confessionem, ut supra illius Corpus consisterent: *Per Canonicos Basilicae ponuntur super Corpora Petri et Pauli Ap. sub altari majore, ubi factis de more vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restituunt Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservant.*

Erat quippe in anteriori fronte altaris dictae confessionis parva quaedam veluti fenestra et in hujus solo intra

ipsius altaris molem foramen erat, aeneae arcae ad perpendiculum respondens, in qua s. apostolorum Principis Corpus requiescit.

Verum quum mutata deinceps fuerit Arae majoris forma, nocturnarum autem vigiliarum disciplina magna ex parte in desuetudinem abierit, inductum fuit, ut praedictae Basilicae Archipresbyter Vicarius in Episcopali Ordine constitutus vel alius Episcopus ejusdem Basilicae Canonicus, qui matutinis Officiis in festo SS. Petri et Pauli in Pontif. assisteret, idem Benedictionem Palliorum faceret, cujus ritus talis erat.

Pallia benedicenda auratae pelvi imposita ab ipsius Basilicae Vat. Canonico Altarista nuncupato comitantibus duodecim ejusdem Basilicae Beneficiatis ad confessionem B. Petri deferebantur ibique locabantur super mensam stragula pretiosa coopertam inter duo candelabra accensis cereis subjecta. Episcopus vero, qui matutinis Officiis adsisterat, post cantatas Laudes Pontificalibus adhuc indutus unacum assistentibus Ministris paratis et Clero Basilicae ad Confessionem ipsam descendebat, Pallia aspergebat aqua benedicta, tum incenso adolebat ac demum sol. benedictionis preces super illa recitabat. Pallia vero sic benedicta per totam festivitatis octavam super corpus Apostoli requiescebant; expleta autem octava a Sacrarii Curatoribus removebantur et inclusa capsulae holoserico coccineo coopertae recondebantur in Oratorio Secretarii, in quo SSrum reliquiae asservantur; clavis autem capsulae tradebatur primario Pontificis Caer. Magistro.

Ritum hunc Nos ipsi semper observari vidimus, nisi quod anno Jubilaei 1725 22. Febr. in festo Cath. s. Petri Antiochiae Bened. PP. XIII. hujusmodi Palla per se ipsum benedicere maluit. Cujus nos exemplo excitati duobus proxime elapsis annis in pervigilio Natalis SS. Ap. Petri et Pauli vespertinis Officiis in ipsa Bas. Vat. persolutis hujusmodi Pallia benedicimus certo ordine ac ritu, quem in posterum quoque servare decrevimus atque etiam a Successoribus Nost. R. PP. seu resp. ab eo S. R. E. Cardinali, qui forsan absente Pontifice Vesperarum solemnitati in Pontif. adstiterit, observari et adhiberi tenore praesentium mansuro statuimus.

Primum itaque volumus et mandamus, ut singulis annis Palliorum numerus sufficiens pro Ecclesiarum opportunitate in Vigilia Apost. de mane a praedictae Basilicae Canonico Altarista cum consueto comitatu ad confessionem B. Petri deferatur ibique decenter, ut diximus, collocetur, ipsaque Pallia post vesperas ejusdem diei in ipsa Basilica maximo ritu celebratas a SS. Pontifice, si praesens fuerit, sin minus ab eo Cardinali, qui Pontificalia peregerit, benedicantur.

Expletis itaque vesperis descendat ad Confessionem unus ex Auditoribus causarum Palatii ap., s. subdiac. vestibus indutus praecedentibus duobus servientibus armorum, Mazzeriis Papae nuncupatis, comitantibus hinc inde duobus aliis Auditoribus Collegis cum supparo et superpelliceo et subsequentibus Pontificiae consist. Aulae Advocatis; atque is praeparata Pallia coram Pontifice aut Cardinale pontif. exercente offerat et sistat. Decet enim hujusmodi munus injungi dictis Auditoribus, quorum videlicet Collegii Decano singulis annis traduntur Agni, ex quorum velleribus contexenda sunt s. Pallia; nec minus convenit adesse consist. aulae Advocatos, ad quos singulari privilegio pertinet pro Palii concessione apud Pontificem in Consistorio residentem perorare.

Ipse autem Pontifex seu illius vice Cardinalis Pallia praedicta more solito asperget aqua benedicta tum incenso

adolebit deindeque pronuntiabit super ea preces et benedictiones juxta formulam inferius statuendam.

Peracta demum Benedictione eadem *s. Pallia includantur arculae argenteae auro obductae, quam semper in ipsa confessione B. Petri ap. et prope s. illius Corpus in loco ad id designato asservari* mandamus, quamque ad hunc effectum exquisito caelaturae opere nostro sumptu conflatam nuper eidem B. Apost. Principi reverenter obtulimus. Volumus autem, ut hujusmodi arculae cura et custodia spectet ad ipsius Basilicae Canonicum Altaristam pro tempore existentem; illius vero clavis a primario Pontif. Caerem. Magistro retineatur.

Denique attendentes, *quo ritu hujusmodi Pallia a Card. S. R. E. Diaconorum Priore absentium Patriarcharum seu Archiep. Procuratoribus traduntur*, animadvertimus ipsos Procuratores juramentum praestantes juxta antiquam formulam plura promittere, quae nec omnino his temporibus integre adimpleri nec sine perjurii crimine negligi posse videntur. Quapropter volumus et statuimus, ut hujusmodi juramentum deinceps a Procuratoribus praedictis alia forma praestetur inferius inserenda praesentibus Literis, quas quidem cum omnibus in iisdem statutis atque praescriptis semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore et ab omnibus, ad quos pertinet et pertinebit, plenissime observari decernimus.

Non obstantibus quibuscunque.

Formula
Precum ad benedicenda Pallia.

Benedicens ipsa Pallia ter aspergit aqua benedicta dicendo Antiph.: *Asperges etc.* ac ter Incenso adolet; deinde dicit:

℣. *Adjut. N. in Nom. D.*
℟. *Qui fecit coel. et terram.*
℣. *Dom. vobiscum.*
℟. *Et cum Sp. tuo.*

Oremus.

Deus Pastor aeterne animarum, qui eas ovium nomine designatas per J. Chr. fil. tuum b. Petro ap. ejusque Successoribus boni pastoris typo regendas commisisti atque ipsis s. Vestium symbolis pastoralis curae documenta significari voluisti, effunde per ministerium nostrum super haec Pallia de BB. Ap. Principum altari sumpta copiosam benedictionis ✝ et sanctificationis ✝ tuae gratiam, ut quam mystice repraesentant pastoralis officii plenitudinem atque excellentiam pleno quoque operemus effectu. Humilitatis Nostrae preces benignus excipe atque eorundem apost. meritis et suffragiis concede, ut quicunque ea te largiente gestaverit, intelligat se ovium tuarum pastorem atque in opere exhibeat, quod signatur in nomine. Sit boni magnique illius imitator pastoris, qui errantem ovem humeris suis impositam caeteris adunavit, pro quibus animam posuit. Sit ejus exemplo in custodia gregis sibi commissi sollicitus, sit vigil, sit circumspectus, ne qua ovis in morsus incidat fraudesque luporum. Sit disciplinae zelo districtus, quod perierat requirens, quod alienum reducens, quod confractum alligans, quod pingue et forte custodiens. Videat humeris suis impositam crucem, quam filius tuus proposito sibi gaudio sustinere non recusavit; sitque illi crucifixus mundus et ipse mundo. Tollat injectum collo suo evang. jugum sitque ei ita leve et suave, ut in via mandatorum tuorum caeteris exemplo et observatione praecurrat. Sit ei hoc symbolum unitatis et cum ap. Sede communionis perfectae tessera, sit charitatis vinculum, sit di-

vinae haereditatis funiculus, sit aeternae securitatis pignus, ut in die adventus et revelationis magni Dei pastorumque Principis J. Christi cum ovibus sibi creditis stola potiatur immortalitatis et gloriae. Per eundem etc.

Formula juramenti, quod Procuratores absentium Patriarcharum, Archiep. aliorumque, quibus Pallium a R. Pontifice concessum fuerit, praestare debent in manibus Card. S. R. E. Diaconorum Prioris pro tempore existentis, dum Pallium ipsum ferendum seu transmittendum suscipiunt, talis est:

Ego N. Procurator et procuratorio nomine et pro parte Revdss. in Christo Patris et Domini N. electi Ecclesiae N. instanter, instantius et instantissime peto mihi tradi et assignari Pallium de Corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii et promitto illud reverenter portare vel portari facere eidem Revdss. Patri D. N. Sic me Deus adjuvet et haec s. Dei Evangelia.

Datum Romae die 12. Aug. 1748.

(Bull. r. t. XVII. p. 274 vel Bull. Bened. XIV. t. II. p. 494; *Catalan.* (sacr. Caerem. Ecclesiae rom. t. I. p. 341.)

Ex Caerem. Ecclesiae romanae.

(Catalanus t. I. p. 341.)

De Pallio et quomodo traditur.

Promoti ad Metropoliticas seu Patriarchales Ecclesias, etiamsi sint consecrati Episcopi, appellantur Archiepiscopi. Neque Patriarchae nisi primum acceperint Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, sed electi ad illas Ecclesias et translati de una Ecclesia Metropolitana ad aliam, non possunt uti Pallio, quod acceperant in prima sua Ecclesia et minus Pallio Praedecessoris defuncti seu translati, sed oportet, quod de novo petatur Pallium et obtineatur et interim non possunt ordinare, neque consecrare, Synodum celebrare nec alia pleraque Pontificalia exercere. Debent autem petere Pallium per se vel Procuratorem intra tempus sex mensium. Sunt et quidam Episcopi, qui ex indulto Apostolico Pallio utuntur, ut Lucensis in Thuscia, Papiensis in Lombardia, Bambergensis in Germania et si qui alii, quo uti debent intra suas Ecclesias diebus et modo in privilegio a Sede Apostolica illis concessis. Cura conficiendorum et conservandorum Palliorum ad Subdiaconos Apostolicos pertinet, qui ex lana munda et alba illa hoc pacto conficiunt. Sanctimoniales Monasterii S. Agnetis vel Religiosi, qui sunt in illa Ecclesia, offerunt quotannis agnos duos albos super Atlare illius Ecclesiae in die festivitatis Sanctae Agnetis, dum in Missa solemni cantatur *Agnus Dei.* Qui agni recipiuntur a duobus Canonicis Ecclesiae Lateranensis et ab eis postea consignantur Subdiaconis Apostolicis, qui agnos ipsos in pascua mittunt, quoad veniat tempus tondendi ipsos opportunum. Ex his agnis lana tondetur, quae mixta cum alia lana alba et pariter munda reducitur in filium, ex quo Pallia hujusmodi contexuntur latitudine digitorum trium, redacta in orbem ita ut humeros Praesulum ambiant; a pectore et renibus particulam pendentem habet Pallium longitudinis palmi et semis et in ejus extremitatibus laminas plumbeas tenues ad parem longitudinem in fine orbiculatas nigro serico textas. In ipso orbe Cruces quatuor insutas supra pendentes particulas ante et post et super humeros utrosque. Sic confecta Pallia ex eodem nigro*) serico per

*) Verba „ex eodem nigro serico“, leguntur quidem in Romana editione, sed desiderantur in Veneta I.

Subdiaconos portantur ad Basilicam Principis Apostolorum, sub Altari majore, ubi factis ex more vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restituunt Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservant. *Usus autem Pallii hujusmodi*, in quantum potuimus explorare, antiquissimus est et a Lino Pontifice Petri Apostoli immediato Successore habuit originem; ita enim scriptum legimus a Maximo Episcopo in Homilia de Veste Sacerdotali: „In Lege gratiae antiquum est illud nostrum Ephoth (id est Pallium) quod nostri Patriarchae arbitrantur a Lino post Petrum secundo Romano Pontifice institutum et in singulare potestatis privilegium nostris Deo plenis Praesulibus datum.“ Et Eusebius Caesariensis in Sermone de Epiphania scribit: „Nihil antiquius Veste illa Sacerdotali Archipraesulis nostri, quae illi vesti de Veteri Testamento successit Ephoth bysso auroque contextae, qua in signum plenissimae potestatis primus Linus amictus est, cui et typum dedit et nomen, ut a veteribus accepimus Scriptoribus, quam appellavit et Pallium.“ Cum autem aliquis Praelatus indiget Pallio, illud primo per quempiam ex Advocatis Consistorialibus Procuratorem ab eo ad hoc specialiter constitutum a Summo Pontifice in Consistorio *instanter, instantius et instantissime petitur*. Pontifex, excluso Advocato, exquirit Patrum sententias: an dandum sit Pallium, deinde committit Priori Diaconorum, ut Pallium Praelato vel ejus Procuratori assignet; expediuntur super ea re Literae Apostolicae in forma consueta et Prior Diaconorum Cardinalium imponit locum et diem, ubi et in quo Pallium consignare debeat. Id plerumque fieri solet in domo ipsius Cardinalis in sua Capella, interdum autem in Ecclesia Sancti Petri et super majus Altare et valde condecenter, maxime pro maximis Ecclesiis et ultramontanis et ita vidi servari a Reverendissimo Domino Cardinali Senensi Priore Diaconorum. Statuta die Praelatus, si est praesens vel ejus Procurator in absentia cum speciali mandato, venit ad locum ordinatum. Adsunt Dominus Prior Diaconorum Cardinalium et Subdiaconus Apostolicus cum ipso Pallio, qui Pallium explicat super medium Altaris. Praelatus, si est praesens, indutus super Rocchettum sive Superpelliceum Planeta, genuflexus in gradu Altaris ante Priorem Diaconorum stantem in cornu dextro Altaris, ubi legitur Evangelium, petit sibi dari et consignari Pallium his verbis: „Ego N. electus Ecclesiae N. instanter, instantius et instantissime peto, mihi tradi et assignari Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii.“ Tunc Dominus Prior Diaconorum accipiens Pallium de Altari, imponit illud super humeros Praelati genuflexi, dicens: „Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatae Mariae semper Virginis atque Beatorum Apostolorum Petri et Pauli nec non Ecclesiae N. tibi commissae tradimus tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii cum Patriarchalis vel Archiepiscopalis nominis appellatione, ut et utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen“; et illud cum Subdiacono aptat, non tamen infigit spinulas et recipit illum ad osculum pacis. Demum Clericus Caeremoniarum extrahit illi Pallium et advocatis testibus rogat se de illo actu, plicat Pallium et illud portat ad dictum Praelatum vel illud reservat in loco sacro, quoad Praelatus recedat et tunc dat illi Pallium cum publico instrumento. Vidi etiam, cum essem Minister Caeremo-

niarum, Sixtum Papam Quartum manibus propriis dedisse Pallium Patriarchae Constantinopolitano Hieronymo Lando Veneto tunc Archiepiscopo Cretensi, quod tamen, ut arbitror, non puto condecens esse, cum traditio Pallii proprie ad Diaconum spectet; et ipsi Romano Pontifici in sua Coronatione et Consecratione nemo imponit Pallium nisi Prior Diaconorum. *Si autem Pallium tradendum sit Procuratori in absentia Praelati,* Procurator indutus Superpelliceo genuflectit, ut de Praelato diximus, et petit Pallium et jurat in hanc formam: „Ego N. Procurator et procuratorio nomine et pro parte Reverendi in Christo Patris et Domini Domini N. Electi Ecclesiae N. instanter, instantius, instantissime, peto, mihi tradi et assignari Pallium de Corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii et promitto illud reverenter portare eidem Reverendo Patri Domino N. nec pernoctabo in aliquo loco, nisi una nocte tantum, nisi praepeditus fuero legitime et tunc in Cathedrali ipsius, et si non fuerit Cathedralis, in Collegiata; et si non fuerit Collegiata, in Parochiali Ecclesia remittam et honorifice reponam. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.“ Diaconus autem Cardinalis accipiens Pallium de Altari imponit illud super humeros Procuratoris, dicens: „Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Domini no · Papae ac Sanctae Romanae Ecclesi: assigno tibi Pallium de Corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo officii, cum Archiepiscopalis nominis appellatione, nomine et pro parte Reverendi in Christo Patris Domini N. et Ecclesiae N., ad quam electus est, ut eo utatur intra Ecclesiam suam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis.“ Et in fine Procurator osculatur illi manum et rogat Clericum Caeremoniarum et petit instrumentum. Clericus extrahit illi Pallium, plicat et reportat et conservat in loco sacro, quousque Procurator sit discessurus et tunc dat illi Pallium et instrumentum in publica forma. Qui Pallium sunt accepturi, postquam fuit petitum in Consistorio et concessum, componunt primum cum Subdiaconis, nam illi, ut diximus, tenent Pallia. *Qui accipiunt secundum valorem et taxam Ecclesiae aliquando plus aliquando minus pro centenario.* Et quia vidi varios usus et nihil firmi statutum legi, de quota nihil dicam. Clerici Caeremoniarum et ipsi ratione officii sui et instrumenti mercedem suam exigunt etiam ad proportionem taxae et valoris Ecclesiarum, non tamen tantum, quantum Subdiaconi. Solent etiam, qui Pallium accipiunt, Diacono Cardinali duo bireta et totidem suis Camerariis dono dare; antiquitus dabant, ut legi, vinum album et species; portabunt etiam duas faculas cereas, quae ardeant super Altare, dum Pallium traditur, et sericum ad induendum Pallium, cum quo illud ad Ecclesiam suam deferunt.

III. Defuncti Archiepiscopi etc.

Vd.: *Param. Episcopi* (post mort. quibus induit.).

Post obitum debent Archiepiscopi cum Pallio sepeliri; siquidem sepeliantur in Provincia sua, circa humeros supra planetam, si vero extra Provinciam, ponendum erit Pallium plicatum sub eorum capite. *Caerem. Ep.* l. I. c. XVI. n. 7.

Quia Pallium est personale, ideo commodari non potest neque in morte alicui relinqui, sed Patriarcha vel Archiepiscopus cum eo sepeliri debet. *Pontif. rom.*

Vd.: *Pallium* (ubi et quando utendum?, Bened. et tradit. — ex Caerem. Eccles. rom. —).

IV. Depositio post missam.

Si Celebrans sit Archiepiscopus, dat benedictionem sine mitra et deponit pallium super altare ac postea dicit: *Initium etc. Caerem. Ep.* l. II. c. VIII. n. 81.

Data benedictione et publicata Indulgentia Diaconus Evang. Archiepiscopo extrahit pallium et super altare deponit. *Ibid.* l. II. c. IX. n. 8.

V. In Ecclesia tantum utendum.

Vd.: *Pallium* (infra missam etc.; ubi et quando? etc.; traditio extra urbem; functiones et dies etc.; sensus mysticus.)

VI. Episcopis concessum.

Hadrianus II. PP. Actardo Episcopo Ecclesiae Hamneticae.

Decus Pallii pro Dei solius amore, quem inter furentium paganorum manus et gladios confessus es, praevidimus concedendum. Quo videlicet pallio, cum fueris auctore Deo nostroque decreto aliquem vacantem adeptus Episcopatum, scias nobis eidem testabiliter incardinatum; vel si contigerit forsan in proprio, caeteris valeas uti temporibus. Quod non aliter tibi nec cuilibet absque Metropolitis concederemus, nisi multoties exilia, mare, vincula passo, etiam ad capitalem sententiam frequenter tracto, teste tuo Metropolitano, qui et id nobis literis innotuit et tibi spem in sede propria non superesse significavit; hoc tua ad celerrimae consolationis solatia tanta exigerent detrimenta, quin potius merita, ut videlicet habeas pro exilio et catena pallii ornamenta, non in tuae Ecclesiae perenne decretum, sed ad tuum certo tempore vitaeque praesentis specialiter usum. Utere igitur annuente Deo pallio in nobis tibi solo miserationis et consolationis affectu collato, et nisi sedis apostolicae praesulibus ingratus extiteris, praenotato tenore illius, dum vixeris ornare decore. Quod tamen fraternitati tuae *ad missarum solemnia tantum celebranda concedimus in die dumtaxat sanctae ac venerandae Domini nostri Jesu Christi resurrectionis ac nativitatis seu ascensionis die et in assumptione beatae Dei genitricis semper Virginis Mariae, seu in natalitiis beatissimorum Apostolorum, sive in nativitate S. Joannis Baptistae, nec non et in natali sancti Christi confessoris Martini die, pariterque in solemnitatis Ecclesiae tuae die, verum etiam et in ordinationis tuae natalitio* concedimus die, sicuti a beatissimo praedecessore nostro Gregorio hujus apostolicae sedis praesule sancitum est.

Die 25. Febr. 868.

(Bull. r. t. I. p. 331. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Joannes VIII. PP. Episcopo Ticinensi (Papiensi).

Sancimus apostolica auctoritate largiendo tibi tuisque successoribus crucem habere et quoquo volueris ferre; pallium quoque similiter concedimus, necnon album equum coopertum equitare in ramis palmarum et secunda feria post Pascha.

Die 24. Aug. 878.

(*Ibid.* p. 352.)

S. Leo IX. PP. Hartwico Episcopo Bambergensi.

Ad missarum solemnia celebranda fraternitati tuae pallium transmittimus, quod antecessoribus tuis numquam ante concessum modo tibi primo concedimus rogatu dilectissimi filii nostri imperatoris Henrici, et pro veneratione antecessoris tui piae memoriae Dom. PP. Clementis et pro memoria Henrici imperatoris primi, praefatae Ecclesiae constructoris benignissimi; quo tibi ter in anno uti permittimus, salva aucto-

ritate domnae metropolitanae Moguntinae Ecclesiae: scilicet in die S. Resurrectionis et in natalitiis Apostolorum Petri et Pauli et in solemnitate S. Dionisii, eo quod tunc anniversarius dies celebratur Domini PP. Clementis supra memorati, hancque diem sanctam apostolica auctoritate statuimus celebrem esse per totum Episcopatum; cujus quoniam indumenti honor modestia actuum in veritate servandus est, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant quatenus auctore Deo, recte utrobique possis esse conspicuus.

Anno 1052.

(*Ibid.* p. 624.)

Victor PP. II. Episcopo Winimanno Ebredunensis Ecclesiae.

Hujusmodi nostri privilegii tenore concedimus et confirmamus tibi usum sacri pallii secundum antiquam consuetudinem praedecessorum tuorum, qua consueverunt eo uti in subscriptis solemnitatibus juxta privilegia nostrorum antecessorum illis indulta antiquitus, scilicet in die sancto Paschae, in die Ascensionis Domini, in die sancto Pentecostes, in Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, in Epiphania Domini, in Coena Domini, in Assumptione B. Mariae semper Virginis, in natalitiis omnium Apostolorum, in festo omnium Sanctorum, in festivitate S. Marcellini praefatae civitatis Ebredunensis Archiepiscopi, in dedicatione principalis Basilicae B. Mariae semper Virginis, in consecratione Episcoporum, in ordinatione Presbyterorum et Diaconorum, sabbatis jejuniorum et quatuor temporum, et in consecrationibus novarum et principalium Basilicarum. Quin etiam ad supplementum beneficentiae apostolicae atque archiepiscop. insigne, *Crucis Dominicae vexillum ubicumque jus in parochia tua et in parochiis suffraganeorum tuorum concedimus et sancimus apostolicae auctoritatis privilegio, bajulari ante te.* Porro pallio sacro ita te uti volumus, ut diligenter atque vigilanter perpendas, quod tuae fraternitati immineat agendum; *usus illius scilicet inter alia,* ut carnem tuam crucifigendam cum vitiis et concupiscentiis, stigmata Jesu Christi cum Paulo Apostolo in corpore tuo portes, et semper mortificationem illius in pectore et scapulis circumferas, non ad aliquod ostentationis tuae et singularis excellentiae indicium, sed ad demonstrandum causa commemorationis et imitationis ovibus tibi commissis Salvatoris nostri venerabile signum, qui ineffabili pietate ovem centesimam in humeris suis reportavit.

Anno 1056.

(Bull. r. t. I. p. 638. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Urbanus PP. II. Daiberto Pisanorum Episcopo.

Pallium fraternitati tuae, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ex apostolicae Sedis liberalitate concedimus, quo jure ecclesiastico *tantum ad missarum celebranda solemnia* tibi ac successoribus tuis uti licebit iis tantum, qui subscripti sunt, diebus solemnibus, id est Nativitate Domini, Epiphania, Hypapanton, Coena Domini, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, tribus solemnitatibus sanctae Dei Genitricis ac Virginis Mariae, natalitiis S. Joannis Baptistae ac sanctorum Apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum, consecratione Basilicae et Suffraganeorum Episcoporum ac Clericorum, et annuo natalitii tui die, in solemnitate etiam beati Martyris atque Pontificis Sisti, cujus indumenti honor efficaci actuum vivacitate servandus est. Ejus ergo te volumus per

omnia genium vendicare. Hujus enim indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota igitur mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem et in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, amicum bonis, perversis contrarium, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, misericordiae operibus juxta virtutem constantiae insistens, et insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, benevolentibus congaudens, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis saeviens, in fruendis virtutibus auditorum animum demulcens, in iracundia animi sine ira terrens. Hoc est, frater charissime, pallii accepti dignitas, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Die 27. Apr. 1092.

(Bull. r. t. II. pag. 142. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

Episcopo Warmiensi et Sambiensi conceditur Palii et crucis praeferendae usus.

Benedictus PP. XIV.

Nos eundem Adamum Stanislaum Episcopum Warmiens. et Sambiens. specilialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus aliorumque de hac apostolica Sede bene mereri pergentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praesertim quod Warmiensis et Sambiensis Episcopus Sacri Romani imperii princeps sit, et Warmiensis et Sambiensis Ecclesiae invicem perpetuo canonice unitae Sedi apostolicae praedictae immediate subjectae existant, ipsi Adamo Stanislao moderno ac pro tempore existenti Episcopo Warmiensi et Sambiensi *usum pallii in solemnitatibus per sacros canones praescriptis celebrandis et crucis ante se praeferendae per Warmiensem et Sambiensem civitates et dioeceses dumtaxat, et non alibi omnino, sive in alienis dioecesibus sive in regni et sacri Romani imperii praefati comitiis, sive in quibuscunque aliis locis Episcopo praefato non subjectis, nec etiam de ordinarii loci licentia, nec etiam in civitatibus et dioecesibus Warmiensi et Sambiensi praesentibus vel quolibet dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali vel quolibet nostro et ejusdem Sedis ordinario vel extraordinario Legato aut Nuntio*, sub gratiae et concessionis hujusmodi nullitate aliisque ad nostrum et Sedis praefatae arbitrium moderandis et infligendis poenis, et dummodo *quoad pallium* tam dictus Adamus Stanislaus Episcopus, quam quoties ipsum et Episcopum hujusmodi pro tempore existentem viam universae carnis ingredi contigerit, ipse Adamus Stanislaus et toties novus Episcopus illud ab eadem apostolica Sede, servatis de jure vel consuetudine servandis, postulaverit et de corpore S. Petri apostolorum principis sumptum a Romano pro tempore existente Pontifice, juxta praescriptas sanctiones acceperit, et omnia, quae cum Archiepiscopis pallia traduntur, servari solita sunt, omnino serventur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 17. Apr. 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. III. pag. 568. Romae 1753.)

Benedictus PP. XIV. Episcopo Herbipolensi.

Inter praecipua Sacerdotalis honoris insignia, quibus diversae per Orbem Ecclesiae earumque Antistites ab Apostolica Sede decorari meruerunt, et Sacri Pallii usus et jus praeferendi Sanctissimae Crucis signi merito numerantur. Illud siquidem a Romano Pontifice vel ex ejus auctoritate dumtaxat, solemni ritu benedictum et prope Corpus Beatissimi Apostolorum Principis religiosa cura adservatum, indeque ad enixas postulantium Antistitum preces desumptum, si cui utendum induendumque conceditur, peculiare quoddam sacri foederis vinculum inter ipsum et Romanum Pontificem, ejusdem Beati Petri Successorem, specialis Sacramenti interpositione firmatum significat. Cumque ipsum Pallium ex ovium velleribus contextum sacri Pastoris humeris gestetur, ovis illius speciem repraesentat, quam Dominus aberrantem requisivit inventamque humeris suis sustulit, ut Episcopus, qui Christi typum gerit, ejusque munere fungitur, ipso etiam habitu illius boni Pastoris imitatorem se exhibeat, qui ovium suarum infirmitates, admirando pietatis et misericordiae excessu, portavit. Crucis autem erectae delatio non solum Pastoralis Officii vim auctoritatemque ostendit, ex illius potestate derivatam, *qui crucifixus ex infirmitate, sed vivens ex virtute Dei*, Ministros suos contra omnes adversarias potestates invictae Crucis signo armavit, verum etiam ipso sui conspectu Episcopalis praedicationis summam fidelibus populis ob oculos ponit, sublatoque ad eorum solamen Fidei nostrae vexillo, aeternae salutis spem credentibus ingerit.

Motu proprio et certa scientia eumdem Carolum Philippum Episcopum a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendam, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eidem Carolo Philippo, ut ipse et ejus Successores Ecclesiae Herbipolensis Praesules pro tempore existentes de caetero perpetuis futuris temporibus sacrum Pallium in solemnitatibus et functionibus in Pontificali Romano descriptis induere et gestare *ac etiam Crucem ad instar Archiepiscoporum ante se elevari et gestari facere in dicta Herbipolensi civitate et dioecesi dumtaxat*, et non alibi omnino, sive in alienis dioecesibus sive in sacri Romani imperii comitiis, sive in quibusvis aliis locis Episcopo praefato non subjectis, etiamsi Ordinariorum locorum licentia ad id accederet, nec etiam in dicta civitate et dioecesi Herbipolensi in praesentia alicujus ex S. R. E. Cardinalibus vel Nostri et ejusdem Sedis Apostolicae ordinarii aut extraordinarii Legati seu Nuncii vel Archiepiscopi Moguntini, nisi de eorum respective consensu, sub gratiae et concessionis hujusmodi nullitate, et dummodo, *quoad Pallium* praedictum, tam ipse Carolus Philippus quam illius Successores Herbipolenses Episcopi pro tempore eligendi, illud ab eadem Apostolica Sede, servatis de jure vel consuetudine servandis postulare et consueto fidelitatis debitae Sacramento edito, accipere aliaque in similibus observari solita adimplere teneantur; ac denique, salvo in omnibus jure Metropolitico Ecclesiae Moguntinae, illiusque Archiepiscopi pro tempore existentis, *et nihil immutato praecedentiae ordine inter ipsos Episcopos Herbipolenses aliosque Episcopos sive ejusdem sive alterius Provinciae*, hactenus de jure, usu aut consuetu-

dine, in quibusvis functionibus, consessibus aut comitiis servari solito, hujusmodi Pontificalis honoris insigniis uti libere et licite possint et valeant de apostolicae auctoritatis plenitudine tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Die 5. Octbr. 1752.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. pag. 21. Ed. Romae 1758.)

Benedictus PP. XIV. Episcopo Quinquecclesiensi.

Georgio Episcopo, ut ipse et ejus Successores Ecclesiae Quinquecclesiensis Praesules pro tempore existentes, de caetero perpetuis futuris temporibus sacrum Pallium in solemnitatibus et functionibus in Pontificali Romano descriptis induere et gestare ac etiam *Crucem ad instar Archiepiscoporum ad se elevari et gestari facere in dicta Quinquecclesiensi civitate et dioecesi dumtaxat*, et non alibi omnino sive in alienis dioecesibus sive in praedicti Hungarici regni comitiis sive in quibusvis aliis locis Episcopo praefato non subjectis, etiamsi Ordinariorum locorum licentia ad id accederet, nec etiam in dicta civitate et dioecesi Quinquecclesiensi in praesentia alicujus ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus vel Nostri et ejusdem Sedis Apostolicae ordinarii vel extraordinarii Legati seu Nuncii vel Archiepiscopi Strigoniensis, nisi de eorum respective consensu, sub gratiae et concessionis hujusmodi nullitate, et dummodo *quoad Pallium* praedictum tam ipse Georgius quam illius Successores Quinquecclesienses Episcopi pro tempore futuri, illud ab eadem Apostolica Sede, servatis de jure vel consuetudine servandis, postulare et, consueto fidelitatis debitae juramento edito, accipere, aliaque in similibus observari solita adimplere teneantur, nec ante acceptum Pallium erectae Crucis gestationem sibi licitam esse noverint, utque demum, salvo in omnibus jure Metropolitico Ecclesiae Strigoniensis illiusque Archiepiscopi pro tempore existentis, *et nihil immutato praecedentiae ordine inter ipsos Episcopos Quinquecclesienses aliosque Episcopos sive ejusdem sive alterius provinciae,* hactenus de jure, usu aut consuetudine, in quibusvis functionibus, consessibus aut comitiis servari solito, hujusmodi Pontificalis honoris insigniis uti libere et licite possint et valeant, de Apostolicae auctoritatis plenitudine, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Die 1. Septbr. 1754.

(*Ibid.* p. 138.)

Pius PP. VI.

V. Fr. Vinc. Labini Episcopo Melitensi.

Cum alias Nos nuper archiepiscopalem Ecclesiam Rhodiensem, quae in partibus infidelium consistit, certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam cathedrali Ecclesiae Melitensi, cui tunc praeeras, prout ad praesens praees, apostolica auctoritate perpetuo univerimus et incorporaverimus tibique ac pro tempore tibi in Ecclesia Melitensi praefata succedenti usum Pallii in solemnitatibus per sacros canones perscriptis celebrandis simili apostolica auctoritate concesserimus atque indulserimus, prout in literis apostolicis in forma Brevis sub annulo piscatoris die tertia mensis Martii proxime praeteriti desuper expeditis plenius continetur, ac postmodum Pallium ipsum insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii ex parte tua fuerit hodie a Nobis per dilectum filium Julium Carolum Aloisium Constantem Nostrae consistorialis aulae advocatum cum ea, qua decuit, reverentia postulatum, Nos supplica-

tionibus tuis annuentes Pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectum etiam filium alterum, quem malueris, ex dignitates Ecclesiae Militensis praefatae obtinentibus tibi assignandum, per dilectum pariter filium Joannem Baptistam Contini Presbyterum Anconitanae dioecesis Nuncium tuum duximus destinandum, ut ipse dignitatem obtinens illud tibi sub infrascripta forma assignet, et a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub alia etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum recipiat juramentum.

Tu autem Pallio eodem sic intra dictam Ecclesiam tuam Melitensem juxta tamen formam in praefatis literis praescriptam dumtaxat uteris. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed, quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et justitiam dante Domino, qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem ac eamdem Melitensem sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augumentare. Quocirca ipsi dignitatem obtinenti per apostolica scripta mandamus, quatenus ipse dictum Pallium juxta eamdem subsequentem formam tibi curet assignare, et a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma hujusmodi fidelitatis debitae solitum recipiat juramentum, ejusque sic a te praestiti juramenti formam Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium nuncium quanto citius destinare procures.

Forma autem, qua dignitatem obtinens in assignando tibi dicto Pallio utetur, haec est: „Ad honorem omnipotentis Dei ac beatae Mariae Virginis et beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Domini nostri Pii PP. VI. et sanctae Romanae Ecclesiae necnon Ecclesiae Melitensis tibi commissae trado tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris intra Ecclesiam tuam in praedictis solemnitatibus ac locis in supradictis literis praescriptis.“

Forma autem juramenti, quod praestabis, talis est: „Ego Vincentius Labini Episcopus Melitensis ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sanctaeque apostolicae Romanae Ecclesiae ac Domino nostro Pio PP. VI. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in concilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem: Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione: Apostolorum limina singulis trienniis visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia; possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum jurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vicesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia.“

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 24. Julii 1797.

(Bull. r. Continuatio t. X. p. 106.)

VII. Functiones et dies, in quibus utitur.

Vd.: *Pallium* (Episcopis concess.; *Passav. Ecclesia. Pallium* (ubi et quando utendum? Bened. et Traditio Romae — ex caerem. Eccl. rom.).

Quatuor Metropolitae Graeci ritus et s. Romanae Ecclesiae uniti sine Pallio de corpore s. Petri sumpto decessere, usi tantum Stola Pontificali Graeco ritu, quam *Homoforion* seu *Periforion* appellant, quam ipsi deinde Episcopis subjectis tradere consueverunt, bona fide putantes Pallium non esse necessarium vel fuisse dispensatum a Pontifice propter Schismaticos, ut facilius redirent ad unionem, quid de validitate Consecrationum, Ordinationum etc. tam defunctorum Metropolitanorum quam moderni?

S. C. resp.: „Ut Pallium de corpore b. Petri sumptum Metropolitae instantissime petenti concedatur tradendum et adhibendum juxta consuetum usum Ecclesiae Romanae, relicto Episcopis *Periforio* cum crucibus rubris ad distingendum eos a simplicibus Presbyteris, cum absolutione antecessorum et moderni Metropolitae ob impensas sine Pallio Consecrationes et similia."

N. 1390 die 31. Maii 1642; n. 1420 die 22. Novbr. 1642.

Russiae Pallii Graecorum.

Relatae fuerunt per Emum D. Card. Brancaccium literae Nuntii Apost. Poloniae cum informatione et voto ipsius super petitione in praecedenti C. sub 31. Maii 1640 facta circa traditionem Pallii pro Metropolita Ruthenorum, quae in substantia tria continent:

1. „Non expedire, ut mutetur antiquum Homoforium, ne querelis locus detur, quae pro alternationibus minoris ponderis, videlicet, quod Episcopi Graeci uniti habitum externum Episcoporum Latinorum assumerent, illic accidere."

2. „Quod in unione sub Clemente VIII. nihil fuit circa Pallium innovatum et S. Inquisitio in abjurando Schismate nihil quoad Episcoporum consecrationem exigat."

3. Expedire, ut Homoforia de corpore b. Petri, ut et Pallia Latina, desumantur, et Metropolitis atque Archiepiscopis Graecis juxta formam benevisam mittantur.

Et S. C. scilicet Brancaccius, Roccius, Bragadinus et Sacchettus fuerunt in voto, „quod daretur Pallium Metropolitae more Romano, et quod Pallium praedictum sit de materia lanea, de forma vero graeca ad instar Homoforii, quod quidem Homoforium relinquatur Episcopis in genere tamquam nudum ornamentum."

Pamphilius vero et Palottus fuerunt in voto, „ut supersederetur nihil respondendo, sed interim consulatur unus Religiosus, qui scrutetur antea necessaria circa scandalum. *Omnes tamen convenerunt,* quod de rigore juris Pallium latinum de corpore b. Petri Metropolitae petenti dandum in terminis cap.: Antiqua de privileg., retento ad instar simplicis ornamenti Pontificalis antiquo Homoforio, sed propter periculum magni scandali resolutionem esse differendam, quousque res quoad scandalum melius claruerit, ut supra."

Ad 2. Quoad actus hactenus gestos sine Pallio esse quidem validos, quamvis peccaminosos respectu agentis; sed visum est cessare peccatum, attenta bona fide Metropolitanorum, quae in facto supponitur.

N. 1420 die 22. Nov. 1642.

Urbanus PP. II. Heliae Archiepisc. Barensi.

Fraternitati tuae Pallii usum ex more concedimus, ut eo *inter missarum solemnia iis dumtaxat* festivitatibus utaris, videlicet: Nativitate Domini, S. Stephani, Epiphania, Coena Domini, Re-

surrectione, Ascensione, Pentecoste, S. Joannis Baptistae, natalitiis Apostolorum et tribus festivitatibus S. Mariae, festivitatibus SS. Nicolai et Sabini, festivitate omnium Sanctorum, in annuo ordinationis tuae die, in ordine Episcoporum seu caeterorum Clericorum, in consecratione etiam Ecclesiarum, in translatione etiam dom. confessoris Nicolai.

Die 9. Oct. 1089.

(Bull. r. t. II. p. 126. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

Joannes XIII. PP. Landulpho Archiep. Benevent. et Sipontinae.

Usum Palii tibi, praefate praesul, *ad sola missarum solemnia* peragenda concessimus, scilicet in his festivitatibus, id est: in Nativitate Domini, Epiphaniae, Purificationis sanctae Dei Genitricis et Virginis Mariae, similiter et in Annuntiatione ejusdem b. Mariae, et in Paschali festivitate et in Ascensione Domini et Pentecoste et festivitate S. Joannis Baptistae et in natalitiis beatorum Apostolorum, et in Assumptione beatae Mariae pariterque in Nativitate ejusdem, simulque et in Dedicatione sanctae Ecclesiae tui Archiepiscopatus, necnon et in die consecratione Episcoporum, tribuentes tibi insuper cum eo potestatem et honorem Archiepiscopatus, ita ut fraternitas tua et successores tui infra suam dioecesim in locis, quibus olim fuerant, semper in perpetuum Episcopos consecret, qui vestrae subjaceant ditioni, scilicet SS. Agathae, Abellini, Quintodecimi, Ariani, Asculi, Bibini, Vulturariae, Larini, Thelesiae, Aliphae. Adjecimus etiam ut utaris Pallio in festivitatibus b. Michaelis Archangeli et translatione b. Bartholomaei Apostoli.

Posteri vero tuae Ecclesiae rectores post obitum tuum consecrationem ipsius Archiepiscopatus ac honorem Pallii ab hac sancta et apostolica, cui Deo authore deservio, Sede percipiant.

Die 26. Maii 969.

(Bull. r. t. I. p. 422. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Urbanus PP. II. Berengario Ausanensi Episcopo in Tarraconensem Metropolim translato.

Pallio *in missarum solemniis intra Ecclesiam solummodo* uti debetis, in praecipuis tantum festivitatibus, videlicet: Nativitate Domini, Epiphania, Hypapante, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectionis prima et secunda feria, Ascensione Domini, Pentecoste, tribus festivitatibus S. Mariae, sancti quoque Michaelis et s. Joannis Baptistae, in natalitiis omnium Apostolorum et eorum Martyrum, quorum pignora in vestra Ecclesia continentur, in commemoratione nihilominus omnium Sanctorum, in consecrationibus Ecclesiarum, Episcoporum, Clericorum, in annuo consecrationis tuae die, in solemnitatibus etiam sanctae Virginis Theclae sanctique Martyris Fructuosi ac sociorum ejus. Te igitur, Rme Frater, affectione intima exhortamus, quatenus dignum te tanti honoris Pontificii semper exhibeas: christianis ac Saracenis sine offensione esse procurans, ad fidem infideles quaerere, Deo largiente, verbis studeas et exemplis; sic exterius Pallii dignitate praecellas in oculis hominum, ut interius virtutum excellentia polleas coram supernae oculis majestatis.

Die 1. Julii 1091.

(Bull. r. t. II. p. 137. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

Paschalis PP. II. Petro Acheruntino Archiepiscopo.

Pallium fraternitati tuae, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ex

Apostolicae Sedis liberalitate concedimus, quod te *in Ecclesia tantum ad missarum solemnia* subscriptis diebus noveris induendum, id est: Nativitatis Domini, Epiphaniae, Hypapantes, in tribus solemnitatibus b. Mariae, Coena Domini, Sabbati Sancti, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, nativitatis s. Joannis Baptistae, festivitatis Apostolorum omnium, Michaelis Archangeli, commemorationis omnium Sanctorum et eorum Martyrum et Confessorum, qui in Acheruntina Ecclesia requiescunt, in consecratione Ecclesiarum, Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, cujusmodi nimirum volumus te per omnia genium vindicare. Hujus siquidem indumenti honor humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet, in prosperis humilem et in adversis (si quando eveniunt) cum justitia erectum: amicum bonis, perversis contrarium, nullius unquam faciem premas, misericordiae operibus juxta virtutem justitiae insistas et tamen insistere etiam supra virtutem cupias, infirmis compatiaris, benevolentibus congaudeas, aliena damna propria repules, de alienis gaudiis tamquam de propriis exultes, in corrigendis vitiis pie saevias, in fovendis virtutibus auditorum animas demulceas, in ira judicium sine ira teneas, in tranquillitate autem severitatis justae censuram non deseras.

Haec est, frater charissime, Pallii accepti dignitas, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Fraternitatem tuam superna miseratio per tempora multa incolumen conservare dignetur. Amen, amen.

Die 16. Junii 1106.

(Bull. r. t. II. p. 244. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

Gelasius PP. II. Oldegario Episcopo Barchionensi.

Pallii usum fraternitas tua *infra Ecclesiam tantum ad sacra missarum solemnia* se noverit obtinere, his videlicet diebus: Nativitate Domini, Circumcisione, Epiphania, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecoste, in solemnitatibus beatae Dei Genitricis Virginis Mariae, in natalitiis b. Joannis Baptistae atque Apostolorum omnium, in festivitate b. Theclae et b. Fructuosi Martyris, in consecrationibus Ecclesiarum et Episcoporum seu ordinationibus Clericorum et anniversarii tui die, cujus nimirum Pallii, volumus, te per omnia genium vendicare, hujus siquidem indumenti honor humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet in proximis humilem: in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, nullius unquam faciem contra veritatem suscipiens, nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens, infirmis compatiens, benevalentibus congaudens, aliena damna tua deputans, vitiis pie saeviens, in fovendis virtutibus animas auditorum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate severitatis justae censuram non deferens. Haec est, frater charissime, Pallii accepti dignitas; quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam per tempora longa conservet incolumem.

Die 21. Martii 1118.

(*Ibid.* p. 283.)

Honorius PP. II. Rogerio Archiep. Pisano.

Pallii usum, qui praedecessoribus tuis pro ipsius insulae praelatione a nostris antecessoribus est concessum, nos tam

tibi quam tuis successoribus confirmamus, his videlicet diebus, qui suprascripti sunt, id est: Nativitate Domini, Epiphania, Hypopanton, Coena Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus solemnitatibus beatae Genitricis et Virginis Mariae, natalitiis S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum, consecratione Basilicarum, Suffraganeorum Episcoporum et Clericorum, annuo natalitii tui die, in festivitate S. Sixti, in inventione et exaltatione S. Crucis, in anniversario dedicationis Pisanae Ecclesiae, in festivitate SS. Martyrum Stephani et Laurentii et Ephisi, cujus corpus in eadem Ecclesia requiescit, et in solemnitate beatae Agathae Virginis et Martyris; sane per Pisanam parochiam et insulam Corsicanam crucem ante te et tuos successores deferri concedimus.

Die 21. Julii 1126. (*Ibid.* p. 259.)

Innocentius PP. II. Henrico Patriarchae Gradensi.

Pallium fraternitati tuae, plenitudinem pontificalis officii, ex apostolicae sedis liberalitate largimur, quo *intra Ecclesiam tuam ad missarum solemnia celebranda* uti memineris eis diebus, quibus praedecess. tuos usos fuisse non ambigimus, uti: in Nativitate Domini, Epiphania, tribus festivitatibus S. Mariae, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecoste, in natalitio S. Joannis Baptistae et omnium Apostolorum, in festivitatibus quoque S. Marci, Protomartyris Stephani, S. Laurentii, S. Maximi, in solemnitate omnium Sanctorum et principalibus Ecclesiae tuae festis, necnon in Ecclesiarum, Episcoporum et caeterorum Clericorum consecrationibus et anniversario consecrationis tuae die.

Die 12. Junii 1136.
(*Ibid.* t. II. p. 411.)

Anastasius PP. IV. Petro Beneventano Episcopo.

Concedimus tibi palii usum ex more *ad sacra missarum solemnia* peragenda, ut videlicet eo infrascriptis diebus *infra Ecclesiam tantummodo* utaris: in Natali Domini, Epiphania, Purificatione Sanctae et semper Virginis Mariae et in Annunciatione ejusdem, Coena Domini et Paschalibus festivitatibus, Ascensione Domini, Pentecoste, in festivitate S. Joannis Bapt., in natalitiis Apostolorum Petri et Pauli, et Assumptione et Nativitate beatae semperque Virginis Matris Mariae, in dedicatione tui Archiepiscopatus et in anniversario tuae consecrationis die, in congregationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum et consecrationibus Ecclesiarum, praeterea in translatione corporis beati Bartholomaei, quod tua fraternitas in secretario debeat inducere et sic ad missarum solemnia proficisci.

Die 22. Septbr. 1153.
(*Ibid.* t. II. p. 599.)

Adrianus PP. IV. Joanni Toletano Archiepiscopo.

Pallio sane *in missarum solummodo* celebrationibus uti debebis, praecipue, quae subscriptae sunt festivitatum temporibus: tribus diebus videlicet in Natali Domini, in Epiphania, Hypopanton, Coena Domini, Sabbato Sancto, tribus diebus in Pascha, in Ascensione, Pentecoste, tribus solemnitatibus S. Mariae, S. Michaelis et S. Joannis Bapt., in omnibus natalitiis Apostolorum et eorum Martyrum quoque, Martini et Ildefonsi Confessorum, et omnium commemoratione Sanctorum, in consecrationibus Ecclesiarum, Episcoporum et Clericorum, in annuo consecrationis tuae die, natali etiam SS. Isidori et Leandri.

Die 17. Febr. 1156. (*Ibid.* p. 630.)

Quodsi dies, in quibus Archiep. utitur pallio, in privilegiis non reperiantur expressi, recurrendum erit ad communem consuetudinem, quae est, ut eo utatur diebus infrascriptis, videlicet: Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apostoli et Evangelistae, Circumcisionis et Epiphaniae Domini, Dominica in ramis Palmarum, Feria quinta in Coena Domini, Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis Domini cum duobus Festis sequentibus, Dominica in Albis, Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistae, duodecim Apostolorum festivitatibus, in festo Corporis Christi, quatuor festivitatibus gloriosae Virginis, id est: Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis, in festo omnium Sanctorum, in dedicationibus Ecclesiarum, in principalibus festivitatibus Ecclesiae Metropolitanae, in ordinationibus Clericorum, consecrationibus Episcoporum, Abbatum et Virginum, in diebus anniversariis dedicationis Ecclesiae principalis et consecrationis suae. Aliis autem diebus in privilegiis non expressis vel inter praedictos non comprehensis, Archiepiscopus, si voluerit in Pontificalibus celebrare, uti non debet pallio. *Caer. Ep.* l. I. c. XVI. n. 4. *Pontif. rom.*

VIII. Graecorum.

Vd.: t. II. p. 606.

IX. Jus non habet Episcopus pallio decoratus alios Episcopos praecedendi.

Vd.: *Pallium* (Episcop. concess., decr. Bened. XIV. ad Episcopos Herbipol. et Quinquecclesiensis.).

X. Infra Missam tantum utendum.

Vd.: *Pallium* (funct. et dies; sensus mysticus; Episcopo concessum; ubi et quando utendum? traditio extra Urbem).

S. Gregorius I. Ep. Vigilio Arelatensi.

Pallium quoque transmisimus, quo fraternitas tua intra Ecclesiam *ad sola missarum solemnia utatur.*

Die 12. Aug. 595.

(Bull. r. t. I. p. 165. n. 8. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Gregorius I. Ep. Fr. Augustino Anglorum Episcopo.

Quia nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam eodem Domino largiente et te laborante perducta est, usum tibi Palii in ea *ad sola missarum solemnia agenda* concedimus.

Die 22. Julii 601. (*Ibid.* p. 172.)

Gregorius III. Ep.

Pallium Anschario et sucess. conceditur.

Quia te, carissime fili Anschari, divina clementia nova in sede primum deposuit esse Archiepiscopum, nos quoque pallio tibi *ad missarum solemnia celebranda* tribuimus, quod tibi in diebus tuis uti et Ecclesiae tuae perpetuo statu manentibus privilegiis uti largimur. Idcirco hujus indumenti honor morum a te vivacitate servandus est; si ergo pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia, neque ex eis aut errando pereat aut ferinis lanianda morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore, quantaque cura debeamus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur, attendamus.

Anno 834. (*Ibid.* p. 279.)

Paschalis PP. II. Guidoni Viennensi Archiep.

Pallio ad missarum tantum solemnia illis solummodo diebus uti fraternitas tua meminerit, qui tuis praedecessoribus Romanae authoritate Ecclesiae concessi sunt: cujus te volumus per

omnia genium conservare. Hujus enim indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem et in aversis, si quando adveniunt, inveniatur cum justitia recta, amica bonis, perversis contraria; nullius umquam faciem pro veritate loquentis premens, misericordiae operibus juxta virtutem insistere cupiens, infirmis compatiens, benevalentibus congaudens, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis pie saeviens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate severitatis juste censuram non deserens. Haec est, frater charissime, pallii dignitas, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Fraternitatem tuam supernae miserationis dignatio per tempora longa conservet incolumem.

Scriptum per manum Petri notarii regionarii sacri palatii.

Anno 1099.

(Bull. r. t. II. p. 208. Ed. Aug. Taur. 1859.)

XI. Modus imponendi.

Si vero Episcopus pallio uti possit et eo die uti conveniat, affertur per aliquem Subdiaconum ex altari ambabus manibus, velo aliquo supposito, quod Diaconus capiens Episcopo offert osculandum in Cruce posteriori, et advertat, dum illud capit, ut partem duplicem pallii capiat dextra manu, simplicem vero sinistra, et dum illud imponit Subdiaconus manu dextra elevat partem, quae a tergo pendere debet, illudque aptant, ut humeros Episcopi aequaliter ambiat et pars duplex pallii ponatur super sinistro humero Episcopi. Quo facto idem Diaconus capit unam ex tribus spinulis per aliquem Acolythum allatis videlicet pulchriorem eamque infigit Cruci anteriori pallii ante pectus existenti, aliam in Cruce sinistri humeri, tertiam Subdiaconus infigit Cruci posteriori, quae omnia ita infigantur, ut tertio transeant per Crucem, non tamen pallium perforent, neque planetam tangant, et gemmae spinalis appositae remaneant ad dexteram infigentis. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 20.

Quando pallium imponitur Episcopo, semper imponitur super planeta, ita ut pars duplex pallii ponatur super sinistrum humerum. *Ibid.* l. I. c. XVI. n. 5.

XII. Modus petendi.

Vd.: *Pallium* (Benedictio et traditio. — Caerem. Eccles. rom.)

XIII. Ante receptionem Pallii non licet Pontificalia exercere.

Archiepiscopo sine pallio a romano Pontifice directo consecrationem facere non licere.

Joannes VIII. PP. in ep. ad Episcopos Galliae die 28. Apr. 878.

(Bull. r. t. I. p. 350. Ed. Aug. Taurin. 1857.)

Archiepiscopus ante pallii receptionem non potest in sua Ecclesia Pontificalia exercere.

S. R. C. n. 705. die 7. Aug. 1627.

Vd.: *Pallium* (ubi et quando utendum?).

Quia Pontificalis officii plenitudo confertur per pallium, antequam obtinuerit quis pallium, licet sit consecratus, non sortitur nomen Patriarchae, Primatis aut Archiepiscopi et non licet ei Episcopos consecrare nec convocare Concilium nec Chrisma conficere neque Ecclesias dedicare nec Clericos ordinare, etiam si pallium in alia Ecclesia habuisset, cum oporteat petere novum pallium.

Potest tamen, quando vult, missam sine pallio et sandaliis celebrare.

Potest etiam hujusmodi consecrationes ante pallii receptionem alteri committere, dummodo non sit in mora petendi pallium. Neque ante habitum pallium potest Electus ante se crucem deferre sed tantum postea.

Pontif. rom.

Vd.: *Pallium* (Bened. et traditio — Caerem. Eccles. rom.)

XIV. Sensus mysticus.

Vd.: *Pallium (a quo tempore etc.*, praecipue decr. *Clementis II.*; *Episcopo concess. etc.* decr. Urbani ad Episcopum Daibertum, *decr. Bened. XIV.*; *In missa tantum etc.*, decr. Paschal. II.; *functiones et dies*, decr. Paschalis II. et Gelasii II.).

Gelasius PP. II. Gualtero Ravennatium Archiepiscopo.

Fraternitati tuae pallium, pontificalis videlicet officii plenitudinem, liberaliter concedimus, quo fraternitas tua, secundum Ecclesiae tuae morem ex Apostolicae Sedis concessione permissum, se noverit induendum. Hujus siquidem indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem et in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, amicam bonis, perversis contrariam, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, tum operibus juxta virtutem constantiae insistens, tum insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, de alienis tamquam de propriis exultans gaudiis, in vitiis corrigendis pie saeviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis justae censuram non deserens. Haec est, frater charissime, pallii accepti dignitas, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Die 1. Septbr. 1118.

(Bull. r. t. II. p. 286. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

Calixtus PP. II. Petro Archiepiscopo Panormitano.

Pallii usum, qui antecessoribus tuis a nostris antecessoribus est concessus, dilectioni tuae concedimus, quo videlicet uti debetis diebus illis, qui in Ecclesiae tuae privilegiis distinguuntur. Cujus indumenti honor quoniam modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Quamobrem, charissime frater, quoniam pastoralis curae constringit officium, dilige fratres, ipsi quoque adversarii propter mandatum Domini cum tuo circa te copulentur affectu: pacem sequere cum omnibus, sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, piis vaces operibus, virtutibus polleas, fulgeat in pectore tuo rationale judicii cum superhumerali actione conjunctum; ita procedas in conspectu Dei et totius Israel; hujusmodi gregi commissa praebeas exempla, ut videant opera tua bona et glorificent Patrem tuum, qui in coelis est, sit in lingua sermo, sit coeli fervor in animo, creditum tibi agrum dominicum exerce; dum licet, semina in timore, dum tempus est, bonum faciendo non deficias, tempore enim suo metes, non deficiendo vigilanter. Itaque terrena negotia relinquendo coelestibus anhela, quae retro sunt obliviscens, in ea, quae ante te sunt temetipsum extende, mens tua in saeculari veritate non diffluat, sed tota in unum currat atque confluat finem, quem mira suavitate David respexerat, cum dicebat: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Sancta Trinitas fraternitatem tuam suae gloriae protectione circundet et ad finem, qui non finitur, pervenire concedat.

Die 2. Apr. 1123. (*Ibid.* n. 333.)

Eugenius PP. III. Roberto Acheruntino Archiepiscopo.

Pallium fraternitati tuae, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ex apostolicae sedis liberalitate concedimus, quod *te intus Ecclesiam tantum ad missarum solemnia* subscriptis diebus noveris induendum, id est: Nativitatis Domini, Epiphaniae, Hypapantes, tribus solemnitatibus beatae Mariae, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, nativitatis S. Joannis Baptistae, festivitatis Apostolorum omnium, Michaelis Archangeli, commemoratione omnium Santorum, etiam eorum Martyrum vel Confessorum, qui in Acheruntina Ecclesia requiescunt, in consecratione Ecclesiarum, Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, cujus nimirum pallii volumus te per omnia genium vendicare; hujus siquidem indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem, et in adversis (si quando eveniunt) cum justitia erectum, amicum bonis, perversis contrarium, nullius unquam faciem contra charitatem recipiens, nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens, misericordiae operibus, juxta virtutem substantiae insistens et tamen insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, benevalentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis pie saeviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in via judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis justae censuram non deserens Haec est, frater charissime, pallii accepti dignitas, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Die 1. Apr. 1151.

(*Ibid.* t. II. p. 570.)

Urbanus PP. III. Henrico Patriarchae Gradensi.

Pallium plenitudinem videlicet pontificalis officii fraternitati tuae ex apostolicae sedis liberalitate largimur, quo *intra Ecclesiam tuam ad missarum solemnia* celebranda uti memineris eis diebus, quibus praedecessores tuos usos fuisse cognoscis, videlicet in Nativitate Domini, Epiphania, Hypapanti, tribus festivitatibus Sanctae Mariae, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecostes, in natalitio S. Joannis Bapt. et omnium Apostolorum, in festivitatibus quoque S. Marci, S. Protomartyris Stephani, S. Laurentii, S. Martini, in solemnitate omnium Sanctorum et principalibus Ecclesiae tuae festivitatibus, necnon Ecclesiarum, Episcoporum et caeterorum Clericorum consecrationibus et anniversario consecrationis tuae die. Cujus utique dignitatem in bonis per omnia te volumus vendicare, ut in corrigendis subditis plus apud te possit ratio quam potestas atque te boni dulcem, mali vero pium sentiant correctorem, personas diligas et subjectorum vitia persequaris, ne si aliter agere forte volueris, transeat in crudelitatem correctio et perdas, quos desideras emendare; sicque vulnus debes abscindere, ut non possis quod sanum est ulcerare, ne si ferrum plus quam res exigit imprimatur, noceat cui prodesse festinas; sed sic alterum condiatur ex altero, quatenus et boni habeant amando quod caveant, et mali metuendo quod diligant.

Die 31. Maii 1186.

(*Ibid.* t. III. p. 41.)

Lucius PP. III. Archiepiscopo Montereyalis.

Pallium ad haec, plenitudinem scilicet pontificalis officii, fraternitati tuae

de sedis apostolicae liberalitate largimur, quo *intra Ecclesiam tuam ad missarum solemnia* celebranda subscriptis diebus uti debebis, Nativitate scilicet Domini, festo S. Stephani, octava Nativitatis Dominicae Epiphaniae, Hypapanti, Dominica in Ramis Palmarum, Coena Domini, Sabbato Sancto, Pascha et duobus diebus sequentibus, Assumptione, Pentecoste, tribus festivitatibus Dei Genitricis et Virginis Mariae, Natalitio S. Joannis Bapt., commemoratione omnium Sanctorum, solemnitatibus omnium Apostolorum et praecipuis festis Ecclesiae tuae, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum, et anniversario tuae consecrationis die. Provideas igitur quomodo hujus indumenti honor modesta sit actuum vivacitate servandus, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, et esse plus valeas bonis actibus, quam hujusmodi ornamento auctore Deo conspicuus et quem pastoralis curae constringit, officium, dilectionem proberis fratribus exhibere, ut in humilitatis virtute fundatus, nec eleveris prosperis, nec fatigeris adversis. Ipsi etiam per mandatum Dominicum tuo circa te copulentur affectu, et quantum in te fuerit, pacem habeto cum omnibus, et ad pacem studeto reducere discordantes: fulgeat in pectore tuo rationale judicii cum superhumerali ratione conjunctum, et ita in conspectu Dei procedas et hominum, quatenus commisso tibi gregi Dominico, virtutis praestes exemplum, et taliter opere procedas et verbo, ut videntes opera tua bona glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est, et gaudeant se talem habere rectorem, per quem et erudiantur ad fidem et ad recta opera provocentur.

Die 5. Febr. 1183.

(*Ibid.* t. III. p. 13.)

XV. Taxa solvenda.

Vd.: *Pallium* (Bened. et trad. Rom. — Caerem. Eccl. rom. —)

XVI. A quo tempore concessum?

Vd.: *Pallium* (Episcopo etc.).; t. II. p. 598.

Dil. Fr. Auxantio Arelatensi Vigilius.

Quia digna credimus ratione compleri, ut agenti vices nostras pallii non desit ornatus, usum tibi ejus, sicut decessori tuo praedecessor noster sanctae recordationis Symmachus legitur contulisse, beati Petri sancta auctoritate concedimus.

Die 22. Maii 545.

(Bull. r. t. I. p. 150. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Dil. Fr. Aureliano Arelatensi Vigilius.

Ne in aliquo sedis nostrae Vicarius minor suis decessoribus videatur, necessarium fore credidimus pallii vobis usum quemadmodum decessori vestro hactenus dederamus, praesenti auctoritate concedere, ut morum et omnium bonarum rerum vobis beato Petro Apostolo suffragante non desit ornatus.

Die 23. Aug. 546. (*Ibid.* p. 153.)

S. Gregorius I. Mariniano Ravenatensi Archiepiscopo.

Conferimus tibi tuisque successoribus honorem pallii in perpetuum seu omnem pontificalem decoris usum, sicut in epistola tibi transmissa concedendo confirmavimus.

Die 24. Martii 595. (*Ibid.* p. 162.)

S. Gregorius I. Vigilio Episcopo Arelatensi.

Quod juxta antiquum morem usum pallii ac vices sedis apostolicae postulasti, absit, aut ne transitoriae potestatis culmen, aut exterioris cultus ornatum in vicibus nostris ac pallio

quaesisse te suspicer. Sed quia cunctis liquet, unde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis apostolicae fraternitas vestra repetit, quid aliud quam bona soboles ad sinum matris recurrit? Libenti ergo anima postulata concedimus, ne aut vobis quidquam de debito honore subtrahere aut praecellentissimi filii nostri Childeberti regis petitionem contemsisse videamur.

Die 12. Aug. 595.

(*Ibid.* p. 164. n. 1.)

Gregorius V. PP. Gerberto Archiep. Ravennaten.

Quoniam apostolicae sedis benevolentia et antiquae sedis consuetudine zelo provocata fraternitatem tuam Ecclesiae Ravennati praefecimus, insignia praesulum ejusdem Ecclesiae dignum duximus tibi conferenda cum usu pallii, quo uti debes certis temporibus certisque modis sicut antecessores tuos usos fuisse cognoscis, hoc te nihilominus admonentes, ut sicut a nobis hujus decoris usum ac sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate susceptum in Christo sacerdotium adornare contendas, sic enim alterno eris decore conspicuus, si cum habitu corporis mentis quoque bona concordant, ut foris compositus, intus autem directus, Deo cum propheta vere dicere possis: Provideo Deo in conspectu meo semper, ut sit a dextris mihi, ne unquam commovear.

Die 28. Apr. 998.

(*Ibid.* p. 470.)

Clemens II. PP. Archiepiscopo Salernitano.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti archiepiscopali pallio nostra apostolica manu dilectionem vestram insignivimus: quo utaris toties in anno quoties praedecessores tuos eo usos fuisse constat. In quo, quia de vellere ovis est, intellige te ovium pastorem; et quia eo circumcingeris et etiam circa humeros portas, cognoscas et undique circumspicias, ne aliqua erret, et in morsus incidat luporum. Quod si aliquando, quod absit, contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, et pristinae societati coadunare. Quod vero ante et retro crux Domini habetur, illud apostolicum semper docet ante oculos tuae mentis habere: mihi mundus crucifixus est et ego mundo.

Die 18. Febr. 1046.

(*Ibid.* p. 576.)

XVII. Traditio.

a) Romae facienda.

Vd.: *Pallium* (Bened. et traditio Romae, — Caerem. Eccles. rom. —).

b) Extra Urbem.

Cum Pallium a Sede apost. mittitur, Pontifex, cui res ipsa committitur, statuta die cum Electo convenit in Ecclesia sua, si commode fieri potest, vel alia Ecclesia suae dioecesis vel provinciae magis commoda, in qua missarum solemnia peragantur. Et facta communione per Celebrantem Pallium reponitur supra medium altaris extensum et serico, in quo involutum portatum fuit, coopertum. Deinde peractis missarum solemnibus Pontifex indutus amictu, stola, pluviali et mitra sedens ante altare super faldistorio capit juramentum fidelitatis nomine sedis ap. ab ipso Electo omnibus pontif. paramentis, ac si celebraturus esset, mitra tamen et chirotecis demptis, induto ante se genuflexo juxta formam per literas apost. traditam.

Forma juramenti.

Ego N. Electus Ecclesiae N. ab hac hora in antea fidelis etc. ut in consecratione Electi in Episcopum.

Expleto juramento ab Electo dictus Pontifex in gremio suo librum Evangel. ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri versa, ab eo praestationem hujusmodi juramenti recipit et Electo adhuc coram eo genuflexo dicente: „Sic me Deus adjuvet et haec s. Dei Evangelia."

Tum Pontifex respondet: „Deo Gratias." Juramento praestito Pontifex surgit cum mitra et Pallium de altari accipit et illud super humeros Electi adhuc ante se genuflexi imponit dicens:

Ad honorem omnip. Dei et B. M. semper Virginis ac bb. Ap. Petri et Pauli, Domini Nostri N. Papae N. et s. romanae Ecclesiae necnon Ecclesiae N. tibi commissae tradimus tibi Pallium de corpore b. Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii, cum patriarchalis (vel archiep.) nominis appellatione, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab ap. Sede concessis.

In Nomine Pa✝tris et Fi✝lii et Sp. ✝ sancti. ℟. *Amen.*

Quo dicto Pontifex detecto capite vadit ad cornu Evangelii altaris, et Patriarcha vel Archiep. surgit cum Pallio et ascendens ad altare crucem suam ante se habens, si sit in Ecclesia sua vel alia suae dioecesis vel provinciae detecto capite benedicit populo solemniter dicens: *Sit nomen D. etc.*

Qua benedictione data dimissis in Ecclesia paramentis Omnes ad sua revertuntur.

Pontif. rom.

In tradendo Pallio extra Romanam Curiam consuetudo ab immemorabili tempore est, ut Summus Pontifex uni aut duobus Episcopis committat illius traditionem, qui praestituta die convenire debent cum ipso Electo, cui Pallium tradendum est, in Ecclesia Metropolitana vel alia magis commoda suae Provinciae, nisi necessitas aliud suadeat, ubi missa celebranda erit et post communionem Celebrantis ponetur in medio altaris Pallium, extensum serico coopertum; ac finita missa, Episcopus sive Episcopi commissarii induti amictu, stola, pluviali et mitra simplici, sedentes ante altare super faldistoriis aut aliis sedibus, Juramentum fidelitatis nomine Sedis apostolicae accipient ab ipso Electo genuflexo et induto omnibus paramentis pontificalibus, praeter chirothecas et mitram, nisi illud prius praestitisse legitime docuerit, juxta formam literarum apostolicarum felicis recordationis Xysti Papae V.

Quo praestito surgent Episcopi vel Episcopus cum mitris et accipient de altari Pallium, quorum senior illud supor humeros Electi ante se genuflexi imponet, dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei etc.*, ut in Pontificali habetur.

Quo facto surget Patriarcha vel Archiepiscopus cum Pallio, ascendet ad altare Crucem ante se habens et detecto capite populo solemniter benedicet, dicens: *Sit nomen Domini etc.* Deinde dimissis in Ecclesia paramentis omnes recedent.

Caer. Ep. l. I. c. XVI. n. 1. 2.

Vd.: t. II. p. 604 decr. Pii VI.

c) Traditio per Procuratorem.

Vd.: *Pall.* (Bened. et traditio — Caerem. Eccles. rom. —); t. II. p. 604 decr. Pii VI.

XVIII. Translati Archiep. etc.

Vd.: *Pall.* (Ubi et quando etc.?; Bened. et trad. etc. — Caerem. Eccles. rom. —).

XIX. Ubi et quando utendum?

Pallio potest Primas uti in omnibus Ecclesiis, in quibus jurisdictionem

ecclesiasticam accepit. n. 1521 ad 2 die 26. Novb. 1644.

Cantabitur Missa sol. de s. Spir. (in die inchoationis Concilii) per Archiep., qui in ea utitur Pallio.

Caer. Ep. l. I. c. XXXI. n. 13.

Pallio utitur Archiepiscopus in singulis Ecclesiis Provinciae suae non autem extra Provinciam et dumtaxat dum *missam sol.* celebrat, praescriptis quibusdam diebus, qui in privilegiis Ecclesiae Metrop. exprimi solent.

Ibid. c. XVI. n. 3.; l. II. c. XXVI. n. 12., 19.

Electi ad Patriarch. vel Metrop. Ecclesias non ante Patriarchae et Archiepiscopi appellari possunt, quam Pallium receperint, *sed nec translati* de una Ecclesia ad aliam uti possunt Pallio, quod pro prima Ecclesia acceperant, nec Pallio sui praedecessoris def. nec translati, sed opus est, ut iterum pro nova Ecclesia petatur et habeatur novum Pallium; *nec interim ipsis Electis licet Pontificalia munia exercere.*

Ibid. l. I. c. XVI. n. 6.

Vd.: *Pallium* (Functiones etc.; Episcop. concessum); *Pall.* (bened. et tradit. — ex caerem. Eccles. rom.)

Non potest Patriarcha vel Archiep. uti Pallio extra suum Patriarchatum vel Provinciam et non omni tempore *sed tantum in Ecclesiis et missarum solemniis*, in festis praecipuis, *non in processionibus neque in missis pro defunctis.*

Pontif. roman.

Quidam Archiepiscopus, cujus Dioecesis non habet Suffraganeos, Pontificalia exercens Dominica Pentecostes in Ecclesia alienae Dioecesis, de licentia Ordinarii, Magistro Caeremoniarum suadente usus est Pallio. Hinc quaerit: utrum possit in posterum uti Pallio in designatis diebus extra suam Dioecesim de licentia tamen Ordinarii loci? S. R. C. ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata ad relationem proprii Secretarii rescripsit: „Negative.“ n. 4758 die 8. Aug. 1835.

PALMA.

1) Benedictio et Distributio.

Vd.: *Purificatio; Dominica Palmar.*

2) Dignitatis.

Praeposito (Cathedralis Anagninae) debetur in distributione Palmarum distincta et honorabilior (palma) quam caeteris de Capitulo. n. 4040 ad 5 die 21. Apr. 1736.

3) Quando tenenda?

Dum cantatur Passio et Evang. Canonici resumunt palmas.

Caer. Ep. l. II. c. XXI. n. 10.

Ad elevationem solus Episcopus (assistens) tenet palmam.

Ibid. n. 20.

Cf.: *Passio* (Episcopus etc.).

PALMATORIA.

Vd.: *Bugia.*

PANEM DE COELO etc.

1) In expos. SSmi 40 hh.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 18.

2) In aliis expos. SSmi.

Ibidem.

3) In repos. SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXI. n. 2. etc.

PANGUE LINQUA.

Vd.: *Benedictio cum SSmo; Tantum ergo etc.; Quando incipiend. et quis intonat?* vd.: *Instructio Clement.* §. XIX. n. 15. 16. 20.

Canonici et Beneficiati, dum occasione Benedictionis SS. Sacramenti singulis Dominicis post Complet. cantatur hym.: *Pange lingua etc.*, non tenentur discedere a choro et flexis genibus canere ante Venerabile, sed remanere possunt in eorum stallis choralibus. S. R. C. 26. Aug. 1730.

Postquam Diaconus ass. I. in manibus Episcopi SSmum reliquerit, genuflectet: tunc Cantores incipiunt: *Pange lingua etc.*

Caer. Ep. l. II. c. XXXIII. n. 20.

PANNUM NIGRUM.

Vd.: *Tumulum.*

SS. PAPA.

Vd.: *Sedes Apost.; Bened. Pap.; Pap. Bened.; SS. Pontifex.*

PAPALIS BENEDICTIO.

Cf.: *Bened. Papalis; Regul.* (Bened. Papal.)

a) Facultas et modus.

Clemens PP. XIII.

Inexhaustum indulgentiarum thesaurum a Jesu Chr. D. N. Ecclesiae relictum Christiano populo maxime salutarem et summopere in pretio habendum catholicae Ecclesiae authoritas et gesta Pontificum facillime suadent.... Inter caetera siquidem spiritual. gratiarum dona potissimum locum habet plen. peccatorum indulgentia et remissio, quae statis anni diebus conceditur, dum Rom. Pont. solemni caeremonia populo coram ipso congregato benedicit et non raro ipsius SS. Pontificis nomine effundendae ap. benedictionis super principes Viros absentes delegata fuit facultas; sed inde invaluit praeter modum usus etiam verbi Dei praeconibus indulgendi, ut similiter cum plenaria indulgentia ap. benedictionem non singulari alicui personae vel familiae sed universo ad Ecclesiam confluenti populo impertiri valeant.

Ut autem spiritual. gratiarum dona sancte atque incorrupte administrentur, de consilio VV. FFr. Cardinalium *omnia et singula particularia indulta et privilegia effundendi supra populum ap. benedictionem* per Rom. Pontifices et per Nos etiam ad certum tempus seu ad vitam, non *tamen illa per praedecessores praedictos aliquibus regularib. Ordinibus attributa, quae modo infrascripto salva esse volumus*, resp. concessa et elargita, etiamsi eaedem particulares personae ex quavis causa illa impetrarint et in possessione indultorum ac privileg. hujusmodi reperiantur, *harum serie revocamus ac de medio tollimus.*

Porro ad submovendos quosvis abusus in hac re tenore praesentium statuimus, quod deinceps VV. FFr. Nostris *Patriarchis, Primatibus, Archiep. necnon dilectis filiis Praelatis inferioribus mitrae et Pontif. usum territoriumque separatum cum vera qualitate nullius Dioecesis habentibus et activa in clerum et populum jurisdictione gaudentibus nunc et pro tempore existentibus:* **Patriarchis videlicet Primatibus, Archiep. et Episcopis** *duabus anni solemnitatibus, nimirum Pasch. Resurrectionis alioque die festo sol. eorum arbitrio designando,* **Praelatis vero praemissis qualitatibus praeditis et in propriis territoriis degentibus** *semel in anno in uno ex diebus, quibus eorum singulis usus Pontif. permittitur,* **populo in Ecclesia congregato** *SS. Pontificis auctoritate et nomine facultas sol. benedicendi cum elargitione plen. indulgentiae juxta ritum et formulam inferius traditam concedi posset* et ipsorum unicuique, quamdiu illi suis resp. Ecclesiis praefuerint gratiamque et communionem cum ap. Sede habuerint, per literas ap. gratis concedatur.

Quoniam vero easdem facultates *aliquibus regul. Ordinibus concessas praeservare* intendimus, harum serie declaramus: *illas juxta concessiones ap. auctoritate factas salvas et illaesas esse debere;* districte tamen dilectis filiis eorundem Ordinum Superioribus et Professoribus praecipimus, *quod in illius exercitio in omnibus ritum et formam a fel. rec. Bened. XIV. die 19. Mart. 1748 praescriptum**) *servare* et insuper in dictis duabus solemnitatibus, quatenus Episcopi in illis facultate hujusmodi utantur, ab effundenda benedictione ap. penitus abstinere resp. debeant. Ac itidem ad submovendam quamcunque dubii causam declaramus etiam, per benedictionem ap. auctoritate sive per ipsos Patriarchas, Primates, Archiep. et Episcopos sive per Regulares quoslibet impendendam nullam prorsus a censuris et poenis Eccles. scienter vel ignoranter incursis absolutionem concedi neque ab illis absolutio praetextu benedictionis hujusmodi susceptae praetendi possit.

Non obstantibus quibuscunque.

Ritus vero et formula a Patriarchis, Primatibus, Archiep. et Episcopis *pro impertienda bened. una cum plen. Indulg. post Missarum solemnia triplici signo Crucis emisso et in episcopali throno cum mitra caeterisque s. paramentis indutis, circumstantibus Ministris, adhibendus,* quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, *talis esse debet:*

Expleta in utraque solemnitate Missae sol. celebratione inprimis alta voce per Ministrum superpelliceo indutum legantur literae apost., quibus indulg. plenaria conceditur unacum potestate benedictionem ap. super populum effundendi ac de delegatione adstantibus constet et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam translata recitetur. Postea Episcopus surgens juxta ritum in Caer. Ep.*) expressum dicet:

Precibus et meritis B. M. semper V., B. Michaelis Archangeli, B. Joannis B. et SS. Apost. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum misereatur vestri omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis vestris perducat Vos Jesus Christus ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipot. et misericors Dominus.

℟. *Amen.*

Et Benedictio Dei omnipotent. Pa†tris et Fi†lii et Spiritus † Sancti descendat super vos et maneat semper.

℟. *Amen.*

Demum post impertitam bened. publicatur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae indulg. sequenti formula:

*Attentis facultatibus a SS. in Christo Patre Domino Nostro N., divina providentia Papa . . .***), *in enunciatis ap. literis expressis, datis Reverendissimo D. D. N. Dei et Apostolicae Sedis gratia hujus sanctae Ecclesiae N. Antistiti, Eadem Dominatio sua Reverendissima Summi Pontificis nomine dat et concedit omnibus hic praesentibus Indulg. plenariam in forma Ecclesiae consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu SS. D. N. Papae, Dominationis suae Reverendissimae et Sanctae Matris Ecclesiae.*

Datum Romae 3. Sept. 1762.

(Bull. r. Continatio t. II. p. 292. Ed. Rom. 1837.)

*) Vd.: *Regular.* (bened. pap.)

*) *Caer. Ep.* lib. II. c. 39.

**) Hic exprimetur, quotus est Papa ejusdem nominis.

b) Quibus impertienda?

Vd.: *Indulg.* (Infirmor. habit.)

Pius PP. VI.

V. Fr. Patriarchae Lisbonensi.

Redemptoris et Domini Nostri Jesu Christi vices licet immeriti gerentes in terris coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati Nostrae commisit Deus, fideli prudentique liberalitate erogare studemus, sicut ad augendam fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur.

Cum itaque alias Nos per Nostras in simili forma Brevis expeditas literas fraternitati tuae facultatem solemniter benedicendi populo cum plenaria omnium peccatorum indulgentia in duabus cujusque anni solemnitatibus sub certis modo et forma tunc expressis concesserimus et indulserimus, ac alias, prout in eisdem Nostris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur, plurimi vero, sicut nuper accepimus, hujus Ecclesiae thesauri participes esse minime valeant, tum quia patriarchalis Ecclesia, in qua solemnis benedictio hujusmodi impertitur, non omnes Christifideles ad illam hac de causa confluentes intra suos fines amplecti potest, tum etiam quia moniales clausurae legibus adstrictae, infirmi et detenti in carceribus ad eam accedere nequeunt iisque omnibus pro eximio, quo polles salutis animarum zelo, consultum esse summopere desideres,

Nos igitur pia vota hujusmodi plurimum in Domino collaudantes eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut universo populo, tuo edicto ac sonitu campanarum ejusdem patriarchalis Ecclesiae die praecedenti, tempus ac horam benedictionis hujusmodi impertiendae significare cures et facias ac pari quoque sonitu dictarum campanarum, dum eadem benedictio impertitur, omnes de ea certiores reddas. Nos enim omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis ad dictam Ecclesiam patriarchalem se conferentibus, etiamsi ipsi ejus ambitum propter loci angustiam ingressi minime fuerint, sed foras circa eamdem Ecclesiam praesentes tunc reperiantur, atque insuper monialibus, infirmis et in carceribus existentibus atque campanarum sonum hujusmodi audientibus, si tunc temporis flexis genibus, quatenus ab infirmitatibus ad id impediti minime sint, pias ad Deum preces pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Mariae Ecclesiae exaltatione effuderint, eamdem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, perinde ac si intus Ecclesiam patriarchalem praedictam eidem solemni benedictioni praesentes reperientur, misericorditer in Domino concedimus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 7. Martii 1780.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 188)

c) Pulsat. Campanar.

Vd.: *Pap. bened.* (quibus etc.)

PARAMENTA.

1) Alienatio veterum.

Paramenta Sacra non possunt amplius converti in usus profanos, quia semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso in cap.: *Semel* 51. de Reg. Juris in 6. et concordat. cap.: *Quae semel* 4. caus. 19. q. 3. Nec ad alios usus, quam quibus dedicata sunt, trans-

ferri debent; cap.: *Vestimenta* 42. et cap.: *Ad nuptiarum* 43. de consecrat. dist. 1. Paramenta sacra, cum fuerint vetustate consumpta, incendio danda sunt et cineres in Baptisterio vel alio loco abdito et honesto condi, ne forte transeuntium pedibus conterantur, cap.: *Altaris palla* 37. de consecrat, dist. 1.. Paramenta pretiosa nequeunt alienari sine justa causa et debita solemnitate; cap.: *Final. de rebus Ecclesiast. non alienand. Clemen.* 1. eod. tit. Extravagant. Ambitiosae eod. tit. inter communes. Immo non possunt hypothecari, oppignorari et alienari, ut patet ex variis Juribus adductis sub verb.: Alienatio art. 2. n. 1. ad 9.

Paramenta Sacra, quando urgente aliqua justa causa alienantur, oppignorantur vel hypothecantur, tunc non debent alienari, oppignorari vel hypothecari, nisi ad servitium et ministerium alterius Ecclesiae et Altaris et ad usus Sacros et pios; cap.: *Ligna Ecclesiae* 36. de consecr. dist. 1. Paramenta Sacra, si absque necessitate vendantur, hypothecentur vel oppignorentur, etiam ad usus sacros et pios et ad servitium alterius Ecclesiae, quamvis vendantur solum ratione materiae, qua constant et non qualenus Sacra sunt, adhuc committitur Sacrilegium propter irreverentiam, quae fit rebus Sacris, dum sine necessitate venales fiunt: non tamen committitur Simonia; quia non venduntur, quatenus Sacra sunt, pro pretio temporali: *Covarruv.* lib. 3. variar. cap. 16. n. 8. *Molina* de justitia tract. 2. disp. 240. vers. Res item Sacra, *Navarr.* in Manual. cap. 17. n. 205.; *Barbosa* lib. 3. Juris Eccles. univers. cap. 2. n. 47, et alii passim. Paramenta et Vasa Sacra, licet ex justis causis vendi possint etiam Laicis et ad usus profanos, tamen prius confracta et conflata esse debent; cap.: *Aurum* 69. caus. 12. qu. 2. cum ibi notatis, *Sanchez* tom. 2. consil. moral. lib. 2. cap. 2. dub. 15. Quarto dico, *Barbosa* loc. cit. n. 48.; *Lezana* cit. tom. 4. verb.: Vasa Sacra n. 6. et alii passim.

2) Altaris.

Vd.: *Altare.*

3) Benedictio.

Vd.: *Benedictio Param. De Facultate simpl. Sacerd.*, vd.: *Olea s.* (Consecr.); *Param.* (Qualitas.); *Param.* (bened. quando amitt.)

Vasa et paramenta praeter Episcopum ab aliis quoque Sacerdotibus ab eodem Sedis ap. facultate deputatis benedici possunt.

S. R. C. 24. Aug. 1609.

Pius PP. VI.

Decet Romanum pontificem ea omnia, quae ad animarum salutem ac proximorum aedificationem constituta esse noscuntur, sua auctoritate confovere, ac quo incepta hujusmodi in dies augeantur, gratiis spiritualibus ditare, prout mature rerum ac temporum circumstantiis perpensis in Domino salubriter expedire arbitratur.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Theodimirus Ignatius Diaz de la Vega presbyter saecularis Congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii in civitate Hispalensi, quod ipse in animarum salutem omnes cogitationes suas intendens domum cum sacello atque opportunis officinis et suppellectili optime instructam magnis sumptibus aedificavit, ut hic tum ecclesiastici tum saeculares, qui exercitiis spiritualibus ad animarum suarum utilitatem vacare exoptassent, exciperentur: Quod quidem inceptum annuentibus immo approbantibus ipsis Archiepiscopis Hispalensibus adeo excrevit, ut quotannis quadringentorum numerum excedit animarum suarum saluti ferventer vacantium concursus: quapropter nuper

etiam carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus hanc domum in suam et Hispaniarum regum catholicorum ejus successorum regiam tutelam adscivit eamque regalem domum per suum regium diploma 6. Junii anni 1791 vocari voluit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, moderatorem spiritualem domus hujusmodi et illius sacellum ad Christifidelium inibi concurrentium spiritualem utilitatem memoratus exponens nonnullis gratiis per Nos ditare summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur eumdem exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut tempore exercitiorum spiritualibus hujusmodi augustissimum Eucharistiae Sacramentum in sacello seu Oratorio ipsius domus asservari, Christifidelium adorationi exponi ac etiam fidelem populum benedici libere ac licite possit, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus: moderatori vero spirituali ejusdem domus pro tempore existenti, ut ipse vestes sacerdotales, corporalia et alia ornamenta et paramenta Ecclesiastica ad cultum divinum, ad capellae seu Oratorii praedicti dumtaxat servitium necessaria benedicendi plenam et amplam facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur. Ad augendam porro fidelium inibi per octo saltem dies continuos spiritualibus exercitiis vacantium religionem ac animarum salutem coelestibus Ecclesiam thesauris procurandam de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi: omnibus et singulis Christifidelibus, qui in dicta domo per octo saltem dies continuos ejusmodi spiritualibus exercitiis, ut praefertur, dabunt operam et interea temporis vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, nec non iisdem Christifidelibus in dicta domo ad pium ac salutare opus hujusmodi exercendum commorantibus, ut recitando litanias beatae Mariae virginis in capella seu oratorio praedicto indulgentiam biscentum dierum ab apostolica Sede jam alias concessam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare possint, auctoritate et tenore praedictis pariter elargimur. Tandem, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel cujusvis ordinis, Congregationis et instituti regularis missam defunctorum ad altare ipsius capellae seu oratorii pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi ac B. V. Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 5. Febr. 1793.

(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 271.)

Pius PP. VII.

V. Fr. Archiep. Burgensi.

Exponi Nobis nuper fecisti, quod, ut sacra Ecclesiarum tuae dioecesis suppellectilia citius benedicantur, pro hujusmodi episcopalibus benedictionibus faciendis presbyteros subdelegare posse plurimum desideras. Nobis propterea supplicari fecisti, ut in praemissis

opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, ut ad tuam vitam Vicarium generalem pro tempore existentem et Canonicos Ecclesiae metropolitanae praepositos, archipresbyteros, parochos, Ecclesiarum rectores, vicarios foraneos aliosque tibi benevisos tuae dioecesis sacerdotes in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos pro benedictione sacrae suppellectilis, in qua sacra unctio non adhibetur, subdelegare libere ac licite possis ac valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et quamcunque tribuimus ad id opportunam et necessariam facultatem.

Datum Romae die 27. Jan. 1815.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 353.)

4) Benedictionem quando amittunt?

Paramenta Ecclesiastia et Sacra execrantur et benedictionem amittunt ac nova indigent, *quando ita franguntur et in eo statu ponuntur, ut non possint amplius decenter inservire usui sacro, cui fuerant deputata, aut non amplius priorem figuram retineant: Barbosa* loc. cit. n. 36.; *Lezana* loc. cit. tom. 4. verb. Paramenta Sacra n. 3.; *Armilla* verb.: Benedicere n. 3.; *Angelus* verb.: Benedictio n. 3. et alii. *Hinc Stola facta de Planeta benedicta* debet iterum benedici, quia ad ipsam est data particularis Benedictio et est mutata forma, quae dabat esse rei: *Paul. Fuschius* de Visit. lib. 1. cap. 25. n. 15.; *Ugol.* de potest. Episcop. cap. 32. §. 1. n. 6.; *Barbosa* loc. cit. n. 48.; *Matthaeucc.* loc. cit. n. 22. et alii. *Secus autem si de Stola fiat Manipulum. Antonel.* de Regimin. Eccles. lib. 1. cap. 17. n. 13.; *Matthaeucc.* Official. Curiae cit. cap. 7. n. 22. et alii.

Alba non indiget nova Benedictione, si ad eam reficiendam aliqua adjungantur, quorum additione remanet adhuc prior figura, etiamsi, quae addunttur, non sint benedicta; arg. c.: *Quod in dubiis* 3. de consecrat. Eccles. vel Altar. Accessorium enim naturam sequi congruit principalis, cap.: *Accessorium* 42. de Regul. juris in 6.; *Barbosa* loc. cit. n. 37.; *Armilla, Angelus* loc. cit. et alii. Si vero refectio fiat secundum majorem partem, tam ipsius Albae quam alterius paramenti seu ornamenti opus est nova Benedictione, quia non retinet priorem figuram et materia addita non benedicta est major priori materia benedicta; arg. cap.: *Si Ecclesiam unic. de consecrat. Eccles. in 6.* addita ibi ratione: „Ne minus dignum majus aut accessorium principale ad se trahere videantur.“ Paramenta non benedicuntur substantialiter per usum in Sacrificio mala fide factum: *La Croix* lib. 6. part. 2. n. 252. cum pluribus ibi citatis.

5) Canonicorum.

Vd.: *Canonici* (param. et locus etc.); *Viaticum. Param.* (Dignit.)

6) Color.

Vd.: *Color Param.; Expos. SSmi* (param.); *Velum. In Process. SSmi*, vd.: *Instr. Clem.* §. XXI. n. 8; XXX. n. 23.

Ad dubium: In missa Officii Commemor. Omn. Sanctorum, quorum reliquiae in propriis Ecclesiis asservantur, aliquibus Congregationibus concessi, quo colore uti debeat?

S. C. resp.: Rubro.

Die 17. Aug. 1771 ad 4.

Paramenta Altaris, Celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis Officio et Missae diei secundum usum Romanae Ecclesiae, quae coloribus uti consuevit, *albo, rubro, viridi, violaceo et nigro. Communis* ex

Rubrica Missalis de color. Parament. Rubrica de coloribus Paramentorum non est praeceptiva sed directiva, unde non inducit rigorosam obligationem: quia praeceptum S. Pii V. latum in Bulla Missalis, ex quo Rubricae vim obligandi habent, non se extendit ad hanc Rubricam de coloribus: *Quarti* Comment. ad Rubr. Missal. qu. proem. sect. 2. punct. Colligitur 4. et par. 1. tit. 18. dub. 1.; *Suarez* tom. 3. in 3. part. disp. 82. sect. 2. §.: Secundo est observandum; *Homobonus* in examine par. 3. tract. 4. cap. 15. qu. 144.; *Diana* par. 1. tract. 14. resolut. 57.; *Aversa* de Sacrificio qu. 11. sect. 13. §.: Rursus; *La Croix* lib. 6. part. 3. n. 340. et alii notanter, quod neque etiam de materia, ex qua confici debent ipsa paramenta, aliquid reperitur statutum sub praecepto, quae tamen majoris momenti est, quam sint colores.

Potest tamen peccari venialiter, si absque rationabili causa, ex negligentia v. g. vel simili motivo, varietur communis Ecclesiae ritus circa colores. Immo si ex circumstantiis timeretur grave scandalum, v. g. si in die Paschalis quis celebraret in paramentis nigris in publica Ecclesia, non excusaretur a peccato mortali: *Quarti* cit. par. 1. titul. 18. dub. 1.; *Gobat* in Exper. tract. 3. n. 382.; *La Croix* loc. cit. n. 340. et alii. *Color autem aureus seu croceus aequivalet omni colori,* quia omnes ad illum concurrunt: *La Croix* loc. cit. n. 340.; *Quarti* cit. par. 1. tit. 18. dub. 2. qui tamen dicit, quod non videtur absolute substituendus pro colore nigro et violaceo in diebus jejuniorum et afflictionis.

7) Depositio ante altare.

Vd.: *Missa priv. Canon. et Dig.; Litaniae in Sabb. s.* (Depositio Param.); *Instr. Clem.* §. XIX. n. 11, 21; §. XXX. n. 20.

Canonicus hebdomad. post aspersionem aquae ben. die dominica potest in medio altaris ante gradus se spoliare Pluviali et induere casulam in eodem loco immediate celebraturus, etiam Episcopo assistente, dummodo casulam non accipiat de altari. n. 3516 ad 3 die 4. Apr. 1699.

Ad dubium: Quonam in loco Celebrans post missam ante *Libera me etc.* debeat se exuere planeta et manipulo ac assumere pluviale?

S. C. resp.: In plano ad cornu Epistolae.

Die 7. Sept. 1861.

8) Dignitarii, Abbatis etc.

Vd.: *Missa priv. Dignitarii, Abbatis etc.; Quando sumunt param. de altari;* vd.: *Usus Pontifical.*

Paramenta a Dignitatibus et Canonicis sumenda sunt juxta regulas libri caeremonialis in processionibus et solemnitatibus pontificalibus, licet Praebendae non sint distinctae: Sac. Congreg. Rit. in Alexandrina 17. Mart. 1608 in respons. ad dubium nonum, quam refert *Aldan.* in compend. canonic. resolut. lib. 1. tit. 33. n. 50. et *Barbosa* Sum. Apostol. dec. verb.: Paramenta n. 1.

9) Episcopi.

a) In Consecratione.

Vd.: *Episcopus* (Consecratio.).

b) In Missa.

Vd.: *Missa priv. Ep.*

c) Episcopus sumit de altari.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. Alexd. VII.); *Missa priv.* (Episcopi, Dignit. etc.)

Solis Episcopis licet sumere Paramenta de altari: Sacr. Congregat. Rit. 7. Jul. 1612 apud *Gavant.* in

Rubr. Missal. par. 2. tit. 1. n. 2. in princip. et apud *Barb.* loc. cit. n. 3., ubi habetur, quod Paramenta non debent poni in altari nisi pro solis Episcopis et Cardinalibus.

Hinc eadem Sacra Congreg. Rit. in decreto generali circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum coram Sanctissimo Domino Nostro Alexandro Papa VII. emanato die 27. Sept. 1659 §. XI. statuit, quod „sacras vestes ex altari non sumant nisi pontificaliter divinis vacaturi, et ibidem §. XXI. statuit, quod in Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum et benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non discrepent; ac proinde sacras vestes induant in Sacristia, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super altari adhibeant.“ Et denuo die 20. Julii 1660 in declaratione praedicti decreti ad §. undecimum, quo sacros vestes ex altari sumere Abbates privatim celebraturi prohibentur, asserentibus monachis, se hactenus tali privilegio gavisos esse, Sacra Congregatio censuit servandum esse decretum. Et ad §. XXI., quo in Missis privatis prohibentur Abbatibus quivis ritus et praerogativae ad Episcopos privative spectantes, exponentibus monachis, Abbates Cassinensis hactenus in Missis privatis adhibuisse quatuor candelas, ministros ad lotionem manuum et duos assistentes cum cotta etc., Sacr. Congregat. censuit servandum esse decretum.

d) Post Obitum.

I. Quibus induitur?

Vd.: *Sacerdos def.; Sepult. Sacerd. def.*

Loto et terso corpore Episcopi clerici familiares seu alii ecclesiastici viri cum Magistro Caeremoniarum induant illud primum vestibus ordinariis usque ad rocchettum, deinde s. vestibus, quibus vivens utebatur, dum sol. erat celebraturus, hoc est: caligis et sandaliis, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, manipulo, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo et mitra simplici ac etiam Pallio cum spinulis, si erit Archiepiscopus aut alius utens Pallio, et ponant super pectus ejus crucem aliquam, quam manibus teneat.

Caer. Ep. l. II. c. 38. n. 10.

Cf.: *Pallium* (Defuncti etc.)

II. Cui competunt?

Pius PP. VII.

Nuper Nobis exponi fecerunt dilecti filii Capitulum et Canonici Cathedralis Ecclesiae Tiburtinae, Episcopos Ecclesiae isti praepositos ab anno 1743 usque ad praesens usos gavisosque jugiter esse facultate ex indulto apostolico specialiter ipsis concessa donandi ac relinquendi suppellectiles, quae sui essent juris, sacras aeque ac profanas, favore mensae episcopalis successorumque suorum: quod quidem indultum quam magno fuerit detrimento Ecclesiae Cathedrali, liquet nunc luculentius, quum haec gravi urgetur necessitate renovandi Paramenta diuturno usu prope consumata, sed ob immanes, quas in nuperis perturbationibus publicis perpessa fuit, jacturas ad omnem prorsus novam expensam impar dignoscitur. Hinc enixis efflagitant precibus, ut per Nos abrogentur concessiones, quae a felicis recordationis tum Benedicto XIV. tum Clemente XIII. Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris ad id fuere Episcopis Tiburtinis et restituatur in pristinum constitutio sanctae memoriae Pii PP. V. etiam praedecessoris Nostri incipiens: „*Romani pontificis provi-*

dentia" etc., per quam res sacrae Episcoporum sacrisque usibus per eos addictae, post eorum obitum Cathedralibus, quacis ipsi praefuere, cedere debent Ecclesiis.

Nos igitur, audito hac in re venerabili fratre Vincentio moderno Episcopo Tiburtino, praedictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praevia revocatione et abrogatione cujusvis indulti ac concessionis per Episcopos Tiburtinos a memoratis Benedicto et Clemente Nostris praedecessoribus ad recensitas donationes ac dispositiones faciendas quomodolibet obtentae, prout indultum et concessiones hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus penitusque abrogamus, supradictam deinde Pii V. praedecessoris constitutionem iisdem auctoritate et tenore restituimus juxta petita, ac in eodem, quo primitus erat, vigore reponimus, ita ut in posterum ea sola servetur servarique debeat in omnibus et per omnia pro Cathedrali praedicta, perinde ac si aliter super illa dispensatum atque dispositum nunquam fuisset.

Volumus autem, ut praesentes literae Nostrae suum non sortiantur effectum, nisi postquam praenominatus Vincentius Episcopus supremum diem obierit, ac ut libri ex haereditate praecedentium Episcoporum provenientes et ad usus sacros minime spectantes, commodo semper ac usui Episcoporum pro tempore reservati permaneant.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 23. Junii 1807.

(Bull. r. Continuat. t. XIII. p. 167.)

e) Pontificalia.

Ubi induit ea?

Vd.: *Tertia; Suffrag.*

f) Quis subministret?

Episcopus tenetur providere de illis Paramentis, *quae deserviunt pro sua persona* vel pro altari majori, sed pro aliis altaribus et Sacristia ea providebuntur decenter a Capitulo: Sacra Congregat. Episcop. in Maceraten. 9. Jun. 1583 apud Nicol. in Lucubrat. tom. 2. lib. 1. tit. 26. n. 6.

Sedes Archiepiscopalis aere proprio Archiepiscopi non ex Sacristia sacris vestibus ornanda est: Sac. Congr. Conc. in Messan. apud Nicol. in Flosc. verb.: Sedes n. 3.

Non potest Episcopus uti Paramentis Cathedralis extra ipsam Cathedralem: Sacr. Congreg. Episcop. in Savonen. 3. Mart. 1579 et in Fundana 2. Aug. 1632 apud Nicol. in Flosculis verb.: Episcopus n. 25.

Urbevetana.

(Conc. Tr. C. 1. S. 25. de Ref.)

Venerabilis Innocentius XI. ad preces camerarii necnon officialium fabricae Cathedralis Ecclesiae in apostolico ejus brevi sub die 24. Julii 1688 edito praecepit inhibuitque, „ne de caetero quisquam quavis authoritate vel superioritate fungens vasa, calices, candelabra et alia Paramenta Ecclesiastica auro et argento aut quavis alia materia confecta necnon quamcumque supellectilem sacram tam hactenus in dicta Ecclesia seu illius sacristia collocatam et illi etiam per quoscumque christifideles donatam et assignatam quam in posterum forsan collocandam, donandam et assignandam aliis Ecclesiis, monasteriis, oratoriis, congregationibus et locis piis, seu quibusvis personis cujusvis gradus, ordinis, conditionis, qualitatis et dignitatis et quacunque authoritate, superioritate et officio, praeterquam casu, quo pro tempore existens Episcopus Urbevetanus ad aliam Ecclesiam ibi aliquam functionem peracturus se conferret, commodare aut sub quovis quaesito colore etc. ex dicta Ecclesia seu illius sacristia

extrahere et asportare seu, ut commodentur, extrahantur et asportentur, permittere aut consentire audeat seu praesumat sub excommunicatione latae sententiae per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrenda."

Verum quia modernus Episcopus authumat, praefatum camerarium aliosque officiales dictae fabricae Ecclesiae Cathedralis teneri sacra Paramenta non ex splendidioribus et magis pretiosis sed ex decentibus et ad honorificum Episcoporum usum destinatis sibi subministrare, nedum pro celebranda missa in domesticis suis capellis atque pro ecclesiasticis functionibus ibidem peragendis, verum etiam pro caeteris functionibus, quas debet extra civitatem occasione pastoralis visitationis explere, juxta veterum consuetudinem plurium testium depositione comprobatam; contra vero camerarius una cum praelaudatis officialibus innixus potissimum enunciato brevi venerabilis Innocentii XI. contendit, se non obstringi dicta sacra Paramenta Episcopo tradere, nisi quum in Cathedrali seu alia Ecclesia Urbis Veteris missam celebret aut pontificalia exerceat et ad summum etiam pro missae celebratione, quam in domesticis suis capellis peragit; ad dirimendam propterea triplicem controversiam inde exortam, cujus decisio ex decreto eminentissimi proauditoris Sanctissimi ad supremum hoc tribunal remissa fuit, tria infrascripta dubia supremo eminentissimorum patrum judicio discutienda subjiciuntur.

Praetermissis iis, quae circa assertam consuetudinem necnon intelligentiam memorati brevis late in utramque partem disseruntur, quaeque ex peculiaribus facti circumstantiis potissimum pendere videntur, id unum praestat in jure adnotare, quod, licet Episcopus non teneatur de Paramentis et sacra supellectili sibi providere, sed Canonici Cathedralis Ecclesiae debeant ea pro pontificalibus functionibus tam in Cathedrali quam extra illam obeundis subministrare juxta sententiam, quam sequuntur *Barbat.* cons. 26. n. 5. l. 3., *Surd.* cons. 62. n. 5. et seqq., *Franc.* de Eccles. Cathedr. cap. 20. n. 37. et alii adducti per Scarfantom. ad Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. tit. 2. n. 5. et lib. 3. tit. 7. n. 12.,

ex resolutionibus tamen relatis per *Nicol. in floscul. verb. „Episcopus" n. 25.* elici videtur, praefatos Canonicos teneri quidem sacra Paramenta praestare Episcopo in Cathedrali Ecclesia vel in episcopali sacello pontificalia peragenti, secus vero eidem in alia Ecclesia vel capella pontificaliter celebranti et idipsum colligi videtur ex rescripto a particulari Congregatione edito in quadam causa Casalen., ubi propositis inter caetera hisce dubiis:

I. „An capitulum ob denegationem baculi, mitrae pretiosae et pluvialis factam Episcopo occasione publicandi jubileum, aliaque ut in actis, sit puniendum et quomodo?"

II. „An stante dicta denegatione potuerit Episcopus propria authoritate transportari facere Paramenta praedicta et sacras supellectiles a sacristia Cathedralis ad curiam episcopalem?"

die 11. Martii 1708 responsum fuit

ad I.: „Affirmative arbitrio Congregationis deputatae";

ad II.: „Affirmative et esse restituenda capitulo, facta obligatione de illis subministrandis pro usu Episcopi in functionibus episcopalibus peragendis tam in Cathedrali quam in capella episcopali"; etiam ex altero in *Alben.* „sacrorum rituum et regiminis Ecclesiae", in qua particularis Congregatio ad LIX. et L. similem quaestionem continentia censuit, dandas esse resolutiones editas in praefata causa *Casalen.*, quemadmodum testator *Scarsanton. ad*

Ceccoper. Lucubrat. Canonic. lib. 2. tit. 2. n. 5.

His itaque perspectis unacum juribus utrinque afferendis respondendum erit:

I. *An camerarius aliique officiales rev. fabricae S. Mariae de Stella Cathedralis Ecclesiae Urbis Veteris teneantur subministrare Episcopo ejusdem civitatis supellectiles et Paramenta sacra necessaria pro celebratione missae tantum in suis domesticis capellis seu etiam pro aliis ecclesiasticis functionibus ibidem peragendis in casu?*

II. *An eidem Episcopo sint subministrandae supellectiles et Paramenta sacra extra civitatem Urbis Veteris occasione sacrae visitationis aliarumque ecclesiasticarum functionum explendarum per suam dioecesim? Et quatenus affirmative;*

III. *Cujus qualitatis debeant esse dictae supellectiles et Paramenta sacra in casu?*

S. C. resp.

ad I.: Affirmative;

ad II.: Negative;

ad III.: Esse debere qualitatis decentis gradus episcopalis.

Die 19. Jan. et 9. Febr. 1737.

10) In Expos. SSmi.

Vd.: *Exposit. SSmi; Velum.*

11) Forma.

Vd.: *Paramenta* (Mutatio.).

Reverendissime Domine
uti Frater.

Quum renunciantibus nonnullis Episcopis aliisque ecclesiasticis et laicis viris Sanctam Sedem non lateret quasdam in Anglia, Galliis, Germania et Belgio Dioeceses immutasse formam sacrarum vestium, quae in celebratione Sacrosanctae Missae Sacrificii adhibentur, easque ad stylum, quem dicunt gothicum, elegantiori quidem opere conformasse,

ex hoc porro examine quamvis eadem Sacra Congregatio probe nosceret sacras illas vestes stylum gothicum praeseferentes praecipue saeculis VIII., XIV. et XV. obtinuisse, aeque tamen animadvertit Ecclesiam Romanam aliasque latini ritus per orbem Ecclesias, Sede Apostolica minime reclamante, a saeculo XVI., nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini aetate, usque ad nostra haec tempora illarum reliquisse usum, proindeque, eadem perdurante disciplina, necnon Sancta Sede inconsulta, nihil innovari posse censuit, uti pluries Summi Pontifices in suis edocuere Constitutionibus sapienter monentes immutationes istas, utpote probato Ecclesiae mori contrarias saepe perturbationes producere posse et fidelium animos in admirationem inducere.

Sed quoniam Sacrorum Rituum Congregatio arbitratur alicujus ponderis esse posse rationes, quae praesentem immutationem persuaserunt, hinc, audito Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. oraculo, verbis amantissimis invitare censuit Amplitudinem Tuam, ut, quatenus in tua Dioecesi hujusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velis, quae illis causam dederunt.

Interim Amplitudini Tuae fausta omnia a Domino adprecor.

Amplitudinis Tuae

Romae dis 21. Augusti 1863.

Uti Frater
C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
Card. Patrizi S. R. C. Praef.
D. Bartolini S. R. C.
Secretarius.

12) Laicorum.

Vd.: *Laici.*

13) Materia.

Vd.: *Instr. Cl.* §. XXI. n. 8.; *Param.* (Qual.)

DECRETUM GENERALE.

Quamvis S. R. C. sub die 15. Mart. 1664 reprobaverit morem, qui forte alicubi obtinuerat, conficiendi Amictus, Albas, Tobaleas Altarium necnon Corporalia et Pallas ex tela quandam composita ex lino et gossipio subtilissimo, nihilominus novissimis temporibus adeo invaluit abusus, ut, constanti Ecclesiae disciplina posthabita, nonnullis in Ecclesiis non alia adhibeantur supellectilia vel ad sacrificandum vel ad Altarium usum, nisi ex simplici gossipio confecta. Ad hanc corruptelam, quam bene multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam, studia converterunt Emi et Rmi D. Card. Sacris tuendis Ritibus praepositi: solliciti idcirco, ut, quod usque ab Ecclesiae primordiis quoad sacra indumenta et supellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur et in posterum omnino servetur, declararunt et decreverunt, ab antiquo more sub quolibet praetextu, colore ac titulo non esse recedendum, et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse ex Lino aut Cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tanacitate Linum aut Cannabem aemulante et aequante: aliqua tamen indulgentia utentes permiserunt, ut amictus, albae, tobaleae, mappulae, si quae ex gossipio habentur, adhiberi interea possint usque dum consumentur: sed, cum hujusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, praeceperunt. Districte vero jusserunt, ut corporalia, pallae ac purificatoria, post lapsum unius mensis a praesentis Decreti publicatione, linea omnino sint vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu, quae ex gossipio supererunt. Et ita decreverunt ac ubique locorum, si SSmo D. N. placuerit, servari mandarunt die 15. Maji 1819 n. 4563.

Facta autem per Secretarium SSmo D. N. relatione S. S. Decretum S. C. approbavit, confirmavit typisque editum publicari praecepit ac praeterea jussit, ut locorum ordinarii ejusdem observantiae sedulo incumbant; die 18. ejusdem mensis et anni.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Huic generali Decreto occasionem dedit dubium excitatum a pio quodam Sacerdote et S. R. C. ad definiendum propositum, quod sequentis tenoris est: *Cum variis abhinc annis in permultis Ecclesiis tum Romae tum aliarum civitatum et ditionum consuetudo inducta sit, in choralibus indumentis, nempe in superpelliceis et rochettis nec non in sacris supellectilibus tam pro Sacerdotibus celebrantibus quam pro usu altarium, in tobaleis videlicet, amictis, albis, purificatoriis ac etiam in corporalibus eorumque pallis, utendi tela ex gossipio* (vulgo Mussolo, o Dobletto) *loco lini contexta: quaeritur. „Utrum consuetudo ista sit toleranda?“* Etenim hac super re variae sunt scriptorum cum theologorum tum de S. Ritibus pertractantium sententiae. Aliqui putant id licere, alii vero nefas esse volunt adhibere pro hisce supellectilibus et indumentis aliam telam, quae specie differat a lino vel cannabe, licet candore, munditie, textura dissimiles non videatur. Verumtamen nec in unum simul conveniunt illi, qui secundam hanc tenent sententiam. Quippe eorum quidam nullum ponunt discrimen inter supellectilia et supellectilia, sed volunt, telam ex gossipio adhiberi posse etiam in iis, quae immediate sacrificio inserviunt, veluti sunt corporalia ex contactu Corporis Christi sacra, pallae ad tegendum,

purificatoria ad abstergendum calicem et Sacerdotis digitos destinata: Alii vero admittunt ex gossipio confici posse Sacerdotalia indumenta, amictus videlicet et albas, tobaleas insuper, quibus Altare operiendum est, non item tamen corporalia, pallas, purificatoria, quae cum propius S. Mysteriis inserviant, non ex alia materia, quam ex lino vel cannabe confecta adhibenda esse in Sacrificio existimant. S. autem C., ut quaestiones abrumperet ac dubia removeret, quae ex diversis scriptorum opinionibus oriuntur, rationibus hinc inde allatis mature discusis, ab antiquo probatoque more Ecclesiae, adhibendi scilicet pro omnibus praefatis indumentis et supellectilibus telam contextam ex lino vel cannabe, recedendum non esse eumdemque ad omnimodam observantiam revocandum decrevit: proindeque inductam in aliquibus Ecclesiis consuetudinem conficiendi indumenta et supellectilia pro S. celebrandis Mysteriis ex alia materia a lino vel cannabe diversa reprobavit et tamquam abusum ac corruptelam jure merito eliminandam edixit. De superpelliceis et rochettis nihil pro nunc decernendum duxit, quia hujusmodi vestes neque pertinent ad immediatum Sacrificii et Altaris usum, neque supellectilibus Sacerdotalibus ad sacrificandum stricte necessariis adnumerantur, sed haberi possunt potius ut choralia indumenta. Decretum autem hujusmodi, cum generale sit, a Supremo Pastore adprobatum confirmatumque, praeceptivam obligationem importat; ideo S. S. districte jubet, ut locorum ordinarii ejusdem observantiae sedulo incumbant, ne ullus sit, qui latam legem sub quolibet praetextu vel titulo audeat illudere.

Ad dubium: Num Planetae, stolae et manipula possint confici ex tela linea vel gossypio vulgo *Percallo,* coloribus praescriptis tincta aut depicta?

S. C. resp.: Serventur rubricae et usus ominum Ecclesiarum, quae hujusmodi casulas non admittunt. n. 4815 ad VIII. 3 die 22. Sept. 1837.

Atrebaten.

Paucis abhinc annis mos invaluit in Galliis telas sericas vitreas texendi, quibus Vestes Eccl. Sacrificio Missae aliisque Divinis Officiis inservientes conficiuntur. Earum textura ex gossypio aut simili materia solida componitur, cui superimposita sunt filamenta serica et vitrea, quae aurea certe dici valerent, si ex vitro lux auro simillima produci posset: vitrum enim in filamenta subtilissima redactum inseritur filis sericis eodem ferme pacto, quo filamenta aurea vel argentea inseruntur telis aureis vel argenteis nuncupatis vel etiam ad modum operis phrygii disponuntur super telam eadem filamenta. Quum autem haec facili negotio in minutissimas partes frangi possint et delabi in calicem cum probabili periculo valetudinis illius Sacerdotis, qui has partes cum Jesu Christi Sanguine deglutiat, Emus et Rmus D. Card. Hugo Robertus De la Tour d'Auvergne Lauraguais Ep. Atrebat. S. R. C. humillime sequens proposuit dubium enodandum, nimirum: An licitum sit ad celebrandam Missam ornamentis uti, quorum textura vitrea est mixta auro vel argento? Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione ab Emo et Rmo D. Card. Constantino Patrici Urbis Vicario facta, riteque consideratis iis, quae ab exquisito Voto alterius ex Apost. Caeremoniarum Magistris praelo cuso exponuntur, rescribendum censuit: „In Voto Magistri Caer. seu negative ad propositum dubium, proptereaque praedictis ornamentis uti non licet."

N. 5099.

Die 11. Sept. 1847.

Ordinis Minorum de Observantia.

S. R. C. humillimis datis precibus adivit Fr. Joseph Camaiti Alumnus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Burgi S. Sepulchri, ut declarare dignaretur: an in Decreto Generali s. m. Pii Papae VII, quo interdicitur usus S. Supellectilium Sacrificio Missae deservientium ex gossypio confectarum, comprehendantur etiam casulae ex eodem gossypio contextae? Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt: „Non comprehendi."

Die 23. Maji 1835 n. 4750.

Hieracen.

Precibus Sacerdotis Jacobi Barillon exquirentis, ut a Clero Communis vulgo Serra Dioecesis Hieracen., cujus ipse est Procurator, continuari valeat usus S. Supellectilium ex gossypio confectarum, S. C. in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito rescripsit Episcopo, ut veris existentibus narratis indulgeat, ut intra Biennium supellectilia renoventur ad tramites Generalis Decreti, permisso interim earum usu, quae nunc habentur.

N. 4774 die 12. Martii 1836.

14) Utrum debeant fieri ex vestibus mulierum?

Paramenta Sacra ex Glossa in cap.: *Ad nuptiarum 43. de consecr. dist. 1.* non debent fieri ex vestibus mulierum; ibi: „Ex veste alicujus Dominae vel alterius non debet fieri casula vel aliquis ornatus Ecclesiae"; et hanc Glossam sequuntur Bacco in 4. dist. 11. q. 1. art. 5. et alii, quos tacito nomine citant Barbosa lib. 3. Juris Ecclesiast. univers. cap. 2. n. 33. et Suarez disp. 81. de Sacrificio sect. 8. §.: sed quaercs et hujus opinionis videtur esse etiam Matthaeucci Officialis Curiae cap. 7. n. 33. et alii: arg. cap.: Vestimenta. dist. 1. et cap.: ad haec 4. de Religiosis Domibus. At vero ipse Barbosa loc. cit. n. 33. tenet contrarium; dicit enim expresse: „Non prohibetur autem Sacras Vestes et alia ornamenta Ecclesiae ex materia profana vel etiam muliebri veste fieri, quamvis aliqui per Gloss. in cap.: ad nuptiarum, de consecrat. dist. 1. et in cap.: Ad haec, de Religiosis Domibus, contrarium senserint, quia per consecrationem Episcopi sanctificantur et templa Idolorum in Ecclesias convertuntur." Idem expresse tenet Lezana Summa q. Regularium t. 4. verb.: Paramenta Sacra n. 3., ubi dicit, quod ornamenta seu Paramenta Sacra possunt fieri ex materia etiam profana vel etiam ex mulierum vestibus, non solum propter vivae vocis oraculum Sixti IV. pro Minoribus, quod refert Casarubius in *Compend. privileg. Mendicant. verb.: Ornamenta Ecclesiastica* n. 6., sed etiam Jure communi; quia per benedictionem sanctificantur et ex profanis fiunt Sancta et Sacra. Et idem absolute tenet *Quarti* Comm. in Rubr. Missalis part. 1. tit. 19. dub. 4., ubi dicit, quod communis et vera sententia docet, hoc licite fieri posse absque ullo scrupulo, tum quia hoc nullibi reperitur prohibitum, tum quia ex communi usu Fideles vestes pretiosas Ecclesiis donant, ut ex illis conficiantur casulae et Paramenta Altaris; et Praefecti Ecclesiarum etiam doctissimi ita exequuntur; tum etiam, quia constat ex praxi communes Domos nonnunquam in Templa converti, exemplo Marcelli Papae, qui domum Lucinae in Eccles. consecravit, et Bonifacii IV., qui Pantheon Templum Idolorum consecravit in honorem omnium Sanctorum. Immo id expresse concessit Sixtus IV. Fratribus Minoribus, ut refert Casarub.

in compendio Privilegiorum verb.: Ornamenta Ecclesiastica n. 6.

15) Munditia.

Vd.: *Munditia Ecclesiae; Sacrista; Ritus graec.* (Constit. Innoc. IV. §. 10.); *Param.* (Qualit.)

16) Mutatio.

Vd.: *Param.* (forma, benedict. quando etc.)

Paramenta nova et antiqua mutare possunt Canonici absque consensu Episcopi, etsi de aliis mobilibus adsit consuetudo, quod de consensu Episcopi id fiat: Sac. Congr. Conc. in Maxien. 23. Aug. 1631 apud *Aldan* loc. cit. n. 52. et *Barbosam* loc. cit. n. 2.

17) Pontificalia.

a) Quis defert ad Cathedram?

Capellani Metropolitanae Ecclesiae (Januen.) de Massa nuncupati non tenentur Archiepiscopo pontif. celebraturo deferre s. Paramenta ad Cathedram nisi deficientibus Acolythis. n. 3997 ad 4 die 3. Mart. 1731.

Cf.: *Sandalia* (decr. n. 4606 nota); *Diaconus et Subdiaconus Episcopi; Episcopus* (Paramenta); *Tertia* (Locus etc.); *Paramenta* (Episcopi).

Lotis manibus Acolythi offerunt ex altari Paramenta Episcopi per ordinem, unus post alium, videlicet amictum, albam, cingulum, crucem pect., stolam, pluviale (ad Tertiam) et mitram. Diaconus et Subdiaconus capientes singula Paramenta de manibus Acolythorum Episcopum vestiunt.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 12.

b) Cui non competunt?

Vd.: *Faldistor. Dignit. etc.* (decr. n. 3976.)

c) Cathedralis (Cujus sumptibus?).

Ad dubium: an *Ecclesia* vel Sacristia teneatur *subministrare* Paramenta pontif. proprio Episcopo? S. C. resp.: Episcopum uti posse praefatis Paramentis pontif. n. 1008 ad 1 die 9. Decb. 1634.

Episcopo, Pontificalia exercenti in Civitate, sed extra Cathedralem, licet etiam invitis Canonicis pro se et suis Assistentibus et inservientibus Paramenta a Cathedrali desumere. n. 1441 ad 5 die 14. Mart. 1643.

Ad dubium: Si in Ecclesia (Cathedr. Gerundae) non adsunt Pluvialia ejusdem coloris in numero sufficienti pro Dignitatibus, Canonicis et Beneficiatis, quomodo sit procedendum? S. C. resp.: Sumptibus Ecclesiae juxta solitum. n. 3640 ad 2 die 20. Jan. 1703; n. 3694 ad 2 die 12. Julii 1704.

Vd.: *Param. Episcopi* (Quis subministr.).

d) Ubi induit Episcopus?

Vd.: *Tertia* (Locus cant.).

18) In Processione.

Vd.: *Processio* (Param.).

19) Qualitas.

Vd.: *Param.* (Materia; forma.)

Paramenta Ecclesiastica debent esse munda, honesta et proportionata usui et Ministerio, ad quod accomodantur; cap.: *Vestimenta 42. de consecrat. dist. 1.*; cap.: *Relinqui 2. de Custodia Eucharistiae.* Paramenta Ecclesiastica et praesertim vestes, quibus Sacerdos utitur in Missa, uti amictus, alba et hujusmodi, debent esse *benedicta*, ut colligitur ex cit. cap.: *Vestimenta 42.* de consecrat. dist. 1., antiqua Ecclesiae consuetudine et benedictionibus pro hac re institutis et contentis in Caeremoniali Romano.

20) Quando pretios. utenda?

Indumenta s. nobiliora Celebrantium et Altaris pretiosiora ornamenta esse

assumenda in festivitatibus 1. cl. et functionibus solemnioribus ad formam Caer. Ep., exclusis tamen a solemnioribus diebus expositione SSmi occasione Orationis 40 hh. et Octava SS. Corp. Chr. n. 4383 ad 1 die 12. Julii 1777.

21) Renovatio.

Vd.: *Paramenta* (bened. quando amittunt?).

Ad dubium: An decretum Episcopi Regineten. in visitatione latum super renovatione pluvialis et lampadis ante altare majus sit exequendum a Parocho S. Mariae Montis Morelli?

S. C. C. resp.: *Affirmative.*

Die 12. Apr. 1710 *Reginet.* ad 10.

22) Sacerdotis defuncti.

Vd.: *Sacerdos def.*

23) Testari de iis non potest.

Omnia et singula ornamenta et paramenta ac vasa necnon missalia et gradualia et cantus firmi et musicae ac alii libri et aliae res sacrae, etiam auri et argenti, ac quaecumque alia bona per quoscumque Abbates seu Commendatarios et alios quoscumque, qualiacumque beneficia ecclesiastica etiam quorumvis Ordinum regularia obtinentes ad usum et cultum divinum, etiam in eorum privatis aedibus et capellis vel oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento vel ab intestato relicta, sub quibusvis facultatibus testandi et alias disponendi de bonis non comprehendantur, nec sub appellatione spoliorum veniant, sed ad singulas Ecclesias, Monasteria etiam Conventu carentia, et beneficia hujusmodi (in quibus resederint aut quibus praefuerint seu quae alias obtinuerint) omnino pertineant. Quod si aliquis ex praefatis Abbatibus seu Commendatariis et aliis Beneficiatis pluribus Ecclesiis seu Monasteriis pro tempore simul vel successive praefuerit seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta et paramenta ac res et bona praedicta ad illa omnia (habita ratione fructuum et temporis, quo eadem beneficia possedit) spectent omnino, et proportionaliter inter ea dividantur: Pius V. apud Cherubin. in Bullar. Rom. tom. 2. const. 42., quae incip.: Romani; et referunt etiam Quaranta in Sum. Bullar. verb: Spolia Clericorum pag. mihi 482., *Tamburin.* de Jure Abbat. tom. 3. disp. 16. quaesito 2. n. 2. p. 268.

PARASCEVE.

1) Adoratio Crucis.

a) Clerus.

I. Cappa Canonicorum.

Vd.: *Crux* (materia); *Cappa Canon.* (decr. n. 3544); *Oblatio in Parasc.*; *Lanx.*

Canonici habentes usum Cappae magnae non possunt illam deferre expansam seu extensam, ut Episcopus, in adoratione crucis fer. VI. Parasc. vel alio tempore. Abusum Episcopus tollat. n. 3544 ad 3 die 23. Jan. 1700.

Ad dubium: An Canonicis accedentibus fer. VI. Parasc. ad ador. crucis cum cappis explicatis, earum extremitates sint a Clericis elevandae? S. C. resp.: *Negative.* n. 3597 ad 4 die 10. Sept. 1701.

Licet Capitulo Cathedr. s. Severi in adorat. s. crucis fer. VI. Parasc. incedere cappis extensis usque ad talos. n. 4178 ad 1 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium 1.: An Canonicis fer. VI. liceat necne in Parasceve deponere s. vestes, queis induti reperiuntur, et permittente Episcopo, assumere iterum cappam, et soluta longiori vestis fimbria ad adorationem Crucis accedere ac deinde s. iterum vestes resumere?

2. An saltem cum cappa et soluta talaris vestis fimbria id liceat, semper

assentiente Episcopo, Canonicis secundariis, qui s. vestibus induti non sunt?

Et S. eadem C. respondendum censuit

Ad 1.: „Negative, et s. vestes assumantur solummodo juxta Caeremoniale, dum Episcopus functionem peragit.“

Ad 2.: „Affirmative in casu.“

Et ita servandum esse mandavit die 11. Mart. 1837 n. 4803.

II. Modus.

Vd.: *Manipulum; Calceamenta.*

Episcopus debet adorare crucem in medio duorum Diaconorum, cum quibus incedit, Presbyter assistens vero in medio duorum Canonicorum ex dignioribus. n. 3551 ad 26 die 13. Mart. 1700.

Ad dubium: An fer. VI. in Parasceve, Episcopo non celebraturo, in adoratione crucis, Canonici assistentes debeant ipsum comitari ad initium tapetis, ibique sistere, donec solus ad adorationem Crucis procedat, seu potius tum in genuflexionibus tum etiam in ipso osculo eundem associare teneantur, ibique expectare, quousque idem Crucis adorationem et osculum compleverit?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. n. 4435 ad 1 die 24. Sept. 1788.

Episcopus (non celebraturus), absoluta adoratione et osculo non debet ibidem permanere, donec a Canonicis assistentibus par Cruci obsequium exhibitum fuerit, sed potius immediate Canonici assistentes debent Episcopum ad Cathedram pontificalem associare ac subinde idem Officium cum aliis Canonicis in ordine suo complere tenentur. n. 4435 ad 2 die 24. Septbr. 1788.

Ad dubium: An Celebrans fer. VI. maj. hebdomadae accedere possit ad deosculandum SS. Crucifixum ante Episcopum?

S. C. resp.: Servandum esse Caer. Ep. l. II. c. 26. et contrariam consuetudinem esse abusum omnino tollendum. Die 2. Apr. 1718.

III. Obligatio.

Ad adorationem crucis exhibendam Canonicos non impeditos posse cogi et mulctari. n. 3597 ad 5 die 10. Sept. 1701.

Omnes Canonici in choro praesentes fer. VI. Parasc. tenentur accedere ad adorandum crucem, sed Canonici mala corporis valetudine laborantes non tenentur praevia licentia Episcopi. Absentes in adoratione crucis punctandi sunt tamquam absentes a choro. n. 4235 ad 17—19 die 15. Sept. 1753.

IV. Series.

In adoratione crucis et in aliis actibus, quando Canonici non erunt parati, debet Vicarius primum locum obtinere immediate post Celebrantem. n. 351 ad 6 die 19. Maii 1607.

Ad dubium: An Diaconi sacris vestibus induti primi post digniorem Cleri (Celebrantem) crucem adorare debeant?

S. C. resp.: *Negative, cum non sint Canonici.* n. 2082 ad 3 die 20. Nov. 1660.

Idem resp. S. C. die 18. Dec. 1660 cum appendice: expedire tamen, ut saltem diebus praedictis Canonici inserviant in officio Diaconi et Subdiaconi; eo casu affirmative. n. 2083 ad 3 die 18. Decbr. 1660.

Ad dubium: An Celebrans fer. VI. major. hebdomadae accedere possit ad deosculandam crucem ante Episcopum?

S. C. resp.: Servandum esse Caerem. Ep., juxta id, quod praescribitur lib. 2. c. 25, et contrariam consuetudinem esse abusum tollendum. n. 3906 die 2. Apr. 1718.

Ad dubium: An in adoratione s. Crucis fer. VI. Parasc. debeant Praelati regulares Pontificalibus non utentes praecedere suo subdito Celebranti vel Celebrans primo loco adorationem peragere?

S. C. resp.: Negative ad primam part., affirmative ad secundam. n. 4395 ad 17 die 18. Decbr. 1779.

b) Laici.

Ad dubium: An Magistratus immediate post Canonicos et ante Beneficiatos caeterosque de Clero admitti debeat ad crucis adorationem (et ad cineres)?

S. C. resp.: Negative. n. 3915 ad 6 die 10. Sept. 1718.

c) Ador. Crucis Origo.

Vd.: *Ritus Graec.* (Constit. Bened. §. 27.).

2) Communio non dispens.

Servetur usus Ecclesiae universalis, qui obtinet, ut die Parasceves non administretur SSmum nisi infirmis.

S. R. C. 19. Febr. 1622.

3) Crux cum s. hostia facienda.

In feria VI. in Parasceve particula sine tribus signis crucis consuetis in calice est immittenda. n. 707 ad 5 die 7. Aug. 1627; n. 2363 ad 13 die 13. Febr. 1666.

Episcopus supra calicem dividit s. hostiam in tres partes, quarum ultimam mittit in calicem more solito sed sine signo crucis nihil dicens. *Caer. Ep.* l. II. c. XXV. n. 34; c. XXVI. n. 20.

4) Crucis detectio.

Ad dubium: An Sacerdos paratus fer. VI. Parasc., antequam Crux detegatur, debeat in accessu ad altare genuflectere vel facere profundam reverentiam?

S. C. resp.: Negative ad primam part., affirmative ad secundam. n. 4866 ad 2 die 31. Aug. 1839.

Vd.: *Missale* (correctio, II. A. n. 2).

5) Incensatio crucis et altaris.

Non tolerandus est usus, qui in aliquibus Ecclesiis servatur Panormi fer. VI. Parasceve incensandi iterum SSmum post incensationem oblatorum, omittendo consuetam crucis incensationem. n. 3436 die 13. Aug. 1697.

Fer. VI. Parasceve post thurificationem Oblatorum non est iterum thurificandum SSmum sed crucem et altare esse thurificanda eo prorsus modo, quo fit in aliis missis, non omissis debitis genuflexionibus transeundo ante SSmum. n. 3478 ad 2 et 3 die 5. Julii 1698; n. 3614 ad 1 die 11. Febr. 1702.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXX. n. 12.

Episcopus incensat Oblata et deinde crucem et altare. *Caer. Ep.* l. II. c. XXV. n. 33.

Celebrans facta prius genuflexione SSmo Sacramento illud thurificat, inde crucem et altare. *Ibid.* c. XXVI. n. 19.

6) Incensatio Oblatorum.

Fer. VI. Parasceve sunt thurificanda Oblata. n. 3478 ad 1 die 5. Julii 1698.

7) Missa interrupta.

Cf.: *Expositio SSmi* (modus); *Missa* (interrupta per mort. Sac.).

Ad petitionem Episcopi Asculani asservandi SSmum in sua privata Capella fer. V. maj. hebd., ut sequenti fer. VI. in Parasceve ante accessum ad publicam solemnitatem possit missam brevem ejusdem diei privatim celebrare, S. C. resp.: sibi volenti SSmo Sacramento refici ea die satis consultum Caerem. romano docente regulam ac Caeremonias servandas,

celebrante Episcopo fer. VI. in Parasc. n. 1952 die 15. Febr. 1659.

Supplex Sacrorum Rituum Congregationi porrectus est libellus vernaculo confectus idiomate, tenoris, ut sequitur: In una Chiesa del Regno Lombardo Veneto essendo accaduto il seguente caso: „Sorpreso il Sacerdote da un colpo apopletico nel principio della Funcione del Venerdi Santo, nè trovandosi altro Sacerdote digiuno, fuorichè il Diacono esercente, si è fatto luogo a due quesiti, dei quali il Parroco supplica dal EE. VV. RR. la soluzione.

1. Se in tal caso la Funzione di quella mattina debba proseguirsi sino al compimento?

2. Se possa proseguirla il Diacono digiuno, ovvero continuarla un Sacerdote non digiuno?

Latuit tunc sane, prout latet adhuc, silente Parocho, quid in Ecclesia, de qua supra, consilii coeptum; sed quoniam opportunum nimis visum est proposita Dubia discutere, ut inde certa decerni regula posset in similibus, si forte contingant, eventibus tenenda, et definire, quaenam revera sit qualitas et natura Missae, quae Praesanctificatorum dicitur, ideo EE. PP. eidem Sacr. Congregationi praepositi fuerunt in sensu, rem in ordinario Conventu esse ad examen revocandam, exquisito in antecessum voto duorum Consultorum Theologorum; cumque horum non una in omnibus eademque mens fuerit, ne ullus ambigendi locus superesset, utriusque votum contrahendum Rmo Dom. Assessori fuit datum, qui allata ab unoquoque rationum momenta sedulo diligenterque discuteret, perpenderet, ponderaret insuperque suam inscriptis sententiam Sacrae Congregationi aperiret.

Integro tandem proposito negotio in ordinario EE. et RR. PP. Coetu coacto sub die 5. Martii currentis anni auditaque relatione Emi et Rmi D. Card. Falzacappa Ponentis ad proposita dubia unanimi consensione respondendum esse censuerunt: *In voto R. D. Assessoris*, nimirum

Ad 1.: „Provisum in 2."

Ad 2.: „Si ministrans ut Diaconus est Sacerdos et jejunus, ipse, assumpta casula, prosequatur Officium et Missam Praesanctificatorum absolvat, alterque non jejunus Sacerdos ei succedat in munere Diaconi: quatenus vero ille sit dumtaxat in Diaconatus Ordine constitutus et nemo alius adsit Sacerdos jejunus, cesset Officium, et sacra Hostia reponatur in tabernaculo, die sequenti post sumptionem calicis a Celebrante sumenda."

Quibus omnibus SSmo Dom. Nostro Leoni XII. Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit, confirmavit et ita in posterum in similibus servandum esse decrevit. N. 4609 die 8. Martii 1825.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Casus, super quo, duobus propositis dubiis, S. R. Congregatio rogata fuit pro decisione, vere est singularis. Similis forte numquam per plurium saeculorum fugam contigerat; accidit tamen anno proxime praeterito 1824 in altera ex Ecclesiis Status Veneti. Qua ratione pro novitate rei consultum fuerit, omnino ignoratur: nec certe poterat in temporis angustia a Missalis Rubricis vel a liturgicarum rerum Scriptoribus lumen aliquod peti, cujus ope, quid facto opus esset, agnosceretur. Si quod tunc fuit male gestum (quod ignoro) emendari nequit: plurimum tamen interest, immo S. R. C. visum est omnino necessarium, maturo examini subjicere proposita dubia, nedum ut cognoscatur quo modo agendum sit, si idem casus imposterum contingat, verum etiam,

ut palam fiat qualitas et natura Missae, quam fer. VI. in Parasc., vero Sacrificio destituta, Praesanctificatorum appellatione distinguimus.

Exquisitum proinde fuit votum duorum Theologorum; sed quoniam hi non fuerant in una eademque sententia concordes, demandatum mihi fuit, ut iisdem expensis, meum sensum aperirem. Parui mandatis et pro ingenii tenuitate rationes, quae in unam potius quam in alteram sententiam inclinabant, ingenuo calamo exposui. Votum autem praelo cusum, quod fuit Eminentissimis PP. Sacrae Congregationi praepositis distributum et ab iisdem probatum est, ut sequitur:

Quantunque la soluzione de' proposti dubii nulla giovi rapporto al fatto gia consumato, ed al quale non sappiamo, se bene o male fosse allor proveduto, si è nondimeno riputato espediente di averli in considerazione sì per istabilire la regola da tenersi in altri simili casi, se mai accadessero che per conoscere, qual sia propriamente la qualità della Messa, che dicesi de' Presantificati. Perciò all' Istanca fu rescritto: *Proponatur in prima, exquisito voto duorum Consultorum Theologorum:* Dieder questi i loro voti in iscritto, che dal degnissimo Monsignor Segretario furono a me, come Assessore della S. Congregazione, comunicati, affinché li riducessi in compendio, e sull' affare aprissi il mio sentimento.

„In esecuzione dell' onorevole incarico, ho preso in considerazione ambedue i voti, quali ho trovati nella parte sostanziale fra loro discordi; e non poco ho esitato prima di determinarmi piuttosto all' uno, che all' altro parere; giacchè, per non porre il piede in fallo, e senza prevenzione per l' uno, o per l' altro, seriamente ho voluto ponderare le ragioni recate hinc, inde.

Convengono essi in due punti, cioè *nel primo*, che se per mancanza di soggetto abile a proseguir la funzione, dovesse questa rimaner interrotta, non deve trovarsi ostacolo nell' ammirazzione, che ciò potrebbe cagionare nel popolo, avvegnachè in simili, o poco differenti casi l'ammirazione si toglie, con avvertire il popolo dei motivi, pei quali non può proseguirsi la sacra funzione.“

„Il *secondo* poi, sul quale parimenti convengono, si è, nello stabilire, che non possa il Diacono in virtù dell' Ordine, che esercita nel ministerio, proseguir la funzione, e dare a questa compimento colla Messa, che dicesi de' Presantificati. E ciò con tuta ragione: imperciocchè, qualunque sia in questo giorno la natura di tal funzione, e Messa; certo è però, che per istituto, e disciplina della Chiesa, questa è così propria dell' Ordine presbiterale, che da altri d' inferior grado non si può eseguire per qualunque evento, urgenza e circostanza. In questo dunque cessa ogni questione, e l' affare è composto.“

„Ma non sono così d' accordo nel puntó sostanziale, cioè, se non essendovi, che un solo Sacerdote non digiuno, possa questi riprendere la funzione dal luogo, ove fu interrotta per l' apoplesia, da cui venne improvvisamente colpito il Celebrante, oppure nol possa, ed in conseguenza abbia a riporsi la Sacra Ostia nel Tabernaculo, da consumarsi nel dì seguente dal Celebrante, dopo la sunzione del Calice.“

„L'uno crede, che debba continuarsi l' interrotta azione dal Sacerdote non digiuno. Egli si appoggia all' opinione probabile di quei Theologi, che tengono essere la Messa de' Presantificati il compimento del Sacrificio offerto nell' antecedente Giovedi: ed atteso che in materia de' Sacramenti fa d'uopo

attenersi alla più sicura sentenza, essendo bastevole qualunque dubbio, purchè sia fondato, e ragionevole, per determinare il giudizio; perciò egli opina per la continuazione. Così esso argomenta: L'opinione probabile che la Messa de' Presantificati sia compimento del precedente Sacrifizio, rimane tuttavia indecisa, non essendo stata finora dalla Chiesa o espressamente amessa o assolutamente riprovata: dunque la cosa è dubbia, e nella dubbiezza sembra debba prevaler l'obligo di dar compimento al Sacrificio, e non attender l' altro del digiuno naturale, non potendosi in questo caso osservare ambedue i precetti. Se un tal' argomento possa convenire al caso nostro, il vedremo in appresso. Ogni qual volta si avesse ad ammettere una tale opinione, si dovrebbe rispondere ai proposti quesiti.

Ad 1.: *In casu, de quo agitur, Affirmative.*

Ad 2.: *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

„Diametralmente è opposto il voto dell' altro Theologo; e siccome questi ê d' opinione, che non possa continuarsi l' interrotta azione nè dal Diacono digiuno, ne dal Sacerdote non digiuno, così ei determina per la negativa, tanto al primo quanto al secondo quesito, e conchiude, che debba cessare la sacra funzione, e convenga riporre il Sacramento nel Tabernacolo. Le ragioni, che egli adduce (senza far conto di quelle che si recano più *ad ornatum,* che *ad opportunitatem)* specialmente si riducono a questa, cioè, che nel caso proposto non si tratta di dar compimento ad un Sacrificio incoato, e che debba necessariamente perfezionarsi, ma bensì di consumare la Sacra Ostia riservata nella Messa del precedente giorno, cioè della Fer. V. affine che nella seguente Fer. VI. in Parasceve dal Sacerdote, che eseguir deve le funzioni del giorno, possa consumarsi. Dunque non v' interviene quella validissima ragione, per la quale non solamente è lecito al Sacerdote non digiuno di compiere la Messa da altro Sacerdote, dopo la consegrazione di una o di ambedue le specie, interrotta, per improvviso sopravenuto accidente; ma assolutamente lo deve, poichè l'obligo di perfezionare il Sacrificio prevale al precetto Ecclesiastico del natural digiuno. Conferma il suo sentimento coll' autorità, e dottrina di Benedetto XIV., il quale seguendo la sentenza di altri dotti Scrittori, tiene, che nel caso del Parroco, che ha celebrato e riposto il Sacramento nel Sepolcro in due Parrochie nel Giovedì Santo, non possa poi nella Fer. VI. iterare la funzione, e celebrar la Messa de' Presantificati in ambedue: giachè, avendo ciò interamente eseguito nella prima Parrochia, con adempire il rito della Chiesa, che non deve essere per verun modo alterato, ha dovuto necessariamente franger la legge del natural digiuno, con sorbire la Particola della Sacra Ostia in un col vino non consagrato. Questo è un caso così analogo al nostro, che non può desiderarsi di più.“

„Ammesso dunque il voto di questo seconde Teologo, si dovrebbe rispondere *Negative ad utrumque.*“

„In questa diversità di opinioni, quale dovrà abbracciarsi? Non sono io da tanto, che possa simil' questione decidere, ed aspetto il giudizio, che sarà per pronunciare la Sacra Congregazione in cosa di non lieve momento, quale è la presente. Nondimeno siami lecito di esporre, e soggettare al savio intendimento degli Eminentissimi Porporati, che la compongono, quelle ragioni, che dopo aver maturamente esaminati gli argomenti recati *hinc inde,* mi fanno pro-

pendere a favore del sentimento del secondo Teologo.“

„Senza andar per le lunghe, e cercar da lontano argomenti, che di molto raziocinio abbisognino, la soluzione sembra a me semplicissima, come quella, che unicamente dipende dal conoscere, se la Messa de’ Presantificati debba aversi per vero Sacrificio, o per compimento del Sacrificio antecedente, oppure non sia nè l’uno, né l’altro. Sciolta questa questione, il dubbio è risoluto. Imperciocchè, se avrò dimostrato non esser la Messa de’ Presantificati vero Sacrificio, nè compimento di Sacrificio, sarà dimostrata altresì la qualità, e natura della medesima, che dicesi Messa in lato significato, perchè il Celebrante usa i sacerdotali indumento, con ministeriosi riti, e ritenendo alcunè preci appartenenti alla Messa, ma non sostanzialmente al Sacrificio, colla solennità propria del giorno, consuma la Sacra Ostia, a tal fine nel precedente giorno riservata, spezza l’Ostia, e ne immerge una particella nel Calice etc. Da tali premesse chiara ne discende la conseguenza, che non è lecito al Sacerdote non digiuno di dare nel caso proposto compimento alla Messa de’ Presantificati.“

„Certa cosa ella è, che a mio credere non può dirsi la Messa de’ Presantificati vero Sacrificio. Così la comune de’ Teologi. E benchè fra questi alcuni pochi vi siano, che sostengono il contrario, o almeno abbiano la Messa de’ Presantificati per compimento del precedente Sacrificio; non è da farsi verun conto della loro opinione, troppo essendo labili, e fuor di proposito le ragioni da essi addotte, come mi accingo a dimostrare.“

„Non vale quella dedotta dal ripetersi piu volte nella sacra azione il termine *Sacrificio,* e dal recitarsi pria di partire dall’ Altare l’orazione *Placeat.* Imperciochè la parola *Sacrificium* non sempre ha il significato di Messa, ma bensì *vel late sumitur pro quocumque ministerio sacro, vel* (che è il caso nostro) *significatur ipsa Hostia consecrata; eo modo, quo victima Sacrificii solet interdum Sacrificium appellari.* Tetamo *Diar. Ecclesiast. tract. 2. lib. 4. par. 2. cap. 8. num. 254 et 266.*, Suarez. *tom. 3. in 3. part. disp. 75. sect. 4. in fine.* Si possono vedere i significati della parola *Sacrificium nel Lessico del Macri, e nel Glossario del Dugange:* Non sussiste poi, che si chiuda la sacra funzione coll’ Orazione *Placeat,* giacchè dettosi dal Sacerdote: *Quod ore sumpsimus etc.* nota la Rubrica: *non dicitur Corpus tuum, Domine, nec Post Communio, NEC PLACEAt TIBI, nec datur benedictio, sed, facta reverentia Altari, Sacerdos cum Ministris discedit.* Ma dato ancora, che una volta si conchiudesse la Sacra azione coll’ Orazione *Placeat,* come si pretende (non so con qual fondamento) da chi sostiene l’opinione suddetta; l’essersi poi questa posteriormente omessa, porge un validissimo argomento per istabilire, she la Messa de’ Presantificati non è Sacrificio: poichè l’anzidetta Orazione *Placeat* in tali termini è concepita, che nella medesima la parola *Sacrificium* ha più stretto, e proprio significato, di quello abbia nell’ *Orate fratres*, e nell’ *In spiritu humilitatis.* Affine dunque di togliere ogni motivo di equivocare sull’ intelligenza dell’ espressioni usate in detta Orazione, che potrebbe far credere esser vero Sacrificio quello, che tale non è, avvedutamente la Rubrica vuole che nel Venerdì Santo si taccia non solo il *Post Communio,* ma ancora l’Orazione *Placeat.* Perciò il Gavanto *ad Rubr. Missal. part. 4. tit. 9. num. 20. lit. Z.*, meritamente avverte, che si tralascia l’Orazione *Placeat: non ob eam ra-*

tionem, quia Sacrificium in ea nominatur, quod non fit hodie: nam supranominatum est in oratione: Orate fratres; *sed quia hic expresse diceret Sacerdos, se obtulisse Sacrificium, quod non est verum; est autem verum in Sacramento Christi esse Sacrificium Sacerdotis et populi seu victimam Sacrificii, late sumpto vocabulo Sacrificii, ut in hoc casu docet* Suarez *part. 3. disp. 75. sect. 4. in fine, quod in* Orate fratres *dicitur. Et hoc idem voluit Durandus etc.* Che più dunque vi vuole per conchiudere, che il termine *Sacrificium,* quale in questo giorno s' incontra nell' *Orate fratres,* e nell' *In spiritu humilitatis,* non deve esser preso nello stretto e proprio significato di vero, e real Sacrificio, ma bensì largamente *pro quocumque ministerio sacro et pro ipsa Hostia* consecrata?"

„Non mi fermo nell' altro ancor più debole ragione desunta dal supposto, che l'assistenza alla funzione di questo giorno si abbia per adempimento del precetto d'udir la Messa, se in esso coincide la Festa dell' Annunciazione di Maria SS. Argomento piantato sul falso: giacchè, cessando in tal giorno l'Ostia, e il Sacrificio, cessa ancor l'obligo di udir la Messa; e la Chiesa ha provveduto al caso, col trasferire insieme la Festa col precetto alla Fer. II. dopo la Domenica in Albis; a differenza di quanto accade nella Feria V., in cui, per esser giorno *liturgico,* a comodo del popolo si permettono più Messe, oltre la solenne Conventuale."

„Finalmente non so intendere, come si voglia trarre al significato di vero Sacrificio una espressione usata dal Dottor Angelico, che sicuramente nol porta. All' obbiezione, che ei si propone: perchè mai, facendosi la commemorazione della Passione di Jesù Christo nella Fer. VI. in Parasc., venga intermesso il Sacrificio? risponde: *Quod veniente veritate, cessat figura.* Hoc autem Sacramentum est figura *quaedam et exemplum Dominicae Passionis; et ideo in die, quo ipsa Passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur Consecratio hujus Sacramenti.* (Lo stesso è che dire, *cessat Sacrificium.*) Indi prosiegue, *ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu Passionis, per hoc Sacramentum nobis exhibito Corpus Christi consecratum die praecedenti reservatur summendum in illo die, 3. part., quaest. 23. art. 2. ad 2.* Qui il Santo Dottore parla del frutto del Sacramento riservato per questo giorno, in cui, *veniente veritate, cessat figura;* ma non mai significar vuole, che la sunzione dell' Ostia preconsecrata sia vero Sacrificio, o compimento dell' antecedente, pienamente gia perfezionato. Che se volesse l'espressione usata da S. Tommaso prendersi nel significato di Sacrificio, o compimento di Sacrificio, ne deriverebbono due gravissimi assurdi. *Il primo,* che manca qualche cosa alla perfezione del Sacrificio celebrato nel dì antecedente, lo che è apertamente falso. *Il secondo* che vi sarebbe il Sacrificio nel giorno, in cui per istituto della Chiesa cessar deve il Sacrificio, e dovrebbe dirsi giorno *Liturgico* quello, che dicesi ed è *Aliturgico,* perché senza Sacrifizio. Patentissime contradizioni! Ne risulta perciò, che non può trarsi verun argomento dall' espressione di S. Tommaso a sostener l'opinione di chi pretende, esser la Messa de' Presantificati vero Sacrificio, o compimento dell' antecedente."

„Ed in fatti Francesco de Lugo, il quale *lib. 4. de Missa c. 2. quaest. 5. num. 4.* si dimostra propenso all' opinione, che sostiene, doversi intendere l'espressione dell' Angelico, se non di vero Sacrificio, almeno di compimento

del Sacrificio antecedente; si ritrattò poscia per la forte ragione, che il Sacrificio antecedente ha di già avuto il pieno suo compimento, nè resta cosa, di che perfezionarlo; perchè *una Consecratio nonnisi per unam sumptionem compleri debet in ratione Sacrificii*, e l'una e l'altra azione comprendono morale unità di tempo *in ratione Sacrificii*. Cio tanto è vero, che, trattandosi di vero Sacrificio, dato il caso, che questo sia interrotto dopo la Consecrazione, nè si abbia pronto un Sacerdote, che prosiegua e compisca la Messa et intanto passino più ore; vuole la comune de' Teologi, che si riponghino le specie consecrate nel Tabernacolo, da consumarsi dopo la sunzione del Calice in altra Messa nel dì seguente, ma non esser più lecito il perfezionare la Messa interrotta nel giorno antecedente, poichè una lunga interruzione toglie l'unità morale necessaria al Sacrificio. Si veda Tetamo loco citato quaest. 4. num. 267., il quale aggiunge: *Quod Sà verbo Missa num. 38. docuerat, etiam sequenti die esse ab alio peragendum, ubi prior desierat, et sic complendum Sacrificium; hoc correxit Magister Sacri Palatii, recte volens sequenti die sumi in alia Missa, quod superesset; quia peracta est actio tota hesternae Missae, nec censeretur esse idem Sacrificium.* Tratta magistralmente questa questione il Quarti *ad Rubric. Missal. tit. 10. num. 2. sect. 1. dub. 5.* ed ottime ragioni adduce, che pienamente convincono, esser una lunga interruzione, che toglie l'unita morale, d'impedimento a compiere il vero interrotto Sacrificio. Che dir dunque dovremo del caso in questione, in cui, oltre la lunga interruzione, vi è il piu forte motivo desunto dalla qualità della Messa de Presantificati, che nè è, nè in stretto senso dir si può Sacrificio?"

„Sembra perciò bastantemente comprovato, che la Messa de' Presantificati non e Sacrificio, ma neppur può dirsi compimento del Sacrificio antecedente, che ebbe la sua piena et inticra perfezione. Mi si dirà, perchè dunque nella Messa della Feria V. furono consecrate due Ostie? Perchè la seconda con tanta solennita custodita? Perchè nel seguente giorno, secondo il prescritto rito, dal celebrante Sacerdote all' Altare consumata? E non potranno considerarsi la celebrazione della Messa, la riposizione nel Sepolcro, li prescritti riti del dì seguente, e la Messa de' Presantificati per una continuazione di atti fra loro si strettamente connessi e legati, perchè formino moralmente l'unità dell' azione? Se ciò non prova, che la Messa de' Presantificati abbia ad aversi per un vero Sacrificio, almeno condurrà ad averla per compimento del Sacrificio antecedente. A tale obietto rispondo, che le premesse non conducono alla conseguenza, che se ne vuol trarre."

„Imperciocchè è vero, che nella Feria V. si consacrano due Ostie; ma altrettanto è vero, che una solamente è necessaria, e dee servire alla perfezione del Sacrificio; l'altra si dee conservare ad un fine totalmente diverso, cioè per consumarsi in un giorno, che privo è di Sacrificio, perchè, seconde la dottrina dell Angelico: *Ne Ecclesia etiam hodie sit sine fructu Passionis etc.* Allo stesso modo, benchè a differente oggetto, e fine, si consacrano le particole da riporsi nel Tabernacolo per la comunione de' Fedeli; si consacrano due Ostie, affine di riserbarne una da esporsi alla publica venerazione. Ognun vede qual conseguenza debbasi da ciò dedurre. Sono poi piene di sublimi misteri le azioni posteriori alla Messa della Feria V. cioè la riposizione nel Sepolcro, i riti da osservarsi nel se-

guente giorno, le lezioni, le preci, i mesti canti, e la Messa de Presantificati; tutto diretto a tener viva nel cuor de Fedeli la memoria della Passione, e morte del Redentore. Si abbian pur questi per atti continuati, che formino l'unità dell' azione; avrassi bensì una continuazione successiva di riti, e ceremonie riguardanti il medesimo oggetto, ma non già una continuazione, ed unità identica; onde la sunzione dell' Ostia riservata abbia necessariamente ad aversi per continuazione, e compimente dell' antecedente Sacrificio. Che se vorrà dirsi, che la Messa de' Presantificati per li speciali riti proprii di quel giorno, nel suo estrinseco ha una tal quale apparenza di Sacrificio, il concederò; purchè mi si dia, che nel senso stretto, e proprio non è Sacrificio, nè compimento di vero Sacrificio.“

„A maggior conferma di quanto finor si è detto giova ancora il riflettere, che nè vi è obligo, nè la Rubrica prescrive, che il Sacerdote, il quale ha celebrato nel Giovedî, e nella Messa ha consecrate due Ostie, abbia poi ad eseguire le sacre funzioni della Feria VI., e conchiuderle colla Messa de' Presantificati: Anzi universale è l'uso contrario, e nelle Patriarcali, Cattedrali, Collegiate e Chiese Conventuali per il solito celebra le sacre funzioni quello, che è di turno, benchè diverso dall' altro, che ha celebrato nell' antecedente Giovedì; anzi così si pratica nella Capella Pontificia, ove nella *Feria V. in Coena Domini* Messa un Cardinal Vescovo, *nella Feria VI.* il maggior Penitenziere. Diro di più, che la Sagra Congregazione de' Riti ha creduto universale la diversità de' Celebranti in questi giorni, poichè nelle quaestioni spesso proposte; se, ed a chi debbasi consegnare la chiave dell' Urna, che racchiude la sacra riservata Ostia? costantemente ha risposto: *Canonico vel Dignitati, qui in crastinum Fer. VI. in Parasceve erit celebraturus; Sacerdoti in crastinum celebraturo.* Lo stesso è che dire. *Al Sacerdote, a cui tocca per turno.* Così nella Pacen. *30. Januarii 1610* et Hispalen. *9. Januarii 1633* et *22. Novembris 1636,* Granaten. *16. Januarii 1664,* Carthagenen. *15. Martii 1732*, Tiburtina *7. Decembris 1737.* Si tralasciano per brevità alteri simili Decreti. Ma se la Messa de' Presantificati fosse una continuatione, e compimento del precedente Sacrificio; se le funzioni di ambedue le Ferie si dovessero avere, come componenti una sola identica azione, cosicchè non consumandosi l'Ostia preservata, restasse imperfetto il Sacrificio della Feria V., ragion vorrebbe, che, per modo di regola, senza un legittimo impedimento la funzione della Feria VI. venisse eseguita da quello stesso, che a celebrato nel giorno antecedente. Dunque qual conseguenza se ne dovrà dedurre? Non altra certamente, se non che la Messa de' Presantificati non è vero Sacrificio, nè compimento di Sacrificio.“

„Nè punto mi muove l'argumento, che si fà dall' autore del primo Voto. Oltreche l'opinione probabile, alla quale egli si appoggia (cioè che la Messa de' Presantificati e compimento dell' antecedente Sacrificio) si è dimostrato essere d'ogni ragione sfornita; si dee riflettere, che qui non si tratta de Sacramento conficiendo; oppure de validitate Sacramenti; rapporto à quali, qualunque dubbio, che sia fondato, e ragionevole, basta, perchè si abbracci il partito, che metta la cosa in sicuro: ma la questione si riduce a vedere, se la sunzione dell' Ostia consecrata debba aversi per così connessa col Sacrificio del precedente giorno, che si abbia a tenere per parte integrale

del medesimo. Quì la validità del Sacramento è in sicuro, e non consumandosi, secondo il prescritto rito, per qualunque inaspetatto accidente, l'Ostia preconsecrata, il Sacrificio del precedente giorno nulla perde della sua perfezione et integrità, nè può acquistare maggior perfezione: perciò credo, non potersi ammettersi il sentimento nel esposto nel primo Voto, il quale, attenendosi al parere, come egli crede, probabile di pochi Teologi di sopra già confutati, giudica ciò essere sufficiente, perchè possa, e debba il Sacerdote non digiuno continuare l'interrotta funzione, e consumare l'Ostia riservata."

„Da quanto si è detto fin quì sembra al corto mio intendimento essere a sufficienza probato, che la Messa de' Presantificati non è Sacrificio, nè compimento di Sacrificio. Che se ciò non bastasse, assai di forza aver deve l'esempio del Parocco, che in due distinte Parrocchie a celebrato nel Giovedì Santo, e sì nell' una, che nell' altra hà riservato l'Ostia per consumarsi nel seguente Venerdì. Se in questo giorno compie la funzione nella prima Parrochia, non può iterarla nella seconda, perchè non più digiuno, avendo sorbito la particola infusa nel vino non consecrato. Così Benedetto XIV. nel Trattato *de Sacrificio Missae lib.* 3. *cap. 5. num. 5.* aderendo al sentimento del Silvio e del Suarez: così il Tetamo *loc. cit. cap. 8. num. 170.* Ma quel che è più, ciò che aveva insegnata il suddetto dotto Pontifice da Dottore privato, confermollo poscia nella Costituzione: *Declarasti nobis**), delli 16. Marzo 1746 *super celebratione duarum Missarum eodem die per unum Sacerdotem. Bullar. tom. 2. Constit. 3. pag. 14. et seq.* Mi sia lecito di quì riportar per intero l'articolo della detta Costitutione su tale oggetto:

„In nonnullis regionibus mos inoleverat, quod Parochi duarum Parochiarum Fer. VI. majoris hebdomadae Officium faciebant, primum in una ex Parochiis et deinde illud iterabant in altera. Jejunii praeceptum in sumptione Eucharistiae non est juris divini, sed ecclesiastici, teste *Cardinali Bona Rerum liturgicarum lib. 1. cap. 21. num. 2.*, ubi refert, initio non omnibus in locis universos praedicta lege obstrictos fuisse: cumque, hoc minime obstante, animadversum fuisset, Parochum celebrantem Officium in secunda Parochia, non jejunum sumere Eucharistiam sub specie panis, sumpserat enim in Officio, quod celebravit in prima Parochia, particulam Hostiae consecratae die praecedenti una cum vino non consecrato, et sic jejunium fregerat naturale: REPROBATA FUIT CONSUETUDO, etsi, uti afferebatur, pietati et devotioni innixa. Hoc exemplo perculsi alii Parochi duarum Parochiarum aliam induxerunt consuetudinem, ut in utraque Parochia Officium Feriae VI. majoris hebdomadae celebrare possent, praetermittendi scilicet haustum vini in primo Officio, quod in prima Parochia celebrabant, sumentes tantummodo speciem panis, ut jejuni in secunda Parochia Officium facerent Missamque, quae dicitur Praesanctificatorum, celebrarent. AT HAEC QUOQUE CONSUETUDO FUIT REPROBATA utpote contraria ritui ecclestiastico, quem et Ordo Romanus et Sacramentarium S. Gregorii praescribunt et adhibet universalis Ecclesia. *Franciscus Sylvius magni nominis Theologus tom. 6. suorum operum editionis Antuerpiensis Orat. 1., quae est unica de Officio Parasceve*, rem graphice exponit, nec Parochorum consuetudini censet esse ullo modo de-

*) Vd.: t. II. p. 130.

ferendum. De hac eadem re plura habentur apud *Suarez in 3. part. Divi Thomae tom. 3. quaest. art. 2. disput. 80. sect. 3.*, et nos ipsi haec omnia exposuimus in nostro tractatu *de Sacrificio Missae*, et in alio tractatu *de Festis Domini nostri Jesu Christi part. 1. typis Patavinis edito* §. *306 et seq.* confutavimus errorem Graecorum schismaticorum, qui volunt in Missa Praesanctificatorum, per immersionem particulae in calicem Hostia detractae transsubstantiationem fieri vini in Sanguinem Christi, et diximus, Sacerdotem in Officio Fer. VI. majoris hebdomadae sumere Christi Corpus et Sanguinem, cum utrumque revera sit sub specie panis praecedenti licet die consecrati."

„Ma se al Parroco di due Chiese non è lecito l'iterare la funzione de Venerdì Santo nella seconda Chiesa, dopo averla eseguita nella prima, perchè non è più digiuno, avendolo devuto frangere per necessità in osservanza del rito prescritto dalla Chiesa; molto meno potrà esser lecito il farlo al Sacerdote, che, non già per l'osservanza del prescritto ecclesiastico rito, ma per natural necessità, o per qualunque altra siaci volontaria, o accidental cagione trovasi di averlo violato. La Rubrica *tit. 9. num. 4.* contempla il solo caso, in cui si abbia a compiere l'interrotto Sacrificio, perchè non debba rimanere imperfetto: *Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum.* Ma siccome la Messa de' Presantificati, atteso quanto si è detto, non è Sacrificio, nè compimento di Sacrificio, cessa il motivo di dar compimento a ciò, che è perfettamente compito e perfezionato; ed in conseguenza, tolta di mezzo la condizione assoluta della positiva necessità, non potrà il Sacerdote non digiuno consumar l'Ostia preservata, ma dovrà questa esser riposta nel Tabernacolo."

„Faccio qui fine, tralasciando quel di più, che dir potrei in conferma di quanto ho cercato di comprovare, e non facendo d'uopo d'ulteriori argomenti a dimostrare l'insussistenza dell' opinione contraria. Resta ora, che la Sagra Congregazione in vista delle addotte raggioni decida, non già per rimediare ad un fatto, che non può disfarsi, perchè consumato, ma per prender motivo dal medesimo, affine di provvedere all' avvenire, dandosi un simil caso: e la risoluzione potrà servire per vieppiu confermare quel che già è certo, cioè, che la Messa de' Presantificati non è Sacrificio, nè compimento, di Sacrificio. Crederei perciò, che potrebbe essere il Rescritto, come siegue.

Ad 1.: *Provisum in secundo.*

Ad 2.: *Si ministrans ut Diaconus* etc., ut in Decreto.

Sacerdotes tam Saeculares quam Regulares etiam privilegiati non possunt in fer. VI. Parasc. occasione SS. Annunciationis in dicta feria occurrentis celebrare in quavis Ecclesia seu Oratorio aliquam missam sol. vel priv. nec facere festum vel parare aut ornare Ecclesias aut altaria, licet dicata B. V. M., etiam Annuntiatae, cum ob dolorosam mortis D. N. recordationem tenendae sunt coopertae s. Imagines et altaria spoliata, sed tantum fieri solita s. functio, prout praescribit missale rom., in Ecclesiis scilicet in quibus fer. V. Coena Dom. collocari solet Venerabile in aliquot altare vel alio decenti loco, vulgo vocato il sepolcro, et per hanc prohibitionem pro fer. VI. in Parasc. non possunt in fer. V. in Coena Domini et Sabbato s. celebrari missae priv., sed solum conventualis juxta ritum s. Ecclesiae et iterata decreta. *Decr. Clementis XI.* 15. Mart. 1712.

8) Processio.

Vd.: *Coena Dom.* (Processio, praecipue decr. n. 4647); *Imago B. V. M.* (expositio); *SS. Sacrament.* (asservatio in Parasceve); *Baldach.* (hastas deferentes).

Processio *sol.* aliquo die certo facienda, si cadat in fer. VI. Parasc., eo anno transferenda est in aliam diem. S. C. Ep. 25. Febr. 1598.

In fer. VI. Parasc. non potest fieri nocte processio cum SS. Sacram. et hunc abusum eliminandum esse. S. C. Ep. 22. Martii 1596.

Confratres Societatis s. Montis Pietatis Civitatis Novarien., soliti in die Parasceve de sero facere solemnem processionem deferendo SS. Sacramentum in quadam capsula in modum tumuli formata et modo turbari ab Ordinario narrantes supplicaverunt, nihil innovari circa dictam processionem. S. R. C. resp.: „*Nihil.*" n. 846 die 16. Febr. 1630.

SS. Sacramentum nonnisi manibus Celebrantis de mane deferendum et consuetudinem deferendi illud fer. VI. in Parasceve de sero vel etiam de mane in quadam bara per 4 Sacerdotes nullo modo permittendum sed esse abusum omnino tollendum. n. 951 die 13. Martii 1632.

Nullo modo licere neque permittendum, quod in die Parasceve defertur SS. Sacramentum processionaliter in quadam bara super humeros. n. 1198 die 4. Febr. 1640.

Cum in Lusitania multis in Ecclesiis praesertim Cathedralibus et Collegiatis fer. VI. in Parasc., postquam Celebrans sumsit communionem, soleat fieri solemnis Processio, in qua SS. Sacramentum arca inclusum a 4 Sacerdotibus amictis, albis, cingulis et stolis indutis defertur ab Altari ad Sacellum, ubi pridie fuerat reconditum, ut ibi usque ad diem Resurrectionis iterum recondatur, quaeritur: utrum in praedicta Processione dicti Sacerdotes stolis albis aut nigris uti debeant?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. de Carpineo censuit respondendum: Talem Processionem tamquam abusum esse reprobandam et tollendam.

Et ita declaravit. n. 3614 die 11. Februarii 1702.

Ad dubium: An et quomodo sit continuanda Processio peragi solita fer. VI. majoris hebdom. a Confraternitate SS. Crucifixi erecta in Ecclesia s. Aemiliani suffraganae Ecclesiae paroch. ss. Justi et Pastoris Toletanae, — sive obstet ordinatio Episcopi?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

n. 4328 die 11. Maii 1765.

Anno 1701 Confraternitas in quadam civitate dioecesis Giennen. incessit processionaliter fer. VI. hebd. major. exponendo et resp. gestando effigiem Salvatoris nostri cum dicta cruce, super humeris undique argento sussuta et totaliter cooperta, cum capillamentis cincinnatis, cum corona non amplius spinea sed argentea, cum fune non ex sparto seu ex cannabe, sed ex funiculis aureis intexto, et variis ornato gemmis et adamantibus, et respective aliarum imaginum B. V. M. et Joannis, utramque composuit quibusdam indumentis totaliter impropriis, scilicet coloris rosei et aliis profanitatibus prorsus damnabilibus, quaeritur: num hujusmodi vana et lasciva forma deferendi imagines in die tam memoranda sit toleranda ac resp. permittenda?

S. C. resp.: Episcopus processionem, ut praefertur, omnino prohibeat.

Die 28. Apr. 1703.

Processio SSmi, quae in fer. V. in Coena D. fit ad Sepulchrum et a Sepulchro ad Altare fer. VI. Parasceve, non debet fieri extra Ecclesiam.

S. C. Ep. et Reg. 6. Aug. 1592.

9) Ritus hujus diei.

Vd.: *Coena Dom.* (Processio, decr. n. 4647 *nota).*

10) Sumptio s. hostiae.

Ad dubium: An in rubrica fer. VI. in Parasceve, ubi dicitur: *immediate particulam sumit,* addenda sint verba: *facta genuflexione immediate particulam sumit?*

S. C. resp.: *Negative.*

n. 3754 ad 3 die 25. Sept. 1706.

PAROCHUS.

1) Absentia.

Vd.: *Residentia* (Parochi).

Ad dubium: 1. An parochus villae, in qua non est alius Sacerdos, etiamsi nullus infirmetur, sine Episc. licentia gratis ubique concedenda abesse possit a parochia per duos vel tres dies, nullo idoneo relicto Vicario?

2. An saltem abesse possit a mane usque ad Vesp. et quid, si hoc semel in hebdomada evenerit?

3. An parochi viciniores actu exercentes curam animarum possint invicem se substituere?

S. C. C. resp.

ad 1.: Negative;

ad 2.: Affirmative, dummodo non sit die festo et nullus adsit infirmus et raro id in anno contingat;

ad 3.: Negative, si id fiat sine licentia Ordinarii.

S. C. C. die 8. Febr. 1747.

Parochum nec posse abesse per hebdomadam, non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato. S. C. C. 7. Oct. 1604.

2) Administratio Sacrament.

Vd.: *Sacrament. administr.; Baptismum; Episcopus aegrotus; Viaticum; Stola.*

Quis Clericis administr. Sacramenta?

Vd.: *Viaticum* (Portand. sacerd. aegroto).

Sacramenta administrare non licet Parocho Cathedralis in aliena Parochia. S. C. C. in Eugubina 20. Sept. 1628. Neque etiam licet Parocho Cathedralis ministrare Sacramenta infirmis Canonicis ejusdem Cathedralis, sed hoc spectat ad Parochum Domicilii. S. C. Episc. et Regul. in Tiburtina 12. Maii 1685, et sic censuit etiam S. C. C. in Novarien. 17. Septbr. 1695 et in Narnien. 26. Sept. 1699 apud Monacell. tom. 1. tit. 10. formul. 18. sub num. 4.

Ad Parochum spectat ministrare Sacramenta famulis et famulabus inservientibus Monasteriis Monialium, quamvis exemptarum, non autem ad Confessarium earumdem Monialium. S. C. C. in una Lodien. 14. Apr. 1685 et in alia Spoletana 19. Apr. 1691 inter famulas Monialium s. Matthaei Congregationis Lateranens., quae habitabant in domo extructa intra Cortile sive Atrium Monasterii, et Parochum s. Martini, intra cujus Parochiae limites Monasterium existit: apud Monacell. tom. 1. tit. XI. formul. 20. num. 2. Et iterum in Ulixbonen. Occidentalis 19. Septbr. 1722 apud Ursayam in Miscellan. sacro et profano lit. M. num. 160.

Non debet Ordinarius sine causa valde gravi et relevanti auferre a propriis Curatis celebrationem Baptismi ac Matrimoniorum, eaque ipse ministrare vel aliis delegare. S. C. Episc. et Regul. in Neapolit. 17. Sept. 1604 apud Pitton. loc. cit. num. 267.

Parochus potest simplici Sacerdoti licentiam concedere administrandi Sacramenta in sua Parochia excepta Poenitentia. S. C. Episc. et Regul. in Castellaneten. 20. Augusti 1602 apud Sellium cit. cap. 59. num. 32. et Barbos. lic. cit. num. 4.

Parochus nequit approbare Confessarios non approbatos ab Ordinario ad audiendas Confessiones suorum Parochianorum. *Communis;* et colligitur ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 15. et expresse declaravit S. C. Episc. et Regul. 20. Aug. 1602.

Immo Parochus nequidem potest sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario; nam Alexander VII. die 24. Septembris 1665 damnavit expresse hanc propositionem 16. in ordine: „Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario."

Parochus potest suorum Parochianorum Confessiones audire etiam in aliena Dioecesi sine approbatione Episcopi illius Dioecesis, quia in eos ordinariam habet Jurisdictionem, et cum actus audiendi Confessiones sit Jurisdictionis voluntariae, potest etiam in alieno territorio exerceri *lib. 1. ff. de Offic. Proconsul. Glossa in cap.:* Novit, de Officio legati, *Fagnan.* lib. 5. decr. in cap.: Ne pro dilatione 16. de poenit. et remiss. num. 10. cum aliis ibi citatis, *Piasec.* Prax. Episc. part. 2. c. 1. art. 2. n. 5., *Barbos.* in Trid. sess. 23. c. 15. num. 20. et de Offic. et potest. Parochi part. 2. cap. 19. et de Offic. et potest. Episcop. part. 2. alleg. 25. num. 18. cum plurimis ibi citatis, et alii contra *Matthaeucc.* Officialis Curiae c. 6. n. 16. et in cautela Confessarii lib. 1. c. 9. proposit. 13. ab Alex. VII. etc. num. 4. et alios.

Et pro hac conclusione facit *S. C. Concil. 3. Decembris 1707 in una Posnanien.,* in qua fuerunt proposita et resoluta haec dubia ut sequitur:

I. „An Curati unius Dioecesis vocati a Parochis alienae dioecesis, possint in ista audire Confessiones tam suorum subditorum quam alienorum absque licentia Episcopi?"

II. „An Sacerdotes approbati ad confessiones audiendas in una dioecesi, vocati a Parochis alterius dioecesis possint in ista audire confessiones quorumlibet absque approbatione Episcopi loci? Et quatenus negative ad utrumque;"

III. „An et quomodo in casibus praedictis sit consulendum, si agatur de magno concursu populi et magna distantia adeundi pro approbatione Dioecesanum?"

Quibus dicta die responsum fuit

Ad I.: Affirmative quoad subditos, negative quoad alios.

Ad II.: Negative.

Ad III.: Arbitrio et prudentiae Ordinariorum.

Parochus habens redditus tenues et populum frequentem, ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adjungere alium Sacerdotem adjutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem subministrare tenetur: Inst. Eccles. 94. §. 7.

Parochus tempore pestis et eo morbo infectis tenetur ministrare Sacramenta Baptismi et poenitentiae; imo et Viaticum, ne tanto bono in illa necessitate Parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset Sacerdos vel Parochus, ex quo fieret, ut post administratum Sacramentum poenitentiae uni non superesset spatium, ut aliis morituris poenitentiae Sacramentum administraretur, vel si eo Sacramento administrando mortem vitare non posset et sic populus destitueretur Sacerdotibus: *De Synodo Dioeces. lib. 3. cap. 19. §. 18. 19. nov. edit.*

In ordine ad *Extremam Unctionem,* tunc tenetur Parochus illam administrare, quatenus valeat absque morali periculo. *Ibid.*

Dubitatur: *An Parochus vocatus ab alio Parocho ejusdem dioecesis*

possit in ejus Parochia confessiones audire? Id affirmant *Bonacina* et *Croix* cum communiori, imo *Palaus* et *Mazzotta* communem sententiam vocant. Sed oppositam sententiam tenent *Barbosa* in Trident. sess. 23. cap. 15. num. 19. cum *Homobon.* et *Piasec.* ex declaratione S. C. Concilii, quam referunt *Barbosa* loc. cit. et *Piasec.* ubi ad quaesitum: „An provisus de Parochiali per concursum censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa dioecesi, in qua illam Parochiam obtinet?" S. C. resp.: „*Censeri ad audiendas confessiones dumtaxat in ea Civitate vel Oppido, ubi sita sit Parochialis, non autem passim per totam dioecesim.*" Et ratio hujus sententiae est, quia Parochus non approbatur ab Ecclesia pro Ecclesia universali, sed ab Episcopo juxta Episcopi voluntatem; unde nisi constet aliunde de diversa voluntate Episcopi, Parochus censetur approbatus tantum pro Parochia, ad quam eligitur; potest enim Episcopus aliquem judicare idoneum pro uno loco et non pro alio. Recte vero dicunt *Bonac. Clericat.* de poenitent. decr. 37. num. 12. idque admittit Bened. XIV. in Notificat. 86. n. 613., quod sententia opposita locum habere potest in iis locis, ubi talis adsit consuetudo, quae jurisdictionem bene conferre valet. Imo *Wigandt* tract. 3. num. 83. primam opinionem approbat ex praxi, ut asserit, variarum dioecesum. Ita in terminis D. de Ligorio Theol. Moral. de Sacram. poenitent. num. 544.

Munia parochialia exerceri (Matrimonium, Baptismum) non posse *invito* parocho, nisi per ipsum parochum. n. 908 die 22. Martii 1631; n. 911 die 13. Apr. 1631.

Munia parochialia (bened. mulieris post partum) ad proprium parochum privative spectare. n. 909 die 22. Mart. 1631.

Archipresbyter s. Petri nullo modo ministrare valeat Sacramenta *suis parochianis extra parochiam.* n. 1047 ad 12 die 6. Sept. 1636.

Non licere parocho ... Protonotario apost. in administratione Sacramentorum adhibere habitum praelatitium. n. 2131 die 3. Sept. 1661; n. 2198 die 23. Decbr. 1662.

Parochus Protonot. apostol. vel alii sacerdotes de licentia Parochi etiam Protonot. apostol. non possunt supra mantellettum ponere stolam, sicut ponitur supra superpelliceum et albam ac etiam super rocchettum solum. n. 2718 die 17. Novbr. 1674.

3) Assistens in Cathedrali.

Parochi civitatis Ferentini cogi possunt ad deferendam Ecclesiam propriam praesertim in solemnibus et ad interessendum choro Cathedralis. n. 2222 ad 1 die 16. Junii 1663.

4) Assistens Episcopo.

Ad dubium: An Episcopus compellere possit Parochos ad praestandam sibi consuetam assistentiam in missis et vesperis pontificalibus?

S. C. resp.: Affirmative, praecavendum tamen, ne quid detrimenti animarum servitio contingat, quo tempore Parochus Episcopo in Divinis famulatur. n. 2129 die 3. Sept. 1661.

5) Canonicus (Praeced.).

Vd.: *Canonici Parochi. Processio funebr.* (Praecedentia; praecipue decr. n. 4673).

Canonicus, cui collata est cura animarum, si velit incedere in funeribus cum stola et gerere personam parochi, locum non habet inter Canonicos sed incedere debet uti parochus ante Capitulum Cathedr. post caeteros Presbyteros.

Si autem velit interesse uti Canonicus, stare debet loco suae receptionis sed sine stola, deferenda hoc casu per digniorem de Capitulo. n. 3250 die 24. Novb. 1691.

De ejus oblig. pro parochianis missam applicandi vd.: *Missa* (applicatio); *Applicatio* (missae).

Utrum administ. Clericis Cathed. Sacramenta?

Vd.: *Viaticum* (Portand. sacerd. aegr.)

6) Celeb. et dirig. in sua parochia.

Cf.: *Purificat. B. V. M.*; *Rector Eccles.*; *Sepultura*; *Quarta funer.*; *Processio funebr*; *Process. gener.*; *Processio in festo SS. Corp. Chr. etc.*; *Benedictio*; *Capella domest.*; *Confraternit.*; *Missa* (licentia); *Functiones Eccles. filial.*; *Regulares*; *Missa* (prohibita a Parocho); *Communio pasch.* (Eccles.); *SS. Viaticum* (port. Sacerd.); *Applicatio missae*; *Missa* (applicatio); *SS. Sacram.* (administr.); *Habitus etc. Clericorum*; *Unctio Extr. Graecor.*; *Unctio in Bapt. Italo-Graecor.*; *Missae* (duae non sunt leg. etc — decr. Bened. XIV.). *De Binatione* vd.: *Missae* (duae non sunt leg. etc.; decr. Bened. XIV.). *Orator. priv.* (praecipue Constit. Bened. XIV. §. 19 etc.); *Orator. publ.* (functiones etc.)

Parochus non potest prohiberi per Canonicos Cathedr., ne ingrediatur in Ecclesiam s. Leonardi filialem et suppositam suae parochiae, in qua translatum est servitium Cathedr., ad exercendas functiones parochiales et recipiendum solita emolumenta et obventiones parochiales. n. 942 ad 2 die 6. Decb. 1631.

Missas solemnes in Parochiali spectare ad Parochum seu rectorem. n. 1045 ad 2 die 21. Junii 1636.

Non posse in aliena Ecclesia quidquam ordinari aut exerceri invito proprio Parocho. n. 1263 ad 1 die 15. Sept. 1640.

Regulares s. Antonii, existentes inter limites parochiae, non possunt benedicere homines et bruta animalia in festo s. Antonii, nec non facere processiones extra claustra (invito parocho). n. 1298 die 2. Mart. 1641.

Ad proprium parochum spectare functiones omnes ecclesiasticas in propria Ecclesia, non obstante quacunque contraria consuetudine. n. 1299 die 2. Mart. 1641; n. 2711 die 4. Aug. 1674.

Non licere Capellanis sese in obeundis parochialibus functionibus immiscere, cum eaedem ad Parochos privative quoad alios quoscunque pertineant. n. 1891 ad 2 die 8. Junii 1658; n. 2993 die 22. Aug. 1682.

Publicationem matrimoniorum, Ordinandorum etc. exercendam esse per proprium parochum et nullo modo per Vicarium foraneum. n. 1359 die 11. Nov. 1641.

Parochus potest exercere solemnia in Capella B. V. M. Pietatis. n. 2298 ad 1 die 22. Novb. 1664.

Nullum jus competit PP. Societ. Jesu tradendi doctrinam christian. in Ecclesiis paroch. invito parocho, imo neque in aliis repugnante Titulari, non obstante contraria consuetudine.

S. C. C. 8. Mart. 1681 *in Mechlin.*

Ad controversiam inter Collegium Parochorum Ecclesiae s. Babilae et Capitulum ejusdem Ecclesiae

S. C. resp.: Spectare ad Parochos privative expositionem, repositionem, processionalem quamcunque delationem SSmi tam in fer. V. in coena Dom., quam in Octava ejusdem SSmi et in tertia dominica 40 hh., necnon exercitiorum spiritualium et alterius cujuscunque functionis. n. 3048 die 11. Mart. 1684; n. 3034 ad 1 die 2. Oct. 1683.

Ad controversiam inter eosdem parochos et Canonicos ejusdem Ecclesiae s. Babilae S. C. resp.: Canere missas votivas ex alicujus devotione afferentis eleemosynam, et festivitates SSrum, in specie ss. Apolloniae et Luciae, quae celebrantur in dicta Ecclesia ex oblationibus a populo fieri solitis, necnon festivitates Confrater.

erectarum in eadem Ecclesia, extra tamen horas destinatas pro Officiis Collegiatae commissis in erectione, spectare ad parochum. n. 3048 ad 1 die 11. Mart. 1684; n. 3034 ad 2 die 2. Oct. 1683.

Ad dubium: An possit parochus se ingerere in administratione oblationum, eleemosynarum in Ecclesiis (Confraternitatum) recollectarum vel capsulae pro illis recipiendis clavem retinere?

S. C. resp.: Negative.

Die 10. Decb. 1703 *in una Urbis et Orbis.*

Vd.: *Confraternit.* (Administ. bonor.)

Ad dubium: An ab Episcopo cogi possit parochus ad subministrandum vinum, hostias, paramenta et caetera ad celebrandum necessaria, presbyteris in loco Nuntiae commorantibus et in Ecclesia parochiali celebrare volentibus?

S. C. resp.: Episcopum non posse cogere rectores, sed hortari et rectores recte facturos, si monitionibus et hortamentis Episcopi pareant.

Die 31. Mart. 1703 ad 3 *In Nebien.*

Vd.: *Stipend.* (decr. S. C. Conc. 5. Julii 1664.)

Non licet parocho absque licentia Gubernatorum aut Capellanorum s. Joan. Bapt. in die festivitate s. Joan. missam sol. aut priv. celebrare ad suum libitum. n. 3721 ad 5 die 9. Maii 1705.

Archipresbytero Curato Terrae Mordani competat jus exercendi functiones parochiales et jura paroch. in Ecclesia s. Francisci, olim regulari, nunc suppressa, existente intra fines suae parochiae, privative quoad Capellanum dictae Ecclesiae. n. 3812 ad 1 die 13. Julii 1709.

Licet parocho celebrare primas et secundas vesperas ac canere missas *sol.* et minus sol. in festivitatibus fieri solitis in Oratorio a Confratribus s. Josephi Terrae Curtis majoris. n. 3832 ad 1 et 2 die 22. Novb. 1710.

Ad dubium 1.: An jus celebrandi Missam sive solemnem sive minus solemnem vel conventualem singulis tertiis Dominicis cujuslibet mensis nec non Missam solemnem pro gratiarum actione tertia Dominica mensis Novembris, quae ex instituto canere faciunt priores et confratres Societatis SSmi Corporis Christi in Ecclesia S. Joannis Baptistae terrae Fractae praetensa Parochiali, ubi eadem Societas est erecta, nec non jus successive iisdem diebus ducendi Processionem et in ea ferendi SSmum Sacramentum, ac cum eo populum benedicendi, privative spectet ad Parochum Archipresbyterum vel potius jus omnia praedicta peragendi spectet ad Capellanum dictae Societatis in casu etc.?

2.: An jus celebrandi Missam sive lectam sive cantatam et canendi Vesperas in dicta Ecclesia ac ducendi Processionem alterius Societatis SSmi Rosarii pariter in eadem Ecclesia erecta prima die Dominica cujuslibet mensis, privative spectet ad eumdem Parochum sive potius ad Capellanum in casu etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit

Ad 1.: „Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam."

Ad 2.: „Ut supra."

Et ita decrevit ac servari mandavit.

N. 3902 die 7. Aug. 1717.

Reatina.

Rme D. uti Frater.

Quum Sacerdos Dominicus Maroni Rector et Administrator Confraternitatis S. Caeciliae et B. M. V. de Succursu in Suburbiis istius Reatinae Civitatis S. R. C. exposuerit, quod Parochus Eccl. S. Michaëlis Archangeli,

intra cujus Paroeciae fines Sodalitatis Ecclesia erecta reperitur, praetendat S. Functiones exercere in eadem Sodalitatis Eccl., illam ut filialem reddere praesumens contra sancita ab hac S. Apost. S., Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum subscripta die coadunati, audita relatione ab infrascripto Secretario fideliter facta, perpendentes alias ac praesertim in Decreto Urbis et Orbis usque ab Anno 1703 IV. Id. Dec. sancitum fuisse, Parochis nullum jus competere in publicis Sodalitatum Eccl. quoad ecclesiasticas functiones non parochiales, quin aliud precibus ipsis directe responderent, satius duxerunt consilium, Amplitudinem Tuam super expositis certiorem reddere, ut juxta alias decreta provideat, eo vel magis quia memoratum Gen. Decretum per suam Constitutionem, quae incipit: *Ad debitum :* confirmavit s. m. Clemens Papa XI., ut dissentionibus et jurgiis radicitus finem imponeret. Amplitudinis itaque tuae partes erunt Parochum S. Michaëlis ad tramites supradicti Decreti omnino adigere, ut a quavis in re praetentione abstineat.

Et Amplitudo tua diu felix et incolumis vivat. n. 5001.

Romae 7. Decb. 1844.

Rmo D. uti Fratri
Ep. Realino.

Ad dubium 1.: An celebratio Missae cantatae si a proprio Parocho in sua Ecclesia vel in aliis Ecclesiis Parochiali suae Ecclesiae adnexis non peragatur, spectet ad viciniorem Parochum?

2. An celebratio Sacrarum Functionum peragenda in Ecclesia independente a Parocho, sed intra ambitum suae Paraeciae contenta, spectet ad Parochum, si Capellanus ejusdem Ecclesiae ipsas functiones non agat?

S. C. resp.:

Ad 1.: „Negative juxta Decrectum in Bisinianensi diei 6. Octobris 1640.“

Ad 2.: „Negative juxta Decretum in Verulana diei 2. Martii 1641.“ n. 4691 die 28. Julii 1832.

Ad dubium: An Sacerdos simplex aut ad titulum patrimonii ordinatus possit in Ecclesiis paroch. vel filial. vel ruralibus missam cum cantu vel de Sancto vel de Requ. celebrare in diebus festivis vel ferialibus invito et contradicente parocho et postea facere absolutionem prout de more?

S. C. resp.: In Ecclesiis paroch. et succursalibus requiritur consensus parochi, in aliis Ecclesiis consensus rectoris.

Die 26. Apr. 1634.

7) Celebrare debet in dominicis et festis in paroch. Ecclesia.

Parochus diebus Festis Missam celebrare debet in propria Ecclesia et non in alia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante.

S. C. C. Die 16. Sept. et 17. Nov. 1629. Lucana.

Ad dubium: An Parochus Ecclesiae paroch. S. Mariae possit alternative in dominicis celebrare missam aliasque paroch. funct. exercere in Ecclesia s. Sebastiani existente intra limites parochiae vel potius teneatur eadem omnia peragere singulis dominicis aliisque diebus festivis in Ecclesia parochiali?

S. C. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 19. Aug. 1752. *Fulginaten.*

8) Functiones.

a) In Oratoriis et Eccles. filial. suae parochiae peragendae.

Vd.: *Orator. publ.* (Functiones); *Orator. priv.*

b) Per se ipsum subeundi obligatio.

Cf.: *Resid. Parochi.*

Cogendos esse rectores ad subeunda per se ipsos et non Substitutos omnia munia, ad quae parochi tenentur, tolerandum autem, ut per Substitutos suppleant in illis tantum casibus, in quibus expressis verbis canonum et decretorum Concilii permissum est parochis, ut per vicarios, coadjutores vel substitutos possint officio suo fungi.

Die 7. Oct. 1604 *Nicien.*

(Conc. Tr. S. 6. c. 2.; S. 23. c. 1.)

Parochum praesentem et non impeditum nec in aliis exercitiis paroch. occupatum debere per se ipsum exercere munia paroch.

S. C. C. die 10. Mart. 1742 *Sabinen ad 5.*

9) Incensatio.

Cf.: *Incens. Cleri.*

Parochi in *choro Cathedr.* thurificari debent unico ductu et non duplici ut Canonici. n. 2222 ad 2 die 16. Junii 1663.

Debere parochos sedentes a dexteris chori thurificari immediate post Dignitates et Canonicos ejusdem partis et sedentes a sinistris immediate post Canonicos istius partis. n. 2606 die 3. Decb. 1672.

Parochus tamquam caput Ecclesiae paroch. thurificandus est ante dominum loci.

Die 14. Febr. 1672 *Turritana.*

10) Officium recitandum.

Vd.: *Officium* (recitandum quod ex duobus.).

11) Praecedentia.

Cf.: *Sedes Cleri in Synodo* (decr. n. 3993); *Canonicus Parochus; Stola parochor.* (decr. n. 4615); *Processio funebris; Stola in funerib.; Processio* (Clerus saecul.); *Vicar foran.; Processio funebr.* (crux Eccles. tumul. — Instit. Bened. XIV.); *Paroch. Canon.*

In praecedentiis parochorum attendendam esse antiquitatem et dignitatem Ecclesiae parochialis non autem ipsorum parochorum. n. 1374 die 10. Maii 1642.

Ritum graecum non obstare, quominus parochus praecedentiam Ecclesiae suae debitam inter caeteros latini ritus assequatur. n. 1476 die 26. Sept. 1643.

Parochi incedant in processionibus et in funeralibus immediate ante ipsos Canonicos. n. 1301 die 23. Martii 1641.

Praecedentia inter ipsosmet Parochos, curatos Ecclesiar. paroch., sive sint saecul. sive regul., datur secundum praerogativam Ecclesiarum et non secundum praerogativam regulae.

Die 21. Mart. 1609 *Asten.*

Parochi procedere debent post Canonicos, Beneficiatos, Clericos Beneficiatos, qui faciunt unum corpus, non autem post mercenarios Capellanos aut Clericos, quando sub cruce Capituli parochi procedunt. n. 2222 ad 4 die 16. Junii 1663.

Parochus non habet intuitu pluvialis, dum illud defert, locum inter Canonicos Colleg. et non potest incedere sub cruce Capituli, relicta propria cruce parochiali, nisi sit de gremio. n. 2225 ad 2 die 16. Junii 1663.

Parochus indutus superpelliceo in procession. procedit omnibus rectoribus et presbyteris.

Die 31. Mart. 1618 *in Firmana.*

Parochis et Archipresbyteris Terrae Soltpacae licere deferre stolam et praecedere omnibus aliis per proprias parochias. n. 2412 ad 1 die 2. Apr. 1667.

Inter plures parochos seu Curatos Ecclesiarum parochialium attenditur

praerogativa Ecclesiae parochialis non antianitas Ordinis. n. 2759 ad 1 die 23. Novb. 1675.

Parochus *Protonot.* non praecedat supra parochos non protonotarios, quia praecedentia inter parochos sumitur ex praerogativis Ecclesiae parochialis. n. 2778 ad 2 die 21. Mart. 1676.

Parochi civitatis Fani in processionibus praecedunt secundum antianitatem eorum in adeptione cujuslibet ex dictis parochiis. Cum Paulus Pellinus parochus s. Andreae, qui sextum obtinebat locum in praecedendo, a parochia s. Andreae praedicti praevio consensu ad alteram s. Leonardi transierit, tam ab ipso Paulo quam a parocho s. Joannis, qui septimam curam obtinet, supplicatum fuit declarari: an P. Pellinus attento transitu de una ad alteram parochiam, amiserit suam antianitatem, ita ut ultimus incedere debeat vel potius eam conservet?

S. C. resp.: in casu, de quo agitur, primam praecedentiam competere Pellino, nisi inter Ecclesias paroch. adsit privilegium. n. 3591 die 16. Julii 1701.

Quatuor Parochi Oppidi Clarasci occasione processionum incedant bini et parochus *regularis* ad sinistram latus Plebani, quando omnes conveniunt; si vero tres tantum intererunt Parochi, comprehenso parocho regulari, tunc omnes incedant in eodem ordine et linea, dummodo parochus regul. ultimum locum occupet. n. 4238 ad 1 die 16. Febr. 1754.

Ad dubium: An Vice-parochus debeat habere praecedentiam super alios Sacerdotes ipsi in Ordinatione anteriores, non obstante aliqua consuetudine allegata non immemorabili?

S. C. resp.: Negative praeter functiones, in quibus exercet munus Vice-parochi.

Die 23. Febr. 1839 ad 7. *In Meliten.*

Brixien.

Dum in Civitate Brixien. existeret adhuc Collegiata Ecclesia S. Nazarii, ex Synodali Dioecesis Statuto cautum fuit, ut in S. Processionibus universus Clerus sub unica Cathedralis Cruce, attamen juxta diversitatem Ordinis, quo singuli erant insigniti, nimirum primi incederent in Minoribus constituti, deinde Subdiaconi, tertio Diaconi, ac ultimo tandem loco Sacerdotes, servato in singulis Clericorum gradibus et Ecclesiarum ordine, qui consuetudine jam erat receptus. Sancitum pariter erat, ut Clerus Collegiatae S. Nazarii simul incederet sub propria elevata Cruce immediate ante Clerum Cathedralis. Verum quum civiles ob ordinationes et vicissitudines Collegiata etiam S. Nazarii cessarit tunc temporis, nimirum de anno 1810, Brixien. Episcopus constituit, ut Clerus uniuscujusque Ecclesiae semper sub unica Cathedralis Cruce per Paroecias distributus, ut singuli Parochi proprio Clero praeessent, procederet in memoratis Supplicationibus, servato servari solito Ecclesiarum ordine, juxta quem Clerus S. Nazarii ultimus et immediate ante Clerum Cathedralis incedit. Parochus tamen S. Nazarii, quamvis in propria Ecclesia aliquoties per annum Divina Officia ritu pontificali expleat et in S. Processionibus totius Cleri Urbani supra reliquos Parochos praecedentia gaudeat, quum vigente Collegiata Processionibus aliisque Functionibus non jam personaliter sed per substitutum interesse soleret, id etiam praestat sublata Collegiata. Et quum in praesentiarum Rmus hodiernus Episcopus Brixiensis restituerit in Processionibus peragendis antiquum ordinem per Synodale Decretum firmatum et sic iterum Parochi post universum Clerum Urbis bini incedent, salvo jure praecedentiae Parocho S. Nazarii, ipse, qui

ex consuetudine personaliter non accedit, affirmat quod jus praecedentiae in reliquos Parochos competat Curato Beneficiato Ecclesiae S. Nazarii, quem mittere solet uti substitutum. De quo quidem jure praesumpto quum merito conquerantur ceteri Parochi, religiosissimus idem Episcopus, ne ordinaria auctoritate sua quidquam in re decerneret, S. R. C. supplex adivit atque ingenue singula exponens humillime rogavit, ut super sequentibus Dubiis sententiam suam aperire dignaretur, nimirum:

1. An Parocho S. Nazarii consuetudo suffragari valeat ne personaliter ad Processiones accedat ad easque compelli possit?

2. An in Processionibus, in quibus Parochi urbani bini post Clerum Urbis incedunt, Substituto Parochi S. Nazarii vel alterius Parochi competat jus praecedendi, quod ipsi competeret Parocho, si personaliter accederet?

3. An ob civiles vicissitudines et ordinationes cessata Collegiata S. Nazarii ejusdem Clero in Processionibus jus adhuc competat?

4. An cessata, ut supra, Collegiata Parochus Divina Officia in Pontificalibus celebrare possit et quatenus affirmative?

5. Utrum praefatus Parochus ad parendum Episcopi mandatis cogi et si opus sit etiam puniri ab Episcopo possit per prohibitionem celebrandi in Pontificalibus ad tempus determinatum?

Et Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunati post auditam a subscripto Pro-Secretario fidelem relationem rescribendum censuerunt

Ad 1.: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam."

Ad 2.: „Negative."
Ad 3.: „Negative."
Ad 4.: „Afferendum privilegium, ut examini subjiciatur."
Ad 5.: „Affirmative in omnibus."

Atque ita rescribendum, definiendum servandumque mandarunt. n. 5171.

Die 25. Sept. 1852.

Parochus exceptis iis, quae sunt sui officii, nullam regulariter praecedentiam et praeeminentiam habet, atque hinc est, quod parochus in choro locum altiorem et ornatiorem habere nequit, quam caeteri presbyteri inibi assistentes. *Rota in Pampilon. manutentionis 10. Maii 1707 cor. b. m. Cafarello*, ubi, quod nec in sede sed in scamno sedere debet si caeteri in scamnis sedeant.

Praecedentia, quae debetur parochis perpetuis, eadem debetur Parochis et Curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent praerogativis parochorum perpetuorum.

S. C. C. 27. Mart. 1706. *In una Comensi.*

Et hoc procedit etiam in eorum Substitutis et Subrogatis.

S. R. C. 20. Jan. 1691.

12) Praedicator.

Vd.: *Praedicatio Parochi.*

13) Protonotarius.

Vd.: *Paroch.* (adm. Sacram.); *Protonot.*

Parochum uti Protonotarium almutia nullatenus uti posse. n. 1837 ad 2 die 4. Aug. 1657.

Non licere parocho protonotario apostolico in administratione Sacramentorum et in funeribus adhibere habitum praelatitium et quatenus interesse velit

uti Protonotarius, eidem proinde non competere praecedentiam supra Canonicos vel locum inter Canonicos juxta Caeremoniale lib. I. cap. XIII. n. 2131 die 3. Sept. 1661. Idem Decretum est n. 2198 die 23. Decb. 1662 cum appendice: Idem intelligendum esse in processionibus generalibus et particularibus, quibus idem parochus interesse velit.

Vd.: *Processio* (Clerus saecul. — Cler. Colleg. supra paroch.).

14) Quis est?

Titularis Capellae (decr. n. 5050).

15) Sacerdotes approb. ab Episcopo sui loco deputare debet.

Vd.: *Parochus* (administ. Sacrament.).

16) Sedes.

Parochos manutenendos esse in possesione sedendi in stallis canonicalibus post omnes Canonicos. n. 1301 die 23. Mart. 1641.

Vd.: *Paroch.* (praeced., *ult. decr.*)

PARRUCCA.

Vd.: *Tonsura* (decr. n. 5054); *Missa* (Celebrans sedere non debet; Epist. PP. Bened. XIV. n. XXII. sub finem.); *Habitus Clericor.* (§. 8.).

Non licet Canonico Cathedr. Burgi gestare capillos fictitios, vulgo *Parrucca*, in deferendo SSmum processionaliter immediate post missam ab eodem cantatam tam in Cathedr. quam per civitatem. n. 3516 ad 4 die 4. Apr. 1699.

Nec licet Parruccam deferre Praeposito et aliis Canonicis Cath. Burgi *missas* celebrantibus.

Ibid ad 5.

Missa non potest celebrari cum caesarie ficta. S. R. C. 3. Aug. 1652.

Vd.: *Edictum Clem. XI. die 4. Maii 1701* in Bull. r. t. VIII. p. 451.

Clemens PP. XII.

Abbas gener. Ordinis Canonicorum Regul. s. Antonii Viennen. jubet, ut nemo comas adscititias, vulgo Parrucca dictas, assumat sub poena suspensionis ipso facto incurrendae. Circa eos autem, qui hujusmodi comis fictitiis seu parruccis nunc utuntur, decernimus, ut, nisi eas deposuerunt intra annum a praesentium intimatione computandum, simili suspensionis poenae exemplo subjaceant, stricte injungentes omnibus et quibuscunque Superioribus Domorum Nostrarum, ut praesens decretum in Oratorio publice legi ac sedulo observari curent.

Nos (Clem. XII.) praeinsertam Ordinationem dicti Abbatis cum omnibus et singulis in ea contentis approbamus et confirmamus, necnon quascunque licentias gestandi caesariem praedictam per quoscunque dicti Ord. Canonicos Regul. tam a Nobis quam a Nostris et Sedis ap. Nuntiis seu a quibusve aliis sub quocunque praetextu obtentas tenore praesentium annullamus, cassamus et irritamus ac nullius roboris et momenti esse et fore declaramus.

Datum Romae 9. Sept. 1739.

(Bull. r. t. XV. p. 298.)

Immo neque in Choro potest portari Coma fictitia, seu, ut vulgo dicitur, Parrucca: Sac. Congreg. Conc. in una Bergamensi 9. Dec. 1690.

Et tanto minus Coma fictitia seu Capillitium ascititium potest deferri et retineri in actu celebrationis Missae, ut expresse prohibuit Innocentius XI., ut patet ex Decreto de ejus mandato publicato in Dioecesi Colon.

Die 21. Mart. 1689.

Melphiten.

(Conc. Tr. C. 6. S. 23. De ref.)

Instante Episcopo Bituntino Sac. haec Congregatio die 13. Septembris

1675 decrevit Clericos etiam Possessores Beneficiorum infra summam ducatorum 60. auri de Camera esse obligatos ad deferendum habitum et tonsuram Clericalem sub poenis, de quibus in Constit. 92. Xysti Quinti, et opponentibus Clericis Melphitensibus memoratam Xystinam Constitutionem fuisse ab alia subsequenti ejusdem Pontificis, quae incipit: *Pastoralis*, revocatam, itaut Possessores Beneficiorum infra summam expressam ducatorum 60. auri de Camera ad delationem habitus et tonsurae Clericalis minime censerentur adstricti, S. haec eadem Congregatio die 4. Septembris 1677 respondit: dictorum Beneficiorum Possessores teneri ad deferendum habitum et tonsuram Clericalem, non obstante allegata Constitutione *Pastoralis*, uti habetur lib. 29. decret. p. 147 et 500; Clericique dictae Dioecesis Melphitensis abinde citra promptissime paruerunt, et, teste Episcopo, tonsura Clericalis debitis modis et formis a singulis dictae Dioecesis Clericis delata est et defertur.

Anno praeterito praeter Dioecesis morem Marcellus Gadaleta Clericus Beneficiatus sibi Comam ascititiam vulgo Parruccam imposuit et Episcopus ad sartam tectam conservandam sui Cleri disciplinam necessariam esse existimavit edicti publicationem, in qua tam Clericis Beneficiatis quam aliis constitutis in Sacris Ordinibus praedictae Comae delationem prohibuit sub poena etiam Excommunicationis et quoad Clericos primae Tonsurae et Minorum Ordinum id ipsum decrevit sub poenis tamen arbitrariis ad tramites Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, assignato duorum mensium termino, intra quem, qui Comam ascititiam deferebant, eam deponere deberent; cumque elapso termino et prosequente Marcello in Comae delatione res eo devenerit, ut Episcopus eum fecerit arrestare et ab ejus capite capillitium detrahere; exorta subinde est controversia eademque ad hanc Sac. Congregationem delata, licet ipse, coram quo tanquam Secretario Sac. Congreg. jura deducta sunt, crediderim esse locum executioni edicti Episcopalis, provocante nihilominus Marcello Gadaleta ad S. Congregationem, de duobus in praesenti est inquirendum, de subsistentia videlicet vel insubsistentia edicti Episcopalis et an sit toleranda gestatio Parruccae in casu, de quo agitur.

Quoad subsistentiam edicti, gestatio Comae ascititiae erat olim de genere prohibitorum etiam quoad foeminas juxta illud *Tertulliani lib. de mulierum cultu*, ibi: *si non pudeat enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis forsan immundi, forsan nocentis et gehennae destinati, sancto et christiano capiti supparetis*, et erudite prosequitur *Christianus Lupus* ad Concilia Generalia et Provincialia tom. 3. dissert. de actis S. Leonis Noni cap. 15. in fine, eademque delatio nunc est saltem de genere prohibitorum quoad Clericos, uti monet *Sausai* in sua Panoplia Clericali par. 2. lib. 5. cap. 1. et late prosequitur *Joannes Baptista Thiers* in sua histor. gallice conscripta de Parruccis, consonantque plures dispositiones Synodales; in Synodo etenim Melitensi anni 1703 sess. 3. cap. 1. num. 7. sic legitur: *nullus nedum ad sacros, verum etiam ad minores Ordines promotus et primo tonsura* initiatus Comam nutriat, multoque minus fictitiam deferat. In Synodo Pisana anni 1708 cap. 25. sic disponitur de Clericis: *Comam saecularium more non nutriant, quominus ascititiam deferant, vulgo Parruccam nuncupatam.* In Synodo Dioecesana Montis Falisci anni 1710 cap. ultimo num. 2. sic fuit de Clericis statutum: *Severiores poenas, etiam Carceris, si moniti*

non paruerint, luent illi, qui ementitam caesariem assument et gestabunt. In Synodo Portalegren. anni 1714 sess. 3. cap. 1. ibi: *Omnes autem nedum in sacris verum etiam in minoribus constituti Ordinibus et prima tonsura initiati Comam non nutriant, sed eam ita brevem habeant, ut aurium extremitates pateant, nunquam vero ascititiam italice Parruccam.* Et in eo, quod attinet ad poenas in edicto Melphiten. impositas, sciendum est, quod imposita ab adhuc vivente D. Sarnello Episcopo Vigilien. in suo edicto edito die 29. Junii 1697 poena Excommunicationis ipso jure adversus Clericos in sua Dioecesi Comam fictitiam seu Parruccam deferentes appellatio fuit ad S. Sedem interposita, et deputata Congregatione particulari, haec die 20. Maii 1699 fuit in sensu pro moderatione decreti, hoc est pro poena Excommunicationis adversus Clericos Beneficiatos et alios in majoribus Ordinibus constitutos et quod adversus Clericos primae Tonsurae et Ordinum minorum Parruccam deferentes procederetur ad tramites Sacror. Canonum et S. Concilii Tridentini cap. 6. sess. 23. de refor., uti habetur *lib. 49. decret. p. 206 §. 26.*, et referunt memoratus Episcopus *Sarnellus* tom. 4. suarum epistolarum discursu de Parruccis c. 13., *Monacell.* in formul. legal. in append. tom. 1. fol. 359. n. 19. et 20.

Haec quoad primum dubium; transeundo ad secundum, vis coram Me constituebatur a Clerico Beneficiato Marcello Gadaleta in necessitate, in qua pro tuenda propria valetudine constitutus est, itaut ad avertendos morbos indigeat gestatione Parruccae juxta Medicorum attestationem. *Concurrente autem necessitate non videtur Clerico licet Beneficiato prohibendum, quod Comam deferat fictitiam, modestam tamen et a luxu alienam,* uti docent *Anaclet.* ad lib. 3. decretal. lib. 3. tit. 1. §. 3. n. 90., *Ursaya* instit. criminal. lib. 1. tit. 10. §. 4. n. 51 et seqq. et in fortioribus, *quod concurrente necessitate Sanctum Missae Sacrificium celebrari possit a Sacerdotibus etiam cum Parrucca et praesertim, si haec facit unum moraliter cum capite nec a Coma nativa internoscitur,* docet *Theophil. Rayanaud oper. tom. 13. de pileo et caeteris capitis tegminibus sect. 2. §.: Nunc econtrario versus finem;* et celebris est licentia a clar. mem. Card. Hieronymo Grimaldo Aquensi Archiepiscopo concessa et impressa apud *Thiers* in allegato tract. de Parruccis p. 373, quae est sequentibus verbis concepta: *Visa attestatione Magistri Doctoris Medici, quapropter vertignis, quae pateris in commoda, unde nisi de opportuno provideatur tibi remedio, etiam mors forte consequeretur, caesarie tibi opus esse testatum fecit, nos, visa ea attestatione supplicationi desuper per te nobis factae annuentes, tibi, ut caesariem, etiam sacrum faciendo, gestare possis et valeas licentiam et facultatem impertimur in Domino. Memineris igitur non indultum hoc esse vanitati sed necessitati concessum; quapropter non solum monitum te esse volumus, ut coronam non erubescas, sed et praecipimus tibi, quatenus qui in tonsurae clericalis susceptione capitis Comam deposuisti, caesariem sic componendam cures, ut et color aetati in senium inclinati congruat et pateant aures et corona sacerdotalis appareat; nec enim ea nostra mens est, ut cum in Presbyterali Ordine sis constitutus et seniles atque graves mores pro status ratione praeferre debeas, juvenile et mundanum ornamentum, quod et clericalis tonsurae et novissimorum memoriam imminuat aut penitus tollat laicisque scandalo sis, gestare valeas.* Et praescindendo a Missae celebratione non desunt ar-

gumenta a Synodis deducta pro gestatione Parruccae in casu necessitatis; in Synodo quippe Bononiensi anni 1698 lib. 3. cap. 1. prohibetur Clericis adultrinum Capillitium, sed subditur limitatio: *nisi ex causa nobis vel Vicario nostro cognita indulgendum ad tempus arbitrabimur;* et in Synodo Asculana anni 1719 cap. 20. n. 3. fictitia Coma Clericis vetatur, *nisi ex justa et rationabili causa dispensationem impetraverint.*

Promotor econtra Fiscalis Curiae Episcopalis Melphiten. excipiebat et excipit, primo: inter suae Dioecesis Clericos Parruccae gestationem esse prorsus inusitatam; secundo: unicum esse Gadaletam, qui eam audeat velle deferre; tertio: se praevidere multos alios eam esse assumpturos, si gestatio Gadaletae indulgeatur; quarto: eum prospera valetudine frui; quinto: non esse ullo modo deferendum attestationi Medicorum utpote ad placitum exaratae, et multo magis, cum in aliis rebus depraehensum fuerit eosdem Medicos nimium indulsisse genio requirentium. Addi posset, quod cuicumque morbo, cui Coma fictitia opitulari potest, aequale remedium parari valet ex usu boni pileoli, uti prosequitur *Thiers in citato tract. p. 490,* ubi refert, Innocentium IV. Monachis S. Benedicti, qui erant Canonici Ecclesiae Cantuariensis, permisisse, ut tempore Officiorum Divinorum pileolis uti possent ad morbos avertendos, quos contraxerant ex Ecclesiae humiditate Officium nudo capite recitando, et in eo demum, quod spectat ad supra relatam licentiam clar. mem. Card. Grimaldi, praetermissis responsionibus, quae ex ejus lectura facile colligi possunt et salva reverentia, quae ejus nomini et dignitati juremerito debetur, dici potest, eum suas facultates excessisse; non potest etenim Episcopus dictam concedere licentiam, uti habetur *ex canone: nullus Episcopus 57. de consecrat. dist. 1.,* et facit Decretum Generale Congregationis Sacrorum Rituum impressum in principio Missalis; ibi: *nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacunque contraria consuetudine;* et late prosequuntur *Gavant.* ad rubr. Miss. par. 2. tit. 2. de ingressu Sacerdotis ad Altare lit. F., *Theophil. Raynaud* loc. cit. §.: *Nunc econtrario; Monacell.* in formul. legal. tom. 4. p. 32 n. 14.

Anno quoque 1690 de ordine s. m. Alexandri Octavi examinatum fuit in Congregatione particulari: an *subsisteret doctrina Pasqualig de sacrificio novae legis quaest. 83., quod Missa celebrari posset cum Parrucca, licet modesta?* Et responsum fuit: *Negative,* uti habetur apud Ursayam instit. criminal. lib. 1. tit. 10. §. 4. n. 51. Tempore item s. m. Innocentii XII. Encyclicae literae ad Nuntios scriptae sunt, ut Ordinarios admonerent, ne id fieri permitterent in suis Dioecesibus, uti habetur apud Anaclet. lib. 3. tit. 1. §. 3. n. 93., et sacra haec demum Congregatio die 6. Jun. 1716 instantiam rejecit Sacerdotis supplicantis pro facultate Missam celebrandi ficto capillitio propter falsi humoris labem, qua caput laborabat.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. An Edictum Reverendiss. Episcopi substineatur? Et quatenus affirmative;

II. An sit toleranda gestatio Parruccae in casu, de quo agitur?

S. C. resp.

ad I.: Affirmative;

ad II.: Negative in casu, de quo agitur.

Die 8. Aug. 1722.

PARTICULAE S.

(Renovat.)

Vd.: *SS. Sacramentum* (renov.).

S. PASCHALIS BAYL.

(Dies festi.)

Vd.: *Calendar. Congreg. SS. Redempt.* (decr. n. 4842). *De ejus Canonis.* vd.: Bull. Innoc. XII. die 15. Julii 1691 (Bull. r. t. XII. p. 76.).

Pius PP. VI.

Nuper ad preces carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici emanavit a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris, qui sequitur videlicet:

Urbis et Orbis.

„Ad enixas piasque preces per equitem Josephum Nicolaum de Ozara nomine serenissimi regis Hispaniarum sanctissimo Domino nostro Pio PP. VI. porrectas pro extensione ad Ecclesiam universalem officii et missae de comm. conf. non pont. cum oratione et lectionibus 2. n. propriis sancti Paschalis Baylon jam adprobatis, Sanctitas Sua ad infrascripti secretarii relationem petitis benigne annuens supradictum officium cum missa in memoriam praedicti sancti Paschalis, a clero tam saec. quam regulari utriusque sexus Ecclesiae militantis, qui ad horas canonicas tenentur, quotannis die 17. Maii sub ritu duplicis minoris servatis breviarii ac missalis Romani rubricis, recitari ac respective celebrari praecepit.“

Die 13. Martii 1784.

Loco † Signi.

J. Card. Archintus praefectus
C. Airoldi S. R. C. Secretarius.

Cum autem, sicut dictus Carolus rex Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret, Nos specialem ipsi Carolo gratiam facere volentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregatione Cardinalium.

Datum Romae die 30. Mart. 1784.

(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 273. Ed. Rom. 1843.)

PASSAVIENSIS ECCLESIA.

De Pallio et cruce praeferenda Episcopo hujus Ecclesiae, vd.: *Constitut. Bened. XIII.* Cal. Jun. 1728.

(Bull. r. t. X. p. 357. Ed. Luxbg.)

PASSIO.

1) Cantor.

Caeremoniale non tollere immemorabiles et laudabiles consuetudines; et licet in eo dicatur, quod Passio in Dominica Palm. et fer. VI. Parasceve decantetur a Cantoribus, non ex hoc prohibetur, quominus a *Canonicis* decantari possit et debeat, maxime, ubi viget haec consuetudo. n. 458 die 7. Julii 1612.

Curatos Ecclesiarum paroch. ss. Jacobi et Michaëlis civitatis Hispalen. obligatos esse et teneri in die dominico Palmarum canere passionem Domini. n. 2351 die 19. Decb. 1665.

A Magistro Caerem. *Hispalen.* relatum est: In missis hebd. majoris canitur aliquando passio non solum a Subdiaconis, verum et a laicis et multoties ab uxoratis contra Caer. (lib. II. cap. XXI.) Adest etiam consuetudo, ut in missa

privata cantetur *passio*, immo et etiam sine illa; solus enim sacerdos quilibet, quin Missam celebret, exit ad altare cum omnibus paramentis, ibique adest, dum statim Passio canitur.

S. C. resp.: Abusus omnio tolli debet. n. 2811 ad 8 die 16. Jan. 1677.

Ubi non viget immemorab. consuetudo, ut Evangelium Dominicae Passionis decantetur a Canonicis Collegiatorum in Dom. Palmarum et fer. VI. Parasc., ab Episcopo cogi non possunt ad illud decantandum, non obstante, quod ex immemorab. consuetudine decantetur a Canonicis Ecclesiae Cathedr.

S. C. C. 2. Julii 1718.

Feria III. et IV. Majoris Hebdomadae canitur Passio a duobus, sed vocem Christi dat ab Altari Sacerdos celebrans.

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Permitti posse defectu Ministrorum."

Atque ita rescripsit die 10. Januarii 1852. n. 5166 ad 2.

Tres, qui Passionem sunt cantaturi, dum cantatur Epistola et Tractus, parantur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola ab humero sinistro pendente, coloris violacei, in sacristia et circa finem Tractus procedunt hoc ordine: Antecedit Caeremoniarius, tum ille, qui Evangelistae personam agit, portans sibi librum, deinde, qui turbam, ultimo, qui Christi, sequentibus tribus Capellanis cum cottis sine candelabris et sine incenso; factis altari et Episcopo reverentiis accedunt ipsi tres ad osculum manus Episcopi eodem ordine; nullam tamen petunt benedictionem; deinde descendunt ad locum, ubi cantant passionem versus cornu Evangelii seu in pulpito, secundum consuetudinem ecclesiarum. Et Capellani tres antedicti stant contra illos, quorum qui est medius, tenet librum, quem inter se mutuant aequali spatio, dum recitatur Passio, prout Caeremoniarius eos prius admonuit et in ipso actu, cum tempus est, eisdem significat nutu.

Caer. Ep. l. II. cap. XXI. n. 14. 15.

Dum cantatur Tractus tres Capellani seu Cantores, qui Passionem *(in Parasc.)* sunt cantaturi, parantur in Sacristia in habitu diaconali praeter dalmaticam, prout in Dom. Palmarum, coloris tamen nigri; circa finem Tractus procedunt eodem ordine cum tribus Capellanis sine candelabris et incenso et cantant Passionem, sed non osculantur manum Episcopi.

Ibid. cap. XXV. n. 16.; XXVI. n. 4. Vd.: ***Oscul. in Parasc.***

Lucana.

(Conc. Fr. C. 12. S. 24. De ref.)

Episcopus Lucanus in actu Visitationis Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini Terrae Petrae Sanctae decretum fecit, quod in ea caneretur Evangelium Dominicae Passionis Dominica Palmarum aliisque diebus majoris hebdomadae, illis modo et forma, quibus canitur in Cathedrali Ecclesia, hoc est, quod Dominica Palmarum et Feria sexta in Parasceve caneretur a Canonicis et Feria tertia et quarta caneretur a Capellanis, ita enim practicari audiri in Cathedrali Ecclesia Lucana et hoc ipsum observatur etiam in nostra Basilica Vaticana; utque Decretum suam haberet executionem, idem Episcopus ultra mulctam scutorum decem locis piis applicandam, in casu contraventionis poenam apposuit suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae.

Contendunt Canonici Decreta haec nullatenus subsistere, tum quia ipsorum Ecclesia fuit erecta in Collegiatam anno 1673 et Testes deponunt Evangelium Dominicae Passionis fuisse ab eo fere tempore cantatum non a Canonicis sed a Capellanis, tum quia, cum Canonici sint sex et in Dominica

Passionis Missa cantetur a Praeposito, cui duo Canonici Diaconus et Subdiaconus ministrare tenentur, si tres alii Canonici canere deberent Passionem, unus tantum ex Canonicis in Choro remaneret, quod videtur absurdum.

Additur, quod in Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 25. pagina: mihi 326 dicitur, quod Episcopo celebrante illique assistentibus duobus Canonicis, Diacono et Subdiacono, Feria sexta in Parasceve Passio canatur a tribus Capellanis seu Cantoribus habitu diaconali indutis, quod ipsum legitur lib. 2. cap. 26. p. 387; cumque in Sacrorum Rituum Congregatione alias disputatum fuerit: an admittenda esset consuetudo immemoralibis Cathedralis Viterbiensis, in qua, Episcopo eoque impedito celebrante Missam prima Dignitate, Canonici canere consueverant Passionem Dominia Palmarum et Feria sexta in Parasceve, ex quo Caeremoniale obstat huic disciplinae?

Sacra Congregatio die 7. Julii 1612 respondit: Caeremoniale non obstare et servandam esse laudabilem praedictam consuetudinem. Eadem Sacra Rituum Congregatio immemorabiles et laudabiles consuetudines Ecclesiarum per Caeremon. non prohibuit, et licet in eo dicatur, quod Passio in Dominica Palmarum et Feria sexta in Parasceve decantetur a Cantoribus, non ex hoc prohibetur, quominus a Canonicis decantari possit et debeat, maxime ubi viget consuetudo, quod a Canonicis decantetur, prout viget in Civitate Viterbiensi, quam consuetudinem omnino servandam esse censuit et declaravit.

Ex his etenim sequi videtur, quod cessante consuetudine Passio non sit a Canonicis canenda.

Adversus autem hanc Canonicorum praetensionem pugnat animadversio, quod inferiores Ecclesiae se uniformare debent in sacris Caeremoniis stylo Cathedralis, cumque in Cathedrali Ecclesia Lucana Evangelium Dominicae Passionis cantetur a Canonicis Dominica Palmarum et Feria sexta majoris hebdomadae, idem etiam erit observandum in Collegiata Ecclesia, de qua nunc agitur. Cum Canonici Collegiatae dedignari non debeant facere id, quod fit a Canonicis Ecclesiae Cathedralis, uti ponderat Episcopus in sua informatione,

dignabuntur ergo EE. VV. decernere: *An Decreta, de quibus agitur, sint exequenda in casu?*

S. C. C. resp.: Negative et amplius. Die 2. Julii 1718.

2) Qui non debent cantare?

Per Vicarium Generalem Terlitii Nullius seu Juvenacen. Dioecesis S. R. C. exposito: quod Moniales Monasterii S. Clarae Terrae praedictae in Dominica Palmarum et Feria sexta in Parasceve majoris hebdomadae proxime praeteritae ausae fuerint juxta morem Collegiatarum et aliarum Ecclesiarum tam saecularium quam regularium in Missis solemnibus in earumdem Ecclesiis celebratis turbam repraesentantes cantare in Passione partem ad turbam spectantem, S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare:

An dictis Monialibus praedicta liceant? et quatenus negative: qua poena veniant puniendae?

Et eadem S. R. C. respondit:

„Prohibeat sub poena suspensionis et in posterum non permittat."

N. 3745 die 17. Junii 1706.

Vd.: *Pass.* (Cant. decr. n. 2811.)

3) In Diebus Quadrag.

Culmen.

Bellis, incendiis et vastationibus eversa atque attrita Culma Urbs intra fines Borussiae in quamdam quasi solitudinem conversa est: Qui pura fidei

praecepta servent ad sexcentos redacti; unica quae superfuit Parochialis et Mater Ecclesia damna tulit quam plurima: Sacerdotes et Ministri eam deseruerunt, pavimentum, scamna et sacra supellex attrita erant et absumpta, superstite tantum Sacerdote, qui Parochi munera ferret. Culmenses Episcopi, ut Ecclesia pristino splendori restitueretur, eam Patribus Congregationis Missionis concesserunt, qui veteri, in quo jacebat, squallore deterso, quantum temporis iniquitas patiebatur, ad antiquum genium et primam dignitatem eam revocarunt, restituto pavimento, parietibus incrustatis, scamnis constructis et renovato ornatu et vestibus sacris: deerat, ut populi frequentia et erga matrem cultus revocaretur. Episcopi in Visitatione editis Decretis restituerunt jus privativum canendi lamentabilem Sanctissimi Salvatoris nostri Jesu Christi Passionem diebus Dominicis Quadragesimae, quod jus ob Ecclesiae Matris miseram conditionem Patribus Dominicanae et Franciscanae Familiae, primis Feria quarta, aliis vero sexta permissum fuerat, canebantque Polonica lingua et ritmico versu contextam Passionem. Paruere Decretis Franciscani, recusarunt Dominicani, impetrata inhibitione a Nunciatura Polonica, qua vetebatur Patribus Missionis, ne canere pergerent Passionem diebus dominicis; obtinuerunt tamen Patres Missionis, ut inhibitio revocaretur et utraque Ecclesia Parochialis nempe et Sancti Dominici stetit in possessione canendi; sed putantes Patres Missionis obstare legem Tridentini, quae, sublata quacumque etiam immemorabili consuetudine, jus asserit Parochialibus Ecclesiis Sacrorum solemniter agendorum et populum Sacro eloquio, piis precibus aliisque ritibus ad pietatem pertinentibus, docendi et pascendi, expedito coram A. C. Monitorio prohibuerunt Patribus Dominicanis, ne possessionem servarent canendi. Nihil permoti Dominicani incoeptum cursum tenuerunt, donec oblato a Patribus Missionis Libello Sacratissimo Principi Nostro data fuit hujusce rei cognitio Amplissimis Patribus, a quibus auditus, ut fieri solet, Episcopus Culmensis, hic secundum Patres Missionis et Parochialem Ecclesiam respondit. Proponitur nunc itaque Dubium: *An liceat Patribus Sancti Dominici canere in diebus Dominicis Quadragesimae Passionem Domini Nostri Jesu Christi, sive potius id privative spectet ad Ecclesiam Parochialem Congregationis Missionis et in Feria quarta ad dictos Patres Dominicanos in casu?*

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 19. Novb. 1746.

4) Episcop. et Clerus infra Passionem.

Episcopus assistens paratus vel cum cappa Missae Palmarum, cum non possit stare, dum cantatur tota Passio, non debet sedere neque genuflectere et in casu impotentiae debet abstinere ab interventu saltem missae. n. 3786 ad 3 die 28. Apr. 1708.

Vd.: *Episcopus assistens missae sol.*

Episcopus celebrans et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt et stant (in Parasc.) detecto capite usque ad ejus finem; et Episcopus apud altare *in cornu Epistolae* legit Passionem usque ad finem versus aliquantulum ad ipsos Canentes et Ministri s. stant juxta Episcopum, dum legit Passionem, pro situ loci in plano ordine suo. Ad verba: *Et inclinato etc.* Episcopus et omnes in locis suis genuflectunt.

Caer. Ep. l. II. c. XXV. n. 17. 18.

Celebrans, Episcopus assistens et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt

et stant detecto capite usque ad ejus finem.

Ibid. c. XXVI. n. 5.

Cum Passio inchoatur, Celebrans cum suis assistentibus legit Passionem tenens palmam in manibus et stans in cornu Epistolae; Episcopus assistens et *omnes* surgunt detecto capite palmas manibus tenentes usque ad finem Passionis. Dum recitatur: *Jesus autem etc.*, Episcopus in sua sede et omnes in suis locis genuflectunt, etiam ipsi Cantores et Capellani.

Caer. Ep. l. II. c. XXI. n. 16.

Cf.: *Palma.*

5) Ubi legenda?

a) Ab Episcopis.

Vd.: *Passio* (Episcop. et Clerus etc.)

b) A Presbyteris.

Sacerdotes in missis *privatis* Passionem D. N. non a cornu Epistolae sed a cornu Evangelii recitare debent. n. 1523 ad 2 die 26. Novb. 1644; n. 2241 ad 1 die 4. Aug. 1663.

Celebrantem in die Palmarum legere debere *Evangelium* in cornu Evangelii, *Passionem* vero in *cornu Epistolae* etiam coram Episcopo, ut praescribit Caer. lib. II. cap. XXI. n. 879 ad 3 die 28. Sept. 1630.

Ad dubium: An iis in Ecclesiis, in quibus ob Sacerdotum defectum Celebrans in hebdomada majori decantare cogitur partem Passionis, illam decantare debeat in cornu Evangelii?

Emi itaque ac Rmi P. ... rescribendum censuerunt:

„Affirmative."

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 2 die 12. Martii 1836.

Ad dubium: An in Missa Conventuali sive cantata sive plana Passio legi debeat in cornu Epistolae?

Emi itaque ac Rmi P. ... rescribendum censuerunt:

„In Missa solemni tantum."

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 3 die 12. Martii 1836.

Vd.: *Passio* (Cantor.).

Celebrans (non Episcopus) stat apud altare in cornu Epistolae et legit secrete Passionem usque ad finem versus aliquantulum ad ipsos canentes Passionem.

Caer. Ep. l. II. cap. XXVI. n. 5.

Vd.: *Pass.* (recit. etc.)

6) Recitanda ex oblig. testament.

Relicto Bano cum onere ... terminata missa post Evangelium: „*In principio etc.*" recitandi *Passionem secundum Joannem*, supplicavit Capitulum Colleg. Rosigliani Dioecesis Conversanen. pro declaratione: an dicta Passio recitanda sit post dictum Evangelium alibi per Celebrantem?

S. C. resp.: Recitandam esse post finem missae, exutis vestibus sacerdotalibus et cum sola cotta in altari vel in Sacristia. n. 2490 (sine dato; verissimile 31. Aug. 1669.).

De tempore, cujus initii memoria non extat, Capitulum Collegiatae Aquaevivae in districtu Dioecesis Baren. Legatum habet ex traditione cum adjuncto onere Sacerdoti conventualem Missam celebraturo recitandi Passionem D. N. J. Chr. secundum Joannem singulis diebus a die Festo Resurrectionis Domini usque ad Festum S. Lucae Evangelistae: dum autem id constanti traditione fertur, fundationis documenta omnino deficiunt et ritus istiusmodi nedum Ecclesiasticae Liturgiae incongruus sed etiam Capitulo nimis gravis videtur, supplices ideo Capitulum et Canonici SSmo D. N. Pio VII. P. M. dederunt preces postulantes dicti oneris absolutionem seu dispensationem. Et S. S., attentis expositis aliisque pecu-

liaribus circumstantiis, Capituli Oratoris precibus ita annuendum esse censuit, ut singulis Feriis VI., conventuali Missa absoluta, Celebrans, sacris vestibus in Sacristia depositis ac supperpelliceo tantum indutus legat D. N. J. Chr. Passionem secundum Joannem in adimplementum dicti oneris, quaecumque fuerit illius origo; exceptas tamen ab hac lege voluit Ferias VI. occurrentes infra Octavas privilegiatas vel in quibus fiat Officium de Festo duplici I. vel II. cl. vel et quandoque de Vigilia Nativitatis D. N. J. Chr., in quibus pro oneris implemento sat erit specialis in Memento mortuorum commemoratio pro fundatore vel fundatoribus. Quod si in fundatione habeantur clausulae et conditiones, quae derogatione et dispensatione indigeant, iisdem per praesentem commutationis formam derogavit ac dispensavit. Quibuscumque in contrarium facientibus minime obstantibus.

N. 4567 die 11. Julii 1820.

PATENA.

1) In Communione Fidelium.

Patenae suppositionem per Sacerdotem, cotta indutum, in Communione gener., quae per Dignitates agitur, retinendam (in Ecclesia Cath. Andrien.). n. 2127 die 3. Sept. 1661.

Celebrans, qui non habet usum pontificalium, in distribuenda s. Communione non potest sibi teneri facere per Subdiaconum patenam. n. 2791 ad 2 die 13. Junii 1676.

Vd.: *Assistens Sacerdotis noviter consecrati.*

2) Consecratio a Sacerdote.

Vd.: *Oleum s.* (Consecr. et temp., decr. Pii VI. t. II. p. 425.)

3) Crux.

Signum cum Patena faciendum est a Sacerdote a fronte ad pectus, id est, signum integrum crucis, dum dicit Orationem: *Libera nos quaesumus Domine.* n. 677 ad 4 die 13. Mart. 1627.

4) Defert. a Subdiacono.

Ad dubium: an Subdiaconus praeterquam in Missis defunctorum et Feria VI. in Parasceve Patenam tenere debeat?

S. C. resp.: *Nihil inovari.* n. 2082 ad 2 die 20. Novb. 1660.

Ad idem dubium S. C. resp.: *Archiepiscopus provideat.* n. 2083 ad 2 die 11. Decb. 1660.

Ad dubium: Utrum in II. et III. Missa cantata in die Nativ. Dom. Subdiaconus debeat sustinere Patenam, quum ipsa prius superposita fuerit Calici nondum purificato et reservato in Tabernaculo post I. Missam vel potius eam relinquere super Corporale et agere ut in Missa pro Defunctis?

S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Sustinendam esse de more Patenam."

Atque ita rescripere rata est et declarare. n. 5111 ad 6 die 11. Sept. 1847.

Vd.: *Subd.* (tenet Pat.)

5) Execratio.

Vd.: *Execratio calicum etc.*

6) Osculum.

Post signum crucis factum dicta oratione: *Libera nos quaesumus Dom. etc.* Patenam esse deosculandam. n. 677 ad 4 die 13. Mart. 1627.

Patena osculanda est a Celebrante, cum dicitur: *Da pacem etc.*, in extremitate seu ora Patenae congruen-

tius. n. 3025 ad 5 die 24. Julii 1683.

Cf.: *Osculum in porrig. Patena etc.; Osculum* (in Parasc.)

PATER NOSTER.

In Officio.

Vd.: *Officium* (Pater noster.).

PATER REVERENDE.

Vd.: *Reverend.*

PATRIA SANCTORUM.

Vd.: *Cognomina Sanctor.*

PATRIARCHAE RELIGIONUM.

Qui sunt?

Ad dubium: Quinam pro Patriarchis Religionum intelligendi sunt?

S. C. resp.: Intelligendos esse illos, de quibus Ecclesia Cathol. celebrat Officium et Missam. n. 4247 ad 3 die 7. Sept. 1754.

S. PATRICIUS.

Quid mutandum in ejus missa? Vd.: *Missale* (Correctio D. n. 22.).

PATRINUS.

Vd.: *Assistens; Presbyter assist.*

PATROCINIUM S. JOSEPH.

1) Antiphonae.

Vd.: *Patroc. s. Jos.* (transl. decr. n. 4442 ad dub. 2.)

2) Festum.

Urbis et Orbis.

Inclytus Patriarcha Joseph, quem Omnipotens Pater singularibus gratiis auxit ac charismatibus coelestibus abunde cumulavit, ut unigeniti Filii sui putativus Pater esset ac verus Sponsus Reginae Mundi et Dominae Angelorum, tam sublimis electionis partes omnes muniaque adeo perfecte explevit, ut boni fidelisque Servi encomium meruerit et praemia. Etenim memor semper praecellentis dignitatis suae ac sanctitatis nobilium officiorum, queis a Divina Sapientia praeficiebatur, ipsius Dei consiliis et voluntati alacritate propemodum inenarrabili in omnibus indesinenter paruit placensque Deo factus est dilectus, donec gratia et honore coronatus in Coelis novum susciperet officium, nimirum ut copiosis meritis et orationis suffragio miserrimae subveniret hominum conditioni, atque validissima intercessione, quae possibilitas humana obtinere nequit, Mundo impetraret. Hinc passim misericors veneratur ad Deum Mediator efficaxque Patronus, ejusque Patrocinii Festum cum Officio ac Missa longe lateque instituitur Dom. III., quae a Paschalibus gaudiis occurrit. Verum quod unum adhuc exoptandum supererat, nimirum ut Officium Patrocinii S. Joseph de praecepto ad universalem extenderetur Eccl., id Emus et Rmus D. Card. Constantinus Patrici a SS. D. N. Pio Papa IX. humillimis precibus proprio et aliorum S. R. E. Card. ac quamplurium etiam exterorum Fidelium nomine porrectis enixe imploravit. Quas quidem preces apprime conformes singulari pietati suae erga S. Josephum Apost. Benignitate excipiens SSmus idem D., referente subscripto S. R. C. Secretario, benigne in omnibus annuit praecepitque ut deinceps ab utroque Clero Urbis et Orbis sub ritu dupl. II. Cl. persolvatur Officium proprium cum Missa Patrocinii S. Joseph Dom. III. p. Pascha, qua impedita alio Officio potioris ritus vel majoris dignitatis, indulsit, ut Officium

Patrocinii S. Joseph transferatur ad primam diem liberam juxta Rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5098 die 10. Sept. 1847.

Pius PP. VI.

Cum, sicut Venerabilis frater modernus Archiepiscopus Burgensis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad augendum erga sanctum Josephum sponsum beatae Mariae virginis cultum et devotionem in suis civitate et dioecesi Burgensi officium Patrocinii ejusdem sancti Josephi tertia dominica post Pascha, uti die propria et fixa, translatis ad aliam diem officiis etiam altioris ritus quotannis celebrari posse summopere cupiat, Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum in civitate et dioecesi Burgensi praedictis, officium Patrocinii sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis semper celebrari possit dominica tertia post Pascha, uti die propria et fixa, translatis ad aliam diem officiis etiam altioris ritus, quae in supradicta dominica occurere possunt auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 5. Febr. 1790.

(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 388. Ed. Rom. 1843.)

3) Missa.

Quid mutandum?

Vd.: *Missale* (Correctio, D. n. 29.).

4) Missa in casu translationis.

Vd.: *Missale* (Correctio, dub. XII.).

5) Off. votivum.

Pius PP. VII.

Decanum et Capitulum Cath. Eccles. Popajanensis specialibus gratiis et favoribus gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum *a clero Cathedralis Ecclesiae Popajanensis officium proprium cum missa Patrocinii s. Josephi* beatae Mariae virginis sponsi, ritu tamen semiduplici, in quolibet die decima nona mensis non impedito tamen officio novem lectionum, exceptis temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum sive cum jejunio sive absque jejunio, feria secunda rogationum et illis feriis, in quibus juxta rubricas sit reponendum officium dominicae aut festi translati recitari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 24. Sept. 1805.

(Bull. r. Continuat. t. XII. p. 384.)

6) Translatio et Omissio.

Vd.: *S. Philipp. et Jacob.* (vesp.); *Sept. dolor. B. V. M. in mense Sept.* (decr. n. 4516); *Credo in missa transl. Patroni.*

Supplicantibus Carmelitis Congreg. Hispan., ut praeferatur festum Patrocinii s. Joseph festis Apostolorum et Evangel. attenta solemnitate maxima et maxime attenta dignitate personae s. Joseph supra apostolos, S. C. resp.: *Negative.* n. 4401 ad 18 die 16. Febr. 1781.

Vd.: Infra decr. n. 4110 et 4143, 5117 et n. 5113 ad 1 die 11. Septb. 1847.

Ad dubium 1.: Cum in Hispania universa ex concessione Apostolica recitentur Officia Patrocinii S. Joseph Dominica tertia post Pascha et Dolorum B. M. V. Dominica tertia Septembris, si aliquo anno impediantur Festo altioris ritus, quaeritur: Utrum transferri possint in primam diem non impeditam, an potius debeant eo anno omitti?

2.: Et quatenus affirmative ad primam partem, quaeritur ulterius: An,

si Festum Patrocinii extra tempus Paschale transferri contingat, deficientes Antiphonae Nocturnorum suppleri debeant de communi vel potius, omissis assignatis pro tempore Paschali, debeant omnes assumi ex alio Festo 19. Martii?

S. eadem Congregatio, exquisita sententia R. P. D. D. Apostolicarum Caeremoniarum Praefecti, referente Emo et Rmo Dom. Cardinali Salviati, respondit

Ad 1.: „Affirmative ad primam partem*), Negative ad secundam."

Ad 2.: „Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam."

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4442 ad 3 et 4 die 11. Septb. 1790.

Quum ex Indulto apost. domin. 3. post Pascha celebretur in Collegiata Nissae festum ss. mm. Aureli etc. ob eorum s. reliquias hic conditas sub ritu dupl. 2. cl. solemniter et si in eadem dominica occurrat in Calend. Dioeces. celebrari festum Patrocinii s. Joseph sub ritu dupl. min., exoritur dubium: an Officium de Patrocinio s. Josephi ob conformitatem cum Dioecesi rom. transferri perpetuo possit in domin. 4. proxime sequentem post Pascha, vel plane quotannis omitti debeat aut in aliam diem stabilem transferri et in quam?

S. C. resp.: Festum ss. mm. Aurelii etc. esse celebrandum in dom. 3. post Pascha et pro festo Patrocinii s. Joseph esse assignandam perpetuo dom. 4. post Pascha et quoties haec sit impedita, transfer. esse Patrocinium ad primam diem non impeditam juxta rubricas. n. 4445 ad 2 die 11. Sept. 1790.

Ad dubium: Per decretum 26. Januarii 1793 in Santanderien. ad dubium 19. declaratur, quod in festo dupl. min. Patrocinii S. Joseph attendi debeat ejusdem dignitas in concurrentia alterius festi dupl. min., etiamsi hoc fuerit festum primarium, ita ut in casu debeantur vesperae integrae Patrocinio s. Josephi cum commemoratione tantum alterius festi. Hinc dubitatur: An dignitas s. Josephi attendi debeat in ejusdem festo Patrocinii, ubi habet ritum 2. class. et concurrit cum festo alicujus Apostoli seu Evangelistae, quin jam obstet Rubrica 127. Breviarii Romano-Seraphici noviter reformati?

S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emi et Rmi D. Card. de Somalia Urbis Vicarii, dictae Congregationis Praefecti et Ponentis, rescribendum censuit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Et ita declaravit. n. 4474 ad 14 die 2. Maii 1801.

Vd.: *infra decr. n. 5117.*

In Ordine Carmelitar. excalceatorum celebratur festum Patrocinii s. Josephi Ordinis Protectoris Dominica III. post Pascha sub ritu dupl. 1. class. cum magno apparatu et externa solemnitate: occurrit aliquando in dioecesi Bracharensi eodem die festum s. Petri de Rates, ejusdem dioecesis Patroni, a PP. Carmelitis celebrandum cum ritu 1. class. sed absque apparatu et externa solemnitate. Quaeritur primo: An in tali occursu transferri debeat festum S. Petri de Rates, an potius festum Patrocinii s. Joseph? Si vero responsum detur, quod transferatur festum Patrocinii s. Joseph, quaeritur secundo: an translatis iisdem duobus festis, scilicet s. Petri de Rates et Patrocinii s. Joseph in Conventu Monialium Carmelitar. excalceatorum Oppidi Viannae propter festum fugae B. M. V. Conventus Titularis eadem

---

*) Vd.: Decr. n. 4110 die 22. Apr. 1741; n. 4366 ad 1 die 4. Sept. 1773.

die quandoque occurrens, praeferendum sit postea in repositione festum Patrocinii s. Joseph, eo quod jam cessaverit quoad forum solemnitas s. Petri de Rates?

S. C. resp.: „Faciendum de festo s. Petri de Rates Patroni principalis; transferendum illud Patrocinii S. Joseph.“ Ad secundum vero quaesitum ejusdem dubii: „Servandas esse Rubricas generales de translatione festorum.“ n. 4487 ad 5 die 14. Maii 1803.

Ad dubium: Utrum festum Patrocinii s. Joseph, quod celebratur 3. dom post Pascha sub ritu dupl., sit transferendum ad aliam diem, si in eadem dominica occurat aliquod festum ritus superioris?

S. C. resp.: De translatione festi Patrocinii S. Joseph censuit transferri posse sed decrevit, ut pro die festo Episcopus (Hispalen.) assignet certam aliquam diem, quae non sit dominica fixa. n. 4039 ad 2 die 26. Nov. 1735.

Haec declaratio facta pro regnis Hispaniae valet etiam pro aliis regnis, quibus idem Officium concessum est. n. 4198 ad 2 die 11. Jan. 1749.

Quando Dominica 3. post Pascha, cui affixum est festum Patrocinii s. Joseph 2. cl., occurrit festum altioris ritus ut in regno Poloniae ss. Adalberti et Stanislai MM., utrumque ad populum celebre 2. cl. cum octava, faciendum est Officium de s. Adalberto M. sive de s. Stanislao M. in regno Poloniae aliquando occurrens in dom. 3. post Pascha cum facultate transferendi festum Patroc. s. Joseph in primam diem non impeditam, quae tamen non sit dominica. n. 4110 ad 1 die 22. Apr. 1741.

Ad dubium: Quando dom. 3. post Pascha occurrit festum s. Marci Ev. vel ss. ap. Philippi et Jacobi, debeatne Patrocinium s. Joseph transferri?

S. C. resp.: Pro gratia; potest transferri in diem non impeditam sed extra dominicam. n. *4110* ad 2 die 22. Apr. 1741; n. *4366* ad 2 die 4. Sept. 1773.

Attenta dignitate personae, licet aequalis sit ritus inter festa s. Marci et ss. app. Philippi et Jacobi, Officium de Patrocinio s. Josephi est recitandum, si cum praedictis solemnitatibus occurrat. n. *4143* ad 1 die 11. Maii 1743.

Et Patrocinio s. Joseph concurrente cum dictis festis, vesperae non sunt dimidiandae sed integrae persolvendae de Patrocinio attenta ratione superius allata. *Ibidem* ad 2; sed juxta decretum n. *4395* ad 11 die 18. Decbr. 1779 tam in occurrentia quam in concurrentia horum festorum vesperae integrae debentur apostolis et evangelistis.

Patrocinium s. Joseph *non habens locum in dom. 3. post Pascha* ob occurrentiam alicujus festi altioris ritus vel dignitatis pro eo anno omittetur, ex novissimo decr. in Einsidlen. 5. Maii 1736. n. 4143 ad 3 die 11. Maii 1743; n. 4271 die 16. Julii 1757.

Vd. infra decr. n. 5117.

Ad dubium: Festum Patrocinii s. Joseph celebratur in Ord. Seraphico dom. 3. post Pascha sub ritu dupl. 2. cl.; postea vero pro omnibus Ecclesiis Portugalliae exiit recentior concessio moderniori et correctiori Officio decorata sub eodem ritu pro dom. 2. Octobr. Quaeritur: an Provinciae Seraph. Ordinis in Lusitania existentes debeant se conformare cum clero et aliis Ordinibus tam in Officio novo quam in die pro Regno assignata? et quatenus negative: an Provincia, quae a primo anno Regni indultum recepit, possit deinceps sic permanere et ipsi Regno se conformare? S. C. resp.: Affirmative in omnibus. n. 4395 ad 10 die 18. Dec. 1779.

Neapolitan.

Dum Emus et Rmus D. Card. Xystus Riario-Sforza Archiep. Neap. inter

sibi commissum clerum non unam deprehendit sententiam in designatione Officii Divini, quando Dom. III. post Pascha, cui sub ritu dupl. 2. cl. affixum est Officium Patrocinii s. Joseph sponsi B. M. V., incidit, sicut anno vertente, 7. Kal. Maii, S. Marci Ev. natali die sub ritu pariter dupl. 2. cl. recurrente, ac alii innixi Decretis S. R. C. 5. Id. Julii 1743 in Senen. et 7. Kal. Febr. 1793 in Santandariensi praecedentiam concedant Officio Patrocinii S. Joseph, ac alii e contra juxta sancita de anno 1781 14. Kal. Martii asserant persolvendum de s. Marco Ev.; pastoralis sui muneris esse duxit S. eidem R. C. sequentia duo dubia proponere, ut cuicumque ulteriori opinionum varietati via penitus praecludatur, nimirum:

1. Cuinam ex praefatis Decretis in simili occurrentia sit inhaerendum seu quodnam ex enunciatis festis simul occurrentibus sit praeferendum?

2. An in casu quod standum sit Decreto de anno 1781 edito, an novissimum Decretum anni 1793 saltem de sola occurrentia intelligendum sit?

Super quibus dubiis a Secretario fideliter de more relatis in Ordinariis S. R. Comitiis ad Quirinales Aedes hodierna die habitis diligenti instituto examine S. ipsa C. rescribere rata est

Ad 1.: „Standum esse Decreto diei 16. Febr. 1781."

Ad 2.: „Intelligendum de occurrentia et concurrentia simul."

Atque ita rescripsit et declaravit. N. *5117* die 11. Sept. 1847.

PATROCINIUM B. V. M.

1) Festum.

Vd.: *Missa vot. B. V. M.* (in Sabb., decr. Pii VII. die 22. Junii 1819).

Benedictus XIII. benigne concessit, ut in toto Statu eccl. ab omnibus, qui ad horas canonicas teneantur, Patrocin. B. V. M. dom. 2. Novbr. cum Off. et Missa sub ritu dupl. maj. celebrari debeat. S. R. C. 23. Aug. 1725, 15. Sept. 1736.

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater Archiepiscopus necnon dilecti filii Presbyteri et homines civitatis de Guatimala in Indiis Occidentalibus Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Deiparam praeseferunt, affectu, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in perpetuum *pro eadem civitate et dioecesi de Guatimala* ritum Officii Patrocinii Beatae Mariae Virginis *a duplici majori ad duplicem secundae classis sine octava* elevari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 3. Mart. 1796.
(Bull. r. Contin. t. X. p. 1.)

2) Missa in casu transl.

Vd.: *Patr. B. V. M.* (transl., decr. n. 4549 *nota*).

3) Translatio.

In Hispaniis Patrocinium B. V. M. sub dupl. maj. in dom. 2. Novbr., ab Ordinario assignata, celebratur. Quaeritur: si eveniat octava Omn. SS. vel alterius Sancti, qui habet octavam, vel aliud festum classicum dignius, adeo ut octava transferri non debeat, nec per commemorationem transire possit, an festum alia dominica ejusdem mensis vel prima die non impedita infra hebdomadam celebretur?

S. C. resp.: *Officium* de octava, festum vero Patrocinii illo anno omittatur quoad Officium; quo vero ad *missam* possunt cantari duae, altera de octava, altera de festo. n. 2223 ad 1 die 16. Junii 1633; n. 3547 die 23. Jan. 1700.

Cadente in Hispania Officio Patrocinii B. V. M. ex ap. Ind. celebrando dom. 2. Novbr. in die octava Omnium SS. faciendum esse Offic. de octava et Offic. Patrocinii non esse transferendum sed eo anno omittendum. n. 2395 ad 2 die 13. Septbr. 1692.

Cf.: *Transl. festor. B. M. V. ejusd. ritus* (decr. de die 22. Julii 1848); vd. inf. decr. n. *2602*; 2558 et 3038, *3040*, *4442*, *4102*.

Diem dominicam semel statutam ab Ordinario pro celebranda in regnis Hispaniarum festivitate Patronatus B. V. M. ad formam privilegii ultimo loco concessi variari non posse. Et cadente dicta die dominica aliquo festo sub ritu duplici esse transferendum festum suapte natura transferibile, nempe appositum in Breviario. n. 2413 ad 3 die 2. Apr. 1667.

In Hispania celebratur festum Patrocinii B. V. M. in dominica 2. Novbr. sub ritu dupl. maj., attamen in dicta dominica aliquibus annis et in praesenti occurrit octava dies festivitatis Omn. SS.; dubitatur, quid faciendum?

S. C. resp.: Fiat Officium de B. V. Maria Patrona cum commem. octavae. n. 2558 die 12. Sept. 1671.

Ad idem dubium S. C. n. 3038 ad 1 die 2. Octbr. 1683 resp.: *Assignetur tertia dominica.*

Ad preces Caeremoniarii Cathedralis *Conchen.* S. C. declaravit: Transferenda est festivitas Patrocinii B. V. M. ad primam diem non impeditam Officio 9 Lect., quando in 2. dominica Novbr. occurrit octava SS. n. 2602 ad 1 die 3. Sept. 1672.

Pro Ecclesia Cath. Lycien. ultima ex dominicis a Pentecoste usque ad Adventum pro Officio Patrocinii B. V. M. assignata est, sed hoc anno eadem dominica occurrat festum Praesentationis B. V. M. sub eodem ritu. Quid agendum?

S. C. resp.: Prafatum Officium, si in dominica assignata recitari nequeat, non est transferendum sed eo anno omitti debet. n. 3172 ad 3 die 25. Sept. 1688.

Quando festum Patrocinii B. V. M., quod in dominicis decernitur celebrandum, impeditur aliquo festo dupl. 1. vel 2. cl. vel dupl. maj. vel de octava, eo anno omittendum est vel recurrendum pro assignatione alterius dominicae ad S. C. n. 3040 ad 4 die 20. Novbr. 1683.

Ad dubium: Cum ex apostolica concessione in omnibus dominiis Hispaniarum regi subjectis celebretur ritu dupl. maj. festum Patrocinii B. M. V. in aliqua dominica Novembris ab Ordinario loci designanda, quae in dioecesi Barcinonensi aliisque est dominica secunda ejusdem mensis, si in eadem dominica occurrat dies octava S. Severi Episcopi et Martyris Patroni principalis, quaeritur: Utrum recitandum sit Officium Patrocinii B. M. V. cum commemoratione octavae, an potius Officium de octava, translato vel omisso pro anno illo Officio Patrocinii?

S. eadem C. resp.: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; Officium vero Patrocinii non omittendum sed transferendum in primam diem non impeditam juxta Rubricas."

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4442 ad 5 die 11. Septbr. 1790.

Stante concessione recitandi Officium B. V. M. dominica Novbr. ab Ordinario loci assignanda, quaeritur a Cathedrali Nolanae: si per totum praefatum mensem a duplicibus 1. cl. cum octavis dominicae sint impeditae, Officium Patrocinii in hoc casu omittendum re-

citandumque in octava an vero transferendum?

S. C. resp.: Pro gratia transferendi servatis rubricis de translat. festorum. n. 4102 ad 1 die 1. Octbr. 1740.

Ad dubium PP. Minor. in Angelorum provincia: an in festo Patrocinii B. V. M., cum transfertur ad Adventum, Officium sumi debeat ex dicto tempore vel potius de festo B. V. M. ad Nives? Et cum in aliquibus Breviariis in Antiphona ad *Magnif.* et Resp. 8. legantur: *Tuum s. Patrocinium*, et in aliis: *Tuam s. Festivitatem:* quaeritur: Quaenam ex his duabus lectionibus amplecti debeat?

S. C. resp.: Nihil imutandum praeter IX. Antiphon., subrogatur *Angelus Dom. etc.* et ℣. Gradualis in Missa. In Antiphona et Respons. legendum: *Tuum s. Patrocinium.* n. 4549 ad 6 die 25. Aug. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Cum festum Patrocinii B. M. V. non ad ullum Mysterium referatur, sed ideo institutum fuerit, ut ejus meritis et precibus nobis Deus propitius fiat, peculiarem et propriam non habet Missam sed illam ex Votivis, quae tempori convenit. Quoniam autem pro eo recolendo statuta est vel dom. 2. Novbr. vel alia certa dies intra eumdem mensem, bene stat, quod ex Votivis legi illa debeat, quae in Missali assignatur, videlicet *a Pentecoste ad Adventum,* quin aliqua tradita fuerit regula pro casu translationis ad tempus *Adventus;* nec proinde decisum, utrum hoc adveniente casu eadem retinenda sit Missa, an potius in aliam temporis propriam commutanda. Nam Decretis S. R. C. festa, quae sunt certis affixa diebus, dum impedimentum occurrit, omitti debent non transferri. Sed haec regula quoad festum Patrocinii modo fallit, quia in aliquibus locis gaudet translatione ac praesertim in statu ecclesiastico, ubi in praecepto est ex lege lata a *S. M. Benedicto XIV.*, ideo quandoque accidit (in iis praesertim Ecclesiis, quae Officiis novem Lectionum abundant), ut, impedita *dominica 2. Novbr.* ob decursum vel octavae Omn. Sanctorum vel festi altioris ritus, solemnitatis Patrocinii translatio protrahi debeat usque *ad Adventum.* Quae igitur Missa erit legenda? Id nondum declaratum fuerat a S. R. C., quia ad hanc usque diem quaestionem hanc definiendam nemo proposuit, et quamquam Editor Calendarii Clericorum Regularium Minorum Villae Matriten. sollicitus fuerit de Vesperis ordinandis in concurrentia festi Patrocinii translati cum festo Expectationis Partus B. M. V., ut *ex Decreto 7. Martii 1779*, non ullum movit dubium quoad Missam. Haec igitur quaestio enodanda supererat. Itaque cum, ut principio notatum est, hujusmodi festum neque ad peculiare Mysterium referatur neque habeat Missam propriam, ei forte congruere possent *Officium et Missa de tempore Adventus*, si dies adsignata semper incideret in Adventu, quemadmodum in *Basilica Patriarchali S. Mariae Majoris,* ubi festum *Translationis Imaginis* affixum est dominicae ultimae Januarii, et semper de eo fit ex peculiari privilegio, etiam in occursu Septuagesimae, Sexagesimae aut Quinquagesimae, assignatum est *Officium cum Missa B. M. V. de tempore a Nativitate ad Purificationem.* Sed quoniam Missa de *Patrocinio* non est votiva nec votivum est Officium, et raro ac accidentaliter accidit, ut festi translatio protrahenda sit usque *ad Adventum*, non universaliter ab omnibus sed ab aliquibus tantum, qui illud transferendi in casu impedimenti gaudent indulto, nec pro repositione ullam habent diem liberam ante Ad-

ventum, magis expedire videtur, quod nihil immutetur, nisi *Antiphona IX. ad Matutinum* in Officio et *vers. ad Graduale* in Missa. Secus enim in casu prafatae translationis opus foret aliud ordinare Officium, quod tempori quidem congrueret, quin tamen necessario id requirat festivitatis objectum, cum illud, quod recitamus, aptissimum sit ad implorandum potentissimum Deiparae Patrocinium.

Quoad secundam dubii partem in *Antiphona et R. VII.* magis convenire videtur Lectio: *Tuum Sanctum Patrocinium*, quam: *Tuam Sanctam Festivitatem*, praesertim apud Franciscanos ex peculiari Rubrica, quae legitur ad domin. 2. Novbr., videlicet: ***Omnia, ut in festo ad Nives et in Officio parvo, praeter lectiones secundi Nocturni. In fine Antiphona ad Magnificat et R. VII. dicitur:*** Tuum Sanctum Patrocinium.

Cum sub 22. Aprilis 1741 obtenta fuerit facultas pro servanda in posterum uniformitate in Eremis sub Dominio Reipublicae Venetiarum recitandi Officium Patrocinii B. V. M. pro die 14. Novbr. utpote minime impedita ab alio Officio, modo compertum est, illam diem assignatam a S. C. R. Andreae Avellino (11. Julii 1739) pro omnibus sub regula s. Benedicti militantibus. Quaeritur: an possit, hoc non obstante, recitari Officium Patrocinii B. V. M. ipsa die 14. Novbr.? S. C. resp.: Posse recitari Officium B. V. M. die 14. Novbr. et remitti ad aliam diem non impeditam Officium s. Andreae Av. n. 4136 ad 1 die 19. Jan. 1743.

Ad dubium: Pro festo Patrocinii B. M. V. assignata fuit dom. 4. Oct., quaeritur: an occurrente festo altioris ritus adsit Decretum Generale, quo festum Patrocinii transferendum sit in primam diem non impeditam? et sic pro omnibus festis concessis eodem modo impeditis?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Juxta Decreta Officia affixa certis hebdomadae diebus, iis aliquando impeditis, eo anno omittenda sunt, ac proinde in casu, si Officium Patrocinii Deiparae in dioecesi Suessionen. fieri impediatur domin. 4. Oct., ex gratia transferri conceditur ad primam diem liberam."

Atque ita rescripsit. n. 5215 ad 4 die 22. Julii 1855.

PATRONUS.

1) Capellae.

Cf.: *Credo in festis Titularib. Capellar. etc.; Titularis Capellar. etc.*

In oratione *A cunctis* subjungi non potest nomen Patroni Capellae propriae, si habeat. n. 4909 ad 3 die 12. Sept. 1840.

2) Cathedralis.

a) Nomin. in oratione „A cunctis."

Cf.: *A cunctis; Confiteor; Suffragia; Concede* (decr. n. 4560); *Titular. Cathedr.*

In Hispania est praecipuus Patronus Regni B. ap. Jacobus et in Ecclesia Cathedr. Guadicensi s. Torquatus; cujus nomen dici debet?

S. C. resp.: In oratione *A cunctis* post nomina ss. ap. Petri et Pauli nomen Torquati tamquam Ecclesiae Cathedr. Patroni dumtaxat ponendum esse. n. 2856 ad 8 die 22. Jan. 1678.

S. Jacobus est patronus univers. Regnor. Hispaniae, ss. vero MM. Hemeterius et Caledonius fratres sunt patroni particulares Cathedralis et totius dioeces. Santand.

Quaeritur: Quis ex his patronis debeat nominari tam in confessione *post* *) nomina ss. Apost. quam in or.

---

*) Vd.: Suffragia (decr. n. 2749).

A cunctis, quando in missis haec oratio dicitur in Ecclesia matrice et in caeteris Dioecesis?

S. C. resp.: In qualibet Ecclesia nominandum esse patronum seu Titularem proprium ejusdem Ecclesiae. n. 4448 ad 15 die 22. Jan. 1793.

b) Officium Monialium.

Vd.: *Breviar. Monasticum* (decr. n. 4686); *Patron. Cath.* (Off. Regul.).

c) Officium Regul.

Cf.: *Titular. Cathedr.; Patronus Dioecesis; Festum Cathedr.; Moniales* (Breviar.).

Regulares in festis Patronorum Cathedralium locorum debere celebrare sub ritu duplici Officium cum Missa, prout celebratur in dictis Cathedralibus, ipso tantum die festo et non octavas, et ita per quoscunque Regulares servari debere. n. 866 die 22. Junii 1630; n. 1589 die 1. Junii 1647; n. 1805 die 10. Junii 1656; n. 3302 ad 4 22. Nov. 1664.

Regulares teneri ad recitationem Officii proprii Sanctorum Patroni principalis Ecclesiae Cathedr. et Civitatis. n. 1805 die 10. Junii 1656.

3) Civitatis.

a) Festum, quod celebrand. est, si plures sunt Patroni?

In civitate, ubi sunt multi Patroni, servandum esse festum tantum unius ex principalioribus patronis. n. 1530 ad 2 die 4. Martii 1645.

Collen.

Apud Podium Bonitium in Etruria dioecesis Collen. celebris est memoria beati Lucii seu Luchesii Confessoris, qui pluribus exornatus virtutibus habitu tertii Ordinis s. Francisci suscepto in vita sanctis operibus, post obitum multis miraculis coruscavit, sicuti refert Martyrologium Romanum trium Ordinum ejusdem s. Francisci decimoseptimo Kalendas Maii. His permotus beatus Gregorius X. Summus Pontifex, dum ad Lugdunense Concilium iter institueret, Podium Bonitium visitans expetivit, ut sacro agmine instituto caput supradicti Beati circumferetur per Oppidum; quo ex tempore, pia traditione docente, habere coepit idem beatus Lucius veluti praecipuus Oppidi et Comitatus Patronus ejusque festum veluti Patroni servari. Novissimis tamen temporibus populo Oppidi Podii Bonitii accessit onus servandi etiam sub utroque praecepto festum s. Martialis patroni civitatis et dioecesis Collensis. Sed quum s. Martialis festivitas recurrat quotannis Kalendis Julii plerumque contigit eumdem populum trium sibi succedentium dierum festivorum periodo gravari ea maxime tempestate, qua maturae messis fervent opera, nec adest tantum periculum violandi praecepti et occasio, sed etiam ipsamet necessitas. Quapropter clerus et populus Podii Bonitii et Comitatus ejusdem prae oculis habentes Epistolam sa. me. Benedicti Papae XIV. datam 14. Kal. Augusti anno 1749 Archiepiscopis et Episcopis Etruriae, quae praecipit cujusvis tantum praecipui quarumcumque civitatum vel locorum patroni pro veteri Ecclesiae catholicae instituto festum sub utroque praecepto esse servandum, Sacr. Rituum Congregationi humillime supplicaverunt, ut elevato ad integrum praeceptum festo beati Lucii praecipui patroni ejusdem Oppidi et Comitatus, servilia opera in festo s. Martialis, necessitate tantum sacrificio adstandi servata, permitteret. Et Sacra eadem Congregatio nihil primitus declaravit, sed sub die 12. Novbr. 1831 Rmi Episcopi Informationem et votum requisivit. Quo praecepto iterum sub die 7. Aprilis superioris anni 1832 praecepit, ut po-

neretur in folio, ut omnia maturius considerari valerent. Habita postmodum nova ejusdem Episcopi Informatione sub die 16. Martii vertentis anni rescripsit: *Dilata, et scribatur Episcopo ad mentem.* Sacrae Congregationis mens fuit percipere, ut, quum jam ab anno 1780 firmiter recognitus fuerit beati Lucii patronatus et officium proprium adprobatum, aliquid esset ab ipsomet Episcopo in re observandum. Quum autem Rmus Collen. Antistes declarasset nihil aliud superesse observandum promptumque esse ad qualemcumque decisionem admittendam, Sacra eadem Congregatio in ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die coadunatis, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Caroli Odescalchi Episcopi Sabinen. Ponentis, omnibus denuo mature riteque libratis rescribendum censuit: *Pro gratia sublato onere audiendi Sacrum in die Sancti Martialis.*

Die 17. Aug. 1833.

Super quibus omnibus facta postmodum per ejusdem Sacr. Rit. Congregationem Secretarium SSmo Dom. Nostro Gregorio XVI. Pontifici Maximo fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis confirmavit annuitque, ut in Oppido Podii Bonitii ejusque Comitatus servetur tantum sub utroque praecepto festum beati Lucii praecipui patroni, sublato onere adstandi Sacro in festo Sancti Martialis praecipui patroni civitatis et dioecesis Collen.

Die 23. Aug. 1833. n. 4712.

Ad dubium: An possit Episcopus tolerare, quod in Calendario dicatur Patrona principalis civitatis ac dioecesis tam B. V. M., de Lacu nuncupata, quam s. Catharina v. m., quum utriusque officium et missa celebretur sub ritu dupl. 1. cl. cum oct. in tota dioecesi in casu?

S. C. resp.: Negative, etiamsi officium B. V. M. celebretur sub ritu dupl. 1. cl. cum oct.

Die 5. Mart. 1825 ad 3. *In Brictinor.*

Vd.: *Patron. Dioeces.* (oblig. cleri saec., decr. n. 4611).

b) Missa sol. translato Officio.

Ad petitionem, ut transferri possit Octava Epiphaniae, quia in ea cadit festum s. Hilarii protectoris princip. civitatis Parmen., S. C. resp.: Officium esse faciendum de octava; missas vero posse cantari duas, unam de festo, alteram de octava. n. 2311 die 24. Jan. 1665.

Quamvis prohibetur in I. Dominica Quadrag. Officium de quolibet Sancto, sed fiat tantum de Dominica, nihilominus S. C. annuit, ut in proxima Dominica Quadrages. 1671 in Cathedr. Brixiae possit cantari missa de ss. Faustino et Jovita mm. et Patronis dictae civitatis, non omissa alia de die Dominica. n. 2523 die 24. Jan. 1671.

c) Obligatio ad Officium.

I. Cleri regularis.

Vd.: *Patronus loci; Patronus civit.* (oblig. ad Offic. Cleri saec., decr. n. 1933, 2185); *Moniales* (Breviar.).

Ad dubium: An Regulares habitantes extra civitatem, ubi residet Episcopus, recitato Officio Patroni et dedicationis Eccles. locorum, ubi habitant, teneantur recitare quoque Officium Patroni civitatis et dedicationis Eccl. Cathedr.?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Teneri si tunc ibi morentur."

Atque ita declaravit, definivit servarique praecepit. n. 5042 ad 2.

Die 23. Maii 1846.

Regulares teneri ad recitationem Officii proprii Sanctorum Patroni princi-

palis Ecclesiae Cathedr. et Civitatis. n. 1805 die 10. Junii 1656.

Regulares etiam ad libitum non possunt celebrare octavam Patroni principalis, si velint, nisi id specialiter ipsis indultum fuerit ex vi concessionis apost. vel Constitutionis Religionis ab apost. Sede approbata. n. 3019 ad 8 die 20. Martii 1683; n. 3316 die 11. Julii 1693.

Moniales habentes usum Breviarii monastici, quamvis non Monachis sed Ordinario subjectae, tenentur ad facienda Officia ss. Patronorum civitatis juxta rubricas et ritum Breviarii monastici. n. 1517 die 2. Julii 1644.

Vd.: *Breviarium monasticum,* decr. n. 4686.

Regulares debere se conformare saeculari Clero pro prima die festiva Patroni civitatis, absque tamen octava. n. 731 die 27. Mart. 1628.

II. Cleri saecul.

Vd.: *Protector civitatis; Suffrag.; Commem. Patroni; Dedicatio Eccles.* (Officium etc., decr. n. 3803); *Patronus* (festiv. grad.); *Patron.* (Officium); *A cunctis* (decr. n. 4897).

De Patrono principali civitatis in civitate tantum cum octava, in dioecesi vero, ubi non adsit proprius loci Patronus, similiter cum octava; et ubi colitur festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono civitatis vel attenta consuetudine sine octava sub dupl. maj. tantum. n. 1883 die 6. Apr. 1658. Idem decr. sub n. 1933 die 28. Sept. 1658, sed cum appendice: „*a Regularibus vero sine octava.*"

Festum ss. Natalis et Agricolae, patronorum principalium Oppidi Docciae ab immemorabili tempore cum Officio et Missa etiam per octavam a clero saeculari esse servandum, a regularibus vero sine octava; festum vero s. Caroli Borrom., quod etiam cadit die 4. Novbr., transferendum esse juxta rubricas Breviarii romani. n. 2185 die 19. Aug. 1662.

De s. *Eustachio* m., patrono principali Aquaevivae et Titulari Collegiatae, fieri debet Officium de comm. un. m. et non de comm. plur. mm.; absque commemoratione aliorum, qui transferri debeant ad primam diem festo novem Lectionum non impeditam, servata rubrica. n. 2302 ad 1 die 22. Novbr. 1664. Idem decretum emanatum est de s. *Januario,* patrono civit., et ejus sociis. n. 2302 ad 2 die 22. Novbr. 1664.

Vd.: *Patronus Regni.*

Ad dubium: 1. In dioecesi Cordubensi ex immemorabili consuetudine celebratur festum ss. Aciseli et Victoriae mm. Cordubensium tamquam patronorum principalium civitatis Cordubae tantum sub ritu dupl. 1. cl. cum octava et praecepto in populo. At cum talis consuetudo juxta hujus S. Congregationis declarationes suffragari videatur ad sustinendum hujusmodi Officium ejusque ritum et octavam solis patronis principalibus vel principalioribus cujuscumque loci, regni vel provinciae, quaeritur: An etiam suffragetur quoad festivationem de praecepto nedum in locis particularibus praedictae dioecesis proprio patrono carentibus, verum et caeteris, quae alium Sanctum tanquam Patronum principalem colunt?

2. In iisdem civitate et dioecesi festum Patronorum praedictorum ex immemorabili etiam consuetudine est tamquam praeceptivum quoad obligationem audiendi Sacrum, non autem vacandi ab operibus servilibus. At cum ex decreto S. hujus C. diei 13. Sept. 1642 (scilicet Constitutionis Sa. Mem. Urbani Pap. VIII. relat.) utrumque de praecepto declaretur in festo Patroni principalis et proprii, quaeritur: An ad utrumque in posterum obligandus sit populus civitatis et eorum locorum

proprium Patronum non habentium vel potius in praefata consuetudine continuandum?

S. eadem C. rescripsit, ut infra, videlicet ad 1. et 2.: Negative. N. 4501 die 20. Sept. 1806.

Si festum s. Marci Ev. erit de Patrono *Oppidi* (Robereti dioec. Trident.), erit Officium celebrandum sub ritu 1. cl. cum octava ab omnibus Sacerdotibus saecularibus ejusdem Oppidi. n. 4131 ad 2 die 15. Sept. 1742.

Vd.: *Patron. loci* (oblig. Cleri s. ad Offic., decr. n. 4605 nota; oblig. Regular., decr. n. 4605 ad 3).

d) Octava.

Vd.: *Patronus princip.* (octava).

De Patrono *principali* civitatis (Episcopi) debet Officium celebrari cum octava tam in civitate quam in dioecesi. n. 1155 ad 1 die 23. Maii 1639; n. 1530 ad 4 die 4. Martii 1645.

Vd.: t. II. p. 674. *Off. Reg.*

e) De vacatione ab operibus.

Vd.: *Vacatio ab operibus.*

f) Vesperae.

Ad dubium: An concurrente Sancto antiquiori Patrono civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, integrae vesperae debeantur antiquiori cum sola commemoratione recentioris?

S. C. resp.: Nullam habendam esse rationem de potioritate Patronatus. n. 3057 ad 2 die 17. Junii 1684.

g) Vigil. cum jejunio.

Quoad Vigiliam cum jejunio s. Liborii, Patroni civitatis, oretenus Procuratorem Episcopi Paderborn. admoneri, ne suos subditos novo onere gravet, sed potius, ut indicta jam jejunia ac recepta servent exacte, eos hortetur impellatque. n. 2075 die 11. Sept. 1660.

Ad dubium: An Vigilia s. Catharinae principalis Patronae Brictinorien., de qua nihil fit in Officio et Missa, debeat expungi a Calendario vel saltem notari tamquam jejunium ex devotione, in casu etc.?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum et exemptione quoad futurum, quatenus opus sit. Et Sanctitas Sua annuit atque, ut ab omnibus servetur, decretum desuper expediri jussit. n. 4611 ad 4 die 5. Mart. 1825.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Se offerebat quaestio de abstinentia et jejunio servando in pervigilio festi s. Catharinae principalis Patronae. Variae erant Sententiae. Notabat extensor Calendarii dioecesani: Vigilia cum jejunio. Rogatus, quo jure? ignorare fassus est: neque ex caeteris inventus est ullus, qui id sciat. Certum tamen est alios esse, qui tenent ex praecepto omnino servandam, alii putant in arbitrio id relinquendum et quatenus servari velit, nonnisi ex devotione faciendum: hinc scandala et peccandi pericula. Qui jejunium non servant scandalo sunt iis, qui abstinentiam et jejunium in praecepto esse arbitrantur; et ex diverso opinandi modo oriri potest periculum quoad populum operandi cum erronea conscientia. Eoque magis id timendum, quia non una est, sed varia Confessariorum praxis. Ut rem componeret solertissimus Episcopus, onus sibi dedit scrutandi: num ex voto, num ex consuetudine, an alia quacumque ex causa hujusmodi jejunium inductum fuerit: nihilque invenisse fatetur, unde saltem conjici posset Vigiliam hanc cum jejunio de praecepto servandam. Ad hanc igitur S. C. recursum habuit pro solutione dubii.

Quid ergo juris? Decidendi ratio a regula generali petenda est, qua docemur hujusmodi jejunium non esse in praecepto; repetendam vero ejusdem originem vel a Majorum voto vel a consuetudine ac voluntaria populi devotione. Nulla lex est, quae jubeat principalium Patronorum festa praevenienda esse in pervigilio, et illa dumtaxat sub praecepto cadunt, quae in Rubricis, Breviario et Missali Romano suis apte locis notantur vel cum Officio et Missa atque jejunio servanda, vel cum alterutro tantum, juxta qualitatem festorum et temporum, in quibus cadunt. In hypothesi vero, quod jejunio originem dederit votum a Majoribus nuncupatum, hoc non obligat successores, qui non voverunt, ut pluries declaravit S. R. C., praesertim vero sub die 18. Aprilis 1643: Unanimi consensu declaratum fuìt, ex dispositione Constitutionis praedictae (*Universa per Orbem* Urbani PP. VIII. pro observatione festorum dat. Idibus Septbr. 1642 relat. in hac decretorum Collectione) personas voventes tantum teneri. Hujusmodi autem responsum idem Urbanus Pontifex laudavit et approbavit dixitque intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere festa de voto quoad vim praecepti et reducere illa ad instar festorum de devotione, praeservata obligatione ratione personalis contractus ex vi voti provenientis ipsismet personis tantum, qui voverunt.

Ita etiam sancitum fuit in Hipporegien. die 19. Novembris 1650, in Marianen. die 16. Martii 1658 et 15. Februarii 1659, in Barcinonen. 20. Decembris 1659 et in Panormitana die 1. Februarii 1744. Ad consuetudinem quod attinet, haec laudabilis est, strictam tamen obligationem non inducit. Guyetus *in Hortologio lib. 1. cap. 17. quaest.* 2. de hac re agens: *multorum pia,* inquit, *ac laudabilis consuetudo tam Saecularium quam Regularium, ut in pervigiliis suorum Patronorum sive ex devotione sive ex statuto et ordinatione aliqua particulari jejunium servent:* mox *quaest. 3.* quaerit: *num legitimus sit hujusmodi Vigiliarum usus?* Et respondet ut sequitur: cum Ecclesiae illae, in quibus receptus est, insignes sint ac titulares, quae suo item gaudent Breviario proprio, non tantum legitimus est ejusmodi usus, sed etiam venerandus ac laudabilis, adeoque jure retinendus. Quoad vero alias Ecclesias, quae Romano Breviario mancipatae sunt, si talis etiam usus apud illos inductus est ex legitima item consuetudine, quae numquam interrupta fuerit, non video quid necesse sit eum abrogare, maxime cum id patitur ratio temporis, nec aliud occurrit impedimentum. Nam velim id sit *praeter* Rubricas quidem, at non *contra* . ., ubi vero talis usus incognitus fuit hactenus, haud quaquam eum legitime induci posse crediderim, cum nihil simile in Rubricis permittatur (ubi agit de more illarum Ecclesiarum, quae proprio gaudent Breviario, jungendi jejunio Vigiliae Officium), cujus proinde silentium hac in parte pro negatione haberi debet. Esto ergo, jejunetur in mensa, SI LUBET (idem est, ac si ex devotione fiat) haud tamen propterea Officium diei immutare aut aliquid addere fas est. Equidem commendatissimus Auctor inductam laudabilem et legitimam consuetudinem vult esse servandam, quae tamen, ut prosequitur, nusquam interrupta fuerit. In specie autem nostra, num consuetudo jejunandi in pervigilio S. Catharinae legitima sit et nunquam interrupta fuerit? dubium est et dubitandi rationem affert opinionum dissensio et confessariorum praxis, unde fit, ut aliqui de populo abstinentiam et jejunium festo prae-

mittant principalis Patronae, alii non item ad id teneri arbitrantur. Itaque S. C. regulae adhaerens proposito dubio respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Sed quoniam providendum erat quieti animarum, cum et Confessarii in diversa abirent, scandalisque parandum erat remedium, addiderunt Patres: Consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum et exemptione quoad futurum, quatenus opus sit.

4) Commemoratio.

Vd.: *A cunctis; Commem. Patroni; Suffragia.*

S. Jacobus est Patronus universalis regnorum Hispaniae, ss. vero mm. Hemetrius et Caledonius fratres sunt Patroni particulares Cathedralis totius et dioecesis Santanderiensis rite electi et novissime approbati a S. R. C.; quaeritur igitur: Quis ex his Patronis debeat nominari tam in Confessione post nomina ss. ap. Petri et Pauli, quam in Oratione: *A cunctis*, quando in Missa haec Oratio dicitur in Ecclesia matrice et in caeteris dioecesis?

In casu, quo ob dignitatis praestantiam nominare debeat s. Jacobus, quaeritur: An post ss. Apostolorum exprimi etiam possint nomina ss. Hemetrii et Caledonii in praedicta Oratione et Confessione, praecipue in Ecclesia matrice, ubi s. eorum capita venerantur? Et si negative, supplicatur pro gratia ad promovendum cultum, qui ipsos decet in Ecclesia Cath. ac tota dioecesi ratione sui specialissimi patronatus?

S. R. C. resp.: In qualibet Ecclesia nominandum esse Patronum seu Titularem proprium ejusdem Ecclesiae.

Die 26. Jan. 1793 et 22. Jan. 1678.

5) Confraternitatis.

a) Festum.

Aliquae Sodalitates Patronum habent, ss. Thomam, Luciam ac s. Josephum etc. Quaeritur: An quando praedicta festa occurrunt in dominicis privilegiatis Adventus et Quadragesimae, attento concursu sodalium aliorumque devotorum, possit cantari missa de Patrono?

S. C. resp.: In publicis Oratoriis cantari potest missa de Titulari occurrenti in dominicis Adventus et Quadrag. privilegiatis, non autem in illis exceptis, et in missa dicenda est commemoratio dominicae et diei Octavae tantum occurrentis, cum Evangelio ejusdem dominicae in fine.
n. 4507 ad 8 die 8. Apr. 1808.

Sancti Titulares ac Patroni Confraternitatum vel Sodalitatum, qui propria Ecclesia carent, aequiparari non debent (nec in eorum diebus festis) Titularibus ac Patronis Ecclesiarum alienarum ac paroch., in quibus exstant, et iisdem frui privilegiis ac isti. n. 4815 ad XII. 1 die 22. Sept. 1837.

Item Sacerdotes confluentes ad dictas Ecclesias in festis Patronorum et Titul., ut supra, non debent in missa addere *Credo* et dicere unicam Orationem. *Ibid. ad XII. 2.*

Item *ad dubium:* An occurrente festo Patroni vel Titularis praedicti in dominica privileg. 2. cl. missae priv. dici possint et debeant de Sancto cum commemoratione dominicae et ejus Evang. in fine an vero missa tantum sol.? S. C. resp.: Negative.
Ibid. ad XII. 3.

b) Insignia.

Non licere supra januam Ecclesiae in publico exponere Insignia Protectoris Confraternitatis, sed ponatur

supra Capellam Confraternitatis intus Ecclesiam. n. 787 die 9. Dec. 1628.

6) Credo, dicendum in ejus Missa.

Vd.: *Credo.*

7) Dioecesis.

a) Obligatio Cleri saecul. ad Officium.

Vd.: *Dedicatio Cathedr.* (oblig. et octava, decr. n. 4044); *Patronus loci* (oblig. ad Off., decr. n. 4605 nota circa finem).

Ad dubium: Cum multa sint loca, quae non habent Patronum principalem, quaeritur: an possint et debeant celebrare uti Patronum principalem festum s. Januarii, qui est Patronus principalis totius partis regni Siciliae, citra Pharum, (cujus festum usque ad emanationem praefatae Bullae celebrabatur in dioecesi Neapolis cum duplici obligatione audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus operibus, et in reliqua parte regni cum onere tantum audiendi Sacrum) transferendo pro illis praedictis locis in diem dominicum festum s. Januarii?

Et S. C. resp.: „Provisum in primo Brevi, in quo habetur, quod pro urbe Neapolis tantum retineatur festum s. Januarii; in reliqua parte regni idem festum retinere debet propriam sedem et ritum, et sine praecepto audiendi Sacrum. Quoad loca vero, quae non habent Patronum principalem, satis provisum in secundo Brevi die 15. Oct. labentis anni, quod jubet, ut civitates et loca, quae peculiarem Patronum non habent, festum Patroni principalis dioecesis pari solemnitate celebrare teneantur."

Et ita etc. n. 4553 ad 12 die 18. Oct. 1818.

Montis Episcopalis Patronus dioecesis Argentinae s. Arbogastus celebratur dominica die 25. Julii immediate praecedenti; quaeritur: si haec dominica simul est tertia Julii, num juxta alias a S. R. C. die 3. Apr. 1821 declarata transferendum sit festum SS. Redemptoris (a Congreg. SS. Redemptoris) an potius illud Patroni dioecesis?

S. C. resp.: Ad tramites citati decreti gen. in casu festum SS. Redemptoris ut secundarium transferendum. n. 4842 ad 4 die 1. Sept. 1838.

Ad dubium: Oeniponti dioecesis Brixien. Patronus regni est s. Joseph sponsus B. M. V. et Patronus seu Titularis Ecclesiae Cathedr. translatio s. Cassiani Episc. Mart. dom. 2. post Pascha. Ast anno currenti a censura Ordinariatus nostris Patribus injunctum, immo statim in Directorio impressum fuit festum ss. Ingenuini et Albuini Patronorum Brixin. sub ritu dupl. 1. cl. die 5. Febr. Quaeritur: num nostri teneantur aut possint hoc festum, quod non est de praecepto pro foro, recitare, aut an potius ad evitandas contentiones praedictum festum pro forma tantum imprimendum sit in Directorio, admonendo privatim Patres de ejusdem in choro omissione?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Dummodo Sancti sint Patroni praecipui regni vel dioecesis, de ipsis sine Octava recitandum est Officium juxta alias decreta pro Regularibus."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit a Patribus Congregat. SS. Redemptoris extra Italiam et in dominiis Austriacae domus degentibus.

n. 4842 ad 3 die 1. Sept. 1838.

Brictinorien.

Ad dubium: 1. An possit et debeat Episcopus vigilare et exigere, ut festum s. Catharinae virginis et mart. Patronae principalis dioecesis, tamquam Patrona etiam principalis in quocumque dioecesis loco observetur de praecepto, in casu etc.?

2. An segregati in spiritualibus a terris et oppidis Patronum habentibus, et dioecesi Brictinoriensi noviter et permanenter uniti, debeant, tamquam Patrono carentes, servare Decretum S. R. C. docens et statuens, quod populi non habentes principalem Patronum debeant celebrare festum Patroni civitatis ac dioecesis in casu etc.?

S. C. resp.

Ad 1.: „Affirmative, dummodo in locis dioecesis nullus reperiatur legitimus Patronus principalis."

Ad 2.: „Jam provisum in primo."

N. 4611 ad 1 et 2 die 5. Martii 1825.

Vd.: *Patron. civitat.* (festum, quod celebr., decr. de die 5. Mart. 1825).

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Facti species haec erat. Brictinoriensi dioecesi novissimis temporibus plures accesserunt parochiae cum suis plebibus. Siquidem ex conterminis *Abbatiis s. Elleri de Galeata et s. Mariae in Cosmedin.* suppressis *sa. me. Pius VII. anno 1784* duodecim paroecias, quae temporali Pontificio dominio subjiciebantur, Brictinoriensi Ecclesiae adjunxit: anno 1806 *sa. me. Pius VII.* addidit septem alias, quae prius ad *Abbatiam Nullius Foro Pompilii* pertinebant. Quoniam autem ab eo usque tempore, quo Brictinoriensis civitas ad sedem episcopalem evecta fuit, quod accidisse fertur saeculo XIV., Virginem et Martyrem *Catharinam,* quae jam erat Titularis majoris Ecclesiae, Cathedralis honore postea decoratae, civitatis et dioecesis incolae ut principem Patronam habuerunt, ei tribuentes omnia venerationis obsequia, quae Patronis debentur, opinio invaluit, quod adjectae supramemoratae parociae, ut caetera dioecesis loca, *s. Catharinam* in Patronam assumere deberent. Hinc orta dissidia, cum aliquae plebes, quos antea coluerant, nollent cum diverso Patrono commutare. Composita res fuit quoad paroecias primae accessionis; nam (si unus excipiatur populus Terrae Civitella, qui arbitratur sibi Patronum adesse *s. Philippum Nerium*, haud se induci sivit, ut *s. Catharinam* ei in Patronatu sufficerent) aliae omnes undecim minime dubitarunt illam in Patronam habere, quae hoc honore in dioecesi Brictinoriensi decorabatur. At non ita accidit de aliis parochiis avulsis ab Abbatia et Territorio Foro Pompilii; singulae quippe Patronos, quos prius coluerant, retinere voluerunt. Hujusmodi dissidia et in Patronis colendis varietates excitarunt sollicitudinem vigilantissimi Episcopi, qui, ut cuncta componeret et ad formam legis exigeret, S. R. C. supplex rogavit, ut, quid facto opus esset, sua auctoritate definiret. Implexa res videbatur, cum de tot diversis Patronis ageretur: nihilominus S. C. brevi responso ad duo prima dubia singulis plebibus, quae peculiares Patronos venerabantur, sua prudentia consuluit. Generalem regulam dedit ubique in similibus servandam, qua, ut saepe alias declaratum fuerat, sancivit, ab omnibus colendum esse civitatis Patronum, *dummodo in locis dioecesis nullus reperiatur Patronus principalis.* Hisce adnumerari nequibat populus Terrae Civitellae, qui perperam putat sibi adesse Patronum *s. Philippum Nerium*, minime servata forma Decretorum *Urbani VIII.*, arbitrarie assumptum. Id clarissime evincitur, tum quia idem Sanctus in illa Terra ritu dupl. major. gaudet, tum etiam quia usque ad *annum 1784* in eadem cultum principalis obtinuerat s. Ellerus Ecclesiae, cui tunc subjiciebatur, Patronus. Nequit igitur praefatus populus feriatum habere diem festum *s. Philippi* (nisi ex simplici devotione fiat), sed juxta praefatum

S. C. responsum *s. Catharinam* ut praecipuam Patronam colere debebit. Quid vero dicendum de paroeciis et plebibus, quae sub jurisdictione fuerant *Abbatiae Nullius Foro Pompilii* et modo adjectae sunt dioecesi Brictinoriensi, si retinere cupiant Patronos, quos ut principales territorii, in quo versabantur, coluerant? Turbandine erunt a legitima possessione et cogendi, ut alium Patronum assumant? Si meum fas est expromere sensum, in libertate iisdem id esse relinquendum videtur. Difficile enim est, ut antiquum Patronum, quem tam majores quam ipsi specialibus venerationis significationibus coluerant usque adhuc, modo velint deserere, ut alterum prosequantur. Vere quippe ipsorum Patronus, quia talis erat Ecclesiae, cui subjiciebantur. Sed licet haec mea sit opinio, attamen magis congruere credo, si fieri sine turbis et offensione potest, ut hortationibus inducantur harum parochiarum et pagorum incolae ad debito honore colendam Patronam dioecesis, ad quam modo pertinent. Plura disserere non est opus, consulto tamen haec adnotavi, quia non raro accidunt hujusmodi dismembrationes et adjectiones ac opportunum visum est, cohaerenter ad S. R. C. responsum, regulam tradere, quae hisce in casibus quoad principales Patronos servanda sit. Ad rem hanc illustrandam nonnihil prodest aliud recentius Decretum ejusdem S. C. in Collen. 27. Martii anni mox praeteriti 1824 cum subjectis adnotationibus, quas inutile est hic repetere.

Quando festum s. Rumoldi, quod celebratur die 1. Julii, coincidat cum solemnitate ss. Ap. Petri et Pauli, tunc missa sol. tam in Ecclesia Metrop. quam in aliis Ecclesiis civitatis Mechl. cantatur de festo s. Rumoldi, addita commemoratione ss. Apostolorum sub unica conclusione, et sub distincta conclusione fit commemoratio octavae s. Joannis Bapt. ac dominicae occur., de qua in fine missae leg. Evangel. Quum autem S. R. C. die 1. Septbr. 1838 hanc praxim servari posse responderit, quaeritur:

I. An liceat ad uniformitatem obtinendam hoc extendere ad totam Archidioec. Mechl., in qua s. Rumoldus nunc colitur ut Patronus, ritu dupl. 1. cl. cum octava, sic tamen, ut occurrente festo ejus infra hebdomadam non habeat solemnitatem dominica subsequente, quia nunquam fuit obligatio per totam Dioecesim audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus in praedicto festo s. Rumoldi?

II. Si missa sol. sit cantanda de solemnitate ss. Ap. Petri et Pauli, quaeritur: an in ea sit facienda commemoratio s. Rumoldi, dioecesis Patroni, de quo tunc recitatur off. ritu dupl. I. cl.?

S. C. resp.
ad I.: Affirmative in Omnibus;
ad II.: Jam provisum in praecedenti.
Die 12. Sept. 1840 ad 5 *in Mechlin.*

b) Oblig. Regul. ad Officium.

Vd.: *Compatronus* (oblig. etc., decr. n. 5042); *Moniales* (Breviar.); *Dedicatio Cathedr.* (oblig. Regularium); *Patron. paroch.* (decr. de die 27. Febr. 1847).

Ad dubium: Utrum Regulares possint et debeant festum Patroni regni et dioecesis, ubi commorantur, celebrare, non obstante celebratione proprii Ord. Patroni, et sub quo ritu?

S. C. resp.: Quoad primam partem affirmative, quoad secundam: ritu dupl. 2. cl. sine octava. n. 4941 ad 8 die 16. Apr. 1842.

Ad dubium: Quum S. Kevinus a Clero saeculari habeatur ut unus ex Patronis Archidioecesis Dublin., et universo Clero indultum fuerit a S. S.

ipsius festum sub ritu dupl. 1. cl. celebrare cum octava, quaeritur: an verba illa Rescripti Apost.: *ad totum Clerum*, complectantur Regulares, ita ut ipsi sine alio Indulto possint et etiam debeant illud festum celebrare?

Et Emi ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescribendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum in omnibus" videlicet:

„Negative juxta Indultum sa. me. Pii Papae VII."

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt die 16. Apr. 1842 n. 4941 ad 6.

Regul. non tenentur ad Offic. alterius Dioecesis, vd.: *Patronus loci* (Oblig. Regul., decr. n. 4729).

c) Non est Obligatio.

Ad dubium: An Officium s. Turibii Episc. et Patroni dioecesis Astoricensis, quod fixum est fer. 2. post dom. in albis, quodque eodem die in Oppido Villafranca recitatur cum obligatione audiendi Sacrum, debeat sub ritu dupl. 1. vel 2. cl. celebrari cum Octava?

S. C. resp.: Cum Capitulum (Colleg.) Oppidi Villafranca modo minime pertineat ad Dioecesim Astoricen., sed Nullius sit, omittere debet Officium s. Turibii Ep., ut proprium ejusdem Dioecesis Astoricen., cujus est principalis Patronus. n. 4542 ad 7 die 30. Sept. 1817.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Cum Capitulum de Villafranca nullius sit Dioecesis nec ullam habeat relationem ad Astoricensem, non tenetur nec potest celebrare festum *s. Turibii* Episcopi tamquam Patroni principalis ejusdem Astoricensis Dioecesis. Quoniam vero ex dubio discimus ejusdem *s. Turibii* festum affixum esse feriae secundae post dominicam in albis, e re nostra ducimus hic recolere, quae S. R. C. nuperrime declaravit tam in causa *Tuden.* quam *in generali Decreto* relate ad festum *Annunciationis B. M. V.* transferendum in dictam feriam 2., aliquando quoad chorum et forum, quandoque quoad chorum dumtaxat, juxta diversas occurrentias. Cum enim decisum fuerit per modum regulae generalis, quod, translato festo Annunciationis ad feriam 2. post dominicam in albis simul cum praecepto audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus, huic cedere debeant festa etiam altioris ritus Patroni principalis, Titularis vel Dedicationis Ecclesiae, maxime decet, ne illi feriae fixe assignetur ulla ex his solemnioribus festivitatibus; immo expedire videtur, ut si aliquod festum ritus dupl. 1. vel 2. cl. illi affixum reperiatur, veluti in casu proposito illud est *s. Turibii* Episcopi in Dioecesi Astoricensi, exhibeantur preces S. R. C. pro perpetua commutatione diei. Ita a monachis Cassinen. provisum fuit festo *s. Benedicti*, quod occurrens in maj. hebd. reponebatur in fer. 2. post domin. in albis; verum ad evitandum occursum cum translatione festi *Annunciationis B. M. V.* ex indulto *s. m. Benedicti XIII. et decreto S. R. C. in Fulden.* 6. Sept. 1747 modo transfertur ad fer. 3.

Ad dubium: Civitates et Oppida, quae jam habent Patronum principalem, debentne aut saltem possunt continuare celebrationem Protectoris principalis Dioecesis sub ritu dupl. 1. cl. cum octava et cum obligatione utriusque praecepti ex consuetudine?

S. C. resp.: „Affirmative ad primam partem seu continuationem Officii, negative quoad secundam seu quoad obligationem utriusque praecepti juxta Decreta alias edita." n. 4669 ad 41 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium 1.: An Ficiclenses, qui proprium Patronum habent, teneantur die festo s. Genesii M. totius Dioecesis Patroni audire sacrum, quemadmodum ad hanc usque diem audierunt?

2. An teneantur recitare Officium s. Genesii M.?

3. An Officium ipsius Martyris recitantes debeant illud colere eodem ritu octavamque servare, quam Dioecesis universa servat et ipsi hucusque servarunt?

S. C. resp.

ad 1.: Negative;

ad 2.: Negative; posse tamen et debere recitare Off. s. Genesii, attenta consuetudine sub dupl. maj. tant.;

ad 3.: Negative et provisum in secundo.

Die 17. Septbr. 1828 ad 1. 2. 3. *In s. Miniatis.*

d) Utrum in Suffragiis dicendus?

De Patrono Dioecesis fieri *potest* Commemoratio inter communia Sanctorum suffragia, sed minime cogendos, qui recusaverint. n. 1789 die 8. Apr. 1656.

Cf.: *Suffragia.*

e) Vigilia cum Jejunio.

Vd.: *Patronus civitatis* (Vigil. cum Jejunio. decr. n. 4611.).

8) Ecclesiae.

(Translatio.)

Vd.: *SS. Sanguis J. Chr.* (transl. decr. n. 5025); *Patron. paroch.*; *Off.* (oblig. ad quod; decr. n. 4985.)

Ad dubium: Dicitur respons. sequens ab EE. Card. Caprara pro tempore Legato a latere datum fuisse dubio: Si in unam eamdemque dominicam incidat solemnitas translata tum anniversarii Dedicat. tum Patroni, ea solemnitas celebranda erit de digniori, scilicet de dedicatione, translato minus digno, idest Festo Patroni, ad primam dom. non imped. juxta rubricas. An id responsum sit authent. et applicandum similibus?

S. C. resp.: Juxta Instructionem a Card. Legato a latere datam.

Die 23. Maii 1835.

9) Electio.

Cf.: *Titularis* (electio); *Patron. princip.* (Estne fest. de praecepto?)

1. Eligi possunt in Patronos locorum ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

2. Electio Patroni *Civitatis* fieri debeat a populo mediante consilio generali illius civitatis vel loci, non autem ab Officialibus solum et accedere debeat consensus expressus Episcopi et Cleri illius civitatis.

3. Idemque servari debeat in Patrono *Regni*, qui pariter eligi debeat a populo singularum civitatum Provinciae, non autem a repraesentantibus regnum nisi ad hoc habeant speciale mandatum et pariter cum consensu Episcopi et Cleri dictarum civitatum *).

4. *Causae electionis* novorum Patronorum debeant in S. R. C. deduci ac examinari ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari et confirmari. n. 852 die 23. Mart. 1630.

Non posse ab Ordinario ignorari, quod nullatenus liceat electionem s. Patroni a populis olim habitam de consensu Cleri et Episcopi et vel ab apost. sede approbatam aut legitimi temporis observatione munitam immutari. n. 1881 die 6. Apr. 1658.

Non licuisse eligere in Patronas s. spinas Coronae D. N. n. 2964 die 20. Sept. 1681.

Vd.: *S. Philippus Nerius.*

Relatis ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. humillimis precibus Universitatis et Populi Villae Castulonis Planitiei Derthusen. Dioecesis, ac Cleri Saecularis et Regularis ejusdem loci supplicantium pro confirmatione electionis S. Christophori Martyris in Patronum principalem ab ipso, prout asseruerunt, legitime et juxta praescriptum Decreti S. M. Urbani VIII. die 23. Martii 1630 editi, electi, S. eadem R. C. censuit: scribendum esse pro meliore informatione et juxta adnexam instructionem.

Die 11. Junii 1701.

Instructio pro Vicario Capitulari Civitatis Derthusen. super electione S. Christophori Martyris in Patronum principalem ab Universitate et populo Villae Castulonis Planitiei Derthusen. Dioecesis et a Clero Saeculari et Regulari ejusdem loci nuper facta S. R. C. edocturo.

Vicarius Capitularis Derthusen. Sacr. Rituum Congregation. instructam reddat super sequentibus:

1. De quonam S. Christophoro intelligatur facta electio, num scilicet de illo, qui coronatus est sub Decio Imperatore et habetur in Martyrologio sub die 25. Julii; an vero de illo, qui coronatus est Cordubae et habetur in Martyrologio sub die 20. Aug.?

Et quatenus de primo: quonam die celebrare intendant ejus Festum, quandoquidem dicta dies 25. Julii est impedita propter Festum S. Jacobi Apostoli?

2. An Consilium sive Congregatio Consiliariorum Villae Castulonis convocata die 3. Oct. 1700 pro electione Sancti Patroni ex aliquo Regio Privilegio ita in omnibus negotiis repraesentet totum Populum et illud magis generale Consilium, nullo umquam tempore in dicto loco congregetur. Cum enim in Decreto generali diei 23. Martii 1630 caveatur, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat a populo mediante Consilio generali illius Civitatis vel loci, non autem ab Officialibus solum, videtur non sustineri electionem ab istis Consiliariis tamquam Officialibus factam, sed requiri Consilium seu Congregationem magis generalem, quae in dicto loco soleat fieri et in qua deputantur sive eligantur ipsimet Consiliarii. n. 3582 die 11. Junii 1701.

In Patronorum sive Protectorum praecedentia servandus est Ordo hierarchiae ecclesiasticae et inter Ord. hierarchicum attendenda est anterioritas in electione.

S. R. C. 11. Mart. 1690.

In S. Patronorum electione fieri non debent promissiones servandi diem Festum Patroni electi tamquam de praecepto, etiamsi ab Ecclesia univers. sub tali ritu non colantur; nam has promissiones et vota non admittit nec approbat, sed rejicit et tantum ex devotione servari posse concedit.

S. R. C. 15. Mart. 1698. *In Theatina et Penn.*

Excipitur tamen Festum unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno sive Provincia et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido vel Pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit. Nam tale Festum est de praecepto observandum et expresse statuit Urbanus VIII. Constitution. incip.: Universa §. 2.

Excipiuntur etiam electiones Sanctorum Patronorum factae ante emanationem supra allati Decreti Urbani VIII., quia tale decretum, licet irritet electiones postea factas seu faciendas, non irritat tamen electiones jam antea celebratas, ut respondit Sacra Rit. Congregat. in *Trojanensi* Patronat. 15. Junii 1633 et in *Pampilonensi* Patronatus Sancti Francisci Xaverii, in qua fuit approbata electio facta in Comitiis Regni Navarrae; quae resolutio tam-

quam juridica fuit per Rotam, proponente Reverendissimo Decano, approbata, considerato solum, quod ad evitandum praejudicium electionis antiquissimae S. Firmini, debet uterque tamquam Patronus coli, quod certo praesupponit validitatem electionis: et in *Neapolitana* Patronatus ejusdem S. Francisci sub die 16. Sept. 1656. Et in terminis electionis Patroni, qui ab Ecclesia universali titulo Sancti nondum celebratur, post dictum Decretum fuit observatum in admissione Beati pro tunc et nunc S. Jacobi de Marchia, cujus electio anno 1620 atque adeo ante Decretum editum celebrata fuit et deinde anno 1647 admissa et solemni repositione statuae in Thesaurum *Neapolitanum* comprobata.

Edoceri debet Clerus et populus, quod electio Sancti in Patronum non debet fieri ex solo motivo devotionis, sed vel quia loci primus Episcopus fuit vel quia ibi corpus humatum reperitur, quia oriundus et Civis fuit vel quia in necessitatibus mirabiliter populum protexit et adjuvit vel tandem ob alias similes et congruentes causas, quae in Concilio Universitatis exprimi debent, prout expresse ex Gavant. notat. Monacell. l. c. n. 12. afferens insuper Decretum S. C. R. in *Alessanen.* 6. Sept. 1698:

Sacrum Tribunal Rotae in Tarentina celebrationis Festivitatis super Processione 26. Junii 1754 §. 6. coram Reverendiss. P. D. Canilliac Decano, in medio reliquit: an approbatio (sunt ejus verba) seu confirmatio Apostolica in electione S. Patroni necessaria dumtaxat sit ad certos principaliores effectus; ex. gr. vel ad effectum recitandi Officium sub ritu duplici secundae classis vel denique ad effectum determinandi Festum de praecepto, quod alias non esset; non autem requiratur ad alios et quoscumque effectus, licet minus principales, qualis reputatur ille celebrandi cum exteriori pompa et solemnitate diem a S. Sede in honorem ejusdem Sancti consecratam, quum catholicae gentis pietatem ac devotionem fovere quoquo modo deceat ac nutrire.

Illud tamen ex mente ejusdem supremi Auditorii in *Tarentina celebrationis Festivitatis super Processione* §. *6.* certum est, quod, si actus electionis Sancti in Patronum praecesserit Decretum Urbani VIII., quo necessitas haec approbationis Sac. Congregationis Rituum imposita est, ea non requiratur, tametsi actus ille post Decretum hoc fuerit innovatus et confirmatus. Praesumitur itidem haec approbatio S. C. R. ex centenaria observantia, ut firmavit idem Tribunal in *Tarentina celebrationis Festivitatis super Processione* §. *7.*

10) Festivitas et Celebrans.

Vd.: *Festum* (quo ritu etc.).

Diem Festum s. Patroni civitatis esse de solemnibus juxta dispositionem Caerem. (lib. II. c. I.), illiusque celebrationem ad Episcopum et eo absente vel impedito ad primam Dignitatem pertinere. n. 575 die 28. Sept. 1619.

11) Loci.

a) Nominatio in Oratione „A cunctis."

Vd.: *A cunctis* (Commem. Patroni; decr. n. 4897.).

b) Nomin. in Suffrag.

Vd.: *Suffragia.*

c) Oblig. Cleri saecul. ad Offic.

Vd.: *Suffragia; Officium* (recitandum quod ex 2); *Octavae conc.* (Off.)

Ut primum terra a S. Geminiano nuncupata in Etruria in Volaterana

Dioecesi distracta aggregata fuit Coll. Dioecesi, nullo prorsus jure nullaque ratione conveniens usque tunc praestitus s. Geminiano Principi Terrae Patrono cultus sublatus est et incolis terrae illius s. Martialis Festum sub utroque praecepto servandum nuntiatum est: multae extunc obortae quaestiones et parochi et Clerus in diversas abiere opiniones; ex quibus incertus populus dictae Terrae, an et de quo Patrono agendum, nonnihil offensionis passus est. Inde quaeritur: an Festum s. Geminiani Patroni princ. Terrae hujus nominis sit de integro praecepto servandum in dicta terra ejusque districtu?

S. C. resp.: Affirmative. n. 4605 ad 1 die 27. Mart. 1824.

Nota Gardellini ad hoc Decretum:

Species haec erat. Incolae Terrae *S. Geminiani* Dioecesis Volateranae hunc Sanctum vel ab immemorabili vel ex electione legitime peracta uti principem Patron. venerabantur, diemque ejus nomine sacrum sub integro praecepto recolebant. Postmodum vero, quum eadem Terra a Volaterana disjuncta fuerit Collensi unita, nescio quo jure, cultus, quo prius gaudebat *S. Geminianus,* exhiberi coepit *S. Martiali Collensis Civitatis Patrono.* Sed non apud omnes pacifica res fuit et plures inde exortae quaestiones, quia parochi et Clerus in diversas abierunt opiniones et populus in ancipiti positus, quod agendum esset, ignorabat. Hinc ad componenda hujusmodi dissidia et ad id, quod in posterum servandum foret, constabiliendum, S. R. C. rogata fuit, ut exortis dubiis respondere dignaretur et omnem controversiam sua auctoritate definiret. Et quoniam primum quaesitum fuit: an in dicta Terra ejusque districtu Festum *S. Geminiani* esset sub utroque praecepto colendum? jure fuit datum *affirmativum responsum.* Etenim Sa. Me. *Urbanus VIII.* de observantia Festorum sollicitus in sua Constitutione *Universa per orbem* etc. dat. *idibus Septembris 1642* Festa enumerans sub utroque praecepto servanda, quoad Patronos principales disponit, ut Festum peragatur *unius dumtaxat ex principalibus Patronis in quocumque Regno sive Provincia et alterius pariter principalioris, in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi ac venerari contigerit.* Itaque, si lex Festi celebrationem coarctat ad loci Patronum alterumque Regni vel provinciae, quin illum Dioecesis appellet: plane consequitur civitatem vel locum, in quo peculiaris habetur Patronus, haud debere aut posse, proprio posthabito, festivum agere diem alterius, qui est Protector civitatis episcopalis aliorumque Dioecesis locorum, in quibus alius non est vel ab immemorabili cultu Patronis debito veneratus vel ex universi populi suffragiis legitime in Patronum electus. Id tam verum est, ut, qui specialem habent Patronum, nec ad servandum diem Festum Patroni Dioecesis nec ad ejusdem Officium persolvendum teneantur. Ita S. R. C. in Narnien. 6. Apr. 1658 declaravit: *De Patrono principali civitatis in civitate tantum cum Octava, in Dioecesi vero, ubi non adsit proprius loci Patronus, similiter cum Octava; et ubi colitur Festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono civitatis vel, attenda consuetudine, sine Octava, sub duplici majori tantum.* Ita etiam sancivit in Calaguritana 28. Sept. 1558. Igitur vix permittitur, ut de Patrono civitatis et dioecesis, ubi peculiaris habetur, fiat sub inferiori ritu, quatenus adsit consuetudo. Per hujusmodi Decreta declaratur alterum latum in Caven. 23. Maii 1739, quo voluisse videtur S. R. C

ut de Patrono civitatis fieret etiam per Dioecesim; nam ad dubium: *An de Protectore principali civitatis celebrari debeat Officium cum Octava per civitatem et Dioecesim? respondit: Affirmative tam in civitate quam in Dioecesi.* Nam res erat de locis, quae peculiari Patrono carebant: ideo, ut bene advertit Cavalerius *Tom. 1. cap. 3. n. 3.*, ponenda est limitatio, *quod per Dioecesim Patronus civitatis cum Octava coli debet, ubi non adsit proprius loci Patronus; secus autem, ubi colitur Festum peculiaris Patroni.* Et ibidem *Decret. 6. n. 3.: hoc ipso*, ait, *quod peculiaris Patronus alicubi habetur, relate ad ea loca Patronus civitatis patrocinium non gerit et consequenter deperdit titulum, vi cujus Officium sibi vindicat; quapropter, nisi aliunde eidem Officium debeatur, nihil de Patrono civitatis faciendum venit. Quod si civitatis Patronus inter dictorum locorum Patronos adnumeretur, adhuc utique non inter Patronos principales, cum unius loci plures hujusmodi Patroni esse non valeant, sed inter minus principales, et hoc in casu de eo Officium instituendum est sub ritu duplici majori tantum sine Octava etc.* Sensus igitur Decreti est, ut civitatis Patronus gaudeat privilegiis et proaerogativis Protectoribus debitis in iis Dioecesis locis, quae proprium non habent. Ex his patet populum et Clerum *S. Geminiani* ad hujus Sancti dumtaxat Festum sub integro praecepto servandum teneri, etiam postquam eadem Terra unita fuit Dioecesi Collensi, ut tenebatur, dum ad Volateranam pertinebat. Quod si aliquis adhuc dubitet, omnem dirimunt controversiam literae Apostolicae fel. rec. Pii VII. *in forma Brevis* expedit. *sub die 15. Octobris 1818 super observantia et reductione Festorum pro utriusque Siciliae Regno.* In his enim moderando et declarando, quae relate ad Patronorum Festa praescripta fuerant in primo Brevi *dat. 10. Aprilis* ejusdem anni, dum facultas conceditur Episcopis, una tamen cum suis Capitulis, quorum consilio rem perpendere mature debeant, annuendi populorum votis petentium retinere Patronorum festivitates in diebus propriis, quin easdem teneantur in proximum diem dominicum transferre, ad formam generalis Indulti; simul statuitur, quod cum agatur de Patronis Dioecesium, praeceptum Sacro interessendi et abstinendi a servilibus ad eas civitates et loca dumtaxat extendatur, quae, cum non habeant praecipuum et singularem Patronum, tenentur ad celebrandum Patroni Festum sub eadem solemnitate et ritu, quo in civitate peragitur: en verba: *ea tamen lege, ut quando res sit de Patronis Dioecesium, praeceptum non protendatur ultra civitatem principalem vel ultra ea loca, quae, cum peculiari Patrono careant, Festum Patroni Dioecesis ex rubricae praescripto pari solemnitate celebrare tenentur.* Quoniam igitur Terra *S. Geminiani* hunc Sanctum, cujus nomine decoratur et destinguitur, proprium habet Patronum, veluti habuerat et coluerat, priusquam Collensi Dioecesi uniretur; ideo ejusdem dumtaxat Festum celebrare debet sub integro praecepto cum aliis solemnitatibus, privilegiis, praerogativis, quae principibus Patronis conveniunt.

Ad dubium: An Festum utriusque principalis Patroni status scilicet Camerinen. et uniuscujusque loci celebrandum foret sub utroque praecepto? Et num parochi omnes in praefatis Festis tenerentur applicationi missae pro populo? Ac tandem quid agendum pro hujusmodi applicationibus omissis?

S. C. resp.: Servandum esse de praecepto utrumque Festum et parochos teneri ad applicationem missae

pro populo et S. S. annuit pro absolutione quoad praeteritum.

Die 22. Mart. 1817 *in Camerin.*

Si in locis Dioecesis nullus reperiatur electus Patronus, tenetur Dioecesis non solum ad Festum de Patrono Civitatis, sed etiam ad Octavam: S. R. C. 28. Sept. 1658.

d) Oblig. Regul. ad Off.

Vd.: *Regulares* (Off.; decr. n. 4608 *nota*); *Compatronus* (oblig.; decr. n. 5042); *Titul. Cathedr.* (Oblig. ad Off. decr. de die 10. Julii 1687.)

Moniales locorum Ordinariis subjectae tenentur recitare de Patrono principali loci *non vero de octava,* nisi id specialiter ipsis indultum sit vel ex vi Concessionis apost. vel propriae Constitutionis ab ap. Sede approbatae. n. 4162 die 22. Aug. 1744; n. 3040 ad 6 die 20. Novb. 1683; n. 1517 die 2. Julii 1644; 11. Febr. 1702; 20. Mart. 1683.

Disponente S. R. C., quod Regulares de octav. Patroni princip. non tenentur, quaesitum fuit an ly: *non tenentur,* excludit etiam „*ad libitum.*"

S. R. C. resp.:

Excludi etiam *ad libitum* et non posse nisi id specialiter ipsis Regul. indultum fuit ex vi Concessionis apost. vel Constitutionis Religionis ab apost. Sede approbatae.

Die 20. Mart. 1683 *in una Ord. Minor. Obs.*

Ad dubium: An Regulares terrae S. Geminiani ad octavam ejusdem S. Patroni princip. teneantur, quinquaginta aut sexaginta ab hinc annis omissam?

S. C. resp.:

Negative.

N. 4605 ad 3 die 27. Mart. 1824.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Non video, curnam hoc dubium discussioni propositum fuerit, postquam S. R. C. centies sanciverat, Regulares teneri quidem ad officium Patroni principalis Civitatis vel loci, sed sine octava. Rogata namque sub *die* 22. Junii 1630: *Quomodo concurrere debent Regulares in celebratione Festi Patronorum et Titularium Cathedralium, locorum circa Officium et Missam?* respondit: *Regulares in Festis Patronorum seu Titularium Cathedralium, locorum debere celebrare sub ritu duplici Officium cum Missa, prout celebratur in dictis Cathedralibus, ipso tantum die Festo et non Octavas: et ita per quoscumque Regulares servari debere declaravit.* Ita etiam in una Pistoriensi *27. Martii 1628.* In Baren. *28. Martii 1647.* In Neapolitana diei *19. Aprilis 1687* et aliis quamplurimis, quae brevitatis gratia omittuntur. Proposito autem dubio simillimum illud est, quod declaratum fuit a S. R. C. in Panormitana *10. Septb. 1741.* Cum enim expositum fuerit S. R. C., Clericos Regulares Theatinos Panormi per saeculum et ultra consuevisse Patronorum civitatis Festum peragere cum Octava, quae postmodum per annos septem intermissa fuerat, ac propterea exorta inter eosdem quaestione: an iterum intercepta Octava esset reassumenda, quod faciendum aliquibus videbatur, eo praecipue: *Perchè li medesimi si servono del Calendario, di cui si vale il Clero secolare di Città;* ideo eadem S. C. rogata *a volersi denare di dichiare, se detti Religiosi scano tenuti di celebrare li predetti Uffizi, e Messe de' Santi Protettori colle loro respettive Ottave,* sub die *10. Septembris 1741* respondit: *Regulares non teneri ad recitationem Officii de Octava Patroni loci vel Titularis principalis.* Igitur, si non tenentur ad Octavam Regulares, qui eodem Calendario utuntur, quo utitur Clerus saecularis, etiamsi per saeculum et ultra de ea facere consueve-

rint, multo minus eam celebrare debebunt, imo *nec poterunt* Regulares, qui Calendarium habent a dioecesano diversum. Dixi, *nec poterunt* et jure dixi. Illud enim *non teneri, non tenentur*, idem sonat ac *non debere, non posse, non debent, non possunt.* Ita expressio illa, quae in praefatis Decretis occurrit, intelligenda est, ut nec facultatem relinquat peragendi Octavam *ad libitum.* Non arbitraria est nudaque opinio hujusmodi interpretatio: quippe talem esse eadem S. C. declaravit, dum ad quaesitum hisce verbis expressum: *Disponente* (S. C.) *quod Regulares ad Octavam Patroni principalis non tenentur: an ly* non tenentur *excludat etiam libitum, ita ut Regulares non possint de dicta Octava recitare, si velint?* sub die *20. Martii 1863* in una *Ordinis Minorum de Observantia* respondit: *non posse, nisi id specialiter indultum fuerit ex vi concessionis Apostolicae vel Constitutionis Religionis a S. Sede approbatae:* vide Cavalerium *tom. 1. cap. 3. decret. 9.*, Gavantum *ad Rubricas Breviarii sect. 3. cap. 12. n. 5.*, ac Meratum *ibidem n. III.* Patet igitur ex his Regulares in Terra *S. Geminiani* commorantes vel Calendario Dioecesano utentes vel Religionis proprio nec teneri nec posse reassumere interceptum usum protrahendi Officium de Patrono principali ad Octavam, sed debere se conformare Decretis supra relatis; ideo S. C. proposito dubio respondit: *Negative.*

Regulares *non* teneri ad recitationem Officii *de octava* Patroni loci. n. 4121 die 16. Septb. 1741; 20. Mart. 1683.

Ad dubium: Occurrente pridie Kal. Jul. Officio ritus dupl. maj. an peculiaris Rubrica in Breviario apposita: *Transferatur in primam diem infra Oct. Dominica vel Festo non impeditam*, respiciat commemorationem S. Pauli, quae ritu tantum gaudet dupl. min. vel potius intelligenda sit de dupl. maj. translato?

S. R. C. rescribendum censuit:

„De occurrente tantum esse intelligendam.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5116 ad 4.

Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: Quum in Constitutionibus Congreg. Clericor. regul. s. Pauli Barnab. a S. S. approbatis PP. teneantur celebrare Octavas S. Patroni loci, in quo morantur, quaeritur: an celebrare teneantur omnes Octavas, quae servantur in locis, ubi plures sunt Patroni?

Emi et Rmi P. ... rescribendum censuerunt:

„Affirmative si liquide constet de legitima plurium Patronorum principalium Officii celebratione.“

N. 5230 ad 4 die 29. Nov. 1856.

Ad dubium: 1. An Regulares intra fines degentes Archidioecesis Dublinen. teneantur recitare Officium Sancti Patroni *alterius* Dioecesis Archidioecesi Dublinen. unitae? Et quatenus affirmative;

2. An debeant hoc Festum celebrare sub ritu duplicis primae aut secundae Classis? Et eadem Sacra Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuit

Ad 1.: „Juxta Rubricas et Decreta alias edita teneri Regulares ad Officium praecipui Patroni loci, in quo commorantur.“

Ad 2. „Juxta eadem Decreta sub eodem ritu, sed sine Octava.“

Et ita rescripsit.

Die 26. Aprilis 1834. n. 4729.

e) Non est Oblig. ad Off.

Vd.: *Patronus civitatis; Festum Cathedr.; Compatronus; Epiphania* (octava.).

Ad dubium: An sub nomine Patroni loci, de quo juxta Bullam Gregorii XIII.

tenemur (Capuccini Galliae) recitare Officium sub ritu dupl. primae clas., veniat etiam Patronus parochiae, in qua commoramur? Et si sub hoc nomine comprehendatur: An, ubi Ecclesia parochialis dedicata est in honorem et memoriam plagarum Jesu Chr. vel Dolorem Bmae Virginis, debeamus de his recitare Officium, cum de his nullum est in Breviario Romano?

Et S. eadem R. C., referente Emo et Rmo Domino Card. Colloredo, respondendum censuit:

„Negative.“

Et ita declaravit. n. 3710 ad 4 die 14. Febr. 1705.

Ad dubium: In Collegio Frohnleitensi nostri Patres simul administrant Ecclesiam Adriachensem, quae Ecclesia aliquando Parochialis spatio quadrantis horae a nostra Ecclesia Frohnleitensi nunc parochiali remota, in illa lugubri Ecclesiarum, ut priori saeculo videbatur, superfluarum destructione, a Colonis empta hucusque maxima cura et non paucis expensis ab iisdem conservatur et non habens proprium Sacerdotem, nostrae dispositioni et administrationi plane relicta est; et revera ibidem quam frequentissime a Nostris concionatur, Sacramenta administrantur et Missae leguntur. Quaeritur: num etiam hujus Ecclesiae Patronus S. Georgius Martyr a nostris Patribus licite sub ritu dupl. 1. cl. cum Octava celebretur?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Negative.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit a Patribus Cong. SSmi Redemptoris extra Italiam et in Dominiis Austriacae Domus degentibus. n. 4842 ad 9 die 1. Septb. 1838.

f) Sensus verbi „loci.“

Ex variis Decretis S. R. C. Regulares tenentur ad Festum Patroni principalis loci et titularis Ecclesiae Cath. atque Protectoris Civitatis sine Octava; sed in praedicta Cong. movetur dubium circa sensum hujus vocis *loci*. Juxta quosdam idem sonat ac Dioecesis, juxta alios vero idem ac Civitatis et Oppidi; denique juxta nonnullos etiam pagi.

1. Quaenam ex illis sententiis amplectenda?

2. Quid intelligendum pro Protectore Civitatis?

3. Patronus pagi idemne est ac Patronus parochiae, quum in Gallia Pagus et parochia indiscriminatim sumantur ad designandam aliquot domorum vicinitatem, intra quas reperitur Ecclesia, cui Parochus deservit: ita ut Regulares in Pago degentes non teneantur ad Festum Patroni Pagi, sicut non tenentur ad Festum Patroni Parochiae:

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Quoad primam quaestionem intelligendus est praecipuus Patronus tantum vel Dioecesis, si habeatur, vel Oppidi similiter.“

„Quoad secundam quaestionem, ut ad proximam.“

„Quoad tertiam Negative ex decisis.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4909 ad 2 die 12. Septb. 1840.

Quaesitum fuit: an sub nomine Patroni loci veniat etiam Patronus *parochiae,* in qua commorantur Regulares?

S. R. C. resp.: Negative.

Die 14. Febr. 1705 in una Ord. Capuc. Galliae.

Regulares tenentur Officium recitare de Patrono principali *loci;* dubitatur: an sub ly *loci* comprehendatur etiam Patronus princ. *Regni vel Provinciae?*

S. C. resp.: Comprehendi etiam dictos Patronos, si liquido constet de concessione apost. n. 3019 ad 7 die 20. Mart. 1683.

Hoc decretum comprehendit etiam Moniales Ordinariis subjectas. n. 3617 ad 1 die 11. Febr. 1702.

g) Translatio.

Curatus quidam, exponens Festum Patroni loci cadere in Vigilia s. Bartholomaei et ob id jejunium a populo non servari, pro quo servando petiit Festum Patroni transferri quotannis in dominicam primam immediate sequentem.

S. C. resp.: Posse concedi quoad translationem petitam tantum, nulla facta alteratione Officii et Missae in die proprio, quo cadit. n. 1023 die 21. Julii 1635.

Vd.: *Patronus princip.* (transl. Festi.)

h) Ubi proprius non est.

Vd.: *Patronus Dioeces.* (oblig. ad Off. decr. n. 4553 ad 12; n. 4611); *Patron. loci* (oblig. Cleri saec. ad Off. decr. n. 4605 nota circa fin.).

Festum praecipui Patroni Dioecesis servandum sub praecepto in locis, in quibus non habetur specialis Patronus a S. Sede confirmatus. n. 5207 ad 1 die 12. Aug. 1854.

12) Ordinis.

a) Electio.

Cf.: *Apparitio s. Michaelis arch.*; *Calendarium Congreg. ss. Redempt.* (decr. n. 4581 ad 2); *Patronus* (electio.).

b) Ritus Festi.

Sub quo ritu debeant Regulares, quorum Religio divisa est in plures Provincias pro illius faciliori et strictiori regimine, facere Officium Sancti, quem sibi elegerunt pro Patrono suae Provinciae a principio erectionis illius, an sub ritu duplici primae classis et cum octava, an sub ritu simpliciter duplici, an vero sub ritu tantum semiduplici?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi et Rmi D. Card. S. Clementis respondendum censuit sub die 10. Junii 1710:

„Negative."

13) Parochiae.

(Obligatio ad Officium.)

Abbatia s. Bernardi sita est intra limites parochiae ruralis de Bonhem, cujus Ecclesiae titulus est B. V. M. ad s. Leodegarium. Quotannis fer. 2. post festum SS. Rosarii celebrat. festum s. Leodegarii a clero cum officio ritus dupl. I. cl. cum octava; a populo tanquam festum in devotione sed non sub praecepto ducitur; unde quaeritur: an monachi abbatiae teneantur in dicta fer. 2. recitare Off. de s. Leodegario?

S. C. resp.: Negative sed teneri ad Off. Patroni dioecesis.

Die 27. Febr. 1847. *In Mechlinien.*

Cum Patronus Paroeciae seu titularis Ecclesiae parochialis colendus sit ab omni Clero illi Ecclesiae adscripto ritu dupl. primae class., ut optime eruit Gavantus ex Rubrica 7. generali de Octavis n. 1. et ex Rubrica 9. de commemorationibus, quaeritur: Num Patronus seu titularis cujuslibet Ecclesiae parochialis dioecesis Tuden. supradicto ritu coli debeat etiam in Paroeciis noviter erectis et in posterum erigendis, licet nomen Patroni seu titularis minime inveniatur nec in calendario Romano nec in Martyrologio, dummodo in aliquo pago, sacello hujus dioecesis cultu religioso colatur et ex consuetudine immemorabili sit titularis alicujus Ecclesiae vel capellae? Et si negative, pro gratia supplicatur.

Et S. eadem C. respondit:

„Negative et recurrant in casibus particularibus."

Et ita decrevit n. 4495 ad 6 die 1. Sept. 1804.

Oppida, quae habent peculiarem Patronum, servare tenentur festum hujus Patroni particularis loci dumtaxat. n. 4267 ad 3 die 26. Mart. 1757.

Cf.: *Patronus Ecclesiae; Patron. loci* (sensus verbi etc.; decr. de die 14. Febr. 1705); *Off.* (Oblig. ad quod; decr. n. 4985; 4501.)

14) Principalis.

a) Anticipatio festi.

Vd.: *Patronus principal.* (transl., decr. n. 4596.)

b) Estne festum mobile?

Vd.: *Patronus civitatis, loci, Dioeces. etc.*

Ad dubium: An festa Patronorum principalium haberi debeant tamquam festa mobilia?

Et S. C. respondit:

„Negative, cum hujusmodi festa certis Dominicis infra eorumdem octavam sint perpetuo assignata et nisi per accidens transferenda erunt."

Et ita etc. n. 4553 ad 2 die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Festa Patronorum perpetuo affixa certae Dominicae immediate post diem propriam vel alteri pro casuum diversitate assignatae adnumeranda non sunt festis mobilibus, nisi lato modo, quia scilicet non semper eadem die mensis celebrantur: habent tamen certam sedem, a qua non nisi accidentaliter queunt amoveri. Vere mobilia censentur et sunt illa, quae pendent a Cyclo Paschali, idcirco et festa, de quibus modo res est, mobilia dicenda forent, si Dominica assignata esset ex. gr. tertia post Pascha, quarta post Pentecosten etc., quae singulis annis variant.

c) Æstne festum de praecepto?

Cf.: *Votum.*

Festum principalioris Patroni in quocunque Regno sive Provincia et alterius pariter principalioris Patroni in quacumque civitate aut oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit, est praeceptivum cum obligatione audiendi Sacrum et vacandi ob operibus servilibus.

S. R. C. 13. Sept. 1642.

Si festum sit Sancti tamquam Patroni loci, electi a clero, populo etc. illius loci cum approbatione Episcopi vigore Constitutionis Urb. VIII. juxta decreta S. R. C., tum festum dicti Sancti erit de praecepto observandum et celebrandum ab incolis totius loci etiam a Suburbanis, alias negative.

S. R. C. 15. Sept. 1742.

Vd.: *Patronus loci* (Oblig. cleri saec.; decr. 22. Mart. 1817.).

d) Nominatio in ejus missa vot. in orat.: „A cunctis."

Vd.: *Concede* (decr. n. 4560.).

e) Octava.

De *principaliori* dumtaxat Patrono celebrandum esse festum cum octava. n. 1130 die 26. Mart. 1639.

Vd.: *Patronus civit.* (octava); *S. Lucia. De transl. octavae* vd.: *Patron. princip.* (transl. festi; decr. 4553 et alia.)

f) Offic. Regul. et Saecul.

Cf.: *Patronus loci* (Officium etc.).

Regulares tenentur celebrare festum et officium de Patrono principali loci Conventus ac de Patrono seu Protectore principali civitatis, Regni aut Provinciae sub ritu duplici primae classis et sine octava.

S. R. C. die 3. Junii 1682 et 20. Mart. 1683, ut patet in Rubricis particularibus

Breviarii Franciscani n. 78. et 80. Ad Officia vero de *Patronis minus principalibus* ac de Sanctis Dioecesum non tenentur, nisi sint descripta in Kalendario et tunc non sub alio ritu, quam ibi assignato. Cit. Rubr. particul. d. n. 78. ex decreto S. C. R. ibi adducto. Ad hoc autem, ut Regulares teneantur ad Officia Patronorum principalium et Clerici Saeculares etiam ad Officia Patronorum minus principalium, debent esse electi in Patronos juxta conditiones praescriptas in d. Decreto Urbani VIII. adducto supra t. II. p. 683.

Officium Patroni principalis loci tenentur omnes recitare sub duplici primae classis, Clerici quidem Saeculares cum Octava, Regulares autem sine Octava. S. C. R. 27. Maii 1628 et pluries in aliis Decretis

g) Translatio festi.

Vd.: *Reductio festorum* (decr. n. 4552); *Dedicatio Eccl. omnium* (transl. decr. n. 4897; 5215); *Patronus civit.* (missa etc.); *Patron. loci* (transl.).

Cum festum s. Francisci de Paula anno 1706 incidat in fer. VI. majoris hebdom., Clerus Consentinus pro translatione ejusdem cum Octava tamquam de Patrono principali et cum obligatione illud servandi supplicavit.

S. C. resp.: Dumtaxat ad fer. 2 post dominicam in albis, sine tamen Octava et cum obligatione illud servandi pro illis locis, in quibus servari solet, posse transferri. n. 3737 die 5. Decb. 1705.

Ad dubium Vicarii Capituli Monopolitanae: an cum Officio transferendum veniat etiam praeceptum audiendi Sacrum?

S. C. resp.: Negative et in fer. VI. in Parasceve non teneri audire Sacrum. n. 3739 die 20. Mart. 1706.

Ad dubium: An translatio festorum Patronorum principalium intelligenda sit de tempore tantum sequenti? et in casu, quod intelligi debeat etiam de praecedenti, quae regula habenda, si de praecedenti vel de sequenti?

Et S. C. respondit:

„Dispositionem Brevis comprehendere omnia festa Patronorum principalium tam quoad tempus praecedens, quam quoad subsequens: quoad vero regulam tenendam provisum."

Et ita etc. n. 4553 ad 1 die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Dubium hoc obscurum est. Videtur tamen in eo postulari, num amovenda sint a propria sede, ut ad proximam dominicam transferantur, illa Patronorum festa, quae de praecepto servabantur, priusquam prodiret Apostolicum indultum reductionis et translationis festorum pro utriusque Siciliae regno, an potius ratio dumtaxat habenda sit eorum Sanctorum, qui in posterum in principes Patronos erunt forte assumendi? Clara namque est dispositio Brevis, quae comprehendit Patronos omnes tam electos quam eligendos; nulla quippe fit distinctio, imo directe de Patronorum festis agitur: *quibus adjunctum sit praeceptum abstinendi ab operibus servilibus*, quae dictio intelligenda praesertim est cum de praeterito tum de praesenti statu, ita ut sensus sit: *Festa illa Patronorum, quae hucusque in die propria solemniter sub utroque praecepto servata sunt, in posterum transferantur ad proximum diem dominicum:* Quod vero aeque provisum sit festis illorum Sanctorum, quorum electio in Patronos alicujus civitatis vel loci in posterum fiet, non est dubitandum. Quamobrem sapienter S. C. respondit: *Dispositionem Brevis comprehendere omnia festa Patronorum principalium tam*

quoad tempus praecedens quam quoad subsequens.

Ad dubium: An, translato festo Patroni principalis in diem dominicum, transferri debeat simul in Sabbatum dictae dominicae praecedentem Officium et Missa de Vigilia?

Et S. C. respondit:

„Affirmative quoad jejunium et abstinentiam ac etiam quoad Officium Vigiliae, quatenus festa sint ex illis, quae gaudent Vigilia quoad Chorum."

Et ita etc. n. 4553 ad 3 die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

In literis Apostolicis in forma Brevis datis a S. M. Pio VI. super reductione festorum pro dioecesibus subjectis in temporalibus potentissimo regi Borussiae indulta legitur translatio ad Sabbatum vigiliae festorum, quae a die propria amota in dominica infra Octavam reponenda perpetuo erant. Cum igitur par sit ratio, eadem dispositio sequenda erit. Immo si fieri contingat de loci Patrono in die dominico, et feria II. occurrat festum, quod vigilia gaudet, in praecedenti Sabbato anticipanda, haec pro utroque prodesse posse videtur. Sed quia contingere potest, ut utriusque vigilia proprium Officium habeat et non tantum onus abstinentiae et jejunii; ideo diversa ratio tenenda est et in casibus particularibus recurrendum ad S. R. C., quae, juxta eorumdem diversitatem, providebit. Id melius declarabitur in altera ex sequentibus adnotationibus.

Ad dubium: An translato festo Patroni principalis in diem dominicum transferatur etiam tota Octava vel reliqui dies Octavae, si supersint? Et in casu, quo transferri debeat festum Patroni principalis in diem dominicum et celebrari cum tota Octava, quae regula habenda circa lectiones nocturnorum, cum in Octavario Romano R. P. Gavanti non semper assignentur, eo quod Officium Octavae fixum erat certis diebus, uti videre est in Octavario Romano?

Et S. C. respondit*)

„Ad primam partem: Si festum fiat in dominica fixe assignata, retinet integram Octavam, quia haec habetur ut dies propria: ea vero accidentaliter impedita, si ulterius sit transferendum, Octava perit. Quoad secundam partem: provisum per Rubricam de Octavis n. 4. et per regulam traditam a Gavanto in praefat. ad Octavarium Romanum: Quod si adhuc super hoc dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus."

Et ita etc. n. 4553 ad 4 die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Si festo Patroni principalis assignata est in perpetuum certa determinata dominica, numquam in posterum varianda, nisi per accidens in occursu festi aequalis ritus sed majoris dignitatis; recta consequitur, quod gaudere debet omnibus indultis, privilegiis, praerogativis, quae principalium Patronorum festis competunt, ac proinde etiam Octava. Quid autem si non habeantur lectiones propriae pro singulis Octavae diebus? Provisum satis est per Rubricam, quae *tit. de Octavis n. 4.* generalem dat regulam; deinde vero, quia aliquando propriae lectiones desunt quoad Patronos principales locorum, ita prosequitur: *Infra Octavas*

*) Episcopo Tarentino de his verbis dubitanti S. C. resp.: Dominicam, in qua perpetuo reponendum erit festum Patroni pr., habendam esse ut diem propriam ac proinde gaudere octava et omnibus privilegiis et praerogativis, quae festis Patron. pr. conveniunt; octavam vero perire, si ob aliquod impedimentum per accidens sit festum transferendum. n. 4557 die 18. Oct. 1818.

vero Patroni vel Titularis Ecclesiae vel alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit una cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habeantur propriae et adprobatae lectiones pro II. et III. Nocturno, infra Octavam repetuntur lectiones positae in communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava, alioquin lectiones diei festi. Non ita multo post, adprobante S. R. C., evulgatum fuit *Octavarium Romanum a cl. P. Gavanto,* qui in praefatione adnotat ad praefatam rubricam: *Hinc habentur* (in hoc scilicet Octavario) *approbatae lectiones pro Octavis propriis et communibus Sanctorum. Quod si in III. Nocturno communes non deserviant aliquibus festis, quae videlicet proprium habent Evangelium, eo casu post dictum festum (in quo legi debet proprium Evangelium cum sua Homilia) in sequentibus diebus infra Octavam lege Evangelium in Missa et Officio vel primum vel aliud congruentius de communi cum suis Homiliis ... in die vero Octava legatur in III. Nocturno, ut in die festo, si propriis careat:* Quatenus hujusmodi teneantur regulae, difficillimum erit, dari casum, cui per easdem satis consultum non sit.

Ad dubium: An simul cum festo Patroni principalis in diem dominicum translato transferantur simul omnes solemnitates, concessiones, privilegia, indulta, indulgentiae, prohibitiones Missarum in Oratoriis privatis etc. eidem festo adnexae?

Et S. C. respondit:

„Affirmative, quia dominica, in qua festum erit perpetuo fixum, perinde habenda est, ac si esset dies propria."

Et ita etc. n. 4553 ad 5 die 18. Oct. 1818*).

*) Cf.: *S. Antonius de Pad.* (decr. n. 4554); *Indulgentia; Applicatio pro populo* (decr. n. 4554); *Reductio festorum.*

Ad dubium: Occurrente festo Patroni principalis, eo quod transfertur in diem dominicum, cum festo I. cl. vel Ecclesiae particularis vel ordinis vel dioecesis vel nationis vel Ecclesiae universalis, de quo celebrandum erit Officium? id est: quae festa vel solemnitates impediant fieri festum Patroni principalis?

Et S. C. respondit:

„Impedimentum ponunt dominicae omnes 1. et 2. cl. vel in quibus occurrunt festa 1. cl. majoris dignitatis. Quoad reliquam dubii partem, si dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus."

Et ita etc. n. 4553 ad 6 die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Cum agatur de locorum peculiaribus Patronis, nulla habenda ratio est regulae, quae in plurium Officiorum aequalis ritus occurrentia obtinet. Res est de perpetua translatione ad dominicam. In hac autem plura occurrere et varia impedimenta possunt, quibus generali dispositione opportune provideri nequit. Ideo S. C., postquam generaliter respondit, dominicas I. et II. cl. et festa aequalis ritus sed majoris dignitatis impedimentum ponere, simul addidit: *Si dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus.* Forte tamen aliquis rogabit, curnam dominicae II. cl., hoc est inferioris ritus, nequeant admittere hujusmodi Patronorum festa, quae, ut supra dictum est, habere debent ut propriam perpetuamque sedem diem dominicum, in quem transferuntur; quandoquidem jubet rubrica, ut in dominica II. cl. fiat de festo dupl. I. cl. occurrente? Facile dubium solvitur, si advertatur, rubricam loqui de accidentali occurrentia, non autem de assignatione perpetua dominicae II. cl. pro celebrando festo ritus dupl.

I. cl. Porro id accideret quoad festa illorum S. Patronorum, quae semper aut fere semper incidunt in Adventu et Quadragesima. Nullatenus proinde licet hujusmodi festa non accidentaliter sed perpetuo transferri ad aliquam ex dominicis II. cl., quae juxta Ecclesiae instituta plenae sunt mysteriis et solemnibus adnumerantur. Quid igitur? Ubinam hujusmodi festa collocanda? Ut mihi videtur, illis, quae occurrunt a Septuagesima ad dominicam in albis, aliqua assignari poterit ex dominicis post Pascha; aliis vero, quae cadunt in Adventu, per anticipationem aliqua ex dominicis mensis Novembris. De hac anticipatione exemplum habemus in praefato *Brevi S. M. Pii VI.* pro dioecesibus in temporalibus subjectis Borussiae regi, in quo assignatur pro festo *S. Laurentii* dominica antecedens, quia subsequens reservabatur *Solemnitati Assumptionis B. M. V.* Rogata vero S. R. C. *in Gnesnen.*, quid agendum de *festo S. J. Bapt.*, ubi est Patronus principalis, si in sequenti dominica faciendum sit *de festo ss. Apostolorum Petri et Pauli?* Item *de Nativitate B. M. V.*, si in sequenti dominica *occurrat festum S. Crucis titularis?* Ac tandem *de festo ss. Apostolorum Simonis et Judae*, ubi erant principales Patroni, impedita sequenti dominica, ob occursum *festi omnium Sanctorum?* noluit rem definire sed respondit: *Ad Secretarium cum SSmo. SSmus* vero juxta *mentem Congregationis* declaravit, ad 1.: *Si festum ss. Apostolorum Petri et Pauli occurrat vel in Sabbato vel in Dominica vel in feria II. post festum S. J. Bapt., eo casu tantum in iis locis, ubi ss. J. Bapt. est principalis Patronus oppidi vel pagi, ejus festum transferendum esse cum Officio et Missa ad dominicam praecedentem cum vigilia in Sabbato etiam praecedenti;* ad 3.: *festum Nativitatis B. V. M. transferendum esse ad dominicam praecedentem;* ad 5: *Ut ad primum.* Ita autem provisum, ut simul consultum foret occurrentiae vigiliae, quia utraque habeat Officium et Missam propriam. In casu autem nostro omnino necessaria est anticipatio, quia, cum anni cursus complementum habeat in mense Decembri, nulla dominica superest assignanda festo Patroni, quod cadit in Adventu et festis Nativitatis. Objiciet fortasse quis, S. C. *ad dubium* 7. *antedictae Gnesnen.* plaudendo voto magistri caeremoniarum, qui insinuaverat, celebrandam esse solemnitatem in dominica privilegiata, Officium vero transferendum juxta rubricas, anticipationem denegasse. Enimvero proposito dubio secus respondendum non erat, cum non alia, nisi de anticipatione duorum festorum particularium quaestio esset: sed quoniam modo innumeris fere diversisque casibus consulendum est, neque omnibus et singulis una eademque regula aptari possit; ideo S. C. respondit, habendam esse rationem in casibus particularibus, quia, attentis peculiaribus circumstantiis singulorum, prout magis expediens erit, providebit. Nam nisi festis illis, quae perpetuo occurrunt in Adventu vel Quadragesima provisum fuerit vel per anticipationem vel per translationem ad certam fixamque dominicam, eorumdem Octavae non accidentaliter sed constanter necessario perirent.

Ad dubia 1.: De quo faciendum Officium illo die, qui remanet vacuus ob translationem festi Patroni principalis in diem dominicum?

2.: An illa festa, quae ab ordinariis locorum assignata fuerant (aliis diebus) tamquam propriis, ratione occurrentiae cum festo Patroni principalis, sublato nunc hoc perpetuo impedimento, quia festa Patronorum principalium habent

saltem rationem festorum mobilium, possint et debeant illa praedicta festa olim amota a propriis sedibus celebrari vel retrogradi suis diebus, quibus assignata fuerunt ab initio in Calendario Romano?

3.: An et quando festum Patroni principalis transfertur in diem dominicum, debeat in feria 6. dictae dominicae praecedente annuntiari in Martyrologio vigilia, si adsit et in Sabbato annuntiari festum Patroni, quod celebratur die dominica et in Sabbato sequenti annuntiari octava?

Et S. C. respondit

Ad 1.: „Faciendum officium de feria, nisi aliquod festum prius translatum reponendum sit."

Ad 2.: „Affirmative, nisi ex hoc sequatur non levis perturbatio et confusio in ordinando Calendario."

Ad 3.: „Affirmative in Sabbato praecedenti quoad festum, affirmative etiam quoad vigiliam in fer. 6., si adjunctum habeat Officium; secus Negative."

Et ita etc. N. 4553 ad 7. 8. 9. die 18. Oct. 1818.

Nota Gardell. ad hoc Decretum n. 3.

Si annuntiatur in Martyrologio pridie, quam celebretur, festum, quod transfertur accidentaliter, potiori jure annuntiandum erit in Sabbato illud, quod a sua sede perpetuo amotum collocatur in dominica infra Octavam vel in alia perpetuo assignata juxta casuum diversitatem, tamquam in sede propria. Et quoniam translatio accidentalis non est, sed perpetua secumque trahit Octavam et Vigiliam, illa annuntiari debebit in subsequenti Sabbato, haec autem in fer. 6. festum praecedente, quatenus tamen Vigilia habeat Officium; nam illa improprie Vigilia dicitur, quae solam habet abstinentiam et jejunium, ideoque non annunciatur in martyrologio.

Ad dubium 1.: Quaeritur primo: utrum in diebus respectivae horum ss. Patronorum principalium festivitatis, qui infra hebdomadas cadunt, fieri possint Officia et Missae eorum Sanctorum, qui alias celebrari deberent diebus illis dominicis, quibus in posterum substituenda erunt Officia et Missae dictorum ss. Patronorum? Praevidetur enim nullam de Sanctis in dominicis istis per ordinem incidentibus fieri posse memoriam, quia eorum translationi ultra illos dies dominicos locus non erit, praesertim in dioecesi Cajetana, propter tot alios Sanctos remittendos et peculiariter celebrandos ob Indultum Pii Papae VI. a praedicto Episcopo Cajetano Pergamo impetratum.

2. Quaeritur secundo: an hujusmodi Sanctos non Patronos, sed ritus duplicis, remitti permittatur diebus dominicis vacantibus praeter Quadragesimam et Adventum?

Et S. R. C. declaravit

Ad 1.: „Translationem festorum Patronorum principalium ad proximam dominicam faciendam esse dumtaxat in civitatibus et locis, in quibus tales revera sunt; in aliis vero locis, in quibus ex speciali Indulto gaudent ritu dupl. 2. cl., sed qualitatem non habent proprii principalis Patroni ac propterea nec adjunctum praeceptum, transferenda non sunt, sed retinere debent diem propriam. Cum vero in qualibet civitate vel loco unus tantum principalis Patronus cum solemnitate duplicique praecepto recolendus sit, difficile erit, quod nulla supersit dies vacua pro reponendo festo occurrente in die dominica, ad quam transferendum erit festum Patroni. Quod si casus accidat, festum, quod locum cedit, reducendum erit ad ritum simplicem per accidens."

Ad 2.: „Negative, et satis provisum in primo."

Et ita etc. N. 4558 die 18. Octbr. 1818.

Patronus pr. occurrens cum festo *ss. Cordis Jesu;* vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. decr. n. 4579 ad 2).

Quatenus festum s. Francisci Xav., Patroni principalis Oppidi, cui nomen a s. Anastasia in dioecesi Nolana, incidat in dom. 1. Adv., transferatur juxta rubricas. n. 4596 die 12. Apr. 1823.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

En alter ex illis casibus a Sacra Congregatione praevisis, quibus aptari nequit regula generalis de transferendis festis Patronorum principalium ad proximam dominicam in civitatibus, oppidis, locis utriusque Siciliae regni, quibus per apostolicas literas in forma Brevis expeditas sub die 10. Aprilis 1818 indulta fuit reductio festorum; quamobrem eadem S. C. in Neapolitana 18. Octbr. ejusdem anni datae responsioni ad dubium 6. addidit: *Si dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus.* Cum igitur *s. Franciscus Xaverius* novissime datus sit in principem Patronum *Oppidi a s. Anastasia nuncupati* in dioecesi Nolana, juxta formam praefatae regulae reponendum foret ejusdem festum, tamquam si esset sedes propria, in proximam dominicam; sed fieri hoc nequit, nam vel *dies 3. Decembris*, in quo praefati Sancti memoria recolitur, occurrit *in dom. 1. Adventus, et haec omnia excludit duplicia* cujuscumque classis, vel infra hebdomadam primam Adventus, nec poterit reponi in ullam ex sequentibus, quia omnes sunt impeditae usque ad anni finem. Et quamquam *dominicae 2. 3. et 4. Adventus* sint ritus dupl. 2. cl., ac proinde locum cedant festis 1. cl. accidentaliter occurrentibus, nequeunt tamen ullam ex his duplicibus admittere tamquam in sedem propriam, veluti accideret, si festum s. Francisci Xaverii, ubi est principalis Patronus, perpetuo celebrandum foret in *dom. 2. Adventus.* Quomodo igitur providendum? Per anticipationem recolenda erit s. Francisci Xaverii memoria cum Officio et Missa in ultima dominica post Pentecosten, ut S. C. sancivit. Neque novum id est, nam in casibus parum a praesenti diversis simili modo a s. m. Pio VI. et a Sac. Rit. Congregatione provisum fuit pro locis ditioni potentissimo Borussiae regi subjectis, quorum favore indulta fuit fere omnium festorum translatio in proximam sequentem dominicam. Quoniam vero per alterum Breve datum 16. Octobris ejusdem anni potestas facta fuit locorum Ordinariis sub quibusdam conditionibus, ut indulgeant, ne festum Patroni principalis a propria sede amoveatur; ideo S. Congregatio suo Rescripto addidit exceptionem, videlicet, nisi Ordinarius permittat, ut festum s. Francisci Xaverii propriam sedem retineat. Quid autem faciendum, si in hoc casu dies 3. eidem assignata incidat in *dom. 1. Adventus?* Facilis est solutio. Cum enim hujusmodi occursus accidentalis sit, et non perpetuus, servari poterit in eadem dominica extrinseca solemnitas, Officium vero cum Missa transferri in diem primam non impeditam juxta Rubricas. Ita responsum fuit in *Gnesnen.* quoad festum *s. Catharinae,* quod transferri nequibat in proximam dominicam, dum occurrebat prima Adventus. Nam, cum hujusmodi occursus non perpetuus sed accidentalis esset, S. C. adhaesit Voto Magistri Caeremoniarum, qui insinuaverat, non omittendam extrinsecam solemnitatem in dominica privilegiata, translato Officio juxta Rubricas.

Atque ita intelligenda est postrema pars Rescripti S. C.

Cum festum ss. Faustini et Jovitae MM. ac principal. Patron. Ecclesiae Brixiensis incidens in diem 15. Febr. saepe in Quadragesima vel paulo ante occurrat, omittat octavam seu partem ejus; idcirco S. R. C. demisse supplicatur, ut octava praedictorum Patronorum etiam in Quadragesima celebrari possit juxta tamen decreta hac in re edita. Supplicatur quoque ut incidens festum ipsorum SSrum in fer. 4. Ciner. vel dom. 1. Quadrag. transferri possit in diem immediate sequentem, translato quocumque festo aequalis ritus, non majoris dignitatis et similiter 1. cl. in eam incidente.

S. C. resp.: Negative in omnibus, et serventur rubricae. Die 20. Sept. 1806 *in Brix.*

h) Vigilia cum jejunio.

Vd.: *Patronus civit.* (Vigilia cum jejunio, decr. n. 4611).

De Patrono principale cf.: *Patron. Cathedralis, Civitatis etc.; S. Joannes Bapt.* (transl. decr. n. 4444); *SS. Simon et Juda ap.* (decr. n. 4444); *Dedicatio Eccl.* (Officium etc., decr. n. 3803); *Patrocin. S. Josephi* (decr. n. 4487); *Reductio festor.* (decr. n. 4552).

15) Minus principalis.

a) Cujus ritus?

Vd.: *S. Rochus* (decr. n. 4355).

Festa secundaria Patronorum minus principalium, si celebrantur cum solemnitate, habent in se naturam dupl. majoris, et qualitatem dupl. minoris si absque solemnitate peragantur; Symbolum autem in missis celebrandum non erit, nisi in iis Ecclesiis, in quibus aut s. Corpus aut s. insignes reliquiae asservantur. n. 4134 ad 2 die 1. Decbr. 1742.

b) Non celebr. cum octava.

Vd.: *Patron. princip.* (Octava); *S. Lucia.*

Capitulo et Clero civitatis Ostuni supplicanti pro concessione facultatis continuandi in celebrando festum s. Orontii cum Octava, non obstante quod in dicta civitate sit alius s. Patronus.

S. C. resp.: Nihil et in posterum abstineant. Die 9. Febr. 1675.

c) Translatio.

Ad dubium: An Patroni minus principales in concursu Officii aequalis ritus, sed dignitate majoris, sint praeferendi?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: *Juxta Votum Magistri Caeremoniarum*, nimirum: „Negative."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5030 ad 1 die 6. Sept. 1845.

16) Regni.

(Obligatio ad Officium).

Vd.: *Patronus Dioeces.* (Oblig. Cleri saec. ad Offic., decr. n. 4842; Oblig. Regul., decr. n. 4941).

De Patrono regni est facienda octava in omnibus regni civitatibus. n. 2207 die 17. Martii 1663.

In die festo s. *Januarii*, Patroni principalis regni Neapolis, fieri debet Officium sub ritu duplici cum Octava de *solo* s. Januario, et Officium Sociorum est transferendum ad primam diem non impeditam. n. 2283 ad 1—3 die 12. Julii 1664.

De s. *Januario*, Patr. princip. regni Neapolis, Officium fieri debet de communi u. m. n. 2302 ad 2 die 22. Nov. 1664.

Regulares tenentur recitare Officium de Patrono princip. *loci;* dubitatur: an sub ly loci comprehendatur etiam Patronus princip. *Regni vel Provinciae?*

S. C. resp.: Comprehendi etiam dictos Patronos, si liquido constet de concessione apostolica. n. 3019 ad 7 die 20. Martii 1683.

Hoc decretum comprehendit etiam Moniales Ordinariis subjectas. n. 3617 ad 1 die 11. Febr. 1702.

In Hispania die 25. Julii celebratur Officium dupl. 1. cl. s. Jacobi Patroni totius Regni. Quaeritur: an in Ecclesiis particularibus occurrente eodem die festo Patroni earundem Ecclesiarum debeat fieri Officium s. Jacobi ap. Patroni totius Regni translato festo Patroni particularis earundem Ecclesiarum, aut recitari Officium praedicti particularis Patroni, translato Officio s. Jacobi ap.?

S. C. resp.: Attenta excellentia majoris dignitatis juxta rubricas et decreta Officium s. Jacobi ap. Patroni Hispaniarum praeferri debet in occurrentia s. aliis Patronis Ecclesiarum particularium, dummodo non sint ejusdem vel majoris dignitatis. n. 4507 ad 6 die 8. Apr. 1808.

Ad dubium: Utrum Regulares possint et debeant festum Patroni Regni et Dioecesis, ubi commorantur, celebrare, non obstante celebratione proprii Ordinis Patroni? Et quatenus affirmative, sub quo ritu?

Et Emi ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescribendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum in omnibus", videlicet: „Quoad primam partem affirmative, quoad secundam ritu dupl. 2. cl. sine Octava."

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt die 16. Apr. 1842 n. 4941 ad 8.

17) Transl. Solemnitatis Patroni in dom.

Vd.: *Patronus princip.* (transl. festi praecipue decr. n. 4596); *S. Anton. de Pad.* (vig. decr. n. 4594); *Dedicatio Eccl. omn.* (transl., decr. n. 5215); *Patron. Dioeces.* (oblig. cleri saec., decr. de die 12. Sept. 1840); *Titularis* (transl. Solemn. in dom. seq.).

Ad dubium: 1. An possit in Missa solemni Oratio Patroni addi sub unica conclusione Orationi diei, quando solemnitas ejusdem Patroni incidit in dominicam proximam Adventus aut Quadragesimae, vel an transferri tunc debeat solemnitas in dominicam subsequentem, quandoquidem prohibitum est cantare Missam de Patrono dominica I. Adv. vel Quadrag. juxta Rubricas Missalis tit. VI.?

2. Quid faciendum sit, quando solemnitas Patroni incidit in dominicam Palmarum vel Paschatis Resurrectionis vel Pentecosten?

S. R. C. . . . rescribendum censuit: „Quoad primam quaestionem: Fieri posse sub unica conclusione vel ad libitum transferri; quoad secundam: Solemnitatem esse transferendam."

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4910 IV. 1. 2. die 13. (12.) Septbr. 1840.

Quum juxta Indultum de reductione festorum datum Parisiis die 9. Apr. 1802 et posteriora quaedam Decreta solemnitas Patroni cujuslibet Paroeciae sit transferenda in dom. subsequentem, in qua canitur una missa solemnis de festo illo, seu solemnitate more votivo cum unica Oratione et quum plurima dubia circa hanc sanctionem adhuc subsistant, non obstantibus Responsis a S. R. C. jam datis, hinc quaeritur:

1. An haec Missa solemnis de Patrono cantari etiam possit, quando in illa dom. sit Officium de festo dupl. 1. cl. occurrente, dummodo illud festum occurrens non comprehendatur sub dom. et festis, quae excipiuntur in Rubricis gen. Missalis tit. VI. de translatione festorum, et dummodo non sit majoris dignitatis quam ipse Patronus?

2. Si non licet cantare Missam votivam solemnem de Patrono, quaeritur: an ejus commemoratio uniri possit Orationi festi occurrentis sub unica conclusione, vel an potius solemnitas Patroni sit ulterius transferenda in dom. subsequentem juxta Decretum S. R. C. in Mechlinien. die 12. Sept. 1840 ad IV.?

3. Quaeritur, quaenam Missa cantari debeat in Ecclesiis, quarum titulus est Visitatio B. M. V., si solemnitas ss. ap. Petri et Pauli occurrat in ipso festo Visitationis, quod sub ratione tituli habet ritum dupl. 1. cl.: an de festo Deiparae, tamquam de digniori, addita commemoratione ss. Apostolorum, an e contra de ss. Apostolis, quorum solemnitas ea die celebratur in populo per totum Belgium, et omissa commemoratione festi Visitationis, quod non habet solemnitatem in populo, siquidem alius datur Patronus loci?

4. In locis, ubi Patronus princip. est s. Joannes Bapt., solemnitas ejus interdum coincidit cum solemnitate ss. ap. Petri et Pauli. Quaeritur: an ibidem istae duae solemnitates celebrari possint per modum unius eadem die, Missam scilicet cantando de s. Joanne Bapt. cum commemoratione ss. Apostolorum juxta responsum datum a S. R. C. die 1. Sept. 1838 pro solemnitate ss. Apostolorum et s. Rumoldi in civitate Mechlinien., vel an alterutra solemnitas ulterius sit transferenda?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit

Ad quaest. 1. et 2.: „Juxta Decretum in Mechlinien. 12. Sept. 1840 ad dub. IV."

Ad quaest. 3.: „Ut ad proximum, et transferatur Missa Visitationis B. M. V."

Ad quaest. 4.: „Pariter ut ad proximum, et transferatur Missa ss. Apostolorum in casu."

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 die 7. Dec. 1844.

Ad dubium: An festum s. Patroni, quod ex dispositione sa. me. Gregorii Papae XVI. transferri debet ad dom. proxime sequentem, si haec dominica praepedita sit, amandare possit ad aliam insequentem dom. vel die propria celebrandum?

S. eadem C.... respondendum censuit: „Transferendum cum Missa tantum ad alteram dom. non impeditam."

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 15.

Die 11. Sept. 1847.

Bajocen.

Quum Rmus Bajocen. Episcopus experientia compererit permulta incommoda oriri in celebratione festorum ss. Patronorum, si ad tramites Decreti hujus s. Sedis diei 29. Novbr. 1831 festivitates hujusmodi transferendae sint omnino ad subsequentem immediate dominicam, non autem ad dominicam proximiorem, quae potest etiam esse ante Natale festum, uti ante promulgationem ipsius Decreti fieri consueverat; ad haec eadem incommoda eliminanda S. R. C. humillime supplicavit, *ut in sua Dioecesi solemnitas ss. Patronorum cujuslibet paroeciae celebrari valeat dominica proximiori non impedita, sive ipsa festum praecedat sive subsequatur.*

Et S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata, re mature perpensa auditaque relatione a Secretario facta, rescripsit: Pro facultate transferendi festa, de quibus in precibus ad dominicos dies non impeditos festo altioris ritus vel privilegiatos, in quibus tamen permittitur Missa votiva solemnis de festo translato; dummodo in Cathedrali Missa de Sancto occurrente non omittatur; quatenus vero dominica proximior sequens sit impedita, tunc festum ut supra fieri permittitur in dominica proximiori praecedenti.

Atque ita rescripsit ac servari omnino mandavit, die 11. Martii 1837 n. 4802.

18) Patronus et Titularis (Differentia).

Vd.: *Titularis et Patronus* (Differentia).

S. PAULUS AP.

De ejus festo Commemorationis die 30. Jun. vd.: *Fest. SS. Cord. Jesu* (fest. privil., decr. n. 4579 ad fin. notae t. I. p. 554); *SS. Petr. et Paul.* (Solemnit. Romae etc. §. 4).

B. PAULUS A CRUCE.

Ad dubium: In Missa propria beati Pauli a Cruce paucis abhinc annis approbata ac similiter inserenda in appendice pro aliquibus locis Graduale pro tempore paschali desumptum fuit ex capite 3. epistolae ad Colossenses, ita tamen ut lectioni Vulgatae presse non inhaereat. In pradicta enim Missa legitur: *Mortui estis et vita vestra abscondita est cum Christo etc. . . . Quum Christus apparuerit vita vestra et vos apparebitis etc.* quando Vulgata in primo testimonio ita se habet: *est abscondita;* in altero autem testimonio: *tunc et vos apparebitis etc.* Quaeritur itaque: An in nova Missalis editione praedictum Graduale sit reformandum juxta lectionem Vulgatae?

S. R. C. resp.: Affirmative.

Die 25. Septbr. 1860.

PAUPERES.

1) Ante et in Ecclesia.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXVIII. n. 1 etc.; *Laici* (Quomodo se gerant. etc.); *Munditia Eccles.; Sacrista.*

2) In lotione pedum in Coena Domini.

Vd.: *Mandat. in Coena D.* (Persona).

PAUSA.

(In Psallendo.)

Vd.: *Psallendi modus.*

PAX.

1) Abbatissae.

Exigit Abbatissa in Oppido de Remiremant. ut Subdiaconus instrumentum pacis deferat.

S. C. resp.: Non licere. n. 3097 die 24. Nov. 1685.

2) Cleri.

Modus et ordo dandi et recipiendi.

Vd.: *Pax* (modus etc.).

Assistens Presbyter pluviali indutus pacem acceptam ab *Episcopo pontificaliter celebrante* Canonicis et aliis juxta Rubricas Pontificalis deferre debet. n. 33 ad 2 die 17. Nov. 1592.

Assistentem debere *stantem* recipere pacem ab Archiepiscopo, facta prius et post receptam pacem genuflexione juxta Caeremon. (Lib. I. c. XXIV.) n. 1055 die 12. Junii 1638.

In missis *conventualibus* Subdiaconus pacem a Diacono acceptam, servato rubricae Missalis ordine, existentibus in choro aliisque deferat. n. 33 ad 5, 17. Nov. 1592. Vd.: *Incensatio Cleri* (debetne fieri? decr. n. 5183).

Pax est Vicario et Canonicis ante Auditores et Advocatos fiscales deferenda. n. 42 die 16. Febr. 1593.

Diaconus et Subdiaconus ministrantes sacram communionem de manibus Episcopi celebrantis accipiant, et deinde osculum pacis, ut in Caeremoniali cavetur; sed si fuerint Sacerdotes et jam celebraverint, tunc postquam Presbyter assistens cum pluviali pacem ab Episcopo celebrante acceperit, ut illam per chorum distribuat, Diaconum, qui cantavit Evangelium, debere pacem ab Episcopo accipere, et illam Subdiacono dare, Subdiaconum vero tunc illam duobus Diaconis assistentibus ministrare debere. Archiepiscopo Missae per Canonicum celebratae *assistente* debere Diaconum a Subdiacono pacem accipere quando ministrata pace caeteris Canonicis choro existentibus revertitur ad altare. n. 322 ad 1 et 2 die 17. Junii 1606.

Episcopo *celebrante* Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolae, si sint

ordine Presbyteri et voluerint celebrare vel jam celebraverint, debent pacem accipere ab Episcopo immediate post duos Diaconos assistentes, servata forma, quae traditur in libro Caeremon. de ordine dandi pacem. Episcopo vero *non celebrante* Subdiaconus accipit pacem a Canonico, qui pacem dedit Episcopo, et illam distribuit caeteris Canonicis per ordinem et revertens ad altare pacem dat Diacono. *Absente* Episcopo, Diaconus accipit pacem a Celebrante et dat pacem Subdiacono, qui illam distribuit per chorum juxta regulas libri Caeremonialis. n. 374 ad 13 die 15. Martii 1608.

Quique Clerum thurificet, eidem pacem similiter deferat. n. 2060 die 12. Junii 1660.

Quando Diaconus et Subdiaconus ministrantes s. communionem de manibus Episcopi celebrantis accipiunt, tunc debent accipere osculum pacis immediate ab eodem Episcopo, ut in Caerem. cavetur; sed si fuerint Sacerdotes et jam celebraverint vel sint celebraturi, tali casu debere accipere pacem ante ipsos primo loco Presbyterum assistentem cum pluviali, ut illam per chorum distribuat et deinde Diaconum, qui cantavit Evangelium, ab eodem Episcopo et illam Subdiacono dare; Subdiaconum vero Diaconis assistentibus, adeo ut Diaconi assistentes utroque casu semper debeant habere a Subdiacono ministrante. n. 2271 die 24. Maii 1664.

Ad dubium: An Diaconus accipiens pacem a Celebrante debeat simul supponere brachia sua brachiis Celebrantis, uti faciendum docet P. Gavantus, vel debeat stare manibus junctis ut in praxi alii contendunt? Et similiter id facere debeat Subdiaconus accipiens pacem a Diacono?

S. C. resp.: Servandam esse in casu dispositionem P. Gavanti in omnibus. Die 23. Maii 1840 *in Tuden.*

Episcopo celebrante, postquam dixerit: *Agnus Dei etc.*, ipse Presbyter assist. accedit ad ejus dexteram et genuflectit ante SSmum, ac surgens osculatur altare simul et eodem tempore cum ipso celebrante; mox appropinquans sinistram genam sinistrae Celebrantis accipit ab eodem Celebrant dicente: *Pax tecum* osculum pacis, cui ipse respondet: *Et cum spiritu tuo;* factaque ibi iterum genuflexione discedit comitante Caeremoniario osculumque praedictum per chorum ordine distribuit, incipiendo a dignioribus.

Advertendum est, quod ipse Assistens non dat osculum Diacono Evangelii et Subdiac. Epistolae nec duobus Diaconis assist., isti enim capiunt pacem ab eodem Celebrante statim postquam illam dedit Presbytero assistente, genuflectentes prius et post ante *SSmum non tamen osculantes altare.* Diaconus vero et Subdiaconus capiunt pacem ab eodem Episcopo celebrante, cum ab eo accipiunt communionem; sed si fuerint Sacerdotes et jam celebraverint aut velint hoc die celebrare, tunc, postquam Presbyter assist. cum pluviali pacem ab Episcopo acceperit, ut eam per chorum distribuat, ab eodem Celebrante pacem etiam accipiunt Diaconus et Subdiaconus cum Diaconis assist.

Observabit Presbyter assist. osculum deferens, ut nulli quantumvis supremo Principi, etiamsi esset Imperator vel Rex, ullam reverentiam faciat, antequam ei pacem det sed post datam pacem, cui etiam ipsi, qui acceperunt pacem ab eo, debita reverentia correspondent, cum sit ex primis Dignitatibus vel Canonicis Ecclesiae. Legatus tamen aut Princeps supremus parum correspondent in reverentia.

Regulare est, ut pax detur primo cujusque Ordinis, videlicet primo ex Canonicis Presbyteris, primo ex Ca-

nonicis Diaconis et primo ex Canonicis Subdiaconis, ubi distinctae sunt praebendae, vel, ubi non sunt distinctae, primo ab utroque latere stanti, qui successive pacem dat alteri subseqenti et ille dat alteri; et si aderunt Laici, detur illis pax cum instrumento, quod osculetur prius Presbyter assistens.

Postquam Assistens pacem Dignitatibus et Canonicis ac Magistratui dederit, dabit eam alicui Acolytho vel Caeremoniario, qui caeteris de choro distribuit. Nulli autem Ecclesiastico osculum hujusmodi dandum est nisi stanti.

Caer. Ep. l. I. c. XXIV. n. 2—7.

Cf.: *Pax Episcopi assist. missae sol.*

3) Cui danda?

Pacem dari debere omnibus choro interessentibus. n. 3960 die 15. Julii 1724.

4) Episcopi

a) Assistentis missae sol.

Ad dubium: Utrum in missa sol., quae coram Episcopo celebratur, Diaconus Evangelii a Celebrante vel a Subdiacono pacem sit recepturus et sit pax ipsa a Diacono vel a Subdiacono in defectum Presbyteri assistentis Episcopo deferenda?

S. C. resp.: In hypothesi ad Diaconum Evangelii utpote digniorem spectare. n. 3614 ad 5 die 11. Febr. 1702.

Presbyter assistens Episcopi accipiet pacem a Celebrante acceptamque Episcopo deferet, qui eam duobus Diaconis assistentibus dat. Advertendum tamen est, si is, qui celebrat, sit Praelatus, ita ut habeat Capellanum assistentem cum pluviali in missa, tunc ipse Capellanus assist., postquam Episcopus pacem dedit duobus Diaconis assistentibus, accedit in choro ad locum dicti Presbyteri assistentis, qui dedit pacem Episcopo, et ab eo accipit pacem, quam ad alios defert. Quod si is, qui celebrat, non sit Praelatus nec habeat Capellanum assist. cum pluviali, eodem modo Presbyter assist. Episcopo accipit pacem a Celebrante eamque ad Episcopum defert, qui dat illam Diaconis assist. ut supra; mox stans in loco suo inter Canonicos illam dabit Subdiacono, qui cantavit Epistolam, qui ad alios defert, nisi adesset major Episcopo, quia tali casu semper illi dabitur pax ab eodem Presbytero assistente, qui pacem dat Episcopo.

Caer. Ep. l. I. c. XXIV. n. 8—10.

Vd.: *Pax Cleri* (Modus et Ordo).

b) Assistentis missae privatae.

Episcopo missam privatam audienti non Plebanus praebeat pacem. n. 1378 ad 1 die 10. Maii 1642.

In missis planis, quae coram Episcopo dicuntur, adhiberi solet instrumentum pacis. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIV. n. 12.

Post *Agnus Dei* a Capellano offertur instrumentum pacis, quod Episcopus osculatur. *Ibid.* c. XXX. n. 2.

c) In Synodo.

In fine Concilii *provinc.* post ejus approbationem dicto per Diaconum: *Recedamus in pace* et factis acclamationibus omnes Episcopi surgunt et accedunt ad osculum pacis a Metropolitano accipiendum, quod deinceps inter se dant et accipiunt, ut charitatem conjunctionemque animorum ostendant. In Synodis *dioeces.* magis deceret, ut acclamationes et oscula pacis omitterentur. *Caer. Ep.* l. I. c. XXXI. n. 19. 20.

5) Episcopi Titularis.

Cf.: *Episcopus.*

Ad dubium: An post delatam per Presbyterum assistentem pacem Episcopo locali, debeat illa deferri per dictum Presbyterum Episcopo Titulari, antequam Canonici assistentes in throno illam recipiant ab Episcopo locali?

S. C. resp.: Negative. n. 3976 ad 1 die 10. Apr. 1628.

6) Laicorum.

Vd.: *Mulier; Magistratus; Instrum. pacis; Praeses* (cap. V.).

Nullo modo convenit, ut Praesidens et Consiliarii Regii pacem ante Archiepiscopum recipiant, et ideo debere Capellanum expectare, donec Archiepiscopus pacem receperit et tunc et non prius illam Praesidenti etc. deferre. n. 313 ad 1 die 9. Maii 1606.

Praesidi Aprutinae post Episcopum dandum esse osculum pacis juxta Caer. l. 2. c. 24. n. 3401 ad 4 die 6. Oct. 1696.

Nullus omnino ex Praesidentibus Missae solemni vel privatae una cum Cardinali Episcopo assistentibus pacem ante ipsum Card. Archiepiscop. recipiat, etiamsi illi, qui assistunt, sint Ministri Regii, Supremi vel alterius inferioris Consilii et separatim vel conjunctim cum aliis officialibus assistant, vel etiamsi sint inquisitores haereticae pravitatis separati vel cum aliis Officialibus conjuncti, etiam pro Tribunali sedentes et assistentes in die publicationis edicti, vel quavis alio modo. n. 324 die 16. Sept. 1606.

Quidam Dominus accepit pacem a Subdiacono, qui in Missa ministrat. S. R. C. resp.: Hanc consuetudinem ... servandam esse, dummodo pax non osculo sed cum instrumento Domino ministetur. n. 403 die 21. Martii 1603.

Confirmatum est hoc decretum die 28. Jan. 1612.

Nullo modo convenire, ut Dominus loci ... pacem a Diacono accipiat. Pacem dandam esse Domino loci, postquam fuerit in choro distributa, non a Beneficiatis sed ab aliquo Ministro, cotta induto, non cum osculo oris, ut fit inter Ecclesiasticos, sed cum instrumento, ut convenit, quando pax inter laicos distribuitur. n. 495 die 5. Junii 1614.

Domino loci Ferrantis Cavenago permitti posse pacem cum instrumento. n. 2092 die 15. Jan. 1661.

Duci Segobriae etc. osculum pacis ante Canonicos et Dignitates per *Subdiaconum* transmittatur. n. 849 die 16. Febr. 1630.

Duci Campaniae non est danda pax post Episcopum et Assistentes ante Dignitates et Canonicos. n. 3705 ad 3 die 13. Sept. 1704.

Duci Segobriae transmitti debet osculum pacis cum instrumento immediate post Episcopum et ante Dignitates et Canonicos per eum Presbyterum insignitum, per quem ministretur thurificatio. n. 2582 ad 3 die 26. Martii 1672.

Baroni Terrae Copranen. debetur pax cum instrumento per Acolythum superpelliceo indutum. n. 4204 ad 5 die 20. Sept. 1749.

7) Modus dandi.

Vd.: *Pax Cleri* (Modus et Ordo etc.).

Celebrans in Missa solemni, dicto *Agnus Dei* et prima ex tribus Orationibus conversus ad Diaconum et complectens eum, dat ei pacem sinistris genibus sibi invicem appropinquantibus. Rubrica vero nihil dicit, an Diaconus vicissim debeat Celebrantem complecti. P. Gavantus super hanc Rubricam dicit, quod Diaconus supponit brachia sua sub brachiis Celebrantis. Nihilominus aliqui Ecclesia-

stici, dum Diaconi Officio in Missa solemni funguntur, non supponunt brachia sua brachiis Celebrantis; accipiunt pacem ab isto tenentes manus junctas ante pectus. Quaeritur ergo: an Diaconus accipiens pacem a Celebrante debeat simul supponere brachia sua brachiis Celebrantis, uti faciendum docet P. Gavantus, vel debeat stare manibus junctis ante pectus, ut in praxi alii contendunt? Et similiter id facere debeat Subdiaconus, accipiens pacem a Diacono, qui juxta eumdem P. Gavantum debeat quoque supponere brachia sua brachiis Diaconi?

Et S. eadem C. respondendum censuit: Servandam esse in casu P. Gavanti dispositionem in omnibus.

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 9 die 23. Maii 1846.

8) Modus dandae Pacis in missa Papa celebrante.

(Ex Caerem. Ecclesiae Romanae.)

Quando Papa celebrat, dat primo pacem Cardinali Episcopo assistenti, qui ab ejus dextra genuflexus primo osculatur altare et deinde accipit osculum a Pontifice, eique dicenti: Pax tecum, respondetur: Et cum Spiritu tuo. Deinde Pontifex vertit faciem ad cornu Epistolae et recipit ad osculum pacis duos Diaconos assistentes, sicut receperat Episcopum Cardinalem. Si autem Imperator sit praesens, primo illum recipit ad osculum pacis deinde Episcopum Cardinalem et duos Diaconos assistentes. Episcopus Cardinalis deinde dat pacem primo Episcopo Cardinali existenti cum aliis Cardinalibus, primo Presbytero et primo Diacono existenti apud scamna. Item Principi laico, qui sedet in scamno Cardinalium, et demum primo Episcopo Cardinali assistenti Papae et in fine Subdiacono apostolico, qui aliis pacem distribuit, et ipse Episcopus Cardinalis revertitur ad Summum Pontificem.

9) Modus servandus in Missa solemni a Cardinali vel Praelato celebrata praesente Pontifice.

Quando aliquis Cardinalis sive Praelatus celebrat, Pontifice praesente, Cardinalis assistens, dicto *Agnus Dei*, recedit de circulo, et factis reverentiis ascendit ad altare et genuflexus illud osculatur primum, tunc surgens capit pacem a Celebrante et deinde ascendit ad Papam, cui dat osculum pacis, ut supra, deinde revertitur ad locum suum cum aliis Cardinalibus, et alii Diaconi assistentes descendentes a latere Pontificis, factis reverentiis, similiter ascendunt ad Papam et capiunt ab eo osculum pacis; et si adest Imperator, accipit pacem a Pontifice ante Diaconos assistentes, faciens reverentias. Cardinales genuflectendo tamen, non inclinando solum. Interim vero Capellanus assistens Celebranti cum pluviali, ductus a Caeremoniario, relinquens librum Missalem ad manus Diaconi, cum reverentiis solitis accedit ad Cardinalem assistentem et ab eo accipit osculum pacis, et se ei inclinat, antequam capiat et postquam acceperit pacem. Deinde dat pacem Priori Episcoporum Cardinalium, tum Subpriori Episcoporum, inde primo ex Diaconis in sede, demum Principi laico, si quis adest in ordine Cardinalium, et his omnibus inclinat se primo et postea. Deinde dat pacem Praefecto sive magno Principi, qui sedet ad pedes Papae, inde primo Episcopo assistenti, tum Vicecamerario, qui eam dat Praelato juxta eum stanti, et ille alteri et sic caeteri. Deinde Oratori Caesaris laico vel non Praelato, et ille alteri Oratori juxta eum stanti, etiamsi alter non sit imperialis vel regalis

Orator, et sic de aliis. Tum Senatori, inde primo Episcopo in secundo ordine et primo in tertio, et sic de aliis, si sunt plures Ordines Episcoporum. Deinde primo Protonotario in illorum ordine, qui sunt in eisdem locis, sive Abbates sive Generales aut Poenitentiarii accipiunt pacem a superioribus. Interea si Celebrans jam perfecit Communionem suam, revertitur assistens Capellanus ad altare et Caeremoniarius accipit ab eo pacem et distribuit reliquis, quibus ille non dederat. Post nominatos primo dat pacem Nobilibus et Baronibus, qui sunt ad pedes Papae, deinde Magistro sacri Hospitii, si adest, tum Subdiacono a dextris et ille reliquis cappatis ab eo latere; inde Subdiacono a sinistris et ille similiter suis cappatis; deinde Auditori servienti de mitra et ille secretis Cubiculariis, tum alteri Caeremoniarum Clerico, deinde Diacono Evangelii et ille Subdiacono. Inde primo ex Cubiculariis, primo ex Advocatis sive Secretariis; deinde primo ex Procuratoribus, tum primo ex Capellanis Celebrantis, postea antiquiori ex Scutiferis Papae, primo ex Ostiariis et primo ex Servientibus armorum, et sic est finis. Absente vero Camerario, dat primo Oratori Caesaris et ille alteri, ut supra dictum est, tum Senatori, deinde primo Oratori Praelato, si Caesaris Orator est laicus vel non Praelatus; sin autem dat primo Oratori laico seu non Praelato, et aliis, ut supra diximus. Quod si etiam Oratores Caesaris non intersint, tum Oratoribus Praelatis, si inter eos sint regii; sin minus, incipitur a laicis, si ibi sunt regii, et caeteris paribus a Praelatis.

Caeremoniale Eccles. rom. (Catalan. t. II. p. 394).

PAX DOMINI.

Vd.: *Hostia* (tractatio).

PAX VOBIS.

1) Dignitar. et Canon.

Dignitatibus et Canonicis Metrop. Urbinaten. non licet in Missa pontif. populum salutare dicendo: *Pax vobis* loco: *Dominus vobiscum.* n. 4224 ad 5 die 29. Jan. 1752.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4585 nota; n. 4593 ad 16; decr. Clem. XIV. 16. Oct. 1771; Pii VI.).

2) Episcopi.

Finito hymno *Gloria etc.* Episcopus surgit et stans versus populum cantat elevatis statim junctis manibus: *Pax vobis. Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 39.; c. XXVII. n. 24.

Episcopus in missa sol. *Adventus et Quadrag.* ante Orationem dicit: *Dominus vobiscum*, non: *Pax vobis. Ibid.* l. II. c. XIII. n. 8.; c. XVIII. n. 25.

Leo VII. PP. Episcopis, Abbatibus etc. Galliae, Germaniae, Bavariae etc.

Consultum est etiam: utrum Episcopi „*Pax vobis*" an „*Dominus vobiscum*" pronunciare debeant? Sed non aliter per omnem vestram provinciam tenendum est quam in sancta romana Ecclesia. In dominicis etiam diebus et in praecipuis festivitatibus atque Sanctorum natalitiis *Gloria in excelsis Deo* et *Pax vobis* pronunciamus, in diebus vero Quadragesimae et in quatuor temporibus sive in vigiliis Sanctorum et in reliquis jejuniorum diebus *Dominus vobiscum* tantummodo dicimus.

Anno 939. (Bull. r. t. I. p. 393. Ed. Aug. Taur. 1857.)

PECCATUM.

(Modus confitendi.)

Vd.: *Poenitentia.*

PECTORALE EPISCOPI.

Vd.: *Crux pector. Dignitar. etc.; Oscul. Parament.*

Ad dubium: an Pectorale seu formale sit ornamentum adhibendum privative ab Episcopo, seu potius illo uti possint prima aliaeque dignitates et canonici sol. celebrantes juxta consuetudinem Ecclesiae Cath. Conimbr.?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4235 ad 10 die 15. Sept. 1753.

PECUNIAE

(Offerendae in ador. Crucis.).

Vd.: *Lanx; Parasc.* (ador. Crucis); *Oblatio in Parasceve.*

PENTECOSTES

(Octava.).

De missis votiv. priv. et de Req. in vig. Pent. et infra octav., vd.: *Missa votiva* (Dies et octavae prohib.); *Missa de Req.* (Privata; infra oct. sol.) De *Communicantes* in festo Pent., vd.: *Communic.; Exalt. s. crucis* (Conclus. orat. *nota.*).

PER EVANG. DICTA etc.

Ad dubium: Num in missa de *Requiem*, quamvis non osculatur Evangelium, recitari debeant verba: *Per Evang. dicta etc.?*

S. C. resp.: *Negative.*

Die 11. Sept. 1847 ad 12.

PERRUCCA.

Vd.: *Parrucca.*

SS. PETRUS ET PAULUS.

1) Commemoratio in Suffrag.

De eorum commemoratione uti Patronorum principalium in Suffragiis, vd.: *Suffragia* (decr. n. 4149); *SS. Petrus et Paulus* (Patroni princip. Romae.).

2) Commem. in eorum festo de omnib. ss. Apostolis.

Vd.: *Commemor. ss. Apostol. omm.; Vacatio ab operib.* (decr. Pii PP. VI.)

3) Dedicatio Basil. SS. Apost. Petri et Pauli.

De commem. octavae dedicationis Ecclesiae, si ea incidit in festo Dedic. Basil. SS. Apost. Petri et Pauli, vd.: *Missale* (Correctio, *decreta inserenda etc.*)

4) Festum cadens in die octava SS. Corp. Chr.

Ad dubium: Festum SSmi Corp. Jesu quum a memoratae Eccl. Capitulo celebretur cum oct. privilegiata, uti asseritur, ad instar Epiphaniae, quaeritur: num die oct. occurrente interdum in solemnitate s. ap. Petri et Pauli, officium debeat esse de iisdem ss. ap. cum commemoratione diei oct. SSmi Corp. Chr. vel potius de ipsa die oct. translato officio ss. apostolorum?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Juxta rubricas affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Atque ita rescripsit. n. 5131 ad 2 die 22. Julii 1848.

Vd.: *S. Joa. Bapt.* (transl. festi; decr. de die 14. Maii 1830.)

Placuit SS. mandare, ut declararetur, festivitates s. J. Bapt. et ss. ap. Petri et Pauli *in omni ditione regis catholici non esse transferendas*, quoties incidant in octavam SS. Corp. Chr., et decr. S. R. C. sive resolutionem 1. dubii in Santander. emissam 26. Jan. 1793 locum amplius non habere.

Romae 16. Decb. 1796 et 14. Maii 1803.

5) Festivitas Romae peragenda.

De die natali beatorum apostolorum Petri et Pauli per totam octavam Romae solemniter celebrando.

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Admirabilis sapientiae Dei sublimitas, cujus provida dispositione mundana regna constituuntur, ut Ecclesiae fidelium, quae divino comitata adjutorio peregrinatur in terris, vel amplificandae vel exercendae vel custodiendae, alternantibus miro ordine vicibus, inserviant, voluntariam humani generis caecitatem et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio et altiori pietate commiserans, cum, adveniente temporum plenitudine, sedentibus in tenebris et ambulantibus in umbra mortis evangelicae fidei lucem effundere decrevisset, Romanum praeparavit imperium, ut promptiores ad omnes populos praedicatio veritatis haberet accessus, quos unius civitatis dominatio sociaret. Imbuendi autem evangelio mundi partibus, accepta per spiritum sanctum omnium locutione linguarum, duodecim apostolis distributis, beatissimus Petrus princeps apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperii, ut ea capta et in obsequium fidei subjugata, facilius universus orbis humilitati crucis superba colla submitteret. Ad hanc postea coapostolus ejus Paulus, aliis peragratis provinciis, adveniens, labore et meritis illi consociatus est, ut Roma tantorum apostolorum edocta magisterio, quae superstitionis studio profanos omnium gentium cultus atque errores receperat, veritatis amore, sanctae atque immaculatae unius Dei religionis sedes evaderet.

§. 1. *Isti enim sunt Romanae Urbis patres verique conditores*, qui eam regnis coelestibus adscribendam melioribus auspiciis et fortunatioribus initiis condiderunt, non illi, quorum manibus cognato sanguine pollutis prima moenium fundamenta locata sunt, e quibus is, qui ei nomen dedit, fraterna caede foedatam facinirosis hominibus, scelerum impunitate promissa, habitandam concessit. At vero isti e tenebris idololatriae ad Fidei lumen avocatam, evangelica veritate imbutam, Christianis ornatam virtutibus et ad coeli sublimitatem erectam, praetioso Sanguine suo consecrarunt, et sacris Corporum suorum sepulcris adversus furentium haeresum insidias et frementis infernalis hostis impetus, tanquam duobus firmissimis munivere propugnaculis. Beatus autem apostolus Petrus, sacerdotali sede Romam translata, cum privilegium potestatis a Christo Domino acceptae ad omnes suos transmittat haeredes, supremi culminis praerogativam quodammodo cum ea communicavit, adeo ut per beati Petri cathedram princeps ac caput Orbis fieret et in immensum religione divina ejus cresceret dignitas, cujus latius quam dominatione terrena per totum Orbem protentebatur auctoritas. Quare etsi in sanctorum solemnitatibus commune universorum fidelium deceat esse gaudium, cum ob fidei unitatem in acceptis a Deo per servos suos beneficiis indiscreta sit omnium utilitas, tamen natalis ap. Petri et Pauli festivitas, praeter illam reverentiam, quam toto terrarum Orbe promeruit, speciali et propria Romanae Urbis exultatione veneranda est, ut, ubi praecipuorum apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit laetitiae principatus.

§. 2. Vivit adhuc in mente hominum et nulla unquam delebit oblivio, vetus memoria et recordatio, quam merito et quanto per totum Orbem, sed praecipue in hac alma Urbe nostra, *fuerit a primis Ecclesiae saeculis celebri cultu et splendida solemnitate natalis dies beatorum apostolorum celebratus. Siquidem ea die traditum est, Romanos pontifices praedecessores Nostros primum in basilica beati Petri in Vaticano, deinde in altera apostoli*

Pauli Via Ostiensi, sacrum immortali Deo in honorem principum apostolorum fecisse et Romanum populum frequentissimo coetu et celebri concursu utramque Basilicam, sacras apostolorum reliquias veneraturum, invisere solitum; immo ad eamdem solemnem diem ex diversis Orbis partibus innumerabilem populi multitudinem, linguis, moribus et regionibus discretam, venerationis tamen erga beatos apostolorum cineres et triumphalem natalis eorum memoriam concordi obsequio sociatam, confluere consuevisse; Episcopos etiam aliosque sacros antistites, sublimes regiasque personas, ad eamdem solemnitatem convenire solitas fuisse supplicesque se suasque coronas ad pedes Piscatoris et ad Scenofactoris monumentum, adstantibus ducibus et praefectis militum, prosternere. Haec igitur et alia hujusmodi diligenti animi consideratione nobiscum reputantes vehementer solliciti sumus, ne Nos, qui in tantis periculis et adversitatibus constituti sanctorum apostolorum valido indigemus auxilio, degeneres a majorum pietate et devii a sanctis eorum Institutis simus et quibus in accipiendis a Deo per beatos apostolos beneficiis et donis pares sumus, impares et ingrati in sacra eorum recolenda memoria et gratiis immortali Deo agendis reperiamur, meritoque illorum destituamur praesidio, quorum negligimus solemnitatem.

§. 3. Volentes itaque cupientesque, Romani populi erga beatos apostolos devotionem, de quorum praesidio hanc Urbem nostram, eorum decoratam corporibus, coelestibus illustratam doctrinis et patenti apud Deum patrocinio semper adjutam, maxime confidere decet, quantum in Nobis est, augere atque amplificare, hac nostra in perpetuum valitura sanctione statuimus ac decernimus, *ut reccurrente per ordinem natali die eorumdem apostolorum non solum in Basilica Vaticana, ut nunc moris est, in pervigilio ejusdem festi, vesperae solemnes celebrentur (quibus interesse solet Romanus Pontifex cum S. R. C. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque Romanae curiae Praelatis, qui locum in capella Pontificia obtinent), et mane in eadem Basilica solemne sacrum ab ipso Romano Pontifice peragatur: et secundae vesperae ejusdem venerabilis diei ecclesiastico cantu ac ritu a capitulo et clero, praesente etiam S. R. C. Cardinali praefatae Basilicae Archipresbytero aliisque Cardinalibus ad eamdem vesperarum solemnitatem devotionis causa accedentibus, persolvantur; sed ulterius per totam octavam singulis diebus in diversis Ecclesiis* quippe aliqua apostolorum memoria aut praerogativa insignitis, a Nobis electis et inferius nominandis, Missa in Pontificalibus, concinente ac psallente schola cantorum aliisque Pontificiae nostrae capellae ministris inservientibus, ordine ac modo infra dicendo, rite peragatur, recolaturque memoria illustris triumphi eorum martyrii, quod toto terrarum Orbi, sed praecipue Romanae Urbi decus contulit et dignitatem.

§. 4. *Secunda igitur intra octavam die* Missarum solemnia in Pontificalibus celebrentur, praesentibus venerabilibus fratribus Episcopis Pontificio throno assistentibus, *in Basilica beati apostoli Pauli Via Ostiensi, in qua celebris est utriusque apostoli memoria, sacraeque Reliquiae servantur et veteri instituto solemnis eadem die beati apostoli Pauli commemoratio recolitur,* qui si adhuc vivens in terris adeo Romanos diligebat, ut sine intermissione memoriam eorum in suis orationibus faceret, vehementerque cuperet eos videre et ad eos confirmandos aliquid spiritualis gratiae impertiri; quanto magis sperandum est, quod

modo beatus in coelis pro alumnis suis Deum orare non cesset suamque opem humiliter postulantibus afferre non recuset, ut in illa coelesti confirmentur doctrina, in qua eos ore suo, per quod Christus loquebatur, erudivit.

§. 5. *Tertia die in Ecclesia sanctae Pudentianae fiet solemne in pontificalibus Sacrum,* intervenientibus dilectis filiis Protonotariis apostolicae sedis ex numero participantium. Nam perhibent hoc loco fuisse domum pudentis Senatoris, apud quem, cum primum Romam advenit, hospitatus est princeps apostolorum Petrus, qui in eadem domo verbum Dei gentibus annunciavit, sacras habuit synaxes, Sacrum pluries fecit et Sacramenta Christi administravit; adeo ut in ea jacta sint quodammodo prima Romanae Ecclesiae fundamenta, omnium aliarum ecclesiarum matris et magistrae, quam superbae inferorum portae non vincunt.

§. 6. *Quarta die in Ecclesia sanctae Mariae in Via-Lata missarum persolvantur solemnia,* intervenientibus dilectis filiis causarum palatii nostri auditoribus. Locus enim iste antiqua est religione celeberrimus; ibi primum, ut fertur, hospitio exceptus est apostolus et magister gentium Paulus, qui, ut Acta apostolorum testantur, mansit biennio toto in suo conducto et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans regnum Dei et docens, quae sunt de domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.

§. 7. *Quinta die ad missarum solemnia in pontificalibus celebranda convenient dilecti filii camerae apostolicae clerici in Ecclesia sancti Petri ad Vincula,* seu titulo Eudoxiae. Haec enim prima Ecclesia esse traditur, quae a principe apostolorum fuit Romae immortali Deo dedicata; in hac ejusdem beati apostoli sacra Vincula servantur, quae semper summo in honore ac veneratione apud fideles omnes fuerunt, pluraque benignissimus Deus miracula per ea efficere, ad laudem et gloriam servi sui, dignatus est. Haec enim sunt felices illi nexus, qui de manicis et compedibus in coronam mutandi, apostolum contingentes, martyrem reddiderunt. Felices catenae, quae nudatis pene ossibus inhaerentes, vivas reliquias de sanguinis sudore, jam attrita carne, rapuerunt: Felicia Vincula, quae reum suum usque ad Christi crucem, non tam condemnatura quam consecratura, miserunt.

§. 8. *Sexta autem die in Ecclesia sancti Petri in carcere*, quo, ut fuerunt, beati apostoli Petrus et Paulus per plures menses arctissima custodia ad mortem usque detenti sunt, eorumque custodes, Processus et Martinianus, ad fidem conversi, subito ex proxima petra divina virtute fonte enato, fuerunt a Petro sacro baptismo abluti; et ubi in vinculis et teterrimi carceris foeditate invisentibus se Evangelium Dei praedicare, infirmos, sanare aegrotos et multa alia patrare miracula non desierunt. Missa autem in pontificalibus in Ecclesia superiori, ob inferioris angustiam, adstantibus dilectis filiis referendariis votantibus signaturae justitiae celebrabitur.

§. 9. *Septima die Missa in pontificalibus, assistentibus dilectis filiis abbreviatoribus de Parco majori, celebrabitur in Ecclesia s. Petri in Monte Aureo*, ubi, ut pia traditione fertur, beatus apostolus Petrus cruci affixus, martyrio coronatus est, capite ad terram verso et in sublime pedibus elevatis, asserens, se indignum, quod sic crucifigeretur, ut Dominus suus; sed ita e terra coelum, quo iter parabat, suscipiens, admirandae humilitatis virtutem, novique mysterii disciplinam et inter tormenta servavit.

§. 10. *Demum octava die, festiva BB. Petri et Pauli apostolorum principum solemnitas in sancta Lateranensi Basilica absolvatur.* Ibi enim supra altare majus in argenteis imaginibus, margaritis lapidibusque pretiosis ornatis, sacra apostolorum capita, quae olim in Ecclesia s. Laurentii ad Sancta Sanctorum servabantur, a fel. rec. Urbano Papa V. praedecessore Nostro reposita fuerunt. Beata capita, quae sanctarum illarum animarum sedes, nihil humile aut mundanum, sed coelestia solum ac divina cogitarunt; quae non terrenum pulverem aut humanas sardes, sed divinas revelationes et coelestia arcana recipere meruerunt; quae in novissima omnium mortuorum resurrectione, aeternis ornanda sertis, corporibus ac animabus suis, supernae patriae beatitudine fruitura conjungentur. Mane Missarum solemnia in pontificalibus, praesente venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, eo majori ritu et solemnitate, qua sacri hujusmodi Cardinalium conventus peragi unquam solent, celebrentur. Vespere autem sacras apostolorum reliquias veneraturi solemni cultu et pari animi devotione ad eamdem Basilicam pergant dilecti filii nobiles viri Senator Urbis et Romanorum civium et camerae Urbis conservatores; quorum pietatis exemplo commotus ad debitas immortali Deo gratias reddendas, pro ineffabili munere ei collato in beatorum apostolorum Petri et Pauli patrocinio, universus Romanus populus celebri frequentia et aemula festinatione accedere contendat.

§. 11. Pomeridiano autem tempore aliorum dierum omnes confraternitates hujus almae Urbis, per venerabilem fratrem nostrum S. R. C. Cardinalem vicarium pro tempore publico edicto intimandae, statis suis quaeque diebus ad eam Ecclesiam, ubi mane Missa in honorem apostolorum celebrata, pie ac devote procedant. Singulis autem confratribus processionaliter accedentibus septem annos et totidem quadragenas et aliis omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eamdem Ecclesiam, ubi statio erit, religiose visitaverint, de omnipotentis Dei misericordia confisi, centum dies de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in domino relaxamus.

§. 12. Monemus autem in domino et instantius rogamus omnes christifideles in hac alma Urbe natos et commorantes, ut pia majorum exempla in veneratione erga beatos apostolos laudabili studio aemulantes, in Ecclesiis a Nobis constitutis devota celebritate conveniant et spirituali laetitia exultantes laudantesque Deum, qui glorificatur in sanctis suis, tantam natalis diei apostolorum celebrent solemnitatem. Siquidem de praesidio divinitus Nobis, ad exemplum patientiae et confirmationem fidei, praeparato, in horum excellentia patrum merito est exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantam altitudinem provexit, ut horum alteri magnum et mirabile consortium potentiae suae tribuerit divina dignatio, alter vero vas electionis et specialis doctor gentium superno oraculo et coelesti sententia fuerit designatus. Praeterea meminerint saepe hanc Urbem potenti apostolorum protectione a barbarorum incursibus, a caede, a depopulatione, ab incendiis, a terraemotibus aliisque innumeris periculis et calamitatibus liberatam. In mentem revocent innumera illa prodigia et gratias, quas ad gloriam servorum suorum, Brandeorum vel Catenarum contactu vel sola oratione aut nominis invocatione, antiquorum fidelium pietas ac devotio ab omnipotenti Deo obtinuit. Demum in me-

moria habeant verba illa beati Leonis praedecessoris Nostri ad Romanum populum ex beati Petri cathedra clamantis et dicentis: *Licet omnem Ecclesiam, quae in toto est Orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen praecipue inter caeteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa apostolicae petrae arce fundatos et Dominus Noster Jesus Christus cum omnibus redemit et beatus apostolus Petrus prae omnibus erudivit.*

§. 13. Caveant igitur, ne sanctis suorum pastorum monitis inobsequentes, ne immemores beneficiorum Dei, ne irreligiosi erga servos ejus beatos apostolos et absimiles majorum pietati inveniantur. Magnum enim periculum est esse homines, per oblivionem beneficiorum, ingratos Deo et servis ejus, nec de gratiis recordari. Sciunt denique, quod beatos apostolos, qui apud Deum intercessores sibi esse non curat, suarum culparum severos judices habebit et quos conciliatores supernae miserationis habere contemnit, offensae majestatis sentiet ultores.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, decreti, statuti, definitionis et monitionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Mariam maj. anno Incarnat. Dominic. Kal. Apr. 1743. (Bull. Bened. XIV. t. I. p. 270.)

6) Patroni Principales Romae.

DECRETUM,

quod ss. apostolorum principes Petrus et Paulus Urbis Romae patroni principales nuncupentur.

Cum omnium communi aeque ac pio Ecclesiarum more institutum sit, ut, quos e sanctorum numero sibi singulae Patronos elegerint, eos etiam, adjecto illustri Patronorum titulo, suis unaquaeque calendariis inscribant: minime dubitandum est, quin Romana potissimum Ecclesia, principum apostolorum Petri et Pauli martyrio consecrata ac supra alias in summum honoris et gloriae culmen evecta, a fidei primordiis eosdem apostolos uti Patronos habuerit apud Deum seque in illorum tutela positam jure putaverit. Clarum antiquae huic traditioni perhibent testimonium tum sanctus Leo Papa serm. I. de ss. Petro et Paulo, ubi eos Romae Patronos nominat speciales: *sicut autem,* inquit, *et Nos experti sumus et Nostri probavere Majores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitae, ad obtinendam misericordiam Dei, semper Nos specialium Patronorum orationibus adjuvandos:* tum quoque sanctus Maximus Episcopus Taurinensis Homil. 3. de iisdem, ubi eos Romae Patronos appellat peculiares: *Horum hodie concursu laetissimo recolit Roma martyrium; et quorum dudum impia persecuta est sanguinem, eorum nunc peculiari devota Patrocinio gloriatur.* Eisdemque celebri disticho concinit sanctus Venantius Fortunatus:

A facie hostili duo propugnacula praesunt: Quae fidei turres Urbs caput Orbis habet.

At quia compertum est, in ordine divini officii debita hac nota ac insigni titulo Patronorum principalium almae Urbis, sanctos eosdem apostolos nuncupari non consuevisse, eam fortasse ob causam, quod s. Petrus et Paulus catholicae Ecclesiae Patroni caeteroquin generales habeantur, eaque propter in communibus suffragiis ubique per Ecclesiam ipsam invocentur: Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XIV. solerter adver-

tens, per hujusmodi Ecclesiae universae generale patrocinium non effici, quominus iidem sint quamplurium per Orbem Ecclesiarum Patroni simul peculiares, sive, ut ajunt, principales et hoc nomine in earum calendariis inscribantur, ratus est, non decere, ut quae ipsorum patrocinio Roma prae caeteris laetatur, eos, ubi maxime oportet, sacris videlicet in fastis, Patronos non appellet.

Qua de re Sanctitas Sua, ut imposterum debita honoris et obsequii ratio servetur in recolenda memoria principum apostolorum, quorum praesenti ope ac tutela Christiana Respublica, undique procellis acta ac gravioribus in diem aerumnis confecta, tandem erigatur, mandat ac praecipit, memoratos apostolorum principes ss. Petrum et Paulum posthac Romano quoque calendario sive ordini divini officii pro degentis in Urbe cleri directione quotannis imprimendo similiter inscribi, titulo scilicet principalium Urbis Patronorum non omisso.

Praeterea eadem Sanctitas Sua inhaerens decretis alias editis a S. R. C. et a praedecessoribus suis Romanis Pontificibus approbatis declarat, quod commemorationi, quae in unaquaque civitate et dioecesi, ex laudabili consuetudine et rubricarum dispositione, fit sanctorum suorum principalium inter suffragia sanctorum post laudes et vesperas in divinis officiis, quando commemorationes sive suffragia sanctorum recitantur, tum Romae tum alibi, ubicumque sancti apostoli Petrus et Paulus uti Patroni principales coluntur, satisfactum censeatur per eam commemorationem ordinariam seu communem, quae fit eorumdem in universa Ecclesia post commemorationem Beatissimae Virginis Mariae. Atque ita Sanctitas Sua mandat, decernit et declarat.

Hac die 16. Octobris 1743.

Fr. J. A. Card. Guadagni Pro-Praefectus.

(Bull. Bened. XIV. t. II. Append. ad t. I. et II. p. XXIX.)

7) Translatio.

Festum ss. ap. P. et P. occurrens cum festo *ss. Cordis Jesu*, vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. decr. n. 4579 ad 1); *Fest. ss. Cord. Jesu* (festum privil. decr. n. 4579 ad 5). Occurrens cum festo dedicat., vd.: *Dedicatio Eccles.* (transl. decr. n. 4258; 4155; 5155). Excluditne alia festa festum ss. apost.? vd.: *S. J. Bapt.* (transl. decr. de die 11. Maii 1743); *Occurrens cum festo s. J. Bapt.*, vd.: *S. J. Bapt.* (transl. decr. de die 11. Decb. 1844.)

8) Veneratio et nominatio in Canone in primis saeculis.

Vd.: *SS. Trinitas* (fest. privil. decr. n. 4680 nota ad finem.).

9) Vesperae.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Vesp. etc. decr. n. 4157); *Vesp. dim.* (decr. n. 4594, V., VI.)

Magistro caeremoniarum Basilicae Vaticanae S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii humiliter supplicante, videlicet:

An primae et secundae vesperae diei octavae ss. apost. Petri et Pauli integrae recitari debeant, etiamsi in illis occurrat festum alicujus sancti aequalis ritus?

Item, nomine etiam totius capituli ejusdem Basilicae pro gratia, ut tota octava eorumdem ss. apostolorum sit privilegiata, adeo ut nequeat in ea fieri officium alicujus sancti ritus semiduplicis aut etiam duplicis translati?

S. autem C. respondit:

„Servetur rubrica de concurrentia officii n. 7.“; ad aliam vero instantiam: „Nihil innovetur et serventur rubricae.“

Et ita decrevit. n. 3916.

Die 10. Sept. 1718.

S. PETRUS.

a) Apostolus.

1) Cognomia ejus.

Joannes XIX. PP. Jordano Ep. et cunctis Episcopis Galliae.

Petrum, cui claves coelorum commissae sunt, *confessorem* dicimus, quia Christum confessus est, dicens: Tu es Christus filius Dei vivi; et *apostolum* dicimus, quia ab ipso Domino ad praedicationem est missus; *martyrem* nominamus, quia praedicando Christum martyrio vitam finivit; *principem* apostolorum credimus, quia apostolos constituit, sicut est Marcus baptismate filius et Matthias sorte electus, Lucas discipulus apostoli Pauli et Barnabas et quamplures.

Anno 1032.

(Bull. r. t. I. p. 546. Ed. Aug. Taur. 1837.)

2) Festum Cathedrae Romae.

Paulus PP. IV.

Ineffabilis divinae providentiae altitudo voluit, ut B. Petrus apostolorum princeps, postquam Antiochiae aliquamdiu resederat, Romam veniens Cathedram in ea constitueret episcopalem eamque viginti quinque annis regeret et demum et cum eo gloriosus coapostolus suus Paulus romanam Ecclesiam plantarent et suo sanguine consecrarent, ut, ubi caput superstitionis erat, illic magistra fieret veritatis essetque ibi civitas sacerdotalis et regia et per s. b. Petri Cathedram ipsa Urbs caput Orbis effecta latius praesideret religione divina, quam antea praesedisset dominatione terrena. Verum licet Urbs ipsa multo plus debeat eidem Petro, qui eam per Cathedram episcopalem in ea constitutam regnis coelestibus inserendam condidit, quam illis, quorum studio prima moenia suorum fundamenta jacta fuerunt, ex quibus is, qui illi nomen dedit, fraterna eam caede foedavit, festivitatem tamen ipsius Cathedrae, quae juxta antiquissimorum ss. patrum testimonium quintodecimo cal. Februarii fuit et in diversis Orbis christiani et praesertim Galliae et Hispaniae partibus dicta die sol. celebratur, minime observat celebretque solum festivitatem Cathedrae Antiochiae, quae octavo cal. Martii juxta eorundem PP. testimonium fuit, tamquam idem Salvator noster festivitatem Cathedrae Romae nostris temporibus celebrandam seu potius antiquae celebritati restituendam reservaverit.

Quamobrem justum est etiam et conveniens, ut festivitatem Cathedrae Romae eo solemnius et magis pie celebremus, quo magis Urbs ipsa illi tenetur et debet, non dedignantes etiam inferiores Ecclesias in hoc imitari, festivitatem Cath. Romae eadem die quintodecimo cal. Febr. non solum in hac alma Urbe verum etiam in universis Orbis Ecclesiis, etiam in quibus illa ad praesens celebratur, sub dup. off. annis singulis perpetuis futuris temporibus sol. celebrari volumus, statuimus et mandamus.

Festivitati alterius Cathedrae, quae octavo calend. Martii celebratur, nihil propter hoc detrahendo, sed illam juxta laudabilem hactenus superinde observatam consuetudinem celebrari debere decernendo.

Datum Romae 6. Jan. 1558.

Vd.: *Cathed. s. Petri ap. Antioch.*

3) Fest. ad Vincula.

Cf.: *Dedicatio Ecclesiae* (Vesp.); *Commemoratio ss. ap. Petri et Pauli.*

Festum s. Petri ad Vincula 1. Aug. in regnis Hispaniae transfertur ad diem 2. Aug. propter octavam s. Jacobi ap. Si talis dies 2. Aug. est Dominica, transferendum est Officium s. Petri ad

aliam diem non impeditam Officio novem Lectionum. n. 2859 ad 3 die 12. Martii 1678; n. 2223 ad 6 et 2224 die 16. Junii 1663.

Si festum s. Petri ad Vincula apud Hispanos ex auctoritate apost. *fixum* est diei sequenti 2. Aug., Officium erit de festo, etiamsi dies 2. Aug. esset Dominica, cum commem. tamen et 9. Lectione homiliae Dominicae, ac etiam festi simplicis currentis: sin autem nullum sit privilegium et festum praedictum *non sit fixum* auctoritate apost. ad dictam diem 2. Aug., eo anno, quo cadit in Dominica, Officium festi erit ultro transferendum ad primam diem non impeditam Officio 9 Lectionum et dandus locus Dominicae, de qua fieri debet Officium cum commem. et 9. Lect. festi simplicis ea die occurrentis.

b) Alcantara.

In omnibus conventibus Ord. Minor. s. Francisci Provinciae Arrabidensis in Lusitania, exceptis Coenobiis, quorum titulus est s. Petri Alcantar., recitatur de eodem s. Petro sub ritu 2. class. Idem s. Petrus fuit coadjutor fundationis Provinciae, in illa vixit per multos annos, fuitque Praesul, idcirco postulatur, ut imposterum recitetur pro tota Provincia de eodem s. Petro sub ritu 1. cl. cum octava.

S. C. resp.: Negative. n. 4427 ad 3 die 10. Martii 1787.

Urbis et Orbis.

S. R. C. precibus porrectis supplicibus elevationem ritus Officii s. Petri de Alcantara a semidupl. ad dupl. de praecepto pro Ecclesia univers. posse concedi censuit, si SS. D. N. visum fuerit. Et S. S. benigne annuit. Die 20. Apr. 1701.

(Bull. r. t. VIII. p. 431.)

Bullam de ejus Canonisatione a Clem. X. 5. Maii 1670 promulg. vd.: Bull. mag. rom. tom. VI. p. 288 (ed. Luxenb. 1727).

c) De Arbues.

Vd.: *Off. particul.* (decr. n. 3521).

d) Chrysologus.

I. Cognomen.

De ejus cognomine: *Chrysologus*, vd.: *Cognomina Sanctor.* (dicenda, decr. n. 4610.)

II. Missa.

Vd.: *Commemor. ss. apost. omnium* (decr. n. 4904).

III. Officium.

Ad dubium PP. Benedict. Einsidl.: an in festo s. P. Chrysol. pro 4. ps. dicendus sit: *Laudate pueri etc.* vel: *Laudate Domin. omnes gentes?*

S. C. resp.: *Laudate pueri etc.* n. 4044 ad titul. XXIII. dub. 1. die 5. Maii 1736.

IV. Translatio.

Utrum transfer. die 4. Decbr.? vd.: *S. Barbara* (decr. n. 4043).

e) Coelestinus.

De ejus cognomine, vd.: *Cognomina SS.* (dicenda, decr. n. 4985).

f) Damianus.

Decretum Urbis et Orbis.

Gliscentibus undequaque erroribus et ab Ecclesiae instituto alienis, Saeculo X., doctrinis compescendis suscitavit Deus Optimus Maximus Petrum Damianum vitae sanctimonia et doctrinae laude commendatissimum, quem sa. mem. Stephanus PP. IX. ex Fontis Avellanae solitudine avulsum Cardinalitia decoratum dignitate, Episcopum Hostiensem renunciavit, plurimisque perfunctum Legationibus sibi per Romanos Pontifices concreditis, morum

suavitatem et Catholicae Ecclesiae unitatem restituendam curavit exemplo, scriptis, praedicatione, quibus indesinenter ad octuagesimum aetatis suae annum navavit: unde quum primum fluxi hujus contemptibilisque mundi vitam cum aeterna commutavit, illico universalis Ecclesiae consensu ejusdem sanctitas ubique locorum diffusa coli et in veneratione esse incepit, aucta postmodum Officii et Missae concessione. Sed virum hunc sanctum et tot nominibus de universa Ecclesia optime meritum, nondum habuisse locum in Martyrologio Romano, in eoque desiderari, ut par erat, ejusdem Elogium, indecorum visum est cum Hostiensi Ecclesiae tum universae Camaldulensium Congregationi, cujus idcirco Procurator Generalis Abbas Albertinus Bellenghi in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Conventu coacto undecimo Calendas Aprilis vertentis anni 1828 humillime petiit descriptionem in Romano Martyrologio nominis s. Petri Damiani, una cum adprobatione Elogii in eodem apponendi.

Et Emi et Rmi Patres antedictae Congregationi praepositi, singulis perpensis, quae in doctissima allegatione fuerunt opportune deducta, auditoque voce et in scriptis R. P. D. Virgilio Pescetelli sanctae fidei Promotore, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Julii Mariae De-Somalea Episcopi Hostiensis et Veliterni, Sacri Collegii Decani Sacrorumque Rituum Congregationi Praefecti, censuerunt esse rescribendum: „Elogium exhibitum transscribatur in Martyrologio Romano."

Facta autem de praedictis omnibus et singulis SSmo D. Nostro Leoni XII. Pontif. Maximo relatione per ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua in omnibus annuendo Sacrae Congregationis Rescriptum adprobavit et confirmavit et Decretum Urbis et Orbis desuper evulgandum mandavit 7. Calendas Aprilis 1828.

Elogium vero, de quo supra et in Romano Martyrologio inserendum, est:

„Die 22. Februarii. Faventiae Sancti Petri Damiani Cardinalis et Episcopi Hostiensis doctrina et sanctitate celebris."

N. 4635.

Urbis et Orbis.

Providentissimus Deus, qui electam suam sponsam Ecclesiam super Apostolorum et Prophetarum fundamentum posuit eamque summo angulari lapidi Christo Jesu innixam voluit, sapientissimo cavit consilio, ut ad illius praesidium jugiter egregii sanctique vigilarent Pastores, qui non modo sublimioris virtutis exemplo fidelium Ecclesiae filiorum mores ad justitiam pietatemque componerent, verum etiam ingenio doctrinaque celebres eosdem Fidei veritate consolidarent. Hos propterea divinus praeceptor sal terrae mundique lumen nuncupavit, qui non vivae tantum vocis officio caeterorum Pastorum instar sibi commissam plebem sed cunctos Christifideles omniumque saeculorum posteritatem conscriptis libris sapientia et doctrina refertis etiam extincti erudire non cessant. Quos inter eminet etiam *Sanctus Petrus Damianus* a sa. mem. Stephano IX., alias X., Sanctae Rom. Ecclesiae Cardinalis creatus et Ostiensis Episcopus renunciatus, qui saeculo XI. Dei Ecclesiae meritis et doctrinis illuminavit, designatus idcirco Scriptorum elogio vir et sanctitate et doctrina per sua tempora clarus. Hujus porro sanctissimi viri de universa Ecclesia tot nominibus optime meriti nondum extensum fuisse festum per ipsam universalem Ecclesiam dolentes aposto-

lici Senatus Patres, ita Summum Ecclesiae Hierarcham et Caput Pontificem Maximum Leonem XII. per Postulatoriam Epistolam Sacri Cardinalium Collegii nomine deprecati sunt, ut ex Sacrorum Rituum Congregationis Consulto ejusdem s. Petri Damiani festum celebrari praecipiat universa in Ecclesia 7. Calendas Martii cum Officio et Missa de communi Doctorum, necnon cum Lectionibus et Oratione propriis jam pro aliquibus locis adprobatis. Qua postulatoria una cum animadversionibus R. P. D. Virgilii Pescetelli Sanctae Fidei Promotoris et Advocati ac Procuratoris Responsionibus diligentissimis in Ordinario Sacrorum Rituum Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto delata, Emi et Rmi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, audita relatione Emi et Rmi Domini Cardinalis Julii Mariae De Somalea Episcopi Ostiensis et Veliterni Ponentis eidemque Congregationi Praefecti, momentis omnibus hinc inde allatis sedulo libratis matureque discussis unanimi consensu rescribendum censuerunt: *Consulendum Sanctissimo pro gratia.*

Die 27. Septbr. 1828.

Facta autem de praemissis omnibus et singulis SSmo Dom. Nostro Leoni XII. Pontifice Maximo per ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione Sanctitas Sua in omnibus annuendo Sacrae Congregationis Rescriptum adprobavit et confirmavit ac *S. Petrum Damianum Doctorum Albo recensuit ejusque Officium* sub ritu dupl. min. cum lectionibus primi nocturni de scriptura instar concessionis factae Clero Ravennaten. de anno 1723 *ad universam extendit Ecclesiam* ac desuper Generale Decretum Urbis et Orbis expediri praecepit. Calendas Octobris ejusdem anni 1828.

N. 4638.

g) Martyr.

I. Lectiones.

Quando s. Petrus m. 29. Apr. transfertur post tempus pasch., *Breviarium Benedict. Einsidl.* assignat in 3. n. Evang.: *Nolite arbitrari etc.* cum sua homilia. Alia autem Breviaria, quae hujus casus mentionem faciunt, allegant Evang.: *Si quis venit etc.* cum sua homilia. Quaeritur: Cui adhaerendum? S. C. resp.: Legatur: *Si quis etc.*, nisi constet de alia concessione. n. 4044 (dub. circa Lection.) dub. 6 die 5. Maii 1736.

II. Ritus.

Sixtus PP. V.

Hac nostra perpetua constitutione mandamus, ut dies festus s. Petri m. 3. Cal. Maii per omnes totius Orbis terrarum Ecclesias duplici Officio de communi un. m., ubi proprium deest, celebretur, ac decernimus ut Calendario romano ad eum diem nomen s. Petri m. cum specificatione Ordinis Praedicatorum ac duplici nota adscribatur.

Romae 13. Apr. 1586.

III. Translatio.

Quoad Officia SSrum ad libitum servari decretum de die 24. Jan. 1682. Festum vero s. Petri m. jam translatum, non in die 4. Maii natalitium s. Monicae, in quo ejus Officium recitandum est, sed ulterius ad aliam diem non impeditam juxta rubricas transferendum esse. n. 2999 ad 1 et 2 die 26. Sept. 1682.

h) Urseolus.

Ad dubium: An in VI. Lectione s. Petri Urseoli post verbum: *aetatis,* apponi valeat aliud verbum: *anno,* adeo ut legi valeat: *anno sexagesimo nono.* Item ad verbum *anno* addi

queat in VI. Lectione s. Antonini Ep. Conf.?

S. ipsa C. respondendum censuit: „Nihil addendum."

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit die 29. Martii 1851 n. 5157 ad 7.

PHARMACIA.

Vd.: *Medicamentum.*

SS. PHILIPPUS ET JACOBUS AP.

1) Communicant. et Praef.

Vd.: *Communicantes.*

2) Lectiones.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: Si festum ss. Philippi et Jacobi veniat infra hebdomadam 4. post pascha, et in domin. 4. veniat festum dupl. non habens lectiones assignatas de communi nec proprias, scriptura talis dominicae sit in tali festo ponenda, non obstante quod eaedem lectiones rursus infra illam septimanam occurrant in festo ss. Philippi et Jacobi, vel an sufficiat, quod talis scriptura ponatur in festo horum apostol. et an in festo occurente in dominica possint poni lectiones de communi?

S. C. resp.: In dominica 4. legantur ll.: *Initium Epist. b. Jacobi ap.* etc. In festo autem ss. apostolorum legendae erunt lectiones ejusdem Epistolae, quae occurrunt dicendae in illa feria. n. 4044 *(alia dubia)* dub. 7 die 5. Maii 1736.

3) Responsorium.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: Quale responsorium sit dicendum post penultimam lectionem in Officio ss. Philippi et Jacobi, quando illud festum in dominica cadens omittit suam ultimam lectionem, cujus loco legitur homilia in Evang. ejusdem dominicae occurrentis?

S. C. resp.: Responsorium ultimum, quia est proprium, dicatur loco penultimi, quod est de dominica. n. 4044 *(alia dub.)* ad 7 die 23. Julii 1736.

4) Translatio.

Vd.: *S. Monica; Alleluja* (decr. n. 4044); *Protector civitatis.*

Festum ss. apost. Philippi et Jacobi occurrens cum Patrocinio s. Joseph, vd.: *Patrocinium s. Joseph* (decr. n. 4401, 4474, 4110, 4143).

Cum dies festus ss. apost. Philippi et Jacobi anno 1704 incidat in diem Ascensionis Domini, et successive die 2. et 3. mensis Maii sint recitanda Officia S. Athanasii et Inventionis SSmae Crucis, et deinde dies festus S. Monicae, qui est semiduplex, incidat in dominicam infra octavam ejusdem Ascensionis, et cum fer. 2. post dictam dominicam infra octavam in civitate Valentiae non sit impedita aliquo die festo duplici vel semidupl., humillime supplicatum fuit S. R. C. ab ecclesiasticis saecularibus civitatis Valentinae declarari, de quibus sit recitandum Officium dicta fer. 2.: An scilicet de ss. apost. Philippo et Jacobo vel potius de s. Monica?

Et S. eadem R. C. „Recitandum esse de s. Monica" declaravit. n. 3567 die 19. Junii 1700.

Idem responsum pro Ordine Coelestinorum. n. 3634 die 16. Sept. 1702; n. 3409 die 22. Decbr. 1696.

Cum anno 1707 festum s. Marci Ev. occurrat in fer. 2. post dom. Resurr. et festum ss. apost. Phil. et Jacobi in dominica in Albis ac propterea utrumque sit transferendum, quodnam eorum debeat in translatione praeferri?

S. C. resp.: Officium s. Marci. n. 3748 die 17. Julii 1706.*)

Cf.: *Translatio* festorum ss. Apost. et Evang., decr. n. 2380.

Occurrentibus anno proxime venturo 1704 die prima mensis Maii die festo Ascensionis D. N. J. Christi et altero ss. apost. Philippi et Jacobi dubitatum fuit super Missa celebranda in Ecclesiis, in quibus dies festus praedictorum ss. Apostolorum ad tempus non paschale transferri contingat.

Et S. R. C., re matura discussa, censuit: „Celebrandam esse, prout jacet in Missali, demptis tamen in omnibus partibus ejusdem Missae, Alleluja, ratione temporis paschalis in eadem appositis."

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3657 die 23. Junii 1703.

Festum ss. Apost. occurrens cum festo ss. Redempt. et Patrocinio s. Joseph; vd.: ***SS. Redempt.*** (transl. decr. n. 4859).

Ab antiquo tempore celebratur Dedicatio Cathedr. die 1. Maii et festum ss. apost. Phil. et Jacobi fuit fixatum die 5. Maii. Nunc propter festum s. Pii V. quaeritur: utrum transferendum denuo esset festum ss. Apostolorum in diem undecimam Maii?

S. C. resp.: De Officio ss. Apostolorum fieri debet die 5. ipsis jam pridem assignata in occursu dominicae, et de altero, de s. Pio V., die undecima tamquam propria.

Die 9. Jun. 1742. ***In Verulan.***

Quo die recitari debeat Officium ss. Phil. et Jacobi, ex quo cadit in diem Ascensionis Dom.? S. C. resp.: recitari debere prout disponitur in rubrica de translatione festorum titulo decimo. n. 1040 die 12. Apr. 1636.

---

*) Bull. r. t. VIII. n. 434.

In Metropol. Montis Regalis habetur una ex spinis s. Coronae D. N., de qua quotannis prima dominica Maii recitatur Officium cum Missa, a Clemente VIII. sub ritu dupl. approbatum eidemque dominicae assignatum, cum process. sol. per civitatem. Quando vero aliquando in eadem prima dominica Maii occurrat festum ss. apost. Phil. et Jacobi sub ritu dupl. 2. cl., transferendum est Officium. s. Spinae. n. 2509 ad 1 die 9. Aug. 1670.

In Funchalensi dioecesi insulae Maderae die prima Maii fit Officium separatim de s. Jacobo maj., ejusdem civitatis Patrono, et festum s. Philippi transfertur.

S. C. resp.: Festum autem s. Philippi non esse celebrandum die 4. Maii, in qua recitandum est Officium s. Monicae, sed transferendum ad primam diem non impeditam. In occurrentia autem translationis cum s. Marco Ev. servandas esse rubricas Breviarii rom. de translat. festorum n. 7. n. 3096 die 24. Novbr 1685.

5) Vesperae.

Occurrente festo Patrocinii s. Josephi 2. cl. cum festo ss. ap. Philippi et Jacobi vesperas integras deberi s. Apostolis et Evangelistis. n. 4491 ad 7 die 12. Martii 1804.

6) Vigiliae.

Vd.: *Vigilia jejunanda.*

S. PHILIPPUS NERIUS.

a) Festum.

Ad preces Cleri, communitatum et hominum terrarum et villarum resp. Roccae s. Joannis in Venere, Fossae Caecae, s. Eusanii Theatinae et Capraiae Pennen. dioecesium electionem s. Philippi N. in patronum principalem

S. R. C. approbavit et confirmavit et quoad festum ejusdem ex devotione non autem ex praecepto servari posse censuit. n. 3465 die 15. Martii 1698.

De ritu ejus festi vd.: *SS. Trinitas* (vesp., decr. n. 4604 nota). *De ejus Canonisatione* vd.: Bullam Urbani VIII. die 6. Aug. 1623. (Bull. rom. t. IV. p. 6.)

Pius PP. VI.

Desiderium, quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur, animo Nos decet libenti petentium desideriis congruum suffragium concedere, ut videlicet fidelis devotio celerem sortiatur effectum et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Sane pro parte charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici Nobis nuper expositum fuit, quod alias nempe die 6. Februarii 1778 Nos ejusdem regis catholici supplicationibus inclinati ob maximam vigentem devotionem in civitate et dioecesi Mexicana erga s. Philippum Nerium Congregationis Oratorii fundatorem diem festum ejusdem ad ritum dupl. 2. class. sine octava quoad clerum dictae civitatis de consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris praepositorum elevavimus, prout ex decreto tenoris, qui sequitur, videlicet:

Mexicana.

Cum in civitate et dioecesi Mexicana maxima vigeat devotio erga s. Philippum Nerium Congregationis Oratorii fundatorem, Joseph Nicolaus de Azara nomine catholicae majestatis regis Hispaniarum SSmo Domino Nostro Pio Papae VI. enixas porrexit preces pro extensione ad clerum dictae civitatis et dioecesis Mexicanae Officii proprii et Missae praedicti Sancti sub ritu dupl. 1. cl. cum octava, prout die 4. Septembris 1745 adprobatum fuit pro Congregationibus Oratorii ejusdem s. Philippi Nerii regni Portugaliae et Algarbiorum, et Sanctitas Sua ad relationem r. p. Dominici de s. Petro fidei promotoris ex speciali gratia, nunqnam in exemplum trahenda, benigne annuit pro elevatione ritus festi s. Philippi Nerii *ad duplicem 2. cl. sine octava quoad clerum saecularem tantum civitatis et dioecesis Mexicanae:* contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 6. Febr. 1778.

A. Card. Marefuscus praefectus.

(Sigillum.)

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, memoratus rex catholicus decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio per literas in simili forma Brevis communiri summopere desideret, Nos piis ejusdem regis catholici votis annuere volentes supplicationibus quoque super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus eique apostolicae firmitatis robur adjicimus ac omnes et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Datum Romae die 18. Sept. 1779.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 143.)

Pius PP. VI.

Ad hoc in apostolicae Sedis cathedra disponente Domino constituti esse intelligimus, ut justis postulationibus liberiori animo praebeamus assensum et quos devotiores ad Nostrum obsequium et S. Rom. Ecclesiae gremio specialius adhaerere cognoscimus, familiarius curemus. Alias siquidem nempe die 6. Febr. 1778 supplicatio-

nibus charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici inclinati diem festum s. Philippi Nerii quoad clerum saecularem civitatis et dioecesis Mexicanae ad ritum dupl. 2. class. sine octava elevavimus. Cum autem pro parte memorati Caroli regis catholici nuper nobis expositum fuerit, ut Officium proprium ac Missam ejusdem s. Philippi alias Patribus Congregationis Oratorii in regnis sibi subjectis die 25. Febr. 1758 concessam ad eumdem clerum saecularem civitatis et dioecesis Mexicanae extendatur, plurimum desiderare, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur piis ejusdem Caroli regis catholici votis annuere cupientes supplicationibus hujusmodi inclinati, de VV. FF. Nostrorum S. Rom. Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, *ut in die festo tantum dicti s. Philippi Nerii Officium et Missam propriam alias, ut praefertur, Patribus Congregationis Oratorii regnorum Hispaniarum concessam in perpetuum recitari ac respective celebrari libere ac licite possint et valeant*, auctoritate Nostra apostolica harum serie concedimus et impertimur.

Datum Romae die 18. Sept. 1779.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 144.)

b) Praefatio.

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri saeculares Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii civitatis Limanae nomine etiam aliarum Congregationum regni Peruviani, quod ipsi ad promovendum in eumdem s. Philippum Nerium suum institutorem cultum ac venerationem, ut in Missa ejusdem s. Philippi pro festo et ejus octava nec non in quibusvis Missis votivis ipsius Sancti, quae celebrari solent intra et extra praefatas Congregationes, praefatio propria recitari possit tenoris qui sequitur: „Vere dignum et justum est, aequum et salutare, Nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine S. Pater omnipotens aeterne Deus, qui beatum Philippum gratiae tuae muneribus repletum amoris igne aestuare fecisti. Qua ineffabili charitate inflammatus novam ad animarum lucrum Congregationem instituit et, quae aliis dedit salutis monita, operum exhibitione complevit. Quaesumus ergo clementiam tuam, ut illius Nos festivitate laetifices, exemplo piae conversationis exerceas, verbo praedicationis erudias grataque tibi supplicatione tueris, et ideo cum angelis etc.“, per Nos sibi concedi summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praedecessorum Nostrorum exempla, qui indulta hujusmodi ordinibus regularibus pro suis fundatoribus concesserunt, sectantes eosdemque exponentes specialibus gratiis et favoribus supplicationibus hujusmodi inclinati eisdem exponentibus caeterisque Congregationibus Oratorii hujusmodi intra regnum Peruvianum consistentibus, ut in omnibus Missis die festo ejusdem s. Philippi Nerii fundatoris ac per ejus octavam et in Missis quoque votivis in ipsius honorem in qualibet tantum Ecclesia Congregationum Oratorii hujusmodi celebrandis praeinserta praefatio libere ac licite recitari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 11. Sept. 1798.

(Bull. r. Contin. t. X. p. 158.)

PILEOLUM.

1) Abbatis.

Prior, usum pontifical. habens, biretto parvo *nigri* et non alterius coloris omnino uti debeat. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbates sub mitra utantur parvo biretto nigro et non alterius coloris. n. 531 die 18. Mart. 1617.

2) Assistentis Episcopo.

Vd.: *Pileolum Canonicorum assist.* (decr. n. 3302).

3) Canonicor. assist. Episcopo.

Vd.: *Pileolum Ministr.*

Ad dubium 1.: Quatenus declaretur Episcopum posse cum pileolo assistere, an idem pileolum retinere pariter possint Canonici in choro et solio assistentes, dum descendunt ad circulum ad *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus Dei?*

2. An Canonici, utcumque Episcopo ministrantes in s. functionibus, debeant semper id praestare capite detecto et absque pileolo?

3. An iidem Canonici Episcopo ministrantes, dum Sacrum peragit, saltem possint retinere pileolum usque ad consecrationem, illudque resumere sumptione peracta?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit

Ad 1.: „Negative in omnibus expressis circumstantiis.“

Ad 2.: „Semper sine pileolo.“

Ad 3.: „In s. functionibus numquam pileolo uti posse.“

Atque ita rescripsit servandumque mandavit. n. 5017 ad 4 — 6.

Die 14. Junii 1845.

Canonici Cathedr. non possunt uti pileolo, dum in circulo recitant cum Episcopo *Gloria, Credo, Sanctus,* neque Canonici assistentes, stante Episcopo legente *Introitum*, *Epistola, Evang.* et *Postcommunio*, neque Porrigens aspersorium Episcopo in ingressu Ecclesiae nec dum aspergit caeteros Canonicos. n. 2925 ad 1 — 4 die 31. Aug. 1680; n. 3381 die 18. Febr. 1696; n. 3516 ad 7 die 4. Apr. 1699; n. 4287 die 17. Maii 1760.

Non licere Priori, Praeposito et Canonicis Missarum et Vesperarum Divinis intervenientibus uti pileolo in thurificando SSmum ipsumque Episcopum, in petenda ab ipso incensi benedictione, in assistentia in circulis ac reverentiis, in ostendendis deferendisque reliquiis. n. 1602 ad 1 die 23. Jan. 1649.

Presbyter (quicunque ille sit) *assistens Episcopo* tenere non potest in capite pileolum, cum eidem porrigit incensum vel quando ipsum incensat, vel ipsi assistat ad Missale sive in altari sive in throno, nec *porrigens* aspersorium Episcopo Ecclesiam ingredienti idem potest deferre sicuti etiam caeteri, qui aqua pariter asperguntur ab Episcopo. n. 3302 ad 1 et 2 die 10. Jan. 1693.

Canonici assistentes quandocunque Episcopo ad sedem pontificalem, item assistentes quandocunque Episcopo inservientes in functionibus pontificalibus quibuscunque, etiam quando assistit cum sola cappa magna, pileolum in capite tenere possunt, *dummodo non ministrent.* n. *3302* ad 3 et 4 die 10. Jan. 1693; n. 3516 ad 7 die 4. Apr. 1699.

Ad dubium: An pileolo uti possint Canonici assistentes Episcopo in functionibus ecclesiasticis tam in altari quam in Cathedra Episcopali?

Et Emi P. S. eidem C. praepositi respondendum censuerunt, ut infra, videlicet:

„Negative ad primam partem et quoad secundam affirmative, dummodo non ministrent.“

Et ita responderunt et censuerunt die 20. Apr. 1822 n. 4585.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Dubium duas habet partes, prima respicit Canonicos assistentes Episcopo in altari, altera praestantes eamdem assistentiam in cathedra episcopali. Plura sunt decreta S. hujus C., quae versantur circa usum pileoli, rationabili urgente causa, Sacerdotibus etiam, in Missa *usque ad Praefationem* et post s. absoluta mysteria concessum. In *Asculana 21. Mart. 1676* responsum fuit: *Non licere Canonico, qui privilegio gaudet utendi pileolo in Missa usque ad Praefationem, eo uti in Missa cantata coram Episcopo,* nec pariter licere, si idem Canonicus tamquam Diaconus vel Subdiaconus Celebranti ministret: ita in una *Nullius die 2. Sept. 1679.* Neque fas esse sancivit pileolo caput operire in circulis, qui fiunt cum Episcopo vel etiam dum idem stans legit Epistolam, Evangelium et Postcommunio vel dum in ingressu Ecclesiae traditum sibi accipit Aspersorium eoque lustrat Capitulum. Ita in Squillacen. *31. Aug. 1680,* in Nicien. *10. Jan. 1693,* in Alexandrina *17. Febr. 1696.* Hinc negativum responsum ad 1. partem. Quo vero ad 2., discrimine est opus. Vel Canonici assistentes actu Episcopo ministrant vel dum sedet Episcopus et ipsi quoque sedent. In primo casu nequeunt uti pileolo, non item in altero, veluti respondit S. C. in memorata Nicien. *ad dub. 3. et 4.* et in una Burgi S. Sepulcri *4. Aprilis 1699.*

Cattaren.

Quum modernus Episc. Cattaren. in Dalmatica S. R. C. humillime supplicarit, ut declarare dignaretur: Utrum Praepositus et Canonici illius Capituli, dum Episcopo Missam Pontificalem aliasque s. Functiones exercenti assistunt vel ipsimet Missas et s. functiones ad altare praesente vel absente Episcopo celebrant, caput tectum cum pileolo tenere possint?

Eadem S. C. ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente Secr., rescribendum censuit:

„Juxta alias decreta negative.“

N. 4871 die 31. Aug. 1839.

4) In choro.

Vd.: *Pileolum* (licentiam etc.).

Capellani de Massa et etiam Canonici deponere debent pileolum, quando prodeunt in medium chori ad canendum. n. 2083 ad 8 (2do) die 18. Decb. 1660.

Inferioribus quam Canonicis licet in choro uti pileolo. n. 3535 ad 3 die 3. Octb. 1699.

Non licet Vicario generali et Canonicis in missis et vesperis sol. recipere thurificationem capite cooperto pileolo. n. 2215 die 20. Apr. 1663; n. 2346 die 11. Novb. 1665; n. 2435 die 21. Apr. 1668.

Qui cantat passionem in missis hebdom. s. non potest eo tempore, quo cantat, uti pileolo, ac similiter, qui in officiis ejusdem hebdom. cantat lectiones in choro. n. 3597 ad 1 die 10. Sept. 1701.

Canonici et Dignitates s. Officium peragentes praesertim cum pluviali vel antiphonam intonantes uti non possunt pileolo. n. 4235 ad 11 die 15. Septb. 1753.

Item non licet Clericis Seminarii uti pileolo, quando sedent in choro praesentibus Canonicis tam absente quam praesente Episcopo. n. 4235 ad 12 die 15. Septb. 1753.

Qui assistit in choro Missae conventuali non potest portare pileolum per totum Canonem; in aliis vero divinis Officiis uti potest.

S. C. Episcop. et Regul. in una s. Angeli 5. Novb. 1602.

5) In Concione.

Ad dubium: Utrum Ecclesiastici, queis permittitur pileoli usus, illum gestare queant, dum a suggesto praedicant vel alias Eccl. exercent functiones, praeter tamen in Missae sacrificio?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Negative tam in Missa, quam in eccl. functionibus, nisi fuerit specialiter indultum."

Et ita rescripsit ac servari mandavit.

N. 5035 ad 4 die 23. Maji 1846.

6) Episcopi et Archiep.

a) Color.

Neutro modo licere Episcopis vel Archiepiscopis cum habitu episcopali ordinario, sive cum habitu sacro uti pileolo coloris rubri, quo utuntur Cardinales. n. 1440 die 14. Mart. 1643.

Archiepiscopus Turritanus Regularis et Ord. s. Augustini uti non potest pileolo violaceo. n. 3687 ad 4 die 26. Apr. 1704.

b) In benedictione.

Vd.: *Benedictio Episcopi cum reliquia.*

c) Quando deponitur?

Quaeritur: an Ep. *assistens* Missae solemni, quae in Eccl. celebratur cum cantu, deponere debeat pileolum a consecratione ad consummationem inclusive; ac idem dicendum de mitra dum assistit cum pluviali: an assistens cum cappa et mozzetta deponere debeat biretum tantum, retinens pileolum?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Sine mitra et biretto tantum."

Atque ita rescripsit servandumque mandavit.

N. 5017 ad 3 die 14. Junii 1845.

d) Quis deponit?

Ad dubium: an Dignitas prima assistens Episcopo pontif. celebranti in intonationibus orationum, *Gloria* et *Credo* teneatur auferre et inponere pileolum, toties quoties auferenda est mitra?

S. C. resp.: Spectare ad Assistentem a dexteris. n. 3625 ad 2 die 8. Apr. 1702.

Cum cantatur ultimum Kyrie, aufertur Episcopo per Assistentem a sinistris gremiale et mitra; pileolum vero per Assistentem a dexteris, complanatis cum eo capillis, quod penes se retinet.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 37.

e) In thurificatione.

Episcopo non posse prohiberi, quin thurificationem accipiat cum pileolo, quamvis in decreto de 21. Novb. 1665 per errorem scriptoris fuerit comprehensus etiam Episcopus. n. 2435 die 21. Apr. 1668.

Vd.: *Incensatio cleri* (capite nudo).

7) Licentiam pil. port. quis concedit?

Licentiam in *choro* deferendi pileolum posse concedi etiam a solo Episcopo. n. 3442 die 31. Aug. 1697.

Pileoli usus in Missa, etiam extra canonem, concedi non potest ab Episcopo sed solum a Papa: Sac. Congr. Episcop. et Regul. 3. Jan. 1590 et die 17. Jun. 1595 et S. C. R. 24. Apr. 1626.

8) Ministrorum.

Vd.: *Pileolum Canonicorum assist.*; *Biretum Ministrorum* (decr. n. 5176).

Nec Canonicis Cathedr. nec aliis missarum divinis inservientibus licet deferre pileolum. n. 1596 ad 1 die 20. Junii 1648.

Non licuisse neque licere *Acolythis* capite cooperto pileolo assistere cum candelabris tempore, quo canitur Evangelium. n. 2625 die 6. Maii 1673.

Presbytero, qui privilegium habet utendi pileolo in Missa, non licet eo uti in Missa sol., ministrando tamquam Diaconus vel Subdiaconus Celebranti, qui similiter privilegium habens eo in Missa sol. utitur. n. 2901 die 2. Sept. 1679.

9) In Missa.

Cf.: *Pileolum Ministr.* (decr. n. 2901); *Pil. Canon. assist.* (decr. n. 4585 nota; 4871); *Missa* (Celebrans sedere non debet; Epist. PP. Bened. XIV. n. XXII.); *Instr. Cl.* §. XX. n. 12.; *Parrucca.*

Presbyteris non licet capite velato berettino (pileolo) celebrare Missam. n. 624 ad 1 die 24. Apr. 1626.

Canonico gaudenti indulto apost. utendi pileolo a principio Missae *usque ad Praefationem* non licere idem etiam retinere in Missis cantatis praesente Episcopo. n. 2769 die 21. Mart. 1676.

Priori Ecclesiae commendatae Aquae Sextiae non licet celebrare cum pileolo sine speciali Indulto apost. n. 3679 ad 2 die 12. Apr. 1704.

10) In Processione.

In processionibus (sine delatione SSmi) parochos posse deferre pileolum ex universali consuetudine. n. 4815 ad IX. 2 die 22. Sept. 1837.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XX. n. 12; *Processio* (capite tecto etc.).

11) In processione SS. Sacramenti.

Canonici parati vel cum cappa in processionibus SSmi Corp. Chr. incedentes ... non possunt gestare pileolum, cum reliqui Sacerdotes et alii de clero incedant nudo capite. n. 3544 ad 2 die 23. Jan. 1700; n. 4815 ad IX. 2 die 22. Sept. 1837. *Instructio Clement.* §. XX. n. 12.

12) Coram SSmo.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXV. n. 5; §. XX. n. 12.

13) In portando SS. Viatico.

Institit rector paroch. Ecclesiae in civitate Barensi, ut sibi ob malam valetudinem impartiretur usus pileoli, dum SS. Viaticum infirmis ministrandum defert. EE. PP. hujusmodi usum oratori durante causa infirmitatis *licitum* declararunt.

Die 20. Mart. 1659.

Bisinianen.

Quum ea sit positio parochialis Eccl. loci vulgo Acri in dioec. Bisinian., ut ad fideles ut plurimum per agros dissitos ac ad plura milliaria distentos s. Viaticum, dum ipsi infirmantur, deferri nequeat nisi summa cum difficultate ob viarum asperitatem ac ventorum, nivium glacierumque incommoda, inde fit ut animarum dispendia necessario eveniant et semper majora timeri debeant. Queis incommodis occurrere, quoad fieri potest, exoptantes hodierni parochi et oeconomi oppidi ipsius invectae in enunciata Paroecia consuetudini hujusmodi in casibus deferendi SSmum Sacramentum capite pileo cooperto et equitando amplius se conformare formidant, quia nulla usque nunc intercessit apost. venia. S. proinde R. C. enixis precibus adeuntes consuetudinis ipsius confirmationem instanter rogarunt, quod et

ipse Rmus Ep. s. Marci et Bisinianen. pro Informatione et Voto requisitus efflagitat, ex propria notione in s. Visitatione, quae enunciantur incommoda, expertus.

Et S. eadem C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, audita relatione ab infrascripto Secr. facta omnibusque rationum momentis maturo perpensis, rescribendum censuit: Detur Decretum in Lauden. diei 23. Jan. 1740, nimirum commisit Rmo eidem Ep., ut pro suo arbitrio et prudentia, quod deinceps parochus et oeconomi Acri hujusmodi in circumstantiis equitantes ac capite pileo cooperto s. Viaticum deferre valeant, comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente. Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5036 die 23. Maii 1846.

Parocho rheumate laboranti et SS. Sacramentum infirmis deferenti solet indulgeri usus pileoli in itinere, non tamen intra civitatem vel oppidum.

S. R. C. 5. Mart. 1633.

Abbas curatus Asculanae dioecesis *rheumate* loborans supplicavit pro licentia deferrendi SSmum cum pileolo, quotiescunque illud deferre contigerit ad Infirmos per modum Viatici. Et S. C. censuit: concedendum in itinere dumtaxat extra oppidum. n. 3303 die 10. Jan. 1693.

Parochis Urbis ministrantibus SSmum Infirmis non licet de die et de nocte uti pileolo in delatione ejusdem per civitatem sub praetextu alicujus infirmitatis absque speciali licentia S. C. n. 3368 die 23. Aug. 1695; n. 3544 ad 1 die 23. Jan. 1700.

Sanctitas Sua *attentis gravissimis rerum adjunctis* ... indulsit, ut Sacerdotes s. Viaticum delaturi infirmis in dioecesi Coloniensi incedant, *tempestate praesertim hyemali, capite laneo pileolo tecto*, qui, exigente *necessitate*, esse poterit talis amplitudinis, ut aures etiam cooperiat.

Die 13. Nov. 1862.

PILEUS.

1) Episcopi def.

Pileus Episcopi demortui debetur Ecclesiae tumulanti, non Cathedrali.

S. C. *Ep.* 26. Apr. 1653.

2) Laicorum.

Non licet viris nobilibus, qui magistratus Officio funguntur et gerunt habitum et publica dignitatis signa, dum s. caeremoniis in Missae sacrificio solemniter intersunt, cooperire capita cum pileis eodem ac pari modo, quo Clerici et Presbyteri degentes et assistentes in choro birettis se contegunt. ... Nec etiam in decantatione divinorum Officiorum et Vesperarum. n. 3107 ad 2 die 23. Mart. 1686.

Servanda esse a fratribus Augustinianis et Conventualibus Aquiqend. decreta prohibitiva delationis pilei in processionibus ad formam ritualis. n. 3268 die 26. Apr. 1692.

Electi civitatis et Gubernator Aversanae Episcopo cum mitra sedente non possunt in parte Missae sedere capite pileis cooperto. n. 3682 ad 7 die 26. Apr. 1604.

S. PIUS V. P.

1) Lectiones.

Ad relationem Benedictin. Einsidl.: an recentiora Breviaria bene moneant die 5. Maii in festo s. Pii V. addenda esse in fine Lectionis 8. verba: „*Quibus rite probatis a Clemente XI. P. M. Sanctorum numero adscriptus est*“?

S. C. resp.: *Affirmative.*

N. 4044 ad titul XXV. dub. 8 die 5. Maii 1736.

De ejus Canonisatione, vd.: Constitutio Clem. XI. undecimo Cal. Jun. 1712.

(Bull. r. t. VIII. p. 92.)

Urbis et Orbis.

Clemens PP. XI.

Cum S. R. C. sub die 28. Jan. 1713 instantiam R. P. Generalis Ord. Praed. pro Elogio s. Pii V. in martyrologio apponendo nonnullisque verbis in lect. II. n. addendis remiserit: et R. D. Card. s. Clementis sequens Elogium videlicet: *Romae s. Pii PP. V. ex Ord. Praed., qui ecclesiasticae disciplinae restituendae, haeresibus extirpandis strenue ac feliciter incumbens, vitae ac legum sanctitate cath. Ecclesiam gubernavit:* necnon pro III. l. II. n. post illa verba: multis a Deo ejus intercessione patratis miraculis, infrascripta nempe: *Quibus rite probatis a Clem. XI. P. M. sanctorum numero adscriptus est:* a se diligenter revisa pro approbatione retulerit, S. R. C. tum Elogium tum verba praedicta approbavit et in martyrologio ac lectionibus apponi posse concessit, si SS. D. N. placuerit. Et S. S. benigne annuit.

Die 8. Julii 1713.

(Bull. r. t. VIII. p. 437.)

2) Oblig. ad Officium.

In novo Breviario Seraphico legitur, quod festum B. Pii V. P. et Conf. semidupl. ad libit. recitari concessum sit tantum in quibusdam certis locis, quia vero hoc ipsum festum in antiquiori Breviario Seraphico reperitur positum inter alia festa ad libitum universaliter concessa, de quibus juxta Rubricas particulares novi Breviarii Seraphici n. 10. et 175. fratribus minoribus licet recitare Officium et propter ea etiam a Sacerdotibus saecularibus dioecesis Brixinensis celebrari solet. Dubitatur proinde: Annon praedictum festum etiam a fratribus minoribus nominatae dioecesis celebrari possit?

Et eadem S. R. C., referente Emo et Rmo D. Card. Gabrielli, respondendum censuit:

„Sine speciali concessione negative.“

Et ita declaravit ac servari mandavit.

N. 3787 ad 3 die 16. Junii 1708.

3) Translatio.

Vd.: *SS. Philippus et Jacob.* (transl. decr. de die 9. Jun. 1742.)

PLACEAT.

(In fine Missae.)

Vd.: *Bened. Sacerdotis extra Missam* (decr. n. 4782 nota.).

SS. PLACIDUS etc. MM.

Sixtus PP. V.

Auctoritate ap. tenore praesentium praecipimus, ut ss. mm. Placidi et soc. dies festus tertio Non. Oct. in omnibus Christiani Orbis partibus sub Officio simplici, in Messanensi vero civitate, dioecesi et provincia, duplici, et praeterea alter dies festus Inventionis eorundem pride Non. Aug. in Ecclesia s. J. Bapt. Messanensis dumtaxat sub dupl. pariter Officio a cunctis personis Eccles. saecul. et quorumvis Ord. regularibus de comm. pl. mm., ubi proprium deerit, perpetuo celebretur. Volumusque, ut in calendar., quo nunc utimur, sicut in rom. Martyrologio et antea in quibusdam calendariis habebatur, ad eum diem eorundem SSrum nomina adscribantur, etiamsi in novissima Missalis et Brev. rom. editione ea fuerint praetermissa.

Romae die 13. Nov. 1588.

(Bull. r. t. II. p. 703.)

PLANETA.

1) Episcopi vel Sacerdotis def.

Vd.: *Sacerd. def.; Sepult. Sacerd. def.; Paramenta Episcopi def.*

Episcopus defunctus planeta coloris violacei induatur.
Caer. Ep. l. II. c. 38. n. 10.

2) Depositio.

a) In Parasceve.

Vd.: *Manip.* (Deponit. in Parasc.)

b) Post Missam ante „Libera me" etc.

Vd.: *Paramenta* (depos.).

3) Materia.

Vd.: *Param.* (materia decr. n. 4750.)

4) Plicata.

a) Quando et a quo utenda?

Planetis plicatis et non dalmatica et tunicella Diaconus et Subdiaconus uti debent in diebus Adventus et Quadragesimae. n. 15 ad 9 die 16. Mart. 1591.

Non solum Ecclesias Cathedrales sed etiam Abbates et Beneficiatos Ecclesiarum parochialium posse uti planetis complicatis tempore Quadragesimae et Adventus. n. 902 die 8. Mart. 1631.

Ad dubium: an liceat parocho Ecclesiae Canthiani in maj. hebdom. uti planetis plicatis, quae solent concedi Cathedralibus et Collegiatis, praesertim cum nullus ex ejus praedecessoribus illis usus fuerit, sed simpliciter ministraverit in albis, S. C. resp.: „Servanda est rubrica" 19. missalis rom. tit. de qualit. param. n. 6. et 7. n. 2221 ad 5 die 16. Junii 1663.

Rubrica concedit usum planetarum complicatarum ante pectus Diaconis et Subdiaconis ministrantibus in Missa solemni in Cathedralibus et praecipuis Ecclesiis in diebus jejuniorum cum limitatione; in minoribus vero Ecclesiis ministris praedictis dat tantum usum albae cum manipulo Subdiacono et cum stola et manipulo Diacono. n. 2542 ad 3 die 13. Junii 1671.

b) Pro dalmatica etc. utenda?

Ad dubium: num usus planetae plicatae, exclusa dalmatica et viceversa, permitti possit, et quatenus negative, num qui eundem usum induceret apprime sciens illum esse rubricis oppositum, aliquam poenam incurreret et quam?

S. C. resp.: Quicunque ille sit, qui crucem defert vel ministrat in Missa, Canonicus aut inferioris ordinis Sacerdos, uti debet dalmatica aut planeta plicata, prout exigit s. actionis qualitas.

Hinc ad 1. partem: negative;

ad 2. vero: contra faciens plectendus poena, arbitrio Episcopi, pro qualitate defectus. n. 4620 ad 4 die 6. Maii 1826.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Haud concipere mente possum, quod aliquis inveniatur, qui arbitretur pro diversitate personarum invertendas esse cum Caeremonialis tum Missalis rubricas circa ea, quae communia sunt sacris Ecclesiae ministris, vel hi sint ex dignitatum et canonicorum collegio vel Beneficiati ac Mansionarii vel exteri Cathedrali Ecclesiae Clero non adscripti. Pro diversitate temporum et functionum diversa adhiberi debent sacra paramenta, quae nedum colore sed etiam forma distinguantur, neque ulla ratio habenda est majoris minorisve dignitatis ministrorum, qui iisdem uti debent, sed unice attendendum est Officium, in quo ministrant. Atqui usus dalmaticae vel planetae plicatae

pro dierum temporumque diversitate statutus est et ab Ecclesia absolute praescriptus; non est in privatorum arbitrio eumdem immutare; quod si id fiat, qui facit, vel Ecclesiae leges ausu temerario contemnit, aut, ut mitius agam, suam crassam supinamque ignorantiam prodit. In utroque casu vel debita plectendus poena vel monendus et erudiendus; ideo sacra Congregatio ad primam dubii partem respondit: *Negative,* ad secundam *vero: contra faciens plectendus poena arbitrio Episcopi pro qualitate defectus.* Mei instituti non est hac de re longius disserere rationesque exponere ac enumerare, ob quas in diebus moestitiae et luctus ac illis praesertim, qui nos ad recolenda praecipua Incarnationis et Redemptionis mysteria disponunt, dalmatica et tunicella in planetas plicatas commutantur: ostendisse sat est relate ad dubium, quod in alterutrius usu attendi omnino debent rubricarum praescriptum et sacrae actionis qualitas, nullatenus vero ministrantium in Officio Diaconi et Subdiaconi diversus subselii gradus, major minorque honorifica personalis dignitas. Tanto autem cum rigore accipienda ac servanda est rubrica praescribens usum planetarum complicatarum in designatis diebus et functionibus, quin liceat earumdem loco dalmaticam et tunicellam adhibere, ut in minoribus Ecclesiis, ad quas caeremonialis dispositio non extenditur, Diaconus et Subdiaconus haud possint cum dalmatica et tunicella, sed in albis tantum debeant ministrare, ita respondit S. R. C. in Angelopolitana *die 13. Junii 1671.* Si quis plura velit, consulat Meratum ad Gavantum in adnotationibus ad rubricas Missalis *part. 4. tit. 1. n. 4. ad* §. *4.*

Ad dubium: Quum ex vigente consuetudine in civitate Londinensi a s. ministris in Missis sol. non assumantur in Quadragesima et Adventu casulae breviores et complicatae a rubrica requisitae, nec spes affulgeat, quod talis usus inducetur iis in Ecclesiis, S. R. C. enixae datae sunt preces, ut declarare dignaretur: num hisce temporibus iidem ministri assumere saltem possent dalmaticam et tunicellam vel Sacerdoti celebranti sol. ministrare valeant induti alba et manipulo et Diaconum deferre stolam ordinariam non vero grandiorem, ut ipsae innuunt rubricae?

S. C. resp.: Consuetudinem rubricis contrariam eliminandam et si casulae non adsint, quae plicari valeant in actu Missae sol., haec celebretur potius a solo Sacerdote sine ministris.

Die 11. Sept. 1847 *in Londinen.*

c) Diaconi et Subd. in Missa pontif.

1) Quando induitur?

Subdiaconus cantaturus Epistolam paulo ante quam Episcopus in chorum veniat, capiet omnia paramenta praeter manipulum et planetam ante plicatam, quae capiet postea. ... Episcopus autem ... accipit paramenta consueta ... et Diaconus et Subd. capiunt manipulos et planetas ante pectus plicatas.

Caer. Ep. l. II. c. XIII. n. 3. 7.; c. XVIII. n. 24.

Paramenta Missae in *Parasceve* erunt nigri coloris et pro Diacono et Subd. planetae ante plicatae.

Ibid. c. XXV. n. 4.

Incoepto primo psalmo Nonae *(in Parasc.)* Episcopus sedet; interim Canonici Evang. et Epistolam cantaturi capiunt sua paramenta praeter manipulum et planetam. — Parato Episcopo Diaconus et Subd. capiunt manipulos et planetas ante plicatas.

Ibid. n. 5. 7. *Item in Sabb. s.,* vd.: c. XXVII. n. 12.

Parato Episcopo Subdiaconus Epistolae sive alius ex Beneficiatis paratus planeta violacea plicata accedit ad altare et capit vas cum cineribus, quod portat ante Episcopum, ubi genuflexus illud retinet usque ad finem distributionis ad dexteram Episcopi.

Ibid. c. XVIII. n. 5.

In bened. Candelarum Diaconi et Subdiaconi utuntur planetis plicatis.

Ibid. l. II. c. XVI. n. 6.

2) Quando deponitur?

Dum Episcopus celebrans cantat ultimam orationem Subd. deposita planeta accipit librum Epistolarum et cantata Epistola osculataque manu Episcopi planetam reasumit.

Caer. Ep. l. II. c. XIII. n. 8.

Diaconus ante primum Allel. post Graduale deponit et ipse suam planetam, quae convolvitur vel alia jam convoluta et complicata super ejus sinistrum humerum ponitur et super ejus brachio stricte cordulis colligatur, ne decidat et sic permanet, quousque Episcopus sumpserit s. communionem. Tunc reasumit planetam ante pectus plicatam, deposita alia, quae erat super humerum sinistrum.

Caer. Ep. l. II. c. XIII. n. 9; c. XVIII. n. 17.

Finita Passione Diaconus Evang. deposita planeta eaque sive alia duplicata super humerum sinistrum posita et sub brachio dextero colligata portat librum ad altare, mox vadit ad osculum manus Episcopi.

Ibid. c. XXI. n. 17.

Interim (dum dicit Episcopus Orationem *in Parasc.*) Subdiaconus deponit planetam ... et cantat Epistolam; qua finita absque osculo manus Episcopi resumit planetam et ibit ad locum suum.

Ibid. c. XXV. n. 15.; c. XXVI. n. 4.

Finita Passione Diaconus Evangelii deposita planeta et accepta altera complicata super humerum sinistrum . . cantat Evangelium *(in Parasc.)*.

Ibid. n. 19.

d) In Processionibus.

Vd.: *Cruciferarius in process. Dom. Palmar. etc.* (decr. n. 4620); *Planeta plicata* (pro Dalmatica etc.; decr. n. 4620).

Post thuriferarium incedunt duo Acolythi cum candelabris et candelis accensis et inter eos medius Subdiaconus paratus planeta plicata super albam sine manipulo portans crucem *(in process. candelarum in Purif. B. V. M.)*.

Caer. Ep. l. II. cap. XVI. n. 15; cap. XXI. n. 8.

5) In Processionibus.

Vd.: *Processio* (Clerus par.; Canonici Cathedr. et Colleg.).

Ad dubium: an PP. Praedicator. Vallettae in processionibus *Corp. Chr.* incedere liceat cum planetis?

S. C. resp.: Affirmative in solemniori. n. 3885 ad 3 die 9. Maii 1716.

6) Ad Tumulum.

Vd.: *Tumulus* (Quid in eo etc. decr. n. 4536).

PLATEAE.

(Ornatus in Processionibus.)

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXI. n. 2—5 etc.; *Process. Corp. Chr.* (via.)

PLUVIALE.

1) Ad aspersionem aquae.

Paretur in sacristia celebrans more solito cum pluviali albo et accedat medius inter Diaconum et Subd. paratos omnibus paramentis ipsis convenientibus.

Caer. Ep. l. II. c. XXX. n. 1.

Celebraturus in dominicis paratus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali medius inter Diaconum et Subd. paratos accedet ad altare.

Ibid. c. XXXI. n. 3.

Diaconus et Subd. elevant fimbrias pluvialis celebrantis aspergentis.

Ibid. n. 4.

2) In Bened. cum reliquia s. Crucis.

Vd.: *Velum* (in bened. etc.).

3) In Bened. cum SSmo.

Vd.: *Pluviale* (in process. SSmi decr. n. 5228).

4) Canonicor. et Vicar. general.

Vd.: *Pluviale in processionib.; Processio* (Canonici parati).

In processionibus *sine SS. Sacramento* Dignitates Collegiatarum incedere debere cum suis Capitulis *sine* pluvialibus. n. 719 die 29. Jan. 1628.

Vicario gen. numquam competere ... usum pluvialis, nisi sit de gremio Capituli et in eo casu debere incedere in loco suae receptionis et contrariam consuetudinem esse abusum. n. 1943 die 7. Decb. 1658.

Neminem debere interesse cum pluviali processionibus Rogationum praesente Episcopo pluviali induto et preces decantaturo. n. 2165 die 1. Apr. 1662.

Ad dubium: an Canonici Cathedr. Gerunden. possint in processionibus deferre pluvialia vel potius teneantur uti planetis et tunicellis juxta distinctionem Ordinis vel habitibus chori respective?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, attenta immemorabili, affirmat. n. 3532 ad 1 die 3. Oct. 1699.

Cum S. R. C. sub 3. Oct. 1699 censuit respondendum ad mentem: et mens fuit, quod pluvialia gerenda a Canonicis et reliquo clero in processionibus debeant ejusdem coloris convenientis propriis festivitatibus esse. Die 11. Junii 1701.

Ad dubium: an in *processionibus Rogationum*, in quibus intersunt Capitulum Cathedr. necnon Archipresbyteri et Clerici Ecclesiarum paroch., usus pluvialis aliorumque s. indumentorum et praecedentia pertineant ad Cap. Cathedr. seu potius ad Archipresbyteros?

S. C. resp.: Affirmative ad partem primam; ad secundam negative. n. 4262 ad 1 die (13. Mart.) 18. Dec. 1756.

5) In Choro.

Cf.: *Stola in choro; Vesperae paroch.; Stola in vesp.; Lectio nona* (Canonici etc.).

In Matutinis solemnioribus debetur usus pluvialium. n. 2791 ad 1 die 13. Junii 1676.

In Ecclesiis Cathedr. Indiarum, ubi praebendae non distinguuntur in Diaconales et Subd. neque adest notabilis numerus Canonicorum, Capellani de choro pluvialibus indui debent in omnibus Missis solemnibus. n. 3551 ad 20 die 13. Mart. 1700.

Inter Regulares tam Celebrans quam Assistentes in celebrandis Matutinis sol. non possunt uti pluviali a principio Officii. n. 4395 ad 15 die 18. Decb. 1779.

6) Cleri inferioris.

Cf.: *Paramenta pontif. Cathedr.; Pluviale in process.* (decr. n. 4886); *Processio* (Clerus infer. paratus.).

Ad dubium: an Beneficiati Cathedralis Gerundae incedere debeant in processionibus induti pluvialibus, sicut Dignitates et Canonici?

S. C. resp.: Affirmative attenta immemorabili a partibus non controversa. n. 3640 ad 1 die 20. Jan. 1703.

7) Color.

Cf.: *Baldachinum* (habitus etc. decr. n. 4055).

Pluvialia gerenda a Canonicis et reliquo clero in processionibus debent esse ejusdem coloris convenientis propriis festivitatibus. n. 2583 die 11. Junii 1701.

8) In Exposit. et Repos. SSmi.

Vd.: *Expos. SSmi* (Exponens); *Pyxis* (expos.); *Repositio SSmi* (Modus); *Pluviale* (in Prosess. SSmi decr. n. 3575).

Ad dubium : Utrum in Ecclesiis pauperioribus expositio et bened. cum SSmo in Ostensorio cum solo superpelliceo et stola absque velo et pluviali, an vero absque pluviali quidem, dummodo cum velo celebrari valeat?
S. R. C. resp.: Negative.
Die 7. Maii 1857 ad dub. XI. 4. *Limburg.*

Ad dubium : An Expos. et Benedictio cum Ciborio juxta ritum variarum in Germaniae dioecesium cum solo superpelliceo et stola absque velo nedum pluviali celebrari possit?
S. R. C. resp.: Negative.
Die 7. Maii 1857 ad dub. XI. 5. *Limburg.*

9) Fimbriae elevandae.

Ad Diaconos assistentes pertinet onus elevandi fimbrias pluvialis hinc inde, quando Episcopus progreditur et dum thurificat altare. n. 351 ad 7 die 19. Maii 1607.

Ad dubium : Utrum inter process., maxime si Diaconi Evang. cantaturi intersint, certe non deficientibus clericis, laici fimbrias pluvialis Officiatoris tenere possint, siculi hisce in regionibus usus est?
S. R. C. resp.: Negative.
Die 7. Maii 1857 ad dub. XI. 3. *Limburg.*

Elevantur hinc inde fimbriae pluvialis Episcopi per Diaconos assist., dum incipit palmas distribuere.
Caer. Ep. l. II. c. XXI. n. 6.

Vd.: *Processio SSmi Regularium* (modus, decr. n. 4130); *Instr. Clem.* §. XIX. n. 11., 13—17 (elevandae infra incens. SSmi); *infra imposit. incensi*, vd.: *Instruct. Clem.* §. XXX. n. 21.; *Diaconi assist. Episcopi* (porrig. SSmum, decr. n. 4610 nota; *in Cathedr.*, decr. n. 351); *Infra bened.* vd.: *Instruct. Clem.* §. XXXI. n. 12.

Quoties Episcopus apud sedem suam elevat manum dexteram signando se aut alios signo crucis, velut cum benedicit thus, cum benedicit presb. assistentem, qui eum thurificat vel alias quoties personas aut res aliquas benedicit, sive pectus percutiendo aut alia de causa, — toties Diacon. assist. a dexteris parum elevat pluviale a latere suo, ac etiam cum thurificat altare. — Cum autem elevat ambas manus et quando est lecturus aliquid ex libro seu daturus benedictionem sol., Diaconi assist. hinc inde elevant fimbrias pluvialis.
Caer. Ep. l. I. c. VIII. n. 3.

Episcopus cum SSmo surgit et statim Cantores incipiant: *Pange linqua etc.*; Ministri assist. hinc inde elevant fimbrias anteriores pluvialis.
Ibid. l. II. c. XXIII. n. 12.

Diaconus et Subd. elevant fimbrias pluvialis Celebrantis aspergentis (in dominicis).
Caer. Ep. l. II. c. XXXI. n. 4.

Elevatis hinc inde fimbriis pluvialis Episcopi per Diaconos assist. Episcopus distribuit candelas.
Ibid. c. XVI. n. 9.

Sequetur Episcopus portans SSmum medius inter duos Diaconos assist. paratos hinc inde pluvialis fimbrias elevantes.
Ibid. l. II. c. XXXIII. n. 8., 20.

10) In Funeribus.

Vd.: *Sepult.* (a Parocho faciend., decr. de die 3. Sept. 1746; A rectore Eccles. fac. decr. *Mexicana*); *Stola in funerib.* (decr. n. 4270, 5288.)

11) Habitus non est alicujus Ordinis.

Cf.: *Vesp. paroch.*; *Laici.*

Delatio pluvialis non est habitus alicujus Ordinis et eo utuntur etiam Clerici famulantes, ut est notum. n. 1614 die 4. Dec. 1649.

Non licere assumi pluviale ab his, qui non sint Sacerdotes, nisi quatenus adessent duo Sacerdotes (in Matutinis et Vesp.). n. 1696 ad 6 n. 7. Mart. 1654.

Usus pluvialis in processionibus sol. non est testimonium et signum jurisdictionis in utente Sacerdote. n. 3511 ad 2 die 21. Mart. 1699.

12) Ad Martyrologium.

Pluviale pro canendo Martyrologio in vigilia Nativ. Dom. debet esse coloris violacei. n. 4527 ad 8 die 22. (25.) Mart. 1817.

Vd.: *Martyrolog.* (cantatio.)

13) In Matut., Vesp. etc.

Vd.: *Pluv.* (in choro.)

14) In Officio Def.

Vd.: *Stola* (In Off. Def. decr. n. 5208; 5221).

Canonicus hebdomadarius paratus pluviali nigro supra rocchettum vel cottam aut saltem stola nigra facit et dicit omnia praedicta (in Commem. om. fid. def.).

Caer. Ep. l. II. c. X. n. 10.

15) In portando ss. Viatico.

Vd.: *Stola* (administr. Sacram.; decr. n. 4623 *nota*.).

16) In Processione.

Vd.: *Reliquia* (habit. Defer.); *Abbas* (Processio); *Imago B. V. M.* (expos. decr. n. 4153; decr. n. 3472); *Paramenta* (depos.); *Pluviale* (Canonici etc.); *Instruct. Clem.* §. XV. n. 2. etc.; *Processio* (Canonici etc.); *Processio* (param.); *Baldach.* (hastas deferentes.); *Pluv.* (Cleri.)

Religiosi Ordinis Minorum Observ. s. Francisci Provinciarum Regni Neapolis in processionibus cum statua aut reliquia alicujus Sancti possunt uti pluviali. n. 3511 ad 1 die 21. Mart. 1699.

* Taurinen.

Ordinis Minorum s. Francisci Conventualium. Quum superiori anno 1839 Alumni Ordinis Conventualium s. Francisci in Oppido vulgo Bettone dioecesis Assisien. in supplicatione fieri solita die ipso Paschae Resurrectionis contra invectam consuetudinem usi fuerint pluviali, freti Decreto S. R. C. diei 21. Mart. 1699 ac proinde Capitulum Colleg. illius Ecclesiae renuerit accedere ad Supplicationem, si quidem per pluvialis usum innovatio inducebatur in hac ipsa Supplicatione non minus, quam in altera fieri solita in die solemnitatis s. Josephi, apud Rmum D. Episc. Assisien. controversia delata est, ac ejusdem sententia requisita tum super jure instituendi supradictas Supplicationes, an scilicet competant parocho an Ordini ipsi Conventualium; tum super usu pluvialis in iisdem Supplicationibus nunc primum adhibiti. Rmus ille Antistes edicens jus quoad ipsas Supplicationes competere Alumnis Ordinis Conventualium decrevit, ut super usu pluvialis contra invectam consuetudinem sententia requireretur S. R. C. Facti specie et circumstantiarum serie per R. P. D. Secretarium expositis in Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunatis, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt: „Servato Episcopi Decreto stetur consuetudini incedendi sine pluviali et ministris."

N. 4886 die 11. Apr. 1840.

Regulares possunt in suis processionibus uti pluviali, nec talis usus est signum seu testimonium Jurisdictionis in utente Sacerdote, ut patet ex resolutione et responsione S. C. R. ad sequentia dubia:

„Supplicante humiliter P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Observantium S. Francisci a S. R. C. declarari infrascripta dubia“:

Primum: An Guardiani Ordinis Minorum Observ. S. Francisci Provinciarum Regni Neapolis, obtenta ab Ordinariis locorum oretenus vel in scriptis licentia faciendi solemnes processiones per Civitates vel Oppida extra limites Conventuum suae Religionis cum Statua aut Reliquia alicujus Sancti, possint Religiosi sui Ordinis uti pluviali, licet in licentia obtenta non fuerit expressus usus pluvialis?

Secundum: An usus pluvialis in processionibus solemnibus sit testimonium et signum Jurisdictionis in utente Sacerdote“?

Sacra eadem R. C. censuit respondendum

Ad primum: Affirmative.

Ad secundum: Negative; et ita declaravit die 21. Martii 1699.

17) In Process. SSmi.

Ad dubium: an Canonicus deferens SSmum in processione cum magno concursu populi qualibet tertia dominica cujuslibet mensis debeat incedere indutus pluviali et an sufficiat simplex stola supra cappam?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4419 ad 1 *die 18. Dec. 1784.*

Vd.: *Instruct. Clem.* §. XXI. n. 7.; §. XV. n. 2.

Ad dubium: an liceat non habentibus usum pluvialis in die et intra octavam Corp. Chr. peragere processionem cum SSmo et illud sine pluviali exponere?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem et quoad 2. non posse cogi, id est in expositione SSmi. n. 3575 ad 5 *die 22. Jan. 1701.;* n. 4260 die 13. Maii 1756.

Ad dubium 1.: Utrum Episcopus tolerare possit, quod in processione SSmi Sacramenti, quae cum magno fieri solet populi concursu Dom. III. cujuslibet mensis, Canonicus deferens Sacramentum haudquaquam pluviali indutus accedat, sed simpliciter stola super cappam, quamvis ad hoc interrogata S. R. C. id fieri non posse rescripserit die 18. Dec. 1784?

2.: Utrum Episcopus tolerare possit, quod Benedictionem cum SSmo Sacramento impertiantur Canonici cum simplici stola super cappam?

Emi et Rmi P. ... respondendum duxerunt

Ad 1.: „Negative et observetur *Decretum diei 18. Dec. 1784* in una Salutiarum.“

Ad 2.: „Negative.“

Atque ita S. R. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare.

N. 5228 ad 3. et 4.

Die 29. Nov. 1856.

Ad dubium: An usus pluvialis in process. SSmi ex decr. diei 18. Decb. 1784 et 22. Jan. 1701 *(ut supra)* tanto cum rigore requiratur, ut absque eo processionem initiare non liceat, et si affirmetur, quid consilii pro Ecclesiis pauperibus pluviali carentibus capiendum sit?

S. R. C. resp.: Affirmative ac proinde curandum esse pluviale.

Die 7. Maii 1857 ad dub. XI. 1. *Limburg.*

In festo SS. Corp. Chr. non est facienda processio sine pluviali.

S. R. C. die 21. Jan. 1701.

18) Pro Sacerdote defuncto.

Vd.: *Sacerd. def.*

POENITENTIAE SACRAMENTUM.

1) Graecorum.

Vd.: *Unctio extr. Graecorum; Ritus graecus* (Constit. Bened. XIV.: *Et si pastoralis.*).

2) Modus vetitus.

SS. D. N. Clem. PP. VIII. Patrum Theologorum et re cum illustrissimis et revdss. DD. Card. contra haereticam pravitatem gener. Inquisitoribus mature ac diligenter considerata hanc propositionem: „*licere per literas seu internuntium confessario absenti peccata sacram. confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere*“ ad minus uti *falsam*, *temerariam et scandalosam damnavit* ac probuit praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur; quod si quis docuerit ... praeter excommunicationem latae sententiae, quam ipso facto incurrat et a qua non possit praeterquam in articulo mortis ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, etiam S. R. E. majori Poenitentiario, nisi a rom. Pontifice absolvi.

Datum Romae die 20. Julii 1620.

Vd.: *Indult.* (Revocatio.)

De prohibitione a poenitentibus exquirendi sociorum in crimine seu complicum nomina, vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 7. Julii 1745 (Bull. r. t. XVI. p. 304); *de die 2. Jun. 1746 (ibid.* t. XVII. p. 29); *de die 28. Sept. 1746 (ibid.* p. 87). *De loco vetito*, vd.: *Orator. priv.* (missa in var. fest., Constit. Bened. XIV. §. 20.)

3) A Parocho administr.

Vd.: *Paroch.* (administr. SS.)

4) Poena in Confessiones Excipientem, qui non est Sacerdos.

Vd.: *Sacerdos simulator.*

5) Regularium in oratoriis.

Vd.: *Regular.* (Privileg.); *Orator. priv.* (missa in var. fest. Constit. Bened. XIV. §. 20.)

6) Stola.

Vd.: *Stola* (in poenit. etc.).

POENITENTIARIA APOST.

Vd.: *Breve PP. Pii IV. diei 4. Maii 1562* in Bull. mag. rom. tom. II. p. 75 (ed. Luxenb.); *Const. Pii V. diei 18. Maii 1569 (ib. p. 300-301); Const. Innoc. XII. die 3. Sept. 1692 (ibid.* t. VII. p. 184; t. XII. p. 186). *Quae facultates Poenit. revocatae sint*, vd.: *Indultum* (revoc.); *Constit. Bened. XIV. die 13. Apr. 1744* (Bull. r. t. XVI. p. 184; 190).

POLLUTIO.

Vd.: *Ecclesia polluta; Altare* (execratio).

Quando Sacerdos cum aqua benedicta et non benedicta Ecclesias reconcial. possit, vd.: *Olea s.* (Consecr. et temp., decr. Pii VI. t. II. p. 425.)

SS. PONTIFEX M.

1) Anniversarium.

Vd.: *Annivers. SS. Pontif.*

2) Electio.

Vd.: *Sedes apostol.; Breve Gregorii XV. die 15. Nov. 1621* (Bull. rom. t. III. p. 444); *Caeremon. in electione SS. Pont.*, vd.: *Constitutio Greg. XV. die 12. Mart. 1621 (ibid.* p. 454); *Constit. Urbani VIII. die 28. Jan. 1625 (ibid.* t. IV. p. 95).

3) Habitus.

(Ex Caerem. Ecclesiae Romanae l. II. p. 377.)

Summus Pontifex, cum in publicum venit solemniter, aut habet pluviale,

aut cappam in modum Cardinalis, apertam tamen a pectore, et mitram aut Mantum Papale cum capucio supra caput. Utitur et mitra simplici in Officio Defunctorum et in die Veneris Sancti. In Matutinis autem quocumque tempore nunquam utitur mitra, sed aut cappa lanea aut Manto Papali cum capucio supra caput. In Matutinis tamen nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi et in compotatione, quae solet fieri post Vesperas antecedentes, uti solet Pontifex cappa purpurea pellibus armillinis duplicata, quam, ut legi, primus invenit Bonifacius Nonus. Duobus tamen utitur coloribus, albo et rubro, utroque in pluviali. In ornamentis autem missalibus utitur colore tempori congruente et cum mitra simplici, stola violacea, in aliis vero vestibus non sacris supra rocchettum rubro tantum, nisi a Sabbato Sancto usque ad Sabbatum in albis inclusive; et infra rocchettum utitur semper toga alba et caligis rubris cum sandaliis aurea Cruce ornatis.

PONTIFICALE.

1) Approbatio.

Vd.: *Missale* (approb.); *Libri Eccles.* (approb.)

De approbatione Pontif. rom., vd.: *Const. Clem. VIII.* die 10. Febr 1596 (Bull. r. t. III. p. 58).

2) Romanum (Usus).

Non decet aliud habere pontificale ab impresso, quo nunc utitur Ecclesia Romana, nec licet se tueri contra dictum pontificale quibusdam privatis consuetudinibus ac statutis. n. 15 ad 11 die 16. Mart. 1591.

In dubio standum est libro pontificali, qui authenticus est et allegari potest et debet ad decisionem causarum; consuetudines autem contra ipsum omnino tollendae. n. 15 ad 16 et 17 ut supra; n. 28 die 1. Sept. 1592.

Potest Episcopus etiam per censuras ... compellere ... ad observantiam rubricarum missalis, nisi specialiter fuerit in aliquibus indultum. n. 15 ad 19 ut supra.

Vd.: *Ritus.*

PONTIFICALIA.

1) Abbatis.

Vd.: *Abbas; Usus Pontif.* (praecipue decr. n. 4585; 4593; 1856.)

2) Archiepiscopi in locis Suffraganeorum.

Pontificalia exercere in Ecclesiis Suffraganeorum absque licentia Episcopi ordinarii prohibitum est Archiepiscopo per Concil. Trident. sess. 6. de reformat. c. 5. S. C. Episcop. et Rugul. die 18. Apr. 1599 apud Aldan. l. 2. tit. 8. n. 17.

3) Canon. et Dignitar.

Vd.: *Usus Pontifical.*

4) Episcopi ut Ordinarii.

Vd.: *Canonici Cath. assist.; Assistens; Diacon. et Subd. Epis.; Episcopus.*

a) Dies, Jus, Licentia.

Quia per annum plura festa occurrunt, in quibus decet vel Episcopum solemniter celebrare vel saltem Vesperis et Missae solemniter per alium celebratae interesse, de his breviter aliquid dicendum est. *Celebrare* igitur poterit Episcopus, nisi legitime fuerit impeditus, in die Nativitatis D. N. Jesu Christi, in festo Epiphaniae Domini, feria quinta in Coena Domini, in Dominica Resurrectionis, in die Ascensionis, in Dominica Pentecostes, in festivitatibus Annunciationis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, in festo Beatorum Apostolorum Petri et Pauli,

in festo omnium Sanctorum, in festo Sancti Titularis Ecclesiae et Patroni, in die anniversario Dedicationis Cathedralis Ecclesiae vel etiam arbitrio suo in aliis festivitatibus per annum, quandocumque ei placuerit, cum Caeremoniis et solemnitatibus, ac etiam cum Vesperis solemn. in vigilia seu die, quae festum praecedit, excepto Sabbato Sancto, quo die esperae non dicuntur, nisi mane in fine Missae, et vigilia Annunciationis Beatae Mariae, si venerit in Quadragesima die feriato; *quo casu Vesperae non celebrantur in vigilia, sed tantum in die finita Missa:* et tunc, ne ista Solemnitas sine Vesperis solemnibus transeat, poterit Episcopus, depositis Missae indumentis, accipere pluviale et celebrare Vesperas, Canonicis paratis remanentibus. *Sed si hoc festum venerit Feria secunda in Quadragesima, potuerunt Vesperae solemnes in Dominica praecedenti celebrari.* In aliis autem festivitatibus, videlicet: in nocte Nativitatis Domini, s. Stephani, s. Jo. Evang., circumcisionis Domini, feria secunda et tertia Paschae, Dominica in albis, Dominica ss. Trinitatis, in festo s. Joannis Bapt., in festo Nativitatis B. M. V., in aliquibus principalibus festivitatibus Ecclesiae Cathedralis et pro aliqua re gravi ad universalem vel propriam Ecclesiam spectante, vel alias quandocumque Episcopo placuerit, poterit paratus cum pluviali et mitra assistere Missae per aliquem Praelatum, Dignitatem seu Canonicum celebrandae.

Caer. Ep. l. II. c. XXXIV. n. 4.

b) In sua Dioecesi.

Pontificalia exercens Episcopus in Ecclesiis regularium baldachinum erigere potest. S. Cong. Episc. et Reg. die 10. Jun. 1603.

Pontificalia exercens Episcopus extra Cathedralem non Presbyteros simplices sed Canonicos Cathedrales inservientes adhibere debet. S. C. R. die 2. Augustii 1631 penes Alden. lib. 2. tit. 8. n. 16.

c) In locis exemptis suae Dioeces.

Pontificalia exercere et pontificaliter celebrare de Jure potest Episcopus in locis exemptis suae dioecesis. S. C. R. in Ferrarien. 20. Jun. 1600.

d) In aliena dioecesi.

Pontificalia exercens Episcopus in aliena dioecesi de ordinarii loci expressa licentia potest ordines conferre etiam suis propriis dioecesanis, non obstante Conc. c. 5. sess. 6. de reform. Sac. Congr. Concil., de qua Sell. c. 21. n. 5.

Pontificalia exercere non potest alienus Episcopus de licentia Patriarchae in dioecesi alicujus Episcopi Suffraganei sine ipsius licentia. Sac. Cong. Concil. apud Barbosam in summa ap. dict. verb.: Pontificalia n. 8.

e) In locis exempt. alienae Dioeces.

Pontificalia exercere in loco exempto et Jurisdictionis non Episcopi sed inferioris non potest Episcopus vocatus etiam ab ipso inferiore sine licentia Episcopi, intra cujus dioecesis fines esset locus ille, etiamsi ille inferior praetenderet ratione exemptionis vocare Episcopum, quem maluerit, ad administrandum Sacramentum Confirmationis; dummodo locus ipsius exempti sit intra fines dioecesis alicujus, ita ut non sit nullius, quia tunc posset. Sac. Cong. Conc. Cujus meminit Armend. in add. ad recop. Leg. Navarrae, l. 1. lit. 18. l. 7. de Episc. n. 68., apud Barbosum in summ. Apost. dec. verb.: Pontificalia n. 7.

f) In qua Ecclesia peragere debeat Episcopus Dioeces. unitarum?

Ad dubium: An ab Episcopo peragenda sint in civitate Tuscanen. Pontificalia, Ordinat. et Consecrationes ss. Oleorum saltem alternative?

S. C. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Episcopi et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo, decere interdum aliquas functiones pontif. peragere in Cath. Tuscanensi.

Die 11. Jan. 1783 ad 3. *Viterbien. et Tuscan.*

5) Episcopi Ordinis Militaris.

Episcopus et Praepositus Militiae s. Georgii M. in Bavaria Pontificalia exercere solummodo possunt in Ecclesia in Aedibus Ducalibus et Electoralibus sita et Militum Equitum dicti Ordinis Conventui assignata et exempta atque immuni ab omni Ordinarii Episcopi loci Jurisdictione. In quibuscumque autem aliis Ecclesiis nullo pacto nisi de Ordinarii locorum permissu, toties quoties occasio postulaverit, sub poenis juxta canonicas sanctiones inflictis exercere valent. Bened. XIV. tom. 1. Const. 32. incip.: Militares §. 6.

6) Episcopi ut Suffraganei.

Pontificalia exercere non potest Suffraganeus datus Episcopo post illius mortem Sede vacante, Capitulo contradicente. Sacr. Cong. Conc. in Vilnen. 22. Febr. 1631 referente Sellio in Selectis Canon. c. 22. n. 3.

PORTA S. APERIENDA.

Vd.: *Decreta S. R. C. ed. Gardellini* n. 1614 die 4. Decb. 1649; n. 3541 die 3. Octbr. 1699; n. 3542 die 21. Novb. 1699. *De Portis s. 4 Basilicarum aperiendis pro Jubilaeo 1750 habito*, vd.: *Constit. Bened. XIV.* de anno 1749 (Bull. r. t. XVIII. p. 147). *De claudendis dictis portis* vd.: *ibid.* p. 152.

PORTATILE.

1) Consecratio plurium Portatilium.

Vd.: *Consecratio altarium plurium* (modus; decr. n. 4565).

2) Execratio.

Vd.: *Consecratio altaris execrati* (decr. n. 4562 nota.).

3) Missa super eo post consecrationem peractam.

Vd.: *Consecratio alt. plur.* (modus; decr. n. 4565 ad 6.)

4) Ponendum in altari execrato.

Vd.: *Consecratio altaris execrati* (decr. n. 4636.).

5) Profanatum.

Portatile profanatum potuisse Canonicos illud vendere et emptorem posse illud in loco tamen decenti et honesto tenere tuta conscientia. n. 311 die 9. Maii 1606.

6) Protonotariorum.

Vd.: *Protonot. apost.* (privileg., decr. Pii IX.)

7) Usus.

Vd.: *Altare portat.* (Usus); *Missa* (in altari etc., decr. Bened. XIV.).

Gregorius PP. XIII.

Usum altaris viatici *Societati Jesu* a fel. record. Paulo III. concessum, deinde a Concilio Trident. universe sublatum, *eidem* eatenus restituimus, ut inter missiones presbyteri *Societatis*, servata alias forma dictae concessionis, Missae sacrificium licite valeant celebrare super hujusmodi altari ubique gentium etiam in castris militum, modo loca, et si communia et profana, tuta et honesta sint et Generalis aut per eum Provinciales eo tum utendum fore judicaverint. Itidemque pos-

sint ibi presbyteri ipsi SS. Sacram. ministrare fidelibus ad illud sumendum debite praeparatis.

Non obstantibus etc.

Datum Romae 1. Oct. 1579.

Regulares altaris port. privilegio uti non possunt, cum a s. Synodo Trid. fuerit revocatum, vd.: *Orat. priv.* (decr. Clem. XI. et Bened. XIV. praec. §. 29. etc.); *Indult.* (revoc. n. X.)

Benedictus PP. XIV.

Si Graeci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis latinis consecrata, bene erit; sin minus, tollerentur eorum antimensia sive throni super altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

Latinis presbyteris latino ritu in graecor. Catholicorum Ecclesiis celebrantibus, si careant proprio altari portatili lapideo, super *antimensiis* seu thronis Graecorum Sacrum facere non licet.

Constit. Bened. XIV. 26. Maii 1742 (Bull. r. t. XVI. p. 98 XVII. XIX.).

Cf.: *Ritus graec.* (Const. Bened. XIV.)

Regulares erigentes altare portatile et Sacrum facientes in domo privatorum, ut ibidem Viaticum ministrent Regulari infirmo absque licentia Ordinarii vel parochi, possunt censuris coerceri et ligari.

S. C. C. 20. Sept. 1689. *Messanen.*

PORTIONARII.

Vd.: *Genuflexio cor. Episcopo* (decr. n. 4595); *Thuriferarius.*

Canonicos Ecclesiae Gadicen. portionariis aut dimidiis portionariis ... Missas et Divina Officia celebrantibus pro Diacono et Subdiacono inservire aut alias ministrare nullo modo debere, neque sub consuetudinis praetextu, maxime si legitime praescripta non sit, ullatenus ad id cogi posse. n. 173 die 23. Nov. 1602.

PORTIUNCULA.

Vd.: *Indulgentia de Portiuncula; Praefatio de Sanctis* (decr. n. 5224); *Jubilaeum* (tempore etc.).

Tempus lucrandi et quoties?

Ordinis s. Francisci.

(Conc. Tr. c. 9. s. 21. De ref.)

Post institutum a sancto Francisco suum ordinem regularem cum plures personae desiderarent ei nomen dare, idque esset impossibile vel saltem admodum difficile, ex quo nec domum aptam nec Ecclesiam habeat, fuerunt a dicto sancto exhibitae preces abbati Benedictino montis Subasii, qui eidem concessit parvam Ecclesiam beatae virginis angelorum „de Portiuncula" appellatam, uti habetur in celebri opere, cui titulus: Speculum vitae s. Francisci cap. 55, ibi: *„fuit ergo ad Episcopum Assisii, cui dixit Episcopus: fratres, nullam Ecclesiam habeo, quam valeam vobis dare et idem Canonici responderunt. Tunc ivit ab abbatem s. Benedicti de monte Subasio. Abbas vero, habito consilio cum monachis, operante gratia et voluntate divina, concessit s. Francisco et fratribus suis Ecclesiam s. Mariae de Portiuncula."*

Acquisita a s. Francisco praedicta Ecclesia, idem sanctus humillime a Deo postulavit plenariam indulgentiam pro illis, qui suorum peccatorum ex corde poenitentes, praevia confessione sacramentali, eam visitassent et a Deo fuerunt sui servi preces exauditae, ita tamen, ut indulgentiam postularet ab Honore III. summo pontifice, qui anno 1223 perpetuam concessit indulgentiam illis, qui post confessionem sacramentalem parvam eam Ecclesiam visitassent a vesperis primi diei mensis Augusti usque ad vesperas diei sequentis, uti legitur in secundis lectionibus breviarii Franciscani pro die 2. Augusti, ibi: *„tandem intelligens*

Pontifex divinam voluntatem concessit eam beato Francisco plenariam quidem et liberam ac perpetuam, sed unius dumtaxat diei naturalis cujuscunque anni, hoc est a vesperis Kalendarum Augusti usque ad vesperas sequentis diei, qui est anniversarius dies consecrationis supradictae Ecclesiae."

Atque latissime comprobatur ex testimonio Petri Calfanni, qui sanctum Franciscum praedicantem audivit et dictam indulgentiam publicantem et duorum aliorum religiosorum, Benedicti videlicet et Rainerii de Aretio, qui retulerunt anno 1277 se rem totam intellexisse a patre Matthaeo de Marignano socio s. Francisci, quae omnia continentur in antiquo monumento bibliothecae Colbertinae edito a Stephano Balutio in Miscell. lib. 4. p. 491 et concordant sancti Bernardinus Senensis serm. 9. de cultu sanctissimae Trinitatis in dominica quadragesimae art. 3. cap. 2., et Antonius 3. part. hist. tit. 24. cap. 7. §. 4. cum aliis probatis historicis, quos plena manu cumulavi in discursu a me impresso primum Romae et deinde Fulginei et postmodum Venetiis anno 1720.

Tractu temporis pia quaedam invaluit opinio, quod praedicta indulgentia non esset restricta ad unam diem naturalem cujuscunque anni, a vesperis videlicet Kalendarum Augusti ad vesperas sequentis diei; ex authentico quippe testimonio Massei Bardi Episcopi Clusini desumebatur, summum pontificem Paulum PP. III. anno 1544, dum in civitate Perusina commorabatur, declarasse, quod christifideles cappellam Portiunculae ingredientes qualibet die indulgentiam consequebantur, uti consequebantur Kalendis Augusti, quemadmodum plene habetur in opere octavii Episcopi Assisiensis, cui titulus „Lumi Serafici di Porziuncula", quocirca apposita fuit super capella sequens inscriptio: „Augusti hic veniam dat tibi quaeque dies"; at instituta formali disputatione in Congregatione sanctissimae Inquisitionis: *an saepe memorata indulgentia esset revera restricta ad diem supra relatam vel esset potius quotidiana?* die 3. Oct. 1691 sic responsum fuit: „*Facta relatione per patrem magistrum Bernardinum ordinis Praedicatorum de juribus hinc inde deductis a patribus ordinis minorum conventualium et minorum de observantia respective, super praetensa indulgentia perpetua et quotidiana tanquam concessa a Paulo III. Ecclesiae S. Mariae angelorum fratrum ordinis minorum de observantia, eminentissimi domini praedictis juribus visis et auditis dixerunt, ex hactenus deductis* **non constare de dicta indulgentia quotidiana perpetua** *et proinde abradendam seu removendam esse inscriptionem super janua capellae Ecclesiae S. Mariae angelorum Assisii, scilicet: „Augusti hic veniam dat tibi quaeque dies*"" et in hujus decreti executionem abrasa fuit praedicta inscriptio, uti plene refertur ex authenticis documentis in opere edito a Pompejo Binio anno 1721, cui titulus: „la verita scoperta" tit. 6. §. 9. et licet anno 1695 san. mem. Innocentius PP. XII. plenariam et quotidianam concesserit indulgentiam omnibus christifidelibus, qui poenitentes et confessi et sacra communione refecti visitassent Ecclesiam S. Mariae angelorum et Ecclesiam S. Francisci sitam in civitate Assisiensi, uti habetur in ejus constitutione 49. et in sequenti constitutione 50. in suo parvo bull., haec nihilominus indulgentia quotidiana plenaria in pluribus differt ab indulgentia Portiunculae, uti late ostendi in citato discursu §. 2. et me allegato prosequitur Pompejus Binius citato tit. 6. §. 11.

Indulgentia Portiunculae fuit a summis pontificibus extensa ad omnes Ecclesias fratrum et monialium ordinis S. Francisci juxta apostolicas constitutiones relatas apud Lantuscam in theatro regularium verb. „indulgentia" et apud Wadingum in Annal. ad annum 1223. n. 3.; cumque pius mos inoleverit pluries ingrediendi et visitandi tam capellam Portiunculae sitam in Ecclesia S. Mariae Angelorum, quam reliquas Ecclesias ordinis fratrum S. Francisci a vesperis Kalendarum Augusti usque ad vesperas sequentis diei sub obtentu dictam indulgentiam lucrifaciendi quolibet ex dictis ingressibus, idque Episcopo Labacensi difficile visum fuerit, ex quo indulgentia concessa illis, qui aliquam Ecclesiam certis diebus visitant vel aliud pium opus peragunt, non acquiritur nisi semel dumtaxat in die, querela Episcopi delata ad hanc sacram Congregationem „pergunt fratres ordinis S. Francisci reformatorum provinciae Carniolae populo persuadere indulgentiam pro die 2. Augusti de Portiuncula nuncupatam eorum Ecclesiam visitantibus concessam toties, quoties eadem die lucrifieri posse", sac. haec Congregatio die 17. Julii 1700 post auditas informationes procuratoris generalis censuit: *servandum esse solitum.*

Hisce minime obstantibus nonnulli parochi tam publice quam privatim asserunt saepe memoratam Portiunculae indulgentiam acquiri quidem a visitantibus Ecclesias ordinis S. Francisci a vesperis Kalendarum Augusti ad vesperas diei sequentis, sed semel tantum in dicta die, ita ut toties repetitus eadem die accessus ad memoratas Ecclesias ingredientibus et visitantibus non prosit, ut pluries in eadem die indulgentiam lucrentur et hujus sac. Congregationis responsum, quo dictum fuit, servandum esse solitum, sic interpretantur, ut relationem habeat non ad acquisitionem indulgentiae pro quolibet ingressu in Ecclesiam, sed ad consuetudinem, juxta quam non acquiritur, nisi semel dumtaxat in die indulgentia concessa visitationibus certis diebus determinatam Ecclesiam vel aliud opus pium peragentibus; cumque haec interpretatio nimis absona videatur ordini S. Francisci, tum quia decretum de lucrifacienda semel dumtaxat in die indulgentia concessa visitantibus Ecclesiam certis diebus editum fuit die 7. Martii 1678 et eo minime obstante sac. haec Congregatio noluit deferri quaerimoniis Episcopi Labacensis, qui patres reformatos accusaverat, quod falso persuaderent indulgentiam Portiunculae posse lucrifieri a christifidelibus toties, quoties die 2. Augusti ipsorum Ecclesiam visitassent, uti colligitur ex decreto supra memorato edito die 17. Julii 1700, tum quia, cum indulgentia Portiunculae prosit etiam animabus defunctorum juxta literas apostolicas san. mem. Innocentii XI. impressas apud Mattheuc. in Official. Curiae cap. 26. n. 7., nil prohibet, quin eadem indulgentia pluries eadem die applicetur modo pro una, modo pro alia anima in purgatorio existente, hinc est, quod instante procuratore generali ordinis S. Francisci minorum observantium, ut aliquando dissentionibus finis imponatur, disputandum in praesenti proponitur et declarandum:

An decretum hujus sac. Congregationis editum die 17. Julii 1700, quo dictum fuit: „servandum esse solitum", ita sit intelligendum, ut indulgentia Portiunculae acquiri possit a Christifidelibus a vesperis Kalendarum Augusti ad vesperas diei sequentis non semel, licet pluries debitis intercedentibus requisitis Ecclesias ordinum S. Francisci pluries visitaverint, sed toties, quoties easdem Ecclesias dicta die debitis intercedentibus requisitis visitaverint?

S. C. C. resp.: Servetur Solitum. Die 20. Nov. et 4. Dec. 1723.

POSSESSIO CANONICI NOVI.

Vd.: *Installatio.*

POSTCOMMUNIO
(mutanda in missis de comm. Virg.).

Vd.: *Oratio* (mutatio; decr. n. 4909).

POSTERGALE.

Cf.: *Sedes.*

Canonicis Metropolitanae Turit. celebrantibus non licet sedere cum postergali in Ecclesia Cathedr. n. 3687 ad 3 die 26. Apr. 1704.

PRAEBENDA.

1) Cui conferenda?

Vd.: *Canonicatus.*

2) Mutatio.

Vd.: *Canonici* (Praeced. inter se).

Praebendas Diaconales et Subdiaconales in Cathedrali (Aesina) non potuisse mutari in presbyterales sine auctoritate Sedis Apostol. n. 1346 die 11. Nov. 1641.

PRAEBENDARII.
(Praecedentia.)

Cf.: *Almutia.*

Non licet Praebendariis Cathedralis vel Collegiatae in processionibus funeralibus divisim uti singulis intervenientibus absque Canonicis deferre almutias et praecedere rectoribus Ecclesiarum curatarum. n. 2885 ad 2 die 6. Maii 1679.

Praebendarii quicunque, ne *soli* umquam cum cruce et almutiis (etiamsi mortuus Cathedrali vel Collegiatae subjiciatur vel in ea sepeliatur) ad funus accedant sed adhibitis tantum Canonicis Capitulum legitime repraesentantibus; Capitulum autem Cathedralis vel *Collegiatae insignis* in eo in casu per sex ad minimum Canonicos repraesentari debere, aliarum autem Collegiatarum per quatuor. n. 2885 ad 3 die 6. Maii 1679.

PRAECEDENTIA.

1) Inter Clericos.

Vd.: *Canonici; Parochus; Vicarius Gener.; Protonotor.; Processio* (Clerus etc.).

2) Controversiae de ea quomodo et per quem componantur?

Praecedentiarum Controversias in funeralibus et processionibus componere potest Episcopus brevi manu, summarie et de plano ac sine strepitu et figura Judicii. Sac. Cong. Conc. testibus *Franc. Leone* in Thesaur. Fori Eccles. part. 1. cap. 8. n. 18.; *Campan.* in diversorio Juris Can. rub. 12. c. 13. n. 120.; *Armend.* in addit. ad recop. Legum; *Navarrae* lib. 1. tit. 14. l. 24. §. 31. de process. n. 10.; *Modern. Hispan.* de Regia protect. tom. 1. p. 2. c. 9. n. 15.; *Lezana* in summ. qu. Regul. tom. 3. verb.: Episcopus quoad Regulares n. 13., et *Barbosa* in Summ. Apostol. dec. verb.: Praecedentia n. 1. Praestat heic adnotare, quod *Pignatell.* t. V. consult. per tot. sub n. 83. tradit in haec verba: „Prae caeteris (in materia praecedentiae) juvat transactio, quae observanda est. Cum enim fiat pro bono pacis, praesertim inter Ecclesiasticos, super hujusmodi praeeminentiis, servari omnino debet, ut ... semel ac iterum firmavit Rota apud Seraph. decis. 22. et 81. per tot. Qua obligantur etiam successores, quando apparet innitam fuisse bona fide super re quam maxime dubia et ad extin-

guendas gravissimas lites ... et Canonici et Dignitates successores ligantur concordia inita per antecessores, *quamvis confirmatio Papae non intervenerit.* Quod etiam firmavit Rota in Cosentina praecedentiae 6. Junii 1618 coram Dunozetto, praesertim si fuerit longo tempore observata, ut in specie concordiae observatae per spatium viginti trium annorum tradit Rota decis. 88. n. 5. et seqq. p. 6. recent. Per observantiam enim inducitur approbatio ... ex qua vel dicitur praescriptum jus alterius vel saltem per spatium decem annorum inducta consuetudo, Rot. in *Cordubensi* decis. 28. Jun. 1628 coram Ubaldo ... Cui concordiae per quaecumque Rescripta non censetur unquam derogatum, nisi de ea fiat specifica mentio."

Si quae Controversiae de praecedentia forte obortae fuerint, ad Episcopum spectare eas dirimere statuit Tridentinum per haec verba: „Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe cum scandalo oriuntur, inter ecclesiasticas personas, tam saeculares quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis, quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus ... Episcopus amota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque componat." *Sess. 25. de Regular. cap. 13.*

Heic advertendum, quod Sac. Cong. Conc. (Teste Campanili in divers. Jur. Can. Rubr. 12. cap. 13. n. 122.) vigore harum claus. amota appellatione et non obstantibus quibuscumque declaravit, in his causis debere Episcopum procedere brevi manu, summarie et de plano ac sine strepitu et figura judicii. Nec vigore dictae clausulae amota appellatione censetur sublata appellatio quoad effectum devolutivum, sed tantum quoad effectum suspensivum.

Sic *Ventriglia Prax. For. Eccles. tom. 1. annotat. 12. n. 14.*

3) Inter Episcopos.

Vd.: *Episcop.* (praeced.); *Pallium* (Jus non habet Episcopus pallio decoratus alios Episcopos praecedendi.)

Praecedentia Episcoporum in Conciliis provincialibus statuenda est juxta tempus Ordinationis non autem secundum dignitatem ecclesiarum. Sac. Cong Conc. die 9. Apr. 1595.

4) Inter Monial.

Vd.: *Moniales* (praeced.).

Pro Monialibus est decretum a Sac. Cong. Conc. in Paduana de anno 1680 apud *Barbos.* in summa apostolic. decis. verb.: *Praecedentia* n. 29., quod scilicet praecedentia inter Moniales a die professionis non autem receptionis habitus regularis debetur; quatenus vero duae insimul professionem emitterent, illa, quae prius admissa fuerit, praecedere debet et si eodem tempore ad habitum admissae fuerint, data etiam professionis paritate, quae prius in capitulo acceptata fuerit, praecedere debet.

5) Inter Novitios.

Vd.: *Processio* (Clerus regul. inter sese.).

6) Parati ante non paratum.

In Ecclesiis Cathedr. Indiarum, ubi praebendae non distinguuntur in Diaconales et Subd. neque adest notabilis numerus Canonicorum, Capellani de choro pluvialibus indui possunt. Ideo dubium: an dicti Capellani ratione paramentorum debeant in choro praecedere Canonicos, Beneficiatos nec non Caudatarium Episcopi?

S. C. resp.: Omnibus scilicet non indutis sacris vestibus. n. 3551 ad 21 die 13. Mart. 1700.

7) In regressu a processione.

In regressu post processiones absolutas non esse locum alicui praecedentiae. n. 3359 ad 2 die 18. Junii 1695.

De Praecedentia vd.: *Processio* (Clerus); *Processio funebr.*; *Canonici*; *Processio* (regress.); *Beneficiati*; *Officiator*; *Parochus*; *Episcop.*; *Synodus*; *Vicarius gen.*; *Laici ante Clerum etc.*; *Vicarius foran.*; *Vicarii perpet. Basilic.*; *Abbas*; *Coadjutor Canonicor.*

PRAECONISATIO EPISCOPI.

In die anniversaria Confirmationis seu Praeconisationis Episcopi in Missa, excepta Missa de requ., addenda est oratio: *Deus, omn. fid. Pastor etc.* ex Missa in anniversario consecrationis Episcopi.

S. R. C. 14. Aug. 1858.

Vd.: *Episcopus* (electio).

PRAECONIUM.

Vd.: *Exultet.*

Cum Diaconus incipit cantare Praeconium, Episcopus et omnes surgunt detectis capitibus.

Caer. Ep. l. II. c. XXVII. n. 10.

Incepto *Exultet etc.* celebrans stabit in cornu Epistolae manibus junctis respiciens Diaconum cantantem.

Ibid. c. XXVIII. n. 3.

PRAEDICATIO.

Vd.: *Concio.*

1) Clericorum in s. Ordinib. non constit.

Potest tamen praedicationis munus ab Episcopo committi etiam Clerico, qui non sit in sacris ordinibus constitutus. Sac. Cong. Conc. die 23. Junii 1580.

Gregorius PP. XIII.

Nos praesentium auctoritate declaramus ac etiam decernimus, unumquemque *Societatis Jesu* ad s. Ordines non promotum praedicationis munus in vim privilegii hujusmodi exercere potuisse et posse. Vobis *(Societati Jesu)* insuper concedentes, ut etiam clerici vestri prima tonsura tantum insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum ubique populo praedicare.

Romae die 20. Nov. 1584.

(Bull. r. t. II. p. 514. Ed. *Luxbg.*)

2) Clericorum in s. Ord. constit.

Regulariter facultas praedicandi non conceditur nisi sacerdotibus vel saltem constitutis in Ordine Diaconatus. Unde Sac. Congregat. in una Caputaquen. 14. Decb. 1666 cuidam Clerico Andreae Sanson. aetatis annorum viginti unius licentiato in Philosophia et Theologia praedicare volenti tempore Quadragesimae in uno ex locis dictae dioecesis et contra Episcopum ei talem licentiam denegantem ad dictam Sac. Cong. pro facultate recurrenti respondit Relata. Et quod talis facultas non sit concedenda, nisi saltem constitutis in Ordine Diaconatus, fuit expresse ordinatum in Edicto de mandato Clementis XI. publicato die 20. Januarii 1705 ibi: „Quello poi dovrà sermoneggiare, sacrà almeno constituito nell' Ordine Diaconale."

3) Episcopi et coram Episcopo.

Vd.: *Praedicatio Parochi.*

Episcopus potest praedicare in quacumque Ecclesia etiam regulari suae dioecesis, nec ab ullo potest impediri et prohiberi. Sac. Cong. Episc. et regul. die 17. Jan. 1583 apud *Barbosam* in summa apostolic. dec. verb.: Praedicare n. 1. et ad Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 4. n. 3., apud *Lezan.* in summ. qq. regular. tom. 3. verb.: Concionari n. 12. et

apud *Nicol.* in Floscul. Verb.: Praedicator. n. 14.

Non potest tamen praedicare extra suam dioecesim sine licentia Ordinarii loci. Sac. Cong. Episc. et Regular. in Theatina 12. Dec. 1614 apud *Nicol.* loc. cit.

Episcopo praedicanti per se ipsum in sua Ecclesia, cum ex proprio munere ad id teneatur, *minime licet,* etiam ex praetextu paupertatis, *praetendere sibi praestari eleemosynam solitam* dari Praedicatoribus electis ab Universitate. Sac. Cong. Episcop. et Regul. in Vestana 20. Martii 1621 apud *Sellium* in Selectis Canon. cap. 23. n. 18. et *Barbos.* ad Conc. Trid. cit. sess. 24. cap. 5. n. 4. et *Gavant.* in Manual. Episcop. verb.: *Concio Sacra* n. 2.

Quando ipsemet Episcopus praedicat, *silere debent alii Concionatores,* illisque poterit praecipere, ut eo tempore a praedicatione se abstineant. Sic de mandato Urbani VIII. statuit Sac. Cong. Conc. in Bituntina 2. Maii 1629.

Quo tempore Episcopus concionem habet, nemo alius, neque Regularis, concionetur. *Concil. Mediolan. IV. et ex Decret. Clement. V.*

Imo, si Episcopus ex causa publica, convocatis magistratu, clero et populo, coram se praedicare faciat, potest praecipere Regularibus, ut a praedicando abstineant. Sac. Cong. Con. 10. Mart. 1645 apud *Gavantum in Manual. Episcoporum.* Verb.: *Concio* n. 3.

Praestat insuper heic, quae sequuntur, exscribere ex Benedicto XIV.: „Jam vero (sic ille) nulla unquam in Sac. Cong. Conc. fuit difficultas circa prohibitionem factam Regularibus, ne ea hora in suis Ecclesiis conciones habeant, qua Episcopus per semetipsum praedicat, sed semper et firmiter censuit, ejusmodi prohibitionem in suo robore permanere atque ad unguem esse servandam. Ita quippe respondit in *Pacen.* 26. Apr. 1607 ad 4. dub. lib. 89. Positionum p. 170; in *Bituntina* 17. Febr. 1629 lib. 14. decr. p. 32.; *Brundusina* 10. Martii 1645 lib. 17. p. 445. Quin immo eadem Congregatio semper fuit in sententia, licere Episcopo concionem habere ad populum in qualibet suae dioecesis Ecclesia, etiamsi ad Regulares pertineat, juxta ea, quae congesta leguntur tom. 8. Bullarii Ord. Praedicatorum editi ab Antonio Bremond, nunc ejusdem Ordinis Generali Magistro, tit. 5. quaest. 1. n. 37. Sed saepius quaestio agitata est super secunda prohibitionis parte, qua interdicitur Regularibus, ne praedicent, *quando Episcopus coram se solemniter praedicare facit:* quoniam, etsi eadem Congregatio olim respondisset, hanc quoque prohibitionem sustineri, attamen Gregorius XIII. vehementer dubitavit, an id esset usu receptum, sicuti adnotatum reperimus in *cit. lib. 89. Positionum p. 171* Enimvero, cum soleant Episcopi concionibus in sua Cathedralis interesse tempore Adventus et Quadragesimae, si praedicta prohibitio vigeret, debeant Regulares ab habendis in suis Ecclesiis concionibus abstinere eo potissimum tempore, quo Fideles illas audire solent et hac de causa Regularium Ecclesias frequentant. Haec autem ratio tantae efficacitatis visa est sacrae Cong. Concilii, ut in allegata causa Pacen. 26. Apr. 1607 dixerit, nulli quidem fas esse concionari, quando Episcopus ipse per semetipsum ad suum populum verba facit, sed nequaquam impediri posse Regulares, ne in propriis Ecclesiis conciones habeant, quando Episcopus *coram se solemniter praedicare facit:* at postmodum, eadem quaestione novo examini subjecta, in citata causa Brundusina 10. Mart. 1645 eadem Congregatio mentem suam clarius explicans declaravit, id esse intelligendum, cum Episcopus consuetis con-

cionibus interest, quae per annum fieri solent; sed si Episcopus *ex causa publica, convocatis Clero, Magistratu et populo, coram se praedicare faciat,* tunc illi licere dixit, praecipere Regularibus, ut a praedicando abstineant, atque inobedientes poenis etiam censurarum coercere. Equidem omnes praedictae rerum circumstantiae videntur efficere illam solemnitatem, quam jura requirunt, ut non liceat eodem tempore Regularibus praedicare; secus vero accidit, cum, tempore Adventus et Quadragesimae, Episcopus concioni adest; tunc quippe non videtur Episcopus *facere coram se solemniter praedicare,* sed potius concionem audire, quae etiam eo absente haberetur." De Syn. Dioeces. l. 9. cap. 17. n. 7.

Ad dubium propositum in S. R. C. pro parte Illustriss. et Rmi D. Card. Aquaviva civitatis Neapolitanae Archiepiscopi: An scilicet conveniat, ut quando aliquis Episcopus in eadem civitate Neapolitana, ipso Illustriss. D. Card. Archiepiscopo praesente, sermonem vel concionem habuerit, antequam pulpitum vel ambonem ascendat, petat ab ipso Archiepiscopo benedictionem, sicut caeteri concionatores non Episcopi facere solent?

Eadem S. C. respondit: *Ob supremum ordinem et dignitatem episcopalem non convenire, ut Episcopus concionaturus ab Ordinario etiam Cardinali ante concionem benedictionem petat.*

Et ita censuit et declaravit. Die 28. Aprilis 1607 *in Neapolitana.*

Episcopo solemniter celebrante non decet omnino sermonem haberi nisi vel ab ipsomet Episcopo vel ab aliquo Canonico, qui eo casu servit Episcopo in officio Presbyteri assistentis. Si vero Episcopus non celebret, sed Missae per alium cantatae intersit, tunc ab aliquo ex Clericis idoneo, de Episcopi licentia, sermo habendus erit; ejus *habitus* erit cappa supra rocchettum vel alius, qui fuerit in Ecclesia proprius habitus canonicalis. Si autem fuerit regularis, in habitu ab ipso deferri solito in concionando. Sermo vero regulariter infra Missam debet esse de Evangelio currenti. Quicumque sermonem habiturus finito Evangelio ducendus est per Caeremoniarium cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi, quam, nisi fuerit Canonicus, genuflexus osculatur; Canonicus autem stans profunde inclinatus osculatur manum, deinde benedictionem petit dicendus: *Jube Domne benedicere,* cui Episcopus respondet: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et fructuose annuncies verba Sancta Sua. In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Accepta ab Episcopo benedictione petit mox ab eodem Indulgentias dicendo: *Indulgentias Pater Reverendissime.* Cui Episcopus concedit Indulgentias consuetas; quibus habitis cum debitis reverentiis recedit ac vadit ad ambonem seu pulpitum, in quod cum conscendit, aliquantulum quiescit ac se componit cooperiens caput; statim, capite detecto, signat se signo Crucis et genuflexus recitat Salutationem Angelicam *) voce intelligibili et devota, mox surgit et capite cooperto incipit sermonem. Inter concionem, cum convertit orationem ad Episcopum aut Legatum ibi praesentem, caput profunde inclinat. Finito sermone capite detecto genuflexus expectat finem confessionis, quam facit Diaconus et ea finita surgit et stans in eodem pulpito seu suggestu publicat Indulgentias ab Episcopo concessas et statim descendit receditque in pace, advertat propterea, ut formam

*) Vd.: *Salutatio Angelica.*

pronunciandi Indulgentias memoriter teneat. Si vero habendus sit sermo extraordinarius, velut ad publicandum aliquod Jubileum vel pro gratiarum actione ad Deum de aliquo felici nuntio aut publicatione foederis seu in adventu alicujus maximi Principis vel ex alia quacumque simili occasione, non debet infra Missam fieri, sed illa finita nec tunc benedictio petitur. Idem dicitur, si in Missa defunctorum vel in laudem alicujus magni Viri defuncti habeatur; quo casu fit statim finita Missa, antequam fiat absolutio, et in habitu ordinario.

Caer. Ep. l. I. c. XXII. n. 1 → 6.

4) Laici non ad fores stant.

Praedicationis tempore prohibendi sunt populi stare otiosi in Foro seu in Platea. Concil. Treviren. c. 10.

5) Laicis prohibita.

Praedicare non possunt laici cujuscumque sint ordinis et professionis ex textu expresso in cap.: *Sicut* 14. de Haereticis; ibi: „Cum igitur nonnulli laici praedicare praesumant et verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum subintrent, Nos attendentes, quod Doctorum ordo est in Ecclesia Dei quasi praecipuus, mandamus, quatenus cum alios Dominus apostolos dederit, alios prophetas alios vero Doctores, interdici laicis universis cujuscumque ordinis censeatur, usurpare Officium praedicandi“, et concordat cap.: *Cum ex injuncto* 11. eod. Conc. Carthag. IV. c. 68. Conc. Trev. II. c. 2. Immo laici praedicantes subjacent Excommunicationi et nisi quamcitius resipuerint, alia competenti poena sunt plectendi; textu expresso in cap.: *Excommunicamus* 13. de Haereticis, §.: *Quia vero*, ibi: Quia vero nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant praedicandi, cum idem Apostolus dicat, quomodo praedicabunt, nisi mittantur? omnes, qui prohibiti vel non missi praeter auctoritatem ab apostolica Sede vel catholico Episcopo loci susceptam publice vel privatim praedicationis Officium usurpare praesumpserint, excommunicationis vinculo innodentur, et nisi quam citius resipuerint, alia competenti poena plectantur. Et concordat Concil. Constantiens. sess. ult. in Constitutione Martini V. circa finem, et sic expresse decrevit Sacra Congregatio Conc. die 23. Jun. 1580 apud Fagnan. in cap.: *Responso* 43. de sentent. Excommun. n. 19.

Et a fortiori praedicare nequeunt mulieres l. 3. Constitut. Apostolorum cap. 6., ibi: Igitur mulieribus, ut in Ecclesia doceant, non concedimus, sed tantum ut precationes faciant et audiant Doctores; Noster enim Magister ac Dominus Jesus Christus, cum nos duodecim ad docendum populum et gentes misit, nusquam mulieres ad praedicandum misit, tametsi non deerant. Erant enim nobiscum Mater Domini et sorores ejus praeterea . . . Sane quidem si necesse fuisset, ut mulieres docerent, ipse primus iis quoque mulieribus, quae nobiscum erant, populum erudire praecepisset. Si enim vir caput mulieris est, non est aequum corpus capiti praeesse; et concordat cap.: *Mulier* 29. dist. 23. Concil. Carthaginiens. IV. c. 68. Concil. Constantiens. sess. ult. in Constitutione Martini V. circa finem.

6) Missa infra praedic.

Praedicationis tempore non potest in Ecclesia dici Missa. Concil. Coloniens. III. tit.: Censurae c. 19., Concil. Mediolan. part. 1. tit.: de praedicat. Verbi Dei.

7) Coram Monialibus.

Ad praedicandum Monialibus mitti potest quilibet Regularis, modo non alloquatur seorsim aliquam ex ipsis. Sacra Congreg. Episcop. et Regular. in Montisfalisci 25. Martii 1591 et in Hieracens. 2. Martii 1592. Etiam pro sermonibus spiritualibus ad crates. Sacra Congreg. Episc. et Regular. in Interamnensi 8. Jun. 1563 et in Terracinensi 5. Mart. 1608. Vel ad conferendum cum Monialibus sermonem de rebus spiritualibus, sive ad crates sive ad collocutorium. Sacra Congreg. Episcop. et Regul. 2. Jun. et 14. Nov. 1601 apud *Pignatell.*

Regulares vero missi ad crates Monialium pro munere praedicationis obeundo peccant mortaliter et incurrunt censuras et poenas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post concionem cum aliquibus seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quaestionibus vel dubiis spiritualibus aut materiis ipsius concionis.

S. C. C. die 21. Maii 1678.

8) Parochi.

Possunt Parochi per se ipsos inter Missarum solemnia sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse praedicat. Sacra Congregatio Concil. in Terulen. 11. Jun. 1731, ubi subdit, id non intelligi respectu Parochorum in sua Ecclesia parochiali. Ita apud *Barb.* de Offic. et potest. Parochi par. 1. c. 14.

Parochi, si per se velint munus praedicationis obire, non debent impediri. Sacr. Congreg. Conc. ad c. 2. sess. 5. de ref. in haec verba: „Si curatores animarum per se velint munus praedicationis obire, non debent impediri.“ Sic refert *Barb.* l. c. n. 5.

Immo tempore Quadragesimae possunt de mane in suis Ecclesiis praedicare, non obstante consuetudine, quod in sola Matrice vel alia Ecclesia concionetur. Sacra Congreg. Conc. in Florentina Juris praedicandi 26. Jan. 1697 apud *Monacell.* par. 1. tit. 10. form. 19. n. 4.

Parocho per se ipsum concionanti minime licet praetextu cujuscumque paupertatis praetendere sibi praestari eleemosynam solitam dari Praedicatoribus ab universitate electis. Sacra Congreg. Conc. in *Vestana* 10. Martii 1621 apud *Sellium* in Select. Canon. cap. 23. num. 18. et apud *Barbosam* loc. cit. num. 7. et in summa apost. decis. verb.: Parochus quoad praedicationem n. 3. et in Trid. sess. 5. de reform. c. 2. n. 15.

Parochi prohibentur in suis Ecclesiis admittere Concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi praedicare vellet aliquis Episcopus. Et ita jam hodie nullus etiam a Parocho invitatus praedicare poterit sine licentia Episcopi, ut declarasse Clement. VIII. referunt *Zip.* in analitica postremi Juris Eccles. enarrat. lib. 3. tit. de Parochis num. 3., *Berti Lucens.* in praxi crim. Regular. cap. 34. de Visitat. Eccles. Parochial. n. 1. vers. Regulares, *Barbosa* de Offic. et potest. Parochi p. 1. c. 14. n. 8. in Trident. sess. 24. n. 7.

Possunt tamen Parochi dare licentiam alicui viro docto et noto, etiam Regulari, ut bis vel ter concionetur in suis Ecclesiis sine Episcopi approbatione. *Navar.* in Manual. cap. 25. n. 141., *Ugolin.* de Officio Episcopi c. 42. §. 1. n. 3., *Hieron. Rodriq.* in Compendio quaest. Regular. resol. 112. n. 4., *Berti Lucens.* loc. cit., *Barbosa* de Officio et potest. Parochi loc. cit. n. 8. et in Trident. loc. cit. n. 9. et alii. Et a fortiori possunt, immo debent Parochi concedere approbatis ab Ordinario licentiam praedicandi in suis Parochiis. Sic decisum fuisse a Sacra

Congreg. Concilii referunt *Galet.* in Margarita casuum conscientiae verb.: Parochus 3., et *Barbosa* in Trident. sess. 24. de reformat. c. 4. n. 8.

Parochi non naturales Indiarum, sive Saeculares sive Regulares sint, tenentur omnino habere apud se Capellanum natalibus et origine Indum pro Confessionibus audiendis et diebus festis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio destituti, in ea, qua initiati sunt, orthodoxa fide langueant ac paulatim deficiant, iisque pro sustentatione et labore, ubi populus ipse id sponte non praestiterit, congruum suppeditent stipendium. Clemens IX. Constitut. 38. incip.: *In excelsa.*

Parochi in Concionibus caveant ab allegatione Doctorum et Auctorum modernorum praesertim viventium. Congreg. S. Officii 27. Octobris 1649 apud *Pittonum* Constit. et decis. ad Parochos spectantes n. 539.

Parochi utantur specialiter in Concionibus Catechismo Romano Maximasque utiles et Auditorum capacitati adaequatas simpliciter et clare explicent, ut populus libenter audiat, frequenter concurrat et fructuose discedat. Clemens XI. die 16. Mart. 1703 in litera circulari ad quintum.

Parochi singuli tenentur concionem habere in suis Ecclesiis nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis Ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita Innoc. XIII. in sua Constitutione pro reformanda disciplina regnorum Hispaniae, quam Benedictus XIII. confirmavit, ut esset norma caeteris Ordinariis. *Institut. Eccles. 10. §. 3.*

Sufficit tamen pro concione allocutio pia singulis festis, ut respondit S. Congreg. die 8. Augusti 1732.

Concionem proprii Parochi, quam in parochiali Ecclesia diebus festis habet, ascultare parochiani non tenentur, praecipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit. *De Synodo Dioeces. lib. XI. cap. 14. §. 13.*

9) Tempus.

Vd.: *Praedicatio Episcopi; Praedicatio Parochi.*

Non est praedicandum de nocte, sed tempore praescripto ab Ordinariis. *Concil. Mediolanense* 1. p. 1. tit. de praedicatione verbi Dei. Unde nulla Concio, neque Passionis Dominicae, debet fieri de nocte. Sacra Congreg. Episcoporum et Regular. in Castrensi 20. Mart. 1629.

PRAEDICATOR.

Vd.: *Concionator.*

1) Approbatio Episcopi.

Approbare Pradicatores spectat ad Episcopum, licet electio spectaret ad alios. S. Congreg. Episcop. et Regul. in Aquensi 8. Apr. 1603 apud *Nicol.* in Flosculis verb.: Praedicator n. 15. Unde Praelatus exemptus inferior Episcopo, qui non habet territorium separatum cum vera qualitate Nullius, non dat licentiam neque benedictionem Praedicatoribus, qui praedicare debent in locis suae jurisdictionis, sed ista facultas spectat ad Episcopum in cujus Dioecesi locus exemptus existit. Sacra Congreg. Conc. 21. Novembris 1596. *Pign.* 10. cons. 151. num. 16. et 17., Card. *Petra* t. 4. Comment. ad const. 5. Calisti III. sect. 2. n. 57. et seq., ubi adducit plures S. C. C. et Rotae decisiones.

Ad Episcopum spectat dare benedictionem Concionatori, qui praedicare debet in Ecclesia Conventuali Ordinis militaris s. Stephani. Sacra Congreg.

Conc. in Pisana jurisdictionis 21. Febr. 1688 in responsione ad 18. Item ad Episcopum Dioecesanum spectat dare licentiam et benedictionem Praedicatoribus, qui debent praedicare in Ecclesiis Prioratuum Religionis Hierosolimitanae non habentium territorium separatum cum jurisdictione quasi episcopali et vera qualitate Nullius. Sac. Congreg. Conc. in Vulturariensi apud Card. *Petram* loc. cit. n. 58., ubi refert totum Decretum et etiam plures decisiones Sacrae Rotae Romanae.

Vd.: *Constit. Leonis X. diei 19. Dec. 1516 in Bull. r. t. I. p. 579.*

2) Benedictio.

Vd.: *Bened. Concionat.; Praedicator regul.* (licentia, bened.); *Praedicator* (electio); *Concionator; Praedicatio Episcopi.*

3) Cathedralis.

Vd.: *Praedicator* (electio).

4) Electio.

Ordinarius debet eligere Praedicatores, nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili tempore. Sac. Congreg. Conc. apud *Zerol.* in praxi Episcoporum par. 1. verb.: Praedicatio §. 7., *Barbosa* de Offic. et potest. Episcop. part. 3. allegat. 76. num. 5. et in Summ. Apostol. decision. verb.: Praedicator num. 12. et supra Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. num. 5. *Electio tamen et deputatio Praedicatoris in sua Cathedrali* spectat ad solum Episcopum, nulla habita ratione consuetudinis etiam immemorabilis, quae competeret Capitulo seu Episcopo cum Capitulo vel de consilio Capituli. Sac. Congr. C. in Abulens. 3. Aug. 1686 apud *Barbosam* in Summa Apost. dec. verb.: Praedicator num. 11. et supra Concil. cit. num. 6. et seq. et cit. allegat. 77. n. 6. et *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. n. 41. Capitulum in electione Praedicatoris pro Ecclesia Cathedrali nihil potest. Sac. Congreg. Conc. apud *Barbosam* in Summa loc. cit. num. 8. et supra Conc. l. c. num. 8. et cit. alleg. 76. num. 7.

Addenda sunt sequentia resoluta dubia a Sac. Congreg. Conc. die 5. Sept. 1705 in Urgellen. juris concionandi, videlicet:

Primo: An Concionator deputatus ab Episcopo ad praedicandum in Cathedrali aliisque Ecclesiis in ejus ambitu existentibus teneatur exhibere literas patentales Capitulo in casu?

Secundo: An liceat Capitulo seu ejus Decano retinere clavem pulpiti ejusdem Ecclesiae Cathedralis?

Tertio: An Episcopus procedere possit per censuras in casu, quo Decanus et Ganonici se opponant in casu, non obstante, quod Capitulum se tuetur observantia sibi favorabili ac praetensione ordinariae jurisdictionis super Ecclesia Cathedrali ejusque ambitu?

Sacra Congregatio die, qua supra, respondit quoad primum et secundum: Negative. Ad tertium: Affirmative, et amplius in omnibus.

Sic apud *Scarfanton.* part. 3. addit. 18. num. 11. per tot., ubi multa alia adducit ad rem.

Si civitas seu universitas sit in possessione nominandi et praesentandi Praedicatorem pro Cathedrali cum onere solvendi eleemosynam, debet manuteneri in tali possessione; at si Episcopus vellet jus nominandi sibi vindicare (prout vere potest), non posset eamdem ad solutionem cogere, sed teneretur de proprio expensas et eleemosynam subministrare. Sacra Congreg. Concil. apud *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. n. 41., et apud *Monacell.* part. 1. tit. 11. formul. 7. n. 14. et signanter 11. Jun. 1596 decreto tenoris sequentis:

„Sac. Congreg. Conc. censuit, esse in electione Episcopi vel deputare in sua Cathedrali Praedicatorem, etiam quod populus illum ab immemorabili tempore eligere consuevisset, vel praedictam nominationem ipsi populo relinquere, ita ut si Episcopus Praedicatorem eligat, populum ad eleemosynas Praedicatori erogandas compellet. Verum si populum praedicta facultate eligendi Praedicatorem uti praemiserit, tunc populum ad solitas eleemosynas praestandas cogere poterit."

Et in Urbinaten. 7. Junii 1698, in Aesina 30. Septembris 1702, in Neocastren. 6. Oct. 1703 apud *Monacell.* part. 2. tit. 3. formul. 8. num. 3., et sic pluries respondit etiam S. Congr. Episcop. apud *Pignatell.* loc. cit. et *Monacell.* part. 1. loc. cit. n. 14.

Nec in tali casu pensionarii mensae episcopalis contribuere tenentur ad dictam eleemosynae taxam seu Praedicatoris manutentionis expensas. Sac. Congr. Conc. in Nullius 29. Maii 1649, in qua sic habetur: Sacra Congreg. Concilii censuit, pensionarios mensae episcopalis non tenere contribuere pro rata expensis, quas Episcopus annuatim solvit ex fructibus mensae Praedicatori in Cathedrali concionanti; l. 18. decr. p. 624.

Dato, quod Episcopus ab exercitio jurisdictionis pro aliquo tempore suspendatur et detur ei Vicarius apostolicus, adhuc retinet jus talis electionis, quia, si ipse solvit, debet Praedicatorem in Cathedral eligere, et non Vicarius apostolicus. S. Congr. Episc. in Sorana 13. Eebr. 1699.

Consuetudo immemorabilis nominandi vel praesentandi Praedicatorem Episcopo pro Ecclesiis inferioribus non est sublata, ut decisum fuisse refert *Barbosa* supra Concil. cit. sess. 5. cap. 2. num. 16. et *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. num. 26.

Unde si Communitas vel Dominus loci temporalis nominat Praedicatorem et solvit eleemosynam, consuetudo hujusmodi servanda est. S. Congreg. Episcop. in Aprutina seu Interamnen. 7. Febr. 1615, S. Congreg. Conc. in Aquilan. 1. Junii 1696.

Item si Episcopus consueverit eligere et Communitas solvere, talis consuetudo servanda est; absque eo quod Universitas seu Communitas possit praetendere nominationem. S. Congr. Conc. in Ostunen. 15. Nov. 1692 et in Bovinen. 20. Jun. 1693.

Universitates seu alii habentes jus nominandi Praedicatorem non possunt in suis patentibus literis uti verbis: „*Eligimus et deputamus ac electum et deputatum declaramus*", sed debent uti verbis: *Nominamus et praesentamus*, uti pluries declaravit Sacra Congreg. Episcop. et Regular. apud *Pignatell.* l. c. num. 54. et seq. et signanter in Caesenaten. die 17. Sept. 1655 et nuper S. C. Conc. in Sutrina 8. Maii 1686 et in Urbinaten. 7. Jun. 1698 et 10. Jan. 1699 apud *Monacell.* part. 1. tit. 11. formul. 6. num. 3.

Ibi sub num. 4. subjungit, quod haec regula etiam procedit, quamvis nominatio Praedicatoris ad Generalem alicujus religionis pertineret, quotiescumque, non pro religione, sed pro commoditate Universitatis, quae eleemosynam solvat, in Ecclesia Regulari concio habenda sit, prout censuit S. C. Episcop. et Regular. in Alatrina 3. Julii 1693 proponente Emi Card. de Judice.

Praedicator destinatus ab Episcopo defuncto vel electus a Rectoribus antiquis praedicare debet, nec Successores possunt alium eligere. S. C. Episcop. in Acheruntina 2. Apr. 1601 et 17. Febr. 1645, et antea in Mazariensi 15. Decbr. 1687 apud *Pignatell.* l. c. num. 57.

5) Examen.

Vd.: *Praedicat. regul.* (licentia).

Regulares praedicare volentes in Ecclesiis suorum Ordinum non spectat ad Ordinarium eos examinare sed ad eorum Superiores. S. C. Episcop. et Regular. in Salernitana 19. Dec. 1610. Secus autem si Praedicator sit Clericus saecularis, etiam electus a Regularibus, vel si Regularis praedicare velit in Ecclesiis aliorum Ordinum, etiam ab ipsis Regularibus electus. S. C. Episcop. et Regular. in Cajetana 15. Decbr. 1607 apud *Pignatell.* cit. consult. 206. num. 66.

Vd.: *Constit. Leonis X. diei 19. Dec. 1516* in Bull. r. t. I. p. 579.

6) Quadrages.

Habentes jus nominandi Praedicatorem quadragesimalem debent illum nominare et praesentare Episcopo in termino a Synodo dioecesana praescripto vel ante festum nativitatis Domini Nostri Jesu Christi vel duobus mensibus ante Quadragesimam, alias nominatio devolvitur ad Episcopum. S. Congreg. Conc. in Narnien. 24. Febr. 1625 lib. posit. fol. 383 et 446. et in Theanen. 14. Aprilis 1685 apud *Monacell.* part. 4. ad supplement. ad tom. 2. num. 110., vel, ut habet idem *Monacell.* part. 4. tit. 1. formul. 7. num. 1., debent praesentare Episcopo intra mensem Novembris Quadragesimae praecedentem; et si praesentatus fuerit rejectus, alium per totum mensem Decembr. nominare et praesentare, alias pro illa vice jus amitterent et ad Episcopum devolveretur, et solitam eleemosynam adhuc cogerentur solvere. S. Congreg. Episcop. et Regular. apud *Pignatell.* tom. 4. consult. 206. num. 54. et *Nicol.* in Flosculis verb.: Praedicator num. 1. et signanter in Rossanen. 10. Decbr. 1591, in Marsicensi 13. Apr. 1612, in Milevitana 21. Jun. 1612, Cassanen. 11. Junii 1627. Et nuper teste ipso *Monacell.* cit. num. 1. declaravit S. C. Concil. in Trojana 14. Aug. 1700 et novissime eadem S. Congr. Conc. in Theanen. 1729 ad 2. dub. respondit, quod Communitas tenetur exhibere Episcopo nominationem Praedicatoris per duos menses ante initium Quadragesimae. Sic apud *Thesaur.* Resolut. S. Congreg. Conc. tom. 4.

Si tamen nominatio et praesentatio Praedicatoris fiat re integra, paulo post terminum elapsum, admitti debet, saltem ex gratia. S. C. Episcop. in Nucerina 29. Jan. 1627 apud *Pignatell.* l. c. num. 54.

Item quando habentes jus nominandi nominaverunt et praesentaverunt in tempore, si nominatus et electus postea non vult vel non potest illuc ire, non idcirco debent privari jure suo sine culpa. S. C. Episc. in Narniensi 24. Febr. 1612 apud *Pignatell.* l. c. num. 54. et *Nicol.* l. c. num. 3. et eadem S. Congreg. in Ariminen. 8. Febr. 1686 apud *Monacell.* part. 2. tit. 12. formul. 8. num. 4.

Nisi acciderit in ultimis diebus ante Quadragesimam, quia tunc providebit Episcopus. Nec Universitates habentes dictum jus recusare poterunt Praedicatorem vel ei eleemosynam solitam denegare. S. C. Episcop. in Montis Falisci 18. Sept. 1648 apud *Pignatell.* et *Nicol.* l. c.

7) Regularis.

a) Benedictio.

Vd.: *Praedicator* (approb. Episcopi); *Concionator.*

Praedicatores Regulares tenentur petere benedictionem ab Ordinario, etiam quando in quibusvis Oratoriis sui Or-

dinis sermonem coram populo vel in Ecclesiis aut ad crates Monasteriorum Monialium sibi subjectarum, licet clausis januis et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint. Sic expresse Clemens X. in dicta Constitut. incip.: *Superna;* ibi: „Et hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis et nullus saecularis ibi intersit, habere voluerint.“

Hinc non possunt Regulares in propriis Oratoriis vel in propriis Ecclesiis nequidem unum sermonem in eorum festis etiam extra tempus Adventus et Quadragesimae habere coram populo sine benedictione Ordinarii, ut colligitur ex citatis verbis Constitutionis: *Superna,* et expresse jam declaraverat S. Congreg. Conc. in Vercellensi die 21. Martii 1643 et Tridentin. cap. 2. sess. 25. et cap. 4. sess. 24. de reform. apud *Pignatell.* tom. 1. consult. 266.

Item Regulares, qui occasione recitandi Rosarium in suis Ecclesiis exponunt Sacra Mysteria et faciunt pias exhortationes, tenentur petere benedictionem ab Ordinario loci. Sacra Congr. Conc. in una N. die 14. Aug. 1643 apud *Pignatell.* tom. 1. consult. 407.

Tempore Quadragesimae, Adventus et hujusmodi longi temporis continuate praedicandi non est necesse, quod Pradicatores Regulares singulis diebus pro singulis Concionibus petant ab Ordinario benedictionem, sed sufficit, quod illam petant et obtineant in principio, ut aperte colligitur ex Concilio Trident. cit. sess. 4. de reform. cap. 2.; ibi: „Antequam praedicare incipiant.“ Et pro certo tenet *Matthaeucc.* Official. Cur. cap. 12. num. 15. et alii.

b) Licentia praedicandi.

Episcopus examinare potest Praedicatores etiam Regulares praedicare volentes in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt. S. Congr. Conc. in Ugentin. 22. Jan. 1628. Clemens X. Constit. incip.: *Superna;* ibi: „Posse Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, praedicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus aut Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad Doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit.“

Et Episcopus licentiam praedicandi semel iisdem Regularibus concessam ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere potest. Sic praecise Clemens X. in dicta Constitut.: *Superna;* ibi: „Et licentiam praedicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere.“

Non potest tamen Episcopus generatim prohibere Regularibus, qui in Ecclesiis suorum Ordinum praedicent. Sic expresse Clem. X. in d. Const.: *Superna;* ibi: „Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum praedicent.“

Praedicatores Regulares non possunt praedicare, ne quidem in Ecclesiis sui Ordinis, nisi prius a suis Superioribus Regularibus fuerint examinati et approbati, et ab eis licentiam obtinuerint. Sic expresse Concil. Trident. sess. 5. de reform. cap. 2.; ibi: „Regulares vero cujuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint,

ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare non possint."

Insuper Praedicatores Regulares, ut praedicent etiam in Ecclesiis sui Ordinis, *debent prius petere benedictionem ab Ordinario.* Sic expresse Conc. Trident. l. c.; ibi: „Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant."

Idem statuit Gregorius XV. Constit. incip.: *Inscrutabili*, et Clemens X. Constit. incip.: *Superna;* ibi: „Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, teneri ab Episcopo Dioecesano benedictionem petere."

Sufficit autem, ut Regulares in Ecclesiis sui Ordinis praedicare possint, quod benedictionem ab Ordinario petierint, quamvis illam non obtinuerint. Sic expresse Clemens X. in d. Const.: *Superna;* ibi: „Praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint."

Dummodo tamen Episcopus expresse non contradixerit, quia si Episcopus nedum non concesserit benedictionem sed etiam cantradixerit, tunc Regulares nequeunt praedicare nequidem in Ecclesiis sui Ordinis. Sic expresse Clemens X. in d. Constit.: *Superna;* ibi: „Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit sed etiam contradixerit, ne in praedictis quidem Ecclesiis licere Regularibus praedicare, eosque contravenientes ab illo, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, censuris aliisque poenis ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. rec. Greg. XV. praedecessoris Nostri incip.: *Inscrutabili Dei providentia*, coerceri et puniri posse. Episcopum tamen absque justa et rationabili causa contradicere non debere." Et videtur sic prius statuisse Conc. Trid. sess. 24. reform. cap. 4.; ibi: „Nullus autem Saecularis vel Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat."

Et sic declaravit S. Congr. Conc. in una Foroliv. 4. Febr. 1647 ad cap. 4. sess. 24. de reform.

PRAEFATIO.

1) In bened. fontis quomodo cantanda?

Vd.: *Missale* (Correctio, II. A. n. 5).

2) De Cruce.

Vd.: *Ibid.* (II. B. n. 8).

3) B. V. Mariae.

In praefatione Missae *Expectat. B. V. M.* dicendum est: *et te in expectat. B. V. M.;* et in festo *ss. Rosarii: Et te in Solemnitate B. V. M.*, omissis verbis: *Partus* et Rosarii. n. 4299 ad 9 die 3. Martii 1761.

Quid mutandum sit in rubrica *Praefationis B. V. M.*, vd.: *Missale* (Correctio, II. B. n. 10).

4) In Missa de Rogationibus.

Vd.: *Lytaniae maj.* (Praef.).

5) In Missa coram SSmo.

In Missis, quae *coram* SSmo celebrantur, dicitur Praefatio Missae currentis, si habeat propriam; alias de communi; nunquam vero de SSmo. n. 4175 ad 9 die 4. Sept. 1745.

6) In Missis votivis.

Si celebratur Missa votiva infra octavam, et haec Missa habeat propriam Praefationem, Praefatio de Missa votiva cantanda est. n. 2223 ad 3 die 16. Junii 1663.

Qui in Sabbato recitat Officium de B. V. M., volens celebrare Missam votiv. de aliquo Sancto, non debet dicere *Gloria* neque Praefationem de

de B. V. M. sed communem. S. R. C. 2. Decbr. 1684.

Ad dubium: Utrum in Missis votivis celebrandis infra *octavam Nativ. Dom.* dicenda sit Praefatio ejusdem Nativitatis vel potius expediat prohiberi hujusmodi Missarum celebrationem pro majori ritus solemnitate?

S. C. resp.: Prohibendas esse Missas privatas vot. et def. In solemnibus vero Missis pro re gravi dicendam esse Praefationem juxta rubricam general. tit. 12. n. 4. n. 3754 ad 2 die 25. Sept. 1706.

(Bull. r. t. VIII. p. 438 Constitut. Clem. XI. 29. Sept. 1714.)

Ad dubium: An, quando fit Officium de s. Maria in Sabb. secundum rubricas Breviarii n. 8. et quando apud FF. Minores fiunt per annum Officia de Corpore Christi, de Immacul. Conceptione B. V. M. et B. P. Francisco, si celebrentur Missae votivae non habentes Praefationem propriam, debeat in iis dici Praefatio, cujus fit Officium, scilicet Praefatio vel de Nativ. Chr. vel de B. V. M. vel de s. Francisco vel an dici debeat Praefatio de tempore, alioquin communis?

S. C. resp.: Servetur rubrica gener. tit. 12. num. 4. n. 3788 ad 1 die 16. Junii 1708.

Ad dubium: Si aliqua de causa contingat celebrari Missam votivam carentem Praefatione propria in Dominica, in qua fiat Officium de Sancto habente in Missa propriam Praefationem, quaenam Praefatio in dicta Missa votiva dicenda est? De Trinitate ne, quum utpote affixa diei sit conformior Rubricis, vel propria de Sancto cujus fit Officium, licet sit tantum affixa festo?

„In casu Praefationem communem dicendam.“

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 27 die 16. Apr. 1853.

7) In Missis non votivis infra octavas.

In festo s. Hyacinthi C., Patroni principalis regni Poloniae, quod dominica infra octavam Assumptionis B. V. M. celebratur, dicenda est Praefatio B. V. M., quamvis nulla fit diei octavae commemoratio. n. 4259 ad 2 die 29. Novbr. 1755.

Vd.: *Inventio ss. Crucis.*

Tempore Passionis, quando contingat fieri Officium de infra octavam, unica cantari debet Missa de feria cum commem. diei infra octavam et praefatione de octava, si habeatur propria.

Die 23. Julii 1736 *in Einsidl.*

Si festa ss. apostolorum Philippi et Jacobi ac Inventionis s. Crucis occurrerint infra octavam Ascensionis, Praefatio in Missa erit de Apostolis vel de Cruce ac Communicantes de Ascensione. S. R. C. 28. Aug. 1627.

8) Infra octavam Nativ. Dom.

Vd.: *Missae conv. duae* (oblig. decr. n. 4044); *Missa vot. de Sancto; Elias; Missale* (Correctio, II. B. n. 7).

Ad dubium: An rubrica posita in Missa s. Joannis ap. assignans Praefationem de Nativitate accipienda sit generaliter, ita ut talis Praefatio debeat dici in omnibus Missis festivis occurrentibus infra octavam Nativitatis, etiam habentibus propriam Praefationem, seu potius dicta rubrica sit exceptio rubricae generalis, ita ut in sola Missa s. Joannis ap. debeat dici Praefat. Nativit., non vero in aliis Missis sive festivis sive votivis propriam Praefationem habentibus?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4401 ad 3 die 16. Febr. 1781.

Die 30. Decembris celebratur in Hispania festum translationis s. Jacobi. Hinc dubitatio oritur: quaenam Praefatio Missae adhibenda sit? Ab aliis enim assignatur de Apostolis, innixis decreto S. R. C. 16. Decbr. 1781 in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Hispaniae ad 3.; ab aliis vero assignatur de Nativitate, innixis rubricae positae die 27. pro s. Joanne, excellentiae octavae Nativitatis et responsioni Dom. Nostri Pii VI. b. m. ad epistolam caeremoniarum Magistri Metropolitanae Valentinae his verbis: Etsi juxta communes regulas Praefatio debeat dici de Apostolis, attamen propter reverentiam et dignitatem octavae Nativitatis speciatim, quia in antiquis Missalibus ita reperitur, ut *Gavantus*, *Meratus* testantur, Praefatio non de Apostolis sed de Nativitate dicitur. Quaeritur ergo: cuinam horum assentiri debeamus?

Et S. eadem C. rescribendum censuit ut infra:

„Servandum esse Decretum diei 16. Februarii 1781 in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ad 3. n. 4478 ad 2 die 19. Septbr. 1801.

9) In Quadrag. et tempore paschali.

In dominicis quadragesimalibus et paschalibus debet recitari Praefatio de tempore non vero de SS. Trinitate. n. 4395 ad 19 die 18. Dec. 1779.

10) In quatuor temporibus.

Feria quatuor tempor. cadente in octavam Nativitat. B. V. M. dicendam esse Praefationem ferialem (communem, non de B. V. M.) in Missa de feria conventuali. n. 665 die 12. Dec. 1626.

11) De Sanctis.

Ad dubium: An Praefatio in Missa S. Francisci de Paula dici possit propria ut in ipso Ordine?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Negative, sed illam, quae prostat in Missali Rom."

Atque ita rescripsit et servandum mandavit. n. 5017 ad 2 die 14. Junii 1845.

Ad dubium: Utrum authenticum sit Decretum diei 29. Junii 1773, ubi asseveratur S. R. C. Seraphico Ordini concessisse lectionem Praefationis propriae s. Francisci in Missa Dedicationis Ecclesiae S. Mariae Angelorum Portiunculae diei 2. Aug., quo privilegio utitur?

Emi et Rmi P. rescribendum censuerunt: „Non constare de Decreto S. R. C. permittente universo Ordini Seraphico Praefationem de s. Francisco in Missa Dedicationis S. Mariae Angelorum."

Atque ita S. C. rescripsit et servari mandavit. n. 5224 ad 4 die 14. Maii 1856.

Vd.: *S. Philippus Ner.* (Praef.).

Praefatio Missae s. Patris nostri Francisci composita a nostro beato Joanne ab Alvernia, ut refert P. Petrus Antonius a Venetiis nel Giardino Serafico tom. 2. part. 5. c. 5. quaeque recitatur a Nostratibus in solemnitate et tota octava ejusdem Seraphici Patris, recitari potest et debet in festo omnium Sanctorum nostri Ordinis. S. C. R. 22. Aug. 1722.

12) SS. Trinitatis.

Urbis et Orbis.

Singulis dominicis diebus totius anni, quibus Praefationes propriae per rubricas non sunt assignatae, incipiendo a dominica SS. Trinitatis currentis anni 1759 Sacerdotes omnes utriusque Cleri saecul. et regul. Praefationem de SS. Trinitate, quae jam inde a vetustissimis temporibus in usu fuisse dignoscitur, in Missa recitare teneantur. n. 4275 die 3. Jan. 1759.

Vd.: *Praefatio in Quadrages. etc.; Missale* (Correctio, II. B. n. 9).

PRAEPOSITUS.

Delatis ad S. R. C. pluribus controversiis excitatis inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Metropol. Valentinae et Praepositos in dicta Ecclesia a fel. rec. Sixto V. institutos placuit S. C. desuper exquirere votum Rotae; illoque habito in vim quatuor Decisionum ab ea emanatarum eadem S. R. C., referente Emo et Rmo D. Card. Pamphilio, viso voto, dictis Decisionibus examinatis et re mature discussa, decrevit et declaravit: „licere dictis Praepositis sedere immediate post Canonicos in iisdem sedibus seu scamnis, in quibus sedent Canonici ad audiendas conciones Ecclesiae et sermones candelarum et palmarum.

Item incedere una cum Canonicis ad recipiendas candelas in die Purificationis, cineres in die cinerum, palmas in die Palmarum, Eucharistiam in fer. V. in Coena Domini et ad adorationem Crucis fer. VI. in Parasceve.

Item accipere candelas accensas ab Acolytho seu Scolano (sic) immediate post Canonicos in fundationibus, in quibus deferuntur.

Item thurificandos esse Praepositos, eisdem deferendum pacem eodem modo, prout Canonicis.

Item Praepositos debere salutari a Canonico Praesidente et aliis Canonicis in choro existentibus eodem modo, quo ipsi Canonici salutantur.

Item licere Praepositis associare D. Archiepiscopum, quando accedit ad Ecclesiam, ad Officia divina, et cum eo facere circulum una cum Canonicis ad Introitum Missae, Kyrie, Gloria, Credo etc.

Item Praepositos posse ingredi chorum per portam principalem, praesente ibidem Dom. Archiepiscopo, ac ab eo salutatione honorari debere.

Item licere Praepositis sedere in sedibus, quae apponuntur in Ecclesia S. Conceptionis in die Processionis Bullae Cruciatae.

Item debere deferri Viaticum ad Praepositos infirmos eodem modo, quo defertur Canonicis et in sepeliendis Praepositis defunctis esse observandum eundem ritum, qui observatur in sepeliendis Canonicis, eorumque corpora in eodem sepulcro Canonicorum esse tumulanda et campanas eodem modo esse pulsandas.

Item in cantandis Missis posse Praepositos uti assistente, sicut Canonici, parique modo, uti Canonici, incedere ad praedicandum, nec debere Praepositos genuflectere ad benedictionem recipiendam.

Item distribuendam esse ceram Praepositis in Sabbato S. immediate post Canonicos, et eodem modo prout distribuitur Canonicis.

Item declaravit, Sacerdotem cum Reliquia in Processionibus occurrentem recipiendum esse inter Praepositos; eosdemque tam in supradictis actibus, quam in omnibus et quibuscumque aliis non expressis, dommodo non sint Capitulares, facere unum corpus cum Canonicis, et gaudere omnibus praeeminentiis et praerogativis Canonicorum, absque ulla differentia. Capitulares autem actus eos solos intelligendos esse censuit, qui concernunt gubernium et administrationem Ecclesiae et jura Capituli, et vota eorum, qui sunt de Capitulo, exquirunt.

Et ita observari mandavit die 3. Aug. 1641.

Ad dubium 1.: An Praeposito Ecclesiae Cath. Anagninae debeatur thurificatio triplici ductu absente Episcopo, et quatenus affirmative?

2.: An debeatur praesente Vicario generali?

3.: An Praepositus in locis, ubi ob deficientiam sedium fixarum chori Canonici sedent in scamnis, sive in functionibus s. sive in congressibus canonicalibus debeat praesente vel absente Episcopo sedere in illis, servata praerogativa primi loci sive potius sit pro eo ponenda sedes honoraria cum appodio ad humeros?

4.: An Praeposito in diebus solem. sacrum faciente possint in gradibus abaci exponi pelvim, gutturnium et manutergium in lance, quibus utatur, duobus Mansionariis vel Clericis cum cotta ministrantibus ad Lavabo, vel potius debeat sacrum facere ad instar aliorum Canonicorum?

5.: An Praeposito in processionibus debeatur candela majoris ponderis et in distributione Palmarum distincta et honorabilior, quam caeteris de Capitulo?

6.: An assistentibus* in choro Vicario gen. et Praeposito praecedere debeat Vicarius vel potius Praepositus? Et quatenus affirmative ad primam partem;

7.: An eadem praecedentia debeatur Vicario, si Praepositus sit indutus s. vestibus, aut si Vicarius sit simul Canonicus et intersit in choro cum habitu canonicali?

8.: An Praeposito debeantur in sacrario param. s. et nobiliora in loco distincto a caeteris Canonicis?

9.: An Praepositus teneatur per se ipsum, quando non est legitime impeditus, servare hebdomadam in choro et canere Missas per turnum cum caeteris Canonicis?

10.: An liceat Praeposito se eximere ab assistentia in processionibus s. Marci, Rogat. et aliis cum pluviali in casu?

S. C. resp.
Ad. 1.: Negative;
Ad 2.: Provisum in primo;
Ad 3.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;
Ad 4.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam;
Ad 5.: Affirmative;
Ad 6.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;
Ad 7.: Negative;
Ad 8.: Negative;
Ad 9.: Affirmative;
Ad 10.: Servetur Caeremoniale et amplius.

Die 21. Apr. 1736 *in Anagnina.*

Ad dubium: An debeatur praecedentia Praeposito Cathedr.* Segnen. adversus Archidiaconum?

S. C. resp.: Negative.

Die 26. Mart. et 9. Apr. 1718.

Cf.: *Usus Pontif.; Dignitas; Candela; Canonici; Magistratus; Baculus; Annulus; Benedictio; Matutin. sol.; Nativ. D.; Vesperae; Vicarius general.*

PRAESENTATIO
B. V. M.

Ex parte Monialium Monasterii s. Cypriani Ordinis s. Benedicti civitatis Tergesti S. R. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione dubii: An Officium Praesentationis B. M. V., quod occurrit die 21. Novembris, in qua celebratur octava Dedicationis ipsarum Ecclesiae, fieri possit cum commemoratione octavae Dedicationis Ecclesiae?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Faciendum esse Officium dicta die Praesentationis B. M. V. cum commemoratione octavae Dedicationis Ecclesiae.

N. 3897 die 23. Jan. 1717.

Sixtus PP. V.

Hac perpetua Constitutione mandamus, ut Praesentationis B. V. M. festus dies undecimo Kalend. Decembris per omnes totius Orbis Ecclesias dupl Officio (prout in die Nativit.) sumpto Praesentationis vocabulo peragatur idemque in Calendario cum duplicis adjectione inseratur.

Romae 1. Sept. 1585.

(Bull. r. t. II. p. 536.)

Festo Praesentationis B. V. M. cadente in die octava Sancti ppr., transferendum esse juxta rubricam 10. de translat. festorum n. 2. et in tabellam de Occurrentia, sicuti monet Gav. citatus sect. 13. c. 12. n. 20.; ibi enim aliter decrevit et specialiter indulsit S. C. in gratiam *Visitationis* B. V. M., quod ibidem colitur de praecepto, unde, cum privilegium sit locale, non posse extendi de loco ad locum. n. 3301 ad 8 die 10. Jan. 1693.

PRAESENTIA

(In Choro).

Vd.: *Chorus; Punctator.*

PRAESEPE J. CHR.

De erectione Capellae ad Praesepe Jesu Chr. in Basilica s. Mariae Major. de Urbe cum Praepositi, Sacristae, Capellanorum et Beneficiatorum institutione atque Cardinalis Protectoris et Judicis causarum ad eos spectantium jurisdictione vd.: *Constitutio Sixti V. die 9. Junii 1587* (Bull. rom. t. II. p. 628 ed. Luxenbg.).

De Pertinentia protectionum capellae ad Praesepe in Basil. s. Mariae Majoris, vd.: *Constitutio Pii VI.* de die 11. Maii 1780 (Bull. r. Contin. t. VI. p. 197).

PRAESES.

Leges et Instituta caeremonialia edita pro Provinciarum Praesidibus, Gubernatoribus, Praelatis et apost. Vice-Legatis.*)

Benedictus PP. XIV.

Caput I.

Quomodo se gerere debeat Praeses aut Gubernator seu Vicelegatus in I. accessu ad suam provinciam vel civitatem: et quid, dum in ea permanebit, erga illarum Antistites.

Statim ac Praeses vel Gubernator Praelatus venerit in provinciam vel civitatem temporali suae jurisdictioni demandatam, digniorem de sua familia mittet ad Archiepiscopum sive Episcopum inibi residentem adventum suum patefaciendo simulque significando se curaturum quamprimum, ut eum solemniori, qua poterit forma, publice visitatum adeat.

Officio perhumaniter accepto non immorabitur Antistes hanc Praesidis seu Gubernatoris publicam visitationem praevenire, invisens illum privatim amiceque sub noctem, brevioribus indutus vestibus nigri coloris, ac inter eundem, ut quaelibet Nuncii forma devidetur, sciscitari dumtaxat curabit, an domi existat: quo comperto ascendet ad illum, qui eodem prorsus habitu erit indutus. In discessu respuet omnino familiarium atque luminum comitatum, ut privatae visitationis assumptam methodum non excedat.

Praeses autem vel Gubernator pari sub forma Archiepiscopum seu Episcopum continuo revisitabit, quamvis paucos post dies de hoc eodem visitationis actu sit ei publice et solemniter satisfacturus.

Imminente itaque publicae visitationis die Praeses aut Gubernator illam

---

*) Vd.: *Caer. Ep.* lib. III.

Archiepiscopo sive Episcopo, mane pro Vespere et Vespere pro sequenti mane renuntiabit, et dum ad episcopale palatium se transferet, in limine portae familiares, in summitate vero scalarum Antistitem ipsum, qui aliquos etiam gradus descendet, obviam habebit. Sicque comiter exceptus ad dexteram ipsius Antistitis in audientiae aulam introducitur. Hinc, postquam ambo in aequalibus sedibus e regione locatis assidentes mutuis sese officiorum colloquiis ad libitum recreaverint, discedentem Praesidem aut Gubernatorem Archiepiscopus vel Episcpus usque ad finem scalarum comitabitur; familiares vero ipsius ad currum usque, nec recessuri donec Praeses seu Gubernator prorsus abierit.

Praemisso item Nuntio, ut dictum est supra, diutius haud differet Archiepiscopus sive Episcopus publicam restituere visitationem Praesidi seu Gubernatori, qui occurrendo tam per se quam per familiares, sedendo et comitando adamussim ea omnia servabit, quae idem Archiepiscopus aut Episcopus in ejus visitatione secum peregerat.

Quod si, residente jam Praeside in provincia vel Gubernatore in civitate, ad eam primo accesserit novus illius Ecclesiae Antistes, tunc istius erit ante de adventu suo certiorem reddere Praesidem ipsum vel Gubernatorem, qui hujusmodi recepto Officio, visitabit quantocius eum, non jam private, sed enunciata sub forma publica, et ita ab Archiepiscopo sive Episcopo subinde revisetur.

Advenientibus Natalitii Domini feriis Praeses aut Gubernator perget primus ad Archiepiscopum sive Episcopum, ut illas ei faustas felicesque adprecetur, nec praetereundum quidquam tunc erit ex iis, quae de prima publica visitatione dicta sunt. Idemque praestabit Archiepiscopus seu Episcopus, quando Praesidem aut Gubernatorem hoc nomine vicissim erit prosequuturus.

Quamquam superius statutum sit, quod Archiepiscopus aut Episcopus domi ponere debeat a dextris Praesidem seu Gubernatorem, secus tamen extra domum servabit, quia semper et in quocumque tertio loco, cum ipse tum caeteri provinciae Antistites dexteram supra Praesidem vel Gubernatorem retinebunt. Quae hactenus pro Praesidibus et Gubernatoribus praescripta fuere, a Vicelegatis etiam tam erga Archiepiscopum quam Episcopos non Cardinales in locis eorum ditioni subjectis erunt omnino adimplenda.

Caput II.'

Quo habitu induti Archiepiscopi seu Episcopi et Praesides sive Gubernatores mutuas publicas visitationes exequentur.

Quotiescumque Archiepiscopus vel Episcopus ad Praesidem seu Gubernatorem diverterit, ut eum visitet in forma publica sive ut in executione pro prima tantum vice literarum apostolicarum, Oratorium privatum in palatio praefatorum Praesulum de novo erigendum approbet; supra talarem vestem capiet Mozzettam cum Rocchetto discooperto. Et domi eodem utetur habitu, dum accedentem ad se pro enunciatis publicis visitationibus Praesidem seu Gubernatorem aut Vice-Legatum suscipiet.

Archiepiscopus autem utens Cruce, nullatenus illam ante se deferri permittet in consimilibus actibus.

Talari etiam veste, rocchetto et mantelletto amictus erit Praeses sive Gubernator vel Vicelegatus publice invisens Archiepiscopum seu Episcopum, et quando eum pro publica visitatione aliave de causa in publica forma advenientem excipere debet.

Caput III.

De accessu Praesidis aut Gubernatoris unacum Archiepiscopo seu Episcopo cappa induto ad Metrop. vel Cathedr. Ecclesiam pro sol. publicis functionibus explendis.

Annuis solemnioribus festis diebus recurrentibus, qui in I. capite libri II. Caerem. Episc. enumerantur, videlicet: Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, ss. apost. Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiae Metrop. et Cathedr., Sancti Titularis illarum Ecclesiarum et Patroni civitatis vel festivitatibus aliis extraordinariis juxta peculiares locorum mores et circumstantias pari cum solemnitate celebrandis, Praesidis vel Gubernatoris erit sub horam ab Archiepiscopo seu Episcopo designatam et per certum Nuncium ei patefactam unacum Magistratu se conferre intra januam Episcopii. Eo quidem tempore et nulla prorsus interposita mora Antistitem gradus scalae descendentem adinveniet, quem post debita urbanitatis verba vicissim expleta, ipso Magistratu praeeunte, usque ad portam sive Metrop. sive Cathedr. Ecclesiae comitabitur Praeses seu Gubernator, semper ad ejus sinistrum latus incedendo. Cum ambo in limine praefati ostii steterint, accipiet Archiepiscopus sive Episcopus aspersorium, et postquam se lustrali aqua munierit, de illa primum porriget per contactum aspersorii ipsi Praesidi vel Gubernatori: sicut ante ingressum cujuscumque alterius Ecclesiae aut privati Oratorii pariter cum eo semper faciet: ac deinde Capitulum, Magistratum et circumstantem populum asperget.

Caput IV.

De adoratione SS. Sacramenti atque inde progressu ad altare majus, ubi de loco et sella Praesidis seu Gubernatoris aut Vicelegati, ac de recessu a Metropolitana vel Cathedrali, s. actionibus absolutis.

Archiepiscopus sive Episcopus aspersione completa eo, quo venerat, ordine SS. Sacramentum in ejus altari adoratum simul cum Praeside vel Gubernatore progredietur. Intra Capellam, ubi illud asservari solet, genuflectent ambo: Antistes super ligneo scabello (quod genuflexorium vocitatur) ante altare accomodato, panno viridi seu violaceo pro qualitate temporum cooperto, appositis pulvinaribus superius et inferius, Praeses autem vel Gubernator in alio genuflexorio ex latere Evangelii praeparato, violacei semper coloris panno ac pulvinaribus instructo, non in aequali linea, sed per transversum locato ac tali forma, ut illud Archiepiscopi sive Episcopi respiciat; ad Praesidis autem vel Gubernatoris dexteram erit Magistratus directo ordine super pulvinaribus tantum genuflexus.

Post debitam Sacramenti venerationem praestituto jam ordine procedetur ad altare majus, parum distans ab eo Archiepiscopus sive Episcopus mutuis consalutationibus sese dividet a Praeside vel Gubernatore, qui, dum ille iterum oraturus ad suum faldistorium, ut in eo procumbat, accesserit, petet et ipse Residentiam suam hacce sub forma comparatam.

Prope et inter solium Pontificale ac immobile consuetum scamnum pro Magistratu constituetur suppedaneum, unicus nempe ligneus gradus, in cujus planitie decens sedes cumeralis collocabitur. A tergo autem ipsius sellae attolletur postergale non praealtum palmorum septem aut octo, nec latum magis quam sex, quod panno coloris violacei, nulla auri argentive textura sive ornatu distincto contegetur.

Ante praefatam sedem congruum insuper apponetur genuflexorium, tapete et pulvinaribus enunciati violacei coloris non absimiliter stratum, super quo Praeses et Gubernator queat submittere genua. Haud tamen stabilis unquam fixaque detinebitur inibi hujusmodi residentia, sed sicut opportune apponenda, quoties Praeses vel Gubernator sacris erit interfuturus actionibus, ita singulis vicibus illico removenda functionibus ipsis expeditis.

Quando pro concionibus commodius audiendis Archiepiscopo vel Episcopo discedendum erit a sua pontificali cathedra fixa, ut propriorem locum e conspectu suggesti comparatum adeat, tunc, si pro ipso Archiepiscopo seu Episcopo solium cum umbella fuerit ibidem erectum, pariter et pro eodem Praeside seu Gubernatore supradescriptum postergale cum gradu et sella praestabitur. Si autem baldachinum nequaquam fuerit Antistiti exhibitum, tali casu parabitur absque postergali dumtaxat sella, alteri Antistitis prorsus uniformis et similis.

Quoniam vero juxta diversas locorum consuetudines contingere potest, ut seorsim ab Archiepiscopo aut Episcopo vel ipso etiam astante Praeses seu Gubernator Divinis cum Magistratu interfuturus, ad aliquam Ecclesiam a Cathedrali seu Metropolitana alienam divertere debeat: in hac etiam erit tunc praefata residentia pro Praeside vel Gubernatore comparanda, modo sit in illa pariter erectus et comparatus thronus pontificalis pro Archiepiscopo sive Episcopo; adeo ut, non erecto pontificali solio, neque residentia unquam sit attollenda.

Ea tamen uti poterit Praeses vel Gubernator, quoties alicujus thesis disceptationi aut literariis lusibus consimilibusque publicis actibus, tamquam praecipuus et principalis Patronus, praeerit, licet eo tempore nec appositus nec apponendus unquam sit thronus pro Archiepiscopo seu Episcopo.

Post exactas s. functiones, quibus una cum Archiepiscopo sive Episcopo cappa induto astiterit Praeses vel Gubernator, repetendo SS. Sacramenti altare pro fundendis in gratiarum actionem novis precibus ante illud, quidquid de primo accessu statutum fuit, ad unguem servabitur. Nullatenus tamen in discessu sinet Archiepiscopus seu Episcopus se a Praeside vel Gubernatore rursus perduci usque ad januam proprii palatii, sed ab illo commeatum accipiet in limine ipsius Ecclesiae.

Caput V.

De thure ac pace Praesidi seu Gubernatori aut Vicelegato deferendis ac insuper de loco eorum pro accipiendis candela, cineribus et palma, nec non de adoratione Crucis fer. 6. in Parasceve.

Circa thus et pacem omnimodo servabitur dispositio Caeremonialis Episcoporum et Praeses vel Gubernator sive Vicelegatus nunquam erit thurificandus a Presbytero, Archiepiscopo sive Episcopo assistente, qui Antistitem ipsum in Vesperis Officium facientem aut iis vel solemnibus ab alio celebratis Missis apud solium astantem thurificavit; sed duplici ductu ipsum Praesidem seu Gubernatorem aut Vicelegatum, post tres Canonicos in eodem solio assistentiam Archiepiscopo vel Episcopo exhibentes atque una cum eo individuum corpus efformantes, solum debebit incensare minister ille, cui subinde caeteros Canonicos de choro, licet sacris indutos paramentis, inerit onus thurificandi. Et iste modus et ordo quoad locum et personam servabitur in delatione pacis; eam etenim Praeses vel Gubernator aut Vicelegatus recipiet ab

eo, qui distributurus mox erit illam enunciatis Canonicis in choro existentibus.

Candelam in die Purificationis et palmam in distributione earum Praesidi seu Gubernatori aut Vicelegato dabit ipsemet Archiepiscopus sive Episcopus, statim ac propria recepta alteram reddiderit digniori Canonico parato, a quo ipse suam prius receperat. Praeses autem aut Gubernator seu Vicelegatus, cum ascenderit ad Archiepiscopum vel Episcopum, ut ab eo candelam seu palmam accipiat, non genuflectet, sed stans ipsam capiet cum debitis osculis tum illius tum manus Archiepiscopi sive Episcopi eam sibi porrigentis. Stans pariter recipiet cineres ab Archiepiscopo vel Episcopo, postquam hic eos imposuerit Canonico in illa die Missam cantaturo.

Feria sexta in Parasceve, non celebrante Episcopo, Praeses vel Gubernator aut Vicelegatus, ad Canonici Officium facientis sinistram incedendo ad adorandam Crucem procedet. Episcopo vero celebrante ibit immediate post eum ante omnes Dignitates et Canonicos.

Caput VI.

De generali Communione fer. 5. in Coena Domini quoad habitum, locum et ritum Praesidis seu Gubernatoris vel Vicelegati.

Quando Praeses aut Gubernator vel Vicelegatus sit in Sacro Presbyteratus seu Diaconatus ordine constitutus, quia multum decet et convenit, ut cum aliis eo die communicet, adventante Communionis tempore, cottam superinduet rocchetto, cum stolam sumere et a collo vel ab humero sinistro pendentem etiam habere debeat. Communionem primus omnium accipiet et manum Archiepiscopi sive Episcopi ante illam osculabitur.

Si autem neutro fuerit charactere insignitus cunctorum primus pariter ad communicandum procedet, rocchetto et mantelletto tantummodo indutus.

Caput VII.

De mutuis reverentiis inter Ecclesiarum Antistites et Praesidem sive Gubernatorem aut Vicelegatum; deque salutatione Concionatoris erga alterutrum.

Pontificalis salutatio regulariter inter sacras actiones in eo consistit, ut manu aperta singulis benedicat; nihilominus, ut a communi caeterorum Fidelium coetu, velut filiorum spiritualium Antistiti subjectorum, distinguatur Praeses sive Gubernator vel Vicelegatus, sicut erga Canonicos servare jubet Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. XVIII.: oportebit, ut Archiepiscopus seu Episcopus capitis inclinatione Praesidem vel Gubernatorem aut Vicelegatum salutet, quoties ad sedem suam ascendere seu ab illa descendere incipiet; eique Praeses sive Gubernator vel Vicelegatus cominus bireto deposito assurgens mutuam rependet salutationem caput similiter inclinando.

Verum enimvero in hujusmodi consalutationibus exequendis regula a laudata Episcoporum Caeremoniali eodem in capite designata omnino erit attendenda, videlicet: ut, dignitate gradus minime attenta, sed prae oculis actionis modo et commodo dumtaxat *reverentia semper fiat primo ei, ad quem itur, nullo habito respectu quis eorum sit major.* Sicque quaelibet praeeminentiarum et praecedentiarum discrepantia, quae forsan Canonicos inter et enuntiatos Praesules fuisset unquam exorta, prorsus dirimetur.

Quos quidem reverentiales mutuos actus *omittere necesse erit in Matutinis Tenebrarum, per integram feriam*

VI. in Parasceve ac Sabbato Sancto usque ad solemnem Missam exclusive, sicut enim in singulis Mortuorum Officiis, quae obvenire fortasse poterunt. Consentaneum quippe hoc erit legi et praxi usque adhuc servatae abstinendi in praefatis conventibus etiam a benedictionibus tum solemnibus tum privatis et Cleri inferioris et populi circumstantis, utpote quae sunt actus potestatis et solemnitatis luctuosis hisce actionibus repugnantes.

Concionator vero sublationem hujusmodi *nunquam praetermittet* sive eadem fer. VI. in Parasceve sermonem de Passione sive de laudibus alicujus Defuncti post mortualem Missam sit facturus: prout in praecitati Caeremonialis Episcoporum lib. II. cap. 11. et 25. super utroque casu decernitur: Et ideo post illam primo loco debitam Episcopo vel Archiepiscopo speciatim versus Praesidem seu Gubernatorem aut Vice-Legatum reverentiam aliam semper faciet.

Caput VIII.

Praesidi vel Gubernatori in incessu variatur locus, quando Episcopus vel Archiepiscopus fuerit sacris Paramentis indutus.

Quod in superiori capite tertio stabilitum fixumque fuit circa locum Praesidis seu Gubernatoris accedentis cum Episcopo sive Archiepiscopo ad Ecclesiam et ab Altari SS. Sacramenti divertentis ad principem Aram, ut scilicet ad sinistram ipsius Antistitis incederet, est solummodo intelligendum, quando Archiepiscopus vel Episcopus fuerit sola cappa Pontificali indutus. Nam de caetero, si sacris indumentis exornatus processerit, sive ut Deo sacrificium offerat, sive publicis solemnibusque supplicationibus cum pluviali intersit, ibi Praeses aut Gubernator in habitu suo ordinario, hoc est mantelletto super rocchettum, non amplius ad sinistram sed immediate post Archiepiscopum seu Episcopum.

Caput IX.

De Archiepiscopi seu Episcopi descensu in Ecclesiam per scalam interiorem et privatam portam.

Si ob aëris intemperiem aut peragendarum functionum qualitatem seu ob aliam quamque causam aptiorem commodioremque judicaret Antistes descensum in Metropolitanam seu Cathedralem, tam obeundi gratia omnes illas sacras actiones a Caeremoniali circumscriptas quam alias ab eo minime definitas, per scalam interiorem Palatii in ipsammet Ecclesiam porrigentem Praesidis aut Gubernatoris tunc erit praestituta sub hora una cum Magistratu ad eam accedere et in illa Antistitem jam cappa indutum descendentem afficiosis verbis excipere ac subinde comitari, prout supra fusius explicatum est.

Quae quidem obviatio a solo etiam Magistratu erit explenda Praeside aut Gubernatore absente.

Caput X.

Quo accedere debeat Magistratus, ut Archiepiscopo seu Episcopo inserviat absente Praeside vel Gubernatore; ac generatim de loco illius in incessu, adsit vel absit Praeses aut Gubernator.

Magistratus saecularis, quotiescumque legitimo impedimento detentus abfuerit Praeses vel Gubernator, non ad ostium Episcopii tantum sed superius ascendere debebit in aulam seu Cubiculum ab Archiepiscopo vel Episcopo ad hoc destinatum, atqui ibi praestolari, ut eum, postquam fuerit opertus cappa, progredientem ad Ecclesiam comitetur et deducat; procedet autem

immediate ante illum, sit quidem praesens aut absens Gubernator aut Praeses.

Quod si fuerit Archiepiscopus utens Cruce, tunc Magistratus ibit immediate ante ipsam Crucem. Nullus enim inter eam et Archiepiscopum incedere debet, cum sit peculiare ipsius insigne.

Caput XI.

Quid, si Archiepiscopus vel Episcopus Cardinalitia praestet dignitate?

Si Archiepiscopus sive Episcopus non Pontificali dumtaxat refulgeat potestate, sed praeter hanc Cardinalatus superemineat dignitate, quoties Eminentia Sua erit descensura in Ecclesiam tempestive Praeses aut Gubernator aderit in ejus aula seu cubiculo praesignato ut in illius obsequiis comitatuque sit, cum progredietur: et tunc praeeunte omnino Magistratu permittet Cardinalis ipsum Praesidem aut Gubernatorem ad sui sinistram incedere.

In limine Ecclesiae, postquam Cardinalis Episcopus seu Archiepiscopus lustrali se aqua signaverit, aspersorium tangendum porriget Praesidi vel Gubernatori, qui deinde apud SS. Sacramenti aram genuflectet super unico tantum pulvinari, quod ei praestabitur in terra post Eminentiam Suam in consueto genuflexorio procumbentem.

Postergali prorsus amoto Residentia pro ipso Praeside vel Gubernatore apud Altare majus relinqui poterit quoad caetera ornatus genera, prout in capite quarto describitur.

Si audiendi causa Conciones exegerit commoditas, ut pro Cardinali alius aptetur locus sermocinaturo propinquior: Eminentiae Suae praestanda quidem erit praenobilis Sedes super ligneum gradum tapete contectum, non omisso ut desuper dependeat baldachinum. At Praesidi sive Gubernatori nil aliud quam inferior Sella super nudo pavimento et aliquantulum post illam Cardinalis locata exhibebitur.

Consueta Concionatoris reverentia unice ad ipsum Cardinalem dirigetur: Quod generatim et universe ab aliis etiam sermonem quacumque de causa habentibus praesente Cardinali erit inclusive adimplendum.

Sacris actionibus expeditis, nisi aliter Archiepiscopo seu Episcopo Cardinali visum fuerit, et Praeses vel Gubernator et Laicus Magistratus Eminentiam Suam iterum comitabuntur ad Cameram usque sive Cubiculum, unde procedentem susceperant.

Constit. Bened. XIV. die 18. Apr. 1741. (Bull. r. t. XVI. p. 28.) Bullar. *Bened. XIV.* t. II. Append. II.; *Caer. Ep.* l. III.

Approbantur Decreta a Congregatione caeremoniali particulari edita pro Archiepiscopis sive Episcopis et Praesidibus, Gubernatoribus ac Vice-Legatis per ditionem ecclesiasticam constitutis.

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod apostolus universis Christifidelibus consulebat, ut inter caetera officia sibi pariter exhibenda, honore etiam sese invicem praevenirent et honorem tamquam debitum, cui deferendus esset honor, redderent; id maxime ab antistitibus et praesulibus vicissim inter sese, in mutua tam civilium quam sacrorum officiorum exhibitione, praestandum esse intelligentes romani pontifices praedecessores nostri, per Caeremoniale Episcoporum, juxta uniuscujusque ordinis, gradus et dignitatis conditionem leges et statuta, quibus integerrime servatis et unicuique ratio haberetur et nemini inferretur praejudicium, sapientissime praescripserunt.

§. 1. Quoniam autem quosdam abusus in honoribus sibi invicem defe-

rendis inter venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos ex una et inter dilectos filios provinciarum status nostri ecclesiastici Praesides, Gubernatores, Praelatos et apostolicos Vice-Legatos ex altera parte, quocumque pacto ac tempore etiam immemorabili irrepsisse jamdudum, etiam dum in minoribus essemus, noveramus, ut eosdem penitus adimeremus, ne ullus unquam in posterum querelis ac dissidiis inter utrosque forsan oborientibus pateat aditus, nonnullis ex venerabilibus fratribus S. R. E. Cardinalibus, qui Congregationibus sacrorum rituum et caeremoniarum praepositi sunt, negotium dedimus, ut leges et instituta caeremonialia pro corrigendis et auferendis iisdem abusibus opportuna et salutaria conderent.

§. 2. Hujusmodi vero leges et instituta caeremonialia ab iisdem Cardinalibus praescripta et a nobis inspecta cum probassemus, quo firmius subsistant et serventur exactius, tenore praesentium apostolica auctoritate approbamus et confirmamus atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, perpetuo observanda esse statuimus, praecipimus et mandamus.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus quibuscumque in contrarium praemissorum quomodolibet facientibus.

Die 15. Maii 1741.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 47.)

PRANDIUM.

(In Annivers. Def.)

Vd.: *Convivium in annivers. Def.*

PRECES.

1) Dicendae in Officio.

Vd.: *Suffr.* (in dom. privil.)

2) Non dicendae.

Ad dubium Benedictin. Einsidl.: an octava s. Scholasticae impediat preces etc., specialiter autem si dies *Cinerum* cadat infra octavam nominatam; an tunc illa die dicendae sint preces, quae alias omittuntur in omnibus octavis?

S. C. resp.: Octava s. Scholasticae impedit preces, quando de illa fit Officium. Quodsi octava occurrat in fer. 4. *Cinerum*, dicantur preces, sed nihil fit de octava, quae terminatur ad 1. vesp. fer. 4. Cinerum exclusive. n. 4044 (2do) dub. 4 die 23. Julii 1736.

Vd.: *Dies Cinerum.*

3) Quomodo dicendae?

Vd.: *Suffragia* (Flexis gen.; decr. n. 5152).

4) Pro electione Episcopi.

Ad dubium: An diebus festis fieri debeant publicae Orationes pro novi Episcopi electione ad formam Conc. Trid. et Caer. Ep.?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 12. Aug. 1772 *in Sarsinat.*

Vd.: *Episcop.* (electio.)

Sepulto Episcopo, donec de novo successore provisum fuerit, preces ad Deum continua offerendae sunt pro opportuna novi Episcopi electione im-

petranda; et conveniret, ut singulis diebus vel saltem semel in hebdomada Religiosi processionaliter ad Cathedralem accederent, Litanias cantantes et ibidem pias et devotas orationes recitarent cum Canonicis et Clero ejusdem Cathedralis. ... Qua electione obtenta singuli Religiosi ad Cathedralem accedentes Deo gratias agent et Hymnum *Te Deum* devote cantare poterunt in Ecclesia.

Caer. Ep. l. II. c. XXXVIII. n. 27.

5) Genuflexio.

Ad dubium: Preces feriales et Antiphona finalis B. M. V. non solum in Choro, sed etiam in privata Officii recitatione, flexis genibus suntne recitandae? An vero damnandi, qui in privata recitatione hanc genuflexionem omittunt?

S. C. resp.: „In Choro tantum juxta Rubricas." n. 4669 ad 44 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: An in vigil. apostol. eo quia per Bullam D. N. Pii PP. VII. die 10. Apr. 1818 pro Siciliae regno abrogata fuerint jejunia, genuflectendum sit a Choro ad preces Officii et in Missa de iisdem Vigil., eo quia in dicta Bulla legitur: et Officia et Missas tam in iisdem abrogatis festis quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius celebrari mandamus.

S. C. resp.: Cum per Breve ap. in casu, de quo agitur, abrogatis vigiliis quoad jejunium et abstinentiam, nihil immutandum fuerit quoad ritus et functiones ecclesiasticas, imo expresse cautum sit, ut retineantur et serventur, ideo ad preces Officii et in Missa de Vigilia erit genuflectendum ad formam rubricarum.

Die 11. Mart. 1820. *In Mazarien.*

6) Pro Indulg. lucrandis.

Preces requisitae in Indulgentiarum concessionibus ad implendam SS. Pontificis intentionem sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter assignentur. — Non potest per preces jam obligatorias v. g. per horas canonicas satisfieri illis precibus.

S. C. J. die 29. Maii 1841.

7) Publicae.

a) Ab ecclesiastica auctoritate indicendae.

Vd.: *Oratio pro Rege.*

Ecclesiastica Auctoritas in designandis publicarum precationum formulis et in eisdem indicendis asseritur. Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis.

Benedictus PP. XIV.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam Benedictionem.

Quemadmodum preces ad Deum pro principibus effundere valde consentaneum est, ita convenit, ut precum ipsarum formulae sint ex illis, quas Ecclesia usu recepit, maxime vero si ejusmodi preces in celebratione Missarum adhibendae sint. *Praeterea ad ecclesiasticam auctoritatem unice spectat preces illas statuere atque indicere, cum nulli saeculari potestati fas sit decernere praeceptoque mandare, ut publicae preces fiant, sive ad persolvendas Deo gratias pro beneficio aliquo accepto, sive ad illius opem in gravi aliqua necessitate implorandam.*

§. 1. *Divus Paulus* in prima ad Timotheum cap. 2., ut Vos bene nostis, ita loquitur: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt.* Quod si expediat hoc loco praxim ostendere, qua primaeva Ecclesia utebatur in orationibus et precibus ad Deum

pro principibus offerendis, eam satis patefacere poterunt *s. Dionysii* Episcopi Alexandri ad Praesidem Aemilianum epistola, *Tertullianus* in lib. ad Scapulam et in Apologetico, *sanctus Cyprianus* in epistola ad Demetrianum, *Origines* in respons. ad Celsum et *Athanagoras* in sua Legatione ad Imperatores pro Christianis.

§. 2. Multum quidem inter se conveniunt credendi et orandi ratio. Proinde in celebratissimis epistolae *sancti Coelestini* ad Galliae Episcopos additionibus cap. 11. legitur: *Obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus ... ut legem credendi lex statuat supplicandi.*

Atque hinc oritur, in publicis supplicationibus formulas ab Ecclesia praescriptas esse adhibendas, praesertim si res agatur de orationibus, quae recitari debeant in Missa, ut dictum est. Idcirco etiam a Sacro Concilio Tridentino cavetur, ne preces in Missarum celebratione adhibeantur, praeter eas quae ab Ecclesia probatae et frequenti ac laudabili usu receptae fuerint.

Quamobrem in Missali Romano pro omni fere necessitate existunt piae quidem ac religiosae orationes e vetustis ac venerabilibus Sacramentariis opportune depromptae.

§. 3. Neque vero putamus nimium progedi, immo inter aequos auctoritatis nostrae limites Nos certe consistere credimus, cum asserimus, ad ecclesiasticam quidem, non autem ad saecularem potestatem pertinere, de ecclesiasticis ac spiritualibus rebus disponere. Magnus ille *Osius Episcopus Cordubensis* apud *s. Athanasium* in Epistola ad solitariam vitam agente, ecclesiastica sane libertate, ad Constantium Imperatorem haec scripsit: *Ne te misceas ecclesiasticis rebus, neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit: nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit. ... Cave, ne quae sunt Ecclesiae, ad te trahens magno crimini abnoxius fias. Scriptum est: Quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.*

§. 4. Ad viciniora autem tempora et ad rem, quae epistolae huic nostrae occasionem dedit, proprius accedentes dicimus, a laicorum ipsorum tribunali abrogata fuisse atque rescissa saecularis alicujus Magistratus decreta, quibus publicae pro principibus preces indictae fuerant, quod ejusmodi decreta nullius auctoritatis aut roboris esse per se innotesceret. Et non multis ab hinc annis S. C. C. praedecessoribus nostris annuentibus publice abrogavit irritumque fecit saecularis potestatis edictum, quo illa, ob partam a principe victoriam, indixerat pro gratiarum actione *Te Deum laudamus*, etiamsi protestationem inseruisset de praejudicio ecclesiastico juri non inferendo, quod nimirum facto protestatio ipsa adversaretur.

§. 5. Ut igitur aequitatis jure rectoque ordine omnino procedatur, monemus Vos atque hortamur, ut tum Vos tum alii opera vestra Deum sedulo rogent pro incolumitate ac felicitate vestrorum Principum, quemadmodum et Nos pro Principibus Catholicis quotidie facimus. Aequo libentique animo accipite, quod Potestates saeculares a Vobis petant, ut pro se publicae preces fiant, atque operam date, ut Ecclesiae formulae in illis usurpentur neque novae aut inusitatae orationes in Missa recitentur.

§. 6. Sin autem, quod Nobis persuadere non possumus, laicalis aliqua Potestas usu vel consuetudine aliqua (quae abusus revera dici debet), praesumat auctoritatem vestram in hoc minime agnoscere, sed jure suo directe velit publicas preces indicere immo et poenam parere renuentibus statuere audeat, loquiminor et Vos, quemad-

modum Osus ad Imperatorem locutus est. Rationes adducite, quas, qui errant, fortasse ignorant. Palam ipsis facite, hanc nullatenus esse rationem exorandi Deum, atque id, quod cupiunt, consequendi: ad Vos confugere eos debere, cum Vos ii sitis, qui, licet ex hominibus assumpti, tamen estis pro hominibus constituti in iis, quae sunt ad Deum, ut ad Haebraeos Apostolus loquitur: nec, praeter Vos, posse aliquem opus hujusmodi suscipere et hunc sumere sibi honorem; sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.

§. 7. Quod si dictis non acquiescant neque a Vobis opportunum judicetur in eos ita procedere, ut ecclesiasticae disciplinae jura exigerent, Vobis stricte mandamus, ut Nos quamprimum certiores de iis faciatis, opportunis quoque transmissis ad manus nostras documentis, cum Nos parati simus ea omnia facere, quae clarissimi Praedecessores nostri in ejusmodi occasionibus facere consueverunt.

Nolumus enim, ad Supremum Dei Tribunal vocati, de neglectis Sanctuarii juribus sontes judicari.

Interea Vos Paterno amore complectimur Vobisque Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 23. Martii 1743.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 269. Ed. *Rom.*)

b) A quibus dicendae?

Vd.: *Te Deum* (oratio); *Orationes* (ad bened.).

Ad dubium: An Fratres Conventuales teneantur implere Episcopi mandatum, quum ab ipso pro publica causa vel utilitate preces indicuntur in casu etc.?

Et Emi ac Rmi P. ... rescribendum censuerunt:

„Affirmative."

N. 5222 ad 5.

Die 16. Febr. 1856.

Ad dubium: An publicae preces et gratiar. actiones possint peragi in Ecclesiis regul. aut exemptis absque licentia Ordinarii?

S. C. resp.: Affirmative, demptis processionibus aliisque actibus, vetitis fieri absque licentia Ordinarii.

Die 26. Apr. 1604 ad 15.

Preces ordinatas ab Episcopo Oscen. ut ad impetrandam pluviam in omnibus suae dioecesis Ecclesiis in missa conv. recitentur, post orationem dominicam, antequam Sacerdos dicat: *Libera nos quaes., non esse eo tempore recitandas, ne Sacrificium missae interrumpatur.*

Die 11. Junii 1605.

8) In Reposit. SSmi in Orat. 40 hh.

Vd.: *Lytaniae in expos. SSmi.*

PRESBYTER.

a) Assistens.

Vd.: *Assistens; Minister de libro Episcopi.*

Ad dubium 1.: An celebrante sol. prima vice novo Sacerdote patrinus seu Presbyter assist. possit in dominicis ante aspergere populum aqua benedicta ac deinde ad Sacristiam accedere et Sacerdotem ipsum ad altare adducere cum ministris?

2.: An subtus pluviale ipse patrinus possit stolam gerere ac fidelibus cum patena ministrare, quoties eucharist. communio instituenda est?

3.: An patrinus debeat vel saltem possit celebrantem incensare loco diaconi?

S. C. resp.: Negative in omnibus.

Die 11. Mart. 1837.

b) Simulator.

Vd.: *Sacerdos simulator.*

PRESBYTERATUS.

Vd.: *Ordinatio ad Presbyt.*

PRESBYTERI.

1) Associantes Episcopum ingredientem in Ecclesiam.

Cf.: *Episcopus* (accessus ad Eccles. — associat. Presbyt.).

2) In Coena Dom.

Vd.: *Coena Domini.; Oleor. Consecrat.*

3) Cophtorum.

Vd.: *Constitut. Bened. XIV.* die 4. Maii 1745 (Bull. r. t. XVI. p. 292 etc.).

4) Graeci et Latini.

(Juxta suum ritum celebr. debent.)

Vd.: *Missa* (ritus non mutand.)*; Ritus graecus.; Unctio extrema Graecor.; Monachus graecus; Ordinatio Graecor.; De presbyt. graeco uxorato*, vd.: *Ordin. Graec.* (n. XXVI–XXVIII.)

5) Habitus.

Vd.: *Habitus Clericorum; Sacerdos* (habitus etc.).

6) Novi.

(Oblig. ad tres missas.)

Vd.: *Missae* (tres novi Presbyt.).

PRESBYTERIUM.

1) Aditus vetitus Laicis.

Cf.: *Sedes; Magistratus; Instructio Clem.* §. VII. n. 1. etc.; §. IX. n. 12. 14.; §. XXV. n. 8. etc.; §. XXVI. n. 1. etc.; §. XXVII. n. 1. etc.; *Familiares Episcopi; Mulier; Regiae personae; Genuflexorium Laicor.; Lavabo Episcopi.*

Laici extra chorum et cancellos Presbyterii sint. n. 29 die 22. Sept. 1592.

Non licere Electis ... ac aliis Officialibus saecularibus Villae Morellae sedere in Presbyterio, in quo Archipresbyter et Clerus parochialis ... sedent, non obstante quacunque possessione et consuetudine in contrarium. n. 2406 die 2. Apr. 1667. — Magistratum saecularem terrae plebis prope Centum Bononien. dioeces. removendum esse ... a Presbyterio Ecclesiae Colleg. ejusdem loci, non obstante allegata consuetudine in eo sedendi post Capellanos. n. 2489 die 31. Aug. 1669.

Locus eidem Domino tribuendus est in Ecclesia dignior ... sed absque gradibus et extra presbyterium. n. 66 die 7. Sept. 1593.

Locum a Gubernatore usurpatum *in Presbyterio* super scabello altaris minime illi convenire. n. 109 die 10. Jan. 1597; n. 147 ad 6 die 10. Junii 1602.

Non licere nec permitti debere laicis, dum divina Officia in Ecclesia peraguntur ... in choro vel Presbyterio stare vel sedere, nec licere Magistratibus aut Judicibus Laicis proprias Dignitatum sedes aut Canonicorum stalla in choro aut Presbyterio occupare, etiamsi id aliquando eis permissum fuerit. n. 233 die 21. Febr. 1604; n. 4188 die 4. Maii 1746.

Non licere nec permitti debere Laicis, nec etiam Clericis, qui non sunt de gremio capituli, occupare loca Canonicorum et aliorum de Capitulo, habitu ecclesiastico indutorum, neque laicis vel etiam ecclesiasticis aut amicis et familiaribus Archiepiscopi habitu ordinario et nigro indutis licere ... inter Canonicos et alios de gremio Capituli habitu ecclesiastico indutos sedere, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit. n. 257 die 8. Jan. 1605; n. 2414 ad 1 die 2. Apr. 1667.

Non licere nec permitti debere Laicis, dum divina Officia in Ecclesia Metrop. celebrantur, inter Canonicos et alios in Ecclesia Praebendatos ac Ministros in choro vel Presbyterio stare vel sedere; neque licere Magistratibus aut Judicibus laicis proprias Dignitatum

sedes aut Canonicorum stalla in choro occupare, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit. Idque tam in Archiep. Granat. Eccles. quam etiam in processionibus et offertoriis et in aliis Eccles., ad quas ire Capitulum seu assistere contigerit. n. 413 die 24. Oct. 1609.

Marchioni, domino loci tantum, permittendam sedem, genuflexorium et postergale *extra* Presbyterium; in elevatione autem SS. Sacramenti Marchionem intra Presbyterium adorare et venerari debere SS. Sacramentum. n. 881 die 28. Sept. 1630.

Non licere Laicis sedem habere in Presbyterio. n. 1238 die 17. Julii 1640.

Nullo modo licere sedem Domino in Presbyterio. n. 1268 die 15. Sept. 1640.

A latere Presbyterii pateant ascensus, eorumque aditus populo praecludatur, custodiendus utique ab Abbatum et Decurionum famulis, ostiariis nuncupatis, qui ... populum ab ingressu arceant, ostium tamen patens omnino dimittant eique nec manum admoveant, ne a laicorum arbitrio Clericis ad altare pendere videatur accessus. n. 2060 die 12. Junii 1660.

Non licet saecularibus ac etiam aliis ascendere choros et Presbyterium ad audiendas Missas et conciones nec non ad interessendum divinis Officiis et benedictionib. SSmi. n. 2215 die 20. Apr. 1663.

S. C. mandat Episcopo Senogalliensi ut omnino et sub poenis ejus arbitrio exequi faciat et curet decreta ... quibus declaratur, non licuisse neque licere saecularibus ascendere chorum et presbyterium. n. 2269 die 15. Mart. 1664.

Non licuisse neque licere Gubernatori Principis Huburgh habere sedem tam intra quam extra Presbyterium. n. 2308 die 24. Jan. 1665.

Non licere Gubernatori Melphiae habere locum, neque tenere sedem cum genuflexorio in Presbyterio Cathedralis. n. 2389 die 15. Jan. 1667.

Idem decret. de Gubernatore Cremon. n. 2696 die 16. Junii 1674.

Idem decr. pro Gubernatore montis Alti. n. 3654 die 23. Junii 1703.

Idem pro Duce Ostunen. n. 3771 die 14. Maii 1707.

Idem pro Marchione de Rupis dioeces. Vicen. n. 4123 die 9. Decb. 1741.

Juratis civitatis Algaren ejusque Officialbus laicis non licere nec licuisse ullo modo habere scamnum intra Presbyterium ibique sedere, praesertim invito Episcopo et quando ipse vel Canonici intra Presbyterium genuflexi orantes existunt. n. 2320 die 20. Junii 1665.

Non licere Laicis sedere et locum habere in choro et Presbyterio. n. 2372 die 10. Apr. 1666.

Episcopus Vercell. curet, ne in Oppido Massarani Princeps teneat intra Presbyterium a cornu Evangelii thronum cum strato. n. 2816 die 13. Febr. 1677.

Non licuisse Baroni Mirabellae neque Archipresbytero jam defuncto de familia ejusdem Baronis introducere et retinere sedes fixas cum inscriptione utriusque et genuflexoria intra Presbyterium altaris majoris Ecclesiae Archipresbyteralis ... Praedictorum usum esse prohibendum. n. 2517 die 29. Nov. 1670; n. 2589 die 16. Julii 1672.

Non licere Domino de Puiacons sedere in sede ornata cum tapete et pluvinari in Presbyterio Ecclesiae parochialis saecularis; et posse per Episcopum id prohiberi. n. 2785 die 13. Junii 1676.

Magistratui et Juratis civitatis Gerunden. tam in Cathedrali quam in aliis Ecclesiis civitatis non licet habere locum in Presbyterio et Capitulum ejusdem Ecclesiae non potuisse per viam concordiae non tamen auctoritate apost. confirmatae permittere locum in Pres-

byterio, ita ut per viginti annos jus ad illum acquirere valuerint. n. 3182 ad 1 et 2 die 12. Mart. 1689.

Praedicta decreta locum etiam habent in Ecclesiis Regularium et non sunt concedendae Remissoriales in casu. n. 3213 ad 1 die 22. Apr. 1690.

Removeatur Magistratus a Presbyterio. n. 3224 ad 1 die 10. Junii 1690.

Aptandum esse locum Magistratui Amerinae extra Presbyterium. n. 3537 die 12. Sept. 1699.

Non licuisse neque in posterum licere camerario et confratribus societatis s. Annae in parochiali s. Joannis in Ayno de Urbe quacunque veste indutis, etiam de consensu parochi, assistere Vesperis et Missae solemni intra Presbyterium in festivitate s. Annae ... n. 4438 die 28. Julii 1789.

Ad dubium: An liceat D. Alphonso Toralba Baroni Calimerae retinere in Ecclesia Matrice seu parochiali dicti loci, pro audiendis Divinis, sedem fixam extra Presbyterium, absente et non residente Episcopo, vel potius amovibilem cum scabello, tapete, suppedaneis atque postergalibus in casu etc.?

S. eadem R. C., tam in voce quam in scriptis, partibus informantibus auditis, censuit respondendum:

„Quoad sedem fixam, negative; quoad amovibilem et cameralem tantum, affirmative. In reliquis negative."

Et ita declaravit et servari mandavit.

N. 3684 die 26. Aprilis 1704.

Episcopo Civitatis Motulae S. R. C. demisse supplicanti responderi:

An sit permittendum Gubernatori et Syndico et aliis Nobilibus Terrae Masafrae Motulen. Dioecesis intra Presbyterium sedere super scamno ligneo et absque postergali in loco inferiori et a Clero separato, eo sub praetextu nempe inserviendi de aqua et linteo Episcopo pontificaliter celebranti?

S. eadem R. C. respondit: „Non permittat."

N. 3695 die 12. Julii 1704.

Ad dubium: an Duci et Ducissae montis Dragonis liceat retinere intra Presbyterium genuflexorium cum strato et sedem amovibilem cum pulvinaribus in Ecclesiis saec. et regul.?

S. C. resp.: *Negative.*

N. 3908 die 2. Apr. 1718.

2) Ornatus.

Vd. *Chorus* (ornatus).

PRETIOSISS. SANGUIS J. CHR.

Vd.: *SS. Sanguis J. Chr.*

PRIMA.

In Prima post *Benedicamus* statim legatur Martyrologium et *Pretiosa* cum sequentibus; deinde Missa celebretur et postea Capitulum habeatur. n. 32 ad 4 die 17. Nov. 1592.

Ad Primam, postquam hebdomadarius dixit *Confiteor, universus chorus* dicere debet *Misereatur* et *Confiteor.* n. 351 ad 16 die 19. Maii 1607.

PRIMICERIUS.

Vd.: *Coadjutor Primicerii; Episcop. titul. Can.; Chorus* (egress).

Ad dubium: an absentibus vel impeditis primis duabus Dignitatibus Vesperarum et Missarum solemnia spectent ad hebdomadarium seu antiquiorem Canonicum an ad Primicerios, qui chori directioni et assistentiae addicti inter Dignitates numerantur, S. C. resp.: Praedictos Primicerios a directione et assistentia chori non esse dimovendos et ad Canonicos immediate digniores post praefatos Primicerios Vesperarum et Missarum solemnia spectare, et de-

claravit, ut unusquisque proprio muneri incumbant. n. 1896 die 8. Junii 1658.

Primicerio Cathedralis Fundanae assistentiam et solita obsequia Episcopo praestare renuenti, ex quo Apostolici Nuntii Commissarii Subcollectoris Officium gerat, S. C. resp.: exemptionem non suffragari quoad spiritualia et respicientia cultum divinum ac propterea Episcopus Primicerium ad onera sibi debita omnino subeunda auctoritate S. C. compellat. n. 1988 die 14. Junii 1659.

Vd.: *Subcollector.*

PRIMITIAE.

Vd.: *Missa prima novi Presbyteri; Missae tres novi Presbyteri.*

PRIOR.

1) Thurificatio.

Priores Terrae Pennae Asculanae dioecesis thurificandos esse post omnes de Clero. n. 802 die 17. Mart. 1629.

Vd.: *Incensatio Cleri.*

2) Usus Pontificalium.

Vd.: *Sedes; Usus Pontifical.; Diaconi assistentes* pro Abbatib. et Dignitariis.

Non debet facere ante se deferri crucem, vd.: *Crux Archiepiscop.*

PRIORISSA.

Vd.: *Abbatissa.*

PRIVILEGIUM.

1) Altaris.

Vd.: *Altare privil.; Indulg. altaris; de privil. alt. a SS. Pont. consecrati*, vd.: *Indulg. alt.* (a SS. Pont. cons.)

2) Communicatio.

Privileg. locale extendi non potest de loco ad locum.

S. R. C. 10. Jan. 1693.

Ad dubium 1.: An Patriarch. Basilicae aliaeque Ecclesiae, necnon Nosocomia, Archiconfraternitates, Superiores cujuscunque Ord. sive Instituti, caeterique habentes facultatem communicandi privilegia, possint privil. et indulgentias ampliare et limitare pro suo arbitrio in aggregationibus?

2.: An aggregationes faciendae sint ad tempus vel perpetuo?

3.: An privil. altaris sit communicabile?

S. C. J. resp. *ad 1.:* Negative, nisi aliter in Indultis apost. provideatur;

ad 2.: Aggregationes faciendas esse in perpetuum;

ad 3.: Negative.

Die 5. Febr. 1748.

Vd.: *Decr. Urbani VIII.* de die 28. Mart. 1634 in Bull. magno tom. V. p. 255 (Ed. *Luxenb. 1727*).

3) Octavae.

Vd.: *Octava privil.; Octava Corp. Chr.*

4) Personale in die Com. Om. fid. def.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.); *Indulg. alt.* (pers. Privil.)

PROCESSIO.

1) Abusus.

Abusus antiqui in processionibus tollendi sunt cum magna cautela, ne majora scandala sequantur.

S. C. R. 13. Maii 1603.

2) Canonici Cath. parati.

Cf.: *Canonici parati; Coena Dom.* (praeced. etc.); *Processio* (Clerus inf. paratus, decr. n. 4595, 5136); *Instructio Clem.* §. XXI. n. 8.

Canonicos et Dignitates vestes sacras, Episcopo deferente et non deferente SS. Sacramentum, induere debere in honorem tanti Sacramenti. n. 735 die 27. Mart. 1628.

Canonicos Cathedr. semper intervenire debere vestibus sacris in processione solemnitatis Corporis Christi, sive Episcopus interveniat sive non, et inobedientes potuisse et debuisse per Episcopum mulctari. n. 1000 die 15. Julii 1634.

Soli Capitulo Cathedrali licere incedere in processionibus cum vestibus sacris et non aliis ecclesiarum Collegiatarum. n. 1320 die 20. Apr. 1641.

Non albam sed tantum superpelliceum adhibendum est in processionibus, quando induuntur planetae, dalmaticae et tunicellae, juxta Caerem. (Lib. I. c. XV. n. 6.; lib. II. c. XXXIII. n. 5.) n. 2869 ad 9 die 26. Nov. 1678.

Canonici Cathedralis, etiam absente Episcopo a processione SS. Corporis Christi, *deferente SSmum Decano vel Canonico*, sacris vestibus induti interesse et Caeremoniale lib. II. c. XXXIII. servare debent. n. 1831 die 30. Junii 1657; n. 3888 die 12. Sept. 1716.

Ad conquestionem, quod Episcopus Theles. praecepisset, ut Canonici Cathedralis in processionibus tum ordinariis tum extraordinariis pluvialia deferant, S. C. resp.: „*Servari Caerem.*" n. 2120 ad 1 die 2. Julii 1661.

Vestimenta sacra non posse deferri a Capellanis Collegiatae Matricis Itri, nisi deferant etiam Canonici. n. 2516 ad 4 die 13. Sept. 1670.

Capitulo, Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Viterbien. competit jus incedendi in processione SS. Corporis Chr. cum s. paramentis privative quoad Canonicos Collegiatarum, Rectores parochialium aliosque presbyteros. n. 3966 die 16. Febr. 1726.

3) Can. Colleg. par.

Vd.: *Synodus* (Clerus par.); *Process.* (Can. Cath.)

In processionibus *sine SS. Sacramento* Dignitates Collegiatarum incedere debere cum suis Capitulis *sine pluvialibus*. n. 719 die 29. Jan. 1628.

Non convenire, ut Canonici Collegiatae in processionibus (de processione Litan. maj. in hoc decreto agitur) incedant parati, prout incedant Canonici Cathedr. n. 351 ad 20 die 19. Maii 1607.

Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum in concursu cum Capitulo Cathedr. non debere incedere in processionibus cum vestibus sacris, sicut incedunt Canonici Cathedralis. n. 1231 die 2. Julii 1640.

Non licet Canonicis Collegiatarum in processionibus *SS. Sacramenti* incedere cum vestibus sacris, prout incedunt Canonici Cathedralis. n. 1232 die 2. Julii 1640.

Ad dubium: an in processionibus *pro Synodo dioecesana* habendis Canonici Colleg. Constantii incedere possint sacerdotali planeta induti ad instar Canonicor. Cathedr. ipsius civitatis vel potius debeant interesse superpelliceo et almutio tantum induti, ut distinguantur a praefatis Canonicis Cathedr.?

S. C. resp.: Non convenire, ut Canonici Colleg. in processionibus incedant parati, prout incedunt Canonici Cathedralis. n. 3270 die 26. Aprilis 1692.

Ad dubium in causa praeeminentiae inter Capitulum Cath. et Colleg. Foggiae: an in processionibus solemn. Foggiae possint Canonici Colleg. parati incedere sive praesente sive absente Episcopo?

S. C. resp.: *Posse in process. solemnitatis SS. Corp. Chr.* n. 3563 ad 2 die 22. Maii 1700.

Canonici Colleg. Urbis veteris in peculiari processione, quam sine interventu Canonicorum Cathedr. infra octavam ss. Corp. Chr. peragunt, possunt incedere cum planetis. n. 3688 die 26. Apr. 1704.

4) Capite tecto vel detecto.

Vd.: *Reliquiae* (processio); *Caput; Mitra Canonicorum in process.; Instructio Clem.* §. XX. n. 12.; §. XXI. n. 11.; *Pileolum; Biretum.*

Regulares s. Francisci Vianae tenentur in publicis processionibus extra Ecclesiam incedere capite cooperto, dummodo non deferatur SS. Sacramentum. n. 2273 ad 4 die 24. Maii 1664.

... Nec non licere Canonicis Cathedr. Castellanetae et toto Clero et multo magis Episcopo procedere in processionibus extra Ecclesiam capite cooperto. ... In processione autem SS. Corp. Chr. nulli ex Clero licere procedere cooperto capite. n. 2404 die 2. Apr. 1667.

In processionibus, in quibus defertur SS. Corp. Chr. vel SS. Crucis lignum, tam Clerus quam Saeculares detecto capite incedere debeant. In aliis vero processionibus, in quibus deferuntur reliquiae vel statuae SS., tunc Saeculares et Ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite; alii vero clerici possint incedere tecto capite cum bireto. n. 3230 ad 1 die 2. Sept. 1690.

Ad dubium 1.: An magistratui in processionibus, in quibus non gestantur reliquiae insignes, incedere liceat capite cooperto ad instar cleri?

Ad dubium 2.: An eidem magistratui baldachini hastas deferenti in processionibus, in quibus reliquiae non portantur, sed aliqua statua vel figura alicujus sancti, liceat cooperire caput, quatenus presbyteri sub eodem baldachino incedentes caput cooperiant?

S. C. resp. *ad 1.:* Affirmative;

ad 2.: Negative tam quoad magistratum quam quoad ecclesiasticos sub baldachino incedentes.

Die 2. Sept. 1690 ad 2 et 3.

5) Capituli.

Licere Capitulo et Decano Cathedr. processiones facere per omnes vias, etiam absente Episcopo, nulla habita neque petita licentia Superiorum ecclesiarum ... n. 1154 die 23. Maii 1639.

Ad dubium: an in processionibus extraordinariis, quae ex devotione Capituli peraguntur, prima Dignitas an hebdomadarius induendus sit pluviali et ad quem ipsorum dictis diebus spectet Missas celebrare?

S. C. resp.: Servandam esse consuetudinem. n. 1977 ad 2 die 29. Mart. 1659.

Canonici Cathedr. Theles., translati in Ecclesiam s. Jacobi de Cerreto, possunt in eodem Oppido facere processiones quocunque anni tempore, etiam infra octavam Corp. Chr., invito parocho sed obtenta licentia Episcopi et invitatis Canonicis. n. 2970 ad 2 die 22. Nov. 1681.

Vd.: *Processio* (licentia).

6) Per Civitatem.

Vd.: *Confraternit.* (processio); *Processio int. vel extra claustr.; Process.* (licentia etc.); *Processio* (confraternit.).

Ad dubium: An liceat PP. Conventus s. Dominici Ripanae sine licentia Episcopi peragere per civitatem processionem tam in I. dominica Octobris (in festo ss. Rosarii) quam in aliis temporibus?

S. C. C. resp.: Negative exceptis processionibus ss. Corp. Chr. et ss. Rosarii in I. dom. Octobris.

Die 16. et 30. Mart. 1715.

7) Intra vel extra Claustra.

Cf.: *Processio Regularium* (decr. 723; 816; 839; 873; 904; 1421; 3626; 3843); *Mulier* (Ingress. — decr. Pii VII.); *Process. in Monial. eccles. etc.*

Non licere regularibus extra claustra monasteriorum vel proprias Ecclesias et nonnisi prope ambitum eorumdem habere processiones, nisi

de licentia ordinarii aut de consensu vel cum Cruce parochiali. n. 1446 die 18. Apr. 1643; n. 1084 die 24. Julii 1638; n. 2836 ad 2 die 20. Nov. 1677.

Non licere Fratribus et Regularibus extra claustra monasteriorum suorum facere processiones. n. 487 die 19. Maii 1614.

In Ecclesiis habentibus claustrum processiones fieri non possunt, nisi intra claustra tantum et non extra. n. 1636 die 20. Apr. 1652.

In processione *infra octavam Corp. Chr.* fieri consueta Regularibus non posse prohiberi, ne extra claustra eorum monasterii ducant processiones. n. 1929 die 7. Sept. 1658.

Confraternitatibus Laicorum et Regularium insularum Canariensium non licere facere processiones extra claustra eorum ecclesiarum dicta claustra habentium; et si non habeant, extra limites et ambitum illorum, hoc est prope muros nisi de licentia, consensu et cum cruce parochi exceptis tamen Ecclesiis, quae habent in hoc speciale privilegium. n. 2265 die 15. Mart. 1664; n. 2278 die 12. Julii 1664.

Non licuisse neque licere Regularibus, ut in processionibus SS. Corp. Chr. et Rosarii et aliis per ipsos fieri solitis mulieres ingrediantur in eorum claustra, nisi adsit expressa licentia Sedis apost. n. 2784 die 13. Junii 1676.

Ad dubium: An Regulares in processionibus possunt admittere foeminas sine expressa licentia Sedis apost., cum in claustris non celebrentur Missae, nec alia divina Officia peragantur nec mortui sepeliantur?

S. C. resp.: *Negative.*

N. 2836 ad 3 die 20. Nov. 1677.

Non licet PP. Dominicanis, August., Francisc., Conventualibus, Minimis et Regularibus litis consortibus facere solitas processiones ... sine licentia et cruce parochi per civitatem Savonae extra ambitum Ecclesiae et claustri. n. 3223 ad 1 die 10. Junii 1690.

Non licet PP. Minoribus Convent. Montis novi facere processionem extra claustra eorum conventus et per limites parochiae absque licentia, consensu et cruce ejusdem parochialis, exceptis processionibus primi Veneris Martii, nuncup. *Corda Pia*, 13. Junii s. Antonii, prima Augusti de Portiuncula et 4. Oct. s. Francisci, in quibus servetur solitum. n. 3722 ad 2 die 9. Maii 1705.

Obtenta licentia Archiepiscopi peragendi processionem ss. Rosarii extra claustra prima dominica Octobris, non tenetur Confraternitas Aquaevivae obtinere alteram parochi. n. 3769 die 14. Maii 1707.

Decretum Generale.

Regularibus et Confratribus in Ecclesiis Regular. esse permissum intra eorum Ecclesias et claustra tantum processiones facere et non extra; si vero Ecclesiae claustro careant, eisdem Regularibus et Confraternitatibus licere processiones facere intra ambitum dumtaxat earundem ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae sive excundo a janua Ecclesiae et intrando per aliam sive per eandem januam et semper prope muros Ecclesiae et non extra dictum ambitum nisi de licentia et consensu Ordinarii aut cum cruce parochi: Privilegiis pariter apost. contrarium disponentibus, quibus per hoc decretum minime conseatur derogatum.

Die 21. Aug. (27. Julii) 1628.

Ad dubium 1.: An PP. Carmelitis Aquen. liceat processiones facere extra propria claustra seu districtum et intra limites parochiae invito parocho? Et quatenus negative,

2.: an PP. dictis liceat extra propria claustra per loca consueta facere

processiones B. V. M. de Monte Carmelo occasione festivitatis petita tamen licentia parochi licet non obtenta?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Negative; *ad 2.:* Affirmative.

Die 9. Junii 1708 et 27. Apr. 1709 ad 16 et 17.

Pius PP. VI.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa seu superiorissa ac moniales monasterii sub titulo Corporis Christi ordinis s. Clarae istius civitatis Foroliviensis, quod alias ab apostolica Sede privilegium ac indultum impetrarunt, ut die solemni Corporis Christi venerabile Eucharistiae Sacramentum intra claustra tantum processionaliter gestare posse ac subinde, quo in supplicatione hujusmodi magis magisque decori tantae festivitatis consuleretur, a Nobis per organum congregationis VV. FFr. N. S. R. E. Cardinalium Episcoporum et Regularium negotiis praepositorum obtinuerunt, ut praeter Sacerdotem in pluviali, etiam ministri scilicet Diaconus et Subdiaconus dalmatica et tunicella respective induti eidem supplicationi interesse ac ministrare possent. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ad triennium tantum indultum hujusmodi a dicta congregatione obtinuerint, licet illud postmodum ad alia triennia fuerit prorogatum, nihilominus, quo eorum majori supplicationis hujusmodi solemnitati prospiciatur, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis eisdem exponentibus petitam facultatem, servata in reliquis priorum concessionum forma in perpetuum auctoritate Nostra a apostolica concedas ac impertiaris.

Datum Romae die 23. Maii 1794.

(Bull. r. Continuat. t. IX. p. 369.)

Regulares, qui gaudent speciali privilegio faciendi processiones extra claustra sine ulla licentia, tenentur incedere per viam semel electam. S. C. R. in Pisauren. 3. Nov. 1613, in Materan. 15. Maii 1632, in Belcastren. 28. Apr. 1690.

8) Clerus post Laicos.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XX. n. 10, 16, 17; §. XXII. n. 2; *Confratern.* (praeced.; processio).

9) Clerus inferior paratus.

Cf.: *Planeta in processionibus.*

Ad petitionem Capituli Cathedr. Militen. pro declaratione: non licere parochis et sacerdotibus Ecclesiae SS. Trinitatis et aliis Dioecesis Militensis incedere in processionibus cum pluvialibus, non obstante contraria consuetudine: S. C. resp.: In concursu cum Capitulo Cathedr. non licere. n. 3112 die 4. Maii 1686.

Beneficiati Ecclesiae Cathedr. Gerundae incedere debent in processionibus induti pluvialibus sicut Dignitates et Canonici, attenta immemorabili. n. 3694 ad 1 die 12. Julii 1704.

Sacerdos, Diaconi et Subdiaconi in processione, quae peragitur in die dominica infra octavam solemnitatis Corp. Chr. intra limites parochiae s. Felicis Universitatis Paganorum, possunt induere super albas casulas, resp. dalmaticas et tunicellas. n. 4113 ad 1 die 20. Maii 1741.

PP. Carmelitae Imolae induere possunt s. vestes ad formam eorum Ritualis in processione facienda extra

claustra et ambitum Ecclesiae infra octavam Corp. Chr., exceptis fratribus laicis. n. 4158 ad 1 die 16. Maii 1744.

Ad dubium: an parochi Amerinae teneantur incedere in processione Corp. Chr. aliisque processionibus, quatenus interveniant vestibus s. induti prout alii Sacerdotes, sive potius possint incedere cum cotta, stola et in quo loco?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; ad secundam juxta solitum. n. 4315 ad 8 die 7. Maii 1763.

Mos est in Cathedr. Melphiten., ut etiam Participantes in sol. process. Corp. Chr. et in octava incedant cum planeta super albam seu camicem. Quaeritur: An vigore Indulti possint ab observantia recedere, incedendo cum planeta non amplius super albam, prout gerunt, sed super rocchettum ad instar Canonicorum vel cum cappa et rocchetto?

S. C. resp.: Negative in omnibus. n. 4595 ad 6 die 12. (10.) Apr. 1823.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Consuetudinibus, quae vere sint laudabiles et rationabiles, derogatum non fuisse per Caeremoniale Episcoporum S. R. C. declaravit pluribus decretis, praesertim vero illis, quae in nostra collectione leguntur. Ideo etsi *lib.* 2. *cap.* 33. ejusdem Caeremonialis regula tradatur, quae jubet, ut in solemni Processione SS. Corporis Christi Canonici parati incedant sacris indumentis albis et servata ordinum distinctione, quemadmodum solent parari, Episcopo solemniter celebrante, non est tamen haec lex ex illis, quae praescriptionem non admittunt et quamlibet respuunt consuetudinem etiam immemorabilem. Non enim Dignitatibus atque Canonicis ita sacra Indumenta conveniunt, ut nequeant alicubi vel ex consuetudine vel ex peculiari statuto vel ex privilegio ab aliis inferioris gradus, sed Ecclesiae servitio addictis, assumi. Ideo consuetudo, quae obtinuit in Ecclesia Cathedrali Melphitensi, ut in eadem Processione parati incedant etiam Portionarii, retinenda est, utpote quae non minuit sed auget divinum cultum, sacra illi actioni decus addit et ornamentum. Verumtamen debitus servandus est modus tam quoad ordinem incedendi quam quoad extrinsecam decorationem. Siquidem Portionarii confundi non debent cum Canonicis, nec ab antiquo more recedere, etsi modo eorumdem coetus nobiliora Insignia apostolica auctoritate obtinuerit. Quae supra notata sunt, plane evincunt per eadem nobiliora Insignia eorumdem qualitatem non fuisse immutatam, sed adhuc secundi ordinis Clerum eosdem constituere, idemque Ecclesiae praestare debere servitium ac eadem obsequia, quae consueverant, antequam nobilioribus decorarentur Insigniis. Atqui usque adhuc in illa solemni supplicatione casulam gestarunt supra albam, quam Camicem dicunt, haud licet nunc antiquum deserere morem et albae substituere rocchettum, quod indumenti genus ex novo privilegio deferendum ab ipsis dumtaxat est sub cappa seu mozzetta. Portionarii quippe distinguendi sunt a Canonicis, quibus datum est sacra Indumenta vel in processiene SSmi Corporis Christi vel in assistentiis Episcopo pontificaliter celebranti rocchetto superimponere.

Jure igitur a S. C. responsum fuit: *Negative,* videlicet, quod, licet Portionarii in solemni processione SSmi Corporis Christi servare possint consuetudinem incedendi cum casula, debent tamen subtus albam adhibere non autem rocchettum, ut a Canonicis distinguantur.

Ad dubium: An Capellani seu simpliciter participantes in processionibus,

veluti si essent Canonici, possint supra rocchettum assumere planetam et tunicellam?

Et Emi et Rmi PP. . . . rescribendum censuerunt: „Affirmative si rocchetti usum habeant, et nullus alius Clerus dignior ad processionem accedat."

N. 5167 ad 1 die 10. Jan. 1852.

Dum Rmus Syracusan. Archiep. perspexit usum inter Clerum sibi commissum vigentem, videlicet accedendi ad solemnem supplicationem Corporis Chr. cum s. vestibus, nimirum *casula, stola et manipulo,* illico deprehendit id omnino adversari eccles. sanctionibus ac Caeremoniali Episcoporum. Verum ad evitandas contraversias maluit S. hanc C. R. humillimis adire precibus enixeque rogare, ut declarare dignaretur: num in pervetusta ac pene immemorabili exposita consuetudine Clerum ipsum relinquere possit vel potius eumdem adigere debeat ad assumendam casulam tantum absque stola et manipulo?

Et S. ipsa C. ad Quirinale in hodierno ordinario coetu coadunata, post auditam a Secretario fidelem relationem et diligens super expositis institutum examen, rescribendum censuit: „Quoad usum stolae in casu relinqui posse arbitrio ex consuetudine, albam permittendam Beneficiatis, non Canonicis, qui uti debent rocchetto et casula, manipulum vero omnino inhibendum juxta rubricas."

Atque ita rescripsit. n. 5136 die 22. Jul. 1848.

10) Clerus parat. quo loco incedit?

Episcopus locum assignet Seminario et reliquis Clero Cathedralis Ecclesiae sine paramentis praecedentibus ante omnes, qui sacris paramentis induti sunt. n. 2094 die 15. Jan. 1661.

11) Clerus regular. quo ord. incedit inter sese?

Vd.: *Processio* (Clerus saecul.).

Fratres Dominicani, Franciscani etc. in processionibus procedant, ut Ordines ipsi inter se minime confundantur, sed unus ab alio separatus et singulorum ordinum fratres bini cum omni decentia . . . incedant. De praecedentia observanda fel. rec. Gregorii XIII. Constitutio, edita 15. Jul. 1583, quae incipit: *Exposcit videlicet,* ut ii praecedant, qui alias in quasi possessione seu jure praecedentiae illic fuerint; si vero non constet de hac quasi possessione, tunc ii praecedant, qui antiquiores illo in loco sunt. n. 54 die 5. Julii 1593.

Praecedentiam debere fratribus Coelestinis tanquam antiquioribus Mantuae ad formam Constitutionis Gregorii XIII., non obstante allegata per Camaldulenses (sed non bene probata) possessione praecedendi. n. 2388 die 15. Jan. 1667.

Priores in loco debent praecedere. n. 193 die 23. Maii 1603.

Praecedentiam dandam esse secundum usum universalem, ut scilicet Religiones minus dignae praecedant et digniores postea subsequantur. n. 219 die 15. Nov. 1603.

Orta controversia inter Fratres Conventuales s. Francisci et Fratres Observantes ejusdem Ordinis S. R. C. resp.: Servandam esse Bullam Gregorii PP. XIII., ut illi praecedant, qui prius habuerunt locum seu Conventum in dicta civitate Tuscanellae. n. 381 die 14. Jun. 1608; n. 484 die 1. Mart. 1614.

Constitutionem *Gregorianam* ubique terrarum servandam esse, non obstantibus Brevibus S. M. Urbani VIII. de die 9. Jan. 1630*), 10. Junii 1643

---

*) Vd. Bullar. magn. rom. t. V. p. 193, ubi est decr. Urbani VIII. (ed. Luxemb. 1727).

et 20. Apr. 1644. n. 1575 die 15. Dec. 1646.

Praecedentiam competere Capuccinis uti antiquioribus in loco Rossanen. n. 1997 die 19. Julii 1659.

Posse fratres Capuccinos in civitate Salernitana portare propriam Crucem in publicis processionibus et sub ea incedere, dummodo incedant in primo et novissimo loco inter Religiosos et Regulares, qui hodie in ea civitate habent locum seu Monasterium et in ea faciunt residentiam. n. 522 die 30. Apr. 1616.

Praecedentiam dandam esse Ordini, qui prius in loco Monasterium habuit, et non tantum illi Monasterio, ita ut per fundationem primi Monasterii in illo loco acquiratur anterioritas cuilibet Monasterio posterius fundato ejusdem Ordinis; idem quoque servandum, quando Praecedentia competit ex quasi possessione et jure procedendi in terminis Constitutionis Greg. XIII., quae incipit: *Exposcit Pastoralis etc.*, et quando concurrunt ad processiones publicas et privatas, omnes ejusdem Ordinis fratres unitim et non divisim debere procedere, ita ut post Crucem fratres strictioris observantiae immediate incedant discalceati seu recollecti vel reformati uniti et post illos fratres de observantia dicti, si juxta regularia Ordinis statuta vel ex quasi possessione et jure praecedendi Praecedentiam habent; alioquin in Praecedentia servetur et inter ejusdem Ordinis fratres anterioritas fundationis Monasterii cujusque, neque Monasteria alterius Ordinis debere neque posse impedire frui dicto jure Praecedentiae, neque ordinem incedendi pervertere. n. 542 die 3. Junii 1617.

SS. CC. Rit., Ep. et Reg. decreverunt, constit. Gregorian. et Breve Urbani VIII. in dicto Bullario p. 301. t. V. contentum esse servand.

Praelationem non ab antiquitate erectionis conventus, sed ab incolatu familiae cujuscunque Ordinis desumendam esse et propterea in civitate Sucerin. fratribus Minor. Observ. uti antiquioribus in loco controversiae Praecedentiam super Reformatos Luceriae deberi. n. 1894 die 8. Junii 1658.

Attendendum esse jus commune, quod Monachis semper et ubique supra Mendicantes tribuit praecedentiam. n. 571 die 23. Martii 1619.

Praecedentiam semper dandam esse fratribus Minor. Observ. Reformatorum ante alios Regulares civitatis Salernitanae, sive dicti fratres soli per se et sub propria Cruce Minorum Observ. processionaliter sive in funeribus incedant, et ita servari ubique. n. 838 die 10. Decbr. 1629.

Praecedentiam in concursu cum aliis Regularibus in processionibus et aliis actibus publicis semper competere dictis fratribus discalceatis Ord. Minor. s. Francisci, sive soli per se et sub propria Cruce sive cum Cruce et familia de Observantia incedant et sive Discalceati, Reformati aut alio quovis nomine nuncupentur, dummodo sint dicti Reformati Ordinis s. Francisci, necnon frui et gaudere debere omnibus aliis praerogativis in Bulla Clementis VIII. *) expressis et ita in posterum ubique servari. n. 841 die 22. Decbr. 1629. **)

Ordinarium componere debere lites Praecedentiae inter Regulares omni appelatione remota ad tenorem Conc. Trid. sess. 25. de Regul. et Monial. c. 3. Ideoque posse etiam poenis et

*) Hanc Bullam vd. in Bull. r. t. III. p. 17, 81.

**) Hoc decretum confirmatum est ab Urbano PP. VIII. per Breve de die 9. Jan. 1630. (Vd. Bullar. magn. rom. tom. V. p. 193. Luxemb. 1727.)

censuris ecclesiasticis ad executionem decretorum super his editorum Regulares compellere. n. 3331 ad 6 die 15. Maii 1694.

Si PP. Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii Mechoacanen. interveniunt supplicationibus, debent praecedere Regularibus. n. 4347 ad 3 die 21. Jan. 1796.

Ad dubium I.: An in processionibus tam ordinariis quam extraordinariis praecedere debeant Fratres Minor. Observantes seu potius Fratres Minor. Conventuales in casu etc.?

Ad dubium II.: An in processionibus aliisque functionibus, quoties Fratres Minores de Observantia non accedunt, praecedere debeant Minores Reformati seu potius Conventuales in casu etc.?

Ad dubium III.: An in processionibus, quoties Capuccini soli sub propria Cruce accedunt absque interventu Patrum Conventualium, praecedere debeant iidem Capuccini seu potius Fratres tertii Ordinis s. Francisci in casu etc.?

Et Emi et Rmi PP.... rescribendum censuerunt

Ad dubium I.: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Ad dubium II.: „Dilata, et scribat alter Magister Caeremoniarum."

Ad dubium III.: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam."

N. 5222 die 16. Febr. 1856. (Vd. infra decr. n. 5229.)

De Observantia et Capuccinorum.

Praecedentiae jus publicis in supplicationibus licet saepe apostolicis temperatum Constitutionibus et crebris S. R. Decretis praefinitum, sicuti semper uberem controversiis suppeditavit, sic novam in praesentiarum praebet disceptandi materiam Fratribus Ordinis Min. s. Franc. Capuc., degentibus in Pago Rutiliani Conversanensis dioecesis et Fratribus Min. de Observantia duobus passuum millibus inde dissitis. Capuccini jus praecedendi sibi asserunt tum quod antiquiores ibi sint coenobii fundatione, tum quod publicis in supplicationibus, ad quas tenentur accedere, semper obtinuerint priorem a Capitulo locum. Observantes autem lege ob distantiam non adstricti intervenire; quando vero illis supplicationibus se jungere velint, sicut accidit piaculari anno 1843, idem jus sibi vindicant, tum quod absonum videatur filialem Ordinem anteire illum, a quo originem duxit, tum quod dignior locus Capuccinis assignatus, dum Observantes aberant, nullam ipsorum juri noxam valeat irrogare. Controversia isthaec ad episcopalem Curiam primitus ventilata, quum per Decretum emissum jus fuerit Observantibus attributum, ab hac sententia appellationem ad SS. Capuccini interposuere, datisque precibus penes S. R. C., citata dein parte coram R. P. D. ejusdem a Secretis, sequens fuit Dubium per deputatos Defensores concordatum: *An et cui competat Praecedentia in supplicationibus et in casu praesenti?* Proposito propterea eodem Dubio in Ordinariis S. R. Comitiis ad Quirinales Aedes subscripta die ab Emo et Rmo Dom. Card. Carolo Acton Relatore designato, S. Congreg. visis matureque libratis juribus hinc inde deductis, utraque parte plenius informante ac respondente omnibusque videndis rite consideratis rescribendum censuit: „Praecedentiam in casu competere Fratribus Ord. Min. s. Franc. de Observantia."

Atque ita decrevit ac servari mandavit. n. 5062 die 27. Febr. 1847.

Quum S. R. C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum habito XIV. Kal. Martii

vertentis anni in causa *Assisien. Declarationis dubiorum* proposita ab Emo et Rmo D. Cardinali Ludovico Altieri Ponente supersederit a judicio suo ferendo super sequenti dubio, quod in Positione illa num. 2. distinctum erat, nimirum: „An in processionibus aliisque functionibus, quoties Fratres Minores de Observantia non accedunt, praecedere debeant Minores Reformati seu potius Conventuales in casu etc.“ rescriptumque prodierit „Dilata, et scribat alter Magister Caeremoniarum:“ ad mentem S. C. delectus alter ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris Votum suum confecit typisque mandavit.

In novis itaque S. R. C. Comitiis hodierna die ad Vaticanum pariter coadunatis per eumdem Emum et Rmum Dom. Card. Altieri Relatorem iterum proposita causa: S. eadem C. omnibus accurate perpensis rescribere rata est: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, id est, Reformatos, licet soli et sub propria Cruce supplicationibus aliisque publicis functionibus accedant, eadem frui debere Praecedentia, quae Observantibus competit.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 24. Maii 1856.

Super quibus facta postmodum per subscriptum Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX. relatione, S. S. Rescriptum S. C. ratum habuit et confirmavit mandavitque ut super dubiis omnibus in hac causa a S. C. definitis tum 14. Kal. Martii vertentis anni tum 9. Kal. Junii anno eodem pro diversis s. Francisci familiis Assisii commorantibus expediantur literae apostolicae in forma Brevis. n. 5229 die 29. iisdem mense et anno. *Vd. supra decr. n. 5222.*

Gregorius PP. XIII.

Exposcit pastoralis Officii munus, ut ad ea sollicite intendamus, per quae discordiarum et litium materia tollatur . . . .

Apost. auctoritate decernimus, quod, quicunque ex ffr. Mendicantibus inter se de praecedentia contendentibus aut Confratribus Confraternitatum, inter quos lites et causae de praecedentia ortae jam sint seu oriri contigerit in futurum, qui in quasipossessione praecedentiae ac juris praecedendi sunt, ii (quibuscunque reclamationibus, protestationibus, appellationibus et aliis subterfugiis remotis et cessantibus et postpositis) in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur aut non constet de quasipossessione hujusmodi praecedentiae, inter FF. quidem Mendicantes ii, qui antiquiores in loco controversiae, inter Confratres vero inter se litigantes ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant, ita ut si contigerit nova monasteria aut domus alicujus Ord. Mend. in loco, in quo alterius Ord. ex dictis Mendicantibus monasteria aut domus prius erecta et instituta sint, ille Ordo, qui prius monasterium aut domum in loco habuerit, praecedat.

Praeterea, quia inter praedictos Ordines plerumque alia in processionibus et alia in Conciliis general. et aliis actibus publ. sive privatis ratio circa modum praecedendi servatur, volumus per praesentes praerogativis dictorum Ordinum quoad praecedentias hujusmodi, quae propriis Ordinibus praeterquam in process. praedictis debentur, aut FF. Capuccinis nuncupatis, qui in process. publicis sub Conventualium s. Francisci aut Minorum de Observantia Fratrum nuncupatorum Cruce, ut solent, incedere possint, aliquod praejudicium generari.

Sicque per quoscunque Judices et Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet

quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac quidquid secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus . . . .

Quibuscunque non obstantibus . . .

Datum Romae die 15. Julii 1583.

(Bull. r. t. X. p. 162.)

Cusentina.

Publicis in supplicationibus, cadaverum associatione aliisque ecclesiasticis functionibus dum praecedentibus aevis interfuere Alumni Ordinis Minorum s. Francisci Capuccinorum in civitate Cusentina una cum Alumnis Ordinis Min. de Observ. Reformatorum, praecedentiam super Reformatos sibi jure vindicarunt juxta sancitas leges a s. m. Gregorio Papa XIII. per Bullam: „*Exposcit Pastoralis*", editam 8. Kal. sextiles anno 1583 aliamque Urbani Pap. VIII., quae incipit: „*Nuper pro parte*", publicique juris factam 15. Kal. Jan. anno 1637.

Quum autem ob temporum calamitates aliquantisper coenobio cedere debuissent Capuccini, post eorum reditum, occasione capta Patres Reformati vindicare sibi autumarunt jus praecedendi in iisdem functionibus ob quasipossesionem. Quaestione autem inter utramque partem circa ipsam praecedentiam exorta, dum illam privatim et amicabiliter, ut par erat, componere datum non fuit, S. R. C. adivit R. P. Thomas a Treia Reformatorum Ordinis Procurator generalis, atque in causam ac judicium evocavit R. P. Fr. Cherubinum a Mormanno Capuccinorum Ordinis Procuratorem itidem Generalem, et coram R. P. D. Secretario concordato sequenti dubio: „An et cui competat praecedentia publicis in processionibus, cadaverum associatione aliisque publicis functionibus in casu?" ipsam S. C. humillime rogavit pro solutione. Emi vero ac Rmi P. S. Ritibus tuendis praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, ad relationem Emi et Emi P. S. Ritibus tuendis praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Joannis Francisci Marco-y-Catalan Ponentis, omnibus mature riteque perpensis consideratisque rationibus monumentisque hinc inde productis, rescribendum censuerunt: „Affirmative in omnibus, et praecedentiam dandam esse Patribus Ordinis Capuccinorum."

Atque ita rescripserunt et in casu servandum esse mandarunt die 8. Aug. 1835 n. 4756.

Vd. *Constit. Bened. XIII. 14. Febr. 1726*, qua ubique terrarum praecedentia gaudere jubentur FF. Min. Ord. s. Franc. tam in processionibus quam in aliis publicis et privatis actibus et functionibus super omnes FF. Reformatos Ministro gen. totius Ord. subjectos.

(Bull. r. t. X. p. 282.)

Praecedentiam Fratrum Praedicatorum quoad alios Fratres Mendicantes et etiam non Mendicantes post Clerum Saecularem et antiquos Ordines Monachales statuit S. Pii V. Constitutio 75. incip.: *Divina*. 27. Augusti 1578.

Praecedentiam Monachis semper et ubique tribuere debent Fratres Mendicantes. S. C. R. in Monopolitana 23. Martii 1619.

Praecedentiam habent Fratres Min. s. Franc. de Observ. ante Fratres Min. Conventuales, Leon. X. Constitutio 26. incip.: *Licet*, 7. Dec. 1517, apud Laert. Cherub. in Bullar. t. 1. p. 520. alias p. 423. in noviss. impress.

Praecedentia inter Fratres etiam Observantes et Tertiarios s. Franc. servatur juxta Bullam Gregorii XIII., ut ii praeferantur, qui prius in loco Controversiae Monasterium et locum obtinuerunt. S. R. C. causa Montis Feltri 3. Oct. 1613 et in Cosentina 1. Mart. 1614 et in Terracina 3. Sept. ejusdem anni, et in Rossanen. Terrae novae 14. Febr. 1615.

Praecedentia inter Regulares utriusque sexus incipit *a die professionis, non habitus*, non obstante quolibet praetextu et contraria consuetudine. Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Ravennatensi 12. Sept. 1588, in Augustinian. Lombardiae 7. Jan. 1650 et in alia Observantium 21. Aug. 1654.

Si duo profiterentur eodem prorsus temporis momento et eodem quoque tempore fuissent vestiti, data paritate professionis, praecedit qui prius acceptatus fuit, licet in eodem capitulo. S. C. Episcop. et Regul. in Assisiensi 13. Martii 1603 apud *Nicol.* l. c. sub num. 15.

Etiamsi professio facta fuisset in alio Monasterio. S. C. Episcop. et Regul. in Mexicana 3. Jan. 1594 apud *Nicol.* l. c. sub num. 15.

Licet quis vellet cedere juri suo. S. C. Ep. et Regul. in Assis. 30. Oct. 1600 apud *Nicol.* l. c. sub num. 15.

Non obstante qualibet contraria consuetudine, quae declaratur abusus. S. C. Ep. et Regul. in Neapol. 23. Nov. 1592, in Anconitana 14. Junii 1595 apud *Nicol.* l. c. sub num. 15.

Qui professionem nulliter emissam ratificavit, nonnisi a tempore ratificatae professionis praecedentiam metitur, prout declaravit et censuit S. C. Conc. 1. Octbr. 1672 in dubio praecedentiae. Quod decretum refert Card. *Petra* in comment. ad Constit. apostol. tom. 4. circa Constit. 8. Eugen. IV. sub num. 17.

Ex gratia concessa fuit praecedentia a S. Congregatione a die completi anni novitiatus, dum per novitium non steterat, quominus professionem emitteret. S. C. Ep. et Regul. in una Vallisumbrosian. 14. Nov. 1657 et in una Augustinian. 24. Julii 1654 apud *Nicol.* l. c. sub num. 17.

Praecedentia in professis ante tempus bona fide incipit a fine 16. annorum. S. C. Ep. et Regul. in una Basilianensium 13. Novbr. 1647 apud *Nicol.* l. c. sub num. 16.

In Laicis factis Clericis per Breve incipit a die professionis clericalis. S. C. Ep. et Regul. 26. Febr. 1649 apud *Nicol.* l. c. num. 16. et *Lantusch* Theatro Reg. verb: *Paecedentia* n. 3., ubi affert decretum ad literam.

In novitiis, durante novitiatu, praecedentia praesumitur a die habitus. S. C. Ep. et Reg. in Forosempronien. 1. Jan. 1601 apud *Nicol.* l. c. n. 17.

Novitii Clerici in Ordine Minor. de Observ. et Reformatorum non praecedunt Laicos Professos. Sic S. C. Ep. et Regul. 8. Augusti 1663 apud *Lantusch* in Theatro Regular. verb.: *Praecedentia* n. 1. his verbis: „Sacra Congreg. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Ep. et Regular. proposita, audito Commissario generali Ordinis hujusmodi, statuit atque decrevit, dictis novitiis quousqne professionem emiserint, tam in publicis quam in privatis functionibus ultimum locum deberi.“ Romae 8. Aug. 1653. M. Card. Ginettus H. Archiep. Patracen. Secretarius, et refert etiam *Matthaeucc.* l. c. n. 10. Quoad Novitios tamen Minimorum refert *Pignatell.* tom. 10. consult. 56. n. 8 et 9., quod relata in S. R. Congr. per Card. Franciottum controversia a Fratribus Conversis et Oblatis Professis Ordinis Minimorum excitata, ex quo ipsi praecedentiam sibi deberi praesumerent supra Novitios Clericos, qui nondum professionem

emiserant: „Eminentissimi Domini, visis ac mature perpensis partium juribus, censuerunt, praecedentiam deberi Novitiis Clericis supra Laicos juxta dispositionem juris communis et constitutiones editas a Capitulis generalibus Romano et Massiliensi, et ita ubique et in toto Orbe servandum esse mandarunt sub poenis in contravenientes vel non acquiescentes per regulae constitutiones decretis aliisque arbitrio Sacrae Congregationis. Die 23. Sept. 1615. Julius Episcopus Sabinensis Cardinalis Sachetus. Franciscus Maria Phebaeus Congregationis S. R. Secretarius.“

Clerici et choristae praecedunt conversis, licet professione antiquioribus: S. C. Episc. et Regul. in Fulginaten. 19. Oct. 1622 apud *Nicol.* in Flosculis verb.: *Praecedentia* sub num. 15. Et expresse Urbanus VIII. in suo Brevi incipiente: *Cum sicut*, in quo sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda prohibetur, ne Laici Ordinis Minorum, etiam ratione antiquioris receptionis ad habitum vel professionis primo emissae, Clericos, tam in publicis quam in privatis ejusdem Ordinis functionibus praecedere audeant. Qua censura ligantur quoque Superiores id permittentes. Vide apud *Lantusch.* in Theatro Regular. verb.: *Praecedentia* n. 2., ubi per extensum refert totum dict. Urb. VIII. Breve datum 16. Nov. 1642.

Clerici Religionis ministrantium infirmis in quibusvis actibus Laicis ejusdem Ordinis etiam antiquioribus professione praeferuntur, ut expresse statuit Alexander VII. in suo Brevi incip.: *Alias emanavit*, dat. 5. Decbr. 1662 relat. per extensum a *Lantuscha* in additione ad Theatrum Regul. verb.: *Praecedentia* n. 2. S. C. Ep. et Reg. die 6. Octbr. 1635 his verbis: „Sacra Congreg. censuit servandas esse literas Gregorii XIII. et Urbani VIII. ea de re editas, ut qui sunt in possessione praecedentiae, praecedant, et ubi non constat de possessione, praecedant ii, qui sunt antiquiores in loco controversiae, et ita ab his, ad quod spectat, servari mandat et praecipit.“

Caeterum ubi est consuetudo, quod Regulares praecedant inter se, ratio originis religionis et non fundationis Conventus, est servanda, ut respondit S. C. Episcop. et Regul. in Forolivien. 23. Febr. 1693. Item dicta Constitutio comprehendit etiam Monachos, nempe quod Monachi praecedant inter se secundum ordinem praescriptum in Bulla Gregorii XIII. incip.: *Exposcit*, et adducta supra p. 783. Sic S. C. Rit. in Saxoferat. Nucerinae dioec. 19. Maii 1614 et in alia causa Monachorum 29. Novbr. 1618 et idem pluries declaravit S. C. Ep. et Regul., ut referunt *Pignatell.* l. c. n. 22. et *Barb.* lib. 1. Juris ecclesiast. univ. c. 43 a. n. 183., ubi varias ejudem Congreg. in casibus occurrentibus datas declarationes ad literam adducit.

Salernitana Praecedentiae.

Orta alias controversia inter Fratres Reformatos ex una et nonnullos Regulares civitatis Salernitanae partibus ex altera, de et super praecedendi jure in publicis processionibus ac funeralibus, quando Reformati non incedunt cum familia Min. Observ., S. R. Congr. die 10. Dec. 1629 respondit: Praecedentiam semper dandam esse Fratribus Reformatis, sive soli per se et sub propria Cruce, sive cum familia et sub Cruce Minor. Observ. processionaliter sive in funeribus incedunt, et ita ubique servari mandavit. Cui Decreto non acquiescunt Patres s. Augustini, b. Mariae de Carmelo, s. Francisci de Paula et b. Petri de Pisis et b. Joannis Dei litis consortes.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R.

E. Card. Sacris Ritibus Praepositorum in causa praecedentiae inter dilectos filios Fratres Provinciae S. Didaci novae Hispaniae in Indiis Ordinis Minorum S. Francisci de Observ. Discalceatorum nuncupatorum ex una, et Fratres Provinciae SS. Nominis Jesu Ordinis Eremitarum S. Augustini ex altera partibus, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: *Mexicana praecedentiae.* Cum sub die 13. Martii proxime effluxi in causa Praecedentiae inter Patres Discalceatos strictioris Observantiae S. Francisci Provinciae S. Didaci ex una, et Patres Augustinianos Provinciae SS. Nominis Jesu ex altera partibus, super executione Decretorum S. R. Congregationis diversis temporibus ad favorem eorumdem Patrum Discalceatorum S. Franc. alias editorum et signanter lati sub die 3. Junii 1676 et per literas in forma Brevis datas 19. Junii ejusdem anni a san. mem. Clem. PP. X. approbati ac confirmati in regno Mexicano ultimo loco agitata,

S. eadem R. Congreg. super infrascripto dubio ab Emo et Rmo Dom. Cardinali Petruccio relato, videlicet: An Fratribus Discalceatis strictioris Observantiae Ordinis S. Francisci, non solum processionibus solis et sub propria Cruce, sed etiam in concionibus, disputationibus, concurrentia Praelatorum aliisque actibus, tam publicis quam privatis, interveniente vel non interveniente familia de Observantia, competat praecedentia supra Fratres S. Augustini, tam in voce quam in scriptis, partibus acerrime informantibus auditis, reponderit: in casu, de quo agitur, praecedentiam competere Patribus Discalceatis S. Francisci, ac amplius dubium proponi vetuerit, et nihilominus non acquiescentes Patres Augustiniani institerint praeter ordinem pro declaratione supradicti rescripti, S. eadem Rit. Congreg. die 8. Maii currentis 1700 Partibus auditis, referente Emo et Rmo Cardinali Petruccio, respondit: Fratres Augustiniani pareant et perpetuo acquiescant, et ita decrevit et servari ac exequi mandavit.

Alderanus Card. Cibo.

Cum autem, sicut dilectus pariter filius Josephus Montoro praedicti Ordinis Fratrum de Observantia Discalceatorum Professor et Sacrae Theologiae Lector necnon Tribunalis Sacr. Inquisitionis Qualificator ac dictae Provinciae S. Didaci Custos et Procurator, nomine dilectorum etiam Filiorum, Ministri Provincialis et Definitorum ejusdem Provinciae Nobis subinde exponi fecit, ipse, Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri perpetuumque desuper Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini supradictis silentium imponi ac tandem ejusmodi diuturnam controversiam finiri summopere desideret, Nos ipsis etc. supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus ac perpetuum praedictis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini silentium super praemissis imponimus. Decernentes etc. sicque etc. irritum etc. non obstantibus etc.

Romae 4. Junii 1700.

Regulares succedentes de recenti in Conventum eis cessum ab aliis Religiosis ejusdem Ordinis gaudent Praecedentia, qua super alios gaudebant Religiosi primo ipsum inhabitantes. Sic late probant *Ursaya* t. 2. part. 3. discept. 11. per tot. referens plures Rotae decisiones et decreta S. R. C. et signanter decretum ema-

natum per viam legis die 17. Junii 1627 relat. ibi n. 24. sub his verbis: „Procurator enim M. O. R. narrat eidem S. Congreg. Fratres Observantes Reformatos pati controversiam circa praecedentiam quasi nuper adscitos in civitate. Cum tamen ingressi sint et habitent in Monasteriis familiae, ideo supplicavit provideri, et S. C. R., referente Card. Millino, mandavit dari omnino praecedentiam dictis Reformatis." Et concordat *Pignatell.* t. 4. consult. 19. num. 13., ubi, postquam probavit, quod, quando antiquior Conventus conceditur aliis Regularibus, in istos transferuntur omnes praerogativae antiqui Conventus, ait: Et in hac specie admisit S. C. R. declarando praecedentiam deberi Fratribus Minor. strictioris Observantiae ratione Conventuum eisdem cessorum per Fratres Minores Observantes.

Religiosi diversorum Conventuum ejusdem Ordinis praecedunt inter se juxta auctoritate Conventuum, quando quilibet Conventus errigit propriam Crucem juxta decretum S. Congr. Rit. adduct. supra num. 48. Et sic Rota 21. Aprilis 1690 in dict. Hispalen. Praecedentiae coram Emerix Decano §: Neque.

Regulares Conventus conatu seu violentia Turcarum vel Haereticorum aut hostili furore suppressi et postea ipsis restituti, gaudent pristina praecedentia et recuperant omnia primaeva jura; sic enim in facti contingentia fuit resolutum a S. R. C. die 6. Dec. 1645 in Augustana praecedentiae inter Minores Conventuales, quorum Conventus fuerat ab Haereticis Lutheranis Augustae suppressus, et Fratres Min. de Observ., qui post Conventualium expulsionem Conventum in dicta civitate obtinuerant. Et fuit decretum: Praecedentiam tam in processionibus publicis quam in eis, quae fiunt in tumulandis cadaveribus defunctorum et in sessionibus aliisque similibus, deberi Conventualibus postea restitutis. Et quidem merito, quia cum dictus Conventus fuerit injuste et violenter oppressus, nunquam Conventuales fuerunt privati sua legitima possessione praecedendi, licet per aliquod tempus caruerint exercitio, adeoque ex capite justitiae illam recuperare potuerunt; l. Final. Cod.: *Si per vim,* et l. Clam possidere §.: *Qui ad nundinas, ff. de acquirend. vel omittend. possess.* In similibus enim casibus redintegratio retrotrahitur ad tempus primae erectionis, cum currat in istis natura Postliminii, quod rem in pristinum statum reponit, ut patet ex dictis verb.: Postliminium per tot. et signanter n. 7., ubi Pat. Joannes Cheron Provincialis Carmelitarum a Turcis captus et postea liberatus, et decreto S. C. Episcop. et Regular. fuit manutentus in possessione sui Provincialatus, cassata alterius Provincialis electione. Et sic tenet Rota coram Merlino decis. 302. n. 2., *Pignatell.* tom. 9. consult. 183. n. 12.; *Menoch.* de recuperand. possess. remed. 10. n. 111.; *Gratian.* discept. 1545. n. 9. et seq.; *Sapon.* discept. 345. tom. 5. et alii passim.

Secus autem si fuerit motu proprio Papae suppressus et postea ex mera gratia a sancta sede restitutus; tunc enim praecedentia in processionibus et aliis actibus debetur Regularibus praeexistentibus, quia talis restitutio habetur pro nova fundatione. Sic S. R. C. in Senogallien. 21. Jan. et 1. Sept. 1696 apud *Monacell.* part. 1. tit. 6. formul. 19. n. 14. Nisi restitutio fiat plenarie quod omnia, de quo textus in cap.: *Quamvis 8. de rescriptis in 6.;* alias nequaquam, ut ibi in litera: „Cum talis restitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri sine juris praejudicio alieni." Quia, licet dicti Regulares sint primi ratione Conventus, ad quem restituti

fuerunt, sunt tamen secundi respectu ad restitutionem et novam gratiam, adeoque, nisi Pontifex in literis restitutionis expresserit eos restituere etiam quoad praecedentiam, non possunt praecedentiam praetendere, ut ponderat gloss. in cit. cap.: *Quamvis, vero praesupponatur in fine*, ibi: „Nisi aliud Papa diceret in restitutione, videlicet, quod me restituit ad datam et prioritatem temporis, et vult gratiam meam valere perinde ac si revocata non fuisset, etiam quoad prioritatem temporis.“ *Pignatell.* tom. 9. consult. 183. n. 10. et seq. et alii passim.

12) Clerus Reg. post Confraternit.

Regulares in processionibus incedunt post Confraternitates Laicorum et post eos in digniore loco Clerus Saecularis. S. C. R. in Messanen. 7. Aug. 1621.

Vd.: *Confratern.* (praeced.); *Process.* (Clerus ante Laicos).

13) Clerus Regul. ante Cler. Saecular.

Praecedentia semper debetur Clero Saeculari supra Regulares, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis, cap.: *Alia* 6. caus. 16. quaest. 1. cum similibus. S. C. R. in *Firmana Terrae Sanctae Victoriae* 31. Martii 1618, cujus meminit Joan. Maria Novar. in Lucerna Reg. verb.: Praecedentia n. 4 et 5.

Hinc eadem S. C. R. die 3. Aug. 1601 decrevit et ordinavit, ut in generalibus processionibus Fratres seu Monachi vel Ordines Regulares antecedant, et Presbyteri seu Clerici Saeculares subsequantur et ultimum locum teneant, nec mixtim cum Regularibus incedant, et Clemens VIII. in sua Constit. incip.: Quae ad removendum etc., 5. Nov. 1603 ex voto ejusdem S. Congregationis declaravit, Clerum Saecularem in omnibus locis, etiam in propriis Ecclesiis, Conventibus Patrum, Monachorum et Religiosorum quorumcumque in universo regno Castellae et Legionis praeferendum esse et praecedere debere, quam Clementis VIII. Constitutionem observari mandavit Greg. XV. in sua Constit. incip.: *Alias a felicis etc.* die 3. Aug. 1622.

Regulares in processionibus debent Clerum Saecularem anteire necnon cum Clero Saeculari mixti incedere valent. S. R. C. in causa Castellae et Legionis 30. Augusti 1592 et in Legionen. 24. Sept. 1605 et in Neapolitana 7. Julii 1612.

Regulares non possunt praetendere praecedentiam super Parochum Regularem, quando inter alios Parochos procedit in processionibus. S. R. C. in Asten. 23. Novbr. 1602 apud *Sellium* cap. 25. n. 18., et *Barbosa* in Summa apost. decis. verb.: Regular. quoad Praeced. n. 8.

Regulares debent locum digniorem in processionibus cedere Clero Saeculari, licet Prior Regularium deferat in processione reliquiam. S. R. C. in Senogallien. Montis Rodii 24. Septbr. 1605 et 23. Jan. 1610, apud *Barbosam* l. c. n. 9.

Praecedentia supra Clerum Saecularem debetur solis Regularibus paratis deferentibus in processione reliquias, non tamen caeteris non paratis. S. C. Episcop. in Juvenacen. 4. Septembris 1693 apud *Monacell.* tom. 1. tit. 5. num. 32.

Regulares omnes in processionibus ante Clerum Saecularem distincte ac separatim ab eodem Clero, debito inter se ordine servato, sub suis Crucibus incedere debere. n. 90 die 29. Nov. 1595; n. 671 die 28. Martii 1626; n. 4373 die 15. Martii 1774.

Fratres Dominicanos etc. cogendos esse, ut scilicet ad omnes processiones generales, ad quas de consuetudine vel juxta formam Concilii Tri-

dentini accedere debent, accedant et in loco decenti ante Clerum Saecularem singuli sub sua Cruce et non mixti cum dicto Clero Saeculari incedant. n. 280 die 24. Sept. 1605; n. 644 die 18. Julii 1626.

Exorta controversia S. C. resp.: Praecedentiam deberi Capellanis Saecularibus s. Crucis supra Monachos Cassinenses. n. 1833 die 4. Augusti 1657.

In omni loco etiam in propriis Ecclesiis et Conventibus Fratrum, Monachorum et Religiosorum quorumcumque in universo regno Castiliae Clerum Saecularem eisdem Fratribus praeferendum esse. n. 213 die 6. Septbr. 1603.

Praecedentiam omnino Clero saeculari supra Monachos, Fratres seu Religiosos quoscunque in omni loco, etiam in propriis ipsorum Religiosorum Monasteriis ac Ecclesiis deberi. n. 171 die 28. Septembr. 1602; n. 617 die 28. Martii 1626.

Clero saeculari semper et quandocunque deberi praecedentiam supra Regulares, non obstante quolibet in contrarium introducta consuetudine. n. 1932 die 28. Sept. 1658.

Regularibus ex quavis consuetudine non competere locum supra Clerum saecularem ac proinde neque cantum 2. antiphonae in Officio defunctorum ante Presbyteros saeculares. n. 2134 die 1. Oct. 1661.

Non esse Clerum regularem miscendum cum Clero saeculari et ideo Abbati de Patientia cum suo Clero convenire in publicis processionibus locum sibi alias assignatum a Vicario gen., ut scilicet incedat cum Clero saeculari immediate post Clerum regularem, cum quo Clero regulari Abbas s. Petri . . . cum suis Canonicis regularibus incedere debet, juxta stylum, consuetudinem et ordinem universalis Ecclesiae civitatis Neapolit. n. 455 die 7. Julii 1612; n. 496 die 5. Oct. 1614.

Non convenire nec esse permittendum, quod Regulares immisceant se cum Saecularibus in publicis processionibus. n. 1069 die 10. Jul. 1638; n. 1076 die 24. Julii 1638.

Canonicos regulares s. Augustini oppidi Tongren. in processionibus deferre debere praecedentiam Clero saeculari. n. 2187 die 2. Septbr. 1662; n. 2383 die 27. Nov. 1666.

Semper et ubique tam in processionibus et actis publ. quam in sessionibus et omni loco *et in propriis Ecclesiis* Regularium praecedentiam dandam esse Clero saeculari supra quoscunque Monachos vel alios Regulares. n. 521 die 12. Martii 1640; n. 1917 die 7. Sept. 1658; n. 3116 die 20. Julii 1686.

Canonicos, Rectores, Presbyteros et Clericos saeculares semper et ubique debere praecedere Regulares, *etsi ex Saecularium indulgentia aut humanitate aut alia forsan ex causa secus aliquando factum fuerit.* n. 554 die 31. Martii 1618.

Confraternitates Laicorum sequantur Regulares, postremo digniorem locum obtineat Clerus saecularis. n. 603 die 7. Aug. 1621.

Clerum regularem cum Clero saeculari non esse miscendum. n. 710 die 25. Sept. 1627.

Priorem s. Augustini Salern. dioecesis in publicis processionibus cedere debere Canonicis et Clero saeculari, non obstante quacunque contraria consuetudine. n. 733 die 27. Mart. 1628.

Regulares *etiam in ipsorum Ecclesiis* omnino dare debere praecedentiam Clero saeculari. n. 745 ad 1 die 12. Junii 1628.

Nullo modo posse Regulares seu Monachos praetendere praecedentiam supra Presbyteros saeculares, *licet forsan ex saecularium indulgentia, hu-*

manitate seu alia quavis ex causa aliter aliquando fuerit servatum. n. 883 die 7. Dec. 1630.

Praecedentiam tam in sedendo quam in processione deberi Sacerdotibus saecularibus et non Quardiano Fratrum Minorum et Priori s. Dominici, quando insimul omnes conveniunt in consecratione Olei s. in Coena D. n. 2281 die 12. Julii 1664.

Congregationi Sacerdotum saecular. Imolen. in associatione Confratrum defunctorum competit praecedentia supra Regulares. n. 3933 ad 1 die 19. Aug. 1719.

Abbati et Monachis Monasterii Abdingoffensis non debetur praecedentia in processione s. Liborii supra Capitulum Cathedral. et univers. Clerum saecul. Paderbornensem tam praesente quam absente Episcopo. n. 4354 ad 1 et 3 die 22. Dec. 1770.

14) Clerus saecularis inter sese.

a) Clerus Capituli Cathedr. ante Clerum Colleg.

Vd.: *Processio* (Clerus eccl. divers. p. 794).

Praecedentia semper debetur Canonicis Ecclesiae Cathedralis supra Canonicos Ecclesiae Collegiatae etiam in associandis funeribus propriae ipsius Collegiatae Parochiae. S. C. Rit. in Praenestina Cavarum 28. Aug. 1618.

Praecedentia in Processionibus et funeralibus danda est Canonicis Ecclesiae Cathedr. S. C. Rit. in Ripana 30. Julii 1616.

b) Clerus totus Cathedr. supra Clerum Colleg. et Paroch.

In processionibus, quae fiunt cum interventu Capituli Cathedralis, praecedentia debetur Beneficiatis ejusdem supra Parochos. S. C. R. in Taurinen. 2. Oct. 1683.

Et licet contrarium decisum reperiatur in alia Bituntina 21. Aug. 1688, in qua praecedentia data fuit Parochis supra Beneficiatos Cathedr., hoc venit, quia Parochi Bituntini habent stallum in choro et sunt de Gremio illius Capituli, ut positive se recognovisse testatur *Monacell.* n. 104.

Vd.: *Processio (Clerus saec. inter se,* Clerus Ecclesiarum divers. p. 794, decr. n. 4, 1893, 2212, 2420, 3610, 358, 387, 418, 252, 5174 et ult. loco *Caer. Episc.); Process. funebr.* (praeced., decr. n. 442, 2420, 1415, 2442); *Paroch.* (praeced., decr. *Brixien.*).

c) Clerus Colleg. supra Parochos.

Canonicis Colleg. supra *Parochum* semper et ubique competit praecedentia etiam in associandis cadaveribus propriae ipsius parochiae. Jus tamen faciendi Officium circa corpus defuncti ad parochum in sua paroch. Ecclesia spectat.

Die 30. Augusti 1602 *Sutrina* et 2. Aug. 1603; 18. Nov. 1606 *Meliten.*

Canonici Colleg. praecedere debent omnibus rectoribus, curatis, plebanis ac presbyteris Ecclesiarum paroch. in publ. processionibus et functionibus etiam synodalibus.

Die 11. Dec. 1613 *Verul.;* 23. Mart. 1619 *Senogall.;*

etiamsi ante erectionem in Collegiatiam mixtim incederent cum dictis rectoribus,

die 20. Dec. 1601 *Syracus.;*

vel inferiores Ecclesiae essent antiquiores et fuissent in quasipossessione praecedendi ante erectionem,

die 26. Junii 1602 *Ilerden.*, ubi dicitur hoc procedere, etiamsi in erectione clausula adsit: „sine praejudicio alicujus."

Nec obstant contrariae declarationes ejusdem S. Congregationis, quae ab aliquibus adducuntur et signanter in

una *s. Angeli Saxiferrati* 24. Octbr. 1609, in *Eugubina* 15. Julii 1624 et in alia *Praenestina Cavarum* 13. Julii 1619, ubi dicitur fuisse declaratum, quod Parochus debeat praecedere Canonicis Collegiatae Ecclesiae in associandis funeribus defunctorum propriae Ecclesiae. Quibus concordare videtur Rituale Rom. tit. de exequiis pag. 150, ubi Parochus in omnibus funeribus praecedit incedendo ante feretrum.

Non obstant, inquam, quia omnes ipsas, quas adducit *Barb.* de offic. et potest. Parochi part. 1. cap. 9. n. 8. solvit infra sub n. 11. praecisis his verbis: „Ad illam *S. Angeli Terrae Saxiferati,* in qua videtur declaratum, illum Presbyterum seu Curatum aut Priorem, qui defert stolam et ad ejus Ecclesiam funus defertur, aliis omnibus praecedere debere, et sic etiam Canonicis Ecclesiae Collegiatae, potest responderi, non loqui de praecedentia, quando funus defertur ad Ecclesiam ejus, qui stolam defert, *sed quando ab eo fit Officium in sua Ecclesia,* in qua praecedentiam habere debet. Ad illam vero *Eugubinam* respondetur: habere locum inter Curatum Cathedralis et Curatum s. Petri Monachorum Olivetanorum, *non autem inter Capitula Collegiatarum.* Ad Rituale Romanum respondetur: habere locum inter Presbyteros ejusdem Ordinis et alios praerogativam non habentes, cujusmodi non sunt Canonici Collegiatarum Ecclesiarum, in quibus terminis loquitur etiam Steph. *Gratian. Discept. Forens. tom. 2. c. 298. num. 83. et tom. 3. c. 492.* Et dico: Parochum debere praecedere ratione Officii, quando est inter pares, non autem quando est inter majores. Item: quod, dum incedit per viam, non videtur exercere Officium, sed sociare una cum aliis.“ Hactenus *Barb.* l. c. n. 11. Et sic pluribus adductis tenet *Panimoll.* dec. 1. adnot. 9. a n. 14 ad 20, ubi multa habet ad rem. Immo Canonici Collegiatae debent praecedere etiam Parocho Ecclesiae Matricis, ut patet ex sequentibus ejusdem S. R. Congreg. allatis a *Pignatell.* tom. 6. cons. 84. sub num. 2., ibi:

I. „An Parochus et Clerici parochiali Ecclesiae Matrici addicti sint praeferendi Capitulo vel Canonicis Collegiatae?“

II. „An Parochus uti Protonotarius possit uti Almutia?“

III. „An Parochus Protonotarius apostolicus possit uti habitu Praelatitio in processionibus et functionibus ecclesiasticis?“

IV. „An Capitulum, quamvis non invitatum, interesse possit generalibus processionibus?“

V. „An Parochus Matricis Ecclesiae possit ad suum libitum inchoare generales processiones, non expectatis Canonicis Collegiatae, vel potius eligenda sit conveniens hora?“

VI. „An decreta alias per dict. S. Congreg. emanata, quod Capitulum Collegiatae in omnibus sit praeferendum Archipresbytero Matricis Ecclesiae, quamvis Archipresbyteratis Ecclesia sit unica Parochialis et Collegiata animarum cura penitus careat, et cum Capitulum invitatum fuerit ad levanda funera, debeant omnes tam Saeculares quam Regulares convenire in Ecclesiam Collegiatam, ut sub unica Cruce Capituli incedant, debent servari etiam in processionibus generalibus, in quibus inceditur etiam sub Cruce parochiali, et nullum afferi potest praejudicium juribus parochialibus et Parocho; et quis debeat facere functiones benedicendi campis et maledicendi animalia, et a quo debeat praescribi et intimari hora hujusmodi processionum?“

VII. „An Archipresbyter in propria parochia assistens tam in Vesperis et

Missis decantatis quam in Concionibus uti possit habitu Protonotarii?"

VIII. „An dum Capitulum fuerit invitatum ad funus et illud renuat parochus levare, possit idem Capitulum ab haeredibus requisitum illud levare, praevia tamen protestatione parocho facienda?"

IX. „An Capitulum Collegiatae, dum non habet jus funerandi et corpus est sepeliendum in ejus Ecclesia ex electione Defuncti, possit erigere Crucem intra limites parochiae, cujus jurisdictio et territorium spectat ad Archipresbyterum?"

X. „An Officium faciendum in Ecclesia Archipresbyterali circa funus ad eamdem delatum pro sepultura spectet ad Archipresbyterum, et Capitulum, postquam illud associavit ad portam Ecclesiae, teneatur recedere?"

XI. „An Officium faciendum in Collegiata circa funus ad eandem delatum pro sepultura spectet ad parochum vel potius ad dignitatem Collegiatae?"

S. R. C. anno 1666 mense Augusti respondet

Ad I.: „Capitulum et Canonicos parocho Matricis Ecclesiae in omnibus esse praeferendos."

Ad II. „Non posse."

Ad III. „Non posse uti habitu praelatitio in processionibus ecclesiasticis."

Ad IV. „Non solum posse, sed etiam esse laudandum."

Ad V. „Non posse, sed spectare ad Collegiatam; et indicenda est hora conveniens."

Ad VI. „Affirmative; et functiones benedicendi spectare ad parochum et hora debet praescribi et intimari a prima dignitate Collegiatae."

Ad VII. „Posse."

Ad VIII. „Posse, requisito et expectato parocho et renuente venire."

Ad IX. „Posse."

Ad X. „Spectare ad Archipresbyterum, Capitulum vero posse expectare vel recedere."

Ad XI. „Spectare ad dignitatem uti in propria Ecclesia."

Vd.: *Processio* (Clerus ecclesiar. divers. decr. n. 480; 568.).

Praecedentia debetur Canonicis Ecclesiae Collegiatae supra Collegium parochorum et aliorum presbyterorum etiam ipsius Civitatis, dum occasione Synodi vel alterius similis causae simul conveniunt. S. C. R. in Faventina Brisiguellae 12. Mart. 1616.

Canonici Collegiatae capitulariter incedentes in omnibus sunt praeferendi parochis et etiam parocho Ecclesiae Matricis. S. R. C. anno 1666 mense Augusti in respons. ad 1. dub. apud Pignatell. tom. 6. consult. 74. et novissime in Januensi 19. Jul. 1710, ubi, cum parochi Urbani praetenderent praecedentiam supra Collegiatam insignem s. Mariae Vinearum, proposito dubio: „An Canonicis dictae Collegiatae debeatur praecedentia adversus parochos Urbanos?" S. R. C. ad relationem Eminentissimi Barberini sub die 19. Julii 1710 ad III. dubium respondit: Affirmative, ut refert Ursaya, qui in hac causa egregie scripsit ad favorem ejusdem Collegiatae tom. 1. p. 1 discept. 6. sub n. 192. Et iterum confirmavit stando in Decisis anno 1716 19. Julii, ut refert eruditissimus Nicolaus Coleti in additione ad Ughellum in Italia sacra tom. 4. Provinc. 8. de Januens. Episcop. p. 836. Et pluries firmavit etiam sacra Rota et signanter part. 17. recent. decis. 87. in Burgen. Praeeminentiar. coram Rondinino n. 4., ubi plura adducit merito videnda.

d) Clerus Eccles. Colleg. inter se. Ravenaten.

(Conc. Tr. c. 2. s. 24. De ref.)

Occasione Synodi celebratae de anno 1724 ab Archiepiscopo Ravennaten.

convenerunt in dicta civitate Archipresbyter et Presbyteri Canonici nuncupati Ecclesiae s. Nicolai Oppidi Argentae, aliique pariter Canonici Ecclesiae Beatae Mariae Portus Majoris; sed orta inter eos controversia, cuinam deberetur praecedentia in solemni processione fieri solita pro inchoatione Synodi, Canonici Portus Majoris ad evitanda imminentia scandala se abstinuerunt, prout fecerant in aliis Synodis, emissa prius protestatione super praetensis eorum juribus; attamen cupientes omnem occasionem litium in posterum dirimere recursum habuerunt ad Sacram Congregationem pro declaratione danda ad infrascriptum dubium.

Quaelibet Ecclesia conatur probare propriam et excludere respective alterius Collegialitatem; et quia utraque caret indulto apostolico, utraque propterea se fundare contendit in temporis antiquitate ac in conjecturis et argumentis praeseferentibus Collegialitatem, quae signa et argumenta late explicantur per Emmentissimum Petram *Constit. 7. Innocentii IV. sess. 2. n. 19. et seq., tom. 3.*, ubi egregie de more separat signa aequivoca ab univocis seu ea, quae se habent de materiali in Collegiata, ab iis, quae se habent de formali. Ecclesia vero s. Nicolai in dicto Oppido Argentae praetendit habere etiam qualitatem insignitatis, ex qua desumit eidem competere praecedentiam, etiamsi in erectione esset posterior.

Audito desuper usque a dicto anno 1724 tam Eminentissimo Legato quam Reverendissimo Archiepiscopo, primus concludere videtur pro dicta Ecclesia s. Nicolai, alter vero pro Ecclesia Portus Majoris, ut latius ex eorum relationibus transcriptis in summariis circumferendis.

His stantibus exquiritur ab EE. PP. declarandum:

An et cui Capitulo danda sit praecedentia in processionibus in casu?

S. C. C. resp.:

Praecedentiam dandam esse Capitulo Collegiatae Portus Majoris et amplius.

Die 9. Sept. 1730.

e) Clerus Ecclesiar. diversarum.

Vd.: *Processio* (crux Colleg.; crux Cath.); *Parochus; Canonici; Beneficiati; Processio* (indictio a Vic. gen.); *Seminarium.*

Clerum in quibuslibet processionibus, litaniis, exequiis, divinis officiis et similibus conventibus et actibus ita ordinari debere, *ut ultimo et digniori loco Canonici et totus Clerus Cathedralis incedat;* secundo loco et immediate ante ipsum Clerum Ecclesiae Cathedralis incedant Canonici et Capitulum Ecclesiae Collegiatae ... cum aliis personis ecclesiasticis dictae Ecclesiae; tertio vero et anteriori loco totus reliquus Clerus saecularis. Et ante singulos praedictos Ordines singulae eorum Cruces deferantur. n. 4. die 6. Aug. 1588; n. 286 die 14. Jan. 1606; n. 351 ad 20 die 19. Maii 1607; n. 2119 ad 2 die 2. Julii 1661.

Penes Capitulum Cathedralis cum in choro tum in processionibus locum deberi Beneficiatis uti de gremio Cathedralis ejusdem a Capitulo inseparabilibus, quibuscunque in contrarium rectoribus minime suffragantibus. n. 1893 die 8. Junii 1658.

Dum totus Clerus incedit sub unica Cruce quisque debet incedere cum suo capite non ratione praecedentiae sed ne membra dividantur a suo capite. n. 2420 ad 2 die 13. Augusti 1667.

Proposita causa Taurin. praecedentiae vert. inter Beneficiatos Metrop. et parochos Taurinenses

S. C. resp.: In processionibus, quae fiunt cum interventu Capituli, praecedentias deberi Beneficiatis. n. 3037 die 2. Oct. 1683.

Canonici Collegiatae Gerundae in processionibus separari non possunt a suis Beneficiatis et incedere ante Capitulum Cathedralis. n. 3610 ad 3 die 21. Jan. 1702; n. 3613 die 11. Febr. 1702.

Tam ipsi Canonici quam Mansionarii Curatus et Capellani Ecclesiae Cathedralis in omnibus processionibus, quae fiunt per annum sive publicis sive privatis sive pro funere defunctorum, praecedentiam habent semper supra Curatos Ecclesiarum parochialium et nihil innovandum sed consuetudinem antiquam, quae juri et Caeremoniarum libro conformis est, servandam esse. n. 195 die 23. Maii 1603.

Dictum vero decretum non habere locum, quando Canonici sine Cruce et consensu Capituli uti singuli incedunt. n. 223 die 20. Dec. 1603.

Capellanus major SS. Salvatoris cum aliis suis Capellanis minoribus incedat in loco ei convenienti juxta tempus *fundationis* suae Ecclesiae et nullo modo incedat ante vel inter Canonicos Ecclesiae Colleg., neque Capellani minores dictae Ecclesiae ante Capellanos Collegiatae vel mixti cum eis incedere praesumant sed in loco eis debito cum Capellano majore; Ecclesiae vero Colleg. *et omni ejus Clero ordinatim ultimus et dignior locus servetur juxta regulas libri Caerem.* n. 282 die 24. Sept. 1605.

Semper in omnibus process. dignioribus praecedentiam dandam esse; *et cum Clerus Cathedr. procul dubio dignior sit Clero Ecclesiae Colleg. ... illum semper debere praecedere et locum digniorem obtinere.* n. 358 die 1. Sept. 1607.

In Processionibus dandam esse praecedentiam ipsis Canonicis et Clero Ecclesiae Cathedr. ... in digniori loco supra annes aliôs presbyteros sive Clericos aliarum omnium Ecclesiarum Collegiatarum vel parochialium et licite cogi posse per Archiepiscopum omnes de Clero, ut tam ad processiones ordinarias quam etiam ad extraordinarias, ex legitima causa indictas, in loco assignato in ordinationibus praedictis accedant. n. 387 die 14. Junii 1608.

Omnes Canonicos, Presbyteros et Clericos, quovis modo adscriptos servitio Ecclesiae Cathedr., vel ad tempus vel in perpetuum, facere unum corpus et debere omnes incedere sub Cruce Ecclesiae Cathedr., cui inserviunt vel in ea beneficia simplicia possident; nec propterea inferri praejudicium Praeposito et Canonicis Ecclesiae Collegiatae, qui faciunt aliud corpus distinctum ab Ecclesia Cathedr., quae procul dubio debet praecedere Collegiatae; *et dicti Presbyteri, Clerici et alii Ecclesiae Cathedr. adscripti non praecedunt Ecclesiae Collegiatae tamquam singuli sed tamquam uniti corpori Ecclesiae Cathedr., quod corpus nullo modo dividi potest.* n. 418 die 28. Nov. 1609.

Praecedentiam semper dandam esse Canonicis tam in Cathedr. quam *in quacunque alia Ecclesia*, dum ad Officia divina vel ad Concionem audiendam sedent in habitu canonicali. n. 424 die 6. Mart. 1610.

Dignitas Ecclesiae Cathed. praecedere debere omnibus aliis Dignitatibus et Canonicis Ecclesiarum Colleg. in omnibus locis, praeterquam in ipsis propriis Ecclesiis Colleg. n. 497 die 30. Sept. 1614.

Praecedentiam in ecclesiasticis functionibus inter Presbyteros simplices et Canonicos, ratione paramentorum deberi paratis. n. 2422 die 10. Sept. 1667.

Canonici *Ecclesiae Colleg.* in publicis processionibus, functionibus et

Synodis praeferantur omnibus Curatis et Presbyteris ecclesiarum parochialium et aliarum ecclesiarum simplicium. n. 480 die 11. Dec. 1613.

Ecclesiis Collegiatis super alias simplices Ecclesias praecedentiam de jure deberi indubitatum est. n. 568 die 23. Mart. 1619.

Praecedere debere Sacerdotes Diaconis et Diaconos Subdiaconis. n. 587 die 4. Apr. 1620.

Praecedentiam inter Curatos deberi in processionibus et aliis actibus deputato ad curam Ecclesiae, non obstante, quod sit amovibilis et regularis. n. 943 die 6. Dec. 1631.

Habentes Praebendas presbyterales, licet posteriores in possessione, praeferri debere habentibus praebendas diaconales, licet anterioribus in optione, non obstante quacunque contraria consuetudine, quam abusum esse. n. 944 ad 2 die 6. Dec. 1631.

Inter pares Praebendas Obtinentes hierarchicum ordinem inconcussum servandum fore, nullatenus attenta anterioritate possessionis adeptae, nisi inter aequales Ordine; neque tamen consuetudinem illam abrogans, qua alicubi laudabiliter inductum reperitur, ut qui primo ordinatus gradum ordinis semel ascenderit, ab antiquiori praebendato pari ordine postmodum insignito, ne a stallo pellatur; imo jus praelationis semel adeptum nunquam remittat. Itaque Presbyteros Diaconis, Diaconos Subdiaconis, Subdiaconos Clericis praeferendos esse, tam etsi praebendae sacrum Ordinem non desiderent. n. 1981 die 29. Mart. 1659.

Clericos indutos cotta seu alio ecclesiastico indumento praeferendos esse privatis personis seu aliter Clericis nullo chorali, seu ecclesiastico indumento suffultis. n. 2085 die 20. Nov. 1660.

In processionibus (extra funeralia) potest Prior saecularis s. Nicolai suam Crucem, prout hactenus consuevit, gestari facere, sub qua omnes et singuli Sacerdotes et Clerici suae parochiae et suae Ecclesiae inservientes incedere valent, quatenus tamen aliquando non fuerit admissa observatio Caeremonialis, ut sub unica Cruce etiam in processionibus omnes incedant. n. 2109 die 2. Julii 1661.

Canonici Collegiatae Andrien. contra solitum praetendebant, in processione SS. Sacramenti ita incedere, ut post Crucem primo loco Clerici Cathedralis, deinde Canonici Collegiatae et demum Canonici Cathedralis sequerentur; sed S. C. resp.: a solito non esse recedendum, ut Canonici Collegiatae in primo loco post Crucem Cathedralis incedere debeant et *post eos in ultimo et digniori loco Clerici et Canonici Cathedralis, intra quos nec Clerici nec Canonici aliarum Ecclesiarum debeant se miscere.* Neque Canonicis Collegiatae licere contra solita erigere Insignia. n. 252 die 21. Aug. 1604.

Canonicos s. Mariae Mediol., quamvis habentes titulum Capellanorum regiorum, quoad praecedentiam servare debere solitum et nihil inovari. n. 2212 die 28. Apr. 1663.

Ad dubium Sacerdotum Frusinanis.: an Beneficiatus simplex Clericus adhuc non Sacerdos effectus debeat praecedere ipsis oratoribus sacerdotibus?

S. C. resp.: Sacerdotes praecedere debent. n. 2804 die 14. Nov. 1676.

Monopolitan.

Etsi in Civitate Monopolitana quatuor extent receptitiae Ecclesiae et earum singulis proprius parochus praesit, attamen Clerus cujusque Ecclesiae receptitiae publicis in supplicationibus sub unica Cruce Ecclesiae Cathedralis incedebat immediate post Seminarii Alumnos et ante Clerum Cathedralis, quae praeter Canonicos, Mansionarios numerarios seu Capellanos distinctis

propriis insignibus decoratos, habet etiam Sacerdotes sic dictos extranumerarios, qui tum in choro tum in processionibus unica cotta induti sunt, sed ad servitium Cathedralis praestandum adiguntur et ex bulla Episcopali adnotantur in tabella servitii choralis, de nonnullis distributionibus participant, punctatura choro non praesentes mulctantur et ipsi hujusmodi in supplicationibus primi incedunt de choro Cathedralis seu immediate post Clerum ecclesiarum, quae receptitiae nuncupantur, quae semper in processionibus retinent locum cuique debitum. Verum quum in praesentiarum Clerus cujusque Ecclesiae receptitiae ampliori dignitate cohonestatur, siquidem quoad honores Collegium declaratae sunt, hucusque servatam consuetudinem invertere praesumit et in processionibus Sacerdotes extranumerarios Cathedrali ut supra addictos a reliquo Cathedralis ipsius Clero separare admittitur, ut eorum locum occupet, adeo ut ipsi extranumerarii immediate post Seminarium incedant. Contra hanc indebitam instantiam conqueritur Cathedralis Capitulum, cujus nomine S. R. C. enixae datae sunt preces, ut quid in casu servandum definere dignaretur. Et S. eadem C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem subscripti Pro-Secretarii rescribendum censuit: „Juxta alias decreta servandum esse in omnibus ordinem Cleri publicis in supplicationibus hucusque laudabiliter servatum." Atque ita servandum mandavit.

N. 5174 die 25. Sept. 1852.

Die s. Marci congregatur de mandato Episcopi *totus* Clerus saec. et reg. ante fores Ecclesiae vel etiam intra, unde processio discedere debet. Tunc incipiet processio: procedent confraternitates Laicorum, deinde Religiosi, postmodum Clerus Ecclesiae Colleg. et *ultimo Clerus Cathedralis* ...

Caer. Ep. l. II. c. XXXII. n. 1.

Ordo incedendi in process. ss. Corp. Chr. hic est: Primo minister portans Crucem Ecclesiae Cathedr. medius inter duos Clericos portantes duo candelabra cum candelis accensis, deinde Clerici Seminarii et post eos Curati ecclesiarum paroch. cum cottis, tum Ecclesiae Colleg. cum eorum insignibus, si alias illa deferre solent, et *ultimo loco Clerus Ecclesiae Cathedr.*

Caer. Ep. l. II. c. XXXIII. n. 5.

Praecedentia inter Curatos Ecclesiarum parochialium non ratione Regulae sed ratione antianitatis seu praerogativae Ecclesiae parochialis Curatis danda est: S. C. R. in Asten. 21. Martii 1609.

f) Clerici singuli inter sese.

Vd.: *Beneficiati* (praeced.).

Inter plures Ordinatos ad Presbyteratum eodem tempore ab eodem Episcopo, illum praeferendum esse in choro in processionibus et aliis actibus capitularibus, qui prius descriptus, vocatus et ordinatus fuit, non autem, qui prius Missam celebraverit. n. 2968 die 22. Nov. 1681; n. 2775 die 21. Mart. 1676.

Illi praeferantur, qui prius ordines majores susceperint, etiam illis, qui minores ordines ante illos susceperunt, et quando plures eodem die ordinati sunt, illum praeferendum esse, qui prius in Ordine nominatus et ordinatus est. n. 320 die 17. Junii 1606.

Praecedentiam dandam esse presbytero prius ordinato, nulla habita ratione gradus doctoratus, quia longe dignior et major est ordo Sacerdotis quam gradus doctoratus. n. 384 die 14. Junii 1608; n. 2759 ad 1 die 23. Nov. 1675; n. 2914 die 24. Febr. 1680; n. 620 ad 1 die 4. Apr. 1626; n. 727

die 26. Febr. 1628; 29. Nov. 1603. *Mediol. etc.*

Illum praecedere debere et locum digniorem obtinere, qui prius Presbyter ordinatus fuit et non qui prius, cum non esset Presbyter, possessionem Capellaniae accepit. n. 269 die 16. Julii 1605.

Sacerdotes antiquiores in ordine, licet non Doctores, praecedere debere Sacerdotes postea promotos graduatos, cum nulla habeatur ratio gradus Doctoratus in concursu cum Sacerdotio. n. 867 die 20. Julii 1630; n. 1194 die 14. Jan. 1640; n. 2850 ad 2 die 22. Jan. 1678; n. 3735 die 12. Sept. 1705.

Praecedentiam deberi sacerdotibus antiquioribus, praeterquam in functionibus, in quibus Capellanus junior supplet vices et munus parochi. n. 3596 die 13. Aug. 1701.

Praecedentiam deberi juxta praerogativam Ordinis et inter Clericos ejusdem Ordinis juxta praerogativam antianitatis in Ordine. n. 3965 ad 1 die 15. Sept. 1725.

Post Archipresbyterum s. Nicolai in terra Medulae et alios parochos deberi praecedentiam juxta antianitatem promotionis, servata Ordinum distinctione. n. 4017 die 9. Maii 1733.

Sacerdotem antiquiorem in Ordine non debere praecedere in *actibus privatis* Canonicum Sacerdotem in Ordine posteriorem. n. 753 ad 4 die 12. Julii 1628.

Praecedentia semper dignioribus danda est.

S. R. C. 1. Sept. 1607.

Digniores semper sint posteriores in processione.

Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 24.

Nullam vim fieri posse in doctoratu inter Presbyteros, cum Sacerdotis regalis dignitas absorbeat quoscunque gradus. n. 2128 die 3. Sept. 1661.

Presbytero Joanni Mantanelli deberi praecedentiam Ordinis a die Ordinationis adversus alios Presbyteros simplices, non obstante quod Ordines susceperit in habitu regul. s. Francisci et quod postea a Religione praedicta licentiatus fuerit ob nullitatem professionis. n. 2268 die 15. Mart. 1664.

Ad dubium: An Vice-Parochus debeat habere praecedentiam super alios Sacerdotes, ipsi in Ordinatione anteriores, non obstante aliqua consuetudine non immemorabili?

S. C. resp.: Negative praeter functiones, in quibus exercet munus Vice-Parochi. n. 4844 ad 7 die 23. Febr. 1839.

Inter simplices Sacerdotes nulla gaudentes praebenda anterioritatem suscepti presbyteratus inspiciendam esse, nulla inter eos habita ratione prioritatis in Ordine Subdiacon. vel Diaconatus. n. 1980 die 29. Mart. 1659.

Ad dubium 1.: An servanda sit consuetudo praecedendi juxta antianitatem possessionis inter Capellanos residentes in Ecclesia Cathedrali Perusina, itaut Paschalis Lazzarinus praecedere debeat Carolo Pilorci? Et quatenus negative;

2.: An ordo praecedendi cum ceteris Capellanis residentibus statui debeat juxta antianitatem fundationum in casu?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Affirmative; *ad 2.:* Provisum in primo.

Die 14. Jan. 1736. *Perusina.*

Sacerdos prius ordinatus praeferendus est Presbytero postea ordinato, licet Capellaniae possessionem prius acceperit, qui postea ordinatus est. S. C. R. in Novarien. 16. Junii 1606, in Lycien. 19. Jan. 1613.

Beneficiatus in Ecclesia sui Beneficii praecedentiam habere debet supra alios Beneficiatos in eadem Ecclesia non Sacerdotes. S. C. R. in Nullius Provinc. Florentinae de mense Januar. 1633.

15) Confraternitatis.

Vd.: *Confraternitas; Processio* (licentia); *Processio* (per civitat.); *SS. Sacram.* (Delatio in proc. Confr.)

Ad dubium: An valeat Confraternitas Salutis Hospitalis s. Antonii abb. Terrae Medicinae Imaginem B. V. M. singulis annis in festo s. Pii V. seu in dominica eidem festivitati sequenti ad Ecclesiam Villae Fontanae processional. transferre, subinde die Sabbati immediate post festivitatem s. Augustini ad Eccles. s. Antonii restituere, necnon successivo die dominico Missa sol. ac Vesperis cum cantu celebratis processionem gener. facere per terram Medicinae?

S. C. C. resp.: Affirmative cum licentia tamen Ordinarii.

Die 28. Julii 1724. *Bonon.* ad 3.

Ad dubium: An liceat eidem Confraternitati Salutis facere processionem Poenitentiae in una ex diebus hebdomadae s.?

S. C. C. resp.: Affirmative de licentia tamen Ordinarii.

Ibid. ad 4.

Ad dubium: An liceat Confraternitati Mortis loci Praedarii facere processiones tam intra ambitum Oratorii quam extra illum absque licentia parochi, per cujus parochiam transeundum est?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, nisi accedat licentia Episcopi.

Die 3. et 24. Sept. 1718.

Ad dubium 1.: An Confraternitas ss. Rosarii Regien. annuente et permittente Archipresbytero facere possit processiones intra et extra Ecclesiam sine interventu Canonicorum?

2.: An et a quo sit determinanda via processionum, quae fiunt extra ecclesiam et per parochiam?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Negative quoad primam partem et quoad secundam, dummodo non agatur de processionibus, quae fiunt ex instituto Confraternitatis, in quibus sufficit, quod Canonici sint invitati;

ad 2.: esse determinandam a Praefecto chori interveniente Capitulo.

Die 5. Aug. 1719 ad 5 et 6 *Regien.*

Ad dubium 1.: An liceat Confratribus B. V. M. 7 Dolor. Cassanens. Dioec. singulis mensibus in tertia dominica processionem explere per civitatem Maratheae et intra limites parochiae s. Mariae majoris de sola licentia Episcopi, praesertim ubi Archipresbyter interpellatus assentiri nolit? Et quatenus affirmative;

ad 2.: an et quibus horis sit peragenda processio praedicta?

S. C. resp. *ad 1.:* Affirmative et ad mentem;

ad 2.: Arbitrio Episcopi.

Die 11. Julii et 12. Aug. 1747.

Ad dubium 1.: An Praeposito s. Leonardi invitato et renuente aut impedito intervenire processioni occasione festi Nativitatis B. M. V. adhuc confratres mortis oppidi Casalis majoris illam facere possint absque licentia dicti Praepositi in casu?

2.: An dicti Confratres facere possint eandem processionem cum interventu Capellani aut alterius Sacerdotis per ipsos non autem per Praepositum destinandi in casu?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Affirmative inter ambitum proprii Oratorii, extra vero negative;

ad 2.: negative.

Die 5. Junii 1723. *Cremon.*

Ad dubium: An Confraternitas ultima dominica Septembris ducere possit processionem cum imagine B. M. V. ad plateam magnam civitatis cum assistentia parochi, vel eo deficiente, proprii Capellani, ac populo benedicere tam in dicta platea, quam sub stillicidio propriae Ecclesiae et intus eamdem?

S. C. C. resp.: Affirmative accedente tamen licentia Ordinarii et comi-

tante parocho vel alio Sacerdote ejus licentia.

Die 15. Maii 1728.

16) SS. Corporis Chr.

a) Benedictio infra Process.

Vd.: *Bened. cum SSmo* (in process.); *Festum SS. Corp. Chr.* (dub. V.); *Process. SS. Corp. Chr.* (Depos. SSmi etc.)

b) Candelae Cleri.

Vd.: *Candela Dignit.; Processio SSmi Regular.* (modus, decr. n. 4130); *Instr. Clem.* §. XX. n. 2—13; *Intortitium; Candela* (modus defer.); *Indulg.* (in festo ... ss. Corp. Chr.)

Canonici in processione SS. Corp. Chr. tenentur funalia seu intortitia deferre, quamvis Archiepiscopus per se ipsum non deferat. n. 1519 ad 2 die 2. Julii 1644.

Omnes tam Laicos quam Clericos ad honorandum SSmum in processionibus et per annum et in festo ss. Corp. Chr. faciendis intortitia seu candelas accensas deferre debere, quatenus id fieri potest ... n. 190 die 12. Apr. 1603.

Praepositis et Rectoribus Lauden. licet deferre in manibus intortitia in processione ss. Corp. Chr. n. 2779 die 21. Mart. 1676.

Omnes tam Religiosi quam Laici deberent, si fieri possit, si non funalia, saltem candelas cerae albae accensas manibus portare.

Caer. Ep. l. II. c. XXXIII. n. 4.

Praeparentur funalia et candelae ex cera alba in numero sufficienti pro Canonicis et aliis deferenda in process. ss. Corp. Chr.

Ibid. n. 14.

Advertatur, ut intortitia et candelae, quae in process. ss. Corp. Chr. delata fuerunt, non extinguantur, donec Episcopus cum SSmo benedictionem dederit.

Ibid. n. 29.

c) Cand. Laicor.

Vd.: *Confraternit.* (locus in process.)

Decretum Episcopi, ut Priores Confraternitatis ss. Sacramenti incedant non ante Baldachinum post Capitulum, sed *a latere* Baldachini hinc inde, servandum esse. n. 519 die 30. Jan. 1616.

Non est permittendum, ut unus ve duo ex Confratribus Societatis ss. Sacramenti incedant post Clerum *immediate ante ss. Sacramentum* cum Campanulis. n. 694 die 17. Julii 1627.

Non convenire, ut nonnulli Regulares et Confraternitas Laicorum in processionibus deferrant intortitia pos Capitulum. n. 976 die 15. Dec. 1632.

Magistratus ejusque Officiales in processionibus, in quibus deferunt Intortitia, illa propriis manibus deferre debent. n. 3915 ad 7 die 10. Sept. 1718.

d) Cantus.

Non convenire cantare aliquas cantiones *vulgari* sermone in festivitate ss. Sacramenti. n. 405 die 21. Mart. 1609. Cf.: *Cantus.*

e) Intra Claustra Monast. Monial.

Vd.: *Processio* (int. vel ext. claust., decr. *Pii VI.*); *Process. in Monial. etc.*

f) Delatio ss. Sacramenti.

Vd.: *SS. Sacram.* (a Celebr. defert.)

g) Depositio SSmi super altare per viam erectum.

Vd.: *Altare* (in process. SSmi.).

Si longior fuerit via processionis, poterit Episcopus in aliqua Ecclesia et super illius altare deponere SSmum et aliquantulum quiescere et ibidem, antequam discedat, thurificare SSmum et Orationem de SSmo canere, quod

tamen non passim in singulis Ecclesiis vel ad singula altaria, quae forsitan per viam constructa et ornata reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum vel iterum, arbitrio Episcopi.

Caer. Ep. l. II. c. XXXIII. n. 22.

h) Duae eod. tempore.

Ecclesia s. Joannis B. Ecclesiae parochiali matrici s. Georgii adnexa et unita facit in Octava ss. Corp. Chr. processionem eodem tempore, quo matrix Ecclesia, sub praetextu, quod sit aggregata Archiconfraternitati s. Petri et ideo Presbyteros et Clericos e dicta Matrice deviare facit, quod parochus prohiberi petiit.

S. R. C. resp.: Prohiberi dictam processionem. n. 630 die 2. Maii 1626.

Vd.: *Process.* (Plures eod. die); *Process. Corp.Chr.* (exit.,decr. 22. M. 1615.)

i) Exitus.

Processio ss. Corp. Chr. inchoari non debet ab Ecclesia inferiori, non attenta immemorabili consuetudine. S. C. C. in Sarnen. 7. Aug. 1683.

Item processio ss. Corp. Chr. terminari debet in illa Ecclesia, a qua incepit.

S. C. R. in Notana processionis 1. Sept. 1728.

Processionem in festo ss. Corp. Chr. ab Ecclesia Cathedrali debere inchoari et ibidem finiri. n. 574 ad 1 die 19. Aug. 1619.

Processiones in festo Corp. Chr. facere non licet Ecclesiis, sed soli Episcopo seu Ecclesiae Cathedrali.

S. R. C. 22. Maii 1615.

In solemnitate Corp. Chr. processio incipere debeat ab ipsa Ecclesia Matrice, ad quam convenire debeant omnes interesse debentes enumerati in Caeremoniali Ep. (l. II. c. XXIII.) et nullo modo per vias expectare. n. 1047 ad 1 die 6. Sept. 1636.

Processio in die Corp. Chr. levanda est de Ecclesia parochiali Matrice et non de noviter erecta Collegiata sine cura animarum. n. 2209 ad 1 die 17. Mart. 1663.

Processionem in festo ss. Corp. Chr. ab Eccles. Cathedrali debere inchoare et ibidem finiri. n. 574 ad 1 die 19. Aug. 1619.

Non licere in die solemnitatis ss. Corp. Chr. per parochum Terrae de Valentino celebrare Missam in Capella Ducis dictae Terrae et ibi inchoare processionem, sed inchoari et celebrari debere in Ecclesia Matrice et parochiali dicti loci, quocunque usu in contrarium non obstante, quem abusum esse. n. 3027 die 24. Julii 1683.

Regulares existentes in curia Cassiliensi tenentur in festo ss. Corp. Chr. ad Ecclesiam Matricem reassociare SSmum ibique permanere usque ad benedictionem. n. 3083 die 10 Mart. 1685.

Vd.: *Oratorium* (Missa etc.; decr. n. 3027); *Processio* (terminat.; exit.).

De process. ss. Corp. Chr. tempore Sedis ap. vacantis in Urbe peragenda, vd.: *Constit. Bened. XIV.* 16. Febr. 1745 (Bull. r. t. XVI. p. 284—287).

k) Laicor. Ingressus.

Vd.: *Processio* (extra paroch.); *Diacon. assist.* (porrig. SSmum); *Processio* (Vic. gen.); *Incensatio Episcopi in process. etc.*; *Baldachinum* (hastae etc.); *Bened. cum SSmo in process. etc.* (quoties, decr. n. 4574); *SS. Sacramentum*; *Processio* (capite etc.); *Indulg.* (in festo ... ss. Corp. Chr.); *Regular.* (post Confrat.)

Archiepiscopum contentum esse posse, ut Magistri Annuntiationis in repositione ss. Sacramenti in Octava Corp. Chr. *post* Vesperas possint deferre SSmum extra Ecclesiam et procedere juxta extensionem murorum ejusdem Ecclesiae et domus, ita ut semper ab

uno latere dictos muros habeant: dummodo tamen non interveniant alii Religiosi, neque laicorum societates, praeter illos ejusdem Ecclesiae et domus vel ab ipsa dependentibus. n. 78 die 11. Junii 1594.

l) Laici Sanctos repraesentantes.

Ad dubium: an in processionibus tum SSmi in die Corp. Chr. ejusque Octava tum aliarum Confraternitatum Rosarii, Carminis etc. permittendum sit, ut Pueri Puellaeque, nedum septennio minores, sed Virgines ultra vigesimum annum, magno cum scandalo Sanctos Sanctasque eorumque vitas, miracula et mortes repraesentantes, cum Insigniis eorumdem Sanctorum se induant et incedant?

S. C. resp.: „*Prohiberi.*“ n. 2423 ad 7 die 5. Nov. 1667.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXI. n. 5, 6; *Processio* (Laici, Angelos etc. repraesent.).

m) Laicorum Obligatio.

Vd.: *Processio* (oblig. Laicor.).

Communitates possunt compelli ad accedendum processionaliter ad Ecclesiam Matricem in solem. Corp. Chr. n. 3470 ad 4 die 31. Maii 1698.

Instructio Clem. §. XXII. n. 1—9.

n) Licentia.

Breve Clementis VIII. non afficere parochos saeculares, et Archipresbyterum parochialis Ecclesiae s. Joann. B. non posse nec debere impediri in sua processione in dominica infra Octavam Corp. Chr. n. 957 die 30. Apr. 1632.

In processione *infra octavam Corp. Chr.* fieri consueta Regulares non posse prohiberi, ne *extra claustra* eorum Monasterii ducant processiones. n. 1929 die 7. Sept. 1658.

Vd.: *Processio ss. Sacramenti.*

Quod Omnibus liceat in quocunque die infra Octavam Corp. Chr. processionem sol. facere, vd.: *Constitut. Greg. XIII. die 11. Mart. 1573* in Bull. mag. rom. tom. II. p. 398 ed. *Luxenb.*

o) Lumina.

Vd.: *Processio ss. Corp. Chr.* (candelae Cleri et Laicor.); *Latern.*

Pro consueta, quaeque alias haberi opus fuerit, solemni ss. Corp. Chr. processione, pluribus quamvis a Caeremoniali Episcoporum sit, qua par est, cura omni praecautum, quatenus illa religiose semper et honorificentissime habeatur, luminibus praesertim adhibitis, a Clero et Populo deferendis, verumtamen cum, quae deferri solent, lumina aperta gestentur, eaque non raro, vento aut pluvia improviso superveniente, extincta omnia remanere videantur; ne idcirco (quod incongruum satis esset, atque Augustissimo Domino indecentissimum) lumina tunc debita desiderentur, curent Episcopi et cum eis sacrarum Caeremoniarum magistri advigilent, ut, per quos pertinet, quatuor saltem cum suis hastis laternae, quae tamen aliis sint nobiliores, comparentur; et suis semper cum intus accensis candelis hinc inde circa Celebrantem, qui Sacramentum gestat, in posterum deferantur.

Conc. Later. 1725 tit. XV. c. VII.

p) Obligatio Cleri saecul. et reg. interessendi.

Vd.: *Process. gener.* (Oblig. etc.); *Process.* (obligat. interess.)

Neapolitana.

(Conc. Tr. C. 5. Sess. 10. de cultu et venerat. SSmi; C. 13. Sess. 25. De Regul.

Renuentibus Presbyteris Ecclesiae s. Jacobi Hispanorum hujus Civitatis

praetextu suorum privilegiorum accedere ad processionem prope peractam ss. Corp. Chr. Curia Archiepiscopalis eorum nonnullos suspensione a Divinis irretivit. Sed iisdem reclamantibus apud hanc Sacram Congregationem praeacceptataque relatione Eminentissime Archiepiscopi proposita fuit causa per summarium in Congregatione proxime decursa et rescriptum extitit: Transmittantur acta quamprimum et proponatur causa omnino in prima, firma remanente suspensione. Actis itaque transmissis juxta demandata causa hodie proponitur, ut ex deducendis hinc inde a partibus monitis dignentur EE. VV. resolvere infrascripta Dubia inter easdem concordata:

1. *An Clerus Ecclesiae s. Jacobi Nationis Hispanorum Neapolis teneatur accedere ad processionem ss. Corp. Christi?*

2. *An suspensio a Divinis lata a Curia Archiepiscopali Neapolitana contra Capellanos et Clericos dictae Ecclesiae sustineatur in casu etc.?*

S. C. C. *ad 1.:* Affirmative;
ad 2.: ut supra.
Die 3. Aug. 1709.

q) Infra Octavam.

Vd.: *Process.* (In domin. inf. octav. etc.); *Process. ss. Corp. Chr.* (transl., licentia.)

r) Ordo incedendi.

Vd.: *Processio* (Clerus).

s) Paramenta.

Vd.: *Process. Clerus inf. parat.; Canon. Cath. etc.*

t) Quae res circumferri debeant?

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXI. n. 6; *Process. ss. Corp. Chr.* (Laici etc.); *Processio* (Laici etc.); *Parasceve* (processio).

Clerus Caesaraugustanus solet quotannis processionem facere, in qua insignem Reliquiam s. Gregorii et aliorum ss. reliquias defert. Cupit in eadem processione deferri posse SSmum.

S. C. resp.: *Nihil.* n. 45 die 23. Mart. 1593.

In *theophoriis*, quae semper horis antemeridianis nunquam vero post meridiem habendae sunt, Imagines et Reliquiae ss. ne gestantur, stricte interdicimus.

(Conc. Colon. die 17. Maii 1860.)

In sol. processione ss. Sacramenti tam in die Corp. Chr. quam in maj. hebdomade deferre non licet instrumenta ss. Passionis Salvat. N. J. Chr., scilicet fragmentum ss. Crucis vel Spinae. n. 3059 ad 1 die 17. Junii 1684.

Rme D. uti Frater.

Expositum fuit S. R. C. ex parte R. D. Sacerdotis Andreae Bonetti Parochi Oppidi Pratisvici istius Amplitudinis Tuae Dioec. quamdam paucis abhinc annis introductam fuisse consuetudinem eadem in Regione publicis in supplicationibus, quae ducuntur in festo et per oct. ss. Corp. Chr., deferendi veteris Testamenti Arcam, mensam cum propositionis panibus, candelabrum cum septem luminaribus et alia id generis, quae fuerunt per Moysem illa in lege instituta, quae a juvenibus instar hujus legis indutis deferuntur. Quum autem hujusmodi novitatis murmurationibus ac disputationibus occasionem scandali praebeant, ad omnia praecavenda praedictus parochus rationes in genere assignavit, quibus quisque pro sua parte consuetudinem tuetur vel improbat, ut super eadem retinenda vel eliminanda de more decernatur. Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis adunata, audita relatione a R. P. D. Secretario subscripto facta, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit: „Dentur Decreta jam alias edita, nimirum in una Urbis die

5. Martii 1667*) et in Mediolanensi die 5. Nov. eodem anno**) atque in una Venetiarum die 17. Jun. 1684***), quibus prohibetur expresse ne pueri illis in supplicationibus deferant vel instrumenta Dominicae Passionis vel aliud repraesentans haec mysteria vel sanctorum martyria, utpote quae ex sui natura animum avertant ab adoratione SSmi Sacramenti, quod unice in iisdem intenditur, ac proinde scribendum Amplitudini Tuae, quatenus pro sua Religione ac prudentia incumbat, ut omnia de medio tollantur et juxta laudabilem caeterarum regionum consuetudinem supplicationes hujusmodi in posterum sine ullo accessorio praedicto et pro sola devotione ducantur.“ Hanc S. C. sententiam et voluntatem, ut omnia recto ordine procedant, Amplitudini Tuae dum communico, diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 7. Dec. 1844. n. 4994.

Rmo D. uti Fratri
Ep. Brixiensi.

u) Terminatio.

Processio ss. Corp. Chr. terminari debet in illa Ecclesia, in qua incepit.
S. R. C. 1. Sept. 1728 *Nolanae.*
Vd.: *Processio* (terminatio).

*) S. C. sollicite animadvertens, quod pia fidelium consuetudo associandi processiones, quae fiunt in Urbe infra hebdomadam Corp. Chr. per pueros utriusque sexus, repraesentantes varia sanctorum martyria et mysteria, non solum Christifidelium non augeat pietatem, imo a debita adoratione SSmi mentes populi distrahat: ideo iidem EE. decreverunt, in posterum prohibendum esse, ne dicti pueri puellaeque ut supra aliquo modo admittantur. Et ita servari mandarunt et debitam executionem, cui de jure, commiserunt.
Die 5. Mart. 1667 *Urbis.*

**) Vd.: *Process. Corp. Chr.* (Laici Sanctos repraesent.)

***) Vd.: *supra decr. n. 3059.*

Processio ss. Corp. Chr. in ejus festo debet inchoari a Cathedr. et in ea terminari.
Die 29. Aug. 1519 *Tuscan.*
Vd.: *Process. ss. Corp. Chr.* (exit.)

v) Translatio.

Vd.: *Processio* (Episcopi indictio; mutatio, translatio).

Ubi processio SSmi in ejus festo die vel per octavam, ea qua decet sol. pompa nequieverit haberi, designabit Episcopus pro suo arbitrio et prudentia unicuique Ecclesiae aliquam ex sequentibus dominicis, in qua, celebrata Missa cum commemoratione SSmi, solemnis illius processio peragi possit. n. 4200 die 8. Maii 1749.

w) Via.

Viae, per quas processio ss. Corp. Chr. transire debebit, mundentur et ornentur aulaeis, pannis, picturis, floribus frondibusque virentibus secundum posse et qualitatem loci.
Caer. Ep. l. II. c. XXXIII. n. 2.
Cf.: *Lytan. maj.* (via); *Plateae; Process. ext. Eccl.*

In festo Corp. Chr. ss. Eucharistia non est deferenda per vias Hebraeorum.
S. R. C. die 22. Febr. 1593.

17) Crux.

a) Cathedralis.

Vd.: *Processio* (Clerus inter se); *Crux (deferenda per aliam paroch.); Stola parochor.* (decr. n. 4615); *Crux Cleri* (quomodo defer.); *Process. funebr.* (Crux.)

Non possunt Canonici ante ipsos Crucem deferre ultra Crucem, quae defertur in processionibus ante Capitulum, Capellanos et Mansionarios ejusdem Ecclesiae. n. 762 die 7. Aug. 1628.

Unumquodque Capitulum et Ecclesiam incedere debere sub propria Cruce. n. 1534 ad 2 die 11. Febr. 1645.

Clerici et Seminarii et mercenarii inservientes Cathedrali, quocunque titulo, cum suo Capitulo et sub eorum Cruce procedere debent. n. 2222 ad 4 die 16. Junii 1663.

Membra Capituli debent incedere cum suo capite et ideo tam Sacrista quam Capellani et Clerici, dum sunt membra Capituli, non possunt nec debent disjungi a Capitulo. n. 2420 ad 1 die 13. Aug. 1667.

Canonici Cath. Lauden. Eccl. quando capitulariter processionibus intersunt, non incedunt sub una Cruce cum ejusdem Cath. Presbyteris et Clericis, sed defertur ante ipsorum Collegium specialis et propria Crux. Cui quidem consuetudini quum obstet Decretum S. R. C. diei 28. Nov. 1609 praecipiens: „Presbyteri et Clerici Cath. omnes faciant unum corpus cum Canonicis et sub una Cruce debent incedere", quaeritur: an sit toleranda hujusmodi consuetudo?

S. ipsa Cong. respondendnm censuit:

„Eliminandas consuetudines seu abusus."

Et ita rescripsit ac servari mandavit.

N. 5156 ad 2 die 29. Mart. 1851.

b) Collegiatae.

Cf.: *Processio ss. Corp. Chr.; Processio* (Clerus saec. inter se).

Ad dubium: utrum in processionibus ss. Sacramenti et aliis quaelibet Ecclesia Collegiata possit deferre propriam Crucem, an vero omnes *Collegiatae* incedere debeant sub Cruce Cathedralis?

S. R. C. resp.: sub Cruce Cleri totum Clerum incedere debere nisi adsit consuetudo contraria, quae erit probanda. n. 756 die 12. Julii 1628.

Ad conquestionem, quod Episcopus Theles. praecepisset, ut Canonici Collegiatae in processione ss. Corp. Chr. juxta Caerem. (l. II. c. XXXIII.) sub Cruce Cathedralis incedant vel, si propriam Crucem velint deferre, ut post ipsos Canonicos sub Cruce Cathedralis Clerici Seminarii caeterique Ecclesiae Cathedr. adscripti incedant, S. C. resp.: Servari decretum Ordinarii conforme dispositioni Caeremonialis. n. 2120 ad 2 die 2. Julii 1661.

Ad dubium: an in processionibus sub quanam Cruce incedi debeat, an sub Cruce tantum Ecclesiae Collegiatae Castignani an sub Cruce parochiali s. Petri?

S. C. resp.: Sub utraque Cruce; praecedentiam autem deberi Cruci Collegiatae. n. 4042 ad 5 et 6 die 21. Apr. 1736.

Netin.

Rev. D. uti Frater.

Etsi a prima institutione Colleg. Eccl. SSmi Crucifixi in Civitate Netina de anno 1670 facta cautum fuerit, ut ipsa sub Cruce incederet alterius Colleg. Eccl. Matricis a s. Nicolao nuncupatae, quam quidem conditionem fideliter admodum servavit, quamvis Collegiata ipsa SSmi Crucifixi de anno 1698 formiter insignis declarata fuerit; attamen quum in praesentiarum per apost. litteras in forma brevis superiori anno 1844 Idibus Maji expeditas, Collegiata s. Nicolai in Cathedralem fuerit erecta, Capitulum SSmi Crucifixi anceps adhuc haeret de propriae Crucis erectione, dum novae Cath. Capitulum sub propria Cruce illud deinceps excipere nequit. S. proinde R. C. humillimis precibus adeuntes Canonici SSmi Crucifixi S. hujus Consessus sententiam rogarunt ac provisionem instanter efflagitarunt. Emi vero ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi ad Vaticanum hodierna die coadunati in Ordinariis Comitiis, audita a Secretario fideli relatione, perpendentes pluries sancitum

fuisse quid in casu servandum, satius sumpsere consilium, in sensu Decretorum Amplitudini Tuae opportunas tribuere facultates, ut per modum regulae deinceps omnino servandae decernas Capitulo insignis Colleg. Eccl. liberum esse propriam erigere Crucem, sub qua Clerus ipsius Eccl. Colleg. non minus, quam reliquus Clerus Saec. Civitatis incedere debet per ordinem, ac proinde praecedentiam concedere Seminario Netino, cujus Alumni caeterique in casu incedant sub Cruce Cathedralis. Quod si vero Capitulum Collegiatae SSmi Crucifixi interdum sub Cruce Cathedralis incedet, tunc etiam juxta alias Decreta Seminario Cathedralis Clero unito praecedentiam cedere tenetur. Quae singula dum S. C. nomine Amplitudini Tuae communico, ut quae praestas prudentia ac religione rem omnem componere valeas; diu felix et incolumis vivas.

N. 5016.

Die 14. Junii 1845.

Rmo D. uti Fratri
Ep. Netino.

c) Confraternit.

Ad dubium: An permittente Archipresbytero possit Confraternitas ss. Rosarii Regien erigere in processionibus Crucem propriam.

S. C. C. resp.: Negative.

Die 5. Aug. 1719 ad 7 *Regien.*

Vd.: *Confrat.* (process.); *Process. Confr.*

d) Delationis sensus mysticus.

Bened. PP. XIV. Episcopo Quinqueecclesiensi.

Erectae Crucis delatio Salvatoris nostri, cujus legatione fungimur, humilitatem pariter et potentiam declarat, atque ita intuentium animos allicit ad illius excipienda praecepta, qui exaltatus a Terra, omnia traxit ad se ipsum, ut simul etiam praevaricatores admoneat, hoc idem Crucis signum in Coelo fore quum Dominus ad judicandum Orbem Terrae in splendore Majestatis advenerit.

Die 1. Sept. 1754.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. p. 138.)

e) Regularium.

Vd.: *Crux Cleri saecul.; Process. funeb.* (Crux); *Crux* (quo loco defer.); *Capucini; Process.* (Cler. reg.)

Quemlibet ex duobus Abbatibus (s. Benedicti et s. Donati) in publicis processionibus cum suo Clero et sub suae propriae Ecclesiae Cruce debere incedere in loco sibi debito. n. 469 die 19. Jan. 1613.

Regulares in publicis processionibus non posse prohiberi, quin incedant sub propria Cruce etiam per limites alterius parochiae. n. 925 die 2. Aug. 1631.

Unaquaeque religio incedat in processionibus sub propria Cruce. n. 1151 die 7. Maii 1639.

Regularem incedere debere sub Cruce Monasterii sui Ordinis. n. 1175 die 20. Aug. 1639.

Minores Conventuales debere incedere separatim sub propria Cruce et nullo modo mixtim cum Observantibus. n. 1326 die 11. Maii 1641.

Nullius Montis Casini.

Quum Rmus P. Abbas Ordinarius Nullius Montis Casini S. R. C. enixe rogarit, ut declarare dignaretur: num Regulares acciti ad publicas supplicationes et Funera e Coenobiis egredientes et illuc redeuntes possint sub hastata Cruce incedere? Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi, re maturo examine perpensa, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, referente Secretario, rescribendum censuerunt: „Non obstant Decreta; dummodo Crux a Religiosis in Funeris pompa non afferatur.“

Die 7. Dec. 1844 n. 4987.

Alexd. PP. IV. ad Clerum Urbis de processione, quae fit ad Basilicam s. Petri die festo s. Marci.

Provida deliberatione decernimus et irrefragabili constitutione sancimus, ut Canonici tam saeculares quam regulares et monachi omnium parochialium ecclesiarum cum crucibus et aliis insigniis consuetis, ecclesiarum vero presbyterorum et diaconorum Cardinalium et monasteriorum cum Crucibus propriis et vexillis, archipresbyteralium autem ecclesiarum, prioratuum et capellarum exemptarum et omnium aliarum, quae duodecim denarios vel plures pro hujusmodi salario recipiunt, cum propriis omnino crucibus argenteis, aureis vel aliis, quas habent et cum vexillis, si habent et portare consueverunt, Clerici quoque aliarum capellarum, quarum singulae tantum octo denarios pro eodem salario recipiunt vel cum propriis crucibus et vexillis vel cum alienis etiam, sicut fuit hactenus consuetum, induti vestimentis sericis, aut superpelliceis sive cottis, in eodem festo vadant processionaliter annuatim ad Basilicam supradictam recepturi salarium vel presbyterium consuetum, quod eis per Canonicos ejusdem Basilicae et unum de familiaribus nostris volumus exhiberi. Alii autem monachi, fratres minores, Praedicatores, Eremitae ac religiosi alii cujuscunque ordinis, cum crucibus in eodem festo processionaliter vadant ad Basilicam memoratam.

Die 20. Apr. 1260.

(Bull. r. t. III. p. 671. Ed. *Aug. Taur.*)

Ad dubium: An Confratres tertii Ord. Oppidi Collis Torti in publicis processionibus et associationibus cadaverum incedere possint sub Cruce PP. Reformatorum vel etiam sub propria Cruce?

S. C. resp.: Affirmative sub Cruce PP. Reform. in publ. process. tantum, dummodo non utantur sacco vel alio particulari habitu et amplius.

Die 14. Maii et 9. Julii 1746.

18) Dignitas celebrans.

Cf.: *Benedictio cum SSmo; Usus Pontificalium; SS. Sacramentum* (a Celebrante def.).

Ad primam Dignitatem pertinere SS. Sacramentum in processione deferre, in illis diebus et solemnitatibus, in quibus Episcopus, si praesens esset, id faceret. n. 363 die 17. Nov. 1607; n. 3900 ad 3 die 12. Junii 1717.

Non spectat ad Vicarium in die Corp. Chr. deferre SS. Sacramentum. n. 110 ad 2 die 16. Jan. 1597; n. 1077 die 24. Julii 1638; n. 1753 die 29. Maii 1655.

Delationem SS. Sacramenti semper spectare ad digniorem de Capitulo, *dummodo* ipse celebrat Missam dicta die, non obstante contraria dispositione facta in Synodo. n. 1013 ad 3 et 4 die 9. Dec. 1634.

Et quidem per omnes vias, etiamsi contingat transire limites alterius parochiae. n. 1016 die 21. Apr. 1635.

Delationem SS. Sacramenti pertinere ad primam Dignitatem, *dummodo in ipso festo SS. Sacramenti ipsa prima Dignitas vel primus Canonicus praesens* Missam cantet. ... Illa Dignitas vel Canonicus SS. Sacramentum deferat, qui Missam celebrabit. n. 366 die 19. Jan. 1608; n. 739 die 27. Mart. 1628; n. 1324 die 11. Maii 1641; n. 3551 ad 27 die 13. Mart. 1700.

In festivitate ss. Corp. Chr. delatio ss. Corp. Chr. spectet ad primam Dignitatem et ea absente ad aliam Dignitatem ejusdem Matricis, ordine successivo, *dummodo ipsa Dignitas, quae ss. Sacramentum defert, illa die solemniter celebraverit.* n. 1047 ad 2 die 6. Sept. 1636; n. 1073 die 24. Julii 1638.

Absente vel impedito Episcopo delationem ss. Corp. Chr. in solemnitate ejusdem ss. Corp. Chr. *non ad Hebdomadarium*, sed ad digniorem de Capitulo spectare, eoque impedito ad alium proxime succedentem. n. 1053 die 11. Maii 1638; n. 1054 die 12. Junii 1638.

In ipsa solemnitate Corp. Chr. ad primam Dignitatem pertinere ss. Sacramentum in processione deferre, si in illa die solemne Sacrum celebret. n. 1480 die 22. Nov. 1643.

SS. Sacramentum processionaliter deferre nunquam spectare ad Vicarium sed ad Dignitates et Stallatos ordine successivo. n. 1586 die 18. Maii 1647.

19) In Dom. infra oct. ss. Corp. Chr.

Cf.: *Missa in dominica infra octav. Corp. Chr.; Process. ss. Corp. Chr.* (licent.)

Ad dubium : an liceat parocho Castri Orvani facere processionem in die dominica infra octavam Corp. Chr.?

S. C. resp.: Ad mentem; et mens est, quod usque dum Ecclesia non habeat paramenta et alia decentia et requisita ab Episcopo, non liceat facere processionem. n. 3869 ad 3 die 21. Apr. 1714.

Ad dubium 1.: An professoribus ordinis Praedicatorum ex indultis apostolicis competat jus privativum peragendi processionem s. Eucharistiae Sacramenti, toto tempore post prandium dominicae infra octavam festivitatis Corp. Chr.?

2.: Et quatenus negative: An sit locus declarationi seu ampliationi indultorum in casu etc.?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in voce quam in scriptis informante audita rescribendum censuit: „Negative ad utrumque et injungendum Episcopo, ut curet, ne oriantur scandala.“ Et ita decrevit.

N. 3876 die 19. Jan. 1715.

20) Intra Ecclesiam.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXI. n. 1.; *Parasceve* (processio, decr. diei 6. Aug. 1592).

21) Extra Ecclesiam.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXI. n. 2. 3. 5. etc.; *De ornatu viae*, vd.: *Process. Corp. Chr.* (via.)

22) Ad Episcopum novum sol. excipiendum.
(Oblig. interessendi Regul. exemptor.)

Albinganen.

Advenienti novo Episcopo Albinganensi visitationis causa Terrae Tabiae solemni pompa seu ut dicunt processione occurrit Clerus. Defuere PP. Dominicani et Capuccini. Episcopus eorum Ecclesias interdicto supposuit. Confugerunt PP. ad hoc Sacrum Tribunal. Episcopus auditus fuit, causa duobus collecta capitibus nunc proponitur. Injustas nullasque censuras dicunt Patres; injustas quidem, quia nequeant Regulares cogi ad interveniendum processionibus, nisi publicis, juxta decreta a Congregatione particulari jussu Urbani VIII. Pontificis Maximi, de qua Mattheucc. in offic. Cur. Eccles. cap. 40. n. 2., neque has inter recenseri eam, quae sit occasione primi ingressus sive visitationis Episcopi; est enim non in honorem Dei, non in publicam utilitatem haec processio directa, sed in honorem et reverentiam solius Episcopi, qui honor et reverentia praestari debet hac ratione a subjectis, non vero ab exemptis, quales sunt Regulares. Numerantur itaque haec processiones inter insolitas et extraordinarias, quibus Regulares interesse non tenentur, ut ex *Textu in cap.: nimis prava* 2. *de excessib. Praelator.*, tradunt *Abb.* n. 3., *Ancharan.* n. 4. aliique ibidem Interpretes, *Peyrin* de privileg. minim. in Addit. ad Constitit. Sixti IV. cap. 2. n. 29. et ad Constit. 7. Pii V. §. 29.

n. 25., *Novar.* in Lucern. Regular. verb.: Processiones n. 5., *Urseya* discept. Eccles. tom. 9. par. 2., discept. 24. n. 88., *Mattheucc.* discept. cap. 40. n. 4., *Lantusch.* Theat. Regular. verb.: Processiones n. 4., *Latalan.* in Comment. Caeremon. Episc. cap. 2. §. 8. n. 2. tom. 1., *Panimoll.* decis. 84. ad not. 1. n. 48. par. 3., ubi refert. definitionem Sacri hujus Tribunalis in Anagnina processionis 9. Dec. 1662.

Dispositioni juris addunt PP. consuetudinem, addunt loci distantiam: Consuetudinem quidem, quae non solum non favet Episcopo contra Jus, sed favet Patribus secundum Jus; probant plures testes, qui negant eosdem PP. affuisse quatuor processionibus, quae actae fuerunt occasione ingressus quatuor praedecessorum Episcoporum: Distantiam vero loci, quae probatur mensuratione facta a Peritis, legitimam esse causam, ob quam Regulares non ab his insolitis et extraordinariis dumtaxat, sed etiam a publicis atque universalibus processionibus excusentur, tradiderunt *Ventrigl.* in Prax. ad not. 12. tit. de procession. §.: unic. n. 8., *Ugolin.* de potest. Episcop. par. 1. cap. 20. §. 2. n. 5., *Cokier.* de jurisdict. in exempt. par. 2. quaest. 45. n. 109., *Piasec.* in Prax. Episcop. par. 2. cap. 4. n. 47., *Barbos.* de Offic. et Potest. Episc. par. 3. allegat. 78. n. 21., *Ricc.* resolut. 308. n. 2. Nullas vero esse censuras disputant PP., quia neque monitio neque interpellatio praecesserit, sine qua notari et puniri non potuerint ob inobedientiam et contumaciam, quae sane monitio necesse est, ut legitima sit et personalis, ne Regulares a processionibus excusentur, ut docent *Mattheucc.* in Offic. Cur. quoad procession. cap. 26. n. 4., *Lezzana* quaestion. Regular. tom. 1. cap. 9. n. 47., *Peyrin.* tom. 1. ad Constit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 57., *a s. Joseph* dub. moral. tom. 2. titul. 180. n. 46. Nullas quoque dicunt easdem censuras defectu citationis ad dicendam causam quare, sine qua relaxi non possunt. Haec Patres: a Promotore Fiscali nondum libellus Jurium datus fuit. Dubiua sunt:

I. *An Patres Dominicani et Cappuc. Tabiae teneantur intervenire ad processionem fieri solitam occasione primi ingressus Episcopi? Et quatenus affirmative;*

II. *An interdictum substineatur in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: Affirmative, praevia Intimatione facienda nomine Episcopi.

Ad II.: Negative et amplius in omnibus.

Die 20. Junii 1750.

23) Exitus.

Vd.: *Lytan. maj.* (exitus; praecipue, decr. n. 4314); *Processio Corp. Chr.* (exitus); *Processio funebr.* (exitus); *Processio* (Regul.); *Processio* (terminat.).

Regulares et Confraternitates in processionibus simul in Cathedralem conveniant, nec in viis prope eorum Ecclesias consistere audeant, sed ad eandem Ecclesiam Cathedr. redeant. n. 1901 die 8. Junii 1658.

Regulares ad faciendas solemnes processiones congregentur in Cathedrali ne suboriatur confusio et incommodum. n. 691 die 12. Junii 1627.

Omnes processiones publicae, puta ... pro pluvia petenda, serenitate impetranda et similes, incipere debeant ab ipsa matrice. n. 1047 ad 3 die 6. Sept. 1636.

Tam Canonici Colleg. quam parochi et alii de Clero debent congregari in Ecclesia, ubi est inchoanda processio. n. 2221 ad 3 die 16. Junii 1663.

Regulares s. Francisci Vianae, quoties intersunt processionibus, quae fieri

solent pro aliqua necessitate vel publica causa, tenentur accedere ad Ecclesiam parochialem et una cum Clero ab Ecclesia discedere. n. 2273 ad 4 die 24. Maii 1664.

Capitulum Cathedr. Conversanen exposuit, quod in Ecclesiis Regularium ... Statuae Sanctorum servantur et processionaliter per civitatem asportari consueverunt cum interventu Cleri civitatis. Dubitatur: an Regulares convenire teneantur in Cathedr. ad effectum accedendi ad loca, ubi statuae servantur?

S. C. resp.: Non teneri Regulares et Confratres accedere, nisi ad Ecclesiam, a qua dirigenda est processio et post processionem non teneri associare Capitulum ad Cathedralem. n. 2814 die 13. Febr. 1677.

Ad dubium: an publicae processiones indicandae de mandato Episcopi sive alterius Superioris pro publicis necessitatibus et aliis de causis sint initiandae et respective terminandae in Ecclesia parochiali matrice (Portus Salvi)?

S. C. resp.: Affirmative quoad processiones *generales* et quoad reliquas arbitrio Episcopi. n. 4013 ad 1 die 21. Mart. 1733.

Ad dubium: an in precessionibus generalibus uterque Clerus Avenianen. teneatur convenire in Metropolitana sive ejus platea tam in principio quam in reditu processionis?

S. C. resp.: Affirmative et in Ecclesia Metropolitana. n. 4022 ad 7 die 17. Julii 1734.

Processiones generales et aliae publicae pro tempore indicandae inchoari debent ab Ecclesia Collegiata Castignani ut nobiliori et terminari et non ab Ecclesia paroch. s. Petri. n. 4042 ad 2 die 21. Apr. 1736.

24) Extraordinaria.

Non licere Regularibus facere processiones extraordinarias absque licentia Episcopi. n. 1117 die 22. Jan. 1639.

Parochus sine licentia Episcopi non potest facere processiones extraordinarias. S. C. C. 12. Febr. 1636 in *Savonen,* in qua amplius fuit dictum, non sufficere licentiam Vicarii foranei.

Quoad processiones extraordinarias Regulares illas facere non posse nonnisi de licentia Ordinarii. n. 1344 die 11. Nov. 1641.

Canonici Ecclesiae Collegiatae parochialis Cerreti non possunt facere processiones extraordinarias licentia Episcopi non petita. n. 2970 ad 8 die 22. Nov. 1681.

Vd.: *Processio* (licentia Episcopi; *indictio Episcopi*).

25) Funebris.

a) Cantus.

Vd.: *Sepultura; Cadaver.*

Prohibitionem Vicarii general. Insularum Canariarum, ne Regulares in funeribus decantent preces et psalmos, ut Rituale rom. praescribit, prorsus nullatenus servandam esse et per Vicarium revocandam. n. 1918 die 7. Sept. 1658.

Non posse Regulares impediri psalmos canere in processione funebri. n. 831 die 18. Aug. 1629.

b) Crux

I. Capituli Cathedr. et Colleg.

Cadavera defunctorum debere associari cum unica tantum Cruce, quae debet esse illius Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, dummodo non interveniat Capitulum Cathedralis, sub qua omnes incedere debent funus associantes; Officium vero in Ecclesia

praesente cadavere fieri debere per Sacerdotem illius Ecclesiae, in qua cadaver defertur. n. 936 ad 3 die 22. Nov. 1631; n. 1381 die 10. Maii 1642; n. 3241 ad 2 die 11. Aug. 1691; n. 4270 ad 4 die 16. Julii 1757.

Monachis Casinensibus et aliis Regularibus Aretii in funeralibus, quando interveniunt Capitulum et Canonici Cathedr., non licere erigere Crucem, sed incedere debere sub illa Capituli, praetensa consuetudine in contrarium non bene et plene probata, minime suffragante. n. 2263 die 15. Martii 1664; n. 3072 die 2. Decb. 1684; n. 1532 die 4. Mart. 1645; n. 1536 ad 2 die 21. Julii 1645; n. 4430 ad 1 die 18. Sept. 1787.

Cadavera sunt deferenda cum unica tantum Cruce, quae debet esse illius Ecclesiae, ad quam corpus defertur, dummodo non interveniat Capitulum Cathedralis, quia tunc Crux erit ipsius Cathedralis, sub qua omnes funus associantes incedere debeant. n. 941 die 6. Dec. 1631; n. 1047 ad 11 die 6. Sept. 1636; n. 2235 die 4. Aug. 1663; n. 2920 die 6. Apr. 1680; n. 3002 die 26. Sept. 1682; n. 2576 ad 1 die 26. Mart. 1672.

Vocato ad funus Capitulo Cathedr. non aliam Crucem quam ipsius Capituli deferendam esse. n. 1260 ad 1 die 15. Sept. 1640; n. 1385 ad 1 die 31. Maii 1642; n. 3610 ad 4 die 21. Jan. 1702; n. 3613 die 11. Feb. 1702; n. 3977 ad 9 die 10. Apr. 1728.

Capitulum et Canonicis Metropol. Neapolis vocatos ad funus non posse a Regularibus ... Benedictinis etc. impediri, quin ingrediantur cum propria Cruce in Ecclesia Regularium. n. 2482 die 8. Junii 1669.

Non aliam Crucem quam Cathedralis esse deferendam in funeribus, quotiescunque intervenit Capitulum Cathedralis. n. 850 ad 2 die 16. Febr. 1630.

Capitulum et Canonici Castri Franci Dioecesis s. Miniati propriam Crucem adhibere valet in funeralibus cadaverum, quae humanda deferuntur ad Ecclesias Regularium, usque ad portam Ecclesiae Regularis tantum. n. 1838 die 4. Aug. 1657; n. 2518 ad 3 die 29. Nov. 1670.

Licere Capitulo et Canonicis in funeribus cum propria Cruce ingredi Ecclesiam Regularium, nec posse a Regularibus impediri. n. 1290 die 26. Jan. 1641; n. 3828 ad 6 die 19. Julii 1710.

Minores Conventuales, vocatos ad funus, incedere debere sub Cruce Capituli Collegiatae, quando Capitulum intervenit. n. 1307 die 23. Matii 1641; n. 4965 ad 4 die 17. Junii 1843.

Removendam esse Crucem, quae defertur inter Clerum et Canonicos, nec non aliam, quam deferunt Capellani Massae, et totum Clerum Metropolitanae debere incedere sub unica Cruce, quae immediate antecedat ipsum Clerum et Canonicos. n. 2868 ad 1 die 26. Nov. 1678.

Canonicos Cathedralis non posse Fratribus Conventualibus neque aliis delegare jus deferendi Crucem in funeralibus in praejudicium Canonicorum Collegiatae loci Cerretti Thelesinae Dioecesis. n. 1796 die 8. Apr. 1656.

In funeribus, quandocunque intervenerit Capitulum Collegiatae, omnes funus associantes incedere debent sub unica Cruce Capituli praedicti, quod praecedere debet Priori s. Nicolai et quibuscunque aliis eidem funeri intercessentibus. Si autem Canonici non capitulariter sed uti singuli invitati ad funus accedere velint, tunc Prior praedictus omnes praecedere debet et Crucem suae Ecclesiae deferri faciat. At si funus ad Ecclesiam Collegiatam s. Jo. Bapt. ducatur et Prior praefatus ad

illud fuerit invitatus et Canonici non capitulariter sed uti singuli interfuerint, praeterquam Archipresbyter ejusdem Ecclesiae, Prior caeteris omnibus praeferatur. n. 2109 die 2. Jul. 1661; n. 4877 ad 2 die 11. Aprilis 1840; n. 4965 ad 4 die 17. Junii 1843.

Ad dubium: An servanda sit immemorabilis consuetudo deferendi solam Crucem Cathedralis in funeribus per unum ex parochis ipsius Cathedralis, etiam Capitulo non interveniente, sed solo ejus parocho?

S. C. resp.: Servandam esse consuetudinem. n. 2309 ad 2 die 24. Jan. 1665.

In funeralibus unica Crux adhibeatur illius Ecclesiae, ad quam defertur cadaver, secus vero si Capitulum Cath. vel Colleg. interfuerit; tunc enim Crux capitularis privative adhibenda est. n. 2103 die 2. Julii 1661; n. 2113 die 2. Julii 1661; n. 2465 die 16. Febr. 1669; n. 2532 die 31. Martii 1671; n. 2708 ad 2 die 4. Aug. 1674.

Ad dubium: An parocho tam in via quam in Ecclesia parochiali, quando associat cadavera suorum parochianorum, prohibita sit erectio propriae Crucis praesente Capitulo Cathedr.?

S. C. resp.: Affirmative *praeterquam in actu peragendi Officium.* n. 3650 ad 4 die 28. Apr. 1703; n. 3828 ad 6 die 19. Julii 1710.

Vd.: *Processio funebr.* (Crux eccles. tumul. p. 816).

Ad dubium: An in associatione cadaverum sepeliendorum in Ecclesiis quorumcumque Regularium et praecipue Casinensium liceat Capitulo et Canonicis Cathedralis ad associationem invitatis Ecclesiam eorumdem Regularium ingredi cum cappa et rocchetto et in eadem sic assistere usque ad humationem cadaveris, sola Cruce dicti Capituli erecta et non alia? S. Congregatio etc. referente clarae memoriae Card. Petrucci respondit: Affirmative, ut in absolutione funeris sola adhibeatur Crux Ecclesiae tumulantis. Die 13. Julii 1697 *Aretina.*

II. Eccles. tumulantis.

Cf.: *Processio* (Crux Reg., decr. n. 4987); *Jurisdictio* (super cadaver); *Sepultura.*

Omnes vocatos ad funus incedere debere sub Cruce Ecclesiae, *ad quam corpus defuncti* defertur et nullam aliam Crucem erigendam in associatione cadaverum. n. 949 ad 2 die 13. Mart. 1632; n. 1832 die 30. Jun. 1657; n. 3151 die 22. Novbr. 1687; n. 3331 ad 1 die 15. Maii 1694; n. 3462 ad 2 die 15. Martii 1698; n. 3871 ad 1 die 18. Aug. 1714.

In funeralibus deferendam esse unicam tantum Crucem et illius Ecclesiae tantum, *ad quam corpus defuncti* defertur; post Crucem immediate sequantur fratres ipsius religionis, cujus est Crux, deinde alii secundum ordinem eorum et antianitatem. n. 498 die 30. Sept. 1614.

Parochus Sutrinus supplicavit declarari: An in concursu Cathedralis possit erigere Crucem associando defunctum suae parochiae in alia Parochia sepeliendum?

S. R. C. resp.: Unam tantum Crucem erigendam esse juxta alias decreta. n. 682 die 24. Apr. 1627.

Quando cadaver defertur ad Ecclesiam . . . Regularium, et Collegiata ejusdem loci non accedit uti Capitulum et capitulariter, tunc jus deferendi Crucem spectare ad ipsos Regulares. n. 2312 die 24. Jan. 1665.

Ad dubium: An Conventus s. Francisci Muri possit cum Cruce intrare parochias alienas ad levanda corpora defunctorum apud suas Ecclesias sepelienda, vel accedere sub Cruce parochi?

S. C. resp.: Sub Cruce parochi. n. 2518 ad 2 die 29. Nov. 1670.

Licere Regularibus deferre propriam Crucem in associatione cadaverum, quae in ipsorum Ecclesiis sepeliri debent nullamque aliam Crucem in associatione cadaverum intervenire debere, quia sub una tantum Cruce sunt deferenda cadavera, et illa debet esse illius Ecclesiae, ad quam corpus defertur. n. 745 ad 3 die 12. Jun. 1628; n. 979 die 15. Jan. 1633; n. 1190 die 19. Nov. 1639.

Cathedralem *parochialem* et ejus Capitulum non posse deferre propriam Crucem, sed sub Cruce Ecclesiae Regularium, in qua cadaver sepeliri debet, incedere debere, nisi adsit consuetudo contraria, quae probanda erit. n. 754 die 12. Julii 1628; n. 1875 die 16. Martii 1658.

Non posse Regulares impediri psalmos canere in processione funebri, dummodo incedant sine Cruce, quia in funeribus una tantum Crux est deferenda et illa debet esse illius Ecclesiae, ad quam funus defertur. n. 831 die 18. Aug. 1629.

Confraternitas mortis et quaecunque aliae Confraternitates saeculares Urbis non possunt in funeribus erigere Crucem. n. 2910 ad 1 et 2 die 27. Jan. 1680; n. 3796 die 24. Novbr. 1708; n. 3875 ad 1 die 21. Novbr. 1714; n. 3911 ad 7 die 9. Julii 1718.

Confraternitas SS. Sacramenti petiit, ut deferri liceat ultra Crucem Parochi in funeribus *proprium Crucifixum, qui est in maxima devotione populi.* S. C. resp.: *Servari decreta.* n. 1813 die 10. Martii 1657.

Non licere *Confessario et Capellanis Monialium* s. Clarae loci Carignani, nullius Dioecesis, erigere propriam Crucem in funeribus, quamvis cadavera deferantur ad Ecclesiam Monialium. n. 2162 die 1. Apr. 1662.

Regulares non possunt nec debent deferre propriam Crucem, quando corpora ad Ecclesias parochiales vel alio extra eorum Ecclesias deferuntur aut Capitulum Cathedr. intervenit. n. 2332 ad 1 die 31. Julii 1665; n. 2470 die 16. Febr. 1669.

Ad dubium: An Parochi in associatione cadaveris tenentur deponere Crucem in janua Ecclesiae Regularium, vel saltem eam collocare in loco distanti ab Officiatura? S. C. resp.: Sub unica Cruce sunt deferenda cadavera et debet esse illius Ecclesiae, *ad quam* corpus defertur. n. 2846 ad 3 die 20. Nov. 1677.

Ad dubium: An interveniente Capitulo Colleg. s. Laurentii Pedanae collegialiter ad funus associandum, sub quanam Cruce incedere debeat? S. C. resp.: Sub unica Cruce *Parochi* ejus Ecclesia, in qua tumulatur defunctus. n. 3206 ad 3 die 11. Mart. 1690.

Idem decret. pro Canonicis Colleg. civitatis Alatrini sub n. 4618 die 10. Maii 1826.

Ad dubium: An in funeribus explendis in Ecclesia Patrum Minorum Convent. s. Francisci in digniori loco consistere debeat Crux Ecclesiae tumulantis, seu potius illa Ecclesiae abbatialis et parochialis in casu? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4412 die 2. Aug. 1783.

Ad dubium: An in associatione cadaverum interveniente Clero saeculari una cum parocho saeculari et altero regulari omnes incedere debent sub Cruce Cleri et parochi saecularis? S. C. resp.: Omnes debere incedere sub una Cruce, nempe Ecclesiae tumulantis. n. 3957 ad 5 die 27. Febr. 1723; n. 4210 ad 1 die 19. Septbr. 1750.

Parochis licet in associatione cadaverum suorum parochianorum ingredi Ecclesias Regularium absque tamen facultate deferendi Crucem intra Eccle-

siam. n. 3520 ad 1 et 2 die 30. Maii 1699.

In associatione cadaverum posse parochos pro eorum commoditate ingredi Ecclesias Regular. sine Cruce elevata, non tamen pro assistendo functionibus exequialibus. n. 3529 die 12. Sept. 1699.

Ad dubium: An parochi, dum pervenerint ad fores Ecclesiae Regular., teneantur deponere Crucem in janua ipsa vel in sacrario Ecclesiae? S. C. resp.: Ad Episcopum pro concordia. n. 3750 ad 2 die 18. Sept. 1706.

Proposita causa de associatione cadaverum inter parochos et Regulares civitatis Mantuae S. C. resp.: Quoad delationem Crucis in decisis sub die 30. Maii 1699 (ut supra); quo vero ad ingressum parochorum ita esse, ut neque liceat eisdem Ecclesiam processionaliter circuire neque functionibus exequialibus assistere nisi tamquam quilibet de populo et multo minus illas turbare cum aliquo cantu. n. 3540 die 21. Nov. 1699.

Patres Minores Convent. Montis novi, invitati ad interessendum funeribus tumulandorum in parochiali, non possunt ingredi in eandem Ecclesiam elata Cruce et ita eam retinere prope feretrum usque ad finem Officii. n. 3722 ad 8 die 9. Maii 1705.

Ad dubium: An Archipresbytero Terrae Sideranis competat jus deferendi Crucem in associandis cadaveribus tam aliarum Ecclesiarum paroch. quam aliarum quarumcunque, in quibus cadavera tumulantur, privative quoad alios parochos, seu potius sit deferenda Crux propriae parochiae defunct.? S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. n. 3822 ad 1 die 22. Martii 1710.

Non licet parocho Cathedr. Forolivii *invitatus ad associationem* cadaveris sepeliendi in *Ecclesia paroch. defuncti* elevare Crucem. n. 3866 die 21. Apr. 1714.

In process. funerum de parochia s. Stephani, in quibus intervenit Capit. Colleg., incedendum est sub Cruce parochiae et praecedentia debetur parocho. n. 4073 ad 5 die 27. Apr. 1738.

Ad dubium: In funeribus deferendis ad Ecclesiam paroch. s. Petri, in quibus intervenit *invitatum ab haeredibus* Capit. Colleg., sub qua Cruce incedi debeat? S. C. resp.: Sub Cruce Ecclesiae s. Petri tumulantis. n. 4042 ad 7 die 21. Apr. 1736.

Parochos Bononiae teneri admittere sub eorum Cruce Consortiales aut Mansionarios illius Ecclesiae Metrop. et Collegiat. a defunctis aut ab illorum haeredibus vocatos ad funera ac Archiepiscopus procedat prout de jure tam contra Parochos renuentes illos admittere sub eorum Cruce, quam in casu, quo ausi fuerint evertere sive per se sive per alios sive mediate sive immediate Fidelium voluntates a vocatione Consortialium sive Mansionariorum in associatione ad funus. n. 4088 die 9. Maii 1739; n. 4109 ad 1 die 22. Apr. 1741.

Ad dubium: An et cui competat elevatio Crucis in associat. cadaveris? S. C. resp.: „Crucis elevationem competere ad Ecclesiam parochialem tumulantem, nempe si cadavera deferantur ad Ecclesiam Collegiatam s. Mariae Magdalenae (oppidi Ereti dioeces. Sabinen.), hujus Ecclesiae Crux est elevanda etiam si defunctus ad s. Hilarii paroeciam pertineret, et vicissim Crucis elevatio competit ad paroeciam s. Hilarii, si defunctus in hac Ecclesia sit tumulandus, quamvis de paroecia Collegiatae esset, quum sub una tantummodo Cruce Ecclesiae tumulantis in funeribus esse procedendum pluries decreverit S. R. Congreg., praesertim

in Melphitana 12. Jul. 1628, in Lucen. 15. Maii 1694, in Melevitana jurium parochial. et praeeminentiar. 27. Febr. 1723 et omissis aliis novissime in Alatrina 6. Maii 1826." n. 4673 ad 1 die 12. Nov. 1831.

Liceat hic sequentia scitu digna notare ex Bened. XIV. Instit. Eccles. 105. num. 24. 25. 26. 27. 53. 54, ubi simul occasione consuetud. Bononiensis non pauca in materia funeralium exponuntur et illustrantur, in haec quidem verba:

„Cum ab aedibus (loquitur de consuetudine Bononiensi) sive ab Ecclesia parochiali cadaver effertur, tot Crucis vexilla praeferuntur, quot accitae fuerunt Sodalitates, ut cadaver ipsum prosequantur. Ita omne Sodalitium erigit vexillum suum, et singuli Ordines Regularium Crucis signum quoque deferunt eo prorsus modo, qui in publicis supplicationibus praescribitur. Idem institutum servatur, etiamsi Capitulum hujus Metropolitanae accersitum fuerit. Singuli enim Ordines Crucem suam praeferunt, at illa Capituli, quam sequuntur Canonici, locum propiorem cadaveri sibi sumit. Quod si Ecclesia, ubi tumulus eligitur, inter parochiales adnumeretur, tunc ipsius vexillum praefertur, non vero parochiae, ad quam defunctus pertinebat. Uterque parochus Crucem eamdem sequitur parochiae, ubi cadaver sepulturae committendum est, ita tamen, ut Rector parochiae *a qua*, dexterum latus obtineat, donec per ditionem parochiae suae incedit vel etiam per alienas parochias, quae interponuntur, usque ad confinia parochiae *ad quam*, et statim ac eos terminos attigerit, locum suum Rectori parochiae, ad quam, concedit et ipse latus sinistrum occupat."

„Si vero Ecclesia tumulando cadaveri proposita nullo parochiae titulo praedita sit, vexillo Crucis non utitur, sed illud Ecclesiae parochialis, *a qua*, solum praefertur. Insuper, si Ecclesia non parohialis, ubi cadaver sepeliri debet, addictum sibi proprium Sacerdotem habeat; veluti Praefectum Regularis Conventus, ubi defunctus tumulum sibi constituit, aut Capellanum Sodalitii, in cujus sacris aedibus cadaver condendum est, tunc Sacerdotes ejusmodi proprium sibi locum desumunt, atque ita Praefectus Conventus incedit cum suis Regularibus, si ipsi ad supplicationem funebrem interveniant. Capellanus autem Sodalitium suum prosequitur, si illud accitum fuerit, ut funebrem pompam comitetur, et tum Rector parochiae *a qua* reliquis omnibus solus anteponitur."

„Si hanc consuetudinem diligenter expendamus, nonnulla juri communi consentanea, alia vero prorsus aliena deprehenduntur. Ac primum juri cohaeret, quod Sodalitates vel Ordines Regularium, quae ad pompam funebrem vocantur, ad parochiam defuncti prius se conferant et inde ad ipsius domicilium sive ad eam Ecclesiam, ubi cadaver expositum fuerit. Porro id contingit, cum defunctus ita jusserit vel ipsius haeredes ita decernunt. Equidem saepius constitutum ac sancitum fuit, haud opus esse, ut cadaver in Ecclesia Regularium aut alia quacumque sepeliendum in parochiali Ecclesia prius deponatur, nisi forte defunctus ipse sive haeredes id statuerint. Petitum fuit a S. Congregatione die 14. Martii anno 1722 in *Lucana* funerum: „An cadavera defunctorum sepelienda in Ecclesia Patrum Minor. de Observ. Terrae Petrae Sanctae, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad parochialem, et eorum ibidem debeat fieri expositio usque ad horam sepulturae?" S. autem C. resp.: Negative. Eadem sententia die 16. Martii 1726 lib. 76. decret. p. 122., atque iterum

die 6. Febr. anno 1734 in *Tolentina* funerum confirmata fuit. Insuper ex jure communi desumitur, quod Capellanus Sodalitii, in cujus Ecclesia tumulum sibi defunctus eligit, si ad pompam funebrem veniat, post Sodales suos locum teneat: *Bassius* de Sodalitiis quaest. 5. n. 9."

„Juri pariter valde accommodatum videtur, quod cadaver ab aedibus suis minime efferatur neque ab Ecclesia, ubi collocatum fuerit, nisi parochus intersit, ad cujus ditionem pertinet defunctus, nisi forte idem parochus accitus venire recusaverit, nec alios in locum suum Sacerdotes sufficere velle declaraverit. Decreta super hac re *Passarinus de statu hominum* t. 2. quaest. 187. art. 4. n. 153 et 154., *Donatus* Rer. Regular. t. 3. tract. 10. quaest. 12 et 13., *Lantusca* in Theatro Regular. ad vocabulum: *associatio cadaverum*, ac *Pignatellus* consult. 49. tom. 3. fuse commemorant, et ob eadem decreta scriptores unanimes idem docent: *Samuel* de Sepulturis tract. 1. controv. 5. conclus. 5., *Pirhing* ad tit. Decretal. de Sepultur. §. 1. n. 34. et seqq., *Monacell.* in formular. legali practico tom. 1. tit. 5. form. 7. n. 34. et seqq., *Ursaya* tom. 2. suar. discept. part. 2. discept. 30. n. 84. et seqq."

„Sed abhorret a jure communi tot Cruces deferri in pompa funebri, quot Sodalitates vel Ordines Regularium accersiri contigerit: siquidem Ecclesiae, ubi defunctus terrae mandatur, solum elevandum vexillum die 16. Martii anno 1726 S. Congregatio constituit, omissis aliis sententiis, quae eadem Congregatio haud dissimiles olim promulgavit. Siquidem in Volaterrana petitum fuit: „An Archipresbyter associando cadavera sepelienda in Ecclesia Patrum Conventualium teneatur incedere sub illorum Cruce, seu potius valeat propriam Crucem elevare?" Responsum est: „Affirmative quoad primam, et negative quoad secundam partem. Lib. 79. Decretor. p. 122."

„Congruit alia quoque sententia, quam die 29. Januarii anno 1735 S. Congr. edidit, cum *Sabiensis causa* funerum proposita fuisset. Sed alienum magis a jure videtur, quod Sodalitia vel Ordines Regularium suas Cruces praeferant, cum Metropolitanae Ecclesiae Capitulum ad funebrem pompam invitatur; nam ipsius solum vexillum tunc elevandum est, et omnes, qui ad exequias celebrandas acciti fuerunt, illud sequi debent, uti a S. Congregationibus Rom. toties decretum fuit: *Monacell.* in l. c. n. 38 et 39., *Ursaya* tom. 7. suarum discept. part. 1. discept. 6. num. 65. et seqq. et tom. 9. part. 1. disc. 36. n. 79. et seqq."

„Cum ob antiquam consuetudinem in hac civitate ac dioecesi minime id observetur, sed tot vexilla Crucis ferantur, quot Sodalitates vel Ordines Regularium pompae funebri interfuerint, quemadmodum ab archiepiscopali curia Cardinalis Gabrielis Palaeoti primi hujus urbis Archiepiscopi deprehenditur illis verbis: „Expresse praecipimus, ut omnes et singuli statis horis simul convenire debeant sub suis quique Vexillis et Crucibus in locum, ubi defunctus erit, ut sepeliri possit"; quod institutum quidem tenetur, etiamsi Capitulum Metropolitanae Ecclesiae accesserit. *Hieronymus Pediera de funeribus associand.* Ideo vetustatis gratia nihil novi statuendum volumus et consuetudines a Decessoribus nostris jam inductas permittemus, ea tamen conditione, ut aliae quaecumque Sodalitates, Ordines Regularium et Capellani conductitii prius ad Metropolim conveniant, quoties ejus Capitulum funeribus associandis intervenerit et in eo loco pompa funebris incipiat usque ad domicilium defuncti sive ad Ecclesiam, ubi cadaver fuerit expositum . . ."

„Quae cum ita sint, quoties cadaver ab Urbe in Dioecesim vel a Dioecesi in Urbem transferri contigerit, nobis statuendum reservamus, an Rector Dioecesanus praelata Cruce in Urbem se conferre debeat et an Parochus Urbanus praelata Cruce a civitate proficisci. Quod si nemo pro re declaranda nos convenerit, decernimus, privatim a Dioecesano Parocho civitatem esse subeundam, qui deinde aedes defuncti sive templum petat, ubi cadaver ipsius depositum est, consuetum officium Urbanus Rector persolvat, atque, praelata Cruce, ambo induti superpelliceo stolaque cadaver associent. Idem praecipimus urbano Parocho, cum defunctus in Dioecesi ad suam Ecclesiam efferendus est; quippe indecorum est sepulchro cadaver, nisi vexillum Crucis praeferatur. Juri autem communi maxime consentaneum superius ostendimus, quod in funebri pompa Crux ejus Ecclesiae sola praecedat, ubi defunctus sepelitur. Accedit, quod veteri consuetudine institutoque hujus Urbis ac Dioecesis vexillum illius tantum Ecclesiae deferri solet, ubi cadaver tumulo committitur, si tamen inter parochias recenseatur, non vero Crux alterius parochiae, ubi aegrotus vitam expiravit."

„Parochus primum locum semper occupat, donec in sua ditione versetur: *Card. de Luca de Praeeminentia disc. 16. num. 3 et 4.* Quare urbanus Parochus dextero incedet latere, donec Parochi Dioecesani limites attigerit. Tunc enim ipsi primum locum concedet. Eodem pacto, cum Parochus urbanus cadaver efferre debebit ex Dioecesi, tum Rector Dioecesanus in sua Parochia dexterum latus occupabit, donec venerit ad Ecclesiam, ubi defunctus sepulturae mandatur. Aliquod sane discrimen intercedere cognoscimus in his officiis, quae modo praescripsimus; sed ita decernendum putamus et aliquid urbanis Parochis prae Dioecesanis esse tribuendum."

Sic Bened. XIV. loc. et num. citatis.

III. In transitu per alienam parochiam.

Cf.: *Crux* (defer. per alt. paroch.).; *Sepultura; Process. funebr.* (via).

Curatus, per cujus Parochiam alter Curatus cadaver sui Parochiani transfert, non potest erigere propriam Crucem et cadaver aspergere in signum jurisdictionis. n. 1011 die 19. Decbr. 1634.

Parochus s. Sylvestri Sutri potest sine licentia et consensu Parochi Cathedr. transire cum Cruce per alienam parochiam, associando cadaver tumulandum in Ecclesia Regul. extra propriam parochiam. n. 3094 die 15. Sept. 1685.

c) Exitus

I. A Cathedrali.

Vd.: *Defunctus; Processio funebr.* (crux et p. 816).

Monachos cadavera associantes accedere debere ad Cathedralem et sub ejus Cruce procedere. n. 2708 ad 2 die 4. Aug. 1674.

Regulares ad funus vocatos teneri ad Cathedralem accedere et inde ad domum defuncti... cum Capitulo procedere. n. 1783 die 19. Febr. 1656; n. 2072 die 11. Sept. 1660; n. 3650 ad 2 die 28. Apr. 1703.

Confraternitates teneri ad Cathedral. accedere, quandocunque Capitulum funeribus interfuturum sit. n. 2078 die 20. Nov. 1660.

Tam *Saeculares quam Regulares etiam exemptos* in Cathedralem, alias in parochialem, ad quam funus defertur, convenire debere et non expectent per vias vel adeant domum defuncti, consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante.

n. 1536 ad 1 die 21. Julii 1645; n. 1688 die 22. Nov. 1653.

Regulares in funeribus, quando intervenit Capitulum, convenire debere in Cathedrali . . . etiamsi cadaver deferendum esset ad Ecclesiam Regularium; functiones autem super cadavere ad dictam Ecclesiam delato spectare ad Regulares. n. 2429 die 10. Dec. 1667; n. 2510 ad 2 die 9. Aug. 1670; n. 3407 ad 4 die 22. Decbr. 1696; 28. Apr. 1703.

Quando Cathedralis capitulariter intervenit funeribus, ab ipsa incipiendam esse processionem in *omnibus casibus*. n. 2525 die 24. Jan. 1671; n. 3650 ad 1 die 28. Apr. 1703; n. 4270 ad 3 die 16. Julii 1757.

Semper et ubique in Cathedralem conveniendum, si ejusdem Capitulum intersit ad funus. n. 3292 ad 4 die 17. Sept. 1822.

Capitulum invitatum ac etiam parochum convenire debere in ipsa Cathedrali, etiam quod cadaver sit in parochiali. n. 2546 die 13. Jun. 1671; n. 4132 ad 3 die 15. Sept. 1742.

Si cadaver fuerit domi, tunc omnes ad Cathedralem accedere debere, inde ad domum defuncti funus associaturos usque ad Ecclesiam, in qua tumulandum est; expleto autem funere, Capitulum Cath. non esse associandum. n. 3091 die 28. Julii 1685.

Vd.: *Capitulum* (associatio).

Ad dubium: An nova conditio parochorum s. Mariae maj. et s. Petri eosdem liberet a servando usu, qui antea viguit, accedendi ad Cathedralem ad levandum chorum, invitatum ad funera suorum parohianorum?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, servandam esse consuetudinem accedendi ad Cathedralem, dum *chorus* invitatur ad funus, non obstante nova Parochorum conditione. n. 4592 ad 2 die 17. Sept. 1822.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Quum a regula, quae fere universaliter obtinet, recedendum sit in locis, ubi mos est conveniendi in aliam Ecclesiam, parochiali posthabita, dum defuncti corpus levandum est, jam patet morem hunc, ubi viget, non esse immutandum. Atqui ea Tridentini constans fuit consuetudo, ut invitato ad funus secundi ordinis Clero Cathedralis, in hanc fieret collecta, vel Parochus domicilii independens esset ac liber, vel potius amovibilis et a Cathedrali dependens, non est cur modo hujusmodi consuetudo sit intercipienda sub inani praetextu, quod, nova facta plebium divisione, altera ex quatuor paroeciis, quae scilicet independens erat, suppressa, Parochis nova data sit institutio, qui propterea perpetui evaserunt et a veteri subjectione liberi. Nova siquidem conditio novum iisdem decus affert, sed non aeque ipsos eximit ab eo onere, quod non a conditione pendet, verum a consuetudine, quae conformis est regulae a Romano Rituali traditae ac pluribus confirmatae decretis. Ideo Sacra Congregatio sancivit in *casu*, de quo agitur, servandam esse consuetudinem.

Ad dubium: An, dum ad funus alterius Paroeciae Ecclesia Cathedralis seu *Chorus sine Capitulo Canonicorum* invitatur, hic ad ineundam processionem funeralem accedere debeat ad Ecclesiam illius Paroeciae, non obstante contraria consuetudine, vel saltem possit in via expectare Clerum ejusdem Paroeciae aut convenire ad domum defuncti, an possit abstinere a comitando funere?

S. C. resp.: In casu etc. quoad primam et tertiam partem jam provisum in antecedendi; quoad secundam: nullibi nulloque in casu licere expectare per viam vel ad domum

defuncti, ut pluries haec S. C. sancivit. n. 4592 ad 3 die 17. Septbr. 1822.

Nota Gardell ad hoc Decretum:

Dubium hoc tres partes habet. *Scite autem responsum fuit: ad primam et tertiam partem jam provisum in antecedenti,* quia semel ac decisum fuit: *in casu etc. servandam esse consuetudinem,* declaratum simul est, Chorum Cathedralis nec teneri accedere ad Ecclesiam parochialem defuncti, et cum in suo jure permaneat expectandi Parochum domicilii in eadem Cathedrali, nequit ab eo comitando abstinere, quia cessat renuentiae ratio. Secunda pars Dubii erat declaranda, quum certum exploratumque sit ac centies decisum, quod nunquam, nullo in casu et nullibi liceat expectare in via aut convenire ad domum defuncti. Praeter Decreta superius relata, alia etiam habentur, in quibus hoc est magis expressum; ita in *Fossanen.* 21. Julii 1645: *Tam Saeculares quam Regulares etiam exemptos ad funera mortuorum vocatos in Ecclesiam . . . ad quam funus defertur, convenire debere, et nullo modo permittendum, quod expectent per vias vel adeant domum defuncti, consuetudine etiam immemorabili non obstante;* et in *Nicien.* 9. Aug. 1670: *Regulares vocatos ad associandum, nullo modo expectare debere per vias aut in domo defuncti etc.*

Ad dubium: Denique ubinam conveniendum est ad processionem funeralem, dum Canonicus Ecclesiae Cathedralis in aliena paroecia domicilium habens moritur, cujus cadaver juxta morem nostrum pro exequiis celebrandis ad Ecclesiam Cathedralem deferri debet?

S. C. resp.: „Omnes funus associantes in casu etc. accedere debere ad Cathedralem, etiamsi Capitulum non intersit, sed solum ejusdem Parochus una cum altero domicilii.

Et ita censuit ac servari mandavit. n. 4592 ad 5 die 17. Septbr. 1822.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Quum Tridenti mos sit, quod cadavera Canonicorum, etsi eorum domicilium sit sub aliena paroecia, deferantur pro exequiis persolvendis ad Cathedralem; hujus Parochus ille est, qui funus levare debet, et quum dignior ille sit, utpote qui Capitulum, in quo residet habitualis cura, repraesentet, decet, ut funebris processio e Cathedrali egrediatur, proptereaque ad hanc omnes conveniant. Nam si ex consuetudine Parochus domicilii cum suo Clero ad Cathedralem accedere debet, ibique excipere Chorum, etiamsi defunctus ad aliam paroeciam pertineat et alibi sit tumulandus, ut declaratum est supra in secundo, multo magis idem ordo servandus erit, dum Canonicus defunctus efferendus est ad Cathedralem, quae attenta qualitate personae ibi exponendae et tumulandae, potius ejus paroeciae censenda est, quam altera domicilii.

II. Ab Eccles. Colleg.

Ad dubium: An invitato Capitulo Colleg. omnes tam Saeculares quam Regulares necnon parochus defuncti intervenire debent in Ecclesiam Colleg., ut omnes sub unica Cruce Capituli incedant? S. C. resp.: Affirmative juxta alias decreta. n. 4877 ad 3 die 11. Apr. 1840.

III. Ab Eccles. paroch.

Omnes vocatos ad funus in Ecclesia parochiali vel in alia juxta loci consuetudinem convenire debere. n. 785 ad 1 die 9. Dec. 1628.

Vocatos ad funus in Ecclesia parochiali defuncti vel in alia convenire

debere. n. 790 die 20. Dec. 1628; n. 2072 die 11. Sept. 1660; n. 3406 ad 2 die 24. Nov. 1696.

Regulares, quatenus associationi non fuerint invitati, tenentur expectare et recipere cadavera in janua eorum Ecclesiae. n. 4316 ad 2 die 7. Maii 1763.

Absque exactione aliqua posse accedere Regulares non vocatos ad funeralia. n. 808 die 31. Martii 1629.

Clerum et alios vocatos ad funus in parochialem vel in aliam Ecclesiam, juxta loci consuetudinem, convenire debere. n. 900 die 8. Martii 1631.

Regulares omnesque alios processionaliter vocatos ad funus convenire debere in parochialem Ecclesiam juxta loci consuetudinem et nullo modo per vias expectare permittendum. n. 935 die 2. Aug. 1631; n. 2190 die 20. Nov. 1662; item n. 2191 sub eodem dato; n. 2332 ad 2 die 31. Julii 1165; n. 2824 die 15. Junii 1677; n. 1201 die 4. Febr. 1640; n. 1372 die 14. Apr. 1642; n. 1611 ad 8 die 25. Septbr. 1649.

Regulares omnino convenire debere in parochialem Ecclesiam et nullo modo permittendum ire recto tramite ad domum defuncti vel expectare per vias. n. 970 ad 3 die 15. Dec. 1632.

Idem decretum n. 2176 die 3. Jun. 1662 cum appendice: „etiam si cadavera tumulanda deferuntur ad Regularium Ecclesias." n. 2390 die 15. Jan. 1667; n. 2460 die 12. Jan. 1669; n. 2510 ad 1 die 9. Aug. 1670; n. 2518 ad 1 die 29. Novbr. 1670; n. 2525 ad 1 die 24. Jan. 1671; n. 2547 die 13. Jun. 1671; n. 2574 ad 3 die 19. Decbr. 1671; n. 2706 die 4. Aug. 1674; n. 3179 ad 1 die 22. Jan. 1689.

Nullo modo licere expectare per vias vel ire ad domos defunctorum, sed convenire debere in Collegiatam, dummodo non adsit contraria consuetudo in loco conveniendi in aliam Ecclesiam, prout disponit Rituale Romanum. n. 1081 die 24. Julii 1638; n. 1593 die 21. Mart. 1648; n. 2353 die 13. Febr. 1666.

Regulares esse cogendos opportunis remediis vocatos ad funus convenire in parochialem. n. 1083 die 24. Julii 1638; n. 2273 ad 6 die 24. Maii 1664; n. 3448 die 14. Dec. 1697; n. 3462 ad 2 die 15. Martii 1698; n. 4217 ad 3 die 26. Junii 1751.

Omnes convenire debent in processionibus funeralibus in Ecclesiam parochialem et nullo modo permittendum, quod expectent per vias vel petant domum defuncti. n. 1527 die 11. Febr. 1645; n. 2830 die 10. Julii 1677.

Attenta maxima distantia Ecclesiae regularis tum a parochiali tum a domibus, a quibus cadavera defunctorum sumenda sunt, ne eorum Ecclesia debito chori servitio fraudetur, fratres non cogendos esse, ut accedant ad funera, verum si invitati interesse voluerint, eos teneri accedere ad Ecclesiam parochialem, ut inde cum parocho ad domum defuncti procedant. n. 2065 die 12. Junii 1660; n. 2432 die 10. Martii 1668.

Quicunque sive Saeculares sive Regulares Clerici, qui ad funus associandum vocati fuerint, ne recta via pergant ad domum defuncti ibique vel per vias expectent, etiamsi in eorum Ecclesia mortuus sit sepeliendus, sed in parochiali vel in alia commodiori de consensu parochi congregentur et inde cum parocho ad locum, unde cadaver asportandum erit. n. 2275 die 24. Maii 1664; n. 2771 die 21. Martii 1676; n. 3035 die 2. Octbr. 1683; n. 3223 ad 2 die 10. Jun. 1690; n. 3509 die 21. Mart. 1699; n. 3881 ad 1 die 14. Decbr. 1715.

Idem decretum n. 2912 ad 10 die 24. Febr. 1680 pro Confraternitatibus emanatum est, si in eorum Oratoriis mortuus sepeliendus esset. n. 3784 ad 4 die 28. Apr. 1708.

Quodsi cadaver fuerit depositum in aliqua Ecclesia, tunc omnes funus associantes, non excepto Capitulo Cath., ad eandem Ecclesiam convenire debere. n. 3091 die 28. Julii 1685.

Parendum esse decretis ipsius S. R. C. per Fratres Dominicanos Siderni, scilicet conveniendi in Ecclesia parochiali cum toto Clero, et inde unitim discedendi ad domum defuncti sive in civitate sive in illius suburbiis existentem, non obstante consuetudine per ipsos Fratres allegata expectandi in eorum Ecclesia et Conventu existente in suburbiis, quando parochus et Clerus ante ipsam Ecclesiam transire debet ad effectum accedendi ad domum ipsius defuncti. n. 2473 die 23. Martii 1669; n. 2652 ad 3 die 12. Aug. 1673; n. 3151 die 22. Nov. 1687. Idem decr. pro Patrib. Minor. Maceratae n. 3839 ad 3 die 22. Aug. 1711.

Etiam Cathedralis Canonici tenentur convenire ad parochialem, quando vocantur ad funus. n. 2222 ad 3 die 16. Junii 1663.

Capitulum Colleg. Pedanae funus associans debet convenire in Ecclesia ppr. Parochi defunctorum. n. 3206 ad 4 die 11. Martii 1690.

Ad dubium: An Patres Conventuales, occasione funerum, teneantur convenire in Ecclesia parochiali ad levandum parochum, sive cadaver sit tumulandum in ipsa parochiali sive in eorum propria Ecclesia Regulari sive sit positum in una regione ejusdem Terrae sive in alia, dummodo intra limites parochiae?

Et S. eadem R. C., tam in voce quam in scriptis partibus auditis, respondendum censuit: „Affirmative, dummodo cadaver non reperiatur licite depositum in alia Ecclesia."

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3722 ad 7 die 9. Maii 1705.

Parochi defuncti tenentur accedere Ecclesiam Archipresbyt. Terrae Sideranis ad effectum associandi cadavera. n. 3822 ad 2 die 22. Martii 1710.

Ad processionem funeralem regulariter conveniendum ad parochialem, nisi consuetudo sit conveniendi in aliam Ecclesiam, juxta praescriptum ritual. rom. et S. R. Congr. decreta. n. 4592 ad 1 die 17. Sept. 1822.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Etiamsi omnes, qui ad funus vocantur, regulariter convenire debeant in Ecclesiam, cui praeest parochus domicilii vel defunctus afferendus tumulandusque sit in eadem, vel potius in altera Regularium aut Sodalitatum etc., nihilominus haec regula non est tanto cum rigore accipienda, ut ubique semper et indiscriminatim servanda sit; imo suas habet limitationes et vim habet diversa locorum consuetudo, si alicubi in more sit positum, collectam fieri in alia Ecclesia, ad quam etiam parochus domicilii cum suo Clero accedere debet. Quamobrem si aliqua hac super re excitetur quaestio, decidendi ratio non ab fere universali modo et praxi, verum a peculiari loci consuetudine petenda est. Quae quidem consuetudo non illis adnumeratur, quae a legis praescripto recedunt, quum ab ipsa lege praeservetur. Clara est Ritualis Rubrica tit.: *De ordine* exequiarum num. 1.: *Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus et alii, qui funeri interesse debent, et in parochialem vel in aliam Ecclesiam juxta loci consuetudinem ordine conveniant.* Videri possunt Commentaria ad hunc Ritualis locum tam *Barruffaldi* quam *Catalani;* sed

frustra ad Scriptorum auctoritatem confugiendum, dum regula, quam ponit Rituale, nulla indiget interpretatione. Innumera fere sunt decreta S. R. C., quae regulam confirmant, praesertim vero in *Tropien.* 20. Mart. 1631 et 19. Febr. 1656, *Theatina* 2. Aug. 1631, *Firmana* 24. Jul. 1668 et 20. Novbr. 1662, *Imolen.* 14. Maii 1644, *Senen.* 11. Febr. 1645, *Aesina* 31. Julii 1665, *Thelesina* 24. Novbr. 1696.

Reatina.

Sodalitium a s. Francisco Stigmatibus insignito nuncupatum, quod in cryptis Basilicae Cathedralis Reatinae erectum reperitur, ab immemorabili, quando ad defunctorum cadavera socianda vocatur, assolet a propria aedicula ad defuncti domum pergere et in via manere, quin, ut et communis fert praxis et per decreta pluries definitum est, ad parochialem Ecclesiam conveniat, ex eaque ad funus associandum cum parocho caeterisque ad funus convocatis discedat et ad defuncti domum pergat. In quam quidem consuetudinem etsi nunquam animadvertere destiterint parochi Reatini, illam de medio tollere per se impares tandem hanc S. R. C. adire constituerunt et rem omnem ingenue exponentes enixe efflagitarunt, ut declarare dignaretur: utrum, non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, praefatum Sodalitium, quum ad defunctorum cadavera associanda cogatur, teneatur accedere ad parochialem Ecclesiam parochum excepturum, praesertim quum ab eodem Sodalitio feretrum deferatur?

Super expositis requisita quum fuerit informatio cum voto a Rmo Reatino Episcopo, auditis interesse habentibus, et deinceps per infrascriptum Secretarium facta fuerit distincta relatio in ordinario coetu S. R. C. ad Vaticanum habito superiori anno 1853 15. Kal. Oct., rescriptum fuit: „Ponatur in folio exquisito voto Magistri Caeremoniarum.“

Quum itaque in novo ejusdem S. C. R. coetu ad Vaticanum pariter hodierna die coadunato Emus et Rmus Dom. Card. Ludovicus Altieri Relator designatus proposuerit votum alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis panditum typisque cusum, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi post diligens omnium examen per affirmativum responsum ad parochorum Collegii instantiam declarandum, definiendum constituerunt: Sodalitium S. Stigmatum civitatis Reatinae, non obstante contraria etiam immemorabili consuetudine, teneri, quum ad defunctorum cadavera socianda vocatur, ad Ecclesiam parochialem accedere nulloque modo permittendum, ut domum defuncti directe petat vel per vias expectet.“

Et ita rescribendum servandumque omnino in casu mandarunt. n. 5198 die 8. Apr. 1854.

Nullo modo permittendum est a funus comitantibus parochum expectari per vias vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine expectandi per vias vel ad domum defuncti.

S. R. C. 12. Febr. 1633 in *Thelesina.*

Ad dubium: An Patres Convent. s. Francisci Montis Aerei invitati accedentes ad funus convenire debeant in Ecclesia paroch. ejusdem loci, inde omnes unacum parocho processuri ad locum, ex quo defunctus est efferendus?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 16. Martii 1726.

IV. E loco depositionis cadaveris.

Ad dubium I.: An illatis cadaveribus privato ab haeredibus ad aliquam

tertiam Ecclesiam per modum depositi Regulares convenire et congregari debent in dicta tertia Ecclesia aut in parochiali, ad effectum illa associandi ad Ecclesiam, ubi sunt tumulanda?

II.: An cadavera sepelienda in Ecclesiis Regularium, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad parochialem, et in ea permanere per aliquod tempus?

Ad I. S. Congreg. inhaerendo aliis decretis respondit: Regulares debere congregari in illa Ecclesia tertia, ubi cadaver fuit depositum, ut supra.

Ad II. S. C. resp.: Negative.

Die 13. Julii 1675 in *Senogall.*

Vd.: *t. II. p. 821. decr. n. 3091. 4592.*

V. Juxta consuetudinem.

Funus Comitantes in paroch. Ecclesia vel in alia juxta loci consuetudinem omnino convenire debent. S. R. C. 8. Febr. 1631.

Ad dubium: An PP. Ord. Praedicat. Terrae Floriani debeant convenire in Ecclesia par., sive ... parochi aliique Ecclesiastici ex pretensa consuetudine debeant accedere ad Eccles. s. Thomae de Aq. eorundem Regularium?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, servetur consuetudo loci. n. 3522 ad 1 die 11. Julii 1699; n. 3690 ad 1 die 7. Junii 1704.

Ad dubium: An PP. Minor. Convent. Caselli ad associationem invitati teneantur accedere ad levandum Plebanum ab Ecclesia parochiali seu potius debeat Plebanus se conferre prius ad domum defuncti juxta immemorabili consuetudinem?

S. C. respondit: Servetur solitum. n. 4210 ad 3 die 19. Septbr. 1750. *Hoc decretum est revocatum per aliud* n. 4217 ad 3 die 26. Junii 1751.

Ad dubium 1.: An PP. Carmelitae Aquen. vocati ad associanda defunctorum cadavera prius convenire debeant ad Ecclesiam parochialem cum eorum Cruce et deinde se conferre ad domum defuncti? et quatenus negative;

2.: An ad eundem effectum sub qua Cruce et in quo loco Patres expectare debeant parochum et alios Exequiis intervenientes?

S. C. C. resp.: In casu, de quo agitur, posse convenire in Ecclesia viciniori domui defuncti et in tumulatione cadaveris sub unica Cruce Ecclesiae tumulantis.

Die 9. Jun. 1708 et 27. Apr. 1709 ad 12 et 13.

Regulares oppidi Massae non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis ad effectum associandi cadavera in eisdem sepelienda sed sufficere, quod illi expectent ante januam. S. R. C. die 22. Junii et 13. Julii 1675. S. C. Ep. et Reg. die 17. Aug. 1708.

Funus comitantes in parochiali Ecclesia vel in alia juxta loci consuetudinem omnino convenire debere.

S. R. C. 8. Febr. 1641 in *Tropien.*

Vd.: *t. II. p. 821. decr. n. 4592. Process. funebr.* (via).

d) Praecedentia.

Cf.: *Confraternit.*; *Praebendarii*; *Stola*; *Sepultura*; *Canonici* (habitus in l.); *Eleemosyna pro funeribus*; *Stola in funeribus*; *Parochus* (praeced.); *Processio funebr.* (crux eccles. tumul. — Instit. Bened. XIV.); *Processio* (Clerus etc.).

Praecedentiam semper per totam viam convenire Canonicis et Clericis Ecclesiae Cathedr., a domo defuncti usque ad Ecclesiam, in qua corpora defunctorum sepelienda erunt, sive ex jurisdictione Cathedralis ad Abbatialem deferantur. In Ecclesia vero, ubi corpus sepelitur, Officium facien-

dum erit ab eo Curato, qui Ecclesiae praefuerit. n. 327 die 18. Nov. 1606.

Locum digniorem in funeralibus semper relinquendum esse Capitulo et Clero Ecclesiae Cathedr. n. 1415 die 13. Sept. 1642.

Praecedentiam dandam esse in funeribus Capitulo Cathedr. etiam super Parochum defuncti. n. 850 ad 1 die 16. Febr. 1630.

In delatione cadaveris, quotiescunque intervenit Capitulum et Clerus Cathedralis, praecedentiam competere Capitulo et Clero ejusdem Cathedralis. n. 2442 die 9. Junii 1668; 28. Apr. 1703.

In processione funebri, ubi cadaver defertur, Canonicos et Capitulum Ecclesiae Cathedr. praecedere debere Rectores curatos Parochialium Ecclesiarum. n. 35 die 2. Dec. 1592.

In processione funebri non convenire Curato, quamquam suae parochiae defunctus ad sepeliendum in Ecclesia Cathedrali duceretur, praecedentiam, sed Canonicis. n. 164 die 30. Aug. 1602.

Curatum Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, quando adest Capitulum Cathedralis, debere praecedere quoscunque alios Presbyteros, non autem dicto Capitulo et non cum Mansionariis et inter aut post illos. In Ecclesia vero, ad quam funus defertur, ad Curatum ipsius Ecclesiae pertinere Officium facere circa corpus defuncti. n. 224 die 20. Dec. 1603.

Ratione stolae dandam esse praecedentiam Capellano, qui curam Ecclesiae Cathedralis exercet. n. 385 die 14. Junii 1608.

Debetur praecedentia *per vias* in associatione funeris Capitulo Collegiat. capitular. intervenienti et non parocho defuncti. n. 4877 ad 1 die 11. Apr. 1840; n. 4965 ad 3 die 17. Junii 1743.

Canonico turnario stolam gestanti debetur praecedentia supra Dignitates in associatione cadaverum. n. 4030 ad 4 die 12. Martii 1735.

Parochi stolam deferentes in funeribus etiam in districtu propriarum Ecclesiarum non possunt praecedere Capitulum et Dignitates Cathedr. processionaliter cum Cruce et collegialiter incedentes. n. 3376 die 17. Dec. 1695.

Capitulo interveniente parochum defuncti, etiam quod sit stola indutus, *incedere debere ante Canonicos Cathedralis*. n. 2576 ad 2 die 26. Mart. 1672.

Parochum in Colleg. Mutilian. ratione stolae debere praecedere Canonicis ejusdem Colleg. etiam in funeralibus. n. 2450 die 15. Sept. 1668.

Praecedentiam competere Capitulo et Canonicis supra omnes alios et etiam supra proprium parochum stolam deferentem. n. 1098 die 24. Sept. 1638.

Praecedentiam deberi Capitulo et Canonicis Cathedral. supra proprium parochum deferentem stolam, non obstante contraria consuetudine. n. 1063 die 10. Julii 1638; n. 3093 ad 1 die 15. Sept. 1685.

Praecedentiam dandam esse in funeralibus Presbytero sive saeculari sive regulari cum stola supra alios sine stola. n. 778 die 20. Nov. 1628.

Ratione stolae deberi praecedentiam illam deferenti etiam ante Archipresbyterum et alios omnes cotta tantum indutos. n. 865 die 22. Junii 1630; n. 1804 die 10. Junii 1656.

In funeribus, quae fiunt in Ecclesiis Regularium, pertinere ad Curatum deferre stolam et facere confessionem generalem versus populum. n. 407 ad 1 die 20. Junii 1609.

Illum Presbyterum seu Curatum seu Priorem, qui defert stolam et ad

cujus Ecclesiam funus defertur, alios omnes praecedere debere. n. 416 die 24. Oct. 1609.

Vd.: *infra decr. n. 4695.*

Locus dignior in funeralibus semper relinquatur *Capitulo et Clero Ecclesiae Cathedral.*, parochum vero defuncti vel parochum Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, digniorem locum obtinere debere et praecedere quoscunque alios presbyteros, non autem *Ecclesiae* Cathedralis et debere incedere *ante* Capitulum Ecclesiae Cathed. In Ecclesia vero, ubi corpus defuncti sepelitur, ad parochum ipsius Ecclesiae pertinere Officium facere. n. 442 die 25. Junii 1611; n. 3641 die 20. Jan. 1703.

Capitulum, Canonicos et Curatum Cathedralis *post* Curatum defuncti stolam deferentem incedere debere. n. 785 ad 2 die 9. Dec. 1628.

An Parochum ipsum in associandis funeribus defunctorum propriae ipsius parochiae in loco praecedentiam spectare juxta Ritualis dispositionem. n. 573 die 13. Junii 1619.

Dum totus Clerus incedit sub unica Cruce, quisque debet incedere cum suo capite, non ratione praecedentiae, sed ne membra dividantur a suo capite. n. 2420 ad 2 die 13. Aug. 1667.

Capellanus et Sacrista Colleg. Canthianae debent praecedere proprio parocho defuncti cum Capitulo, non ratione praecedentiae, sed quia, cum sint de gremio, efficiunt cum eo unum corpus, quod non potest dividi. n. 2221 ad 1 die 16. Junii 1663.

In funeribus Canonici Collegiatae praecedant supra parochos etiam defuncti, dummodo incedant capitulariter cum Cruce. n. 2206 die 17. Martii 1663.

In *associatione funerum*, salva legitima loci consuetudine, deberi Capitulo Collegiatae praecedentiam supra parochum etiam proprium defuncti, sine praejudicio tamen in reliquis jurium parocho competentium. n. 1505 die 14. Maii 1644.

Vicarium s. Antonii, etiam quod sit stola indutus, in concursu cum Capitulo Collegiatae, incedere debere ante ipsum Capitulum in funeralibus. n. 1222 die 31. Mart. 1640.

Capitulo interveniente parochum defuncti etiam stola indutum incedere debere ante Canonicos Cath. n. 1260 ad 2 die 15. Sept. 1640.

Ministri, qui a patriarchalibus Ecclesiis de Urbe ad defunctum cum stola recipiendum et deducendum ad eorum Ecclesiam transmittuntur, praeferri et praecedere debent proprio parocho. n. 708 die 25. Sept. 1627.

Praecedentiam dandam ante parochum Collegiatae, sed Officium facere spectare ad proprium parochum. n. 711 die 20. Nov. 1627; n. 1566 die 13. Sept. 1646.

Praecedentiam et Officium facere circa cadavera in propriis Ecclesiis Regularium ad ipsos Regulares spectare et competere. n. 713 die 20. Nov. 1627; n. 717 ad 1 die 11. Dec. 1627.

Interveniente solo Archipresbytero Collegiatae Pedonae ad funus associandum et altero Curato stolam deferente, Curato danda est praecedentia. n. 3206 ad 5 die 11. Mart. 1690; n. 3308 die 18. Apr. 1693: *cum appendice:* cum stola etiam per viam praesentibus Archipresbytero et Canonicis Collegiatae.

Curatum et Sacristam Cathedralis, etiam quod sunt amovibiles, quando intervenit Capitulum Cathedr. (sub cujus Cruce incedunt Curatus et Sacrista) debere praecedere proprio parocho defuncti. n. 905 die 8. Mart. 1631.

Tres ex Canonicis Colleg. sub Cruce Capituli de Ordine associantes funus repraesentare totum Capitulum ad effectum habendi praecedentiam supra omnes alios funus associantes. n. 1162 die 23. Maii 1639.

Tres ex Canonicis Collegiatae associantes funus repraesentare totum et integrum Capitulum vocatum ad funus. n. 1227 die 28. Apr. 1640.

Capitulo Cathedrali deberi praecedentiam per vias supra parochos defunctorum, etiam stolam deferentes, dummodo Capitulum interveniat cum propria Cruce. n. 1269 die 15. Sept. 1640.

In associandis cadaveribus nonnisi vocatos intervenire debere et ideo Capitulum Ecclesiae *Collegiatae* abstinere debere prout abstinet. n. 1281 die 12. Jan. 1641; n. 1328 die 11. Maii 1641.

Quod si Canonici sponte et bono zelo impulsi funus associare velint, non in habitu canonicali neque collegialiter cum propria Cruce, sed in eorum habitu ordinario uti singuli, post feretrum sequi debere. n. 1345 die 11. Nov. 1641.

Capitulum *Cathedr.* non vocatum non intervenire debere in funeribus. n. 1282 die 12. Jan. 1641.

Praecedentiam in associando cadavere *defuncti improvisa morte* intra limites alterius parochiae spectare ad parochum domicilii. n. 1333 die 2. Julii 1641.

Praecedentiam competere Capitulo et Canonicis Colleg. supra parochum defuncti, quando cadaver ad Collegiatam defertur. n. 2074 die 11. Sept. 1660.

In associatione funeris ad aliquam Ecclesiam parochialem, in qua Archipresbyter et Capitulum Colleg. cum proprio parocho defuncti simul conveniunt, praecedentia danda est proprio parocho. n. 3767 die 2. Apr. 1707.

Ministros Basilicae s. Petri et eos, qui a dicta Basilica et Capitulo ad defunctum cum stola recipiendum et deducendum transmittuntur, praecedere debere proprio parocho defunctorum, ut etiam alios, et sub die 25. Sept. 1637 S. C. declaravit: „pro Basilica s. M. maj. et aliis Ecclesiis parochialib. (Patriarchalibus?).“ n. 2376 die 26. Junii 1666.

Canonicus, cui collata est cura animarum, si velit incedere in funeribus cum stola et gerere personam parochi, locum non habet inter Canonicos, sed incedere debet uti parochus ante Capitulum Cathedr. post caeteros presbyteros. Si autem velit interesse uti Canonicus, stare debet loco suae receptionis sed sine stola, deferenda hoc casu per digniorem de Capitulo. n. 3250 die 24. Nov. 1691.

Ad dubium: an Canonici non solum in via sed etiam in propria Ecclesia parochiali praecedere debeant ipsi parocho in funeribus et aliis functionibus, non obstante praetensa contraria consuetudine?

S. C. resp.: Affirmative, praeterquam in actu faciendi Officium, quod spectat ad parochum. n. 3650 ad 3 die 28. Apr. 1703.

In processionibus funer. debetur parochis praecedentia supra Mansionarios tam Ecclesiae Cath. quam s. Mariae Aretinae civitatis incedentes sine Canonicis et Capitulo. n. 3733 ad 1 die 12. Sept. 1705.

Praecedentia non debetur sacerdotibus vice parochorum et de eorum mandato intervenientibus in processionibus funeral. exceptis vice parochis exercentibus jus parochiale.

Ibid. ad 2.

Ad dubium: 1. An Curato regulari competat praecedentia super Canonicos saeculares in associatione cadaverum?

2. An etiam competat in accessu vel recessu a dicta associatione cadaverum respective seu funerum absolutione?

Et eadem S. R. C. respondit ad utrumque: „Affirmative“ tam in voce

quam in scriptis partibus informantibus auditis. Et ita declaravit et servari mandavit. n. 3815 die 17. Aug. 1709.

Congregationi Sacerdotum saecular. in associatione confratrum defunctorum competit Imolen. praecedentia supra Regulares. n. 3933 ad 1 die 19. Aug. 1719.

Congregationi Presbyter. saecul. Oppidi Novar. in associatione cadav. aliisque functionibus ecclesiast. competit praecedentia super Regulares. n. 4373 die 15. Mart. 1774.

Ad dubium: an occasione associationis cadaverum in Ecclesia PP. Minor. Convent. Valentiae liceat praeposito et parocho Collegiatae cum Clero vel sine ingredientibus Ecclesiam dictam cum stola et Cruce elevata, praecedere hebdomadarium regul. indutum superpellicco et stola usque ad locum exequiarum?

S. C. resp.: Negative. n. 4008 ad 1 die 15. Mart. 1732.

Ad dubium: An in funeribus, facta ab haeredibus electione, dum Orator uti parochus advocat ad funus Cathedralis Capitulum, possit praecedentiam habere incedendo cum stola ante feretrum, locumque in stallo supra Capitulum assumere, cujus ipse est Canonicus supranumerarius?

S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Affirmative in associatione cadaverum: in Officio pariter affirmative, si hebdomadarii munus exerceat.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

N. 5133 ad 1 die 22. Julii 1848.

Ad dubium: An et cui competat praecedentia in associatione cadaveris?

S. C. resp.: „Affirmative ad parochum defuncti, dummodo non deferat canonicalia insignia, si fuerit Canonicus Collegiatae, etiam si isti collegialiter incedant. Saepissime enim a S. R. C. declaratum fuit, ad parochum defuncti spectare in funeribus stolam deferre, aqua benedicta cadavera aspergere, antequam e domo efferantur, et Antiphonam praecinere: *Exultabunt Domino.* Immo a S. C. C. in Callien. Jurium parochialium 20. Decb. 1828 declaratum fuit: hoc pertinere etiam in funeribus Canonicorum Ecclesiae Cathedralis. Praecedentia vero parochi supra Capitulum Collegiatae statuta fuit a S. R. C. in Faventina 15. Sept. 1668 et alibi. Praesertim vero (in casu hoc) definire censuimus, quum Collegiata s. Mariae Magdalenae Oppidi Ereti Dioecesis Sabinen. erecta fuerit a sa. me. Urbano VIII. absque ullo praejudicio alterius Paroeciae, quae, quum jam extaret, dici nequit Collegiatae filialis. Quod si ad consuetudinem convertatur sermo, numquam Canonici in funeribus parochum s. Hilarii praecesserunt. Si vero parochus iste fuerit Canonicus et Canonicalia Insignia deferre cupiat, tunc proprium locum inter Canonicos habere debet, namque facto suo in illo vel altero casu parochialibus privilegiis vale dixit et se esse contentum declaravit veluti Canonicum tantum censeri voluisse. Et ita dicimus, sententiamus, pronunciamus et declaramus omni meliori modo. Atque ita sententiarunt die 19. Sept. 1831.“ Quum autem super re percuperent omnes, ut opportunum ederetur Decretum et ad ea, quae in arbitramentali sententia ipsa omnibus pateat, et authenticum Documentum in Archivio earumdem ecclesiarum servari queat, S. R. C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata praesens decretum expediri jussit, atque a Capitulo et Canonicis Collegiatae Ecclesiae s. Mariae Magdalenae et parocho s. Hilarii Ereti Dioecesis Sabinen. sine ulla appellatione

servari mandavit, die 12. Nov. 1831 n. 4673.

Anagnina.

Praepositus Collegiatae Ecclesiae loci Piglio vulgo nuncupat. in Dioecesi Anagnina S. R. C. duo dubia dissolvenda proposuit, nimirum:

1. Quum in una Sassoferrati Nucerinae Dioecesis die 24. Octobris 1609 praescribatur:

„Illum Presbyterum seu Curatum seu Priorem, qui defert stolam et ad cujus Ecclesiam funus defertur, alios omnes praecedere debere etiam Canonicos Ecclesiae Collegiatae": et in una Praenestina Cavarum die 12. Maii 1618 contrarium asseratur, petiit declarari: utrum primum an secundum ex allatis Decretis servari debeat?

2. Quum declaretur in una Maceraten. sub die 10. Junii 1656 Capellano Curato ratione stolae in funeribus praecedentiam deberi, etiam supra alios quoscumque Sacerdotes Curatos simplici cotta indutos, declarari petiit: an idem valeat etiamsi alii Sacerdotes pro indumento habeant Mozzettam?

Et Emi ac Rmi Patres S. R. tuendis praepositi in Ordinariis Comitiis ad Quirinale infrascripta sub die coadunati, referente R. P. D. Secretario, respondendum censuerunt: „Praecedentiam competere illi qui stolam defert."

Atque ita rescripserunt die 28. Julii 1832 n. *4695*.

Vd. supra decr. n. *416*.

Quoad praecedentiam unius parochi, in cujus Ecclesia quis est mortuus, respectu alterius parochi Ecclesiae, ad quam defunctus sepeliendus effertur, extat optima dispositio inter Acta Ecclesiae Mediolanensis par. 2. Tit. de funere ducendo, vers.: cum ex parochia p. 286 ubi sic legitur: „Cum ex parochia, cui saecularis Sacerdos praesit, mortuus effertur, ut in parochiali Ecclesia sepeliatur, cui Regularis sit praefectus vel e contra, tunc utrique parochi superpelliceo et stola induti pares progrediantur, reliqui vero Regulares eum locum teneant, quem in generalibus processionibus tenere consueverunt, non obstante quacumque consuetudine vel pactione, quam inter se fecerant." „Idem vidi Romae servari, ubi quoque praecedentia datur parocho illius Ecclesiae, ad quam defunctus defertur." Sic in terminis *Barbosa* de Offic. et potest. parochi, part. 1. cap. 9. n. 8.

e) Quis dirigit?

Capitulo Cathedr. invitato in associatione cadaveris alterius parochiae competit dirigere processionem funebrem ad Ecclesiam tumulantem et non parocho ejusdem cadaveris. n. 4132 ad 1 die 15. Sept. 1742.

f) Via.

Vd.: *Process. fun.* (exit. etc.)

Corpora defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam parochialem deferenda, sed parochos teneri cadavera suorum parochianorum levare e loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiae Regularium. n. 1337 die 6. Julii 1641; n. 2619 et 2620 die 4. Mart. 1673; n. 3241 ad 3 die 11. Aug. 1691; n. 3603 ad 1 die 3. Decb. 1701.

Non licere Archipresbytero retentionem cadaveris defuncti, qui sibi sepulturam elegit in Ecclesia religionis, in sua Ecclesia, sed cadaver recto tramite sine ullo impedimento ad locum sive Ecclesiam destinatae sepulturae deferatur. n. 625 die 24. Apr. 1626; n. 721 ad 1 et 3 die 29. Jan. 1628; n. 1884 die 4. Maii 1647.

Idem decretum n. 2573 die 19. Dec. 1671 cum appendice: „Etiam haeredibus defunctorum contradicentibus et

ad parochialem prius deferri volentibus." Cadavera recto tramite ad Ecclesiam deferri debent S. C. Ep. 14. Jan. 1639.

Defunctorum cadavera in Regularium Ecclesiis tumulanda esse deferenda recto tramite ad Ecclesias Regularium, non autem prius ad parochialem. n. 2574 ad 4 die 19. Decb. 1671; n. 2733 ad 3 die 22. Junii 1675; n. 2899 die 2. Sept. 1679.

Spectare ad parochum declarare, per quam viam exportandus sit defunctus, et reliqua alia disponere usque ad januam Ecclesiae, quando cadaver est sepeliendum in Ecclesia Regularium. n. 2574 ad 5 die 19. Dec. 1671.

Quoad viam eligendam spectare ad parochum. n. 3002 die 26. Sept. 1682.

Processio funebr. fieri non valet per viam longiorem sed potius per breviorem ad Ecclesiam tumulantem, dummodo processio incedat per viam commodam atque decentem. n. 4132 ad 2 die 15. Sept. 1742.

Parochi Lacerinae exposuerunt, adesse consuetudinem, quod, quando parochiani defuncti sibi elegerunt sepulturas aliarum Ecclesiarum, transierunt associati a parocho per vicos et plateas aliarum Eccles. paroch. et Cathedralis absque ulla contradictione et solutione alicujus rei Capitulo Cathedr.

S. C. resp.: Parochos per Capitulum Cathedr. non esse molestandos. n. 2713 die 17. Nov. 1674.

Cadavera defunctorum etiam presbyterorum et Sacerdotum in Regularium Ecclesiis tumulanda, deferenda recto tramite ad Ecclesias Regular. non autem prius ad parochialem vel ad alias Ecclesias, non obstante contr. consuetudine immemorabili allegata formiter et legitime probanda. n. 2905 die 16. Dec. 1679.

Vd.: ***Process. funebr.*** (exit. ab Eccles. paroch.)

Ad dubium: An cadavera defunctorum in Ecclesia PP. Conv. s. Francisci montis Aerei sepelienda, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad parochialem seu potius recto tramite deferri ad Ecclesiam Patrum?

S. C. C. resp.: Negative, nisi defunctus vel haeres aliter ordinaverint. Die 16. Mart. 1726.

Ad dubium: An cadavera defunctorum sepelienda in Ecclesia Conventus Confratrum tertii Ord. debeant ad illam recto tramite deferri seu potius sint prius asportanda ad Ecclesiam paroch. et eorum ibi fieri debeant exequiae?

S. C. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Die 14. Maii et 9. Julii 1746.

Massanen.

Michael Pacinus plebanus portus Ferrarii cadavera defunctorum, qui sepulturam sibi elegerunt in Ecclesia PP. minorum s. Francisci de observantia, non posse statim efferri, sed in Ecclesia sua parochiali deponenda esse praetendens cum vigore monitorii A. C. super executione nonnullorum decretorum S. C. R. inhibitus fuerit, causam per R. P. D. auditorem Sanctissimi ad hanc S. C. remitti obtinuit, quae pro consueta informatione Episcopo rescripsit.

Ille autem refert, in ea dioecesi decreto synodali caveri, ne absque interventu et licentia parochi cadavera domibus efferantur aut ecclesiasticae sepulturae tradantur, asserens praeterea, quod, licet per eosdem regulares consuetudo exponendi cadavera in propria Ecclesia adducta fuerit, ex fidibus tamen coram se productis illa potius dicto plebano assistere videatur, cum sub protestatione ac expressa praeservativa jurium parochialium ipsum

licentiam ad id ut plurimum concessisse cognoverit.

Idem idcirco Episcopus utrique parti aliqualiter indulgeri posse censet, declarando nimirum, quod cadavera, quae statim domibus efferuntur, in Ecclesia parochiali usque ad horam humationis deponantur, nisi morientes in dicta Ecclesia PP. s. Francisci statim exponi se velle declaraverunt. Reliquum ergo est, ut EE. VV. modo statuere dignentur:

I. *An cadavera in Ecclesiis regularium sepelienda, antequam ad eas deferantur, asportari debeant ad parochialem? Et quatenus affirmative;*

II. *an et pro quo tempore ibi retineri debeant in casu?*

S. C. die 17. Aprilis 1706 respondit ad I.: negative;

ad II.: provisum in primo et amplius, — ut in lib. 56 decr. p. 121.

g) Via per aliam parochiam.

Vd.: *Process. fun.* (Crux in trans.)

Parochus praetendit, parochos cum funeribus illac transeuntes debere consistere et Regulares associantes funus de manu ipsius parochi debere cadaver recipere et ipsum uti proprium parochum defunctorum agnoscere.

S. C. resp.: Dictum parochum non posse neque debere impedire, quominus parochi suos defunctos comitentur usque ad Ecclesiam, in qua sepeliendi sunt. n. 615 die 14. Febr. 1626.

Ad dubium: an proprius parochus defuncti transeundo per parochiam unius parochi alterius cujuscunque dioecesis, ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad Eccles. Regul., possit libere et licite per eandem cum stola et Cruce elevata transire, etiam irrequisito parocho?

S. C. Ep. resp.: Affirmative.

Die 28. Nov. 1671.

(Bull. r. t. XI. p. 199.)

Curatus quidam conquestus est de altero curato alterius parochiae, quod illuc transiens orator cum aliquo cadavere sui parochiani praetendat ille curatus erigere propriam Crucem et cadaver aqua bened. aspergere in signum jurisdictionis, supplicans responderi, an hoc liceat?

S. R. C. resp.: Non licere, sed omnino abstinendum; prout in posterum omnino abstineri mandavit.

Die 9. Dec. 1634.

Ad dubium: An parochus s. Sylvestri civitatis Sutrin. possit et eidem licitum sit, sine licentia et consensu parochi Ecclesiae Cathedr. ejusdem civit., transire cum Cruce per aliam parochiam, associando cadaver tumulandum in Ecclesia Regul. extra parochiam propriam?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 15. Sept. 1685 *in Sutrina.*

Vd.: *Quarta funer.* (in trans.)

26) Generalis pro causa publica etc.

a) Obligatio Cleri saecul. et reg. interessendi.

Vd.: *Processio* (Oblig. Cleri etc.); *Process. ad Episcop. etc.*

Neapolitana.

(Conc. Tr. C. 13. Sess. 25. De Reg.)

Statim ac ad aliquam Civitatem certa defertur notitia de obitu Summi Pontificis, solemnes debent a Clero et populo Exequiae pro eo celebrari et usquequo certa deveniat notitia de successoris electione, Clerus et populus fundere debent preces ad Dominum, ut ipse, qui concordiam facit in sublimibus, efficiat eligentium corda in eligendo concordia, uti legitur *in cap.: ubi periculum de Electione in 6.*

Ad tramites hujusce canonicae dispositionis, statim ac ad civitatem Neapolitanam delatum fuit Nuncium obitus san. mem. Innocentii XIII., Curia

Archiepiscopalis Neapolitana Edictum publicavit, quo publicas supplicationes seu processiones indixit, cui Clerus saecularis et regularis interesse deberet pro Ope Divina imploranda in re maximi momenti, qualis est illa electionis Summi Pontificis.

Omnes de Clero tam saeculari quam regulari statis et assignatis in Edicto diebus ad processionem accesserunt, exceptis Clero s. Joannis ad Mare, s. Angeli ad Nidum et Patientiae Caesareae; quocirca ne sub obtentu ignorantiae memorati Edicti, licet ad Valvas Ecclesiae Metropolitanae et in aliis publicis et consuetis locis affixit, supradicti se eximerent ab interventu processionis, eadem Curia Metropolitana novum Edictum publicavit, quod etiam personaliter intimare fecit, in quo iis omnibus praecepit, ut ad processiones accederent, quae aliis sequentibus diebus fieri debebant pro Summi Pontificis electione, imposita suspensionis poena et Interdicti quoad eorum Ecclesias in casu inobedientiae.

Hisce minime obstantibus processioni non interfuerunt Sacerdos Marcus Mercadante Rector Ecclesiae s. Angeli ad Nidum unacum suis Capellanis et Sacerdos Nuntius Papalordo Sacrista Ecclesiae Patientiae Caesareae una pariter cum suis Capellanis; receptisque formiter testibus super eorum absentia Curia Metropolitana suspendi mandavit a divinis memoratos duos Sacerdotes salvo facultate procedendi contra Capellanos, necnon ad Interdictum quoad Ecclesias et Cedulones affixi fuerunt ad Valvas Ecclesiae Metropolitanae et personalis intimatio facta est Sacerdoti Mercadante et aliis contumacibus.

Fertur, nonnullos animo demisso supplicasse et obtinuisse suspensionis relaxationem, sed cum saepe memoratus Sacerdos Mercadante ss. Missae sacrificium subsequenter celebraverit et functiones ecclesiasticas subsequenter publice peregerit, post receptas super hisce gestis probationes praemissisque caeteris praemittendis, eodemque monito, ut se a Missae Sacrificio et aliis Officiis divinis — abstineret sub poena Excommunicationis minoris, deventum tandem fuit ad declarationem, quod ipse evaserat irregularis et quod majorem Excommunicationem incurrerat, cujus absolutio Sedi Apostolicae reservata fuit et post declarationem tam irregularitatis quam excommunicationis noluit Sacerdos Mercadante a Sacrificio Missae abstinere.

Haec est historia facti, quae primis duobus dubiis infra exponendis materiam suppeditavit et quia, antequam ad actus judiciales procederetur, Ecclesia s. Angeli ad Nidum Monitorium obtinuerat ab A. C. super observantia privilegii suae exemptionis a jurisdictione ordinaria, quo stante praetenditur manus Curiae Metropolitanae fuisse ligatas nec citra vitium attentatorum potuisse agere ea, quae egit, hinc in tertio dubio infra memorando promovetur disputatio de attentatis.

Circumferuntur scripturae, quae tamen usque adhuc ad me delatae non sunt, ita ut nihil aliud mihi supersit, quam nonnulla ex textu Concilii et ex regestis hujusce S. C. adnotare, quae ad rem facere posse videntur.

Quoad exemptionem habetur in Concilio Tridentino, eam non suffragari exemptis, quominus accedere debeant *ad publicas processiones*, uti legitur *sess. 25. cap. 13. de Regul. ibi: Exempti autem omnes tam Clerici Saeculares quam Regulares, quicunque etiam monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui ex strictiori clausura perpetuo vivunt.*

Quoad processiones, quaenam publicae dici valeant, resolutum fuit a S. C. in Ferrarien. 23. Septb. 1609

lib. 11. decret. p. 67 et die 28. Nov. 1609, eodem lib. p. 69 a tergo, ibi: *S. C. saepius declaravit publicas processiones, ad quas exempti ab Episcopis vocati accedere tenentur ex decreto capitis 13. sess. 25. de Regul. ejusdem Concilii, eas esse intelligendas, quae indictae fuerunt pro bono publico vel publico honore;* et rursus Sacra etc. censuit: *publicas processiones, de quibus idem Concilium sess. 25. cap. 13. de Regul. loquitur, intelligi solitas et consuetas, necnon eas, quae indictae fuerunt pro bono publico publicove honore.*

Quoad punctum compellendi exemptos etiam per Censuras, ut publicis processionibus interveniant, adest sequens resolutio *in Albanen.* 23. Sept. 1617 lib. 11. decret. p. 201 a tergo, ibi: *Sacra etc. auditis partibus respondit: Monachos s. Hieronymi, ut proponitur, ab Ordinario vocatos teneri ac potuisse compelli etiam poenis et censuris ecclesiasticis ad Rogationes Divi Marci aliasque publicas processiones accedere;* et concordat alia Resolutio in *Limana* 16. Aprilis 1633 lib. 14. decret. p. 729, ibi: *Sacra etc. censuit in illis casibus, in quibus Episcopis commissa est executio dispositionis Regulares comprehendentis, posse eosdem Regulares, si inobedientes extiterint, etiam per Censuras ad illius observationem compellere. Demum, quoad inhibitiones* A. C. responsum fuit a S. C. in *Spoletana* 23. Junii 1626 lib. 14. decret. p. 111, a tergo, ibi: *Sacra etc. respondit: Episcopum procedere posse ad executionem decreti ejusdem s. Concilii cap. 13. sess. 25. de Regul. declarationis hujus S. C., inhibitionibus A. C. non obstantibus.*

His positis dignabuntur EE. VV. decenere:

I. An Curia Archiepiscopalis potuerit cogere Rectorem seu Sacristam Ecclesiae s. Angeli ad Nidum ad interveniendum processioni?

II. An potuerit hoc facere per Censuras? Et quatenus affirmative;

III. An Censurae latae fuerint attentatae seu potius sustineantur ita ut Rector praedictus incurrerit irregularitatem ob celebrationem?

S. C. C. resp. *ad I.:* Affirmative;
ad II.: Affirmative;
ad III.: Dilata.

Die 30. Sept. et 18. Nov. 1724.

Iterum proposito eodem dubio S. C. C. resp. sub die 24. Mart. 1725
ad I. et II. dub.: In Decisis.
ad III.: Censuras non esse attentatas et in reliquis ad mentem.

Ad dubium: An teneatur praepositus Aquen., qui est parochus, in publ. gener. processionibus fieri consuetis monitos facere PP. Carmelitas, ut ad processionem accedant et quomodo?

S. C. C. resp.: Affirmative sive per nuntium sive per schedulas.

Die 19. Maii 1708 *ad III.*

b) Oratio.

In processionibus general., quando occurrit aliqua Ecclesia, fieri debet commemor. Titularis ejusdem Ecclesiae per Clerum *stando.* n. 2419 ad 5 die 13. Aug. 1667.

c) Quae est?

Vd. *t. II. p. 832: Process. gen.* (oblig.)

Processiones pro Litaniis majoribus Rogationum, occasione Jubilaei, pro pace, pluvia vel serenitate petenda inter generales censeri debent. n. 2286 ad 1 die 12. Julii 1664.

Parochus matricis Ecclesiae non potest ad suum libitum inchoare general. processiones sed expectare debet Canonicos Colleg. et indicenda est hora conveniens. *Ibid. ad* 2.

Generalibus processionibus parochus personaliter interesse debet et non per

substitutum, dum non obstet legitimum impedimentum.

Ibid. ad 3.

Vd.: *Processio solemnis: Processio gener.* (Oblig. Cleri saec. etc., decr. Neapol. diei 30. Sept. et 8. Nov. 1724.)

27) Genuflexio infra process.

Vd.: *Genuflexio cor. SSmo; SS. Sacrament.* (genuflex.)

28) In Hebdom. sancta.

Vd.: *Parasceve* (processio); *Processio Confrat.* (licita, decr. 28. Julii 1724 ad 4 *Bonon.*)

29) Hora.

Vd.: *Process.* (plures ead. die); *Processio* (tempus); *Processio ss. Corp. Chr.* (duae).

30) Imagines etc. circumferendae.

Vd.: *Processio* (Res circumf. etc.); *Processio* (Laici etc.); *Processio ss. Corp. Chr.* (Laici; quae res etc.)

31) Indictio et directio Episcopi.

Cf.: *Processio* (obligatio); *Processio Regul.* (via etc.); *Processio funebr.* (quis dirigit?); *Processio in festo Corp. Chr.* (transl., decr. n. 4200); *Processio* (licentia); *Processio prohibita; Processio* (mutatio, translatio).

Episcopus non potest cogere sed hortari laicos, qui cum vexillo confuse et sine ordine ad processiones accedunt, ut ordinate et cum candelis procedunt. n. *159* ad 6 die 3. Aug. 1602.

Episcopum horam processionis tam ss. Sacramenti quam aliarum quarumcunque processionum suo arbitrio indicere posse et intimari facere Clero, Magistratui et aliis quibuscumque interesse habentibus, qui omnes ordini et mandatis Episcopi obedire tenentur. n. 317 die 17. Junii 1606.

Ad Archiepiscopum pertinere indicere publicas processiones et ad illas per publicum edictum populum convocare.

Posse Archiepiscopum ex causa prohibere, ne fiant aliquae processiones ex devotione populi et Confraternitatum introductae, si fuerit repertum expedire, ut prohibeantur. n. 528 ad 1 et 2 die 14. Jan. 1617.

Ad Episcopum privative quoad alios in sua dioecesi pertinere indicere publicas processiones et ad illas per edictum publicum populum convocare.

Episcopi esse, indicere, decernere, dirigere atque deducere processiones de *Concilio* tantum Capituli, *non autem de consensu*. Id servandum esse in *omnibus* processionibus, quae tam in perpetuum decernuntur, quam in locis pro una vice tantum fiunt ob publicam causam. n. 614 die 14. Febr. 1626; n. 1388 die 31. Maii 1642; n. 1417 die 22. Nov. 1642; 8. Mart. 1749.

Ad Episcopum privative pertinere indicere et dirigere processiones, quo et qua maluerit, nec sine ejus licentia aliter fieri licere. n. 933 die 2. Aug. 1631.

Processiones edicere, decernere, dirigere et deducere ad Archiepiscopum pertinere de consilio tantum Capituli, non autem de consensu. n. 1519 ad 3 die 2. Julii 1644; n. 3201 ad 1 die 21. Jan. 1690.

Recedendum esse a decisis sub die *21. Jan. 1690* et translationem process. *privatarum* pertinere ad Capitulum cum approb. tamen Archiepiscopi. Die 3. Sept. 1695 in *Hispalen.*

Ordinationes publicarum et solemnium processionum spectare ad Archiepiscopum et illo absente ad ejus Vicarium. n. 2585 ad 1 die 14. Maii 1672.

Spectare ad Archiepiscopum cum Consilio Capituli tantum processiones consuetas *transferre* ex causa pluviae vel alia causa suo judicio legitima. n. 3201 ad 2 die 21. Jan. 1690.

Ad dubium: an Episcopus Justinopolitan. processionis Dominicanorum, sin-

gulis annis per quasdam consuetas vias peragendae, ex rationabilibus causis sibi benevisis, *mutare* possit ambitum illamque per diversas vias introducere etiam invito parocho, per cujus vias transitus fieri debeat?

S. C. resp.: *Affirmative.*

N. 3252 die 24. Nov. 1691.

32) Indictio et directio Vicarii generalis.

Vd.: *Processio* (ind. etc. Episcop. decr. n. 2585).

Processiones publicas edicere ac dirigere absente Episcopo spectare ad Vicarium general. cum consilio Capituli, prout pertineret ad Episcopum, si praesens esset. n. 880 die 28. Sept. 1630.

Processiones indicere absente Archiepiscopo spectare ad Vicarium generalem eo modo, quo spectabat ad Archiepiscopum. n. 954 ad 1 die 30. Apr. 1632.

Processiones publicas et privatas Capituli et Cleri dirigere et ordinare ad Episcopum et ejus Vicarium pertinere. n. 181 die 14. Dec. 1602.

Spectare ad Archiepiscopum et de ejus Mandato ad suos Vicarios circa jurisdictionalia indicere, dirigere et gubernare, etiam circa modum incedendi, processionem ss. Corp. Chr. et decidere discrimina, quae in ipsa forte evenirent. n. 3201 ad 3 die 21. Jan. 1690.

33) Ex Indulto Apostol.

Quoad processiones ex indulto Apostolico concessas Regulares illas posse facere absque alia licentia. n. 1344 die 11. Nov. 1641.

34) Interessendi Obligatio.

Vd.: *Process.* (Oblig. interessendi); *Process. Corp. Chr.* (Obligat. Cleri saec. etc.); *Processio* (ad Episcop. novum etc.); *Processio gen.*

35) Invitatio.

Vd.: *Processio funebr.* (praeced.); *Sepultura* (Oblig. associandi).

36) Laici Angelos etc. repraesentare non debent.

Vd.: *Processio ss. Corp. Chr.* (Laici etc.; quae res etc.)

Regulares in suis processionibus non possunt nec debent ducere puellas habitu fictitio Angelorum neque Bizzocheras. S. C. Ep. et Regul. in Ebredun. 19. Jan. 1691 apud Monac. t. 1. tit. 5. formul. 7. n. 33. Et jam decreverat in Placentina 4. Sept. 1602 et in Mutinen. 14. Jun. 1619, quod in dictis processionibus nec intermisceantur pueri, puellae vel etiam viri cum extraordinariis habitibus, puta Angelos vel Daemones referentibus; puellae vero neque cum suis vestibus ordinariis nisi in loco solito aliarum mulierum, cum facultate Ordinarii procedendi contra Regulares cujuscumque Ordinis inobedientes, ut in Cremon. 6. Sept. 1604.

37) Licentia Episcopi.

Vd.: *Confraternitas; Processio extraord.; Processio* (ex ind. apost.); *Processio Regularium* (decr. n. 2512; 2970; 1507; 1795; 3426; 3825); *Processio* (indictio, mutatio, translat.; Confrat.)

Confessario et Capellanis Monialium aut Capellanis Confraternitatum non licere processiones peragere sine licentia Ordinarii. n. 2162 die 1. Apr. 1662.

Nullibi tum Cathedrali tum Collegiatae et parochiali Ecclesiae licere processiones etiam ordinarias peragere sine licentia Episcopi. n. 2165 die 1. Apr. 1662.

Episcopum in universa Dioecesi absque parochi licentia posse facultatem tribuere processiones peragendi per vias et plateas publicas, prout sibi benevisum fuerit, eas ducendi. n. 2512 die

9. Aug. 1670; n. 2792 die 13. Junii 1676.

Episcopum in universa Dioecesi absque parochorum licentia posse facultatem tribuere processiones peragendi et per vias et plateas publicas eas ducendi; ideoque rectori seu Capellano Ecclesiae s. Augustini Accumuli licere processiones peragere easque ducere per vias et plateas intra limites parochiarum. n. 2186 die 2. Sept. 1662.

Regularibus s. Francisci Vianae pro faciendis processionibus per parochias non sufficit obtinere solam licentiam Ordinarii, sed requiratur copulative consensus parochorum, attento quod non solum agitur de praejudicio Episcopi sed etiam Ecclesiarum parochialium, quae defraudantur tam circa frequentiam divinorum Officiorum, sed etiam quoad perceptionem emolumentorum ac jurium parochialium. n. 2273 ad 3 die 24. Maii 1664.

Patribus Ordinis Praedicat. Barii licet consuetam processionem ss. Rosarii quolibet anno extra eorum ambitum facere, accedente dumtaxat Archiepiscopi consensu, irrequisitis Canonicis Cathedralis Barensis. n. 3205 die 11. Mart. 1690; n. 3440 ad 1 die 31. Aug. 1697.

Regularibus liberum est pro processionibus peragendis extra claustra licentiam petere vel ab Episcopo vel a parocho; immo, habita licentia ab Episcopo, qui est parochus parochorum, etiam contradicente parocho, possunt processiones ipsas extra claustra peragere. Sacra Congregat. Concil. in Nepesina 3. Aug. 1686 et in Volaterrana 16. Mart. 1625 ad decimum.

Vd.: *Processio int. vel ext. claustra.*

38) Licentia parochi.

Vd.: *Processio* (intra et ext. claust.; extra parochiam; licentia Episcopi); *Process. Regul.*

39) Ante vel post Missam facienda?

Ad dubium: an processio s. Philippi Nerii sit facienda ante vel post missam?

S. C. resp.: Utilius esset, ut fieret post missam. n. 3406 ad 1 die 24. Nov. 1696.

Vd.: *Missa in festo ss. Corp. Chr.*

Processiones prius fieri debent, dein Missa solemniter cantanda ex Rubrica Missalis Romani: *Institut. Eccles. 68. §. 12.* Nisi tamen aliter ob gravem causam Episcopo vel Clero videatur. *Ibid.* ex ead.

40) Quando Missa infra process. leg., quomodo genuflect.?

Vd: *Genuflexio cor. SSmo; SS. Sacram.* (genufl.)

41) Modus.

Vd. *p. 883, decr. n. 159.*

Processiones debent fieri ordinatim et successive absque aliqua divisione, tam quando incedunt quam quando stant. S. C. R. in Toletana 15. Maii 1612.

Edictum Episcopi prohibens explodi tormenta bellica per vias, dum fiebant processiones, sustinetur; e contra edictum Curiae Laicae permissivum post peractam processionem refellitur, prout de Jure. S. C. Immun. 2. Dec. 1698 lib. 2. Decret. Vall. p. 190.

42) In Monial. Ecclesiis et claustris.

Vd.: *Process. in Nocte; Process. intra vel ext. claustr.* (praecip. decr. Pii VI. t. II. p. 778.)

Regulares non possunt processiones in Monialium Ecclesias, quamvis eorum regimini subjectarum, inferre et introducere, licet adesset consuetudo. S. C. Episcop. et Regul. in una Olivetanorum 27. Mart. 1602 et in Pisauren. 24. Nov. 1617 in una Dominicanorum his verbis: „Cum S. C. innotuisset, nonnullos Ordinis s. Dominici Regulares occasione processionum per eosdem diebus

dominicis post Vesperas celebrari solitarum processionaliter in Monialium eorum regimini subjectarum Ecclesiis ingredi consuevisse, Illustrissimi ejusdem Congregationis Patres Episcopo Pisauren. Literas dari mandarunt, ut praefatum abusum omnino tollat provideatque, ut praefati Regulares, quovis praetextu processionum per ipsos fieri solitarum, in dictarum Monialium Ecclesias in posterum nullatenus ingrediantur."

43) Mutatio.

Quamvis Episcopus, adhibito consilio Capituli, praefigat, dirigat ac transferat processiones, non tamen potest pervertere et immutare ritum processionum praescriptum a Caeremoniali et Rituali Romano, neque de consensu Capituli. S. R. C. in Cajetana 26. Jan. 1698. Monacell. tom. 4. supplem. ad tit. 5. form. 7. tom. 1. n. 76.

Spectare ad Archiepiscopum cum Consilio Capituli tantum processiones consuetas transferre ex causa pluviae vel alia causa suo judicio legitima. n. 3201 ad 2 die 21. Jan. 1690.

Recedendum esse a decisis sub die 21. Jan. 1690 et translationem processionum *privatarum* pertinere ad Capitulum cum approbatione tamen Archiepiscopi. n. 3369 die 3. Sept. 1695; n. 3395 die 21. Julii 1696.

Ad dubium: an Episcopus Justinopolit. processionis Dominicanorum singulis annis per quasdam consuetas vias peragendae ambitum ex rationabil. causis sibi benevisis mutare possit illamque per diversas vias introducere etiam invito parocho, per cujus vias transitus fieri debeat?

S. C. resp.: *Affirmative.*

N. 3252 die 24. Nov. 1691.

Non licere Episcopo pervertere vel immutare ritum processionum praescriptum a Caeremoniali et Rituali Romano, neque de consensu Capituli. n. 1861 die 26. Jan. 1658.

Vd.: *Processio* (translatio, abusus); *Proc.* (licentia, indictio etc. Episcopi).

44) In Nocte.

Vd.: *Disciplinantes; Processio SSmi* (prohibita, decr. n. 323); *Parasceve* (processio).

Processiones facere de nocte cum ss. Sacramento feria quinta et sexta majoris hebdomadae non convenit et repugnat Mysteriis Ecclesiae et est abusus omnino tollendus. S. C. R. in Mantuana 18. Aug. 1606 apud Barbos. in Summ. Apost. dec. verb.: processio n. 12.

Processiones ut de nocte fieri possint feria sexta majoris hebdomadae, arbitrio Episcopi conceditur. S. R. C. in causa Indiarum 20. Jul. 1600 apud Barbos. l. c. n. 13.

Si autem aliqua processio fiat de nocte, non debet inferri in Ecclesiis Monialium. S. C. Ep. et Regul. 6. Sept. 1709.

45) Obligatio interessendi

a) Cleri saecularis adest.

Vd.: *Processio gener.* (oblig.); *Processio Corp. Chr.* (oblig. Cleri saec. interess.); *Processio Regul.*; *Paroch. ass. in Cathedr.*; *Confrat.* (process.); *Instructio Clem.* §. XX. n. 2; *Processio* (Episcopi poena); *Subcollectores.*

Processionibus generalibus indictis pro causa, bono vel honore publico tam Clerici saeculares Beneficia vel Officia Ecclesiastica habentes, quam Regulares invitati omnes interesse tenentur et adesse compelluntur Juris remediis juxta dispositionem Concil. Trid. sess. 25. cap. 13. de Regular. S. C. C. in Neapolitana processionum 3. Aug. 1709 et in alia Neapolitana processionis 11. Nov. 1724, ubi fuit resolutum, quod ad processiones generales tenentur accedere exempti et

illis recusantes intervenire excommunicationis poena puniri possunt.

Episcopus potest cogere Clericos Beneficiatos ad interessendum processionibus publicis. S. C. C. in Nullius Altamurae 26. Martii 1678. Etiam Censuris, quamvis non probetur consuetudo accedendi, dummodo Censurae sint comminatoriae, ferendae sententiae et in subsidium. S. C. in Surrentina 6. Aug. 1689.

Item processionibus publicis interesse etiam tenentur Clerici saeculares alicujus Ecclesiae, quamvis in fundatione illius exempti sint a jurisdictione Ordinarii, intra cujus dioecesim existunt. S. C. C. 21. Mart. 1702.

In processionibus publicis interesse cogi possunt Sacerdotes inservientes Ecclesiae Religionis Hierosolymitanae. S. C. C. apud Barbos. in Summ. Apostol. decis. collect. 607. n. 3.

Abbatem et Canonicos s. Archangeli cogi posse ab Ordinario etiam sub censuris accedere ad processionem Canonicorum Ecclesiae s. Mariae in Vigilia Assumptionis Titularis illius Ecclesiae. n. 1524 ad 1 die 11. Febr. 1645.

Nullo sub praetextu processionibus vel aliis quibuscunque solemnitatis ejusdem actibus, quae a *Cathedrali* celebrantur, Capitulum Collegiatae Ecclesiae s. Nicolai Andrien. cogendum esse. n. 1840 die 15. Sept. 1657.

Episcopum posse cogere ad interveniendum cum cotta processionibus ss. Sacramenti Sacerdotes et Clericos, qui nulla gaudent praebenda. n. 1922 die 7. Sept. 1658.

Archiepiscopum Neapolitanum procedere posse contra inobedientes et recusantes accedere ad processiones pro bono publico et de ordine SSmi indictas, non obstantibus quibuscunque inhibitionibus A. C. n. 2457 die 24. Nov. 1668.

Subcollectores, Commissarios et alias Camerae apostolicae ministros praesertim beneficia ecclesiastica possidentes teneri accedere ad publicas et solemnes processiones. n. 2125 die 23. Jul. 1661.

Canonicos s. Mariae Mediol., quamvis habentes titulum Capellanorum Regiorum, teneri et compelli posse accedere ad processiones, ad formam decretorum Ordinarii. n. 2212 die 28. Apr. 1663.

Capitulum Colleg., quamvis non invitatum, non solum potest interesse processionibus generalibus, sed est laudandum. n. 2225 ad 1 die 16. Junii 1663.

Sacerdotes simplices de numero non participantes neque de gremio Capituli et nullis gaudentes emolumentis et distributionibus non posse cogi ad processionem accedere. n. 2467 die 16. Febr. 1669; n. 2929 die 7. Dec. 1680; n. 2996 die 26. Sept. 1682.

Ad idem dubium S. C. resp.: *In casu, de quo agitur, cogendos esse et recedendum a decisis.* n. 3003 die 28. Nov. 1682.

Ad dubium: an teneatur et per Episcopum compelli possit Clerus Juliani intervenire in die Corp. Chr. processioni, quae fit in civitate Aversae, quae distat a dicta terra Juliani ultra duo milliaria, quo casu videtur obstare decretum de anno 1628?

S. C. resp.: Non obstante hoc decreto manuteneatur Episcopus. n. 2898 die 2. Sept. 1679.

In publicis processionibus tam ordinariis quam extraordinariis fieri solitis vel in posterum faciendis, non tamen ex regulari Instituto, ab Ecclesia parochiali s. Proculi, etiam de licentia vel mandato Archiepiscopi Bononiae et signanter in processione Corp. Chr., possunt Presbyteri et Clerici saeculares ejusdem Paroeciae intervenire induti superpelliceo et intortitiis,

etiam non invitati. n. 4431 die 27. Maii 1788.

In processionibus, quae fiunt per Capitulum Cathedr. in festivit. SSmi Rosarii, ss. Servi et Mauritii civitatis s. Severi, tenentur intervenire Cleri aliarum paroch. trium Ecclesiarum. n. 4132 ad 5 die 15. Sept. 1742.

Episcopo Suessano S. R. C. demisse supplicante declarare: An Sacerdoti suae dioecesis suffragentur literae patentales Commissariatus Reverendae Fabricae alterius dioecesis, ita ut ipsi, sine incursu poenarum a proprio Episcopo non interessentibus comminatarum, liceat non intervenire processionibus SSmi Sacramenti; et an ipsi condemnata ad solutionem poenae, veniat ea restituenda, attentis literis patentalibus praedictis?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit: „Episcopum bene processisse et ad D. Secretarium cum Oeconomo Reverendae Fabricae ad mentem."

N. 9730 die 22. Aug. 1705.

Archipresbyter et Canonici Collegiatae Sorae intervenire debent ad omnes processiones publicas et votivas. n. 3896 ad 2 die 5. Dec. 1716.

Mathelicen.

Quum in praesentiarum ex Apost. sanctione parochialis Abbatialis Ecclesia s. Antonii Abbatis in civitate Mathelicen. concessa fuerit Congregationi Sylvestrinorum et proinde parochus renuncietur alter ex Alumnis Congregationis ipsius, Capitulum Cathedralis illius S. R. C. rogavit enixe, ut declarare dignaretur, num parochus ipse etiamsi sit monachus teneatur accedere ad publicas et generales processiones, quae a Capitulo Cathedralis ipsius fieri assolent? seu an adhuc parochus Ecclesiae parochialis s. Antonii sit cogendus accedere ad publicas et generales processiones, quae fiunt a Capitulo, quod de anno 1754 Idibus Febr. a S. R. C. decretum fuit, dum Saecularis Sacerdos memoratae Ecclesiae praeerat? Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem subscripti Pro-Secretarii re maturo diligentique animo perpensa rescribendum censuerunt: „Affirmative in omnibus."

N. 5173 die 25. Sept. 1852.

b) Cleri saecul. non est.

Non sunt ab Episcopo compellendi interesse processionibus publicis Sacerdotes nullum Officium aut Beneficium ecclesiasticum in civitate vel dioecesi obtinentes. S. C. C. 9. Maii 1597 et Bened. XIV. Instit. Eccles. 21. §. 2.

Processiones publicas comitare cogere non potest Episcopus Clericos, qui sunt nullius dioecesis. S. C. C. apud Barbos. l. c. n. 6.

Processionibus publicis ab Episcopo cogendi non sunt interesse degentes extra civitatem in locis, in quibus habent plebem, quia cum illa plebe debent facere processionem. S. C. C. apud Campanil. in diversor. jur. Canonic. rub. 12. cap. 33. n. 117.

Sacerdos non habens Beneficium aliquod ecclesiasticum nec alicui Ecclesiae inserviens non potest cogi ab Ordinario ad interessendum processionibus. n. 1163 die 18. Junii 1639.

Protonotarius de numero non participantium, cum non obtineat Beneficium aliquod ecclesiasticum, ab Ordinario non cogi neque adstringi potest ad interveniendum processionibus. n. 1140 die 7. Maii 1639.

Presbyteri nullum Beneficium habentes in Cathedr. Pisauri non tenentur accedere ad processionem ss. Corp. Chr. n. 4417 die 27. Apr. 1784.

Sacerdotes nullum Officium aut Beneficium ecclesiasticum obtinentes cogi non possunt ab Episcopo ad publicas

processiones accedere. S. C. C. in Messanen. 7. Febr. 1632.

Suessana.

Ad dubium: An simplices Clerici, quamvis Beneficiati, sed nullum ab Ecclesia Cathedrali recipientes emolumentum teneantur eidem Ecclesiae inservire in Divinis, publicis processionibus intervenire et assistere Episcopo pontificaliter celebranti?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 14. Jan. 1736.

Vd.: *Processio* (Oblig. Cler. s. est, decr. n. 1840, 2467).

Spoletana.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 15. De Regul.)

Contendens Capitulum Ecclesiae Collegiatae Terrae Trebii se posse compellere parochos rurales Comitatus ad interveniendum processionibus ss. Corp. Chr. et s. Aemiliani dictae Terrae Patroni, cujus festum celebratur die 27. Jan., contra illos judicium instruxit anno 1699 coram Episcopo Spoletano, a quo contrariam cum passum fuisset sententiam, meliorem deinde expertum fuit sortem coram A. C., qui contra parochos pronunciavit; sed istis postea reclamantibus ad san. me. Bened. XIII., placuit dicto Summo Pontifici, causam denuo committere Episcopo Spoletano, qui, partibus auditis, procederet prout de jure, quacumque appellatione remota.

Redintegrata igitur coram dicto Episcopo hujus litis discussione prodiit favore parochorum sententia declarans: *Eos non teneri nec obligatos esse accedere ad praedictas processiones;* cui minime acquiescente Capitulo, tandem controversiae decisio sacrae huic Congregationi delegata fuit.

Notissimum est ss. Tridentini *decr. sess. 25. cap. 13. de Regul.*, quo statuitur, ut omnes Clerici tam saeculares quam Regulares ad publicas processiones vocati accedere compellantur. Inter publicas autem processiones nemo dubitat, praecipuam esse, quae fit in die solemnitatis ss. Corp. Chr., pariterque recensendam alteram in festo Titularis vel patroni loci ex antiqua consuetudine fieri solitam, ut habetur in Rituali Romano de processionibus, et tradunt communiter DD. de hac re tractantes.

Excipiunt tamen parochi rurales Comitatus Terrae Trebii, se compelli non posse ad interveniendum processionibus praedictis, eo quia sub memorato Tridentini decreto non comprehendantur Clerici extra civitatem vel Oppidum degentes cum propria plebe, juxta mentem hujus S. C., de qua testatur *Campanil. in divers. jur. Canon. rubr. 12. cap. 13. n. 117,* et passim firmant DD.; multoque magis, concurrentibus itineris longitudine ac viarum asperitate, cum sola distantia quingentorum passuum a moeniis Oppidi seu civitatis sufficiens reputetur, ne Clerici rurales licet curam Animarum non habentes teneantur accedere ad publicas processiones in ea fieri solitas, ut notat *Fagnan.* in cap.: *Nimis prava de Excess. Praelat. n. 11;* et re scripsit S. haec Congregatio juxta resolutionem, quam refert *Piasec. in prax. Episcop. par. 2. cap. 3. n. 51.*

Id autem intelligendum est, procedere in casu, quo contraria non vigeat legitima consuetudo, uti declaravit S. C. in *Strongolen.* 17. Junii 1645, in qua definitum fuit: Episcopum, ea concurrente, compellere posse Regulares, etiam ultra medium milliare a civitate distantes, ut intersint processionibus, lib. 17. decr. p. 483, quinimmo etiam ultra milliare, tradit *Matthaeuc. de Official Cur. Eccles. cap. 4. n. 8.*

Caeterum, ubi etiam parochi tenerentur accedere ad processiones praedictas, contendunt, se non posse mulctari a Capitulo utpote nullam super ipsis habente jurisdictionem, quae sig-

naliter in decernendis poenis contra renuentes accedere ad publicas processiones privative spectat ad Episcopum. S. C. in *Papien.* 8. Maii 1627 lib. 13. decr. pag. 256 et in *Bobien.* 16. Martii 1630 lib. 14. decr. p. 260.

Pro Capitulo nihil hactenus deductum est; ad Eminentiis VV. pertinet igitur decidere:

1. *An parochi rurales Commitatus Terrae Trebii teneantur processionaliter intervenire ad processiones ss. Corp. Chr. et s. Aemiliani Patroni?* Et quatenus affirmative;

2. *An possint mulctari a Capitulo in casu?*

S. C. C. resp. *ad 1.:* Negative;

ad 2.: Provisum in primo.

Die 25. Sept. et 20. Nov. 1734.

c) Cleri regul. adest.

Vd.: *Processio* (oblig. Cleri saecul., decr. n. 5173; decr. *Neapolit.* diei 30. Septb. et 18. Nov. 1724); *Processio* (ad Episcop. nov. sol. etc.); *Processio gener.* (obligat.)

Canonicos Regul. s. Augustini Oppidi Tangren. teneri accedere ad processiones ss. Corp. Chr., s. Marci, Rogationum et ad quascunque alias publicas et consuetas vel pro bono, causa et honore publico ab Episcopo indictas, nisi aliter iis ab apostol. sede expresse indultum fuerit vel iidem ultra medium milliare ab Oppido distent. n. 2187 die 2. Sept. 1662.

Tenentur Prior et Clerici regulares obviam ire et recipere processionem in die festi s. Isidori et litaniarum majorum. n. 144 ad 1 die 7. Sept. 1598.

Monachos s. Sixti Congreg. Cassinens. Placentiae commorantes non esse cogendos accedere ad alias processiones quam ad processionem ss. Sacramenti, juxta antiquam eorum consuetudinem. n. 151 die 10. Junii 1602.

Omnes Religiosos teneri ad observantiam libri Caeremonialis etc. et moneantur omnes Generales, Provinciales etc., ut numerum debitum, decentem et consuetum fratrum ad processiones mittant, non obstante quacunque consuetudine, quam abusum et non consuetudinem. n. 165 die 30. Aug. 1602; n. 3013 die 23. Jan. 1683.

Monachos Coelestinos opportunis juris remediis compellendos esse, ut ad processiones publicas accedant, nec inde recedant, nisi prius benedictione de more impertita. n. *1617* die 9. Julii 1650.

Regulares omnes posse compelli ad publicas processiones, quae indictae fuerunt ab Episcopo pro bono publico et publico honore. n. 409 die 27. Julii 1609; n. 970 ad 2 die 15. Dec. 1632; n. 2307 die 24. Jan. 1665; n. 2544 die 13. Junii 1671; n. 3310 die 9. Maii 1693; n. 4354 ad 2 die 22. Decbr. 1770.

Episcopum posse compellere omnes Religiosos tam mendicantes quam Monachos etiam exemptos sub poenis et censuris ecclesiasticis, ut accedant ad publicas et generales processiones, quae juxta declarationem Congregationis s. Conc. Tridentini cap. 3. sess. 1. 25. sunt pro publico bono vel honore indictae. n. 426 die 15. Maii 1610.

Regulares Mediolanenses teneri atque cogi et compelli posse accedere ad processiones Corp. Chr., Rogationum et ad eas, quae pro serenitate aut pluvia impetranda fieri solent, et ad quascunque pro bono publico aut honore indictas, et ad illam pro expositione et repos. SSmi pro Oratione 40 hh. in Ecclesia Metropolitana ab Archiepiscopo indictam. n. 2423 ad 4 die 5. Nov. 1667.

Fratres Joannis de Deo posse compelli ab Episcopo loci et sub poenis ecclesiasticis, ut accedant ad publicas et generales processiones, ad quas omnes Religiosi etiam exempti accedere solent, quae pro publico bono et honore

ab Episcopo loci indicuntur. n. 404 die 4. Julii 1615.

Monachi Cassinen. Monasterii Omn. Sanctorum Mantuanae, quamvis sint parvo numero sex Religiosorum, tenentur accedere ad processionem in solemnitate SS. Corp. Chr., quacunque consuetudine in contrarium non obstante. n. 3033 die 12. Oct. 1683.

Tam Religiosos existentes inter limites parochiae quam Confraternitates ab Episcopo compelli posse ad interessendum processionibus *fieri solitis a Parocho Ecclesiae paroch.* n. *3341* die 4. Sept. 1694.

Monachi Ordinis s. Basilii magni Oppidi Stilli tenentur accedere ad publicas processiones, quae infra annum habentur, et ad alias processiones extraordinarias, quae pro aliquo bono publico fieri acciderent. n. 3655 ad 1 et 2 die 23. Junii 1703.

Cum S. R. C., referente Emo et Rmo Dom. Card. Gabriello, controversiis exortis inter Capitulum Ecclesiae Collegiatae et Clerum ex una et Monasterium et Monachos s. Joannis Teresti Ordinis s. Basilii Oppidi Stilli Squillacens. dioecesis ex altera parte die 22. Junii 1703 super secundo dubio, nempe:

An dicti Monachi teneantur accedere ad alias processiones extraordinarias, quae pro aliquo bono publico fieri acciderent in eodem Oppido, etiam cum delatione reliquiarum s. Joannis Teresti, quae servantur in Ecclesia eorumdem Patrum, talique casu debeatur praecedentia Clero saeculari etiam in atrio Monasterii? responderit: „Quoad primam et tertiam partem affirmative; quoad secundam vero partem negative, id est dictos Monachos non posse compelli ad deferendas in publicis processionibus reliquias s. Joannis Teresti. Quod si istae reliquiae deferantur, deferri debeant a Monacho incedente in loco digniori processionis."

Cumque in praesentiarum ex parte praedictorum Monasterior. et Monachor. Ordinis s. Basilii demisse S. R. C. expositum fuerit, quod reliquiae s. Joannis Teresti, cum existant in quadam mole lignea, ab uno Monacho deferri nequeant, et propterea eidem S. R. C. humiliter supplicatum ad tollendas ulteriores controversias benigne declarare: An in casu proposito debeatur Monacho cum pluviali dignior locus, ac si reliquias propriis manibus gestaret?

Et eadem S. R. C., ad relationem ejusdem Emi et Rmi Dom. Card. Gabrielli, respondit: „Manacho cum pluviali induto incedenti in processione prope reliquias s. Joannis Teresti deberi locum digniorem, seu eum debere incedere ultimo loco."

Et ita decrevit et declaravit. n. 3780 die 10. Dec. 1707.

PP. Congregationis Oratorii s. Philippi Mechoacanen. tenentur intervenire s. supplicationibus, quae fiunt ordinarie infra annum vel extraordinarie aliqua urgente causa. n. 4347 ad 1 die 21. Jan. 1769.

Ad dubium: An Regulares teneantur intervenire processionibus, quae publicae utilitatis causa ab Episcopo indicuntur in casu etc.?

Et Emi et Rmi Patres . . . rescribendum censuerunt: „Affirmative."

N. 5222 ad 4 die 16. Febr. 1856.

Non obstante Concilio Tridentino sess. 25. cap. 23. de Regular. obligante Regulares, tametsi exemptos, ad publicas processiones, possunt adhuc ii, qui vel ex privilegio vel ex praescriptione non tenentur, iis intervenire.

Quod attinet vero ad privilegium, nota, hoc debere esse recta concessum minimeque venire in generali privilegiorum communicatione, ne ex ea, quam fere omnes Religiones ha-

bent, communicatione privilegiorum, Regularibus orbatae remaneant publicae processiones contra mentem Concilii Tridentini: *Pellizar.* in Manual. Regular. tract. 5. c. 2. qu. 4.; *Pasqualig.* ad Laurent. de Franch. de Process. qu. 2. n. 63.; *Quarti* de Process. sect. 2. punct. 1. quaesit. 4. in fin.; P. *Gaudent.* a Janua de Visitat. c. 4. dub. 10. sect. 4. n. 63.; *Rota* in Meliten. Processionum 24. Jan. 1758 §. 6. coram R. P. D. Paraccian., et 14. Febr. 1759 §. 2. coram R. P. D. Herreros.

Hinc processionibus generalibus indictis pro causa, bono vel honore publico, tam Clerici saeculares beneficia vel officia ecclesiastica obtinentes, quam Regulares invitati, omnes interesse tenentur et adesse compelluntur juris remediis, juxta dispositionem Concil. sess. 25. cap. 13. de Regular. S. C. Episcop. in Cajetana 25. Octbr. 1602, confirmata 7. Apr. 1690. Ita *Monacell.* t. 1. tit. 5. form. 7. n. 23., qui idem scriptor in tom. 3. tit. 3. form. 6. n. 13. haec addit: „Quod autem Regulares et alii exempti renuentes accedere ad publicas processiones possint ab Episcopo censuris compelli et puniri, hodie planum est; cum enim subjiciantur hac in re suae jurisdictioni absque poenae determinatione, valet illos coercere poena canonica sibi benevisa, ut communiter tradunt *Riccius*, *Leo*, *Pax Jordan*, *Ventriglia*, *Pignatell.*, Card. *de Luca*, et ingenue fatetur *Passerinus* de stat. hom. tom. 3. q. 189. art. 10. n. 768. his verbis: „sed ubi Episcopis datur facultas coercendi, corrigendi et puniendi Regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi, et si v. g. sess. 25. cap. 13. datur Episcopis facultas compellendi eos ad processiones, datur etiam facultas compellendi per censuras, cujus doctrina (subjungit *Monacell.* ibid.) notanda est.“

Et revera S. C. C. saepius declaravit quoad omnes Regulares, etiam Monachos non viventes sub strictiori clausura et non distantes ultra medium milliare, eos teneri indistincte accedere ad publicas processiones, et ad id compelli posse, etiam per censuras, ut in specie die 27. Julii 1627. Negotio mature discusso S. Congreg. censuit, posse Episcopos poenis sibi benevisis, etiam censurarum, compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos, et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas processiones accedere, atque illis interesse . . . nempe in die festo SSmi Corporis Christi etc. ac in quibuscumque aliis publicis et consuetis. Non obstantibus etc.

„Et in una Mediolanen. 3. Augusti 1658 Sacra etc. censuit, Regulares ad processiones Corp. Christi etc. necnon ad alias quascumque pro bono publico aut honore indictas teneri accedere, ubi vocati fuerint . . . Et quatenus accedere noluerint, compellendos per censuras vel alias poenas Episcopo benevisas.“

Apud *Pignatell.* tom. 3. consult. 46. num. 11. 12. 13., qui plura alia decreta d. S. Congreg. affert ad rem.

Insuper regula generalis supra firmata, quod nempe omnes Regulares ad processiones indictas pro causa, bono vel honore publico intervenire teneantur, habet locum etiam in illis Conventibus, in quibus degit minor numerus Religiosorum, quam duodecim, quia nulla indecentia est, quod pro paucis vexillum Crucis erigatur. *Monacell.* tom. 1. tit. 5. form. 7. num. 29.

Et hoc intelligitur non solum de processionibus, quae fiunt in civitate et ubi Episcopus residet, sed etiam de illis, quae fiunt in aliis locis et plebibus, ubi Regulares habent Monasterium, juxta decretum S. C. C., quod

ex *Lezana* refert *Barbosa* in Summ. Decis. Apost. Collect. 604. num. 23., ibi: *Lezana* ait, S. C. C. declarasse, publicas processiones, ad quas Regulares compelli possunt per Ordinarios, esse, quae fiunt in festo Corporis Christi, in litaniis et jubilaeis publicis faciendis in plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria. Ita *Monacell.* t. 1. tit. 6. formul. 20. num. 11.

„Non est apud Ordinarios locorum facultas compellendi Regulares ad interessendum processionibus ab iisdem indictis non pro bono publico, ut notavit *Peyrin.* de privileg. Regular. ad Constit. 2. Jul. II. §. 25. num. 68.“ Apud *Matthaeucc.* Official. Curiae Eccles. cap. 40. num. 4.

Formula edicti seu intimationis processionis habetur apud Monacellum in haec sane verba:

Enixe hortamur et paterna charitate monemus omnes et singulos utriusque sexus Christi Fideles ad interessendum, Clericis autem officia et beneficia obtinentibus, tam Saecularibus quam Regularibus omnibus et aliis etiam exemptis et in strictiori clausura non degentibus, necnon Confraternitatibus accedere solitis, praecipimus eosque vocamus et monemus, ut die et hora, ut supra praescripta omnino in d. nostra Cathedrali conveniant et processioni, ut moris est, interveniant, sub poena Interdicti Ecclesiae aliisque censuris et poenis arbitrio, quod si ante statutum terminum justi impedimenti excusatio deducta non fuerit, absqua alia monitione contra contumaces et inobedientes non interessentes ad cominatas poenas procedetur. Volumus autem quod praesens indictionis Edictum vim habeat et arctet, ac si singulis supra vocatis personaliter fuisset intimatum. Tom. 3. tit. 3. form. 6.

In casu inobedientiae pronunciatur, ut sequitur: „Con autorità a Noi delegata dal Sacro Concilio di Trento si denuncia sottoposta all' Ecclesiastico Interdetto la Chiesa N. dei PP. dell' Ordine N. perchè chiamati ed intimati ad intervenire alla processione generale indetta, e convocata da Noi per causa ecc. con ammirazzione e scandalo del populo hanno ricusato d' intervenire.“ Apud eumdem *Monacell.* l. c. formul. V.

Vel latine: „Auctoritate Nobis a S. Concilio Tridentino delegata denunciatur supposita ecclesiastico Interdicto Ecclesia N. PP. Ord. N. ex eo, quia vocati ad interessendum processioni generali a Nobis pro causa et bono publico indictae cum admiratione et populi scandalo accedere renuerunt.“

Decretum Generale.

Posse Episcopos poenis sibi bene visis compellere quoscunque Regulares recusantes, etiam Monachos et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas processiones accedere atque illis interesse exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus et Monasteriis ultra medium milliare a civitate distantibus, nempe in die festo SS. Corp. Chr., in Litaniis majoribus, in Rogationibus ac in quibusvis aliis publicis et consuetis vel pro bono, causa et honore publico ab Episcopis indictis processionibus, non obstantibus quibuscunque privilegiis, consuetudinibus vel praescriptionibus etiam immemorabilibus. Privilegiis tantum apostolicis, S. Tridentino Concilio posterioribus, contrarium desuper disponentibus minime sublatis. n. 1934 die 27. Julii 1628; n. 2022 die 20. Decbr. 1659; n. 2874 die 18. Martii 1679.

Andrien.

(Conc. Trid. C. 13. S. 25. De Regul.)

Pleraeque et variae peraguntur processiones in civitate Andriae praeter

generales ab Ecclesia indictas, ad quas uterque Clerus saecularis et regularis accedere consuevisse dicitur. Ad earum tamen nonnullas accedere renuentibus Patribus Ordinis Praedicatorum ejusdem civitatis Episcopus Andrien. instantibus Capitulo Cathedr. et Communitate laica cum eosdem ad illas cogere praetenderet, recursum habuerunt Patres ad hanc S. C. conquesti ulterius super modo invitandi seu vocandi ad eas, a qua requisitus informare idem Episcopus processum desuper construxit medio plurimorum testium examine super solito accedendi ad quasdam ibi enumeratas processiones, prout videre est in summario eorundem testium exhibendo, atque recensuit informans singillatim publicas et consuetas processiones, ad quas omnes de Clero tum saeculari tum regulari, praesertim Patres Oratores per consuetum sonitum Campanae Cathedralis adire cogendos dijudicat, uti fusius in ejus relatione pariter danda in Summario. Monitis igitur Procuratoribus tam Capituli et Communitatis quam ipsorum Patrum Oratorum restat, ut EE. VV. ex deducendis hinc inde resolvere dignentur:

I. *An et ad quas processiones accedere teneantur Patres Dominicani Civitatis Andriae?*

II. *An et quomodo sint vocandi in casu etc.?*

S. C. C. resp. *ad I. et II.:* Servetur solitum et amplius.

Die 11. Jan. 1710.

d) Cleri regul. non est.

Monachi Cassinen. Monasterii s. Sixti Placentinae civitatis accedere non tenentur ad processionem SSmi, quae fieri solet a Cathedrali in *octava* Corp. Chr. n. 4087 die 9. Maii 1739.

Ad dubium: An religiosi ultra milliare ab Oppidis commorantes teneantur accedere ad supplicationes, quae in Ecclesia matrici instituuntur?

S. C. resp.: Non teneri juxta decretum in Sulmon. die 20. Dec. 1659, si distent a civitate ultra medium milliare. n. 4870 ad 4 die 31. Aug. 1839.

Vd.: *Processio* (oblig. Regul. adest, decr. n. 1934).

Taurinen.

Emi e Rmi Signori.

Il Guardiano de' Capuccini del Convento della Madonna di Capagna Fr. Francesco Domenico da Torino umilmente espone all' Eminenze Vostre Reverendissime, che i Religiosi del sunnominato Convento sebbene distanti dalla Città un miglio, ed un terzo di Piemonte, cioè 4000 passi, sempre intervennero per l' addietro alle solite processioni pubbliche, che si fecero nella Città di Torino, formando però un solo Corpo con i Religiosi del Convento del Monte distante assai meno da quella Città. Siccome peraltro sotto il giorno 1. Luglio dello scorso anno 1834 fu eretta in Parrocchiale la loro Chiesa, li medesimi debbono ora, e per l'avvenire fare le istesse processioni con i nuovi Parrochiani, e quindi implorano essere esentati dalle processioni, che si fanno in Città. Che ec.

S. R. C. ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente infrascripto Secretario, benigne commisit Rmo Taurinen. Archiepiscopo, ut quoniam per Generale Decretum diei 21. Augusti 1628, confirmatum die 28. Septbr. 1658, Regulares ultra medium milliare a Civitate distantes nequeunt compelli ad processiones, quae ducuntur per Civitatem, pro suo arbitrio et prudentia petitum Indultum Oratori largiatur eo potissimum fine, ut cum paroeciae plebe publicas supplicationes instituere valeat. Contrariis

non obstantibus quibuscumque. n. 4761 die 8. Aug. 1835.

Nec possunt Episcopi obligare Regulares ad interessendum cum Clero saeculari processioni indictae occasione suae primae visitationis. S. C. C. in Anagnina processionis *9. Dec. 1662.*

Processionibus publicis cogi non possunt interesse *Clerici Regulares Societatis Jesu.* Gregor. XIII. Constit. incipiente: *Quaecumque.*

Processionibus publicis interesse ab Episcopo compelli non possunt *Clerici Regulares Congregationis S. Pauli decollati.* Sixtus V. Constit. incipiente: *Rationi.*

Processionibus publicis interesse cogi non possunt *Clerici Regulares Matris Dei Scholarum piarum.* Urban. VIII. Constit. incipiente: *Debitum.*

Processionibus publicis ultra solitum cogendi non sunt interesse *Canonici Regulares Congregationis Lateranensis.* S. C. R. in causa Canonicorum Regular. Lateran. 30. Julii 1616.

Processionibus publicis interesse non sunt ullo modo cogendi *Monachi Congregationis Casinensis,* nisi ad processionem SS. Sacramenti, juxta eorum antiquam consuetudinem. S. C. R. in Placentina 10. Junii 1602.

Processionibus interesse cogi non debent *Monachi Olivetani.* S. C. R. apud Joan. Mariam Novar. in Lucerna Regular. verb.: *Processio* n. 11. et *Barbos.* l. c. n. 13.

Processionibus publicis interesse non sunt cogendi *Monachi S. Hieronymi.* S. C. C. apud Joan. Mariam Novar. l. c. et *Barbos.* l. c. n. 14.

Processionibus publ. interesse compelli non possunt *Monachi SS. Trinitatis Caven.,* quorum Monasterium est immediate subjectum Sedi Apostolicae. S. C. C. 13. Aug. 1579.

Processionibus publ. interesse cogi non possunt *Carmelitae Discalceati.* Clemens VIII. Constitut. incip.: Religiosorum.

Et sic etiam plures alii Regulares, uti constat ex eorum respectivis Privilegiis.

e) Confraternitatum.

Processionibus solitis ut Confratres conveniant, compellere potest Episcopus sub poenis arbitrio illius, maxime st nte possessione illos vocandi per Edicta. S. C. C. 21. Jan. 1622 et 8. Maii 1627.

Vd. *p. 841 decr. n. 3341.*

f) Laicorum.

Vd.: *Processio Corp. Chr.* (oblig. Laicor.).

Ad dubium: An Magistratus debeat associare processiones, quae fiunt cum Venerabili, tum generales tum particulares, et an id praestare debeat sive interveniat sive non Gubernator; et quid de aliis processionibus, videlicet Palm., s. Marci et Rogationum?

S. C. resp.: Processionibus Corp. Domini et aliis indictis pro causa publica, teneri; quo vero ad reliquas teneri interveniente Episcopo. n. 4015 ad 4 die 9. Maii 1733.

46) Officiator.

Cf.: *Officiator; SS. Sacram.* (a Celebrante etc.); *Processio* (Dignitas etc.).

Missa sol., quae cantari solet in Ecclesia Colleg. s. Mariae de Molino post processiones, quae fiunt diebus 27. Apr. et 25. Aug. cujuslibet anni, cantanda est ab Archipresbytero et Canonicis dictae Collegiatae etiam dissentientibus Religiosis. n. 4034 ad 2 die 14. Maii 1735.

47) Ordo incedendi Cleri.

Vd.: *Episcopus, assistens Processionibus; Canonici* (ordo inced.); *Processio funebr.; Process.* (Clerus etc.); *Coena Dom.* (praeced.); *Instructio Clem.* §. XX. n. 10. ... 16. 17., §. XXII. n. 2.; *Processio* (Modus).

48) Ordo incedendi viror. et foemin.

Rituale requirere, ut in processionibus post Clerum viri a foeminis separatim incedent; caeterum quoad locum et modum eundi nihil statuisse. n. 1387 die 31. Maii 1642.

Vd. *p. 801 : Laicor. ingress.*

49) Ornatus viae Process.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXI. n. 2—5; *Processio Corp. Chr.* (via).

50) Paramenta.

Vd.: *Stola; Pluviale; Instructio Clem.* §. XXI. n. 7. 8., §. XVIII. n. 1—6; *Reliquia; Processio* (Canon. Cathedr.; Canon. Colleg. parat; Clerus infer. parat.); *Process.* (Oblig. interess. Cleri saec. adest).

Si in ternis Dominicis mensis cantata missa solemni de dominica cum commemoratione SS. Sacramenti fit processio, Celebrans et Ministri debent uti paramentis coloris dictae missae convenientis etiam in processione, non obstante, quod sit violacei ut in Quadragesima et Adventu; sed *albo* utendum super humeros velo. n. 2864 ad 6 die 9. Julii 1678.

Quatenus Sacerdos, qui vesperas paratus celebravit, non recedat ab altari et assistat cum concioni tum precibus, reservationem faciendam esse cum paramentis coloris respondentis Officio diei et velo humerali coloris albi, si illud adhibeatur. Quatenus vero recedat et reservatio habeatur tamquam functio omnino separata et distincta ab Officio vesperarum, utendum esse paramentis coloris albi. n. 4503 ad 1 die 20. Sept. 1806.

51) In Parasceve.

Vd.: *Parascere* (process.).

52) Extra Parochiam.

Vd.: *Confraternitas; Processio Regularium* (decr. n. 2273, 839, 991, 1507, 1795, 873, 3825); *Processio* per civitat.; *Processio* (licentia); *Processio funebr.*

Non licere facere processiones per limites alterius parochiae. n. 1204 die 10. Martii 1640.

In aliena Ecclesia parochiali non posse per Archipresbyterum fieri processionem, invito proprio parocho. n. 1263 ad 3 die 15. Sept. 1640.

Processio facienda post vesperas diei festiv. Corp. Chr. transire non potest per vias magis conspicuas Vallettae etiam intra limites alterius parochiae irrequisito altero parocho. n. 3957 ad 9 die 27. Febr. 1723.

Non licere PP. s. Dominici Miniati in die Corp. Chr. post vesperas ducere processionem cum SSmo extra limites propriae parochiae, nisi obst. quacunque immemorab. consuetudine, nisi de licentia Ordinarii. n. 2232 die 16. Jun. 1663.

Quia in process. SSmi Sacramenti, quam facit Ecclesia paroch. S. Mariae de Gambio Terrae Sarracen. Cassanen. dioecesis, in die dom. infra octavam festi Corp. Chr., Episcopus decrevit, ut ea non possit duci intra limites alterius parochiae S. Leonis sine licentia parochi S. Leonis; orta controversia super validitate et executione dicti decreti episcop. S. C. mandavit: Servari solitum et decreta alias edita non obstante novissimo decreto Episcopi. Die 20. Jun. 1654.

Posse Episcopum concedere licentiam ingredi limites alienae parochiae pro ea tantum parte, quam ad decentem circuitionem processionis judicaverit expedire. n. 2937 die 11. Jan. 1681.

Orta inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Fundanae necnon Archipresbyterum Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Platea et Confraternitatem mortis in eadem Fundorum Civitate controversia: An nimirum Ordinario liceret facultatem concedere, ut praedicta Confraternitas die domin. infra

octavam Corp. Chr. processionem cum delatione SS. Sacramenti habere possit et parochiam Cathedr. Ecclesiae, et respective Ecclesiae Colleg. praedictae spatio viginti passuum attingere, invitis parochis?

S. R. C., referente Emo et Rmo D. Card. Abduci, respondendum censuit: „Affirmative et ad mentem; mens autem fuit, quod Ordinarius imposterum abstineret a concessione hujusmodi processionum, quae limites Parochiae quoque modo pervadant." n. 3852 die 8. Apr. 1713.

Processiones fieri posse a Canonicis Cathedralis etiam per limites parochiarum sine licentia Curati. S. C. R. in Thelesina 28. Aug. 1615 et 15. Junii 1619.

53) Plures eodem die.

Processiones duas *eodem die et eodem loco* habendas non esse, sed illos (Confratres) manutenendos esse in quasi possessione, qui processione facienda sunt antiquiores; recentiores vero aliam sibi diem non impeditam eligere debere. n. 1426 die 24. Jan. 1643.

Vd.: *Processio Corp. Chr.* (duae eod. temp.).

S. C. ad removendam aemulationem Regularium circa expositiones et processiones cum SSmo in civitate et dioecesi Posnaniensi, minuentem ejusdem SSmi decentiam, cum saepissime una eadem die simul in quatuor, quinque et sex Ecclesiis dictae expositiones et processiones peragantur, ita ut vix aliquot personae assistentes in Ecclesia reperiantur, declaravit inhaerendo aliis declarationibus in similibus factis: Non licere Regularibus praedicta agere nisi de licentia Episcopi et proinde esse permittenda et prohibenda ejus arbitrio et prudentia. Die 16. Julii 1672.

Eadem die possunt plures fieri processiones a diversis Regularibus, dummodo fiant distinctis horis, prout Innocentius XI. disposuit in causa vertente inter Fratres Ordinis Minor. et PP. Ordinis Praedicatorum in Indiis Constit. incip.: *Sua Nobis*, in qua sic expresse habetur:

„Cum S. R. C. sub die 10. mensis Februarii de anno Domini 1605 decrevisset, competere PP. Dominicanis jus peragendi processionem SS. Corp. Chr. domin. infra octavam illius, privative ad PP. Minores de Observ., et signanter in civitate Quiten., ita tamen, ut liceret eisdem PP. Minoribus eadem die domin. infra octavam facere processiones intra Claustra eorum Conventus" pro parte eorumdem PP. Dominicanorum Provinciae Quiten. habitus recursus ad san. mem. Innocentium Pap. XI. praedecessorem nostrum ad obtinendam specificam confirmationem praememorati decreti, quam eis idem Innocentius praedecessor benigne impertitus est per literas in forma Brevis incip.: Emanavit, sub die 26. Mart. ejusdem anni 1685 expeditas.

„Verum causa hujusmodi, cum juribus ex tunc ad Urbem pro Patribus Franciscanis allatis, iterum coram eadem S. Congreg. ad plenum discussa, ipsamet Congregatio Decretum edidit, quo praescripsit, quid tandem observandum sit ab utraque parte circa praedictam processionem, tenoris sequentis, videlicet: In causa Quiten. inter PP. Dominicanos Ordinis Minor. Familiae Ultramontanae, Conventus civitatis Quiten. ex una, et PP. Dominicanos ejusdem civitatis ex altera partibus a dilecto Filio nostro Cardinali Pamphilio reproposita dumtaxat super dubio processionis SS. Corporis Christi eadem S. C. auditis utriusque partibus, tam in voce quam in scriptis informantibus, censuit, recedendum a

decisis, et in casu, de quo agitur, licere Patribus Franciscanis facere processionem die dominica infra octavam SS. Corp. Chr., sed Patribus Ordinis Praedicatorum de mane; Patribus vero de sero, et ita decrevit et servari mandavit die 24. Martii 1696.“

„Attamen non acquiescentibus praedictis PP. Ordinis Min. Familiae Ultramontanae Conventus Quiten. hujusmodi decreto in ea tantum parte, in qua hora peragendi processionem ipsi praescribitnr, reproposito ab eodem Cardinali Pamphilio in S. R. Congreg. hujusmodi dubio, eadem Congregatio PP. Dominicanis licet citatis non informantibus: In decisis super negotio principali, et licere PP. Franciscanis facere processionem etiam de mane, distinctis tamen horis ab Episcopo praescribendis, censuit et ita servari mandavit die 7. Aprilis 1696.“

„Sed ab hujusmodi decreto reclamantibus Patribus Dominicanis, proposita iterum causa per praefatum Cardinalem Pamphilium, utraque parte informante, juribus hinc inde discussis, S. Congreg. praedicta rescribendum censuit: In decisis super negotio principali, et licere Patribus Franciscanis facere processionem extra claustra per loca solita, etiam de mane, distinctis tamen horis ab Episcopo praescribendis et data electione horae Patribus Dominicanis, a qua semel electa non liceat amplius recedere; et ita decrevit et servari mandavit die 1. Sept. 1696.“

„Verum, quia sicut eadem petitio subjungebat, dicti Patres Franciscani dubitant, ne executio et observatio decreti hujusmodi a dictis Patribus Dominicanis forsan impugnari possit, et in simili eventu idem decretum suo frustretur effectu; ideo praedictus Frater Nicolaus ad Nos recurrit humiliter supplicando, quatenus sibi, ut ad executionem dicti decreti juxta illius tenorem et formam procedat, apostolica auctoritate committere, aliasque sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur statum, et merita causae hujusmodi praesentibus etc.“

Deinde committit Episcopo Quitensi, ut contradictores ad exequendum decretum omnibus juris remediis, et facti compellat, ut ibi late, non obstantibus etc.

Romae 5. Kal. Martii 1696.

Et sic expresse fuit resolutum etiam novissime a S. C. Episcop. et Regularium in Tricaricensi processionis die 17. Apr. 1714 et 4. Martii 1717 cum praeciso rescripto: Affirmative, dummodo fiant processiones distinctis horis. Occurrente festo s. Antonii de Padua in dominica infra octavam Corporis Christi, quamvis Patres Dominicani in dicta die peragant processionem SS. Sacramenti, nihilominus potest a Franciscanis fieri processio de dicto Sancto; fiat diversa hora et data praelatione temporis PP. Dominicanis de mane vel de vespere. S. C. R. in Placentina 30. Apr. 1701 et in Aliphana 18. Martii 1702.

54) Prohibita.

Vd.: *Processio SSmi* (prohibita); *Process. Regularium* (decr. n. 534); *Parasceve* (processio); *Processio in Monial. Ecclesiis etc.*

Processiones ex devotione populi et Confratrum introductae possunt ex causa ab Episcopo prohiberi. S. C. R. in Elbor. 14. Jan. 1617 apud *Barbos.* l. c. n, 10.

55) Publica.

Vd.: *Processio solem.*; *Process. general.*; *Processio ad Episc. novi etc.*

56) Regressus.

Vd. p. 840 decr. n. 1617.

Regulares accedentes ad publicas processiones non debent, processione

terminata, statim a loco recedere, sed tenentur tam in accessu quam in reditu Ecclesiam, ex qua et in qua functio incipit vel terminatur, ingredi, ibique precibus seu benedictioni assistere usque in finem. S. C. R. in Syracusana 6. Sept. 1636 et in Pisaurensi 7. Martii 1648.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXIV. n. 1 etc.

57) Regulares inter sese quomodo incedunt?

Vd.: *Processio* (Clerus regul.).

58) Regularium.

(Via, dies, locus.)

Cf.: *Processio extra parochiam; Processio* (licentia, indictio Episcopi)*; Processio intra vel extra Claustra; Processio SSmi Regularium; Process.* (terminat.)*; Process.* (plures).

Non licet Regularibus s. Francisci Vianae facere processiones extra ambitum et claustrum proprii Conventus cum Cruce elevata aliisque Insigniis eundo per parochias civitatis et territorium illarum invitis et contradicentibus parochis.

Non licet dictis Regularibus simul cum Congregatione saecularium nuncupat. 3. Ordinis s. Francisci facere processionem, quae dicitur *Via Crucis*, per parochias civitatis et territorium illarum sine consensu parochorum. n. 2273 ad 1 et 2 die 24. Maii 1664.

Servari Bullam Clementis PP. VII. *), qua Patribus s. Dominici processiones cum SSmo etiam per vicos et plateas cujuslibet loci facultas ducendi tribuitur. n. 1759 die 10. Julii 1655; n. 2279 die 12. Julii 1664; n. 3130 ad 1 die 22. Febr. 1687.

Episcopum in universa dioecesi absque parochi licentia posse facultatem tribuere processiones peragendi per vias et plateas publicas, prout sibi benevisum fuerit eas ducendi, ideoque fratribus B. M. de Carmine Albani licere processionem in solemnitate B. V. M. de Monte Carmelo peragere etiam per vias intra limites parochiae cum sola licentia Ordinarii et absque ullo ipsius parochi consensu seu licentia et ita in posterum servari et amplius non molestari voluit et mandavit S. C. n. 2512 die 9. Aug. 1670.

Regularibus obtenta licentia ingrediendi limites parochiae non licere facere processiones *eadem fere hora, eadem die, eodem in loco et per easdem vias,* in quibus Clerus paroch. ad processiones procedit, sed semper esse praeferendum Clerum paroch. n. 2574 ad 2 die 19. Dec. 1671.

Processiones fieri solitas per fratres Augustinianos Corinaldi per vias, ut dicitur *la Morata* et *il Terreno* extra claustra posse fieri de consensu parochi. n. 2632 ad 1 die 6. Maii 1673.

Regulares non possunt facere processiones intra limites parochiae, parocho invito vel irrequisito, nisi de licentia Episcopi. n. 2970 ad 6 die 22. Nov. 1681.

Processionem cum SS. Sacramento facere maxime per limites parochiae et Ecclesiae Collegiatae fratribus Conventualibus non licere. n. 510 die 28. Aug. 1615; n. 513 die 14. Nov. 1615; n. 529 die 18. Febr. 1617.

Non licere Priori et Canonicis Ecclesiae Colleg. et Regularis Ordinis s. Augustini in festo Dedicationis Ecclesiae suae facere processionem per plateam seu forum ante Ecclesiam consistentem, in quo merces et comestibilia publice venduntur, sub quovis praetextu, quod in dicta platea sit Coemeterium, et in eo fuerint aliquando sepulta corpora mortuorum, sed processionem debere facere intus Ecclesiam et Coemeterium tantum intra claustrum existens. n. 534 die 18. Mart. 1617.

*) Dictam Bullam de die 25. Sept. 1592 vd. in Bull. r. t. III. p. 17.

In processionibus faciendis tam per Regulares quam per Confraternitates ita in posterum servari debere, ut in Ecclesiis, *habentibus claustrum*, processiones fieri non possint nisi *intra claustrum tantum* et non extra. In Ecclesiis vero carentibus claustro, fieri possint intra ambitum, hoc est, *prope muros Ecclesiae*, sive exeundo a janua Ecclesiae et intrando per illam, sive per eandem et semper prope muros Ecclesiae. Extra vero ambitum Ecclesiae non licere Regularibus neque Confraternitatibus facere processiones *nisi de licentia, consensu aut cum Cruce parochiali*, exceptis tamen illis Ecclesiis, quae habent in hoc speciale Privilegium faciendi processiones per alia loca, quibus per hoc decretum S. C. non intendit praejudicare. n. 723 die 26. Febr. 1628; n. 970 ad 1 die 15. Decbr. 1632; n. 1368 die 8. Febr. 1642; n. 1636 die 20. Apr. 1652; n. 1934 die 27. Julii 1628; n. 2278 die 12. Julii 1664; n. 2574 ad 1 die 19. Decbr. 1671; n. 2652 ad 1 die 12. Aug. 1673; n. 3517 die 9. Maii 1699; n. 3839 ad 2 die 22. Aug. 1711.

Non licere *mulieribus* in processionibus per *Claustra Monasteriorum* Regularium procedere, nisi de expressa licentia Sedis apost. n. 816 die 11. Junii 1629.

Regulares non posse cum processione exire *extra Claustra* Monasteriorum et multo minus id eis licere *per limites alterius* parochiae. n. 839 die 10. Decbr. 1629.

Posse Regulares de consensu parochi *pro tempore existentis*, per cujus fines fit processio, facere processionem. n. 991 die 19. Nov. 1633.

Regulares possunt facere processiones extra ambitum Ecclesiarum suarum de licentia Episcopi contradicente etiam parocho. n. 1507 die 4. Junii 1644.

Non licere Regularibus extra ambitum conventus processiones facere sine consensu parochi vel Ordinarii, nisi habeant speciale privilegium Sedis apost. n. 1795 die 8. Apr. 1656; n. 4851 ad 2 die 23. Febr. 1839.

Non licere Regularibus neque Confraternitatibus laicorum facere processiones extra Claustra Monasteriorum et proprias Ecclesias, *nisi cum licentia et consensu parochi.* n. 873 die 24. Aug. 1630; n. 886 die 7. Dec. 1630; n. 1298 die 2. Martii 1641.

Processiones extra Claustra Monasterii non licere et multo minus mulieres ingredi septa Monasterii et ideo omnino prohibendas. n. 904 die 8. Mart. 1631; n. 1145 die 16. Apr. 1639; n. 1215 die 31. Mart. 1640; n. 1228 die 28. Apr. 1640.

Fratres s. Francisci Toletanae possunt *ob angustiam Claustri* prope muros Ecclesiae et Conventus proprii inclusive non vero extra ambitum ejusdem processiones facere. n. 1421 die 22. Nov. 1642.

Non licuisse neque licere Monachis Coelestinis Saltariae nisi de licentia et consensu proprii Ordinarii aut cum Cruce parochiali peragere processiones de sero intra limites parochiarum supplicantium et extra ambitum et porticum propriae Ecclesiae. n. 2761 die 23. Nov. 1675.

Fratres s. Francisci Nursiae posse facere processiones per terram Nursiae cum reliquia s. Antonii de Padua in die festo vel infra octavam absque consensu Capituli Colleg., sed de consensu et licentia Episcopi. n. 3426 ad 1 die 27. Apr. 1697.

Patribus Conventualibus non licet in occasione benedictionum cinerum, candelarum et palmarum facere processionem extra ambitum et Claustrum eorum Conventus nisi de licentia parochi vel probata formiter consuetudine. n. 3626 ad 4 die 8. Apr. 1702.

Fratribus reformatis Casalis Novi licet arbitrio Episcopi in die festo s. Antonii de Padua processionem per oppidum peragere. n. 3825 ad 6 die 22. Martii 1710.

Ad dubium: An liceat PP. Carmelitis Terrae Cantalupi absque consensu et licentia parochi in feria IV. ante festum Pentecostes et in die B. M. de Monte Carmelo et alias quascumque, si facere velint, explere processiones extra ambitum et Claustra eorum Conventus et Ecclesiae?

Et S. eadem R. C., partibus informantibus tam in voce quam in scriptis auditis, respondendum censuit:

„Quoad processionem in die festo B. M. V. de Monte Carmelo posse cum licentia parochi petita, etiam non obtenta; in reliquis Ordinarius mandet servari solitum."

Et ita decrevit et servari mandavit. n. 3843 ad 1 die 21. Nov. 1711.

Ad dubium 1.: An PP. Carmelitis Aquen. liceat processiones facere extra propria Claustra seu districtum et intra limites parochiae invito parocho? et qualenus negative;

2. An Patribus dictis liceat extra propria claustra per loca consueta facere processionem B. V. M. de Monte Carmelo occasione festivitatis, petita tamen licentia parochi, licet non obtenta?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Negative; *ad 2:* Affirmative.

Die 9. Junii 1708 ad 16 et 17.

Iterum propositis dubiis S. C. resp.: In decisis et amplius. Die 27. Apr. 1709.

Cremonen.

(Conc. Tr. C. 13. Sess. 25. De Regul.)

Nota sunt huic S. Congreg. Decreta circa processiones, quae fiunt a Regularibus extra suas Ecclesias et Claustra, et signanter celebre est illud Congregationis particularis allegatum in quadam causa Nepesina 24. Julii 1632 lib. 14. Decret. p. 650., quod ita se habet: *Sacra etc. mandavit servari Decretum in Congregatione particulari de ordine SSmi jam firmatum tenoris sequentis: Sacra etc. censuit Regularibus et Confraternitatibus in Regularium Ecclesiis erectis permissum esse Processiones facere intra eorum Ecclesias et Claustra tantum et non extra. Si vero Ecclesiae Claustro careant, eisdem Regularibus et Confraternitatibus licere processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo a janua Ecclesiae et intrando per aliam sive per eamdem et semper prope muros Ecclesiae, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia, consensu aut Cruce parochi, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus vel praescriptionibus etiam immemorabilibus. Privilegiis tantum apostolicis Sacro Concilio Tridentino posterioribus in suo robore permanentibus, quibus per hoc Decretum minime censeatur derogatum.*

Post multi temporis lapsum, hoc est die 3. Aug. 1686, in eadem Nepesina Sacra Congregatio stetit in Decretis; cumque additum fuisset hoc aliud dubium: *An solius Episcopi accedente licentia possint Regulares processionem facere, quamvis parochus contradicat et consentire recuset?* S. C. resp.: *sufficere licentiam Episcopi,* uti plene refertur in tractatu de Sodalitiis recenter edito ab Episcopo Anagnino quaest. 10. n. 1., et late prosequuntur *Pax Jordan.* Elocubrat. Eccles. tom. 2. lib. 7. tit. 14. n. 62. versic.: ipsi tamen Regulares; *Ventrigl.* in praxi Fori ecclesiastici annot. 13. §. unico n. 4., *Donat.* rerum Regul. tom. 1. part 2. tract. 13. quaest. 81., et ad fovendam pacem et concordiam

inter Ordinarium et Regulares, et ut sarta tecta permaneant jura Ordinariorum, quando agitur de processionibus, quae juxta solitum fiunt in aliqua anni solemnitate, et quae juxta morem per alienas parochias duci consueverunt, resolutum quidem fuit: quod Regulares debeant petere licentiam et quod, si ea denegetur, recurrant ad S. Congregationem, quae rescribere consuevit Episcopo, ut licentiam concedat, juxta plures resolutiones collectas apud *Mattheucc.* in offic. d. Curiae ecclesiasticae cap. 40. n. 7., et apud *Monacel.* in formul. fori ecclesiast. tit. 5. formul. 7. n. 27. et in nonnullis dictarum resolutionum sufficere dicitur licentiam petitam licet non obtentam.

His praemissis, cum Prior et fratres Augustiniani Conventus s. Nicolai Congregationis Lombardiae, Oppidi Vitellianae, Dioecesis Cremonen., processionem facere vellent per vicos et plateas Oppidi et sic per alienas parochias, processionem, inquam, quae dicitur della Centura et quae singulis annis in dominica infra octavam festivitatis s. Augustini fieri consuevit, et a parochis licentiam quaesiverint, eademque, sic mandante Episcopo, fuerit ipsis denegata a parocho s. Martini, et hoc minime obstante processionem fecerint, exorta est controversia, quae in praesenti proponitur.

Auditus fuit Episcopus, qui ingenue confessus est, fuisse Patribus, se mandante, denegatam a parocho s. Martini licentiam. Addidit, non posse fieri a Regularibus processiones extra ambitum et Claustra sine licentia Ordinarii, et se voluisse, ut parochus s. Martini licentiam denegaret, ex quo Patres s. Nicolai, qui habent Conventum intra limites parochiae s. Martini, et qui semper interfuerant processioni, quae infra octavam SS. Corporis Christi fit in eadem parochia, eidem nolluerunt anno praeterito intervenire, nec precibus flecti potuerunt non sine scandalo populi.

Haec sunt, quae habentur in informatione Episcopi, cumque Patrum jura circumferantur, quae potissimum reducuntur ad qualitatem processionis et ad licentiam, quam dicunt sibi nunquam fuisse a parochis denegatam, onus erit EE. VV. decernere:

An et quomodo liceat Patribus Augustinianis Conventus s. Nicolai Vitellianae Congregationis Lombardiae peragere generalem processionem nuncupat. della Centura singulis annis in domin. infra octavam festivit. s. Augustini in casu?

S. C. C. resp.: Licere, petita licentia a parocho vel ab Episcopo et ad mentem, et amplius.

Die 12. Jan. 1726.

59) Res circumferendae.

Vd.: *Parasceve* (process., decr. diei 28. Apr. 1703); *Process. SS. Corp. Chr.* (Quae res etc., Laici etc.); *Instr. Clem.* §. XXI. n. 6.; *Processio* (Laici).

60) Ritus non mutandus.

Vd.: *Processio* (mutatio, abusus).

61) Sancti alicujus infra oct. Corp. Chr.

Incidente die festo s. Antonii de Padua infra octavam Corp. Chr. potest peragi processio sol. s. Antonii praedicti, dicta die non impedita aliis processionibus. n. 3801 die 23. Martii 1709; n. 3806 die 4. Maii 1709.

62) SS. Sacramenti.

a) Quomodo et quando incipit?

Vd.: *Instr. Clem.* §. XIX. n. 11. 18—21.; §. XX. n. 16.; *Festum SS. Corp. Chr.*; *Missa in festo SS. Corp. Chr.*; *Processio SS. Corp. Christi.*

b) Ante expos. SSmi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XIX. n. 19.

c) Delatio SS. Sacramenti.

Vd.: *SS. Sacram.* (a Celebr. defert., delatio).

d) Extra et intra Eccles.

Vd.: *Instr. Clem.* §. XXI. n. 1. 2. 3....; *Coena Dom.* (Process., decr. n. 4647); *Altare portatile in processione; Processio SS. Corp. Chr.; Festum SS. Corp. Christi; Processio extra Eccles.*

Multis ab hinc annis, cujus initii memoria penitus obliterata est, consuevit Sodalitas SS. Sacramenti unacum quatuor parochis loci *Comunanza* vulgo nuncupat. in dioecesi Montis Alti singulis tertiis dominicis cujusque mensis SS. Eucharistiae Sacramentum processionaliter deferre, extra Ecclesiam s. Catharinae, in qua, utpote proprii juris, Officia peragit Sodalitas antedicta. Ex quo vero ab ipsis compertum fuit Decretum extare in una Sulmonen. diei 12. Julii 1638, quo declaratur delationem SS. Sacramenti extra Ecclesiam non esse permissam, nisi occasione solemnis processionis in festo et per octavam Corporis Chr., necnon occasione Infirmorum et Orationis quadraginta horarum juxta Sacrorum Canonum Decreta, eidem obtemperantes processionem extra Ecclesiam peragere desierunt. Verum ut antiqua consuetudo servetur, Procuratores recensitae Sodalitatis humillimas S. R. Congregationi preces porrexerunt postulantes, ut deinceps supplicatio ipsa effici queat ut antea extra Ecclesiam.

Et eadem S. C. in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, referente Secretario, rescripsit: Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia. n. 4674 die 12. Nov. 1831.

In civitate Limburg. quotannis in festo Ascensionis Dom. solemnis processio cum SSmo per plateas civitatis habere consuevit. Qui usus in nonnullis aliis dioecesis parochiis, in una alterave etiam ex voto tempore alicujus publicae calamitatis olim emisso inolevit. Quaeritur: An talis usus, ubi viget, et, si id negetur, saltem ubi ex voto antiquitus introductus fuit, sustineri et continuari valeat?

S. R. C. resp.: Affirmative in Omnibus.

Die 7. Maii 1857 *(ad dub. VIII.)*.

e) Modus.

Vd.: *Processio SS. Sacr. Regular.*

f) Prohibita.

Vd.: *Processio in Monial. Ecclesiis etc.; Parasceve* (processio); *Processio prohibita.; Processio SS. Sacr. intra et extra Eccles.; Processio in nocte.*

Delationem SS. Sacramenti *extra* Ecclesiam non esse permissam nisi occasione solemnis processionis in festo et per octavam Corp. Christi, necnon occasione Infirmorum et orationis quadraginta horarum juxta s. Canonum decreta. n. 1058 die 12. Junii 1638.

Processiones solemnes cum SSmo tempore Passionis et moestitiae non conveniant, nisi fer. V. in Coena Dom. post missam ad deponendum et conservandum SSmum pro Officio fer. VI. seq.; et similes processiones de nocte facere abusum esse, cum repugnent communi stylo, ritui, caeremoniis ac mysteriis universalis Ecclesiae et ideo nullo modo esse eo tempore permittendas. n. 323 die 8. Aug. 1606.

Non licet Patribus Minor. Maceratae die prima Augusti processionem facere et incedendo parochiam adire Ecclesiam Monialium. n. 3839 ad 1 die 22. Aug. 1711.

g) Regularium.

Priori Camaldul. Nolae S. C. resp.: Praecedat Crux hastata a Religioso

cotta induto delata inter Ceroferarios cotta pariter indutos; sequentur viri Religiosi bini incedentes, qui in solemnitate Corporis Christi, monasticis cappis depositis, post communionem Celebrantis sument non in choro sed in alio convenienti loco superpelliceum cereosque accensos gestabunt. In processionibus vero, quae fiunt feria V. in Coena Dom. et feria VI. Parasceve, quia hae intra Ecclesiam peraguntur, cum cappis monasticis procedant. Post digniores Religiosos succedent duo Thuriferarii ibidem cum cottis, qui thuribula cum incenso fumigantia lente ducent ante Celebrantem, facie non dorso ad Sacramentum semiversa in incessu.

Tandem adveniet Celebrans pluviali ac velo humerali albo amictus, deferens SSmum inter Ministros s. vestibus sed sine manipulo indutos, fimbrias pluvialis hinc inde elevantes, qui alternatim una cum Celebrante psalmos submissa voce recitabunt.

Supra Celebrantem SSmum portantem deferatur omnino *baldachinum*, quaternis saltem hastis instructum, quae a totidem Religiosis superpelliceo indutis in festo Corp. Chr. eleventur. Feria autem VI. in Parasceve deferri poterit baldachinum a Religiosis sine cotta, qua die Celebrans non sumet pluviale, Ministri autem Celebrantis, cum non utantur planetis plicatis, tum solemni illius diei Officio tum processioni cum superpelliceo assistent.

Cerei extinquentur postquam reconditum fuerit SSmum et in fer. VI. in Parasceve, postquam fuerit a Celebrante consumptum, nec cessabit *campanarum sonitus,* ubi ab Ecclesia non prohibetur, nisi post s. actionem absolutam. Quodsi ad hujusmodi supplicationes convocentur Confratres alicujus Sodalitii, hi sacco induti designari poterunt ad deferendum baldachinum, supplendo vices Religiosorum alia munia obeuntium. In iis autem Coenobiis seu religiosis familiis, in quibus parva Monachorum manus sit, *Assistentes Celebrantis* poterunt *incedere cum superpelliceo,* sed *nunquam fas est, ut omittatur baldachinum* super deferendum, ut supra, vel a Monachis vel a Confratribus.

n. 4130 die 15. Sept. 1742.

Cf.: *Processio Regular.*

63) Solemnis et publica.

Solemnes processiones esse intelligendas, quae fiunt solemniter cum SS. Sacramento vel quando SS. Sacramentum pro quacunque causa publica vel privata defertur in processione, et quae fiunt in festo s. Marci et pro Rogationibus et in die Purificationis B. V. M. et in dominica Palmarum; caeteras vero de Rosario, de Carmine etc. non esse solemnes nisi in propriis Ecclesiis, ubi a principio fuerunt institutae. n. 330 die 18. Nov. 1606.

Processiones publicas esse: SS. Corp. Chr., Litaniarum majorum, Rogationum, ac quascunque alias consuetas vel quae pro bono, causa et honore publico ab Episcopis inducuntur. In reliquis S. C. Concilii consulendam esse. n. 2139 die 2. Decbr. 1661.

Cf.: *Processio general.*

64) Spiritus Sancti a Patre et Filio.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Benedicti XIV. §. 29).

65) Subdiaconus.

Vd.: *Subdiaconus; Cruciferarius.*

66) Tempus.

Vd.: *Parasceve* (process., decr. diei 22. Mart. 1596, n. 951)*; Process.* (plures eodem die, hora)*; Processio SS. Corp. Chr.* (duae etc.).

67) Terminatio.

Regulares s. Francisci Vianae tenentur in Ecclesia parochiali expectare et non discedere, donec terminatae sint functiones ecclesiasticae processionum. n. 2273 ad 4 die 24. Maii 1664.

Regulares accedentes ad publicas processiones tenentur associare Capitulum nedum in accessu, quo dirigitur processio, verum etiam in suo recessu ad Metropolitanam, in qua revertitur, non obstante contraria consuetudine, quam abusum esse. n. 3118 die 20. Julii 1686; n. 3179 ad 2 die 22. Jan. 1689 cum append: *Et Episcopus cogat Regulares parere decretis.*

Ad dubium: An Regulares teneantur ad Ecclesiam matricem reassociare ss. Sacramentum ibique permanere usque ad benedictionem?

S. C. resp.: Teneri.

Die 10. Mart. 1685.

Vd.: *Processio ss. Corporis Christi* (terminatio); *Process.* (regress.)

68) Transitus per aliam paroch.

Vd.: *Processio fun.* (Via per aliam paroch.); *Processio extra paroch.*

Ad dubium: An liceat parocho occassione processionum discedere a sua parochia, accedere et transire per paroch. Cathedr. cum stola et Cruce erecta et simili modo redire ad suam paroch., vel potius debeat in Cathedrali erigere et deponere Crucem et stolam?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 28. Apr. 1703 in *Sutrina.*

69) Translatio.

Vd.: *Processio* (mutatio, indict. Ep. decr. n. 3201).

Quamvis processiones solitae privatae, quae fiunt a parochis in parochia et a Capitulo in Cathedrali, fiant sine licentia Episcopi, adhuc tamen, si transferantur, exigitur Episcopi approbatio. S. C. R. in Hispalen. 3. Sept. 1595 et 21. Jul. 1696 et in Asten. 31. Jan. ejusdem anni.

70) Via.

Vd.: *Processio ss. Corp. Chr.* (via); *Processio funebr.* (via;) Processio int. vel extra claust.) decr. 3. Nov. 1613 etc. t. II. p. 778); *Processio* (transitus etc.; extra paroch.); *Processio* (ornatus viae).

71) In Visitatione.

Vd.: *Process.* (ad Epis. nov. etc. et p. 845 decr. 9. Dec. 1662.)

PROCURATOR CAPITULI.
(Absentia.)

Ad dubium: An procurator Capituli Cath. civitatis Acerarum possit abesse a servitio chori ex causa sui officii per quinque menses juxta praescripta in statutis ipsius Ecclesiae Cathedralis?

S. C. C. resp.: Negative sed tantum abesse posse pro tempore necessario pro suo officio explendo.

Die 23. Aug. 1727.

PROCURATOR GENER.
(Praecedentia.)

Vd.: *Sedes in capella pont.*

Quum constat procuratorem general. ss. minorum observ. in capella pontificia ante procuratorem gener. minor. convent. sedisse, censuit ss. R. C.: dictum procuratorem in hac quasi possessione sedendi manutenendum esse. n. 67 die 26. Nov. 1593.

PROFANATIO.

Vd.: *Pollutio.*

1) Coemeterii.

a) Modus.

Profanata Ecclesia polluitur etiam Coemeterium ei contiguum; secus si remotum fuerit ab eadem; cap.: *Si Ecclesiam unic. de consecrat. Eccles.*

in 6., ibi: „Si Ecclesiam pollui sanguinis aut seminis effusione contingat, ipsius Coemeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum, unde antequam re conciliatum fuerit non debet in eo aliquis sepeliri. Secus si remotum fuerit ab eadem.“ Polluto autem Coemeterio, quamvis Ecclesiae contiguo, non polluitur Ecclesia, cit. cap.: *Si Ecclesiam*, ibi: „Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet polluto Coemeterio, quamvis Ecclesiae contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta; ne minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur.“ Quando sunt plura Coemeteria, polluto uno Coemeterio, aliud illi contiguum non polluitur, licet per portam de uno in aliud detur ingressus, citat. cap.: *Si Ecclesia*, ibi: „Non unum sed plura Coemeteria esse noscuntur, quae quamvis sibi cohaerentia, pariete tamen medio sejunguntur; ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.“

b) Reconciliatio.

Vd.: *Reconciliatio Coemet.*

2) Ecclesiae.

a) Adestne?

Amalphitana.

(Conc. Tr. c. 4. 13. sess. 24. De ref.)

Vd.: *Profan. Eccles.* (modi)

Contentione exorta inter Clericos Lucam Ferenium et Blasium Venosium in Collegiata Ecclesia s. Mariae ad Mare oppidi majori, cum vulnus sanguine manans excepisset jam d. Ferenius, statim Ecclesia tamquam polluta habita fuit. Divina enim cessarunt, augustissimum Eucharistiae sacramentum sacraque olea translata fuerunt ac animarum cura, quae ibi exercebatur, parocho s. Petri commissa fuit auctoritate ordinaria. Jam vero reconciliata memorata Ecclesia, ejus Praepositus et Canonici plures super hujusmodi facto instaurant controversias adversus promotorem fiscalem curiae Archiepiscopalis; quandoquidem autumant, Ecclesiam praedictam nequaquam pollutione foederatam extitisse, cum e vulnere cruor vix apparuerit neque in terram effluxerit, proindeque contendunt nec Sacramenta transferri neque curam animarum alteri parocho committi potuisse, qui parochialia emolumenta sibi vindicavit. Praeterea conqueruntur super exactione summae ducatorum quinque, quae numerata fuit vicario generali aliisque ministris causa saepedictae reconciliationis, ut perhibetur, pro expensis viatici. Contra insurgit jam d. promotor fiscalis, qui super pollutione Ecclesiae non esse ambigendum autumat; tum quia sat est, quod vulnus cruentum in Ecclesia sit illatum, cum etiam quia jam reconciliata fuit ad enixas ipsorum Canonicorum, qui nunc contradicunt, preces. Caeterum translationem Sacramentorum jussam fuisse asserit, interim quo disceptatum fuit, an d. Ecclesia consecrata esset vel tantum benedicta, cumque nullum desuper documentum exhiberi potuerit, rite Vicarius generalis tanquam specialiter delegatus processit, cui alimenta et expensae viatici jure subministratae fuerunt: at si quid super hujusmodi exactione Canonici praetendant, contra eundem vicarium aliosve ministros, ut inquit, procedere debent. Postremo idem promotor fiscalis subtexuit, semel iterumque post reconciliationem Archiepiscopum demandasse Sacramentorum restitutionem; nihilominus cum praepositus, cui animarum cura incumbere asseritur, in Urbe moram ducat, nullo relicto Sacerdote ab ordinario approbato, qui Sacramenta ministret, jure

recteque parochus s. Petri curae onus adhuc exercet; neque exaudiendum praepositum subdit, qui autumat sibi tantum inesse habitualem curam, actualem vero Capitulo, adeout morari nequeat Sacramentorum restitutio, quo usque ad propria ipse revertatur. Hinc super multiplici controversia expectatur sapiens EE. VV. judicium partibus monitis sub dubiis:

I. An constet de pollutione Ecclesiae Collegiatae s. Mariae ad Mare? et quatenus affirmative;

II. An Vicarius Archiepiscopi valuerit exigere ab illius Capitulo ducatos quinque aliasque expensas? et quatenus negative;

III. An teneatur ad illorum restitutionem?

IV. An translatio ss. Eucharistiae Sacramenti et olei s. ab Ecclesia Collegiata ad parochialem s. Petri demandata per Archiepiscopum sustineatur?

V. An parochus Ecclesiae s. Petri valuerit eadem Sacramenta subministrare parochianis dictae Ecclesiae, illorum infantes baptizare, matrimoniis interesse ac assistere tumulationi cadaverum in eadem Ecclesia Collegiata cum stola sine consensu proprii parochi? et quatenus negative;

VI. An et in quibus poenis inciderit et teneatur restituere emolumenta parochialia?

S. C. C. resp.: Esse restituenda Sacramenta et deputari sine praejudicio jurium partium Oeconomum pro cura animarum unum ex Canonicis per Archiepiscopum auctoritate s. Congregationis cum assignatione congruae solvendae a quo de jure, et proponatur dubium, cui incumbat onus curae.

Die 9. Junii 1714.

b) Effectus.

Effectus violationis et profanationis seu pollutionis Ecclesiae sunt tres.

Primus est, quod Ecclesia polluta non potest consecrari antequam reconcilietur et pollutionis causa amoveatur; cap.: *Eccles.* 27. et cap.: *Ecclesiam* 28. dist. 1. de consecrat.; cap.: *Si Ecclesia* 10. de consecrat. Eccles. Barbos. lib. 2. Juris Eccles. univers. cap. 4. n. 32.

Secundus est, quod in Ecclesia polluta vel in ejus Coemeterio contiguo non potest sepeliri ullus defunctus, donec reconcilietur; textu expresso in cap.: *Si Ecclesiam* unic. de consecrat. Eccles. in 6., ibi: „Unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri.“

Tertius effectus est, quod in Ecclesia polluta non possunt nec Divina Officia nec Missae celebrari; cap.: *Sicut* 11., cap.: *Nullus* 14., cap.: *Ecclesiam* 27. et cap.: *Ecclesiam* 28. dist. de consecrat., cap.: *Si Ecclesia* 10. de consecrat. Eccles.

c) Missae Celebratio et Adm. Sacram. in Eccl. prof.

Si quis in Ecclesia publice profanata Missam celebrat aut alia peragit Divina Officia seu Defunctorum sepelit, peccat quidem mortaliter, irregularis tamen aut suspensus non efficitur, quia nulla poena invenitur expressa in Jure contra eos, qui talia agant in Ecclesia polluta, antequam reconcilietur; adeoque non inducenda; arg. cap.: *Is qui 18. de sentent. excommunic. in 6. etc.; Odia* 15. de Regul. Juris eodem in 6.; *Henriq.* lib. 9. de Missa cap. 27. §. 7. et l. 13. de excomm. cap.: *Si* §. 5.; *Sylvester* verb.: consecratio q. 9.; *Barbosa* de Offic. et potest. Episcop. alleg. 28. n. 51.; *Abbas* in cap.: *Si Ecclesia* 10. de consecrat. Eccles. n. 4.; *Engel* lib. 3. decretal. tit. 40. n. 22.; *Ugolin.* de Irregular. lib. 1. cap. 1. n. 2. et alii plures apud Barbosam l. c. et lib. 2. Juris Eccles.

univers. cap. 4. n. 33.; *Fagn.* lib. 5. decretal. in cap.: *Tuarum* 11. de privileg. n. 4. Si Sacerdos sciat solum ex sacramentali Confessione Ecclesiam esse pollutam, poterit in ea licite celebrare, neque opus est aliqua reconciliatione; arg. cap.: *Significasti 6.* de adulter. et aliis juribus cit. sub n. 54. et sic tenent communiter Doctores cum *Sayr.* de Censuris lib. 5. cap. 16. n. 10. et *Barbosa* cit. alleg. 28. n. 41. Quando in actu celebrationis Missae violatur publice Ecclesia, si id contigerit ante Canonem, est statim a Sacrificio cessandum; si post Canonem, est prosequendum: sic expresse Rubrica Missalis tit. de defectibus in Ministerio ipso occurrentibus, ibi: „Si Sacerdote celebrante violatur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa, si post Canonem, non dimittatur."

d) Modi.

Ecclesia pluribus casibus et modis polluitur, ita ut indigeat reconciliatione.

Primus est, quando in ea sanguis humanus in quantitate notabili per voluntariam, injuriosam et graviter peccaminosam actionem effunditur: cap.: *Ecclesiis 20. dist. 1. de consecr.; cap.: Posuisti 4.;* cap.: *Si Ecclesia 10. de consecratione Ecclesiae,* et cap.: *unic. eod. tit. in 6.* Hic tamen nota, quod ad hoc, ut Ecclesia polluatur, sanguis effusus debet esse humanus, si enim fuerit cujusvis alterius animalis irrationalis, non erit per hoc Ecclesia polluta. Glossa in cap.: *Si Ecclesiam unic. de consecr. in 6. verb.: Sanguinis humani* et cum communi aliorum *Barb.* de Offic. et potest. Episc. part. 2. alleg. 20. n. 31. Ecclesia tamen efficitur polluta, sive proprius sive alienus effundatur sanguis; si enim quis suae mentis compos ex ira vel desperatione seipsum occidat vel se cum sanguinis effusione percutiat, Ecclesia erit polluta et reconciliatione indigebit, ut expresse dicit *Glossa cit. verb.: Sanguinis humani in additione,* ibi: „Si vir sanae mentis seipsum occidat in Ecclesia vel vulneret irato animo ad sanguinis effusionem, ex quo publicum est, reconciliabitur"; et tenet *Mar. Alter.* in dict. cap.: Si Ecclesiam, vers.: quaeritur tertio; *Sayrus* de Censur. cap. 16. n. 4. in fine, *Barbosa* l. c. n. 13., aliique passim; arg. cap.: Contigit 36. de sect. excom. Sanguinis effusio ut polluat Ecclesiam debet esse in quantitate notabili, hoc enim importat verbum effusio, nempe sanguinis abundantiam et copiosum fluxum, ut notat Glossa in cap.: Cum illorum 33. de sentent. excom. verb.: effusionem sanguinis, et Glos. in cit. cap.: Si Ecclesiam unic. de consec. Eccles. in 6. verb.: nota primo; ubi sic expresse dicit: „Item requiritur, quod illa effusio Sanguinis fuerit facta in magna abundantia, immo si solum essent effusae duae vel tres guttae, non diceretur Ecclesia polluta." Et tanto minus diceretur polluta, si nullus efflueret sanguis, quamvis in ipsa quis summa cum injuria graviter verberaretur, ut ejus carnes contererentur et ossa confringerentur, quia Jura sub n. 24. citata requirunt sanguinis effusionem, et cum sint poenalia et odiosa, non debent extendi juxta regulam 15. Juris in 6. ibi: „Odia restringi et favores convenit ampliari"; et reg. 49. eod. in 6. ibi: „In poenis benignior est interpretatio facienda."

Immo sanguinis effusio quamvis sit copiosa non sufficit ut Ecclesia dicatur polluta, *nisi sit causata per percussionem graviter peccaminosam.* Si enim percussio fuerit levis, quamvis sanguis effundatur, non ideo erit polluta Ecclesia et hoc patet cum pueri

se invicem in Ecclesia percutiunt vel Pater aut magister causa correctionis modum leviter excedendo Filium aut discipulum ita verberat, ut sanguis copiose e naribus fluat; per has enim et similes percussiones leviter peccaminosas non violatur Ecclesia, cum per istas non censeatur inferri gravis injuria. *Navar.* in Manual. cap. 27. n. 82., *Marc. Anton.* variar. resolut. l. 1. resolut. 13. casu 6., *Grass.* lib. 2. cap. 48. n. 25., *Barbosa* l. c. n. 36. et alii passim. Si autem sanguis copiose effluat de naso ex percussione violenta inter majores quatuordecim annorum, tunc pollui et violari Ecclesiam resolvit et judicatum refert *Marc. Anton.* variar. resolution. lib. 1. resolution. 112. casu 6., *Gambatur.* de casibus reservat. cap. 15. casu 6. n. 9., *Barbosa* l. c. n. 36. Effusio sanguinis ad hoc, ut inducat violationem Ecclesiae, debet esse plene voluntaria, unde si ab amente furioso, vere ebrio, dormiente vel aliquo casu fortuito, ut a cadente lapide et hujusmodi, causaretur et fieret in Ecclesia sanguinis humani effusio, Ecclesia non pollueretur, ut tenet communis Doctorum cum Glossa in citato cap.: Si Ecclesiam unic. de consecr. Eccles. in 6. verb.: Sanguinis humani et *Barbosa* l. c. a n. 3. ad 14. In omnibus enim supradictis deficit voluntarium, eo ipso quod nesciant quid faciant, cap.: Illud 2. caus. 15. quaest. 1. Debet insuper talis effusio sanguinis ad hoc, ut violet Ecclesiam, esse injuriosa. Unde si quis voluntarie quidem, sed non injuriose, ex quo ob justam verb. grat. sui defensionem servato moderamine inculpatae tutelae in Ecclesia Aggressoris sanguinem effundat, ex hoc non erit polluta Ecclesia, ut expresse dicit Gloss. communiter recepta in cit. cap.: Si Ecclesiam, verb.: casus, ibi: „Requiritur quod sit effusio sanguinis humani injuriosa, immo si me defendendo effundam sanguinem in Ecclesiam, non propter hoc dicitur Ecclesia polluta.“ Ut Ecclesia violetur requiritur ulterius, quod effusio sanguinis copiosi causetur *in Ecclesia.* Hinc non polluitur Ecclesia, quando quis extra illam in platea, v. gr. in via, in turri aut subtus in spelunca Ecclesiae percussus fugit ad Ecclesiam et ibi copiosum sanguinem effudat. Sic expresse habet Gloss. communiter recepta in cit. cap.: Si Ecclesiam, verb.: sanguinis humani, ibi: „Et si extra Ecclesiam vulneratus ad Ecclesiam fugiat et ibi sanguinem spargat, non reconciliatur Ecclesia; secus e contrario.“

Secundus casus, quo polluitur et profanatur Ecclesia, est quando in eo committitur voluntarium et injuriosum homicidium sive respectu alterius, quamvis sanguis non effundatur, veluti si aliquis suspendatur aut aliter citra sanguinis effusionem violenter et cum injuria occidatur; cap.: Si motum 19. dist. 1. de consecrat., cap.: Proposuisti 3. de consecratione et est communis Doctorum. Hic nota, quod ad hoc, ut per homicidium polluatur Ecclesia, debet tale homicidium esse voluntarium et injuriosum, quia ob casuale homicidium vel factum sine alterius injuria ob justam sui defensionem, cum moderamine inculpatae tutelae non violatur Ecclesia, sicuti dictum est de sanguinis effusione. Sic cum Glossa in cit. cap.: Si Eccles. unic. de consecrat. in 6. Doctores communiter. Violatur tamen Ecclesia per mortem re illatam in ipsa ex sententia Judicis, quia licet taliter suspensus dignus fieret tali supplicio, fit tamen illi injuria, cum jus habeat ne in tali loco hujusmodi vim patiatur; et insuper fit etiam injuria loco sacro et ipsi Deo, in cujus honorem est Ecclesia specialiter dicata et consecrata; cap.: Decet Domum Domini 2. de immunitate Ecclesiae in 6. ibi: „Nulla

inibi (scilicet in Ecclesiis) causa per laicos criminalis maxima agitetur; sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena.“ Non violatur autem Ecclesia, si idem Judex aut quivis alius super ipsius Ecclesiae tectum vel ex ejusdem parietibus hominem suspendat, quia in tali casu non intra sed extra Ecclesiam contingit homicidium. Sic post Sylvestr. et Navarr. *Mar. Alter.* d. cap. unic. de consecration. Eccles. in 6. vers.: Sed quid; *Fagundez.* in quinque Ecclesiae praecepta, praecept. 1. lib. 3. cap. 14. sub n. 9. et praecept. 2. lib. 14. cap. 4. n. 17., *Barbosa* de offic. et potestat. Episcopor. par. 2. allegat. 28. n. 25. et lib. 2. Juris univers. Eccles. cap. 4. n. 18. Si quis extra Ecclesiam mortale vulnus recipiat et postea ratione ejusdem vulneris moriatur intra Ecclesiam, non violatur per hoc Ecclesia, quia tunc non homicidium sed sola mors contingit in Ecclesia; econtra vero si quis intra Ecclesiam vulnus mortale recipiat et postea moriatur extra ipsam, tunc Ecclesia efficitur polluta, quia juxta jura n. 2. citata requiritur et sufficit, ut vulnus lethale seu tethalis percusio, a qua ipsum homicidium denominatur, contingat et fiat intra ipsam Ecclesiam, quamvis deinde ipsa mors per accidens extra Ecclesiam sequatur. Glossa communiter recepta in cit. cap.: Si Ecclesiam unic. de consecrat. Eccles. in 6. verb.: Sanguinis humani; *Navarr.* in Manual. cap. 17. n. 256., *Fagundez* d. praecept. 1. lib. 3. cap. 14. n. 9., *Barbosa* lib. 2. juris Eccles. univers. cap. 4. n. 20. et de Officio et potest. Episcop. pars. 2. allegat. 28. n. 23. Si quis existens intra Ecclesiam occidit jaculo hominem existentem extra ipsam, non violatur per hoc Ecclesia, cum in tali casu sit verum dicere, quod homicidium non sit intra Ecclesiam patratum, licet intra eamdem initium sumpserit. Secus vero econtra, si quis existens extra Ecclesiam, occidat jaculo hominem existentem intra ipsam, quia jam tunc verificatur homicidium patratum voluntarie et injuriose intra Ecclesiam. *Navarr.* l. c. n. 256., *Fagundez* l. c. cap. 14. n. 11., *Ugolin.* 29. de potest. Episcop. 29. §. 1. vers.: Quarto non polluitur, *Barbosa* dict. alleg. n. 26. et dict. cap. 4. n. 20.

Nec valet objicere, quod sicuti ex novissima Constitutione Benedicti XIII. incipiente: *Ex quo*, non gaudent Immunitate ecclesiastica „qui stantes in Ecclesia vel Coemeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium“, ita a pari sit censenda polluta Ecclesia per tale homicidium. Non valet, inquam, quia quoad privilegium Immunitatis attenditur spes, animus et fiducia, qua quis delinquit, ut ab Ecclesia defendatur et sic evadat poenam crimini condignam; id quod verificatur proprie in illo, qui, cum sit intra Ecclesiam, occidit alium existentem extra eamdem: et ideo fuit statutum in dicta Constitutione Benedicti XIII., non gaudere Immunitate ecclesiastica, sicuti jam ab Abbate in c. ult. de Immunitate ecclesiast. et ab aliis sustinebatur. Quo autem ad violationem Ecclesiae seu ut polluta dicatur Ecclesia, requiritur, ut homicidium sit voluntarie et injuriose patratum in Ecclesia, arg. c.: Ecclesiis 20. dist. 1. de consecrat, cap.: Proposuisti 4., cap.: Si Ecclesia 10. de consecr. Eccles. et cap.: Si Ecclesiam unic. eod. tit. in 6. Existens autem intra Ecclesiam, si occidat hominem existentem extra ipsam, non patrat homicidium intra Ecclesiam; ideoque per tale homicidium non censetur polluta seu profanata Ecclesia; nec in sacris Canonibus et Apost. Constitutionibus reperitur usque adhuc aliter determinatum, sicuti expresse reperitur determinatum in dict. Constitutione

Bened. XIII., quod tales homicidae non gaudeant Immunitate Ecclesiae et consequenter, cum simus in poenalibus et odiosis, non debet fieri extensio ultra expressa in Jure, juxta reg. 15. Juris in 6. et reg. 49. eod. in 6. et sic tenet *Barbosa* de Offic. et potest Ep. d. alleg. 28. n. 27. et 28. Ecclesia violatur, ita ut reconciliatione indigeat, si quis in ipsa pro defensione Fidei homicidium et ita Martyrium intra Ecclesiam patiatur; quia Jura sub n. 24. et iterum sub n. 41. citata indistincte loquuntur et sceleratius est justum et sanctum occidere quam injustum; cap.: Si non licet 9. caus. 23. qu. 5. Quamvis enim per Martyris mortem, quatenus est passio et habet rationem Martyrii, non polluatur sed potius consecretur Ecclesia; cap.: Quamvis dist. 21.; cap.: Fundamenta 17. de elect. in 6. et cap.: Gloriosus unic. de Reliquiis et veneratione Sanctorum eod. in 6., polluitur tamen per ipsum homicidium seu Martyrium, quatenus consideratur ut injuriosa actio ex parte occidentis, cum ut talis sit revera sacrilegium et injuriosum homicidium; sic Glossa communiter recepta in cit. cap.: Si Ecclesiam unic. de consec. Eccles. in 6. verb.: Sanguinis, ubi adducit sequentem versum:

Actio displicuit, passio grata fuit.

Tertius casus, quo polluitur Ecclesia, est quando humanum semen in Ecclesia criminose, voluntarie et notorie est effusum, sive sit hominis, sive mulieris, sive haeretici aut infidelis, sive etiam per mollitiem aut adulterium vel sodomiam aut bestialitatem, textu expresso in cap.: Ecclesiis 20. dist. 1. de consec. ibi: „Cujuscumque seminis effusione polluta fuerit“: et cap.: Si Ecclesiam, unic. de consecr. Eccles. in 6. ibi: „Si Ecclesiam seminis effusione pollui contingat“; et sic communis Doctorum cum *Barbosa* dict. allegat. 28. n. 42. et dict. cap. 4. n. 22. Hic nota, quod non violat Ecclesiam effusio seminis facta in somnis. Glossa communiter recepta in cit. cap.: Ecclesiis 20. dist. 1. de consecrat. verb.: semine. Nec violatur Ecclesia per pollutionem, quam quis invitus patitur, nec per menstruum foeminarum decidens. *Barbosa* cum aliis dict. allegat. 28. n. 43. Nec violatur Ecclesia per seminis effusionem etiam voluntarie factam supra tectum Ecclesiae vel subtus Ecclesiam etiam in aliqua caverna, aut aliqua cella vel Choro, Sacristia, Campanili, Tribuna aut Confessionario extra Ecclesiae corpus, quia in his et similibus dicitur extra Ecclesiam contigisse: ut cum plurimis ibi citatis docet *Barbosa* dict. allegat. 28. n. 45.

Violatur tamen Ecclesia per copulam conjugalem, si in ipsa Ecclesia habeatur extra necessitatem; quia licet copula conjugalis de se sit licita, est tamen illicita propter loci sacri circumstantiam, cui fit injuria; arg. cap.: Accusatio 14. caus. 2. q. 7., cap.: ut in Domibus 1. de immunit. Ecclesiar., et cap.: decet Domum Domini 2. eod. tit. in 6. Et facit a pari illud dictum de Judice suspendente reum intra Ecclesiam, quo casu quamvis poena mortis sit crimini condigna et ideo per se licita, propter tamen loci sacri circumstantiam redditur illicita et injuriosa et ideo polluta censetur Ecclesia; arg. cit. cap.: Decet Domum Domini 2. de immunit. Eccles. in 6.: „Si autem copula conjugalis habeatur in Ecclesia in casu necessitatis, quia v. gr. conjuges causa belli vel ex alia causa diu cohabitare debent in Ecclesia, propter quod adest periculum incontinentiae, tunc ad ipsum vitandum est licita copula conjugalis etiam in Ecclesia, si aliter extra ipsam haberi non possit.“ Sic *Sylvester* verb.: consecr. 2. quaest. 5., *Covarruv* de spon-

sal. par. 2. cap. 7. §. 2. n. 3., *Richard* in 4. distinct. 32. art. 3. quaest. 1., *Lessius* de Justitia lib. 5. cap. 3. dub. 12. n. 85., *Pirhing* lib. 3. decretal. titul. 40. n. 13., *Reiffenstuel* ibid. n. 22. et cum pluribus aliis *Barbosa* dict. allegat. 28. n. 48.

Quartus casus, quo polluitur Ecclesia, est quando in ea sepelitur aliquis excommunicatus vitandus, scilicet publice denuntiatus aut notorius Clerici percussor aut infidelis; de *excommunicato* stat textus expressus in cap.: Sacris 12. de Sepulturis, et in cap.: Consuluisti 7. de consecration. Eccles. ibi: „Coemeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquae solemniter benedictae, sicut in dedicatione Ecclesiarum fieri consuevit"; de *infideli* tenet communis cum *Barbosa* in cap.: Ecclesiam 27. destict. 1. de consecrat. et patet clare ex citato cap.: Ecclesiam, in qua paganus 27., et cap.: Ecclesiam, qua mortuorum cadavera 28. distinct. 1. de consecrat. Hinc nota, quod Ecclesia polluitur per sepulturam infidelis, etiamsi talis esset infans, ut tenet communis Doctorum cum *Pasqual.* quaest. 582. *Immo probabiliter polluitur etiam per sepulturam infantis non baptizati filii parentum fidelium,* quia talis infans est infidelis saltem negative; sic tenet Glossa, *Hostiens.*, *Tabiena*, *Armilla*, *Angel. Rodriqu.*, *Piasec.*, *Suarez*, *Avila*, *Azor.*, *Fagundez*, *Reginaldus*, *Laiman*, *Coninch*, *Castropal.*, *Lessius*, *Dicastill.*, *Amicus*, uterque *Lugo*, *Quarti*, *Delbene* et alii, quos citat *Pasqualig.* quaest. 583. et etiam sic tenet *Pirhing.* lib. 3. Decretal. tit. 40. n. 14., *Reiffenstuel* ibid. n. 21. Nisi tamen in utero matris defunctus cum matre sepeliatur, quia tunc non censeretur polluta Ecclesia, ex quo partus antequam edatur mulieris portio sit vel viscerum; *l. 1. ff. de ventre inspiciendo*, *Pirhing* l. c. n. 14., *Reiffenstuel* l. c. n. 21., *Azorius*, *Layman* et alii passim. Sunt tamen plures alii, ut *Paludan.*, *Sayr.*, *Ugolin.*, *Pax Jordan.*, *Bordon.*, *Alan.*, *Passerin.* et alii, qui sustinent per sepulturam infantis non baptizati filii parentum fidelium non pollui Ecclesiam, quia infantes non baptizati censentur tales, quales sunt parentes et Jura odiosa intelligi debent de illo, qui positive est infidelis saltem professione parentum; quae revera opinio non caret sua probabilitate.

Si in Ecclesia fuerint sepulti haeretici non denuntiati nominatim, etiamsi alias notorii, non censetur violata Ecclesia nec indiget reconciliatione, quia cum non teneamur eos devitare in vita, nisi nominatim denuntiati sint, ita neque eos tenemur evitare post mortem. *Layman* in Theolog. moral. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 4. n. 9., *Jordan.* de re Sacra t. 1. l. 5. tit. 11. de bened. Coemeter. n. 127., *Pirhing* l. c. n. 13., *Reiffenstuel* l. c. n. 21., *Antonell.* de loco legali lib. 1. cap. 9. n. 16., *la Croix* lib. 6. par. 2. n. 286., *Navarr.*, *Gobat.* et alii. Sic nec etiam violatur Ecclesia per sepulturam ejus, qui in duello decessit, nisi denuntiatus fuerit, quia licet duellantes ultra excommunicationem priventur etiam ecclesiastica sepultura, ut in Concil. Trident. sess. 25. de reformat. cap. 19. et in Constit. Clement. VIII. incipiente: *Illius vices*, ex tali tamen prohibitione praecise non sequitur, ut Ecclesia polluatur si contra fiat: Vide tamen ad rem, quae in Benedict. XIV. Constit. incip.: *Detestabilem* *) noviter

*) Post emanationem citatae Bullae: *Detestab. etc.* falsa evidenter deprehenditur auctoris sententia, qua sustinet non violari Ecclesiam per sepulturam ejus, qui duello decessit, nisi is denunciatus fuerit. Quam in rem adducere satis est verba Constit: *Detestab.*, quae sunt:

statuuntur quoad decessos in duello, quam Constitutionem habes in tom. 2. verb.: duellum art. 2.; siculi etiam non polluitur per sepulturam aliorum, quibus est interdicta ecclesiastica sepultura, ut sunt Usuarii, Interdicti et alii similes, nam in poenalibus et odiosis non est facienda extensio nisi in Jure habeatur; leg. apud *Labeonem* §.: Si communem, ff. De Jurejur. l.: Si quis servum ff. de serv. corrupt. cap.: Is qui 18.: de sentent. excommunic. in 6. cap.: *Odia* 25. et cap.: In poenis 46. de Regul. Juris in 6. et sic tenent *Jordan.* dict. tract. de re sacr. tom. 1. lib. 5. tit. n. 126., *Layman.*, *Pirhing*, *Reiffenstuel*, *Antonell.* l. c.; *Engel* lib. 3. decretal. tit. 40. n. 12., *Zoesius* ibid. n. 11., *Navarr.*, *Suarez* et alii.

Omnes recensiti casus, in quibus fuit dictum profanari seu pollui Ecclesiam, *requiritur, quod sint publici seu publice innotuerint;* argum. cap.: *Significasti* 6. de adulter., ubi vis ponitur in publica detectione, ibi: *Publice*, et tenet Gloss. communiter recepta in cit. cap.: Si Ecclesiam unic. de consecrat. Eccles. in 6. verb.: Pollui; *Barbos.* de Offic. et potest. Episcop. alleg. 28. n. 37., *Pirrhing* l. 3. tit. 40. n. 12., *Reiffenstuel* ibid. n. 22., *Suarez* disp. 31. sect. 4. v. 2. et alii passim. Et ratio est, quia Ecclesia non judicat de internis; arg. cap.: Tua 34. de Simonia, et cap.: Erubescant 11. dist. 32. ibi: „De manifestis loquimur, secretorum autem cognitor Deus et Judex est.“ Si vero tales casus ab initio occulti, postea publice innotescant, ex eo tempore debet Ecclesia haberi pro polluta et necessario debet reconciliari, quia ex tunc bona fama Ecclesiae perditur et aestimatio communis contraria subintrat. *Sylvester* verb.: Consecratio 2. q. 5. §.: Tertius casus est; *Azor.* part. 2. l. 9. cap. 5. q. 2., *Pyrrhing* et *Reiffenstuel* l. c. et alii passim.

e) Occulta vel publica.

Vd.: *Profanatio Eccles.* (Modi.)

f) Reconciliatio.

Vd.: *Reconcil. Eccles.*

3) Eccles. et Coemeterii.

Vd.: *Profanatio Coemeterii.*

PROFESSIO FIDEI.

a) Ab Abbatibus et Dignitatibus etc. emittenda.

Vd.: *Prof. fidei* (a parochis etc.; Canon. et Dignit.)

Circa fidei professionem emittendam a promovendis tam ad Ecclesias Cathedrales quam ad dignitates regulares.

Fidei professio debet emitti in manibus praelati, ad quem inquisitio servato ordine pertinet, a quo si promovendus longe distet, poterit idem praelatus subdelegare receptionem dictae professionis ordinario, cui promovendus vicinior erit.

Praelatus recipiet professionem fidei a promovendo praesente notario pub-

---

„Praeterea, simili motu et auctoritate decernimus ac declaramus, sepulturae sacrae privationem a s. Trid. Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus incurrendam perpetuo fore etiam ante sententiam judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice sive privatum indictum fuerit ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit ac a peccatis et censuris absolutionem sustinuerit sublatata Episcopis etc.“

Ex quibus verbis satis liquide constat, quod si quem ex duello defunctum in Ecclesia sepeliri contigerit, etiam ante sententiam judicis, pollueretur Ecclesia; nam is esset excommunicatus non toleratus ac per hujus sepulturam Ecclesia violatur, ut docet *Antoine tract. de Eucharist. c. 3. q. 8. n. 4.*

lico ac testibus, ipse autem promovendus eam emittet genibus flexis ante praelatum et in fine tangendo ambabus manibus sacrosancta Evangelia et spondendo, vovendo ac jurando, prout in forma, ea deosculabitur.

Profitens duobus in locis, in quibus nomen et cognomen suum exprimendum erit, ea dumtaxat sua propria manu adscribet.

Praelatus propriae etiam manus subscriptione in fine exemplaris dictae professionis testabitur, eam a se receptam fuisse sub hac forma: Ego N. fidei professionem juxta suprascriptam formam a R. P. D. N. in manibus meis ad verbum emissam recepi et ita testor manu propria.

Dominus notarius, qui praesens fuit, publico instrumento in calce ejusdem exemplaris immediate post subscriptionem praelati inquirentis extenso fidem faciet de praedictae professionis emissione ac receptione praesentibus testibus, quorum nomina et cognomina exprimet.

Maxime cavendum est, ut exemplaria professionis fidei transmittantur absque mendis, ne levibus quidem, quum nec in minimis liceat immutare formam a sede apostolica praescriptam, nimisque non modo notarii scribentis, sed etiam praecipue Praelati inquirentis incuria circa hoc notetur in sacro Consistorio, quando in eo fit relatio processus et mendorum in professione fidei repertorum, quum necesse sit, ea etiam nominatim referre. Ideo expediens erit ad tollendam occasionem errorum provenientium ex incuria scribentis, ut ubique imprimantur exemplaria juxta formam Romae impressam et maxima diligentia adhibeatur, ne mendose imprimantur. Quum vero transmittenda sunt instrumenta professionis fidei, haec ipsa subscribantur a profitente et a Praelato inquirente et in eisdem notarius extendat instrumentum, prout dictum est.

Sub *Urbano PP. VIII.* publ. 1627.

b) Canonicorum Cath. et Colleg.

I. Obligatio.

Vd.: *Residentia Canon. Cath.* (decr. *Capuana.*); *Profess. fidei* (a parochis etc.; ab Abbatibus etc.).

Cathacen.

(Conc. Tr. C. 12. Sess. 24. De Ref.)

Quaerit Episcopus Cathacen.: *an fidei professio sit emittenda tam a Canonicis Cathedralis quam Collegiatarum, an eadem fieri possit per procuratorem, quomodo ea sit explenda, an coram Canonicis capitulariter congregatis et deinde coram Episcopo, quibus denique poenis subjaceant, qui eam vel non emittunt vel debito modo non emittunt?*

Sacrum Concilium Trident. sess. 24. cap. 12. de reformat. decrevit, ut provisi de canonicatibus et dignitatibus facere teneantur fidei professionem, ad minus intra duos menses a die adeptae possessionis et forma fidei professionis ab his emittenda statuta fuit a summo Pontifice Pio IV. in sua Bulla 89. Bullar. tom. 2.

Quia vero Concilium loquitur de provisis in Ecclesiis *Cathedralibus*, sacra haec Congregatio saepe respondit, *non teneri ad emittendam fidei professionem provisos de Canonicatibus et Dignitatibus in Collegiatis Ecclesiis*, uti resolutum fuit in Avenionen. anni 1586 lib. 4. decret. p. 128 a tergo et p. 185 a tergo et p. 186 ibi: „*Quaeritur: an provisi in Ecclesiis Collegiatis de Dignitatibus vel Canonicatibus teneantur fidei professionem facere; neque enim cap. 12. sess. 24. aut Constitutione Pii IV. videntur adstricti?* Sacra etc. respondit: *Provisos de Canonicatibus et Dig-*

nitatibus in Collegiatis Ecclesiis non teneri ex Concilio sess. 24. cap. 12. neque ex Bulla Pii IV. emittere professionem fidei, quia Concilium loquitur in Cathedralibus."

Quoad punctum: *an eadem emitti possit per procuratorem*, nonnulli affirmative respondent, *Navar.* lib. 2. Consil. 2. de jurejuran. n. 2., *Sanchez* in praecepta decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 5. n. 7., *Barbosa* juris Eccles. univer. lib. 1. cap. 21. n. 56., *Anaclet.* ad titulum decretal. de jurejuran. n. 182. cum aliis, quos cumulat et sequitur modernus *Borkn* in juris providentia univers. lib. 1. tit. 1. part. 1. quaest. 2. per totam, *alii negative respondent et huic opinioni adhaesit sac. haec Congregatio* et etiam Rotae tribunal juxta resolutiones et decisiones impressas apud *Garziam* de benef. par. 3. cap. 3. n. 51. et n. 75. et sqq. et praeter resolutiones a *Garzia* allegatas, alia reperitur in regestis S. Congregationis in Valentina 1610 lib. 11. decret., p. 91 ibi: „*Congregatio Concilii etc. censuit, professionem fidei per procuratorem emitti nullo pacto potuisse nec emissam suffragari*"; et juxta praxim illi, qui intra tempus statutum non possunt accedere ad residentiam et habent indultum absendi, supplicant huic S. Congregationi pro facultate emittendi professionem, si sunt in urbe, in manibus eminentissimi urbis vicarii et S. Congregatio indulgere consuevit cum clausula tamen, ut postquam ad residentiam accesserint, eam personaliter repetant ad tramites S. Concilii Tridentini.

Transeundo ad modum emittendae dictae professionis disputatum fuit die 7. Aug. 1683 sequens dubium: „*an professio fidei per provisos de Canonicatibus et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus emittenda in Capitulo ex dispensatione S. Concilii Tridentini cap. 12. sess. 24. de refor. emitti debeat coram omnibus Canonicis in Capitulo congregatis vel satis sit, ut emittatur coram prima Dignitate aut Decano vel uno ex Canonicis antiquioribus tantum?*" Et huic dubio responsum fuit: eam esse emittendam coram Canonicis capitulariter congregatis et juxta literam Concilii cit. sess. 24. cap. 12. provisi tenentur emittere professionem non solum in Capitulo sed etiam coram Episcopo sive ejus Vicario generali et juxta praxim, si fiat coram Vicario, etiam Episcopo non impedito, aut in Capitulo, in quo sit praesens Episcopus vel Vicarius, satisfactum dici debet obligationi fidei professionem emittendi, ut plene habetur apud *Monacell.* in formul. part. 1. p. 54. n. 7. et concordat resolutio hujus S. Congregationis in Sarzanen. professionis fidei 14. Jan. 1679 lib. 30. decret. p. 244 ad primum, ibi: „*primo, an quoad emissionem professionis fidei modo, ut supra secutam*", scilicet in Capitulo, in quo praesens erat Vicarius, qui erat etiam Canonicus et sedebat in stallo canonicali, non autem Vicarii, „*satisfactum fuerit dispositioni Concilii* cap. 12. sess. 24. de Reformat.?" Sacra etc. ad primum respondit: Affirmative.

Demum in eo, *quod attinet ad poenas* quoad eos, qui non emittunt vel debito modo non emittunt fidei professionem, cum Concilium loquatur de fructibus, ibi: „*fructus non faciant suos*", sub hac censura non comprehenduntur distributiones, uti habetur lib. 1. decret. p. 65 a tergo, ubi proposito hoc dubio responsum fuit: *distributiones quotidianas non comprehendi in casu verbis Concilii dicto cap. 12. sess. 24. de Reform.* et concordat alia resolutio in Nullius 1595 lib. 8. decret. p. 124., ibi: „*Congregatio Concilii censuit, illa verba Concilii, quae habentur in cap. 12. §.:*

provisi sess. 24. ejusdem Concil., ut posses. eis non suffragetur, intelligenda esse quoad fructus faciendos suos; ideoque omissionem professionis fidei non privare Canonicum supranarratis possesionis effectibus, sed ipsum et vocem in Capitulo et jus praecedendi a die adeptae possessionis habere, nisi aliud obstet, quamvis professionem fidei non emiserit.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An professio fidei sit emittenda tam a Canonicis Cathedralis quam Collegiatarum?*

II. *An eadem emitti possit per procuratorem?*

III. *An sit emittenda coram Episcopo aut ejus Vicario et deinde coram Canonicis capitulariter congregatis?*

IV. *Quibus poenis subjaceant non emittentes vel debito modo non emittentes professionem fidei?*

S. C. C. resp.

ad I.: Esse emittendam a Canonicis Cathedr. et non Collegiatarum;

ad II.: Negative;

ad III.: Emittendam esse coram Episcopo aut ejus Vicario et etiam coram Canonicis congregatis, sufficere tamen si emittatur coram Capitulo, cui Episcopus vel Vicarius generalis intersit.

ad IV.: Non facere fructus suos sed distributiones lucrari pro horis, quibus intersunt.

Die 26. Jan. et 9. Febr. 1726.

Canonici et Dignit. Ecclesiae Cath. tenentur a die adeptae possesionis ad minus intra duos menses fidei professionem facere non solum coram Episcopo vel ejus Vicario gener. sed etiam coram Capitulo.

Conc. Tr. sess. 24. de Ref. cap. 12. vers.: *Provisi. Constit. Pii IV.* incip.: *Injunctum nobis.*

Fidei promissionem Canonici et Dignitates Cathedr. tenentur facere per se ipsos personaliter et non sufficit per procuratorem.

S. C. C. die 18. Apr. 1590 *Seguntina;* 12. Sept. 1620; 22. Sept. 1696 *Calagurit.;* 6. Febr. 1726 *Calbucen.*

Ad fidei promissionem emittendam *non tenentur* jure Tridentino et juxta Constitut. Pii IV.*) *Canonici et Dignit. Collegiatarum.*

S. C. C. die 12. Febr. 1588, ut refert *Garzias* de beneficiis part. 3. cap. 3. n. 11.; *Barbosa* in summa apostol. decis. verbo: professio fidei n. 6.

II. Omissa.

Vd. *t. II. p. 865.*

Attendenda est sequens epistola S. C. C. directa E. et R. Cardinali de Lambertinis, postea ss. Pontifici et ab ipso relata vol. III. Notif. 19. in fine:

Eme et Rme D.

Negotium, de quo agitur in adjunctis precibus nonnullorum Canonicorum istius Metropolitanae aliorumque parochorum tam civitatis quam dioecesis, EE. PP. S. C. C. remittendum esse duxerunt arbitrio et prudentiae Em. Vestrae, cui proinde facultatem faciunt, ut Canonicos et Parochos praescriptos, qui fidei professionem cor. Ordinario, prout exponitur, erronee et contra dispositionem s. Concilii Tr. emittere praetermiserunt, ad novam fidei professionem faciendam cor. Em. V. sive ejus Vicario gen. admittere possit, eisdemque fructus suorum resp. Beneficiorum a die adeptae possessionis perceptorum, erogata tamen aliqua summa arbitrio Em. Vestrae taxanda in eleemosynam pauperum, liberaliter condonare valeat. Id Em. Vestrae sig-

---

*) Vd.: *Profess. fidei* (a parochis etc.).

nifico ejusque manus humillime deosculor.

Romae 10. Nov. 1736.

Bononiensi Emo Archiepiscopo.

A. Card. Gentili pro Emo Praefecto.

C. A. Archiep. Philipp. Secr.

Ad dubium 1.: An fructus percepti per Priorem Colleg. s. Jacobi Tolent. ob omissam professionem fidei coram ordinario sint restituendi a die captae professionis et quatenus affirmative?

2.*:* An, quomodo et cui dicti fructus sint applicandi?

S. C. C. resp.

ad 1.: Negative;

ad 2: Provisum in primo.

Die 2. Mart. et 16. Maii 1739.

c) Coadjutorum Canon.

Coadjutores Canonicorum seu Dignitatum Cathedr. de rigore juris communis seu Concilii Trid. non tenentur emittere fidei professionem, quia Coadjutor durante coadjutoria non est verus*) Canonicus. *Barbos.* de Offic. et potest. Episcop. p. 3 alleg. 61. n. 13. et 14. et: de Canonicis cap. 27. n. 12.; *Gonzalez* ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 9. n. 100.; *Garzias* de Benef. cap. 4. 5. n. 74 et 76.

d) In Concilio emittenda.

Omnes Episcopi in principio Concilii provincialis debent fidei professionem emittere et jurare Observantiam s. Concilii Trid., ut est injunctum in ipso Tridentino sess. 25. cap. 2. de Ref., ubi insuper statuit, quod si quis renuerit, statim denuncietur s. Pontifici a coepiscopis sub poena divinae indignationis et interim praedictus renuens communione aliorum privetur.

*) Vd.: *Coadjutor Canonicorum.*

Item Beneficiati omnes et ii, qui in Synodo dioecesana convenire debent, fidei professionem tenentur emittere in prima Synodo, cui adfuerint.

Conc. Tr. sess. 25. cap. 2.

e) Diaconorum.

Vd.: *Professio fidei Canon. Cath. et Colleg.* (oblig., decr. *Cathacen.*); *Professio fidei Ordinand.*

f) Episcopi.

Vd.: *Prof. fidei* (ab Abbatibus etc.; in Concilio); *Episcopus aegrotus* (Administr. Sacram., decr. n. 4669).

Antequam Episcopus aegrotus communicet indutus rocchetto et stola praesente ss. Corp. Chr., profiteatur cathol. fidem ex formula ab ap. Sede praescripta ...

Caer. Ep. l. II. cap. XXXVIII. n. 3.

Episcopus aegrotus convocet Canonicos, Parochos et Curatos omnes, dum adhuc sensus corporis integri sunt et coram eis profiteatur iterum cath. fidem ex praedicta formula.

Ibid. n. 5.

Fidei professionem facere tenentur promoti ad Episcopatum.

Cap.: Qui Episcopatus 2. dict. 23.; cap.: Optatum 4. dist. 100.; Conc. Tr. sess. 24. cap. 1. de Ref.; Gregorii XIV. Constit.: Onus apostolicae.

g) A Graecis emittenda.

Gregorius PP. XIII.

1. Ego N. firma fide *(seq. usque ad verba: Et vit. venturi saeculi. Amen* — vd. *infra in profess. fidei a parocho etc. emittenda.)*

2. Credo etiam, suscipio atque profiteor ea omnia, quae s. oecum. Synodus Florentina super Unione Occidentalis et Orient. Ecclesiae definivit et declaravit, videlicet quod Spiritus s. a Patre et Filio aeternaliter est et es-

sentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno Principio ut unica Spiratione procedit. Cum id, quod s. Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum s., ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus s., sicut et Patrem. Cumque omnia, quae Patris sunt, ipse Pater unig. Filio suo gignendo dederit, praeter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus s. procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum, Filioque explicationem, veritatis declarandae gratia et imminente tum necessitate licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

3. Item in Azymo sive fermentato pane triticeo corpus Chr. veraciter confici Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occid. sive Orient. consuetudinem.

4. Item si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari, ut et a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum Suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, Orationes et eleemosynas et alia pietatis Officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi et intuere clare ipsum deum trinum et unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

5. Item s. Ap. Sedem et Rom. Pontificem in universum Orbem tenere Primatum et ipsum Pontificem Rom. successorem esse b. Petri apostolorum Principis et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere et ipsi in b. Petri pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. Chr. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecum. Conciliorum et in s. Canonibus continentur.

6. Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae ex decretis s. oecum. gen. Synodi Trid., s. Romana et ap. Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei Symbolo, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur.

7. Ap. et Eccles. traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

8. Item s. scripturam juxta eum sensum *(seq.* vd. *infra in profess. fidei* Parochi *etc. a verbis ipsis: Item s. scripturam etc.).*

Anno 1575 (sine nominatione diei). (Bull. rom. tom. II. p. 429.)

Cf.: *Constitutio Eugenii IV. de concordia Ecclesiae graecae et latinae edita die 4. Julii 1439* in Bull. rom. tom. I. p. 335.

Professionem fidei ejusdem tenoris, vd. in Bulla Bened. XIV. de die 26. Maii 1742. (*Ibid.* t. XVI. p. 95.)

h) Laici aegroti.

Vd.: *Viaticum; Communio Infirmor.*

Ad dubium: A Rituali Mexicano praescribitur quod parochus s. Viaticum

infirmo collaturus, priusquam illud conferat, de fide aegroti sciscitetur per quamdam fidei professionem, quae ibi sicut in Toletano continetur: quaestio est: an sumpta semel Eucharistia per modum Viatici, si aegrotus diutino letali morbo laborans rursus et iterum poscat SSmo Sacramento refici, teneatur parochus singulis vicibus praedictam fidei professionem expetere vel possit illam omittere, conferendo tantum per verba *Accipe, frater, Viaticum?*

S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Standum esse peculiari dispositioni."

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5102 ad 10.

Die 11. Sept. 1847.

i) Omissa.

Vd.: *Profess. fidei* (Canon. Cathedr. etc. omissa).

k) Ordinandorum.

Fidei professio simul et specialis promissio de eadem usque in finem sincera cordis devotione et constantissime retinenda debet emitti ab illis, qui ad s. Ordines sunt promovendi. Cap.: *Quamquam 6. dict. 23.*

l) A parocho etc. constituendo emittenda.

Ad dubium: Utrum novus parochus, quum prima vice in sua parochiali munere coram populo in Ecclesia parochiali congregato canonice constituitur, gallice: *le jour de son installation*, debeat profiteri fidem catholicam in formula ab Apostolica Sede praescripta? Et quatenus affirmative: utrum illa professio eadem sit ac forma juramenti Synodalis, quae legitur in Pontificali Romano in ordine ad Synodum et utrum recitanda sit in vernacula lingua?

S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Servandum decretum Concilii Tridentini sess. 24. cap. 12. *de Reformatione:* Professionem autem fidei edendam juxta *formulam a Pio IV. statutam*, quam exhibet Pontificale Romanum in Ordine ad Synodum."

Atque ita rescripsit. n. 5221 ad 11 die 21. Julii 1855.

Pius PP. IV.

Cum juxta Concilii Trid. dispositionem, *omnes, quos deinceps Cathedralibus et superioribus Ecclesiis praefici vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus et aliis quibuscunque beneficiis eccles. curam animarum habentibus* provideri continget, publicam orthodoxae fidei professionem facere seque in R. E. obedientia permansuros spondere et juvare teneantur,

Nos volentes etiam *per quoscunque, quibus de monasteriis, conventibus, domibus et aliis quibuscunque locis regul. quorumcunque Ordinum, etiam Militarium, quocunque nomine vel titulo providebitur*, idem servari et ad hoc ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unica et certa illius forma cunctis innotescat, sub poenis per Conc. ipsum in contravenientes latis juxta hanc et non aliam formam professionem praedictam sol. fieri auctoritate ap. tenore praesentium districte praecipiendo mandamus:

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo S. R. E. utitur, videl.: Credo in unum Deum P. omnipot. fact. coeli et terrae, visib. omnium et invisib. Et in unum D. *Jesum Chr.*, filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante om. saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de D. vero. Genitum non factum, consubst. Patri, per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos homines et propt. nostr. salut. descendit de coelis. Et incar. est de Spir. s. ex *Maria V.* et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub P. P., passus et sepultus est. Et resurr. tertia die secundum scripturas et ascendit in coelum, sedet ad dext. P. et iterum venturus est judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spir. s. Dom. et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Pat. et Filio simul adoratur et conglorif., qui locutus est per prophetas. Et unam s., cath. et ap. Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remiss. peccatorum. Et exspecto resurr. mortuorum. Et vitam vent. saeculi. Amen.

Ap. et ecclesiast. traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitut. firmissime admitto et amplector. *Item s. scripturam,* juxta eum sensum, quem tenuit et tenet s. mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione ss. scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a *J. Chr. D. N.* instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirm., Euchar., Poenit., Extr. Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio iterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae cath. ritus in supradictorum omnium Sacramentorum sol. administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in ss. Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum et proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et def., atque in SSmo Eucharistiae Sacramento esse vere et realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate *D. N. J. Chr.* fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem cath. Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum *Christum* verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi et Deiparae semper Virginis necnon aliorum SSrum habendas et retinendas esse atque eis debitum honorem et venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum christ. populo maxime salutarem esse affirmo. S., cath. et ap. Romanam Ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, romanoque Pontifici b. Petri apostolorum principis successori ac *Jesu Chr.* Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a s. Canonibus et oecum. Conciliis ac praecipue a ss. Trid. Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor simulque contraria omnia atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter rejicio, damno et anathematizo. Hanc veram cath. fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adjuvante retinere et confiteri atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spe-

ctabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro, sic me Deus adjuvet et haec sancta Evangelia.

Nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire.

Datum Romae apud s. Petrum 13. Nov. 1564.

m) Praelatorum Regular.

Vd.: *Profess. fidei* (a parochis etc., Constitut. Pii IV.; ab Abbatibus etc.).

Supracitatam Pii IV. Constitutionem quoad Regulares non esse in usu et sic EE. Cardinales et alios viros doctissimos consuluisse notat Hieronymus a Sorbo in compendio privileg. Mendic. verbo.: Prof. fidei notab. I.; et sic tenet *Sanchez* l. 2. in Decal. cap. 5. n. 3.; *Portell.* in dub. Regul. verbo: Prof. fidei n. 3.; *Tamburin* de jure Abbat. t. I. disp. 8. q. 3. n. 3.; *Villalob.* in summa t. II. tract. 1. difficult. 6. n. 3.; *Diana* moral. resol. p. 3. tr. 2. Res. 78.; *Reiffenstuel* lib. I. decret. t. I. n. 161.

n) Emittenda a quibuscunque promotis et promovendis ad aliquam liberalium artium facultatem, electis et eligendis ad cathedras lecturas et regimen publicorum Gymnasiorum.

Pius PP. IV.

In sacrosancta beati Petri principis apostolorum cathedrae meritis licet imparibus hisce procellosis militantis Ecclesiae tempestatibus constitutos plurimum nos oportet esse solicitos, ut Domini gregem curae nostrae commissum non solum ab apertis rapacium luporum undecumque caulis obstrepentium insultibus, sed etiam a magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis, per profidum pastoralis officii ministerium ipso Domino cooperante praeservemus, ac illis omnes nocendi occasiones, quantum cum Deo possumus, ubilibet auferamus.

§. 1. Cum itaque juxta notum Sanctissimi Vatis oraculum timor Domini, sine quo vera Religio et catholicae fidei puritas nullibi reperitur, sapientiae sit initium et qui vel in scientiis proficere vel eas alios docere parant supremum illum sapientiae parentem, benignumque largitorem devoto sanae fidei obsequio demereri, veraque sincerae Religionis pietate sibi conciliare debeant,

§. 2. Idcirco hanc fidei puritatem, scientiis doctrinisque quibuslibet, tum tradendis tum addiscendis, tamquam necessariam basim constituere et ne simplicia nonnullorum adolescentium res novas audiendi cupidorum ingenia in naufragos blandientium haeresum scrupulos imprudenter impingant, occurrere cupientes, Motu proprio et ex certa scientia nostra ac apostolicae potestatis plenitudine, quod deinceps nullus Doctor, Magister, Regens vel alius cujuscumque artis et facultatis professor sive Clericus sive Laicus ac saecularis vel cujusvis Ordinis regularis sit in quibusvis studiorum generalium universitatibus aut gymnasiis publicis aut alibi ordinariam vel extraordinariam lectoris cathedram assequi vel jam obtentam retinere, seu alias theologiam, canonicam vel civilem censuram, medicinam, philosophiam, grammaticam vel alias liberales artes in quibuscumque civitatibus, terris, oppidis ac locis etiam in Ecclesiis, Monasteriis aut Conventibus Regularium quorumcumque, publice vel privatim quoquo modo profiteri seu lectiones aliquas in facultatibus hujusmodi habere vel exercere,

§. 3. Neque Doctores ipsi aut Universitatum seu Gymnasiorum eorumdem Rectores, Cancellarii vel alii Superiores, sed nec etiam Palatini Comites aut alii particulares facultatem eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam a Nobis Apostolica Sede vel alias undecumque habentes scholares, tam laicos quam clericos et cujusvis Ordinis regulares vel alios quoscumque quantalibet eruditione praedictos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere et admittere,

§. 4. Neque Doctores, Magistri et Scholares ad electionem alicujus in Rectorem vel Cancellarium Universitatis aut Gymnasii procedere, nec ipsi Scholares vel alii quantumlibet docti et alioqui habiles, gradus hujusmodi vel eorum aliquem, palam vel privatim, recipere valeant, nisi Doctores videlicet ac Regentes, Magistri et alii professores jam ad cathedras et lecturas recepti, in Italia infra tres, extra vero illam infra sex menses a die publicationis praesentium computandos, reliqui vero ad cathedras et alias lecturas ibidem in posterum assumendi ante illorum receptionem, in Rectoris vel aliorum Superiorum, eligendi autem in Rectores vel Cancellarios ante illorum electionem vel saltem admissionem in Ordinarii loci vel ejus in spiritualibus Vicarii, ac promovendi Scholares et alii praefati ante illorum promotionem in eisdem Ordinarii seu ejus Vicarii aut Doctorum aliorumve promoventium manibus, praevio etiam processu vel debita informatione, quantum ejus sufficere videbitur, super Religione Fideque Catholica Rectorum, Cancellariorum, Doctorum, Lectorum et promovendorum eorumque per ipsos locorum Ordinarios vel eorum Vicarios rite facta praecedente, eamdem catholicam fidem, verbis juxta formae infrascriptae tenorem conceptis palam et solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici ac de processu seu informatione et fidei professione in privilegio doctoratus vel alterius gradus hujusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio et relatio fieri debeat, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus.

§. 5. Ac omnibus et singulis earumdem Universitatum et Gymnasiorum Rectoribus, Doctoribus et aliis Superioribus ac alias facultatem doctorandi habentibus, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae fuerint, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali vel majori dignitate etiam Cardinalatus honore ac Ducali vel alia etiam Regia et Imperiali auctoritate praefulgeant, ne quem in Universitatibus, Civitatibus, Oppidis vel aliis locis sibi in spiritualibus vel temporalibus subjectis, aliter Cathedras aut alias lectiones retinere, consequi vel ad gradus promoveri, respective patiantur, in virtute sanctae obedientiae et *sub interdicto ab ingressu Ecclesiae quoad Antistites*, *quo vero ad inferiores sub excommunicationis latae sententiae necnon privationis omnium et singulorum dignitatum*, *beneficiorum, officiorum et feudorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis poenis districtius inhibemus.*

§. 6. Ac quascumque receptiones, promotiones, electiones et admissiones absque processu certaque de Religione et fide Catholica notitia ac dicta fidei professione, sic, ut praefertur, praecedente, pro tempore factas, nullas, invalidas nulliusque roboris vel momenti esse, neque cuiquam in judicio vel extra suffragari posse.

§. 7. Sicque per quoscumque Judices et Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Universitatum et Gymnasiorum, Ordinum et locorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, facultatibus et literis apostolicis eisdem Universitatibus et Gymnasiis ac Ordinibus et locis eorumque Rectoribus, Doctoribus, Superioribus, etiam in temporalibus Dominis, Comitibus Palatinis et aliis etiam regularibus personis praefatis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficatioribus, etiam vim contractus inducentibus clausulis irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam per nos ac sedem praefatam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumvis, etiam Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum, Ducum et aliorum Principum instantiam et alias quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, specialiter et expresse motu simili derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 9. Ne autem quispiam ignorantiam praetendere vel excusationem allegari possit, sed ipsae ad omnium notitiam deducantur, volumus et mandamus, quod eaedem praesentes in Basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae nostrae valvis ac acie Campi Florae per aliquem ex Cursoribus nostris affixae copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia intra tres, extra vero illam existentes intra sex menses proximos ab ea die affixionis computandos, perinde arctent ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Forma autem dictae Professionis Fidei haec est:

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum *Jesum Christum* Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in

Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto; nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnino singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium illaque gratiam conferre et ex his baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, unacum anima et divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos, unacum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco. Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adjuvante retinere et confiteri atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro, sic

me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apost. se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae 13. Novbr. 1564.

(Bull. r. t. II. p. 136. Ed. Luxembg. 1727.)

o) Emittenda a Provisis de beneficiis ecclesiasticis curatis ac dignitatibus, ecclesiis, monasteriis et aliis locis Ordinum Regularium et Militiarum.

Pius PP. IV.

Injunctim Nobis Apostolicae servitutis officium requirit, ut ea, quae Dominus omnipotens ad providam Ecclesiae suae directionem sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitus inspirare dignatus est, ad ejusdem laudem et gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini dispositionem omnes, quos deinceps Cathedralibus et superioribus Ecclesiis praefici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus, provideri continget, publicam Orthodoxae Fidei professionem facere, seque in Rom. Ecclesiae obedientia permansuros spondere et juvare teneantur,

Nos volentes etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine vel titulo providebitur, idem servari et ad hoc ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, nostrae solicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam praesentibus adnotatam, publicari et ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilii et alios praedictos spectat, recipi et observari ac sub poenis per Concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc et non aliam formam professionem praedictam solemniter fieri, auctoritate Apostolicu tenore praesentium districte praecipiendo mandamus hujusmodi sub tenore: Ego N. etc.

Reliqua vd. sub: *Professio fidei* (emittenda a quibuscunque promotis etc.).

Datum Romae die 13. Nov. 1564.

(Bull. r. t. II. p. 138. Ed. Luxembg. 1727.)

p) Num per Procuratorem emittenda?

Vd.: *Professio fidei Canon. Cath. et Colleg.* (oblig., decr. *Cathacen.* diei 26. Jan. 1726 et decr. *Seguntina*).

PROFESSIO

a) Monialium.

Vd.: *Bened. Monial.* (missa).

b) Regularium.

(Duplex est.)

Vd.: Vota Regul.

De ordine servando in causis super nullitate Professionis Regular., vd. Constitutio Bened. XIV. diei 4. Martii 1748 in Bull. r. t. XVII. p. 220.

Benedictus PP. XIV.

Nemo est, qui ignoret, duobus modis Religiosam Professionem fieri, vel, ut melius dicamus, duplicem esse Professionem Religiosam, unam expressam, alteram vero tacitam. *Expressa sit*, quum debitis servatis solemnitatibus tria vota castitatis, paupertatis et obedientiae conceptis verbis emittuntur, quae in Constitutionibus Ordinis, in quo quis se velle vivere profitetur, praescripta sunt. *Tacita* autem in eo posita est, cum quis ea exercet et operatur, ex quibus arguitur, ad vivendum in aliqua Religione se obligare voluisse, etsi solemniter et expresse eam professus non fuerit.

Tacita Professio a Sacro Tridentino Concilio juxta communiorem sententiam sublata non est, ut late testantur: *Navarus* Consil. 35. de Regular. n. 5., *Azorius* Instit. part 1. lib. 12. cap. 4. quaest. 6., *Sanchez* de Matrimon. lib. 7. disp. 37. n. 2., *Fagnan.* in cap.: Perlatum de iis, quae vi etc. n. 46. Sed cum in eodem Concilio decretum fuerit: *nullas ac irritas esse Professiones, quae in quacumque Religione fiunt ante annum decimum sextum aetatis Profitentis et antequam integer annus probationis expletus fuerit*, hinc recte deducitur, etiamsi a Concilio tacita Professio sublata non sit, eam tamen locum non habere, si actus, ex quibus illa inducitur, peracti non fuerint post annum decimum sextum aetatis Profitentis, et postquam annus probationis completus est, ita ut a Concilio Tridentino magna ex parte temperata sit dispositio. Cap.: Is, qui etc. de Regularibus, in sexto, et Clementinae 2., eodem titulo, de Regularibus.

Datum ex Arce Castri Gandulphi die 19. Junii 1750.

(Bull. Bened. XIV. t. III. p. 288.)

PROMULGATIO.

1) Matrimoniorum.

a) Obligatio.

Baren.

Ad dubium: An denunciationes et publicationes, quae fiunt inter missarum solemnia pro contrahendis matrimoniis, promovendis ad s. Ordines, excommunicationibus et indulgentiis pertineant privative ad Archipresbyterum seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonicorum Primiceriorum, sitque servanda in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem salvo jure Archiepiscopi; negative ad secundam.

Die 28. Aug. 1756; 3. Dec. 1757.

b) Tempus.

Ad dubium: An denunciat. Matrimoniorum et Ordinandorum aliaeque similes functiones parochiales faciendae sint in celebratione missae paroch. seu potius liceat illas facere in celebratione missae conv. contradicente Capitulo?

S. C. C. resp.: *Arbitrio Parochi.*

Die 8. Julii 1724. (Conc. Tr. C. 7. Sess. 24. De Ref.)

c) Ubi facienda?

Senogallien.

(Conc. Trid. C. 1. Sess. 24. De ref. Matrim.)

Felix Dolci, ortus in oppido s. Elpidii Firmanae dioeceseos, puer Maceratam venit, ubi domicilium habuit usque ad mensem Junium anni 1729. Senogalliam vero cum deinde se contulisset, sponsalia inivit cum puella Victoria de Luca. Ut Matrimonii contrahendi facultatem a Curia Episcopali obtineret, protulit Felix testificationem Episcopalis Curiae Maceratensis de

libero ejus statu. At Vicarius Capitularis Senogalliensis oportere putat, quod praeterea doceatur de factis publicis denunciationibus in ea parochia civitatis Maceratensis, in qua per annos circiter viginti Felix domicilium habuerat, antequam Senogalliam commigraret, praeterea quod quamvis alias nuptias non iniverit juxta asseverationem testium, quos Curia Episcopalis Maceratensis interrogavit ad docendum de statu libero, nihilominus potuerit ille fortasse in ea civitate de Matrimonio contrahendo fidem alteri feminae dedisse; id quod minime excluditur per testimonium illud, sed in lucem, si ita esset, prodiret, ubi in parochia, cui olim suberat Felix, inter Missarum solemnia ter fuerit palam denunciatum ejus consilium de Matrimonio contrahendo cum Victoria de Luca Senogalliensi.

Tridentina Synodus cap. 1. sess. de ref. Matrim. sic statuitur: „Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum."

His autem verbis videri potest dumtaxat praeceptum esse, quod proclamationes in iis fiant parochialibus Ecclesiis, quibus subsint sponsi sub ipsum tempus ineundi Matrimonium, non vero in aliis parochiis, in quibus antea sedem habuerint. Verum est, quis ex sponsis recenter venerit ad eam parochiam, in qua Matrimonium est contracturus, plures Doctores existimant proclamationes fieri etiam oportere in alia Ecclesia, in cujus parochia diuturnius domicilium antea habuerat, nimirum quia ex praescripto S. Concilii, itemque etiam ante Concilium Tridentinum ex lege lata ab Innocentio III. in cap.: *Inhibitio de cland. De spons.* Ideo publicae denunciationes sunt praemittendae, ut impedimenta, si quae sint, detegantur; id autem ibi melius resciri potest, ubi longior fuit commoratio. Sic praeter antiquiores docent: *Sanchez* de Matrimon. lib. 3. disp. 6. n. 6. et seq., *Guttier* eodem tract. cap. 56. n. 6., *Barbos.* de Episc. part. 2. alleg. 32. n. 11., *Engel* ad lib. 4. tit. 3. n. 5. de cland.: De spons. In contraria tamen sententia videntur esse: *Pont.* de Matrimon. lib. 3. cap. 38. n. 5., *Clericat.* de Sacram. Matrim. decis. 33. n. 6.

Sed alii sic dissentientes opiniones censent conciliandas, ut quando brevis fuerit commoratio in nova parochia, adeo ut verisimilis ibi non sit impedimentorum notitia, tunc denunciationes fieri debeant etiam in priori parochia, secus vero si per aliquot annos habitaverint in parochia, in qua Matrimonium sit ineundum, ut videre est apud *Anaclet.* ad lib. 4. tit. 3. annot. 15. ad 22.

Tres hac de re extant hujus Sacr. Congregationis resolutiones. In antiquo lib. 2. decret. ante annum 1580 confecto ad pag. 83. ita habetur: „Theodorus Bertoncellus de Terra Guastallae et Meridiano Paganella Romana invicem Matrimonium contrahere cupientes, in Ecclesia ter a proprio parocho Matrimonium hujusmodi denunciari curarunt. Factis autem denunciationibus, cum ad Matrimonii celebrationem in facie Ecclesiae procedere vellent, vices gerens Archipresbyteri loci eos prohibuit, quia non erat enunciatum id Romae in parochia, ubi nata fuerat Meridiana. Verum, cum agatur de interpretatione Concili Trid., et re vera non sit vagans illa mulier, quae per octo annos vel circiter in una et eadem Terra habitavit, propterea humiliter supplicatur, quatenus eidem Vicegerenti committere et mandare dignemini, ut, si per septem vel

octo annos in dicto loco Guastalle praedicta Meridiana habitavit, Matrimonium hujusmodi juxta Ritum S. R. E. celebrari permittat."

Rescriptum vero fuit: „Nihil obstare quominus Oratores possint Matrimonium contrahere."

In *Senogallien* die 29. Jan. 1684 haec species facti exposita fuit: „Bartholomaeus Joannis Titta, origine Senogalliensis, Matrimonium contrahere desiderans extra locum originis supplicat declarari: an ultra fides status liberi necessario faciendae sint denunciationes matrimoniales etiam in loco originis, prout praetendit parochus, coram quo Matrimonium contrahi debet?

Responsum vero fuit: Denunciationes etiam in loco originis esse necessarias, ut in lib. 34. decr. pag. 28.

Denique in *Vercellen.* 6. Maii 1619 agebatur de muliere, quae extra locum originis decem totis annis permanserat in alio loco, ubi Matrimonium contraxit et ubi solum factae fuerant proclamationes. Proposito autem dubio: An necessariae essent denunciationes in loco originis? responsum fuit: Negative, ut in lib. 69. decr. pag. 222.

Declarare itaque dignentur EE. VV.: *An antequam Felici Dolci permittatur celebrare Matrimonium, faciendae sint denunciationes etiam in parochia Maceratensi in casu?*

S. C. C. resp.: Negative.
Die 3. Apr. 1734.

2) Ordinandorum.

Vd.: *Promulgatio Matrimoniorum* (tempus, obligatio).

PROPAGANDA.

Erectio et privileg.

Vd.: *Constit. Greg. PP. XV. die 22. Junii 1621.* (Bull. r. t. III. p. 472.)

PROPHETIAE.

1) Abreviatio.

Ad dubium: An, qui cantat prophetias, possit vi consuetudinis eas relinquere, vix a Celebrante earum lectio absoluta erit?

S. C. resp.: Negative.
Die 16. Apr. 1861.

2) Locus legendi.

Vd.: *Legile.*

3) Non omittuntur.

Vd.: *Prophetiae* (in missa priv. etc.).

a) Ante missam sol. in Sabb. s.

Ante missam in Sabb. s. Prophetiae omitti non debent. n. 4252 ad 3 die 12. Apr. 1755.

b) In missa priv., paroch., conv. et pont. pro Ordinibus confer. in Sabb. s. celebranda.

Vd.: *Sabb. s.* (missa)*; Ordinat. priv. in Sabb. s.*

In Sabb. s. pro collatione s. Ordinum Episcopus in suo domestico Oratorio tenetur missam cum Prophetiis ut in missali celebrare. n. 4153 ad 1 die 21. Martii 1744.

Ad dubium: An in Sabb. s. missa ab Episcopo privatim celebranda in domestico sacello ratione Ordinationis, vel aliis Sacerdotibus (si qui sunt), qui hujusmodi privilegio gaudeant, inchoanda sit a Kyrie vel a Prophetiis?

Et S. eadem C. re mature diligenterque discussa... respondendum censuit: „Quoad Episcopos ratione Ordinationis servetur praescriptum Pontificalis et Decretum S. C. diei 21. Martii 1744 in Bergomensi, et missa incipiatur de Prophetiis. Quoad alios, si qui privilegio gaudent, more solito, sed sine introitu, post campanarum sonitum.

Atque ita respondit et servari mandavit die 28. Julii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione S. S. S. C. responsum aprobavit confirmavitque, atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecidit. n. 4583 ad 2 die 31. Junii 1821.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Duas habet partes hoc dubium. Prima ad Episcopum attinet, qui Sabbato s. in domestico sacello Sacrum facit ratione Ordinationis; altera Presbyteros respicit, si qui privilegio donantur offerendi ea die Sacrificium. Breviter de utroque.

Ordinationes generales, pro quibus certa praefinita sunt tempora, publice in Cathedrali peragendae sunt; ita in Pontificali Rom. tit. de Ordinibus conferendis: *Ordinationes s. Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in Cath. Ecclesia, vocatis praesentibusque ad id Ecclesiae Canonicis publice celebrentur.* Ideo S. R. C. rogata ab Episc. Mazarien.: *An Episcop. volens die Sabb. s. Ordines conferre, licite praestare hoc valeat, Sacrum privatim peragendo in proprii palatii sacello?* Sub die 18. Martii 1702 respondit: *Negative.*

Nec secus respondendum erat dubio generaliter nimis expresso. Nulla siquidem suberat ratio (si excipias placitum Episcopi expressum per verbum *volens)*, qua S. C. licere censeret. Namsi generali quaesito respondisset: *Affirmative*, hujusmodi responso quisque pro lubitu potuisset abuti, a Pontificali praescripto declinare et Ordinationes etiam generales privatim peragendo in domestico sacello propriae commoditati inservire. Verumtamen non raro accidit, ut, vel ob modicum ordinandorum numerum vel ob aliam rationabilem causam licite queat sacra haec actio ab Episcopo in privato sacello perfici. Id saepe accidit in Urbe, ubi, licet statis temporibus in Lateran. Patriarch. Basilica generalis Ordinatio solemniter fiat ab Emo Dom. Card. Vicario vel ab Rmo Vicesgerente, venia nihilominus datur uni alterive Episcopo aliquibus cum sacros tum minores Ordines privatim conferendi. Si id accidat in *Sabbatis quatuor temporum*, occurrit dubitandi ratio, quia vel Ordinatio sit publica vel privata, ordo tamen eam peragendi ne hilum quidem differt, si unam excipias solemnitatem. Verum non ita est, si Episcopus in *Sabb. s.* missam in suo sacello ad Ordines conferendos privatim celebret. Cum enim nec Cerei paschalis benedictio fiat, Ordinatio vero juxta diversos gradus distribuatur, non inter unam alteramque lectionem, quippe harum recitatio, secus ac in aliis Sabbatis, missam praecedit, quaeri potest: ubi inchoanda sit missa? Controversiam dirimit positiva pontificalis Rubrica: *Si vero Sabbato S. Ordinationes fiant, Officium incipitur a prima Prophetia, et continuatur, prout in Ordinario usque ad Litanias inclusive etc.*

Neque dicas, rem ibi esse de Ordinatione generali et solemni, non autem de privata. Primum enim, ubi lex non distinguit, necnon distinguere debemus; neque ulla occurrit diversa ratio, quae discrimen ponat inter Ordinationem solemnem et privatam, imo ex Ecclesiae instituto lectiones ob mysticas significationes ad Ordinationem, quae fit statis temporibus, proprie pertinent. Quamquam vero duodecim prophet., quae leguntur Sabb. s., praecedant benedictionem Fontis et collationem Baptismi, quapropter instructioni Catechumenorum inserviunt, nihilominus aeque ad succesivam Ordina-

tionem referuntur: *Post Cerei benedictionem*, inquit *Meratus* ad *Gavantum* part. 4. tit. 10. n. 29., *dicuntur lectiones, quae olim ad Catechumenorum instructionem recitabantur . . . Lectiones istae in Missali Romano duodecim numerantur, quae, postquam noctu non baptizatur amplius, et Baptismo s. Ordinum collatio substituta est, cum Ordinationis diebus, duodecim habebantur lectiones, Sabbato s. assignatae sunt, quae, ut dixi, juxta primam institutionem ad instructionem Catechumenorum et ad Baptismum referuntur.* Tandem si quid adhuc Dubii superest, istud solvit S. R. C., quae rogata ab Episcopo Bergomen.: *Utrum in Sabb. s. pro collatione s. Ordinum Episc. in suo domestico Oratorio teneatur Missam cum Prophetiis ut in Missali celebrare?* sub die 21. Martii 1744 respondit: *Affirmative, id est pro collatione s. Ordinum in Sabb. s. Missa incipienda est a Prophetiis.* Quum igitur Prophetiae in Sabb. s. de rigore ad Missam non pertineant, ad Ordinationem tamen relationem habeant et haberi debeant tamquam actus praeparatorii ad eamdem, licet etiam ad instructionem Catechumenorum juxta vetus Ecclesiae institutum et disciplinam referantur; ideo omittendae nunquam sunt ab Episcopo privatim et sejunctim ab aliis s. actionibus, quae praemitti ea die debent, Ordinationem peragente.

Non ita dicendum de Sacerdotibus, si qui sunt privilegio dilati offerendi ea die Sacrificium. Nam, ut paulo ante dictum est, Prophetiae ad Missam non pertinent, bene vero ad *Baptismum et Ordinationem.* Leguntur quidem in *Missa conventuali*, ubi nec benedicitur fons nec sequitur Ordinatio: verum ita fit cum ad recolenda sublimia illius diei mysteria tum ad veterum Ecclesiae morum servandam memoriam. Cessat ratio, quae Prophetiarum lectionem exigit, si Presbyter ex indultu privatim celebret. Etenim tam Sabbato s. quam altero ante festum Pentecosten Prophetiae non leguntur in Missa, quae fit in Sabbatis quatuor temporum; ideo ut pars integralis Missae habendae non sunt, secus in Pentecosten, privilegio, ut earumdem lectio praemittitur Missae conventuali propter Baptismum ad virtualiter servandam veterem Ecclesiae disciplinam, ita etiam privatis Sacrificiis adjungendae forent. Quod autem Prophetiae a Missa sejunctae omnino sint, ex eo etiam colligimus, quia saeculo Eccles. IX. paschali praeconio praemittebantur. Ita Cl. Martene de antiquis Ecclesiae Ritibus tom. 3. colum. 415. in fine et seq. *Cerei pasch. benedictionem sequuntur lectiones, quae tam antiquitus praecessisse videntur. Id sane clare innuit Ordo Rom. ad usum Corbeiensis Monasterii ante annos 800 accommodatus* (verba Ordinis Rom. sunt, quae sequuntur), *et interrogavimus nihilominus Dominum Apostolicum Adrianum* (hujus nominis II. vel III.) *secundum vestra mandata, si in paschali Sabbato debent flecti genua ad Lectiones; et ipse respondit, hoc debere omnimodis fieri; cui cum diceremus: et quomodo Sacerdotes et Ministri seu Clerus cum stolis et planetis possunt in terram prosterni? ille adjecit: non debere Sacerdotes vel Ministros seu Clerum stolis prius planetisque vestiri, nisi tunc demum, cum lumen novum introducitur, ut Cereus benedicatur.* Quamobrem concludit Cl. Auctor: *Ex his patet, Lectiones olim pronunciatas fuisse ante Cerei benedictionem, pro qua Sacerdotes et Ministri seu Clerus stolis et planetis vestiebantur.* Quis autem putabit ad Missam pertinuisse Prophetias, si nedum actiones intercipiebant *Praeconium,*

verum etiam, deposito luctus squallore, assumebantur indumenta laetitiae cum ad Cereum benedicendum tum ad sacrificium offerendum? Ex alio Ordine Romano, qui scriptus censetur aevo *Caroli Magni*, colligimus actiones hasce, ubi non erat fons sacrandus, dividi consuevisse. Nam, expleta lectione Prophetiarum, sistebat Officium, cuncti in secretarium revertebantur, ibi exspectantes ad inchoandam Missam, ut prima stella in coelo apparens ingruentis noctis signum daret: *Ubi autem Baptismum non fit... postea, ut ordo est, sicut manifestatur in Sacramentorum codice, sic cantent, et ut finierint absque ullo cantu revertantur in sacrarium, postea ingrediuntur ad vesperum, postea modico intervallo, ut fuerit prima stella in coelo visa, sonant signa et incipiunt canere litaniam ad Introitum, et statim cum magno decore, cum septem candelabris et cereis, cum incenso et thuribulis procedit Sacerdos canentibus interim Clericis Litaniam. Postquam finierint, dicit Sacerdos:* Gloria in excelsis Deo etc. Quoniam vero, immutata paullatim Ecclesiae disciplina, sacr. illae actiones, quae prope mediam noctem habebant complementum, anticipari coeperunt: non defuere qui, his expletis, licitum sibi ducerent Missam privatim celebrare, neque tamen hi a Prophetiis incipiebant, verum a litaniis. *Micrologus* scriptor illius aevi audiendus, qui *de eccles. observat. cap. 53.* saeculi XI. morem nos edocens: *Post Baptismum,* inquit, *Presbyteri demum possunt Missam, si necesse fuerit, privatim celebrare, qui jam renati sunt, de quibus specialiter in Missa agere debemus, nec postea a lectionibus, quas jam audivimus, sed a litania incipere solemus.*

Si recentiora quis cupiat, ea non desunt. *Paulus Mucantius* egregius apostolicarum caeremoniarum Magister et S. R. C. a Secretis ordinem praescribens servandum in triduo majoris Hebdomadae in conclavi, in quo electus fuit Pontifex *Leo XI.*, de hujusmodi Missa haec habet: *Sabbato s. posset etiam aliquis Cardinalis . . . celebrare, et omissis caeremoniis de lumine Christi, praeconio:* Exultet, *et Prophetiis, inchoare Officium a litaniis ...; finitis litaniis Celebrans, accepta planeta, Missam currentem celebrabit:* apud *Gatticum acta select. caeremon tom. 1. p. 347. column. 1.* Quid plura? Nonne S. R. C. declaravit, actiones divisibiles esse, *benedictionem Fontis*, quam Prophetiae praecedunt, et *Missam,* quae sequitur? Ita *in Carpen. die 14. Junii 1608... Eadem S. R. C. censuit esse divisibiles et posse ab uno fieri benedictionem Fontis, ab alio Missam cantari, et ideo consuetudinem dictae Ecclesiae in hoc servandam esse censuit, ita ut Archipresbyter benedictionem Fontis faciat, et postea, si noluerit vel non potuerit Missam celebrare, Missa cantetur ab Archidiacono vel ab alio Canonico, prout hactenus consuetum fuit.* Porro, si ad Missam pertinerent Prophetiae, haud hae separari possent et Sacrificium offerre deberet ille idem, qui fontem sacravit. Quid clarius?

Neque objicias aliud ejusdem S. C. R. Decretum *in Lucana 12. Aprilis 1755*, quo declaratum fuit congruere, ut ignis et cerei benedictio praecedat Missam, Prophetias vero non esse omittendas. Abolenda siquidem erat prava consuetudo parochorum Lucanae dioecesis, qui in suis Ecclesiis cum cantu vel sine cantu Missam celebrabant, praetermissis benedictionibus ignis, cerei, Prophetiis aliisque ritibus ipsa die praescriptis. Quamobrem Archiepiscopus, num id liceret, postulavit. Et S. R. C., cum animadver-

tisset, rem esse de Ecclesiis parochialibus, in quibus, etsi solemniter cum cantu et ministris paratis peragi nequeunt, explendae nihilominus sunt sacr. functiones majoris Hebdomadae, servata forma *parvi Ritualis* editi jussu *S. M. Benedicti XIII.*, solicita, ne omitterentur, apte distinxit id, quod congruit, ab eo quod fieri necessario debet; sed simul Archiepiscopo injunxit ut, poena indicta, Parochos cogeret etiam ad id, quod congruit. En verba Decreti: *Congruit, ut Missae in Sabbato s. celebrandae ignis et cerei benedictio praecedant; ante quam Missam Prophetiae omitti non debent, et Archiepiscopus parochos ad ignis et cerei benedictionem faciendam aliqua poena pecuniaria adigere poterit.* Quid autem hujusmodi Decretum commune habet cum Missa privata, apostolici indulti vigore celebrata?

Ex iis, quae allata sunt, plane consequitur Prophetias haberi haud posse in Sabb. s. tamquam partem integralem Missae proindeque a Sacerdotibus, qui privilegio gaudent faciendi privatim Sacrum, easdem non esse legendas, sed Missam inchoandam more solito. Quod insuper maxime decet; etenim posito privilegio, haud eo uti licet, nisi postquam nuntiatum fuerit per festivum campanarum sonitum, Ecclesiam, deposito luctu, per laetitiae signa festis paschalibus initium dedisse. Imo S. R. C. dum, attenta immemorabili consuetudine, indulsit, ut in Ecclesia Ordinis s. Dominici Villae Matriti tres Missae lectae celebrari possent, id fieri vetuit, nisi *post absolutam Missam solemnem,* quae conditio fuit etiam alteri privilegio adjecta concessionis unius Missae privatae in sacello B. M. V. *de los remedios* ejusdem Villae Matriti. Heic autem loci quaeri posset: num huic Missae praemittendae sint litaniae? Praesens Decretum id non jubet, imo cum velit eamdem incipi *more solito sed sine introitu,* praeviam litaniarum lectionem praecipere noluisse videtur. Atque haec etiam est Cl. *Gavanti* sententia, qui in hypothesi, quod privata aliqua Missa celebrari queat, eamdem *a Confessione* incipiendam scribit *Rubr. Missal. part. 4. tit. 10. n. 44. Quo casu forte sufficit incipere a Confessione, qua finita dicat Sacerdos* Kyrie eleison *de more, et reliqua cum Vesperis usque ad finem Missae. Nam Gemma lib. 3. cap. 118. ait, Officium hujus Missae per* Kyrie eleison *inchoari, nisi pro* Kyrie eleison *intelligat cum Micrologo litaniam.* Si quis igitur *litanias* praemitteret, contra Decretum non faceret, sed melius fortasse, si *a Confessione* Missam incipiat.

PROSTERNATIO

Ordinandorum.

Vd.: *Ordinandi* (prost.).

PROTECTOR CIVITATIS.

Vd.: *Patronus; Patronus loci* (oblig. ad Off., decr. n. 4605 nota).

Canonici Cathedr. Ferentinae possunt canere missam sol. s. Ambrosii m., Proctectoris dictae civitatis die 1. Maii quolibet anno in honorem inventionis sui corporis, non omissa missa ss. ap. Philippi et Jacobi. n. 2695 die 16. Jun. 1674.

Ad petitionem, ut transferri possit octava Epiphaniae, quia in ea cadit festum s. Hilarii protectoris principalis civitatis Parmen., S. C. resp.: *Officium* esse faciendum de octava; Missas vero posse cantari duas, unam de festo, alteram de octava. n. 2311 die 24. Jan. 1665.

Ad dubium 1.: Die 13. Maii occurrit Trajecti festum s. Servatii Episc.,

qui est Protector civitatis, cum festo s. Petri Regalati; potestne dies immediate sequens pro ultimo assignari?

2. Die 10. Septbr. occurrit Thudinii festum s. Theodardi Episcopi et Martyris, qui est Protector civitatis, cum festo s. Nicolai de Tolentino, suntque ab illa die reliquae omnes impeditae usque ad 23. Septembris, quae posset assignari pro ultimo?

Et eadem S. R. C., Emo et Rmo D. Card. S. Clementis referente, ad primum et secundum respondit: „Negative.“ n. 3763 die 19. Febr. 1707.

De Protectore principali civitatis debet celebrari Officium cum octava per civitatem et dioecesim. S. R. C. 23. Maii 1639.

PROTONOTARIUS APOSTOLICUS.

1) Celebrans in Pontificalibus.

Protonotarius apostolicus, habens indultum apost. celebrandi ubique in Pontificalibus de consensu Ordinariorum, potest solemniter celebrans solemnem benedictionem populo inibi praesenti dare et elargiri. n. 984 die 22. Apr. 1633.

Venetiarum.

Dum superiori anno 1853 12. Kal. Martii Sacerdos Joannes Bapt. Ghega Cubicularius honorarius SSmi D. N. Pii Papae IX. et Patriarchalis Curiae Venetiarum ab Actis, per apostolicas literas in forma Brevis tamquam Protonotarius ad instar participantium cooptatus fuit in amplissimum Protonotariorum Apostolicorum Collegium, praeclara inter Privilegia, quibus hoc nomine decoratur, illud honestissimum reputavit, quo sibi Pontificalia conceduntur insignia. Veritus vero ne circa haec plura sibi vel minus quam par est tribuat, S. R. C. supplex adivit enixeque rogavit, ut certam indubiamque praefinire dignaretur rationem, per quam errandi libertas auferatur. Et quoniam a s. m. Xisto Papa V. Protonotariis Apostolicis in Presbyteratus ordine constitutis conceditur extra Curiam in Missis solemnibus uti mitra et quibusvis aliis pontificalibus insigniis, inter usum et exercitium ipse discrimen intercedere existimavit ac proinde duo sequentia dubia elucidanda proposuit, nimirum:

1. An, praevio semper Ordinarii assensu, Protonotariis Apostolicis nuncupatis ad instar participantium ac participantium privilegiis fruentibus, Pontificalium exercitium vel tantummodo usus sit concessus?

2. Et quatenus affirmative tantum quoad usum, quaenam Caeremoniae ex his, quae praescriptae sunt in libro Caeremoniali Episcoporum (qui respicit etiam Praelatos Episcopo inferiores), adhibendae sint in Missa solemni celebrata ab ipsis Protonotariis extra Curiam cum insigniis pontificalibus, et quaenam sint omittendae?

Quas quidem preces cum superioribus dubiis quum Secretarius subscriptus retulerit in Ordinario Coetu S. R. C. ad Vaticanum habito eodem superiori anno 15. Kal. Octobris, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Ponatur in folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum.“

In novis itaque Ordinariis Comitiis S. R. ad Vaticanum pariter hodierna die coadunatis, quum Emus et Rmus D. Card. Joseph Bofondi Relator designatus proposuerit votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto panditum praeloque cusum, S. eadem C., attentis expositis singulisque rationibus concludenter adnotatis, recribendum censuit: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum, scilicet“

Ad 1.: „Affirmative ad utrumque juxta modum, et modus est, ut in Pontificalibus regulae omnino serventur, quibus Praelati Episcopo inferiores obstringuntur.“

Ad 2.: „Provisum in primo.“

Atque ita rescripsit. n. 5199 die 8. Apr. 1854.

Vd.: *Usus Pontif.* (decr. Alex. VII.); *Protonotar. titul.* (celebr.); *Protonot. apost.* (Privileg.).

2) Dignitas.

Vd.: *Protonot. titul.* (priv.).

Protonotariorum Collegium fuit semper in maxima veneratione, et in illud admitti non solent, nisi nobilissimi et undequaque ornatissimi viri; unde ex illorum numero quamplurimi ad Cardinalatum et multi etiam ad Summum Pontificatum promoti fuerunt, ut tradunt Card. *Petra* n. 22., *Barbosa* n. 7. et alii passim.

3) Habitus.

Vd.: *Protonotarius apost.* (praeced. etc.); *Protonotar. titul.* (habitus).

Protonotarii *participantes* induunt vestem et mantellettam violaceam cum usu rocchetti in publicis functionibus et habent in pileo privative quoad alios Praelatos floccum rosacei coloris, necnon pileum praelatitium nigrum cordulis violaceis circumdatum cum floccis dicti coloris rosacei. S. R. C. in causa Urbis Protonotariorum 17. Febr. 1617 apud *Barbosa* n. 7. et tradit expresse Cardinal *Petra* n. 23., qui immediate sub n. 24. sic subjungit: Quoad pileos usuales fuit habita Congreg. quaedam particularis die 6. Aug. 1674 in causa vittae Protonotarii et inter positiones Card. *Casanate* reperitur sequens adnotatio:

Die 6. Aug. 1674 Vittae Protonotariorum. „In Congregatione particulari habita in aedibus Emi *Brancatii*, in qua interfuerunt idem Eminentissimus necnon Emi DD. Cardinales *Rasponus*, *de Maximis*, *Carpineus* et *Casanate*, in praesentia a secretis Congreg. Rituum fuit propositum votum: An Collegio DD. Protonotariorum participantium concedenda sit facultas vittae argenteae in pileo, attento, quod vitta violacea ex concessione Apostolica fuit concessa Auditoribus Rotae et Clericis Camerae Apostolicae, Emus *Brancatius* dixit: posse concedi; Emus de *Maximis*: non esse concedendum, quia metalla sunt promiscua, et talis concessio forsan esset injuriosa Sacro Collegio. Emus *Carpineus* dixit: posse concedi vittam coloris rosacei, necnon tintinnabula in cingulo. Emus *Casanete* in voto Emi *Carpinei*. Omnes tandem convenere in voto Emi *Carpinei* quoad vittam tantum.“

In Capella Pontificia Protonotarii participantes utuntur cappis juxta morem aliorum Praelatorum, nunquam tamen cottis super rocchettum, uti utuntur Auditores Rottae, Clerici Camerae et alii inferiores Praelati in processionibus et certis aliis actibus; isti enim Protonotarii semper incedunt cum cappis. Sic expresse Card. *Petra* n. 25.

4) Missa privata.

Vd.: *Missa priv. Dignit.*; *Usus Pontificalium* (decr. Alex. VII.); *Protonot. apost.* (Privileg.); *Protonotarius titul.* (celebr.).

Gubernatorem, quamvis Protonotarium, non ex altari sed ex sacristia vel alio loco ad id ordinato, paramenta capere et inde paratum ad celebrandum accedere ac unico ministro contentum esse debere, qui ei inserviat et respondeat in Missis. n. 1571 die 17. Nov. 1646.

Minime licere Gubernatori locumtenenti intuitu Protonotariatus in Missa uti bugia et annulo et duobus ministris

cottis indutis. n. 1729 die 19. Sept. 1654.

Protonotario apost. non competit in Missa privata usus quatuor candelarum ac sacra indumenta de altari sumere. n. 1958 die 15. Febr. 1659.

Non licere Referendariis utriusque Signaturae Papae ac Protonotariis ap. honorariis celebrantibus in civitatibus, quarum regimini praeficiuntur, uti ritibus, qui proprii EE. Cardinalium et Episcoporum videntur, sed iidem rem sacram facere tenentur more caeterorum Sacerdotum, prout in privatis missis praescriptum fuit Abbatibus in decreto de die 27. Sept. 1659. n. 2720 die 9. Febr. 1675.

5) Obligatio in process. interess.

Vd.: *Processio* (Oblig. interess. Cleri saec. non est, decr. n. 1149).

6) Officium.

Protonotariorum Officium est notare ea, quae in publicis Consistoriis geruntur, cum rogantur a Procuratore Fiscali et cum opus fuerit, in publicam redigere formam; ideo oportet, eos interesse publicis Consistoriis. De Officio eorum in Cancellaria nihil ad nos. Pontifici in publicum cum pluviali et mitra exeunti Protonotarius fimbrias inferiores simul junctas deferre debet; nam ad sinistram Pontificis praecedens caudamque cappae suae sibi deferens, ut de Episcopis assistentibus diximus, sinistram ad extremitatem fimbriarum, dextram ad superiorem partem ante Corpus Pontificis tenens proficiscitur. Cum pervenit ad locum, ubi Pontifex consistit, dimittit fimbrias ad manus Diaconorum et vadit ad locum suum. Cum Pontifex in Divinis est daturus benedictionem solemnem, Protonotarius accedit et genuflexus super scabellum Sedis Papae, dum Papa benedicit, fimbrias inferiores a sinistro latere elevat et cum eis corpus Pontificis tegit ab umbilico et infra, finita benedictione dimittit fimbrias et revertitur ad locum suum.

Catalanus, Caerem. eccles. rom. l. II. c. XIX.

7) Praecedentia, habitus.

Vd.: *Process.* (Cler. Colleg. supra paroch.); *Protonot.* (privil.); *Archidiaconus; Paroch. protonot.; Concio Protonot.*

In Consistoriis publicis quatuor Notarios assistere decretum est proximiores Solio Pontificio honorabiliori loco. In ipsis enim publicis Consistoriis, ubi de rebus, quae geruntur, authentica conficiant instrumenta, rogari consueverunt, quatuor ex eis, qui Numerati dicuntur, aut ipsis absentibus totidem ex aliis secundum institutionem eorum seniores juxta gradum Apostolici Solii honorabiliorem occupant locum Sedique Pontificiae proximiores assident; sicque isti Protonotarii in equitationibus solemnibus, quae fiunt occasione possessionis Romani Pontificis apud Ecclesiam Lateranensem, in ingressu regum et magnorum principum ac hujusmodi praecedentiam habent super Episcopos et Archiepiscopos non Assistentes; tunc enim primum locum occupant Episcopi Assistentes capellae Pontificiae, deinde Protonotarii, et post eos accedunt Archiepiscopi et Episcopi non Assistentes aliique Praelati juxta eorum ordinem. *Sic Card. de Luca in relat. rom. Curiae* discursus 44, n. 3., Card. *Petra* Comment. ad Const. apost. t. 5. in Const. 4. Pii II. n. 10., *Barbosa* l. I. juris eccles. univ. c. 23. n. 3. et alii passim.

Protonotarii apost. in *Capella Pontificia aliisque actibus distinctis a mox dictis* praecedunt quoscumque alios Praelatos non Episcopos; sicque praecedunt Auditores Rotae, Clericos

Camerae aliosque inferiores Praelatos ac Generales Religionum; Card. *de Luca* l. c. n. 2., Card. *Petra* l. c. n. 13. et alii communiter; et colligitur ex Constit. Pii II. incip.: *Cum servare etc.*, ubi statuitur, quod ubique habeant locum post Episcopos.

Item praecedunt Sacristam Papae, si non sit Episcopus. S. R. Congreg. 11. Febr. 1598 et 13. Jan. 1601; Card. *Petra* l. c. n. 14. et alii communiter innixi dictae Const. Pii II.: *Cum servare.*

Insuper praecedunt Praeceptorem Hospitalis S. Spiritus Urbis, Archimandritam Messanensem et Abbates usum mitrae habentes ac Correctorem Cancellariae. S. R. Congr. 13. Julii 1601 apud *Barb.* n. 8., Card. *Petra* l. c. n. 15. et alii passim per cit. Constit. Pii II.: *Cum servare.*

Item praecedunt omnes Canonicos Patriarchalium Urbis tam in ipsis Patriarchalibus, quam in quibuscumque Cathedralibus extra Urbem. S. R. C. cum oraculo Pauli V. sub die 4. Maii 1613 testibus *Barbosa* n. 10., Card. *Petra* l. c. n. 21. et nov. in Summa Bullar. tit.: *de Protonotariis* n. 8.

Protonotarius ratione hujus dignitatis non praecedit in Choro et functionibus aliis Presbyteris antianis, quamvis in Ecclesia non adsint distributiones. S. R. Congr. in Nullius Phasani Praecedentiae 24. Januarii 1688 apud *Monacell.* n. 101.

Secus tamen, si incederet in habitu Protonotarii. In alia Ventimilien. 13. Sept. 1670.

Privilegia Protonotariorum, quatenus sint in usu et ipsi Protonotarii in habitu Praelati incedant, esse servanda. n. 332 die 16. Dec. 1606.

Posse Canonicum Protonotarium ap. uti *subtana violacea* in choro et in Ecclesia, dum Divinis assistit, dummodo in caeteris omnibus habitum proprium et Canonicis convenientem et similem et aequalem caeteris Canonicis deferat. n. 446 die 14. Jan. 1612.

Protonotarius apost. Canonicus Collegiatae potest subtana violacea indutus cum cotta et pelle canonicali choro interesse. n. 718 die 11. Dec. 1627.

Protonotariis extra numerum non posse prohiberi deferre habitum praelatitium, nempe rocchettum cum mantelletto coloris violacei et in Ecclesiis et in functionibus ecclesiasticis cum eodem habitu incedere et sedere juxta Caerem. l. I. c. XIV. n. 877 die 28. Septbr. 1630; n. 910 die 22. Mart. 1631; n. 1031 die 24. Nov. 1635.

Ad dubium: An Protonotarii apostolici de numero non participantium Messanen. possint suis insigniis ornati tam singuli tam unitim insimul intervenire, si convitentur a rectore Ecclesiae et an sedeant cum praecedentia ad reliquos Presbyteros? S. C. resp.: *Juxta privilegia.* n. 2912 ad 8 die 24. Febr. 1680.

Protonotarii *apostolici* in eorum quasi possessione praecedendi Canonicos tam in Ecclesiis Patriarchalibus quam in aliis quibuscunque etiam Cathedralibus extra Urbem manutenendi sunt atque ita in futurum servandum esse. n. 474 die 4. Maii 1613.

Protonotarios *non participantes* neque supra neque inter Canonicos juxta dispositionem Caerem. (lib. I. c. XIII. circa finem) locum habere. n. 567 die 23. Martii 1619.

Si Canonici et Dignitates uti voluerint *habitu Protonotarii*, non posse participare de distributionibus quotidianis, tamquam extraneos reputandos esse eisque locum assignandum non supra nec inter Cauonicos sed post

Abbates (Caerem. lib. I. c. XIII. circa finem). n. 602 die 7. Aug. 1621; n. 2772 die 21. Mart. 1676.

Protonot. apost. de numero *non participantium* potest assistere ad functiones in Ecclesia Cathedr. seu Colleg. cum habitu Protonotarii, quatenus privilegia Protonotarii sint in usu; et sedere, stare et incedere debere in loco non supra parochos neque supra neque inter Canonicos, sed post Abbates. n. 2778 ad 1 die 21. Mart. 1676; n. 2822 die 3. Apr. 1677.

Protonotarios in processionibus incedere debere cum mantelletto et rocchetto. n. 645 die 13. Julii 1626.

Protonotario apostolico nullo modo licere in choro et processionibus stare et incedere cum habitu praelatitio, puta rocchetto et mantelletto, non obstante contraria consuetudine, quae potius abusus et corruptela quam consuetudo. n. 1089 die 24. Julii 1638.

Priori Cathedralis Assisien., cum sit prima (et unica) Dignitas, quatenus sit Protonotarius, licere uti habitu praelatitio Protonotarii et lucrari distributiones. n. 1618 die 6. Aug. 1650.

Paulus Franciscus prot. ap. extra num. et prima Dignitas Colleg. Mevoniae non potest lucrari distrib. in habitu Protonotarii. n. 3362 die 9. Julii et 17. Dec. 1695.

Protonotarios praecedere debere, quando Canonici Cathedralis non incedunt collegialiter. n. 753 ad 2 die 12. Julii 1628.

Presbyteri, qui *sub praetextu* tituli Protonotarii appareant in functionibus ecclesiasticis, non posse nec debere deferre rocchettum discoopertum loco superpellicei. n. 799 die 17. Mart. 1629.

Canonicum Protonotarium cum habitu *praelatitio* nec supra nec intra Canonicos assistere debere nec lucrari distributiones. n. 823 die 20. Junii 1629.

Protonotarium *Titularem Apostolicum* non participantem in habitu praelatitio in Ecclesiis et processionibus stare, sedere et incedere debere juxta Caeremoniale (lib. I. cap. XIII. n. 12.). n. 914 die 5. Julii 1631.

Protonotarii apost. *non participantes* sedeant post Abbates, *participantes* vero praecedunt Abbates. Post Protonotarios generales Ordinum, deinde alii Praelati apost.

Caer. Ep. l. II. c. XIII. n. 12.

Protonotariis *Titularibus* non licere ullo modo stare nec supra nec infra Canonicos *aliosque* de choro, sed stare debere in loco assignato in Caer., quem ad unguem in omnibus et per omnia servari debere. n. 918 die 5. Julii 1631; n. 1149 die 7. Maii 1639.

Si Protonotarius utitur veste violacea *extra Ecclesiam*, posse cum eadem veste interesse etiam in choro, *dummodo supra vestem, id est, subtanam defert habitum* canonicalem et sedeat in loco suae receptionis. n. 1034 die 12. Jan. 1636.

Nullo modo licere Protonotariis de numero *non participantium* uti in pileo funiculo serico coloris violacei; quo vero ad subtanam cum mantelletto inspiciendas literas patentes sui Protonotariatus. n. 1075 die 24. Julii 1638.

Protonotarius de numero *non participantium, cum non oblineat Beneficium aliquod ecclesiasticum*, ab Ordinario non cogi neque adstringi potest ad interveniendum Divinis et processionibus. n. 1149 die 7. Maii 1639.

Protonotarii, qui sunt *Abbates Ecclesiae Colleg.*, item *Dignitates et Canonici* in choro, processionibus et functionibus canonicalibus non posse intervenire nisi cum habitu *canonicali*, alias non gaudere distributionibus. n. 1367 die 8. Febr. 1642; n. 2192 die 20. Nov. 1662; n. 2579 et 2580 die 26. Mart. 1672.

Protonotariis apost. licet, ubi adest Capitulum Colleg., locum habere in eadem Ecclesia, rocchetto et mantelletto indutis, dum concionibus et Divinis aliisque ecclesiasticis functionibus assistunt et in eodem habitu post SSmum vel Celebrantem in processionibus incedere. n. 1463 die 11. Julii 1643.

Protonotarium debere sedere post Canonicos, vel ubi Capitulum non existit, post rectorem Ecclesiae immediate vel alias facientem Officium. In processionibus vero pariter eodem loco, vel nisi adsit Magistratus, posse etiam uti Praelatus incedere post baldachinum. n. 2000 die 2. Aug. 1659.

Nullo modo *Canonicum Protonotarium* posse lucrari distributiones quotidianas et fructus suae praebendae, nisi in habitu canonicali in choro et in Ecclesia assistat horis canonicis et divinis Officiis et cum eodem habitu incedat in processionibus in loco sibi debito veluti Canonico et non tamquam Protonotario. Quod si voluerit in habitu Protonotarii in Ecclesia incedere, nihil participare possit de fructibus et distributionibus Canonicatus et uti extraneus reputabitur eique locus assignandus erit post Abbates, non supra nec inter Canonicos (*Caer. Ep.* lib. I. cap. XIII. n. 12.). n. 1534 die 12. Julii 1645; n. 2833 die 10. Julii 1677.

Protonotarios apostolicos *non participantes* non posse circa pileum gestare cingulum nec spineam violacei coloris. n. 1651 die 28. Sept. 1652.

Episcopus non permittat *Canonicum Protonotarium* uti ornamentis violaceis in pileo neque praelatitio habitu indutum Capitulo interesse. In choro autem provideat, ut idem Canonicus, si velit Divinis adesse, vel sedeat ultimus omnium habitu praelatitio indutus neque distributionibus gaudeat, aut suo loco habitu canonicali suffultus maneat, si velit fructus suos facere. n. 2038 die 28. Febr. 1660; n. 2894 die 17. Junii 1679; n. 3106 ad 1—3 die 23. Mart. 1686.

Ad dubium: an Protonotarii apost. e numero non participantium possint *praesente Episcopo* uti habitu praelatitio?

S. C. resp.: Servari consuetudinem. n. 1940 ad 1 die 7. Dec. 1658.

In supplendis vicibus Archipresbyteri Protonotarius apost. non est praeferendus Presbyteris ejusdem Ecclesiae obsequio addictis nec senioribus sacerdotibus extraneis et ei non competit habitus praelatitii delatio. n. 1958 die 15. Febr. 1659.

Protonotarius apostolicus, Prior et Curatus, potest uti habitu Protonotariatus tam in sedendo quam in procedendo inter suum Clerum ruralem et illum urbanum sine lucro distributionum; et competit ei locus inter alios Protonotarios sed sine praecedentia respectu Prioratus. n. 2229 die 16. Junii 1663.

Parochus Protonotar. non praecedit super alios parochos, qui non sunt Protonotarii, quia praecedentia inter parochos sumitur ex praerogativis Ecclesiae parochialis. n. 2778 ad 2 die 21. Mart. 1676.

Ad instantiam Abbatis Protonotarii titul. de numero non participantium contra Archipresbyterum in Galilea et alios parochos S. C. censuit: Stante quod non constet de Collegialitate parochorum supposita recedendum esse a decisis die 13. Julii 1675 et praecedentiam deberi dicto Protonotario, eumque posse intervenire in functionibus eccles. controversis et in presbyterio loco digniori cum habitu tamen praelatitio, nempe rocchetto et mantelletto coloris violacei, et in processionibus incedere debere post SSmum vel post Celebrantem, sed non lucrari fructus et distributiones quotidianas. n. 2818 die 3. Apr. 1677.

Delata controversia inter Capitulum Colleg. Spoletanae et Angelum Placidi

Coadjutorem Prioris ejusdem Ecclesiae: an eidem Placidi competat jus lucrandi distributiones, dum interest choro cum habitu Protonotarii, non vero cum vestibus et insigniis canonicalibus?

S. C. resp.: *Licere Coadjutori Placidi adhibere vestem praelatitiam in choro et quotiescunque tali veste indutus choro interfuerit, facere fructus suos et distributiones lucrari.* n. 4457 die 31. Aug. 1793.

Ad dubium: An Praeposito Cathedralis Burgi S. Sepulcri, qui est Protonotarius Apostolicus de numero non participantium, liceat in choro aliisque functionibus ecclesiasticis incedere cum habitu praelatitio, nempe rocchetto et mantelletto et suum retinere locum et stallum, reluctantibus Dignitatibus et Canonicis in casu etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:

„Affirmative, omissis distributionibus et amplius."

N. 3951 die 22. Aug. 1722.

Pius PP. II.

Notariorum (Protonotariorum) nostrorum nullus deinceps *Episcoporum venerando sanctoque ordini tamquam honorabiliorem sese audeat anteponere.* In *Capella nostra* in banco seu scamno secundo post Episcopos seorsum sedeant secundum ordinem institutionis eorum. In *Consistoriis vero publicis* (ubi de rebus, quae gerunt, ut authentica conficiant documenta, rogari consueverunt) quatuor ex eis, qui numerarii dicuntur, aut ipsis absentibus totidem ex aliis secundum institutionem eorum seniores, juxta gradum ap. solii honorabiliorem teneant locum sedique nostrae proximiores assideant. In *aliis autem locis* tam in Curia quam extra ubique gentium atque terrarum Archiep. et Episcopos omnes Notarii nostri *sequantur* eisque cedant et quod in Episcopis sancimus, ad ecclesiarum Cath. auctoritate ap. electos pariter et confirmatos extendimus.

Datum Mantuae die 1. Junii 1459. (Bull. rom. t. I. p. 369.)

8) Privilegia.

De Protonotariis participantibus et extra participantibus.

Vd.: *Proton. tit.* (privil.)

Pius PP. IX.

Ad perpetuam rei Memoriam.

Quamvis peculiares facultates ac privilegia nonnullis personis seu Collegiis ad eorum remuneranda merita vel dignitatem amplificandam ex Romanorum munificentia Pontificum concessa atque attributa sint, ea tamen moderanda censemus et vero etiam abroganda, quum minus opportuna temporibus ac bono publico minus consentanea deprehendamus. Antiquissimum porro est in hac Romana Ecclesia Collegium septem Notariorum a s. Clemente I. Praedecessore Nostro ad consignanda literis, posterisque Martyrum gesta institutorum, qui postmodum ob muneris praestantiam Protonotarii dicti sunt et pluribus singularibusque privilegiis decorati: Ipsis quidem fel. mem. Sixtus V. Praedecessor noster nedum antiqua privilegia confirmavit, verum nova etiam atque ampliora largitus est per Apostolicas suas sub plumbo datas literas 9. Febr. anni 1586. Quum vero idem Collegium Protonotariorum ob praeteritas rerum vices ad paucos redactum pene extinctum esset, paternas ad illud curas convertens recol. mem. Gregorius XVI. Decessor Noster per suam Constitutionem 6. Idus Februarii anni 1838 editam ipsum ad pristinum septenarium numerum veteremque splendorem restituit. Jam vero singularia inter privilegia memoratis comprehensa literis Sixti PP. V. aliqua Nos

esse animadvertentes, quae neque praesenti temporum conditioni neque publicae rei bono convenire compertum sit, idcirco alia ex iis moderanda seu quibusdam subjicienda conditionibus, alia vero penitus abroganda existimavimus.

Et quidem privilegium promovendi ad gradum doctoratus in utroque jure ex commemoratis Sixti V. literis Collegio Protonotariorum impertitum jamdiu moderatus est ac coarctavit fel. me. Benedict. XIV. per Apostolicas suas sub plumbo datas literas 4. Kal. Sept. anno 1744, quibus definivit edixitque, licere Protonotariis Apostolicis, quatuor dumtaxat personis in singulos annos, eisque non absentibus, sed realiter in Urbe praesentibus doctoralem Lauream in utroque jure deferre, praevio tamen diligenti ac severo examine per ipsosmet Protonotarios personaliter ac collegialiter instituendo, juxta Apostolicas in forma Brevis literas Urbani VIII. die 5. Sept. an. 1629 evulgatas; quempostea personarum numerum idem Benedict. XIV. in ipsis illis supra memoratis literis ampliavit in benevolentiae et honoris testimonium erga Protonotariorum Collegium; ipsis quippe concessit, ut in posterum non quatuor tantum singulis annis, verum sex personas in Urbe tamen praesentes doctoris Laurea in alterutro sive utroque jure decorare possent, servata forma ac conditionibus inibi praescriptis et explicatis.

Nos igitur commune bonum prae oculis habentes motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, supra memoratis Apostolicis liberis tum Sixti V., Urbani VIII., Benedicti XIV. et Gregorii XVI. Praedecessorum Nostrorum, quatenus opus est et in iis dumtaxat, quae Constitutioni huic Nostrae adversantur, derogantes, Protonotariis Apostolicis *de numero participantium* vulgo appellatis privilegium *deferendi doctoris gradum seu Lauream in Theologia et in alterutro vel utroque jure ratum habemus ac confirmamus,* servatis tamen conditionibus infra explicandis; *in Philosophia vero, in Medicina aliisque artibus seu scientiis ac facultatibus omnino tollimus atque abolemus.* Volumus autem atque mandamus, ut quatuor dumtaxat personis in facultate theologica, ac quatuor itidem in alterutro vel utroque jure in Urbe tamen praesentibus, doctoris gradum deferre valeant, utque de hujusmodi personis doctoris gradum petentibus antea ad Nos nostrosque in Apostol. Sede successores referre debeant, secus concessio doctoralis Laureae nulla atque irrita sit.

Praecipimus etiam, quod jam a Benedicto XIV. Praedecessore Nostro praescriptum est, ut si dictus numerus personarum ad gradum doctoris promovendarum uno anno quavis de causa non sit completus, minime absolvi et compleri possit annis subsequentibus. Jubemus praeterea, ut ad instituendum candidatorum examen Protonotarii conveniant numero saltem quinque; quod si, aliquibus eorum impeditis, hujusmodi numerum pertingere nequeant, ad illum explendum Archigymnasii Romani Professores adsciscant, denique ut in hujusmodi examine omnia servare debeant, quae de periclitanda scientia promovendorum ad gradum doctoralem praescripta sunt per Leonem XII. Praedecessorem nostrum in sua Constitutione: *Quod divina sapientia.* Si secus fecerint, concessionem doctoralis laureae irritam declaramus.

Volumus insuper atque mandamus, ut de Laureis collatis certiorem faciant quolibet anno Congregationem S. R. E. Cardinalium studiis moderandis praepositam, utque ad normam praefatae Constitutionis Benedicti XIV. nota rogitus promotionum, descriptis promotorum nominibus et cognominibus in-

fra mensem a die cujuslibet promotionis computandum ad archivium urbanum per Secretarium Collegii ejusdem vel per ipsos promotos deferatur, ac postquam ejusmodi nota ad archivium praedictum delata sit, promotus ad Lauream doctoralem pro legitime promoto haberi debeat ad quovis juris effectus; alias doctoratus nullus sit atque irritus nec promoto ulla ratione suffragetur.

In exercendo autem privilegio, quo iidem Protonotarii gaudent ex memorata Sixti V. Constitutione, *unum scilicet Protonotarium quotannis creandi absque tamen exemptionibus et privilegiis, hoc est mere titularem*, volumus ac jubemus, ut in posterum, nisi consultis antea Nobis Nostrisque in Apostolica Sede successoribus, neminem ad hujusmodi honorem et gradum promovere possint et valeant. Facultatem vero Notarios seu tabelliones publicos creandi dictis Protonotariis prorsus adimimus. *Praeterea omnino tollimus atque abrogamus privilegium* juxta antedictam Sixti V. Constitutionem Protonotariis eisdem attributum, *spurios scilicet aliosque ex quovis illicito concubitu procreatos legitimandi* ad successionem quorumcumque bonorum sive ex testamento sive ab intestato eosque idoneos declarandi ad quosvis honores, dignitates et Officia, sive publica sive privata exercenda, prout fusius hac super re in memorata Sixti PP. V. literis continetur. *Item irritum esse volumus* planeque abrogamus alterum privilegium, ut *tam Protonotarii Apostolici ipsi quam eorum consanguinei, affines et familiares*, sive in Urbe sive in tota ecclesiastica ditione, *arma prohibita* absque speciali permissu et licentia *deferre possint* et *valeant*.

Quoniam vero consueverunt Romani Pontifices praeter septem Protonotarios vulgo participantes appellatos, aliis etiam ecclesiasticis viris hujusmodi honorem deferre, ita tamen, ut, licet de participantium numero minime sint, ad eorum instar censeantur, idcirco, ut majus inter eos discrimen extet, volumus ac mandamus, ut *septem Protonotarii participantes a locorum Ordinariis eorumque jurisdictione liberi atque exempti* Nobisque et Apostolicae sedi immediate subjecti maneant juxta Sixti PP. V. concessionem: alii vero *Protonarii ad instar participantium*, sive ad hunc honorem jam electi sive in posterum eligendi *locorum Ordinariis* juxta communis juris regulas *subjecti omnino sint ac censeantur*, quemadmodum ipsos tenore praesentium Ordinariorum jurisdictioni plane subjicimus ac proinde sine illorum assensu nunquam poterunt Pontificalia exercere. *Insuper Protonotariis* participantibus *privilegium Altaris portatilis ratum habemus ac confirmamus, ea tamen lege ac conditione, ut illud in alienae habitationis domibus erigere nunquam possint, nisi ipsi occasione itineris seu hospitii gratia in iisdem domibus diversentur; utque Missa, quam super idem Altare portatile decenti semper in loco erigendum diebus etiam solemnioribus vel per se celebraverint vel per alium Sacerdotem saecularem seu regularem rite probatum celebrare fecerint, tum Protonotariis ipsis eorumque consanguineis et affinibus cohabitantibus, tum personis eorum famulatui seu comitatui addictis, nunquam vero aliis personis, in ecclesiastici praecepti implementum suffragetur.*

Protonotariis vero ad instar participantium, *qui jam creati sint vel in posterum creabuntur, idem altaris portatilis privilegium tollimus eisque dumtaxat concedimus indultum privati Oratorii ab Ordinario visitandi* atque approbandi, in quo diebus etiam solemnioribus in consanguineorum et

affinium secum cohabitantium nec non famulorum suorum praesentia Missam vel per se celebrare vel per quemcumque Sacerdotem saecularem vel cujusvis Ordinis regularem rite probatum celebrare facere libere possint et valeant.

Haec Nos statuimus, decernimus atque mandamus, non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo nec non superius memoratis Sixti V., Urbani VIII., Benedicti XIV. et Gregorii XVI. Praedecessorum Nostrorum literis aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis speciali licet mentione dignis, nec non praefati Collegii Protonotariorum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die 9. Febr. an. 1853. Pontificatus Nostri an. VII.

A Card. Lambruschini.

9) Thurificatio.

Vd.: *Thurif.* (Papa celebr. et assist.)

Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis esset Episcopus Suffraganeus, praesente suo Metropolitano non Cardinali, thurificandus est prius ipse Cardinalis; post praedictos thurificantur Protonotarii *participantes*, deinde Nuntii apost., Praelati non existentes in loco eorum jurisdictionis sed transeuntes; tum Dignitates et Canonici secundum eorum ordinem, tum Abbates benedicti et post eos Protonotarii *supranumerarii*, nisi essent consanguinei alicujus maximi Pontificis, qui pro judicio Episcopi thurificari poterunt loco convenienti ante Dignitates et Canonicos.

Caer. Ep. l. I. cap. XXIII. n. 29.

PROTONOT. TITUL.

1) Bened. param.

Protonotarius titularis paramenta benedicere non potest.

S. C. R. die 27. Julii 1627.

2) Celebrans.

Vd.: *Protonot. titut.* (privil. n. 6. etc.); *Usus Pontif.* (Decret. Alex. VII.)

Protonotarius titularis non potest paramenta sumere pro Missa de altari sed in Sacristia ut caeteri S. C. R. in Asculana in Apulia 6. Mart. 1610.

Protonotarius ut Dignitas non potest praeparare Abacum, dum celebrat more Praelatorum. S. C. R. in Comaclen. et Neocastren. 21. Aug. 1601.

Protonotarius titularis non participans potest apponere Pileum super insigniis et habere annulum, dum celebrat, dummodo non cum Gemma. S. C. R. in d. Comacl. et Neocastren. 21. Aug. 1601 apud *Cordubum* in Prax. dispens. Apostolicarum lib. 5. cap. 6. n. 52., *Barbosa* in summa decis. Apostol. verb.: *Protonotarius titularis n. 6.*, *Pitton.* Constitut. et decis. ad Canonicos n. 119.

Unde, quamvis Protonotarii titulares non possint in Missa gestare annulum cum Gemma, ut censuit S. C. R. in d. Comaclen. et Neocastren. et alias die 13. Febr. 1625 et 20. Nov. 1620 apud *Pitton.* l. c. n. 459. ex *Gavant.* his verbis: Annuli usus prohibetur Protonotariis non participantibus, doctoribus quibuscumque, Canonicis Cathedralium, tamen die 4. Aug. 1663 ead. S. C. R. apud eumdem *Pitton.* l. c.

n. 722. ex eodem *Gavant*. statuit, ut sequitur: Possunt Canonici Missam celebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed sine Gemma et sine aliqua effigie.

Vd.: *Annulus*.

3) Habitus.

Vd.: *Protonot. titul.* (privileg. etc.)

Protonotarius titularis seu extra numerum non potest prohiberi deferre habitum praelatitium, nempe rocchettum cum mantelletta coloris violacei et in Ecclesiis et functionibus ecclesiasticis cum eodem habitu incedere et sedere juxta dispositionem Caeremonialis lib. 1. cap. 13. S. C. R. in Mazarien. 28. Sept. 1630 et in Catanien. 5. Julii 1631.

Protonotarius incedere potest cum habitu praelatitio et suum retinere locum in choro. S. C. R. in Burgi Sancti Sepulcri 22. Aug. 1722 teste *Ursaya* in Miscell. primo littera C. n. 36.

Vd.: *Protonot. apostol.* (privileg.; Praecedentia, habitus etc.)

4) Praecedentia.

Vd.: *Protonot. titul.* (privil. etc.)

Protonotarius titularis praecedit Canonicis Cathedralium uti singulis, non autem collegialiter. S. C. R. in Concord. 16. Maii 1601 et 12. Julii 1603.

Protonotarii titulares post Abbates et non supra sedere debent. S. C. R. in Asculana in Apulia 6. Mart. 1610.

Protonotarii titulares tam in sessionibus in Ecclesia quam in processionibus debent cedere locum digniorem officialibus Episcopi et Dignitates obtinentibus et Canonicis ecclesiarum Cathedralium. S. C. R. in causa Castellae et Legionis 30. Apr. 1604; Clemens VIII. Constitut. incip.: *Decet Romanum*.

Protonotarii titulares neque supra neque inter Canonicos locum habere debent. S. C. in Spoletana Terrae Casciae 23. Mart. 1619.

5) Privilegia Protonotariorum Titularium seu honorariorum.

Vd.: *Proton. ap.* (privil.)

Quamquam plura de Protonotariis, quos titulares seu honorarios dicunt, a S. R. C. decreta edita sint, prout videre est in nuperrima decretorum ejusdem collectione, experientia tamen compertum est, complures abusus percrebuisse illorum culpa, qui nullis, licet ut plurimum nominibus commendati, talem honorem assecuti vel jure sibi vindicare audent, quibus careant omnino vel delatae dignitatis insignia indecore admodum adhibent, ut ne dum ipsorum splendorem haud referant pro dignitate, sed labem potius ordini spectatissimo parent.

Quare habito ad infrascriptum diem conventu in aedibus memorati Emi et Rmi D. Card. de Somalia Praefecti, omnibusque serio diligenterque perpensis id in primis communi sententia visum est decernere, ut nimirum personarum delectus haberetur in Protonotariatus honore deferendo, ut nonnisi, qui rite, honeste ac pro dignitate id honoris sustinere valeant, eodem ornentur.

Proferantur idcirco Testimonia, quibus constet indubie:

1. De nobili vel honesta familiae conditione.
2. De Aetate saltem annorum vigintiquinque.
3. De statu clericali et caelibi.
4. De Laurea Doctoratus in utroque jure vel in s. Theologia a probata Universitate vel a Collegio Protonotariorum participantium rite tributa.

5. De morum honestate et gravitate ac de bona apud omnes existimatione.

6. De annuo censu scutorum saltem biscentum vel ex Patrimonii bonis vel ex perpetuis pensionibus vel ex ecclesiasticis beneficiis.

Sit praeterea petitio testimonio commendata Ordinarii, qui, et de rebus hic adnotatis, ob sibi tradita documenta edoceat et personam idoneam se censere testetur, quae Officium Protonotarii Titularis assequatur illudque cum decore substineat.

Quae quidem omnia luculenter probanda esse cautum est, quoties de honorario protonotariatu assequendo postulatio praebeatur sive per apostolicas literas sive per diploma, quod a Collegio Protonotariorum participantium tribuatur seu a caeteris quibuslibet, qui jure gaudent illud conferendi.

Hisce de electione Protonotariorum Titularium constitutis, cum eos longe differre palam sit ab illis, qui sunt de Collegio Participantium vel ad instar Participantium a S. D. N. ex Romanae Curiae Praelatis adsciscuntur, decretum est, ea dumtaxat privilegia, jura, exemptiones, praeeminentias, praerogativas iisdem competere, quae infra singilatim enumerantur: aliis proinde, quibuscumque praesenti Decreto non praescriptis, irritis declaratis et deletis et abrogatis, utpote quae ex falsa plerumque Diplomatum interpretatione vel ex prava consuetudine vel alio quovis praetextu usurpabantur, iisque insuper moderatis ac reformatis, quae licet alias tribuerentur gliscentibus tamen malis occasionem praebuisse dignoscuntur.

1. Igitur jus erit Protonotariis apostolicis Titularibus extra Urbem dumtaxat, et quando eo loci, ubi degunt, non adsit Summus Pontifex, uti habitu praelatitio, videlicet veste talari et palliolo nuncupato mantelletto nigri coloris.

2. Eo habitu praelatitio nigri coloris cum rocchetto subtus palliolum uti poterunt Protonotarii in publicis Supplicationibus aliisque Ecclesiae functionibus; in reliquis vero rocchettum dimittant simulque sciant se, licet forte plures insimul conveniant, non exinde constituere Collegium nec corporatos censeri.

3. Usus collaris et caligarum coloris violacei omnino interdicitur, item et vitta seu cordula in pileo coloris violacei seu etiam, quo nonnullorum audacia erupit, rosacei aut rubei, quae nigri dumtaxat coloris esse poterunt; ejusdemque coloris sit pariter pileum cum lemnisciis stemmatibus imponendum.

4. Protonotarii Titulares, qui Dignitate aut Canonicatu potiuntur, habitum gestent sui Ordinis, non vero praelatitium in choro eoque consideant in loco, quem ex beneficio eos deceat, quod si habitu praelatitio uti velint, distributionibus quotidianis priventur, quae Sodalibus accrescant.

5. Habitu praelatitio induti omnibus Clericis, Sacerdotibus simplicibus et etiam Canonicis praeferendi sunt singulatim sumptis, non vero in Collegium coëuntibus. Neutiquam etiam praeferendos se esse arbitrentur aut apost. Nuntiis aut utriusque Signaturae Referendariis aliisve ex rom. Curiae Praesulibus, etiamsi nullum ex sui muneris insignibus ii gestent, dummodo de ipsorum gradu non lateat; item nec antecellant Vicariis Generalibus aut Capitularibus aut Abbatibus.

6. Sacrum operantes a simplicibus Sacerdotibus minime differunt; idcirco s. vestes induant in Sacrario, uno tantum Ministro utantur ipsique calicem deferant, detegant, cooperiant; item libri Missarum folia evolvant;

vetantur praeterea Palmatoriam, Canonem, Annulum, Pileolum adhibere.

7. Quando adstant ad Sacra cum habitu praelatitio, non genuflectant sed caput inclinent, uti in more est apud Canonicos Cathedralium, duplici ductu thurificentur, consideant vero in loco per Caeremoniale Episcoporum constituto.

8. Conficere possunt acta de causis beatificationis et canonizationis servorum Dei; quo tamen privilegio uti nequeant, si eo loco alter sit e Protonotariis participantibus.

9. Item rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium, in Judices Synodales, in Commissarios Apostolicos et Judices a S. P. adsciscendos pro causis ecclesiasticis et beneficiariis. Idem apud ipsos professionem fidei recte emittunt, qui ex officio ad eamdem adstringuntur. Item coram ipsis pensiones transferri possunt, ab iis, qui eo gaudent privilegio.

10. Beneficia eorum, qui Protonotariatum Titularem per apostolicas literas vel per diploma Collegii Protonotariorum participantium assequuti sunt, nonnisi ab apostolica Sede conferri possunt.

11. In civilibus negotiis necnon in criminalibus atque in vitae disciplina Ordinariis locorum obnoxios plane se esse noverint nullaque ratione ab ipsorum jurisdictione liberos se comminiscäntur.

12. Etsi habitum praelatitium non gestent, gaudent tamen privilegio Fori, dummodo in habitu et tonsura incedant.

13. Familiaribus Papae minime accensentur, cum hoc privilegio gaudeant Protonotarii dumtaxat e participantibus vel rom. Curiae Praelati, qui ex Pontificis benignitate iisdem aequiparantur.

14. Quae hic percensentur Privilegia, ea sunt, quibus dumtaxat Protonotarii Titulares donatos se sciant, qui secus facere aliisque praeter memorata privilegiis ac juribus uti auserint, si ab Ordinario tamquam ab apostolica Sede Delegato semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso privatos delato honore se sciant.

15. Tandem qui Protonotariatu Titulari donati sint vel per apostolicas literas vel alio legitimo Diplomate, nequeant uti ipsius juribus ad hujusce Decreti praestitutum constabilitis, nisi antea vel apost. literas vel ipsum in Officio Secretarii Collegii Protonotariorum de numero participantium exhibuerint, qui in Codicem referat nomen, cognomen, aetatem, patriam, qualitates novi Protonotarii Titularis ac praeterea diem, ad quam vel Breve vel Diploma datum est.

Idem porro Protonotariatus privilegium in Secretaria Protonotariorum participantium recognitum exhibeant Ordinario, apud quem vel apud aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam fidei professionem et fidelitatis juramentum emittant.

Quibus peractis fas ipsis sit habitum sui gradus induere, Officium tenere, uti privilegiis, honoribus, praerogativis, quorum notula typis impressa et ab aliquo ex Protonotariis participantibus subscripta et obsignata iisdem tradetur, ne quid adversus haec Decreta ex ipsorum ignorantia peragi contingat.

Quare tum literae apost. in forma Brevis tum Diplomata, quibus Protonotarii Titulares creantur, concinnanda erunt juxta hujusce Decreti sententiam, ne qua ibidem ab eo aliena describantur. Nihil autem hoc Decreto immutatum censeatur de amplioribus privilegiis, quibus Collegia quaedam et Capitula ex apostol. Indulto, etiam ad instar Protonotariorum participantium alicubi gaudeant. Leges tamen et conditiones in iisdem indultis prae-

finitae, accurate religioseque serventur neque ulli fas sit concessionis limites pro suo arbitrio praetergredi vel in rom. Curia id genus Insignia deferre vel sibi singulatim et extra Collegii functiones attributa existimare, quae corpori tantummodo sunt collata.

Demum eadem particularis Congregatio censuit, rogandum esse Sanctitatem Suam, ut singula hoc Decreto proposita dignetur Constitutione apost. confirmare.

Die 27. Apr. 1818.

Ex Audientia Sanctissimi.
Die 9. Junii 1818. n. 4545.

Sanctissimus, infrascripto Secretario referente, resolutionem particularis Congregationis benigne adprobavit et apostolicam Constitutionem expediri jussit cum derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

J. M. Card. Episc. Tusculanus de Somalia, S. R. C. Praefectus.

Loco † Sigilli.

J. A. Sala, S. R. C. Secretarius Coadjutor.

(Vd. etiam Bull. r. Contin. t. XV. p. 141 — 145.)

Il Capitolo e Canonici della Chiesa Cattedrale di Civita Castellana divotamente espongono, che il Rmo Signor Don Emilio Mattei Canonico et Vicario Generale di detta Città e Diocesi, tornato non a guari da Roma usa le Vesti di color nero di Protonotario apost., e facendo uso di esse pretende in avvenire le seguenti onorificenze, cioè: 1. Di prendere nelle processioni il posto digniore alla destra del Canonico vestito di stola. 2. Di sciogliere in dette processioni la coda e farsi servire dal Caudatario. 3. Di celebrare fuori della Cattedrale la Messa letta, ed anche cantata con la Coda sciolta soffermata da un Chierico, con l'assistenza di due Canonici nelle Messe lette, con più di due Candele accese, e col farse portare preventivamente il Calice all' Altare. Quindi gli Oratori Umilissime supplicano ossequiosamente l'Eminenze Vostre Rme, a degnarsi di dare le provvidenze necessarie, perchè siano impediti tali abusi, et tutto si faccia a norma dei venerati Decreti di questa Sacra Congregazioue. Che ec.

Hujusmodi precibus per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die habito Emi et Rmi P. in voto fuere, ut scriberetur Episcopo ut sequitur:

Rme Domine uti Frater.

Quum ad hanc S. R. C. pervenerint preces Capituli istius Cathedralis civitatis Castellanae, quam amplitudo Tua in hunc eumdem fasciculum conjectas reperiet; quumque Capitulum ipsum necessariam exposcat provisionem ad eliminandos nonnullos abusus, quos irrepsisse asserit, ex quo hodiernus Vicarius Generalis dioecesis ipsius inter Protonotarios Titulares adlectus fuit; hinc in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunatis Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *Serventur Decreta ac novissima Constitutio quoad Protonotarios apostolicos s. m. Pii Papae VII.* Ad praecavendas vero quascumque dissensiones satius esse duxit ipsa S. C. amplitudini Tuae injungere ut provideat quoad singula, quae indebite ab ipsomet Vicario exquiruntur. Sancitum est enim pluries in similibus, quod si processionibus intersunt Vicarii Cenerales, quod valet etiam de Protonotariis, et non occupent locum propriae receptionis, incedant quidem ultimo loco, verum distributiones amittant ac longiores vestis talaris fimbrias extensas seu

solutas gestare nequeant, quum non sint functionarii. Quoad vero Sacri celebrationem conformare se debent in omnibus memoratae Constitutioni s. m. Pii Papae VII. Idibus Dec. 1818. Hanc itaque S. C. mentem amplitudinis Tuae erit omnimodae exequutioni demandare, ea qua decet prudentia, ut cunctis in pace dispositis ac ordinatis, nec in minimo laedantur hujus S. Sedis quoad ecclesiasticas functiones providentissimae sanctiones. Et amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat.

Romae 27. Aug. 1836. n. 4797.

Rmo Episcopo civitatis Castellan. Hortan. et Gallesin.

Nota Gardell. ad hoc Decretum.

Post quamplurima Decreta edita a S. R. C. et post evulgationem Constitutionis fel. rec. Pii Papae VII., quoad Protonotarios Titulares, haud intelligi potest, quomodo nonnulli ex his quaedam sibi sumant, quae ipsis sunt vetita, contendantque sibi esse facultatem iis utendi honorificentiis, praerogativis et distinctionibus, quae Protonotariis sive participantibus sive supranumerariis exclusive competunt, et eos renovent abusus, ad quos tollendos, qui irrepserant, et praecavendos futuros tam Constitutio quam Decreta edita sunt et evulgata. At ea est, quam nonnulli de muneribus Summorum Pontificum indulgentia sibi collatis idea quam falso efformant, ea pariter eorumdem cupiditas pluris quam collatum munus postulet ab omnibus habendi, illud omnibus coaequalibus praecellendi immodicum desiderium, ut omni quo possunt modo finem sibi propositum attingere curent, et ita fit, ut quod ipsis ad majorem rerum sacrarum splendorem concessum est, per illius abusum in rerum ipsarum detrimentum convertatur, et sic a concedentium mente ac voluntate discedendo rerum ordo perturbetur aliorumque jura laedantur et statutae sapientissimo consilio leges perfringantur: hinc non raro etiam quaerela et contentiones oriuntur, quae maxime dedecent ecclesiasticos viros, quaeque eam animorum concordiam adimunt, quae inter eos debet intercedere. Sed haec de medio facile tolluntur et praecaventur, quoties potissimum quisque eos non excedat limites, inter quos privilegia et honores sibi tributi contineri debent.

At hodiernus Vicarius Generalis, de quo in dubio sermo est, limites hujusmodi est praetergressus, fortasse ex ignorantia Decretorum et Constitutionis. Si vero haec agnoverit, ex falsa vel nimis libera utriusque interpretatione et applicatione ideoque sibi ea sumpsit privilegia, que sumere nequibat. At si aliquod dubium circa eadem habuerit, male prorsus se gessit, hoc enim in casu, si nempe aliquid dubium aut ambiguum in iis esse suspicabatur, media adhibere debuisset, ut verum a falso sejungeret et ideo S. R. C. pro recta interpretatione adire; in dubiis enim Legislatoris mens ab iis est exquirenda, qui sunt veri et immediate legis ejusdem interpretes, quemadmodum in hujusmodi rebus est S. R. C. Hoc omisit, idcirco multa sibi arrogavit, quae nullimode poterat. Locum e. g. in processionibus occupavit prae Canonico stola induto actu functionem peragente, caudam sive fimbrias talaris vestis solutas gestavit, Missam seu lectam seu cum cantu celebrare extra Cathedralem fimbriis pariter solutis praesumpsit, quas et a Clerico voluit esse sustinendas, quae nec ipsis Emis S. R. E. Cardinalibus sustinentur. Duos Canonicos in Missis lectis sibi sumpsit et plures quam duas candelas voluit accensas super altari, ad quod calicem anteferri jussit. Quot

et quantae statutae legis violationes! Ut iterum contra legem non agat et iis non utatur privilegiis, quae ipsi uti Protonotario Titulari aliisque hac dignitate honestatis non competunt, discat, quae sibi sunt vetita ab ipsa Pii VII. fel. rec. Constitutione. En itaque hujus verba: *Nequit praeterea tam in solemni quam in Missa privata s. vestes sumere ex altari, uti Canone, Palmatoria, Presbytero assistente, salutare populum cum: Pax vobis etc. In Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum a simplicibus non differant: sumant proinde s. vestes in Sacrario . . . unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et Duo tantum candelae luceant in altari.* Quod si dubia ipsi, circa haec, res erat et quae sibi privilegia competerent nesciebat, debuisset (ut supra adnotatum est) veritatem diligenter investigare et viros in hac materia doctos interrogare et S. R. C. consulere. Haec omnia omisit, imputet ipsi sibi si errores perpetravit, si Canonicos habuit adversantes, si S. C. declaravit omnia, quae praedictus Vicarius sibi convenire praesumpsit, admitti non posse. Id sane significatur in responsione: *Serventur Decreta ac novissima Constitutio quoad Protonotarios s. m. Pii Papae VII.* Idem dicendum quoad locum, quem in processionibus occupavit, scilicet male se gessisse, debebat enim locum occupare propriae receptionis, quod non semel a S. R. C. sancitum fuit, et poena ipsa, quae sibi non debitum locum occupantibus infligitur, amissio nempe distributionis, hoc clare demonstrat. Nihil addendum est de fimbriis talaris vestis extensis, quisque enim per se videt extensionem hanc novitatem redolere, cum nonnisi functionariis ea competat.

S. itaque C. haec omnia quae sibi sumpsit memoratus Vicarius Generalis improbavit atque tamquam abusus et Decretis aeque ac Constitutioni contraria rejecit. At S. eadem C. ea qua uti solet sapientia Illustrissimo et Rmo Episcopo Sanctionis exequutionem demandavit, ut ea qua decet prudentia quaestio omnis tollatur, omnia in pace disponantur et ordinentur, ne scandalum ullum exoriatur et Ritus recte serventur. Episcoporum est enim munus juxta Decreta ejusdem C. advigilare, ut omnia recte peragantur, quae ad s. ritus pertinent, et si quid dubii in his oriatur, S. C. consulere.

PROTOPAPA.

Vd.: *Ritus graeco-latinus* (Constit. Benedicti XIV. incip.: *Romana Ecclesia).*

SS. PROTUS ET HYACINTHUS MM.

Quid mutandum in eorum missa!

Vd.: *Missale* (Correctio D. n. 40).

PRO-VICARIUS GENER.

Praecedentia.

Pro-Vicarium generalem semper et ubique praecedere debere Dignitatibus et Canonico, non tamen sacris vestibus indutis, in choro autem distributiones non lucrari, nisi sedeat in suo stallo. n. 1623 die 28. Martii 1651.

Cf.: *Vicarius gen.*

PROVINCIALIS.

Sedes.

Vd.: *Missa priv. Abbatis; Mulier. De incensat. Prov.* vd.: *Episcop.* (incensationis series); *Stratum; Pulvinar.*

Provinciali Ord. Min. Conv. in interveniendo sermoni in honorem s. An-

tonii de Padua in Ecclesia sui Ord. habito non licere sedem cum tapeto paratam et genuflexorium similiter paratum. n. 1652 die 28. Sept. 1652.

PSALLENDI MODUS.

Vd.: *Chorus* (cantus).

Benedictus PP. XIV.

VV. Fr. Episcopis Italiae.

Equidem scimus, in aliquibus Metropol. et Cathedr. Ecclesiis inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro praesentes assistunt, licet sibi silentium imperent neque psallentibus Benef. aut Mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria aut etiam praetensa Ecclesiarum suarum privilegia. At quum Synodus Trid. *sess. 24. c. 12.* loquens de Dignitatibus et Canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum Officiis esse dicat: *in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare;* quumque pauca omnino sint capitula, in quibus eo modo a Canonicis in choro assistitur ideoque receptae in universa Ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur, quum insuper opinio illa nunquam in Congreg. Conc. Trid. interpretationi praeposita examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarch. hujus Nostrae Urbis super hoc instantibus, quum denique idem judicium prolatum reperiatur a plur. Conciliis prov. ab ap. Sede approbatis et confirmatis, nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accomodent.

Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius Ecclesiae Canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit apost. non praesumptum vel abrogatum sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, jure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant et consequenter ad eorum restitutionem teneantur.

Quapropter vestrum erit, VV. FF., omnia illis aperire, ut neque Nobis neque Vobis apud divinum judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quae tanti est momenti, utpote quae ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro novisse et confirmasse inveniamur.

Datum Romae die 19. Aug. 1744.

(Bull. r. t. XVI. p. 217 §. 24.)

Cf.: *Missa* (applic. — decr. Benedicti XIV. §. XX.).

Benedictus PP. XIV.

Curam et solicitudinem Tuam, V. Fr., excitamus, ut horae canonicae pro more et instituto cujusque Ecclesiae canantur seu recitentur, prout decet ac convenit, ab iis, qui ad eas tenentur; nihil enim est magis eccl. disciplinae inimicum aut perniciosum, quam divinam psalmodiam contemptim aut negligenter obire. Certe haud ignota tibi est obligatio, qua Canonici aliique Ecclesiarum Metrop., Cathedr. et Colleg. aut quotidie horas can. in choro cantandas tenentur; cui obligationi satis ille utique non facit, qui

eccles. psalmodiae munere nulla animi attentione oscitanter indiligenterque perfungitur. Innocentius III. in Conc. Lat. *relato in cap.: Dolentes de celebratione Missar.* de eadem obligatione loquitur: *Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum offic. nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote.* Ubi Glossa explicans verbum illud: *studiose* haec subjicit: *quantum ad officium oris, id est sine syncopa;* et ad verbum *devote* adnotat: *Quantum ad officium cordis.* Clem. V. in Conc. Vienensi in sua Constit. *Gravi* sub titulo: *de celebratione missarum* loquitur: *ut in Cathedr., Regul. et Colleg. Ecclesiis horis debitis devote psallatur.* Et Conc. Trid. *cap. 12. sess. 24. de Ref.* tractans de obligationibus Canonicorum saecul.: *Omnes vero*, inquit, *Divina per se et non per Substitutos compellantur obire officia et Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire; atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte et devote laudare.*

Hinc autem necessario sequitur, *diligenter invigilandum, ut cantus praeceps minime sit aut citior quam decet, utque suis locis pausae fiant et ut altera pars chori versiculum psalmi subsequentem non exordiatur, priusquam altera antecedentem absolverit. Nec prius psalmi una pars chori versiculum incipiat, quam ex altera praecedentes psalmi et versiculi finiantur.* Sunt verba Conc. Salmuriens. anno 1253.

Demum cantus vocibus unisonis peragatur et chorus a peritis in cantu eccles. regatur. Hujusmodi cantus ille est, quem ad musicae artis regulas dirigendum efformandumque multum elaboravit s. Gregorius M. Cantus iste ille est, qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat; denique ille est, qui, si recte decenterque peragatur, a piis hominibus libentius auditur *et alteri, qui cantus harmonicus seu musicus dicitur, merito praefertur.* Hunc quidem Monachi a Presbyteris saecul. didicerunt, et cum ab ipsis accurate diligenterque tractetur sacrisque in functionibus adhibeatur: contra autem negligatur a nonnullis Clericis oscitanterque persolvatur; haec potissima causa est, cur a Christiano populo frequentius Regular. Ecclesiae quam Saecularium adeantur, ut bene advertit Jac. Eveillon in suo tractatu *de recta ratione psallendi* ad cap. 9. art. 9. pag. 99.: *Sordescit quippe s. auribus omnis musici concentus titillatio prae hac plani cantus et simplicis psalmodiae harmonia, si recta fuerit. Atque eo fit, ut relictis hodie Ecclesiis Colleg. et Paroch. tam libenter et avide concurrat populus fideiis ad Ecclesias Monachorum, qui magistram habentes in colendo deo pietatem, sancte, moderate et, ut Psalmistarum Princeps olim dixit, sapienter psallunt et Domino suo ut Domino et Deo cum summa reverentia famulantur. Quod sane pudori debet esse Ecclesiis primariis et majoribus, a quibus Monachi et canendi et psallendi artem omnem ac regulam didicerunt.*

Et ideo s. Conc. Trid. *) inter caetera, quae Seminariorum Alumnos edocendos praecipit, etiam cantum recenset his verbis: *Ut vero in disciplina eccles. commodius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali semper utentur, grammatices, cantus computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent.*

Epist. Encycl. Benedicti XIV. ad Episcop. ditionis eccles.
Die 19. Febr. 1749.
(Bull. r. t. XVIII. p. 11.)

---

*) C. 18. Sess. 23. de Ref.

Omnes de choro ac alii ministri sedebunt et Psalmi decantabuntur cantu Gregoriano cum pausa ad puncta et ad flexiones et clara voce per Canonicos et alios de choro reverenter. *Caer. Ep.* l. II. c. V. n. 3.

Psalmi decantari debent a choro in tono et cantu Gregoriano cum gravitate et decore, ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur; sed vers. *Gloria P. etc.* poterit solemniori vocis modulatione recitari. *Caer. Ep.* l. II. c. I. n. 8.

Canonici Cathedr. Ulixbon. Orientalis tenentur non solum interesse divinis officiis, verum etiam psallere sub poena privationis distributionum.

S. C. C. die 5. Dec. 1722; 27. Sept. 1732.

Benedictus PP. XIV.

Ad Patriarcham Aquilej.

Nolumus inter tot tantaque privilegia Capitulo et Canonicis Ecclesiae Veronens. concessa memorandum esse illud, quod antiqua traditione contra SS. Canonum Sanctiones ac nostram praesertim Constitutionem: *Cum semper oblatas* invectum ab ipsis Canonicis servatur, interessendi dumtaxat choro et cum caeteris Mansionariis, Capellanis et Clericis canentibus psallentibusque adsistendi, nunquam vero cum iisdem canendi psallendive, etsi nonnullos eorundem esse accepimus, qui aliter sentientes a conscientiae angoribus agitantur, ex eo quod eapropter se non fecisse fructus suos existiment.

Itaque a Te, Dil. Fili, poscimus et flagitamus, ut non solum hujusmodi abusum et corruptelam ab ecclesiast. disciplina absonam et canonicis ordinationibus ac nostrae quoque Constitutioni contrariam penitus evellere et eradicare adnitaris, verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas et horteris, ut in posterum, qua decet et tenentur, reverentia choro intersint adsistantque nec non pari pietate, attentione ac vigilantia omnino canere vel psallere cum caeteris studeant et contendant.

Deinde iisdem edicas et notum facias, Nos decernere atque statuere, ipsos suosque successores Canonicos choro quidem interessentes adsistentesque minime vero canentes psallentesque nullo pacto ex praebendis et distributionibus facere fructus suos atque adeo restitutioni obnoxios esse ac fore.

Caeterum volumus et mandamus, ut nulli eorundem Canonicorum, qui, licet praesens in choro adsistat, tamen minime canat psallatve, suffragentur hujusmodi indulta ac privilegia, quae unicuique moderno et pro tempore existenti Canonico concedimus et elargimur.

Datum Romae die 19. Jan. 1748.

(Bull. r. t. XVIII. p. 315, vel Bull. Bened. XIV. t. III. p. 586.)

Benedictus PP. XII. de ref. Ord. FF. Min. s. Francisci de Assisio.

In primis circa agendum divinum Officium in eodem ordine auctoritate apostolica ordinamus, quod ante missarum et horarum principia fratres dicti Ordinis omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conveniant, praeparaturi Domino corda sua, ibique sine discursu, murmure, risu et absque vagis et vanis aspectibus, sub silentio, in pace et cum debita gravitate permaneant, cantent et orent et usque in finem unanimiter perseverent.

Quia vero cantus ecclesiast., divinae laudis sacrificium fructusque labiorum canentium non solum eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum aedificatio esse debent, eosdem fratres

hortamur in Domino, ut divinas laudes integre, attente, honeste ac religiose persolvantur; gestus leves et cantus dissolutos seu fractos omnino declinent; tractum psallant debito more, incepta, quae simul cantanda fuerint, simul continuent, simul pausent.

Ordinamus etiam, quod in singulis ordinis praedicti conventibus hora sexta, sicut aliae horae, cum nota dicatur. Custodes autem et guardiani eorumque vicarii diligenter intendant, quod praescriptus modus conveniendi ad chorum et dicendi divinum Officium jugiter observetur. Si quem autem in aliquo praemissorum culpabilem compererint, debite puniant secundum delicti exigentiam sive culpae. Minister vero generalis seu provincialis ipsos custodes et guardianos eorumque vicarios, quos super ordinationis hujusmodi observantia deprehenderint notorie negligentes, a suis officiis tamquam inutiles debeat amovere: forma tamen circa hujusmodi annotationem descripta inferius observata; nullusque frater eximatur a choro, sed omnes fratres teneantur ire ad omnes horas canonicas et ad missas, exceptis aegrotantibus actu et multum antiquis, super quibus guardianus habeat arbitrari, et magistris et lectoribus ac bachalauriis in generalibus studiis constitutis et legentibus in aliis studiis, dum actu suas continuant lectiones; exceptis etiam studentibus, dum in lectionibus theologiae vel disputationibus ordinariis fuerint occupati. Porro illi de praedictis, qui, ne ad matutinum in oratorio cum aliis conveniant, sunt excepti, hora congrua simul ad capitulum vel locum alium idoneum conveniant et ibidem simul officium matutinale persolvant. Ad hoc autem astringi nolumus graviter aegrotantes vel lectores actu legentes, qui commode nequeunt interesse.

Die 28. Nov. 1336.

(Bull. rom. t. IV. p. 392. Ed Aug. Taur.)

Bened. PP. XII. ad Canon. regul. Ord. s. Augustini.

Hortamur, quod in Ecclesiis, monasteriis sive locis aliis conventualibus, cum modestia, humiliter et devote horis nocturnis et diurnis ad divina officia universi et singuli Canonici studeant convenire; ipsaque non transcurrendo aut syncopando, sed tractim et distincte psallant et celebrent devote. Sane in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis et locis aliis conventualibus religionis ejusdem, Missa major per Canonicum celebretur. Et si inibi magnus et ad hoc sufficiens fuerit Canonicorum numerus, in Officiis Diaconatus et Subdiaconatus ministrent hujusmodi celebranti et qui hebdomadarius fuerit Missae majoris, cessante impedimento legitimo, horas canonicas incipiat et collectas orationes dicat. Transgressores vero praemissorum debitae subjaceant disciplinae.

Die 15. Maii 1339.

Ibid. p. 456.

Martinus PP. V. ad Fratr. Minor. Conv. s. Francisci.

Statuimus et ordinamus servandam esse Constitut. Benedicti XII. cap. 1., ubi sic dicit: In primis, circa agendum Officium divinum in eodem Ordine auctoritate apostolica ordinamus, quod ante Missarum et horarum principia fratres dicti Ordinis omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum concurrant, praeparaturi Domino corda sua, ibique sine risu, murmure, discursu et absque vagis et vanis aspectibus, sub silentio, in pace, cum debita gravitate permaneant, cantent et orent et usque in finem unanimiter perseverent. Quia vero ecclesiasticus cantus, divinae laudis sacrificium fructusque labiorum canentium, non solum eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum aedificatio esse debent,

eosdem fratres hortamur in Domino, ut divinas laudes integre, attente, honeste ac religiose persolvant, gestus leves et cantus dissolutos et fractos omnino declinent, sed tractim psallant, debito more incaepta, quae simul canenda fuerint, simul concinant, simul pausent etc. ut in d. cap. habetur. Hoc addito, quod de cantu in locis, ubi pauci sunt fratres, qui non sufficerent ad cantandum, vel alia rationabili causa praelati possint dispensare, quum viderint expedire.

Anno 1430.

Ibid. p. 738.

PSALLENDI ORIGO.

Secunda Ecclesiae pars dicitur chorus sic etymologice dictus a chorea vel corona, quia olim Clerici in modum coronae circa Aras stabant et eo modo Psalmos canebant; *Durand.* in Rational. lib. 1. cap. 1. n. 18., *Selva* part. 1. quaest. 5. n. 44., *Gavant.* in Thesaur. sacror. rit. par. 1. tit. 16. verb.: In choro, *Brunus* de Caeremoniis lib. 5. cap. 2. et alii. Unde chorus significat locum, qui Clericos psallentes continet; cap.: *Dilectus, extrav. de praebend. et dignit. in antiq.; Calvin.* in suo lexico verb.: *Chorus,* et ut ait *Polyd.* Virg. de invent. rer. leg. 6. cap. 2. Chorus multorum vocibus constat, ita ut ex pluribus una reddatur fiatque concentus ex dissonis; l. *Cum ejusdem 34. ff. de leg. 2.* Hinc tempore Constantis Imperatoris Flavianus et Theodorus adversus Arianos decertantes, in duas partes canentium choros dividentes, ex successione Davidicam melodiam canere docuerunt, idque primum in Antiochia factum, postea in alias orbis terrarum partes propagatum et a s. Damaso confirmatum, ut legitur in lectione 6. ejus Officii die 11. Dec., et a Theodoreto et Durand. refert Daniel de Nobilibus in disput. select. disp. 50. n. 161. Immo Selva, Durand. l. c. dicunt, quod beatus Ignatius, qui post beatum Petrum tertius Antiochenae Ecclesiae Antistes extitit, fuit primus, qui praecepit et induxit morem alternatim Psalmos canendi in Antiochena Ecclesia, notantes id factum fuisse ad imitationem Angelorum et Spirituum coelestium laudantium Deum quasi reciproca voluntate; et talis mos exinde propagatus fuit in Orientales; *Spino* in spec. testam. gloss. 4. in princip. n. 66., et in Occidentali Ecclesia primus cum auctoritate s. Damasi Mediolani instituit s. Ambrosius; *Barbosa* cum pluribus in collectan. ad text. in cap.: *Dolentes,* de celebrat. Missar. n. 14.

PSALMI

1) Graduales.

a) Anticipatio.

Vd.: *Regul.* (Off. decr. *de die 31. Augusti 1839 ad III.*); *Offic.* (oblig. ad quod? decr. n. 4874 ad 3.)

b) Obligatio recitandi adestne?

Vd.: *Off. parv. B. V. M.* (oblig., decr. n. 4631); *Regul.* (Off. decr. 31. Aug. 1839 ad III.)

Ad dubium 1.: An Canonici civitatis Acerarum ultra horas canonicas teneantur quoque in choro recitare officium defunctorum, B. M. V. et Psalmos poenitentiales et graduales, sive potius sit servanda consuetudo? Et quatenus affirmative;

2.: an in casu deficientiae sit exequenda poena ab Episcopo imposita?

S. C. C. resp.

ad 1.: Servandam esse consuetudinem;

ad 2.: Negative.

Die 23. Aug. 1727.

Suessana.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Ad dubium : An in Cathedr. Suessana sint recitandi Psalmi grad., poenit., Off. parv. B. V. M. ac Defunctorum in diebus designatis a rubricis Breviarii?

S. C. C. resp.: Ad formam Bullae PP. Pii V.

Die 18. Aug. 1708 ad 2.

Bulla PP. Pii V.

Nos propter variae hujus vitae negotia multorum occupationibus indulgentes peccati quidem periculum ab ea praescriptione (recitandi Ps. grad. et poenit.) removendum duximus, verum omnes in Domino cohortamur, ut remissionem nostram sua devotione praecurrentes illis suffragiis suae et aliorum saluti consulere studeant, *atque omnibus, qui in diebus in rubricis praefinitis 7 Ps. grad. vel poenit. dixerint, quinquaginta dies de injuncta ipsis poenitentia relaxamus.*

Dat. Romae die 15. Junii 1568.

Triventina.

In relatione status Ecclesiae Triventinae, quam Episcopus nuper transmisit ad hanc S. C., occasione visitationis SS. LL. id postulatum adjecit: In choro a Canonicis ac aliis, qui ad Divinum Officium tenentur, nunquam antea Officium defunctorum, Psalmi graduales ac poenitentiales in diebus praescriptis a rubrica Breviarii Romani recitabantur; hinc modernus Episcopus eisdem injunxit ejusmodi recitationem, quemadmodum jam coepta extitit et per aliquod temporis spatium continuata. Modo renuentibus iisdem Canonicis eam continuare, sub praetextu quod talis obligatio minime iis incumbat, supplicat propterea Episcopus, pro sui dictorumque suorum subditorum conscientiarum quiete, ut ab EE. VV. declaretur:

An in Ecclesia Cathedrali Triventina sint recitandi Psalmi graduales, poenitentiales ac Officium defunctorum in diebus praescriptis a rubricis Breviarii?

S. C. C. resp.: Dentur decreta.

Die 18. Julii 1711.

Canonici extra chorum Officium persolventes non tenentur ad Psalmos graduales, ad Officium def., B. M. V. etc. quae quidem Officio sunt onera tantummodo ex praecepto implenda in choro. n. 4119 ad 9 die 2. Septb. 1741.

Canonici Colleg. montis s. Firmanae dioec. non esse cogendos ad recitationem in choro psalmor. poenitent. et gradual. n. 4254 die 14. Junii 1755.

Canonici Cathedr. Nucerinae praeter solitum non potuerunt ab Episcopo adstringi ad recitandum in choro Psalmos grad., poenitentiales et Officium mortuorum. n. 813 die 11. Junii 1629.

Vd.: *Off. parv. B. V. M.* (approbatio.)

c) Tempus.

Vd.: *Officium* (ad quod oblig.; decr. n. 4874 ad 3); *Officium parv. B. V. M.* (Tempus; decr. n. 5148.)

2) Poenitentiales.

Vd.: *Psalmi grad.; Off. parv. B. V. M.* (praecipue, decr. n. 4631); *Extrema unctio Monialium.*

3) Recitatio.

Circa recitationem psalmorum servari Caeremoniale (lib. II. cap. I.). n. 837 die 26. Nov. 1629.

Vd.: *Psallendi modus.*

PSALTERIUM B. V. M.

Approbatio antiqui ritus orandi, qui Psalterium B. M. V. nuncupatur, cum indulgentiarum pro sic orantibus elargitione.

Sixtus IV. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ea, quae ex fidelium devotione, ad Dei omnipotentis et gloriosae V. M. laudem et gloriam pie ordinata sunt, ut firma permaneant, nostrae approbationis robore solidamus ac fideles ipsos ad devotionis opera exercenda indulgentiis et remissionibus libenter invitamus, ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores, maxime cum catholicorum principum id exposcit devotio et hoc conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sane, pro parte dilecti filii nobilis viri Francisci ducis et dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Margaritae ejus conthoralis, ducissae Britanniae, nobis fuit nuper propositum quod in ducatu Britanniae et pluribus aliis locis, crescente fidelium devotione, ab aliquo tempore citra, innovatus est certus modus sive ritus orandi pius et devotus, qui etiam antiquis temporibus a christifidelibus in diversis mundi partibus observabatur, videlicet, quod quilibet volens eo modo orare dicit qualibet die ad honorem Dei et B. V. M. et contra imminentia mundi pericula toties angelicam salutationem: Ave Maria, quot sunt psalmi in psalterio Davidico, videlicet centies et quinquagies, singulis decem salutationibus hujusmodi orationem dominicam semel praeponendo. Et iste ritus sive modus orandi Psalterium V. M. vulgariter nuncupatur.

§. 2. Unde dux et ducissa praefati, propter singularem et sinceram, quam ad ipsam B. V. M. gerunt, devotionem cupiunt ritum sive modum orandi praedictum ad obstruendum ora aliquorum detrahentium, per Sedem Apostolicam approbari. Quare, pro parte ducis et ducissae et aliorum fidelium plurimorum, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus ritum sive modum orandi hujusmodi approbare aliasque super praemissis opportune providere de benignitate appostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, tam ducis et ducissae quam aliorum fidelium piam devotionem in Christo habentium commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praefatum Psalterium sive modum orandi praedictum, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus illumque tolerandum fore ac cunctis fidelibus eo modo orare debere et licere decernimus et declaramus.

§. 4. Et ut omnes et singuli christifideles ad devotionis opera et praedicto modo orandum eo ferventius inducantur, quo exinde animarum suarum facilius salutem consequi speraverint, universis et singulis christifidelibus praefato modo orare volentibus, ubilibet existentibus, praesentibus et futuris, pro qualibet vice qua, sicut praemittitur, oraverint, pro qualibet quinquagena praefati Psalterii, quinque annos et totidem quadragenas indulgentiae misericorditer in Domino relaxamus, praesentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula loca in quibus illis opus esset, etc.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum, anno Incarnationis dominicae 1479, quarto, alias 7. Idus Maii, Pontificatus Nostri anno 8.

Datum die 12., alias 9. Maii 1479, Pontif. anno 8.

(Bull. r. t. V. p. 268. Ed. Aug. Taur. 1860.)

S. PULCHERIA.

(Lectiones.)

Vd.: *Lectiones de Scriptura occurr.*

Ad dubium: In Festo s. Pulcheriae in aliquibus Breviariis Lectiones primi Nocturni assignantur de Virginibus, in aliis de scriptura occurrente.

Quaeritur: quae sint recitandae, si in Breviariis ipsis nulla reperiatur concessio?

S. C. resp.: „Deficiente speciali concessione serventur Decreta in Santandarien. die 26. Jan. 1793 et in Valentia 19. Septb. 1801 nimirum: Lectiones de scriptura legendas.“ n. 4669 ad 48 die 12. Nov. 1831.

PULPITUM CONCIONATORIS

(Ornatus).

Pulpitum, ubi sermo recitatur in functione lotionis pedum in fer. V. maj. hebd., debet esse ornatum et non denudatum. 4395 ad 24 die 18. Dec. 1779.

Cf.: *Legile; Ambo.*

Ad dubium 1.: An fer. V. in Coena D., in qua post Completorium fit Mandatum vel lotio pedum et postea concionatur Fidelibus in hac Eccl. Cadicen., locus Concionatoris, vulgo *Pulpito*, ornari debeat, ut moris est, colore albo vel potius debeat esse nudus, absque ullo ornatu?

2.: An nocte feriae V. in Coena D., in qua concionatur Fidelibus Sermo de Passione D., locus Concionatoris, vulgo *Pulpito*, ornatus esse debeat colore nigro, violaceo, an potius absque ullo ornatu?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit

ad 1.: „Sine ullo prorsus ornatu.“
ad 2.: „Ut ad proximum.“

N. 5013 ad 1 et 2 die 14. Junii 1845.

Pulpitum, ubi sermo vel concio haberi solet, consentaneum est, pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt caetera paramenta, exornari.

Caer. Ep. l. I. cap. XII. n. 18.

Si Sermo habendus erit in laudem defuncti, Sermocinaturus ascendit pulpitum panno nigro coopertum.

Ibid. l. II. cap. XI n. 10.

PULVINAR

1) Abbatis in processione.

Cf.: *Genuflexorium Abbatis.*

Non licet occasione processionis SSmi in altaribus per viam erectis Abbati Monasterii s. Sepulchri Parmen. genuflectere super scamno cum tapete et pluvinari. n. 3729 ad 8 die 22. Aug. 1705.

Ad dubium: an Abbatibus Ordin. s. Benedicti Congreg. Militensis status Ragusini pontificalibus indutis et genua flectentibus in actu receptionis et restitutionis ss. Reliquiarum, quae per eosdem in processione deferuntur, sit permittendus usus ejusdem pulvini, quo in eodem actu utuntur tam Archiep. quam Episcopi Suffraganei?

S. C. resp.: Affirmative.

N. 4005 ad 3 die 24. Nov. 1731.

2) Archiepiscopi, Episcopi.

Vd.: *Genuflexorium Archiep.; Instructio Clemen.* §. XXIV. n. 3.; *Praes.* (cap. IV.); *Pluvinum; Stratum.*

Imposito incenso ad sedem redit Episcopus ad altare, ubi genuflexus super pulvino incensat SSmum.

Caer. Ep. l. II. cap. XXIII. n. 12.

Poterit (in Matut. tenebrarum) in sede Episcopi adhiberi pulvinar pro ejus commoditate, si voluerint.

Ibid. cap. XXII. n. 17.

3) Cleri inferioris.

Ad dubium: an liceat apponi tapete cum pulvinari ante pedes Praebendati celebrantis, etiam quando descendit, vertendo terga ad altare pro impositione Cinerum ac distributione candel. et palmar. et pro quacunque alia functione ecclesiastica?

S. C. resp.: Non licere.
N. 3987 ad 1 die 20. Aug. 1729.

Ad dubium: an liceat, etiamsi sequatur casus, quod Magistratus Civitatis vulgo Regidorcs utatur eodem tapete et pluvinari in iisdem functionibus?

S. C. resp.: Negative.
N. 3987 ad 2 die 20. Aug. 1729; n. 3994 die 9. Dec. 1730.

4) Dignit. et Canon.

Cf.: *Pulvinum; Stratum.*

Non competere Dignitatibus usum pulvinarium. n. 2274 ad 3 die 24. Maii 1664.

Non licere Archidiacono uti pulvinari serico sed corio tantum. n. 2514 ad 1 die 13. Sept. 1670.

Prima Dignitas Cathedr. Spolet. non potest uti in Litaniis cantandis pulvinari. n. 2967 ad 8 die 20. Septb. 1681.

Canonicus celebrans mitratus Cath. Panormitanae non potest uti pulvina ad pedes. n. 3052 ad 3 *die 22. Apr. 1684.*

Primicerio Collegiatae s. Joannis Neapolis in choro non debetur pulvinar ex pelle. n. 3430 ad 5 die 22. Junii 1697.

Praeposito et Decano Cathedralis Herbipolen. in choro et in aliis partibus ejusdem Ecclesiae nec non etiam in aliis Ecclesiis civitatis et dioecesis non licet uti pulvinaribus cum stratis seu tapetibus ex oloserico sive velluto, sed posse permitti pulvinar laneum coloris violacei. n. 3500 ad 1 et 2 die 22. Nov. 1698.

Non licet Canonico Cathedr. Burgi usus pulvinaris sub genubus in concello et in gradibus altaris Episcopo praesente. n. 3516 ad 1 die *4. Apr. 1699.*

Ad dubium: an Canonici Metrop. Urbini celebrantes praesente Archiepiscopo possint uti pulvinari pro genuflectendo?

S. C. resp.: Probetur consuetudo formiter. n. 3549 ad 2 die 23. Jan. 1700.

Ad dubium: an Canonico vel Dignitati Vesperas infra annum cantanti debeatur pulvinar et tapete ante ipsum?

S. C. resp.: Absente Episcopo juxta *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 3. debetur pulvinar et tapete pro hebdomadario Canonico. n. 3597 ad 7 die 10. Septb. 1701.

Non licet Canonicis in s. functionibus in Ecclesiis extra Cathedralem uti pulvinari. n. 4434 ad 2 die 27. Maii 1788; n. 4063 ad 4 die 3. Aug. 1737.

Non convenire sed debere tam Priorem quam Archidiaconum in choro in suo loco sedere sine strato, prout sedent alii Canonici; indulgendum tamen esse ratione Dignitatis, ut pulvinar tantum corium tam pro Priore quam pro Archidiacono apponatur. n. 451 die 24. Mart. 1612.

Non licet Canonicis usus pulvinaris sub genubus etiam praesente Episcopo in functionibus ecclesiasticis. n. 4585 ad 3 die 20. Apr. 1822.

Ad dubium: Utrum consuetudinis immemorabilis vi liceat Canonico celebranti uti pulvinari pro genuflectendo coram Archiepiscopo?

S. C. resp.: „Probetur formiter asserta consuetudo.“ n. 4672 ad 12 die 12. Nov. 1831.

5) Episcopi Titul.

Episcopo titulari in stallo supra omnes Dignitates et Canonicos in choro sedenti non debetur pulvinar sed illo se abstinere debet sicut abstinent Episcopi Canonici Basilicarum Urbis. n. 2648 ad 2 die 12. Aug. 1673.

6) Laicorum.

Vd.: *Genuflexorium Laicorum; Magistratus* (sedes); *Instructio Clem.* §. XXV. n. 8—10.; *Genufl. Gubernat.; Praes.* (cap. IV.); *Stratum laicor.*

Prohibendum sit Magistratui et Juratis civitatis Gerunden., ne uti valeant sedibus et pluvinaribus cum tapete tam in Ecclesiis quam in alio quocunque loco, in quo debent concurrere sive assistere Episcopus vel Canonici repraesentantes Capitulum. n. 3182 ad 3 die 12. Mart. 1689.

Idem decretum pro Magistratu Bituntino. n. 3307 die 18. Apr. 1693.

Non decere Gubernatorem Segorbicen. fer. V. et VI. maj. hebdomadae habere usum pulvinaris serici et nigri. n. 3895 die 5. Dec. 1716.

7) Vicarii gen.

Cf.: *Sedes Vicarii gener.*

Vicarium gen. Episcopi Trojan. sedere debere in choro in loco solito et sine pulvinari. n. 2329 die 20. Junii 1665.

Tam ipsum Archidiaconum quam Vicarium Benevent. uti debere pulvinari ex corio. n. 2534 die 24. Jan. 1671.

Nec pulvinar nec stratum deberi Vicario gener. Cathedralis Urbevetanae assistenti in choro, sed sedeat primus inter Dignitates et Canonicos. n. 4062 ad 5 die 3. Aug. 1737; n. 4662 ad 1 die 17. Julii 1830.

PULVINUM.

1) Dignit. et Canonicorum.

Cf.: *Pulvinar; Genuflex.* (quibus competit in Urbe?); *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 20); *Instructio Clem.* §. XXV. n. 10.

Ad dubium: An in eodem scamno Canonici celebrantes apponi possint pulvinum sericum vel potius laneum?

Et Emi P. S. eidem C. praepositi ... respondendum censuerunt ut infra, videlicet:

„Servandam esse praefati Caeremonialis dispositionem, sed adhibendum pulvinum vel laneum vel corium."

Atque ita responderunt et statuerunt. n. 4590 ad 6 die 17. Septb. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit, Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant.

N. 4590. Die, Mense, Anno, quibus supra.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Dubium hoc cum antecedenti conjungi potest eademque Caeremonialis dispositione utrumque dissolvitur. Ut in illo datur regula circa ornatum sedis seu scamni Celebrantis, ita in isto Celebranti pulvinum conceditur apponendum in sede alterumque in scamno seu genuflexorio, super quo ponetur liber. Quaestio igitur dumtaxat versatur circa pulvini qualitatem, de qua silet Caeremoniale: verum ex S. C. Decretis id facile colligi potest; nam hac super re propositis dubiis eadem S. C. aperte reprobavit damnavitque abusum adhibendum pulvinum sub genubus vel ad pedes Dignitatum et Canonicorum, ut in una *Panormitana 22. Apr. 1684,* in altera

Burgi s. Sepulchri 4. Apr. 1699; quoad vero pulvinum apponendum supra sedem seu scamnum Celebrantis, negando sericum corium tantummodo indulsit, uti in *Tudertina 24. Mart. 1612* et *in Panormitana 17. Septb. 1670,* parvum tamen interest, si non *corium* sed *laneum* sit, dummodo non sericum, quemadmodum S. C., huic dubio respondendo, sancivit.

2) Episcopi.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 3. 5.; *Praeses* (cap. IV.); *Veni Creat. Spir.* (genufl.)

Et rursus (imposito thure) genuflexus super pulvino incensat Episcopus SSmum *(in Parasc. ad altare SSmi).*
Caer. Ep. l. II. cap. XXV. n. 31.
Deposito velo (ad altare maj.) genuflectit Episcopus super pulvino.
Ibid. n. 32.

Episcopus assist. (in Parasc.) genuflectit super pulvino (ante altare SSmi), iterum surgit .... rursus genuflexus super pulvino incensat SSmum.
Deposito velo (ad altare maj.) Episcopus genuflectit super pulvino ...
Ibid. cap. XXVI. n. 14. 17.

Imposito incenso Episcopus thurificabit genuflexus super pulvino SSmum (antequam incipiat process. ss. Corp. Christi.).
Ibid. l. II. cap. XXXIII. n. 19.
Deposito velo genufl. Episcopus super pulvino in infimo gradu altaris.
Ibid. n. 26.

PUNCTANDI.

Punctaturae dari debent interessentibus, licet ex Decreto Episcopi applicandae essent aliis usibus, nisi adesset statutum in contrarium. S. C. E. 16. Junii 1617 apud *Nicol.* num. 7. et saepe alibi, ut refert idem *Nicol.* in Flosculis verb.: Distributiones sub num. 6.

Distributiones enim amissae a Canonicis absentibus accrescunt inservientibus, quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, non obstante. S. C. C. in Civitatis Castellanae 30. Apr. 1623 et in Nicien. 18. Nov. 1628 et saepe alibi apud *Nicol.* cit. verb.: Distributiones sub num. 6.

Canonici confabulantes in choro sunt punctandi et privandi distributionibus tamquam absentes. S. C. E. in Nucerina 7. Sept. 1591.

Canonici non interessentes Concioni tempore Quadragesimae possunt punctari, quia est defectus gravis et mali exempli. S. C. E. in Comensi 10. Maii 1580 et in Castellaneten. 20. Aug. 1602 et alibi, ut refert *Pignatell.* t. 5. consultat. 206. n. 61.

Canonici non possunt exire a choro, nisi petita venia Archidiacono sive Praesidenti per salutationem, sub poena punctationis. S. C. E. in Aprutina 18. Apr. 1616 et S. C. C. in Lunen. *Sarzanen.* 3. Junii 1702 ad 1.

Episcopus potest augere Punctaturas, quando servitium Ecclesiae negligitur. S. C. C. in Civitatis Castellanae 25. 1697 apud *Monacell.* tom. 1. tit. 2. formul. 4. n. 4.

Canonici in choro vel in Ecclesia Divinis Officiis interessentes sine habitu canonicali et superpelliceo debent punctari. S. C. R. in Lunen. *Sarzanen.* 3. Mart. 1633.

Ad colligendum servitium novem Mensium, quibus residere tenentur Canonici quolibet anno, non sunt colligendae Punctaturae, quasi ii, qui novem partes punctaturarum ex duodecim habuerint, servitium novem Mensium debeant satisfacere, sed ipsi dies residentiae et servitii, sive continui fuerint sive interpolati, numerandi sunt ad complementum dictorum novem Mensium. S. C. E. in Aqui-

lana 25. Septb. 1584 apud *Barbosa* de Canonic. cap. 26. n. 14.

PUNCTATOR et CONTRAPUNCTATOR.

1) Electio, Munus et Salarium.

Ad dubium: An electio Punctatoris facta per Archiepiscopum praeter alium a Capitulo electum stustineatur?

S. C. C. resp.: Affirmative et scribatur Archiepiscopo, ut omnes punctaturas reddat uniformes dispositioni S. C. T.

Die 27. Sept. 1732.

Punctator retinere debet librum in loco publico ibique deficientes adnotare ac librum ostendere cuicumque postulanti. S. C. E. in Pisaurien. 19. Nov. 1649.

Contrapunctator ejusdem Eccl. eligendus est, ut confrontatione, si opus sit, possint detegi fraudes. S. C. E. in Fundana 15. Febr. 1503 et in Licien. 18. Febr. 1602.

Compelli possunt Punctatores ad exhibendum librum Ordinario, non vero ad oretenus eidem quotidie significandum deficientes. S. C. E. in Castellaneten. 20. Aug. 1692.

Potest Episcopus cogere Canonicos ad praestandum Juramentum de fideliter punctando in choro. S. C. C. 17. Mart. 1619 apud *Barbosa* de Canonicis cap. 34. n. 20.

Punctatores, quorum electio spectat ad Capitulum, ut decrevit S. C. C. in Conversanen. 4. Decb. 1706, admonendi sunt, quod si conniventer praetermittunt punctare eos, qui juxta Ecclesiae et Collegii statuta punctandi sunt, tenentur de proprio restituere distributiones, quae accrescerent interessentibus; et ulterius graviter peccant, prout illos monendo tradit Episcopus Gravinen. in suo Tractatu, L'Ecclesiastico in Coro cap. 27. n. 33. his verbis: „Or se nondimeno i Puntatori per riguardi umani d'affetto, timore, speranza, o qual altro sia, tralasciano di puntare i difettanti, vengono ad essere ladri sfacciati, perchè levando palesemente l'emolumento a chi tocca per ragione di accrescimento, o per altro titolo, lo damno a chi per legge non tocca; Oltre di che si rendono egli stessi rei del disservigio dio Dio sul punto geloso del Divino suo pubblico culto, ed il loco peccato viene a contrarre certo che del grande coram Deo cotanto da lui detestato in quei suoi Ministri, i quali retrahebant homines a Sacrificio Domini." Sic apud *Monacell.* tom. 4. supplement. ad 1. t. n. 148.

Poena Censurarum imponi non debet non restituenti damnum ex omissione punctandi, sed carceris ad triennium et similium. S. C. E. in Castellaneten. 21. Aug. 1602 apud *Nicol.* in Flosculis verb.: Punctator. n. 6.

Salarium debetur Punctatoribus. S. C. E. in Meliten. 16. Apr. 1602 apud *Nicol.* l. c. n. 5.

Vd.: *Chorus* (egressus, absentia); *Missa* (tempore chori); *Punctat. (Cass.)*

2) Persona.

Ad dubium: An Punctator chori possit esse Capellanus amovibilis ad nutum Capituli?

S. C. resp.: Punctatores convenit esse de gremio Cathedr. et residentes in choro.

N. 3597 ad 17 die 10. Sept. 1701.

PUNCTATURA

Presbyteror. in choro interess. fierine debeat?

Vd.: *Chorus; Distribut.; Fructus; Officium* (Oblig. etc.); *Punctandi.*

Nullius Fasani.

(Conc. Tr. cap. 3. sess. 22.; cap. 12. §. *Praeterea* sess. 24. De Ref.)

In Ecclesia Matrice receptitia adscripti sunt quadraginta Sacerdotes,

qui destinatis hebdomadis choro intersunt, omnibusque praeest Prior et Curatus Ecclesiae. Ex antiqua consuetudine et decretis in s. visitatione factis anno 1660 ab apostolico visitatore, absentes et tempore statuto non intervenientes choro punctantur. Parochus seu Prior praetendit, immunem esse a punctaturis, si absit a choro et residentia ad bimestre tempus ex facultate ab ordinario sibi concessa juxta disposita in cap. 1. sess. 23. de Reform. E contra nonnulli ex sacerdotibus adscriptis admittunt quidem parochum non esse punctandum, cum munia parochialia exercet et si absit vel ratione malae valetudinis aut alia de causa legitima et a jure approbata, secus autem si propter sua privata et domestica commoda, eo quia Concilium indulgeat parochis, ut ad duos menses abesse possint, non autem ut lucrentur distributiones aut punctari non debeant in Ecclesiis collegiatis sive receptitiis, in quibus ultra animarum curam etiam choro inserviunt; quare monito procuratore parochi dignentur EE. PP. definire:

An Prior et Curatus Ecclesiae Fasani in casu absentiae a choro etiam ex facultate sibi ab ordinario concessa pro tempore a Concilio permisso punctari debeat?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 28. Nov. et 12. Dec. 1716.

Nepesina.

(Conc. Tr. cap. 3. sess. 21.; cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Canonici Cathedralis Ecclesiae Nepesinae ultra Praebendas fixas, quas eorum quilibet obtinet, habent pariter quaedam legata pia cum oneribus missarum ex diversis Testatorum relictis, quaeque distribuuntur inter eosdem Canonicos pro rata, quorum emolumenta exiguntur per Camerarium Capituli et in fine anni erogantur etiam pro rata iisdem Canonicis missas celebrantibus, retenta tamen ex iisdem emolumentis piorum legatorum favore Interessentium ea quantitate Punctaturarum, quas Canonici absentes a servitio d. Ecclesiae omittere solent, eo quod supponatur in eadem Ecclesia non fuisse adhuc separatam juxta S. C. cap. 3. sess. 21. tertiam partem fructuum Praebendarum convertendam in distributiones quotidianas. Porro Bonaventura Pisanus et Theodosius Ciaglia Canonici ejusdem Cathedralis obtinuerunt jam ab hac S. Cong. Indulta respective abessendi a propria residentia causa Studii, nulla tamen in eisdem Indultis facta mentione perceptionis fructuum sive distributionum; nihilominus praetensionem excitarunt, eos uti Privilegiatos non esse subjectos memoratis Punctaturis, quibus subjici solent reliqui Canonici absentes, neque praedictas Punctaturas detrahi posse ex fructibus d. legatorum piorum vel Praebendarum; hinc recurrerunt ad hanc S. C. pro declaratione. Requisitus de more Episcopus Nepesinus informare pluribus praemissa comprobavit et adversus Canonicos Oratores Votum suum promere videtur, uti latius ex relatione danda in summar. Concordatis itaque infrascriptis dubiis cum Procuratore Capituli in Curia exorarunt hodie EE. VV. ex hinc inde deducendis decidere:

I. *An dicti Canonici Ecclesiae Cathedralis absentes causa studii teneantur solvere Punctaturas?*

Et quatenus affirmative;

II. *an dictae Punctaturae trahi possint ex fructibus legatorum piorum?*

S. C. C. resp. *ad I.:* Affirmative;

ad II.: Pro praeterito affirmative et in futurum Episcopus provideat

detractionem punctaturarum ad formam Concilii.

Die 18. Julii et 8. Aug. 1711.

Cassanen.

In civitate Maratheae reperitur parochialis atque receptitia Ecclesia sub titulo s. Mariae Majoris erecta, cui praeter Archipresbyterum animarum onus sustinentem modo adscripti sunt sexdecim Presbyteri, ut ajunt, Participantes, quorum decem in eadem Ecclesia missarum anniversariarum atque collectarum onera adimplent sub certo stipendio a piis Testatoribus relicto, ceteri vero consimilibus satisfaciunt oneribus in filiali Ecclesia sanctissimae Annunciatae, ubi ad majorem populi commoditatem retinetur Vicarius seu Capellanus Curatus, ut memorato Archipresbytero in Sacramentorum administratione auxiliariam opem praebeat.

Episcopus in Pastorali Visitatione sub annum 1732 per acta animadvertens servitium dictarum ecclesiarum a praefatis Presbyteris cum populi scandalo negligi, voce tenus eis praecepit, horas canonicas ibidem singulis diebus festis de praecepto una cum Missae Conventualis celebratione persolvere necnon Exequiis sacrisque processionibus interesse, subindeque, ne idipsum negligeretur, volens certam Punctaturae methodum statuere, de scripto mandavit: „ut Punctatores duo e Clero eligantur eodem die, quo Punctatores fieri consueverunt, quorum Punctatorum unus semper choro interesse debeat, qui omnes juramentum praestare debeant de fideliter ejusmodi munere obeundo in manus Illustrissimi Domini aut eo absente illius Locumtenentis, qui profecto Punctatores, posthabitis omnibus humanis affectationibus ac mundi legibus Deo adversantibus singulis diebus in libris ad id specialiter deputatis fideliter notent defectum omnium illorum, qui choro, processionibus aut Exequiis interesse debent, idque sub poena suspensionis, sine quorum Punctatorum interventu aut non lectis Punctatorum libris, non possint Cellararii aut Punctatores aliive, ad quos spectat, distributiones sacerdotibus aliisque interessentibus partiri sub poena Cellarariis aut Procuratoribus suspensionis in casu contraventionis, quod si aliquando contigerit, Punctatorem choro non interesse, tum per antiquiorem Sacerdotem, qui choro intersit, ejusmodi Punctatoris munus cum eadem fidelitate ac sub eadem poena expleatur."

Ad normam hujus Decreti die 15. Aug. 1732 in Ecclesia s. Mariae Majoris deputatus fuit Punctator Blasius Antonius Jaconianus, in Ecclesia vero Sanctissimae Annunciatae Jacobus Sisannus illius Capellanus Curatus, subindeque, defuncto praedicto Blasio Antonio maj. pars dictorum Sacerdotum, aliis Punctatoribus ab Episcopo electis, sub jurisjurandi religione ad enuntiati Decreti observantiam sese obstrinxit.

Verum quia septem ex praedictis Presbyteris detrectantes huic Episcopi Decreto obtemperare sub obtentu, quod pro Divini Officii recitatione eis injuncta nullum percipiant emolumentum, interjecta appellatione, recursum habuerunt ad S. Cong., excitatus proinde Episcopus, confirmata facti serie mox descripta, ut sui Decreti justitiam tueatur, exponit: primo, quod in Synodo sub annum 1657 a Gregorio Caraffa tunc temporis Episcopo Cassanensi habita cap. 3. tit. 2. de Divin. Offic. ita sancitum fuit: „Omnes et singulos supranumerarios vel non participantes de Massa communi ad interveniendum choro in Vesperis, Missis Conventualibus singulis Dominicis et festo de praecepto teneri volumus; deficientes punctentur et ad Nos vel nostrum Vicarium Generalem denun-

cientur per parochos seu Procuratores, ad quos spectat, ut pro modo culpae puniantur.“

Deinde, ut probet juxta antiquissimum suae dioecesis morem omnes Participantes Divina Officia in parochialibus Ecclesiis quolibet die persolvere consuevisse sub certa pecuniarum mulcta Presbyteris absque justa causa absentibus infligenda, profert nonnullorum Testium depositionem nec non duo decreta, quorum alterum ab Episcopo de Magistris editum in visitatione anno 1695 expleta sic habet: „Cum ad majorem Dei gloriam, animarum salutem et hujus Civitatis tanto honorifico et exemplari Clero illustratae splendorem Divini Officii recitatio in choro Archipresbyteralis Ecclesiae multum conferat, mandamus omnibus et singulis sacerdotibus in illo interesse, cum sua est hebdomada, sub poena duorum assium vulgo grani pro qualibet deficientia retinendorum a Procuratore R. Cleri ex distributionibus quotidianis cum hac conditione, ut illa rata dividatur et hujus Decreti observantiam curabit R. Locumtenens episcopalis.“

Postremo subdit, memoratos Presbyteros satis pingui reditu provisos esse ita, ut de asserto onere injuste conquerantur, quippe qui percipiunt omnes oblationes, quae die Sabbati s. colliguntur, itidemque participiant ex decimis ad quadringenta frumenti modia annuatim ascendentibus absque ullo alio onere, quam sola assistentia in choro diebus festis de praecepto, necnon septingentos et quinquaginta numos aureos circiter cum solo onere Missarum 3750, ac emolumenta ex processionibus et defunctorum funeribus obvenientia lucrantur.

Adversus haec respondent iidem septem Presbyteri, omnia Decreta tam in Synodo quam in visitatione edita loqui dumtaxat de Ecclesiis, quae pro servitio chori et Divini Officii recitatione annuos reditus destinatos habent, eorum autem Ecclesiam, cujus annui reditus caeteraquin, ut asserunt, tenues Missarum, anniversariorum et collectarum aliorumque onerum implemento addicti reperiuntur, afficere nequeant; minusque eos obligare praefatum Decretum Episcopi de Alagistris, quippe qui postmodum ad preces Cleri ejusdem Ecclesiae declaravit, praemissum Decretum *remanere de Consilio absque poenis ex causis ei benevisis,* indeque factum esse, ut deinceps memoratus Clerus, solo propriae pietatis impulsu, nulla a Presbyteris absentibus exacta poena, Divinum Officium in choro *diebus festis* hucusque recitare consueverit.

Ceterum, quia authumant se non posse ad controversum onus compelli, tametsi dictae Ecclesiae servitio in Ordinum susceptione fuerint adscripti, ad hanc rem spectant plura Decreta tam hujus S. Cong. quam alterius Episcoporum et Regularium negotiis praepositae, quae referuntur a *Monacell.* formular. legal. tom. 1. tit. 1. n. 22. et seqq. et tom. 2. tit. 15. form. 4. a n. 4. ad 7., *Pignatell.* tom. 3. consult. 56. et alia adducta fuere in folio Congr. habitae die 10. et 24. Jan. 1733 in una Alexanen. Servitii Ecclesiae lib. 83. Decr. p. 5 et 35.

Definiendum itaque erit:

An Ordinationes promulgatae ab Episcopo super servitio chori et Ecclesiae una cum Punctaturis contra Sacerdotes Participantes Cleri s. Mariae Maratheae sustineatur in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius.

Die 18. Junii et 20. Aug. 1735.

Firmana.

Ecclesia s. Bartholomaei Oppidi Murri Vallium sub annum 1586 Collegiatae nomine fuit decorata, institutis in ea

Praeposito, qui caput esset Collegii, novem Canonicis, tribus Mansionariis ac tribus itidem Clericis, quos chorales appellant, eorumque singulis adsignati fuere annui reditus, Praeposito quidem scutorum centum supra viginti, Canonicis sexaginta, Mansionariis triginta et Clericis quindecim, iisque omnibus tributa etiam fuit potestas condendi statuta pro felici Ecclesiae regimine ab Ordinario tamen probanda. Dum hujus Ecclesiae Sacram visitationem perageret sub annum 1607 Firmanus Antistes, decrevit, ut Clerici in divinis Officiis ad Antiphonas, Versiculos, Invitatorium et Responsoria praesto semper esse deberent, unusque ex illis Missae Conventualis celebrationi ministerium praestaret; hanc porro Missam solemnibus quibusque diebus Praepositus, aliis vero diebus dominicis ac festis, servata Ecclesiae consuetudine, Canonicus hebdomadarius caneret, duoque ex Mansionariis et Clericis Officium Diaconi atque Subdiaconi explerent iidemque pluvialibus induti adsisterent in solemnibus Vesperis. Denique jussit, eum, qui muneri suo deesset, punctatura mulctari.

Quid punctaturae nomine deinceps statutum fuerit, ignoratur. Constat tamen probatam fuisse sub annum 1659 a Clar. Mem. Cardinali Gualterio tunc temporis Firmanae Dioecesis Praesule auctionem ejus Punctaturae a Capitulo s. Bartholomaei decretam ad summam usque obulorum viginti, quorum media pars beneficio Sacristiae cederet, altera vero tribueretur ei, qui Canonici vel Clerici deficientis munia exsolveret. Eamdemque poenae praescriptionem confirmavit modernus Archiepiscopus occasione sacrae visitationis.

Audiens vero postea idem Archiepiscopus non parum neglectam fuisse observationem eorum, quae de Officio Diaconi et Subdiaconi pridem sancita erant, illam denuo praecepit in posteriori alia visitatione „moderando tamen (sunt verba Decreti) punctaturam duorum Juliorum ad unum Julium pro Diaconis persolvendum ab illis, qui suo munere non funguntur, etiamsi id proveniat ex defectu Ordinis, dummodo deficiens sit in legitima aetate ad illum suscipiendum constitutus, idque retineatur ex distributionibus et interim Capitulum statim tantumdem extradat ei, qui supplet in hujusmodi Altaris Ministerio. Quod si Mansionarius, cui Officium Diaconi, aut Clericus choralis, cui Officium Subdiaconi contingit, careat Ordine ex defectu aetatis et caeteroquin Divinis Officiis intersit, tunc Capitulum ex reditibus Sacristiae solvat dictum Julium supplenti in Officio Diaconi et dimidium supplenti in Officio Subdiaconi."

Solemnia item Sacra, quae in praedicta Ecclesia Collegiata s. Bartholomaei antea celebrari consueverant, peculiari edito in eadem visitatione decreto contraxit ad minorem longe numerum, ita ut imposterum neque vespertina Officia canerentur in festis s. Mariae ad Nives et Montis Carmeli, neque solemnis ritus amplius adhiberetur conficiendis Sacrosanctis Altaris Mysteriis in diebus Nativitatis s. Joannis Bapt., Dedicationis s. Michaelis Archangeli, Sanctissimo Rosario atque Adventui Domus Lauretanae sacris, necnon tertiâ et quartâ feria majoris hebdomadae atque in pervigilio s. Bartholomaei Ap. principalis protectoris et praeterea cantus omitteretur in utrisque Vesperis dictorum dierum s. Joannis Bapt., s. Michaelis Archangeli, Festivitatis Rosarii et B. V. Lauretanae celebritati dicatorum, tum etiam in primis Vesperis Inventionis Sanctissimae Crucis et s. Sylvestri ac in secundis s. Annae et ss. Innocentium.

Aegre tulerunt Canonici, per gemina isthaec Archiepiscopi decreta immutatam fuisse Punctaturarum legem ac

redituum Solemnitatem. Ad eorum itaque preces Sacrae huic Congr. oblatas jussus ille fuit super hujusmodi decretis eamdem S. Congr. instruere; is autem in sua Relatione significat plures ad se delatas jampridem fuisse quaerelas de immodico solennium Missarum numero deque nimis gravi punctaturae onere, rectius proinde sibi visum esse ait Collegiatam Ecclesiam s. Bartholomaei Ecclesiae Metropolitanae tamquam capiti conformare quoad morem celebrandi divina Officia, in eamque sententiam facilius venisse inspecta paucitate Ministrorum, ob quam experimento compertum est solennes Missas frequentius agi non posse quam in Metropolitana, ubi Ministrorum numerus adest longe major: „Tenuitas quoque (subjungit) non solum distributionum sed etiam praebendarum, quibus ii Ministri gaudent, me in hac animi sententia confirmavit; licet enim Mansionarii computatis omnibus scuta 30., ut in precibus habetur, percipiant, trium tamen Clericorum choralium unus quotannis percipit scuta 14., alter vero 13., tertius dumtaxat decem et haec quidem non solum cum onere residentiae sed etiam cum onere applicationis multarum Missarum; si autem his addatur excessiva punctatura pro solennibus Sacris, non inveniemus, quibus hujusmodi beneficia conferre possimus ac praesertim Clericatus chorales; hos enim Adolescentes non accipient in spem ordinationis suae, si, antequam per aetatem ordinari possint, ad quodlibet solenne Sacrum Julium unum solvere debeant. Quia vero sine stipendio non inveniebatur, qui suppleret, propterea decrevi, quod durante defectu aetatis ex reditibus Sacristiae, cui punctaturae cedunt, suppleatur stipendium ministranti in Officio Diaconi vel Subdiaconi."

Pertendunt e diverso Canonici, retinendum omnino esse veterem morem in eorum Ecclesia receptum sive quoad solennem Divinorum Officiorum celebrationem sive quoad punctaturae modum, quoniam id postulet conservandi et majoris et exactioris divini cultus ratio, tum etiam vis ac natura peculiaris ejus Ecclesiae consuetudinis, quae alteri in Ecclesia Metropolitana vigenti sit anteferenda; neque consuetudinem hanc, sive in se ipsa spectetur sive habita ratione redituum, quos Mansionarii et Clerici percipiunt, adeo gravem esse existimant, ut eam aliqua in parte laxari oporteat, nec etiam putant adeo tenues esse eorumdem Mansionariorum et Clericorum reditus, ut aliquam antiquae obligationis remissionem expostulent, quum praeter certam fructuum quantitatem, scutorum nempe triginta singulis Mansionariis et scutorum quindecim unicuique ex Clericis attributam, emolumenta quoque adsint distributionum quotidianarum per annum inter Inservientes ita partiri solita, ut ab transacti decennii tempore (quemadmodum ex libris capitularibus id apparere testatus est publicus quidam Notarius) quotannis Mansionariorum cuilibet scuta quinque obveniant et major etiam quandoque summa.

Nullo denique pacto ferendum illud esse inquiunt, ut quoties ex Mansionariis vel Clericis aliquis ob defectum aetatis Sacris Ordinibus insignitus non sit ac Divinis Officiis intersit, non ipse sed Sacristia mercedem ei praebere teneatur, qui deficientis loco sacrum Ministerium adimpleat, quum ad id potissimum instituta sint beneficia isthaec Mansionariorum et Clericorum, ut isti fungantur munere Diaconi atque Subd., ac praeterea Sacristiae reditus vix ac nec vix quidem pro impensis sacrarum supellectilium sufficiant.

Itaque dispiciendum erit ab Eminentissimis Patribus:

An Decreta facta per Ordinarium Firmanum in ultima visitatione Collegiatae s. Bartholomaei Murri Vallium super reformatione tabellae Missarum solennium et diminutione punctaturarum Mansionariis et Clericis non assistentibus eisdem Missis et Vesperis, nec non suppletionis dictarum punctaturarum ex reditibus Sacristiae quoad Clericos ad Sacros Ordines non promotos sustineantur in casu?

S. C. resp.: Negative in omnibus.
Die 22. Junii 1743.

PURIFICATIO B. V. M.

1) Alleluja, Gloria.

Monasterio Rivipullensi conceditur, ut in ejus Ecclesia cantetur Alleluja et hymnus Angelicus in festivitate hypapanti (sive in festo Purificationis beatae Mariae) etiamsi ea inciderit post Septuagesimam.

Benedictus Episcopus servus servorum Dei, dilectissimis in Christo filiis ad festivitatem Hypapanti Domini in coenobio Sanctae Dei Genitricis convenientibus salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam omnis universalis Ecclesiae nobis, quamvis immeritis, commissa secundum Deum credimus fore regimina, idcirco justis nos quorumcunque fidelium convenit annuere votis et ab inde cunctis emanare profectum, unde totius acceptum religionis constat exordium. Quapropter innotescimus caritati vestrae, quoniam adiens nos dilectissimus filius noster Oliba coenobii Ripollensis abbas zelo divino et beatae Virginis Mariae ductus amore, suppliciter petiit, ut, si praedicta festivitas evenerit, postquam dimissa fuerit Alleluja, illa eadem die cantetur cum Gloria in excelsis Deo in solo praefato monasterio, sibi daretur licentia. Cujus precibus nobis annuere libuit concedimusque illi et suis in perpetuum successoribus Alleluja, si jam abstiterit, hymnum quoque Angeli, cum est canendum. Quicumque igitur gaudiis hujus festivitatis in suprascripto loco studuerit interesse, sciat se donandum munere protectionis divinae et augmento benedictionis nostrae adjuvante Jesu Christo benignissimo Salvatore.

Anno 1013.

(Bull. r. t. I. p. 507. Ed Aug. Taur. 1857.)

2) Candelae defer. a Clero inf. Missam.

Dum inchoatur Evangelium, Episcopus et omnes capiunt suas accensas candelas usque ad finem Evangelii et iterum ad elevationem SSmi eas tenent accensas usque *post* communionem; *si vero fieret Missa de dominica*)* candelae neque ad Evangel. neque ad elevationem SSmi accenduntur.

Caer. Ep. l. II. cap. XVI. n. 17. 19.

Canonici et caeteri de choro, dum cantatur Evangel., accendunt candelas et illas accensas tenent usque ad finem Evang. et iterum ad elevationem usque *post* Communionem.

Ibid. cap. XVII. n. 6.

3) Bened. Candelar. a Capellanis Confraternit. peragenda.

Vd.: *Orator. publ.* (Functiones etc.)

Ad dubium: An liceat Capellano Confrat. Mortis loci Praedarii facere bened. et distributionem candelarum in Oratorio pro Confratribus et Sororibus in festo Purificat. B. V. M.?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 3. et 24. Sept. 1718.

---

*) Vd.: *Missale* (Correctio, dub. VIII.).

4) Benedictio in Ecclesia vel Capella Lauretana.

Benedictio candelarum in solemnitate Purificat. B. V. M. est facienda juxta solitum in *Ecclesia* Lauretana, non autem in s. Capella.

Resol. a Bened. XIV. die 28. Jan. 1720. (Bull. *ejusd.* t. II. Append. III.).

5) Celebrans missam bened. et distribuit candelas.

Vd.: *Benedictio palmar. cor. exp. SSmo; Episcopus Administr.* (Celebr.); *Confessar. Monialium; Purificatio B. V. M.* (Quis porrigit Celebr. etc.; Dignitas).

Absente Archiepiscopo benedictiones candelarum, palmarum et cinerum fiant per Celebrantem missam. n. 687 ad 3 die 12. Junii 1627.

Distributionem candelarum spectare ad Celebrantem non autem ad Vicarium. n. 1258 die 21. Aug. 1640.

Distribuentem candelas, cineres et palmas et similia teneri et obligatum esse celebrare solemniter in dictis functionibus. n. 1264 die 15. Septbr. 1640.

Hebdomadarii *celebrantis* munus esse benedicere candelas et caetera hujusmodi neque exemplum sumendum a Summo Pontifice, cujus supremae potestatis propria et specialis praerogativa existit semper et ubique benedicere, etiam praesente Celebrante. n. 1448 ad 7 die 16. Maii 1643.

Episcopum posse cogere etiam per censuras, ut, qui benedicit candelas, palmas etc., prosequatur etiam missam. n. 1663 die 22. Martii 1653.

Missa sol. ab eodem, qui benedicit candelas etc., semper celebrari debet. n. 3416 ad 2 die 30. Martii 1697.

Missas post ab Archipresbytero peractas benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum, omnino per eundem Archipresbyterum celebrandas. n. 1747 die 19. Decbr. 1654.

Candelarum distributionem in Ecclesia *Puteolana* die Purificationis ad *Cantorem* pertinere, cum eidem vigore decreti erectionis suae Dignitatis competat ea die missarum solemnia persolvere. n. 1991 die 14. Junii 1659.

Ad dubium: Utrum immemorabilis et universalis consuetudo a parochis servata, quin missam celebrent, benedicendi candelas, cineres, ramos etc. censenda sit legitima? S. C. resp.: Benedictiones, de quibus in precibus, peragendas esse per Celebrantem. n. 4838 ad 2 die 1. Sept. 1838.

Non licere Decano non celebranti candelas, palmas etc. distribuere, sed haec munera ad eum, qui solemniter celebret, in his functionibus spectare. n. 929 die 2. Aug. 1631; n. 1369 die 8. Febr. 1642.

Non licere Praeposito facere benedictionem candelarum etc., nisi cantet etiam missam talibus functionibus adjunctam. n. 1696 ad 2 die 7. Martii 1654; n. 1728 die 19. Sept. 1654.

Prima Dignitas pro Pontifice celebrans distribuit candelas, palmas et cineres capite detecto, et quod videatur, quid servetur in Basilica s. Petri, ubi repertum est, servari capite detecto. n. 649 die. 18. Julii 1626.

Dignitas prima distribuens candelas et palmas laicis stare debet capite detecto. n. 806 die 31. Martii 1629.

Celebrans, qui distribuit candelas, cineres et palmas, detecto capite distribuat. n. 2363 ad 15 die 13. Febr. 1666.

6) Celebrans sedet, dum Episcop. distrib. candelas.

Ad dubium: An Celebrans et Ministri debeant sedere vel stare capiti-

bus coopertis vel nudis, dum Episcopus distribuit candelas, palmas etc.? S. C. resp.: Debent sedere. n. 3786 ad 2 die 28. Apr. 1708.

7) Celebranti debent candelae.

De ceris, quas quis tenetur tradere in festo Purificationis B. V. M. pro publica distributione, ea pars, quae aliquando superest, non cedit in beneficium Ecclesiae sed illius, qui illam administravit. S. C. C. die 9. Maii 1719.

8) Dignitas celebrans.

Vd.: *Dignitas; Purif. B. V. M.* n. 5.

Ad Dignitates pertinet absente vel impedito Archiepiscopo candelas benedicere et distribuere in die Purificationis B. V. M. n. 110 ad 5 die 16. Jan. 1597; n. 4479 die 27. Mart. 1802; n. 4481 die 11. Sept. 1802.

Benedictiones candelarum, palmarum et cinerum absente vel impedito Episcopo ad primam Dignitatem, non autem ad Canonicum hebdomadarium pertinere. n. 406 die 21. Mart. 1609.

Ad primam Dignitatem absente vel impedito Episcopo spectare eique competere omnes functiones exerceri solitas ab Episcopo, quales sunt: Benedictio candelarum in die Purificationis B. V. M., Benedictio cinerum, palmarum et fontium, Absolutio mortuorum in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ... et aliae similes functiones episcopales. In quibus omnibus et aliis quibuscunque Praepositi praerogativis et praeeminentiis a Canonicis nullo modo molestari seu perturbari debere, immo ad dictas et similes sibi pertinentes functiones admitti debere mandavit S. R. C. quibuscunque non obstantibus. n. 421 die 30. Jan. 1610; n. 440 die 25. Junii 1611; n. 452 die 12. Maii 1612.

Benedictiones candelarum et palmarum et aliarum similium functionum, quae ad Episcopum praesentem pertinerent, eo absente vel impedito ad primam Dignitatem pertinere, *dummodo ipsa prima Dignitas postea etiam Missam cantet.* n. 483 die 1. Martii 1614; n. 485 die 15. Martii 1614; n. 725 2ie 26. Febr. 1628.

Si prima Dignitas, ad quam de jure festis solemnioribus missas et divina Officia celebrare spectat, eas celebrare aut noluerit aut non potuerit, *non posse* arbitrio suo alteri sibi viso Canonico aut Dignitati hujusmodi functiones *demandare*, sed in illis proximiorem Dignitatem succedere et deficientium vices ab aliis immediate succedentibus suppleri debere. n. 551 die 22. Jan. 1618; n. 1561 die 11. Aug. 1646.

Absente vel impedito Archiepiscopo, functiones, quas idem Archiepiscopus, si praesens esset, faceret, ad Decanum uti *primam Dignitatem,* privative quoad Capellanum ejusdem Ecclesiae, spectare; immo ipsius Decani deficientis vices ab aliis immediate succedentibus suppleri debere. n. 591 die 23. Jan. 1621; n. 820 die 20. Junii 1629; n. 998 die 1. Apr. 1634; n. 1013 ad 1 die 9. Dec. 1634.

Functiones episcopales, absente vel impedito Episcopo, ad Praepositum uti primam Dignitatem, *ac ipso absente ad ejus Coadjutorem* spectare; eorumque deficientium vices non ab hebdomadario sed ab illis immediate succedentibus suppleri debere. n. 597 die 8. Maii 1621.

Vd.: *Coadjutor Dignitatis.*

Non posse Archiepiscopum arbitrio suo functiones, quas ipse, si praesens esset aut non impeditus obiret, alteri bene viso Canonico aut Dignitati *demandare,* sed eas spectare ad primam Dignitatem; ejusque deficientis vices

ab aliis immediate succedentibus suppleri debere, neque allegatam consuetudinem, quatenus etiam probaretur, esse attendendam. n. 604 die 25. Sept. 1621.

Non posse Episcopum pro suo arbitrio praefata munia alteri demandare quam digniori, ordine successivo. n. 1013 ad 2 die 9. Dec. 1634.

9) Distributio cand. per domos.

Non tenetur Curatus distribuere candelas ultra interessentes processioni per domos parochianorum, stante, quod Rituale romanum ad hoc parochos non arctat. n. 949 ad 1 die 13. Martii 1632.

In festo Purif. B. V. M. non distribuantur nisi praesentibus in Ecclesia candelae benedictae et ad *aegrotos tantum* mittantur. S. C. E. 1581.

Candelae in die Purif. distribui tantum debent praesentibus, nullatenus absentibus et ne quidem Episcopo. S. C. C. 22. Septbr. 1736; 9. Febr. 1737.

Candelas non esse transmittendas ad aedes Saecularium sed recipiendas a populo in Ecclesia. n. 2444 ad 1 die 9. Junii 1668.

Ad dubium: An prohibitio ab Episcopo Satrianen. facta Clero et Ecclesiasticis circa distributionem candelae benedictae in die Purificationis non faciendam per domos saecularium substineatur?

S. C. resp.: Negative. n. 3930 ad 6 die 13. Maii 1719.

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (Celebrans etc.)

10) Ministri Canonicorum in distributione.

Presbyterum assistentem, Diaconum et Subdiaconum, Capellanos Beneficiatos *Canonico* cum Mitra candelas, cineres etc. distribuenti semper debere assistere stantes, discooperto capite. n. 1815 die 10. Martii 1657.

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (Ordo etc., Ministri).

11) Missa.

Si in dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae occurrat festum Purificat. B. V. M. (cum per rubricas generales transferatur) in Ecclesiis dictis B. Mariae sub alio titulo, scilicet Annunciationis, Missa sol. post processionem debet cantari non de festo Purificationis sed de dominica. n. 3701 ad 9 die 23. Aug. et 13. Sept. 1704.

Ad idem dubium resp. S. C. cum appendice: et si in Ecclesiis praecipuis erunt cantandae duae missae de dom. et de Purificatione, ac ubi tantum cantatur una missa, an fiat sine alterius commemoratione? S. C. resp.: Esse cantandam missam dominicae tantum nec faciendam esse commemorationem. n. 4055 ad 2 die 15. Sept. 1736.

Vd.: *Missale* (Correctio D. n. 20); *et p. 924 n. 21.*

12) Modus accip. candelas, palmas etc.

a) Clerus.

Vd.: *Genuflexio cor. Episcopo* (praecipue decr. n. 4595); *Purificatio B. V. M.* (Ordo accip.; Osculum cand; Quis porrigit Celebranti candelam?); *Osculum* (Modus etc.).

Ad dubium: An, quia saepius multi ex Canonicis in civitate Anagniae non sunt parati in recipiendis ab Episcopo candelis in Purificatione vel cineribus in fer. IV. Cin., debeant genuflectere vel solum se profunde inclinare?

S. C. resp.: Debere se tantum inclinare. n. 3555 die 8. Maii 1700.

Protonotarii Ecclesiae Seguntinae tenentur recipere candelas, palmas et cineres genuflexi cum osculo manus. n. 3649 die 28. Apr. 1703.

Item decretum pro hebdomadariis (Beneficiatis) Metropol. Neap. n. 4248 ad 2 die 7. Sept. 1754.

Dignior Sacerdos, ad quem spectat candelam, cineres et palmas Sacerdoti celebranti ministrare, debet ab eodemmet Celebrante supradicta accipere stans, non vero flexis genibus. S. R. C. 30. Aug. 1664.

Ad dubium: An in benedictione candelarum, cinerum et ramorum olivarum, sive Episcopus sive Canonicus celebret, teneantur participantes (Mansionarii, Portionarii ad chori servitium a Capitulo sine canonica institutione et episcopali auctoritate electi) Cathedralis Melphit. genuflexi et cum osculo manus candelam etc. recipere? S. C. resp.: Affirmative. n. 4595 ad 4 die 12. (10.) Apr. 1823.

Nota Gardell. ad hoc Decretum:

Si Portionarii longe inferioris sunt ordinis nec ullo modo cum Canonicis confundendi, debent omnino Caeremonialis Episcoporum legibus, quae discrimen ponunt, obtemperare. Clara autem est ejusdem dispositio relate ad benedictionem et distributionem candelarum, cinerum, palmarum; *ita cap. 17. num. 3.: Beneficiati vero seu Mansionarii et Clerici et caeteri omnes similiter bini accedent et genuflexi candelas accipiant, illas ac etiam manus Celebrantis deosculantes cap. 18. num. 13. Praelati et Canonici parati capiunt cineres inclinati, reliqui vero tam Clerici quam laici genuflexi: et cap. 21. num. 6., tunc incipit palmas distribuere Canonicis et aliis eodem ordine, prout de candelis dictum fuit.* Cur autem, dum clara res est, Melphitenses Portionarii renuebant genuflectere in recipiendo candelas, cineres et palmas ac Celebrantis manus osculari? Longe nobiliores censendi sunt Hebdomadarii Metropolitanae Neapolis, utpote qui priusquam a s. *Pio V.* ejusdem Clero unirentur, in propriis Ecclesiis *s. Salvatoris Stephaniae et s. Restitutae* sacra peragentes Officia aut Canonici nuncupati fuerant aut Canonicorum jura sibi tribuerant; nihilominus exortis dubiis: *an dicti Hebdomadarii in die Purificationis et in dominica Palmarum tenerentur candelas et palmas respective a Canonico celebrante accipere genuflexi atque ipsius manus deosculantes, sive potius stantes et inclinati tantum sine manus deosculatione? an in die cinerum tenerentur recipere cineres genuflexi seu potius stantes et inclinati?*

S. C. sub die 22. Decembris 1753 resp.: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam;* et reproposita causa die 7. Septbr. 1754 nedum stetit *in decisis* verum etiam adidit: *ad Emum Archiepiscopum, qui incumbat exequutioni Decretorum S. Congregationis, utendo juris et facti remediis.* Sed in re tam clara non est ulterius immorandum.

Prima Dignitas dat candelam Episcopo in festo Purificationis B. V. M. et statim Dignitati ante Vicarium gen. S. R. C. 14. Jun. 1608.

Dignior ille Canonicus pluviali indutus facit reverentiam altari et Episcopo, accipit ab eo candelam osculando illam et manum Episcopi reverenter... Canonici parati *non genuflectunt* ante Episcopum, quando capiunt candelas, sed tantum profunde inclinant; alii vero Ecclesiastici cum cottis et Laici *genuflexi* capiunt et manum Episcopi cum candela osculantur. *Caer. Ep.* l. II. c. XVI. n. 9. 11.

b) Laici.

Magistratus saecularis in accipiendo candelas, cineres et palmas genuflectere debet. n. 2637 ad 6 die

17. Jun. 1673; n. 4221 die 4. Sept. 1751.

Magistratus saecularis sive Jurati Majoricen. in actu receptionis candelae, cineris et palmarum tenentur genuflectere et facere debitam reverentiam Eiscopo, ut disponit Caerem. n. 2789 ad 3 die 13. Jun. 1676.

Sit servanda consuetudo Collegiatae Olphidae faciendi in festo Purif. B. V. M. praeter distributionem candelarum in altari etiam alteram mulieribus et populo in janua Ecclesiae post discessum Magistratus. n. 4403 ad 6 die 23. Jul. 1781.

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (Oblig. Laicor. etc.; Ordo accipiendi cand.); *Praeses* (c. V.).

Episcopus candelas, palmas etc. non dat mulieribus, quae a seniore Dignitate vel Canonico cum cotta et stola parato seorsim illas accipiunt. *Caer. Ep.* l. II. c. XVI. n. 10.

Interim (dum Episcopus distribuit candelas) aliquis de Capitulo, ad quem spectat, si Episcopo placuerit et sit consuetudo Ecclesiae, seorsim distribuit candelas minutiores populo utriusque sexus. *Ibid.* n. 12.

13) Obligatio benedicendi candelas.

Vd.: *Benedictio* (Jus, decr. n. 5050); *Confraternitas* (sub Parocho); *Oratorium* (missa) *et p. 924 n. 20.*

Non solum licere sed etiam fieri debere in Ecclesiis filialibus distributiones candelarum, cinerum et palmarum diebus tantum in Caeremon. praescriptis. n. 1208 die 31. Mart. 1640.

Ad dubium: An palmarum et candelarum benedictio in Ecclesiis non parochialibus celebranda sit diebus Purificationis et dominicae palmarum, S. C.: „Plurimum de prudentia Ordinarii confisa ejusdem arbitrio indulgendum dimisit.“ n. 2017 ad 2 die 22. Nov. 1659.

Capellanis seu Rectoribus Ecclesiae s. Joannis Bapt. sitae intra fines parochiae s. Angeli a Macerata terrae s. Severini licet missas votivas sol. celebrare, benedicere et distribuere populo palmas in die dom. palmarum candelas, cineres, oleum et panem pro devotione fidelium independenter a parocho et absque illius interventu. n. 3721 ad 3 die 9. Maii 1705.

14) Obligatio Laicorum accip. candelas.

Gubernator et Magistratus civitatis Brictinobrii cogi possunt remediis jure statutis, ut de manu Episcopi accipiant candelam, cineres et palmam. n. 4611 ad 8 die 5. Mart. 1825.

15) Octava.

Clerici Regul. Congreg. Theatinorum possunt quotannis die 2. Febr. Offic. Purif. B. V. M. recitare cum octava. Clemens X. In Constit. data 3. Aug. 1671, quae exstat in Bull. recentiss. ed. Romae t. 7. n. 75.

16) Officium.

Ad dubium: An in dioecesibus, in quibus in dominicis Septuag., Sexag. vel Quinquag. fit de Officio Purificat. B. V. M. in dominicis occurrente, debeant vel possunt Capuccini Galliae iis diebus recitare idem Officium cum sola commemor. et 9. l. dominicae in gratiam populorum ad Ecclesias eorum accedentium? S. C. resp.: *Negative.* n. 3710 ad 3 die 14. Febr. 1705.

17) Ordo accipiendi candelas.

a) Clerus.

Vd.: *Dignitas* (praeeminent.).

Quando Praebendae sunt distinctae, Canonici assistentes eligantur ex numero Diaconorum; et quod in rece-

ptione candelarum, cinerum et palmarum quilibet accedat ordine suo, hoc est primo loco Dignitates, deinde Canonici presbyteri, tum Diaconi et demum Subdiaconi; nec in praemissis habendam esse rationem assistentiae, licet quoad incensum et pacem ipsi Canonici assistentes, etiam ordine inferiores praeferendi sint caeteris omnibus etiam Dignitatibus. n. 196 die 23. Maii 1603.

Si Canonici sacris paramentis sunt induti, dum accipiunt candelas, et palmas, Vicarius generalis ratione paramentorum debet eis cedere locum digniorem et post omnes Canonicos paratos accipere candelam et palmam. In aliis actibus, quando Canonici *non erunt parati*, debet Vicarius primum locum obtinere immediate post Celebrantem. n. 351 ad 6 die 19. Maii 1607.

Vd.: *Vicar. gen.* (praec.).

Praecedentia non debetur Vicario generali in distributione candelarum, palmarum, cinerum et similium, quando Dignitates et Canonici sunt induti *sacris vestibus*. n. 964 die 17. Julii 1632; n. 1773 die 29. Jan. 1656.

Servandam esse regulam libri Caeremonialis, ut scilicet ante Vicarium et omnes alios, ille, *qui dat candelam Episcopo*, sit primus in accipiendo ab eo candelam. n. 382 die 14. Junii 1608. Confirmatum est hoc decretum die 9. Maii 1609.

In die Purificationis B. V. M. ad primam Dignitatem (assistentem cum pluviali) pertinet ministrare candelam benedictam Episcopo (Caer. lib. II. c. XVI.) et pariter in dom. palmarum ad primam Dignitatem pertinet ministrare Episcopo palmam benedictam (Caer. lib. II. c. XXI.). n. 523 die 28. Maii 1616; n. 1595 die 23. Maii 1648.

Archiepiscopus Rossanensis recepit candelas, palmas et cineres ab Archidiacono uti *prima Dignitate*, ut moris est; vult autem illam dare primo loco non Archidiacono sed Vicario generali. S. R. C. resp. ad favorem Archidiaconi. n. 609 die 31. Jan. 1626.

Dictum decretum habere locum non obstante quacunque contraria consuetudine. n. 922 die 5. Julii 1631.

Ad *Coadjutorem* primae Dignitatis spectare candelam dare Archiepiscopo, dummodo ipse Coadjutor eodem die missam cantet, alias non. n. 770 ad 2 die 28. Aug. 1628.

Post Archidiaconum (primam assistentem Dignitatem) successive assistentes Episcopo praeferendos esse et post Assistentes omnes alios paratos sacris vestibus; postea *Vicarium* generalem ante omnes alios indutos habitu canonicali; si vero praedicti Assistentes aliique Canonici erunt in habitu ordinario, post Archidiaconum et assistentes Episcopo, Vicario generali ante omnes alios haec munia competere. n. 922 die 5. Julii 1631.

Similiter (ut dignior Canonicus paratus, qui Episcopo dedit candelam) et alii Canonici parati ordine suo accipiunt candelas; post eos Magistratus et Officiales maj. civitatis, deinde alii Presbyteri, Acolythi et Clerici de Gremio Ecclesiae et Capellani Episcopi, cottis induti; demum alii nobiles civitatis, nisi adesset laudabilis consuetudo, ut Clerici *omnes* tam parati quam cum cottis acciperent candelas ante Laicos, quae servanda esset, et familiares ipsius Episcopi et alii de populo, quibus et quot Episcopus placuerit dare, *non tamen mulieribus*, quae a seniore Dignitate vel Canonico cum cotta et stola parato seorsim illas accipiunt. *Caer. Ep.* l. II. c. XVI. n. 10.

Ad dubium: An distributio cinerum, palmarum et candelarum peragenda sit ab Episcopo juxta prae-

rogativam et antianitatem Capitularium seu potius in distributione praeferendi sunt duo illi Canonici, qui assistunt in cappa?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4383 ad 5 die 12. Julii 1777.

Statim ipse Celebrans stans incipiet distribuere candelas, primo eidem digniori (qui dedit candelam Celebranti), deinde Diacono et Subdiacono paratis, si sint Canonici, mox aliis omnibus Canonicis per ordinem, qui *inclinati* a Celebrante candelas accipient, quas acceptas deosculantur. Beneficiati vero et caeteri omnes *genuflexi* candelas accipiant illas ac etiam manus Celebrantis deosculantes. *Caer. Ep.* l. II. c. XVII. n. 2. 3.

b) Laici.

Ad dubium: An Magistratus Terrae Montis Cassiani interessens in distributionibus candelarum, cinerum, palmarum et SS. Sacramenti immediate post Capitulum sit praeferendus caeteris Sacerdotibus et Clericis, qui non sunt de Capitulo?

S. C. resp.: Negative. n. 4338 ad 4 die 16. Dec. 1766.

Ad relationem Cleri Colleg. de Alicante, quod candelae et palmae prius dentur Juratis seu Magistratui loci et aliis Saecularibus ante Clerum inferiorem, S. C. resp.: Servari Caeremoniale (lib. II. c. XVI. n. 10). n. 1438 die 14. Mart. 1643.

Vd.: *Purificat.* (Ordo accip. etc. — *Clerus*).

Ad petitionem Cleri Oritanae, ut candelae et palmae prius Canonicis et *universo* Clero distribuantur, deinde Gubernatori et aliis de Magistratu, S. C. resp.: hanc vigentem consuetudinem esse servandam juxta Caerem. n. 1439 die 14. Mart. 1643.

c) Ministri.

Ad dubium: An Diaconi sacris vestibus induti primi post digniorem Cleri candelas et cineres recipere debeant?

S. C. resp.: *Negative, cum non sint Canonici.* n. 2082 ad 3 die 20. Nov. 1660.

Idem respondit S. C. die 18. Dec. 1660 cum appendice: expedire tamen, ut saltem diebus praedictis Canonici inserviant in Officio Diaconi et Subdiaconi; eo casu affirmative. n. 2083 ad 3 die 18. Dec. 1660.

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (Ministri etc. n. 10).

18) Osculum candelarum, palmar. etc.

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (modus accipiendi etc.).

Canonici Ecclesiae Colleg. s. Petri oppidi Massae Carrariae debent in distributione candelarum resp. palmarum deosculare candelam, palmam et manum abbatis ad formam Caeremonialis, cum inter Canonicos non sit alia Dignitas. n. 3615 die 11. Febr. 1702.

Vd.: *Osculum* (Modus); *Purificatio* (Quis porrigit etc.?).

19) Quis porrigit Celebranti candelam, palmam?

Celebranti per digniorem Sacerdotem de choro candelas etc. esse distribuendas; quaeritur: Quid si in choro existat Vicarius gen., qui non sit de gremio, an eidem competat distribuere Celebranti vel potius digniori praedicto? Et quid si contingat Vicarium ipsum non esse in Sacris? S. C. resp.: Spectare ad digniorem de Capitulo. n. 2954 die 7. Junii 1681.

Dignior ex Canonicis praebet Episcopo palmam pulchriorem osculando

palmam et manum. *Caer. Ep.* l. II. c. XXI. n. 6.

Dignior Canonicus paratus candelam pulchre ornatam et osculatam dat in manu Episcopi, quam pariter osculatur. *Ibid.* c. XVI. n. 8.

Primus Sacerdos de choro sive Vicarius sive Dignitas sive Canonicus candelam cum debita reverentia deosculatam dabit in manu Celebrantis. *Ibid.* c. XVII. n. 2.

Ad dubium: An dignior de Clero, a quo Celebrans in diebus Purificationis, cinerum et palmarum recipit candelam etc., debeat accedere ad altare cum stola, et an ipse debeat genuflexus sicut alii vel stans inclinatus recipere candelam etc. et osculari manum Celebrantis? S. C. resp.: Sine stola et cum genuflexione et osculo manus. n. 3710 ad 6 die 14. Febr. 1705.

Ad dubium: An prima Dignitas Collegiatae B. V. M. Olivae Vivamanensis, quae adhuc non est Sacerdos, in bened. candelarum etc. ministrare debeat Sacerdoti celebranti candelam etc. vel potius similes actiones ad secundam dignitatem Sacerdotem, praesente in choro supradicta prima Dignitate, pertinere debeant?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4469 ad 4 die 10. Sept. 1796.

Prima Dignitas dat candelam Episcopo in festo Purificat. B. V. M. et Episcopus det statim primae Dignitati ante Vicar. gen. S. R. C. 14. Junii 1608.

Dignior de Clero accedat ad Celebrantem stantem in suppedaneo eique candelam porrigat. n. 4236 die 22. Decbr. 1753.

Vd.: *Purif.* (*Modus* accip. etc. — Clerus, decr. 30. Aug. 1664; *Ordo* accip. etc. — Clerus, decr. n. 523).

20) In quibus Ecclesiis benedictio candel. facienda?

Vd. *p. 921. n. 13.*

Benedictio et distributio candelarum et palmarum regulariter potest fieri in omnibus Ecclesiis tam Colleg. quam Parochial., tam saecul. quam regular. S. R. C. 28. Apr. 1607.

21) Translatio.

Vd.: *Februarius; Purif. B. V. M.* (Missa).

Occurrente festivitate Purificationis B. V. M. in dom. *Septuagesimae* non fit Officium de Purificatione, nisi in Ecclesiis *titularibus (dedicatis* Purificationi). n. 461 die 1. Sept. 1612.

Festum Purif. B. V. M., quando occurrit in dominicis privilegiatis, nisi sit titulus Ecclesiae, quoad Officium et Missas in sequentem diem transferendum esse. n. 2961 ad 1 die 9. Aug. 1681.

Vd.: *Translatio festi 2. cl. in dom. privileg. cadentis,* decr. n. 4175.

Quando festum Purificationis occurrat in aliqua dominica 2. cl., ejus Officium transferendum est in feria 2. immediate sequentem quamvis impeditam, translato ab ea quocunque alio festo, ne continuatio Mysterii dominicae Incarnationis diu protrahatur. n. 4181 ad 2 die 7. Maii 1746.

Vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (ut festum privileg., decr. n. 4579 ad 5 *nota).*

Idem in *decreto generali* n. 4197 die 20. Julii 1748, sed cum clausula: *Quocunque festo etiam aequalis non tamen altioris ritus in eam feriam incidente.*

Ad dubium: Juxta rubr. Breviarii et S. R. C. Decreta festum Purificationis B. M. V., si inciderit in aliquam ex dominicis privilegiatis, transferendum est in fer. 2. tamquam in sedem propriam, translato quocumque festo

etiam aequalis non vero altioris ritus in eam incidente. Quaeritur: utrum in illis locis vel Ecclesiis, ubi die 3. Febr. occurrit festum dupl. 1. cl., festum Purificationis transferendum sit in diem 4. Febr. tamquam in sedem propriam vel ulterius transferendum in primam diem non impeditam?

S. vero C. rescribendum censuit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

N. 5151 ad 1 die 7. Sept. 1850.

Ad dubium: In festo Purificationis B. M. V. ante Missam legitur haec rubrica: ***Si hoc festum venerit in dominica Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, fit tantum benedictio et processio, et Missa dicitur de dominica, Missa autem festi transfertur ad sequentem diem.***

Quid nomine *sequentis diei* in hac rubrica foret intelligendum, nullum potuit exoriri dubium, donec dies 3. Febr. nonnisi a festo simplici fuit occupata. Ast postquam pro multis dioecesibus praedictae diei affigi coepit festum duplex vel semiduplex, tunc non immerito dubitatum fuit: utrum pro die sequenti intelligenda foret ipsa dies 3. Februarii, quamvis impedita: an potius prima dies post eam vacua a festo duplici vel semiduplici.

Cui dubio S. R. Congregatio, ut occurreret, generale decretum edidit Urbis et Orbis die 20. Julii 1748, quo ita cavit: ***Quando ejusmodi casus intervenerit, Officium Purificationis esse transferendum ad fer. 2. immediate sequentem, quocumque festo etiam aequalis non tamen altioris ritus in eam incidente.***

Et ita servandum mandavit, quando festum Annunciationis B. M. V. occurrat in dominica privilegiata. Quod si in hebdomada majori vel paschali, tunc Annunciationis Officium pari cum privilegio in fer. 2. post dominicam in albis voluit transferri. Atque hoc decretum generalibus calendarii romani rubricis adjici praecepit.

Quum itaque hoc decretum juxta mentem Sacrae Congregationis adjici debeat rubricis generalibus, quaeritur: an in praedicta Missalis Romani rubrica verba: „***in sequentem diem***" commutandae sint cum hisce verbis: ***In feriam secundam immediate sequentem, quocumque festo etiam aequalis non autem altioris ritus in eam incidente?***

S. C. R. resp.: Affirmative.

Eamdem ob causam quaeritur: An ante missam Annunciationis B. M. V. sit nova rubrica adjicienda, qua privilegium hujus festi annuncietur ad formam praecitati decreti Urbis et Orbis diei 20. Juli 1748?

S. R. C. resp.: Affirmative.

Quum autem idem privilegium et sub eadem clausula, ut generalibus calendarii romani rubricis adjiciatur, hoc vertente anno fuerit a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. decreto Urbis et Orbis diei 24. Maii tributum festo Conceptionis B. M. V., quaeritur: an similis rubrica huic quoque festo sit adjicienda?

S. R. C. resp.: Affirmative.

Die 25. Sept. 1860.

PURIFICATIO CALICIS.

1) Locus.

Vd.: *Calix.*

Ad dubium: An pro abluendis vino et aqua pollicibus et indicibus in secunda purificatione post communionem debeat Sacerdos e medio altaris versus cornu Epistolae recedere?

S. C. resp.: Serventur rubricae pro diversitate missae.

Die 22. Julii 1848.

2) Utrum existente penuria vini in purificatione calicis adhiberi possit tantum aqua?

Vd.: *Vinum* (pro purif. etc.).

PURIFICATORIUM.

1) Benedictio.

Purificatorium benedici non debet. n. 4526 ad 26 die 7. Sept. 1816.

2) Materia.

Vd.: *Paramenta* (materia, decr. n. 4563).

3) Quo loco ponendum?

Ad dubium: An purificatorium poni debeat super pedem calicis, dum praeparatur, vel potius super patenam?

S. C. resp.: Relinqui arbitrio Sacerdotis. n. 4526 ad 29 die 7. Septbr. 1816.

PURITAS B. V. M.

De ejus transl. vd.: *Maternitas B. V. M.* (decr. n. 4594, 5114); *Festum B. V. M. de Pace* (decr. n. 5182); *Rosarium* (transl., decr. n. 5213).

Romana.

Quum diversae circumferantur opiniones circa translationem Officii Puritatis B. M. V. Clero saeculari Urbis concessi, quin in decreto appareat facultas illud transferendi, quando dom. 3. Oct. pracpeditur alio Officio potioris ritus, S. R. C. de sententia requisita in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunata, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit: „In casu esse omittendum eo anno simili in occurrentia juxta decretum Lycien. diei 25. Sept. 1688 ad dub. III. ...“

N. 4769 die 8. Aug. 1835.

PYXIS.

1) Benedictio.

Vd.: *Bened.* (supellect.); *Vasa s.*

2) In Commun. fidel.

Vd.: *Communio; Pyxis* (Quando tegenda?)

3) Expos. SSmi in pyxide.

Vd.: *Velum SSmi; Completorium* (tempus, decr. n. 4534 *nota*); *Expositio SSmi publ., solemnis et privata; Genuflexio coram SSmo in pyxide exposito; Instr. Clem.* §. XXXVI. n. 2 etc., 11 — 26; *Pluviale* (In Expos. et Repos. etc.).

Ad dubium: An consuetudo in Expositionibus minus solemnibus in throno collocandi sacram pyxidem et deinde cum ea benedicendi populum possit licite observari, non obstantibus Ecclesiae prohibitionibus toties renovatis?

S. C. resp.: „Non esse locum.“

N. 4748 ad 4 die 23. Maii 1835.

Ad dubium: An Sacerdos, quando benedicit populum s. pyxide, debeat illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi humeralis, quemadmodum jubet Rit. rom. in delat. viatici, non tamen post viaticum, sed alia in occasione?

S. C. resp.: Deberi in benedicendo populo cum sacra pyxide illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi humeralis.

Die 23. Febr. 1839.

Ad dubium: Utrum expositio et benedictio cum ciborio absque thurificatione, quam ex opinato tantum *Gardellinus* (Instr. Clem. §. XXXVI. n. 25) post *Cavalerium* requirere videtur, et cum 4 solummodo luminibus pro more earundem Germaniae dioecesium celebrari valeat?

S. C. resp.: *Congruentius thurificationem adhiberi; quoad lumina vero saltem sex* accendendae sunt ex decr. S. C. Ep. et Regul. diei 7. Dec. 1602.

Die 7. Maii 1857 dub. XI. 6. *Limburg.*

4) Furtum.

Vd.: *Hostia* (furtum).

Fur pyxidis in ciborio, in qua servatur SS. Eucharistiae Sacramentum, spargens particulas in ciborio, bene et valide fuit ab Episcopo extractus ab Ecclesia, et causa remittitur ad s. Officium. S. C. Immun. in Lucana 2. Decbr. 1681 lib. 2. decr. Altov. p. 2290; et quatenus S. C. s. Officii renuat procedere in hac causa, Episcopus procedat ipse juxta suas ordinarias facultates. In eadem 23. Jan. 1682 lib. 3. decr. Altov. part. 8.

Fur pyxidis cum indecenti projectione SS. Sacramenti in Terram, mandante Sanctissimo, cum istud sit crimen laesae majestatis divinae et haeresis, consignatur a curia ecclesiastica, in cujus sortiis existit, Curiae saeculari condigne puniendus. Eadem S. C. Immun. in Syracusana 6. Aprilis 1692 lib. 1. decr.: Paul. p. 132. Et sic statuit etiam Innocentius XI. Constit. 1. incipiente: *Ad Nostri Apostolatus auditum.*

Mandatur Archiepiscopo, ut extrahat a loco immuni furem sacrilegum pyxidum a tabernaculo ac retineat in carceribus ecclesiasticis, etiam adhibita particulari custodia, conficiat processum ac transmittat. Eadem S. C. Immun. in Neapolitana 22. Jan. 1697 lib. 2. decr. Vallent. p. 71.

Furans vero pyxidem seu vas sacr. gaudet immunitate eccles., si tempore furti non extet in pyxide SS. Eucharistiae Sacramentum. Eadem S. C. in Squillacen. 26. Maii 1632 lib. 2. decr. Paul. p. 128.

Si quatenus constet particulas repertas apud furem sacrilegum non esse consecratas, fur restituendus est Ecclesiae, de rebus vero furto sublatis Episcopus disponat prout juris. Eadem S. Congr. Immun. in Eugubina 3. Febr. 1673 lib. 1. decr. Altoviti p. 895.

Fur rerum sacrarum et signanter pyxidis, sine tamen particulis, pacifice et quiete degens in loco furti gaudet Immunitate; sed annuente Sanctissimo condemnatur ad poenam extraordinariam exilii. Eadem S. C. Immun. in civitatis Castellanae 10. Junii 1681 lib. 1. decr. Altov. p. 2204.

Item furans in Ecclesia argentea et alia pretiosa B. M. V. oblata de rigore non privatur Immunitate, ex licentia tamen Sanctissimi potest puniri poena Triremium. Eadem S. C. Immun. in Placentina 21. Novbr. 1635 lib. 3. decr. Paul. p. 264.

5) Materia.

Sanctissimum teneri non debet in vasculis eburneis sed in pyxide argentea intus deaurata. S. C. Ep. die 26. Julii 1588.

Vd.: *Pyxis* (quando teg.?).

Praeparentur particulae in vase aureo vel argenteo saltem intus deaurato. *Caer. Ep.* l. II. c. XXX. n. 3.

6) Quando tegenda vel detegenda infra missam?

Portatur ad altare per Subdiaconum vas argenteum vel aureum cum multis particulis coopertum, quod Diaconus collocat ante crucem, et cum Celebrans dicit: *Suscipe etc.*, discooperit illud et aliquantulum elevat ac statim reponit super altare et cooperit; et cum Celebrans profert verba consecrationis, Diaconus illud detegit et post consecrationem cooperit. Dicto: *Indulgentiam etc.*, relicto cornu Epistolae Diaconus vadit ad cornu Evangeliae et capit . . . pyxidem coopertam et discooperit. Et Episcopus firmat se in medio altaris, illi renes vertens, ad cujus dexteram stat Diaconus cum

s. particulis, ad sinistram Subdiaconus cum patena. Finita communione Diaconus reposito vase super altare, si particulae remanserunt, illud cooperit et consignat alicui Presbytero parato cum stola et cotta seu pluviali, qui illud sub baldachino, si commode fieri potest, praeeuntibus Clericis cum intortitiis et aliquibus de Clero comitantibus portat ad locum, ubi asservatur SSmum.

Caer. Ep. l. II. c. XXIX. n. 3. 7.

Q.

QUADRAGESIMA.

I. Dominica.

Vd.: *Patronus civitatis* (decret. pro civitate Brixien.): *Dominicae.*

QUADRAGINTA MARTYR.

Assignandam esse *certam* sedem Officio quadraginta Martyrum, diem scilicet 10. Martii, idemque in novis Martyrologiis canendum. n. 2013 ad 3 die 22. Nov. 1659.

Quid mutandum in missa de ss. MM.? vd.: *Missale* (Correctio D. n. 21).

QUAESTUATIO

1) Confraternitatum.

Ad dubium: An PP. Carmelitae Aquen. possint quaestuationem facere pro Confraternitatibus in eorum Ecclesiis erectis?

S. C. resp.: Negative.

Die 19. Maii 1708 ad V.

2) In Ecclesia.

Vd.: *Pauperes; Stipend.* (quaestuatio in eccles.).

Eleemosynas peti per Ecclesiam, dum Divina celebrantur Officia, prohibuit *S. Pius V. Constit. 5. §. 5.*, et *Clemens XI.* injunxit prius Praedicatoribus in Quadragesima anni 1703, ut populo annunciarent, majoris esse meriti sibique gratius non dare eisdem eleemosynas in Ecclesiis sed vel in januis earumdem vel alibi. Deinde vero intelligens adhuc continuari tales abusus die 11. Julii 1703 fecit promulgari et affigi in solitis locis Urbis et in Ecclesiis tam saecul. quam reg. sequens edictum: „Riconoscendosi, che tutto cio non sia stato bastante ad impedire le suddette questuazioni, la Santita di N. Signore etc. espressamente proibisce a tutti i fideii dell' uno e dell' altro sesso di qualsivoglia stato, grado e condizione, il dare limosina di qualsivoglia somma, benchè tenuissima à Mendicanti in qualunque tempo dentro le Chiese, avvertendo che quelli che in esse faranno à poveri la limosina, non solamente per cagione delle sopra espresse circostanze, non faranno atto meritorio, ma faranno positivamente colpevoli, per avere benchè indirettamentè cooperato all' irriverenza delle Chiese, ed ai disturbi e distrazioni delle preghiere, ed orazioni de' divoti, ed anche per aver trasgredito li premurosi comandamenti di S. Sandita, che hanno per unico oggetto la riverenza, il decoro e la qiete che per divin precetto sono dovuti ai Sagri Tempi.“ Quod fuit confirmatum in Edicto Card. Carpinei Urbis Vicarii 20. Jan. 1705 §. 8. in

fine, ut refert per extensum *Monacel.* tom. 2. tit. 13. fol. 34. primae impress. Romae, ibi: „Siccome anche è l'intenzione di N. S. dichiarata nell' ultimo Editto, in cui si proibisce ad ogni fedele dar nelle Chiese limosine a' poveri." Et iterum confirmatum fuit die 3. Augusti 1716 a Cardinali Caracciolo Pro-Vicario, necnon a Cardinali Paracciano Vicario die 23. Sept. 1718, quando fuit etiam idem Edictum ampliatum multipliciter.

3) Infra Exposit. SS. Sacramenti.

Ad dubium: An PP. s. Dominici liceat sine licentia Episcopi quaestuare per Ecclesiam tempore, quo recitatur ss. Rosarium vel quo adest expositum expensis Confraternitatis ss. Rosarii SSmum pro 40 horis?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 30. Martii 1715.

QUARTA FUNERALIS.

1) Quando Cathedrali debetur?

Quarta Parochialis debetur Ecclesiae Cathedrali vel praescriptione vel ex eo, quod illam sibi reservavit, quando Parochiae fuerunt erectae in signum Superioritatis. *Rota* part. 1. recentior. decision. 376. n. 2 et 3., *Riccius* resolut. 299. n. 4. et alii.

Differt Ecclesia Cathedralis ab aliis Ecclesiis quoad acquirendam praescriptione exemptionem a solutione quartae funerariae; Cathedralis enim Ecclesia quadragenaria acquirit exemptionem a solutione quartae funerariae. Caeterae vero Ecclesiae indigent immemorabili vel centenaria ad hanc acquirendam exemptionem. *Rota in Barchinonen. Jurium Parochialium* super quarta et oblationibus 9. Julii 1732 §. 4. cor. clar. mem. *Aldrovand.* Capitulo Colleg. Canfalonis de Urbe (habenti jus parochiale) debetur quarta ex funeralibus, quae fiunt tam prima die post tumulatum cadaver quam septima die in Ecclesia Societatis B. V. M.

n. 3758 ad 6 die 22. Jan. 1707.

Eidem Capitulo debetur quarta candelae et cerei, quae apponuntur in funere, non autem quae dantur prae manibus.

Ibidem ad 7.

Volaterrana.

(Conc. Tr. c. 13. sess. 25. De ref.)

Supremum cum obiisset diem Florentiae de anno 1709 Philippus Guidus Nobilis Volaterranus Aulicus Magni Ducis Hetruriae, praevia sepulturae electione in Ecclesia PP. Minor. Conventualium s. Francisci Volaterrarum, fuit exinde ejus cadaver Florentia delatum ad Ecclesiam praedictam exceptumque a Patribus privatim et sine pompa. Verum insequenti die a delatione cadaveris fuerunt a Patribus, eo praesente, instantibus defuncti propinquis, concelebratae exequiae cum Castro doloris, numerositate luminum ac pompa funebri. Cum autem Patres omnem ceram, quae circa feretrum superfuit, appropriaverint ad beneficium eorum Ecclesiae, praetensionem ex adverso excitavit Capitulum Ecclesiae Cathedralis subnixum ass. consuetudine antiquissima sibi deberi quartem partem totius cerae praedictae ardentis tam circa cadaver quam super altaribus, dummodo tamen quodlibet lumen excedat pondus unciarum quatuor, quam quidem quartam Episcopalem nuncupare solent praetensam scilicet ex funeribus eorum, qui ubicunque decedentes in aliis Ecclesiis saecular. vel regularibus etiam extra Parochiam Cathedralis fuerint sepulti; qua de re Patres praedicti recursum

habuerunt ad hanc S. Congregationem pro declaratione. Requisitus desuper informare Episcopus Volaterran. comprobando praemissa retulit hanc causam pendentem esse in ejus curia usque a die tumulationis cadaveris introductam modoque esse expeditioni proximam, ac ideo putat rescribendum suo Vicario Generali pro decisione. Caeterum approbat possessionem Capituli exigendi quartam similem totius cerae pondus unciarum quatuor excedentis in omnibus Ecclesiis tam Saecularium quam Regularium, ut ex dicta relatione danda in Summario.

Itaque inter partes de consensu concordata sunt infrascripta dubia, quae hodie ex deducendis hinc inde proponuntur EE. VV. resolvenda:

I. *An et quae quarta debeatur Capitulo pro funere, de quo agitur?*

II. *An et quae quarta debeatur pro reliquis funeribus, quae fiunt in civitate Volaterrana pro civibus et exteri ibidem defunctis et humatis?*

III. *An et quae pro civibus in aliis civitatibus mortuis et intra civitatem Volaterranam tumulatis?*

IV. *An et quae pro exteris in alienis civitatibus decedentibus et in civitatem Volaterranam sepultis?*

S. C. resp.: Omnia ad Episcopum, qui procedat prout de jure.

Die 5. Martii et 9. Apr. 1712.

2) Cathedr. non debetur.

S. Miniati.

Ex antiquissima et nunquam contradicta consuetudine Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathedralis s. Miniatis erant in possessione non solvendi parochis quartam funeralem de funeribus defunctorum, qui ex propria electione vel ob sepulchrum gentilitium in dicta Cathedrali Ecclesia tumulabantur; edita tamen per SS. Dominum nostrum constitutione incip.: „*Romanus Pontifex*“, impressa post Concilium Romanum, in qua praevia revocatione omnium privilegiorum alias Regularibus concessorum et cum clausula irritativa quarumcumque consuetudinum etiam immemorabilium, districte injungitur solutio hujus quartae Ecclesiis parochialibus facienda; istius vigore parochi ss. Jacobi et Stephani ejusdem civitatis recursum habuerunt ad hanc S. Congregationem pro declaratione, quod Capitulum teneretur in posterum praedictam quartam funeralem ipsis persolvere.

Expeditis consuetis literis Episcopo pro informatione et voto, hic relationem parochis favorabilem transmisit, et datur impressa in eorum summario num 1. Sed praefixo postmodum termino unius mensis ad deducenda sua jura in S. Congregatione duo Canonici nomine dicti Capituli comparuerunt coram Episcopo exponentes, ob notam tenuitatem massae capitularis hanc litem sustinere non posse, ideoque nonnulla summorum Pontificum privilegia aliaque antiqua documenta eidem exhibuerunt, ut jura Capituli ipse referret; quapropter Episcopus novam relationem transmisit, in qua inserendo dicta apostolica privilegia et praecipue *Coelestini III.* et *Clementis VII.*, quae dantur etiam impressa in „Summario“ parochorum num. 2 et 3., haec circa statum Ecclesiarum subjungit: „Haec insignis et vetusta olim Collegiata nunc Cathedralis Ecclesia multis privilegiis per *Paschalem II.*, *Eugenium III.*, *Coelestinum III.*, *Innocent. III.*, *Pium II.* et *Clementem VII.* aliosque summos Pontifices decorata reperitur. Illud autem est praecipuum, ut viginti et ultra Ecclesiae in Bullis *Coelestini et Innocenti III.* distincte nominatae ac intra notos ejusdem plebis sive prae-

positurae fines constructae, quibus cura imminet animarum, pleno jure verae et propriae matricitatis praefatae Ecclesiae majori subordinatae ac subjectae esse noscantur; unde in illis praepositus usu Pontificalium aliisque specialibus indultis et privilegiis insignitus olim ante sedis episcopalis erectionem Rectores seu Vicarios praeficiebat et jurisdictionem exercebat, sicuti etiam ab eis non solum canonicam portionem matricibus debitam sed etiam indiferenter tertiam partem omnium funeralium, oblationum, necnon quartam partem decimarum (quod ultimum sub annua solutione ejusdem portionis decimae adhuc servatur), ipsamet Ecclesia matrix percipiendi jure fruebatur; inter has vero Ecclesias dependentes et subordinatas, quae simul cum matrice veluti constituant unam formalem Ecclesiam, licet in plures materiales divisam pro majori populi commoditate in enunciatis Bullis *Coelestini* et *Innocentii III.* non solum dicta Ecclesia saecularis s. Stephani sed etiam dicta Ecclesia nunc regularis s. Jacobi expresse recensetur."

Ex his prosequitur idem Relator, tutam existimant Canonici eorum exemptionem a solutione praetensae quartae funeralis, sive inspecta qualitate Cathedralis sive jure matricis sive demum et fortius centenaria ac immemorabili consuetudine ex adverso non impugnata, in vim cujus allegari potest quicumque titulus possibilis et melior; privilegium nempe apostolicum vel expressa hujus juris reservatio per Cathedralem facta in primaeva erectione seu dismembratione istarum Ecclesiarum parochialium et filialium, super quo videri posset decis. 376. part. 1. recent., vel in compensationem alterius juris, quod Cathedralis prius habebat et postmodum remisit, exigendi a praedictis inferioribus Ecclesiis tertiam partem omnium funeralium et oblationum; nec enunciata privilegia, observantia, concordiae praesumptivae et exemptiones Capitulo competentes ex jure potius nativo quam dativo revocatae dici debeant a praefata constitutione SS. Domini nostri, utpote quae tantum abrogavit et abolevit privilegia et exemptiones concessas Regularibus, ut constare videtur ex integro illius contextu.

Haec sunt jura Capituli exhibita cum postrema relatione Episcopi, ad quae omnia, cum plene respondeatur in scriptura, quae circumfertur ex parte parochorum, dignabuntur EE. VV. his perpensis, summa qua pollent sapientia declarare: *An debeatur quarta funeralis in casu?*

S. C. resp.: *Negative.*

Die 18. Decbr. 1728 et 12. Martii 1729.

3) Confraternitati non competit.

Confraternitates, quae habent jus sepulturae, debent sepelire sine praejudicio Quartae funeralis aliorumque emolumentorum, quae spectant ad Capitulum vel Parochum. S. C. Epi scop in una Anconitana 19. Decbr. 1608 apud *Nicol.* in flosculis verb.: *Confraternitas* n. 22., et apud *Piton.*. Constit. ad Parochos n. 290.

4) Parocho saecul. debetur.

Vd.: *Quarta fun.* (Regular.)

Quarta debetur de omnibus intortitiis, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associatur, necnon de omnibus intortitiis et candelis, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accenduntur. Sic expresse statuit novissime *Bened. XIII.* Constitut. incip.: *Romanus Pontifex*

unde, ubi adest consuetudo, quod in Ecclesia circa cadaver diversa accendantur intortitia ab illis, quae fuerunt accensa in associatione cadaveris in itinere ad Ecclesiam tumulantem, debetur quarta de omnibus.

Etiamsi funus non fiat in die tumulationis, sed ad diversam diem vel ad aliud longius tempus differatur, debetur nihilominus Parocho quarta de omnibus intortitiis et candelis, quae circa cenotaphium seu tumulum honorarium et in altaribus ejusdem Ecclesiae accenduntur. Sic expresse *Benedictus XIII.* in cit. Constitut. incip.: *Romanus Pontifex,* et jam alias declaraverat S. C. Episcop. et Regular. in Senensi 3. Aug. 1621.

Vd.: *Eleemosyna pro funer... Defunctus* (ubi deponat., decr. n. 4316). *De quarta fun. Paroch. Italo-Graec.,* vd.: *Unctio in Bapt. Italo-Graecor.* n. XI. XII.

Semper quartam funeralem intortitiorum, quae circa corpus defuncti deferuntur, reservatam intelligi proprio parocho, quotiescunque defunctus alibi sepeliri contigerit. n. 785 ad 3 die 9. Dec. 1628.

Valere reservationem Sepulturae pro Alicorno et successoribus in Ecclesia per ipsum aedificata existente intra fines Ecclesiae parochialis, reservata tamen quarta funerali debita parochiali Ecclesiae. n. 805 die 31. Mart. 1629.

Haeredes def. possunt invitare numerum Sacerdotum saecul. aut regul. immo et confraternitatum sibi bene visum, nec cogi possunt ad vocandum Capitulum vel alios sed solum parochum, cui debetur duplum eleemosynae illae, quae datur aliis Sacerdotibus simplicibus. S. C. Ep. 17. Mart. 1579; 11. Oct. 1580; 24. Jan. 1581; 11. Jan. 1647; 11. Dec. 1649.

Vocato parocho et ipso renuente intervenire vel alium mittere Regulares deferrant cadaver absque parocho in eorum Ecclesia sepeliendum. Quo vero ad emolumenta per parochum praetensa, nihil dandum ultra solitum. n. 2733 ad 6 die 22. Junii 1675.

Si quis sepultus fuit extra Ecclesiam, in qua debebat sepeliri, sunt restituenda omnia emolumenta occasione hujus sepulturae percepta, et etiam ipsum cadaver, si petatur. S. C. C. 29. Nov. 1622.

Non tamen convenit restitui, si fuisset sepultus a multo tempore, quo casu sola funeralia restituantur cum declaratione, quod cadaver spectabat ad talem Ecclesiam.

S. C. C. 12. Junii 1654; 30. Apr. 1655.

Ad parochum non spectant omnes cerae, quae deferuntur ab associatione cadaveris et circa illud exponuntur in funere in Ecclesia PP. Conv. Min. civitatis Alexani sed potius sola quarta funeralis. n. 4082 ad 3 die 21. Mart. 1739.

Mantuana.

(Conc. Tr. C. 13. Sess. 25. De ref.)

In civitate Mantuana vigebat consuetudo, ut quaecunque Ecclesiae tumulantes sive saeculares sive regulares persolverent Ecclesiae parochiali medietatem cereorum, cum quibus cadavera ad Ecclesiam tumulantem deferebantur, et quod pro aliis cereis funeralibus, quae in Ecclesia tumulante circa cadaver et castrum doloris accendebantur, solveretur quaedam quota pecuniaria ab haeredibus defuncti, sed nunquam minor libris duodecim.

Consuetudo haec solvendi videlicet ad minus libras duodecim pro cereis funeralibus, quae accendebantur circa cadaver et castrum doloris, impugnata fuit a nonnullis particularibus eccles. civitatis Mantuae causaque delata ad hanc

sacram Congregationem; haec anno 1694 censuit: non esse gravandos haeredes ad dictam solutionem, sed reservavit jura parochialium adversus Ecclesias tumulantes, cumque parochiales Ecclesiae sua jura ad tramites praeservationis prosecuta fuissent adversus Ecclesias tumulantes, sacra haec Congregatio fuit in sensu: *quod medietas debebatur omnium, quae ratione funerum erogabantur.*

Ecclesiae civitatis Mantuanae, hoc est Cathedralis et aliae saeculares a praedicta resolutione reclamarunt, sub obtentu, quod antea nunquam soluta fuerat medietas eorum, quae ratione funerum erogabantur, sed sacra Congregatio bene perpendens, hanc observantiam negativam causam habuisse ab alia per eamdem sacram Congregationem sublata, juxta quam, uti dictum est, haeredes persolvebant quotam librarum ad minus duodecim, die 30. Aprilis 1695 stetit in decretis.

Post saeculares Ecclesias insurrexerunt Ecclesiae regulares civitatis Mantuae, cumque hae nedum sua privilegia allegassent sed etiam formiter dixissent, non esse adversus se probatam consuetudinem exigendi portionem canonicam, sacra haec Congregatio die 17. Martii 1696 parochos adstrinxit ad coadjuvandas probationes super praedicta consuetudine, cumque parochi per formale testium examen consuetudinem in aperto posuissent et sic res esset redacta ad punctum privilegiorum, die 27. Aprilis 1697 responsum fuit, quod exhiberentur privilegia regularium et interim solitum servaretur; allatis subinde praedictis privilegiis et informantibus semper regularibus, die tandem 18. Julii 1699 responsum fuit: *servandam esse consuetudinem solvendi quartam in medietate cereorum tantum, quae deferuntur per viam.*

Ad tramites hujus postremae resolutionis facta est a parochis exactio, sed edita a ss. Domino nostro Benedicto PP. XIII. Constitutione, quae incipit „Romanus Pontifex" et quae est sexta in ordine post Concilium Romanum, in qua sublatis regularium privilegiis iidem adstringuntur ad solutionem quartae favore ecclesiarum parochialium, tam candelarum, quibus defunctorum cadavera ad Ecclesiam deferuntur, quam aliarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus pariter accenduntur, exceptis tantum candelis, quas regulares funus associantes in manibus deferunt; cum parochi memoratae civitatis Mantuae coeperint praetendere medietatem non solum intortitiorum, quibus cadavera ad Ecclesias Regularium associantur, sed etiam aliorum, quae in die funeris circa cadaver castrumque doloris et etiam in altaribus tumulantis Ecclesiae accenduntur, controversia inter ipsos et regulares exorta est, in qua, cum jura hinc inde circumferantur, onus erit EE. VV. decernere:

Quomodo et in qua summa liceat parochis saecularibus exigere quartam funeralem ab Ecclesiis Regularium in casu?

S. C. C. resp.: Solvendam esse a Regularibus medietatem tam cereorum, quae deferantur per viam, quam aliorum, quae accenduntur in Ecclesia circa cadavera et castrum doloris et altaria.

Die 25. Jan. et 8. Febr. 1727.

Continuatio ejusdem causae.

Fundamentum hujus resolutionis constitutum fuit in memorata constitutione ss. Domini nostri, in qua ad solutionem quartae Regulares adstringuntur et derogatur contrariis privilegiis quibuscunque, et in eo, quod attinet ad

consuetudines, ita legitur: ubi vero „*consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, illisque pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in his, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari praecipimus.*"

Adeoque si Mantuae aderat consuetudo solvendi medietatem tamen cereis, cum quibus cadavera ad Ecclesiam tumulantem deferuntur, quam ex aliis cereis funeralibus, quae in Ecclesia tumulante circa cadaver et castrum doloris in altaribus accenduntur, non erit sufficiens pro Ecclesiis parochialibus, si ipsis solvatur medietas cereorum, quae deferuntur per viam, si iisdem solvatur quarta cereorum, quae in Ecclesia tumulante circa cadaver et castrum doloris et in altaribus accenduntur, sed erit omnino necessarium, ut horum omnium medietas persolvatur parochialibus ab Ecclesiis Regularium, quando in eis cadavera alienorum parochianorum sepeliuntur.

Ad partes posita responsione, quod consuetudo solvendi medietatem de cereis, quae in Ecclesia tumulante circa cadaver et castrum doloris accenduntur, respiciebat Ecclesias saeculares et non regulares civitatis Mantuae; quando etenim ss. Dominus noster praeservavit in sua Constitutione consuetudines locorum magis favorabiles parochiis, non potuit id intelligere nisi de consuetudinibus ecclesiarum. Supponit enim in sua Constitutione, Ecclesias regulares esse exemptas vigore privilegiorum, quibus proinde derogavit.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: An sit standum vel recedendum a decisis die 8. Febr. currentis anni?

S. C. C. resp.: Ad Dominum secretarium cum Sanctiss. juxta mentem.

Die 24. Maii 1727. Vd. *p. 936.*

Ad dubium 1.: An parochi saeculares vel praetextu funeralis vel ratione associationis praetendere possint ab haeredibus defunctorum majus emolumentum, quando cadavera sepeliuntur in Ecclesia s. Francisci PP. Reformatorum Terrae Forani, quam accipiant, quando tumulantur in Ecclesiis saecularibus?

2.: An parochianis Ecclesiae parochialis Terrae Montis Cassiani dioecesis Lauretanae liceat sibi eligere sepulturam in eadem Ecclesia PP. Reformatorum Forani Territorii Terrae Appiani Auximanae dioecesis? Et quatenus affirmative;

3.: an parocho dictae Terrae Montis Cassiani ejusque Sacristae praeter quartam funeralem ratione praetensi majoris laboris debeatur majus emolumentum et in qua summa pro associatura cadaveris ad dd. PP. Reformatorum Ecclesiam extra Territorium et dioecesim degentes? Et quatenus negative;

4.: an idem parochus Montis Cassiani teneatur restituere haeredibus J. Baptistae Cherubini portionem in istius funere majorem aequo exactam?

5.: An pro translatione cadaveris de uno ad alium locum occasione tumulationis in eadem PP. Reformatorum Ecclesia debeatur aliquod emolumentorum Gabellariis in casu?

S. C. resp. *ad 1.:* Dabitur resolutio in casibus particularibus;

ad 2.: affirmative et amplius;

ad 3.: affirmative juxta taxam Episcopi;

ad 4.: satis provisum per Episcopum et amplius;

ad 5.: negative.

Die 24. Martii 1753.

Fanen.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 25. De Ref.)

Controversia orta est inter parochos civitatis Fani et Capitulum Cathedralis Ecclesiae ejusdem civitatis negante

Capitulo quartam funerariam parochis tradere ex candelis, quae in altaribus accenduntur. Parochi igitur ad hoc s. Tribunal confugerunt, auditoque jam Episcopo causa nunc proponitur, disputantibus parochis rem dudum definitam fuisse Constitutione optimi Principis Benedicti XIII. lata in Concilio Romano, cujus initium est: *Romanus Pontifex,* et pluribus sacri hujus Tribunalis decretis: nec mutare duas Capituli exceptiones, quarum prima est in vetustissima consuetudine, altera in concessione facta Capitulo ab Episcopo Carboni anni 1165 „de oblationibus tam vivorum quam mortuorum, quae in episcopali Ecclesia offeruntur" atque ab Episcopo Riccardo anno 1218 „de omnibus mortuariis, quae ad se pertinerent, potuissent de parochia." Consuetudinem enim quamcumque parochis inimicam sublatam fuisse ab eadem Benedictina Constitutione, atque ita responsum fuisse ab hoc sacro Tribunali contra Patres Oratorii ejusdem Civitatis in Fanen. 14. Dec. 1754. Cessiones vero complecti mortuaria, quae ad Episcopos cedentes pertinerent, non quae ad parochos, qualia sunt ex candelis, quae in altaribus accenduntur in funere. Haec parochi. A Capitulo nihil habuimus. Dubium est:

An quarta funeralis, quando cadavera aliarum parochiarum in Cathedrali tumulantur, debeatur quoque ex candelis, quae in altaribus occasione funeris accenduntur in casu?

S. C. resp.: Affirmative et amplius. Die 17. Sept. 1757.

Pisaurien.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 12. De Ref.)

Exorta lite inter Patres Capuccinos civitatis Pisauri et Capitulum Cathedralis et parochos civitatis super solutione quartae, quando cadavera sepeliuntur in Ecclesia dictorum PP., et super puncto adigendi haeredes defunctorum ad paranda funeralia juxta qualitatem et gradum personarum, post exquisitam et habitam Ordinarii informationem de mense Septembris proxime praeteriti bina dubia inter summaria precum fuerunt disputata:

Primum: „*An Patres Capuccini teneantur tradere parochis quartam cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur et medietatem cerae et intortitiorum, quae accenduntur circa cadaver in eorum Ecclesia expositum?*" Et huic dubio responsum fuit: Patres Capuccinos teneri ad solvendum parochis quartam partem cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur, et medietatem cerae et intortitiorum, quae accenduntur circa cadavera, quae in eorum Ecclesia exponuntur ante humationem."

Secundum: „*An parochi possint cogere haeredes defuncti ad exponendum funerale juxta qualitatem et gradum personarum?*" Et huic dubio responsum fuit: „Ad Episcopum, qui auctoritate s. Congregationis procedat prout de jure."

Impetrataque a PP. Cappuccinis nova audientia, disputanda proponuntur dubia ad calcem restrictus referenda.

Motivum resolutionis praeteritae constitutum fuit in Constitutione 6. SS. Domini nostri impressa post Concilium Romanum, in qua sublatis omnibus privilegiis alias regularibus concessis statutum fuit, quod electa a parochianis alterius parochiae sepultura in ipsorum Ecclesiis solvatur parocho quarta pars omnium intortitiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associatur, necnon omnium intortitiorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accenduntur,

cum additione, quod, ubi consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae praefatis parochis magis faverent illisque pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in his, in quibus vigent, locis, inconcusse ab omnibus observarentur; cumque Episcopus in sua informatione retulerit: vigere in civitate Pisaurensi consuetudinem sententiis etiam judicum comprobatam, juxta quam non solum Ecclesiae saeculares sed etiam regulares solvunt parocho absque contradictione medietatem cerae accensae in expositione circa cadavera defunctorum, quae in ipsorum Ecclesiis sepeliuntur, hinc factum est, quod Patres Cappuccini fuerunt condemnati ad solvendam quartam partem cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur, et cerae et intortitiorum medietatem, quae accenduntur circa cadavera, quae in eorum Ecclesia ante humationem exponuntur.

Celebris fuit in hac sacra Congregatione anno proxime elapso causa Mantuana, cujus facti species est, quae sequitur:

Anno 1694 sacra haec Congregatio resolvit, quod parochis civitatis Mantuae *) solveretur medietas omnium, quae ratione funerum erogabantur et reclamantibus Ecclesiis saecularibus perstitum fuit in decisis anno sequenti 1695.

Post Ecclesias saeculares insurrexerunt Ecclesiae regulares, examinatisque earum praetensionibus annis 1696, 1697 et 1699 responsum fuit: Servandam esse consuetudinem solvendi quartam in medietate cereorum tantum, quae deferuntur per viam, itaut ab inde citra in civitate Mantuana Ecclesiae saeculares solverint parochis medietatem tam cereorum, quae per viam, quam aliorum, quae circa cadaver et castrum doloris accenduntur, sed Ecclesiae regulares non persolverunt nisi medietatem cereorum, quae feruntur per viam.

Edita supradicta SS. Domini nostri constitutione instantibus parochis civitatis Mantuae, sub obtentu potissimum quod in constitutione demandatur observantia consuetudinis, quae magis parochis faveret, disputatum fuit die 25. Jan. 1727 dubium: „*Quomodo et in qua summa liceat parochis saecularibus exigere quartam funeralem ab Ecclesiis Regularium in casu?*" Et huic dubio die 8. Febr. subsequentis responsum fuit: Solvendam esse a regularibus medietatem tam cereorum, quae deferuntur per viam, quam aliorum, quae accenduntur in Ecclesia circa cadavera et castrum doloris et altaria. Sed impetrata a regularibus nova audientia: disputatoque die 24. Maii „*an esset standum vel recedendum a decisis?*" major pars suffragiorum fuit pro recessu a decisis, hoc est, quod Ecclesiae regulares solvere deberent medietatem cereorum, quae per viam deferebantur, et quartam partem cereorum et intortitiorum, quae accenduntur in Ecclesia circa cadavera et castrum doloris et altaria, ex quo videlicet constitutio nihil aliud intendebat, quam quartae solutionem, et praeservatio consuetudinis, quae esset parochis magis favorabilis, non poterat sibi locum vindicare in casu, de quo agebatur, cum ea nunquam viguisset in Ecclesiis Regularium quoad solutionem medietatis cerei, quod accendebatur circa cadavera et castrum doloris et altaria, sed, cum ageretur de *interpretatione* constitutionis editae a SS. Domino nostro adhuc feliciter vivente, responsum fuit: Ad Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem, quae fuit, ut ipse Sanctitati suae exponerem sta-

*) *Hoc decretum* vd. *supra p. 932.*

tum controversiae, momenta rationum et numerum suffragiorum; et facta per me SS. Domino nostro praedictorum omnium distincta et clara expositione Sanctitas Sua declaravit, mentem suam fuisse, quod ab Ecclesiis tumulantibus parocho solveretur quarta, quod persisterent consuetudines et concordiae, in quibus pinguior portio parochis assignabatur, uti contingit in urbe, in qua portio a Regularibus persolvenda parochialibus Ecclesiis est ad medietatem redacta, uti late firmant *Pasqualig.* ad Lauret. de Franc. par. I. n. 29.; *Pignatell.* consult. 52. n. 9. tom. 1.; *Rota in Senogallien.* quartae funeralis 11. Jan. 1686 §.: denique coram bon. mem. Rondonino, impressa apud Bertachin. voto 101., et se idcirco approbare sensum pluralitatis suffragiorum, quod medietas cerae, quae defertur per viam, a Regularibus Mantuanis esset solvenda, cum in ordine ad eam consuetudo jam esset introducta et quartam tantum partem cerae, quae accenditur circa cadaver et castrum doloris, esse ab iisdem Regularibus solvendam, cum nulla in hac parte parochis consuetudo faveret, et consentanee ad sensum Sanctitatis Suae decretum editum fuit in praedicta causa Mantuana, ex cujus serie, quod ad rem videntur inferri posse, alterum: Patres Cappuccinos non posse se eximere a solutione quartae partis cerae, quae defertur in associatione cadaverum in ipsorum Ecclesia sepeliendorum, prout etiam ipsi ultro in suis scripturis fatentur; alterum est, idem forte judicium esse ferendum de quarta parte cerae et intortitiorum, quae accenduntur circa cadavera, quae in eorum Ecclesia exponuntur ante humationem, et praetensionem medietatis pendere a facto, a consuetudine videlicet, non solum ecclesiarum saecularium sed etiam regularium eam solvendi vel non solvendi.

Haec quoad primum dubium; quoad secundum vero Canonici et parochi civitatis Pisauri instant pro ejus resolutione juxta firmata per Rotam dec. 22. post *Monacell.* tom. 4., unde ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?*

II. *An parochi possint cogere haeredes defuncti ad exponendum funerale juxta qualitatem et gradum personarum et respective, an sit standum vel recedendum a decisis in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: In Decisis; ad II.: in Decisis.

Die 15. Maii 1728.

Oritana.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 25. De Ref.)

In Constitut. SS. Domini nostri incipien. „*Romanus Pontifex*“, ac impressa post Concilium Romanum in ordine „la 6.“ super solutione quartae funeralis adest infrascripta declaratio: „*Ubi consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae parochis magis faverent illisque pinguiorem praecitata quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in his, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observarentur*“; hinc ad probandam consuetudinem et conventiones ac respective obtinendam dictam pinguiorem quotam variae in dies oriuntur controversiae inter Ecclesias tumulantes et Ecclesias parochiales.

Celebris est causa Mantuana *) jamdiu agitata in hac sacra Congregatione, in qua contendentibus parochis exigere ab Ecclesiis tumulantibus tam saecularibus quam regularibus in vim consuetudinis ibi vigentis quartam funeralem in medietate omnium, quae ratione funerum erogabantur; quoad Ecclesias saeculares constans fuit sen-

*) Vd. *Decretum antecedens: „Mantuana.“*

sus hujus sacrae Congregationis, quod solvere tenerentur medietatem omnium cereorum, quae per viam deferuntur, ac etiam eorum, quae in Ecclesiis accenduntur in expositione cadaverum, varius tamen fuit quoad Ecclesias regulares, quousque sub die 24. Maii 1727 re maturius examinata prodiit resolutio „*ad mentem*" (approbata subinde vivae vocis oraculo a SS. Domino nostro), quae fuit: „ut praevio recessu a decisis sub die 25. Jan. praeteriti Regulares solvant Ecclesiis parochialibus medietatem cereorum, quae deferuntur per viam, et quartam tantum partem cereorum, quae in eorum Ecclesiis accenduntur circa cadavera, castrum doloris et altaria": cujus resolutionis fundamentum quoad primam partem fuit in consuetudine per parochos plene probata, quae tamen non aderat quoad secundam.

Adest etiam altera causa Pisauren.*) nuper introducta in hac sacra Congregatione super quota funeralium persolvenda a PP. Capuccinis Ecclesiis parochialibus Pisauri. Ex parte parochorum plene probatum fuit, vigere in eo loco antiquam consuetudinem approbatam etiam in judicio de exigenda medietate cereorum, quae in Ecclesiis tumulantibus accenduntur circa exposita cadavera; hinc sacra Congregatio die 15. Maii labentis anni respondit: „PP. Capuccinos teneri ad solvendam parochis quartam partem cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur, et medietatem cerae et intortitiorum, quae accenduntur circa cadavera, quae in eorum Ecclesia exponuntur ante humationem."

Consimilis quaestio hodie versatur in praesenti causa Oritana. Occasione enim, qua de mense Novembris 1726 cadaver filii ducis Cilii delatum fuit ad Ecclesiam PP. Capuccinorum, in qua ipsi duces sepulchrum gentilitium habent, Capitulum collegiatae Ecclesiae uti parochus habitualis dictae terrae pro illius associatione praetendit in vim antiquae consuetudinis omnia intortitia, quae circa cadaver per viam delata fuerunt accensa, sibi deberi, prout de facto ea omnia retinuit et occupavit; reclamantibus vero PP. Capuccinis ad curiam Oritanam, eadem curia assignato partibus termino probatorio omnem ceram interim deponi mandavit; ab hoc interlocutorio decreto appellavit Capitulum ad A. C.; remissa tamen causa per auditorem SSmi ad hanc sacram Congregationem, ac subscriptis duobus sequentibus dubiis, hodie proponuntur per EE. VV. sapientissime de more resolvenda:

I. An intortitia, quae deferuntur accensa per viam circa cadaver, spectent ad R. Capitulum Collegiatae, an vero ad PP. Capuccinos?

II. An dicti PP. Capuccini teneantur solvere dicto R. Capitulo uti parocho habituali quartam funeralem de omnibus cereis ad tenorem bullae SS. Domini nostri, quae incipit: „*Romanus Pontifex*?"

S. C. C. resp.: Omnia spectare ad PP. Capuccinos dempta quarta et amplius.

Die 4. Decbr. 1728 et 12. Febr. 1729.

Mediolanen.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 25. De Ref.)

Ad dirimendas omnes controversias ortas seu orituras super quarta funerali inter parochos et regulares san. mem. Benedictus XIII. in Constitutione: *Romanus Pontifex*, quae est la 6. inter impressas post Concilium Romanum, sancivit, ut sublatis quibuscumque privilegiis alias Regularibus competen. isti teneantur tradere parocho pro defunctis in eorum Ecclesiis tumulandis quartam partem omnium intortitiorum

*) Vd. *Decretum antecedens*: „*Pisaurien.*"

et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium intortitiorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accenduntur, exceptis candelis, quae in associatione funeris deferuntur manualiter accensae; quod si funus non in ipsa die tumulationis fieret, sed ad diversam vel ad aliud longius tempus differetur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intortitiorum et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa cenotaphium seu tumulum honorarium atque etiam in altaribus accensae fuerint, declarando etiam, quod, ubi consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae parochis magis faverent illisque pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigerent, locis inconcusse ab omnibus observari deberent.

Idem summus Potifex alteram quoque condidit Constitutionem incipientem: *Pretiosus,* in qua sub §. 67. data fuit optio parochis vel eligendi quartam partem praescriptam in prima dicta Constitutione vel standi consuetudini, statuto, concordiae seu conventioni; optione vero semel facta, eam amplius immutare nequirent.

In vim hujusmodi secundae Constitutionis lacessitis parochis civitatis Mediolanen. a PP. Dominicanis ad faciendam hanc electionem parochi declararunt, velle stare consuetudini, addita praeservativa: et juribus suis nolle in aliquo praejudicare.

Facta eadem instantia ex parte PP. Augustinianorum ejusdem civitatis sub die 7. Maii 1729 injunctum fuit, ut parochi respectu tam PP. Augustinianorum quam aliorum Regularium eligerent ad formam dictae Bullae: *Pretiosus.* Cum autem in vim istius decreti parochi declaraverint Synodum Ecclesiae Mediolanensis, PP. Augustiniani reclamarunt ab ista electione, instantes pro coactione, ut parochi specifice declararent: an vellent stare quartae vel consuetudini eodem modo, quo declararunt quoad PP. Dominicanos; sed proposita hujusmodi instantia in Congregatione die 13. Augusti 1729 inter summaria precum, rescriptum fuit: proponatur instantia una cum negotio principali et interim scribatur Emo Archiepiscopo pro informatione et voto.

Emus Archiepiscop. subinde celebrata Synodo de anno 1610 recollectis omnibus, quae s. Carolus in provincialibus Conciliis quoad funera ducenda statuerat, dixit plura condita fuisse decreta pro recte exercendis functionibus funeralibus necnon constitutas taxas cerae et eleemosynarum pro sacerdotibus interessentibus et quoad regulares, inhaerendo antiquae consuetudini praescriptum fuisse: ut ipsi contenti essent medietate illius cerae, quae circa feretrum aut aliter quomodocunque in illo funere adhibebitur, quodque hujusmodi decreta reperiantur impressa in rituali, quod prae manibus habent parochi occasione funerum, ac juxta eorum tenorem, quoties aliqua emergit contentio, pronunciari solent. Subdit quoque, licite potuisse parochos devenire ad secundam optionem de stando Synodis, non obstante prima facta ad instantiam PP. Dominicanorum, quia haec non a toto coetu parochorum emissa fuit, sed a nonnullis tantum speciale ad id mandatum non habentibus; seu quia addita in ea fuit clausula praeservativa suorum jurium, sive demum quia fuerunt postea omnes parochi coacti ad faciendam novam declarationem seu optionem magis puram et simplicem. Addit etiam, quod pondus candelarum, quae distri-

buuntur regularibus non associantibus in actu excipiendi cadaver in eorum Ecclesia, regulariter non sit minus novem unciarum illaeque non acquirantur religiosis gestantibus, sed eorum Ecclesiae; et aliquando solum pro usu proprio distribuantur illis ultra candelas novem unciarum aliae parvulae candelae trium circiter unciarum; et quod fructus certi parochialium civitatis sint valde tenues ac incongrua parochorum hujusmodi emolumenta incerta primum locum habeant, quae si minuerentur, non modicum praejudicium sentirent parochi, ut latius ex ejus relatione transcripta in summario parochorum, ubi pariter datur particula Synodi.

Regulares vero praetendunt, non esse attendenda praedicta decreta Synodalia, quia post factam primam electionem a parochis de stando consuetudini non poterant eligere Synodos, ac etiam quia dicta decreta non sunt in observantia et diversa sit consuetudo vigens in civitate quoad modum dividendi emolumenta funeralia; optio autem data parochis nunquam erit quoad decreta et statuta, quae non sunt in viridi observantia, prout ex litera praefatarum constitutionum apostolicarum; ut fusius ex eorum juribus in circumferendis.

His praehabitis grave non erit super sequentibus dubiis sapientissimum pandere responsum:

1. An et quomodo sit facienda divisio intortitiorum et candelarum ardentium in die funeris et officii, praesente cadavere, in altaribus columnis et aliis locis Ecclesiae regularis tumulantis?

2. An et quomodo sit facienda divisio earundem candelarum et intortitiorum, quae in Ecclesiis tumulantibus accenduntur occasione officiorum, seu exequiarum faciendarum in diebus sequentibus post tumulationem cadaveris?

3. An et quomodo inter parochos et regulares, qui cadaver per viam non comitantur, dividenda sint intortitia manualiter gesta accensa in itinere a sacerdotibus saecularibus occasione delationis cadaveris ad Ecclesiam regularem tumulantem?

4. An et quomodo dividendae sint candelae, quae manualiter gestantur accensae a Regularibus intra propriam Ecclesiam tempore funeris vel exequiarum et officiorum?

5. An et quomodo sit facienda divisio cenotaphii, culcitrae et aliorum ornamentorum in eo existentium?

6. An et quomodo sint dividendae pecuniae in casu, quo illae tradantur ab haeredibus defuncti in locum cerae?

7. An Regulares occasione funerum et officiorum teneantur accendere omnes candelas, quas recipiunt ab haeredibus defuncti, in altaribus Ecclesiae in casu?

S. C. C. resp. *ad primum, secundum, tertium, quintum et sextum:* divisionem esse faciendam pro medietate. *Ad quartum:* Dilata. *Ad septimum:* Affirmative.

Die 9. Sept. 1730.

Iterum proposito dubio:

1. An sit standum vel recedendum a decisis die 9. Sept. 1730?

2. An et quomodo dividendae sint candelae, quae in manibus gestantur accensae a regularibus intra propriam Ecclesiam tempore funeris vel exequiarum et officiorum?

S. C. C. resp.

ad 1.: In decisis quoad 1., 2., 3., 6., 7.; quoad 5.: In decisis servata forma constitutionum synodal.

ad 2.: Divisionem faciendam esse pro medietate et amplius.

Die 2. Junii 1731.

San. mem. Benedictus XIII. veterem sacrorum Canonum sanctionem redintegrans in constitutione incipiente: *Romanus Pontifex* ita sancivit: „Paro-

chis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum effectu tradatur quarta pars omnium intortitiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium intortitiorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accendentur etc. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem vel ad aliud diversum tempus differretur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intortitiorum et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa cenotaphium seu tumulum honorarium, atque etiam in altaribus ejusdem Ecclesiae accensa fuerint."

Post editam pontificiam hanc legem Archipresbyter necnon alii duo asserti parochi seu rectores Ecclesiae sub titulo s. Michaelis in oppido Bagnacaballi existentis, tametsi antea nihil jure quartae funeralis perciperent ex candelis et intortitiis penes Ecclesiam tumulantem Regularium relictis, multoque minus ex illis, quae itinere delata defunctorum haeredibus restituebantur, tradita Ecclesiae tumulanti decima dumtaxat parte, coeperunt canonicam exigere portionem ex omnibus candelis et intortitiis, quae sive in associatione cadaveris sive in Ecclesia occasione funeris accenduntur.

At Praesides communitatis memorati oppidi jura haeredum defunctorum tuentes hodie contendunt assertam quartam funeralem praefatis Archipresbytero et parochis solvendam non esse ex dictis candelis et intortitiis, quae post absolutum funus iisdem defunctorum haeredibus restitui antea consueverunt, innixi potissimum constitutioni synodali a clar. mem. Card. Rossetto Episcopo Faventino jampridem hisce verbis promulgatae: Il soprovanzo delle candele, che si accendano su l'altare resti alla Chiesa; ma delle candele, o torcie, che si accendano per istrada, etiam che durino accese in Chiesa, durante la funzione, si ristituisca interamente agli Eredi, idque consentaneum putant juri communi, quo statutum est, quartam funeralem parocho deberi ab Ecclesia tumulante dumtaxat ex intortitiis, candelis aliisque funerariis emolumentis eidem Ecclesiae obvenientibus, non autem ex illis, quae defunctorum haeredibus post absolutum funus restituuntur, uti notant communiter scribentes in tit. de Sepult. et favere videtur resolutio ab hac S. C. edita in Acheruntina die 15. Maii 1638, ubi dictum fuit: ad solutionem quartae funeralis non teneri haeredes nec executores testamentarios; emolumentum vero sepulturae pro cadaveribus humandis non posse de jure peti nec exigi, sed si quid ex legitima consuetudine a sponte dantibus solvi consuevit, hujusmodi consuetudinem permitti posse, ita tamen, ut ex non solutione interim non denegetur sepultura, ut in lib. 16. decr. p. 21.

Immo cum in facto habeatur, Archipresbyterum et memoratos parochos non exigere nisi decimam partem ex candelis et intortitiis, quae defunctorum haeredibus restituuntur, quando cadavera in parochiali aut alia saeculari Ecclesia tumulari contingit, perpendendum est, num, vigente hac consuetudine, eisdem competere possit jus exigendi quartam, quoties cadavera sepeliuntur in Ecclesiis Regularium; parochis enim prohibitum est pinquius emolumentum ab haeredibus defunctorum exigere, quando cadavera ad Regularium Ecclesias deferuntur, ne fideles ab eligenda in illis sepultura retrahantur, uti ad normam Apostolicarum constitutionum Urbani VIII. la 22. et Clementis X. la 56. pluries

rescripsit S. Cong. nimirum in Papien. funerum 12. Dec. 1665, in una conventualium quartae funeralis 27. Mart. 1577, in Mantuana funerum 16. Jan. 1694 et in insularum Canariae jurisdictionis, ubi disceptato dubio: An parochi saeculares praetendere possint majorem quantitatem emolumentorum funeralium, quando cadavera sepeliuntur in Ecclesiis regularium, quam accipiunt, quando tumulantur in Ecclesiis saecularibus? die 31. Julii 1694 ita responsum fuit: Negative et dandum decretum in Mantuana funerum editum 16. Jan. et 3. Apr. proxime praeteriti, ut in lib. 44. decr. p. 164.

E converso tamen Archipresbyter et parochi dictae Ecclesiae praeter constitutionem Benedictinam et plures resolutiones sacrae hujus Congregationis opponunt potissimum assertam consuetudinem, juxta quam controversa quarta funeralis nedum in praefato oppido Bagnacaballi verum etiam in ipsa civitate Faventiae a parochis defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium tumulantur, pluribus ab hinc annis exigitur ex omnibus intortitiis et signanter ex illis, quae defunctorum haeredibus post absolutum funus redduntur. Hanc autem consuetudinem utpote piam et laudabilem servandam esse, authumat satis probari ex rescripto Clementis III. in cap.: *Certificari.* 9. de Sepul., et Alexand. III. in cap.: *ad Apostolicam de Simon.*

Haec sunt rationum momenta, quae in utramque partem ponderari possunt ad decisionem primi dubii infra describendi. Cum autem praefati Archipresbyter et parochi in associatione cadaverum binas candelas ad differentiam Sacerdotum simplicium hactenus ab haeredibus defunctorum receperint in premium laboris, quem in curae animarum exercitio sustinent, juxta assertam consuetudinem nonnullorum testimonio comprobatam, et e contra Praefecti dictae communitatis contendant, dictas binas candelas tradi debere dumtaxat Archipresbytero, non autem aliis assertis parochis seu rectoribus praefatae Ecclesiae ad formam Synodi a dicto clar. mem. Cardinali Rossetto habitae, ubi sic cautum habetur: Oltre l' elemosina sudetta si permette anco quella della cera, cive al Paroco una candela, o al piu due, ma il peso similmente ad arbitrio degli Eredi. Quando si canta la Messa, per l'Altare maggiore solo candeline quattro, al Paroco candeline minute quattro, agl' altri Sacerdoti due, ma cantandosi solamente il Notturno de' Morti all' Altare maggiore due candeline minute, al Parocho, e Sacerdoti, come sopra, ad dirimendam quoque hanc controversiam alterum proponetur dubium.

Episcopus in suis literis ad S. C. datis Archipresbyteri et parochorum juribus adstipulatur quoad quartam funeralem; quo vero ad binas candelas censet, eas quidem tradendas esse Archipresbytero, minime vero parochis, quia, ut inquit, *praesente capite alii Rectores non plus habendi sint, quam simplices Sacerdotes funus prosequentes.*

Spectat jam vero ad Eminentias VV. declarare:

1. An et a quibus et quae portio cerae debeatur Archipresbytero Terrae Bagnacaballi pro eorum quarta funerali, quando cadavera tumulantur extra parochiam in Eccl. Regularium in casu?

2. An et quot candelae tradi debeant Archipresbytero et parochis in associatione cadaverum in casu?

S. C. C. resp.

ad 1.: deberi quartam tantum ex ea portione cerae, quae retinetur ab Ecclesiis Regularium.

ad 2.: deberi binas candelas Archipresbytero et, eo absente, totidem ejusdem substituto tantum et amplius.

Die 18. Junii 1735.

Lunen.

Detrectantibus fratribus Capuccinis civitatis Sarzanae praestare capitulo Ecclesiae Cathedralis quartam partem cerae, quam occasione funeris Catharinae Bernacci parochiali jure d. Ecclesiae Cathedrali subjectae et in eorumdem fratrum Ecclesia tumulatae debitam sibi asserit praefatum capitulum, proponitur infrascriptum dubium, quo nedum praesens sed et aliae id generis controversiae, quae deinceps exoriri possent, sapientissimo Eminentiarum VV. judicio dirimendae subjiciuntur.

Notissima est constitutio incipiens „Romanus Pontifex", qua s. m. Benedictus XIII., sublatis quibuscunque Regularium privilegiis ac exemptionibus, veterem sacrorum canonum sanctionem circa quartae funerariae solutionem redintegravit in haec verba: „Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcunque regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum effectu tradatur quarta pars omnium intortitiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium intortitiorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accendentur", quemadmodum aeque compertum est sub generali hujus pontificiae constitutionis lege comprehendi quoque fratres Capuccinos, uti declaravit supremum hoc tribunal in *Pisauren.* 15. Maii 1728 et in *Oritana* „funerum" 12. Febr. 1729.

At binae a fratribus Capuccinis conventus Sarzanensis coram Episcopo adductae sunt exceptiones: altera nempe, quod ipsi ex funere praelaudatae Catharinae nihil perceperint, sed omnia intortitia completo funere ad haeredis domum fuerint delata, ac penes ipsum adhuc remaneant, quodque proinde memoratum capitulum pro assequenda asserta quarta funerali actionem suam debeat contra d. haeredem instituere; altera vero, quod enunciata constitutio Benedictina non fuerit Genuae et in ejus ditione promulgata neque ibidem sit recepta.

Contra vero capitulum primam ex relatis exceptionibus satis confutari putat ex facto per Episcopum in sua relatione exposito, juxta quod habetur, memoratos fratres Capuccinos reipsa recepisse controversa intortitia, sed postmodum omnia restituisse haeredi, ut ea juxta mandatum Episcopi, donec lis inde exorta absolveretur, depositi loco retineret; ad rejiciendam vero secundam allegat resolutionem S. C. Episcoporum et Regularium negotiis praepositae in una Aquen. 19. Septb. 1732, ubi ad VI. dubium rescriptum fuit: „fratres Capuccinos teneri quartam funeralem persolvere parocho oppidi Ovadae", quod intra Januensis ditionis limites reperitur, ac praeterea magnopere innititur testimonio Episcopi, qui post rejectam primam exceptionem quoad alteram sic habet: „Secunda pariter exceptio nec in facto nec in jure subsistit. Non in facto, nam constitutionem san. mem. Benedicti XIII. venalem publice expositam ibique impressam egomet post ejus editionem Genuae emi, quod sicuti sufficientem ejus publicationem etiam in Genuensi dominio demonstrat, ita non leve praestat argumentum, quod nihil in contrarium occurrat reipublicae administratoribus pro observantia dictae constitutionis, quae punctum merae disciplinae ab ecclesiasticis servandae respicit. Ulterius quidquid in civitate Genuae servetur etiam post dictam constitutionem ob peculiarem consuetudinem ab immemorabili ibi vigentem contribuendi parocho proprio defuncti idem funus, quod in Ecclesia tumulante peragitur, ipsimet

PP. Capuccini in d. Aquen. superius enunciata ad VI. dubium condemnati fuerunt ad solutionem quartae parocho Ovadae, quae est oppidum Genuensis ditionis. Insuper cum PP. Minimi loci Spediae Genuensis dominii et hujusmet dioecesis cum privilegiorum praetextu recusarent quartam funerum in medietate emolumentorum funeralium juxta consuetudinem quoad alios Regulares ibi vigentem parocho d. loci persolvere, ad eam persolvendam in hac mea curia condemnati fuere per sententiam, quae in gradu appellationis confirmata fuit ab A. C. Mesmer die 12. Maii anni 1731, in cujus judicati executionem mox sub die 7. Junii ejusdem anni dd. PP. Minimi ad traditionem medietatis dd. funeralium emolumentorum devenerunt, ut ex instrumento publico mihi exhibito tandem (PP. Capuccinis exceptis) ceteri Regulares omnes hujus meae dioecesis etiam in Genuensi ditione antea a quartae solutione exempti eam post constitutionem jam dictam absque controversia parochis contribuunt. Minus subsistit in jure, cum pontificiae leges ab acceptione subditorum non pendeant et licet per contrariam consuetudinem, immo forte per solam desuetudinem, aliquando vim obligandi omittant, tamen ultra tempus annorum 40 requiritur scientia et patientia legislatoris."

Decidendum igitur erit:

An fratres Capuccini teneantur tradere parochis quartam cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur et intortitiorum, quae accenduntur circa cadaver in eorum Ecclesia expositum in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 18. Maii et 1. Junii 1737.

PP. Capuccini tenentur tradere sicut alii parochis quartam cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur, et intortitiorum, quae accenduntur circa cadaver in eorum Ecclesia expositum. S. C. C. In *Aquensi* oppidi *Ovadae* 19. Septb. 1732 et in *Lunen. Sarzanen.* 18. Mart. 1737 ad tenorem Constitutionis Bened. XIII. incip.: *Romanus Pontifex*, ac in *Oritana* 12. Febr. 1729.

5) Parocho saecul. non debetur duplex vel major solita quarta.

Caeteris paribus non possunt parochi majorem eleemosynam exigere pro sepultura forensium aut extraneorum quam incolarum.

S. C. Ep. 25. Maii 1640; 20. Junii 1653; 8. Aug. 1659.

Parochi consequi non possunt neque praetendere ab haeredibus defunctorum, qui sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, duplicem quartam seu portionem majorem solita dari pro illis, qui sepeliuntur in propria parochia. S. C. Ep. et Regul. in *Brundusina* 7. Decb. 1640. Quod cum aliis decretis confirmavit Clemens X. Constit. incip.: *Alias*, quae, ut ab omnibus in promptu habeatur, hic, prout jacet, subnectitur:

Clemens Papa etc.

„Alias pro parte tunc existentis Commissarii Curiae Fratrum Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae supplicata, ut prohiberetur parochis et Clericis Terrae Leverano Brundusinae dioecesis omnibusque aliis parochis et presbyteris, ne auderent accipere majorem eleemosynam pro defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dictorum fratrum, quam accipiebant pro iis, qui in ipsorum parochorum et presbyterorum saecularium Ecclesiis sepeliebantur, emanavit die 7. Dec. 1640 ab eadem Con-

gregatione decretum tenoris sequentis videlicet":

„S. C. Emi S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita ad tollendas indebitas exactiones, quae, ut proponitur, in tumulandis defunctorum corporibus fieri solent, censuit injungendum, prout praesenti decreti tenore injunxit Archiepiscopo Brundusino caeterisque locorum Ordinariis, ne permittant, ut parochi aliique de Clero saeculari majorem posthac eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium praedictorum sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in parochiali seu alia ipsius Cleri saecularis Ecclesia sepeliri voluissent, contrariis quibuscumque non obstantibus etc. Die 7. Decb. 1640. Et subinde cum tunc existentes fratres provinciae Dalmatiae dicti Ordinis Congregationi praefatae exposuissent, functiones funerales defunctorum, quorum cadavera in eorum Ecclesiis sepulturae mandarentur, facere ad eos, non autem ad parochos spectare, Congregatio praefata die 31. Aug. 1657 aliud decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet:

S. C. Emi S. R. E. Card. negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis narratis, juxta alias resoluta, censuit, functiones funeralium super cadavera defunctorum, quae in Ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad parochos pertinere, ac proinde ita in Oratorum Ecclesiis circa praemissa servandum esse, prout servari mandat et praecipit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 31. Aug. 1657."

Cum autem sicut pro parte dilecti filii Francisci Mariae a Castro s. Petri de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis praefati Nobis nuper expositum fuit, ipse decreta hujusmodi pro firmiori illorum subsistentia Apostolicae Confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsi Francisco Mariae Procuratori Generali gratiam facere volentes eumque a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis et Interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a Jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati decreta praeinserta auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium, inviolabilis apostol. firmitatis robur adjicimus."

Datum Romae die 18. Jan. 1672.

S. C. Episc. et Regul. die 24. Nov. 1713 ad 3 in causa *Placentina.*

Ad dubium: An liceat parocho exigere majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quam a civibus?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 15. Mart. 1704 in *Navarien.*

Parochis pro associandis et tumulandis cadaveribus eorum, qui repentina vel violenta morte decedunt, non licet exigere majorem quartam seu majus emolumentum eo, quod exigi seu praestari solet ab eo, qui testamentum condidit. S. Congr. Concilii 24. Aug. 1669.

Item nec licet parochis exigere majorem quartam seu majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quam a civibus. S. Congr. Rituum in Vaden. 2. Aug. 1689.

Non licet parochis majorem eleemosynam exigere pro defunctis in Ecclesiis Regularium sepeliendis, quam eis solveretur, si in propriis vel aliis saecularibus Ecclesiis sepeliri deberent. S. C. Ep. 27. Oct. 1603; 2. Oct. 1643. 25. Jan. 1651. Breve Urbani VIII. de die 11. Martii 1638. (Vd.: Bull. magn. edit. Luxenburg. p. 303. n. V.)

Ad dubium: An parochus vel Canonici Collegiatae, occasione cadaverum sepeliendorum in Ecclesia PP. Augustinianorum et Conventualium, possint exigere ultra solitam quartam funeralem sibi de jure debitam, libras duas cerae ab haeredibus defuncti in casu etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: *Negative.*

Et ita decrevit ac servari mandavit. n. 3881 ad 4 die 14. Decbr. 1715.

6) Parocho saecul. non debetur.

Vd.: *Quarta fun.* (Regul.); *Sepult. Regul.*

Quarta funeralis non debetur parocho, intra cujus limites viator retentus pro delicto et habilitatus cum cautione decedit stante consuetudine in civitate, quod jus sepeliendi peregrinos et viatores spectet ad Ecclesiam Cathedralem. S. C. C. in Pisauren. 22. Jan. 1628.

Quarta non debetur parocho de intortitiis et candelis, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes manualiter per viam deferunt. Sic expresse Benedictus XIII. in Constit. incip.: *Romanus Pontifex,* et jam pluries fuerat declaratum a S. C. Episc. et Regular. et signanter 28. Novbr. 1588 et in Firmana 5. Martii 1596.

Item quarta funeralis non debetur parocho de missis, legatis anniversariis hisque similibus piis relictis ad favorem Ecclesiae tumulantis vel exponentis, a defuncto dispositis. Sic expresse Benedictus XIII. ibidem, et jam fuerat declaratum a s. Pio V. Constit. incip.: *Etsi Mendicantium.*

Vela, Sudariola et similes panni non solum non peti sed neque etiam a sponte dantibus occasione funerum accipi possunt a parochis; die enim 13. Aug. 1718 in una Terrae Massae Tudertinae dioecesis proposito dubio in Sacra Congreg. Concilii: „An sub quarta comprehendantur frumentum, pannum, sudariolum et cera, quae accenditur et extinguitur ante Ecclesiam Fratrum?" responsum fuit: „Comprehendi sub quarta funerali frumentum et ceram, non autem pannum et sudariolum, et quoad sudariolum Sacra Congregatio mandavit illud amplius non auferri cum cadavere nec ab haeredibus parocho consignari."

Sic refert *Ursaya* tom. 4. pag. 1. num. 13.

Clerus saecularis nihil potest praetendere propter exequias aut sepulturam monachorum aut fratrum morientium extra claustra.

S. C. Ep. 24. Nov. 1634; 24. Sept. 1636.

Residua illius cerae, quam aliquas confraternitas vel locus pius impendit de suo in sepeliendis pauperibus gratis, nec a quocumque alio praetend possunt, nisi subsit fraus aliqua.

S. C. Ep. 22. Nov. 1588; 21. Aug. 1606; 15. Mart. 1616.

Consanguinei defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium sepeliuntur, illis parentare in parochialibus et aliis Presbyterorum Ecclesiis etiam Cathedralibus, compelli nullo modo possunt. S. C. Ep. 14. Jan. 1639, quod decr. approb. Alex. VII. in sua Constitut.: „Alias pro parte", 30. Apr. 1660. Item res se habet in die 3tio, 7mo et 30mo et in anniversariis.

S. R. C. 24. Julii 1638; 22. Apr. 1633.

Clerus saecularis nihil potest praetendere propter exequias aut sepulturam monachorum aut fratrum morientium extra claustra. S. C. Episc. et Regul. 24. Nov. 1634 et 24. Sept. 1636.

Ad dubium: An pro funere defuncti eligentis sepulturam in Ecclesia Regul. debeatur parocho quarta funeralis, vel potius obstet exemptio praetensa a PP. Carmel. Laudae eam non solvendi?

S. C. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Die 2. Maii 1711. *Lauden.* ad 4.

7) Quanta?

Quarta funeralis solvitur in quantitate juxta consuetudinem regionis et locorum solita et praescripta. S. C. C. in Ebredunen. 21. Julii 1695 ad 12, et in Mantuana 18. Junii 1699.

Quoad quantitatem quartae funerariae standum consuetudini; at notabile est, quod si ea praetendatur infra medietatem, sufficit praescriptio decem annorum; si autem ultra medietatem praetendatur, necessaria est praescriptio quadraginta annorum. *Rota in Florentina* quartae funeralis 6. Mart. 1711 fere per tot. cor. bon. mem. *Cafarell.* Nullo modo immiscere se debet Archipresbyter in decernenda taxa solvenda ab haeredibus pro sepeliendis defunctis, et hujusmodi sepultura omnino impediri et retardari non debet ob quemcumque praetextum etiam compositionis super quarta funerali; sed ad dirimendas lites et evitanda scandala, quae hac de causa oriri solent, adeundum esse Archiepiscopum, qui auditis partibus certam aliquam taxam statuat. n. 2869 ad 8 die 26. Nov. 1678.

Exequiarum taxa confici debet ab Episcopo, auditis interesse habentibus, et transmittat approbandam vel Metropolitano vel S. C. C. Die 20. Jan. 1630; 3. Sept. 1707.

8) Regularium.

Vd: *Quarta fun.* (Parocho non deb. dupl. etc.).

Regulares olim quartam funeralem solvere tenebantur solum in Conventibus seu Monasteriis, quae eam solvere consueverant 40 annis ante Concilium Tridentin.; secus vero in aliis ex post aedificatis, et quae in dies aedificabantur, ut patet ex ipso Conc. Trid. sess. 25. cap. 13. de reform. et declaraverat s. Pius V. Constit. incip.: *Etsi Mendicantium*, et pluries S. C. Concilii, ut in Pampilon. 22. Septbr. 1591, in Meliten. 2. Aug. 1607, in Asculana 2. Septbr. 1679, in Lauden. 2. Maii 1711. Et S. C. Episcop. et Regular. 17. Novbr. 1673, in Senogallien. 23. Dec. 1707, in Brictinorien. 16. Mart. 1717 et saepe alibi.

At novissime contrarium determinavit Benedictus XIII. Constit. incip.: *Romanus Pontifex*, qua decernitur et mandatur, ut *in Italia eique adjacentibus insulis* Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium de caetero tumulabuntur, quarta funeralis persolvatur, praeservando favore Parochorum consuetudines legitimas pro illis locis, in quibus vigent, percipiendi portionem majorem quarta, cum aliis ordinationibus et derogationibus opportunis. Et in Conc. Rom. tit. 8. de Officio Judicis Ordinar. c. 5. mandat Episcopis, ut ipsam publicari curent atque pro illius observantia invigilent, etiam tamquam sedis apost. Delegati. Unde, ut ejus dispositio ab omnibus plene percipiatur, hic ad literam datur:

Benedictus Episcopus etc.

Romanus Pontifex aequi bonique supremus Assertor auctoritatem a

Christo per beat. Petrum, apostolorum culmen, sibi traditam intelligens, ut ex agro dominico pro temporum necessitate noxia evellat et destruat, utiliaque plantet et aedificet, ea interdum, quae a Praedecessoribus suis ob rationabiles et justas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum praejudicium et detrimentum redundare cognoscit atque dissidibus et contentionibus fomentum praebere animadvertit maxime inter Dei et Ecclesiae Ministros, quorum est evangelizare pacem et quibus a Domino non aliud frequentius neque enixius commendatur, quam ut pacem ac unitatem diligant, moderari et immutare aliasque Pastoralis Officii sui partes desuper interponere solet, prout rerum, locorum temporumque circumstantiis mature pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, fidelium animarum saluti divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Sane quamplures romani Pontifices Praedecessores nostri multiplicia ac plane insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt praesidiis, viris nempe vitae sanctitate, doctrinae laude ac orthodoxae religionis zelo praestantibus, eidemque in coelis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines eorumque Professores, plurimis satis amplis indultis et privilegiis benigne decorarunt ac inter alia iis illud concesserunt, ut canonicam portionem seu quartam funeralium emolumentorum partem pro personis, quae in eorum Ecclesiis supulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minime tenerentur, ac ad majorem ejusmodi privilegii firmitatem, sanctioni etiam a fel. rec. Clemente V. Praedecessore Nostro edito in Concil. Viennensi et relate in Clementina *Dudum, de Sepulturis*, necnon Concilii Tridentini Decreto relato in cap. 13. sess. 25. de ref. praedictam quartam funeralem Parocho aperte reservantibus non semel amplissime derogarunt; unde non acerbae modo Parochorum querelae sed innumerae etiam contentiones atque lites inter eos et Regulares super solutione ejusdem quartae diversis temporibus excitatae fuerunt, quae coram Ordinariis locorum et deinde in variis quoque almae Urbis Nostrae tribunalibus, praesertim vero in Auditorio palatii Nostri apostolici et in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, praefati Concilii Tridentini interpretum, magno partium studio, nec minori sumptuum incommodo discussae, sicut accepimus, aliquando ad favorem Parochorum, aliquando autem ad favorem Regularium pro diversis causarum circumstantiis atque vario Judicantium sensu decisae ac definitae fuerunt. Haec porro judicatorum sententiarumque diversitas, cum nullam certam ac determinatam constituerit regulam, in evenientibus casibus observandam, magnum plane fomentum et ansam reliquit, immo et latam sternit viam ulterioribus inter praedictos Regulares et Parochos litibus et controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de caetero perturbari dissidiis novisque praegravari dispendiis possunt cum divini cultus detrimento et scandalo plurimorum. Quocirca Nos maxime expedire censentes, ut ejusmodi controversiae et lites ab Ecclesia Dei penitus arceantur, ac insuper, licet universos Ordines Regulares, in quibus nempe in Ordine Fratrum Praedicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternae caritatis affectu prosequamur, eosque, uti de Ecclesia catholica, fide et sede apostolica optime meritos praecipuo

semper in honore ac pretio habuerimus et habeamus, nihilominus considerantes exemtionem a solutione quartae funeralis praefatis Ordinibus in dicta apost. sede concessam modo vergere in maximum parochorum praejudicium, tum propter multiplicationem Conventuum et Monasteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem et consuetudinem fidelium sepulturam eligendi in Ecclesiis praedictorum Regularium, ac proinde non modo consentaneum sed etiam necessarium arbitrantes, ut eorundem parochorum, quibus caeteroquin sacri Canones et prisca Ecclesiae disciplina aperte suffragantur, indemnitati opportune consulatur et antedicta apostolica privilegia ad aequitatis limites reducantur, hinc igitur est, quod Nos omnia et singula memorata privilegia exemptiva a solutione quartae funeralis, quibusvis Ordinibus, Congregationibus ac Institutis regularibus ab apostol. sede, ut praefertur, quandocumque et quomodocumque concessa, praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes, ac de eorum tenore et substantia satis superque instructi, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium et aliquot etiam Romanae Curiae Praelatorum a Nobis ad id specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis et aliis Ecclesiarum Praelatis, in praesenti Sacro Concilio congregatis, ac insuper motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostol. potestatis plenitudine hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, praemissa omnia privilegia quoad quartam funeralem, tantum pro locis infra exprimendis, moderamur, reformamus, ad viam juris reducimus, et quatenus opus sit, etiam revocamus et abrogamus, neque cuipiam deinceps suffragari posse vel debere decernimus.

Praeterea motu, scientia et potestatis plenitudine similibus sancimus et statuimus et mandamus, *ut in Italia eique adjacentibus insulis* a die publicationis praesentis Constitutionis in futurum parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum effectu tradatur quarta pars omnium intortitiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium intortitiorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accendentur. A praedicta tamen quarta funerali exceptae intelligantur et sint candelae, quas Sacerdotes, etiam Regulares vel piarum Sodalitatum Confratres, funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem vel ad aliud longius tempus differetur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intortitiorum et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa cenotaphium seu tumulum honorarium atque etiam in altaribus ejusdem Ecclesiae accensa fuerint. Haec porro omnia locum habeant et exacte in posterum observentur, quotiescumque defunctus extra suam parochialem Ecclesiam tumuletur vel exponatur, sive in Ecclesia tumulante vel exponente beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulchrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea sepulturam elegerit. Sub praedicta quarta funerali comprehendi non intendimus, immo expresse ab ea excipimus legata missarum et anniversariorum hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiae tumulantis vel exponentis a defuncto deposita. Circa quae ac omnia et singula alia, de quibus in praesenti Con-

stitutione mentio facta non fuit, privilegia praedictis regularibus Ordinibus ab apost. sede concessa, salva prorsus et illaesa ac inviolata perpetuo permanere et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse et irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus et mandamus. Ubi vero consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae praefatis parochis magis faverent illisque pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari motu, scientia ac potestatis plenitudine paribus sancimus, praecipimus et jubemus.

Datum Romae apud s. Petrum 1725 4. Calend. Maii.

Extra Italiam insulasque adjacentes, ad quas vires suas haud porrexit Constitut s. m. Benedicti XIII. incip.: *Romanus Pontifex*, de qua Auctor num. 24., servatur quoad solutionem quartae funeralis a Regularibus faciendam Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 13. de Reformat. demandans, ut Regulares non aliter sint exempti a solutione quartae funeralis, quam si per quadraginta annos ante ipsum Concilium eam non solverint.

Quaestionis autem est: utrum ad Regulares, an ad parochos spectet probare, quod ipsi Regulares per quadraginta annos ante Tridentinum Concilium quartam funerariam haud solverint. Spectare ad parochos, resolvit S. C. C. Interpres in una Minorum Observantiae Provinciae Poloniae 14. Novbr. 1682.

E vivis nuper erepta quum fuerit Anna Graziani Patrizi e Burguo s. sepulchri, locus factus est illius testamentariae dispositioni, ut nimirum peracto funere Colleg. in Eccl. Roncilionis, quod est oppidum istius amplitudinis Tuae dioeces., tumulum haberet in Eccl. Ord. Minor. s. Francisci Capuccinorum ejusdem loci. Absolutis exequiis Capitulum recensitae Colleg. Eccl. cadaver deposuit juxta morem ad valvas Eccl. eorumdem Regularium, qui servatis servandis illud tumularunt. Deinde et a parocho et a Capitulo eodem expostularunt, quod illis obvenit hac occasione, quartam nimirum funeris. Sed renuentibus Parocho Archipresbytero et recensito Capitulo, immo asserentibus nihil Capuccinis debendum, recursum isti habuerunt ad hanc S. C., ut pro sua sapientia super controversia decerneret. Quum autem haec omnibus nota sint et pluries decretum, quartam funerariam spectare ad Eccl. tumulantem, propterea Emi et Rmi P. in Ordinariis Comitiis hodiernis ad Vaticanas Aedes coadunati satius duxerunt amplitudini Tuae esse scribendum, ut pro sua prudentia controversiam juxta morem ad pacem assequendam ac sine strepitu componat adigetque Capitulum ad praestandum Alumnis Capuccinis, quod illis debetur a jure statutum. Hanc S. C. voluntatem et decretum dum amplitudini Tuae communico, diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 7. Dec. 1844. n. 4998.

Rmo Dom. uti Fratri
Episc. Sutrino et Nepesino.

Ad eandem relationem S. C. resp.: Juxta alias decreta in casu praestandam esse quartam funerariam Ecclesiae tumulanti. n. 5022 die 14. Jun. 1845.

Nonantulana.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 25. De ref.)

In Terra Pergulae mortuus est quidam puer, filius Marci Antonii Baldini de parochia Ecclesiae Conventus PP. s. Augustini, et ejus cadaver fuit traditum sepulturae in Ecclesia Convent.

PP. Minor. Conventualium; hisce contendentibus, se non esse adstrictos ad solutionem quartae funeralis favore Ecclesiae paroch., controversia exorta est, quae ad hanc S. Congregationem defertur.

Fundamentum PP. Minor. Contualium consistit in antiqua conventione inter utrumque Conventum, quod loco quartae funeralis persolvantur Patribus s. Augustini pro parochianis eorum Curae subjectis sex annuae librae cerae, et licet de hac conventione non constet per instrumentum, constat tamen ex testibus atque receputis.

Addunt novissimam constitutionem SSmi Domini Nostri sibi non obstare, tum, quia eadem tollit consuetudines et conventiones, quae sunt damnosae Ecclesiis parochialibus, inter quas dicunt non esse enumerandam illam, de qua nunc agitur, cum parochia quolibet anno habeat censum annuum sex librarum, licet plures elabantur anni, in quibus nemo in sua, hoc est, Fratrum Min. Conventualium Ecclesia eligit sepulturam, tum quia conventio facta est pro extinguenda lite, non super quarta sed super alio puncto, ad quem videlicet ex duobus Conventibus spectaret Cura Terrae Pergulae.

E contra Conventus PP. s. Augustini suum constituit fundamentum in constitutione edita a SSmo Domino Nostro die 8. Junii 1725 et impressa post Concilium Romanum, in qua sublatis omnibus privilegiis a solutione quartae eximentibus, voluit eam integram persolvi a Regularibus Ecclesiis parochialibus, et in ea derogatur apostolicis aliis constitutionibus, statutis, privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, et in eo, quod attinet conventiones et concordias, non praeservat nisi eas, quae parochis magis favent, et illis pinguiorem quarta emolumentorum funeralium portionem assignant.

Jura circumferuntur, quocirca onus erit EE. VV. decernere:

An Constitutio noviter emanata super quarta funeralium obstet, itaut Ecclesia PP. Minorum Conventualium Terrae Pergulae teneatur solvere Ecclesiae paroch. PP. s. Augustini ejusdem Terrae integram quartam funeralem in casu, in quo aliquis subjectus parochiae dictorum PP. s. Augustini sepelitur in Ecclesia PP. Min. Conventualium in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 24. Maii 1727.

Iterum propositis dubiis:

I. An sit standum vel recedendum a decisis? Et quatenus affirmative quoad primam partem;

II. An quarta funer. solvenda sit PP. Augustinianis in quarta parte candelarum, intortitiorum aliorumque circa funus appositorum seu potius in illorum medietate juxta assertam loci consuetudinem?

S. C. C. resp.

ad I.: In decisis et amplius;

ad II.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam et amplius.

Die 17. Decbr. 1729.

9) Pro Sepult. Canon. Cathedr.

Vd.: *SS. Viaticum* (portand. Sacerd.).

Quarta funeralis pro sepultura Canonicorum Cathedralium debetur parocho domicilii, non vero parocho Cathedralis neque parocho parochiae, ubi adest sepultura suorum Majorum. Sic expresse decrevit S. Congr. Conc. in Tiburtina 12. Maii 1685 in respons. ad 3, et in Narnien. 26. Sept. 1699.

In tumulatione cadaveris tam Canonici quam alterius in Cathedrali civitatis Cajetanae non debetur parocho defuncti quarta funeralis. n. 4270 ad 6 die 16. Julii 1757.

10) In transitu per aliam parochiam.

Curatus unius dioecesis (quaecumque sit), in transitu cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia dioecesi, transeundo per propriam parochiam et jurisdictionem, non potest aliquam partem cerae et pecuniarum praetendere. S. C. Episc. et Regul. 28. Nov. 1671, 15. Nov. 1675, et eadem S. C. Episcop. novissime in Placentina pro Terra Clastidii 24. Novbr. 1713 in respons. ad 2.

Parentes cadaveris non tenentur ratione funeralium solvere parocho Cathedr., per cujus parochiam defertur cadaver, aliquam portionem.

N. 3094 die 15. Sept. 1685.

Pro transportatione cadaveris de uno ad alium locum non solvitur gabella sive vectigal. S. Congr. die 10. Jun. 1653.

Parochus praetendit, parochos cum funeribus illac transeuntes debere consistere et ei quartam funeralis persolvere. S. C. resp.: Dictum parochum non posse neque debere impedire, quominus parochi suos defunctos comitentur usque ad Ecclesiam, in qua sepeliendi sunt, neque mortuarium petere, quod haeredes propriae parochiae solvant.

N. 615 die 14. Febr. 1626.

Pro extractione, introductione vel transitu cadaveris delati ad sepulturam nequit exequi gabella aut vectigal. Sic reprobatis contrarium sentientibus, nervose probat *Card. de Luca* de Regularibus discurs. 166. occasione praetensionis excitatae pro cadavere Cardinalis Giberti Borromaei, qui obiit in oppido Neptuni et transportatus fuit ad Urbem: et in fine testatur, ita vivae vocis oraculo decisum fuisse a s. m. Alexandro VII. occasione ejusdem praetensionis Dohaneriorum pro translatione cadaveris infantis Margaritae de Sabaudia, quae in Urbe pie decedens Assisi sepulturam elegerat, quem aliis adductis sequitur *Ald.* ad Pamphil. decis. 323. n. 9. apud *Ursayam* Institut. Crimin. lib. 3. tit. 9. n. 48 et 49. Et sic expresse declaravit S. Congregatio Immunitat. in Firmana 10. Junii 1653.

Nec parochus occasione transitus per suam parochiam cadaveris alterius parochiae et dioecesis potest praetendere aliquam partem cerae aut pecuniarum pro quarta funerali aut alio titulo ab haeredibus defuncti, ut expresse statuit S. C. Episc. et Regular. in Placentina 24. Nov. 1713 in resp. ad 2 dub.

11) In tumul. pauperum.

Parochi pauperum cadavera gratis sepelire tenentur.

S. C. Ep. 5. Maii 1617; 31. Maii 1646.

Vd.: *Sepultura pauperum.*

QUATUOR TEMPORA.

Commemor.

Vd: *Feriae maj.* (commem., decr. n. 4175).

QUINQUE GRANA INCENSI.

Vd.: *Cereus Pasch.* (Bened., Modus).

QUINQUE VULNERA JESU CHRISTI.

Vd.: *Officium* (quinque vuln. etc.).

Typis E. Stahl.